Digitized by Google

15. 2. 152

Digitized by Google


INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE REV. PATRE

EDMUNDO SIMONNET

SOCIETATIS JESU PRESBYTERO,
Sacræ Theologiæ Doctore & Exprofeſſore,
Univerſitatis Muſſipontanæ Cancellario.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS,
Ex Typographia Balleoniana.

MDCCXXXI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

Digitized by Google

INDEX.

TRACTACTUS UNDECIMUS.

De Sacramentis in Genere.

ARTICULUS PRÆAMBULUS.

De iis qui errarunt circa Sacramenta novæ legis ante ſæculum decimum ſextum.

DISPUTATIO PRIMA.

De exiſtentia & quiditate Sacramentorum.

Art. 1. AN & quot ſint Sacramenta novæ legis. pag. 3.
Reſp. 1. Sunt aliqua Sacramenta in lege nova. *ibid.*
Reſp. 2. Sunt ſeptem novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora: Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium. *ibid.*
Art. 2. Quis inſtituerit ſacramenta novæ legis. 5
Reſp. 1. Chriſtus per ſe immediatè omnia ſacramenta novæ legis inſtituit. *ibid.*
Reſp. 2. Chriſtus, ut homo, adeòque humana ſua voluntate, ſacramenta inſtituit. *ibid.*
Art. 3. Quid intelligatur nomine Sacramenti novæ legis. 6
Reſp. Sacramentum novæ legis bene definitur: Signum ſenſibile, ſacrum, permanens, à Chriſto inſtitutum, ſignificans gratiam; & gratiam quam ſignificat, efficiens infallibiliter, & ex opere operato. *ibid.*
Art. 4. De ordine & dignitate ſacramentorum novæ legis. 7
Reſp. 1. Sacramenta novæ legis enumerantur hoc ordine: Baptiſmus, Confirmatio, &c. *ibid.*
Reſp. 2. Septem novæ legis ſacramenta non ſunt æqualis inter ſe dignitatis. *ibid.*
Art. 5. Utrùm fuerint aliqua ſacramenta in lege Naturæ & Moſaica. 8
Reſp. 1. In lege Naturæ fuerunt aliqua ſacramenta. *ibid.*
Reſp. 2. Fuerunt aliqua ſacramenta in lege Moſaica. 9
Art. 6. Quid intelligatur nomine ſacramenti legis Naturæ & Moſaicæ. 10
Reſp. Sacramentum legis Naturæ & Moſaicæ bene definitur: Signum ſenſibile, ſacrum, permanens, à Deo inſtitutum, & gratiam ſanctificantem ſignificans tantùm. *ibid.*

DISPUTATIO II.

De materia & forma ſacramentorum.

Art. 1. UTrùm ſacramenta novæ legis perficiantur rebus ut materia, & verbis ut forma. *ibid.*
Reſp. Omnia ſacramenta legis novæ perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma. *ibid.*
Art. 2. Utrùm omnia ſacramenta novæ legis intrinſecè conſtent rebus ut materia, & verbis ut forma. 12
Reſp. Omnia ſacramenta novæ legis, quæ in re tranſeunte conſiſtunt, componuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. *ibid.*
Art. 3. Utrùm verba, quibus ſacramenta perficiuntur, ſint concionalia, an conſecratoria. 13
Reſp. 1. Ad nullius ſacramenti validam confectionem requiritur verbum concionale. *ibid.*
Reſp. 2. Ad validam confectionem omnis ſacramenti requiritur verbum conſecratorium. 14
Art. 4. Utrùm res & verba, quibus ſacramenta perficiuntur, fuerint à Chriſto determinata. 15
Reſp. 1. Chriſtus determinavit res & verba, quibus tanquam materia & forma, ſacramenta perficiuntur. *ibid.*
Reſp. 2. Chriſtus materiam & formam ſacramentorum determinavit univerſaliter pro tota Eccleſia; ita ut ubique terrarum, & in qualibet Eccleſia particulari, tam Græca, quàm Latina, ſufficiat materia & forma eadem. *ibid.*
Art. 5. Quænam mutatio materiæ vel formæ tollat ſubſtantiam & veritatem ſacramentorum. 17
Reſp. 1. Subſtantialis ſeu eſſentialis mutatio materiæ vel formæ, à Chriſto inſtitutæ & determinatæ, tollit ſubſtantiam & veritatem ſacramentorum. *ib.*
Reſp. 2. Accidentalis mutatio materiæ & formæ, à Chriſto inſtitutæ, non tollit ſubſtantiam ſeu veritatem ſacramentorum. *ibid.*

DISPUTATIO III.

De cauſalitate ſacramentorum.

Art. 1. UTrùm ſacramenta novæ legis cauſent gratiam. 19
Reſp. 1. Sacramenta novæ legis proximè & immediatè cauſant gratiam. *ibid.*
Reſp. 2. Cauſant gratiam, ut cauſæ inſtrumentales tantùm. 20
Reſp. 3. Rectè dicuntur cauſare gratiam ex opere operato. *ibid.*
Art. 2. Utrùm ſacramenta novæ legis cauſent gratiam phyſicè, an moraliter tantùm. 22
Reſp. Sacramenta novæ legis, non phyſicè, ſed moraliter tantùm cauſant gratiam. *ibid.*
Art. 3. Utrùm ſacramenta novæ legis ſemper conferant gratiam, & in quo inſtanti illam conferant. 23
Reſp. 1. Sacramenta omnia novæ legis gratiam conferunt ſemper, & omnibus qui ea recipiunt ſine obice gratiæ. 24
Reſp. 2. Omnia novæ legis ſacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, eo ipſo inſtanti quo primum perfecta ſunt eſſentialiter, conferunt gratiam iis omnibus, à quibus ſuſcipiuntur ſine obice gratiæ. *ib.*
Reſp. 3. Sacramentum Euchariſtiæ, recipientibus illud ſine obice gratiæ, gratiam confert eo ipſo inſtanti, quo ſpecies conſumptæ ſunt ſufficienter, &c. *ibid.*
Art. 4. Utrùm ſacramenta omnia novæ legis conferant primam gratiam, & gratiam æqualem. 25
Reſp. 1. Baptiſmus & Pœnitentia per ſe primò conferunt primam gratiam; & per accidens ſecundam ſæpe conferunt. *ibid.*
Reſp. 2. Cætera novæ legis ſacramenta non primam, ſed ſecundam gratiam per ſe primò conferunt. Quòd autem primam per accidens ſæpe conferant, ſua non caret veriſimilitudine. *ibid.*
Reſp. 3. Inter ſacramenta novæ legis, alia majorem, alia minorem gratiam conferunt, & ſic omnia non conferunt æqualem. 26

Reſp. 4. Omnia ſacramenta novæ legis majorem conferunt gratiam ſubjecto meliùs diſpoſito, adeòque inæqualem inæqualiter diſpoſitis. *ibid.*

Art. 5. Utrùm omnia ſacramenta novæ legis, præter gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem, conferant etiam gratias actuales. *ibid.*

Reſp. Omnia novæ legis ſacramenta, præter gratiam habitualem, conferunt etiam gratias actuales, quæ intuitu ſuſcepti ſacramenti, adultis dantur ſuo loco & tempore, ad obtinendum finem proprium ſacramenti, niſi tamen illis indignos ſe reddant peccando mortaliter, aut aliter illis obicem ponant. *ibid.*

Art. 6. Utrùm ſacramenta novæ legis, is à quibus ſuſcipiuntur, characterem imprimant. 27

Reſp. 1. Datur character ſacramentalis. *ibid.*

Reſp. 2. Character ſacramentalis eſt ſignum quoddam ſpirituale, impreſſum animæ, & indelebile. 28

Reſp. 3. Tria ſacramenta, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, characterem imprimunt. *ibid.*

Art. 7. Utrùm etiam ſacramenta veteris legis cauſarint gratiam. 29

Reſp In hoc etiam ſacramenta Moſaica à noſtris differunt, quòd hæc cauſent gratiam ex opere operato, illa verò non cauſarint. *ibid.*

Art. 8. Utrùm Circumciſio cauſarit gratiam ex opere operato, an non. 30

Reſp. Circumciſio non juſtificabat, nec cauſabat gratiam ex opere operato. *ibid.*

DISPUTATIO IV.

De Miniſtro ſacramentorum.

Art. 1. Utrùm omnes & ſoli homines poſſint eſſe miniſtri ſacramentorum. 32

Reſp. 1. Solus homo viator, ratione utens, poteſt eſſe miniſter ſacramentorum ſecundùm legem ordinariam. *ibid.*

Reſp. 2. Verus miniſter ſacramentorum (exceptis Baptiſmo & Matrimonio) non eſt quilibet homo etiam baptizatus, ſed is tantùm, qui ad id muneris ritè ordinatus eſt. 33

Art. 2. Quænam intentio requiratur in Miniſtro, ad valorem ſacramentorum. *ibid.*

Reſp. Ad valorem ſacramenti requiritur in Miniſtro, præter intentionem exequendi ritum externum, confuſa ſaltem & generalis intentio efficax faciendi ſacramentum, ritum illum externum exequendo. 34

§. 1. Probatur reſponſio authoritate Concilii Florentini. *ibid.*

§. 2. Concilii Tridentini, 36

§. 3. Authoritate Pontificia, 38

§. 4. Authoritate S. Thomæ, 39

§. 5. Rationibus, 42

§. 6. Solvuntur Adverſarii Objectiones. 44

§. 7. Solvuntur Objectiones reliquæ. 47

Art. 3. Utrùm ad perfectionem ſacramenti neceſſe ſit ut intentio Miniſtri ſit actualis. *ibid.*

Reſp. Ad perfectionem ſacramenti ſufficit in miniſtro virtualis intentio faciendi ſacramentum. 48

Art. 4. Utrùm ad valorem ſacramenti, fides & ſanctitas requirantur in Miniſtro. 49

§. 1. Errores in hac materia. *ibid.*

§. 2. Ad perfectionem ſacramenti non requiritur fides in Miniſtro. 51

§. 3. Ad valorem ſacramenti non requiritur ſanctitas in Miniſtro. 52

§. 4. Ad effectum ſacramenti non requiritur in Miniſtro fides, & multò minùs ſanctitas. 53

§. 5. Solvuntur Objectiones petitæ à ratione & Scriptura. *ibid.*

§. 6. Solvuntur Objectiones petitæ ab authoritate Patrum. 54

§. 7. Solvuntur Objectiones petitæ ex Canonibus. 57

Art. 5. Utrùm Miniſter conferens ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, peccet mortaliter. 58

Reſp. Sacramentum miniſtrans ex officio, ſeu tanquam Miniſter ad id conſecratus, aut ab Eccleſia ſpecialiter deputatus, per ſe loquendo peccat mortaliter, ſi miniſtret in ſtatu peccati mortalis. *ibid.*

Art. 6. Utrùm liceat petere & accipere ſacramenta à malo miniſtro. 61

Reſp. 1. Accipere ſacramenta à malo miniſtro primæ claſſis, qui ſeſe ſponte exponit ad miniſtrandum, ſive ex officio miniſtret, ſive ex commiſſione tantùm, licitum eſt, ſecluſo ſcandalo. 62

Reſp. 2. A miniſtro malo primæ claſſis non expoſito, ſi ex officio teneatur mihi ſacramenta miniſtrare, ſive paratus ſit ad miniſtrandum, ſive non, licitè poſſum petere ſacramentum, niſi commodè poſſim ab alio, qui ſine peccato daturus eſt, petere & accipere. *ibid.*

Reſp. 3. A malo miniſtro primæ claſſis, qui nec expoſitus eſt, nec ex officio tenetur miniſtrare, ſacramentum petere licitum eſt, urgente mortis periculo: imò ſi paratus ſit ad miniſtrandum, videtur etiam licitum eſſe, cùm adeſt notabilis neceſſitas ſpiritualis. *ibid.*

Reſp. 4. A malo miniſtro ſecundæ claſſis, ſed tolerato & expoſito, ſive ei ex officio incumbat miniſtrare, ſive non, ſacramentum accipere licitum eſt, per ſe loquendo. *ibid.*

Reſp. 5. A malo miniſtro ſecundæ claſſis tolerato, ſed non expoſito, licet ei ſacramentum petere, ſi ei ex officio incumbat miniſtrare, nec alius commodè adiri poſſit, qui miniſtraturus ſit ſine peccato, &c. 63

Reſp. 6. A malo miniſtro non tolerato nunquam licet petere aut accipere aliquod ſacramentum, extra mortis articulum. 64

Reſp. 7. Nunquam licet petere ſacramentum ab eo, qui non habet juriſdictionem neceſſariam ad illud validè conferendum. 65

Art. 7. Utrùm liceat miniſtrare ſacramenta indignis. *ibid.*

Reſp. Miniſter conſecratus, vel ab Eccleſia ſpecialiter deputatus, miniſtrando ſacramentum indigno, per ſe loquendo peccat mortaliter. *ibid.*

DISPUTATIO V.

De ſubjecto ſacramentorum.

Art. 1. Utrùm in ſubjecto ad validam ſacramenti ſuſceptionem, requiratur intentio aliqua, & quænam requiratur. 67

Reſp. 1. In adulto recipiente ſacramentum, ad ſacramenti valorem requiritur aliqua voluntas poſitiva illud recipiendi. *ibid.*

Reſp. 2. Intentio ad valorem ſacramenti requiſita in adulto illud recipiente, non debet eſſe actualis aut virtualis, ſed ſufficit habitualis, hoc eſt præterita non retractata. 68

Art. 2. Solvuntur Objectiones. *ibid.*

TRA-

INDEX.

TRACTATUS DECIMUS SECUNDUS.

De Baptiſmo.

DISPUTATIO PRIMA.

De inſtitutione & eſſentia Baptiſmi.

Art. 1. QUid ſit Baptiſmus. 71

Reſp. Baptiſmus eſt Sacramentum ad ſpiritualem hominis regenerationem à Chriſto inſtitutum, conſiſtens in ablutione corporis per aquam naturalem, & prolatione horum verborum, vel æquivalentium, Ego te baptizo, &c. facta à Miniſtro cum debita intentione, circa perſonam idoneam. *ibid.*

Art. 2. Quandonam Baptiſmus à Chriſto fuerit inſtitutus. *ibid.*

Reſp. Chriſtus Baptiſmum ſuum inſtituit ante mortem & reſurrectionem ſuam. *ibid.*

Art. 3. Quænam ſit materia remota Baptiſmi. 73

Reſp. Materia remota Baptiſmi eſt aqua vera & naturalis, ſeu elementaris. *ibid.*

Art. 4. Quænam ſit materia proxima Baptiſmi. 74

Reſp. 1. Materia proxima Baptiſmi eſt exterior corporis ablutio. *ibid.*

Reſp. 2. Exterior corporis ablutio facta à Miniſtro per immerſionem, ſufficit ad valorem Baptiſmi. 71

Reſp. 3. Sufficit etiam ad valorem Baptiſmi exterior corporis ablutio, facta à Miniſtro per aſperſionem ſeu effuſionem. *ibid.*

Art. 5. Difficultates aliquot circa materiam proximam Baptiſmi proponuntur & reſolvuntur. 76

Art. 6. De forma Baptiſmi. 79

Art. 7. Utrùm Baptiſmus poſſit iterari. 84

Reſp. Baptiſmus validè ſuſceptus, iterari non poteſt. *ibid.*

DISPUTATIO II.

De Miniſtro Baptiſmi.

Art. 1. QUinam poſſint validè baptizare. 86

Reſp. 1. In caſu neceſſitatis quilibet validè baptizare poteſt, modò poſſit aquam & verba cum debita intentione applieare. *ibid.*

Reſp. 2. Etiam extra caſum neceſſitatis, quilibet potens cum debita intentione applicare aquam & verba, validè baptizare poteſt. *ibid.*

Art. 2. Utrùm omnes, qui validè baptizare poſſunt, licitè baptizent in caſu neceſſitatis. 87

Reſp. 1. Laici baptizati & catholici licitè baptizare poſſunt in caſu neceſſitatis, ſi non adeſt clericus aliquis, qui baptizare poſſit, & velit. *ibid.*

Reſp. 2. Mulier baptizata & catholica poteſt licitè baptizare in caſu neceſſitatis, ſi non adſit vir baptizatus & catholicus, qui poſſit & velit baptizare. 88

Reſp. 3. Vir non baptizatus, & mulier non baptizata licitè baptizare poſſunt in caſu neceſſitatis, abſente omni alio digniore, qui poſſit & velit baptizare. *ibid.*

Art. 3. Quinam extra caſum neceſſitatis licitè baptizent, ſeu quibus ex officio competat baptizare. 89

Reſp. 1. Primò competit Epiſcopis officium baptizandi eos omnes, qui in eorum diœceſi commorantur. *ibid.*

Reſp. 2. Ordinarius munus baptizandi competit etiam presbyteris, ſed cum ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopis, ſeu ex commiſſione & licentia Epiſcoporum. *ibid.*

Reſp. 3. Munus ordinarium baptizandi competere non poteſt diaconis. 90

Reſp. 4. Extraordinariam poteſtatem licitè baptizandi extra caſum neceſſitatis habere poteſt diaconus ex commiſſione Epiſcopi, vel presbyteri curam animarum habentis. *ibid.*

Reſp. 5. Diaconus poteſt ex commiſſione Epiſcopi, vel presbyteri, gravem aliquam ob cauſam, habere licentiam extraordinariam baptizandi ſolemniter. *ibid.*

Reſp. 6. Nullus clericus diacono inferior, etiam ex commiſſione presbyteri vel Epiſcopi, habere poteſt licentiam ad baptizandum extra caſum neceſſitatis. 91

DISPUTATIO III.

De Baptiſmo infantium.

Art. 1. UTrùm liceat infantes baptizare. *ibid.*

Reſp. Infantes poſſunt validè & licitè baptizari. *ibid.*

Art. 2. Utrùm Baptiſmus infantibus neceſſarius ſit ad ſalutem. 93

Reſp. Baptiſmus parvulis neceſſarius eſt ad ſalutem, ſeu ad remiſſionem peccati originalis, & ad aſſecutionem vitæ æternæ. *ibid.*

Art. 3. Utrùm Baptiſmus infantium ſuppleri poſſit per martyrium. 94

Reſp. Baptiſmus infantium ſuppleri poteſt per martyrium. 95

Art. 4. Utrùm infantes infidelium ſint baptizandi. 96

Reſp. 1. Extra caſum mortis certò imminentis, infidelium Eccleſiæ nullo modo ſubjectorum infantes, non poſſunt licitè baptizari ab Eccleſia, invitis parentibus. 97

Reſp. 2. Extra caſum mortis certò imminentis, infantes parentum infidelium non baptizatorum, Chriſtianis licèt Principibus ſubjectorum, ſed civiliter & politicè tantùm, non poſſunt baptizari invitis parentibus. *ibid.*

Reſp. 3. Infantes mancipiorum infidelium, qui ſubſunt dominis chriſtianis, poſſunt & debent ipſis invitis baptizari, ſi in parentum ſervitute nati ſunt. 98

DISPUTATIO IV.

De Baptiſmo adultorum.

Art. 1. UTrùm Baptiſmus adultis ad ſalutem neceſſarius ſit, & qua neceſſitate. *ibid.*

Reſp. 1. Baptiſmus adultis oon baptizatis ad ſalutem neceſſarius eſt neceſſitate medii. *ibid.*

Reſp. 2. Baptiſmus adultis oon baptizatis neceſſitate medii neceſſarius eſt, non primo modo, ſed ſecundo. 99

Reſp. 3. Baptiſmus eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti, adultis nondùm baptizatis. *ibid.*

Art. 2. Utrùm etiam extra neceſſitatis articulum, baptiſmus adultorum ſuppleri poſſit per actum contritionis, vel charitatis. 100

Reſp. 1. Baptiſmus adultorum etiam extra mortis articulum, ſuppleri poteſt per actum contritionis vel charitatis, quantùm ad infuſionem gratiæ ſanctificantis, & remiſſionem peccatorum. *ibid.*

Reſp. 2. Baptiſmus adultorum per actum charitatis vel contritionis perfectæ, poteſt ſuppleri quoad aſſecutionem gloriæ: regulariter tamen & per ſe loquẽdo, adulti non aſſequuntur gloriam ſine baptiſmo. 101

Art. 3. Utrùm baptiſmus adultorum ſuppleri poſſit per martyrium. 102

Reſp. 1. Baptiſmus adultorum per martyrium ſuppleri poteſt quoad effectum gratiæ, juſtificationis, remiſſionis peccatorum, & gloriæ. *ibidem.*

Reſp. 2. Baptiſmus adultorum etiam ſuppleri poteſt per martyrium, quoad remiſſionem omnis pœnæ peccato debitæ, tam temporalis, quàm æternæ, ita ut martyres continuò poſt mortem coronentur. *ibid.*

Reſp. 3. Martyrium non poteſt ſupplere baptiſmum, quoad alios effectus baptiſmi. *ibid.*

Art. 4. Utrùm martyrium baptiſmum adultorum ſupplere poſſit ex opere operato. 103

Reſp. Si non omninò certum, ſaltem longè probabilius eſt, baptiſmum adultorum ſuppleri non poſſe per martyrium, ſecluſo actu charitatis, quo acceptetur mors in odium Chriſti illata. 105

DISPUTATIO V.

De effectibus Baptiſmi.

Art. 1. Quinam ſint effectus Baptiſmi. 106

Reſp. Secluſo obice, Baptiſmus remittit omne peccatum, originale ſcilicet, cum actualibus. *ibid.*

Reſp. 2. Secluſo obice, baptiſmus remittit omnem pœnam peccatis debitam. 107

Art. 2. Quænam diſpoſitiones requirantur in adultis ad effectus Baptiſmi conſequendos. *ibid.*

Reſp. 1. Ad conſequendum characterem Baptiſmi, non alia requiritur diſpoſitio in adultis, quàm voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum. *ibid.*

Reſp. 2. Ut adultus ante ſuſceptionem Baptiſmi juſtificatus per actum perfectæ contritionis, vel charitatis, recipiat augmentum gratiæ in Baptiſmo, requiritur & ſufficit voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, ex motivo aliquo ſupernaturali concepta. *ibid.*

Reſp. 3. Ut adultus habens ſolùm originale, quod fieri poteſt ſaltem per breve aliquod tempus, conſequatur gratiam, & remiſſionem peccati originalis in baptiſmo, requiruntur & ſufficiunt fides, ſpes, dilectio Dei inchoata, propoſitum ſervandi atque profitendi legem chriſtianam, cum voluntate ſuſcipiendi baptiſmum. 108

Reſp. 4. Ut adultus, præter peccatum originale habens alia actualia mortalia, gratiam & peccatorum remiſſionem conſequatur in baptiſmo, præter actus fidei, ſpei, & dilectionis Dei inchoatæ, cum voluntate recipiendi ſacramentum, requiritur pœnitentia, ſeu dolor de peccatis. *ibid.*

Reſp. 5. Ut adultus in caſu propoſito conſequatur in baptiſmo gratiam & remiſſionem peccatorum, non requiritur contritio perfecta. *ibid.*

Reſp. 6. In caſu propoſito, ad conſequendam gratiam & remiſſionem peccatorum, ſufficit adulto attritio ſupernaturalis, præter actus ſupra recenſitos. *ibid.*

Art. 3. Utrùm baptiſmus fictè ſuſceptus, poſtea reviviſcat, ſublata fictione. 109

Reſp. 1. Baptiſmus validè ſuſceptus, ſed cum fictione impediente effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, quantùm ad hunc effectum poſtea reviviſcit, ſublato obice. *ibid.*

Reſp. 2. In eo qui baptiſmum ſuſcepit cum fictione negativa, impediente, &c. ad baptiſmi reviviſcentiam requiritur & ſufficit, ut ponat diſpoſitionem qua caruit ſuſcipiendo baptiſmum, &c. modò tamen poſt baptiſmum non peccarit mortaliter. 110

Reſp. 3. In eo qui Baptiſmum ſuſcepit cum fictione privativa vel contraria, impediente, &c. ad baptiſmi reviviſcentiam requiritur, ut peccatum fictionis, vel per ſacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam cum ejus voto remittatur. *ibid.*

Reſp. 4. Quando baptiſmus reviviſcens, & ſacramentum Pœnitentiæ ſimul concurrunt ad productionem gratiæ & remiſſionem peccatorum, unum non agit priùs natura, quàm alterum, &c. 111

Reſp. 5. Quando baptiſmus reviviſcit, plus vel minus gratiæ confert, pro menſura diſpoſitionis, qua poſita reviviſcit. *ibid.*

TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

De Sacramento Confirmationis.

DISPUTATIO PRIMA.

De exiſtentia, materia & forma ſacramenti Confirmationis.

Art. 1. Utrùm detur ſacramentum Confirmationis. 112

§. 1. Probatur ſacramentum Confirmationis ex Scriptura. *ibid.*

§. 2. Probatur authoritate Patrum Græcorum. 113

§. 3. Probatur authoritate Patrum Latinorum. 114

§. 4. Probatur authoritate ſummorum Pontificum. 115

§. 5. Probatur authoritate Conciliorum. *ibid.*

Art. 2. Quænam ſit materia remota Confirmationis. *ibid.*

Reſp. 1. Materia remota Confirmationis eſt Chriſma. *ibid.*

Reſp. 2. Chriſma, quod eſt materia remota Confirmationis, eſt unguentum ex oleo & balſamo confectum. 116

Reſp. 3. Chriſma quod, &c. eſt unguentum ab Epiſcopo benedictum. 118

Art. 3. Quænam ſit materia propria ſacramenti Confirmationis. 119

§. 1. Proxima materia adæquata Confirmationis, eſt chriſmatis unctio, quæ in fronte fit in modum crucis. *ibid.*

§. 2. Reſpondetur ſententiæ conſtituenti materiam adæquatam Confirmationis in manus impoſitione, diſtincta ab unctione chriſmatis. 123

§. 3. Reſpondetur ſententiæ materiam proximam adæquatam conſtituenti in chriſmatis unctione, & impoſitione manus ab illa unctione diſtincta. 124

Art. 4. Quænam ſit forma ſacramenti Confirmationis. 125

DIS-

INDEX.

DISPUTATIO II.

De Miniſtro Confirmationis.

Art. 1. QUis ſit Confirmationis ordinarius miniſter. 131

Reſp. Solus Epiſcopus eſt ordinarius miniſter Confirmationis. *ibid.*

Art. 2. Utrùm ſimplex ſacerdos poſſit eſſe ordinarius miniſter Confirmationis. 133

Reſp. Poteſt ſimplex ſacerdos ex diſpenſatione ſummi Pontificis validè Confirmationem adminiſtrare. *ibid.*

Art. 3. Utrùm antiqua Eccleſia nullam & irritam eſſe cenſuerit Confirmationem à miniſtris hæreticis datam. 136

Reſp. Antiqua Eccleſia Confirmationem à miniſtris hæreticis datam, non cenſuit eſſe irritam, ſed è contra ratam habuit, & tam habuit ratam, quàm ratum habuit baptiſmum à miniſtris hæreticis collatum. *ibid.*

DISPUTATIO ULTIMA.

De ſubjecto, effectibus & proprietatibus Confirmationis.

Art. 1. DE ſubjecto Confirmationis. 139

Reſp. Omnes & ſoli baptizati capaces ſunt ſacramenti Confirmationis. *ibid.*

Art. 2. De effectibus Confirmationis. 140

Reſp. 1. Confirmatio characterem imprimit. *ibid.*

Reſp. 2. Confirmatio primam gratiam, ſeu gratiam juſtificantem non confert, ſaltem primò, & per ſe. 141

Reſp. 3. Confirmatio confert gratiam ſecundam, & ſpecificè diverſam à gratia Baptiſmi, & Euchariſtiæ. *ibid.*

Art. 3. De proprietatibus Confirmationis. 142

Reſp. 1. Confirmatio eſt ſacramentum initerabile. *ib.*

Reſp. 2. Sacramentum Confirmationis neceſſarium eſt neceſſitate medii, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm. *ibid.*

Reſp. 3. Sacramentum Confirmationis neceſſarium eſt neceſſitate præcepti divini, graviter obligantis. 143

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS.

De Euchariſtia.

DISPUTATIO PRIMA.

De Euchariſtia ſecundùm ſe.

Art. 1. UTrùm Euchariſtia ſit ſacramentum novæ legis, & quibus appelletur nominibus. 144

Reſp. 1. Euchariſtia eſt verè ac propriè dictum ſacramentum novæ legis. *ibid.*

Reſp. 2. Euchariſtia, quatenùs ſacramentum eſt, variis nominibus nuncupatur. *ibid.*

Art. 2. Utrùm Euchariſtia conſiſtat in re permanente. 145

Reſp. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanente, *ibid.* Et probatur, 1. Authoritate Scripturæ, *ibid.* 2. Authoritate Patrum veterum, 146. 3. Authoritate Conciliorum. 147. Solvuntur objectiones. *ibid.*

Art. 3. In quo ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtat ſecundùm Catholicos. 148

Reſp. 1. Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolis ſpeciebus panis & vini. 149

Reſp. 2. Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti. *ibid.*

Reſp. 3. Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolis ſpeciebus cum corpore & ſanguine Chriſti, tanquam partibus intrinſecè conſtituentibus. 150

Reſp. 4. Verba conſecratoria non ſunt de conſtitutivo intrinſeco ſacramenti Euchariſtiæ. *ibid.*

Reſp. 5. Sumptio ſacramenti Euchariſtiæ nullatenùs pertinet ad intrinſecum illius complementum. 151

Art. 4. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit unum, vel plura. 153

Reſp. 1. Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul ſumibilia, non ſunt plura ſacramenta, ſed unum tantùm. *ibid.*

Reſp. 2. Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſeorſim ſumibilia, ſunt ſacramenta plura numero, non ſpecie. *ibid.*

Reſp. 3. Sacramentum Euchariſtiæ eſt unum ſpecie infima. 155

Art. 5. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit medium neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantem. *ibid.*

Reſp. Euchariſtia non eſt medium neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantem. *ibid.*

Art. 6. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ neceſſarium ſit neceſſitate medii ad ſalutem pro parvulis ante adultam ætatem morientibus. 156

Reſp. Euchariſtia neceſſaria non eſt neceſſitate medii pro parvulis. *ibid.*

Art. 7. Utrùm Euchariſtia adultis neceſſaria ſit neceſſitate medii. 158

Reſp. 1. Euchariſtia non eſt adultis ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii. *ibid.*

Reſp. 2. Euchariſtia adultis neceſſaria tamen eſt neceſſitate medii, ad perſeverandum in ſtatu gratiæ longo aliquo tempore, &c. 159

Art. 8. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ convenienti tempore inſtitutum fuerit. 161

Reſp. Chriſtus ſacramentum Euchariſtiæ convenienter inſtituit in ultima cœna paulò ante mortem. *ib.*

DISPUTATIO II.

De materia Euchariſtiæ.

Art. 1. IN quo conſiſtit materia ſacramenti Euchariſtiæ. 162

Reſp. 1. Panis & vinum ſunt materia neceſſaria ſacramenti Euchariſtiæ. *ibid.*

Reſp. 2. Ad materiam Euchariſtiæ non ſufficit panis quilibet, ſed requiritur triticeus uſualis. 163

Reſp. 3. Calicis materia neceſſaria & eſſentialis, eſt vinum vitigeneum. 164

Art. 2. Utrùm panis azymus, vel fermentatus, ſit de neceſſitate ſacramenti, aut ſaltem præcepti. 165

Reſp. 1. Tam panis azymus, quàm fermentatus, eſt materia ſufficiens ſacramenti Euchariſtiæ. *ibid.*

Reſp. 2. Panis azymus pro Latinis, & fermentatus pro Græcis, neceſſarius eſt neceſſitate præcepti. 166

Art. 3. Utrùm Orientalis Eccleſia ſemper in fermentato, & Latina ſemper in azymo conſecrarit. 167

Reſp. 1. Nullo ſufficienti fundamento niti videntur, qui dicunt, Orientales Eccleſias à tempore Apoſtolorum ſemper conſecraſſe panem fermentatum. *ib.*

Reſp. 2. Panis azymi uſus in Euchariſtiæ ſacrificio conſtans ac perpetuus fuit ab Apoſtolicis temporibus in Eccleſia Latina, ac imprimis in particulari Romana. 169

Art. 4. Solvuntur objectiones. 171
Art. 5. Utrùm Chriſtus panem azymum, an fermentatum conſecraverit. 173
§. 1. Prænotanda. *ibid.*
§. 2. Variæ in præſenti controverſia ſententiæ. 176
§. 3. Chriſtus, eo anno quo paſſus eſt, comedit agnum paſchalem. 177
§. 4. Dies quo Chriſtus paſſus eſt, feſtivus fuit apud Judæos, non prophanus. 178
§. 5. Chriſtus, eo anno quo mortuus eſt, agnum paſchalem cum diſcipulis ſuis comedit, non luna decima-tertia, ſed luna decima quarta menſis primi. 180
§. 6. Chriſtus agnum paſchalem cum diſcipulis ſuis comedit luna decima-quarta primi menſis, non in priore veſpera, ſed in poſteriore, &c. 181
§. 7. Non ſolùm Chriſtus cum diſcipulis ſuis, ſed etiam Judæi comederunt paſcha luna decima-quarta primi menſis; & luna decima-quinta celebrarunt feſtum Paſchæ, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt. 182
§. 8. Chriſtus conſecravit in azymo, non in fermentato pane. 183
Appendix de Harduini ſyſtemate circa præſentem controverſiam. 184
Art. 6. Utrùm Chriſtus conſecraverit vinum aqua temperatum, & an aquam vino miſceri in calice oporteat. 193
Reſp. 1. Chriſtus, cùm ſacramentum Euchariſtiæ in ultima cœna inſtituit, vinum aqua temperatum conſecravit. *ibid.*
Reſp. 2. Neceſſe eſt aquam vino admiſceri in calice. *ibid.*
Reſp. 3. Non eſt neceſſarium neceſſitate ſacramenti, aquam vino admiſcere in calice. 194
Reſp. 4. Neceſſarium non eſt neceſſitate præcepti divini, miſcere aquam vino in calice. 195
Art. 7. Utrùm aqua, quæ vino admiſcetur ante conſecrationem, convertatur in ſanguinem Chriſti. *ibid.*
Reſp. Aqua quæ in calice vino miſcetur, per verba conſecratoria convertitur in ſanguinem Chriſti, etiamſi ante conſecrationem in ſubſtantiam vini converſa non fuerit. *ibid.*
Art. 8. Solvuntur aliquot dubia circa materiam Euchariſtiæ. 198

DISPUTATIO III.

De forma conſecrationis.

Art. 1. De erroribus circa præſentem controverſiam. 199
Art. 2. Utrùm ad conficiendam Euchariſtiam requirantur verba, & quænam requirantur, ac ſufficiant. 200
Reſp. 1. Ad conficiendam Euchariſtiam verba requiruntur. *ibid.*
Reſp. 2. Verba concionalia non ſufficiunt. *ibid.*
Reſp. 3. Verba conſecrantia, ad conficiendam Euchariſtiam neceſſaria & ſufficientia, ſunt hæc, vel æquivalentia: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* 201
Reſp. 4. Verba illa, *Fac Domine, panem iſtum Corpus Chriſti tui*, quæ in liturgiis græcis, poſt iſtorum, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, prolationem, à ſacerdote recitantur, nec requiruntur, nec ullatenùs conducunt ad conſecrationem. 203
Art. 3. Solvitur difficultas petita ex liturgiis. 204
Art. 4. Solvuntur objectiones reliquæ. 206
Art. 5. Utrùm verba illa, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſint figuratè accipienda. 210
Reſp. Verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, &c. non figuratè, ſed propriè accipienda ſunt. *ibid.*
Art. 6. Quænam ſint verba eſſentialia formæ conſecratoriæ. 212
Reſp. Verba eſſentialia formæ conſecratoriæ ſunt hæc: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, &c. *ibid.*
Art. 7. Solvuntur aliquot dubia circa formam Euchariſtiæ. 214

DISPUTATIO IV.

De præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Art. 1. De erroribus circa præſentem controverſiam. 215
Art. 2. Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia probatur ex Scriptura. 217
Art. 3. Probatur ex Traditione, cujus teſtes ſunt Patres & Concilia. 221

DISPUTATIO V.

De modo quo Chriſtus realiter præſens eſt in Euchariſtia.

Art. 1. Utrùm ſubſtantia panis & vini præſens ſit cum Corpore & Sanguine Chriſti in Euchariſtia. 228
Art. 2. Utrùm panis in Euchariſtia propriè convertatur in Corpus Chriſti. 233
Reſp. In Euchariſtia, virtute conſecrationis, tota ſubſtantia panis verè ac propriè convertitur in Corpus Chriſti. *ibid.*
Art. 3. Utrum totus Chriſtus contineatur ſub utraque ſpecie ſacramenti Euchariſtiæ. 235
Reſp. Totus & integer Chriſtus continetur ſub utraque ſpecie ſacramenti Euchariſtiæ. *ibid.*
Art. 4. Utrùm totus & integer Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini, non ſolum poſt, ſed etiam ante diviſionem. 235
Reſp. 1. Totus & integer Chriſtus continetur ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini, facta diviſione. *ibid.*
Reſp. 2. Totus & integer Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſenſibili ſpecierum panis & vini, etiam ante diviſionem. *ibid.*
Art. 5. Reſolvuntur aliquot dubia circa Euchariſtiam. 236

DISPUTATIO VI.

De effectibus ſacramenti Euchariſtiæ.

Art. 1. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ primam gratiam conferat per ſe & primariò, an ſaltem per accidens & ſecundariò. 238
Reſp. 1. Sacramentum Euchariſtiæ non confert per ſe & primariò gratiam juſtificantem, ſeu gratiam remiſſivam peccatorum mortalium. 239
Reſp. 2. Ne quidem per accidens & ſecundariò ſacramentum Euchariſtiæ in nullo caſu confert gratiam primam, & peccatorum mortalium remiſſionem. 240
Art. 2. Quinam ſit effectus primarius ſacramenti Euchariſtiæ. 241
Reſp. Primarius effectus ſacramenti Euchariſtiæ eſt gratia per modum nutritionis. *ibid.*
Art. 3. Quænam diſpoſitiones tam ex parte animæ, quàm ex parte corporis, requirantur ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem. 245
Reſp. 1. Ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem requiritur, ut is qui eam ſuſcipit, baptizatus ſit. *ibid.*
Reſp. 2. Requiritur in eo qui illam ſuſcipit, ſtatus gratiæ ſaltem per ſe. *ibid.*
Reſp. 3. In eo qui ſibi mortalis peccati conſcius eſt, per ſe loquendo non ſufficit contritio etiam charitate perfecta, ſed requiritur confeſſio. *ibid.*

Digitized by Google

Reſp. 4. Ad infuſionem gratiæ ſanctificantis in ſacramento Euchariſtiæ, non requiritur in ſuſcipiente actualis devotio, ſed ſufficit quòd ſit in ſtatu gratiæ, & humano modo, adeòque voluntariè ſuſcipiat ſacramentum. 246
Reſp. 5. Ex præcepto eccleſiaſtico requiritur, ut is qui communicat, jejunus ſit. *ibid.*
Art. 4. Solvuntur aliquot dubia circa diſpoſitiones prærequiſitas ad ſumptionem Euchariſtiæ. 247
Art. 5. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ plus gratiæ conferat ſub utraque ſpecie, quàm ſub una tantùm. 251
Reſp. Sacramentum Euchariſtiæ tantùm confert gratiæ ſub una ſpecie, quàm ſub utraque. *ibid.*

DISPUTATIO VII.

De miniſtro, ſubjecto & uſu ſacramenti Euchariſtiæ.

Art. 1. QUis ſit miniſter ſacramenti Euchariſtiæ. 253
Reſp. 1. Solus ſacerdos validè poteſt Euchariſtiam conſecrare. *ibid.*
Reſp. 2. Solus ſacerdos ordinariam habet poteſtatem diſpenſandi ſacramentum Euchariſtiæ. 254
Art. 2. Utrùm infantibus Euchariſtia aliquando diſpenſata fuerit, & an illis ſit neceſſaria. 255
Reſp. 1. Prioribus Eccleſiæ ſæculis Euchariſtia ſub ſpecie vini tradita fuit infantibus. *ibid.*
Reſp. 2. Sumptio Euchariſtiæ infantibus ad ſalutem neceſſaria non eſt, neque neceſſitate medii, neque neceſſitate præcepti. *ibid.*
Art. 3. Utrùm communio ſit jure divino præcepta. 256
Reſp. Communio jure divino præcepta eſt. *ibid.*
Art. 4. Utrùm communio ſit etiam jure eccleſiaſtico præcepta. 257
Reſp. Præter præceptum divinum aliquando communicandi, datur præceptum eccleſiaſticum, obligans ad communicandum ſingulis annis in Paſchate. *ibid.*
Art. 5. De frequenti communione. 258
§. 1. Quis olim in Eccleſia fuerit uſus circa ſumptionem Euchariſtiæ. *ibid.*
§. 2. Quid de quotidiana communione ſenſerint ſancti Patres. 259
§. 3. Quid circa communionis frequentiam tenendum videatur. 260
Art. 6. De communione ſub utraque ſpecie. 261
Reſp. 1. Laici non tenentur jure divino communicare ſub utraque ſpecie. *ibid.*
Reſp. 2. Eccleſia præcipere potuit, & juſtis de cauſis præcepit fidelibus laicis communionem ſub unica ſpecie, nempe ſub ſpecie panis. 263

DISPUTATIO VIII.

De ſacrificio Miſſæ.

Art. 1. QUid ſit ſacrificium Miſſæ. 264
Art. 2. Utrùm in Miſſa offeratur verum ac propriè dictum ſacrificium. 266
Art. 3. In quo conſiſtat materia ſacrificii Miſſæ. 275
Reſp. Materia ſacrificii Miſſæ, ſeu res oblata & ſacrificata in Miſſæ ſacrificio, eſt Chriſtus ipſe, non quidem in propria ſpecie, ſed prout exiſtit ſub ſpeciebus panis & vini. *ibid.*
Art. 4. In quo conſiſtat forma ſacrificii Euchariſtiæ, ſeu quænam ſit in ſacrificio Euchariſtiæ actio ſacrificandi. 277
Reſp. In ſacrificio Miſſæ actio ſacrificandi adæquatè conſiſtit in conſecratione. *ibid.*
Art. 5. Quale ſit ſacrificium Miſſæ. 279
Reſp. 1. Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium. *ibid.*
Reſp. 2. Sacrificium Miſſæ eſt etiam impetratorium. 281
Art. 6. Quinam ſint aut poſſint eſſe offerentes in Miſſæ ſacrificio. *ibid.*
Reſp. 1. Chriſtus eſt principalis offerens in ſacrificio Miſſæ. *ibid.*
Reſp. 2. Soli ſacerdotes offerunt ſacrificium Miſſæ, tanquam proprii miniſtri illius, &c. *ibid.*
Reſp. 3. Sacrificium Miſſæ validè offerri poteſt à ſacerdotibus omnibus, ſive boni ſint, ſive non, &c. 282
Reſp. 4. Alii etiam fideles poſſunt eſſe offerentes in ſacrificio Miſſæ. *ibid.*
Reſp. 5. Univerſa Eccleſia eſt verè offerens in omnibus ſacrificiis, quæ fiunt à ſacerdotibus non præciſis. 283
Art. 7. Pro quibus Miſſæ ſacrificium offerri poſſit. *ibid.*
§. 1. Utrùm ſacrificium Miſſæ poſſit offerri pro omnibus hominibus nunc viventibus. *ibid.*
§. 2. Utrùm Miſſæ ſacrificium offerri poſſit pro damnatis. 285
§. 3. Utrùm Miſſæ ſacrificium offerri poſſit pro animabus in purgatorio exiſtentibus. 287
§. 4. Utrùm ſacrificium Miſſæ offerri poſſit pro Sanctis. 288
Art. 8. De effectibus & valore ſacrificii Miſſæ. 290
§. 1. Quos effectus ſacrificium Miſſæ habeat, aut habere poſſit. *ibid.*
§. 2. Quanta ſit virtus, quam habet ſacrificium Miſſæ, ad remittendam ex opere operato pœnam temporalem pro peccatis condonatis debitam. *ibid.*
§. 3. Quanta ſit virtus impetrandi, quam Miſſæ ſacrificium habet à Chriſto, ut principali offerente. 291
§. 4. Utrùm Miſſæ ſacrificium aliundè quàm à Chriſto ut principali offerente, vim aliquam impetrandi habeat. 292
§. 5. Quænam requirantur conditiones, ut quis percipiat fructum ex opere operato ſacrificii provenientem. *ibid.*
Art. 9. De moralibus ad ſacrificium Miſſæ pertinentibus. 294
§. 1. Utrùm ſacerdotes teneantur aliquando ſacrificium offerre. *ibid.*
§. 2. Quoties in anno offerre teneantur, vel poſſint ſacerdotes. 295
§. 3. Utrùm aliquibus anni diebus celebrare illicitum ſit jure eccleſiaſtico. *ibid.*
§. 4. Utrùm aliquando liceat pluries ſacrificium offerre. *ibid.*
§. 5. Qua hora licitum ſit Miſſæ ſacrificium offerre. 296
§. 6. An non liceat celebrare niſi in loco ſacro. 297
§. 7. Utrùm liceat celebrare in Eccleſia violata. *ibid.*
§. 8. Utrùm requiratur altare, ad hoc ut poſſit licitè offerri ſacrificium. 298
§. 9. De reliquis ad licitè ſacrificandum requiſitis. 299
§. 10. De Miſſæ ſtipendio. 300
§. 11. De obligatione dicendi omnia quæ in Miſſali præſcribuntur. 301
§. 12. De obligatione ſervandi omnes Miſſæ cæremonias, quæ in actione conſiſtunt. *ibid.*
§. 13. De Miſſa audienda. 302

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS.

De Pœnitentia.

DISPUTATIO PRIMA,

De Sacramento Pœnitentiæ,

Art. 1. Utrùm Pœnitentia ſit ſacramentum propriè dictum. 305
Art. 2. Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ ſit aliud à ſacramento Baptiſmi. 306
Art. 3. Quænam ſit materia & forma ſacramenti Pœnitentiæ. *ibid.*
Art. 4. Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ ex actibus pœnitentis & forma abſolutionis intrinſecè componatur. 307
Art. 5. Utrùm impoſitio manuum neceſſaria ſit ad ſacramentum Pœnitentiæ. 308
Art. 6. Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ ſit medium ad ſalutem neceſſarium. 309
Art. 7. Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ poſſit iterari. 311

DISPUTATIO II.

De remiſſione peccatorum mortalium,

Art. 1. Utrùm omnia peccata mortalia remitti poſſint per ſacramentum Pœnitentiæ. 312
Art. 2. Utrùm per ſacramentum Pœnitentiæ poſſit remitti unum peccatum mortale abſque alio. *ibid.*
Art. 3. Utrùm remiſſo peccato mortali per ſacramentum Pœnitentiæ, remittatur etiam reatus pœnæ. 313

DISPUTATIO III.

De remiſſione peccatorum venialium.

Art. 1. Utrùm & quomodo remittantur venialia per ſacramentum Pœnitentiæ. 314
Art. 2. Utrùm ſacramentalia vim habeant remittendi venialia ex opere operato. 316
Art. 3. De remiſſione peccatorum ex opere operantis, & an poſt hanc vitam remittantur, & quomodo. 317
Art. 4. Utrùm peccatum veniale remitti poſſit ſine gratiæ infuſione, vel ſine aliquo beneficio gratiæ. 318
Art. 5. Utrùm veniale poſſit remitti ei, cui non eſt remiſſum mortale, & an unum veniale poſſit remitti ſine alio veniali. 319

DISPUTATIO IV.

De reditu peccatorum & meritorum reviviſcentia.

Art. 1. Utrùm peccata remiſſa redeant per peccatum ſubſequens *ibid.*
Art. 2. Utrùm merita per peccatum ſubſequens mortificata, peccato remiſſo reviviſcant. 321

DISPUTATIO V.

De Contritione.

Art. 1. Quid ſit contritio, & an ſit actus virtutis generalis, vel ſpecialis. 323
Art. 2. Utrum contritio ſit neceſſaria neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum mortalium. 325
Art. 3. Utrùm contritio debeat eſſe ſenſibilis, & univerſalis, ut valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento Pœnitentiæ, ſive extra illud. 327
Art. 4. Utrum contritio debeat eſſe ſuper omnia, ut valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra. 328
Art. 5. Utrùm contritio debeat eſſe intenſa, vel durare certo tempore, ut valeat, &c. 329
Art. 6. Quotuplex ſit contritio. 330
Art. 7. Utrùm contritio concepta ex motivo charitatis, hoc eſt propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, cum voto ſacramenti, ſemper juſtificet pœnitentem ante realem ſacramenti ſuſceptionem. 331
Art. 8. Utrùm requiratur contritio perfecta in ſacramento Pœnitentiæ. 346
Art. 9. Solvuntur objectiones. 348
Art. 10. Utrùm attritio ex metu gehennæ concepta, bona ſit & utilis. 350
Art. 11. Utrùm attritio concepta ex metu gehennæ, ſufficiat in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem mortalium. 352

DISPUTATIO VI.

De Confeſſione.

Art. 1. De erroribus circa confeſſionem. 360
Art. 2. Utrùm in Eccleſia veteri confeſſio auricularis fuerit in uſu. 362
Art. 3. Quo jure præcepta ſit peccatorum confeſſio. 364
Art. 4. Quinam jure eccleſiaſtico obligentur ad confeſſionem annuam. 365
Art. 5. Utrùm confeſſio neceſſariò debeat fieri voce, ſecretò, ſine mala intentione, & ſine mendacio. 368
Art. 6. Utrùm ad valorem confeſſionis ſacramentalis, requiratur ut ſit integra. 369
Art. 7. Utrùm ad valorem confeſſionis ſacramentalis, neceſſarium ſit ut declarentur circumſtantiæ peccatorum. 370
Art. 8. Utrùm pœnitens poſſit & debeat manifeſtare confeſſario peccatum complicis, quando id neceſſarium eſt ut peccatum ſuum integrè confiteatur. 372
Art. 9. Utrùm & quomodo peccata dubia ſint confitenda. 374
Art. 10. Quænam cauſæ excuſent ab integritate confeſſionis. 375
Art. 11. Utrùm abſolvendus ſit moribundus, qui tantùm potuit dare ſigna generalia doloris. 376
Art. 12. Utrùm moribundus, qui nulla ſigna dedit, ſive ante, ſive poſt adventum ſacerdotis, abſolvi poſſit, ſaltem ſub conditione. 378

DISPUTATIO VII.

De Satisfactione.

Art. 1. Utrùm homo poſſit ſatisfacere pro pœna temporali, quæ reatu culpæ remiſſo, luenda ſupereſt. 379
Art. 2. Utrùm homo poſſit Deo ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, quæ remiſſo reatu culpæ luenda ſupereſt. 380
Art. 3. Quænam ſint conditiones requiſitæ ad ſatisfaciendum de condigno. *ibid.*

Art. 4.

INDEX.

Art. 4. Utrùm ſacerdos pœnitenti, quem abſolvit, debeat imponere ſatisfactionem aliquam, & quam debeat. 382

Art. 5. Utrùm pœnitens teneatur acceptare ſatisfactionem ſibi à confeſſario injunctam, & acceptatam implere. 384

Art. 6. Utrùm ſatisfactio debeat neceſſariò impleri ante abſolutionem ſacramentalem, ita ut abſolutio non poſſit aliter validè obtineri. 385

DISPUTATIO VIII.

De forma ſacramenti Pœnitentiæ.

Art. 1. Forma ſacramenti Pœnitentiæ, nec fuit, nec potuit eſſe unquam deprecativa. 387

§. 1. Probatur aſſertio noſtra authoritate S. Thomæ. *ibid.*

§. 2. Probatur aſſertio noſtra ex his verbis: *Quodcumque ſolveris, &c.* Juxta interpretationem S. Thomæ opuſc. 22. 388

§. 3. Probatur ex c. 1. 5. & 6. ſeſſ. 14. Concilii Tridentini. 390

§. 4. Probatur ex cap. 2. ſeſſ. 21. Concilii Tridentini. 391

§. 5. Probatur ex cap. 3. ſeſſ. 14. Concilii Tridentini. 394

§. 6. Probatur ex eodem Tridentini loco. 397

§. 7. Confirmatur aſſertio noſtra ratione. 399

Art. 2. Solvuntur ea quæ proponit Morinus c. 8. 401

Art. 3. Solvuntur ea quæ proponit adverſarius c. 9. 404

Art. 4. Solvuntur ea quæ objicit adverſarius cap. 10. & 11. 409

Art. 5. Solvuntur ea quæ opponit Morinus cap. 12. 412

Art. 6. Solvuntur ea quæ affert Morinus, cap. 14. & 22. 415

Art. 7. Utrùm ad formam ſacramenti Pœnitentiæ ita requirantur verba, ut nulla ſit abſolutio, nutibus, vel ſcripto data. 417

DISPUTATIO IX.

De Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ.

Art. 1. Utrùm ſolus ſacerdos ſit miniſter ſacramenti Pœnitentiæ. 418

Art. 2. Utrùm ad miniſtrandum ſacramentum Pœnitentiæ neceſſaria ſit juriſdictio. 419

Art. 3. Utrùm in aliquo caſu quilibet ſacerdos poſſit abſolvere quoslibet à quibuslibet peccatis. 423

Art. 4. Utrùm præter poteſtatem ordinis & juriſdictionis, requiratur in confeſſariis approbatio Epiſcopi. 425

Art. 5. Utrùm detur in Eccleſia poteſtas reſervandi peccata. 427

Art. 6. Quinam poſſint abſolvere à caſibus reſervatis. 429

Art. 7. Utrùm confeſſarius non habens poteſtatem in peccata reſervata, poſſit ab illis abſolvere extra articulum mortis. 431

Art. 8. De bonitate & ſcientia requiſitis in confeſſario. 434

Art. 9. De obligatione audiendi confeſſiones, & examinandi pœnitentem. *ibid.*

Art. 10. De neganda, vel differenda abſolutione. 435

Art. 11. Quomodo confeſſarius gerere ſe debeat cum pœnitente, qui verſatur in occaſione peccandi. 436

Art. 12. Utrùm confeſſarius teneatur monere pœnitentem de erroribus in quibus verſatur. 437

Art. 13. Quomodo, & quando confeſſarius ſupplere debeat defectus in confeſſione commiſſos. 438

DISPUTATIO X.

De Sigillo confeſſionis.

Art. 1. Utrùm, & quo jure, & in quo gradu teneatur confeſſarius ſervare ſecretum confeſſionis. 439

Art. 2. Ex quali confeſſione oriatur obligatio ſigilli, & quænam ſit illius materia. 441

Art. 3. Utrùm alii, præter confeſſarium, ſigillo obligentur. 442

Art. 4. Utrùm aliquando liceat confeſſario extra confeſſionem uti licentia per eam accepta. 443

Art. 5. Utrùm crimen complicis à pœnitente declaratum in confeſſione, cadat ſub ſigillum. 444

DISPUTATIO XI.

De Pœnitentia publica.

Art. 1. De ritu publicæ & ſolemnis pœnitentiæ in antiqua Eccleſia. 447

§. 1. De nomine pœnitentis & pœnitentiæ. *ibid.*

§. 2. De ordine pœnitentium. 448

§. 3. De gradibus pœnitentiæ. *ibid.*

§. 4. De impoſitionibus manuum, quæ fiebant in pœnitentia publica & ſolemni. *ibid.*

§. 5. Quandiu durare debebat pœnitentia publica & ſolemnis, & ad quæ toto illo tempore obligabantur pœnitentes. *ibid.*

§. 6. De uſu & miniſtro pœnitentiæ publicæ & ſolemnis. 449

§. 7. De tempore quo pœnitentia publica imponi, & quo pœnitentes reconciliari debebant. *ibid.*

§. 8. De inſtitutione & progreſſu pœnitentiæ publicæ & ſolemnis. 450

§. 9. Quam formam habuerit pœnitentia publica prioribus Eccleſiæ ſæculis. 451

§. 10. De pœnis pœnitentium, eorum ſcilicet, qui pœnitentiam publicam ac ſolemnem ex præcepto agebant. *ibid.*

§. 11. Clericos majores, Epiſcopos ſcilicet, Presbyteros & Diaconos, & pœnitentiæ publicæ ac ſolemni obnoxios non fuiſſe, ſaltem poſt tertium ſæculum. 452

Art. 2. Utrùm in antiqua Eccleſia pro mortalibus pœnitentia publica, ac ſolemnis agenda fuerit. 453

Art. 3. Solvuntur objectiones pro tertio, & quarto ſæculo. 459

Art. 4. Solvuntur objectiones pro quinto ſæculo, & ſequentibus. 461

TRA-

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS.

De Extrema-Unctione.

DISPUTATIO UNICA,

De Sacramento Extremæ-Unctionis,

Art. 1. UTrùm Extrema-unctio ſit novæ legis ſacramentum. 464
Art. 2. De materia & forma ſacramenti Extremæ-unctionis, 468
Art. 3. De forma ſacramenti Extremæ-unctionis. 473
Art. 4. Quinam ſint effectus Extremæ-unctionis. 475
Art. 5. De ſubjecto Extremæ-unctionis. 478
Art. 6. Quis ſit miniſter Extremæ-unctionis. 480

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS.

De Ordine.

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramento Ordinis.

Art. 1. QUot ſint Ordines in Eccleſia, & quàm antiqui fuerint. 483
Reſp. Ab initio conſtanter in Eccleſia fuerunt ſeptem Ordines. *ibid.*
Art. 2. De officiis Ordinum Eccleſiaſticorum. 485
Art. 3. De modo conferendi Ordines in Orientali Eccleſia. 486
§. 1. Modus qui obſervari ſolet in ordinatione Lectoris. *ibid.*
§. 2. Modus qui obſervari ſolet in ordinatione Sobdiaconi. *ibid.*
§. 3. In ordinatione Diaconi. 487
§. 4. In ordinatione Presbyteri. *ibid.*
§. 5. In ordinatione Epiſcopi. *ibid.*
Art. 4. De modo conferendi Ordines in Eccleſia Latina. 488
§. 1. Modus quo ordinantur Oſtiarii. *ibid.*
§. 2. Lectores. *ibid.*
§. 3. Exorciſtæ. *ibid.*
§. 4. Acolythi. *ibid.*
§. 5. Subdiaconi. *ibid.*
§. 6. Diaconi. *ibid.*
§. 7. Presbyteri. 489
§. 8. Epiſcopi. *ibid.*
Art. 5. Utrùm jure divino unus Ordo ſuperior ſit altero Ordine. 490
Reſp. 1. Epiſcopus ſimplicem presbyterum jure divino ſuperat poteſtate Ordinis. *ibid.*
Reſp. 2. Epiſcopus ſuperat etiam jure divino ſimplicem presbyterum poteſtate juriſdictionis. 491
Art. 6. Solvuntur objectiones. 492

DISPUTATIO II.

De Ordinationum inſtitutione.

Art. 1. UTrùm Ordinatio ſit ſacramentum. 496
Reſp. Aliqua ſaltem Ordinatio eſt ſacramentum. *ibid.*
Art. 2 Utrùm Ordinatio Epiſcopi ſit ſacramentum. *ibid.*
Reſp. Ordinatio Epiſcopi, ſeu qua quis ex Presbytero fit Epiſcopus, eſt verum ac propriè dictum ſacramentum. *ibid.*
Art. 3. Utrùm Ordinatio Diaconi ſit ſacramentum. 499
Reſp. Ordinatio Diaconi eſt ſacramentum. *ibid.*
Art. 4. Utrùm Ordinatio Subdiaconi, & aliorum minorum Ordinum, ſit ſacramentum. 501
§. 1. De Ordinatione Subdiaconi. *ibid.*
Reſp. 1. Probabile eſt Ordinationem Subdiaconi eſſe ſacramentum. *ibid.*
Reſp. 2. Probabilius eſt Ordinationem Subdiaconi non eſſe ſacramentum. *ibid.*
§. 2. De Ordinatione Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, & Acolythi. 502
Reſp. 1. Probabile eſt Ordinationem, qua minores Ordines conferuntur, eſſe ſacramentum. *ibid.*
Reſp. 2. Longè probabilius eſt Ordinationem, qua minores Ordines conferuntur, non eſſe ſacramentum. *ibid.*

DISPUTATIO III.

De materia & forma Ordinationum.

Art. 1. UTrùm impoſitio manuum ſit eſſentialis materia omnium Ordinationum, quæ ſunt verè ac propriè ſacramenta. *ibid.*
Reſp. 1. Manus, vel manuum impoſitio, eſt eſſentialis materia, vel totalis, vel ſaltem partialis, Ordinationis cujuslibet, quæ verè & propriè ſacramentum eſt. 503
Reſp. 2. In Orientali Eccleſia, manuum impoſitio ſuper caput Ordinandorum, eſt tota materia Ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta. 504
Reſp. 3. In Occidentali Eccleſia, manus, vel manuum impoſitio ſuper caput Ordinandorum, non eſt tota materia omnium Ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta. 505
Art. 2. Quænam ſit in Eccleſia Latina materia & forma Ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta. *ibid.*
§. 1. De materia & forma Ordinationis Diaconi. *ibid.*
Reſp. 1. Hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, ad robur, &c.* ſunt forma Ordinationis Diaconi, ſed partialis tantùm. *ibid.*
Reſp. 2. Hæc verba, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium, &c.* ſunt etiam forma partialis Ordinationis Diaconi. *ibid.*

Reſp. 3.

Reſp. 3. Impoſitio manus dextræ ſuper caput Ordinandi, eſt materia Ordinationis Diaconi, ſed partialis tantùm. 506

Reſp. 4. Traditio Libri Evangeliorum eſt etiam partialis materia Ordinationis Diaconi, compartem ſuam, nempe impoſitionem manus priùs factam, complens in eſſe ſigni expreſſiùs ſignificantis. *ibid.*

§. 2. De materia, & forma Ordinationis Presbyteri. *ibid.*

Reſp. 1. Hæc verba, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, &c.* ſunt forma primæ Ordinationis Presbyteri. *ibid.*

Reſp. 2. Prima manuum impoſitio, qua caput Ordinandi tangit Epiſcopus nihil dicendo, eſt materia, ſed partialis tantùm, primæ Ordinationis presbyteri. *ibid.*

Reſp. 3. Traditio inſtrumentorum, hoc eſt, calicis cum vino & aqua, & patenæ cum hoſtia, eſt etiam partialis materia primæ Ordinationis Presbyteri. *ibid.*

Reſp. 4. Secundæ Ordinationis Presbyteri forma ſunt hæc verba; *Accipe Spiritum ſanctum: Quorum remiſeris, &c.* materia verò, impoſitio manuum ſuper caput Ordinandi, facta ab Epiſcopo, dum verba hæc profert. 507

§. 3. De forma Ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

Reſp. 1. Hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, quæ dicuntur ab Epiſcopo conſecratore, & aſſiſtentibus Epiſcopis, ut dicta ab Epiſcopo conſecratore, ſunt forma, ſed partialis tantùm, Ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

Reſp. 2. Hæc verba, *Ungatur & conſecretur caput tuum, &c.* quæ profert Epiſcopus conſecrator, dum chriſmate inungit caput Ordinandi, ſunt etiam forma partialis Ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

Reſp. 3. Verba quæ proferuntur ab Epiſcopo conſecratore, dum tradit inſtrumenta, hoc eſt, baculum, annulum, & librum Evangeliorum, ſunt etiam forma partialis Ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

§. 4. De materia ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

Reſp. 1. Impoſitio manuum, qua caput Ordinandi tangit Epiſcopus conſecrator, ſimul cum eo tangentibus Epiſcopis aſſiſtentibus, eſt materia, ſed partialis tantùm, Ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

Reſp. 2. Altera manuum impoſitio, qua Epiſcopus conſecrator verticem capitis Ordinandi inungit chriſmate, eſt etiam partialis materia Ordinationis Epiſcopi. 508

Reſp. 3. Traditio inſtrumentorum, baculi ſcilicet, annuli, & libri Evangeliorum, eſt etiam materia partialis Ordinationis Epiſcopi. *ibid.*

Reſp. 4. Unctio manuum, impoſitio mitræ, & traditio chyrothecarum, cum verbis correſpondentibus, ſunt cæremoniæ accidentariæ tantùm. *ibid.*

Art. 3. Solvuntur Objectiones. *ibid.*

Art. 4. Solvuntur Objectiones reliquæ. 511

DISPUTATIO IV.

De Miniſtro Ordinationum.

Art. 1. Quis ſit ordinarius Miniſter Ordinationum. 513

Reſp. Epiſcopus jure divino eſt ordinarius Miniſter Ordinationum, quæ verè & propriè ſunt ſacramenta. *ibid.*

Art. 2. Utrùm Epiſcopus hæreticus, vel ſchiſmaticus, poſſit validè ordinare extra Eccleſiam. *ibid.*

Reſp. Epiſcopus hæreticus, vel ſchiſmaticus, validè ordinat. *ibid.*

Art. 3. Utrùm quilibet Epiſcopus catholicus quemlibet licitè ordinare nunc poſſit, & olim potuerit. 517

Reſp. 1. In veteri Eccleſia laici à quolibet Epiſcopo catholico licitè ordinari potuerunt, Epiſcopo in cujus diœceſi nati erant, inconſulto: clerici verò non potuerunt. *ibid.*

Reſp. 2. Unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinari debet, nec aliquis ſine ipſius licentia, ſi præſens ſit, vel litteris dimiſſoriis, ſi ſit abſens, licitè poteſt ordinari ab alio Epiſcopo. *ibid.*

Art. 4. De litteris dimiſſoriis. 519

Art. 5. Utrùm ſimplex ſacerdos poſſit ex commiſſione Summi Pontificis eſſe extraordinarius Miniſter Ordinationum. 522

Reſp. 1. Simplex ſacerdos non poteſt, etiam ex commiſſione Summi Pontificis eſſe extraordinarius Miniſter Ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta. *ibid.*

Reſp. 2. Simplex ſacerdos poteſt ex conceſſione Summi Pontificis eſſe Miniſter Ordinum minorum, & Subdiaconatus. *ibid.*

Art. 6. Quot Epiſcopi requirantur ad Epiſcopi conſecrationem. 523

Reſp. 1. Ad Epiſcopi Ordinationem tres Epiſcopi requiruntur, ſaltem jure eccleſiaſtico. *ibid.*

Reſp. 2. Trium Epiſcoporum numerus neceſſarius non eſt jure divino, & ad validam Epiſcopi Ordinationem ſufficere poteſt unicus Epiſcopus, etiam ſine diſpenſatione Summi Pontificis. *ibid.*

Art. 7. Utrùm electio Epiſcoporum jure divino pertineat ad univerſam Eccleſiam, ſeu ad populum & clerum; ita ut Epiſcopi electio ſine conſenſu & ſuffragio populi nulla ſit jure divino. 524

Reſp. Jus eligendi Epiſcopos, & alios Eccleſiæ miniſtros, jure divino non competit populo. *ibid.*

DISPUTATIO V.

De ſubjecto Ordinationum.

Art. 1. Utrùm mulieres ſint capaces Ordinationis. 526

Reſp. 1. Mulier jure divino incapax eſt Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus. *ibid.*

Reſp. 2. Mulier eſt etiam jure divino, non quidem poſitivo, ſed naturali, incapax Subdiaconatus, & aliorum minorum Ordinum, ſuppoſita eorum inſtitutione tali, qualis ab Eccleſia facta eſt. 527

Art. 2. Utrùm omnis maſculus ſit ſubjectum capax Ordinationis. *ibid.*

Reſp. Omnis maſculus baptizatus, ad diſcretionis annos provectus, eſt ſubjectum capax omnis Ordinationis. *ibid.*

Art. 3. Utrùm obligatio continendi annexa ſit majoribus Ordinibus. 528

Reſp. 1. Jure eccleſiaſtico antiquiſſimo, obligatio continendi annexa eſt non ſolùm Epiſcoporum, ſed etiam Presbyterorum & Diaconorum Ordini. *ibid.*

Reſp. 2. Obligatio continendi, Subdiaconorum Ordini jure eccleſiaſtico antiquiſſimo annexa eſt. 529

Art. 4. Solvuntur argumenta Calvini, & aliorum hæreticorum. 530

Art. 5. Aliquot dubia reſolvuntur. 532

INDEX.

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS.

De Matrimonio.

DISPUTATIO PRIMA.

De Eſſentia Matrimonii.

Art. 1. QUid ſit Matrimonium, & quotuplex. 534

Reſp. 1. Matrimonium primo modo ſumptum, rectè definitur, Contractus, quo perſonæ legitimæ mutuum dominium in ſua corpora ſibi tradunt ad actum conjugalem. *ibid.*

Reſp. 2. Matrimonium ſecundo modo ſumptum, à Theologis communiter deſcribitur, Viri, & mulieris maritalis conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens, *ibid.*

Reſp. 3. Matrimonium ſecundo modo ſumptum, dividitur in legitimum, ratum, & conſummatum. *ibid.*

Art. 2. Utrùm matrimonium ſit per ſe & intrinſecè honeſtum. *ibid.*

Reſp. Matrimonium eſt per ſe, & intrinſecè licitum & honeſtum. 535

Art. 3. Utrùm matrimonium ſit in præcepto. *ibid.*

Reſp. 1. Matrimonium nunquam fuit in præcepto naturali obligante ſingulos. *ibid.*

Reſp. 2. Initio mundi, & ſtatim poſt diluvium, ſinguli homines videntur ad matrimonium obligati fuiſſe præcepto poſitivo divino. 536

Art. 4. Utrùm matrimonium ſit ſacramentum. *ibid.*

Reſp. Matrimonium eſt verum ac propriè dictum novæ legis ſacramentum. *ibid.*

Art. 5. Solvuntur Objectiones. 538

Art. 6. Utrùm matrimonium baptizatorum ſemper ſit ſacramentum. 540

Reſp. 1. Matrimonium, etiam inter abſentes baptizatos per procuratorem contractum, eſt verè ac propriè ſacramentum. *ibid.*

Reſp. 2. Omne matrimonium à baptizatis validè contractum, ſacramentum eſt. *ibid.*

DISPUTATIO II.

De Miniſtro Sacramenti Matrimonii.

Art. Unic. UTrùm ſacramenti Matrimonii Miniſter ſit Sacerdos, an Contrahentes. 542

§. 1. Probatur authoritate veterum omnium Theologorum, qui ante Melchiorem Canum ſcripſerunt, &c. *ibid.*

§. 2. Probatur authoritate Conciliorum. 545

§. 3. Probatur ratione. 547

§. 4. Solvuntur Cani Objectiones. 549

§. 5. Solvuntur argumenta ab authoritate petita. 551

DISPUTATIO III.

De conſenſu ad matrimonium requiſito.

Art. 1. UTrùm ad contractum matrimonialem requiratur conſenſus per ſigna aliqua expreſſus. 553

Reſp. Ad contractum matrimonialem requiritur mutuus contrahentium conſenſus, per ſigna aliqua externa ſufficienter expreſſus. *ibid.*

Art. 2. In quid tendere debeat conſenſus contrahentium, ut valeat contractus matrimonialis. 554

Reſp. Ad valorem contractus matrimonialis ſufficit, ut contrahentes intendant ad omne, quod, vel eſt eſſentiale matrimonio, vel cum ejus eſſentia neceſſariò conjunctum eſt. *ibid.*

Coroll. 1. Ad valorem contractus matrimonialis non requiritur, ut conſenſus contrahentium tendat in actum conjugalem. *ibid.*

Coroll. 2. Valet contractus matrimonialis, licèt alteruter, aut etiam uterque contrahens contrahat cum intentione Religionem ante conſummationem matrimonii ingrediendi, & in ea profitendi. *ibid.*

Coroll. 3. Valet contractus matrimonialis, initus cum pacto, ut neuter contrahens teneatur alteri reddere debitum, ſive ut uterque teneatur ſervare continentiam, aut Religionem ingredi ante matrimonii conſummationem. 555

Coroll. 4. Si quis matrimonium contrahat cum intentione ſtatim deſerendi uxorem, vel cognoſcendi aliam, vel impediendi generationem præpoſterè utendo matrimonio, aut non educandi prolem, graviſſimè quidem peccat, ſed validè contrahit. *ibid.*

Art. 3. Utrùm ad valorem contractus matrimonialis ſufficere poſſit conſenſus conditionatus. *ibid.*

Reſp. 1. Contractus matrimonialis per verba de præſenti factus ſub conditione honeſta, vel indifferente poſſibili de præterito aut de præſenti, ſi conditio ſubſiſtat, validus erit, ſtatim atque conditio ſubſiſtere cognoſcetur certò à contrahentibus. *ibid.*

Reſp. 2. Contractus matrimonialis per verba de præſenti initus ſub conditione honeſta, vel indifferente de futuro contingenti, ſuſpenditur donec conditio impleatur, & impleta eſſe cognoſcatur à contrahentibus, &c. 556

Art. 4. Utrùm matrimonium metu contractum irritum ſit. 558

Reſp. 1. Neque jure divino poſitivo, neque naturali, matrimonium, etiam metu gravi contractum, irritum eſt. *ibid.*

Reſp. 2. Contractus matrimonialis, initus metu gravi, & cadente in conſtantem virum, ad extorquendum matrimonium injuſtè incuſſo, ſive ab eo quocum contrahitur, ſive à tertio aliquo, nullus eſt jure eccleſiaſtico. 559

Art. 5.

Digitized by Google

INDEX.

Art. 5. Utrùm Filii-familias matrimonium validè contrahere poſſint ſine parentum conſenſu. 560

Reſp. Matrimonium à Filiis-familias ſine parentum conſenſu contractum, validum eſt quoad ſubſtantiam, adeòque nec à parentibus, nec à magiſtratu quoad ſubſtantiam irritari poteſt. *ibid.*

DISPUTATIO IV.

De unitate & indiſſolubilitate matrimonii.

Art. 1. Utrùm haberi poſſint plures uxores ſucceſſivè. 563

Reſp. Licet viro plures uxores, & mulieri plures maritos habere ſucceſſivè. *ibid.*

Art. 2. Quid de pluralitate ſucceſſiva uxorum cenſuerint Patres Græci. 564

Reſp. 1. Digamiam licitam eſſe docuerunt Patres Græci. *ibid.*

Reſp. 2. Trigamiam ut illicitam improbrarunt Patres Græci, alii quidem expreſsè, alii verò tacitè, 565

Reſp. 3. Patres Græci trigamiam, ut neque divina, neque apoſtolica lege conceſſam, adeòque illicitam ſic improbrarunt, ut nihilominùs verum eſſe conjugium, atque ita verum eſſe ſacramentum agnoverint, *ibid.*

Reſp. 4. Imò tetragamiam, ut ratum ac verum matrimonium, habuerunt antiqui Patres Græci. *ibid.*

Art. 3. Utrùm aliquando licitum fuerit plures ſimul uxores habere. 566

Reſp. Poſt diluvium, & ante legem evangelicam, multis ſæculis vir idem licitè potuit habere plures uxores ſimul. *ibid.*

Art. 4. Utrùm chriſtianis liceat plures ſimul uxores habere. 570

Reſp. Chriſtianis non licet habere plures ſimul uxores. *ibid.*

Art. 5. Utrùm matrimonium ſit indiſſolubile. 571

Reſp. 1. Matrimonium in prima ſua inſtitutione fuit jure divino indiſſolubile. *ibid.*

Reſp. 2. In lege veteri matrimonium etiam conſummatum indiſſolubile fuit ex diſpenſatione divina. *ibid.*

Reſp. 3. Chriſtus matrimonium ad primam inſtitutionem revocavit non ſolùm quoad uxoris ſingularitatem, ſed etiam quoad indiſſolubilitatem vinculi. 572

Art. 6. Utrùm matrimonium baptizatorum non conſummatum diſſolvi poſſit per Profeſſionem religioſam, & quo jure. *ibid.*

Reſp. 1. Matrimonium baptizatorum non conſummatum diſſolvitur per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata. *ibid.*

Reſp. 2. Profeſſio religioſa matrimonium ratum, non conſummatum, dirimit non jure naturali, vel divino, ſed Pontificio. *ibid.*

Art. 7. Utrùm matrimonium infidelium etiam conſummatum, diſſolvi poſſit, ſi unus ad fidem convertatur. 575

Reſp. 1. Si conjux ad fidem convertatur, & alter aut omninò nolit ei cohabitare, aut non velit niſi cum contumelia Creatoris, vel cum pertrahendo ad peccatum; poteſt ad fidem converſus & baptizatus, alterum deſerere & novum cum fideli matrimonium contrahere. *ibid.*

Reſp. 2. Etiamſi conjux conſentiat conjugi ad fidem converſo cohabitare pacificè; ſi tamen pertinaciter renuat converti, poteſt conjux ad fidem converſus illum deſerere, & aliud cum fideli contrahere matrimonium. 576

Reſp. 3. Antequam conjux ad fidem converſus, parte infideli diſcedente, aut nolente ei cohabitare ſine contumelia Creatoris, inierit ſecundum matrimonium, prius non ſolvitur, ſed ſolvitur hoc ipſo quod ſecundum init. 577

Art. 8. Utrùm matrimonium fidelium conſummatum, ſit omninò indiſſolubile, poſtquam conſummatum eſt. 578

Reſp. Matrimonium fidelium conſummatum omnimodam habet indiſſolubilitatem. *ibid.*

§. 1. Probatur reſponſio ex Scriptura. *ibid.*

§. 2. Authoritate Patrum. 579

§. 3. Authoritate Summorum Pontificum, & Conciliorum generalium. 580

§. 4. Solvuntur Objectiones petitæ ab authoritate Patrum Græcorum. *ibid.*

§. 5. Solvuntur Objectiones petitæ ab authoritate Pontificum & Conciliorum. 582

§. 4. Solvitur Objectio petita ex cap. 19. Matthæi. 583

Art. 9. Utrùm divortium ſit aliquando licitum. *ibid.*

Reſp. 1. Quamvis matrimonium conſummatum nulla ratione diſſolvi poſſit, inter conjuges tamen ſeparatio quoad thorum, & cohabitationem aliquando poteſt fieri licitè. *ibid.*

Reſp. 2. Vir ob adulterium uxoris ab ea quoad thorum & habitationem licitè ſeparat ſe; & viciſſim uxor à viro propter ejus adulterium. *ibid.*

Reſp. 3. Conjux à conjuge ſeparare ſe poteſt non ſolùm propter adulterium, ſed etiam ob multas alias cauſas. 585

Art. 10. Reſolvuntur aliquot caſus ad divortium pertinentes. 586

DISPUTATIO V.

De impedimentis matrimonii.

§. 1. Quot ſunt impedimenta impedientia tantùm. 589

§. 2. Quot ſunt impedimenta dirimentia. 590

§. 3. De impedimento erroris. *ibid.*

§. 4 De impedimento conditionis. 591

§. 5. De impedimento voti. *ibid.*

§. 6. De impedimento cognationis. *ibid.*

§. 7. De impedimento cognationis legalis. 592

§. 8. De impedimento cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis. 593

§. 9. De impedimento affinitatis. 594

§. 10. De impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis. 596

§. 11. De impedimento Criminis. *ibid.*

§. 12. De impedimento Raptus. 597

§. 13. De impedimento impotentiæ. *ibid.*

§. 14. De vi, ordine, ligamine, & amentia. 599

§. 15. De diſparitate Cultus. 600

§. 16. Quo jure matrimonium clandeſtinum illicitum ſit, an irritum. 601

§. 17. De iis qui ordinaria poteſtate poſſunt matrimonio aſſiſtere, & aliis aſſiſtendi licentiam dare. 602

§. 18. Quænam requirantur ad hoc, ut licentia aſſi-

aſſiſtendi matrimonio alteri validè fiat. 603
§. 19. De teſtibus ad valorem Matrimonii requiſitis. 604
§. 20. Utrùm Summus Pontifex poſſit diſpenſare in impedimentis matrimonii. *ibid.*
§. 21. Quænam ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus. *ibid.*
§. 22. Utrùm Epiſcopi diſpenſare poſſint in impedimentis matrimonii. 605
§. 23. Quandonam diſpenſatio obtenta, ſit irrita. *ibid.*
§. 24. De revalidatione matrimonii invalidè contracti propter impedimentum aliquod dirimens. 607

R. P.

Digitized by Google

R. P.
EDMUNDI SIMONNET
Societatis JESU Presbyteri

TRACTATUS UNDECIMUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

ARTICULUS PRÆAMBULUS.

De iis qui errarunt circa Sacramenta novæ Legis ante ſæculum decimum-ſextum.

1. EX veteribus hæreticis Aſcodrytæ, ſeu Aſcodrupetæ, Sacramenta omnia rejiciebant: dicebant enim, ut ſcribit Theodoretus lib. 1. hær. num. 13. *non oportere divina myſteria, quæ ſunt inviſibilium ſigna, per res quæ videntur, peragi, nec incorporea per ſenſibilia & corporea.*

2. Archontici execrabantur Baptiſmum & Euchariſtiam, ut ibidem teſtatur Theodoretus. *Anathematizant*, inquit, *lavacrum, & myſteriorum communionem, ut quæ fiat in nomine Sabaoth*, quem dicunt *in ſeptimo cœlo tyrannide exercere.*

3. Seleuciani Baptiſmum reſpuebant. Teſtis eſt S. Auguſtinus, lib. de hær. num. 59. *Baptiſmum in aqua*, inquit, *non accipiunt*. His accenſendi ſunt Puliciani, qui teſte Euthymio monacho in parte 2. Panopliæ, cap. 20. Baptiſmum nomine tenùs admittentes, conſtituebant enim in his, quæ dicebant eſſe Domini, verbis: *Ego ſum aqua viva.*

4. Novatiani rejiciebant ſacramentum Confirmationis, ſi Theodoreto credimus, hoc aſſerenti lib. 3. hær. fab. num. 6. ubi etiam ſcribit eos Pœnitentiæ ſacramentum repudiaſſe. *Pœnitentiam*, inquit, *à ſuo conventu arcent pœnitus, iiſque qui ab ipſis tinguntur, ſacrum Chriſma non præbent*. Idem quoad Pœnitentiam de Novatianis teſtantur S. Auguſtinus lib. de hær. num. 38. & S. Epiphanius hær. 59.

5. Contra Euchariſtiam blaſphemarunt Bogomili, ut ſcribit Euthymius in Panoplia parte 2. cap. 23. num. 17. ubi de illis hæc refert: *Myſticum, venerandum Sacrificium contemnunt atque deſpiciunt, & ſanctam Corporis & Sanguinis Domini Communionem, dæmonum qui in templis habitant, ſacrificium appellant*. Communionis autem panem eſſe precationem hanc, *Pater noſter*; Communionis verò calicem Teſtamentum, quod in Evangelio memoratur, eſſe garriebant, ut ibidem narrat idem Author.

6. Extremam-Unctionem execrabantur Albigenſes, teſte S. Antonino. Albigenſes imitati ſunt poſtea hæretici, qui Flagellantes dicti ſunt, ob frequentes corporis verberationes.

7. Sacramentum Matrimonii repudiarunt Encratitæ, ſeu Taciani, teſte S. Auguſtino, in lib. de hær. num. 25. *Nuptias*, inquit, *damnant, atque omninò pares eas fornicationibus, aliiſque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in ſuorum numerum conjugio utentem, ſive marem ſive fœminam*. Idem eundem errorem impuriſſimis Manichæis tribuit eod. lib. num. 46. ubi de illis ſic loquitur: *Nuptias ſine dubitatione condemnant, & quantum in ipſis eſt, prohibent, quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda ſunt.*

8. Sacramentum Ordinis merum figmentum eſſe contendebat Tandemus ſeu Tanchelinus, impuriſſimus hæreticus, contra quem ſæculo XII. ita fœliciter decertavit S. Norbertus, Præmonſtratenſis Ordinis Fundator ſanctiſſimus, ut ejus hæreſim in Belgio graſſantem penitùs extinxerit.

9. Meſſaliani, qui etiam Euchitæ & Enthouſiaſtæ dicti ſunt, Baptiſmum effectu ſeu virtute ſua ſpoliabant, vimque purgandi animam eamque ſanctificandi ſoli orationi tribuebant. Hoc de illis refert Theodoretus lib. 4. hær. fab. num. 14. *Dicunt*, inquit, *Baptiſmum nihil juvare eos, qui ad eum accedunt. Inſtar enim novaculæ* (ſecundùm illos) *auſert priora peccata, peccati autem radicem non exſcindit. Perpetua autem oratio, & peccati radicem radicitùs evellit, & malum dæmonem, qui ab initio ſorte datus eſt, ab anima expellit*. Idem de Meſſalianis ex eorum libris refert Sanctus Damaſcenus in libro ſuo de hæreſibus, ubi videtur hæreticis illis eundem circa Pœnitentiæ ſacramentum errorem attribuere; nam ſic ait: *Docent .... Baptiſmum hominem non*

perficere, nec divina ſacramenta accepta animi ſordes expiare, ſed preces, quæ ab illis rectè funduntur.

Similiter vim omnem Baptiſmo abrogaſſe Manichæos tradit S. Auguſtinus lib. de hær. num. 46. ubi de eis hæc ſcribit: *Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Portò quod hi de Baptiſmo ſenſerunt, hoc Tanchelinus ſenſit de Euchariſtia, quam ad ſalutem conſequendam inutilem eſſe docebat.

10. Circa Baptiſmum errabant Marcoſii, non illum negando, ſed illum male intelligendo. Nam, ut refert Theodoretus lib. 1. hær. fab. num. 12. *tingentes eos*, qui ab eis decipiebantur, dicere conſueverant: *In nomine ignoti Patris univerſorum, in veritatem matrem omnium, in Jeſum qui deſcendit, in unionem, & redemptionem, & poteſtatum communionem.* Hujus formulæ meminit S. Irenæus lib. 1. adversùs hæreſes cap. 18.

Similiter, corrumpendo ſcilicet formam Baptiſmi, erraverunt vetuſtiſſimi alii hæretici, qui baptizabant in nomine trium principio carentium, vel in nomine trium filiorum, aut trium Paracletorum; qui error canone 48. Apoſtolorum proſcriptus eſt. Item Cataphryges & Paulianiſtæ, qui in alia aliqua forma baptizabant, quàm in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde Concilium Laodicenum can. 8. Cataphrygas; & Concilium Nicænum can. 19. Paulianiſtas, qui ad Eccleſiam veniunt, jubent rebaptizari. Hoſce portò hæreticos, non Arianos, nobis ſpectare videtur canon 8. Concilii Arelatenſis I. Item Eunomianorum aliqui, Theophronii, qui Eunomii diſcipulus fuerat, & ab eo poſtea diſceſſerat, ſectatores: nam ut refert Socrates lib. 5. hiſt. Eccl. c. 24. non in Trinitatem baptizabant, ſed in mortem Chriſti.

11. Circa Baptiſmum erraverunt Marcioniſtæ, illum ſecundò & tertiò iterari poſſe docendo, & re ipſa illum ſecundò & tertiò iterando, ut teſtatur S. Epiphanius in hæreſi 42. quæ eſt Marcioniſtarum: *Baptiſmo*, inquit, *non ſemel, ſed tertiò apud illos initiantur. Quod fieri idcirco conceſſit* (Marcion) *quòd à diſcipulis ſuis, quibus fuerat cognitus, ob delictum & virginis ſtuprum ludibrio eſſet habitus. Nam cùm virginem in patria conſtupraſſet, & ingentis flagitii convictus aufugiſſet, alterum ſibi circumforaneus iſte baptiſmum adſcivit; licere pronuncians ter omninò aquis elui, ac batiſmo ad peccatorum condonationem expiari: ut ſi quis poſt uſurpatum priorem peccaverit, ad ſecundum cum pœnitentia confugiat, ſimiliterque tertium, poſt ſecundum iterum ſe delictis obſtrinxerit.*

12. Circa Pœnitentiam erraverunt Audiani, non eam tollendo, ſed pœnitentibus quos abſolvebant, nullam ſatisfactionem injungendo, ut refert Theodoretus lib. 4. hær. fab. num. 14. *Jubent*, inquit, *unumquemque .... quæ à ſe peccata ſunt confiteri. Deinde confeſſis donant remiſſionem, non tempus ad pœnitentiam, ut jubent leges Eccleſiaſticæ præſcribentes, ſed ſua poteſtate condonantes.*

13. Circa Ordines errarunt Pepuſiani, ad illos etiam mulieres admittendo, ut narrat S. Epiphanius in hær. 49. ubi de illis ſic loquitur: *Sororem Moyſis prophetiſſam jactitant, cujus exemplo illi cooptandarum in clerum mulierum inſtituto ſuffragantur.* Et inferiùs: *Apud eoſdem mulieres epiſcopi ſunt, & presbyteri, & ad cæteros gradus allegunter, nullum ut ſexus diſcrimen ſervetur*, (pro quo hunc Apoſtoli textum allegabant: *Nam in Chriſto Jeſu neque mas eſt, neque fœmina.*)

14. Circa Euchariſtiam, negando realem in ea Chriſti præſentiam, erravere primùm hæretici aliqui tempore S Ignatii martyris, ut patet ex ejus ad Smyrnæos epiſtola, in qua de hæreticis illis ſic ait: *Ab Euchariſtia & oratione recedunt; propter non confiteri Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti pro peccatis noſtris paſſam, quam benignitate Pater reſuſcitavit.* Hos primi Sæculi hæreticos ſecutus eſt Sæculo undecimo Berengarius, Andegavenſis Eccleſiæ archidiaconus, ut patet ex ejus confeſſione fidei, quam Romæ coram 93. Epiſcopis edidit, & in qua anathematizavit hæreſim, *quæ aſtruere conatur panem & vinum; quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe.*

Errorem hunc inſtauravit Sæculo decimo quarto Joannes Vvicleff Doctor Anglus, ut patet ex ejus articulo tertio, ubi ſic ait: *Chriſtus non eſt in eodem Sacramento* (altaris) *identicè & realiter in propria præſentia corporali.*

15. Quod omittebamus, ſæculo quarto & quinto circa Baptiſmum erraverunt Donatiſtæ, etiam poſt Concilii œcumenici definitionem negando Baptiſmum, ab hæreticis collatum etiam in debita forma, valere, & Catholicos, qui ad eos deficiebant, rebaptizandos, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. de hær. num. 69. Item ſæculo duodecimo hæretici illi, contra quos diſputat S. Bernardus ſermone 66. ſuper Cantica, quique ſeſe Apoſtolicos nuncupabant, & negabant infantibus baptiſmum prodeſſe poſſe. Iidem portò Apoſtolici errabant circa Sacramentum Matrimonii, legitimum connubium nonniſi inter virgines contrahi poſſe aſſerentes. Vide S. Bernardum loco citato.

Recenſitos hactenùs veterum hæreticorum errores inſtaurarunt, vel imitati ſunt recentiores hæretici, ii nimirùm qui ſæculo decimo ſexto adversùs Eccleſiam inſurrexere. Nam 1. omnes vim juſtificandi ſoli fidei tribuendo ſacramenta omnia ſpoliant efficacia ſua, & nihil eis relinquunt, præter eſſe nuda ſigna ſeu ſymbola. Unus ſit hic pro omnibus Lutherus in aſſertione 1. Articuli, in quo ſic ait: *Hæretica ſed uſitata ſententia eſt, ſacramenta novæ Legis dare gratiam iis qui non ponunt obicem. Scriptura enim dicit: Juſtus ex fide ſua vivet; non dicit: Ex ſacramentis vivet.*

2. Omnes repudiant aliqua ſacramenta. Nam negant omnes ſacramenta eſſe Confirmationem, & Extremam Unctionem, & ex eis multi idem de Pœnitentia & Ordine negant. Lutherus ſibi minimè conſtans, aliquando duo tantùm ponit ſacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam; aliquando tria, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam. Inconſtantiam Lutheri imitatur Philippus Melancthon, Pœnitentiam aliquando veris ſacramentis accenſendo, aliquando illam expungendo è ſacramentorum numero: niſi tamen dicant uterque ſe ipſos correxiſſe, Pœnitentiæ ſacramentum, quod primùm rejecerant, poſtmodum recipiendo. Calvinus tria admittit ſacramenta, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Ordinationem, quam Philippus quoque Melancthon tandem inter ſacramenta recenſuit; in hoc recedens à magiſtro ſuo Luthero, qui Ordinationem expunxit è numero ſacramentorum. Philippus itaque quatuor tandem ſacramenta agnovit, Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, & Ordinationem. Zuvinglius denique Pœnitentiæ ſacramentum cum Calvino & Beſa rejiciens, tria ſacramenta retinet, baptiſmum, Euchariſtiam, & Matrimonium, quibuſcum admittit Ordinationem miniſtrorum, ſed ei ſacramenti rationem adimit.

3. Plerique ſaltem ea quæ admittunt ſacramenta, cum corruptela admittunt. Nam Anabaptiſtæ negant Baptiſmum infantibus collatum valere; unde Baptiſmum non pro infantibus, ſed pro adultis tantùm admittunt. Lutherus docet Baptiſmum valere, quibuſcumque tandem verbis conferatur, modo detur in nomine Domini. Zuvinglius verò in hoc ſacramento nullam certam verborum formam neceſſariam eſſe. Idem Zuvinglius cum Oecolampadio & Calvino ſic admittit ſacramentum Euchariſtiæ, ut cum illis neget in ea Chriſtum eſſe realiter præſentem. Bucerus tenet Corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, niſi cum ſumitur, adeòque ipſam ſolam ſumptionem propriè ſacramentum eſſe; quam ſententiam dicitur perſuaſiſſe Luthero; eamque magno conſenſu arripuerunt Lutherani,

Digitized by Google

rani. Lutherus in Euchariſtia, cum Corpore Domini panem manere contendit. Hic idem ſic admittit ſacramentum Pœnitentiæ, ut ad illud nec integram confeſſionem, nec ſatisfactionem aliquam requirat, aut etiam admittat. Denique qui Ordinationis ſacramentum recipiunt, neque veros miniſtros, neque verum hujus ſacramenti ritum agnoſcunt.

DISPUTATIO PRIMA.

De Exiſtentia & quidditate Sacramentorum.

ARTICULUS I.

An & quot ſint Sacramenta novæ Legis.

RESPONSIO I.

SUnt aliqua Sacramenta in Lege nova.

Eſt de fide, & prob. 1. ex conſtanti & perpetua traditione Eccleſiæ. 2. Ex definitionibus Conciliorum, de quibus infra. 3. Ex unanimi Patrum conſenſu; pro quibus omnibus ſit hic unus Auguſtinus lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 9. *Hoc verò tempore*, inquit, *poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorum quidem ſignorum* (veteris legis ſacramentorum) *quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati ſumus: ſed quædam pauca pro multis eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus & apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmi ſacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* 4. Ratione, quam ipſimet admittunt heterodoxi. Sacramentum eſt ritus externus, ſeu ſignum ſenſibile, ex inſtitutione divina annexam habens promiſſionem gratiæ. Atqui in Lege nova ſunt ritus ejuſmodi, ut patet ex Baptiſmo, de quo dicitur Matth. c. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Sunt ſeptem novæ Legis Sacramenta, nec plura nec pauciora: Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium.

Eſt de fide, & contra Lutherum, Calvinum, alioſque hæreticos, qui hunc ſeptenarium ſacramentorum noſtrorum numerum rejecerunt. *Prob.* 1. Ex decreto Eugenii Papæ IV. in Conc. Flor. in quo dicitur: *Novæ Legis ſeptem ſunt ſacramenta, videlicet Baptiſmus, & Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium.*

2. Ex Tridentino Concilio ſeſſ. 7. can. 1. *Si quis dixerit ſacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè ſacramentum: anathema ſit.*

3. Ex perpetua Eccleſiæ traditione, quæ ſufficientiſſimè oſtenditur ex eo quòd non poſſit oſtendi, quandonam primùm ab Apoſtolorum tempore hæc de ſeptenario ſacramentorum numero doctrina tradi cœperit in Eccleſia. Unde pro ſeptem illis ſacramentis valet regula quam tradit Auguſtinus lib. 4. de bapt. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Nam

Sic argumentor. Septem eſſe illa ſacramenta, quæ defendimus, tenet univerſa Eccleſia, & aliqua ex eis negantes, ut hæreticos execratur, quod omnibus notorium eſt. Ergo ſeptem illa ſacramenta ſemper tenuit univerſa Eccleſia: alioquin oſtendatur quandonam cœperit eam tenere. Atqui quod tenet, & ſemper tenuit univerſa Eccleſia, hoc non niſi ab Apoſtolis traditum eſſe dici poteſt. Ergo quòd ſint ſeptem illa ſacramenta, quæ defendimus, eſt doctrina non ab aliquo novatore, ſed ab ipſis Apoſtolis tradita, adeòque doctrina à Deo per Apoſtolos revelata; quam qui rejiciunt, revelationi divinæ & quidem ab univerſa Eccleſia receptæ contradicunt: unde jure meritò diris devoventur ut hæretici.

Confirmatur. Quia ſeptenarius ſacramentorum numerus vel eſt doctrina apoſtolica, vel hæreſis. Secundum dici non poteſt. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam nulla hactenùs extitit hæreſis, de qua, quo poſt Apoſtolorum tempora loco, tempore, & authore cœperit, & quos impugnatores habuerit, non poſſit oſtendi ex hiſtoricis ejuſdem vel ſupparis ætatis, aut aliorum ſcriptorum eccleſiaſticorum monumentis. Atqui adverſarii neque ex hiſtoricorum veterum, neque ex ullorum aliorum ſcriptorum eccleſiaſticorum monumentis hæc oſtendere poſſunt de ſeptenario ſacramentorum numero. Ergo, &c.

Dicentne ſeptenarium ſacramentorum numerum ante ſæculum duodecimum inauditum fuiſſe in Eccleſia, & hoc primùm tempore inventum à Magiſtro Sententiarum, & traditum lib. 4. diſt. 2. At proferant hiſtoricum aliquem, aut alium ſcriptorem eccleſiaſticum, qui eodem ſæculo, vel ſubſequentibus ante decimumſextum, ſeptenarii ſacramentorum numeri velut novitatis in Eccleſiam inventæ reum poſtularit Magiſtrum Sententiarum. Proferant vel unum Eccleſiæ Doctorem, qui eodem ſæculo, vel ſubſequentibus, adversùs Magiſtrum velut novatorem inſurrexerit, & ſeptenarium ſacramentorum numerum velut novitatem impugnarit. Imò verò quotquot poſt Magiſtrum ante Lutherum & Calvinum, alioſque ſæculi decimi ſexti novatores extitere Doctores in Eccleſia, magno conſenſu docuerunt & tradiderunt ſeptenarium illum numerum ſacramentorum. Qui conſeſſus invictiſſimum argumentum eſt, Magiſtrum docendo ſeptem eſſe ſacramenta in nova lege, non novam, ſed antiquam & in univerſa Eccleſia receptiſſimam doctrinam tradidiſſe.

Dicant igitur novatores, quo loco, quo tempore quo authore, quibus adverſantibus exorta ſit, quibuſque progreſſibus univerſam Eccleſiam pervaſerit ante ſæculum duodecimum doctrina de ſeptenario ſacramentorum numero; & quod dicent, oſtendant ex certis veteribus teſtimoniis. Sed hoc non poſſunt: nam ſi poſſent, proculdubio hoc facere hactenùs non omiſiſſent. Quare autem non poſſunt? Certè quia non ab aliquo novatore, ſed à Deo per Apoſtolos Eccleſia accedit doctrinam illam, quam conſtanter retinuit hactenùs, & conſtanter retentura eſt uſque in finem.

Ratio autem à priori noſtræ reſponſionis, eſt inſtitutio Chriſti, qui ſeptem ſacramenta, nec plura, nec pauciora, inſtituere voluit, cujus voluntatis rationem congruam aſſignat S. Thomas 3. parte q. 75. ar. 1. in O. ubi dicit à Chriſto convenienter inſtituta fuiſſe ſeptem ſacramenta, quia per illa & privatæ uniuſcujuſque hominis, & publicæ totius reipublicæ chriſtianæ perfectioni ſpirituali ſufficientiſſimè & convenientiſſimè providit. Et 1. quidem providit privatæ cujuſque hominis perfectioni ſpirituali: nam homo per Baptiſmum ſpiritualiter naſcitur; ſpiritualiter creſcit & roboratur per Confirmationem; ſpiritualiter nutritur, & in incremento ac robore per Confirmationem accepto conſervatur per Euchariſtiam. Si contingat eum in peccati ægritudinem incidere, ſanatur per Pœnitentiam, per quam etiam iterùm ſuſcitatur, ſi contingat eum peccando mortem ſpiritualem incurrere. Denique cùm inſtat vitæ naturalis terminus, ad extremam cum dæmone luctam, & cum ſalutis hoſte fortiter luctando, coronam gloriæ conſequendam confirmatur per Extremam-unctionem, per quam etiam, ſi quæ ſunt, peccatorum reliquias abſtergit, ut purum ſe ſiſtat ſupremo judici, in cujus manus horrendum eſt incidere.

2. Providit communi totius reipublicæ chriſtianæ perfectioni ſpirituali. Ad hanc enim perfectionem duo

Digitized by Google

requiruntur, videlicet, ut habeat patres ſpirituales, ſeu paſtores, & ut populus Chriſtianus propagetur & multiplicetur per honeſtum & Chriſtianum decentem ritum Matrimonii. Primum autem reſpublica chriſtiana per Ordinem, ſecundum verò per Matrimonii ſacramentum obtinet.

Obj. 1. Sacra Scriptura nullibi dicit eſſe ſeptem ſacramenta. Ergo, &c. *R.* hoc argumentum non magis valere, quàm iſtud: Scriptura Sacra nullibi dicit eſſe quatuor Evangelia. Ergo non ſunt quatuor Evangelia. Sicut igitur malè negaretur eſſe quatuor Evangelia, ex eo quòd Scriptura Sacra nullibi aſſerat illa eſſe quatuor: ita ex eo quòd Scriptura Sacra ſeptem eſſe ſacramenta nullibi aſſerat, illa ſeptem eſſe, malè negabitur. Ratio eſt, quia ſicut Sacra Scriptura nullibi negat eſſe quatuor Evangelia, & tot eſſe; aliunde habere poſſumus, & habemus, nempe ex traditione: ita Scriptura Sacra ſeptem eſſe ſacramenta nullibi negat; & aliunde, nempe ex eadem traditione, habere poſſumus, & re ipſa habemus ſeptem eſſe.

Obj. 2. Nuſquam antiqui Patres dicunt eſſe ſeptem ſacramenta; imò multi, dum numerant ſacramenta, duo vel tria tantùm; aut ad ſummum quatuor numerant. Ergo, &c. *R. ad* 1. Nuſquam quidem antiqui Patres dicunt eſſe ſeptem ſacramenta: at nuſquam negant, aut dicunt eſſe duo, vel tria, aut quatuor tantùm, quia numerum ſacramentorum inſtituere, eis nunquam propoſitum fuit. Unde *ad* 2. *R.* ſupponi falſum: nam ex antiquis Patribus, nullus ſacramenta numeranda ſuſcepit, ſed ſolùm ea eis, alii modò unius, modò alterius meminerunt pro opportunitate locorum; alii duo vel tria poſuerunt, per modum exempli; alii denique, de duobus tantùm, vel tribus, aut etiam quatuor tractarunt, quia hoc tantùm poſtulabat argumentum ſuſcepti operis. Sic v. g. Cyrillus Hieroſolymitanus in catecheſibus, & Ambroſius in libris de ſacramentis, tractarunt tantùm de tribus ſacramentis, quia tantùm inſtruere volebant catechumenos de iis quæ fiebant cum baptizabantur adulti, quibus eadem die conferebantur tria ſacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia.

Dices. S. Auguſtinus lib. 3. de doctr. chriſt. c. 9. aſſerit eſſe duo tantùm ſacramenta, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam. *R.* hoc eſſe falſum: nam ibi, ut ex verbis ejus manifeſtum eſt, duo illa ſacramenta ſolùm allegat exempli gratia. Præterea, quòd S. Doctor præter Baptiſmum & Euchariſtiam alia quinque noſtra ſacramenta agnoverit, non quidem ſimul, ſed ſparſim, facilè oſtenditur. Agnovit enim ſacramentum Confirmationis lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 104. ſacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis, lib. 5. de bapt. c. 20. ſacramentum Ordinis, lib. 2. contra epiſt. Parmeniani, c. 13. ſacramentum denique Matrimonii lib. de bono conjugali, cap. 18. Sed de his aliàs ſingillatim, cùm de ſingulis ſacramentis agetur.

Obj. 3. Imò verò ſunt plura quàm ſeptem ſacramenta. Nam v. g. lotio pedum, quam Chriſtus Jo. c. 13. inſtituit, eſt etiam ſacramentum. *R.* neg. objectionem. *Ad prob.* nego lotionem pedum eſſe ſacramentum propriè dictum: nam ad ſacramentum propriè dictum duo requiruntur, inſtitutio ſeu præceptum ritum aliquem frequentandi, & promiſſio gratiæ juſtificantis ritus illius frequentationi annexa, quod utrumque facilè concedunt ipſimet novatores. Atqui neutrum habemus in lotione pedum. Ergo, &c.

Prob. min. quoad utramque partem. Nam 1. non habemus præceptum frequentandi lotionem pedum, ut evidenter probatur ex ſenſu Eccleſiæ, quæ nunquam tale præceptum agnovit: nunquam enim ritus lotionis pedum receptus fuit in univerſa Eccleſia, & ita fuit olim uſurpatus ab aliquibus Eccleſiis particularibus poſt baptiſmum adultorum, putà ab Eccleſia Mediolanenſi, ut nunquam fuerit ab Eccleſia Romana, omnium aliarum Eccleſiarum matre & magiſtra, quam etiam ab initio inſtitutionem aliquam Chriſti aut ignoraſſe, aut cognitam contempſiſſe, nemo orthodoxus, aut etiam heterodoxus dixerit.

At inquies. Chriſtus lotionem pedum, ut ritum ſacrum à Chriſtianis frequentandum inſtituit Jo. c. 13. cùm poſtquam pedes diſcipulorum lavit, ſic eos allocutus eſt: *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & magiſter; & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* *R.* neg. Chriſtus itaque verbis illis non externam & materialem pedum lotionem præcepit, ſed humilitatem & charitatem erga proximum, quarum virtutum prorſus ſingulare exemplum dare intenderat, & dederat lavando pedes diſcipulorum. Hunc locum ſic interpretatur S. Chryſoſtomus hom. 70. in cap. 13. Joan. & ſic intelligendum eſſe patet ex ſenſu & praxi univerſæ Eccleſiæ, quæ lotionem pedum nunquam putavit à Chriſto fuiſſe ſpecialiter præceptam; quia nunquam putavit, nunquam illam frequentavit.

2. Non habemus promiſſionem gratiæ juſtificantis factam lotioni pedum. Talis enim promiſſio neque ex Scriptura, neque ex traditione oſtendi poteſt. *At inquies.* Chriſtus lotioni pedum gratiam juſtificantem promiſit, cùm Petro dicenti Jo. 13. *Non lavabis mihi pedes in æternum*, reſpondit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* *R.* neg. Nam hæc Chriſti verba, *Si non lavero te, &c.* non aliud exprimunt, quàm comminationem gravis alicujus pœnæ ob inobedientiam infligendæ Petro, niſi patiatur ſe à Domino lavari. Hunc locum ſic interpretatur S. Chryſoſtomus, hom. 69. in cap. 13. Joan. & cum eo Patres alii.

At inques. Quòd promiſſio gratiæ juſtificantis facta ſit lotioni, conſtat ex traditione, cujus teſtes ſunt S. Cyprianus in ſermone de lotione pedum, S. Ambroſius, lib. 3. de ſacramentis, c. 1. & S. Bernardus in ſermone 1. de cœna Domini. *R.* neg. Nulla enim eſt ejuſmodi traditio; quæ ſi eſſet, cum ea pugnaret perpetua praxis univerſalis Eccleſiæ, quod eſſe non poteſt. Præterea, pro tali traditione gratis allegantur Cyprianus, Ambroſius, & Bernardus. Nam

1. Sermo de ablutione pedum, qui hic citatur, extat quidem inter opera Cypriani, at illius non eſt, ſed alterius Authoris innominati, ut probat Bellarminus, in lib. de ſcript. eccl. in Cypriano. Præterea, hic Author aliud non intendit, quàm externam & materialem lotionem pedum, à Chriſto factam, ſignum fuiſſe ſpiritalis & internæ lotionis, quæ in nobis fieri debet per eundem Chriſtum, qui peccata venialia, in quæ labimur quotidie, quotidie in nobis eluit per varia pietatis opera, quæ exercemus, putà per orationem, jejunium, & exercitia humilitatis, vel charitatis erga proximum. Unde laudatus Author dicit Chriſtum exemplo ſuo, cum pedes lavit diſcipulis, non niſi ad humilitatem & charitatem erga proximum exercendam inducere; nec niſi opera hujuſmodi mandato ſuo, cùm ait, *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, præcipere voluiſſe.

2. Eadem planè mens eſt S. Bernardi in ſerm. 1. de cœna Domini, in quo vult Chriſtum pedes diſcipulorum laviſſe, non ſolùm ut humilitatis & charitatis erga proximum exercendæ exemplum nobis præberet, ſed etiam ut hæc pedum lotio ſignum nobis eſſet remiſſionis venialium per Chriſtum & à Chriſto obtinendæ, hoc eſt, ut ex hac pedum lotione intelligeremus, levium illarum culparum, in quas frequenter labimur, *quæ non ſunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non poſſumus ante mortem*, & tamen *impoſſibile eſt cum eis ſalvari*, levium, inquam, culparum illarum remiſſionem per Chriſtum & à Chriſto obtineri poſſe, & ſine ipſo nullatenùs poſſe.

3. S. Ambroſius loco citato de lotione pedum baptizati, quæ fiebat ab Epiſcopo, non loquitur tanquam de ſacramento propriè dicto: nam ibidem teſtatur Eccleſiam Romanam hanc conſuetudinem non habere, ut pedes baptizatorum lavet, & profitetur ſe non idcircò illam reprehendere; quod tamen facere debuiſſet, & proculdubio feciſſet, ſi ſiviſſet ab ea ſacramentum propriè dictum negligi. Loquitur ergo de illa pedum lotione, ut quadam cæremonia ſacra,

quam

Digitized by Google

quam Eccleſia Mediolanenſis, exemplum Chriſti ſecuta, piè uſurpabat; nec aliter ei vim ſanctificandi attribuit, cum ait: *Ideò lavas pedes, ut in ea parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea te ſupplantare non poſſit*: quàm communiter attribuitur aliquibus, quæ ſacramentalia dicuntur, imò & à Patribus appellantur quandoque ſacramenta, ſacramenti voce largo modo ſumpta; qualia ſunt aqua benedicta, ſignum crucis, cœremoniæ quæ fiunt ante baptiſmum, & panis quidam benedictus, qui dabatur cathecumenis.

ARTICULUS II.

Quis inſtituerit Sacramenta novæ Legis.

Responsio I.

CHriſtus per ſe immediatè omnia Sacramenta novæ Legis inſtituit.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Apoſtolus 1. Cor. cap. 4. ſic ait: *Nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; ubi nomine myſteriorum intelligit potiſſimum ſacramenta novæ legis & manifeſtè loquitur de omnibus Apoſtolis. Ergo Apoſtoli non inſtitutores, ſed ſolùm miniſtri & diſpenſatores fuerunt ſacramentorum novæ legis jam inſtitutorum à Chriſto: à quo enim alio inſtituta fuiſſent. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Patribus, Ambroſio ſcilicet & Auguſtino, quorum primus ſic loquitur lib. 4. de ſacram. c. 4. *Auctor ſacramentorum quis eſt, niſi Dominus* JESUS? Alter verò epiſt. 118. de eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto dicit: *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatu facillimis, dignitate præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit.*

Prob. 3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacram. in genere: *Si quis dixerit ſacramenta novæ legis non eſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.* Quibus verbis definitur ſacramenta novæ legis omnia à Chriſto immediatè inſtituta fuiſſe, & non mediatè tantùm: aliquin canon hic fruſtra omninò & nugatoriè editus eſt, & neminem petit, aut petere poteſt: cùm nullus unquam, qui ſacramenta aliqua agnoſceret in nova lege, dubitarit, aut etiam dubitare potuerit ea fuiſſe ſaltem mediatè à Chriſto inſtituta.

Prob. 4. Ratione, ex verbis Auguſtini ſupra laudatis petita. Sacramenta omnia novæ legis ſunt dignitate præſtantiſſima: at prærogativam hanc habere non poſſunt, niſi à ſumma dignitate inſtitutoris: nam v. g. Baptiſmus, Confirmatio, & Extrema unctio unde tantam, quantam illis Auguſtinus attribuit, excellentiam habere poſſent, ſi non ab Homine Deo, ſed à puro aliquo homine fuiſſent inſtituta? Ergo, &c. Præterea, ſacramenta ſunt fundamenta Eccleſiæ. Ergo inſtituta fuerunt ab eo, qui Eccleſiam fundavit. Atqui Chriſtus per ſe immediatè fundavit Eccleſiam. Ergo per ſe quoque immediatè ſacramenta inſtituit.

Obj. Auctorem ſermonis de ablutione pedum, apud Cyprianum. *Ipſe*, inquit, *ſummus Sacerdos eſt ſui ſacramenti inſtitutor & auctor, in cæteris homines Spiritum ſanctum habuere doctorem.* Quibus verbis conſonare videtur S. Auguſtinus lib. 3. de doctr. chriſt. c. 9. ubi ait: *Quædam pauca* (novæ legis ſacramenta) *pro multis* (ſacramentis legis veteris (*ipſe Dominus & Apoſtolica tradit diſciplina.*

R. Laudatum Auctorem per ea, cæteris, non intelligere alia ſacramenta, ſed cœremonias, quibuſcum conficitur & adminiſtratur ſacramentum Domini, ut ſummus Sacerdos eſt, hoc eſt, Euchariſtiæ. Quas cœremonias non ipſe Dominus, ſed Apoſtoli, à Spiritu ſancto edocti, inſtituerunt: alioquin dicendus eſſet Auctor ille in ea fuiſſe ſententia, quòd Chriſtus per ſe immediatè inſtituerit ſolam Euchariſtiam, quod evidenter hæreticum eſt; cùm de fide ſit Baptiſmum v. g. à Chriſto immediatè inſtitutum fuiſſe. Verborum verò Auguſtini ſenſus hic eſt: Pauca pro multis ipſe Dominus inſtituit, & à Domino inſtituta promulgarunt, & Eccleſiæ tradiderunt Apoſtoli.

Obj. iterùm. Extrema unctio inſtituta fuit non à Chriſto, ſed à Jacobo Apoſtolo cap. 5. epiſtolæ canonicæ, his verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* *R.* neg. Nam hæc Jacobi verba non inſtitutionem Extremæ-unctionis, ſed ejus promulgationem continent, ut definitur à Concil. Trident. ſeſſ. 14. canon. 1. de ſacramento Extremæ-unctionis.

Obj. 3. Cùm Alenſi Confirmationem non à Chriſto, aut etiam Apoſtolis, ſed ab Eccleſia in Concilio Meldenſi inſtitutam fuiſſe. *R.* Alenſem hic graviter & turpiter lapſum eſſe: Concilium enim Meldenſe fuit tantùm concilium particulare, & nono ſæculo celebratum. Quòd autem Eccleſia ſacramentum in concilio particulari inſtituere tentarit, prorſus incredibile eſt; & quòd ſacramentum Confirmationis ante ſæculum nonum non extiterit, evidenter falſum: cùm priorem Eccleſiæ ſæculorum ſcriptores Eccleſiaſtici hujus ſacramenti meminerint. Denique, ex Concilio illo Meldenſi, quod citat Alenſis, canon unicus ſupereſt apud Gratianum de conſecr. diſt. 5. & in eo non aliud ſtatuitur, quàm *ut Epiſcopi non niſi jejunii, per impoſitionem manuum Spiritum ſanctum tradant*, (hoc eſt, Sacramentum Confirmationis adminiſtrent.)

Responsio II.

Chriſtus, ut homo, adeòque humana ſua voluntate, ſacramenta inſtituit.

Prob. 1. Chriſtus ut homo, eſt mediator Dei & hominum. Ergo ut homo inſtituit inſtrumenta moralia, quibus merita ſua hominibus communicare, eoſque Deo reconciliare volebat. Inſtrumenta autem illa ſunt ſacramenta ab eo inſtituta. 2. Chriſtus, ut homo, inſtituit Eccleſiam ſuam. Ergo ut homo inſtituit formam Eccleſiæ ſuæ. Hæc autem forma conſiſtit ex parte in ſacramentis à Chriſto inſtitutis; ſicut ex parte in uno ſacrificio, & unius fidei profeſſione conſiſtit. Eccleſia enim eſt hominum ſocietas, colligata per profeſſionem unius fidei, & unius ſacrificii, ac eorundem ſacramentorum participationem, ſub regimine legitimorum paſtorum.

Quæres 1. Qua authoritate Chriſtus ſacramenta ſua inſtituerit?

Reſp. Chriſtum ſacramenta non inſtituiſſe authoritate ſuprema & independente. Ratio eſt, quia, ut probatum eſt, Chriſtus non ut Deus, ſed ut homo, ſacramenta inſtituit. At Chriſtus ut homo non habuit ſupremam & independentem authoritatem. Talis enim authoritas competit ſoli Deo, adeòque illam Chriſtus non habuit, niſi ut Deus. Chriſtus igitur ſacramenta inſtituit, ut habens auctoritatem excellentiæ, hoc eſt, ut miniſter principalis & excellens, ſolique Deo ſubordinatus.

Quæres 2. Utrùm Chriſtus ut Deus, concurrerit ad inſtitutionem ſacramentorum, quæ inſtituit ut homo?

Reſp. Chriſtus quà Deus, ad ſacramentorum illorum inſtitutionem concurrit non ſolùm ut cauſa prima & univerſalis, quo modo concurrit ad omnes effectus creatos, ſed etiam ut liberè, & ſupra omnem naturalem exigentiam diſponens dare gratiam infallibiliter per ſigna illa, quæ quà homo inſtituebat, ut ſignificativa & operativa gratiæ.

Ratio eſt, quia ſacramenta, quæ Chriſtus inſtituit, ſunt ſigna gratiæ efficacia, non ſolùm in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo, hoc eſt, ſigna non ſolùm apta ad movendum Deum infallibiliter, ſed etiam re ipſa Deum infallibiliter moventia & determinantia ad dandam gratiam iis, qui illa ritè ſuſcipiunt. Atqui ad hoc, præter perſonæ inſtituentis dignitatem, neceſſaria fuit libera Dei ordinatio dandi gratiam infallibiliter per ſigna ad id inſtituta, cùm enim Deus ſit cauſa principalis, ſpecialis & liberrima gratiæ, non poteſt ad eam dandam moveri infallibiliter per

aliqua ſigna, niſi ipſe velit, & liberè ordinarit ſic moveri infallibiliter. Ergo, &c.

ARTICULUS III.

Quid intelligatur nomine Sacramenti novæ Legis.

RESPONSIO.

SAcramentum novæ Legis bene definitur: Signum ſenſibile, ſacrum, permanens, à Chriſto inſtitutum, ſignificans gratiam; & gratiam, quam ſignificat, efficiens infallibiliter, & ex opere operato.

Prob. Illa definitio eſt bona, quæ datur per id quod eſt primum, & convenit omni ſoli rei definitæ. Atqui talis eſt hæc definitio. Nam 1. datur per id quod eſt primum in re definita: non enim aſſignari poteſt aliquid aliud prius, per quod ſacramentum novæ Legis in ſuo *eſſe* conſtituatur. 2. Convenit omni & ſoli ſacramento novæ legis: nullum enim aſſignari poteſt, cui non conveniat, & præter illa ſeptem ſacramenta, à nobis ſuperiùs enumerata, nihil eſt cui conveniat.

Addo definitionem hanc non ſolùm bonam eſſe, ſed etiam perfectiſſimam; quia nihil in ea redundat, & nihil in ea eſt, quod neceſſarium non ſit ad plenum & integrum conceptum ſacramenti novæ legis, atque ad illud diſtinguendum ab omni alio, quod non eſt novæ legis ſacramentum.

Novæ igitur legis Sacramentum omne eſt, 1. ſignum, ex inſtituto ſcilicet. Pro quo,

Nota. Signum duplex eſt: naturale & voluntarium. Naturale dicitur illud, quod ex natura ſua aliquid ſignificat, ut fumus ignem: voluntarium eſt illud, quod non ex natura ſua, ſed ex hominum arbitrio & impoſitione libera ſignificat aliquid, ut hedera penſilis, vinum vendibile. Sacramenta autem novæ legis hoc ſecundo modo ſigna ſunt. Pro quo

Nota iterum. Sacramenta omnia novæ legis analogiam aliquam habent cum re quam ſignificant: unde ad illam ſignificandam ex ſe apta ſunt; adeòque ad illam ſignificandam à Chriſto ſapienter inſtituta fuerunt: illam tamen re ipſa non ſignificant, niſi quia ad id à Chriſto fuerunt re ipſa inſtituta. Sic v.g. in Baptiſmo externa lotio corporis, propter aliqualem ſimilitudinem quam habet cum interna lotione animæ, quæ in ejus ſanctificatione conſiſtit, ex ſe quidem apta eſt ad hanc internam & ſpiritalem animæ lotionem ſignificandam, & ad eam ſignificandam propter aptitudinem illam præ omni alia actione externa aſſumi potuit: at eam re ipſa non ſignificat, niſi quia ad eam ſignificandam à Chriſto re ipſa aſſumpta & inſtituta eſt. Unde qui hanc Chriſti inſtitutionem ignorat, per externam corporis lotionem deduci non poteſt in notitiam internæ lotionis animæ ejuſque ſanctificationis, quæ fit in Baptiſmo. Idem prorſus dicendum de his verbis: *Ego te baptizo, &c.* in quibus forma baptiſmi poſita eſt: ſuppoſita enim primaria eorum inſtitutione ab hominibus facta, aptitudinem habent ad ſignificandam eandem illam ſpiritalem animæ lotionem, quam tamen non ſignificarent, niſi acceſſiſſet inſtitutio Chriſti, & Chriſtus illa ad eam ſignificandam in Eccleſia uſurpari voluiſſet.

2. Signum ſenſibile, hoc eſt, *ſenſu* aliquo perceptibile. Oportuit autem ſacramenta novæ legis eſſe ſigna ſenſibilia, tum ut eſſent accommodata conditioni hominum, qui per res ſenſibiles ad rerum inſenſibilium & ſpiritalium cognitionem commodiùs deducuntur, tum quia inter cæremonias, ex quibus religio coaleſcit, præcipuæ ſunt ita ut religio viſibilis eſſet, ea imprimis viſibilis eſſe oportuit: religio enim viſibilis non niſi cæremoniis viſibilibus coaleſcere poteſt. Hoc totum breviter complectitur S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum c. 11. his verbis. *In nullum nomen religionis, ſive verum ſive falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

3. Signum ſacrum, & quidem multiplici ex titulo: nam ſacramenta novæ legis ſunt cæremoniæ, vel res ſacræ, tum ex parte ſua, quatenùs ad cultum Dei pertinent; tum ex parte inſtitutoris, nempe Chriſti, qui ſanctiſſimus eſt; tum ex parte rei, quam ſignificant, & efficiunt, nempe gratiæ ſanctificantis.

4. Signum permanens, hoc eſt, ſignum perpetua & invariabili lege inſtitutum: ita ut vi ſuæ inſtitutionis abſque ulla ſua mutatione ſubſtantiali, uſque ad finem mundi in Eccleſia uſurpandum ſit. Ratio autem eſt, 1. quia ſacramenta ſunt fundamenta Eccleſiæ, quæ uſque ad finem mundi duratura eſt. Tandiu autem fundamentum durare neceſſe eſt, quandiu durat ædificium; cùm ædificium ſtare non poſſit ſine fundamento. 2. Quia ſacramenta ſunt præcipuæ cæremoniæ religionis chriſtianæ, adeòque ſine illis religio chriſtiana eſſe non poteſt. Ergo tandiu duratura ſunt, quandiu duratura eſt religio chriſtiana, quæ eadem omninò, quantùm ad ſubſtantiam durabit uſque ad finem mundi.

5. Signum à Chriſto inſtitutum, immediatè ſcilicet, ut Articulo ſuperiore probatum eſt.

6. Signum, non quidem ex natura ſua, ut jam oſtenſum eſt, ſed ex Chriſti inſtitutione ſignificans gratiam ſanctificantem. Patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 6. de Sacram. in gen. Porrò præter gratiam ſanctificantem, quam principaliter & explicitè ſignificant ſacramenta novæ legis, ſignificant etiam cauſam & finem, ſeu effectum illius, nempe paſſionem Chriſti & vitam æternam; ut docet S. Thomas 3. p. q. 60. a. 3. in O. *Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad ſignificandam noſtram ſanctificationem, in qua tria poſſunt conſiderari, videlicet ipſa cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſſio Chriſti; & forma noſtræ ſanctificationis, quæ conſiſtit in gratia & virtutibus; & ultimus finis ſanctificationis noſtræ, quæ eſt vita æterna. Et hæc omnia per ſacramenta ſignificantur* (ſupple, principaliter quidem & explicitè gratia ſanctificans, minùs verò principaliter & implicitè reliqua duo: nam ſacramenta novæ legis illud ſolùm principaliter & explicitè ſignificant, quod proximè efficiunt: ſolam autem gratiam ſanctificantem proximè efficiunt. Quare, ut ibidem dicit S. Doctor, demonſtrant gratiam, quam in nobis efficiunt, & eam demonſtrando, cauſam ejus meritoriam, quæ præceſſit, nempe paſſionem Chriſti, rememorant; & futuram gloriam, cujus gratia ſemen eſt, prænunciant. Unde indirectè tantùm ac connotativè, & paſſionem Chriſti, & futuram gloriam ſignificant.

7. Signum efficiens gratiam, quam ſignificat, adeòque ſignum gratiæ ſanctificantis non merè ſpeculativum, ſed verè practicum, ut ſuo loco probabitur. Unde ſacramenta novæ legis ſunt veræ cauſæ inſtrumentales morales gratiæ ſanctificantis, non quia per ſe immediatè producunt illam (nam cauſa moralis effectum attingit, non per ſe immediatè, ſed per cauſam phyſicam, quam ad producendum effectum movet & applicat,) ſed quia per ſe immediatè cauſam phyſicam, nempe Deum movent & applicant ad illam producendam, & animæ infundendam propter merita Chriſti, quo pacto veram cauſalitatem exercent in gratiam, quæ in illorum ſuſceptione propter merita Chriſti funditur à Deo, & ſunt illius veræ cauſæ, etiam immediatæ in ſua linea.

8. Signum efficiens gratiam infallibiliter, ſupple, quantùm eſt ex parte ſua; ita ut vi ſacramenti ſemper conferatur gratia ſuſcipienti ſacramentum, niſi ipſe obicem ponat collationi gratiæ; & ex opere operato, hoc eſt abſque eo quòd ad effectum ſacramenti præter ipſum ſacramentum requiratur, ſive ex parte miniſtri, ſive ex parte ſuſcipientis, actus aliquis gratiæ meritorius etiam de congruo tantùm; ita ut intuitu talis cæremoniæ ſecundùm inſtitutionem Chriſti uſurpatæ, independenter ab omni actu meritorio quà tali, gratia conferatur.

Porrò ſacramenta novæ legis, præter gratiam ſanctificantem, alia quædam efficiunt. Nam 1. Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo characterem ſeu ſignum quoddam ſpiritale & indelebile imprimunt in anima.

2. Om-

Digitized by Google

2. Omnia dant jus ad auxilia actualia fini ſuo opportuna, & opportuno tempore infallibiliter conferenda, niſi ponatur obex ab eo qui ſacramentum ſuſcepit. Qua ratione Baptiſmus ad vitam chriſtianè agendam, Confirmatio ad fidem fortiter profitendam, Pœnitentia ad vitanda peccata, Euchariſtia ad nutriendam & augendam charitatem, Extrema unctio ad luctandum & contra hoſtem ſalutis in extremo vitæ articulo, eumque faciliùs vincendum. Ordo denique ad clerici & Matrimonium ad conjugati ſtatum decenter exercendum valent.

3. Aliqua dant aliquod eſſe vel poſſe morale. Sic Baptiſmus dat eſſe chriſtiani, ſubditi Eccleſiæ, & capacis aliorum ſacramentorum. Ordo ſacerdotalis dat poteſtatem convertendi panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti. Item dat poteſtatem remittendi peccata baptizatis, in quos habetur juriſdictio. Ordo denique epiſcopalis dat poteſtatem ordinandi & confirmandi, qua poteſtate carent ſimplices ſacerdotes. Sed ea dictis hactenùs

Argue 1. Tonſuram clericorum benedictionem Abbatum, unctionem Regum, & Summorum Pontificum unctionem chriſmatis in vertice baptizatorum, & applicationem ſalis & ſalivæ linguæ & auribus eorumdem, non eſſe ſacramenta. Ratio eſt, quia has cœremonias non Chriſtus, ſed Eccleſia ſine ſpeciali Chriſti commiſſione inſtituit. Præterea, gratiam non ſignificant, & multò minùs eam ex opere operato efficiunt.

Argue 2. Sacrificium Miſſæ quà tale, non eſſe ſacramentum. Ratio eſt, quia quà tale non eſt ſignum à Chriſto inſtitutum ad ſignificandam & efficiendam gratiam ſanctificantem. Dixi, quà tale. Pro quo,

Nota. Euchariſtia eſt ſimul ſacrificium & ſacramentum ſub diverſo reſpectu. Eſt ſacrificium, quatenùs continet Chriſtum, ſub ſpeciebus panis & vini modo mortuo poſitum, & morali quadam corruptione deſtructum, ad proteſtationem ſupremæ Dei excellentiæ: hic enim ſacrificii proprius finis eſt. Eſt ſacramentum, quatenùs eſt convivium ſacrum ex inſtitutione Chriſti ſignificans, & infallibiliter, quantùm eſt ex parte ſua, efficiens ex opere operato gratiam ſanctificantem per modum ſpiritualis nutritionis & augmentationis. Unde conſecratio ſub diverſo reſpectu ſimul eſt actio ſacrificandi, & conficiendi ſacramentum. Eſt actio ſacrificandi quatenùs per illam Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus panis & vini modo mortuo, & in ſtatu moralis cujuſdam corruptionis, ſicque moraliter deſtruitur ad proteſtandam ſupremam Dei excellentiam, ſupremumque illius in res omnes dominium. Eſt actio conficiendi ſacramentum, quatenùs per illam corpus & ſanguis Chriſti ponuntur ſub ſpeciebus panis & vini per modum ſpiritualis convivii ab ipſo Chriſto inſtituti, ad ſpiritualem animarum refectionem quam ſignificet, &c. Hinc

Argue 3. Conſecrationem illam non eſſe ſacramentum; cùm ſit actio, quà ſacramentum fit. Hæc igitur actio ad aliud per ſe immediatè non valet, quàm ad ponendum corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini; neque illi immediatè, ſed corpori & ſanguini Chriſti poſitis ſub ſpeciebus pani & vini, promiſſio gratiæ alligata eſt: unde non illi, ſed corpori & ſanguini Chriſti per illam poſitis ſub ſpeciebus panis & vini, & vis ineſt per ſe immediatè movendi Deum ad dandam gratiam. Idem dic à fortiori de conſecratione chriſmatis, ſeu de cœremonia illa, qua miſcetur balſamum oleo, & ab Epiſcopo benedicitur: eſt enim tantùm actio, quà fit materia ſacramenti, Confirmationis ſcilicet; nec eſt ſignum, cui immediatè adnexa ſit promiſſio gratiæ; unde nec Deum ad dandam gratiam per ſe immediatè movere poteſt.

Argue 4. Aquam luſtralem, & alia ejuſmodi ſacramentalia, quæ communiter dicuntur valere ad remiſſionem peccatorum venialium, non eſſe ſacramenta novæ legis. Nam 1. Chriſtus ſacramentalia illa non inſtituit. 2. Non ſunt ſigna gratiæ, ſine qua nulla peccata remittuntur in hac vita, nec illam efficiunt ex opere operato, ſed ſolùm ad illius infuſionem conferunt impetrativè, quatenùs per Eccleſiæ ſuffragia, quæ nobis applicant, impetrant nobis internas motiones, quibus excitamur ad actus ſalutares & meritorios gratiæ, quos gratiæ infuſio, & remiſſio venialium ex opere operantis conſequitur.

Argue denique 5. Martyrium non eſſe ſacramentum novæ legis, quantùmvis ſupponatur conferre gratiam ex opere operato, quod tamen non facit propriè loquendo. Nam ſaltem non operatur gratiam per modum cauſæ inſtrumentalis, à Chriſto inſtitutæ, & ab ejus miniſtro applicatæ ad gratiam in ſubjecto cui applicatur, efficiendam in virtute cauſæ principalis, tum meritoriæ nempe, ipſius Chriſti, tum phyſicæ, nempe Dei: non enim aliter gratiam operatur martyrium, quam per modum objecti moventis Deum ad dandam vitam æternam ei, qui temporalem pro illo amiſit. At omne ſacramentum novæ legis eſt cauſa inſtrumentalis, à Chriſto inſtituta ea intentione per illam efficiendi gratiam virtute cauſæ principalis, &c. Quòd Concilium Tridentinum expreſsè aſſerit de baptiſmo ſeſſ. 6. c. 7. in quo ſanè baptiſmus non differt à reliquis ſacramentis.

ARTICULUS IV.

De ordine & dignitate Sacramentorum novæ Legis.

Responsio I.

SAcramenta novæ Legis enumerantur hoc ordine: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium.

Patet ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Quinto*, & ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacram. in genere. Ratio autem ſic enumerandi eſt, quia convenienter enumerantur, primò quæ ad ſingulos homines, deinde ea, quæ ad totam communitatem pertinent. Quinque autem pertinent ad ſingulos homines, in quibus enumerandi ſervatur ordo temporis, qui ſervatur, cum baptizantur, vel ſaltem qui olim ſervabatur, cùm baptizabantur adulti; eis enim dabatur primò Baptiſmus, ſecundò Confirmatio, tertiò Euchariſtia, quartò Pœnitentia, ſi contingebat eos poſtea peccare, & regenerationis gratiam peccando amittere; quintò denique Extrema-unctio, cùm inſtabat vitæ terminus.

Præter iſta autem quinque ſacramenta, quæ omnibus communia ſunt, ſuperſunt alia duo, quæ non conveniunt omnibus, nempe Ordo, & Matrimonium, in quibus enumerandis non habetur ratio temporis, quia non niſi per accidens in eodem ſubjecto conjunguntur ſed ſolùm habetur ratio excellentiæ. Unde Ordo ante Matrimonium enumeratur, quia excellentior eſt.

Responsio II.

Septem novæ legis Sacramenta non ſunt æqualis inter ſe dignitatis.

Eſt de fide, & contra Lutherum à Concilio Tridentino definitum ſeſſ. 7. can. 3. de ſacram. in gen. ubi dicitur. *Si quis dixerit, hæc ſeptem ſacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.* Probatur autem inductione. Nam 1. Baptiſmus aliis omnibus præſtat, tum ratione neceſſitatis, cùm ſit omnium maximè neceſſarium, tum ratione virtutis remittendi peccata, cùm vim habeat remittendi originale, & actualia omnia, ante ſuſceptionem ejus commiſſa, omnemque pœnam illis debitam, quod nullum aliud ſacramentum facit. 2. Confirmatio præſtat Baptiſmo quoad vim producendi gratiam, nam in Confirmatione datur plenitudo Spiritus ſancti, & ita in Confirmatione copioſior infunditur gratia, quàm in Baptiſmo, qui per Confirmationem aliquo modo perficitur & conſummatur.

3. Pœnitentia reliquis præſtat ratione neceſſitatis, excepto Baptiſmo: Baptiſmus enim abſolutè neceſſarius

rius eſt: Pœnitentia verò neceſſaria non eſt, niſi ex hypotheſi mortalium poſt Baptiſmi ſuſceptionem admiſſorum. 4. Extrema-unctio præſtat Pœnitentiæ, quatenùs per copioſiorem gratiam tollit non ſolùm peccata, ſi adſunt, ſed etiam reliquias peccatorum. 5. Ordo ratione miniſtri, præſtat aliis omnibus, excepta Confirmatione. Nam Ordo & Confirmatio à ſolo Epiſcopo poſſunt adminiſtrari. 6. Matrimonium præſtat aliis, ratione ſignificationis; nam ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia. 7. Denique ſacramentum Euchariſtiæ reliquis omnibus, quoad ipſam ſubſtantiam, adeòque ſimpliciter excellit. Nam eſt ipſemet Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini; cùm reliqua ſacramenta ſint tantùm, moraliter ſcilicet, actiones Chriſti. Vide S. Thomam hic q.65. art.3. in O.

Quæres, utrùm omnia ſacramenta neceſſaria ſint ad ſalutem?

R. 1. Sacramenta omnia, licèt non ſingulis, neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti, ut ſuis locis probabitur. 2. Baptiſmus & Pœnitentia neceſſaria ſunt neceſſitate medii, Baptiſmus quidem omnibus, Pœnitentia verò iis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccant. 3. Ordo neceſſarius eſt neceſſitate medii, non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ in univerſum: niſi enim Eccleſia haberet principes, à quibus regeretur, ſubſiſtere non poſſet, juxta illud Proverb. c.11. *Ubi non eſt gubernator, populus corruit.* Præterea, Pœnitentia, quæ mortaliter lapſis poſt Baptiſmum neceſſaria eſt neceſſitate medii, adminiſtrari non poteſt niſi ab ordinatis. 4. Euchariſtia, Confirmatio, & Extrema-unctio ſingulis neceſſaria ſunt, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, hoc eſt, non ad eſſe ſimpliciter, ſed ad bene eſſe, ſicut rheda v. gr. neceſſaria eſt ad iter conficiendum. 5. Similiter ad bene eſſe, non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ in univerſum Matrimonium neceſſarium eſt: nam, ut dicit S. Thomas hic quæſt.65. art.4. in O. *Matrimonium Eccleſia multitudinem per propagationem conſervat.*

ARTICULUS V.

Utrùm fuerint aliqua Sacramenta in lege naturæ & Moſaica.

RESPONSIO I.

IN lege naturæ fuerunt aliqua Sacramenta.

Prob. 1. Data eſt Abrahamo in lege naturæ Circumciſio. Atqui Circumciſio fuit ſacramentum. Ergo, &c. *Prob. min.* ex S. Auguſtino, lib.3. contra Julianum, cap.18. ubi his eum urget verbis: *Ad hoc reſponde, ſi potes, cur ipſe Iſaac, niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus die octavo fuiſſet, periſſet anima ejus de populo ſuo. Explica, ſi potes, tanta pœna quo merito plecteretur, niſi ab hac illo ſacramento liberaretur.* Ecce apertè aſſerit S. Doctor circumciſionem fuiſſe ſacramentum, & rationem reddit, dicendo eam fuiſſe ſignum baptiſmatis Chriſti, hoc eſt, ſignum gratiæ per baptiſmum Chriſti conferendæ. Auguſtino conſonat Gregorius Magnus, lib. 4. moral. cap.3. ubi videtur baptiſmo noſtro æquiparare circumciſionem, eique attribuere vim, olim eos, qui ex ſtirpe Abrahæ circumcidebantur, ab originali peccato liberandi per collationem gratiæ juſtificantis. Idem planè videtur ſentire Innocentius III. extra de bapt. cap. *Majores* §. 1.

2. In lege naturæ ante circumciſionem ab Adamo uſque ad Abrahamum fuit aliud ſacramentum, à Deo inſtitutum pro parvulis à peccato originali liberandis. Ita ſenſit Auctor cardinalium operum Chriſti ſerm. de circumciſione, in quo ſic loquitur: *Sanè originale peccatum, quod à primis Patribus in totam generis hujus ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licèt vim plenam ſignificantia non habuerint, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine.* Cùm autem generaliter dicit, omni tempore peccatum originale aliquibus remediis expiari debuiſſe, manifeſtè hoc tam pro parvulis dicit, quàm pro adultis; quod etiam evidenter probat contextus. Et cùm ait remedia illa in lege naturæ & Moſaica non habuiſſe vim plenam ſignificare, hoc eſt, non tam perfectè Chriſtum & ejus gratiam ſignificaſſe, quàm ſignificant noſtra ſacramenta, apertè ſupponit ea fuiſſe ſigna externa, adeòque cœremonias aliquas externas, quas ſolus Deus, cùm ſolus poſſit condonare peccata, inſtituere potuit, & inſtituiſſe dicendus eſt ſaltem in genere, ad ſignificandum Chriſtum venturum, & gratiam propter ejus merita futura dandam; quibuſque proinde nihil defuit ad rationem ſacramenti, quale conveniens fuit exiſtere temporibus illis ante Chriſti adventum.

Auctori operum cardinalium planè conſentit S. Auguſt. lib.5. contra Julianum, c.9. *Nec ideò tamen*, inquit, *credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quamvis quid illud eſſet aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit.* Juxta S. Doctorem igitur, in lege naturæ ſacramentum aliquod extitit, quo parvulis originali infectis ſubveniebatur, & quod, ut apertè innuit S. Doctor, erat cœremonia aliqua ſacra, qua parentes fideles exteriùs profitebantur fidem, quam habebant, mediatoris in carne venturi, & qua ſignificabant gratiam etiam præſentem, parvulis intuitu meritorum hujuſce Mediatoris futurorum dandam.

Porrò cùm dicit S. Auguſtinus, quid illud eſſet ſacramentum, quo famuli Dei parvulis opitulabantur in lege naturæ, Scripturam divinam latere voluiſſe, manifeſtè ſupponit ſacramentum illud fuiſſe ritum aliquem ſacrum, à Deo inſtitutum & determinatum in ſpecie; cui ſuppoſitioni contradicit S. Thomas hic q. 61. art.3. ubi in O. Concedit quidem fuiſſe ſacramenta in lege naturæ. *Oportebat*, inquit, *ante Chriſti adventum eſſe quædam ſigna viſibilia, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur de futuro Salvatoris adventu: & hujuſmodi ſigna dicuntur ſacramenta.* Sed in reſp. ad 2. negat ſigna illa viſibilia, ſeu ſacramenta, in lege naturæ fuiſſe à Deo determinata in ſpecie. *Neceſſe fuit*, inquit, *quod in veteri lege quædam ſacramenta fidei, quam habebant de Chriſto venturo, determinarentur. Quæ quidem comparantur ad ſacramenta, quæ fuerunt ante legem* (veterem,) *ſicut determinatum ad indeterminatum: quia ſcilicet ante legem* (veterem) *non fuit determinatè præfixum homini, quibus ſacramentis uteretur ſicut fuit per legem* (veterem.)

3. Sacrificium Melchiſedecis in pane & vino fuit ſacrificium. Hoc dicit S. Thomas hic qu. 6. art. 3. ad 3. Nec dic, ſi fuit ſacrificium, non fuiſſe ſacramentum: utrumque enim eſſe potuit, & fuit ſub diverſo reſpectu. Fuit ſacrificium quatenùs in eo panis & vinum cum aliqua ſui immutatione offerebantur Deo, ad proteſtandum ſupremum ejus in res omnes creatas dominium. Fuit ſacramentum, quatenùs per illud præfigurabatur Euchariſtia in lege gratiæ inſtituenda, adeòque præſignificabatur gratia per Euchariſtiam propter merita Chriſti conferenda in lege nova.

Obj. contra 2. *prob.* Potuit Deus abſque injuſtitia permittere damnatioenm omnium parvuloerum ante adultam ætatem in lege naturæ morientium. *R.* Potuit quidem abſolutè permittere: at quòd permiſerit, repugnat generali illi voluntati, quam habet ſalvandi omnes homines, ad quam voluntatem pertinent etiam omnes omnium temporum parvuli ante adultam ætatem morientes. Quo principio nixus Innocentius III. c. *Majores*, extra de bapt. ſic loquitur: *Abſit ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem.*

Dices. Deus in lege naturæ non providit remedium parvulis in utero materno morientibus. Ergo nec parvulis natis, morientibus ante adultam ætatem.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſeq. Nam in lege gratiæ Deus parvulis natis, ante adultam ætatem morientibus, providit remedium ſalutis; quamvis nullum hujuſmodi remedium providerit iis qui moriuntur in utero materno.

Porrò cùm dicimus Deum parvulis in utero materno morientibus, nec in lege naturæ, nec etiam in lege evangelica providiſſe remedium ſalutis, loquimur de remedio, quo parvuli in utero materno juſtificari potuerint, vel poſſint ante mortem. Deus enim dicendus eſt, in omni lege, ex ſincera omnium omninò parvulorum ſalutis voluntate omnibus idem providiſſe remedium, quo, ſi eis applicaretur, liberari poſſent, & liberarentur ab originali peccato, ſed quod non niſi natis poſſet applicari; quæ conditio non repugnat ſincero deſiderio ſalvandi omnes. Quod enim aliqui, imò multi moriantur antequam ſint nati, hoc provenit vel ex culpa parentum, vel aliquorum aliorum, vel ex aliquo cauſarum ſecundarum non imputabili defectu, quem Deus etiam nolens perire aliquem, juſtiſſimè poteſt permittere.

Dices. In Scriptura non legitur Deum providiſſe remedium parvulis in lege naturæ. *Reſp.* 1. S. Auguſtinum lib. 5. contra Julian. cap. 9. hoc Scripturæ ſilentium agnoſcere, & eo non obſtante, ſacramentum pro parvulis in lege naturæ inſtitutum fuiſſe, poſitive aſſerere. *R.* 2. Non omnia ſcripta eſſe, & pauca de lege naturæ, præſertim quantùm ad ea quæ ad ordinem gratiæ pertinent, in Scripturis divinis referri: quare mirum videri non debet, quòd in eis nulla remedii, quo parvulis in illa lege ſubveniebatur, mentio fiat.

Dices. Saltem ſi quod fuit remedium pro parvulis in lege naturæ inſtitutum, aliud non fuit, quàm actus fidei à parentibus vel aliis parvulorum curam gerentibus elicitus. Ergo ſi quod fuit remedium pro parvulis in lege naturæ inſtitutum, ſaltem remedium illud non fuit ſacramentum; cùm omne ſacramentum ſit ſignum externum & ſenſibile. *Prob. ant.* ex Gregorio Magno lib. 4. mor. cap. 3. ubi ſic ait: *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium circumciſionis*. Ecce diſertis verbis aſſerit S. Doctor ſola fide parentum, vel aliorum, qui parvulorum curam gerebant, parvulos juſtificatos fuiſſe in lege naturæ, ſicut in lege veteri per circumciſionem juſtificabantur, & juſtificantur in lege gratiæ per baptiſmum.

Reſp. neg. ant. Et dico, remedium pro parvulis in lege naturæ inſtitutum, præter actum fidei à parentibus, vel aliis parvulorum curam gerentibus elicitum, complexum fuiſſe cæremoniam ſeu actionem externam religioſam, qua tunc modo hominibus accommodato, parvuli conſecrabantur Deo, & ejus cultui mancipabantur, quaque Eccleſiæ viſibili aggregabantur, & ejus membra fiebant viſibiliter: ſicut nunc in lege evangelica, cùm ab originali peccato liberantur, conſecrantur Deo, & aggregantur Eccleſiæ viſibili, non per aliquid merè internum & ſpiritale, ſed per aliquid externum & ſenſibile, nempe per baptiſmum: Item ſicut in lege veteri per aliquid externum & ſenſibile, nempe per circumciſionem, ſimul ab originali peccato liberati, conſecrati Deo, & ſynagogæ, quæ pars fuit Eccleſiæ viſibilis, aggregati fuerunt.

Ad prob. ant. Reſp. Gregorium, cùm ait ad parvulorum in lege naturæ ſanctificationem ſufficere fidem, parentum ſcil. vel aliorum qui parvulorum curam gerebant, nomine fidei non intelligere actum merè internum, ſed cum actu interno, quo credebatur puta Mediator in carne venturus, externam illius profeſſionem ſeu proteſtationem, factam per actionem aliquam ſenſibilem & religioſam, comprehendere. Unde non aliud vult, quàm præter fidem Mediatoris in carne venturi, ſigno aliquo externo proteſtatam, requiſitum nihil fuiſſe ad parvulorum in lege naturæ ſanctificationem, conſecrationem, & agregationem ad Eccleſiam Dei. Quòd enim voluerit parvulos in lege naturæ Deo conſecrari, & Eccleſiæ viſibilis membra fieri per aliquid ſpiritale & inſenſibile, credibile non eſt; cùm ibidem expreſsè agnoſcat, in majoribus ſeu adultis, in eadem lege ad utrumque effectum aliquid externum & ſenſibile, nempe ſacrificium, fuiſſe neceſſarium. Quòd ſi tamen aliter quàm nos, ſentiret Gregorius, opponeremus ei Auguſtinum loco proximè citato, & rationem: manifeſtum enim videtur, nonniſi modo viſibili, adeòque nonniſi per cæremoniam aliquam externam & religioſam, parvulos potuiſſe convenienter cultui divino mancipari, & Eccleſiæ, quæ ſemper viſibilis fuit, aggregari.

Ad conciliandas igitur ſententias, dicamus ſacramentum pro parvulis in lege naturæ inſtitutum, fuiſſe cæremoniam aliquam ſacram, qua parens parvuli exteriùs profitebatur internum fidei actum, quo credebat veritates à Deo revelatas, & imprimis Mediatorem in carne venturum, ſine cujus meritis, vel præſentibus, vel ſaltem futuris, nemo unquam juſtificationis gratiam conſequi potuit. Hæc autem cæremonia parvulo cui applicabatur, juſtificantem gratiam conferebat non ex opere operato, ſed ex opere operantis, hoc eſt, virtute fidei internæ, cujus erat proteſtatio, & quæ ſuppoſita inſtitutione & promiſſione divina, infallibiliter impetrabat, & de congruo merebatur gratiam parvulo.

Dices. Si remedium inſtitutum pro parvulis in lege naturæ, præter internam parentum fidem includebat cæremoniam aliquam ſenſibilem, hæc cæremonia vel fuit à Deo inſtituta in ſpecie, vel non. Neutrum dici poteſt. *Reſp.* Cæremoniam hanc potuiſſe dupliciter à Deo inſtitui. 1. In ſpecie, determinando in particulari cæremoniam, qua vellet parvulos juſtificandos ſibi offerri, & cultui ſuo dicari, ſimulque parentes exteriùs proteſtari fidem, qua parvulorum ſuorum ſanctificationem impetrarent. Ita autem ſenſiſſe S. Auguſtinum jam obſervavimus. 2. In genere tantùm, ſtatuendo parvulis gratiam juſtificationis liberaliter concedere, hoc ipſo præcisè quòd ipſi offerrentur, & ejus cultui dicarentur à parentibus cæremonia aliqua ſenſibili & religioſa, quam ipſimet eligerent, & qua ſimul proteſtarentur ſuam in Mediatorem venturum fidem. Hanc eſſe S. Thomæ ſententiam, ſupra oſtendimus. Porrò ad hoc ut cæremonia externa, qua parvulis ſubveniretur in lege naturæ, ſacramentum eſſet, ſatis fuit ſi inſtitueretur ſecundo modo: non enim aliud exigit natura ſacramenti.

Responsio II.

Fuerunt aliqua ſacramenta in lege Moſaica.

Prob. Nam 1. in lege Moſaica permanſit circumciſio uſque ad legem evangelicam, cujus promulgatione cum ipſa Moſaica lege abolita eſt. Circumciſionem autem fuiſſe ſacramentum, jam ſupra probatum eſt. 2. In lege Moſaica permanſit etiam pro fœminis & maſculis, qui ante octavum diem moriebantur, idem ſacramentum, quod in lege naturæ inſtitutum fuerat pro parvulis tam maſculis, quàm fœminis; Deus enim in hac lege non providit ſolis maſculis, qui ante octavum diem non eſſent morituri, quique adeò poſſent circumcidi octavo die: neque abſque omni remedio reliquit fœminas & maſculos ante octavum diem morituros; quòd enim talium conditio in lege Moſaica deterior fuerit, quàm in lege naturæ, credibile non eſt: & tamen aliquod de novo remedium pro illis in lege Moſaica inſtitutum non reperimus. Supereſt igitur, ut illis in hac lege ſubveniri poſſet eodem remedio, quo parvulis ſubveniri poterat in lege naturæ. Ergo, &c. 3. In lege Moſaica fuerunt etiam aliæ cæremoniæ à Deo inſtitutæ, ut eſus agni paſchalis, ut Pontificum & Sacerdotum conſecrationes, expiationes & purificationes legales, quibus nihil defuit ad rationem ſacramenti requiſitum; cùm eſſent cæremoniæ ſacræ, permanenter à Deo inſtitutæ ad præfiguranda noſtra ſacramenta, & ad præſignificandam gratiam per ea conferendam.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Quid intelligatur nomine Sacramenti legis naturæ & Moſaicæ.

RESPONSIO.

SAcramentum legis naturæ & Moſaicæ bene definitur: *Signum ſenſibile, ſacrum, permanens, à Deo inſtitutum, & gratiam ſanctificantem ſignificans tantùm.*

Prob. Nam 1. hæc definitio datur per id quod eſt primum in re: nihil enim priùs aſſignari poteſt in ſacramentis legis naturæ & veteris, per quod conſtituantur in eſſe ſacramenti. 2. Convenit omni: nullum enim ſacramentum fuit in lege naturæ ſcripta, cui non conveniat. 3. Convenit ſoli: nam neque ſacramentis novæ legis, neque ulli alii rei vel cæremoniæ, quæ non fuerit ſacramentum, convenit. Ergo, &c.

Quodlibet igitur ſacramentum legis naturæ, & Moſaicæ fuit, 1. ſignum: nam omne ſacramentum propriè dictum, & ut hic à nobis ſumitur, eſt eſſentialiter in genere ſigni, ut ait ſanctus Thomas hic qu. 60. art. 1. & 2. in O. & poſt eum docent omnes Scholaſtici.

2. Signum ſenſibile: tam enim in lege naturæ & veteri, ſacramenta hominibus accommodata fuerunt, quàm ſunt in lege gratiæ: nam ut ait S. Thomas hic quæſt. 60. art. 4. in O. *Sapientia divina unicuique rei providet ſecundùm ſuum modum. Propter hoc dicitur*, Sapiet. 8. *quòd ſuaviter diſponit omnia.* Quare cùm, ut ibidem ait S. Doctor, connaturale ſit hominibus, ut per ſenſibilia perveniant ad cognitionem inſenſibilium, & res ſacræ, ad quas ſignificandas omnia ſacramenta inſtituta fuerunt, ſint inſenſibiles, conſequens eſt ut omnia ſacramenta inſtituta fuerint in rebus ſenſibilibus, adeòque, ut in lege naturæ & veteri fuerint ſigna ſenſibilia, ſicut ſunt in lege gratiæ.

3. Signum ſacrum ratione inſtitutoris, nempe Dei, ratione rei ſignificatæ, nempe gratiæ ſignificantis, & ratione ſui: nam in lege naturæ & veteri, omnia ſacramenta fuerunt cæremoniæ religioſæ, pertinentes ad cultum Dei, eique conſecrantes illos, quibus applicabantur.

4. Signum permanens, hoc eſt, vi inſtitutionis ſuæ duraturum & uſitandum, quandiu duratura fuit lex, pro qua inſtitutum fuit: cùm enim in lege naturæ & veteri, ſacramenta fuerint præcipuè cæremoniæ religionis, atque ita religionis formam ſubſtantiter conſtituerint in lege naturæ & veteri, tandiu durare debuerunt ſacramenta legis naturæ, quandiu duravit ipſa lex, quia tandiu durare debuit eadem religionis forma. Item tandiu durare debuerunt ſacramenta legis veteris, quandiu, &c.

5. Signum à Deo inſtitutum: cùm enim Deus ſit cauſa principalis, ſpecialis, & libertima gratiæ ſignificantis, ſolus potuit inſtituere ſigna, quæ collationem ejus ſignificarent infallibiliter, adeòque ſolus potuit inſtituere ſacramenta non ſolùm in lege nova, ſed etiam in lege naturæ & veteri; cùm non ſolùm in lege nova, ſed etiam in lege naturæ & veteri, ſacramenta fuerint ſigna infallibilia gratiæ ſanctificantis, ut patet ex Florent. mox citando.

6. Signum gratiam ſignificans tantùm, ſeu ſignum merè ſpeculativum gratiæ ſanctificantis: in hoc enim ſacramenta legis naturæ & Moſaicæ diverſa fuerunt à ſacramentis legis evangelicæ, quòd hæc cauſent gratiam, quam ſignificant, illa verò non cauſarint. Patet ex Florent. in decreto Eugenii §. *Quintò*, ubi dicitur: *Novæ legis ſeptem ſunt ſacramenta, Baptiſmus, & quæ multum à ſacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant. Hæc verò noſtra, & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Quod autem hic dicitur de ſacramentis legis veteris, de ſacramentis legis naturæ ſubintelligi, clarum eſt.

Ex dictis hactenùs argue tranſitum maris rubri, ſerpentem æneum, & manna non fuiſſe ſacramenta legis Moſaicæ, quamvis ſacramenta noſtra, & gratiam per ea conferendam, aut Chriſtum & vitam ſpiritalem ejus paſſione hominibus promerendam præfigurarint. Ratio eſt, quia non fuerunt ſigna permanenter inſtituta, hoc eſt, ſigna ſimili ritu iteranda ad gratiam ſanctificantem præfigurandam, & eos quibus applicarentur, Deo conſecrandos, quandiu duraret lex Moſaica.

Quæres. Utrùm detur genus univocum ſacramentis antiquis & novæ legis?

Reſp. Dari: nam genus univocum eſt prædicatum eſſentiale, ſecundùm eandem planè ſignificationem conveniens pluribus ſpeciè differentibus. Atqui datur prædicatum eſſentiale, ſecundùm eandem planè ſignificationem conveniens ſacramentis antiquis & novæ legis: nam eſſe ſignum ſenſibile, ſacrum, permanenter à Deo inſtitutum, & ſignificans gratiam ſanctificantem, eſt aliquid eſſentiale non ſolùm ſacramentis novæ legis, ſed etiam ſacramentis antiquis, ut ex dictis conſtat, & utriſque ſecundùm eandem planè ſignificationem convenit: hoc enim totum tam dicitur in ſenſu proprio de ſacramentis antiquis, quàm de ſacramentis legis novæ.

Itaque ſacramentum in genere bene definitur: *Signum ſenſibile, ſacrum, permanenter à Deo inſtitutum, & gratiam ſanctificantem ſignificans.* Ita ſentit S. Thomas hic qu. 60. art. 2. in O. ubi ſic ait: *Propriè dicitur ſacramentum, quod eſt ſignum alicujus rei ſacræ ad homines pertinentis: ut ſcilicet propriè dicatur ſacramentum ...... quod eſt ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines* (hoc eſt, rei ſacræ ſeu gratiæ homines ſanctificantis.)

DISPUTATIO II.

De materia & forma Sacramentorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Sacramenta novæ legis perficiantur rebus ut materia, & verbis ut forma.

RESPONSIO.

OMnia ſacramenta legis novæ perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma.

Prob. Ex decreto Eugenii IV. in Concil. Florent. §. *Quintò*, ubi de ſacramentis novæ legis dicitur: *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum.* Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, cujus argumentum invictiſſimum ſunt verba Eugenii laudata.

Obj. 1. Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur rebus, ſed ſolùm verbis ut materia. Ergo non omnia ſacramenta novæ legis perficiuntur, &c. *Probab. ant.* Nam ſacramenti Pœnitentiæ pars materialis eſt confeſſio, quæ verbis fit, ut dicit Eugenius ipſe in decreto §. *Quartum ſacramentum*. *Reſp.* neg. ant. *Ad prob. Reſp.* Confeſſionem eſſe quidem materiam ſacramenti Pœnitentiæ, ſed partialem tantùm; & præter confeſſionem, res aliquas à verbis diverſas ad ſacramenti Pœnitentiæ materiam pertinere, ut docet Eugenius loco proximè citato, ubi de hoc ſacramento agens, ſic ait: *Cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confi-*

teatur

teatur integraliter. Tertia eſt, ſatisfactio pro peccatis, ſecundum arbitrium ſacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam.

Ad materiam igitur, vel quaſi materiam ſacramenti Pœnitentiæ, præter confeſſionem quæ regulariter verbis fit, pertinent cordis contritio, ſeu dolor de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, & ſatisfactio. Dolor autem de peccato commiſſo, & propoſitum non peccandi de cætero, ſunt res à verbis omninò diverſæ. Idem dic de ſatisfactione, cùm fit per jejunium, vel eleemoſynam, aut alia hujuſmodi. Cùm verò fit per orationem externam, conſiſtit quidem in verbis quæ recitantur, ſed ex parte tantùm: nam præter illa verba dicit, & quidem potiſſimùm, attentionem mentis, & intentionem orandi, quæ ſunt res à verbis diſtinctæ. Ergo, &c.

Dices 1. Dolor animi de peccato commiſſo, & propoſitum non peccandi de cætero, ſunt res inſenſibiles. Ergo non pertinent, nec pertinere poſſunt ad materiam ſacramenti Pœnitentiæ. *Reſp.* Dolorem animi de peccato commiſſo, & propoſitum non peccandi de cætero, eſſe quidem inſenſibilia per ſe; at, quod ſufficit, fieri ſenſibilia per confeſſionem, aut alia ſigna externa, ea ſufficienter exprimentia: non enim neceſſe eſt, ut materia ſacramenti ſit ſe tota aliquid ſenſibile per ſe; quia neceſſe non eſt, ut ſacramentum ſit ex omni ſua parte ſenſibile; ſed ſatis eſt, quòd ſit ſenſibile ſimpliciter. Unde neg. conſ.

Dices 2. Saltem ſacramentum Pœnitentiæ non perficitur ſolis rebus, tanquam materia. Sed hoc repugnat aſſertioni noſtræ, & Concilio Florentino. *R.* neg. min. Nam Concilium Florentinum non ſic aſſignat res pro materia ſacramentorum, ut ab ea prorsùs excludere verba intendat, ſed ſolùm vult, & nos cum eo volumus, in omnibus ſacramentis eſſe aliquid ex parte materiæ, quod eſt res aliqua, à verbis diverſa, ſive præter rem hanc ſint etiam ex parte materiæ aliqua verba, ſive non ſint.

Obj. 2. In ſacramento Matrimonii aſſignari non poſſunt res & verba, quibus perficiatur, tanquam materia & forma. Ergo non omnia ſacramenta, &c. *Prob. ant.* Nam Matrimonium vel ſolis verbis perficitur, quoties ſcilic. contrahitur per verba de præſenti; vel perficitur ſolis rebus, quando ſcilic. contrahitur per nutus, vel ſcripto. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam 1. in ſententia eorum, qui volunt parochum eſſe miniſtrum hujus ſacramenti, hoc ſacramentum perficitur contractu matrimoniali, tanquam materia, & verbis à parocho prolatis, tanquam forma. 2. In ſententia aliorum, qui docent hujus ſacramenti miniſtrum eſſe contrahentes ipſos, & hoc ſacramentum adæquatè conſtituunt in contractu matrimoniali, quem Chriſtus elevavit ad eſſe ſacramenti; ſacramentum hoc rectè dici poteſt perfici mutuo conſenſu interno contrahentium, tanquam materia; & verbis quibus conſenſus ille exprimitur, tanquam forma: nam ſuppoſito quod ſacramentum Matrimonii adæquatè conſiſtat in contractu matrimoniali, in ſacramento Matrimonii illud rectè dicitur ſe habere inſtar materiæ, quod completur ab alio; & illud rectè dicitur ſe habere inſtar formæ, quod aliud complet in eſſe ſigni ſenſibilis in contractu matrimoniali. In hoc autem contractu mutuus conſenſus internus contrahentium completur in eſſe ſigni ſenſibilis, per verba quibus exprimitur.

Sacramentum itaque Matrimonii, juxta ſecundam ſententiam, ſemper perficitur re aliqua, nempe conſenſu maritali, tanquam materia, & communiter verbis tanquam forma. Dico, communiter, quia communiter conſenſus maritalis verbis exprimitur, non autem eſſentialiter. Unde ſacramentum Matrimonii ſic regulariter perficitur verbis tanquam forma, ut etiam rebus, & non verbis, tanquam forma perfici poſſit, & quandoque perficiatur, quando ſcil. conſenſus maritalis non verbis, ſed rebus, nempe nutibus vel ſcripto exprimitur: nutibus enim vel ſcripto ſufficienter ad eſſe contractus matrimonialis exprimi poteſt; & hoc ipſo quòd exprimitur ſufficienter ad eſſe contractus matrimonialis, ſufficienter quoque ad eſſe ſacramenti exprimitur.

Porrò hæc doctrina nec aſſertioni noſtræ, nec Florentino repugnat: nam cùm Florentinum dicit, & nos cum eo dicimus, omnia ſacramenta perfici verbis tanquam forma, ſubintelligendum eſt, ſaltem communiter, propter ſacramentum Matrimonii, inter quod & alia ſacramenta, hoc diſcrimen intereſt, quòd communiter quidem, ſed non eſſentialiter perficiatur verbis tanquam forma, cætera verò verbis tanquam forma eſſentialiter perficiantur. Hanc autem eſſe Florentini mentem, ex eo manifeſtum eſt, quòd alioqnin ſibi apertè contradiceret: poſtquam enim §. *Eccleſiaſticorum*, dixit omnia ſacramenta perfici verbis tanquam forma, §. *Septimum* dicit matrimonium effici mutuò contrahentium conſenſu, regulariter expreſſo per verba de præſenti. Quando igitur Florentinum aſſerit ſacramenta omnia perfici verbis tanquam forma, non intendit res à forma omnium ſacramentorum excludere: ſicut nec intendit excludere verba à materia omnium ſacramentorum, cùm aſſerit, omnia ſacramenta rebus tanquam materia perfici.

Dices. Conſenſus internus contrahentium eſt inſenſibilis. Ergo non poteſt eſſe materia ſacramenti Matrimonii. *Reſp.* Conſenſum internum contrahentium eſſe quidem inſenſibilem per ſe, ſed fieri ſenſibilem per verba vel res, quibus exprimitur; quod ſufficit, ut poſſit eſſe materia ſacramenti: quia ad ſacramentum ſufficit, quòd ſit ſenſibile ſimpliciter; & ad hoc ſufficit, quòd ſit ſenſibile una ſui parte, nempe forma. Unde neg. conſeq.

Dices. Si conſenſus internus eſt materia ſacramenti Matrimonii, eſt etiam materia aliorum ſacramentorum. *Reſp.* neg. ſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia juxta ſecundam ſententiam, quam hîc exponimus, ſacramentum Matrimonii eſt eſſentialiter contractus ſenſibilis; qui contractus eſſentialiter conſtat ex conſenſu interno contrahentium, & ſigno externo, quo hic conſenſus in eſſe ſenſibilis completur & perficitur. Unde ſacramentum Matrimonii conſtat eſſentialiter ex interno contrahentium conſenſu, qui dicitur materia, & ex ſigno externo, quod dicitur forma, propter ſimilitudinem aliquam cum partibus corpora naturalia componentibus, quarum illa, quæ completur & perficitur, dicitur materia; illa verò, quæ complet & perficit, forma dicitur.

Quæres. Utrùm ſimiliter veteris legis ſacramenta perficerentur rebus & verbis, tanquam materia & forma?

Reſp. Neque ex Scriptura, neque aliunde colligi poſſe, quòd in veteri lege ſacramenta perficerentur verbis tanquam forma, ſine quibus nulla eſſent: nihil enim tale in Scriptura legitur de circumciſione, de cæremonia Agni Paſchalis, de eſu panum propoſitionis, de ordinatione ſacerdotum Aaronicorum, de ſacrificiis expiatoriis, & ablutionibus, quibus aliqua immunditia legalis tollebatur; quæ tamen omnia fuerunt veteris legis ſacramenta. Rationem autem diſparitatis pro ſacramentis veteris, & ſacramentis novæ legis hanc affert S. Thomas hîc quæſt. 60. art. 6. ad 3. *Sicut dicit Auguſtinus contra Fauſtum, alia debent eſſe ſacramenta rei præſentis, & alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis prænuncia erant Chriſti venturi; & ideò non ita expreſsè ſignificabant Chriſtum, ſicut ſacramenta novæ legis, quæ ab ipſo Chriſto effluunt, & quandam ſimilitudinem ipſius* (qui Patris verbum eſt) *in ſe habent.*

Dices. Levit. cap. 4. præſcribitur ſacrificium pro peccato principis à verſu 22. uſque ad verſum 26. & hoc verſu 26. dicitur: *Rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Qui modus loquendi ſimilis eſt huic Jacobi cap. 5. verſ. 14. & 15. *Infirmatur quis, &c.* Unde colligunt catholici, verba deprecatoria à presbytero prolata, ſe habere inſtar formæ, ſine qua Extremæ unctionis ſacramentum perfici non poteſt. Ergo ad ſacrificium

illud,

illud, quod pro peccato principis præſcribitur, Lev. cap. 4. qua ſacramentum fuit, inſtar formæ ſeſe habuit oratio ſacerdotis ibidem præſcripta.

Reſp. neg. conſeq. Nam hæc oratio non præſcribitur, ut ea tanquam forma perficiatur ſacramentum, ſed ut ea ſacrificio addita, faciliùs impetretur peccati remiſſio. Quod confirmatur ex eo quòd eodem capite inſtituatur etiam ſacrificium pro peccato ſacerdotis, neç tamen præſcribitur oratio aliqua in eo adhibenda. Unde nulla fiebat oratio in hoc ſacrificio, & tamen tam erat ſacramentum, quàm ſacrificium pro peccato principis inſtitutum.

ARTICULUS II.

Utrùm omnia ſacramenta novæ legis intrinſecè conſtent rebus ut materia, & verbis ut forma.

NOta. Aliud eſt ſacramenta non perfici ſine rebus & verbis, & aliud ea intrinſecè conſtare ſeu componi ex rebus & verbis ut materia & forma: nam ſacramenta non perficiuntur ſine perſona miniſtri, & ejus intentione faciendi id quod facit Eccleſia, ut docet Florentinum in decreto Eugenii, & tamen non componuntur ex perſona miniſtri, & ejus intentione, ſed perſona miniſtri intendentis id quod facit Eccleſia, eſt illorum cauſa efficiens. Non inutiliter ergo quæritur, utrùm ſacramenta noſtra non ſolùm perficiantur rebus & verbis, ut materia & forma, ſed etiam ex illis intrinſecè conſtent & componantur: hoc enim ad plenam naturæ ſacramentorum noſtrorum intelligentiam pertinet.

Responsio.

Omnia ſacramenta novæ legis, quæ in re tranſeunte conſiſtunt, componuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.

Prob. Omne ſacramentum novæ legis ex eo componitur, quod conſtituitur in ſuo eſſe, ut patet ex terminis. Atqui omne ſacramentum novæ legis, in re tranſeunte conſiſtens, conſtituitur in ſuo eſſe per res & verba. Ergo, &c. *Probab. min.* Sacramentum per id conſtituitur in ſuo eſſe, per quod conſtituitur in eſſe ſacramenti, ut patet ex terminis. Atqui omne ſacramentum novæ legis, conſiſtens in re tranſeunte, conſtituitur in eſſe ſacramenti per res & verba. Ergo, &c. *Prob. min.* Sacramentum per id in eſſe ſacramenti conſtituitur, per quod conſtituitur in eſſe ſigni: nam eſſe ſacramenti eſt eſſe ſigni, ut patet ex ſacramenti definitione. Atqui omne ſacramentum novæ legis, quod in re tranſeunte conſiſtit, conſtituitur in eſſe ſigni per res & verba ſimul: nam neque per res ſolas, neque per ſola verba, ſed per res & verba ſimul ſignificant ſacramenta illa, quæ in re tranſeunte conſiſtunt; neque ad ſignificandam gratiam res ſine verbis, aut verba ſine rebus ſufficiunt ſecundùm inſtitutionem Chriſti, ſed & res, & verba requiruntur vi hujus inſtitutionis. Ergo omne ſacramentum novæ legis, in re tranſeunte conſiſtens, per res & verba in eſſe ſacramenti, adeòque in ſuo eſſe conſtituitur. Ergo ex illis componitur.

Porrò res per modum materiæ, & verba per modum formæ dicuntur ſacramenta componere, quia in hac novæ legis ſacramentorum compoſitione, res quantùm ad ſignificationem ſe habent, ut pars perfectibilis & determinabilis, verba verò ut pars perficiens & determinans, quia perfectiùs & magis determinatè ſignificant. Componunt autem ſacramenta, non compoſitione phyſica, quæ fit per unionem phyſicam, qualis repetitur inter corpus & animam rationalem, unde corpus & anima rationalis componunt hominem phyſicè, ſed compoſitione morali, quæ fit per unionem moralem, qualis reperitur inter milites ejuſdem exercitus, inter ſubditos ejuſdem regni, &c. Unde milites exercitum, & ſubditi regnum componunt moraliter. Hinc ſacramentum conſiſtens in re tranſeunte, non eſt totum phyſicum, ſicut homo; ſed totum morale, ſicut exercitus, regnum, &c. Hinc

Ad ſacramentorum noſtrorum, in re tranſeunte conſiſtentium, compoſitionem, ſufficit rerum & verborum moralis ſimultas, quæ rerum & verborum compati poteſt phyſicam aliquam disjunctionem, majorem in aliquibus ſacramentis, in aliquibus verò minorem, quod prudenti judicio æſtimari debet. Sic in baptiſmo parva tantùm disjunctio phyſica locum habere poteſt; quia in baptiſmo miniſter debet verè dici poſſe, ſecundùm moralem æſtimationem & communem loquendi uſum, lavare, cùm dicit: *Ego te baptizo, &c.* quod eſſe non poteſt cum notabili actionis lavandi, & verborum phyſica disjunctione. Idem dic de Confirmatione, Extrema-unctione, & Ordine, quæ parvam tantùm videntur phyſicam rerum & verborum disjunctionem admittere poſſe.

Longè majorem disjunctionem phyſicam admittit ſacramentum Pœnitentiæ: poteſt enim poſt confeſſionem differri abſolutio; ita ut data tantùm v. gr. poſt unum vel alterum diem, cum confeſſione, & aliis actibus pœnitentis qui præceſſerunt, ſacramentum conſtituat. Ratio eſt, quia ſacramentum hoc inſtituit Chriſtus ad modum judicii, & in aliis judiciis ſæpè, etiam poſt ſufficientem cauſæ diſceptationem, diu differtur ſententia, qua reus abſolvitur, vel condemnatur. Idem dic à fortiori de ſacramento Matrimonii, juxta ſententiam, ſacramentum hoc adæquatè conſtituentem in contractu matrimoniali: matrimonialis enim contractus, quantumvis elevatus ad eſſe ſacramenti, ſequitur naturam aliorum contractuum: unde poſtquam una pars expreſsè conſenſit, quandiu hic conſenſus moraliter perſeverat, poteſt pars altera conſentire, & expreſsè conſentiendo, ſacramentum efficere, quod ſacramentum componetur ex uno conſenſu phyſicè præſente, & altero phyſicè quidem præterito, ſed permanente moraliter. Ratio eſt, quia poteſt, expreſsè conſentiendo efficere contractum in caſu propoſito, qui contractus componetur ex uno conſenſu, &c.

Obj. Sacramentum Pœnitentiæ conſiſtit adæquatè in forma abſolutionis. Ergo falſum eſt, quòd omnia ſacramenta, &c. *Reſp.* neg. ant. Quod apertè videtur repugnare Concilio Trident. ſeſs. 14. cap. 3. Ibi enim dicitur, vim ſignificandi & efficiendi, quam habet ſacramentum Pœnitentiæ, præcipuè poſitam eſſe in verbis abſolutionis. At cùm dicitur, *præcipuè*, apertè ſupponitur vis illa ex parte, licèt minùs præcipua, conſiſtere in actibus pœnitentis. Ergo vis ſignificandi, quam habet ſacramentum Pœnitentiæ, conſiſtit adæquatè, non in forma abſolutionis ſola, ſed in forma abſolutionis, & actibus pœnitentis. Ergo ſacramentum Pœnitentiæ conſtituitur in eſſe ſigni, non per formam abſolutionis ſolam, ſed per formam abſolutionis & actus pœnitentis ſimul; adeòque intrinſecè componitur ex abſolutionis forma, & pœnitentis actibus.

Præterea, ibidem Synodus aſſerit actus pœnitentis dici pœnitentiæ partes, non quia prærequiruntur ad ſacramentum Pœnitentiæ, tanquam conditiones vel diſpoſitiones, ſine quibus effectum ſuum habere non poteſt; ſed quia requiruntur ad ejus integritatem. Sed quod pertinet ad integritatem rei, pertinet ad ejus ſubſtantiam; & quod pertinet ad ſubſtantiam rei, pertinet ad ejus eſſe, ut pars illius conſtitutiva, vel eſſentialiter, ſi ea ſublata, res deſinit eſſe ſimpliciter; vel integraliter, ſi ea ſublata, res tantùm deſinit eſſe integra. Ergo actus pœnitentis pertinent ad eſſe ſacramenti Pœnitentiæ, ut partes illius conſtitutivæ: contritio quidem & confeſſio, ut partes conſtitutivæ eſſentialiter, quia alterutra ſublata, nullum eſt ſacramentum; ſatisfactio verò ut pars conſtitutiva integraliter, quia ea ſublata, & aliis duabus Pœnitentiæ partibus cum abſolutione poſitis, eſt quidem ſacramentum ſimpliciter, ſed non eſt integrum.

Dices.

Dices. Si ſacramentum Pœnitentiæ conſtituitur ex actibus pœnitentis, pœnitens eſt miniſter partialis hujus ſacramenti. Abſurdum conſ. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ſeq. major. Non enim miniſter eſt ſacramenti, quicumque facit, aut exhibet illius materiam. Sed ille ſolus miniſter dicendus eſt, qui partes ſacramenti elevat ad eſſe ſacramentale, eas ſcilicet per poteſtatem ſibi à Chriſto traditam aſſumendo ad ſignificandam & efficiendam gratiam. Hoc autem ſolus ſacerdos facit in ſacramento Pœnitentiæ vi poteſtatis ordinis & juriſdictionis, quam habet, proferendo formam abſolutionis.

ARTICULUS III.

Utrùm verba, quibus ſacramenta perficiuntur, ſint concionalia, an conſecratoria.

NOta. Lutherani & Calviniſtæ in baptiſmo adhibent duo genera verborum: nam aſperſioni aquæ præmittunt verbum concionale, quo miniſter proponit, & explicat promiſſionem divinam baptiſmo adnexam: deinde cùm aqua aſpergitur, proferunt lingua vernacula hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Unde Catholici non rebaptizant eos, quos baptizarunt Lutherani vel Calviniſtæ: quamvis Calviniſtæ, & fortaſsè Lutherani, nolint proferri hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ut conſecretur aqua, velintque ea tantùm pertinere ad ritum; ſolamque concionem, quæ aſperſioni aquæ præmittitur, eſſe partem formalem ſacramenti, ut patet ex Calvino, qui in commentario cap. 5. ad Epheſios, de hac concione, quam ibi vocat myſterii explicationem, loquens ait: *Sola facit ut mortuum elementum incipiat eſſe ſacramentum*.

Nota iterum. Ad ſacramentum Euchariſtiæ ſolum verbum concionale requirunt Calviniſtæ: nam juxta Calvini formulam, inſtitutione ſacramenti ex cap. 11. epiſt. 1. ad Cor. recitata & explicata, abſque alio ritu ſacro miniſter diſtribuit panem & vinum. Inter Lutheranos verò, teſte Bellarmino lib. 1. de ſacrament. cap. 19. alii verba inſtitutionis recitant merè hiſtoricè, alii recitant cum intentione conſecrandi; alii denique nihil recitant. Sed contra illos omnes ſit

RESPONSIO I.

Ad nullius ſacramenti validam confectionem requiritur verbum concionale.

Prob. Si verbum concionale requiritur ad validam confectionem alicujus ſacramenti, maximè Baptiſmi, ut docent ipſimet novatores. Atqui dici non poteſt, quòd verbum concionale requiratur ad validam confectionem Baptiſmi. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. neceſſitas concionis pro Baptiſmo oſtendi non poteſt ex Scriptura. Ergo non niſi perperam aſſeri poteſt ab adverſariis, qui nullum Dei verbum, præter ſcriptum, agnoſcunt, adeòque neceſſitatem illam aliunde, quàm ex verbo Dei ſcripto, ſufficienter probare non poſſunt. *Prob. ergo ant.* Nam ſi neceſſitas illa oſtendi poteſt ex Scriptura, certè vel ex Matth. cap. ult. ubi dicitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; vel ex epiſt. ad Epheſ. c. 5. ubi dicitur: *Mundans* (Eccleſiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Atqui ex neutro loco oſtenditur.

Non ex primo: non enim ibi præſcribitur concio tanquam pars conſtitutiva ſacramenti; imò verò ibi inſtructio manifeſtè diſtinguitur à ſacramento: cùm enim dicitur: *Euntes docete omnes gentes, &c.* perinde eſt, ac ſi diceretur: Docete primùm homines ea, quorum fides ad ſalutem neceſſaria eſt; deinde baptizate eos in nomine Patris, & Filii, &c. Hunc locum ſic interpretatur S. Hieronymus: *Juſſit Apoſtolis*, inquit, *ut primum docerent univerſas gentes: deinde fidei intingerent ſacramento, & poſt fidem ac baptiſma, quæ eſſent obſervanda præciperent*. Hoc itaque loco ſolùm jubet Chriſtus, ut baptiſmo adultorum diligens præmittatur inſtructio, quod religioſè ſervatur in Eccleſia Catholica, in qua adulti non baptizantur, niſi poſtquam ſufficientiſſimè de rebus credendis & obſervandis inſtructi fuerint.

Non etiam ex ſecundo: nam illud: *In verbo vitæ*, quod ſibi favere arbitrantur adverſarii, non concionem, quæ ſit pars eſſentialis baptiſmi, ſed invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ fit in baptiſmo per hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, &c.* interpretantur Sancti Patres, ut Chryſoſtomus homil. 20. in cap. 5. ad Epheſ. ubi ait: *Lavacro lavat ejus immunditiam in verbo*, inquit; *quonam? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Theodoretus in comment. ejuſdem capitis: *Illud autem*, inquit, *mundans lavacro aquæ in verbo, pro eo quod eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Anſelmus in comment. ejuſdem cap. ubi ſic loquitur: *Ipſe dico, mundans eam ab omnibus peccatis lavacro aquæ ſanctificatæ in verbo vitæ, id eſt lavacro baptiſmi. Baptiſmus enim Chriſti lavacrum eſt aquæ in verbo vitæ. Tolle aquam, non eſt baptiſmus; tolle verbum, non eſt baptiſmus. Verbum vocat invocationem divinitatis, quòd à baptizante ſuper aquam profertur*. Verbum autem, quo invocatur divinitas, & quod profertur ſuper aquam, ſeu cùm aqua aſpergitur, aliud non eſt, quàm iſtud: *In nomine Patris, & Spiritus ſancti*. Theophil. enarrat. in eundem locum: *Purgavit lavacro aquæ*, inquit, *hoc eſt, baptiſmate. In verbo, quali? In nomine Patris, &c.*

Habemus igitur, ex Patrum hunc locum litteraliter interpretantium ſenſu, Apoſtolum per illud: *In verbo vitæ*, quod ſatis per ſe obſcurum eſt, intelligere non verbum concionale, quo exponitur divina promiſſio, facta baptiſmo, ſed verbum conſecratorium, quo per invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis ſanctificatur & conſecratur aqua, cùm infunditur; adeòque Apoſtolum per illud: *In verbo vitæ*, intelligere formulam hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quam vocat verbum vitæ, tum quia vim habet aquam conſecrandi per expreſſam illam SS. Trinitatis invocationem, quam continet; tum quia in ea præcipuè ſita eſt vis animam ſanctificandi, quam habet baptiſmus.

At inquies. S. Hieronymus in comment. cap. 5. ad Epheſ. illud: *In verbo vitæ*, interpretatur doctrinam. *Reſp.* Hic S. Hieronymum nobis non obeſſe; hic enim verbum vitæ interpretans verbum doctrinæ, non litteraliter, ſed tropologicè interpretatur; & ita illud: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, non intelligit de purgatione illa, quæ fit per baptiſmum, ſed præcisè de purgatione animæ, quæ non ſolùm per baptiſmum, ſed etiam per Chriſti doctrinam ſuo modo fieri poteſt: *Quia verò*, inquit, *ſecundum tropologiam, viros animas, & uxores corpora dixeramus: ſic diligat anima corpus, quomodo Chriſtus Eccleſiam, ut ſemetipſum tradat pro ſalute ipſius, & eam ſanctificet verbo doctrinæ*. Præterea, quòd ſenſerit verbum concionale ad eſſentiam baptiſmi non pertinere, patet ex ſupra laudatis ejus verbis in cap. 18. Matth.

2. Si verbum concionale eſſet de eſſentia baptiſmi, nullus eſſet baptiſmus, ſine concione collatus, vel, quod idem eſt, aſperſio aquæ facta cum invocatione SS. Trinitatis, per hanc formulam: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* non eſſet ſacramentum, omiſſa concione. Falſum conſ. ex ipſa praxi adverſariorum: nam in Eccleſia Catholica, cùm baptizantur parvuli, non adhibetur concio, & tamen baptiſmum, parvulis in Eccleſia Catholica collatum, ratum habent adverſarii; cùm non rebaptizent Apoſtatas, qui ad illos transfugiunt, & apud nos in infantia baptizati fuerunt.

Imò Calvinus ipſe lib. 4. Inſtitut. cap. 15. §. 16. diſertè docet validum eſſe baptiſmum, qui parvulis in Eccleſia Catholica confertur: *His*, inquit, *Donatiſtarum error pulchrè refutatur, qui vim ac pretium ſacramenti metiebantur miniſtri dignitate. Tales hodie ſunt Catabaptiſtæ noſtri, qui ritè nos baptizatos pernegant*,

Digitized by Google

negant, quòd ab impiis & idololatris in regno populi baptizati ſumus, itaque anabaptiſmum furioſè urgent. Juxta Calvinum igitur, parvulis baptiſmum validè conferunt Catholici, & hoc negare, juxta eundem, hæreticum eſt.

Rationem autem validitatis baptiſmi à Catholicis infantibus collati, ſtatim ſubjicit in verbis: *Adversùs quorum ineptias ſatis valida ratione muniemur, ſi cogitemus nos baptiſmo initiatos, non in nomen alicujus hominis, ſed in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ideòque baptiſmum non eſſe hominis, ſed Dei; à quocumque tandem adminiſtratus fuerit.* Quibus verbis apertè ſignificat Calvinus, ad validum baptiſmum ſatis eſſe, ſi corpus aqua abluatur, cum hac verborum formula: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, qua invocatur ſanctiſſima Trinitas, & qua proinde fit, ut is qui baptizatur, non in nomen hominis, ſed in nomen Patris, & Filii, &c. baptizetur; ideòque baptiſmus non hominis ſit, ſed Dei, etiamſi conferatur ab impiis & idololatris, quales eſſe Catholicos omnes ſupponit impuriſſimus hæreſiarcha. Quare cùm in Eccleſia Catholica parvuli abluantur aqua, cum privata verborum formula, contendit ſeſe in infantia apud Catholicos validè baptizatum fuiſſe; quamvis in ejus baptiſmo adhibita non fuerit concio, qua proponerentur & explicarentur promiſſiones divinæ, ut ipſe apertè innuit §. 19. & adhibitæ fuerint aliæ cæremoniæ, quas ibidem execratur.

3. Habemus ſenſum univerſæ Eccleſiæ, quæ nunquam judicavit, verbum concionale neceſſarium eſſe ad validam collationem baptiſmi, ut patet ex ejus conſtanti & perpetua praxi: nunquam enim concionem adhibuit in baptiſmo parvulorum, nec adhibet ſemper in adultorum baptiſmo: unde ſi quando adhibet, non adhibet ut aliquid neceſſarium & eſſentiale ſacramento, ſed ad ædificationem populi præſentis, & præſertim ejus, qui baptizandus eſt, ut cum majori diſpoſitione, & ita cum majori fructu ſacramentum ſuſcipiat. Ergo, &c.

Responsio II.

Ad validam confectionem omnis ſacramenti, requiritur verbum conſecratorium.

Prob. 1. Idem judicium eſto de omnibus aliis ſacramentis, ac de baptiſmo: non enim eſt potior ratio pro baptiſmo, quàm pro aliis ſacramentis. Atqui ad validam confectionem baptiſmi, requiritur verbum conſecratorium. Ergo, &c. *Probab. min.* 1. Ad confectionem baptiſmi requiritur verbum. Ergo vel concionale, vel conſecratorium. Non requiritur concionale, ut demonſtratum eſt. Ergo requiritur conſecratorium. *Prob. ant.* Ex Apoſtolo Epheſiorum cap. 5. dicente: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ex Patribus: nam ſic ait ſanctus Auguſtinus tract. 80. in Joan. *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.* Et Anſelmus comment. in cap. 3. epiſt. ad Epheſ. *Tolle aquam, non eſt baptiſmus. Tolle verbum, non eſt baptiſmus.* Quibus verbis ſignificat, baptiſmum non magis poſſe exiſtere ſine verbo, quàm ſine lotione corporis, quæ per aquam fit.

Prob. min. 2. Ad perfectionem baptiſmi requiruntur hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Sed hæc verba ſunt conſecratoria. Ergo, &c. *Prob. maj.* Ex verbis Apoſtoli jam laudatis: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ:* nam quòd per verbum vitæ intelligat hanc formulam: *In nomine Patris, & Filii, &c.* Docet traditio, cujus teſtes ſunt Patres, & alii Interpretes, locum illum litteraliter exponentes. *Prob. min.* Ex Cyrillo Hieroſol. catech. 3. *Aqua ſimplex*, inquit, *per ſancti Spiritus, Chriſti, & Patris invocationem accepta virtute, ſanctitatem conſequitur.* Et ex Auguſtino lib. 6. de bapt. cap. 25. ubi ſic ait: *Dicimus non omnem baptiſmum: nam in multis idolorum ſacrilegiis ſacris baptizari homines perhibentur: ſed baptiſmum Chriſti, ideſt, verbis evangelicis conſecratum, ubique eundem eſſe.* Quid autem per verba evangelica intelligat, exponit lib. 3. cap. 15. *Quamobrem*, inquit, *ſi evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat ſacramentum.*

Porrò cum Patres dicunt aquam in baptiſmo ſanctificari, vel baptiſmum conſecrari per hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſubintelligunt iſta: *Ego te baptizo*, ut ſatis ſuperque conſtat ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ, in qua baptiſmus ſemper collatus eſt, & confertur ſub hac formula: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Hæc autem formula ſanctificat aquam in baptiſmo, & baptiſmum conſecrat, dando aquæ virtutem mundandi animam, & aquæ hanc virtutem dat, lotionem corporis, quæ fit per aquam, elevando ad eſſe ſacramenti, ſeu ſigni practici gratiæ juſtificantis. Unde vis baptiſmi præcipuè ſita eſt in hac formula; quod apertè ſignificat Apoſtolus, cùm ait, Epheſ. cap. 5. Chriſtum Eccleſiam ſuam mundare lavacro aquæ in verbo vitæ; & poſt eum Auguſtinus tr. 80. in Joan. cùm dicit: *Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo*, ſupple evangelico, quod expreſſam Trinitatis invocationem continet, & quo conſervatur baptiſmus, hoc eſt, quoad elementum corpus abluens accedente, completur & perficitur ſignum ſenſibile, ſacrum, & practicum ſpiritualis ablutionis.

Dices. Cùm Auguſtinus dicit: *Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?* Loquitur de verbo concionali. Ergo non conſecratorium, ſed concionale verbum requirit, ut partem eſſentialem baptiſmi. *Prob. ant.* Nam continuò hæc ſubjicit: *Non quia dicitur, ſed quia creditur*, hoc eſt, non quia præcisè profertur, ſed quia prolatum fidem excitat, qua mediante abluitur cor, dum corpus ab aqua tangitur. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam Auguſtinus ibi loquitur, 1. de verbo de quo ſuperiùs ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.* Atqui verbum concionale non accedit ad elementum, dum eo ſcilicet corpus abluitur, ſed hanc ablutionem præcedit. Ergo loquitur, non de concione, quæ ſi fit, fit ante ablutionem corporis, ſed de verbis evangelicis: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Quæ in ipſa corporis ablutione proferuntur à miniſtro baptiſmi. 2. De verbo, quo dicit mundari infantem in baptiſmo: *Hoc verbum fidei*, inquit, *tantùm valet in Eccleſia Dei, ut per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* Atqui verbum concionale mundare non poteſt infantem: non enim aliter mundare poteſt, quàm excitando fidem, & alios actus ſalutares, quibus peccator ad juſtificationem diſponitur. Horum autem actuum infans nondùm capax eſt, ut hìc obſervat S. Doctor. Ergo, &c.

Ad prob. ant. Reſp. Horum verborum: *Non quia dicitur, ſed quia creditur*, interpretationem falſam eſſe, & è diametro cum mente ſancti Doctoris pugnantem, ut manifeſtum eſt ex eo, quod hìc dicit de emundatione infantis per baptiſmum. Cùm igitur dicit ſanctus Doctor, verbum facere, ut aqua corpus tangens cor abluat, facere, inquam, non quia dicitur, ſed quia creditur; ſenſus ejus eſt, verbum hoc facere non per materialem ſonum ſyllabarum, quæ auditu corporeo percipiuntur, ſed per virtutem in eo ex inſtitutione Chriſti reſidentem & latentem, quæ nullo ſenſu percipi, ſed per ſolam fidem attingi poteſt; vel, ſi vis, quod idem eſt, non per materialem ſonum, qui objectum eſt ſenſûs, ſed per latentem ſub materiali ſono virtutem, quæ ſolius fidei objectum eſt. Patet ex eo, quod immediatè ſubjicit: *Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens.* Denique ſanctum Doctorem ſic exponit D. Thomas hìc qu. 60. art. 7. ad 1. ubi ſic ait: *Sicut Auguſtinus dicit, Verbum operatur in ſacramentis, non quia dicitur, ideſt,*

non

Digitized by Google

non ſecundùm exteriorem ſonum vocis; ſed quia creditur, idest, ſecundùm ſenſum verborum, qui fide tenetur.

Porrò, quod omittendum non eſt, hoc tract. 80. in Joannem S. Auguſtinus, ex occaſione hujus text. *Jam mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*, quem interpretatur; oſtendit omnem emundationem ſpiritualem eſſe à verbo fidei, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum: extra ſacramentum quidem excitativè, quatenùs verbum fidei prædicatum audientes excitat ad fidem, qua diſponuntur ad obtinendam juſtificationis gratiam, juxta illud Apoſtoli Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*: effectivè verò, & ex opere operato in ſacramento, ut patet in baptiſmo, in quo aqua per verbum fidei conſecrata & ſanctificata, dum corpus tangit, cor abluit, hoc eſt, in quo verbum fidei cum lotione corporis, quam per virtutem à Chriſto acceptam complet & perficit in eſſe ſacramenti, determinat Deum ad infundendam gratiam, qua emundatur anima illius, cujus corpus aqua aſpergitur. Hoc autem verbum fidei, ut dicit alibi ſanctus Doctor, eſt formula illa: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* quæ verbum fidei à S. Doctore vocatur, quia continet objectum fidei divina tenendum, nempe myſterium SS. Trinitatis, cum virtute ſignificandi & efficiendi gratiam, accepta ex inſtitutione Chriſti. Auguſtinus igitur hîc de utroque verbo loquitur, concionali ſcilicet & conſecratorio, quorum primum extra ſacramentum, alterum verò in ſacramento, cujus eſt pars, operatur; quorum primum excitat ad fidem, qua credens diſponitur ad emundationem ſpiritualem, alterum verò ipſam emundationem ſpiritualem efficit.

ARTICULUS IV.

Utrùm res & verba, quibus ſacramenta perficiuntur, fuerint à Chriſto determinata.

Responsio I.

CHriſtus determinavit res & verba, quibus tanquam materia & forma ſacramenta perficiuntur.

Prob. Ex Conc. Trid. ſeſs. 21. cap. 2. ubi dicitur: *Præterea declarat* (Synodus) *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret & mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Igitur Eccleſia nihil ſtatuere aut immutare poteſt circa ſubſtantiam ſacramentorum, adeòque nihil ſtatuere aut immutare poteſt circa materiam & formam ſacramentorum. Ergo Eccleſia nec materiam nec formam ſacramentorum determinavit; cùm poteſtatem habeat immutandi ea omnia, quæ auctoritate ſua conſtituit. Ergo materia & forma ſacramentorum fuerunt ab ipſo Chriſto invariabiliter determinatæ. Et verò vel à Chriſto, vel ab Eccleſia determinatæ fuerunt. Non ab Eccleſia, ut probatum eſt. Ergo à Chriſto.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui cùm abſolutè poſſet inſtituere ſacramenta, non determinando hanc vel illam materiam aut formam, & liberum relinquendo Eccleſiæ, ut quas vellet eligeret, & miniſtris ſuis præſcriberet; noluit tamen ea ſic inſtituere, ſed eorum materiam & formam ipſemet invariabiliter determinare voluit, & quidem convenientiſſimè: cùm enim homines ſanctificentur per ſacramenta novæ legis, & Deus ſit cauſa principalis ſanctificationis hominum, convenientiſſimum fuit, ut Chriſtus ipſe, Homo Deus, determinaret res & verba, quibus perficerentur ſacramenta, quibus ut cauſis inſtrumentalibus uſurus erat ad ſanctificandos homines. Hoc dicit S. Thomas hìc quæſt. 60. art. 5. in O. *Quia ergo*, inquit, *ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis, non pertinet ad hominem ſuo judicio aſſumere res* (adeòque nec verba) *quibus ſanctificetur, ſed hoc debet eſſe ex divina inſtitutione determinatum.* Porrò hæc determinatio, facta à Chriſto, æqualis non eſt in omnibus ſacramentis: non enim in omnibus facta eſt uſque ad ſpeciem infimam, & in aliquibus eſt tantùm generica, ut ſuis locis oſtendetur.

Responsio II.

Chriſtus materiam & formam ſacramentorum determinavit univerſaliter pro tota Eccleſia: ita ut ubique terrarum, & in qualibet Eccleſia particulari, tam græca quàm latina, ſufficiat materia, & forma eadem.

Prob. Quia Chriſtus, cùm inſtituere voluit ſacramenta, nullam locorum, vel Eccleſiarum particularium, ſicut nec temporum, diſcretionem fecit. Ergo ſicut pro omnibus temporibus, ita & pro omnibus locis & Eccleſiis particularibus eadem ſacramenta una & eadem inſtitutione ac determinatione inſtituit, ac determinavit. Hoc autem fecit, ut hac ratione magis conſuleret unitati Eccleſiæ ſuæ, quam non multiplicem, ſed unicam eſſe voluit, ex omnibus gentibus collectam, ac colligatam & profeſſione ejuſdem fidei, & eorumdem ſacramentorum participatione; licèt, quod unitati non officit, & exigit conveniens gubernatio, cum aliqua in ritibus accidentariis diverſitate. Hinc

Latinus in Eccleſia Latina baptizans in forma Græcorum, validè baptizaret, & conſecrans in fermentato, validè conſecraret. Similiter Græcus in Eccleſia Græca validè baptizaret in forma Latina, & in azymo validè conſecraret. Ratio eſt, quia forma baptiſmi non poteſt valere pro una Eccleſia, quin etiam valeat pro altera; neque materia aliqua ad validam conſecrationem ſufficere poteſt in una Eccleſia, quin etiam ſufficiat in altera: alioquin Chriſtus dicendus eſt, diverſas baptiſmi formas, diverſaſque materias Euchariſtiæ determinaſſe pro diverſis Eccleſiis, quod falſum eſt. Uterque tamen, Latinus ſcilicet & Græcus, ab Eccleſiæ ſuæ ritu ſine cauſa diſcedens in re gravi, peccaret graviter, quia uterque Eccleſiæ ſuæ, quandiu in ea verſatur, conſuetudinem, utpotè legitimam & vim legis obtinentem, tenetur obſervare.

Obj. 1. Contractus clandeſtinus olim ſufficiebat ad ſacramentum Matrimonii, & nunc non ſufficit in iis locis, in quibus promulgatum & receptum fuit decretum Concilii Tridentini de Matrimonii reformatione. Ergo Concilium Tridentinum mutavit ſubſtantiam ſacramenti Matrimonii. Ergo Eccleſia mutare poteſt ſubſtantiam ſacramentorum, quæ proinde malè dicitur, non ab Eccleſia, ſed ab ipſo Chriſto determinata fuiſſe invariabiliter.

Nota. Chriſtus pro ſubſtantia, vel cauſa efficiente ſacramenti Matrimonii determinavit, non hunc aut illum contractum in tali ſpecie infima, ſed contractum legitimum in genere, ſeu contractum quemlibet legitimum, ſive fiat cum certa ſolemnitate, ſive non. Unde ad ſacramentum Matrimonii ſemper ſufficit ab inſtitutione Eccleſiæ, & ſemper ſufficiet quilibet contractus legitimus: nec Eccleſia unquam efficiet, aut efficere poterit, ne contractus aliquis legitimus ſufficere poſſit ad ſacramentum Matrimonii, hoc ipſo præciſè quòd legitimus erit. Eccleſia igitur non poteſt mutare ſubſtantiam aut cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii; ſed ſolùm contractui matrimoniali, poſtquam à Chriſto ad eſſe ſacramenti elevatus eſt, poteſt apponere conditionem, ſeu ſolemnitatem aliquam, ſine qua deinceps non poterit eſſe legitimus, & ita ſine qua deinceps non poterit eſſe ſubſtantia vel cauſa efficiens ſacramenti Matrimonii. Ex his.

Reſp. ad obj. Contractus clandeſtinus olim ſufficiebat ubique ad ſacramentum Matrimonii, quia olim erat ubique contractus legitimus: nunc verò non ſufficit in locis, in quibus promulgatum, & receptum fuit decretum, &c. quia in locis illis propter defectum conditionis ſeu ſolemnitatis appoſitæ à Synodo, deſiit eſſe contractus legitimus. Unde non ſufficit ampliùs ad ſacramentum Matrimonii in locis, in quibus decretum

cretum Concilii Tridentini promulgatum eſt, non quia mutata eſt ſubſtantia, aut cauſa efficiens hujus ſacramenti, ſed quia cùm nunc nullus ſit in locis illis, nunc non poteſt ampliùs in locis illis eſſe hujus ſacramenti ſubſtantia, aut illud efficere.

Eccleſia igitur in Concil. Trid. per decretum de Matrimonii reformatione nec mutavit, neç mutare tentavit ſubſtantiam, vel cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii, ſed ſolùm contractui matrimoniali appoſuit ſolemnitatem, nempe ut fiat coram parocho, & duobus vel tribus teſtibus, ſine qua nullus eſſet in locis, in quibus promulgatum eſſet decretum illud, & hanc ſolemnitatem apponendo contractui matrimoniali, corrupit & annullavit contractum clandeſtinum pro locis illis, effecitque ut pro locis illis ſolus contractus, factus coram parocho, & duobus vel tribus teſtibus, poſſet eſſe ſubſtantia, vel cauſa efficiens ſacramenti Matrimonii, efficiendo ſcil. ut ſolus hic contractus pro locis illis ſit legitimus & validus. Unde nego utramque conſeq.

Dices. Synodus per decretum ſuum contractui clandeſtino ſuſtituit contractum factum coram parocho, &c. Sed unus ab alio ſpecie diverſus eſt. Ergo Synodus per decretum ſuum, uni contractui ſubſtituit alium contractum ſpecie diverſum. Atqui ſubſtituit, ut eſſet ſacramenti ſubſtantia vel cauſa efficiens loco alterius. Ergo ſubſtituendo, inſtituit ſacramenti ſubſtantiam, vel cauſam efficientem, ſpecie diverſam ab ea, quæ erat antea; & ita per decretum ſuam mutavit ſubſtantiam ſacramenti Matrimonii, vel cauſam efficientem illius.

Nego ult. conſeq. Ad hoc enim ut Synodus verè diceretur, per decretum ſuum mutaſſe ſubſtantiam, vel cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii, neceſſe eſſet ut loco legitimi contractus, ſubſtituiſſet ad hujus ſacramenti ſubſtantiam, vel cauſam efficientem, aliquid aliud, quod non eſſet contractus legitimus. At hoc non fecit; ſed loco contractus clandeſtini, quem irritavit, & irritando ad conſtituendum vel efficiendum ſacramentum Matrimonii ineptum reddidit, alium ſubſtituit contractum legitimum, atque ita intactam reliquit inſtitutionem Chriſti, qui contractum quemlibet matrimonialem legitimum ad ſacramentum matrimonii ſufficere poſſe voluit, dando Eccleſiæ ſuæ poteſtatem quas vellet conditiones apponendi, ſine quibus contractus matrimonialis non eſſet legitimus, & quibuſcum eſſet; atque ita ſine quibus non poſſet, & quibuſcum poſſet eſſe ſubſtantia vel cauſa efficiens ſacramenti Matrimonii.

Obj. 2. Nunc materia & forma Ordinationis alia eſt apud Græcos, & alia apud Latinos. Nam presbyteratus v. gr: apud Latinos materia ſaltem partialis, eſt porrectio calicis cum vino, & patenæ cum pane, forma verò ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* At Eccleſia Græca pro materia hujus ſacramenti utitur ſola manuum impoſitione, & pro forma, his verbis: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt ſupplet, promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat ſuper ipſum gratia ſanctiſſimi Spiritus.* Ita refert Arcudius, lib. 6. de concordia cap. 2. Eccleſia autem Græca ſic ordinat presbyteros ſuos, ſciente tota Eccleſia Latina, quæ presbyteros ſic ordinatos habet pro veris presbyteris, nec jubet eos reordinari. Imò in primitiva Eccleſia, & tempore Apoſtolorum, per ſolam manuum impoſitionem tanquam materiam, Ordo conferebatur, & ſolius manuum impoſitionis meminerunt Scripturæ, vetera Concilia, & Patres antiqui.

Dicendum igitur eſt, vel duplicem, & diverſam pro diverſis Eccleſiis presbyteratus materiam & formam à Chriſto inſtitutam fuiſſe, quod tamen negamus, & falſum eſt; vel Eccleſiam Latinam poteſtatem habuiſſe materiam & formam, quas pro ſacramento Ordinis Chriſtus inſtituit, & quas uſurparunt Apoſtoli, & primitiva Eccleſia, atque etiam nunc Eccleſia Græca uſurpat, mutandi, & aliam loco illius ſubſtituendi: poſt aliquod autem tempus ea poteſtate uſam eſſe, eamque materiam & formam, quibus nunc ut eſſentialibus utitur, inſtituiſſe.

Ad ſolutionem *nota*. Chriſtus inſtituendo ſacramentum Ordinis, non determinavit ejus materiam & formam uſque ad ſpeciem infimam, ſed ſolùm in genere, ſtatuendo ſcilic. ut hoc ſacramentum conferretur per aliquam actionem externam, & ſenſibilem ordinantis, ſignificativam poteſtatis, quam is qui ordinatur, accipit, & per aliqua verba ejuſdem poteſtatis determinatiùs & clariùs demonſtrativa. Illius autem actionis, & verborum in ſpecie infima determinationem reliquit Eccleſiæ, quæ pro materia hujus ſacramenti olim adhibuit ſolam impoſitionem manuum: hunc ritum retinuit Eccleſia Græca; Eccleſia verò Latina à multis retrò ſæculis utitur partim manuum impoſitione, partim alia actione ſenſibili, qua magis ſignificatur poteſtas, quæ per ordinationem traditur, ut patet in ordinatione presbyteri. Sed hæc differentia materiæ, ſicut & formæ, non repugnat inſtitutioni Chriſti, qui hoc ſolum inſtituit, ut Ordines conferantur per actionem ſenſibilem, & verba, quæ ſimul ſignificent ſufficienter poteſtatem quæ traditur. Unde cuilibet Ordinationi, quæ ſacramentum eſt, hoc ſolum eſt eſſentiale, ut fiat per ejuſmodi actionem & verba, legitima ſcilic. auctoritate, ſeu auctoritate Eccleſiæ determinata.

Ad obj. igitur Reſp. Neque Chriſtum presbyteratus materiam & formam pro diverſis Eccleſiis diverſam inſtituiſſe; neque Eccleſiam Latinam mutaſſe materiam & formam pro presbyteratu à Chriſto inſtitutam; cùm presbyteros ordinet per actionem externam, & verba, quæ ſimul ſufficienter ſignificant poteſtatem quæ confertur per hanc ordinationem, quod ſolum inſtituit Chriſtus. Solùm itaque Eccleſia Latina uſa eſt facultate ſibi à Chriſto tradita, & pro presbyteratu impoſitioni manuum ſubſtituit, vel potiùs adjunxit aliam actionem externam, magis expreſſivam poteſtatis, quæ datur, & ſimul adhibet verba, quæ diſtinctiùs eandem poteſtatem ſignificant, quàm verba quibus utitur Eccleſia Græca. Hoc autem faciendo, Eccleſia Latina retinuit totam eſſentiam ſacramenti, ſicut etiam totam habet Eccleſia Græca. Unde Epiſcopus Græcus ritu latino, & Epiſcopus Latinus ritu græco ordinans presbyterum (idem dic de aliis ordinibus) validè ordinaret: quia ubi ponitur tota eſſentia ſacramenti, ibi non poteſt non eſſe ſacramentum, quando cætera ad illud requiſita ex parte miniſtrantis & ſuſcipientis non deſunt, ut hic ſupponuntur non deeſſe.

Dices. In presbyteratu ritus Eccleſiæ Latinæ ſpecie differt à ritu Eccleſiæ Græcæ. Ergo vel alteruter invalidus eſt, & ad ſacramenta inſufficiens, vel dantur ritus diverſi pro diverſis Eccleſiis. *Reſp.* Ritus illi inter ſe differunt ſpecie phyſica, at ſunt iidem ſpecie moraliter, quia ambo apti ſunt ad ſignificandam rem eamdem, nempe poteſtatem illam, quæ in ordinatione presbyteri datur, & ad eam ſignificandam auctoritate legitima ſecundùm inſtitutionem Chriſti aſſumuntur. Unde ex eo quòd uterque valeat ad conficiendum ſacramentum, ſequitur tantum quòd pro eodem ſacramento dentur ritus pro diverſis Eccleſiis diverſi ſpecie phyſica, quæ diverſitas non repugnat inſtitutioni Chriſti, nec impedit identitatem ſacramenti pro omnibus Eccleſiis: ſicut non repugnat inſtitutioni Chriſti, quòd fortaſsè materia Euchariſtiæ in Græcia differat ſpecie phyſica à materia Euchariſtiæ in Gallia, quia fortaſsè vinum græcum differt ſpecie phyſica à vino gallico. Quæ diverſitas phyſica accidentalis eſt reſpectu Euchariſtiæ, nec impedit identitatem materiæ illius pro univerſa Eccleſia, quia Chriſtus pro materia Euchariſtiæ præciſè inſtituit vinum de vite. Unde hoc ipſo quòd vinum græcum & gallicum ſunt de vite, relatè ad Euchariſtiam, & inſtitutionem Chriſti ſunt ſpecie eadem moraliter.

AR-

ARTICULUS V.

Quænam mutatio materiæ vel formæ tollat ſubſtantiam & veritatem Sacramentorum.

Responsio I.

SUbſtantialis ſeu eſſentialis mutatio materiæ vel formæ, à Chriſto inſtitutæ & determinatæ, tollit ſubſtantiam & veritatem ſacramentorum.

Prob. Nam ſubſtantialis mutatio materiæ vel formæ tollit materiam vel formam quam Chriſtus inſtituit. Atqui ſacramenta non poſſunt eſſe ſine materia & forma, quas Chriſtus inſtituit. Ergo, &c.

Responsio II.

Accidentalis mutatio materiæ vel formæ, à Chriſto inſtitutæ, non tollit ſubſtantiam ſeu veritatem ſacramentorum.

Prob. Nam cum mutatione accidentali manent materia & forma, quales Chriſtus inſtituit: mutatio enim accidentalis eſt in materia vel forma, quando materia vel forma non adhibetur eo modo, quo illam uſurpat Eccleſia, ut ſi quis baptizet in aqua calida, vel conſecret in fermentaro: unde mutatio accidentalis non inſtitutioni Chriſti, ſed uſui Eccleſiæ opponitur; quia in ea ſervatur inſtitutio Chriſti, & à ſolo uſu Eccleſiæ recedit. Ergo cum mutatione accidentali materiæ vel formæ manet tota eſſentia ſacramenti. Ergo, &c.

Quæres 1. quanta debeat eſſe mutatio materiæ, ut cenſeatur eſſe ſubſtantialis?

R. Tanta debet eſſe, ut jam materia, juxta communem ſenſum & æſtimationem hominum, differat ſpecie moraliter à materia quam Chriſtus inſtituit, & uſurpat Eccleſia: unde fit ut nuncupetur diverſo nomine. Mutabitur ergo materia ſubſtantialiter, ſi quis baptiſet in aqua roſacea, vel conſecrare tentet in pane hordeaceo, aut maſſa triticea: nam maſſa triticea differt ſpecie moraliter à pane uſuali, licèt forſaſſe non differat ab eo ſpecie phyſica.

Quæres 2. quanta debeat eſſe mutatio formæ, ut cenſeri debeat ſubſtantialis?

R. Formæ mutatio ſubſtantialis erit, 1. ſi non adhibebantur verba ore prolata, ubi requiruntur eſſentialiter, ut re ipſa requiruntur in omnibus ſacramenſis, excepto Matrimonio, v. g. ſi quis ſacerdos pœnitentem abſolvat ſcripto vel nutibus. 2. Si adhibentur verba ore prolata, ubi requiruntur, ſed ita mutentur, ut non maneat ſenſus, quem Chriſtus ut eſſentialem inſtituit: tunc anim tollitur formæ eſſentia, quæ conſiſtit non in ſono aut numero ſyllabarum, ſed in ſenſu determinato à Chriſto.

Quæres, quot modis fieri poſſit ſubſtantialis mutatio formæ?

Reſp. Subſtantialis mutatio formæ ſex modis fieri poteſt. 1. Per additionem, ut ſi quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris, &c. Ratio eſt, quia tunc tollitur debitus ſenſus formæ. Quòd ſi quis diceret: Ego indignus peccator te baptizo in nomine Patris, &c. vel, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii à Patre procedentis, &c. vel, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & B. Virgo te adjuvet; tunc non tolleretur debitus ſenſus formæ, & ita mutatio eſſet tantùm accidentalis, & cum ea ſubſiſteret veritas ſacramenti.

At ſi diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & B. Virginis; vel hæc additio, *& B. Virginis*, ex intentione primaria proferentis, faceret cum præcedentibus unam & eandem propoſitionem, & tunc illud, *In nomine*, caderet indiviſibiliter & eodem modo in perſonas Trinitatis, & B. Virginem; vel faceret aliam virtualiter propoſitionem diverſam, cum præcedenti connexam per continuationem ſermonis; & tunc illud, *In nomine*, non caderet indiviſibiliter & eodem modo in B. Virginem & perſonas Trinitatis, neque tunc per illud, *In nomine*, invocaretur B. Vigo ut operans in baptiſmo eo modo, quo operantur perſonæ Trinitatis, ſed ſolùm ut potens interceſſione ſua prodeſſe baptizato ad conſervandam gratiam in baptiſmo acceptam. Si primum, corrumperetur ſenſus debitus formæ: ſi ſecundum, non corrumperetur. Unde in primo caſu tolleretur; in ſecundo verò non tolleretur veritas ſacramenti. Vide S. Thomam hic q. 60. a. 8. in O. Sed

Nota. Additio fieri poteſt in principio, vel in medio, vel fine. De additione, cùm fit in principio vel in medio, quæ dicimus, ſufficiunt. Cùm autem fit in fine, verba quæ adduntur, vel adduntur ut determinent verba priora, & ut ſint pars prædicati propoſitionis, quam priora verba faciunt; vel adduntur ut faciant aliam virtualiter propoſitionem, diverſam à præcedente, quacum connectitur per ſermonis continuationem. Si primo modo adduntur ex primaria intentione proferentis, qui ſcilicet ab initio talem propoſitionem proferre voluit, ante eorum prolationem nondùm propoſitio completa eſt, quia nondùm prolatum eſt totum prædicatum, atque ita ante eorum prolationem nondùm exiſtit propoſitionis ſenſus; non enim exiſtit ſenſus propoſitionis, niſi completa propoſitione. Unde fieri poteſt, ut propter verba primo modo addita, falſus ſit propoſitionis ſenſus, qui verus eſſet, illis non ſic additis.

Hoc primo modo fiet additio, ſi v. g. ſacerdos dicat: Hoc eſt Corpus meum phantaſticum, vel: Hoc eſt Corpus meum, non re, ſed figura: nam verba addita, etiam ex intentione proferentis, ſunt pars prædicati propoſitionis, & cum præcedentibus faciunt unam propoſitionem indiviſibiliter ſignificantem. Unde tunc tollitur debitus ſenſus formæ; quia propoſitiones propter additionem habent ſeorſum falſum & hæreticum; atque ita tollitur veritas ſacramenti.

Quòd ſi verba addantur ſecundo modo, veritas priorum non pendet à poſterioribus, ſeu ab additis, quia non pendet à poſterioribus priorum ſignificatio: priora enim ante poſteriorum prolationem, & quidem ex intentione proferentis, completam habent ſignificationem, ubi prolata ſunt: quia ubi prolata ſunt, ex intentione proferentis exiſtit integra & completa propoſitio, & tam integra ac completa, quàm ſi non continuaretur ſermo, & per hanc ſermonis continuationem, verba, quæ ſuperadduntur, non connecterentur cum prioribus jam prolatis. Quare verba, quæ ſuperadduntur, non poſſunt variare ſenſum priorum jam prolatorum, & ita non poſſunt impedire eorum veritatem, quantumvis ipſa falſum & hæreticum ſenſum exprimant.

Hoc ſecundo modo additio fiet, ſi v. g. ſacerdos dicat: Hoc eſt Corpus meum, quod non fuit crucifixum: unde hic falſitas verborum, quæ adduntur, non impediunt veritatem priorum, & ita non impediunt, ne priora debitum ſenſum formæ exprimant: quare ſacerdos validè conſecrabit, modò intentionem habeat faciendi quod facit Eccleſia. Hinc validè conſecrat ſacerdos Græcus, cùm dicit: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; quia & retinet debitum ſenſum formæ, & habet intentionem faciendi quod facit vera Eccleſia.

2. Per detractionem, ut ſi ſacerdos dicat: Hoc eſt corpus: Ego te à peccatis tuis: vel, Ego abſolvo à peccatis: tunc enim tollitur debitus ſenſus formæ; qui ſi non tollatur, tunc per detractionem fiet tantum mutatio accidentalis, ut ſi ſacerdos dicat: Ego te abſolvo à peccatis, vel, Te abſolvo à peccatis tuis, vel, Te abſolvo à peccatis. Unde tunc non tolletur veritas ſacramenti, & ita ſacerdos validè abſolvet, modò ſcilicet non deſint cætera ad id requiſita. Vide S. Thomam hic q. 60. art. 8. in O.

3. Per mutationem vocis in aliam, ut ſi Baptizans dicat: Ego te baptizo in nomine Trinitatis:

Digitized by Google

tunc enim tollitur debitus ſenſus formæ, quæ nimirum ex inſtitutione Chriſti debet expreſſam & diſtinctam continere invocationem trium perſonarum, Patris, Filii, & Spiritus ſancti. Tunc igitur mutatio ſubſtantialis eſt: at erit tantùm accidentalis, ſi una vox mutetur in aliam planè ſynonimam, ut ſi ſacerdos dicat: Ego te abluo à peccatis tuis, cùm baptizat: Ego tibi remitto peccata tua, cùm abſolvit. Item ſi voces mutentur in alias alterius linguæ, quæ eandem ſignificationem habeant, ſive tota forma, ſive aliqua tantùm illius pars mutetur. Item ſi vox figurata mutetur in propriam, ut ſi ſacerdos dicat: Hic eſt ſanguis meus; aut propria mutetur in figuratam, quæ ſenſum eundem exprimat, ut ſi ſacerdos dicat: Ego abſolvo dominationem veſtram à peccatis. Item ſi mutetur vox activa in paſſivam, eodem ſenſu retento, ut cùm græci dicunt: Baptizatur ſervus Chriſti in nomine Patris, &c. Item ſi vox mutetur in æquivocam, quæ in circumſtantiis in quibus fit mutatio, reddit ſenſum æquivalentem ei quem habet vox, quæ mutatur; ut ſi ſacerdos dicat: Ego baptizo Jacobum in nomine Patris, &c. Ratio pro his omnibus caſibus eſt, quia in eis debitus formæ ſenſus remanet.

4. Per vocis corruptionem, quæ fit detrahendo, vel mutando aliquam ſyllabam, ita ut corrumpatur debitus ſenſus formæ, ut ſi quis dicat: Ego te baptixo in nomine Matris, & Filii, &c. vel, Ego te baptizo in omine Patris, & Filii, &c. Quòd ſi per vocis corruptionem debitus ſenſus formæ non corrumpitur, tunc mutatio eſt tantùm accidentalis, ut ſi quis propter impedimentum linguæ dicat, Ego te batizo in nomine, &c. Hoc es Corpus meum. Item ſi quis dicat ex prava conſuetudine: Ego te baptizo in namine Patris, &c. Item ſi quis dicat ex imperitia linguæ, Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta. Ratio pro his caſibus, & aliis ſimilibus eſt, quia *quamvis*, ut ait S. Thomas q. 60. a. 7. ad 3. *verba corruptè prolata* (in his caſibus, & aliis ſimilibus) *nihil ſignificent ex virtute impoſitionis: accipiuntur tamen ut ſignificantia ex accommodatione uſus: & ideo licèt mutetur ſonus ſenſibilis, remanet tamen idem ſenſus*. Unde verba ſic corruptè pronunciata, eundem ſenſum animis ingenerant, quem ingenerarent verba integrè & rectè pronunciata. In his igitur caſibus, & aliis ſimilibus, remanet debitus ſenſus formæ, adeoque & veritas ſacramenti, quantùm eſt ex parte formæ.

Porrò pro ultimo caſu habemus expreſſam deciſionem Zachariæ Papæ de conſecr. diſt. 4. cap. *Retulerunt*, ubi Bonifacio Epiſcopo, ipſum conſulenti de ſacerdote quodam, *qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, neſciens latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, &c.* & idcircò eos, quos ille baptizaverat, eſſe rebaptizandos judicanti, reſpondet in hunc modum: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringens linguam, baptizans dixiſſet; non poſſumus conſentire, ut denuo baptizentur*. Hic autem Pontifex, dum ait, Si non introducens errorem aut hæreſim, &c. apertè innuit baptiſmum iterari potuiſſe, ſi ſacerdos ita baptizaſſet ex intentione introducendi errorem aut hæreſim, quia tunc præſumi potuiſſet, baptizando non intendiſſe quod intendit vera Eccleſia, adeoque baptiſmum ab eo collatum, nullum fuiſſe, non ex defectu formæ; ſed ex defectu intentionis debitæ.

5. Per tranſpoſitionem; ut ſi quis dicat: Ego in te baptizo nomine Patris: tunc enim tollitur ſenſus formæ debitus. Quando autem non tollitur, mutatio eſt tantùm accidentalis, quacum ſubſiſtit veritas ſacramenti, ut ſi quis dicat: Ego in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizo te.

6. denique per interruptionem, ſi nimirùm tanta ſit, ut impediat moralem unitatem orationis: tunc enim tollitur ſenſus formæ; ut ſi quis dicat: Ego te baptizo; nec niſi recitato pſalmo, proſequatur: In nomine Patris, & Filii, &c. Quòd ſi interruptio non ſit tanta, ſed ita parva, ut cum ea morali judicio in unam adhuc orationem verba coaleſcant, manet ſenſus formæ, & eſt tantùm mutatio accidentalis, quæ ſacramenti veritatem impedire non poteſt; ut ſi quis dicat: Ego te baptizo, & petita aqua, ſine mora proſequatur, In nomine Patris, &c. Vide S. Thomam hic q. 60. art. 8. ad 3. Qualis autem interruptio tollat, vel non tollat unitatem moralem orationis, ſeu impediat, vel non impediat ne verba in unam orationem coaleſcant, relinquitur arbitrio prudentum, ex circumſtantiis, & modo ac duratione definiendum: eſt enim res moralis, adeoque ex prudenti æſtimatione dependens.

Quæres 4. quid ſentiendum ſit de miniſtro, qui mutat formam, ut inducat novum ritum in Eccleſiam?

R. Vel mutat ſubſtantialiter, vel accidentaliter tantùm. Si primum, nullum eſt ſacramentum, ſaltem ex defectu formæ, ut conſtat ex dictis ſupra. Si ſecundum, vel adhuc habet generalem intentionem faciendi id quod Chriſtus inſtituit; vel non habet. Si primum, facit ſacramentum. Si ſecundum non facit ſacramentum, ob defectum debitæ intentionis. Ad caſum propoſitum ſic reſpondet S. Thomas hic q. 60. a. 8. in O. *Si intendat* (miniſter) *per hujuſmodi additionem vel diminutionem* (idem dic de aliis modis, quibus forma corrumpi poteſt) *alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici ſacramentum: quia non videtur quod intendat id quod facit Eccleſia*. In quo non adverſatur nobis S. Doctor: cùm enim dicit: *Non videtur*, tacitè innuit, à tali poſſe perfici ſacramentum, & re ipſa perfici, ſi habeat intentionem generalem faciendi ſacramentum; nec aliud vult, quàm nullum cenſeri poſſe & debere ſacramentum, ab eo collatum ex intentione particulari novum in Eccleſiam ritum inducendi, niſi aliunde poſitivè conſtet, quòd cum illa particulari intentione generalem habuerit faciendi id quod Chriſtus inſtituit.

Eodem modo intelligendus eſt, cum ait ead. q. a. 7. ad 3. *Qui corruptè profert verba ſacramentalia* (licèt non ea corrumpat ſubſtantialiter,) *ſi hoc ex induſtria facit, non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia; & ita non videtur perfici ſacramentum*. Talis enim, etiam ex induſtria corruptè proferendo formam, poteſt habere generalem intentionem faciendi ſacramentum, quæ tamen præſumi non debet; & niſi de ea poſitivè conſtet, ſacramentum nullum cenſendum eſt.

Quæres 5. quid ſentiendum ſit de miniſtro, qui errat putando in forma aliquid eſſe eſſentiale, quod non eſt eſſentiale; vel contra, aliquid in ea non eſſe eſſentiale, quod eſt eſſentiale, ſed re ipſa adhibet, quidquid eſſentiale eſt?

R. ab eo confici ſacramentum, quia & formam debitam adhibet, & habet debitam intentionem; modò tamen non omittat ex induſtria aliquid, quod ex errore putat eſſe eſſentiale: tunc enim debitam intentionem non habebit, & ita ex defectu intentionis non fiet ſacramentum.

Quæres 6. utrùm peccet, qui mutat formam?

R. 1. Peccat mortaliter, qui formam mutat ſubſtantialiter. Idem dic de eo, qui mutat ſubſtantialiter materiam. Ratio pro utroque eſt, quia uterque irritum reddit ſacramentum. 2. Qui formam mutat accidentaliter tantùm, aliquando mortaliter peccat, aliquando venialiter. Cùm mutatio notabilis eſt, & fit ſine cauſa probabili, peccat mortaliter, propter gravem irreverentiam erga ſacramentum; venialiter verò tantùm peccat, ſi mutatio ſit exigua, modò tamen non fiat ex contemptu, vel ex intentione introducendi novum ritum, praxi Eccleſiæ contrarium, aut ex alia ſimili intentione ſchiſmatica.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De cauſalitate Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramenta novæ legis cauſent gratiam.

NOta. Lutherani & Calviniſtæ ſacramentis noſtris immediatam & proximam reſpectu gratiæ cauſalitatem denegant; mediatam & remotam concedunt, docendo ea non juſtificare, ſed ſolùm valere ad excitandam vel alendam fidem, quæ homines proximè & immediatè juſtificat. Juxta illos igitur, ſacramenta noſtra ad juſtificationem non alio modo concurrunt, quàm verbum Dei prædicatum; niſi quòd verbum Dei prædicatum afficit aures, ſacramenta viſum afficiunt. Unde verbum Dei prædicatum per aures, ſacramenta verò per viſum excitant fidem.

Patet ex Luthero in lib. de captivitate Babylon. cap. de baptiſmo, ubi loquens de immediata & proxima efficientia, ſic ait: *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt* (proximè & immediatè,) *ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur baptiſmus: hæc enim juſtificat* (per ſe proximè & immediatè.) At in hom. 2. de efficientia mediata & remota loquens, ſic ait: *Non poteſt non id operari baptiſmus, ad quod inſtitutus eſt, videlicet regenerationem & renovationem Spiritus ſancti.* Juxta illum autem, baptiſmus inſtitutus eſt, ad operandam regenerationem mediatè tantùm & remotè, excitando ſcilicet fidem, quæ eſt cauſa proxima & immediata regenerationis.

Lutherum imitatur Calvinus, qui immediatam efficientiam excludit à ſacramentis noſtris, cùm dicit lib. 4. inſtit. cap. 14. §. 17. *Cavendum præterea ne in errorem . . . nos abducant, quæ ad amplificandam ſacramentorum dignitatem paulo magnificentiùs à veteribus ſcripta ſunt; ne ſcilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem ſacramentis annexam, affixamque eſſe, quo ipſa per ſe Spiritus ſancti gratias nobis conferant.* Non aliam verò, quàm mediatam & remotam ad ſenſum Lutheri attribuere intendit in antidoto Conc. Trid. ſeſſ. 7. cùm dicit can. 5. *Semper memoria repetendum eſt, ſacramenta nihil quàm inſtrumentales eſſe conferendæ nobis gratiæ cauſas.* Et can. 7. *Si qui ſint, qui negent ſacramentis contineri gratiam quam figurant, illos improbamus.* Nam can. 8. aſſerit ſacramenta in nobis efficere gratiam, eo modo quo efficit verbum Dei prædicatum. Verbum autem Dei prædicatum non efficit in nobis gratiam, niſi excitando fidem, & alios actus ſalutares, quibus gratiam promeremur. Lutheranos autem & Calviniſtas Luthero & Calvino conſentire, ex eo manifeſtum eſt, quòd loco primi principii habeant, ſolam fidem juſtificare, per ſe ſcilicet & immediatè. Sed contra illos ſit

RESPONSIO I.

Sacramenta novæ legis proximè & immediatè cauſant gratiam.

Ita S. Thomas hic q. 62. art. 1. in O. & eſt de fide, & *prob.* 1. Idem judicium eſto de aliis ſacramentis (ſupple ſemper, novæ legis) ac de baptiſmo. Atqui baptiſmus cauſat gratiam per ſe proximè & immediatè. Ergo, &c. Major negari non poteſt: cùm enim alia ſacramenta tam verè & propriè ſint ſacramenta, quàm baptiſmus, non poteſt baptiſmus habere proximam & immediatam efficientiam reſpectu gratiæ, quia ſacramentum eſt, quin illam quoque habeant reliqua ſacramenta.

Prob. ergo min. 1. Ex Apoſtolo dicente Epheſ. c. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. c. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 2. Ex Patribus Græcis & Latinis. Pro Græcis ſit Gregorius Nyſſenus in libro de bapt. in quo ſic ait: *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis & regenerationis cauſa.* Pro Latinis verò Auguſtinus tract. 80. in Joan. *Unde iſta*, inquit, *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* 3. Ex Conciliis, Milevitano II. can. 2. *Placuit, ut quicumque parvulos . . . dicit in remiſſionem quidem peccatorum . . . baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur . . . anathema ſit.* Et Arauſicano II. can. 25. *Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quòd, accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, &c.* Ex his

Argumentor breviter. Illud eſt cauſa proxima & immediata gratiæ (ſanctificantis ſcilicet, nam de ea hic loquimur) quod eſt cauſa proxima & immediata remiſſionis peccatorum, & regenerationis ſpiritualis. Atqui ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, baptiſmus eſt cauſa proxima & immediata remiſſionis peccatorum & regenerationis ſpiritualis. Ergo ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, baptiſmus eſt cauſa proxima & immediata gratiæ, per quam remittuntur peccata, & homines regenerantur ſpiritualiter.

At inquies. Gratis dicitur, Scripturas ſacras tribuere baptiſmo proximam & immediatam efficientiam reſpectu remiſſionis peccatorum, & regenerationis ſpiritualis: nam facilè intelliguntur de mediata tantùm & remota efficientia. *R.* neg. Nam 1. hæc mediata & remota efficientia, qualem intelligunt novatores, non eſt efficientia, niſi in ſenſu improprio. Scripturas autem tribuere baptiſmo propriam efficientiam reſpectu remiſſionis peccatorum, & regenerationis ſpiritualis, clarum eſt ex terminis, niſi detorqueantur in ſenſum improprium, quod hic fieri nefas eſt; cùm eas ſic accipiendi nulla poſſit eſſe cauſa probabilis.

2. De propria, adeoque proxima & immediata efficientia eas intelligunt magno conſenſu Patres tam Græci, quàm Latini, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Bellarminum lib. 2. de ſacram. cap. 6. & 7. nec aliter ſeſe expediunt Lutherus & Calvinus, quàm contemnendo auctoritatem Patrum, quorum tamen conſenſus unanimis, divinæ traditionis, & germani Scripturarum ſenſus invictiſſimum argumentum eſt. Semetipſum igitur jugulat Lutherus, cum in libro adverſus Cochlæum teſtimonia Patrum baptiſmo & aliis ſacramentis veram & propriè dictam cauſalitatem aſſerentia, dicit, *hominum eſſe dicta, ſibi ipſis ſæpius pugnantium, & pleraque humano ſenſu extra Scripturas docentium.* Et cum Luthero Calvinus, cùm lib. 4. inſtit. §. 26. Patrum dicta in præſenti materia vocat *immodica ſacramentorum encomia, & dicendi figuras hyperbolicas*, quibus decepti Catholici *hyperbolica ſua dogmata promulgarunt.*

Prob. 2. ex Conc. Florent. in decreto Eugenii §. *Quinto*, ubi dicitur: *Hæc vero noſtra* (ſacramenta) *& continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Quòd autem loquatur de proxima & immediata collatione ſeu efficientia gratiæ, patet ex eo quod ibidem dicit de ſacramentis legis Moſaicæ, ea ſcilicet non cauſaſſe gratiam, ſed ſolùm eam per paſſionem Chriſti dandam eſſe figuraſſe, ubi mediatam & remotam in ſenſu novatorum efficientiam gratiæ non denegat ſacramentis illis, ſed proximam & immediatam: nam figurando gratiam propter merita Chriſti dandam, valere poterant, & valebant ad excitandam fidem. Quam autem efficientiam reſpectu gratiæ denegat Synodus ſacramentis veteris legis, eam concedit ſacramentis legis evangelicæ. Ergo, &c.

Accedit Tridentina Synodus ſeſſ. 7. ubi anathematizantur can. 5. qui dicunt, novæ legis *ſacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe.* Can. 6. Qui dicunt, ſacramenta novæ legis *non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre.* Can. 7. Qui dicunt,

non dari gratiam per hujuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus; quantum eſt ex parte Dei, &c. Can. 8. Qui dicunt, *per ipſa nova legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere.* Quo præſertim octavo canone profligatur novatorum hæreſis de mediata tantùm & remota ſacramentorum noſtrorum efficacia reſpectu gratiæ.

Prob. 4. ratione. Nam ſi ſacramenta non operantur niſi mediatè, fidem ſcilicet excitando, 1. non valet baptiſmus collatus v.g. lingua Latina, iis qui hanc linguam ignorant. Falſum conſ. ex ipſiſmet adverſariis, qui idiotas in Eccleſia catholica latino ſermone baptizatos non rebaptizant. Ergo, &c. 2. Infantes non poſſunt validè baptizari, quacumque lingua baptizentur, quia quacumque lingua baptizentur, non poteſt in illis per baptiſmum excitari fides, cujus ſunt prorſus incapaces. Conſequens, hæreticum eſt, & contrarium praxi adverſariorum, qui infantes à nobis baptizatos non rebaptizant in adulta ætate. Ergo, &c.

R e s p o n s i o II.

Sacramenta novæ legis cauſant gratiam, ut cauſæ inſtrumentales tantùm.

Prob. Nam 1. ſolus Deus eſt cauſa principalis gratiæ, juxta illud Apoſtoli Rom. c. 3. *Unus eſt Deus, qui juſtificat;* ſupple, tanquam cauſa principalis. 2. Rem expreſſè definit Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 7. ubi ſic loquitur: *Hujus juſtificationis cauſa ſunt, finalis quidem gloria Dei & Chriſti, & vita æterna: efficiens* (ſeu principalis) *miſericors Deus, qui gratuitò abluit, & ſanctificat.... meritoria autem dilectiſſimus unigenitus ſuus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ... nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit. Inſtrumentalis item ſacramentum Baptiſmi.* Nam ſi baptiſmus eſt tantùm cauſa inſtrumentalis, quà ſacramentum eſt, manifeſtum eſt eſſe de ratione ſacramenti, quòd ſit cauſa inſtrumentalis tantùm, adeoque ſacramenta omnia eſſe tantùm cauſas inſtrumentales. 3. denique eſt cauſa inſtrumentalis, quod ſe habet per modum artefacti, & ab alio aſſumitur ad producendum aliquem effectum. Atqui ſacramenta novæ legis ſe habent ad modum quorumdam inſtrumentorum moralium, & Deus ea aſſumit ad producendam gratiam. Ergo, &c.

R e s p o n s i o III.

Sacramenta novæ legis rectè dicuntur cauſare gratiam ex opere operato.

Eſt de fide, ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 8. & probatur ratione. Gratiam per ſacramenta cauſari ex opere operato, nihil aliud eſt, quàm non ex merito conficientis ſacramentum, aut ſuſcipientis illud, ſed ex vi ritus externi, in quo conſiſtit ſacramentum, gratiam conferri; vel, ſi vis, quod idem eſt, nihil aliud eſt, quàm à Deo conferri gratiam intuitu operis externi, in quo conſiſtit ſacramentum; conferri, inquam, independenter ab omni actu ſive conficientis ſacramentum, ſive ſuſcipientis illud, ut meritorio gratiæ, quæ confertur. Atqui gratia ſic à Deo confertur intuitu præciſè operis externi, in quo ſacramentum conſiſtit, modò tamen non ponatur obex collationi gratiæ per defectum diſpoſitionum prærequiſitarum in adulto ſuſcipiente ſacramentum. Ergo, &c.

Dixi, modò non ponatur, &c. Non enim catholici eo ſenſu dicunt per ſacramenta novæ legis cauſari gratiam ex opere operato, quòd nullæ in adultis ſacramenta ſuſcipientibus diſpoſitiones prærequirantur ad effectum ſacramentorum, ut falsò imponunt illis novatores. Sed è contra profitemur omnes in adultis requiri actus aliquos ſalutares per modum diſpoſitionum, ſine quibus ſacramenta non conferunt gratiam. Solùm itaque volumus, quòd ipſum opus operatum (operatum autem hic paſſivè ſumitur) hoc eſt, ipſum opus externum, juxta inſtitutionem Chriſti factum, in quo ſacramentum conſiſtit, vim habet per ſe ipſum conferendi, & re ipſa per ſe ipſum conferat gratiam etiam adultis, prærequiſitas ad gratiæ ſuſceptionem diſpoſitiones habentibus. Sed

Nota. Cùm adultus gratiam accipit in ſacramento, multa ad gratiæ collationem concurrunt, nempe Deus, qui ritu externo ſeu ſacramento utitur; merita paſſionis & mortis Chriſti, quæ per ritum externum applicantur; poteſtas & intentio miniſtri, à quo ritus externus ſecundùm inſtitutionem Chriſti ponitur; intentio, fides, & alii actus ſalutares adulti, à quo ſacramentum ſuſcipitur; ritus externus, quem Chriſtus inſtituit, & ſine quo gratia non conferretur; gloria denique Dei & Chriſti cum vita æterna, ad quas collatio gratiæ ordinatur.

Deus autem ad hanc gratiæ, quæ in ſacramento datur, collationem concurrit ut cauſa activa principalis; merita Chriſti ut cauſa meritoria; miniſter per poteſtatem & intentionem, ut cauſa inſtrumentalis activa mediata; intentio & alii actus ſalutares adulti ſuſcipientis ſacramentum, ut diſpoſitiones ſubjecti; gloria Dei & Chriſti cum vita æterna, ut cauſa finalis; ritus denique externus, conſtans ex materia & forma, à miniſtro ſecundùm inſtitutionem Chriſti debitè applicatis, ut cauſa activa inſtrumentalis proxima & immediata: dico, proxima & immediata, quia inter ritum illum, & gratiam, quæ per illum confertur, non mediat alia cauſa inſtrumentalis, ſicut ipſe inter gratiam quæ confertur, & miniſtrum mediat; unde miniſter eſt tantùm cauſa inſtrumentalis mediata & remota.

Obj. 1. illud Matth. c. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et illud ep. 1. Petri c. 3. *Vos nunc ſimilis forma, ſalvos facit baptiſma. Non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Et illud Job. c. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?*

R. ad 1. Scripturam manifeſtè loqui de fide, quæ baptiſmum præcedit. Ergo non loquitur de fide, quæ per baptiſmum excitetur: nam ſi quam excitat fidem baptiſmus, hæc collationem illius non præcedit, ſed ſubſequitur. Ergo loquitur de fide, quæ in adulto ſuſcipiente baptiſmum, tanquam diſpoſitio prærequiritur ad hoc, ut recipere poſſit gratiam, quæ omni ſubjecto ritè diſpoſito confertur per baptiſmum, velut cauſam inſtrumentalem proximam & immediatam.

R. ad 2. hujus Scripturæ ſenſum eſſe, quòd baptiſmus à Chriſto inſtitutus, vim habeat non ſolùm abluendi ſordes corporis, quod ſolùm poterant baptiſmata Judæorum, ſed etiam emundandi animam, & ita emundandi, ut non vereatur ſiſti coram Deo, & ab eo interrogari. Certè hic textus valdè obſcurus eſt, adeoque explicari debet per alios clariores, qui baptiſmo tanquam inſtrumento, quo Deus utitur, clarè attribuunt remiſſionem peccatorum, & ſpiritualem regenerationem.

R. ad 3. ex hoc loco probari tantùm, quòd Deus ſit principalis cauſa emundationis ſpiritualis, ſeu remiſſionis peccatorum, ad quam præſtandam illum miniſterio hominis, & ſacramento tanquam inſtrumentali cauſa, uti quid vetat? Et verò numquid novatores ipſi docent Deum uti fide peccatoris ad illius juſtificationem?

Obj. 2. S. Hieronymus in cap. 4. Iſaiæ ad hæc verba Joannis Baptiſtæ, Joan. c. 1. *Ego baptizo vos in aqua; Qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne;* ſic ait: *Ex quo diſcimus quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum ſanctum, quo ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur. R.* S. Doctorem nihil aliud velle, quàm hominem ſola ſua naturali virtute non poſſe ſordes animæ abluere, hoc eſt, propria auctoritate peccata remittere, quod non impedit quominùs id poſſit per poteſtatem miniſterialem & inſtrumentalem à Deo acceptam.

Itaque juxta S. Hieronymum, ſi ſpectes hominem præciſè ſecundùm virtutem naturalem quam habet, poteſt tantùm aqua corpus abluere, & verba

con-

Digitized by Google

conſecratoria proferre: at quia corpus abluendo, & proferendo verba conſecratoria, per poteſtatem miniſterialem quam habet ex inſtitutione Chriſti, facit ſacramentum, quo Deus utitur ut cauſa inſtrumentali ad tribuendam gratiam, qua ſordes abluuntur, & ſanguis peccata purgantur, præter virtutem naturalem, vi cujus ſolùm poteſt corpus abluere, ſpiritualem & ſupernaturalem aliam habet, qua per ſacramentum, adeoque ut cauſa inſtrumentalis mediata, poteſt, corpus abluendo, abluere ſordes animæ, ſeu tribuere Spiritum ſanctum, quo ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.

Obj. 3. S. Auguſtinum, qui ſic loquitur in lib. qq. veteris & novi teſtamenti q. 59. *Nec donum cæleſte poteris conſequi, qui ſe per aquam, non per fidem immutari credas.* Et ſerm. 30. de verbis Domini: *Baptiſma, quod ſemel adhibetur, per fidem mundat.* Et lib. 15. de Trin. c. 26. *Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? Imò quantus Deus eſt, qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant.* Denique in libro qq. ſuper Leviticum q. 84. dicit hominem per viſibile ſacramentum conferre viſibilem ſanctificationem; Deum verò inviſibilem, quæ in infuſione gratiæ conſiſtit, dare per Spiritum ſanctum. Præterea, ſupponit viſibilem ſanctificationem, quæ per viſibile ſacramentum confertur, adeoque ipſum viſibile ſacramentum eſſe poſſe ſine ſanctificatione inviſibili.

R. ad 1. librum illum non eſſe Auguſtini, ſed alicujus hæretici, cum ſcateat multis & graviſſimis erroribus, ut obſervat Bellarminus in libro de Script. Eccl. in Auguſtino pag. 171.

R. ad 2. S. Doctorem, ut patet ex contextu, ſolùm velle quòd baptiſmus non mundet adultos ſine fide, videlicet ut diſpoſitione in illis ad ſpiritualem emundationem etiam in ſacramento prærequiſita.

R. ad 3. ibi S. Doctorem probare divinitatem Filii, ex eo quòd det, hoc eſt, ex eo quòd mittat Spiritum ſanctum, qui Deus eſt, & Deus non poteſt mitti, niſi à Deo, quia Deus mitti non poteſt, niſi ab eo à quo procedit, & non procedit niſi à Deo. Hinc Spiritus ſanctus nec datur, nec dari poteſt ab ulla creatura in eo ſenſu, in quo datur à Filio, nec à Filio ſolùm, ſed etiam à Patre, quia procedit ab utroque; hoc eſt, Spiritus ſanctus nec datur, nec dari poteſt principaliter ab ulla creatura: ſic enim dari Spiritum ſanctum, eſt illum mitti: at poteſt ab homine per poteſtatem à Chriſto acceptam dari inſtrumentaliter, faciendo ſcilicet ſacramentum, quo Deus ut inſtrumento utitur ad infundendam gratiam, & alia dona Spiritus ſancti, per quam infuſionem Spiritus ſanctus à Patre & Filio mittitur: unde illud Act. cap. 8. *Cum vidiſſet autem Simon* (Magus) *quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit, &c.*

R. ad 4. S. Doctorem hoc loco, 1. per ſanctificationem viſibilem intelligere conſecrationem, ſeu ſpecialem ad cultum divinum deputationem ſuſcipientis ſacramentum. 2. Velle conſecrationem hanc ſeparari non poſſe à ſacramenti ſuſceptione: ita ut, quod verum eſt, hoc ipſo quòd quis aliquod ſacramentum ſuſcipit, non poſſit non mancipari ſpecialiter cultui divino; adeoque ad conſecrationem hanc, ſeu viſibilem ſanctificationem, præter ſacramentum, aliud non requiratur; quia conſecratio hæc, ſeu ſanctificatio viſibilis eſt effectus formalis neceſſarius ſacramenti. 3. Dicere quòd è contra, quod etiam verum eſt, ad ſanctificationem inviſibilem, præter ſacramentum, adeoque & præter actionem hominis ſacramentum conferentis, requiratur operatio Dei per Spiritum ſanctum infundentis gratiam, in qua ſanctificatio inviſibilis conſiſtit. Unde cùm actio hominis ſacramentum conferentis, ac proinde ſacramentum poſſit eſſe ſine operatione Dei per Spiritum ſanctum infundentis gratiam propter defectum diſpoſitionis in ſubjecto; & viciſſim operatio Dei per Spiritum ſanctum infundentis gratiam, poſſit eſſe ſine actione hominis ſacramentum conferentis, ac proinde ſine ſacramento, quia neque homini, neque ſacramento alligata eſt operatio Dei, poteſt ſacramentum cum viſibili ſanctificatione eſſe ſine ſanctificatione inviſibili, & viciſſim ſanctificatio inviſibilis poteſt eſſe ſine ſacramento & viſibili ſanctificatione.

Probat hoc S. Doctor exemplo Simonis Magi & Joannis Baptiſtæ: nam Simon Magus, poſtquam baptiſatus eſt, habuit ſanctificationem viſibilem, quia per baptiſmum ſuſceptum ſpecialiter mancipatus eſt cultui divino; at non habuit ſanctificationem inviſibilem, quia per baptiſmum ſuſceptum non accepit gratiam, defectu diſpoſitionum prærequiſitarum, ſive quia baptiſmum fictè ſuſcipiendo, impedivit operationem illam, qua Deus per Spiritum ſanctum infundit gratiam, & infundendo inviſibiliter ſanctificat. E contra Joannes Baptiſta, antequam baptiſaret in Jordane, habuit ſanctificationem inviſibilem, quia tunc fuit juſtus & amicus Dei, quod eſſe non potuit ſine ſanctificatione inviſibili; at non habuit viſibilem ſanctificationem, quam confert baptiſmus Chriſti, quia non fuit baptiſatus à Chriſto, antequam ipſe baptiſaret.

Ex hac autem S. Auguſtini doctrina quid ſequitur? 1. Adultum ſine ſacramentis in re ſuſceptis ſalvari poſſe, quia ſine ſacramentis in re ſuſceptis poteſt habere ſanctificationem inviſibilem, & cum ea migrare ex hac vita. 2. In adultis ad ſanctificationem inviſibilem in ſacramento accipiendam, requiri certas aliquas diſpoſitiones, licèt non requirantur ad validam ſacramenti ſuſceptionem, & ita non requirantur ad ſanctificationem viſibilem in ſacramento accipiendam. Ex quo ulteriùs ſequitur, non quòd ſacramenta noſtra non cauſent gratiam, in qua conſiſtit ſanctificatio inviſibilis, ſed tantùm quod non ſemper cauſent illam in adultis; quia adulti non ſemper habent, cùm ſacramenta ſuſcipiunt, certas aliquas diſpoſitiones, quas Deus, qui gratiæ cauſa principalis eſt, exigit, & ſine quibus proinde ſacramenta, quæ ſunt tantùm cauſæ inſtrumentales gratiæ, eam conferre non poſſunt iis, à quibus ſuſcipiuntur.

Dices. S. Auguſtinus lib. 21. de civ. c. 25. refellit illos, *qui liberationem ab æterno igne promittunt eis qui Chriſti baptiſmate abluti, & corporis ejus & ſanguinis participes facti ſunt, quomodolibet vixerint, in quacumque hæreſi, vel impietate fuerint.* R. S. Doctorem tales refellere, non quia ſentiebant Baptiſmum & Euchariſtiam cauſare gratiam ex opere operato, ſed quia volebant gratiam, in baptiſmo & ſacra communione acceptam, amitti non poſſe per quamcumque impietatem, aut hæreſim; vel, ſi vis, quod eodem redit, quia docebant, iis qui baptiſati, corporis & ſanguinis Chriſti in ſumptione Euchariſtiæ participes facti fuerant, nequidem graviſſima delicta ad damnationem imputari. Unde refellit illos S. Doctor ex his Apoſtoli verbis Gal. c. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.*

Obj. 4. Tertullianum lib. de pœnitentia c. 6. ubi de baptiſmo ſic loquitur: *Lavacrum illud obſignatio eſt fidei ... Non ideo abluimur, ut delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus, quoniam jam corde loti ſumus ... cæterum ſi ab aquis peccare deſiſtimus; neceſſitate, non ſponte innocentiam induimus.* R. à Tertulliano baptiſmum vocari obſignationem ſeu ſigillum fidei, non quòd excitet fidem, qua juſtificetur is, qui baptiſatur, ſed quia is qui baptiſatur, per illum publicè proteſtatus fidem ſuam, & Eccleſia illum baptiſando, fidem quoque ſuam publicè profitetur. Porrò cùm addit, *Non ideò abluimur, &c.* ſolùm admonet adultos, ut non niſi emendata vita, ad baptiſmum accedant, & per lotionem cordis, quacum vult illos baptiſmum ſuſcipere, intelligit ceſſationem à peccatis, & efficax vitæ melioris propoſitum, ſine quo animæ emundationem & ſanctificationem in baptiſmo conſequi non poſſunt.

Obj. 5. Si ſacramenta cauſant gratiam ex opere opera-

opperato, Deus ſacramentis alligatus eſt. Abſurdum conſ. Ergo, &c. *R.* neg. ſeq. maj. Itaque non Deus ſacramentis alligatus eſt, ſed è contra ſacramenta alligata ſunt Deo: nam Deus poteſt infundere gratiam, & remittere peccata ſine ſacramentis; at ſacramenta ſine Deo non poſſunt; Deus enim eſt cauſa principalis, ſacramenta verò ſunt tantùm cauſæ inſtrumentales juſtificationis. Cauſa autem inſtrumentalis in operando eſſentialiter dependet à cauſa principali; non viciſſim. Quòd autem Deus non poſſit non conferre gratiam iis qui eum requiſitis diſpoſitionibus ſacramenta ſuſcipiunt, ideò non poteſt, quia non poteſt non eſſe fidelis in promiſſis ſuis exequendis, non quòd ſacramentis alligatus ſit.

Obj. 6. In omni ſacramento requiritur verbum promiſſionis. Ergo in omni ſacramento requiritur fides, qua credatur promiſſio. Ergo in omni ſacramento, fides eſt, quæ proximè & immediatè operatur. *R.* 1. requiſitum quidem fuiſſe verbum promiſſionis in inſtitutione ſacramentorum noſtrorum, quia ſacramenta noſtra ſunt ſigna efficacia gratiæ, adeoque ſigna, quibus gratiæ promiſſio adnecti debuit, cùm inſtituta fuerunt; at in eorum uſu non requiri; cùm enim miniſter ſacramentum confert, neceſſe non eſt, ut tunc credendam proponat promiſſionem gratiæ ſacramento adnexam, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ: nam v.g. qui baptiſmum adminiſtrat, non dicit: *Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, &c.* ſed; *Ego te baptiſo in nomine Patris, &c.* *R.* 2. Dato quòd in ſuſcipiente quodlibet ſacramentum requiratur actualis fides promiſſionis gratiæ ſacramento adnexæ, hanc fidem requiri tantùm ut diſpoſitionem, ſine qua ſacramentum gratiam conferre non poteſt, quia vim non habet movendi Deum ad dandam gratiam ſubjecto indiſpoſito.

ARTICULUS II.

Utrùm Sacramenta novæ legis cauſent gratiam phyſicè, an moraliter tantùm.

NOta 1. Cauſa efficiens duplex eſt, phyſica ſcilicet, quæ phyſicè, & moralis quæ moraliter producit effectum. Cauſa phyſica eſt principium immediatum actionis, qua effectus accipit exiſtentiam. Cauſa moralis movet cauſam phyſicam ad ponendam actionem, qua effectus accipit exiſtentiam. Unde cauſa moralis per phyſicam, non cauſa phyſica per moralem influit in effectum.

Nota 2. Cauſa moralis & cauſa finalis in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt: conveniunt in eo, quòd utraque movet cauſam phyſicam; & eam movendo, per eam in effectum influit: differunt in eo, quòd moralis moveat per antecedentem ſuam exiſtentiam, finalis verò non: finalis enim movet, non quia eſt, ſed ut ſit; cùm moralis moveat, non ut ſit, ſed quia eſt.

Nota 3. Utraque cauſa efficiens, phyſica & moralis, eſt propriè cauſa, & ſubdividitur in principalem & inſtrumentalem. Principalis dicitur ea, quæ in virtute propria; inſtrumentalis verò, quæ in virtute alterius efficit, phyſicè quidem, ſi eſt cauſa phyſica, moraliter verò, ſi eſt cauſa moralis.

Nota 4. Certum eſt ſacramenta novæ legis eſſe cauſas morales gratiæ, ſive ſint etiam cauſæ phyſicæ, ſive non. Nam 1. ſi quis v.g. hodie fictus baptiſmum ſuſcipiat, & cras fictionem deponat, gratiam, quam hodie non accipit propter obicem, cras, obice ſublato, accipiet virtute baptiſmi hodie ſuſcepti, adeoque baptiſmus craſtina die, qua non erit ampliùs, cauſabit gratiam: at non cauſabit phyſicè; quod enim non eſt ampliùs, non poteſt cauſare phyſicè. Ergo cauſabit moraliter, movendo ſcilicet Deum ad infundendam gratiam. 2. Sacramenta noſtra, poſtquam ritè ſuſcepta fuerunt, & phyſicè prætererierunt, determinant Deum ad danda auxilia actualia, ad finem eorum obtinendum idonea; danda, inquam, quando & ubi opus eſt. Atqui hoc eſt, cauſare moraliter auxilia illa. Ergo, &c.

RESPONSIO.

Sacramenta novæ legis, non phyſicè, ſed moraliter tantum cauſant gratiam.

Prob. Nam ſacramenta novæ legis vim habent cauſandi moraliter gratiam, & cauſalitas moralis omninò ſufficit; ut ſacramenta illa dicantur & ſint verè ac propriè cauſæ gratiæ: nam cauſalitas moralis eſt vera & propria cauſalitas, vi cujus verè & propriè effectus tribuitur cauſæ morali, imò ſæpè potiori jure tribuitur cauſæ morali, quàm cauſæ phyſicæ. Ergo præter vim illam cauſandi moraliter gratiam, quam certo certiùs habent ſacramenta novæ legis, fruſtra eis attribuitur alia, nempe vis cauſandi phyſicè. Quod

Confirmatur. Quia vim cauſandi phyſicè gratiam ſacramentis attribuere non poſſumus cum ſufficienti fundamento: imò quòd vim illam habere poſſint, videtur prorſus incredibile: quomodo enim fieri poteſt, ut ſyllabæ aliquæ eleventur ad phyſicè producendum ens ſpirituale, qualis eſt gratia ſanctificans. Et quod dicunt adverſarii, quidlibet à Deo aſſumi poſſe ad phyſicè producendum quidlibet, fidem omnem ſuperat, & tam facilè negatur, quàm aſſeritur.

Obj. 1. In Scripturis dicimur mundari, & ſanctificari per lavacrum regenerationis, lavacro aquæ in verbo vitæ, &c. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Scripturæ eodem modo loquuntur de ſanguine & paſſione Chriſti. Chriſti autem paſſio non exiſtit ampliùs, adeoque non poteſt nos mundare & ſanctificare phyſicè, ſed moraliter tantum, in quantùm Deus intuitu illius phyſicè nobis infundit gratiam, quà mundamur & ſanctificamur. Manifeſtum igitur eſt, ex antecedente malè inferri cauſalitatem phyſicam ſacramentorum. Et verò ſi paſſio Chriſti verè & propriè dicitur mundare & ſanctificare nos, quamvis nec cauſet, nec cauſare poſſit niſi moraliter emundationem & ſanctificationem noſtram, quare pariter ſacramenta noſtra non dicentur verè & propriè nos mundare & ſanctificare, quamvis emundationem & ſanctificationem noſtram non niſi moraliter cauſent, aut etiam cauſare poſſint? *Amplius.* Paſſio Chriſti nos verè & propriè mundat & ſanctificat, quia eſt cauſa moralis emundationis & ſanctificationis noſtræ, & cauſa moralis eſt verè & propriè cauſa. Ergo ſimiliter ſacramenta noſtra verè & propriè mundant & ſanctificant nos, quantumvis ſupponantur emundationis & ſanctificationis noſtræ eſſe cauſæ morales tantùm.

Obj. 2. Florentinum & Tridentinum Concilium dicunt ſacramenta novæ legis continere gratiam, & eam dignè ſuſcipientibus conferre. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Florentinum & Tridentinum ſacramentis noſtris præcisè attribuunt veram & propriè dictam cauſalitatem reſpectu gratiæ. Unde cùm cauſalitas moralis ſit vera & propriè dicta cauſalitas, ſacramentis noſtris attribuendo moralem cauſalitatem reſpectu gratiæ, omninò ſatisfacimus intentioni Conciliorum illorum. Quod hic de Florentino & Tridentino dicimus, dictum eſto de SS. Patribus, quorum teſtimonia de cauſalitate morali nullo negotio intelliguntur. Et verò cùm Patres operationem ſacramentorum noſtrorum comparant operationi phyſicæ, comparant non quoad modum influendi, quod parvi ſacramentorum intereſt, ſed quoad veritatem effectus tantùm: ſacramentis enim noſtris ſatis eſt, ſi eis veram & propriè dictam efficientiam vindices.

At inquies. SS. Patres admirantur & extollunt admodùm vim ſacramentorum noſtrorum. *R.* nihil inde ſequi pro adverſariis. Nam v. g. magna eſt virtus gratiæ ſanctificantis ad dignificanda opera in Deo facta, & ad conſequendam æternam gloriam; & tamen hæc virtus eſt moralis tantùm. Similiter quamvis virtus ſacramentorùm noſtrorum ſit tantùm virtus moralis, ſingularis eſt admodùm, & admiratione digna: prorſus enim ſingulare eſt, & admiratione dignum, quòd Deus rebus per ſe vilibus & infirmis uti velit ad producendos effectus adeo mirabiles, & na-

turam

Digitized by Google

turam ſuperantes, puta ad producendam gratiam ſanctificantem, & ad quantacumque peccata quantocumque numero abolenda: ita ut res illæ ad hos effectus concurrant ut inſtrumentales cauſæ veræ ac propriè dictæ; ſive concurrant, phyſicè influendo, ſive concurrant influendo tantùm moraliter; Deum ſcilicet movendo & determinando.

Obj. 3. Chriſtus humanitate ſua, tangendo vel loquendo, conferebat gratiam, & patrabat miracula per efficientiam phyſicam. Ergo & ſacramenta, cùm reputentur ut verba & actiones Chriſti, per efficientiam phyſicam conferunt gratiam. *R.* neg. ant. & dico Chriſtum ſua humanitate moraliter, & ſua divinitate phyſicè operatum eſſe miracula, cum in terris degebat: ſicut nunc degens in cœlis, humanitate ſua moraliter, & divinitate ſua phyſicè operatur in nobis per influxum internum gratiæ. De quo influxu ſic loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Jeſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent, &c.* Sicut igitur Chriſtus olim in terris exiſtens, conferebat, & nunc exiſtens in cœlis, confert hominibus gratiam morali efficientia per humanitatem ſuam, & phyſica per ſuam divinitatem: ita pariter morali efficientia per ſacramenta, & phyſica efficientia per divinitatis ſuæ omnipotentiam confert nobis gratiam. Et ſicut humanitas Chriſti fuit vera & propriè dicta cauſa inſtrumentalis, qua Chriſtus ut Deus utebatur ad dandam gratiam & facienda miracula, quamvis ad hæc moraliter tantùm concurreret: ita ſacramenta noſtra ſunt veræ & propriè dictæ cauſæ inſtrumentales, quibus Deus utitur &c. quamvis moraliter tantùm concurrant ad, &c.

Obj. 4. In ſententia noſtra nullum eſt diſcrimen, quantùm ad efficientiam, inter ſacramenta noſtra & ſacramenta veteris legis. *R.* negando. Nam ſacramenta noſtra non ſolùm ſignificant, ſed etiam verè ac propriè cauſant gratiam: ſacramenta verò legis veteris illam ſignificabant tantùm. Sacramenta autem noſtra verè & propriè cauſant gratiam, quia vim habent movendi, & movent infallibiliter Deum ad eam dandam ſubjecto ritè diſpoſito; & hanc vim habent, quia ſunt moraliter actiones Chriſti, à cujus proinde dignitate valorem accipiunt ad impetrandum infallibiliter id quod Chriſtus per ea poſtulat; & ſunt moraliter actiones Chriſti, quia ſecundum inſtitutionem Chriſti, homo qui ſacramentum conficit, conficit illud ut miniſter Chriſti, & nomine Chriſti: unde fit ut ritus ille externus, in quo conſiſtit ſacramentum, fit phyſicè ab homine, ut cauſa efficiente inſtrumentali, moraliter verò à Chriſto, ut cauſa efficiente principali; atque ita magis ſit in æſtimatione morali actus Chriſti, quàm hominis.

Porrò nihil ſimile dici poteſt de ſacramentis legis veteris: neque enim dici poſſunt fuiſſe actiones Chriſti; cùm neque ab eo inſtituta fuerint, neque ejus nomine conferri potuerint, quia cùm nondùm eſſet, nec ſacramenta inſtituere, nec miniſtros, qui ejus nomine operarentur, habere potuit. A Chriſto igitur ſacramenta veteris legis vim movendi Deum ad dandam gratiam habere non potuerunt, ſed nec aliunde habuerunt; unde etiam habuiſſent? Quare non fuerunt cauſæ morales gratiæ, ſicut ſunt ſacramenta noſtra, & ita eam ſignificarunt tantùm.

Obj. 5. Si ſacramenta noſtra concurrunt tantùm moraliter ad productionem gratiæ, & ita ſunt tantùm inſtrumenta moralia, non ſunt inſtrumenta Dei, ſed hominis illa conferentis. Abſurdum conſ. Ergo, &c. *Probabis ſeq. maj.* Nam ſi ſacramenta noſtra, &c. Deus per illa non movet, ſed movetur. Atqui inſtrumentum, morale non eſt inſtrumentum illius qui movetur, ſed illius qui per illud movet alterum ad operandum. Ergo, &c. *R.* neg. ſeq. maj. & dico ſacramenta noſtra, quæ ſunt inſtrumenta moralia tantùm, eſſe inſtrumenta Dei, hominis, & Chriſti: Dei quidem, ut primi eorum auctoris; hominis, ut minùs principalis miniſtri; & Chriſti, ut miniſtri principalis. *Ad prob. R.* neg. min. Nam inſtrumentum morale non ſolùm eſt illius qui movet, ſed etiam illius qui movetur per illud, quando is qui movetur per illud, illud inſtituit, ut eo moveretur. At Deus per Chriſtum ut hominem inſtituit ſacramenta noſtra, ut per ea moveretur ad dandam gratiam. Ergo &c.

Dices: Si ſacramenta noſtra concurrunt tantùm moraliter ad productionem gratiæ, & ita concurrunt tantùm movendo Deum ad dandam gratiam, non mediant Deum inter & effectum, ſed è contra Deus inter illa & effectum mediat; cauſalitas enim illorum prior eſt cauſalitate Dei; ſi, &c. Ergo ſi ſacramenta noſtra, &c. non ſunt inſtrumenta Dei. *Probabis conſ.* Nam inſtrumentum mediare debet inter cauſam principalem & effectum. Deus autem eſt cauſa principalis gratiæ. Ergo ſi ſacramenta noſtra non mediant inter Deum & gratiam, non ſunt inſtrumenta Dei.

R. neg. conſeq. *Ad prob. R.* diſt. Inſtrumentum phyſicum mediare debet inter cauſam principalem & effectum, C. nam cauſalitas cauſæ principalis debet eſſe prior cauſalitate inſtrumenti phyſici: inſtrumentum enim phyſicum non movet, niſi motum à cauſa principali. Inſtrumentum morale mediare debet inter cauſam principalem & effectum, N. nam neceſſe non eſt ut cauſalitas cauſæ principalis prior ſit cauſalitate inſtrumenti moralis, ſed è contra cauſalitas inſtrumenti moralis poteſt eſſe prior cauſalitate cauſæ principalis; ita ut cauſa principalis effectum non producat, niſi quia ad eum producendum movetur ab inſtrumento morali: modò hoc ita fiat quia principalis cauſa ipſa ſibi inſtrumenti moralis cauſa fuerit, & illud eo fine inſtituerit, ut eo moveretur ad producendum effectum: tunc enim inſtrumentum morale mediat inter cauſam principalem, ut illud inſtituentem, & eamdem cauſam principalem, ut producentem effectum ejus intuitu; vel, quod idem eſt, mediat inter cauſam principalem, ut dantem ei vim ad movendum, & effectum productum ab eadem cauſa principali, ut mota ab eo per vim ab illa datam, quod ſufficit ad rationem inſtrumenti moralis. Cùm autem Deus ſacramenta noſtra eo fine inſtituerit, ut per illa moveretur ad dandam gratiam, ſic inter illa & gratiam mediat, ut ipſa viciſſim medient inter Deum ut illa inſtituentem per Chriſtum, & eundem Deum ut illorum intuitu dantem gratiam.

ARTICULUS III.

Utrùm Sacramenta novæ legis ſemper conferant gratiam, & quo inſtanti illam conferant.

NOta 1. Duplex diſtinguitur obex, nempe obex ſacramenti, & obex gratiæ. Obex ſacramenti dicitur ille, quo impeditur ſacramenti valor: ita ut cum tali obice non fiat ſacramentum. Obex verò gratiæ eſt ille, quo tantùm impeditur effectus ſacramenti, & cum tali obice valet quidem ſacramentum, ſed non dat gratiam, quapropter informe tunc dicitur. Obex autem gratiæ conſiſtit vel in carentia diſpoſitionis requiſitæ, vel in præſentia contrariæ diſpoſitionis, quando ſcilicet quis non modò non ſe diſpoſuit ad gratiam recipiendam, ſed etiam in ipſa ſacramenti ſuſceptione actu peccat graviter.

Nota 2. Ad infundendam parvulis per baptiſmum juſtificationis gratiam, nihil ex parte ipſorum requiritur præter capacitatem baptiſmi; idem dic de perpetuò amentibus. Ratio eſt, quia Deus parvulos juſtificat ut parvulos, adeoque ut incapaces omnis actus liberi: at adultis, hoc eſt, iis qui rationis uſum habent, aut aliquando habuerunt, confert gratiam per ſacramenta ut adultis, id eſt, ut capacibus actuum liberorum: unde non confert illis gratiam per ſacramenta, niſi priùs ſeſe ad eam recipiendam per aliquos

ſuos actus diſpoſuerint. Ad hoc itaque ut gratiam per ſacramenta recipiant, neceſſe eſt, ut certas afferant diſpoſitiones, quas Deus requirit, & ſic gratiæ obicem hoc ipſo ponunt, quòd non afferunt certas illas diſpoſitiones, ſive careant illis inculpabiliter, ex impotentia ſcilicet vel ex ignorantia invincibili, ſive in ipſa ſuſceptione ſacramenti actu peccent mortaliter per liberam omiſſionem alicujus diſpoſitionis requiſitæ, aut per aliquod aliud, & ita diſpoſitione aliqua requiſita culpabiliter careant.

Nota 3. Omnia ſacramenta novæ legis, excepta Euchariſtia, conſiſtunt in uſu: unde in illis unum & idem realiter ſunt effectio & applicatio, & eo inſtanti quo perfecta ſunt eſſentialiter, ſunt ſufficienter applicata ſubjecto ſuo. In Euchariſtia verò, quæ in re permanenti conſiſtit, ſaltem ex maxima & nobiliſſima parte, effectio & applicatio diſtinguuntur; unde Euchariſtia poteſt eſſe ſine applicatione. Hæc autem applicatio Euchariſtiæ conſiſtit in ſumptione ſpecierum, hoc eſt, in ſpecierum comeſtione vel potione. Quare tunc primum Euchariſtia ſufficienter applicata eſt, cùm ſpecies, quantùm ad comeſtionem vel potionem requiritur, ſufficienter ſumptæ ſunt.

RESPONSIO I.

Sacramenta omnia novæ legis gratiam conferunt ſemper, & omnibus qui ea recipiunt ſine obice gratiæ.

Eſt de fide, & definita à Conc. Trid. ſeſſ. 7. ubi dicitur can. 6. *ſacramenta novæ legis continere gratiam, quam ſignificant, & gratiam non ponentibus obicem conferre.* Et can. 7. *Dei gratiam per hujuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus dari, quantum eſt ex parte Dei.* Ratio eſt, quia gratiæ promiſſio, à Chriſto facta, & alligata ſacramentis, univerſalis eſt & infallibilis, quantùm eſt ex parte Chriſti & ſacramentorum; unde non poteſt non dari gratia ſacramenta ſuſcipientibus, modò non deſint conditiones, quas ex parte ipſorum Chriſtus requirit.

RESPONSIO II.

Omnia novæ legis ſacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, eo ipſo inſtanti, quo primum perfecta ſunt eſſentialiter, conferunt gratiam iis omnibus, à quibus ſuſcipiuntur ſine obice gratiæ.

Prob. Nam omnis cauſa efficax & neceſſaria effectum ſuum producit eo ipſo inſtanti, quo primùm eſt ſufficienter applicata, ſi nihil eſt ex parte effectus, aut ſubjecti, quod impediat ejus efficientiam. Atqui omnia novæ legis ſacramenta ſunt cauſæ efficaces & neceſſariæ reſpectu gratiæ; & quæ conſiſtunt in uſu, ſufficienter applicata ſunt, cùm primùm perfecta ſunt quoad eſſentiam ſeu ſubſtantiam ſuam. Ergo omnia novæ legis ſacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, cùm primùm perfecta ſunt quoad eſſentiam ſuam, conferunt gratiam iis à quibus ſuſcipiuntur, niſi aliquid vel ex parte ipſius gratiæ, vel ex parte ſuſcipientium impediat eorum efficientiam. Atqui ex neutra parte aliquid eſt, quod impediat efficientiam ſacramentorum, in uſu conſiſtentium, cùm primùm perfecta ſunt quoad eſſentiam ſuam, & ſuſcipientes non ponunt obicem gratiæ: tunc enim gratiam produci, neque repugnat ex parte ſubjecti, cùm ſit ritè diſpoſitum, neque ex parte ipſius gratiæ, quæ ad productionem ſui requirit tantùm cauſam efficacem ſufficienter applicatam ſubjecto ritè diſpoſito. Ergo, &c.

Confirmatur. Sacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, conferunt gratiam vel ante inſtans quo primùm habent ultimam ſuam perfectionem eſſentialem; vel poſt illud inſtans; vel denique illo ipſo inſtanti. Non primum: nam ante inſtans, quo primùm habet ſacramentum ultimam ſuam perfectionem eſſentialem, nondùm eſt integra & completa ſignificatio ſacramenti, & ita nondùm eſt ſacramentum ſimpliciter. Cauſa autem operari non poteſt, antequam ſimpliciter exiſtat.

Non ſecundum: cùm enim non ſit obex gratiæ in ſuſcipiente ſacramentum, nulla eſſe poteſt ratio differendi collationem gratiæ ultra inſtans quo cauſa illius applicata eſt ſufficienter. Supereſt igitur ut dicatur tertium, nempe quòd ſacramenta, in uſu conſiſtentia, non ponentibus obicem gratiæ, gratiam conferant eo ipſo inſtanti quo primùm habent ultimam ſuam perfectionem eſſentialem, & quo proinde verè exiſtunt ſimpliciter, quatenùs ſcilicet res ſucceſſiva poteſt ſimpliciter exiſtere. Res autem ſucceſſiva tunc, quatenùs poteſt, ſimpliciter exiſtit, cùm habet ultimum ſuum complementum eſſentiale, quamvis non habeat illud permanenter, ſed deſinenter tantùm, quatenùs ſic eſt phyſicè ſecundùm illud ultimum ſuum complementum eſſentiale, cùm illud accipit, ut inſtanti proximè ſubſequenti non ſit ampliùs phyſicè ſecundùm ullam ſui partem eſſentialem.

RESPONSIO III.

Sacramentum Euchariſtiæ recipientibus illud ſine obice gratiæ, gratiam confert eo ipſo inſtanti, quo ſpecies ſumptæ ſunt ſufficienter, hoc eſt, quantùm præcisè neceſſarium eſt ad comeſtionem vel potionem.

Prob. Quia Euchariſtia eſt cauſa efficax & neceſſaria reſpectu gratiæ. Ergo in ſubjecto diſpoſito gratiam operatur, cùm primùm ſufficienter applicata eſt. Atqui tunc primùm ſufficienter applicata eſt, cùm primùm ſpecies ſumptæ ſunt, quantùm ad comeſtionem vel potionem præcisè neceſſarium eſt. Ergo in ſubjecto diſpoſito gratiam operatur, cùm primùm ſpecies ſumptæ ſunt, quantùm ad comeſtionem, &c. Ergo, &c.

Quæres 1. utrùm ſacramenta cum obice gratiæ ſuſcepta, obice illo poſtea remoto, reviviſcant, ſeu gratiam conferant?

R. 1. communem eſſe Doctorum poſt S. Auguſtinum ſententiam, quòd baptiſmus cum obice gratiæ ſuſceptus, poſtea reviviſcat, ſublato illo obice. Ratio eſt, quia Chriſtus, qui noluit baptiſmum ſemel validè ſuſceptum iterari poſſe, noluit quoque eos, qui ſacramentum hoc cum obice gratiæ ſuſcipiunt, fructu illius in perpetuum privari, ſi modò obicem illum à ſe poſitum tollant.

R. 2. omninò videri idem eſſe ſentiendum de duobus aliis ſacramentis, Confirmatione ſcilicet & Ordine, quæ, ſicut Baptiſmus, ſimpliciter initerabilia ſunt: ne videlicet qui ea ſuſcipiunt cum obice gratiæ, eorum fructu in perpetuum careant, etiamſi poſtea tollant obicem. Quæ ratio convincens videtur pro iis, qui ſuſcipiunt Ordinem, & ſuſcipiendo, multas & graves in ſe ſuſcipiunt obligationes, ad quas ritè implendas egent uberioribus auxiliis, ad quæ jus dat gratia ſacramentalis, quæ confertur per Ordinem.

R. 3. veriſimiliter idem dici de Extrema-unctione & Matrimonio. Veriſimile enim eſt Chriſtum noluiſſe conjuges toto tempore conjugii, & infirmos toto tempore ejuſdem ægritudinis, quo iterari non poteſt Extrema-unctio, privari effectu ſacramenti cum obice ſuſcepti, ſed voluiſſe ut effectum illum recipiant, ubi primùm removent obicem quem poſuerunt.

R. 4. Pœnitentiam & Euchariſtiam non reviviſcere, etiam amoto obice. Nam 1. reſpectu Pœnitentiæ, obex gratiæ eſt quoque obex ſacramenti; quia cùm pœnitens accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ cum obice gratiæ, tunc ex parte materiæ deeſt aliquid, quod eſſentiale eſt ſacramento, & ſine quo proinde ſacramentum nullum eſt. 2. Cùm Euchariſtia ſumi poſſit frequentiſſimè, neceſſe non fuit Chriſtum eam ita inſtituere, ut ſumpta cum obice gratiæ, poſtea ſublato obice, poſſet reviviſcere.

Quæres 2. Quid requiratur ad removendum obicem, ut ſacramentum reviviſcat?

R. 1. Si recipiens ſacramentum poſuit obicem, inculpabiliter omittendo diſpoſitionem prærequiſitam, removet obicem, poſtea diſpoſitionem illam ponendo, & tunc reviviſcit ſacramentum, modò tamen novum obicem non addiderit, mortaliter peccando poſt ſuſceptum ſacramentum: nam ſi novum addidit,

Digitized by Google

dit, hic quoque, ut ſacramentum reviviſcat, removendus eſt per ſacramentum Pœnitentiæ, vel extra ſacramentum Pœnitentiæ per contritionem charitate perfectam.

R. 2. Si recipiens ſacramentum poſuit obicem, culpabiliter omittendo diſpoſitionem prærequiſitam, & ita peccavit mortaliter in ipſa ſuſceptione ſacramenti, & quidem pro illo inſtanti, pro quo ſacramentum operari debebat, poſtea removet obicem, & ponendo diſpoſitionem illam quam omiſerat, & peccatum mortale quod admiſerat in ſuſceptione ſacramenti, aliaque, ſi quæ ſunt, poſt ſuſceptum ſacramentum commiſſa tollendo per ſacramentum Pœnitentiæ, vel extra ſacramentum Pœnitentiæ per contritionem charitate perfectam.

ARTICULUS IV.

Utrùm Sacramenta omnia novæ legis conferant primam gratiam, & gratiam æqualem.

NOta 1. Prima gratia, ſanctificans ſcilicet, de qua hic agitur, dicitur ea, quæ infunditur ſubjecto, nondùm habenti ullum gradum gratiæ, adeoque exiſtenti in ſtatu peccati mortalis, à quo per infuſionem gratiæ educitur. Secunda gratia dicitur ea, quæ infunditur ſubjecto, jam habenti aliquos gratiæ gradus, ſive jam exiſtenti in ſtatu gratiæ. Unde ſecunda gratia eſt augmentum gratiæ jam præhabitæ.

Nota 2. Sacramenta novæ legis per ſe primò propter ſpeciales fines inſtituta fuerunt à Chriſto. Chriſtus enim primò inſtituit Baptiſmum, ad regenerationem ſpiritualem, ſeu ad dandam primam vitam ſpiritualem, adeoque ad transferendum hominem à ſtatu injuſtitiæ originalis ad ſtatum juſtitiæ, tollendo peccatum originale, & alia actualia mortalia, ſi quæ ante baptiſmum fuerunt commiſſa: Confirmationem ad corroborandum hominem in fide & vita ſpirituali: Pœnitentiam, ad delenda peccata poſt baptiſmum commiſſa, & recuperandam gratiam per illa amiſſam: Euchariſtiam, ad ſpiritualem nutritionem animæ vita gratiæ viventis: Extremam-unctionem, ad levamentum corporis, ad tollendas reliquias peccatorum, & ad confirmandum ægrotum in extrema vitæ lucta: Ordinem ad dandam poteſtatem exercendi validè certa officia: Matrimonium denique, ad convenientem propagationem hominum in Eccleſia, ad vitam in conjugio ſanctè agendam, & ad onera illius patienter fideliterque ferenda.

Responsio I.

Baptiſmus & Pœnitentia per ſe primò conferunt primam gratiam, & per accidens ſecundam ſæpe conferunt.

Prob. 1. pars. Nam ſacramenta per ſe primò conferunt eam gratiam, ad quam conferendam per ſe primò inſtituta fuerunt à Chriſto. Atqui Chriſtus Baptiſmum & Pœnitentiam per ſe primò inſtituit ad conferendam primam gratiam: illa enim per ſe primò inſtituit ad delendum peccatum mortale; quod fit per infuſionem primæ gratiæ. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Sæpe contingit pœnitentem perfectè conteri ante ſuſceptionem ſacramenti, vel confiteri venialia tantùm, aut mortalia jam remiſſa, quia in nullum mortale jam relapſus eſt; & ita ſæpe contingit pœnitentem ante ſuſceptionem ſacramenti jam habere gratiam. Atqui tamen tunc pœnitenti nova gratia confertur per ſacramentum: ſacramenta enim, ut definit Tridentinum, conferunt gratiam non ponentibus obicem; & tunc pœnitens non ponit obicem, ſed è contra accedit optimè diſpoſitus ad recipiendam gratiam. Ergo ſæpe contingit ſacramentum Pœnitentiæ conferre non primam gratiam, quæ datur homini peccatori ritè diſpoſito, & per quam juſtificatur; ſed ſecundam, quæ additur homini jam juſtificato, & per quam magis juſtus efficitur.

Quod autem hic dicimus de ſacramento Pœnitentiæ, dici quoque debet de Baptiſmo: nam contingere poteſt, & ſæpe contingere quis dubitet, catechumenum ante baptiſmi ſuſceptionem perfectè Deum diligere, & de actualibus mortalibus, ſi quæ admiſit, dolere propter Deum perfectè dilectum, & ſic jam juſtificatum eſſe ante ſuſceptionem baptiſmi, quamvis non ſine illius voto, adeoque jam habere primam gratiam? Atqui tamen tunc catechumeno infunditur nova gratia in baptiſmo: cùm nullum ponat obicem gratiæ, ſed è contra ad illam recipiendam maximè diſpoſitus accedat. Ergo ſæpe contingere poteſt, & re ipſa ſæpe contingit baptiſmum non primam, ſed ſecundam gratiam conferre. Hoc autem per accidens eſt Baptiſmo, ſicut & Pœnitentiæ: his enim ſacramentis per accidens eſt, quòd gratiam in ſubjecto reperiant; cùm non ſupponant per ſe primò primam gratiam, ſed è contra illam per ſe primò conferant.

Responsio II.

Cætera novæ legis ſacramenta non primam, ſed ſecundam gratiam per ſe primò conferunt. Quòd autem primam per accidens ſæpe conferant, ſua non caret veriſimilitudine.

Prob. 1. pars. Nam hæc ſacramenta per ſe primò conferunt gratiam, ad quam conferendam à Chriſto per ſe primò inſtituta fuerunt. Atqui per ſe primò inſtituta fuerunt à Chriſto ad conferendam ſecundam gratiam, ut manifeſtum eſt ex ſpecialibus finibus, ad quos Chriſtus illa per ſe primò ordinavit.

Præterea, Chriſtus illa per ſe primò inſtituit, vel ad dandam primam gratiam, vel ad dandam ſecundam. Non primum: alioquin Chriſtus illa per ſe primò inſtituit ad tollendum peccatum mortale, quod eſt evidenter falſum ex dictis not. 2. Ergo hæc ſacramenta per ſe primò ſecundam gratiam conferunt. Hinc vocantur Sacramenta vivorum, quia per ſe primò ſupponunt primam gratiam, adeoque vitam ſpiritualem in ſubjecto ſuo, quam non ſupponunt, ſed per ſe primò conferunt Baptiſmus & Pœnitentia, quæ idcircò Sacramenta mortuorum dicuntur.

Prob. 2. pars. Quia ita ſentiunt graves Doctores cum S. Thoma hic q. 74. art. 3. ubi quærens utrùm peccatum mortale remittatur per ſacramentum Euchariſtiæ, ſic ait in O. *Hoc ſacramentum, in eo qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſſionem peccati. Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cum quis primò juſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet. Fortè etiam primò non fuit ſufficienter contritus: ſed devotè & reverenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.* Quod autem hic dicitur de Euchariſtia, pari, imò potiori jure dici poteſt de reliquis ſacramentis, per ſe primò ſecundam gratiam conferentibus: nam eſt ſpecialis difficultas pro Euchariſtia, ut ſuo loco videbitur.

Dices. Realis ſtatus gratiæ prærequiritur in ſubjecto ad effectum iſtorum ſacramentorum: præſupponunt enim ſubjectum ſuum ſpirituali vita vivere. Reſpondent Doctores illi, ad effectum ſacramentorum iſtorum per ſe primò & ex primaria Chriſti inſtitutione prærequiri realem ſtatum gratiæ, ſeu vitam ſpiritualem in ſubjecto ſuſcipiente ſacramentum, adeoque unumquemque teneri ad procurandum ſibi ſtatum illum, ſeu vitam illam, antequam ſacramenta iſta ſuſcipiat: at per accidens, & ex ſecundaria Chriſti intentione ſufficere ſtatum gratiæ, ab eo qui ſacramenta iſta recipit, quantùm in ipſo eſt, procuratum, & prudenter exiſtimatum. Ratio eorum eſt, quia de bonitate & miſericordia Chriſti ſentiendum videtur, quòd noluerit iſtorum ſacramentorum effectu carere eos, qui quantùm in ſe eſt, ad illa ſeſe debitè diſponunt, & diſpoſitos bona fide credunt. Quæ ratio non caret veriſimilitudine.

Res-

Digitized by Google

Responſio III.

Inter ſacramenta novæ legis, alia majorem, alia minorem gratiam conferunt, & ſic omnia non conferunt æqualem.

Prob. Nam 1. Euchariſtia excellentia longè ſuperat reliqua ſacramenta. Ergo omninò conveniens eſt, ut ea etiam ſuperet virtute producendi gratiam, adeoque ut cæteris paribus, ex parte ſubjecti majorem gratiam conferat. 2. Inter reliqua ſacramenta, alia aliis nobilitate & dignitate præſtant, quia ſcilicet ad finem nobiliorem & præſtantiorem ordinantur. Ergo alia aliis præſtant efficacia reſpectu gratiæ. Dico reſpectu gratiæ: hoc enim ſingulare eſt Baptiſmo, etiam præ Euchariſtia, quòd, niſi ſit obex, totam pœnam cum culpa remittat.

Responſio IV.

Omnia ſacramenta novæ legis majorem conferunt gratiam ſubjecto meliùs diſpoſito, adeoque inæqualem inæqualiter diſpoſitis.

Ita docet S. Thomas hic q. 69. a. 8. in O. ubi ſic ait. *Adulti qui per propriam fidem ad baptiſmum accedunt, non æqualiter ſe habent ad baptiſmum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptiſmum accedunt, & ideò quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: ſicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat: licet ignis, quantum eſt de ſe, æqualiter ad omnes calorem ſuum effundat.* At quod hic dicit S. Doctor de baptiſmo, dici quoque debet de reliquis ſacramentis: manifeſtum enim eſt eamdem eſſe rationem pro omnibus.

Accedit auctoritas Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 7. ubi dicitur, unumquemque ex iis, qui juſtificantur in baptiſmo, juſtitiam, hoc eſt, gratiam juſtificantem recipere ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem. At ſi unuſquiſque adultus, cùm juſtificatur per baptiſmum, gratiam juſtificantem recipit ſecundùm propriam diſpoſitionem, certè cum majori diſpoſitione majorem, & cum minori diſpoſitione minorem gratiam recipere manifeſtum eſt.

Ratio denique eſt, quia ſacramenta noſtra ſecundùm inſtitutionem Chriſti operantur ut cauſæ naturales. At cauſæ naturales plus vel minùs operantur in ſubjecto, ſecundùm majorem vel minorem ejus diſpoſitionem. Ergo ſimiliter ſacramenta noſtra majorem vel minorem gratiam conferunt iis à quibus ſuſcipiuntur, prout ab eis ſuſcipiuntur cum majori vel minori diſpoſitione; quod convenientiſſimè à Chriſto inſtitutum eſt: convenientiſſimum enim eſt, ut ſacramenta magis proſint iis, à quibus cum meliori diſpoſitione recipiuntur; ut hac conſideratione excitati homines, majorem ſacramentis noſtris reverentiam habeant, & ad ea cum majori devotione accedant.

Obj. Si datetur major gratia ſacramentum ſuſcipienti cum meliori diſpoſitione, exceſſus ille gratiæ non daretur ex opere operato ipſius ſacramenti, ſed ex opere operantis, ſeu ſuſcipientis ſacramentum. Ergo exceſſus ille gratiæ malè attribueretur ipſi ſacramento, ſed ſuſcipienti attribui deberet. *R.* neg. ſeq. ant. Nam ad exceſſum illum gratiæ, quem recipit ſuſcipiens ſacramentum cum meliori diſpoſitione, melior diſpoſitio ſuſcipientis non ſe habet ut cauſa, ſed ut conditio ſe tenens ex parte ſubjecti, ſine qua non tantam, ſed minorem gratiam ſacramentum ex opere operato conferret.

Obj. Cauſæ naturales ſemper operantur, quantùm poſſunt. Atqui ſacramenta ſe habent ut cauſæ naturales in operando. Ergo ſacramenta ſemper operantur quantùm poſſunt. Ergo ſemper conferunt æqualem gratiam. *Reſp.* diſt. maj. Cauſæ naturales ſemper operantur, quantùm poſſunt ſimpliciter, N. maj. Quantum poſſunt relatè ad ſubjectum, in quo operantur, C. maj. Unde ſacramenta noſtra, quæ ſecundùm inſtitutionem Chriſti ſe habent in operando ut cauſæ naturales & neceſſariæ, ſemper operantur, non quantùm poſſunt ſimpliciter, ſed ſolùm quantùm poſſunt relatè ad diſpoſitiones eorum, à quibus ſuſcipiuntur: unde non ſemper conferunt æqualem gratiam, quia ii à quibus ſuſcipiuntur, non ſunt ſemper æqualiter diſpoſiti.

ARTICULUS V.

Utrùm omnia ſacramenta novæ legis præter gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, conferant etiam gratias actuales.

Responſio.

Omnia novæ legis ſacramenta præter gratiam habitualem, conferunt etiam gratias actuales, quæ intuitu ſuſcepti ſacramenti adultis dantur ſuo loco & tempore ad obtinendum finem proprium ſacramenti, niſi tamen illis indignos ſe reddant peccando mortaliter, aut aliter illis obicem ponant.

Ita Doctores communiter cum S. Thoma hic qu. 61. a. 2. in O. ubi ait: *Gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam* (quæ extra ſacramenta infunditur) *& ſuper virtutes & dona, quoddam divinum auxilium* (hoc eſt, gratiam actualem) *ad conſequendum ſacramenti finem.* Juxta S. Doctorem igitur, gratia ſacramentalis eſt veluti complexum ex habituali gratia, & gratiis actualibus; vel ſi vis, eſt habitualis gratia, annexum ſibi habens jus ad gratias actuales, ad conſequendum ſacramenti finem idoneas. Jus autem illud datur à ſacramento; cùm non competat gratiæ ſacramentali, niſi quà ſacramentalis eſt; alioquin competeret etiam gratiæ communiter dictæ, ſeu gratiæ habituali præciſè ut gratia eſt.

Ratio eſt, quia omnia novæ legis ſacramenta ad proprios ſibi & diſtinctos fines ſupernaturales ordinantur, qui proinde obtineri non poſſunt per ſolas naturæ vires. Ergo actualis gratiæ auxilium neceſſarium eſt ad obtinendum finem proprium cujuſque ſacramenti novæ legis. Ergo unumquodque ſacramentum novæ legis cauſat ex opere operato actualem gratiam, eam ſcilicet quæ ad proprium ejus finem obtinendum neceſſaria eſt: cùm enim unumquodque ſacramentum novæ legis ſit medium hominibus à Chriſto datum, quo cum obtineri poſſit ſpecialis ille finis, ad quem ordinatur; & ſacramentum ordinari ad ſpecialem aliquem finem, idem planè ſit ac, ſacramentum eſſe medium ad conſequendum ſpecialem aliquem finem inſtitutum; unumquodque ſacramentum novæ legis eſt conſequenter medium hominibus à Chriſto datum ad obtinenda infallibiliter, niſi tamen ponatur obex, auxilia omnia, ſine quibus obtineri non poteſt ſpecialis finis ille, ad quem ordinatur. Sed

Nota 1. Gratiæ illæ actuales, quas ex opere operato cauſant ſacramenta noſtra, non continuò poſt ſacramenti ſuſceptionem & ſimul conferuntur, ſed ſucceſſivè, prout occurrunt occaſiones, ſpectantes finem proprium ſacramenti ſuſcepti. Solùm itaque ſtatim per ſacramentum acquiritur jus ad gratias actuales, poſtea ſuo loco & tempore ejuſdem ſacramenti intuitu dandas, prout neceſſe etiam eſt ad finem proprium ſacramenti conſequendum.

Nota 2. Gratiæ illæ conferuntur adultis, non parvulis: nam parvuli ad eas quidem acquirunt jus in baptiſmo; at eas nec accipiunt, nec accipere poſſunt ante uſum rationis, quia ante uſum rationis moveri non poſſunt ad actus ſalutares, quorum tunc ſunt prorſus incapaces. Unde qui ſuſcepto baptiſmo, ante adultam ætatem moriuntur, nec recipiunt, nec recipere poſſunt totum effectum baptiſmi.

Nota 3. Gratiæ illæ conferuntur adultis, niſi illis ſe reddant indignos peccando mortaliter, vel illis aliter obicem ponant. Nam peccando mortaliter, ſicut

deme-

Digitized by Google

damerentur gratiam ſanctificantem, ita & demeten- tur jus ad gratias actuales gratiæ ſanctificanti annexum. Et verò amiſſo per peccatum mortale primario ſacramenti effectu, qui in gratia ſanctificante conſiſtit, æquum eſt, ut etiam amittant ſecundarium, qui conſiſtit in jure ad gratias actuales. Hoc tamen jus recuperari, recuperata per pœnitentiam gratia ſanctificante, facilè credimus.

Dici, vel illis aliter, & Nam adulti non ſolùm propter peccatum mortale, ſed etiam propter leves culpas, omninò deliberatas & frequentes, propter nimiam animi evagationem voluntariam, propter nimiam rerum temporalium, & aliarum ad cultum Dei non pertinentium ſollicitudinem, jure merito privari poſſunt gratiis illis actualibus, quas Deus intuitu ſacramentorum ſuſceptorum, non ponentibus obicem largitur liberaliter.

Nota 4. Ex dictis facilè intelligitur, quomodo gratia ſacramentalis & non ſacramentalis inter ſe differant: differunt enim, 1. in eo quòd non ſacramentalis conferatur ex opere operantis, ſacramentalis verò ex opere operato ſacramenti. 2. In eo quòd ſacramentali annexum ſit jus ad gratias actuales, ad finem proprium ſacramenti conſequendum idoneas, ſuo tempore dandas non ponentibus obicem; quale jus ſibi annexum habere non poteſt gratia non ſacramentalis.

Nota denique 5. Una gratia ſacramentalis ab alia ſacramentali non differt in ratione gratiæ, ſed in ratione ſacramentalis tantùm, quatenùs à diverſo ſacramento collata, ad diverſum finem ordinatur, & conſequenter jus habet ad diverſa auxilia, fini ſuo proportionata.

Obj. 1. Gratia ſanctificans, cum aliis virtutibus ſupernaturalibus, quæ per ſacramenta noſtra conferuntur, ſufficiunt ad obtinendum finem proprium cujuſque ſacramenti. Ergo gratia dicuntur ſacramenta noſtra, præter gratiam ſanctificantem, & alias virtutes ſupernaturales, dare jus ad gratias actuales, &c. *Reſp.* neg. ant. Cùm enim nihil, quod ad ſalutem conferat, agere valeamus ſine auxilio actualis gratiæ, ſine auxilio actualis gratiæ virtutes ſupernaturales in actum exercere non poſſumus, adeoque præter virtutes ſupernaturales, neceſſaria nobis eſt actualis gratia, ſine qua virtutes illæ manerent in nobis otioſæ.

Obj. 2. Secluſa ſuſceptione ſacramenti, adhuc dantur actuales gratiæ, idoneæ ad conſequendum finem illum, ad quem ſacramentum dicitur ordinari, ut patet in iis, qui non ſuſcepto Confirmationis ſacramento, fidem vetam fortiter profeſſi ſunt. *Reſp.* dari quidem iſtas gratias ſine ſacramenti ſuſceptione, ſed regulariter minùs abundantes, minuſque ſpeciales.

Obj. 3. Jus illud, quod dicitur acquiri per ſacramentum, vel eſt ad gratias efficaces, vel ad ſufficientes tantùm. Neutrum dici poteſt. Non primum: alioqui obtineretur ſemper finis ſacramenti, quod repugnat experientiæ. Non etiam ſecundum: quia nemini gratia ſufficiens denegatur, cùm tenetur operari ſupernaturaliter, adeoque gratiæ ſufficientis collatio independens eſt à ſuſceptione ſacramentorum. Ergo, &c. *Reſp.* jus illud, quod per ſacramentum acquiritur, eſſe ad gratias ſpecialiores & abundantiores, quales ordinariè non dantur ſine ſacramento, certò & infallibiliter, niſi ponatur obex, conferendas intuitu ſacramenti; quibuſcum tamen, quia etiam moraliter poſſunt repudiari, qui eas accipit, ſua culpa & ex libero defectu cooperationis poteſt ſacramenti finem non obtinere.

ARTICULUS VI.

Utrùm Sacramenta novæ legis, iis à quibus ſuſcipiuntur, characterem imprimant.

NOta. Character in genere eſt ſignum aliquod, ſeu ſigillum, quo notatur res aliqua, vel ut ab aliis diſcerni poſſit; in hunc finem notantur oves charactere domini ſui: vel ut aliqualem cum re alia ſimilitudinem habeat; ſic B. Franciſcus, ut Chriſto cruci affixo ſpeciali quodam modo aſſimilaretur, accepit ſtigmata: vel ut certum habeat valorem in æſtimatione hominum; ut patet ex metallo, quod in hunc finem notatur ſigillo principis: vel ut ſignificetur ejus ad certum ſtatum aut officium deputatio; in hunc finem olim ii, qui ad militiam deputabantur, notabantur in corpore ſigno aliquo militari. Character verò ſacramentalis dicitur ille, quem ſacramentum imprimit animæ hominis ipſum ſuſcipientis. Characterem ſacramentalem primus inficiatus eſt Vvicleffus lib. 4. trialogi cap. 15. Vvicleffum ſecuti ſunt Lutherani & Calviniſtæ, quibus adverſantur Doctores omnes catholici cum S. Thoma hic queſt. 63. art. 1. & ſeq.

Responsio I.

Datur character ſacramentalis.

Prob. 1. ex S. Auguſtino lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. ubi ſic ait: *An fortè minus hærent ſacramenta chriſtiana* (Baptiſmus & Ordo.) *quàm corporalis hæc nota* (character militaris,) *cùm videamus nec apoſtatas carere baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideò amitti non poſſe judicatur?* Unde ſic argumentor. Juxta S. Doctorem, baptiſmus manet in baptiſatis, & ita manet, ut nequidem ab aliis, qui illo ſuſcepto, à fide palam deficiunt, amitti poſſit. Ergo vel manet in ſe, vel in aliquo alio effectu. Non primum: cùm enim baptiſmus conſiſtat in actione tranſeunte, non poteſt in ſe permanere. Ergo ſecundum dicendum eſt, nempe quòd baptiſmus maneat in aliquo ſuo effectu, in quo ſcilicet phyſicè permanente, ipſe moraliter & æquivalenter permanet. Atqui hic effectus non eſt, niſi character, quem animæ baptiſati imprimit baptiſmus: hic enim effectus vel eſt character, vel gratia ſanctificans; nam quid aliud eſſe poſſet? Atqui non eſt gratia ſanctificans; cùm gratia ſanctificans poſſit amitti; & hic effectus non poſſit; cùm gratia ſanctificans non manet in apoſtatis, & hic effectus in illis maneat, ut patet ex textu laudato. Ergo ſupereſt, ut hic effectus, in quo moraliter permanet baptiſmus, ſit character impreſſus animæ baptiſati: dico, animæ, nam corpori per baptiſmum nihil imprimitur.

Confirmatur ex lib. 6. de bapt. contra Donat. cap. 1. ubi S. Doctor dicit, *ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere ſanari, characterem tamen dominicum in ea agnoſci potius, quàm improbari: quando quidem ipſum characterem multi & lupi & lupis infigunt, &c.* Juxta S. Doctorem igitur, etiam hæretici, cùm ab hæreticis ritè baptiſantur, recipiunt dominicum characterem, & hunc characterem hæretici, iis quos ritè baptiſant, infigunt. Ergo juxta S. Doctorem, baptiſmus manet in charactere dominico, qui per illum imprimitur; & per illum tranſeunter exiſtentem impreſſus, manet in anima baptiſati, qui per eum ab aliis non baptiſatis diſtinguitur, notatur ut deputatus ad ſpecialem ſtatum, nempe ad ſtatum chriſtiani, & configuratur Chriſto Domino: unde hic character à S. Doctore Dominicus appellatur.

At inquies. S. Auguſtinus hic per characterem dominicum intelligit ipſum baptiſmum, vel, ſi vis, ipſa verba, in quibus forma baptiſmi poſita eſt, quæ verba dicit ſe habere per modum characteris, qui iis qui baptiſantur, infigitur, ut eo ab aliis diſtinguantur, & tanquam ad Chriſti familiam pertinentes notentur. *R.* 1. neg. Nam hic S. Doctor per characterem dominicum intellexit aliquid infixum animæ baptiſati, & in ea permanens. Verba autem illa, in quibus poſita eſt forma baptiſmi, tranſeunt.

R. 2.

Digitized by Google

R. 2. dici poſſe, quòd S. Auguſtinus characterem dominicum, non impreſſum, ſed imprimentem hic intelligat ipſum baptiſmum, in qua ſuppoſitione adhuc noſter eſt. Pro quo *nota*. Duplex diſtingui poteſt character, imprimens ſcilicet, & impreſſus. Character imprimens eſt inſtrumentum, quo quis utitur ad imprimendam alicui rei notam aliquam. Character impreſſus eſt nota illa, quæ imprimitur, & impreſſa manet, etiam amoto charactere imprimente. Character impreſſus dicitur & eſt character ſimpliciter, imprimens verò dicitur character ſecundùm quid: non enim eſt character propriè & ſtrictè loquendo, ſed cauſa characteris.

Igitur nota illa, quæ per baptiſmum animæ imprimitur, & qua baptiſatus ut ad ovile Chriſti pertinens obſignatur, eſt character impreſſus, ſeu character ſimpliciter. Baptiſmus verò, quatenùs eſt inſtrumentum, quo Deus utitur ad imprimendam notam illam, eſt character imprimens, ſeu character ſecondùm quid, hoc eſt, cauſa characteris in actu ſecundo poſita, cui proinde neceſſario correſpondet effectus in actu. Unde qui characterem imprimentem agnoſcit, hoc ipſo agnoſcit & impreſſum; & qui dicit baptiſmum infigi & recipi per modum characteris imprimentis, hoc ipſo dicit per baptiſmum produci notam aliquam in anima hominis ipſum ſuſcipientis, quæ nota ſimpliciter dicitur & eſt character. Non potuit igitur Auguſtinus baptiſmum ut characterem imprimentem agnoſcere, quin ſimul agnoſceret characterem ab eo impreſſum, ut effectum ei neceſſario correſpondentem; hoc eſt, quin ſimul agnoſceret notam aliquam ab eo productam, & eo tranſeunte, manentem in baptiſato, quâ qui per baptiſmum ingrediuntur ovile Domini, permanenter notantur, & ab aliis, qui de ejus ovibus non ſunt, permanenter diſcernuntur. Aliorum porrò Patrum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarminum lib. 2. de Sacr. cap. 25.

Prob. 2. ex Conc. Flor. in decreto Eugenii §. *Quintò*, & ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. Utriuſque verba infra referentur. Ratio denique eſt, quia admiſſo charactere, cur aliqua ſacramenta iterari non poſſint, cùm poſſint alia, cauſa facilè aſſignatur, dicendo aliqua iterari non poſſe, quia præter gratiam ſanctificantem cauſant in anima characterem indelebilem, & ita ſemel data, ſemper manent in aliquo ſuo effectu, unde iterarentur fruſtra: poſſe verò iterari alia, quia non cauſant in anima aliquid indelebile, ſed ſolam gratiam ſanctificantem, quæ amitti poteſt, & ſæpe amittitur: unde ſæpe fit, ut ſacramenta illa neque in ſe, neque in effectu maneant; quamobrem ea repeti poſſe, convenientiſſimè voluit Dominus Rejecto autem charactere, nulla ſufficiens ratio afferri poterit, cur aliqua ſacramenta iterabilia ſint alia verò non. Certè Concilia laudata eorum ſacramentorum quæ repeti non poſſunt, initerabilitatem ex eo repetunt, quòd indelebilem animæ characterem imprimant, reliqua verò non.

Responsio II.

Character ſacramentalis eſt ſignum quoddam ſpirituale, impreſſum animæ, & indelebile.

Eſt de fide, & in terminis traditur à Florentino & Tridentino locis citatis. Unde quod Durandus ait in 4. diſt. 4. queſt. 1. characterem ſacramentalem non eſſe aliquid realiter diſtinctum ab anima, in ea realiter receptum, ſed eſſe ſolam relationem rationis, per quam ex inſtitutione vel pactione divina deputatur aliquis ad ſacras actiones, nunc ſaltem erroneum eſt: Florentini enim & Tridentini expreſsè docentium, characterem eſſe ſignum ſpiritale impreſſum animæ, verba relationi rationis convenire non poſſunt; cùm propriè accipienda ſint, & in proprio ſenſu accepta, ſignificent qualitatem phyſicam, realiter diſtinctam ab anima, & ei realiter inhærentem.

Responsio III.

Tria ſacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, characterem imprimunt.

Eſt de fide, & expreſsè definitum à Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet. Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt: anathema ſit.* Tridentino præiverat Florentinum in decreto Eugenii §. *Quintò*, ubi dicitur: *Inter hæc ſacramenta* (novæ legis) *tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum, à cæteris diſtinctivum imprimunt, in anima indelebile: unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.*

Ratio à priori eſt, Chriſti voluntas & inſtitutio, cujus conveniens hæc ratio aſſignatur, quia tria ſacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, conſtituunt hominem in novo ſtatu, eoque de ſe conſtanti & perpetuo: reliqua verò quatuor non conſtituunt. Ergo congruum fuit, ut non hæc, ſed illa ſacramenta characterem imprimendi vim acciperent, quo homines ad ſtatum illum conſtantem & perpetuum, in quo eos conſtituunt, conſignare poſſent.

Prob. ant. Nam homo per Baptiſmum adſcribitur in familiam ſeu in ovile Chriſti, unde fit membrum Eccleſiæ, & accipit poteſtatem ſacramenta validè ſuſcipiendi, atque participandi alia Eccleſiæ bona. Per Confirmationem adſcribitur in militiam Chriſti, ut ex officio pugnet contra hoſtes fidei, & dæmones, ad quod robur accipit. Per Ordinem adſcribitur in numerum miniſtrorum Chriſti, & poteſtatem accipit bona illius aliis diſtribuendi. Atqui hominem adſcribere in familiam Chriſti, adſcribere in militiam Chriſti, adſcribere in numerum miniſtrorum Chriſti, eſt, eum conſtituere in novo ſtatu, qui de ſe conſtans eſt & perpetuus; quod non faciunt reliqua ſacramenta: nam Euchariſtia ſolùm nutrit ſpiritualiter; Pœnitentia ſolùm ſanat, ſeu medicamentum exhibet contra morbos & vulnera peccatorum, Extrema-unctio ſolùm tribuit antidotum contra peccatorum reliquias, & ad extremum agonem inungit; Matrimonium denique remedium confert contra concupiſcentiam, & auxilia ad ferenda patienter conjugii onera. Quòd ſi dicitur conſtituere contrahentes in ſtatu conjugatorum, reſpondeo hunc ſtatum non eſſe de ſe conſtantem & perpetuum: nam mortuo uno conjuge, manet alter ad alium ſtatum liber.

Quæres 1. utrum character ſacramentalis ſit purum ſignum?

R. negativè: nam character Baptiſmi eſt potentia paſſiva, ſeu aptitudo ad ſuſcipienda omnia alia ſacramenta. Character Confirmationis eſt aptitudo ad fidem propugnandam. Character denique Ordinis eſt aptitudo ad obeunda ſacra miniſteria, quæ ſunt propria ſuſcepti Ordinis, Hinc quia hæc aptitudo eſt participatio quædam excellentiæ, quam habet Chriſtus ut Summus Sacerdos, vel dux ſupremus militiæ chriſtianæ, character ſacramentalis eſt ſpecialis quædam configuratio ſeu ſimilitudo cum Chriſto. Denique quia per characterem ſacramentalem homo ſpeciali quodam modo configuratur Chriſto, eique aſſimilatur, per characterem ſacramentalem diſtinguitur ab omni alio, qui characterem ſacramentalem non habet. Hinc tria ſunt characteris ſacramentalis officia, aptum facere, configurare Chriſto, & diſtinguere.

Quæres 2. an apud genus qualitatis reduci poſſit character ſacramentalis?

R. 1. Quatenus eſt qualitas permanens, ſubjectum ſumma bene afficiens, illudque ad aliquod eſſe ſupernaturale determinans, revocari poteſt ad primum genus, quod eſt habitus. Quatenùs eſt quædam aptitudo, revocari poteſt ad ſecundum genus, quod eſt potentia. Quatenùs denique per illum Chriſto configuramur,

Digitized by Google

ramur, & ab aliis diſtinguimur, revocari poreſt ad quartum genus, quod eſt forma & figura.

Quæres 3. utrùm character ſacramentalis indelebilis ſit, non ſolùm in hac vita, ſed etiam in altera?

R. 1. Quòd ſit prorſus indelebilis reſpectu hujus vitæ, eſt de fide: hoc enim ad minimum docent Florentinum & Tridentinum. At verò ex indelebilitate characteris utrumque infert reperi non poſſe ſacramenta, quæ characterem imprimunt; quod certè malè inferret, ſi character non eſſet indelebilis pro tota hac vita.

R. 2. Videtur probabilius, quòd character ſit etiam indelebilis reſpectu alterius vitæ: hoc enim videtur eſſe conformius Conciliis, ſimpliciter aſſerentibus characterem eſſe indelebilem. Præterea, character, & anima, quæ eſt ſubjectum ipſius, ſunt ex natura ſua incorruptibiles. Dicamus ergo characterem manere in altera vita, in beatis quidem ad ornamentum, in damnatis verò ad confuſionem. Ita docet S. Thomas hic q. 63. a. 5. ad 3. ubi ſic ait: *Poſt hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam; & in his qui vicerunt, ad gloriam, & in his qui ſunt victi, ad pœnam.*

Quæres 4. utrùm character ſacramentalis fuerit in Chriſto?

R. negativè. Nam 1. Chriſtus nulla ſuſcepit ſacramenta. 2. Character ſacramentalis eſt participatio quædam excellentiæ Chriſti, ut Sacerdotis ſummi, vel ſupremi Ducis. 3. Notari charactere, ovium, militum, & miniſtrorum eſt, non paſtoris, ducis, & domini; Chriſtus autem paſtor, dux, & dominus eſt. Ergo, &c.

ARTICULUS VII.

Utrùm etiam Sacramenta veteris legis cauſarint gratiam.

NOta 1. Hoc Articulo agimus de ſacramentis Moſaicis, hoc eſt, de ſacramentis à Moſe promulgatis, acturi poſtea in particulari de circumciſione, de qua major eſt difficultas. Inter hæc autem Moſaica ſacramenta & noſtra, quatuor ſaltem eſſe differentias, non ſolùm orthodoxi, ſed etiam heterodoxi docent. Prima eſt, quòd nunc ſint aliæ cœremoniæ externæ, quàm tunc erant. Secunda, quòd nunc pauciora ſint ſacramenta. Tertia, quòd Moſaica fuerint figuræ noſtrorum. Quarta, quòd Moſaica ad tempus tantùm, hoc eſt, uſque ad Meſſiæ adventum data fuerint, noſtra verò duratura ſint uſque ad finem mundi. Sed quæritur utrùm Moſaica ſacramenta à noſtris differant etiam quantùm ad efficaciam reſpectu gratiæ; ita ut Moſaica gratiam ſignificarint tantùm, cùm noſtra non ſolùm ſignificent, ſed etiam conferant, ut à nobis demonſtratum eſt?

Hoc diſcrimen negarunt Lutherus & Calvinus, non aliam ſacramentis noſtris vim attribuentes, quàm excitandi fidem, quæ ſecundum illos eſt immediata cauſa gratiæ juſtificantis. Secundùm illos igitur, ſacramenta Moſaica non minùs gratiam juſtificantem operabantur quàm operantur noſtra, quia ſicut ſacramenta noſtra excitant fidem, & excitando, mediante fide juſtificant; ita Moſaica fidem excitabant, & excitando fidem, ea mediante juſtificabant. Hinc ſic loquitur Lutherus lib. de capt. Babyl. cap. de bapt. *Error eſt ſacramenta novæ legis differre à ſacramentis veteris legis penes efficaciam ſignificationis, id eſt, quòd noſtra efficaciter ſignificent, faciendo quod figurant, non illa.* Et Calvinus lib. 4. inſtit. §. 23. *Scholaſticum autem illud dogma ... quo tam longum diſcrimen inter veteris ac novæ legis ſacramenta notatur, perinde ac ſi illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrarint, hæc verò præſentem conferant, penitùs explodendum eſt; ſiquidem nihilo ſplendidiùs de illis Apoſtolus quàm de his loquitur.*

Nota 2. Sacramenta Moſaica gratiam cauſaſſe ex opere operantis, quando ſcilicet ab hominibus juſtis ſuſcipiebantur ex fide & charitate, tenent communiter Doctores Catholici contra Magiſtrum Sent. lib. 4. diſt. 1. litt. B. ubi ſic ait: *Nunquam ex operibus legis aliquis juſtificatus eſt, ut ait Apoſtolus, etiamſi in fide & charitate fierent. Quare? Quia impoſuit ea Deus in ſervitutem, non in juſtificationem, & ut figura futuri eſſent.* Sed contra illum ſic argumentor. Juſti in lege veteri, imò & in lege naturæ, per opera bona in Deo facta, merebantur augmentum gratiæ: nam per hujuſmodi opera augmentum gratiæ merentur juſti in lege nova; neque quoad hoc pejor fuit conditio juſtorum in lege veteri aut lege naturæ, ſub quibus bonis juſtorum operibus in Deo factis, vita æterna tam promiſſa fuit, quàm promittitur in lege nova. Unde illud Jacobi c. 2. *Abraham pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* Atqui ſacramenta Moſaica, ex fide & charitate ſuſcepta, erant opera bona in Deo facta. Ergo per illa juſti merebantur augmentum gratiæ. Ergo, quod idem eſt, ſacramenta Moſaica cauſabant gratiam, &c. Sed pro differentia, quam negant Lutherus & Calvinus, ſit

RESPONSIO.

In hoc etiam ſacramenta Moſaica à noſtris differunt, quòd hæc cauſent gratiam ex opere operato, illa verò non cauſarint.

Quòd ſacramenta noſtra cauſent gratiam ex opere operato, jam ſuo loco demonſtratum eſt. Quòd ſacramenta Moſaica non ſic gratiam cauſarint. *prob.* 1. ex Scriptura. Nam Apoſtolus ad Hebræos c. 7. ſic ait: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati* (legis Moſaicæ) *propter infirmitatem ejus, & inutilitatem;* hoc eſt, quia vim non habuit expiandi peccata, ſeu conferendi gratiam juſtificantem. Ergo ſacramenta Moſaica non conferebant gratiam juſtificantem: nam ſi conferebant; cùm eſſent pars legis Moſaicæ, lex Moſaica vim habebat expiandi peccata, quod repugnat Apoſtolo.

Prob. 2. ex Patribus. Unus inſtar omnium ſit Auguſtinus enarratione in pſal. 73. ubi ſic loquitur: *Præcepta eadem* (in lege Moſaica & evangelica) *ſacramenta non eadem, promiſſa non eadem ... ſacramenta non eadem; quia alia ſunt ſacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi teſtamenti dant ſalutem* (conferendo gratiam ſanctificantem;) *ſacramenta veteris teſtamenti promiſerunt Salvatorem,* (quem & gratiam per ipſum dandam præfigurarunt) ... *Mutata ſunt ſacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, fœliciora* (utpotè ſanctificandi vim habentia, qua carebant veteris teſtamenti ſacramenta.)

Prob. 3. ex Conc. Flor. in decreto Eugenii §. *Quintò*, ubi dicitur: *Novæ legis ſeptem ſunt ſacramenta ... quæ multùm à ſacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc verò noſtra, &c.*

Prob. 4. ratione. Ad hoc ut ſacramentum vim habeat conferendi gratiam ex opere operato, requiritur ut annexam habeat promiſſionem gratiæ. Atqui ſacramenta Moſaica non habuerunt annexam ſibi hujuſmodi promiſſionem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ſacramenta Moſaica fuerunt pars legis Moſaicæ. Ergo quod ſacramentis Moſaicis promiſſum fuit, promiſſum fuit legi Moſaicæ; adeoque ſi ſacramentis Moſaicis promiſſa fuit gratia, gratia promiſſa fuit legi Moſaicæ. Atqui falſum eſt, quòd legi Moſaicæ promiſſa fuerit gratia. Ergo, &c.

Prob. ſubſumptum. In hoc enim vetus & novum teſtamentum inter ſe differunt, quòd vetus bona tantùm terrena promiſerit; novum verò promittat ſpiritualia & cœleſtia, juxta illud Apoſtoli Hebr. c. 8. *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium* (Chriſtus) *quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod*

in

Digitized by Google

in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Meliores autem has repromiſſiones inferiùs explicat de infuſione gratiæ, & peccatorum remiſſione. Hinc illud S. Auguſtini enarr. in pſal. 73. *Promiſſa quare non eadem* (in utraque lege, veteri & nova? *Quia promiſſa eſt* (in veteri) *terra Chanaan, terra copioſa, fructuoſa, affluens lacte & melle, promiſſum regnum temporale, promiſſa fœlicitas ſæculi, promiſſa fœcunditas filiorum, promiſſa ſubjectio inimicorum; hæc omnia ad terrenam fœlicitatem pertinent*. (At in lege nova promiſſa eſt æterna fœlicitas cum bonis omnibus ſpiritualibus, quibuſcum illam conſequi poſſumus. *Ne quiſquam putaret ab alio factum eſſe hominem terrenum, ab alio cœleſtem, ideo Deus oſtendens ſe eſſe utriuſque Creatorem, etiam utriuſque teſtamenti ſe eſſe voluit Auctorem, ut & terrena promitteret in veteri teſtamento, & cœleſtia in novo teſtamento*.

Porrò quod hic obiter obſervare juvat, quamvis teſtamentum vetus nonniſi bonorum terrenorum & temporalium promiſſiones habuerit, non idcircò Judæi, qui ſub veteri teſtamento fuerunt, caruerunt promiſſionibus bonorum cœleſtium: eaſdem enim illas per traditionem divinam habuerunt, quæ factæ fuerant legi naturæ: unde juſtificationis beneficium de congruo mereri poterant per contritionem perfectam; & juſtificati da condigno, mereri poterant augmentum gratiæ, & vitam æternam per bona opera in Deo facta, ad quod indigebant actualis gratiæ adjutorio, quod illis non deerat. Sed contra aſſertionem

Obj. 1. Sacrificia legis Moſaicæ annexam habebant promiſſionem remiſſionis peccatorum, ut patet ex Levitici c. 4. 5. & 6. Ergo annexam habebant promiſſionem gratiæ, ſine qua nunquam remittuntur pecata. Atqui ſacrificia illa fuerunt ſacramenta. Ergo, &c.

R. diſt. ant. Sacrificia legis Moſaicæ annexam habebant promiſſionem remiſſionem peccatorum quantùm ad pœnam temporalem, & legalem immunditiam, C. ant. Quantùm ad culpam & pœnam æternam, N. ant. Nam in allegatis capitibus Scriptura non promittit remiſſionem peccatorum omnium, etiam graviſſimorum, ut adulterii, homicidii, & idololatriæ, ſed aliquorum tantùm, eorumque leviorum, videlicet peccatorum ignorantiæ contra legales obſervantias, peccatorum circa damnum proximi in rebus externis, & perjurii ex cupiditate res alienas retinendi; quorum proinde non promittit remiſſionem quoad culpam & pœnam æternam: alioquin aliqua peccata quoad culpam & pœnam æternam ſine aliis aliquando remiſſa fuiſſent, quod tamen nunquam factum eſt. Supereſt ergo ut horum peccatorum remiſſionem promittat quoad pœnam aliquam temporalem, & legalem immunditiam, quæ remiſſio fieri potuit, & facta eſt ſine infuſione gratiæ juſtificantis: unde nego conſeq.

Obj. 2. hæc Apoſtoli verba 1. Cor. c. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eandem potum ſpiritalem biberunt*; ex quibus hæretici colligunt eamdem eſſe novorum ac veterum ſacramentorum efficaciam *R.* hoc eos perperam colligere: verborum enim Apoſtoli ſenſus eſt: Iſraelitæ idem inter ſe manna manducaverunt, & eandem inter ſe aquam de petra ſcaturientem biberunt, quibus præfigurabatur noſtra Euchariſtia: ſicut petra, de qua ſcaturiebat aqua, præfigurabat Chriſtum, qui inſtituturus erat Euchariſtiam, ut dicit ibidem Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus*. Apoſtolus igitur hic manna eſcam ſpiritalem; & aquam de petra ſcaturientem, ſpiritalem potum nominat, non propter efficaciam aliquam, ſed propter ſolam ſignificationem, *Omnes quidem*, inquit Auguſtinus enarr. in pſalmum 77. *eamdem cibum ſpiritalem manducaverunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt, id eſt, ſpiritale aliquid ſignificantem*.

Obj 3. S. Auguſtinus tract. 26. in Joan. docet, vetera ſacramenta à novis diverſa fuiſſe ſpecie viſibili, ſed paria virtute ſpirituali. *R.* neg. Nam hic S. Doctor, 1. non loquitur de ſacramentis veteribus propriè dictis, de quibus hic agitur: loquitur enim de manna quod manducaverunt; & aqua quam biberunt Iſraelitæ in deſerto. Manna autem & aqua illa non fuerunt aut potuerunt eſſe niſi impropriè ſacramenta, nomine ſacramenti intelligendo id omne, quod aſſumitur ad ſignificandum aliquid ſpirituale, nec eſt ritus aliquis ſacer, à Deo inſtitutus, & ab Iſraelitis, quandiu duraret lex Moſaica, uſurpandus, qualia fuerunt ſacramenta vetera propriè dicta. 2. Dicit hoc manna & hanc aquam ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia paria eſſe in virtute non efficiendi, ſed ſignificandi; quia ſicut hæ ſignificant, ita & illa ſignificarunt Chriſtum, vel, ſi vis, corpus Chriſti manducandum, & ſanguinem ejus bibendum in Euchariſtia.

Audiamus S. Doctorem: *Hunc panem* (Chriſtum) *ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit altare Dei: ſacramenta illa fuerunt* (quamvis impropriè tantùm:) *in ſignis diverſa ſunt* (à ſacramentis noſtris) *ſed in re, qua ſignificatur, paria ſunt .... omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eamdem: nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud* (nempe panis ſpeciem) *ſpiritalem vero quam nos* (quatenùs manna ſignificabat carnem Chriſti, quam ſignificant ſpecies panis) ... *omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt, aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidam* (nam illi aquam de petra ſcaturientem, nos vini ſpecies,) *tamen hoc idem ſignificant virtute ſpeciali* (quia aqua illa ſignificabat Chriſti ſanguinem, quem ſignificant & continent ſpecies vini.)

ARTICULUS VIII.

Utrùm circumciſio cauſarit gratiam ex opere operato, an non.

RESPONSIO.

Circumciſio non juſtificabat, nec cauſabat gratiam ex opere operato.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam ad Galat. cap. 4. dicitur: *Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis*; ubi non ſolùm de cœremoniis legalibus, ſed etiam & potiſſimùm de circumciſione loquitur Apoſtolus, qui certè nomine elementi infirmi & egeni, non vocitaſſet circumciſionem, ſi vim juſtificandi & gratiam cauſandi ex opere operato habuiſſet.

Prob. 2. ex Conc. Flor. in decreto Eugenii, in quo cùm generaliter dicitur antiquæ legis ſacramenta non cauſaſſe, ſed ſolum præfiguraſſe gratiam per paſſionem Chriſti dandam, non excipitur circumciſio, quæ quamvis non in antiqua lege, ſed in lege naturæ inſtituta fuerit, nihilominus inter antiquæ legis ſacramenta recenſetur.

Prob. 3. ex Patribus, pro quibus ſit Tertullianus lib. contra Judæos c.2. ubi ſic ait: *Si circumciſio purgat hominem, Deus Adam incircumciſum cum faceret, cur eum non circumcidit, vel poſteaquam deliquit, ſi purgat circumciſio?* Et c.3. ſic loquitur: *Abraham .. ante Deo placuit, quàm circumcideretur, nec tamen ſabbatizavit: acceperat enim circumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam*. Et cum Tertulliano Ambroſius epiſt. 72. quæ eſt ad Irenæum: *Signum igitur*, inquit, *circumciſio corporalis, veritas autem circumciſio ſpiritualis eſt: illa membrum amputat, iſta peccatum*. Atqui ſi vim juſtificandi ex opere operato habuiſſet circumciſio, purgaſſet hominem, nec ſolùm membrum, ſed etiam peccatum amputaſſet, quod Patribus repugnat. Ergo, &c.

Prob. 4. ratione. Quia circumciſio non fuit à Deo inſtituta ad tollendum peccatum originale. Ergo, &c. Conſeq. patet. *Prob. ant.* Fuit à Deo inſtituta ad conſignandum populum ab eo ſpecialiter electum, illum-

illumque ab aliis gentibus diſtinguendum. Ergo non fuit inſtituta, &c.

Prob. ant. 1. Ex Juſtino Martyre in dialogo cum Triphone, in quo ſic loquitur: *Circumciſio, quam ab Abrahamo accepiſtis ſecundum carnem, in ſignum notumque data eſt, ut ſitis ab aliis gentibus & à nobis diſcreti.* 2. Ex Irenæo lib. 4. adverſus hær. c. 30. *Quoniam*, inquit, *circumciſionem non quaſi conſummatricem juſtitiæ, ſed in ſigno eam dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ, ex ipſa Scriptura diſcimus.* 3. Ex Tertulliano lib. adverſus Judæos c. 3. ubi ait: *Providens Deus quod hanc circumciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus populo Iſrael, idcircò filium Moyſi ducis futuri inſtigat circumcidi, ut cum cœpiſſet per eum populo dare præceptum circumciſionis, non aſpernaretur populus, videns exemplum iſtud in ducis filium jam celebratum.*

4. Chryſoſtomus hom. 39. in cap. 27. Geneſeos, hæc habet: *Signum circumciſionis quaſi frænum quoddam impoſuit* (Deus) ... *ut ne gentibus commiſcerentur ... ſed ſua gente contenti eſſent, ut Patriarchæ ſemen impermixtum maneret; ut ſic & promiſſa in eis compleri poſſent.* Et inferiùs: *Cur octo dierum infans circumciditur? Tempus præfinitum à miſericorde Deo duabus de cauſis opinor. Una, ut ætate immatura factionis circumciſionis in carne moleſtiam ferre queat: alia, ut rebus ipſis diſceremus, quod id animæ nihil conducat, ſed hoc fiat ſigni gratia.*

5. Hieronymus comment. in cap. 3. Gal. ſic diſcurrit: *Quoniam ex ſemine ejus* (Abraham) *erat Chriſtus oriundus, in quo univerſarum gentium fuerat benedictio repromiſſa; & ab Abraham uſque ad Chriſtum multa erant ſæcula tranſitura; providens Deus, ne ſoboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta; gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Aſſyrios, Babylonios atque Chaldæos, hoc ſignaculo diſtinguerentur.*

Confirmatur ex verbis Scripturæ, quibus circumciſionis inſtitutio continetur, Gen. c. 17. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum inter me & vos.* Circumciſionem igitur inſtituit Deus, ut eſſet ſignum fœderis, quod tunc inibat cum Abrahamo & ejus poſteris. Hoc autem fœdus in eo conſiſtebat, quòd Deus particularem haberet curam ipſius Abrahami, ex cujus ſtirpe oriundus eſſet Meſſias, & ejus poſterorum, ac viciſſim ab illis coleretur peculiariter. Unde conſequens eſt inſtitutam à Deo fuiſſe circumciſionem, ut eſſet ſignum, quo poſteri Abrahami, tanquam populus à Deo electus, ipſique devotus peculiariter, à cæteris populis diſcernerentur.

Confirmatur iterum ex eo quòd Iſraelitæ per 40. annos in deſerto circumciſi non fuerunt. At quòd remedium ad tollendum peccatum originale à Deo inſtitutum, tandiu neglecturi fuiſſent, & tandiu negligi paſſurus fuiſſet Moſes, credibile non eſt. Imò verò Iſraelitæ circumciſi non fuerunt in deſerto, quia cùm circumciſio à Deo inſtituta tantùm fuerit ad populum Judaicum à cæteris populis diſcernendum, circumciſione opus non habuerunt, quandiu fuerunt in deſerto, utporè toto illo tempore ab aliis gentibus omnibus ſufficienter ſegregati. Hoc dicit S. Hieronymus loco ſupra citato, ubi poſt verba à nobis citata ſic proſequitur: *Denique per quadraginta annos in eremo nullus eſt circumciſus: ſoli quippe ſine gentis alterius admixtione vivebant: ſtatim ut Jordanis ripam tranſgreſſus eſt populus, & in Palæſtina terram Judæum ſe examen infudit, circumciſio neceſſaria futuro ex commixtione gentium providit errori.*

Obj. 1. illud Gen. c. 17. ut habetur in græco, *Et incircumciſus maſculus, cujus non circumcidetur caro præputii in die octavo, peribit anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecerunt.* Quibus verbis, interprete S. Auguſtino pluribus locis, Deus parvulis circumciſione carentibus minabatur æternæ damnationis pœnam propter originale peccatum, ſeu propter peccatum, illud, quo omnes Adami poſteri, ex eo naturaliter deſcendentes, in illo prævaricati ſunt pactum quod cum Deo inierat de non comedendo de ligno ſcientiæ boni & mali. Ergo Deus circumciſionem inſtituerat ad tollendum peccatum originale. Quod argumentum tam valet, quàm illud: Deus in lege nova parvulis baptiſmo carentibus æternam damnationem minatur propter peccatum originale. Ergo in lege nova ad tollendum peccatum originale Deus baptiſmum inſtituit.

R. Græcam hanc lectionem mendoſam eſſe, & in ea perperam addita eſſe hæc verba, *in die octavo*, quæ neque in Vulgata noſtra, neque in Hebræo textu inveniuntur. Quo errore deceptus S. Auguſtinus, intellexit parvulum per to *maſculus*, comminationem pœnæ æternæ per to *peribit*, & per to *pactum*, illud, quod cum Adamo factum eſt de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, adeoque per to *irritum fecerunt*, prævaricationem Adami, quæ fuit moraliter poſterorum ejus prævaricatio.

Dico itaque, Scripturam hoc loco loqui, 1. de pacto facto à Deo cum Abrahamo, ſeu de pacto circumciſionis; manifeſtè enim loquitur de pacto, de quo ſuperius eodem capite dicitur: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum; & circumcidetis carnem præputii veſtri.* 2. De maſculo adulto, qui circumcidi noluerit, & nolendo, circumciſionis pactum prævaricatus fuerit; cui prævaricationi imponit hic pœnam, non æternam, ſed temporalem, mortem ſcilicet corporalem, vel legalem excommunicationem, ſeu ſegregationem à populo; quod magis ſuadetur ex eo, quod non abſolutè dicitur, *Peribit anima illa*, ſed, *Peribit anima illa de populo ſuo.* Scriptura igitur loquitur, non de peccato aliquo, quod remittere poſſet circumciſio, ſed de peccato perſonali, quod admitti poterat, tranſgrediendo præceptum de circumciſione; ex quo certè colligi non poteſt, quòd circumciſio vim remittendi peccatum aliquod habuerit.

Obj. 2. S. Auguſtinus pluribus locis, & poſt eum recentiores alii Patres, quos ſequitur Innocentius III. cap. *Majores*, extra, de baptiſmo, docent per circumciſionem remiſſum fuiſſe peccatum originale. *R.* his Patribus ſatisfieri, ſi dicatur, 1. ſicut in lege naturæ, ita & in lege Moſaica parvulos juſtificatos fuiſſe in fide parentum, exterius proteſtata per cœremoniam aliquam religioſam, cujus electionem & determinationem Deus reliquerat hominibus. 2. Judæos pro cœremonia illa religioſa, fidei ſuæ in Chriſtum venturum proteſtativa, ad parvulorum non ante octavum diem morientium juſtificationem determinaſſe circumciſionem, ad quam aliunde ſub gravi culpa tenebantur. 3. Et ita Judæorum parvulos, non ante octavum diem morientes, juſtificatos fuiſſe in fide parentum, exteriùs proteſtata per circumciſionem, adeoque circumciſionem ad parvulorum inter Judæos non ante octavum diem morientium juſtificationem concurriſſe ut externam proteſtationem fidei, qua parentes credebant in Chriſtum venturum.

Dices. Patres illi videntur circumciſionem æquiparare baptiſmo. *R.* æquiparare quantum ad eventum: nam ſicut nunc in baptiſmo remittitur, ita olim apud Judæos in circumciſione remittebatur peccatum originale. At non æquiparant quoad modum eventus; nec ad eorum propoſitum requiritur, ut quoad hoc circumciſio æquiparetur baptiſmo; ſed ad illud omninò ſufficit, ſi dicatur, olim apud Judæos verè deletum fuiſſe peccatum originale per circumciſionem, ſicut nunc verè deletur per baptiſmum; & nunc baptiſmum prodeſſe parvulis, ſicut olim apud Judæos parvulis proderat circumciſio in ordine ad infuſionem gratiæ, & peccati originalis condonationem, quamvis magno cum diſcrimine: nam infunditur gratia, & peccatum originale condonatur non

ſolùm

ſolùm adultis ritè diſpoſitis, ſed etiam parvulis per baptiſmum, & ritum ſacrum, moventem efficaciter & infallibiliter Deum ad infundendam gratiam, & peccatum originale condonandum.

Olim autem infundebatur gratia, & peccatum originale condonabatur parvulis per circumciſionem, ut publicam & religioſam proteſtationem fidei parentum, quæ ſine publica & religioſa illa proteſtatione parvulis prodeſſe non poterat, nec ad ſummum, publicè ſcilicet & religioſè proteſtata, parvulis proderat, niſi ad modum meriti de congruo. Dico, ad ſummum: nam fortaſſe melius dicetur, parvulis prodeſſe potuiſſe, & profuiſſe tantum per modum conditionis prærequiſitæ à Deo ad hoc, ut propter merita Chriſti futura infunderet gratiam, & peccatum originale condonaret. Ex quibus ſequitur, datam fuiſſe gratiam, & peccatum originale condonatum per circumciſionem, ut conditionem ſine qua non; vel, ſi vis, ut ſignum externum, applicans parvulis fidem parentum, per quam ut conditionem prærequiſitam, vel ad ſummum ut meritum de congruo, parvuli accipiebant gratiam, & remiſſionem peccati originalis.

Ita docet S. Thomas hic quæſt. 70. art. 4. in O. ubi ſic loquitur: *In circumciſione conferebatur gratia quantùm ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quàm in baptiſmo. Nam in baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius baptiſmi, quam habet, in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectæ. In circumciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute* (ſeu ex vi merendi de congruo) *fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio.*

Ita ſentiendo, conciliamus Auguſtinum cum antiquioribus Patribus. Nam his ſatisfit, ſi dicatur circumciſio primò & in ſpecie à Deo inſtituta fuiſſe tantùm, ut eſſet ſignum fœderis à Deo facti cum Abrahamo & ejus poſteris: unde vi primæ & ſpecificæ inſtitutionis ſuæ, circumciſio ad animæ ſalutem nil prodeſſe poterat parvulis. Auguſtino verò ſatisfit, cùm dicitur, poſt determinationem factam ab Abrahami poſteris, qui circumciſionem ſibi graviter præceptam adoptarunt in ſignum proteſtativum fidei ſuæ in Chriſtum venturum, circumciſionem vi inſtitutionis generalis olim non multò poſt Adami lapſum factæ à Deo, fuiſſe ſacramentum, & peccati originalis remedium pro parvulis, illis ſcilicet applicando fidem, qua parentes eorum credebant in Chriſtum venturum.

DISPUTATIO IV.

De Miniſtro Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Utrùm omnes & ſoli homines poſſint eſſe miniſtri Sacramentorum.

NOta. Senſus quæſtionis eſt, utrùm omnes & ſoli homines ſint perſonæ idoneæ, & poteſtatem habentes conficiendi ſacramenta: nam hic miniſtrare, idem ſignificat, quod efficere; & miniſter ſacramentorum, idem quod ſacramenti effector. Lutherus in lib. de Miſſa privata docet, etiam Angelos, ſive bonos, ſive malos, eſſe ſacramentorum miniſtros. *Ego non dicam*, inquit, *quod Papiſtæ dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem ipſam conſecrare poſſe. Sed è contra dico: Si diabolus ipſe veniret, & ego poſtea reſciſcerem diabolum ſic irrepſiſſe in officium paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Eccleſia docuiſſe, baptiſaſſe, celebraſſe miſſam, & abſolviſſe à peccatis, & tali munere functum eſſe juxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri, ſacramenta ideò non eſſe inefficacia, ſed verum baptiſmum, verum Evangelium, veram abſolutionem, verum ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti nos accepiſſe.*

Hanc poteſtatem miniſtrandi ſacramenta non omnibus omninò hominibus chriſtianis attribuit, ſed niſi ab iis, qui à communitate vel majore vocati ſunt, licitè exerceri non poſſe, aſſerit lib. de capt. Babyl. cap. de Ordine. *Eſto certus*, inquit, *& ſeſe agnoſcat, quicumque ſe Chriſtianum agnoverit, omnes nos æqualiter eſſe ſacerdotes, hoc eſt, eandem in verbo, & ſacramento quocumque habere poteſtatem; verùm non licere quenquam hac ipſa uti, niſi conſenſu communitatis, vel vocatione majoris.* Lutheri doctrinam de poteſtate conficiendi ſacramenta, chriſtianis omnibus attributa, anathematiſat Tridentina Synodus ſeſſ. 7. can. 10. ubi ait: *Si quis dixerit, chriſtianos omnes in verbo & omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem: anathema ſit.*

Ad hunc porrò Tridentinæ Synodi canonem Calvinus in antidoto ſic loquitur: *Nemo ſanus chriſtianus omnes in verbi ſacramentorumque adminiſtratione pares facit: non ſolùm quia decenter, & ordine geri omnia in Eccleſia decet; ſed etiam quòd ſingulari Chriſti mandato ad eam rem ordinantur miniſtri.* Ex quibus verbis apparet, Calvinum hic Luthero adverſari, & poteſtatem adminiſtrandi ſacramenta illis tantùm concedere, qui ad eam rem legitimè ordinati ſunt. Imò ibidem fœminis baptizandi poteſtatem nequidem in caſu neceſſitatis concedit, quem errorem ſuo loco refutabimus. Interim contra Lutherum ſit

RESPONSIO I.

Solus homo viator, ratione utens, poteſt eſſe miniſter ſacramentorum ſecundùm legem ordinariam.

Prob. Ille ſolus poteſt eſſe ſacramentorum miniſter ſecundùm legem Dei ordinariam, quem Chriſtus ad hoc munus deſignavit. Atqui Chriſtus ad hoc munus deſignavit ſolum hominem viatorem, ratione utentem: ad ſolum enim hominem ratione utentem, dirigitur illud Matth. c. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Et illud Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et illud Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et illud Jacobi c. 5. *Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum.* Ergo, &c. Hinc

1. Infantes & amentes non poſſunt miniſtrare ullum ſacramentum; cùm non habeant uſum rationis, & inſuper habere non poſſint intentionem, ſine qua ſacramentum eſſe non poteſt.

2 Angelus bonus non poteſt adminiſtrare ullum ſacramentum, niſi ex diſpenſatione Dei. Idem dic de anima ſeparata, vel redeunte ad corpus glorioſum; ſecùs eſſet de anima redeunte ad corpus mortale, & ſtatum viatoris. Porrò ſi Angelus bonus adminiſtraret ſacramentum aliquod, puta ſi baptizaret, vel ordinaret aliquem, Baptiſmus, vel Ordo non eſſet iterandus: Angelus enim bonus validè poteſt baptizare, vel ordinare, ex diſpenſatione & extraordinaria deputatione Dei; & ſi quando re ipſa baptizaret, vel ordinaret, hoc proculdubio faceret ex diſpenſatione, & extraordinaria Dei deputatione.

Ita docet S. Thomas hic q. 64. a. 7. in O. in quo ſic ait: *Sicut Deus virtutem ſuam non alligavit ſacramentis, quin poſſit ſine ſacramentis effectum ſacramentorum conferre: ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in ſacramentis. Et quia boni Angeli ſunt nuncii veritatis, ſi aliquod ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum: quia deberet conſtare hoc fieri voluntate divina.* Hinc, ut narrat Nicephorus lib. 11. hiſt. Eccl. c. 22. Epiſcopi, qui Iconium convenerant ut S. Amphilochium hujus civitatis Epiſcopum conſecrarent; *ubi ex eo cognoverunt ab Angelis Dei conſecrationem eum ſuſcepiſſe, data de tam ſacra & divina gratia Deo gloria, ut pontificem Dei...cum timore reverenter hominem admiſere, & ſolita ſalutatione, atque*

oſculo

Digitized by Google

oſcula ei impertito, ea quæ epiſcopalis functionis ſunt, adminiſtrare & exequi permiſere.

3. Multò minùs ſacramenta adminiſtrare poteſt diabolus ſine extraordinaria deputatione Dei. Unde cùm pro certo ſtatuendum ſit, nunquam diabolum à Deo ad id muneris eſſe deputandum, ſi quando, ut aic S. Thomas loco proximè citato, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberet diabolus, non eſſet ratum habendum; & ſi diceret, ſe ad miniſterium illud exhibendum ſpecialiter à Deo deputatum eſſe, mentiretur. Hinc, ut apertè ſignificat Firmilianus Epiſcopus in ſua ad Cyprianum epiſtola, quæ inter hujus epiſtolas extat num. 43. Epiſcopi catholici pro nullo habuerunt baptiſmum collatum à quadam muliercula, quæ multos baptizarat, *uſitata & legitima verba interrogationis uſurpans, ut nil diſcrepare ab Eccleſiaſtica regula videretur;* pro nullo, inquam, habuerunt, cenſentes diabolum per mulierem baptizaſſe, poſtquam illam non inſtinctu Spiritus ſancti agere, ſed *principalium dæmoniorum impetu* ferri, opera cujuſdam exorciſtæ deprehenſum eſt.

Dices. Cum Luthero. Membra diaboli vera ſacramenta adminiſtrare poſſunt, & adminiſtrant. Ergo hoc etiam poteſt diabolus: quidni enim poſſet diabolus, quod poſſunt ejus membra? *Prob. ant.* Nam homines mali ſunt membra diaboli. Atqui homines mali adminiſtrare poſſunt, & adminiſtrant vera ſacramenta. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Nam homines mali, qui quà mali ſunt, ſunt membra diaboli, non quà mali ſunt, adeòque non quà membra ſunt diaboli, adminiſtrant vera ſacramenta, ſed quà miniſtri Chriſti ſunt. Sunt autem miniſtri Chriſti, quia veri homines ſunt, & à Chriſto poteſtatem acceperunt adminiſtrandi ſacramenta.

Dices iterùm. Cum eodem. Dignitas & efficacia ſacramentorum non pendet à qualitate perſonæ, ſed à ſola Chriſti inſtitutione. Ergo modò ſervetur hæc inſtitutio, fit verum ſacramentum, à quocumque tandem, hoc eſt, ſiva ab homine, ſiva ab Angelo bono, aut etiam malo conferatur. *Reſp.* Dignitatem & efficaciam ſacramentorum non pendere à qualitate accidentali perſonæ, ut ſunt fides & ſanctitas: at pendet à qualitate eſſentiali, hoc eſt, à qualitate ſine qua perſona non poteſt eſſe verus miniſter. Talis autem eſt, ſpectata lege Dei ordinaria, adeòque ſecluta diſpenſatione & extraordinaria deputatione, quòd ſit homo ratione utens. Porrò, ut fatetur Lutherus, non fit verum ſacramentum, niſi ſervetur Chriſti inſtitutio. Atqui non ſervatur Chriſti inſtitutio, niſi perſona, ſecluſa extraordinaria deputatione, ſacramentum conferens, ſit homo. Ergo, &c.

R e s p o n s i o II.

Verus miniſter ſacramentorum (exceptis Baptiſmo & Matrimonio) non eſt quilibet homo etiam baptizatus, ſed is tantùm, qui ad id muneris ritè ordinatus eſt.

Prob. Nam, ut ſuis locis probabitur, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, & Ordo miniſtrari non poſſunt ab aliis, qui non habent characterem Ordinis; adeòque horum ſacramentorum veri miniſtri eſſe non poſſunt laici etiam baptizati. Porrò hic excipitur. 1. Baptiſmus, quia ob ſummam ejus neceſſitatem ſemper judicavit Eccleſia, illum validè conferri poſſe à quolibet homine. 2. Matrimonium, quia ſacramentum hoc conſiſtit in mutuo contractu legitimo duorum, maris ſcilicet & fœminæ, vel in vinculo conjugali, qui per contractum illum efficitur: unde mas & fœmina non poſſunt non eſſe miniſtri hujus ſacramenti.

Obj. Cum Luthero illud 1. Petri cap. 2. *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut annuntietis virtutes ejus, &c.* Ex quibus verbis arguit Lutherus omnes omninò chriſtianos eſſe ſacerdotes, & verbi Dei concionatores. *Reſp.* 1. Locum illum, non dirigi ad omnes chriſtianos, ſed ſolùm ad pios & ſanctos, ut patet ex his verbis, *gens ſancta:* peccatores enim non ſunt gens ſancta. 2. Per ſacerdotium intelligi ſacerdotium metaphoricum, & ſpirituale, quo offeruntur Deo ſacrificia ſpiritualia, bona ſcilicet opera, laudes, & preces. Hoc autem ſacerdotium piis & ſanctis chriſtianis omnibus commune eſt: at præter illud, aliud eſt ſacerdotium propriè dictum, ad quod pertinet offerre ſacrificium propriè dictum, hoc eſt, conficere Euchariſtiam, ſicut & prædicare verbum Dei, & miniſtrare populis ſacramenta: quod ſacerdotium in iis omnibus & ſolis, qui ritè ordinati ſunt, reperitur, ſive pii ſint ac ſancti, ſive impii ac peccatores. Sed

Obſerva obiter, 1. In omnibus ſacramentis, exceptis Euchariſtia & Matrimonio, miniſtrum ſacramenti diſtinctum eſſe à ſuſcipiente ſacramentum: nemo enim poteſt ſe ipſum baptizare, confirmare, abſolvere, ordinare, &c. Sacerdos tamen hoſtiam à ſe conſecratam, validè & licitè ſibi ipſi adminiſtrat. Item in Matrimonio conjuges ſimul adminiſtrant, & recipiunt ſacramentum.

2. Plures miniſtros ad idem ſacramentum conficiendum poſſe concurrere, vel ut cauſas partiales, vel ut cauſas totales: nam ſacramentum Matrimonii à duobus contrahentibus ut cauſis partialibus efficitur; & novi ſacerdotes omnes ſimul cum Epiſcopo Euchariſtiam conficiunt, ut cauſæ totales, & independentes, quarum quælibet ſeorſim ab aliis omnibus ſufficit, ſi ſimul verba conſecrationis abſolvunt.

3. Miniſtrum ſacramenti eſſe cauſam non ſolùm ſacramenti, ſed etiam gratiæ, remiſſionis peccatorum, & aliorum effectuum ſacramentalium, non tamen proximè & immediatè, ſed remotè tantùm & mediatè, mediante ſcilicet ſacramento, cujus eſt cauſa efficiens, quo Deus movetur ad dandam gratiam, ad remittenda peccata, & alios effectus ſacramentales conferendos, quodque proinde eſt cauſa inſtrumentalis proxima & immediata gratiæ, remiſſionis peccatorum, &c.

A R T I C U L U S II.

Quænam intentio requiratur in Miniſtro ad valorem Sacramentorum.

TAmquam planè certum & indubitatum ſupponimus, aliquam in miniſtro requiri intentionem ad perfectionem ſacramenti. Et verò ſi nulla requiritur, homo mentis impos, vel dormiens, poterit validè ſacramenta conferre; quod nemo ſanæ mentis dixerit. Prættereà, ad hoc ut miniſter ſacramentum conficiat, requiritur ſaltem ut agat humano modo. Atqui humano modo agere non poteſt ſine aliqua intentione. Ergo, &c.

Triplex autem eſſe poteſt intentio miniſtri. Prima eſt intentio exercendi actionem externam, & proferendi verba. Secunda, intentio faciendi ſacramentum. Tertia, conferendi effectum ſacramenti. Secunda duplex eſſe poteſt: una ſcilicet particularis & diſtincta, altera verò generalis & confuſa. Prima eſt intentio conferendi ſacramentum Baptiſmi, Confirmationis, &c. & ſupponit in miniſtro myſteriorum noſtrorum diſtinctam & explicitam notitiam. Secunda eſt intentio faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, qualis eſſe poteſt in eo, qui ignorat religionis chriſtianæ myſteria. Quæritur ergo quænam ex his intentionibus requiratur in miniſtro, ad hoc ut fiat verum ſacramentum?

Circa quæſtionem hanc aliqua ſupponimus ut facilia. 1. Scilicet non requiri intentionem conferendi effectum ſacramenti, ſeu conferendi gratiam per ſacramentum. Nam Lutherani & Calviniſtæ cùm baptizant, non intendunt conferre gratiam per baptiſmum, & tamen baptiſmus ab eis collatus, ratus habetur in Eccleſia, in qua non rebaptizantur ii, quos illi baptizarunt.

2. Non requiri intentionem particularem, & diſtinctam faciendi ſacramentum: nam generalem, & confu-

fuſam ſufficere, unanimi conſenſu tradunt Doctores catholici, & docet Florentinum in decreto Eugenii §. *Primum*.

3. Non requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia Romana: nam Lutherani & Calviniſtæ baptizando non intendunt facere quod facit Eccleſia Romana, & tamen validè baptizant. Sufficit igitur intentio faciendi quod facit vera Eccleſia, ſive ex errore putetur alia eſſe ab Eccleſia Romana, ſive non. Ratio eſt, quia qui intendit facere quod facit vera Eccleſia, ſive circa illam erret, ſive non, hoc ipſo intendit quod Chriſtus inſtituit, & ita hoc ipſo generaliter & confuſè intendit ſacramentum; quod ſufficit ad ſacramenti veritatem. Propter eandem rationem ſufficit intentio faciendi quod faciunt Chriſtiani: qui enim hoc intendit, intendit facere quod facit vera Eccleſia, & quod Chriſtus inſtituit.

Ex his obiter arguitur validum eſſe v. grat. baptiſmum, ſi baptizans intendit facere quod facit Eccleſia particularis falſa, putà Genevenſis, ſed quam putat eſſe membrum Eccleſiæ veræ univerſalis: talis enim intentionem habet faciendi quod facit vera Eccleſia; quamvis erret in cognitione veræ Eccleſiæ, qui error in miniſtro impedire non poteſt veritatem ſacramenti; cùm non impediat requiſitam intentionem.

Circa præſentem itaque quæſtionem una ſupereſt difficultas, videlicet utrùm ad ſacramenti valorem ſufficiat in miniſtro intentio ponendi præcisè actum externum, an præter hanc intentionem requiratur ſaltem generalis & confuſa intentio faciendi ſacramentum, actum externum ponendo. Circa hanc autem difficultatem plures ſunt ſententiæ.

Prima ſententia eſt novatorum ſæculi decimi ſexti, qui tenent non requiri in miniſtro aliquam intentionem faciendi ſacramentum; ſed verum ſacramentum fieri, modò adſint res & verba, etiamſi à miniſtro per jocum, vel irriſoriè, aut fictè & mendaciter ponantur.

Secunda ſententia eſt Ambroſii Catharini in opuſculo de intentione miniſtri ſacramentorum, in quo duplicem intentionem diſtinguit, unam faciendi ſimpliciter actum externum, quem Eccleſia facit; alteram verò faciendi actum externum, non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalem, ſeu animo celebrandi myſterium, quod Chriſtus inſtituit, & quod celebrat Eccleſia. Primam aſſerit requiri, ſecundam negat.

Tertia ſententia eſt Salmeronis lib. 1. commentar. in epiſt. D. Pauli part. 3. diſput. 2. ubi quoad rem Catharino conſentiens, duplicem diſtinguit intentionem miniſtri; unam publicam & Eccleſiæ ipſius, cujus miniſterio perfungitur is, qui ſacramentum diſpenſat; alteram verò privatam & particularem ipſius miniſtri, qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut deriſoriè facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi ſacramentum, aut ejus effectus, etiamſi ſacramentum in forma Eccleſiæ conſueta adminiſtret.

Hanc ſecundam intentionem, veritatem ſacramenti impedire non poſſe aſſerit; & primam, quæ ſatis exprimitur, in ipſis ſacramentorum formis, & ab illis inſeparabilis eſt, ſi integrè, ut debent, proferantur, ſufficere cum intentione applicandi materiam & formam: *Adminiſtrans igitur*, inquit hic Author, *materiam & formam* (miniſter) *ſacramentum perficit, modo exteriùs non proteſtetur ſe nolle illud adminiſtrare, vel aliquid addat, quod vitiet formam: habet enim intentionem, quæ ſufficit*, nempe intentionem applicandi materiam & formam; cùm utramque deliberatè applicet, cum publica ſeu Eccleſiæ intentione, ſatis expreſſa in forma quam profert, & à qua integrè, & perfectè prolata ſeparari non poteſt; quantumvis miniſter animo intendat non facere ſacramentum.

Eodem ſpectat Aureolus, cùm ait lib. 4. ſentent. diſt. 5. quæſt. 1. art. unico, præſumptam in miniſtro intentionem faciendi ſacramentum ſufficere ad valorem ſacramenti, adeòque ad valorem ſacramenti ſufficere, ſi miniſter ponat totum ritum externum, *nec exteriùs prætendat ſe aliud intendere, quam intendat Eccleſia.*

Eandem ſententiam amplectuntur recentiores, ſic expoſitam: *Sacerdos dum ſe Eccleſiæ miniſtrum exteriùs gerit, ac materiæ debitæ veram ſacramenti formam ſeriò applicat, verum conficit ſacramentum, quamvis interiùs nolit agere tanquam Eccleſiæ miniſter, ac intra ſe ipſum, vel ex malitia, vel ex impietate dicat: Hoc in ritu nec me gero, nec me volo gerere tanquam Eccleſiæ miniſtrum: imò cæremoniam hanc externam, ſeu catechumeni ablutionem cum expreſſa Trinitatis invocatione conjunctam, modo tantùm prophanè intendo celebrare.*

Sacerdos autem exteriùs gerit ſe tanquam miniſtrum Eccleſiæ, ejus nomine & auctoritate agit, cùm ritum externum, ex quo ſacramentum conſtat, ſeriò peragit, ſeu cum in cœtu publico, vel privatim, ſed poſtulatus, formam materiæ conjungit (ſupple, ſeriò) nam ſecundùm hos recentiores, in nullo caſu miniſter materiæ formam jocosè applicando conficit ſacramentum. In quo potiſſimùm ſe à Kemnitio, & aliis hæreticis differre gloriantur. Seriò autem, ſecundùm illos, miniſter intentionem non faciendi ſacramentum intùs gerens, formam materiæ applicat, hoc ipſo quòd non ſignificat exteriùs ſe nolle ſacramentum facere, & jocosè vel repræſentativè agere.

Porrò juxta eoſdem, cùm miniſter ſe gerit exteriùs ut miniſtrum Eccleſiæ, quantumvis interiùs nolit ſe ut talem gerere, forma quam tunc materiæ applicat, velit, nolit, ad ſignificationem ſacramentalem determinatur ex loco, in quo ritus ille externus celebratur, ex eorum petitione, quibus applicatur, aut ex aliis circumſtantiis extrinſecis. Unde ritus ille externus, quem celebrat is, qui exteriùs ſe gerit tanquam miniſtrum Eccleſiæ, eſt eſſentialiter idem cum ſacramento; & ita is qui illum ſic peragit, velit nolitvè, verum ſacramentum conficit.

Quòd ſi quis non ſe gerat exteriùs tanquam miniſtrum Eccleſiæ, juxta eoſdem, verum ſacramentum conficere non poteſt ſine actuali vel virtuali intentione illius conficiendi, quia tunc ritus externus ad ſignificationem ſacramentalem determinari non poteſt ab ulla circumſtantia extrinſeca: unde ad hoc neceſſaria eſt interna voluntas hominis ritum illum peragentis, qua velit interiùs gerere ſe tanquam Eccleſiæ miniſtrum, ab ea ad ſacramenti, putà Baptiſmi, collationem commiſſum.

Tertia ſententia, quam tenent Doctores Catholici communiter, docet ad veritatem ſacramenti in quolibet caſu requiri in miniſtro intentionem efficiendi ſacramentum, vel ſub diſtincto conceptu ſacramenti, vel ſub aliqua ratione confuſa & generali, putà intendendo facere quod Chriſtus inſtituit, vel quod intendit Eccleſia, vel quod intendunt Chriſtiani, vel aliquid ſimile: ita ut miniſter nunquam verum ſacramentum efficiat cum ſola intentione exequendi ſimpliciter ritum externum, & à fortiori, ſi cum intentione exequendi ſimpliciter ritum externum, habeat actum, quo poſitivè nolit facere ſacramentum; quantumlibet exteriùs ſe gerat ut miniſtrum Eccleſiæ, & totum ritum externum exequatur abſque externa joci, irriſionis aut fictionis nota, ſive in cœtu publico, ſive privatim, ſed poſtulatus. Pro hac ſententia, ſit

R e s p o n s i o.

Ad valorem ſacramenti requiritur in miniſtro, præter intentionem exequendi ritum externum, confuſa ſaltem & generalis intentio efficax faciendi ſacramentum, ritum illum externum exequendo.

§. I.

Probatur reſponſio auctoritate Concilii Florentini.

Concilium Florentinum in decr. Eugenii §. *Quinto*, ſic loquitur: *Hæc omnia ſacramenta* (novæ legis) *tribus perficiuntur, videl. rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis*

ſacra-

Digitized by Google

ſacramentum (hoc eſt, res & verba adhibentis, quibus ſacramentum perfici debet) *cum intentione faciendi quod facit Eccleſia* (res ſcilicet & verba adhibendo per miniſtros ſuos) *quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum*. Quod autem Eccleſia facit, res & verba adhibendo per miniſtros ſuos, ſacramentum eſt, ſeu ſignum ſenſibile, ſacrum, ſignificans & efficiens gratiam. Juxta Florentinam igitur Synodum, ad perfectionem ſacramenti eſſentialiter requiritur in miniſtro intentio faciendi ſacramentum rebus & verbis, quæ adhibet; quæ intentio eſt diſtincta & explicita, vel ſaltem generalis & confuſa, prout is qui ſacramenti res & verba adhibet, diſtinctum habet conceptum ſacramenti, vel non habet. Ergo, &c.

Hanc eſſe mentem Florentinæ Synodi, evidenter oſtenditur ex eo quod ſubjicit §. ſequ. *In cauſa autem neceſſitatis, non ſolùm ſacerdos, vel diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, immò etiam paganus & hæreticus, baptizare poteſt, dummodò formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia*. Manifeſtum enim eſt, perinde eſſe, ac ſi Synodus diceret: Homo etiam paganus, vel hæreticus, validè baptizare poteſt, dummodò totum ritum externum, qui ponitur in Eccleſia, deliberatè ponat, & intendat facere quod facit Eccleſia, ritum illum externum per ſuos miniſtros ponendo. Id autem quod facit, eſt ſacramentum Baptiſmi. Quærenti enim quid Eccleſia faciat, quando miniſter Eccleſiæ cum debita intentione abluit corpus infantis, proferendo hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Quid aliud reſpondere potes, quàm quòd baptizat infantem, hoc eſt, quàm quòd infanti confert ſignum ſenſibile, ſacrum, à Chriſto inſtitutum, ad ſignificandam & producendam gratiam regenerationis?

Declaratur ampliùs mens Synodi. Cùm Synodus dicit: *Dummodò* (aqua corpus abluendo) *formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia*; manifeſtè diſtinguit intentionem faciendi quod facit Eccleſia, à voluntate ponendi præcisè ritum externum baptiſmi. Ergo juxta Synodum, intentio faciendi quod facit Eccleſia, non eſt voluntas ponendi ſimpliciter ritum externum baptiſmi, ſed eſt voluntas ſaltem confuſa ponendi ritum illum ut ſacramentalem, ſeu ut ſignum inſtitutum ad ſignificandam & efficiendam gratiam: quid enim aliud eſſet. Ergo, &c.

Dices. Id quod facit Eccleſia in baptiſmo, nihil eſt niſi cæremonia externa, ex qua conſtat baptiſmus: quid enim facit Eccleſia, cùm infans baptizatur? Per miniſtrum ſuum abluit aqua corpus infantis, & profert verba conſecratoria: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Reſp.* Hoc evidenter repugnare menti Synodi: nam manifeſtè, juxta mentem Synodi, id quod facit Eccleſia, dicit aliquid ſupra totam cæremoniam externam, ex qua conſtat baptiſmus, præcisè ſumptam; cùm præter voluntatem ponendi totam cæremoniam externam, ex qua conſtat baptiſmus, requirat Synodus in miniſtro intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Falſum igitur eſt, quòd juxta mentem Synodi, id quod Eccleſia facit in baptiſmo, nihil aliud ſit, quàm cæremonia externa, ex qua conſtat baptiſmus, præcisè ſumpta; ſed præter illam ſic ſumptam, eſt adhuc aliquid aliud, nempe ratio ſacramenti; vel, ſi vis, juxta mentem Synodi, id quod facit Eccleſia in baptiſmo, adæquatè ſumptum, non eſt cæremonia externa baptiſmi, ſumpta tantùm ſecundùm eſſe phyſicum, ſed eſt cæremonia externa baptiſmi ſumpta non ſolùm ſecundùm eſſe phyſicum, ſed etiam ſecundùm eſſe morale, quod habet, cùm in ea facienda ſervatur Chriſti inſtitutio. Pro quo

Nota. In cæremonia externa baptiſmi, facta ſecundùm inſtitutionem Chriſti, duo ſunt, eſſe phyſicum, & eſſe morale. Eſſe phyſicum conſiſtit in ablutione corporis, & prolatione verborum; eſſe verò morale, in ratione ſigni ſacramentalis; vel, ſi vis, in ſignificatione & efficacia ſacramentali. Utrumque autem eſſe tribuit Eccleſia per ſuum miniſtrum, cùm miniſter Eccleſiæ, ſervans Chriſti inſtitutionem, abluit corpus, & profert verba conſecratoria, & utramque hanc actionem elevat ad rationem ſacramenti, utrique tribuendo vim ſignificandi & efficiendi regenerationem ſpiritualem.

Quid ergo facit Eccleſia, cùm baptizatur infans? Facit duo, unum ſcilicet phyſicum, & alterum morale; phyſicum quidem, abluendo corpus infantis, & proferendo verba per miniſtrum ſuum; morale verò, per eundem miniſtrum ablutioni corporis, & verborum prolationi tribuendo ſignificationem, & efficaciam ſacramentalem. Quid ergo facit Eccleſia, cùm baptizatur infans? Facit cæremoniam externam, non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalem; facit cæremoniam externam cum ſignificatione & efficacia ſacramentali; facit ſacramentum: nam ea cæremonia externa, & ſignificatione ac efficacia ſacramentali, intrinſecè reſultat ſacramentum, quod eſt totum quoddam quaſi artificiale, partim phyſicum, & partim morale, externa ſcilicet cæremonia, materia & forma conſtans, en phyſicum; vim habens ſignificandi, & efficiendi gratiam, en morale.

Itaque ſecundùm mentem Synodi, intentio faciendi quod facit Eccleſia in baptiſmo (idem dic de quolibet alio ſacramento) eſt intentio ponendi cæremoniam externam baptiſmi, non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalem; eſt intentio ponendi non ſolùm eſſe phyſicum, ſed etiam eſſe morale cæremoniæ externæ baptiſmi; eſt intentio ponendi cæremoniam externam baptiſmi cum ſignificatione & efficacia ſacramentali; eſt intentio faciendi ſacramentum baptiſmi, quod non eſt talis cæremonia ſimpliciter, ſed talis cæremonia externa, ut habens vim ſignificandi & efficiendi regenerantem gratiam: ita ut in ſacramento baptiſmi talis cæremonia externa ſe habeat ut materiale, vis verò ſignificandi, &c. ut formale, quo potiſſimùm in eſſe talis ſacramenti conſtituitur baptiſmus.

Denique, ſi, ut dicunt adverſarii, id quod facit Eccleſia, in ſenſu Synodi, nihil aliud eſt quàm cæremonia externa ſacramenti, adde, ſi vis, non quoquo modo, ſed ſeriò poſita; qui deliberatè ponit ſeriò cæremoniam externam ſacramenti, habet in ſenſu Synodi intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Hoc præſuppoſito, propono caſum Sacerdos non poſtulatus, privatim abluit infantem, proferendo verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Ut ei benepreceretur tantùm, intùs dicens: Nolo hac vice facere ſacramentum.

Quæro ab adverſariis, utrùm in hoc caſu infans ſit verè baptizatus? Reſpondent non eſſe, quia tunc nihil eſt, quod cæremoniam externam determinet ad ſignificationem ſacramentalem; unde tunc non ſit ſacramentum. Rectè quidem; ſed tamen oſtendo, quòd in eorum doctrina infans ſit verè baptizatus, & fiat verum ſacramentum in caſu propoſito: nam ſic argumentor. Sacerdos ponens materiam & formam Baptiſmi cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, verè baptizat. Atqui in caſu propoſito ſacerdos ponit materiam & formam baptiſmi, ut ſupponitur, & in doctrina adverſariorum intentionem habet faciendi quod facit Eccleſia; nam deliberatè ponit, non quoquo modo, ſed ſeriò, materiam & formam baptiſmi, adeòque in doctrina adverſariorum, deliberatè facit quod facit Eccleſia; & ſic in doctrina adverſariorum, habet intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Ergo in doctrina adverſariorum, velint, nolint, ſacerdos verè baptizat in caſu propoſito; quod tamen diſertè negant.

Dicentne ſacerdotem in caſu propoſito non agere ut miniſtrum Eccleſiæ? At contrarium facilè oſtendo in eorum doctrina. Nam tunc ſacerdos agit ut miniſter Eccleſiæ, quando ponit materiam, & formam ſacramenti cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Atqui in doctrina adverſariorum ſacerdos in caſu propoſito ponit materiam & formam ſacramenti cum intentione faciendi quod facit Eccle-

ſia. Ergo in doctrina adverſariorum, agit ut miniſter Eccleſiæ.

Dicentne ſacerdotem in caſu propoſito non agere ſeriò? At in eorum quoque doctrina contrarium facilè oſtenditur. Nam in eorum doctrina tunc ſacerdos agit ſeriò, cum nec jocosè nec repræſentativè ponit materiam & formam ſacramenti. Atqui in caſu propoſito ſacerdos nec jocosè nec repræſentativè ponit materiam, & formam ſacramenti: nam ut ſupponitur, lavat infantem, ut eluat ſordes corporis; & profert verba, ut bene precetur infanti. Ergo in caſu propoſito ſacerdos agit ſeriò in doctrina adverſariorum.

At inquies. Quare ergo ſacerdos non facit ſacramentum in caſu propoſito, in quo ponit totam cæremoniam ſubſtantialem baptiſmi? *Reſp.* Non facere ſacramentum, quia non habet intentionem faciendi quod facit Eccleſia in ſenſu Synodi. Non habet autem, quia quod facit Eccleſia in ſenſu Synodi, eſt cæremonia externa baptiſmi non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalis, ſeu ut habens ſignificationem & efficaciam ſacramentalem; & ſic intentio faciendi quod facit Eccleſia in ſenſo Synodi, eſt intentio ponendi cæremoniam externam ut ſacramentalem, quam intentionem non habet ſacerdos in caſu propoſito.

Mens Synodi hactenùs accuratè expoſita & probata, illuſtratur adhuc hoc argumento. Cùm Synodus ad perfectionem ſacramenti requirit intentionem faciendi quod facit Eccleſia, certo certiùs intelligit quod facit Eccleſia nomine & auctoritate Chriſti, adeòque intelligit quod facit Eccleſia per poteſtatem miniſterialem acceptam à Chriſto. Atqui Eccleſia facit ſignificationem & efficaciam ſacramentalem per poteſtatem miniſterialem à Chriſto acceptam, ſicut per potentiam naturalem facit cæremoniam externam. Ergo cùm Synodus ad perfectionem ſacramenti requirit intentionem faciendi quod facit Eccleſia, requirit intentionem faciendi ſignificationem & efficaciam ſacramentalem, ſeu, quod idem eſt, intentionem tribuendi ſignificationem & efficaciam ſacramentalem cæremoniæ externæ, quod eſt velle executionem cæremoniæ externæ, non ſimpliciter, ſed ut habentis ſignificationem & efficaciam, per quas in eſſe ſacramenti conſtituitur.

§. II.

Probatur Reſponſio auctoritate Concilii Trident.

Ad doctrinam Synodi Florentinæ accedit Tridentinæ definitio ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia: anathema ſit*. Ubi illud, quod facit Eccleſia, dubitare nefas eſt, à Synodo Tridentina eo ſenſu intelligi, quo à Florentina intelligitur; adeòque dubitare nefas eſt, intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ad perfectionem ſacramentorum requiri à Synodo Tridentina eo ſenſu, quo à Florentina requiritur. Ergo Tridentina Synodus, ad hoc ut fiat verum ſacramentum, requirit in miniſtro intentionem faciendi cæremoniam externam, non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalem, hoc eſt, intentionem non ſolùm faciendi cæremoniam externam, ſed etiam ei tribuendi ſignificationem & efficaciam, qua conſtituitur in eſſe ſacramenti; quam intentionem habet miniſter, vel particularem & diſtinctam, cùm vult baptizare, confirmare, &c. ſub diſtincto conceptu Baptiſmi, Confirmationis, &c. vel ſaltem, quod ſufficit, generalem & confuſam, cùm ſine diſtincto conceptu Baptiſmi, Confirmationis, &c. vult facere, exequendo cæremoniam externam Baptiſmi, Confirmationis, &c. quod illam exequendo facit Eccleſia.

Dices. Tridentinum hoc canone non aliud intendit, quàm damnare doctrinam hæreticorum, aſſerentium cæremoniam externam ſacramenti, quoquo modo, etiam jocosè & irriſoriè factam à miniſtro, eſſe nihilominùs verum ſacramentum. *Reſp. brevit.* Synodum, ut manifeſtum eſt ex tenore canonis, non ſolùm damnare ſententiam hæreticorum, ſed etiam docere fideles, quænam intentio in miniſtro neceſſaria ſit, ut verum ſacramentum fiat, & definire hanc eſſe intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, hoc eſt, intentionem ſaltem confuſam & generalem faciendi cæremoniam externam, non ſimpliciter, ſed ut ſacramentalem, & vim habentem ſignificandi & efficiendi id, ad quod ſignificandum & efficiendum à Chriſto inſtituta eſt. Quod

Declaratur ampliùs ex ſeſſ. 14. cap. 6. in quo ſic loquitur Synodus: *Non debet pœnitens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut etiamſi nulla illi adſit contritio, aut ſacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſolvendi deſit; putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem, verè & coram Deo eſſe abſolutum*. Hic enim Synodus ad validam abſolutionem, adeòque ad perfectionem Sacramenti Pœnitentiæ requirit in ſacerdote, præter intentionem proferendi formam abſolutionis, animum ſeriò agendi & verè abſolvendi. At quæſo, quid hic eſt animus ſeriò agendi? Certo certiùs animus exercendi poteſtatem clavium, & vi hujus poteſtatis, pœnitenti peccata quorum reus eſt, remittendi. Unde in hoc textu hæc verba, *animus verè abſolvendi*, ſynonima ſunt præcedentibus, *animus ſeriò agendi*, quibus utitur, alludendo ad propoſitionem Lutheri, quam damnat hoc loco, & quæ hæc eſt: *Si ſacerdos non ſeriò, ſed joco abſolveret, ſi tamen pœnitens credit ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus*.

Dices. Sacerdos ſeriò agit, proferendo verba abſolutionis, cùm illa profert abſque ſigno externo, quo ſignificet ſe jocari, aut repræſentare tantùm; quantumvis cæremoniam externam, quam poſtulatus peragit, intra ſe ipſum ſubſannet & irrideat. Ergo cùm poſtulatus profert verba abſolutionis abſque ſigno externo, quo ſignificet ſe jocari, aut repræſentare tantùm, habet animum ſeriò agendi; quantumvis cæremoniam externam, &c. Ergo loco laudato Synodus non aliud poſtulat ad validam abſolutionem, quàm ut ſacerdos poſtulatus proferat abſolutionis verba abſque ullo ſigno externo, quo ſignificet ſe jocari, aut repræſentare tantùm.

Reſp. Sacerdotem, qui cæremoniam externam, quam poſtulatus peragit, intra ſe ſubſannat & irridet, non verè, ſed apparenter tantùm & præſumptivè agere ſeriò, proferendo verba abſolutionis abſque ſigno externo, quo ſignificet ſe jocari, aut repræſentare tantùm; tunc enim tantùm ſacerdos agit ſeriò, cùm poſtulatus agit ex ſincera intentione fungendi officio ſuo, quod eſt, pœnitenti diſpoſito peccata remittere, vel, ſi vis, quod idem eſt, proferre verba abſolutionis, non ſimpliciter abſque ſigno externo joci vel irriſionis, aut meræ repræſentationis, ſed ad exercendam poteſtatem clavium, & exercendo, pœnitentem diſpoſitum à peccatis abſolvendum, quod facere poteſt vel ſub diſtincto conceptu abſolutionis, vel, quod poteſt ſufficere, ſub confuſa quadam & generali ratione, proferendo ſcilicet verba abſolutionis cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, cùm verba illa per miniſtros ſuos profert.

Sacerdos igitur in caſu propoſito non habet animum ſeriò agendi, ſed ſolùm habet, quod longè aliud eſt, animum fingendi ſe agere ſeriò, quia ſolùm habet animum ſimulandi ſe velle pœnitentem abſolvere, ſe velle officio ſuo fungi, ſe velle adminiſtrare ſacramentum Pœnitentiæ. Unde in caſu propoſito ſolùm ſimulat ſe ſeriò agere, ſolùm videtur ſeriò agere, ſolùm præſumi poteſt, & præſumitur ſeriò agere, quare tantùm præſumi poteſt, & præſumitur pœnitentem abſolvere, quem non abſolvit.

Dices. Tunc ſacerdos ſeriò agit, cùm exteriùs ſe gerit ut miniſtrum Eccleſiæ, licèt exteriùs tantùm ſe gerat. Atqui ſacerdos in caſu propoſito exteriùs, quamvis exteriùs tantùm, ſe gerit ut miniſtrum Eccleſiæ. Ergo, &c. *Reſp.* neg. maj. Nam qui exteriùs tantùm ſe gerit ut miniſtrum Eccleſiæ, non in re & verè gerit ſe ut miniſtrum Eccleſiæ, ſed apparenter tantùm & præſumptivè, non in re & verè agit ut miniſter Eccleſiæ, ſed ſolùm ſimulat ſe agere.

Digitized by Google

agere. Et verò tunc tantùm ſacerdos in collatione ſacramenti verè ſe gerit ut miniſtrum Eccleſiæ, quando facit cæremoniam externam ſacramenti cum intentione faciendi quod facit, adeòque facere intendit Eccleſia, cujus eſt miniſter; vel, ſi vis, quando intentionem ſuam conformat intentioni Eccleſiæ, cujus eſt miniſter. Atqui intentionem ſuam intentioni Eccleſiæ non conformat ſacerdos, qui vult exteriùs tantùm ſe gerere ut miniſtrum Eccleſiæ: nam vel intendit jocari, vel repræſentare tantùm, Eccleſia verò neque jocari, neque ſolùm repræſentare per miniſtros ſuos intendit.

Porrò locum Synodi à nobis allegatum opponunt ſibi recentiores in hunc modum: Tridentinæ Synodi *ſeſs.* 14. definitur nullam eſſe abſolutionem, quam impertitur ſacerdos, cui animus ſeriò agendi & verè abſolvendi deſit. Atqui ei, qui tantùm abeſt ut interiùs velit ſe gerere tanquam Eccleſiæ miniſtrum, quin potiùs cæremoniam externam, quam poſtulatus peragit, intra ſe ipſum ſubſannet, & irrideat, animus ſeriò agendi deeſſe videtur. Ergo, &c.

Huic autem argumento reſpondent: majorem propoſitionem eſſe veriſſimam. Ratio eſt, inquiunt, quia is, cui deeſt animus ſeriò agendi, jocosè agit, aut repræſentativè tantum; proindeque non gerit ſe etiam exteriùs tanquam Eccleſiæ miniſtrum; ſicque confectum ab eo ſacramentum nequaquam valet. Sed contra hanc rationem eſt, quia jocosè agens aut repræſentativè tantùm, poteſt nihilominùs gerere ſe exteriùs tanquam miniſtrum Eccleſiæ: Nam ſic argumentor. Ille agit jocosè aut repræſentativè tantùm, qui agit animo jocandi, aut repræſentandi tantùm: ſicut ille ſeriò agit, qui agit animo agendi ſeriò. Sed qui agit animo jocandi, aut repræſentandi tantùm, poteſt nihilominùs gerere ſe exteriùs tanquam miniſtrum Eccleſiæ: poteſt enim ſuum illum animum non prodere exteriùs, & fingere ſe velle facere quod facit Eccleſia, & ſacramentum conferre. Ergo, &c.

Reſpondent 2. negando minorem. Ratio eſt, inquiunt, quia ſacerdos, qui à pœnitente poſtulatus, abſolutionis formam ſeriò profert, reipſa, ac de facto ſeriò agit, & verè abſolvit, ideſt, non agit mimicè, nec repræſentativè. Ergo habet animum ſeriò agendi, & verè abſolvendi: voluntas enim interna non agendi ſeriò, & verè non abſolvendi, quam in objectione habere ſupponitur, non eſt voluntas efficax, ſed ſimplex velleitas, & ſimilis ei, quæ reperiretur in homine, qui liberè pingens, nollet tamen pingere.

Hæc reſponſio hominis eſt ſuccumbentis difficultati, non eam ſolventis. Verum quidem eſt, ſacerdotem qui ſupra pœnitentem ſeriò profert formam abſolutionis, ſeriò agere, & diſpoſitum verè abſolvere, quia formam illam profert, habens animum ſeriò agendi & verè abſolvendi. At ſacerdos, poſtulatus à pœnitente, præſertim quia poſtulatur à pœnitente, abſolutionis formam non profert ſeriò, niſi proferat eam ex intentione faciendi quod poſtulat pœnitens, hoc eſt, niſi proferat ex intentione conferendi ſacramentum: pœnitens enim non mera verba, ſed ſacramentum poſtulat. Sacerdos verò interiùs nolens ſe gerere tanquam Eccleſiæ miniſtrum, & cæremoniam illam externam, quam poſtulatus peragit, intra ſe ipſum ſubſannans & irridens, abſolutionis formam non profert ex intentione conferendi ſacramentum; imò expreſſam habet contrariam intentionem: quid enim eſt, interiùs nolle ſe gerere tanquam miniſtrum Eccleſiæ, quàm nolle conferre quod confert Eccleſia per miniſtrum ſuum, agentem ſcilicet omnia ſecundùm inſtitutionem Chriſti? Quid autem per miniſtrum ſuum confert Eccleſia in tribunali Pœnitentiæ? Sacramentum, quo velut cauſa inſtrumentali, proxima & immediata, Deo reconciliatur pœnitens. Sacerdos igitur in caſu propoſito non profert ſeriò formam abſolutionis, ſed irriſoriè; quare non agit ſeriò, ſed irriſoriè.

Dices. Sacerdos in caſu propoſito profert formam abſolutionis ſine ſigno externo joci, vel irriſionis: Ergo habet re ipſa animum ſeriò agendi, & verè abſolvendi, adeòque ſeriò agit, & verè abſolvit. *Reſp.* neg. conſ. Nam ex antecedente ſequitur tantùm, quòd habeat animum fingendi ſe ſeriò agere, & verè abſolvere: unde ſeriò agit, & abſolvit apparenter tantùm, & præſumptivè; in re verò non agit, niſi irriſoriè.

Dices. Sacerdos poſtulatus proferens formam abſolutionis ſine ſigno externo joci, vel irriſionis, in caſu propoſito, velit, nolit, facit ſacramentum. Ergo re ipſa & de facto habet intentionem efficacem agendi ſeriò, & verè abſolvendi, & voluntas nec agendi ſeriò, nec verè abſolvendi, quam habet, eſt mera velleitas. *Reſp.* neg. ant. *Prob.* Nec irriſoriè, nec repræſentativè tantùm profert formam illam. Ergo, velit, nolit, facit ſacramentum. *Reſp.* neg. ant. Nam profert illam animo irridendi, adeòque profert irriſoriè; quòd ſi ſupponatur non proferre animo irridendi, ſaltem cùm intùs nolit ſe gerere ut miniſtrum Eccleſiæ, & ita intùs nolit facere ſacramentum, ſaltem, inquam, profert animo repræſentandi tantùm, & ſic profert repræſentativè tantùm, quamvis poſtulatus proferat.

Ex hoc apparet, quàm ad rem impertinens ſit exemplum, quod hìc afferunt, hominis liberè pingentis, & pingendo nolentis pingere: homo enim pingendo non poteſt non pingere, & ita liberè pingendo non poteſt non efficaciter velle pingere; quare tunc habere non poteſt niſi meram velleitatem non pingendi. At ſacerdos etiam poſtulatus, proferendo abſolutionis formam abſque ſigno externo joci vel irriſionis, poteſt non facere ſacramentum, & reverà non facit, ſi formam illam profert animo fingendi tantùm, & ita nec ſeriò agendi nec verè abſolvendi voluntatem habens. Unde hæc voluntas non eſt ſimplex velleitas, ſed voluntas efficax, quacum compoſſibilis eſt alia voluntas efficax proferendi formam abſolutionis ſine externo joci vel irriſionis ſigno, ſed quæ, illa veniente, ſacramentum non poteſt operari.

Dices. Sacerdos in caſu propoſito proferens formam abſolutionis ſine ſigno externo joci vel irriſionis agit ſeriò in ſenſu Synodi. Ergo habet animum ſeriò agendi in ſenſu Synodi, adeòque verè abſolvit. *Reſp.* neg. ant. cujus falſitatem ſic oſtendo. Ille non agit ſeriò in ſenſu Synodi, qui non habet animum ſeriò agendi in ſenſu Synodi. Atqui ſacerdos in caſu propoſito proferens formam, &c. non habet animum agendi ſeriò in ſenſu Synodi. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ille non habet animum ſeriò agendi in ſenſu Synodi, qui non habet animum verè abſolvendi: animus enim ſeriò agendi, & animus verè abſolvendi, ſunt duo ſynonima in ſenſu Synodi, ut quivis non cavillans, nec effugia quærens, facilè agnoſcit, & per ſe manifeſtum eſt. Atqui ſacerdos in caſu propoſito, &c. non habet animum verè abſolvendi; imò habet animum non abſolvendi verè, ſed ſpecietenùs tantùm: nam habet animum non conferendi ſacramentum verè, ſed ſpecietenùs tantùm: habet enim animum non ſe gerendi verè, ſed ſpecietenùs tantùm tanquam Eccleſiæ miniſtrum. Ergo, &c.

Probabis tamen ant. negatum. Cùm Synodus ad validam abſolutionem requirit ſacerdotem ſeriò proferentem formam abſolutionis, opponit to *ſeriò* ſoli joco externo. Ergo, &c. Conſequentia patet. *Prob. ant.* ex ipſa Synodo *ſeſs.* 14. *cap.* 6. ubi poſt verba à nobis citata ſic ait: *Nec is eſſet niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.* Præterea, Synodus eum jocum intelligit, quem intelligebat Lutherus in illa ſua propoſitione: *Si ſacerdos non ſeriò, ſed joco abſolveret, ſi tamen pœnitens credat ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus*, quæ hìc à Synodo damnatur. At Lutherus jocum externum intelligebat. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam Synodus hìc ſerium opponit ſimpliciter joco, ſive ſe prodat per ſigna externa, ſive non: opponit enim ſerium omni joco excludenti

animum verè abſolvendi. Ad hoc autem ut hunc animum excludat jocus, non requiritur ut ſe prodat per ſigna externa: nam ſacerdos habens animum jocandi, & proferens formam abſolutionis animo jocandi, non habet animum verè abſolvendi, quantumlibet fingat, & exteriùs ſimulet ſe non jocari, ſed ſeriò agere. Synodus autem verbis allegatis opponit ſacerdotem abſolventem animo agendi ſeriò & verè abſolvendi, ſacerdoti abſolventi animo jocandi tantùm; & dicit pœnitentem fore ſalutis ſuæ negligentiſſimum, ſi cognita, ſufficienti aliquo ſigno externo, ſacerdotis animo jocandi tantùm ipſum abſolventis nequitia, alium ſacerdotem, à quo prudenter ſperaret ſe animo verè abſolvendi abſolutum iri, ſedulò non requireret.

Ad id quod addunt de Luthero. *Reſp.* Gratis omninò dici illum intellexiſſe ſacerdotem exteriùs jocantem; & dico locutum eſſe de ſacerdote formam abſolutionis non animo verè abſolvendi, ſed animo jocandi, vel irridendi tantùm proferente; voluiſſeque nihilominùs abſolutum iri pœnitentem credentem ſe eſſe abſolutum. In eadem portò fuit ſententia Calvinus, qui in antidoto Concilii Trid. ſeſſ. 7. can. 11. ſic ait: *Ego verò ſacroſancta Chriſti inſtitutione tantum defero, ut ſi Epicureus quiſpiam, intùs totam actionem ſubſannans, mihi cœnam ex Chriſti mandato, & ſecundùm regulam ab eo datam, ritùque legitimè adminiſtret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta vera mihi eſſe Corporis & Sanguinis Chriſti pignora*, & ſic verum ab eo effici ſacramentum, proindeque falli Tridentinos ad verum Euchariſtiæ ſacramentum intentionem ſeriò agendi, & verè conſecrandi in miniſtro requirentes, canone illo, in quo pronunciant ad ſacramentorum perfectionem neceſſariam eſſe intentionem faciendi quod facit Eccleſia, hoc eſt, intentionem faciendi ſacramentum. Sed

Contra recentiores, quos hìc impugnamus, ex dictis *ſic adhuc argumentor.* 1. Idem judicium eſto de aliis omnibus ſacramentis, ac de ſacramento Pœnitentiæ. Atqui ex Synodo Tridentina, ad perfectionem hujus ſacramenti requiritur in miniſtro intentio verè conferendi ſacramentum. Ergo, &c. *Prob. min.* Intentio verè abſolvendi eſt intentio verè conferendi ſacramentum Pœnitentiæ: ſacerdotem enim verè abſolvere, & verè conferre ſacramentum Pœnitentiæ, ſunt unum & idem. Atqui Synodus Tridentina ad perfectionem ſacramenti Pœnitentiæ requirit in miniſtro intentionem verè abſolvendi. Ergo, &c. Unde

Sic adhuc argumentor. 2. Ad valorem cujuslibet ſacramenti requiritur in miniſtro intentio faciendi quod facit Eccleſia. Atqui intentio faciendi quod facit Eccleſia, & quidem in ſenſu Synodi, eſt intentio verè conferendi ſacramentum. Ergo ad valorem cujuslibet ſacramenti requiritur in miniſtro intentio verè conferendi ſacramentum. Major eſt de fide, & eſſe agnoſcunt adverſarii. Minor adversùs tergiverſantes multipliciter demonſtrata eſt, & adhuc breviter demonſtratur. Idem judicium eſto de omnibus aliis ſacramentis, ac de ſacramento Pœnitentiæ. Atqui in ſacramento Pœnitentiæ, intentio faciendi quod facit Eccleſia, in ſenſu Synodi eſt intentio verè conferendi ſacramentum: eſt enim, in ſenſu Synodi, intentio verè abſolvendi. Ergo, &c. Hæc igitur concluſio, Ad valorem cujuslibet ſacramenti requiritur in miniſtro intentio verè conferendi ſacramentum, eſt ſaltem concluſio theologica. Unde de contraria ſententia non ſine fundamento ſic loquitur Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thomæ qu. 64. diſp. 13. ſect. 2. *Exiſtimo contrariam ſententiam non poſſe jam* (poſt Synodi Tridentinæ definitionem) *tutò defendi, nec ſine errore.*

Hæc noſtra argumenta adhuc ſibimet opponunt recentiores in hunc modum. Eccleſia, dum baptiſmate infantem donat, vult ſacramentum conficere. Ergo miniſter, qui, ut fides docet, debet habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ſacramenti confectionem proponat ſibi, ac velit oportet. Atqui is qui ſuam intentionem interiùs retinuit, non vult, nec ſibi proponit ſacramenti confectionem. Ergo, &c.

Ad hanc autem objectionem reſpondent, cæremoniam externam, quam celebrat is, qui ſeriò exteriùs ſe Eccleſiæ miniſtrum exhibet, eſſe eſſentialiter idem cum ſacramento: unde qui ſic illum peragit ritum, velit nolitvè, credat aut non credat, verum ſacramentum conficit ..... quemadmodum is, qui ceram in figuram humanam diſponit, velit nolitvè, hominem exhibet, quia imago hominis eſt eſſentialiter idem cum cera in figuram humanam diſpoſita; ita & miniſter, qui ſeriò agit ritum extrinſecum, ſeu materiam & formam, ex quo ſacramentum conſtat, ut par eſt applicat, velit nolitvè, verum ſacramentum conficit; eò quòd nimirùm ritus ille ſic peractus, non ſit quidpiam à vero ſacramento diſtinctum aut diverſum.

Ex hac ſophiſtica reſponſione, adverſarios propoſita difficultate opprimi manifeſtum eſt. Nam ſumo quod hìc negare non audent, immò & quod ſilentio ſuo nobis manifeſtè concedunt, videlicet intentionem faciendi quod facit Eccleſia, eſſe intentionem faciendi ſacramentum; & ſic argumentor. Si cæremonia externa ſine ullo ſigno externo jocandi, aut irridendi peracta à miniſtro exteriùs tantùm exhibente ſe miniſtrum Eccleſiæ, velit nolitvè miniſter, eſt verum ſacramentum; ad ſacramenti confectionem vel non requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia; vel intentio faciendi quod facit Eccleſia non eſt intentio faciendi ſacramentum; vel denique intentio exteriùs tantùm exhibendi ſe miniſtrum Eccleſiæ, eſt intentio faciendi ſacramentum.

Primum dicere hæreticum eſt, quod agnoſcunt adverſarii. Secundùm nec dicunt, imò nec dicere poſſunt, ut attendenti facilè patebit. Supereſt ergo tertium, quod dicere poſſint, & quod tamen evidenter falſum eſt: nam intentio exteriùs tantùm, & ſpecietenùs exercendi poteſtatem miniſterialem à Chriſto acceptam, ut patet ex terminis, adeòque eſt intentio exteriùs tantùm, & ſpecietenùs exercendi poteſtatem conficiendi ſacramentum. Atqui intendit exteriùs tantùm & ſpecietenùs hanc poteſtatem exercere, re ipſa non vult, ſed ſolùm fingit velle ſe illam exercere, & ſic re ipſa non vult, ſed ſolùm fingit velle ſe ſacramentum conficere, atque ita non habet intentionem faciendi ſacramentum, ſed ſolùm intentionem habet fingendi velle ſe facere ſacramentum.

Frivolum igitur eſt, quod dicitur, cæremoniam externam ſine ullo ſigno externo jocandi peractam à miniſtro exteriùs tantùm exhibente ſe miniſtrum Eccleſiæ, eſſe verum ſacramentum; & tam certum eſt non eſſe verum ſacramentum, quàm certum eſt ſine intentione faciendi quod facit Eccleſia, adeòque ſine intentione faciendi verum ſacramentum, verum ſacramentum fieri non poſſe. Quare exemplum ceræ in figuram humanam diſpoſitæ ad rem impertinens eſt; nec magis cæremonia externa, ab eo peracta, qui exteriùs tantùm exhibet ſe miniſtrum Eccleſiæ, eſt verum ſacramentum, quàm cera in figuram humanam diſpoſita, eſt verus homo.

§. III.

Probatur Reſponſio authoritate Pontificia.

Alexander Papa VIII. damnavit hanc propoſitionem: *valet baptiſmus collatus à miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere quod facit Eccleſia.* Ergo ad valorem baptiſmi (idem autem eſt de omnibus aliis ſacramentis) non ſufficit in miniſtro intentio ponendi omnem ritum externum, adeòque ponendi ritum externum eo modo quo in Eccleſia ponitur, ſed præterea requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia. Sed per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, Pontifex manifeſtè intelligit intentionem verè conferendi ſacramentum, neque hoc inficiari audent adverſarii.

Et

Et verò ſi per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non intelligit intentionem verè conferendi ſacramentum, ſupereſt ut intelligat intentionem ponendi ritum externum, eo modo quo in Eccleſia ponitur. Hoc autem evidenter falſum eſt : nam in hac propoſitione, quæ damnatur, agitur de miniſtro, qui re ipſa ponit, proindeque intentionem habet ponendi omnem ritum externum, & quem tamen Summus Pontifex declarat non facere ſacramentum, *ſi intus in corde ſuo apud ſe reſolvit*, &c. Ergo ad valorem requiritur in miniſtro intentio verè conferendi ſacramentum. Ergo, &c.

Huic cenſuræ Pontificiæ opponunt adverſarii, 1. ſententiam Canoniſtarum Gallorum, qui docent, in Francia non habere vim ullam decretum Tranſalpinum, niſi ab ipſo Papa immediatè emanaverit, unde judicia à Romana Inquiſitione lata, per ſe etiam quoad forum internum Gallos non obligare concludunt. *Reſp.* Quod nullum decretum Tranſalpinum, etiamſi à Papa immediatè emanaverit, vim habeat infligendi cenſuras aliaſve pœnas in Gallia, niſi priùs authoritate publica acceptatum fuerit, videntur tenere Canoniſtæ Galli. At quòd judicium à Romana Inquiſitione latum de doctrina ad fidem attinente, præſidente Summo Pontifice, nec poſtea reclamante, ſed vel expreſsè, vel ſaltem tacitè conſentiente Corpore paſtorali, vim non habeat obligandi in conſcientia; ita ut impunè coram Deo poſſit, ut vera defendi & typis mandari doctrina, quam ſic vel ut erroneam, vel ſaltem ut falſam Summus Pontifex proſcripſerit, hoc certè veriſimiliter dici non poteſt, imò evidenter falſum eſt.

Reſpondent adverſarii, 2. propoſitionem damnatam eandem non eſſe cum opinione, qua docetur ſufficere in miniſtro intentionem exteriorem, ut valeat ſacramentum. Et ſanè, inquiunt, ſacramenti ritus fieri poteſt exteriùs, nempe per formæ cum materia conjunctionem, abſque eo quòd ſacramentum conficiatur; ſcilic. ſi aut ſeriò ritus ille exteriùs non peragatur, ſed joco, ut patet in mimo; aut ſi ſeriò quidem exteriùs celebretur, ſed non ab eo, qui aliunde ab aliqua exteriori circumſtantia, v. gr: à ſacramenti poſtulatione, non determinatur ad agendum Eccleſiæ nomine, ſeu tanquam illius miniſter. Sed

Contra. Miſerabile hoc effugium eſt, quia Summus Pontifex hanc propoſitionem : *Valet baptiſmus*, &c. Damnando, manifeſtè intendit reprobare ſententiam aſſerentem verum eſſe ſacramentum, etiamſi miniſter à quo confertur, intùs in corde ſuo reſolvat : *Non intendo*, &c. Hoc eſt, etiamſi poſitivè nolit ſacramentum facere, modò pravum illum ſuum affectum non prodat exteriùs, & ita modò ſine ullo ſigno joci ponat omnem ritum externum, quod ordinariè, maximè cùm agitur de parvulis baptizandis, non facit niſi poſtulatus. Mens igitur Summi Pontificis eſt, & ſententiæ ab eo latæ ſenſus, quòd verum ſacramentum conficiatur nunquam à miniſtro nolente ſacramentum facere, quocumque modo, & in quibuſcumque circumſtantiis ponat omnem ritum externum.

Porrò quòd hìc ab adverſario dicitur, miniſtrum poſitivè nolentem gerere ſe tanquam miniſtrum Eccleſiæ, & facere quod facit Eccleſia, cum ponit ritum externum ſine ſigno externo joci vel irriſionis, ad agendum nomine Eccleſiæ & tanquam miniſtrum ejus determinari per circumſtantias extrinſecas, in quibus agit, putà per ſacramenti poſtulationem, commentum eſt recèns excuſum. Sacramenti poſtulatio cum aliis circumſtantiis extrinſecis, in quibus agit miniſter, & ſacramenti ritum externum ponit, poteſt quidem eſſe ſufficiens fundamentum præſumendi, quòd miniſter velit agere & agat nomine Eccleſiæ, & tanquam miniſter ejus. At facere non poſſunt circumſtantiæ illæ extrinſecæ, ut re ipſa nomine Eccleſiæ, & tanquam miniſter ejus agat, ſi ipſe nolit; ſicut facere non poſſunt ut velit, cùm non vult. Sed de hoc adhuc infrà.

§. IV.

Probatur Reſponſio authoritate S. Thomæ.

Recentior, quem hìc potiſſimùm impugnamus, confidenter ponit hanc concluſionem : *S. Thomas cenſuit valere ſacramentum collatum à miniſtro, qui ſuam intentionem interius retinuit.* Hoc eſt, à miniſtro, qui intra ſe ipſum, vel ex malitia vel ex impietate dicit : In hoc ritu nec me gero, nec me volo gerere tanquam Eccleſiæ miniſtrum; imò cæremoniam hanc externam modo tantùm prophano intendo celebrare. Per miniſtrum enim, qui ſuam intentionem interiùs retinet, talem intelligit recentior, qui aſſertionem ſuam probat ea reſponſione ad ſecundam objectionem Articuli octavi quæſtionis ſexageſimæ quartæ, partis tertiæ, in quo articulo quærit S. Doctor, *utrum intentio miniſtri requiratur ad perfectionem ſacramenti*, & in corpore reſpondet, & demonſtrat, ad ſacramenti perfectionem requiri in miniſtro intentionem, qua ſcilic. intendat facere quod facit Chriſtus & Eccleſia, ut manifeſtum eſt ea reſponſione ad 2. & 3. intendat, inquam, vel explicitè, vel ſaltem implicitè. Hanc autem fuiſſe S. Doctoris ſententiam demonſtramus.

S. Doctor p. 3. qu. 64. art. 8. agens ex profeſſo de intentione miniſtri ad perfectionem ſacramenti requiſita, dicit in O. ad ſacramenti perfectionem requiri in miniſtro intentionem determinandi materiam ſacramenti ad ſignificationem ſacramentalem, volendo ſcilicet per eam ſignificare id, ad quod ſignificandum Chriſtus illam inſtituit, & quod per illam ſignificare intendit Eccleſia; quam intentionem miniſter exprimit per verba conſecratoria ſincerè prolata. Unde ſi miniſter in baptiſmo v. grat. ablutionem corporis ad munditiam vel ſanitatem corporalem, aut ad ludendum ordinaret, & ita verba conſecratoria indifferenter vel joco proferret, tunc non eſſet niſi ſpecie tenùs ſacramentum. Verba S. Doctoris infrà referentur.

Eodem articulo contra aſſertionem ſuam primò ſic objicit : *Videtur quod intentio miniſtri non requiratur ad perfectionem ſacramenti : miniſter enim in ſacramento inſtrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur ſecundum intentionem inſtrumenti, ſed ſecundum intentionem principalis agentis. Ergo*, &c. Ad hoc autem ſic reſpondet : *Dicendum, quod inſtrumentum inanimatum non habet* (nec habere poteſt) *aliquam intentionem reſpectu effectus : ſed loco intentionis eſt motus, quo movetur à principali agente. Sed inſtrumentum animatum, ſicut eſt miniſter, non ſolum movetur, ſed etiam quodammodo movet ſe ipſum, in quantum ſua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua ſe ſubjiciat principali agenti : ut ſcilicet intendat facere, quod facit Chriſtus & Eccleſia.*

Juxta S. Doctorem, duplex diſtingui debet inſtrumentum : unum inanimatum, quod proinde caret virtute ſe ipſum determinandi; & alterum animatum ac liberum, quod adeò vim habet ſe ipſum determinandi. Primum nec operatur, nec operari poteſt, niſi ad operandum determinetur à principali agente, illud ſibi ſubjiciente per motionem, qua illud applicat & neceſſitat ad operationem. Secundum verò operari poteſt, & operatur ex propria determinatione, liberè ſcilicet ſubjiciendo ſe agenti principali, quod proinde nonniſi per illud ſibi liberè ſubjectum producit effectum, quem intendit : unde ad productionem effectus, præter principalis agentis intentionem, requiritur intentio inſtrumenti, intendentis nimirùm illud idem, quod intendit agens principale. Nam 1. ſi nihil intendat inſtrumentum liberum, non agit, adeòque nihil fit. 2. Si aliud intendat, quàm quod intendit agens principale, non ſe ſubjicit agenti principali, ſaltem quantùm ad effectum ab eo intentum; & ita agens principale per illud nec operatur, nec operari poteſt effectum quem intendit : agens enim principale operans per inſtrumentum, effectum aliquem operari non poteſt niſi per inſtrumentum ſibi ſubjectum relatè ad illum effectum, ut patet ex terminis.

Porrò relatè ad ſacramentum quodlibet miniſter eſt cauſa inſtrumentalis libera, Chriſtus verò cauſa principalis. Unde cùm cauſa principalis effectum quem intendit non operetur per cauſam inſtrumentalem, niſi ipſi ſubjecta ſit, vel neceſſariò, ſi eſt cauſa neceſſaria, vel liberè, ſi eſt cauſa libera; Chriſtus, ut cauſa principalis ſacramenti, effectum quem intendit, non operatur per miniſtrum, niſi miniſter ſeſe ſubjiciat Chriſto ut cauſæ principali ſacramenti. Atqui miniſter ſeſe non ſubjicit Chriſto ut cauſæ principali ſacramenti, niſi intendat, ponendo ritum externum, id quod intendit Chriſtus ut cauſa principalis ſacramenti, adeòque niſi ponendo ritum, intendat ſacramentum, quia id quod intendit Chriſtus ut cauſa principalis ſacramenti, eſt ſacramentum. Ergo Chriſtus ut cauſa principalis ſacramenti, effectum quem intendit, non operatur per miniſtrum, adeòque, quod idem eſt, miniſter ſacramentum non operatur ponendo ritum externum, niſi ritum illum ponendo, intendat ſacramentum, ſaltem ſub hac confuſa & generali ratione, quod facit Chriſtus, vel, quod facit Eccleſia.

Huic S. Doctoris doctrinæ è diametro opponuntur adverſarii, qui proinde non ſatis verecundè S. Doctorem ut ſuum venditant. Et verò S. Thomas ad perfectionem ſacramenti requirit ut miniſter agat ut ſubjectus Chriſto, tanquam cauſæ principali ſacramenti; quia ut ſacramentum perficiat, debet agere ut inſtrumentum Chriſti; & non poteſt agere, ut inſtrumentum Chriſti, niſi agat ut ſubjectus Chriſto tanquam principali cauſæ ſacramenti. Non poteſt autem, juxta eundem, miniſter agere ut ſubjectus Chriſto tanquam principali cauſæ ſacramenti, niſi agat cum intentione faciendi quod Chriſtus, ut cauſa principalis ſacramenti, facit per miniſtrum ſibi ſubjectum; vel, quod idem eſt, niſi agendo intendat quod intendit Chriſtus, ut cauſa principalis ſacramenti, adeòque niſi agendo ſaltem confusè, & generaliter intendat facere ſacramentum. Unde S. Thomas ad perfectionem ſacramenti manifeſtè requirit, ut miniſter ritum externum ponat cum confuſa ſaltem & generali intentione faciendi ſacramentum.

Adverſarii è contra dicunt miniſtrum poſtulatum, totum ritum externum peragentem eo modo quo in Eccleſia peragitur, facere ſacramentum, etiamſi expreſsè intùs in corde ſuo dicat: Nec me gero, nec me gerere intendo ut miniſtrum Chriſti (quod eſt æquivalenter dicere: Nec ago, nec agere intendo ut inſtrumentum Chriſti) cæremoniam hanc nec perago, nec peragere volo ut ritum ſacrum à Chriſto inſtitutum, ſed ut aliquid merè prophanum; non ſacramentum facere, ſed jocari tantùm & irridere intendo. Quæ ſanè doctrina expoſitæ S. Doctoris doctrinæ opponitur, ut affirmationi negatio.

At inquies. Miniſter, velit nolitve, hoc ipſo ſubjicit ſe Chriſto tanquam principali cauſæ ſacramenti, adeòque, velit nolitve, hoc ipſo agit ut inſtrumentum Chriſti, quòd poſtulatus totum ritum externum peragit eo modo, quo peragitur in Eccleſia; quantumlibet intùs in corde ſuo dicat: Nec me gero, nec me gerere intendo, &c. *Reſp.* Quod hic ſufficit, doctrinam hanc evidenter contradicere doctrinæ Sancti Thomæ, evidenter ad hoc ut miniſter, ſive poſtulatus ſit ſive non, verè ſe ſubjiciat Chriſto ut principali cauſæ ſacramenti, adeòque ad hoc ut miniſter verè agat ut Chriſti inſtrumentum; evidenter, inquam, ad hoc requiritur ut miniſter intendat, quod intendit facere & facit Chriſtus ut principalis cauſa ſacramenti, ſeu, quod idem eſt, ut miniſter intentionem ſuam conformet intentioni Chriſti ut cauſæ principali ſacramenti.

At inquies. Miniſter ille exteriùs gerit ſe, proindeque intendit exteriùs gerere ſe tanquam miniſtrum Chriſti. *R.* Hoc ad ſacramenti perfectionem non ſufficere S. Thomæ, ſed ab eo requiri ut miniſter intendat, non exteriùs tantùm & ſpecie tenùs, ſed verè & ſincerè gerere ſe tanquam Chriſti miniſtrum: requirit enim ut miniſter intendat agere ut inſtrumentum Chriſti tanquam cauſæ principalis ſacramenti, & ideò requirit ut miniſter ſe ſubjiciat Chriſto tanquam cauſæ principali ſacramenti per veram, & non apparentem tantùm intentionis ſuæ conformitatem cum intentione Chriſti, ut cauſæ principalis ſacramenti. Quod ſanè non facit is, qui exteriùs tantùm gerit ſe ut miniſtrum Chriſti: talis enim ſolùm fingit ſe agere ut inſtrumentum Chriſti; non enim ſubjicit ſe Chriſto, intentionem ſuam conformando ejus intentioni, ſed ſolùm vult ſe gerere, & ſe gerit exteriùs, perinde, ac ſi res ipſa ſe Chriſto ſubjiceret, & ejus intentioni intentionem ſuam conformaret.

Denique eadem qu. art. 10. in quo quærit S. Doctor, *Utrum intentio recta miniſtri requiratur ad perfectionem ſacramenti*, ſic ait in O. *Intentio miniſtri poteſt perverti dupliciter. Uno modo reſpectu ipſius ſacramenti, puta cum aliquis non intendit ſacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere* (ita ut tunc nequidem implicitè ſacramentum intendat) *& talis perverſitas tollit veritatem ſacramenti, præcipuè quando ſuam intentionem exteriùs manifeſtat.* Porrò addendo illud, *præcipuè quando, &c.* manifeſtè oſtendit S. Doctor ſe loqui ſimpliciter de intentione ponendi deriſoriè ritum externum ſacramenti, ſive exteriùs manifeſtetur, ſive non; & dicit expreſsè, hac intentione tolli veritatem ſacramenti, quia ſcil. excludit omnem etiam implicitam intentionem conferendi ſacramentum, quod veriſſimum eſt: miniſter enim in ſenſu compoſito talis intentionis, ſive eam exteriùs manifeſtet, ſive non, nequidem poteſt ſacramentum intendere ſub hac confuſa & generali ratione, quod Chriſtus facit, quod facit Eccleſia, ut per ſe clarum eſt.

Vides & hoc in loco S. Doctorem adverſariis evidenter contradicentem: dicit enim S. Doctor, verum ſacramentum fieri non poſſe à miniſtro totum ritum externum ponente cum intentione agendi deriſoriè; quia, ut etiam ait ad 2. eodem art. *Intentio ludrica vel jocoſa* (ſive exteriùs ſe prodat, ſive non) *excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur ſacramentum*, hoc eſt, intentionem conferendi ſacramentum, quæ in eodem ſubjecto ſtare non poteſt cum intentione agendi ludicrè vel jocosè, quantumlibet occulta: idem enim non poteſt ſimul velle conferre ſacramentum, & tamen non velle niſi deriſoriè agere, ponendo ritum externum ſacramenti, quantumlibet velit fingere ſe ſeriò agere. Unde quantumlibet fingat ſe ſeriò agere, ſacramentum non perficit, quia ſacramentum non perficitur ſine intentione conferendi ſacramentum. Adverſarii verò dicunt verum ſacramentum perfici à miniſtro poſtulato, totum ritum externum peragente cum intentione agendi deriſoriè tantùm, modò hanc ſuam pravam intentionem non prodat exteriùs, & ita abſque ullo externo deriſionis ſigno ritum illum externum peragat.

Denique eadem quæſt. art. 9. ſic objicit primo loco: *Videtur quod fides miniſtri ſit de neceſſitate ſacramenti. Sicut enim dictum eſt, intentio miniſtri eſt neceſſaria ad ſacramenti perfectionem. Sed fides intentionem dirigit .... Ergo ſi deſit vera fides in miniſtro, non perficitur ſacramentum.* Ad hanc autem objectionem ſic reſpondet: *Dicendum, quod poteſt contingere, quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, & non circa veritatem ſacramenti, quod exhibet: puta ſi aliquis credat juramentum eſſe in omni caſu illicitum; & tamen credat baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem: & ſic talis infidelitas non impedit intentionem* (etiam explicitam) *conferendi ſacramentum:* talis enim infidelitas in miniſtro, non impedit quominùs miniſter poſſit intendere ritum externum v. gr: baptiſmi, ut habentem efficaciam ad ſalutem, hoc eſt, ut habentem vim ſignificandi, & efficiendi gratiam juſtificantem.

Nota obiter. In ſenſu S. Doctoris, intentio conferendi ſacramentum non eſt intentio peragendi ritum externum ſacramenti ſimpliciter, ſed eſt intentio peragendi ritum externum ſacramenti ut habentem efficaciam ad ſalutem, ut habentem vim ſignificandi, &c.

Digitized by Google

&c. Unde cùm ſanctus Doctor ad perfectionem ſacramenti requirit in miniſtro intentionem conferendi ſacramentum, requirit in eo, ad perfectionem ſacramenti, intentionem peragendi ritum externum ſacramenti, ut habentem efficaciam ad ſalutem, ut habentem vim ſignificandi, &c.

Pergit S. Doctor: *Si verò patiatur fidei defectum circa ipſum ſacramentum quod exhibet, licèt credat, per id quod agitur exteriùs, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quòd Eccleſia catholica intendit, per hujuſmodi quæ exteriùs aguntur, præbere ſacramentum. Unde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id quod facit Eccleſia* (per hujuſmodi quæ exteriùs aguntur,) *licèt æſtimet id nihil eſſe. Et talis intentio ſufficit ad ſacramentum: quia ſicut ſupra dictum eſt* ((art.8. ad 2.) *miniſter ſacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur id quod deeſt fidei miniſtri*. Sic autem reſpondendo, S. Doctor manifeſtè oſtendit ſe planè ab adverſariis diſſentire. Quod ut inculcetur,

Quæro ab adverſariis, utrùm verum ſacramentum baptiſmi conferri poſſit à miniſtro infideli, qui non credit baptiſmum eſſe ſacramentum, quique proinde in ſenſu compoſito ſuæ infidelitatis, habere non poteſt intentionem faciendi ſacramentum, peragendo ritum externum baptiſmi? Reſpondent poſſe, quia, inquiunt, poteſt velle peragere totum ritum externum baptiſmi abſque ullo ſigno externo joci vel irriſionis, & in iis circircumſtantiis à quibus ritus ille externus determinatur ad eſſe ſacramentale; & ſi, ajunt, ita de facto peragit, verum confert baptiſmum; licèt totam illam cæremoniam intùs ſubſannet & irrideat; licèt intùs in corde ſuo dicat: Nec me gero, ne me gerere volo ut miniſtrum Eccleſiæ; licèt intùs in corde ſuo dicat: Non intendo quod intendit Eccleſia facere per hujuſmodi cæremoniam, ſed eam ut aliquid merè prophanum peragere intendo.

Quæro idem à S. Doctore: Reſpondet miniſtrum illum infidelem, qui non credit baptiſmum eſſe ſacramentum, licèt non poſſit explicitè & directè velle conferre ſacramentum, peragendo ritum externum baptiſmi, poſſe tamen verum baptiſmi ſacramentum conferre, quia non ignorans, quòd Eccleſia intendat per ritum externum baptiſmi conferre ſacramentum,; poteſt intendere per ritum illum facere id, quod Eccleſia per illum facere intendit; quamvis æſtimet, per ritum illum nihil ab Eccleſia fieri; atque ita non obſtante ſua infidelitate, poteſt implicitè & indirectè velle ſacramentum conferre, ritum externum baptiſmi peragendo, & ſic habere intentionem ſufficientem ad ſacramentum; unde cum tali intentione peragens cæremoniam externam baptiſmi, verum baptiſmum adminiſtrat; Eccleſia, in cujus perſona tunc agit, per fidem ſuam ſupplente id quod deeſt ex parte fidei ejus.

Quare igitur, juxta S. Doctorem, miniſter infidelis, non credens baptiſmum eſſe verum ſacramentum, poteſt non obſtante infidelitate ſua, validè baptizare? Quia poteſt, non obſtante infidelitate ſua, ſeriò & efficaciter intendere per cæremoniam externam baptiſmi facere id, quod per illam facere intendit Eccleſia. Quandonam, juxta S. Doctorem, miniſter infidelis, non credens baptiſmum eſſe verum ſacramentum, non obſtante infidelitate ſua, validè baptizat? Quando, quod non obſtante infidelitate ſua poteſt, cæremoniam externam baptiſmi celebrat cum ſeria & efficaci intentione faciendi per cæremoniam illam, id quod per illam facere intendit Eccleſia? Quandonam denique, juxta S. Doctorem, miniſter infidelis cæremoniam externam baptiſmi celebrat in perſona Eccleſiæ? Quando agit ut miniſter ejus; & agit ut miniſter ejus, quando per cæremoniæ externæ baptiſmi celebrationem, ſeriò & efficaciter intendit id quod illa intendit, & hoc intendendo, ei ſe ut inſtrumentum principali agenti per intentionis ſuæ cum ejus intentione conformitatem ſubjicit.

Objicies, S. Thomas hic q.64. art.8. hanc objectionem ſecundo loco proponit: *Non poteſt homini eſſe nota intentio alterius. Si igitur intentio miniſtri requiritur ad perfectionem ſacramenti, non poſſet homini ad ſacramentum accedenti eſſe notum, quod ſacramentum ſuſcepiſſet, & ita non poſſet habere certitudinem ſalutis, præcipuè cum quædam ſacramenta ſint de neceſſitate ſalutis.*

Ad hanc autem objectionem ſic reſpondet: *Dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur ſacramentum: ſed hunc defectum, &c. Alii meliùs dicunt, quod miniſter ſacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis ſacramentum.* Ergo ex S. Doctore, ad perfectionem ſacramenti in miniſtro non requiritur intentio conferendi ſacramentum, ſed intentio ponendi ritum externum ſufficit cum intentione Eccleſiæ, expreſſa per verba conſecratoria; modò miniſter exteriùs non ſignificet ſe nolle ſacramentum conferre.

R. neg. hanc conſeq. Nam prima opinio, quam improbat S. Thomas, loquitur de mentali intentione, non qualicumque, ſed explicita & directa conferendi ſacramentum. Unde opinionem hanc improbando, S. Doctor ſolùm vult ad perfectionem ſacramenti non requiri in miniſtro explicitam & directam intentionem conferendi ſacramentum, ſed ſufficere implicitam & indirectam, qualem ſupponit eſſe in miniſtro, de quo agitur; agitur enim de miniſtro, qui ritum externum ſacramenti ponit in perſona Eccleſiæ, adeòque de miniſtro, qui ritum illum ponit ut miniſter, ſeu ut inſtrumentum Eccleſiæ. In principiis autem Sanct. Doctoris non poteſt miniſter agere ut inſtrumentum Eccleſiæ, niſi Eccleſiæ, ut agenti principali, ſeſe ſubjiciat per intentionem faciendi quod illa intendit facere, ut manifeſtum eſt ex reſp. ad 1. ejuſdem Articuli, proindeque niſi habeat implicitam ſaltem & indirectam intentionem conferendi ſacramentum.

Hoc igitur loco nihil aliud vult S. Doctor, quàm ad perfectionem ſacramenti, putà baptiſmi, ſufficere in miniſtro confuſam, ut nos loquimur, & generalem intentionem faciendi per ritum externum baptiſmi, id quod per illum Eccleſia intendit facere; nam ad hoc ut baptiſmus verè conferatur, requiritur quidem ut materia baptiſmi, nempe ablutio corporis, ad hoc vel illud ſignificandum de ſe indifferens, determinetur ad ſignificandam gratiam regenerationis; ſed ad hunc effectum ſi non ſufficit confuſa & generalis intentio miniſtri, defectus ejus ſuppletur per explicitam & directam Eccleſiæ intentionem, quam miniſter exprimit per verba conſecratoria, quæ profert in perſona Eccleſiæ; quæ proinde per os ejus, ut morale organum ſuum, profert verba conſecratoria, & proferendo exprimit ſuam explicitam & directam intentionem conferendi ſacramentum regenerationis, eamque ex habituali moraliter & æquivalenter actualem facit reſpectu infantis, vel adulti, qui abluitur: unde reſpectu illorum, ablutionem corporis ad ſignificationem ſacramentalem determinat, quantùm oportet ad collationem ſacramenti.

Hanc eſſe S. Doctoris mentem declaratur adhuc.
1. Eodem articulo ad 1. ad perfectionem ſacramenti, præter intentionem principalis agentis, nempe Chriſti, requirit in miniſtro intentionem qua Chriſto ut principali agenti ſeſe liberè ſubjiciat, & hanc dicit eſſe intentionem, qua intendit facere quod facit Chriſtus & Eccleſia.

2. Eod. articulo ad 3. In quo ſic objicitur: *Intentio hominis non poteſt eſſe ad id, circa quod non eſt attentus. Sed aliquando illi, qui in ſacramentis miniſtrant, non attendunt ad ea quæ dicunt vel faciunt, alia cogitantes. Ergo ſecundùm hoc, non perficeretur ſacra-*

men-

Digitized by Google

mentum propter intentionis defectum: Non reſpondet ad perfectionem ſacramenti neceſſariam non eſſe intentionem miniſtri, & intentionem Eccleſiæ, quæ in verbis conſecratoriis exprimitur, ſufficere, *niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri*: ſed diſtinguit mentalem intentionem duplicem, actualem ſcilicet & virtualem, quam habitualem vocat, & dicit virtualem ſufficere in decurſu actionis; & actualem, quæ mentalis eſt, requiri tantùm in principio. *Ad tertium dicendum*, inquit, *quod licèt ille, quia aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti: putà, cùm ſacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis* (actualis ſcilicet ac mentalis) *perficitur ſacramentum* (quod proinde nullum eſſet ſine tali intentione.

3. Ead. quæſt. art. 9. ad 1. reddens rationem, quare verum ſacramentum conferri poſſit à miniſtro infideli, *qui patitur fidei defectum circa ipſum ſacramentum quod exhibet*, credens *per id quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum*, non dicit poſſe, quia ritus externus à miniſtro infideli cum certis circumſtantiis poſitus eo modo quo ponitur in Eccleſia, ſufficit ad ſacramentum, licèt miniſter infidelis non intendat facere quod facit Eccleſia, imò contrarium intendat, quod dicunt adverſarii; ſed dicit poſſe; quia miniſter infidelis, *non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id quod facit Eccleſia, licèt æſtimet id nihil eſſe*, & hoc intendendo, agere ut miniſter, & in perſona Eccleſiæ, *ex cujus adeò fide & intentione ſuppletur id, quod deeſt fidei miniſtri*, & ejus intentioni ad dandam ritui externo ſacramentalem ſignificationem.

4. Ead. quæſt. art. 10. ſic objicit primo loco: *Videtur, quod intentio recta miniſtri requiratur ad perfectionem ſacramenti: intentio etenim miniſtri debet conformari intentioni Eccleſiæ, ut ex dictis patet. Sed intentio Eccleſiæ ſemper eſt recta. Ergo de neceſſitate ad ſacramenti perfectionem requiritur intentio recta miniſtri*. Ad hanc objectionem quid reſponderent, aut reſpondere deberent adverſarii? Ad licitam quidem, at non ad validam ſacramenti adminiſtrationem requiri intentionem in miniſtro, intentioni Eccleſiæ conformem; & miniſtrum, ſi ritum externum peragat ſine ſigno joci vel irriſionis, & exteriùs ſe gerens ut miniſtrum Eccleſiæ, non poſſe non facere ſacramentum etiamſi non intendat facere quod facit Eccleſia, ſed contrarium intendat: quamvis ſic peragendo ritum externum, peccet graviſſimè.

Longè aliud reſpondet S. Thomas. Nam ut propoſitam difficultatem reſolvat, diſtinguit in intentione Eccleſiæ duplicem rectitudinem, unam ſcilicet quæ ad validam, & alteram quæ ad laudabilem & meritoriam ſacramenti collationem requiritur. Primam rectitudinem habet intentio Eccleſiæ, ut ſincera voluntas conferendi ſacramentum per id quod exteriùs agitur: ſecundam verò, quatenus eſt voluntas conferendi ſacramentum, ordinata ad ſanctificationem perſonæ ſacramentum ſuſcipientis. Miniſter, itaque intentionem ſuam intentioni Eccleſiæ conformans quoad primam rectitudinem, ſacramentum perficit; quamvis peccet & demereatur, ſi intentionem ſuam intentioni Eccleſiæ non conformet etiam quoad ſecundam rectitudinem. Unde prima intentionis miniſtri cùm intentione Eccleſiæ conformitas *de neceſſitate ad ſacramenti perfectionem requiritur*, non ſecunda.

Audiamus S. Doctorem. *Ad primum ergo dicendum*, inquit, *quod Eccleſiæ intentio recta eſt, & quantùm ad ſacramenti perfectionem, & quantùm ad ſacramenti uſum; ſed prima rectitudo perficit ſacramentum, ſecunda operatur ad meritum. Et ideò miniſter qui conformat intentionem ſuam Eccleſiæ quantùm ad primam rectitudinem, non autem quantùm ad ſecundam; perficit quidem ſacramentum, ſed non eſt ſibi ad meritum.*

Dicet. Si S. Thomas articulo illo 8. ad 2. ad perfectionem ſacramenti requirit in miniſtro confuſam ſaltem & generalem intentionem faciendi ſacramentum, non ſolvit difficultatem ſibi propoſitam, „ Anxietatem enim ex recipientium animo non depellet, in- „ quit recentior, tùm quòd illa intentio eos, qui ſa- „ cramenta recipiunt, omninò lateat; tum quòd mi- „ niſter contrariam intùs habere poſſit, ſi nimirùm „ interiùs non velit gerere ſe tanquam Eccleſiæ mi- „ niſtrum in cæremoniam, quam ejus nomine & au- „ thoritate celebrare videtur. „

R. S. Thomas hic non aliud intendit, quàm recipienti ſacramentum à miniſtro; ritum externum celebrante eo modo quo celebratur in Eccleſia, nec exteriùs ſignificante ſe nolle ſacramentum conferre, non aliud, inquam, intendit, aut etiam intendere poteſt, quam tali tribuere moralem veri ſacramenti recepti certitudinem quæ omnem prudentem & rationabilem anxietatem excludit, & quâ proinde majorem is qui ſacramentum recipit, irrationabiliter poſtularet, aut expectaret, ſine nova revelatione.

Hanc autem moralem certitudinem tribuit S. Doctor, cùm non aliam in miniſtro requirit intentionem faciendi ſacramentum, quàm confuſam & generalem; requirendo tantùm in miniſtro, ut celebrando ritum externum ſacramenti, intendat facere quod facit Eccleſia; vel ſi vis, intendat in hac actione gerere ſe ut miniſtrum Eccleſiæ: hac enim intentione miniſter carere non poteſt ſine malitia diabolica, qualis etiam in ſceleratiſſimis miniſtris aut nunquam aut ferè nunquam inveniri poteſt; & ex eo quòd abſolutè inveniri poſſit, ſequitur tantùm, quòd abſoluta veri ſacramenti recepti certitudo haberi non poſſit ſine nova revelatione: at abſoluta hæc certitudo neceſſaria non eſt ad quietandum animum, nec tantam regulariter homines habere voluit Deus, qui vult eos, cum metu & tremore ſalutem ſuam operari.

§. V.

Probatur Reſponſio rationibus.

Prima ratio. Idem judicium eſto de omnibus aliis ſacramentis, ac de baptiſmo. Atqui materia baptiſmi, nempe ablutio, non poteſt habere ſignificationem ſacramentalem ſine intentione miniſtri ordinantis illam ad ſignificandam ſpiritalem animæ purgationem. Ergo ſine intentione miniſtri ordinantis illam, &c. non poteſt eſſe ſacramentum: in tantùm enim ſacramentum eſt, in quantùm habet ſacramentalem ſignificationem.

Prob. min. Nam ablutio de ſe indifferens eſt, ut habeat vel non habeat ſignificationem ſacramentalem; adeòque ut illam re ipſa habeat, debet aliunde ad id determinari. Atqui ad id determinari non poteſt, niſi miniſtro illam ordinante ad ſignificandam ſpiritualem animæ purgationem: ſicut enim de ſe indifferens eſt, ut habeat, vel non habeat ſacramentalem ſignificationem, quia de ſe ordinabilis eſt, & ab eo à quo fit, ordinari poteſt ad aliud quàm ſignificandam emundationem animæ, puta ad munditiam, vel ſanitatem corporis; ita indifferentiam illam amittere, & ſacramentalem ſignificationem habere non poteſt, niſi ab eo à quo fit, non ad munditiam vel ſanitatem corporis, aut aliud hujuſmodi, ſed ad ſignificandam emundationem animæ ordinetur, Ergo, &c.

Hinc argumentum ſuggerit S. Thomas hic quæſt. 64. art. 8. in O. ubi ſic ait: *Quando aliquid ſe habet ad multa, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum; ſi illud effici debeat. Ea verò quæ in ſacramentis aguntur, poſſunt diverſimodè agi: ſicut ablutio aquæ, quæ fit in baptiſmo, poteſt ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujuſmodi.*

Digitized by Google

modi. Et ideò oportet quòd determinetur ad unum, id eſt, ad ſacramentalem effectum (ſeu ad ſpiritualem hominis, qui abluitur, emundationem ſignificandam) *per intentionem abluentis: & hæc intentio exprimitur per verba, quæ in ſacramentis dicuntur* (à miniſtro ad effectum ſacramentalem ordinata) *putà cùm* (intendens implicitè ſaltem & indirectè emundationem animæ) *dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

Porrò quod dictum eſt de materia baptiſmi, dici quoque poteſt de forma ſeu de verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Hæc enim verba de ſe pariter ſunt indifferentia ad habendam vel non habendam ſignificationem ſacramentalem, & ita eam nec habent, nec habere poſſunt niſi aliunde ad eam determinentur; neque ad eam determinari poſſunt, niſi à miniſtro, à quo proferuntur, & ad eam de facto non determinantur à miniſtro à quo proferuntur, niſi proferat illa ex intentione per illa ſignificandi ſpiritualem hominis quem abluit emundationem.

Prorſus autem intolerabile videtur, quod dicunt adverſarii, verba illa ad ſacramentalem ſignificationem determinari poſſe per circumſtantias extrinſecas, in quibus proferuntur, putà cùm miniſter profert illa ſuper infantem quem abluit, à parentibus poſtulatus ad eum baptizandum; tunc enim inquiunt, propter circumſtantiam poſtulationis, velit nolitve, facit verum ſacramentum, & infantem verè baptizat. Hoc autem miſerabili utuntur effugio, ut ſeſe quoquo modo expediant ex abſurdis, quæ manifeſtè conſequuntur ex eorum ſententia. Sed

Contra eſt evidenter, quia illius tantùm eſt, verba illa, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* determinare ad ſignificationem ſacramentalem, cujus eſt facere ſacramentum. Atqui ſolius eſt miniſtri facere ſacramentum, & ſolus re ipſa facit; ſolus enim baptizat; & parentes infantis, qui poſtulant, ut baptizetur, in nullo vero ſenſu dici poſſunt eum baptizare, vel eſſe cauſa partialis baptiſmi. Ergo, &c.

Prob. maj. Nam ſacramentum non eſt ritus externus ſimpliciter, ſed ritus externus ad ſignificationem ſacramentalem elevatus; ita ut in ſacramento ritus externus ſe habeat per modum materialis; ſacramentalis verò ſignificatio per modum formalis, determinantis materiale, nempe ritum externum, ad eſſe ſacramenti, ut jam alias dictum eſt. Ergo qui facit ſacramentum, facit ſignificationem ſacramentalem; & qui non facit ſignificationem ſacramentalem; non facit ſacramentum. Ergo illius tantùm eſt, facere ſignificationem ſacramentalem, cujus ſolius eſt facere ſacramentum; & ille ſolus facit ſignificationem ſacramentalem, qui facit ſacramentum. Ergo, quod idem eſt, illius tantùm eſt, ritum externum ad ſignificationem ſacramentalem determinare, & ille tantùm determinat, cujus eſt facere, & qui facit ſacramentum.

Solius igitur miniſtri eſt, & ſolus poteſt determinare verba ad ſignificationem ſacramentalem. Circumſtantiæ verò extrinſecæ, in quibus ponitur ritus externus ſacramenti, poſſunt quidem eſſe tales, ut fundet majorem præſumptionem veri ſacramenti, at nunquam poſſunt ſupplere id quod deeſt ex parte miniſtri, ad hoc ut fiat verum ſacramentum. Quod

Adhuc demonſtratur. Repugnat fieri verum ſacramentum à miniſtro ſine uſu poteſtatis miniſterialis, à Chriſto data ad faciendum ſacramentum, ut per ſe patet. Atqui ſi quando non à miniſtro, ſed à circumſtantiis extrinſecis ritus externus determinatur ad ſignificationem ſacramentalem, tunc fit verum ſacramentum à miniſtro ſine uſu poteſtatis miniſterialis, &c. tunc enim miniſter non utitur poteſtate miniſteriali: nam 1. Non vult uti, ut ſupponitur; ergo non utitur. 2. Tunc miniſter non utitur poteſtate miniſteriali, cùm non ponit effectum, qui ex uſu hujus poteſtatis neceſſariò ſequitur, ut patet ex terminis. Atqui in ſuppoſitione facta non ponit effectum illum: nam effectus ille eſt ritus externi determinatio ad ſignificationem ſacramentalem, & hæc determinatio in ſuppoſitione facta non eſt à miniſtro, ſed ab aliqua circumſtantia extrinſeca, putà à circumſtantia poſtulationis. Ergo in ſuppoſitione facta miniſter non utitur poteſtate miniſteriali; & tamen, ſecundùm adverſarios, facit verum ſacramentum, verè v. gr. baptizat. Ergo in doctrina adverſariorum, miniſter aliquando facit, aut facere poteſt verum ſacramentum ſine uſu poteſtatis miniſterialis, quod ſanè abſurdiſſimum eſſe nemo non videt.

At inquies fortaſſe. Cùm ſupponitur, ritum externum ad ſignificationem ſacramentalem determinari non à miniſtro, ſed ab aliqua circumſtantia extrinſeca, ſupponitur etiam miniſter materiæ formam debitè applicare. Miniſter autem materiæ formam debitè applicat per poteſtatem miniſterialem. Ergo in ſuppoſitione facta miniſter utitur poteſtate miniſteriali, adeòque non facit ſacramentum in ſuppoſitione facta, ſine uſu poteſtatis miniſterialis.

R. Miniſtrum, in ſenſu adverſariorum materiæ formam debitè applicare, nihil aliud eſſe, quàm integram materiam cum forma integra ſine ullo externo ſigno joci vel irriſionis ſic ponere, ut inter eas ſit ſaltem moralis unio, & ita in unum quoddam artefactum morale coaleſcant. Ad hoc autem totum ſufficit potentia naturalis, & hoc totum fit per potentiam naturalem, ut patet in ſacerdote infantem abluente aqua, & eodem ſaltem moraliter tempore proferente verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, & ſic materiæ formam debitè applicante. Malè igitur miniſter ex eo præciſè, quòd materiæ formam debitè applicat, arguitur uti poteſtate miniſteriali. Tunc igitur tantùm verè dici poteſt uti potentia utraque, naturali ſcilicet & miniſteriali, cùm non ſolùm materiæ formam debitè applicat, ſed etiam utramque ad ſignificationem ſacramentalem determinat; quod non facit in facta ſuppoſitione. Malè igitur diceretur, in facta ſuppoſitione uti poteſtate miniſteriali. Ex his fit

Secunda ratio. Miniſter non facit ſacramentum, niſi utatur poteſtate miniſteriali: nam ſacramentum ut ſic, ſeu ritus externus ut habens vim ſignificandi & efficiendi gratiam, eſt effectus poteſtatis miniſterialis. Atqui miniſter non utitur poteſtate miniſteriali, niſi velit ea uti; poteſtas enim miniſterialis datur homini, ut agenti libero & ut humano modo, adeòque liberè exercenda. Ergo miniſter non facit ſacramentum, niſi velit uti poteſtate miniſteriali. Atqui non vult uti poteſtate miniſteriali, niſi cùm vult per illam producere effectum ipſi proprium: ſicut non vult uti poteſtate naturali, niſi cùm vult per illam effectum ſibi proprium producere; & non vult per poteſtatem miniſterialem producere effectum ipſi proprium, niſi velit elevare ritum externum ad ſignificationem & efficaciam ſacramentalem: ſacramentalis enim ſignificatio & efficacia eſt effectus proprius poteſtatis miniſterialis. Ergo miniſter non vult uti poteſtate miniſteriali, niſi velit ritum externum elevare ad ſignificationem & efficaciam ſacramentalem; velit inquam, vel explicitè & directè, vel implicitè ſaltem & indirectè, intendendo ſcilicet facere per ritum externum quem peragit, quod facit Chriſtus & Eccleſia. Ergo à primo ad ultimum miniſter non facit ſacramentum niſi ponat ritum externum cum intentione ſaltem faciendi quod facit Chriſtus & Eccleſia per ritum illum. Ergo multò minus facit ſacramentum, ſi ritum externum peragat cum intentione contraria, intùs in corde ſuo dicens: Nolo facere ſacramentum, nolo uti poteſtate quam accepi à Chriſto, non intendo quod intendit Eccleſia, nec me gero, nec me gerere volo tanquam illius miniſtrum, &c. in quibuſcumque tandem verſetur circumſtantiis.

Tertia ratio. Verba practica non ſignificant efficaciter, niſi proferantur ab eo, qui poteſtatem & intentionem habet per ea efficiendi id quod ſignificant: nam v. g. ſi quis offerens librum alteri, dicat

eat illi: Hic liber eſt tuus; hæc verba nihil operantur, 1. ſi liber non ſit offerentis, quia tunc offerens poteſtatem non habet diſponendi de libro. 2. Si liber ſit offerentis, at non animo donandi, ſed jocandi tantùm loquatur, quia tunc offerens habet quidem poteſtatem diſponendi de libro, at non habet intentionem utendi hac poteſtate, adeòque nec habet intentionem transferendi dominium libri in alterum. Atqui verba ſacramentorum ſunt practica: ſacramenta enim ſunt ſigna practica. Ergo verba ſacramentorum non ſignificant efficaciter, niſi proferantur ab eo, qui poteſtatem & intentionem habet per ea efficiendi id quod ſignificant. Ergo verba ſacramentorum, quamvis materiæ debitè applicata, non conſtituunt cum illa verum ſacramentum, niſi miniſter, qui poteſtatem habet per ea efficiendi id quod ſignificant, proferat ea cum intentione utendi hac poteſtate, adeòque cum intentione ſaltem per ea efficiendi id, quod efficit Chriſtus & Eccleſia.

Quarta ratio. In perfectione ſacramenti Deus ſe habet ut cauſa principalis, homo verò ut cauſa inſtrumentalis, ſeu ut inſtrumentum, animatum ſcilicet & liberum. Ergo Deus ut principalis cauſa ſacramenti, non operatur per hominem, & ita non perficitur ſacramentum, niſi homo ſe ſubjiciat Deo ut principali cauſæ ſacramenti: principalis enim cauſa non operatur per inſtrumentum, niſi ſibi illud ſubjiciat, ſi ſit inanimatum; vel ei ſe ſubjiciat ipſum inſtrumentum, ſi ſit animatum & liberum. Atqui homo non ſe Deo ſubjicit ut principali cauſæ ſacramenti, niſi confusè ſaltem & generaliter intendat id quod intendit Deus, ut principalis cauſa ſacramenti; adeòque niſi confusè ſaltem & generaliter intendat facere ſacramentum: quod enim Deus intendit ut principalis cauſa ſacramenti, eſt ſacramentum. Ergo, &c. Hoc argumentum ſuggerit S. Thomas hic qu.64. art.8. ad 1.

At inquit adverſarius: „ Homo ſe liberè Deo ſubjicit, cùm ex deliberata ratione ſe ipſum Eccleſiæ „ miniſtrum exteriùs exhibens, formam cum ſacramenti materia ſeriò conjungit, quamvis interiùs „ contradicat: & apud ſe ipſum dicat: Nolo me tanquam Eccleſiæ miniſtrum gerere. “ Sed contra eſt, quia 1. hæc doctrina apertè contradicit S. Thomæ loco citato. 2. Homo exteriùs tantùm agens ut miniſter Eccleſiæ, exteriùs tantùm agit ut inſtrumentum Eccleſiæ; & ita exteriùs tantùm agit ut inſtrumentum Chriſti; & ita exteriùs tantùm agit ut inſtrumentum Dei; & ita exteriùs tantùm ſubjicit ſe Deo ut cauſæ principali ſacramenti; & ita non verè ſubjicit ſe Deo ut cauſæ principali ſacramenti. Et verò ſi verè ſe ſubjiceret Deo ut, &c. verè ageret ut inſtrumentum Dei; & ita verè ageret ut inſtrumentum Chriſti; & ita verè ageret ut inſtrumentum Eccleſiæ; & ita verè, & non apparenter tantùm ſeſe Eccleſiæ miniſtrum exhiberet, quod eſt contra ſuppoſitionem.

Urgeo. Dei ut cauſæ principalis ſacramenti homo inſtrumentum non eſt ſecundùm ſolam virtutem naturalem ponendi ritum externum; alioquin virtus miniſterialis elevandi ritum externum ad ſignificationem & efficaciam ſacramentalem, inutilis eſt ad perfectionem ſacramenti, quod eſt abſurdiſſimum. Ergo Dei ut cauſæ principalis ſacramenti homo inſtrumentum eſt ſecundùm utramque virtutem, naturalem ſcilicet & miniſterialem. Ergo ad hoc ut homo agat tanquam inſtrumentum Dei ut cauſæ principalis ſacramenti, requiritur ut ſubjiciat ſe Deo ſecundum utramque virtutem, adeòque ut ſubjiciat ſe Deo ſecundùm virtutem miniſterialem. Atqui non poteſt ſubjicere ſe Deo ſecundùm virtutem miniſterialem, niſi volendo ritum externum elevare ad ſignificationem & efficaciam ſacramentalem: ſicut non poteſt ſubjicere ſe Deo ſecundùm virtutem naturalem, niſi volendo ponere ipſum ritum externum. Ergo ad hoc ut homo agat tanquam inſtrumentum Dei ut cauſæ principalis ſacramenti, requiritur ut velit ritum externum, quem peragit, elevare ad ſignificationem & efficaciam ſacramentalem: unde ſi hoc non vult, & à fortiori ſi contrarium vult, non agit ut inſtrumentum Dei, quantùmvis exteriùs ſe gerat ut miniſtrum Eccleſiæ, & deliberatè formam ſacramenti cum materia conjungat ſine ullo externo ſigno joci vel irriſionis.

§. VI.

Solvuntur adverſarii objectiones.

OBj. 1. Valet baptiſma ab atheo collatum. Atqui atheus ille non poteſt habere mentalem intentionem gerendi ſe tanquam miniſtrum Eccleſiæ; cùm judicet Eccleſiam eſſe conventum chymericum, & abſque ulla divina authoritate inſtitutum & ordinatum. Ergo, &c. *R.* n. min. *Ad prob. R.* falſum & abſurdum eſſe, quod dicitur, atheum judicare Eccleſiam eſſe conventum chymericum: quomodo enim hoc judicare poſſet, cùm Eccleſia exiſtat, & exiſtentem ſuis oculis intueatur? Itaque atheus judicat Eccleſiam, quam ſuis conſpicatur oculis, non eſſe divinam, nec divinitùs inſtitutam & ordinatam: at nihilominùs poteſt ſeriò & efficaciter intendere, ritum externum ſacramenti celebrando, facere quod per ritum illum facit Eccleſia, *licèt æſtimet id nihil eſſe*, ut loquitur S. Thomas. Poteſt igitur atheus habere mentalem intentionem ſe gerendi tanquam miniſtrum Eccleſiæ: neque major eſt difficultas de atheo, quàm de miniſtro infideli, credente *per id, quod agitur exteriùs, nullum ſequi interiorem effectum*; quem tamen dicit S. Thomas, poſſe *non obſtante infidelitate intendere facere id, quod facit Eccleſia, licèt æſtimet id nihil eſſe*.

Dices. Atheus judicat impoſſibilem eſſe Eccleſiam Chriſti. *R.* diſt. Judicat impoſſibilem eſſe Eccleſiam Chriſti, ſumptam reduplicativè ut Eccleſiam Chriſti, C. nam judicat fieri non potuiſſe, ut Eccleſia aliqua inſtitueretur à Chriſto Homine-Deo; cùm judicet Deum eſſe ens chymericum. Judicat impoſſibilem eſſe Eccleſiam Chriſti materialiter ſumptam, N. non enim judicat impoſſibilem eſſe illam hominum ſocietatem, quæ authorem & inſtitutorem ſuum dicit eſſe Chriſtum Hominem-Deum: nam ſuis oculis videt hanc ſocietatem: unde poteſt, ritus externos ſacramentorum celebrando, intendere quod intendit hæc ſocietas, quamvis id quod ab ea intenditur, æſtimet nihil eſſe, ut docet S. Thomas de infideli qui patitur fidei defectum circa ipſum ſacramentum quod exhibet.

Dices. Non poteſt atheus interiùs & ſincerè velle agere nomine Dei, cùm poſitivè & firmiſſimè judicet nullum eſſe Deum. *R.* atheum non poſſe quidem hoc velle explicitè ac directè: at, quod ſufficit, poteſt hoc velle implicitè & indirectè: hoc ipſo enim quòd quis ſe gerit tanquam miniſtrum Eccleſiæ, agit nomine & authoritate Eccleſiæ, & hoc ipſo quòd quis agit nomine & authoritate Eccleſiæ, agit nomine & authoritate Dei. Unde non poteſt quis velle ſe gerere tanquam miniſtrum Eccleſiæ, quin hoc ipſo implicitè & indirectè velit agere nomine & authoritate Dei. Poteſt autem atheus interiùs & ſincerè velle gerere ſe tanquam Eccleſiæ miniſtrum, ut oſtenſum eſt. Ergo non obſtante atheiſmo, poteſt implicitè & indirectè velle agere nomine & authoritate Dei.

Obj. 2. Eccleſiæ miniſtri in ſacramentorum adminiſtratione ſe habent ſicut reipublicæ legati in negotiis, quæ illius nomine gerunt. Atqui acta à reipublicæ miniſtris valent, modò reipublicæ nomine exteriùs egerint; quantùmvis inter agendum ſuam intentionem retinuerint, ſeu illius nomine agere noluerint interiùs. Ergo, &c.

Confirmatur. Legatus Regis dominium alicujus urbis in alium Regem verè transfert, cùm exteriùs ſui principis authoritate agit; quamvis hujuſmodi translationi non conſentiat interiùs, imò & per intentionis ſuæ retentionem ipſi contradicat. Sic etiam valet lata à judice, ſervatis juris ſolemnibus, ſententia, licèt tunc tanquam judex agere interiùs detrectet.

ctet. Sic quoque Aman humili in Mardochæum, quem oderat, obſequio, Regis nomine verum honorem exhibuit, licèt his, quæ juſſus à Rege proferebat, verbis, *Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit*, interiùs reluctaretur, nolletque ea nomine Regis in Mardochæi gratiam ex animo proferre.

Ad obj. R. Eccleſiæ miniſtros ſacramentorum collatione habere ſe, non ut reipublicæ legatos, qui à republica deſtinantur ut puri nuncii, deferentes ejus voluntatem, & quorum proinde intentio ſeu conſenſus internus non requiritur, ſed ut reipublicæ legatos, qui à repulica mittuntur cum poteſtate negotium aliquod ejus nomine, ſuo tamen judicio & arbitrio tractandi & tranſigendi, & in quibus adeò requiritur intentio ſeu cootenſus internus, quia requiritur ut poteſtatem ſuam humano modo exerceant, adeòque ut illam velint exercere. Quare nego minorem intellectam de legatis reipublicæ hoc ſecundo modo miſſis à reipublica, & dico negotia ab illis nomine reipublicæ tranſacta ſine intentione utendi poteſtate ſibi data, & à fortiori cum intentione contraria, non valere niſi apparenter, & quantùm ad præſumptionem, donec rata habeantur ab ipſa republica.

Hanc doctrinam tradit Suares tom. 3. in 3. part. quæſt. 64. art. 10. ſect. 2. ubi ſic ait: „ Duobus modis intelligi poteſt negotium aliquod fieri per nuncium vel miniſtrum ... Primus eſt, quando legatus ſeu miniſter, tantùm eſt nuncius referens alterius voluntatem. Seeundus eſt, quando poteſtas datur hujuſmodi miniſtro, ut ipſe vice alterius, ſuo tamen judicio & arbitrio negotium tractet & tranſigat, ſeu perficiat. Quando priori modo, non requiritur voluntas ſeu intentio internuncii, ſed ſolùm quaſi materialiter concurrit, referens alterius voluntatem. At verò quando fit poſteriori modo, tunc voluntas miniſtri neceſſaria eſt; ut ſi rex committat judici cognitionem & judicium alicujus cauſæ, neceſſe eſt ut talis judex modo humano, & per propriam voluntatem utatur tali poteſtate. Miniſtri ergo ſacramentorum non ſunt prioris generis, ſed poſterioris, ut ex inſtitutione declaratum eſt.

Ad 1. part. confirmationis R. Si legatus ſit purus nuncius, deferens voluntatem ſui principis, dominium urbis verè transfertur in alium Regem, ſive translationi conſentiat, ſive non: ſecùs verò, ſi agat cum alio Rege, ut poteſtatem habens à ſuo principe oegotium tractandi & tranſigendi, niſi humano modo, & per propriam voluntatem utatur tali poteſtate, adeòque niſi interiùs translationi conſentiat. Non erit igitur vera translatio, niſi poſtquam Rex id quod ab ejus legato exteriùs tantùm & ſpecietenùs actum eſt, ratum habuerit.

Ad 2. part. R. ſententiam latam à judice interiùs nolente uti poteſtate juris dicendi quam habet, non magis valere, quàm valeret ſententia, qua idem judex, etiam volentes ſe gerere tanquam miniſtrum reipublicæ ſecundùm allegata & probata damnaret innocentem. Hæc autem ſententia, quia præſumptivè tantùm eſſet juſta, non valeret in foro interno, ſed in externo tantùm: unde innocentem non ligaret in conſcientia, niſi quantùm opus eſſet ad vitandum ſcandalum. Idem dic de priori ſententia, reſpectu illius quem damnaret, & cui exploratum eſſet, judicem exteriùs tantùm egiſſe uti reipublicæ miniſtrum.

Ad 3. part. R. Aman non magis in vero ſenſu honoraſſe Mardochæum, quàm honoravit eum phaleratus equus, cui inſidebat; hoc eſt, non honoraſſe Mardochæum niſi per modum ſigni externi, quo Rex oſtendere volebat populis, quanti faceret Mardochæum, & obſequia ab eo accepta.

Obj. 3. Eccleſia chriſtiana non poteſt deficere. Atqui poteſt deficere, ſi ut valeat ſacramentum, intentio mentalis requiritur. Ergo, &c. Neg. minor. *Probabis*. Poſſet fieri ut pauci, imò nulli eſſent ſacerdotes. Atqui ſine ſacerdotibus ſubſiſtere non poteſt Eccleſia; cùm ex clero & populo eſſentialiter conſtet. Ergo, &c. Neg. maj. Non enim magis fieri poteſt, ut nulli ſint ſacerdotes, quàm fieri poteſt, ut Deus aut nolit, aut non poſſit promiſſiones ſuas adimplere.

Probabis tamen major. Hanc ſuppoſitionem faciendo, Joannes v. gr. à miniſtro, qui ſuam intentionem retinuit, baptizatus eſt, promotus eſt poſtea ad epiſcopatum; per quadraginta & ampliùs annos ampliſſimæ diœceſi præfuit, ac proinde omnes ferè illius diœceſeos ſacerdotes intra illod temporis ſpatium conſecravit. At ſi Joannes propter defectum intentionis mentalis in baptizante non fuit verè baptizatus, non fuit verus epiſcopus, & ita ſacerdotes ab eo ordinati, non fuerunt veri ſacerdotes. Ergo fieri poteſt ut in tota aliqua diœceſi nullus ſit verus ſacerdos. Eadem autem ſuppoſitio fieri poteſt pro toto ampliſſimo regno. Ergo fieri poteſt, ut in toto aliquo ampliſſimo regno nullus ſit verus ſacerdoa. Quòd ſi fiat eadem ſuppoſitio pro univerſa Eccleſia, in univerſa Eccleſia, nulli erunt veri ſacerdotes, nullique veri epiſcopi. Atqui eandem illam ſuppoſitionem pro univerſa Eccleſia fieri nihil vetat. Ergo, &c.

R. 1. Pro jure meo ſuppoſitionem faciendo. Joannes v.g. à miniſtro, qui vocnlam formæ eſſentialem induſtriè prætermiſit baptizatus, poſtea promotus eſt ad epiſcopatum; per quadraginta & ampliùs annos ampliſſimæ diœceſi præfuit, &c. Eadem autem ſuppoſitio fieri poteſt pro toto ampliſſimo regno. Ergo, &c. imò nihil vetat fieri eandem ſuppoſitionem pro univerſa Eccleſia. Ergo, &c. Porrò quòd reſpondebis meæ ſuppoſitioni, pari jure reſpondebo tuæ.

Diceſne meam ſuppoſitionem eſſe difficiliorem? Eſto. Sed inde ſequitur tantùm, quod in mea ſuppoſitione difficiliùs futurum ſit, ut nulli ſint veri ſacerdotes in tota diœceſi, in toto ampliſſimo regno. Diceſne meam ſuppoſitionem eſſe moraliter impoſſibilem? Eſto. Ergo moraliter tantùm impoſſibile eſt univerſam Eccleſiam deficere, quod eſt falſum, imò & hæreticum. Diceſne, quod ſupereſt, meam ſuppoſitionem repugnare ſimpliciter ex hypotheſi providentiæ, quam Chriſtus exercet, & uſque ad finem mundi exerciturus eſt erga Eccleſiam? Rectè quidem: at ego pariter dico, tuam ſuppoſitionem ex eadem hypotheſi repugnare ſimplieiter.

R. itaque 2. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ita ſemper proviſurum eſſe, ut epiſcopi & ſacerdotes in ea, ſi non omnes ad ſummum, ſaltem maxima ex parte, futuri ſint veri epiſcopi, & veri ſacerdotes.

At dicis mihi: Recurris ergo ad miraculum. *R. 1.* Et eo quoque recurrere cogeris. *R. 2.* Recurro ad ſpecialem & naturalem omnem exigentiam ſuperantem providentiam Eccleſiæ à Chriſto promiſſam, & ſufficientiſſimè expreſſam verbis illis, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Matth. 16. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Matth. 28. Et quia Chriſtus promiſſis ſuis deeſſe non poteſt, dicimus eum nunquam commiſſurum eſſe, ut deficiant veri apiſcopi & veri ſacerdotes in Eccleſia, propter mentalis intentionis defectum in aliquibus miniſtris; ſicut nunquam commiſſurus eſt ut deficiant propter vocem aliquam formæ eſſentialem ab aliquibus miniſtris ſuppreſſam.

Quod autem tanquam fide certum dicimus pro univerſali Eccleſia, dicimus quoque ut indubitatè tenendum, pro notabili parte univerſalis Eccleſiæ, imò & pro Eccleſia particulari, cum reliquis Eccleſiis fidei & ſacramentorum communione colligata, ſaltem ad longum aliquod tempus. Unde ſuppoſitionem ab adverſariis factam, ut Chriſti promiſſionibus adverſantem, facilè rejicimus; præſertim cùm idem planè dicere cogantur contra ſuppoſitionem à nobis factam.

At inquies adhuc. Dicendo perfectum mentalis inten-

Digitized by Google

tentionis in miniſtro non impedire veritatem ſacramenti, tollitur neceſſitas ſpecialis & ſupernaturalis providentiæ. Ergo gratis hìc ad eam recurrimus. *R. ad ant.* hoc dicendo, contradici Conciliis Florentino & Tridentino; judicio ſummi Pontificis ſententiam illam expreſsè damnantis, communiſſimæ Doctorum catholicorum ſententiæ, & evidenti rationi, non uni, ſed multiplici. Non ergo gratis hìc ad ſpecialem, & omnem exigentiam naturæ ſuperantem providentiam recurrimus, præſertim cùm agatur hìc de Eccleſiæ indefectibilitate, quam naturalis & communis providentiæ effectum eſſe non poſſe, nemo neſcit.

Obj. 4. Nonnulla, & quidem gravis momenti, abſurda ſequuntur ex noſtra ſententia. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ſequitur ex ea, 1. quòd ſalus noſtra pendeat ex probitate miniſtrorum. 2. Quòd non erat cur antiqua Eccleſia de parvulorum ſtatim à baptiſmate morientium ſalute tantoperè conſideret; illis enim ſuboriri potuiſſe dubium, num miniſtri qui eos abluerant, ſuam intentionem retinuiſſent. 3. Quòd perpetua Eccleſiæ viſibilitas vix poſſet contra hæreticos demonſtrari; cùm in noſtra hac ſententia nihil omninò certè de miniſtrorum conſecratione, ac fidelium baptiſmate ſtatui poſſit.

R. neg. ant. *Ad* 1. *part. prob. R.* in noſtra ſententia ſalutem noſtram pendere à miniſtrorum aliquali probitate, nempe ſincera voluntate ſungendi officio ſuo, & gerendi ſe tanquam miniſtros Eccleſiæ, ritus externos ſacramentorum celebrando. Similiter in omni ſententia catholica ab aliquali miniſtrorum probitate ſalus noſtra dependet: ſacerdotes enim in tribunali Pœnitentiæ, cùm ſubmiſſa voce proferunt abſolutionis formulam, poſſunt impunè, quoties libuerit, aliquid eſſentiale omittere. Idem poſſunt toties quoties, non ſolùm in pagis, ſed etiam in urbibus parochi infantes baptizando; cùm plerumque ii qui adſunt, linguam latinam non calleant, aut etiam non advertant.

Ad 2. *part. R.* Parvulos ſtatim à baptiſmate morientes, poſſe conſiderari dupliciter, in genere ſcilicet & in particulari. Circa parvulos primo modo conſideratos, ſemper habuit, & nunc habet ſummam certitudinem ſalutis illorum, qui ſtatim à baptiſmate ritu collato moriuntur: ſemper enim credidit, & nunc credit fide divina tales ſalvos fieri. Circa parvulos verò ſecundo modo ſumptos, ſemper contenta fuit, & nunc contenta eſt morali certitudine, omnem rationabilem dubitationem excludente de ſalute illorum, quibus materia & forma debitè applicatæ fuerunt. Neutri autem certitudini officit ſententia noſtra. Non primæ, quæ nititur ſola traditione. Non etiam ſecundæ: nam neceſſitas mentalis intentionis impedire non poteſt moralem certitudinem: miniſter enim ritum externum ſacramenti celebrando, non poteſt niſi per ſummam & diabolicam improbitatem, intentionem ſuam retinere. Hujuſmodi autem improbitas, præſertim cùm nullius omninò ſit utilitatis, nunquam aut ferè nunquam invenitur in miniſtris Eccleſiæ. At quod nunquam, aut ferè nunquam accidit, licèt abſolutè poſſit accidere, impedire non poteſt moralem certitudinem.

Ad 3. *part. R.* Veram Eccleſiam eſſe viſibilem, independenter à legitima miniſtrorum conſecratione ſufficientiſſimè contra hæreticos demonſtrari ex Scriptura, ex traditione, & rationibus theologicis, quod ſuo loco, Deo dante, præſtitum eſt. Vera porrò Eccleſia demonſtratur ethnicis per motiva credibilitatis; hæreticis verò, qui Chriſtum ut caput agnoſcunt, & admittunt Scripturas, demonſtratur per characteres ſibi proprios, unitatem ſcilicet fidei cum principio hujus unitatis, ſanctitatem, &c. Cùm verò legitima miniſtrorum conſecratio ſit aliquid minùs notum, quàm vera Eccleſia, quacum tamen neceſſariam habet connexionem, non vera Eccleſia per conſecrationem illam, ſed conſecratio illa per veram Eccleſiam demonſtrari debet. Quod autem hìc de miniſtrorum conſecratione dicitur, dictum eſto de baptiſmate fidelium.

Obj. 5. Antiqui Patres videntur approbare ſacramentum collatum à miniſtro, qui ſuam intentionem retinuit interiùs. Nam 1. de baptiſmo dato à miniſtro, qui ſuam intentionem interiùs retinuiſſet, præſcripſiſſe nullibi leguntur, ut vel abſolutè, vel ſub conditione iteraretur. 2. Mandarunt ut diligenter inquireretur an baptiſma per invocationem diſtinctam SS. Trinitatis collatum fuiſſet: an verò miniſter ſuam intentionem interiùs retinuiſſet, necne, nulla omninò ratione curarunt: illos tamen latere non potuit, multos ita impios extitiſſe, ut ſe Eccleſiæ nomine & authoritate agere fingerent. 3. Judicarunt baptiſmum ab atheis collatum valere: dubitare tamen poterant, num homines tam perditi ſuam retinuiſſent intentionem.

R. neg. obj. *Ad* 1. *prob. R.* Patres hoc non præſcripſiſſe, quia nullus ad eos delatus eſt miniſter, de quo conſtaret, quòd intentionem ſuam interiùs retinuiſſet adminiſtrando baptiſmum. *Ad* 2. *prob. R.* non mandaſſe Patres, ut inquireretur an miniſter intentionem ſuam retinuiſſet interiùs, quia Eccleſia non judicat de internis, & niſi contrarium evidenter appareat, ſemper præſumi debet mentalis intentio miniſtri, omnia peragentis ſine nota externa joci vel irriſionis; cùm facillimum ſit hanc intentionem habere, & retineri non poſſint ſine ſumma malitia & improbitate, & cum aliqua vel leviſſima utilitate. *Ad* 3. *prob. Reſp.* Patres non aliud judicaſſe de atheis, quàm hæreticis, materiam & formam debitam ſervantibus, quos judicarunt validè baptizare, v. gr. quia ſciebant eos non obſtante infidelitate, habere poſſe intentionem faciendi quod facit Eccleſia, & de facto habuiſſe, facilè præſumpſerunt.

Obj. 6. Concilium Tridentinum nuſquam baptiſmum à Lutheranis collatum proſcripſit, nec injunxit ut ſaltem ſub conditione iteraretur. *Reſp.* Quare proſcripſiſſet? cùm materiam & formam debitam ſervent; credant baptiſmum eſſe verum ſacramentum; ne vel leviſſima ratio afferri poſſit, qua efficaciter adduci poſſint ad retinendam intentionem, cùm parvulos ſuos baptizant; & nulla ſit cauſa, ob quam rationabiliter venire poſſint in ſuſpicionem retentæ intentionis.

At inquies. Lutherani Doctores negant neceſſitatem mentalis intentionis. *R.* Quid inde? Nam docent etiam baptiſmum mimicè collatum valere. Num propterea videmus Lutheranos aliquando parvulos ſuos mimicè baptizare.

Obj. 7. S. Auguſtinus judicavit baptiſmum à miniſtro fallaciter ſeu animo tantùm ſimulandi collatum valere, ut patet ex lib. 7. de bapt. cap. 53. *R.* hoc quidem judicaſſe S. Doctorem, ſed ſuper hac re deſideraſſe judicium generalis Synodi, paratiſſimumque fuiſſe ad deponendam opinionem ſuam, ſi contraria à generali Synodo approbaretur. Audiamus illum. *Veruntamen*, inquit, *ſi quis fortè me in eo concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipſe ſentirem: ſi eo modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem; nequaquam dubitarem eos habere baptiſmum, qui ubicumque* (ſive in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam) *& à quibuſcumque* (ſive veracibus, ſive fallacibus, hoc eſt, abſque ſimulatione, ſive cum ſimulatione rem peragentibus) *illud verbis evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent.* Nunc autem generales Synodos duas habemus, Florentinam & Tridentinam, cum judicio ſummi Pontificis Alexandri VIII. pro ſententia noſtra, in quam proinde pedibus manibuſque iturum eſſe S. Doctorem, ſi nunc viveret, dubitare nefas eſt.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Solvuntur objectiones reliquæ.

OBj. 1. Alexander Epiſcopus Alexandrinus ratum habuit baptiſmum, quem Athanaſius adhuc puer pueris aliis per jocum contulerat. *R.* Sacramentum per jocum conferri poſſe duobus modis. Primus eſt, ut qui jocatur, velit facere ſacramentum, veri ſacramenti collationem ordinando ad aliquam oblectationem animi; & tunc jocus non impedit veritatem ſacramenti, quia non eſt motivum intrinſecum, ſed extrinſecum peragendi cæremoniam externam; nec intentionem faciendi ſacramentum excludere poteſt, ſed è contra illam mediatè cauſare poteſt, & re ipſa cauſat per modum cauſæ finalis, quatenùs homo animi oblectationem intendens, vult peragere cæremoniam externam ſacramenti, & illam peragendo facere ſacramentum.

Secundus modus eſt, ut qui jocatur, animo jocandi tantùm & illudendi, peragat cæremoniam externam ſacramenti & tunc veritatem ſacramenti impedit jocus; quia tunc jocus eſt motivum intrinſecum & adæquatum peragendi cæremoniam externam ſacramenti; adeòque excludit omnem intentionem faciendi ſacramentum. Athanaſius autem puer, non hoc ſecundo modo, ſed primo, pueris aliis per jocum contulit baptiſmum; verè enim intendit baptizare, & baptizando oblectare animum; unde cæremoniam externam baptiſmi celebravit in ſolis catechumenis, ut refert Sozomenus lib. 2. hiſt, cap. 17. Cùm itaque, ut narrat hic Author, Alexander pueros ab Athanaſio baptizatos accuratè interrogaſſet, *quidnam ipſis dixiſſet feciſſetve, & quid ipſi reſpondiſſent, quidve edocti eſſent; cumque omnia juxta ordinem Eccleſiaſticum exactè in illis ſervata eſſe deprehendiſſet, communicato conſilio cum ſacerdotibus, quos circa ſe habebat, cenſuit non rebaptizandos eſſe*: Quia nimirùm & Athanaſium baptizandi, & pueros cathecumenos baptiſmum ſuſcipiendi intentionem habuiſſe, nihilque ex iis, quæ de baptiſmi ſubſtantia ſunt, prætermiſſum fuiſſe intellexit.

Obj. 2. Innocentius IV. in lib. 3. decret. cap. 2. dicit baptiſmum eſſe ratum, *licèt miniſter gerat in mente non facere quod facit Eccleſia*. *Reſp.* Innocentium hæc verba ſubjungere: *Dummodo intendat baptizare*. Innocentius itaque per id quod facit Eccleſia, intelligit, non ipſum ſacramentum, ſed effectum ſacramenti, & ſolùm vult, ratum eſſe baptiſmum, etiamſi miniſter effectum ſacramenti nolit conferre; & ſatis eſſe, ſi ipſam actionem ſacramentalem ut talem intendat.

Obj. 3. In ſententia noſtra poteſt infans damnari propter malitiam miniſtri ritum externum baptiſmi celebrantis ſine intentione faciendi ſacramentum. *R.* Poſſe: ſicut poteſt etiam in adverſariorum ſententia, propter malitiam miniſtri ritum externum baptiſmi vel abnuentis, vel jocosè aut repræſentativè tantùm peragentis, vel aliquid eſſentiale formæ prætermittentis, quod ultimum toties quoties poſſet impunè.

Obj. 4. Epiſcopi priuſquàm Ordines conferant, proteſtantur ſe nolle ordinare excommunicatos, aut carentes vero titulo, aut non habentes à ſuis ſuperioribus facultatem ſuſcipiendi Ordines adeòque intentionem non habent tales ordinandi. Atqui tamen, ſi qui ſint occultè tales, validè ſunt ordinati. Ergo, &c. *R.* eos, qui tales ſunt occultè, non ordinatum iri, ſi generalis illa intentio Epiſcopi in ſingulorum ordinatione perſeveraret; at non perſeverat; & nullo poſt examen tali reperto, ſingulos Epiſcopus intendit ordinare, & de facto ordinat abſolutè, & abſque ulla conditione: unde omnes verè ordinantur; quamvis ſi qui ſunt occultè excommunicati, aut carentes, &c. ſint ipſo jure ſuſpenſi ab exercitio ſuſcepti Ordinis.

Obj. 5. Poſitis partibus eſſentialibus rei cum debita illarum unione, hoc ipſo ponitur res, præciſo aut etiam ſublato quocumque alio. Atqui materia & forma ſunt partes eſſentiales ſacramenti. Ergo poſitis materia & forma cum illarum unione morali, hoc ipſo ponitur ſacramentum, præciſo, &c. Ergo, &c. *R.* materiam & formam non eſſe partes eſſentiales ſacramenti, niſi ponantur ſecundùm inſtitutionem Chriſti. Ut autem ponantur ſecundùm inſtitutionem Chriſti debent poni, 1. humano modo; unde miniſter amens vel ebrius non poteſt facere ſacramentum. 2. Cum intentione utendi poteſtate miniſteriali; unde miniſter ſine tali intentione materiæ formam applicans non facit ſacramentum.

Obj. 6. Validus eſt baptiſmus mimicè & joculariter datus & acceptus, ut patet in Geneſio martyre, qui, cùm in theatro coram Imperatore Diocletiano mimum ageret, ad irridenda chriſtianæ religionis myſteria baptizatur, nihilominùs per ſuſceptum baptiſmum ſubitò ad Chriſtum converſus, & ſanctificatus eſt.

R. Geneſium, qui primùm popoſcerat baptiſmum animo irridendi tantùm, poſteà præſente ſacerdote, qui evocatus fuerat, ſubitò mutatum, iterùm ſed ſeriò baptiſmum petiiſſe, & cum ſincera intentione illum ſuſcipiendi totamque baptiſmi cæremoniam externam à ſacerdote peractam eſſe cum vera intentione faciendi quod per cæremoniam illam facit Eccleſia. Patet ex actis primorum Martyrum à Theodorico Ruinardo collectis in Geneſio, ubi dicitur: *Quadam die cùm vellet* (Geneſius) *Diocletiano Imperatori ludum exhibere de myſteriis chriſtianæ obſervantiæ ... & in medio theatri quaſi ægrotus decumbens, ſe poſceret baptizari ... Eja* (inquit) *noſtri, gravem me ſentio ..... Evocato autem preſbytero, & exorciſta, repente, Deo inſpirante, credidit. Nam illi juxta lectum ipſius cum reſediſſent, dicunt ei: Quid ad nos miſiſti, filiole? Geneſius jam non ſimulatè ac fictè, ſed ex puro corde reſpondit: Quia accipere, cupio gratiam Chriſti ..., cumque ſacramentorum myſteria compleſſent* (non ſimulatè ſcilicet & fictè, ſed ſeriò & cum vera intentione dandi Geneſio quod petebat) *& indutus albis veſtibus eſſet, &c.*

ARTICULUS III.

Utrùm ad perfectionem ſacramenti neceſſe ſit, ut intentio miniſtri ſit actualis.

NOta. Intentio à Theologis hic multiplex diſtinguitur; actualis ſcilicet, & virtualis, habitualis, & interpretativa. Intentio actualis dicitur, quando miniſter, eo tempore quo ſacramentum conficit, actu cogitat de ſacramento conficiendo, cum actuali advertentia quòd de illo cogitet, & velit illud conficere. Intentio virtualis dicitur, quando miniſter, eo tempore quod ſacramentum conficit, actu quidem cogitat de ſacramento conficiendo, & ſimul actu vult illud conficere, ſed non actu advertit quòd cogitet & velit. Itaque intentio actualis & virtualis eſt una & eadem phyſice ac numero intentio; quæ actualis dicitur, quandiu manet perceptibiliter, ſeu cum actuali advertentia quòd maneat; virtualis verò, ubi incipit manere imperceptibiliter tantùm, ſeu abſque actuali advertentia quod maneat, propter aliquam mentis evagationem.

Intentio habitualis eſt vel intentio actualis, phyſicè præterita, ſed non retractata: nam actus phyſicè præteritus; habitualiter manere dicitur, quandiù non retractatur; vel habitus ex illo actu & aliis ſimilibus in potentia relictus, quo potentia inclinatur, & promptior efficitur ad exercendos in poſterum actus hujuſmodi. Interpretativa denique intentio eſt ea, qua quis aliquid vult tantùm in cauſa. Sic qui inebriat ſe, prævidens aut prævidere debens, ſe obſcœna verba in ebrietate prolaturum, vult interpretatativè verborum illorum prolationem,

cujus

Digitized by Google

cujus proinde malitiam contrahit, inebriando ſe, poſtea contracturus reatum pœnarum, ſi quæ lege civili vel eccleſiaſtica impoſitæ ſunt, quando in ebrietate, licèt ſine rationis uſu, adeòque ſine libertate, verba illa proferet.

Nota iterùm. Intentionem habitualem non ſufficere ad perfectionem ſacramenti, vera & communis Doctorum ſententia eſt. Nam vel primo modo ſumitur; & ſic ſumpta, cùm nihil ſit phyſicè, ad nihil formaliter determinare poteſt agentem, nec proinde formaliter determinare poteſt agentem ad utendum poteſtate miniſteriali. Ad perfectionem autem ſacramenti requiritur intentio agentem formaliter determinans ad utendum poteſtate illa, cùm cæremoniam externam celebrat: vel ſumitur ſecundo modo; & ſic ſumpta, per ſe immediatè influere non poteſt in actionem externam ſacramentalem, ſed ſolùm mediante actu, ad quem inclinat voluntatem, quique eſt intentio vel actualis, vel virtualis, prout agens ad illum advertit, vel non advertit.

Quod dicitur de intentione habituali, dici quoque debet de interpretativa: alioquin ſacerdos ebrius, peragens totam cæremoniam externam baptiſmi, validè baptizaret, ſi ante prævidiſſet ſe in ebrietate cæremoniam illam peracturum eſſe, quod eſt abſurdum. Ratio eſt, quia ad ſacramenti perfectionem requiritur, ſecundùm inſtitutionem Chriſti, ut actio externa humano modo ponatur. Non ponitur autem humano modo, niſi ponatur vi intentionis liberæ, & actu exiſtentis. Unde ad perfectionem ſacramenti requiritur, ſecundùm inſtitutionem Chriſti, intentio libera, actu exiſtens, agentem formaliter determinans ad actionem externam ſacramentalem, & uſum poteſtatis miniſterialis.

. Idem dic de intentione præſumpta: quia re vera non eſt intentio, ſed ſolùm intentionis præſumptio; ſive non eſt intentio quæ exiſtat, ſed quæ exiſteret, ſi res proponeretur. At intentio, quæ non eſt, ſed eſſet ſi, nihil operatur, nec agentem applicat ad actionem quam exercet. Tota igitur difficultas de intentione virtuali, utrùm ſcilicet ſufficiat. Pro cujus reſolutione, ſit.

Responsio.

Ad perfectionem ſacramenti ſufficit in miniſtro virtualis intentio faciendi ſacramentum.

Ita tenent communiter Doctores cum S. Thoma hic q. 64. a. 8. ad 3. ubi ſic loquitur: *Licet ille* (de quo fit objectio) *quia aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem* (hoc eſt, virtualem) *quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti: putà, cum ſacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia: unde poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur; ex virtute primæ intentionis perficitur ſacramentum, quamvis ſtudiosè curare debeat ſacramenti miniſter, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate: quia præter intentionem, cùm homo vult multum attendere, incipit alia cogitare, ſecundum illud Pſal.* 39. Cor meum dereliquit me.

Accedit ſenſus Eccleſiæ, quæ ſacramenta hoc modo collata approbat. Et ratio eſt, quia ſi ad veritatem ſacramentorum neceſſaria eſſet intentio actualis, plerumque ſacramenta nulla eſſent propter imaginationis inconſtantiam, & frequentes ejus evagationes. At protſus incredibile eſt, quòd Chriſtus ſic inſtituerit ſacramenta, ut paſſim eſſent irrita defectu intentionis, quæ paſſim deſinit eſſe in decurſu actionis ſacramentalis, ob diſtractiones mentis plerumque naturaliter inevitabiles. Ergo, &c.

Præterea, juxta noſtrum modum explicandi, intentio virtualis eſt ipſiſſima intentio in principio actionis actualis dicta, actu perſeverans in ſe, ſed ſine actuali advertentia ad ipſam in agente; vel, ſi vis, actu perſeverans in ſe cum directa tantùm ipſius, & actionis quæ fit, cognitione in agente, qui nimirùm actu intendit, & liberè intendit exercere actionem quam actu exercet, ſed ſine cognitione reflexa. Ergo ad perfectionem ſacramenti intentio virtualis ſufficit, ſi ad perfectionem ſacramenti non requiritur actualis ad intentionem advertentia, toto actionis ſacramentalis decurſu perſeverans. Atqui quòd requiratur, nulla ratione probari poteſt; & quòd non requiratur, ſuadetur ſufficientiſſimè, ex eo quòd ſine hac advertentia, actio, quæ exercetur, adhuc eſt actio humana, & miniſter agit liberè, & ex intentione faciendi ſacramentum actu exiſtente, & actu applicante potentiam utramque, naturalem & miniſterialem, ad operandum.

Obj. 1. Validus eſt baptiſmus, quem ſuſcipit amens vel ebrius, ſi priùs intentionem habuit illum ſuſcipiendi, & non eam retractavit. Ergo pariter validus eſt baptiſmus, quem amens vel ebrius confert, ſi priùs intentionem habuit illum conferendi, & non eam retractavit. Ergo intentio habitualis ſufficit ad perfectionem ſacramenti. *R.* hoc argumentum non valere: quia in perfectiona ſaramenti miniſter ſe habet ut cauſa efficiens; ſuſcipiens verò, ut ſubjectum patiens. Ad productionem autem effectus minùs requiritur ex parte ſubjecti patientis, quàm ex parte cauſæ efficientis: unde ad ſacramenti perfectionem plùs requiritur ex parte miniſtri dantis, quàm ex parte recipientis. Itaque in recipiente ſufficit capacitas ſacramenti, ad quam in infante, vel perpetuò amente nulla intentio requiritur, & in eo, qui uſum rationis habet vel habuit, intentio habitualis ſufficit ſecundùm inſtitutionem Chriſti. At ſecundùm eandem inſtitutionem, in miniſtro requiritur intentio actu exiſtens & libera, quæ ſit principium actionis ſacramentalis, & qua poteſtas miniſterialis ad uſum applicetur: quia ſecundùm eandem illam inſtitutionem, ad perfectionem ſacramenti requiritur, ut actio ſacramentalis ſit actio humana, & humano modo exerceatur poteſtas miniſterialis.

Obj. 2. Intentio habitualis ſufficit ad applicandum alicui ſacrificium: nam v. g. ſi hodie propono, pro Petro cras ſacrificare, modò propoſitum meum non retractem poſtea, vel expreſsè nolendo, vel alteri applicando, cras Petro proderit ſacrificium à me oblatum. Ergo intentio habitualis ſufficit etiam ad ſacrificandum, ſeu ad conſecrandum panem & vinum, adeòque ad perficiendum ſacramentum. *R.* Concedendo ant. neg. conſ.

Itaque intentio habitualis ſufficit ad applicandum alicui ſacrificium: nam applicare alicui ſacrificium, eſt illi donare fructum ſacrificii; vel, ſi vis, eſt illi dare jus ad percipiendum fructum ſacrificii. Poſſum autem hodie validè donare Petro fructum ſacrificii, quod offeram cras, quia poſſum hodie validè donare, quod cras erit in mea poteſtate. Poſſum igitur hodie applicare Petro ſacrificium, quod cras offeram: ita ut fructum illius cras, cùm illud offeram, percepturus ſit Petrus, modò tamen intentio mea hodierna habitualiter perſeveret; hoc eſt, modò illam non retractem vel formaliter, nolendo poſtea pro illo offerre; vel æquivalenter, volendo poſtea offerre pro aliquo alio: alterutro enim modo retractando intentionem meam hodiernam, donationem à me factam revocabo. At verò etiam ſuppoſito quòd intentionem meam hodiernam non retractem, & ita quòd hæc mea intentio habitualiter perſeveret, non potero cras validè conſecrare, adeòque non potero cras ſacrificare, ſine intentione libera, actu exiſtente, & ad uſum humano modo poteſtatem miniſterialem quam habeo conſecrandi & ſacrificandi, applicante.

Obj. 3. Matrimonium per procuratores contractum, valet, etiamſi, dum contrahitur, conjuges dormiant, vel ſint ebrii. Atqui conjuges, cùm dormiunt, aut ebrii ſunt, non poſſunt habere niſi intentionem habitualem. Ergo intentio habitualis ſufficit, &c. *R.* in conjugibus, quando per procuratores contrahunt matrimonium, ſufficere intentionem habitualem, quia non ſunt cauſa proxima & immedia-

ta

Digitized by Google

ta ſacramenti, ſicut nec contractus. At ad validum contractum, adeoque ad ſacramentum, præter intentionem habitualem conjugum, in procuratoribus, qui eorum nomine contrahunt, & ſunt proxima & immediata cauſa contractus & ſacramenti, requiritur intentio ſaltem virtualis contrahendi.

Porrò ſi contracturi per procuratores, priùs in amentiam incidant, quam à procuratoribus contractus perficiatur, matrimonium nullum eſt: tunc enim illi, quorum nomine procuratores contrahunt, ſunt ad matrimonium inhabiles: cum amentia ſit impedimentum ex natura rei matrimonium irritans. Idem eſt, etiamſi alter tantùm è contracturis incidat in amentiam: ad hoc enim ut matrimonium ſit irritum, ſufficit quòd unus è contrahentibus ſit matrimonii incapax, qualis eſt is qui amens factus eſt, antequam contraheret.

Quæres 1. Utrùm intentio miniſtri debeat eſſe determinata circa materiam, formam, & ſubjectum ſacramenti?

R. 1. Intentio miniſtri debet eſſe determinata circa ea omnia, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad ſacramenti perfectionem; adeoque debet cadere in certam materiam, formam, & perſonam in ſacramentis, quæ in uſu conſiſtunt. Ratio eſt, quia intentio miniſtri debet eſſe operativa, & omnis operatio eſt circa aliquod ſingulare & determinatum. Dixi autem, in ſacramentis, quæ in uſu conſiſtunt; propter Euchariſtiam, quæ non conſiſtit in uſu, ſed eſt aliquid permanens, & extra uſum ſubſiſtens: unde ut fiat, non debet miniſtri intentio dirigi ad certam perſonam, ſed ſatis eſt, ſi dirigatur ad certam formam & materiam.

R. 2. Intentio miniſtri debet eſſe ſine errore ſubſtantiali: nam ſi intentio miniſtri cadat in hanc materiam vel perſonam, & actio ſacramentalis verſetur circa aliam, hæc actio non cenſetur procedere ab intentione miniſtri, neque ad hanc actionem per intentionem miniſtri applicatur poteſtas miniſterialis: unde hæc actio non eſt verè ſacramentalis, nec fit verum ſacramentum.

Dices. Valida eſſet abſolutio, ſi ſacerdos abſolveret Petrum, peccata ſua ipſi ritè confeſſum; quamvis putaret eſſe Paulum, & ita circa perſonam erraret. *R.* Valida eſſet abſolutio, ſi Petrus ſimpliciter vellet abſolvere perſonam, quæ ipſi peccata ſua confeſſa eſſet, & quam ex errore putaret eſſe Paulum; ſecùs verò, ſi Petrus præcisè intenderet abſolvere Paulum, excludendo omnes alias perſonas. Ratio diſparitatis eſt, quia in primo caſu error Petri eſſet tantùm accidentalis, & eo non obſtante, intentio abſolvendi caderet in perſonam confeſſam, quæ proinde verè abſolveretur. At in ſecundo caſu error *Petri* eſſet ſubſtantialis, & intentio abſolvendi non caderet in perſonam, ſupra quam proferretur abſolutionis forma; unde circa hanc perſonam non exerceretur poteſtas miniſterialis, cujus exercitium pendet ab arbitrio miniſtri, qui proinde non exercet eam, niſi circa perſonam circa quam intendit eam exercere.

Quæres 2. Utrum intentio miniſtri debeat eſſe abſoluta, an verò ſufficiat conditionata?

Reſp. Intentio conditionata non ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi talis ſit, ut ſtatim tranſeat in abſolutam, & re ipſa ſit abſoluta natura priùs, quàm actio ſacramentalis, ſeu cœremonia externa ſacramenti perficiatur. Ratio eſt, quia ſola intentio abſoluta eſt de præſenti efficax & operativa: voluntas enim conditionalis, quandiu talis eſt, ſuſpenſa manet, adeoque quandiu talis eſt, nihil poteſt operari.

Itaque cum materia & forma ſacramenti ponuntur, niſi intentio miniſtri ſit abſoluta, aut æquivaleat abſolutæ, & in abſolutam ſtatim tranſeat, hæc intentio ad ſacramentum perficiendum tunc valere non poteſt, ſed nec poſtea valere potuerit, quando non erunt ampliùs materia & forma ſacramenti: ſacramentum enim fieri non poteſt, niſi materia & forma præſentibus, quas actu applicat miniſter cum abſoluta intentione ſaltem faciendi quod facit Eccleſia.

Porrò quando intentio miniſtri conditionalis eſt, conditio appoſita vel eſt de præterito, vel de præſenti, vel de futuro. Si conditio eſt de præterito, vel fuit, vel non fuit. Si primum, intentio ſtatim tranſit in abſolutam; voluntas enim conditionata, poſita conditione, fit abſoluta. Si ſecundum, intentio tollitur; nam voluntas conditionata, conditione non poſita, nulla eſt. Similiter ſi conditio eſt de præſenti, vel eſt, vel non eſt. Si primum, intentio fit abſoluta; ſi ſecundum, intentio nulla redditur. Denique ſi conditio eſt de futuro, præſentem ſuſpendit intentionem; adeoque facit, ut miniſter non abſolutè velit hic & nunc conferre ſacramentum: unde facit, ut miniſter non conferat hic & nunc ſacramentum; ſed nec poſtea, cùm implebitur conditio, ſacramentum conferet, per materiam ſcilicet & formam antea adhibitas cum intentione conditionata, quia tunc materia & forma illa non erunt ampliùs.

Nota obiter, eſſe ſemper illicitum, conferre ſacramentum ſub conditione etiam de præterito, vel de præſenti, niſi ad hoc cogat neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliqua; nec deeſſe, qui ſentiant nullum eſſe ſacramentum, quod confertur ſub conditione de præſenti vel de præterito, ſi talis eſt hæc conditio, ut non poſſit humano modo cognoſci, quòd ſit, vel fuerit; ut ſi quis dicat: Ego te baptizo, ſi aſtra ſunt paria numero. Certè ita ſentiendum eſſe de ſacramento Matrimonii, ſuo loco oſtendetur.

Quæres 3. utrùm verum ſacramentum fiat, quando miniſter habet duas intentiones, quarum una valori ſacramenti repugnat?

R. Verum fit ſacramentum, quando intentioni, quæ repugnat valori ſacramenti, prævalet oppoſita, eique derogat: tunc enim intentio, valori ſacramenti repugnans, eſt mera velleitas; vel, ſi vis, mera circa perfectionem ſacramenti diſplicentia, quacum ſtat voluntas abſoluta & efficax illud conferendi. Quòd ſi ambæ conditiones ſint æquales, tunc miniſter nihil efficit, quia æqualiter vult facere & non facere ſacramentum. Quia autem æqualiter vult & non vult facere ſacramentum, non vult efficaciter illud facere.

ARTICULUS IV.

Utrùm ad valorem Sacramenti, fides & ſanctitas requirantur in miniſtro.

§. I.

Errores in hac materia.

PRimus error illorum fuit, qui baptiſmum ab hæreticis & ſchiſmaticis poſt eorum ſeparationem collatum, irritum eſſe cenſuerunt. Horum anteſignanus fuit Tertullianus lib. de bapt. cap. 15. ubi ſic loquitur de hæreticis: *Quia non idem Deus eſt nobis & illis, nec unus Chriſtus, id eſt, idem, ideoque nec baptiſmus unus, quia non idem: quem cum ritè non habeant, ſine dubio non habent, nec cupit numerari quod non habetur.*

Ex Tertulliano errandi occaſionem ſumpſiſſe videtur Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, qui adoleſcente ſæculo tertio, Synodum coegit, & in ea baptizatos ab hæreticis rebaptizari decrevit, quod ante illum nemo fecerat in Eccleſia, ut intelligitur ex Auguſtino lib. 2. de bapt. c. 7. ubi hæc habet: *Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem* (non rebaptizandi hæreticos ſeu baptizatos ab hæreticis) *per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit ſanctus Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi ... Verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, quàm corrigi.* Et ex Vincentio Lirinenſi in commonitorio 1. c. 9. ubi ſcribit hunc Agrippinum *primum omnium mortalium contra univerſalis Eccleſiæ regulam rebaptizandum eſſe cenſuiſſe.*

Agrippinum prædeceſſorem ſuum ſecutus eſt S. Cy-

Cyprianus, cui adhæſere multi Africæ epiſcopi; quod factum ſic refert Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. c. 2. *In urbe verò Roma, Cornelio* (lege, Stephano) *epiſcopatum regente, & apud Carthaginem Cypriano, ambobus fide, virtute, pietate præſtantibus, quæſtio orta eſt in Africa magnis partibus, ſi oportet hæreticos rebaptizari. Cumque id à Cypriano, & cæteris penè omnibus per Africam ſacerdotibus oportere fieri decerneretur, Cornelius & cæteri omnes per Italiam ſacerdotes, hujuſmodi decretum, manente ſacerdotali concordia, refutarur, ſtatuentes, antiquitùs à Patribus ſuper hoc traditam regulam debere ſervari, quæ continebat: poſt abjectionem pravi, & confeſſionem recti dogmatis, ſola eos manus impoſitione purgandos.* Cypriano conſenſit eodem tempore Firmilianus cum pluribus aliis Orientalibus Epiſcopis. Sed de hoc adhuc infra.

Sequenti, quarto ſcilicet ſæculo, eundem errorem pertinaciter defenderunt Donatiſtæ in Africa, quorum cauſa à cauſa Cypriani longè alia fuit. Nam 1. Catholicos habebant ut hæreticos; unde baptizatos à catholicis rebaptizabant, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. de hæreſ. num. 69. *Autem etiam*, inquit, *rebaptizare catholicos, ubi ſe amplius hæreticos eſſe firmarunt, cum Eccleſia catholica univerſa placuerit, nec in ipſis hæreticis baptiſma commune reſcindere.*

Cyprianus verò non habebat pro hæreticis eos, qui contrariam tenebant ſententiam. Sic enim loquebatur in quodam Carthaginenſi Concilio: *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes.* Unde baptizatos à catholicis contrarium ſentientibus non rebaptizabat, ut apertè ſupponit S. Auguſtinus lib. de unico bapt. c. 13. ubi Agrippinum & Cyprianum cum Donatiſtis conferens, ſic ait: *Ego autem, ut quod de re ſentio, breviter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi feciſſe dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem catholicos, quod adhuc iſti faciunt, ſemper eſt diabolicæ præſumptionis.* Cujus præſumptionis rei non fuerunt Agrippinus & Cyprianus, qui, ut ait ibidem S. Doctor, *ſic diverſa ſenſerunt, ut cum eis contra quos de hac quæſtione ſentiebant, in unitate perſiſterent, ubi charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

2. Donatiſtæ errorem ſuum contumaciter retinuerunt, & defenderunt etiam poſt finalem Eccleſiæ definitionem, factam in plenaria totius orbis chriſtiani Synodo: retinuerunt enim & defenderunt non ſolùm poſt Arelatenſe I. ſed etiam poſt Nicænum Concilium, quod eis exprobrat S. Auguſtinus, qui contra illos ſcribebat quinto ſæculo. Agrippinus autem & Cyprianus talem Eccleſiæ definitionem non viderunt, utpotè ſequenti tantùm ſæculo factam vel in Arelatenſi I. ſecundùm aliquos, vel ſecundùm alios, qui meliùs & veriùs ſentiunt, in Nicæno Concilio.

De hoc Donatiſtarum & S. Cypriani diſcrimine loquentem audiamus S. Auguſtinum l. 1. de bapt. c. 18. *Illis temporibus*, inquit, *antequam plenarii concilii ſententia, quid in hac re ſentiendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet, viſum eſt ei* (Cypriano) *cum fermè octoginta coepiſcopis ſuis Africanorum Eccleſiarum, omnem hominem, qui extra Eccleſiæ catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuo baptizari.* Et c. 7. *Quæſtionis hujus obſcuritas*, inquit, *prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros & magna charitate præditos, Patres epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalva pace, diſceptare atque fluctuare, ut diu conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec plenario totius orbis concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*; (quod longo poſt Cypriani mortem tempore contigit, ut ait S. Doctor lib. 2. de bapt. cap. 9.) *Non ſolum*, inquit, *inventa eſt* (veritas) *ſed etiam ad plenarii concilii auctoritatem roburque producta, poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus.*

Hæc porro Synodus, poſt Cypriani paſſionem, & antequam natus eſſet Auguſtinus, celebrata, quæ fuit plenaria totius orbis chriſtiani, adeoque Orientis & Occidentis, & cujus ſententia fuit totius Eccleſiæ conſenſio ſeu definitio, ac proinde definitio finalis & irretractabilis, qua finaliter & irretractabiliter rebaptizantium error proſcriptus eſt; hæc, inquam, Synodus alia non potuit eſſe, quàm Nicæna: prima enim Arelatenſis, quæ quidem ducentorum epiſcoporum fuit, non fuit totius orbis Synodus, ſed ſolius Occidentis, nec ad eam totius orbis, ſed ſolius Occidentis, epiſcopi convocati fuerunt à Conſtantino Magno, ut manifeſtè colligitur ex ejus ad Chreſtum Syracuſanum epiſcopum epiſtola, in qua dicitur; *Quoniam ergo plurimos ex diverſis compluribus locis epiſcopos in Arelatenſium oppido ad Kalendas Auguſti convenire præcepimus, tibi etiam per litteras ſignificandum duximus, ut, &c.* Unde hujus Synodi ſententia dici non potuit totius Eccleſiæ conſenſio.

Baptiſmum ab hæreticis collatum, aut ordinationem ab eis factam reprobaſſe, perperam dicuntur Luciferiani; contrarium enim conſtat ex S. Hieronymi dialogo adversùs ſchiſmaticos illos; nam ſic loquentem inducit Luciferianum: *Recipimus laicos, quoniam nemo converteretur, ſi ſe ſciret rebaptizandum: & ita fiet ut nos ſimus cauſa perditionis eorum, ſi repudientur.* Et inferiùs: *Laicus etiam extra Eccleſiam fide baptizatus, pœnitens recipitur: epiſcopus vero aut pœnitentiam non agit, & ſacerdos eſt; aut, ſi pœnitentiam egerit, eſſe epiſcopus deſinit. Quam ob rem rectè nos & laicum ſuſcipimus pœnitentem: & epiſcopum, ſi in ſacerdotio perſeverare vult, repudiamus.* Luciferiani igitur recipiebant baptiſma hæreticorum; nec ordinationem ab eis factam rejiciebant ut irritam; ſed ſolùm epiſcopos ab Ariana hæreſi ad Eccleſiam redeuntes nolebant recipi ſine pœnitentia publica; adeoque ſine depoſitione, quia pœnitentia publica epiſcopos ſicut & alios inferiores clericos ad laicorum ordinem redigebat.

Secundus error fuit aliquorum Donatiſtarum, qui non ſolùm hæreticos & ſchiſmaticos, ſed etiam peccatores manifeſtos à valida ſacramentorum adminiſtratione excludebant. Conſtat ex Auguſtino lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani c. 13. ubi ſic loquitur; *Cum probare Parmenianus vellet carnales homines* (manifeſtos peccatores) *non poſſe ſpiritales filios procreare, addit, &c.* Et inferiùs: *Fictos igitur eorum, id eſt, occultos malos, ſicut ipſi quoque concedunt, cum eos fugiat Spiritus ſanctus, per eorum tamen miniſterium gigni ſpiritales filios adſtruunt ... Quomodo adulter latens, cum apud eos præpoſitus fuiſſet, ſpiritales potuit filios procreare, ſi carnales hoc facere non poſſent, &c.* Concedebat igitur Parmenianus Donatiſta occultos malos validè baptizare, ſed hoc negabat de manifeſtis, unde arguebat S. Auguſtinus eum inconſequenter errare; cum non ſolùm manifeſtos, ſed etiam occultos peccatores effugiat Spiritus ſanctus.

Tertius error fuit aliorum Donatiſtarum, qui non ſolùm manifeſtos, ſed etiam occultos peccatores à valida adminiſtratione ſacramentorum excluſos aſſerebant. Hunc errorem exprobrat S. Auguſtinus Creſconio Grammatico lib. 2. adversùs illum ſcripto, ubi S. Doctor hunc Donatiſtam ſic alloquitur, c. 26. *Aſſeruiſti mortuum* (in illo Eccleſiaſtici textu, Qui baptizatur à mortuo, non ei prodeſt lavacrum ejus) *non intelligendum niſi peccatorem baptiſtam, & nullum peccatorem excipiendum: & ideo quod ego dicebam, contra te concluditur, nec occultum excipi poſſe, ubi nullus excipitur.* Et c. 27. *Apertè, inquis, prædictum eſt, ut non ſolus idoli cultor, ſed quiſquis peccator inter omnes homines fuerit, jus ſibi baptiſmatis non uſurpet. Audi ergo te ipſum, quiſquis peccator dixiſti, nec manifeſtum nec occultum excepiſti. Proinde qua fronte cogunt baptizari poſt manifeſtum* (peccatorem,) *qui nolunt poſt occultum, ubi aſſerunt neminem exceptum.* Ex his porrò poſtremis verbis apparet, apud Donatiſtas, etiam eos qui baptiſmum ab occultis peccatoribus collatum cenſebant eſſe irritum, illos tantùm fuiſſe rebaptizatos, qui ab hæreticis, vel ſchiſmaticis, aut manifeſtis peccatoribus fuerant baptizati.

Ter-

Digitized by Google

Tertium hunc errorem profeſſus eſt ſæculo decimo quarto Joannes Vvicleff Anglus, ut patet ex ſeſſ. 8. Concilii Conſtantienſis, in qua refertur & damnatur hæc illius propoſitio, numero quarta: *Si epiſcopus vel ſacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.* Poteſtatem igitur Ordinis, vel ſaltem validum illius uſum iis tantùm epiſcopis & ſacerdotibus concedit, qui ſunt in ſtatu gratiæ: ſicut Eccleſiaſticæ juriſdictionis poteſtatem iis tantùm concedit prælatis, qui ſunt de numero prædeſtinatorum; ut patet ex ejus propoſitione numero octava: *Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles, ab aliquo ſibi datam, niſi fortè à Cæſare* (adeoque niſi temporalem.)

§. II.

Ad perfectionem Sacramenti non requiritur fides in miniſtro.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex perpetua praxi & conſuetudine Eccleſiæ non rebaptizandi eos, qui ab hæreticis baptizati, ab hæreſi ad fidem convertebantur, & ad Eccleſiam veniebant, eiſque tantùm ritè diſpoſitis adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ. Hanc autem praxim apoſtolicam ſeu ab Apoſtolis profectam eſſe demonſtratur ex eo, quòd neque alicujus Pontificis decreto, neque generalis alicujus Synodi canone inſtituta aliquando fuerit, ſed ab initio viguerit in tota Eccleſia, uſque ad annum Chriſti 215. vel 217. quo tempore in particulari Synodo Carthaginenſi ab Agrippino in Africa rejecta eſt, reliquis omnibus Eccleſiis eam cum principali Eccleſia, particulari ſcilicet Romana, retinentibus.

Hanc conſuetudinem Stephanus Cornelii poſt Lucium ſucceſſor, Cypriano & ejus Synodo oppoſuit, ut ipſe Cyprianus ſcribit in ſua ad Pompeium epiſcopum epiſtola, ubi ſic ait: *Illud adjunxit, ut diceret, Si quis ergo à quacumque hæreſi* (in qua ſcilicet baptiſmus confert cum expreſſa invocatione trium perſonarum) *venerit, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* In quæ Stephani verba hæc habet Vincentius Lirinenſis in commonitorio 1. c. 9. *Intelligebat vir ſanctus & prudens* (Stephanus, qui, ut ibidem dicitur, reliquos omnes epiſcopos tantùm fidei devotione vincebat, quantùm loci authoritate ſuperabat) *nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, noſque religionem, non quà vellemus ducere, ſed potius quà illa duceret, ſequi oportere, idque eſſe proprium chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare.*

Addit Vincentius, Stephanum hoc uno argumento victoriam in præſenti cauſa reportaſſe. *Quis ergo,* inquit, *tunc univerſi negotii exitus? quis utique niſi uſitatus, & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas:* quamquam *ipſi novitiæ adinventioni,* ut dicit idem Author, *patrocinia* minimè *defuerunt, imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta divinæ legis oracula, ſed planè novo ac malo more intellecta;* ſed hæc omnia cauſæ Cypriani præſidia profligavit una perpetuæ conſuetudinis antiquitas.

De eadem conſuetudine ſic loquitur S. Auguſtinus lib. 2. de bapt. c. 7. *Saluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque ſchiſmaticis & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt, ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex apoſtolica traditione venientem; ſicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Et cap. 9. *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.*

Prob. 2. Auctoritate ſummorum Pontificum, Stephani, de quo ſupra; Siricii in epiſtola ad Himerium c. 1. ubi hæc leguntur: *Signaſti baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eoſdem denuò baptizare velle, quod non licet: cum fieri & Apoſtolus vetet, & canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe concilium, miſſa ad provincias à .... Liberio, generalia decreta prohibeant; quos* (ab Arianis baptizatos) *nos cum Novatianis aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo* (Nicæna) *conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conventui ſociamus.* Et Innocentii I. in epiſtola ad epiſcopos Macedoniæ c. 5. ubi ſic ait: *Venientes* (à Paulianiſtarum hæreſi) *etiam baptizari præcipiunt* (Patres Nicæni) *num quidam cùm de Paulinianis jubent, omnes qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cùm nullus audeat facere, de ipſis tantùm* (Paulianiſtis) *eſſe præceptum, ratio ipſa demonſtrat .... quia Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti minimè baptizabant.*

Prob. 3. Ex Concilio Arelatenſi I. in cauſa Cæciliani Carthaginenſis epiſcopi, à Donatiſtis accuſati, celebrato an. 314. cujus hic eſt canon octavus: *De Afris, qui propria lege ſua utuntur, ut rebaptizent, placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum; & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum. Quòd ſi interrogatus, non reſponderit hanc Trinitatem* (& ſic agnoſcatur baptizatus non eſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,) *baptizetur.*

Prob. 4. ex Concilio Nicæno. Nam de Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus ſic ſtatuit can. 8. *Si quis voluerit venire ad Eccleſiam catholicam ex Novatianis, placuit ſancto Concilio, ut ordinentur, & ſic maneant in clero.* De Paulianiſtis verò ad fidem converſis, can. 19. *Si quis confugit ad Eccleſiam catholicam de Paulianiſtis, ſtatutum eſt rebaptizari eos omninò debere. Si qui verò clerici erant apud eos, ſi quidem inculpati fuerint & irreprehenſibiles, baptizati rurſus etiam ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ catholicæ* (cùm invalidè baptizati à ſuis, ab eis validè ordinari non potuerint.

Ecce Synodus Nicæna jubet Paulianiſtas ad Eccleſiam venientes rebaptizari, & hoc de Novatianis, qui ſimiliter ad fidem convertuntur, non jubet; *quia,* inquit Innocentius I. in ſua ad epiſcopos Macedoniæ epiſtola, *Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti minimè baptizabant: & Novatiani iiſdem tremendis venerandiſque nominibus baptizant: nec apud iſtos de unitate poteſtatis divinæ, hoc eſt, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæſtio aliquando mota eſt.* Ergo Synodus ratum habuit baptiſmum ab hæreticis collatum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; & ſi aliquorum hæreticorum baptiſmum reprobavit, reprobavit, non quia collatum erat ab hæreticis, ſed quia collatum erat ſine expreſſa trium Perſonarum divinarum invocatione.

Rectè igitur S. Auguſtinus in libris de baptiſmo contra Donatiſtas inculcat conſuetudinem Eccleſiæ non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis cum expreſſa invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis, quam impugnarat S. Cyprianus, plenarii concilii authoritate, adeoque totius Eccleſiæ conſenſione firmatam eſſe: cùm enim Synodus Nicæna Novatianos ad Eccleſiam venientes ſine iteratione baptiſmi recepit, & ſolos Paulianiſtas judicavit eſſe rebaptizandos, hoc ipſo probavit baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti collatum apud quoſcumque & à quibuſcumque collatum eſſet.

Prob. 5. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de baptiſmo can. 4. *Si quis dixerit,* inquit, *baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum: anathema ſit.*

Digitized by Google

Ante Tridentinum, approbante Florentina Synodo, Eugenius in decreto §. *Primum*, dixerat, etiam paganum & hæreticum validè, & in caſu neceſſitatis licitè baptizare, *dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.*

Prob. 6. ratione. Quia tandiu poteſt miniſter validè conferre ſacramenta, quandiu non amittit poteſtatem miniſterialem à Chriſto acceptam: tandiu enim agere poteſt ut inſtrumentum Chriſti, & ita Chriſtus tandiu per eum operari poteſt tanquam principalis cauſa ſacramenti. Atqui miniſter non amittit propter hæreſim poteſtatem miniſterialem à Chriſto acceptam: hæc enim poteſtas eſt gratia gratis data, adeoque cum peccato hæreſis eſſe poteſt: præterea non datur in miniſtri, ſed in aliorum utilitatem; & ita ſi propter miniſtri infidelitatem tolleretur hæc poteſtas, unus puniretur pro culpa alterius, quod eſt inconveniens.

§. III.

Ad valorem ſacramenti non requiritur ſanctitas in miniſtro.

HÆc reſponſio ſequitur ex præcedenti: nam ſi non requiritur in miniſtro fides, manifeſtum eſt non requiri ſanctitatem, quæ ſine fide eſſe non poteſt. Unde argumenta, quæ probant ab hæretico vel ſchiſmatico ſacramentum baptiſmi v. g. validè conferri poſſe, à fortiori probant, validè conferri poſſe à fideli peccatore etiam manifeſto. Quare pro hac ſecunda aſſertione valent ea omnia momenta, quæ pro prima aſſertione allata ſunt, Sed præterea,

Prob. 1. authoritate Conciliorum, videlicet Conſtantienſis ſeſſ. 8. ubi damnatur propoſitio, qua Vvicleffus aſſerit, Epiſcopum in ſtatu peccati mortalis non ordinare validè; nec ſacerdotem in ſtatu peccati mortalis conſecrare aut validè baptizare. Florentini in decreto Eug. §. *Quintò*, ubi ad perfectionem ſacramenti, præter materiam & formam ex parte miniſtri, requiritur tantùm intentio faciendi quod facit Eccleſia. Et Tridentini ſeſſ. 7. de ſacram. in genere can. 12. ubi dicitur: *Si quis dixerit miniſtrum, in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad ſacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut non conferre ſacramentum: anathema ſit.*

Prob. 2. ex S. Auguſtino tract. 5. in Joan. ubi ſic loquitur: *Quid non noverat* (Joannes Baptiſta) *poteſtatem dominici baptiſmi in nullum hominem à Domino tranſiturum; ſed miniſterium planè tranſiturum; poteſtatem a Domino in neminem miniſtrorum, miniſterium & in bonos & in malos? Non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Quid tibi facit malus miniſter, ubi bonus eſt Dominus?* Et inferiùs: *Spiritalis virtus ſacramenti ita eſt ut lux, & ab illuminandis pura excipitur; & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur.* Et inferiùs: *Quos baptizavit Judas, Chriſtus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi baptiſma Chriſti erat, Chriſtus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic eſt qui baptizat.*

Prob. 3. ex S. Thoma hic q. 64. a. 5. in O. ubi ſic ait: *Miniſtri Eccleſiæ inſtrumentaliter operantur in ſacramentis, eò quòd quodammodo eadem ratio eſt miniſtri & inſtrumenti. Sicut autem ſupra dictum eſt, inſtrumentum non agit ſecundum propriam formam aut virtutem, ſed ſecundum virtutem ejus, à quo movetur. Et ideo accidit inſtrumento, in quantum eſt inſtrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem inſtrumenti, ſicut quòd corpus medici, quod eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum vel infirmum; & ſicut quòd fiſtula, per quam tranſit aqua, ſit argentea vel plumbea. Unde miniſtri Eccleſiæ poſſunt ſacramenta conferre, etiamſi ſint mali.*

Itaque juxta S. Thomam, miniſtri Eccleſiæ non operantur in ſacramentis niſi inſtrumentaliter. Sic v. g. ſacerdos baptizans, non operatur in baptiſmo niſi per modum inſtrumenti; & ita ritum externum baptiſmi ad eſſe ſacramentale non elevat, niſi per modum inſtrumenti; ſicque non elevat per virtutem propriam, ſed per virtutem alterius, nempe Chriſti, quam per modum inſtrumenti, & ut id quo aliquid fit, exercet & applicat ritui externo baptiſmi. Unde in ſacerdore, ad validè baptizandum ſufficit vis inſtrumentaliter exercendi poteſtatem Chriſti, eamque applicandi ad cæremoniam externam ſacramenti, quæ vis dicitur & eſt poteſtas miniſterialis. Et verò ſi ad ſacramenti perfectionem requireretur in miniſtro fides, vel etiam charitas; cùm, ut ait S. Doctor a. 9. in O. fides & charitas pertineant ad propriam virtutem hominis, miniſter in ſacramento operaretur per virtutem propriam, quod minimè requiritur in operante inſtrumentaliter tantùm, & quod proprium eſt cauſæ ſeu agentis principalis. Ex his,

Intellige illud, quod ait S. Doctor ad 1. citato a. 5. *Miniſtri Eccleſiæ neque à peccatis mundant homines ad ſacramenta accedentes, neque gratiam conferunt ſua virtute; ſed hoc facit Chriſtus ſua poteſtate per eos, ſicut per quædam inſtrumenta*: eatenus enim homines conferunt gratiam per ſacramenta, quatenùs ritum externum ſacramentorum ad eſſe ſacramentale elevant. Non autem elevant per virtutem & poteſtatem ſibi propriam, ſed per virtutem ſeu poteſtatem Chriſti, eam miniſterialiter ſeu inſtrumentaliter exercendo, & applicando ad ritum illum externum. Chriſtus poteſtate ſua per miniſtros ſuos, ſicut per quædam inſtrumenta, ritum externum ſacramentorum ad ſignificationem & efficientiam ſacramentalem elevat; & elevando, à peccatis mundat homines ad ſacramenta accedentes, & gratiam confert.

At inquies. Ergo miniſtri ſacramentorum nullam habent poteſtatem relatè ad ſacramenta. *R.* neg. Habent enim poteſtatem miniſterialem, quæ poteſtas miniſterialis eſt poteſtas, juxta mentem S. Doctoris, inſtrumentaliter exercendi poteſtatem illam excellentiæ, quæ reſidet in Chriſto, & in ſolo Chriſto reſidere poteſt: unde in ſacramentis ſolùs Chriſtus & eſt, & eſſe poteſt agens principale; vel, ſi vis, quod idem eſt, eſt poteſtas ſacramenta conferendi nomine & poteſtate Chriſti; ſicut in ſupremo regni adminiſtro eſt poteſtas aliqua, nempe poteſtas miniſterialis, quæ eſt poteſtas inſtrumentaliter exercendi ſupremam authoritatem, quæ reſidet in Rege, poteſtas regnum adminiſtrandi nomine & authoritate Regis: unde quæ agit adminiſter, cenſetur Rex per eum, ſicut per quoddam inſtrumentum agere, & re ipſa agit, & perinde vim habent, ac ſi ea per ſe immediatè Rex ageret. Hinc

Intelligitur S. Auguſtinus, cùm ait loco citato, *poteſtatem dominici baptiſmi in nullum hominem tranſiturum, ſed miniſterium planè tranſiturum, poteſtatem à Domino in neminem miniſtrorum* (tranſire) *miniſterium in bonos & malos*. Sicut ergo Rex, cùm inſtituit aliquem è ſubditis ſupremum regni ſui adminiſtrum, non transfert in eum authoritatem regiam, ſed ſolùm officium & poteſtatem ei confert, illam inſtrumentaliter exercendi; vel, ſi vis, quod idem eſt, ad hoc ſolùm illùm eligit, ut per eum, velut quoddam inſtrumentum, exerceat regiam auctoritatem: ita Chriſtus, juxta S. Doctorem, homines inſtituendo baptiſmi ſui miniſtros, poteſtatem illam excellentiæ, quàm habet ut Homo Deus, evehendi cæremoniam externam baptiſmi ad eſſe ſigni efficaciter practici gratiæ, in nullum hominem tranſtulit, ſed nec transferre potuit, cùm talis poteſtatis homo purus capax eſſe non poſſit. Solùm itaque hominibus & bonis & malis poteſtatem contulit, inſtrumentaliter exercendi illam ſuam poteſtatem; vel, quod idem eſt, ad hoc ſolùm homines & bonos & malos aſſumpſit, ut per eos, ſicut per quædam inſtrumenta, poteſtatem ſuam exerceret, eaque ritum externum baptiſmi eveheret ad eſſe ſigni efficaciter practici gratiæ. Ex his,

Juxta

Juxta S. Doctorem, baptiſmus noſter non eſt baptiſmus Petri, vel Pauli, aut cujuſcumque alterius hominis, ſed eſt baptiſmus Chriſti, à quocumque tandem homine conferatur; quia à quocumque tandem homine conferatur, una & eadem poteſtate Chriſti confertur: è contra verò baptiſmus aquæ, quem conferebat Joannes, erat baptiſmus Joannis, quia Joannes conferebat illum, non ut miniſter vel inſtrumentum alterius, ſed authoritate propria: unde in aqua tantùm baptizabat; nos autem non in aqua tantùm, ſed in igne & ſpiritu baptizamus, quia baptizamus authoritate & poteſtate Chriſti. Item cùm homo, etiam ebrioſus, vel adulter, aut homicida, baptizat, Chriſtus baptizat, quia homo, etiam ebrioſus, vel adulter, aut homicida, baptizat ut miniſter & inſtrumentum Chriſti; baptizat nomine & poteſtate Chriſti, hanc poteſtatem inſtrumentaliter exercendo, eamque actioni externæ baptiſmi inſtrumentaliter applicando: unde Chriſtus eſt is, qui baptizat; homo verò is, per quem baptizat Chriſtus virtute & poteſtate propria.

§. IV.

Ad effectum Sacramenti non requiritur in miniſtro fides, & multò minùs ſanctitas requiritur.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Conc. Later. IV. cap. *Firmiter*, ubi dicitur: *Sacramentum baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, conſecratur in aqua, tam parvulis, quàm adultis in forma Eccleſiæ ritè collatum, proficit ad ſalutem.*

Prob. 2. ex S. Auguſtino loco citato §. 3. & lib. 2. contra epiſt. Parmeniani c.10. *Omnia*, inquit, *ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus.*

Prob. 3. ratione. Nam ſacramenta collata ab infidelibus, vel fidelibus peccatoribus, rata ſunt & valida, ut probatum eſt. Ergo ſacramenta collata ab infidelibus, vel fidelibus peccatoribus, ſuſcipientibus & non ponentibus obicem, gratiam conferunt: omnia enim ſacramenta, validè collata, non ponentibus obicem conferre gratiam, definit Conc. Trid, ſeſſ. 7. de ſacram. in gen. can. 6. & 7. Huic rationi theologicæ addi poteſt alia, petita ab inconvenientibus; quia ſi ſacramentorum valor, vel effectus penderet à ſanctitate vel fide miniſtrorum, ſalus noſtra redderetur nimis incerta, turbaretur Eccleſiæ regimen, & magna parvulorum ante adultam ætatem morientium, quamvis non ſine baptiſmate, multitudo damnaretur.

§. V.

Solvuntur objectiones petitæ à ratione & Scriptura.

Obj. 1. Hæretici & impii non habent gratiam ſanctificantem. Ergo non poſſunt eam conferre. Ergo non poſſunt adminiſtrare ſacramenta, quibus confertur gratia ſanctificans. *R.* diſt. 1. conſeq. Ergo non poſſunt eam conferre virtute & poteſtate ſua, C. conſeq. Virtute & poteſtate alterius, nempe Chriſti, cujus, non obſtante infidelitate & impietate ſua, miniſtri ſunt, & cujus proinde, non obſtante infidelitate & impietate ſua, virtutem & poteſtatem inſtrumentaliter exercere poſſunt, N. conſeq. 1. & 2. Nam hoc ipſo quòd, non obſtante infidelitate & impietate ſua, poſſunt inſtrumentaliter exercere virtutem & poteſtatem Chriſti, poſſunt, non obſtante, &c. inſtrumentaliter conferre gratiam ſanctificantem, & ſacramenta perficere, quibus ut immediatis inſtrumentis, Deus utitur ad infundendam gratiam.

Obj. 2. Qui non habet Spiritum ſanctum, non poteſt remittere peccata, ut apertè colligitur ex his Chriſti verbis Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Atqui peccator non habet Spiritum ſanctum. Ergo, &c. *R.* Chriſtum loco citato per Spiritum ſanctum intelligere dona Spiritus ſancti, quæ in Ordinatione conferuntur, nempe gratiam ſanctificantem, characterem, & poteſtatem miniſterialem abſolvendi. Ordinatus autem, per peccatum mortale quodlibet amittit gratiam ſanctificantem, unde exiſtens in ſtatu peccati mortalis, non poteſt dignè, adeoque non licitè pœnitentem à peccatis abſolvere. At poſt peccatum mortale quodlibet retinet characterem & poteſtatem miniſterialem abſolvendi, & ita quoad hæc duo adhuc habet Spiritum ſanctum; unde adhuc poteſt virtute & poteſtate Chriſti, eam inſtrumentaliter exercendo, pœnitentem à peccatis validè abſolvere.

Obj. 3. Sacramenta ſoli Eccleſiæ Chriſti data ſunt. Ergo eſſe non poſſunt, ubi non eſt Eccleſia Chriſti. Ergo eſſe non poſſunt apud hæreticos, adeoque ab hæreticis non poſſunt adminiſtrari. *R.* neg. conſeq. Nam ex ant. ſequitur tantùm, 1. Quòd ubicumque reperiantur ſacramenta, ad Eccleſiam Chriſti pertineant: unde cùm hæretici à ſuis baptizati, ad Eccleſiam veniunt, Eccleſia quod ſuum eſt agnoſcit & retinet, nempe baptiſmum; quod verò ſuum non eſt, ſed alienum, nempe errorem, reſpuit, & corrigit. 2. Quòd in ſola Chriſti Eccleſia ſacramenta adminiſtrari poſſint licitè: unde apud hæreticos nonquam niſi illicitè uſurpantur extra caſum neceſſitatis. Licèt autem apud hæreticos non poſſint niſi illicitè uſurpari, poſſunt tamen validè, ab iis ſcilicet qui poteſtatem habent miniſterialem, ut quilibet adultus, mentis compos, reſpectu baptiſmi; verus ſacerdos reſpectu conſecrationis; verus Epiſcopus reſpectu Confirmationis & ordinationis.

Obj. 4. Miniſtri ſacramentorum operantur ut membra Eccleſiæ. Ergo hæreticus non poteſt eſſe miniſter ſacramenti: cùm enim non ſit membrum Eccleſiæ, non poteſt operari ut membrum ejus *R.* miniſtros ſacramentorum operari ut membra Eccleſiæ, cùm ſunt de Eccleſia: cùm enim ſunt de Eccleſia, Eccleſia per illos ut membra ſua & organa, ſacramenta adminiſtrat. At ut quis poſſit eſſe miniſter ſacramenti, neceſſe non eſt ut ſit membrum Eccleſiæ; ſed ſatis eſt, quòd poſſit eſſe inſtrumentum Chriſti ut cauſæ principalis ſacramenti, ad quod non requiritur ut ſit de Eccleſia. Unde hæreticus, imò & paganus poteſt eſſe miniſter baptiſmi.

Obj. 5. Actio ſacramentalis hæretici eſt peccaminoſa. Ergo movere non poteſt Deum ad dandam gratiam. Ergo non eſt ſacramentum. *R.* diſt. 1. conſ. Ergo actio ſacramentalis hæretici, ſumpta præcisè ut eſt actio hæretici, non poteſt, &c. C. conſeq. Sumpta ut eſt actio Chriſti tanquam cauſæ principalis, illam virtute & poteſtate ſua elevantis ad eſſe ſacramentale per miniſtrum etiam hæreticum, N. conſeq. 1. & 2.

Obj. 6. Olim cùm hæretici veniebant ad Eccleſiam, de novo confirmabantur, & ordinabantur: nam manus illis imponebantur ab Epiſcopis. Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* hanc manuum impoſitionem non fuiſſe repetitionem alicujus ſacramenti jam antea ab eis ſuſcepti, ſed vel ſacramentum Confirmationis, quod nondùm receperant, vel ſacramentum Pœnitentiæ, quo peccata poſt baptiſmum commiſſa, ritè confeſſi, Deo reconciliabantur; vel denique cæremoniam, qua reconciliabantur Eccleſiæ, & excommunicationis vinculo ſolvebantur.

Obj. 7. Scripturam. Nam 1. dicitur Epheſ. cap. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Atqui non eſt unum baptiſma, ſed duplex, ſi hæretici validè baptizant. Ergo, &c. 2. Dicitur Eccleſiaſtici c.34. v.4. *Ab immundo quid mundabitur?* Et v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?*

R. ad. 1. baptiſmum eo modo quo confertur in Eccleſia, ab hæreticis collatum, non eſſe niſi numericè diverſum à noſtro baptiſmo: cùm utriuſque ſit eadem materia, eadem forma, idem effectus, idem inſtitutor, nempe Chriſtus, & uterque ad eandem, nempe Chriſti, Eccleſiam pertineat.

R. ad 2. immundos non poſſe mondare virtute propria, ſed poſſe virtute Chriſti; non poſſe mundare ut cauſas principales emundationis, ſed poſſe ut cauſas inſtrumentales, quod eſt, Chriſtum virtute & poteſtate ſua poſſe mondare per homines immundos, ſicut per quædam inſtrumenta, quibus ſcilicet utitur ad cæremonias externas ſacramentorum evehendas ad eſſe ſacramentale.

Reſp. ad 3. ibi non agi de baptiſmo Chriſti, ſed de purificatione ab immunditia legali, quæ ex contactu mortui contrahebatur; & ſenſum verborum eſſe: Si quis propter immundiciam ex contactu mortui contractam baptizetur, & poſt baptiſmum iterùm tangat mortuum, nil illi proderit baptiſmus, quia iterùm contrahet immundiciam, quam baptiſmus purgaverat.

§. VI.

Solvuntur objectiones petita ab authoritate Patrum.

OBj. 1. Cyprianum cum octoginta circiter Africanis epiſcopis, & Firmilianum cum quinquaginta epiſcopis Orientalibus, qui in multis Synodis baptiſmum hæreticorum ut irritum reprobarunt, & idcircò ab hæreticis baptizatos, cùm ad Eccleſiam veniunt, rebaptizandos eſſe cenſuerunt. *R.* Cyprianum & Firmilianum cum ſuis erraſſe, & baptiſmum hæreticorum, in materia & forma legitima collatum, reprobando, reprobaſſe traditionem Apoſtolicam, quam Summus Pontifex Stephanus cum pluribus epiſcoporum millibus defendebat, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium Grammaticum c. 3. ubi ſic ait: *Si omnino jam credendum ſit quinquaginta epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris vel aliquantò etiam pluribus contra tot millia epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit, cur non potius etiam, &c.*

Obj. 2. S. Athanaſium ſermone 3. contra Arianos, ubi ſic loquitur: *Ariani in periculum veniunt, ne amittant integritatem myſterii, loquor autem de baptiſmate. Si enim in nomine Patris, & Filii datur perfecta plenaque initiatio, Patrem autem verum illi non pronunciant, eò quòd negent aliquid ex ipſo exiſtere, & ſimile eſſe illius ſubſtantiæ, negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus conditum, ſibi comminiſcentes in baptiſmate proferunt: qui, quæſo igitur non planè vanum ac inutile fuerit baptiſma, quod ab illis datur, cùm id non niſi ſpecies ſit, & inane ſimulacrum, ipſique ea re nihil ſolidæ opis afferant ad pietatem? non enim in Patre & Filio tribuunt baptiſma Ariani, ſed in Creatore & creatura, in factore & factura;* (non quòd baptizando dicant: Ego te baptizo in nomine Creatoris & creaturæ, vel in nomine factoris & facturæ, ſed quia dicendo in nomine Patris, & Filii, per Patrem intelligunt Creatorem & factorem, per Filium verò creaturam & facturam.) Nam ſic proſequitur: *Sicuti igitur creatura diverſum quiddam eſt à Filio; ita diverſum quiddam à vero baptiſmate eſt, quod ab illis exiſtimatur dari; tametſi nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, ſimulent ſeſe nominare.*

Reſpondent multi, S. Athanaſium loqui de baptiſmo Arianorum, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad effectum tantùm; nec aliud velle, quàm Arianorum baptiſma non ſanctificare adultos, quibus illud conferunt, quique eis in hæreſi conſentiunt. Hanc ſuam reſponſionem probare nituntur ex his S. Athanaſii verbis: *Ariani in periculum veniunt, ne amittant integritatem myſterii* (hoc eſt, baptiſmatis.) Nam, inquiunt, ſi S. Athanaſius vellet baptiſmum Arianorum quoad ſubſtantiam nullum eſſe, non diceret: Ariani in periculum veniunt, &c. Sed, Ariani amiſerunt integritatem baptiſmi, Veniunt autem Ariani in periculum amittendæ integritatis baptiſmi, quia cùm malè ſentiant de Filio, quem putant eſſe creaturam, & minorem Patre, facilè adduci poſſunt, ut corrumpant baptiſmi formam, dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris majoris & Filii minoris, vel, in nomine Patris creantis, & Filii creati; aut aliud quid æquivalens. Sed

Hæc omnia videntur aliena à mente S. Athanaſii, qui ſe loqui de Arianorum baptiſmate etiam quoad ſubſtantiam, apertè videtur ſignificare, cùm dicit illud eſſe vanum & inutile, non eſſe niſi ſpeciem & inane ſimulacrum, diverſum quiddam eſſe à vero baptiſmate, ſicut creatura diverſum quiddam eſt à Filio. Præterea, quod rem evicit, S. Athanaſius præter expreſſam invocationem trium Perſonarum, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, factam eo modo, quo fit in Eccleſia, rectam SS. Trinitatis fidem requirit in miniſtro ad collationem veri baptiſmi; ſic enim poſt verba in objectione citata proſequitur: *Non enim qui ſimpliciter ait, Domine, is eſt qui donat legitimum baptiſma, ſed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet, ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcipit: ſed primùm dixit: Docete, ac deinde, Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide baptiſmatis integra initiatio perficeretur. Certè aliæ etiam hæreſes, eæque numero non exigua, nomine tenus ritum iſtum pronunciant* (proferendo verba Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, &c.) *ſed non rectè ſentientes* (de Trinitate) *ut dictum eſt, neque ſanam* (hujuſce myſterii) *fidem retinentes, inutilem poſſident aquam, quam impertiunt, nimirum numine & religione deſtitutam: adeo ut qui ab iſtis aſpergantur, ſordeſcant potius prava religione, quam redimantur.*

Ex hoc autem principio erroneo, quòd ſine recta fide Trinitatis non poſſit conferri verum baptiſma, colligit non ſolùm Arianos, ſed nec Ethnicos, nec Manichæos nec Phryges, nec Paulianiſtas verè baptizare poſſe; quamvis baptizando proferant ipſa nomina Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & dicant, Te baptizo in nomine Patris, &c. Nam ſic pergit: *Ita quoque & Ethnici, quanquam Deum in ore habent, impietatis crimini ſubjiciuntur, eo quod verum Deum non agnoſcant Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Itidem quoque Manichæi & Phryges, ac diſcipuli Samoſatenſes, nomina ipſa pronunciantes, nihil ob id ſunt minus hæretici: ita quoque deinceps & reliqui* (qui rectam Trinitatis fidem non habent) *& qui cum Ario ſentiunt, etiamſi recitent ſcripta, proloquanturque ipſa nomina, fruſtrantur, illuduntque iis, qui ab ipſis baptiſma accipiunt* (quia nimirùm ſpecie & nominetenus in nomine Patris, & Filii, & re ipſa in nomine v. g. factoris & facturæ baptizant, per Patrem & Filium factorem & facturam intelligentes.

Fatemur itaque S. Athanaſium, ut invalidum reprobaſſe baptiſmum hæreticorum, non omnium promiſcuè, ſed eorum tantùm, qui rectam non tenerent fidem SS. Trinitatis. Ita autem ſentiendo, videri ſibi potuit ſeſe non adverſari, ſed conſentire Nicænæ Synodo, can. 8. recipienti baptiſmum Novatianorum qui rectam SS. Trinitatis fidem tenebant, & can. 19. jubenti Paulianiſtas rebaptizari. Sed hic duplicem agnoſce S. Athanaſii errorem; unum juris, quo judicavit baptiſmum etiam in Eccleſiæ forma collatum non valere, ſi miniſter à quo confertur, non rectè ſentiat de Trinitate, alterum verò facti, quo putavit Paulianiſtarum baptiſma à Synodo Nicæna fuiſſe reprobatum, non quòd formam corrumperent, ſed quòd de Trinitate malè ſentirent. Sed Synodum aliter & meliùs intellexit univerſa Eccleſia, cujus authoritatem Athanaſio opponimus.

Obj. 3. Dionyſius Alexandrinus Cypriani & Firmiliani de hæreticorum baptiſmate ſententiam ſecutus eſt eamque contra Stephanum Pontificem defendit apud Xiſtum Stephani ſucceſſorem, ſcripta ad eum ea de re epiſtola; ut teſtatur Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. c. 4. ubi ſic loquitur: *Ad quem* (Xiſtum) *ſcribit nihilominus Dionyſius de baptiſmate, commemorans quòd Stephanus quidem deceſſor ſuus ſcribens ad Firmilianum & Helenum, cæteroſque illarum partium epiſcopos, ſtatuerit non communicandum eſſe his, qui*

reba-

Digitized by Google

rebaptizant eos, qui ad Eccleſiam ab hæreticis tranſeunt, ſed debere conſiderari magnitudinem rei, quia non quicumque, ſed permagni & nobiles in epiſcopis viri ſunt, quibus hoc viſum ſit.

Confirmatur ex Hieronymo in catal. ſcript. Eccl. in Dion. ubi hæc ſcribit: *Dionyſius Alexandriæ urbis epiſcopus, &c. hic in Cypriani & Africanæ Synodi dogma conſentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit epiſtolas, quæ uſque hodie extant;* quas proinde epiſtolas habere potuit Hieronymus. Quòd autem eas legerit, ſed non intellexerit, aut illis non lectis, in aliorum relationi fide habenda nimium facilis, Cypriani dogma Dionyſio leviter impegerit, quis credet?

Confirmatur iterùm ex verbis ipſius Dionyſii in lib. 3. de baptiſmo, ad Philemonem Eccleſiæ Romanæ presbyterum ſcripto, in quo apud Euſebium lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 6. ſic loquitur: *Hic tamen didici, quòd non epiſcopi in Africa ſolùm iſtam conſuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invexerunt, verùm etiam longo tempore ante, epiſcoporum memoria, qui antegreſſi ſunt, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum, tum Iconii, tum Synadis, tum aliis multis in locis convocatis iſtud decretum fuit: quorum judicia & ſententias condemnare, irritaque facere non audeo.*

Propter hæc omnia reſpondent multi, fatendo quòd Dionyſius Cypriano, Firmiliano, aliiſque rebaptizantibus conſenſerit: alii verò negant, & Hieronymo, quem hic errore facti lapſum eſſe contendunt, Baſilium, qui ea, quæ ad Dionyſium attinent, meliùs noſſe potuit, opponunt in ejus prima epiſtola canonica ad Amphilochium Iconii epiſcopum, ubi in proœmio canonum reprehendit Dionyſium, quòd ratum habuerit baptiſmum à Montaniſtis collatum: nam ſic loquitur: *Pepuſenorum autem baptiſmus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus ſum, quomodo hoc Dionyſium* (Alexandrinum) *qui fuit vir canonicus, præteriit: antiqui enim illum baptiſmum* (ſolum) *ſuſcipiendum putarunt, qui nihil fidei tranſgreditur.* Et inferiùs proſequitur ſic: *Pepuſeni ergo ſunt apertè hæretici: in ſanctum enim Spiritum blaſphemarunt, Montano & Priſcillæ paracleti appellationem nefariè & impudenter attribuentes. Sive ergo ut qui homines in deos referant, ſunt condemnandi, ſive ut qui Spiritum ſanctum per comparationem cum hominibus & commixtionem injuria afficiant, ſic quoque ſunt æternæ condemnationi obnoxii, quòd non ſit concedenda blaſphemia in Spiritum ſanctum. Quamnam ergo habet rationem verum eorum baptiſma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum Priſcillamque baptizant? non enim baptizati ſunt, qui non in nobis tradita baptizati ſunt. Quare etiamſi hoc magnum Dionyſium præteriit, nobis tamen non eſt ſervanda erroris imitatio.*

Nos quid in præſenti controverſia ſentiendum nobis videatur, deinceps exponemus. 1. Dionyſius ratum habuit baptiſmum Montaniſtarum, in quo perperam eum erroris accuſat Baſilius: nam Montaniſtæ baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut locupletiſſimus teſtis eſt Tertullianus, jam Montaniſta factus, in lib. adversùs Praxeam c. 26. Quod confirmatur ex eo, quòd hæretici illi idem planè de SS. Trinitate ſentirent, quod ſentit Eccleſia, ut conſtat ex eod. Tertulliano eod. lib. c. 17. & lib. de pudicitia c. 27. ſuoque loco accuratè probatum eſt.

Ad illud, quod dicit Baſilius, *Pepuſeni ergo, &c.* reſpondemus, quod ſuo loco probatum eſt, Montaniſtas Montanum vocaſſe Paracletum, non quòd crederent illum eſſe Spiritum ſanctum, ſed quia putabant illum à Spiritu ſancto præ cæteris omnibus viris propheticis, quæ ipſius etiam Apoſtolis propheticæ dono, inſignitum fuiſſe: unde neque homines in deos referebant, neque Spiritum ſanctum confundebant cum hominibus. Ad id quod addit Baſilius, Montaniſtas in Patrem, & Filium, in Montanum Priſcillamque baptizaſſe, reſpondemus vel ſenſum eſſe, quòd baptizarent in fidem, qua credebant non ſolùm Patrem, & Filium, ſed etiam à Spiritu ſancto inſpiratos fuiſſe Montanum & Priſcillam, quod videntur innuere ſubſequentia verba: *Non enim baptizati ſunt, qui non in nobis tradita* (ſupple dogmata) *baptizati ſunt*, & hoc non impedit, quominùs rectam Trinitatis fidem tenuerint, & formam legitimam in baptiſmo adhibuerint: vel ſenſum eſſe, quòd baptizabant in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, quem putabant eſſe Montanum, aut ſaltem cum Montano confundebant; & hoc falſum eſt: vel denique ſenſum eſſe, quòd baptizando uterentur hac forma: Te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Montani ac Priſcillæ; & contrarium evidenter teſtatur Tertullianus, cui certè hac in re potiùs quàm Baſilio, credendum eſt.

Præterea, prorſus incredibile eſt, quòd Dionyſius, quem Baſilius ipſe Virum canonicum vocat, hoc eſt, virum regularum Eccleſiæ peritiſſimum, ratum habere potuerit baptiſmum collatum in forma manifeſtè illegitima. Prorſus itaque tenendum eſt, Dionyſium, qui quam Trinitatis fidem tenerent, & in qua forma baptizarent Montaniſtæ ſuo tempore, meliùs ſanè ſcire potuit, & ſcivit, quam ſciverit, vel etiam ſcire potuerit poſt centum annos Baſilius; Dionyſium, inquam, ratum habuiſſe baptiſmum Montaniſtarum, quia rectam Trinitatis fidem tenentes, verbis evangelicis baptiſmum conſecrabant, hoc eſt, baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

2. Ex dictis manifeſtè conſequens eſt, quòd Dionyſius ut legitimum admiſerit baptiſmum hæreticorum omnium, qui rectè ſentiebant de Trinitate, & cum expreſſa invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis baptizabant, quales erant Cathari ſeu Novatiani. Non enim potiorem rationem habere potuit Dionyſius admittendi Montaniſtarum baptiſmum, quàm baptiſmum aliorum hæreticorum, qui rectam eandem fidem habentes SS. Trinitatis, ſimiliter verbis evangelicis in conſecrando baptiſmo uterentur. Hinc

3. Manifeſtum eſt Dionyſium alienum fuiſſe ab opinione Cypriani & Firmiliani: hi enim ut illegitimum & invalidum rejiciebant omnem baptiſmum, extra Eccleſiam collatum; etiamſi collatum eſſet in forma Eccleſiæ, & ab eo, qui rectè de Deo ſentiret: quia, inquiebat, ii qui ab Eccleſia ſeparati ſunt, Spiritum ſanctum non habent, adeoque eum aliis dare non poſſunt. Hoc expreſsè teſtatur Baſilius loco citato, in quo ſic ait: *Verum enim vero antiquis viſum eſt, Cypriano dico & noſtro Firmiliano, eos omnes uni calculo ſubjicere Catharos, & Encratitas, & Hydroparaſtatas, quoniam ſeparationis quidem principium per ſchiſma, qui autem ſe ab Eccleſia abjunxerunt, non habent ampliùs in ſe gratiam Spiritus. Defecit enim traditio, quod diſciſſa ſit conſequentia: qui enim primi receſſerunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impoſitionem habebant ſpiritualem gratiam. Qui autem abrupti ſunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem, ut qui non poſſint ampliùs Spiritus ſancti gratiam aliis quoque præbere, à qua ipſi exciderent. Quare eos qui ab ipſis baptizati erant, tanquam à laicis baptizatos, juſſerunt ad Eccleſiam venientes vero Eccleſiæ baptiſmo expurgari.* Vide etiam ſecundam Cypriani ad Stephanum epiſtolam.

4. Itaque, ad objectionem *R.* negando. *Ad prob. R.* ex verbis citatis haberi tantùm, quòd Dionyſius rebaptizantium patrocinium ſuſceperit apud Xiſtum ſucceſſorem Stephani, quem duriùs cum rebaptizantibus egiſſe, & rem Eccleſiæ periculoſam aggreſſum eſſe judicavit, œconomia aliqua, vel maturiori examine opus eſſe ratus. Cùm autem ſic rebaptizantibus apud Romanum Pontificem patrocinaretur, apertè ſignificabat, ſe non ſuam, ſed aliorum cauſam defendere, nec minaces litteras ad Firmilianum & Helenum à Stephano tranſmiſſas, ad ſe ullatenùs attinere, adeoque apertè ſignificabat ſe non eſſe de rebaptizantium numero.

Ad 2. confirm. R. Cùm Dionyſius ait ſe judicia & ſententias rebaptizantium condemnare, irritaque face-

Digitized by Google

facere non audere, ſolùm indicat, ſibi non ita exploratum eſſe, quòd valeat baptiſmus, in forma Eccleſiæ ab iis qui foris ſunt, collatus, ut judicet contrariam ſententiam carere omni probabilitate. Porrò aliud eſt, judicia & ſententias rebaptizantium condemnare, irritaque facere non audere, & aliud ea approbare, rataque habere. Primum, non ſecundum, facit Dionyſius. Si ſecundum faceret, conſentiret eorum dogmati; primum faciendo, ſolùm teſtatur ſe revereri authoritatem tantorum epiſcoporum, ſeque expectare, & judicium ſuum cohibere, donec eorum dogma Scripturæ vel traditioni apoſtolicæ adverſari planè conſtet.

Ad 1. *verò confirm.* quod omittebamus, *R.* Hieronymum hic deſerendum, eique anteponendum eſſe Baſilium, qui, ſicut Hieronymus, epiſtolas Dionyſii habere & legere potuit, quique rebaptizantium errori mordicùs adhærens, Dionyſium, ſi verum eſſet quod refertur ab Hieronymo, non ut ſententiæ ſuæ adverſarium refelleret, ſed laudaret ut patronum. His adde, quòd nunquam rebaptizantes Dionyſium ut ſuum venditarint, quod certum argumentum eſt, illum rebaptizantibus nunquam conſenſiſſe: quòd enim tanti viri, ſecundæ Sedis epiſcopi, authoritatem, tantum eorum cauſæ pondus allaturam neglexerint, prorſus incredibile eſt.

At inquies. Videntur inter ſe conciliari poſſe Baſilius & Hieronymus in Dionyſio, ſi dicatur Dionyſios baptiſmum in forma Eccleſiæ collatum, ut validum admiſiſſe in hæreticis, qui rectam Trinitatis fidem tenebant; in hæreticis verò, qui non rectè ſentiebant de Trinitate, ut invalidum repudiaſſe. *R.* neg. Nam Hieronymus generaliter loquitur de omnibus hæreticis; cùm dicat Dionyſium conſenſiſſe in dogma Cypriani & Firmiliani de rebaptizandis hæreticis; & Cyprianus cum Firmiliano ut irritum repudiarit baptiſmum omnium hæreticorum, etiam eorum, qui cum recta Trinitatis fide baptizabant in forma Eccleſiæ; quales erant non ſolùm Montaniſtæ puri, ſed etiam Cathari, & Encratitæ ſeu Hydroparaſtatæ: quod de Catharis planè exploratum eſt; de Encratitis verò apertè colligitur ex citata epiſt. 1. Baſilii ad Amph. & epiſt. 2. can. 47. ubi ait: *Eos* (Encratitas) *in Eccleſiam non admittimus, niſi in baptiſmum noſtrum baptizati fuerint; ne dicant: In Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum baptizati ſumus* (hoc eſt, in fide & nomine Patris, & Filii, &c.) *qui quidem Deum eſſe malorum effectorem exiſtimat, inſtar Marcionis, & reliquarum hæreſum* (adeoque adhuc verè ſunt hæretici; & idcircò eos, niſi ſuſcepto noſtro baptiſmate, in Eccleſiam non admittimus.

Ad inquies. Ex Euſebio lib. 7. hiſt. Eccl. c. 7. & 8. Dionyſius ſenem quemdam, olim ab hæreticis baptizatum, & poſtea in cœtum fidelium admiſſum, atque Euchariſtiæ cum illis participem effectum, qui cum aliquando caſu fortuito baptiſmo eorum, qui in Eccleſia baptizabantur, adfuiſſet, & rogata reſponſaque audiviſſet, venit ad eum, & ad pedes ejus ſeſe abjiciens, ſanctè dejeravit baptiſma, quod fuerat apud hæreticos tinctus, non hujus generis eſſe, ſed eſſe plenum impietatis & blaſphemiæ, neque ullam omninò cum noſtro habere ſimilitudinem: hunc ſenem, inquam, non auſus eſt Dionyſius rebaptizare, non quòd judicaret eum ab hæreticis validè baptizatum fuiſſe, ſed quia putabat, *diuturnam illam communionem, qua fuerat* (hic ſenex) *cum fidelibus ſociatus, ſatis habere virium ad ejus animum purgandum*, in qua diuturna communione tam longo tempore fuerat Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti particeps; & aliunde hominem poſt tam diuturnam cum fidelibus habitam in ſacris communionem, atque toties iteratam Euchariſtiæ ſumptionem, rebaptiſare incongruum & indecens videbatur.

R. ex caſu propoſito colligi tantùm poſſe, 1. Quòd Dionyſius reprobarit baptiſmum, ab hæreticis in alia, quàm Eccleſiæ, forma collatum: nam ſi baptiſmum ab illo ſene olim ſuſceptum reprobavit, reprobavit quia nullam omninò cum noſtro ſimilitudinem habebat, quod certè non cadit in baptiſmum collatum in forma Eccleſiæ. 2. Quòd Dionyſius judicarit (quamvis non firmiter, cum Xiſtum Pontificem de hoc caſu conſulat, & ab eo petat quid ſit facto opus) baptiſmum non eſſe medium ad ſalutem abſolutè neceſſarium, ſed illum ſuppleri poſſe per communionem Eccleſiæ, cum aliorum ſacramentorum participatione. In qua ſententia fuit etiam Cyprianus, ut obſervat Auguſtinus lib. 2. de bapt. c. 13. *Attendite*, inquit, *quantum de unitatis bono præſumpſerit* (Cyprianus) *unde ſe non dirupit à diverſa ſentientibus; & cùm arbitraretur eos, qui extra Eccleſiæ communionem baptizarentur, baptiſmum non habere, credidit eos tamen in Eccleſiam ſimpliciter admiſſos, propter ipſius unitatis vinculum, poſſe ad veniam pervenire.* Quod probat ex ejus ad Jubaianum epiſtola.

Obj. 3. Cyrillum Hieroſol. in præfatione Catecheſeon, ubi dicit verum baptiſmum iterari non poſſe, & ſolos hæreticos rebaptizari, quia baptiſma quod confertur ab hæreticis, non eſt verum baptiſma. *Non licet*, inquit, *bis aut ter hoc lavacro uti, ut ſi fortè ſemel eo* (hoc eſt, ejus effectu) *fruſtratus; deinceps corrigas: ſi enim ſemel illo fruſtraberis, amplius id correctionem non patitur: unus enim Dominus, & una fides, & unum baptiſma. Nam ſoli hæretici rebaptizantur: ſiquidem prius illud non erat baptiſma.* *R.* dicendum, vel quòd Cyrillus non loquatur de omnibus hæreticis, ſed de iis tantùm, qui non baptizabant cum expreſſa invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis; vel quod Eccleſia Hieroſolymitana, nondùm intelligens Nicænam Synodum can 8. juncto 19. ratum habuiſſe baptiſmum ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti collatum; nondum baptizatos ab hæreticis rebaptizandi conſuetudinem aboleverat.

Obj. 4. S. Baſilium in epiſt. 1. canonica ad Amphilochium, & in 2. canonica ad eumdem can. 47. In hac enim utraque epiſtola baptiſmum ab hæreticis etiam in forma Eccleſiæ collatum, ut irritum repudiat, & baptizatos ab hæreticis illis, ad Eccleſiam venientes rebaptizari jubet.

Reſpondent aliqui Baſilium non omnium hæreticorum, qui in forma Eccleſiæ baptizabant, baptiſmum reprobaſſe, ſed eorum tantum, qui rectam Trinitatis fidem non tenebant, ſicque Baſilium in eo tantum erraſſe, quòd ad valorem baptiſmi requireret in miniſtro rectam fidem Trinitatis.

Sed hæc reſponſio eſt falſa: nam Baſilius, ut patet ex utraque epiſtola citata, reprobat baptiſmum Novatianorum, quos tamen circa Trinitatem non erraſſe certum eſt, & expreſsè teſtatur Innocentius I. in epiſt. ad epiſcopos Macedoniæ cap. 5. Item Baſilius ut irritum repudiabat baptiſmum Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum, ob eam tantùm rationem, quòd Deum eſſe malorum effectorem exiſtimaret, quo errore non obſtante, poterant rectè ſentire de Trinitate: ſicut ſæculo decimo-ſexto Calvinus de ea rectè ſentire potuit, quamvis Deum fecerit authorem peccatorum. Hæreticos autem illos re ipſa rectè ſenſiſſe de SS. Trinitate, patet tum ex eo quòd contrarium illis non imputaret errorem Baſilius, tum ex eo quòd Baſilio eorum baptiſma repudianti objicerent, ſe in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, hoc eſt, in fide & nomie Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizatos fuiſſe, nec contradiceret Baſilius, ſed ſolùm reponeret, illos credere Deum malorum effectorem: ſic enim aiebat citato can. 47. *Eos ergo in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum baptiſmum baptizati fuerint. Ne dicant enim: In Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum baptizati ſumus, qui quidem Deum eſſe malorum effectorem exiſtimant, inſtar Marcionis & reliquarum hæreſum.*

R. itaque S. Baſilium Firmiliani, qui ejuſdem Eccleſiæ fuerat Epiſcopus, errorem ſecutum eſſe, & hæreticos etiam eos, qui in fide & nomine trium

per-

Digitized by Google

perſonarum divinarum baptizati fuerant, rebaptizaſſe contra praxim omnium aut ferè omnium reliquorum Eccleſiæ catholicæ epiſcoporum, & contra ſenſum Synodi Nicænæ, quæ quod non intellexerat Baſilius, can. 8. juncto can. 19. conſequenter ſaltem approbarat baptiſmum eum expreſſa invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis collatum, à quocumque collatum eſſet cum intentione faciendi quod facit vera Eccleſia. *Sed* quæ fuerit mens & praxis Baſilii, ex ejus prima & ſecunda ad Amphilochium epiſtola canonica, numeris ſequentibus breviter accipe.

1. Tria diſtinguit hominum genera, hæreticorum ſcilicet, *qui omninò abrupti ſunt, & in ipſa fide ſunt abalienati*; purorum ſchiſmaticorum, *qui propter aliquas eccleſiaſticas cauſas & medicabiles quæſtiones diſſident; & Paraſynagogiſtarum*, qui relicta Eccleſia catholica, eò quòd canonibus ſeſe ſubmittere renuant, ſeparatim conventus ſuos celebrant, ſive ſimplices presbyteri, ſive etiam epiſcopi ſint.

2. Schiſmaticos & Paraſynagogiſtas admittit, non iterato baptiſmo; hæreticos verò non niſi rebaptizatos admittit. *Viſum eſt ergo*, inquit epiſt. 1. *ab initio hæreticos quidem omninò abolere. Qui ſe autem abſciderunt, qui ſchiſmatici dicuntur, ut qui adhuc ſint Eccleſiæ, admittere: eos autem qui ſunt in paraſynagogis, convenienti pœnitentia & converſione correctos, rurſus Eccleſiæ conjungere.*

3. Ex hæreticis tamen Novatianos excipit, & œconomiæ cauſa permittit eorum baptiſma, cum ad Eccleſiam veniunt, recipi. *Quoniam*, inquit epiſt. 1. *nonnullis Aſiaticis omninò viſum eſt, propter multorum œconomiam & diſpenſationem, eorum* (Novatianorum) *baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.*

4. Quantùm ad Encratitas attinet, quamvis non minùs quàm Novatiani in fide & nomine trium perſonarum SS. Trinitatis baptizarent, vult eos rebaptizari, niſi fortè tamen contrarium poſtulet univerſalis œconomia: tunc enim ſervandam eſſe cenſet locorum conſuetudinem, ut hæretici illi, cùm veniunt ad Eccleſiam, rebaptizentur, ubi mos eſt eos rebaptizandi; ſecùs verò, ubi non eſt talis mos. *Exiſtimo ergo*, inquit epiſt. 1. *quòd quoniam nihil eſt de his* (Encratitis) *apertè dictum, oportet nos eorum baptiſmum abrogare; & ſi quis ab eis acceperit, eum ad Eccleſiam accedentem baptizare. Quod ſi hoc univerſali œconomia ſit impedimento futurum, rurſus conſuetudine utendum eſt, & ſequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent providerunt.* Ubi autem recipientur cum ſuo baptiſmo, omninò vult eos priùs ungi chriſmate, quàm admittantur ad participationem Euchariſtiæ. *Omni*, inquit, *ratione ſtatuatur, ut qui ex illorum baptiſmo accedunt, ungantur in fidelibus, & ſic ad myſteria accedant.*

5. Denique Encratitas, Saccophoros, & Apotactitas, quamvis in forma Eccleſiæ & fide SS. Trinitatis baptizatos, rebaptizabat ob unam & eandem rationem, quòd nempe eorum hæreſis eſſet veluti germen Marcioniſtarum, unde erroneè colligebat eos verum baptiſmum habere non poſſe, & iis in Eccleſiis, puta Romana, in quibus probibita fuerat hæc rebaptizatio, prohibitam tantùm fuiſſe œconomiæ gratia. *Nos*, inquit ep. 2. can. 47. *una ratione eos rebaptizamus: ſi autem prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & à Romanis, alicujus œconomia gratia, noſtra tamen ratio vires obtineat, quandoquidem eſt veluti Marcioniſtarum germen eorum hæreſis.*

Graviter porrò hallucinabatur Baſilius, exiſtimando, eorum qui ab hæreticis in forma Eccleſiæ rebaptizati fuiſſent, rebaptizationem olim à Stephano ſummo Pontifice prohibitam tantùm fuiſſe alicujus œconomiæ gratia. Simili errore tenebatur circa Nicænam Synodum, putando illam œconomiæ gratia tantùm Novatianos ſine rebaptizatione in Eccleſiam admittere. Sic autem errabat circa utrumque, quia non advertebat tantam eſſe baptiſmi neceſſitatem, ut nullius œconomiæ gratia poſſit ſcienter omitti, adeoque ut nullius œconomiæ gratia quis non baptizatus, ſine baptiſmo; aut invalidè baptizatus, ſine iteratione baptiſmi in Eccleſiam ſcienter admitti poſſit. Hoc verò intelligens univerſa Eccleſia, Novatianos non alicujus œconomiæ gratia, ſed quia in forma Eccleſiæ baptizabantur, ſine rebaptizatione à Synodo Nicæna receptos, & è contra Paulianiſtas, quia non ſic baptizabantur, rebaptizari juſſos eſſe intellexit, atque ita intellexit baptiſmum etiam ab hæreticis in forma Eccleſiæ collatum valere, & conſequenter ad valorem ſacramenti nec ſanctitatem nec fidem requiri in miniſtro.

Obj. 5. S. Ambroſium lib. *de iis qui myſteriis initiantur*, c. 4. *Tunc* (in piſcina natatoria) *curabatur unus; nunc omnes*, inquit, *ſanantur* (per baptiſmum) *aut certè unus ſolus populus chriſtianus. Eſt enim in aliquibus & aqua mendax, non ſanat baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit. R.* S. Doctorem agere de adultis baptizandis, & dicere adultos, qui apud hæreticos baptizantur, baptiſmate, quod ab hæreticis ſuſcipiunt, non mundari, ſed inquinari; quia hæreticis, a quibus illud ſuſcipiunt, in hæreſi conſentientes, cum prava diſpoſitione, adeoque ſacrilegè ſuſcipiunt illud.

Obj. 6. S. Optatum Milevitanum epiſcopum lib. 1. contra Parmenianum Donatiſtam, ubi ſchiſmaticorum quidem baptiſmum recipit ut validum; baptiſmum verò hæreticorum ut irritum repudiat. *Reſp.* S. Optatum non omnes promiſcuè hæreticos intelligere, ſed Praxeanos, Sabellianos, Valentinianos, & alios hujuſmodi, qui baptiſmi ritum à Chriſto inſtitutum corruperant; unde baptiſmum, qualem conferebant, ut irritum rejicit.

Audiamus illum. *Hæretici*, inquit, *veritatis exules, ſani & veriſſimi Symboli deſertores de ſinu Eccleſiæ ſancta, impiis ſenſibus depravati, contempto quod bene fuerant geniti* (in Eccleſia per veri baptiſmi ſuſceptionem) (*ut ignorantes & rudes deciperent, de ſe naſci voluerunt* (varia & falſa baptiſmata comminiſcendo.) Nam paulò poſt ſic proſequitur: *Vides ergo hæreticos à domo veritatis exterres, ſolos habere varia & falſa baptiſmata ... Bene clauſiſti hortum hæreticis: bene revocaſti claves ad Petrum ... bene ſubduxiſti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem. Vobis verò ſchiſmaticis, quamvis catholici non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia nobiſcum vera & communia ſacramenta traxiſtis;* quia eundem, quem nos, in miniſtrandis ſacramentis ritum exteruum, hoc eſt, ritum à Chriſto inſtitutum uſurpatis. Optatus itaque recipit baptiſma purorum ſchiſmaticorum, quia illud eodem ritu; rejicit baptiſma hæreticorum, qui illud alio ritu, quàm catholica Eccleſia, conferebant.

§. VII.

Solvuntur objectiones petitæ ex canonibus.

OBj. 1. canonem apoſtolicum 45. quo dicitur: *Epiſcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptiſmum, vel ſacrificium admiſerit, deponi jubemus.* Et 46. quo dicitur: *Epiſcopus vel presbyter, eum qui verè habet baptiſmum, ſi de integro baptizaverit, vel ſi eum qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur. R.* Qui hoſce canones eſſe verè apoſtolicos autumant, dicunt illos loqui non de omnibus hæreticis, ſed de iis tantùm, qui corrumpebant formam baptiſmi; puta de iis, qui baptizabant in nomine trium principii expertium, vel trium Filiorum, vel trium Paracletorum, de quibus can. 48. Qui verò canones illos, quos Apoſtolicos inſcripſit collector illorum græcus, contendunt Apoſtolis perperam ſuppoſitos fuiſſe, dicunt citatos canones in aliqua rebaptiſantium Synodo fuiſſe fabricatos.

Secundam porrò reſponſionem priori facilè anteponimus: nam gratis dicuntur citati canones loqui de aliquibus hæreticis, de iis ſcilicet, qui non baptizabant in forma Eccleſiæ: generaliter enim loquuntur: *Qui hæreticorum baptiſmum admiſerit; ſi eum qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit.* Præterea, can. 45. ſubjiciunt hæc Apoſtoli verba 1. Cor. c. 6.

c. 6. Quæ eſt enim Chriſti conventio cum Belial? vel quæ pars eſt fideli cum infideli? Qua additione nullitas baptiſmi ab hæreticis collati attribuitur non defectui formæ legitimæ, ſed indignitati miniſtri: perinde enim eſt, ac ſi diceretur? Nullus eſt baptiſmus ab hæreticis collatus, quia nulla poteſt Chriſti ſocietas eſſe cum hæreticis, nilque poteſt eſſe commune fidelibus cum infidelibus. Dicendum igitur videtur, citatos canones poſt annum 250. in aliqua Orientalium rebaptizantium Synodo contra doctrinam & traditionem apoſtolicam editos fuiſſe.

Obj. 2. canonem 19. Synodi Nicænæ, quo dicitur: *Si quis confugit ad Eccleſiam catholicam de Paulianiſtis & Cataphrygis, ſtatutum eſt rebaptizari eos omninò debere.* Atqui Cataphryges ſeu Montaniſtæ baptizabant in forma Eccleſiæ, ſeu in nomine Patris, & Filii, &c. etiam tempore Nicænæ Synodi, ut teſtis eſt S. Athanaſius loco citato §. 6. Ergo Synodus Nicæna damnavit baptiſmum hæreticorum, etiam in forma Eccleſiæ collatum.

R. 1. neg. quòd Synodus Nicæna damnaverit baptiſmum Montaniſtarum, nam quoad hoc, horum & Novatianorum eadem fuit conditio; ſicut enim Novatiani, ita Montaniſtæ rectam Trinitatis fidem tenuerunt, & cum expreſſa trium perſonarum invocatione baptizarunt. Unde ſi Nicænum Concilium damnavit Montaniſtarum baptiſma, non potuit non damnare baptiſma Novatianorum: quod cùm non damnaverit, imò verò approbaverit, Novatianos ſine rebaptizatione recipiendo, dici debet conſequenter, non modò non damnaſſe, ſed è contra tacitè approbaſſe baptiſma Montaniſtarum, ſicut & aliorum omnium hæreticorum, qui baptizant in forma Eccleſiæ.

R. itaque 2. hanc citati canonis lectionem eſſe Iſidori Mercatoris, & in eam irrepſiſſe hanc vocem, *Cataphrygis*, & ab ipſo fortaſſe Iſidoro inſertam fuiſſe: nam non invenitur in græco canone, nec in verſione Dionyſii Exigui, quæ ſic habet: *De Paulianiſtis ad Eccleſiam catholicam confugientibus definitio prolata eſt, ut rebaptizentur omnimodis.* Præterea, Innocentius I. in epiſt. ad epiſcopos Macedoniæ loquens de hæreticis, quos rebaptizari juſſit Synodus Nicæna, meminit ſolorum Paulianiſtarum, & ut rebaptizarentur, à Synodo ſtatutum eſſe dicit, eò quòd à ſuis non eſſent baptizati in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; quæ ratio certè non valebat pro Cataphrygis, qui proinde perperam in canone Paulianiſtis ab aliquo interpolatore additi ſunt.

Obj. 3. Laodiceni Concilii canone 8. quo dicitur: *De his qui convertuntur ab hæreſi, quæ dicitur Cataphrygarum ... hos ſub omni diligentia ab epiſcopis Eccleſiæ vel presbyteris inſtrui & baptizari conveniet.* Item can. 7. Concilii Conſtantinopolitani, in quo dicitur, rebaptizari *Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur, & Montaniſtas, qui dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem eſſe Patrem, & Filium opinantur, utrumque ſimul confundentes, & alia gravia & indigna faciunt.* *R.* Montaniſtas tempore Laodicenæ Synodi, quam poſt annum 360. celebratam fuiſſe ſupponimus, in Sabellianiſmum prolapſos, formam baptiſmi depravaſſe, ideoque à Synodo Laodicena juſſos rebaptizari. Bonitas reſponſionis appatet ex eo quòd Synodus eadem Novatianos & Quartadecimanos, qui in forma Eccleſiæ apud ſuos baptizabantur, admittat can. 7. ſine rebaptizatione. Ex his patet reſponſio ad can. 7. Synodi 2. ſi tamen verè illius eſt: nam neque in Dionyſii, neque in Iſidori compilatione extat, ſed tantùm in editione Theodori Balſamonis, & lib. Synod. Conſtitutionum.

ARTICULUS V.

Utrùm miniſter conferens ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, peccet mortaliter.

Responsio.

Sacramentum miniſtrans ex officio, ſeu tanquam miniſter ad id conſecratus, aut ab Eccleſia ſpecialiter deputatus, per ſe loquendo peccat mortaliter, ſi miniſtret in ſtatu peccati mortalis.

Ita S. Thomas hic q. 64. art. 6. in O. ubi ſic ait: *Dictum eſt conveniens eſſe ut ſacramentorum miniſtri ſint juſti: quia miniſtri debent Domino conformari, ſecundùm illud Levit.* 19. Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum ..., *Et ideò non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe miniſtros Dei & Eccleſiæ in diſpenſatione ſacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei & contaminationem ſacramentorum, quantùm eſt ex parte ipſius peccatoris (licèt ſacramenta ſecundùm ſe ipſa incontaminabilia ſint) conſequens eſt, quòd tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.*

Prob. præterea 1. ex S. Auguſtino lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani c. 10. ubi dicit, *omnia ſacramenta obeſſe indignè tractantibus: prodeſſe tamen per eos dignè ſuſcipientibus.* At qui miniſtrat ſacramentum cum conſcientia peccati mortalis, ſacramentum indignè tractat. 2. Ex Gregorio Magno cap. *Neceſſe eſt* 1. q. 1. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat.* 3. Ex Gregorio IX. cap. *Quæſitum*, extra de temporibus ordinationum, ubi reſpondet, ſacerdotes & clericos alios criminoſos occultos, *ſi non pœnituerit, monendos eſſe, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ut in teſtimonium ſuæ damnationis, in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent.* Non ſolent autem homines ſub interminatione divini judicii admoneri, ne faciant aliquid, niſi quia ſine culpa gravi, adeoque ſine damnationis æternæ reatu illud facere non poſſunt. Quare idem Gregorius cap. *Quæſitum* extra de cohabit. cleric. &c. dicit clericum *quemlibet pro mortali peccato quod ſe ipſum eſſe ſuſpenſum:* quamvis quantùm ad alios non ſit ſuſpenſus, niſi peccatum ejus notorium ſit. Atqui ſuſpenſus non poteſt miniſtrare ſacramentum, quin mortaliter peccet, adeoque incurrat reatum æternæ damnationis.

Ratio autem eſt, 1. quia ſacramenta moraliter continent merita & ſanguinem Chriſti: unde ſunt res ſummæ cujuſdam dignitatis & excellentiæ, ac eximio quodam modo ſanctæ. At res hujuſmodi tractari ab homine in ſtatu peccati mortalis exiſtente, graviter indecorum eſt. 2. Qui miniſtrat ſacramentum, merita & ſanguinem Chriſti diſpenſat. At merita & ſanguinem Chriſti diſpenſare, ſine gravi irreverentia non poteſt homo reus peccati, quo *Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus* (fuerat) *& Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.*

3. Qui miniſtrat ſacramentum, Chriſtum immediatè repræſentat, & ejus perſonam ſuſtinet. Atqui homo mortalis peccati reus, non poteſt hoc præſumere ſine gravi injuria Chriſti: ſic enim Chriſtum repræſentari, & perſonam ejus agi, in perficienda præſertim hominum ſanctificatione, ab homine inimico Dei & mancipio diaboli, gravis eſt indecentia, in ipſum Chriſtum aliquo modo redundans.

4. Miniſter in ſacramenti perfectione fit cum Chriſto unum agens totale; & actio, qua perficitur ſacramentum, eſt ſimul & indiviſibiliter actio Chriſti & miniſtri. Atqui dignitas Chriſti graviter læditur per hoc quòd fiat unum agens cum homine impio, liberè ad id ſeſe ingerente; ſic ut una ſit actio hominis impii & Chriſti, qua Chriſtus per illum velut inſtrumentum ſuum operatur ut cauſa particularis, ſanctificationem ſuſcipientis ſacramentum. Unde dignitas & ſanctitas Chriſti graviter exigunt ſtatum gratiæ in homine ſic intimè conjuncto cum Chriſto, & hanc inti-

Digitized by Google

intimam hominis cum Chriſto conjunctionem, homini liberam, ſtatu a peccati graviter decet in homine, qui tali conjunctione fit cum Chriſto una cauſa particularis ſanctificans.

Hæ porrò rationes valent potiſſimùm pro eo, qui ſacramentum miniſtrat ex officio: nam qui voluntariè ad munus aliquod conſecratur, ſeu, quod idem eſt, qui per voluntariam ſacramenti ſuſceptionem mancipat ſe alicui muneri, hoc ipſo ſpecialem contrahit obligationem munus illud decenter obeundi, præſertim cùm in ſacramento, quo conſecratur, accipiat jus ad auxilia, pro loco & tempore, niſi ſe illius indignum reddat, conferenda, quibus excitabitur & adjuvabitur ad decentem muneris executionem. Propter conſecrationem igitur major eſt obligatio in miniſtro ſacramenta miniſtrandi in ſtatu gratiæ. Idem dic, etiamſi miniſter ſit tantùm ab Eccleſia deputatus ad miniſtrandum ſacramentum; ſpecialem enim ſuſcipit in ſe obligationem ſacramentum decenter miniſtrandi, hoc ipſo quòd ſpecialem Eccleſiæ deputationem liberè ſuſcipit, ut per ſe clarum eſt.

In reſponſione autem dixi, 1. Aut ſpecialiter ab Eccleſia deputatus; quia multi volunt, reſpectu baptiſmi, non eſſe in miniſtro ſpecialem conſecrationem, ſed ſolùm deputationem; & dicunt eum cenſeri ab Eccleſia ſpecialiter deputatum ad baptizandum, qui ſolemni ritu baptizat.

Dixi 2. Per ſe loquendo; quia miniſter in ſtatu peccati mortalis ſacramentum miniſtrans ex officio, per accidens excuſari poteſt à culpa, & excuſatur, 1. propter invincibilem ignorantiam ſui ſtatus. 2. Propter repentinam, quam prævidere non potuit, neceſſitatem ita urgentem, ut non relinquatur ei ſpatium procurandæ contritionis; ut ſi adultus moribundus ſit abſolvendus, vel baptizandus infans morti proximus: nam in hypotheſi repentinæ hujus neceſſitatis, quam prævidere non potuit, eſt omninò involuntariè perplexus. Sed qui ſic perplexus eſt, ex duobus malis eligendo & faciendo minus, non peccat imputabiliter. Minus autem malum eſt, ſacramentum miniſtrare in ſtatu peccati, quàm illud non conferre homini, cujus æterna ſalus proximè periclitatur. Et tunc minùs urget præceptum reverentiæ debitæ ſacramento, quam charitatis præceptum ſubveniendi proximo, verſanti in extremo, vel ſaltem graviſſimo æternæ ſalutis periculo.

Dixi porrò, Quam prævidere non potuit: nam ſi potuit, & ita debuit repentinam illam & urgentem neceſſitatem prævidere, miniſtrando ſacramentum in ſtatu peccati, peccat imputabiliter; quamvis minùs graviter, quàm ſi non miniſtraret; quia in caſu propoſito præceptum ſubveniendi proximo graviùs obligat, quàm præceptum reverentiæ ſacramento debitæ.

At inquies. Tunc miniſter perplexus eſt, & quod minus malum eſt, eligit. *R.* tunc miniſtrum voluntariè perplexum eſſe. At voluntaria perplexitas non excuſat: unde tunc ſolùm minùs peccat, quod minùs malum eſt eligendo.

At inquies. Ergo tunc miniſter neceſſariò peccat imputabiliter. *R.* illum imputabiliter peccare neceſſario neceſſitate conſequenti & volita. Sic autem ſæpe peccant homines, ut patet ex peccatis ignorantiæ.

Quæres 1. utrùm ſacerdos vel diaconus in peccato mortali, non ſolemniter, ſed privatim baptizans infantem moribundum, peccet mortaliter: ratio enim dubitandi eſſe videtur, quia ſacerdos (idem à fortiori dic de diacono) non eſt ſpecialiter conſecratus ad baptizandum, nec in caſu propoſito baptizat ut ſpecialiter deputatus ab Eccleſia.

Reſp. Sacerdotem (idem dic de diacono) infantem moribundum privatim baptizantem in ſtatu mortalis peccati, per ſe loquendo peccare mortaliter: nam rationes allatæ totam vim ſuam obtinent, ſive ſolemniter, ſive non ſolemniter, ſive publicè, ſive privatim ſacramentum miniſtret ſacerdos, ut illas maturè expendenti facilè patebit. Ad rationem autem dubitandi *Reſp.* ex eo quòd ſacerdos non ſit ſpecialiter conſecratus ad baptizandum, nec baptiſmum, cum privatim illum confert ob urgentem neceſſitatem, conferat ut ſpecialiter deputatus ab Eccleſia; ſequi tantùm, quòd non tam graviter peccet.

Dices. De ſacerdote vel diacono idem planè ſentiendum videtur in caſu propoſito, quod de laico. Atqui laicus privatim ob urgentem neceſſitatem baptizans infantem in ſtatu peccati mortalis, non peccat mortaliter. Ergo, &c. *R.* neg. min. & dico illum mortaliter peccare, niſi per accidens excuſetur, ut dictum eſt de eo qui ſacramentum miniſtrat ex officio. Rationes enim allatæ valent etiam pro laico illo. Et verò laicus ille verè miniſter eſt ſacramenti, & tam verè miniſter eſt ſacramenti, quàm ſacerdos ſolemniter baptizans: unde tam verè diſpenſat merita & ſanguinem Chriſti, tam immediatè Chriſtum repræſentat, ejuſque perſonam ſuſtinet; tam fit cum Chriſto una cauſa particularis totalis ſanctificationis, quæ confertur per ſacramentum. Quæ omnia videntur in illo graviter exigere ſtatum gratiæ, ne ſacramenti & Chriſti dignitatem ac ſanctitatem graviter lædat.

Oppoſitum tamen non ſolùm pro laico, ſed etiam pro ſacerdote in caſu propoſito docet S. Thomas art. citato ad 3. ubi ſic ait: *In articulo tamen neceſſitatis non peccaret* (ſacerdos aut diaconus) *baptizando, in caſu in quo etiam laicus poſſet baptizare: ſic enim patet, quòd non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti*. Sed minimè convincit S. Doctoris ratio nempe quòd ſacerdos privatim baptizans ob urgentem neceſſitatem, non agat ut miniſter Eccleſiæ: nam adhuc agit ut miniſter Chriſti, & perſonam ipſius ſuſtinet, quod planè ſufficit ad hoc ut peccet mortaliter, miniſtrando in ſtatu peccati mortalis; quamvis graviùs peccaret, ſi ageret etiam ut miniſter Eccleſiæ, propter ſpecialem obligationem, quam ut talis habet, munus quo fungitur nomine Eccleſiæ, ſanctè obeundi.

At inquies. Sacerdos in caſu propoſito ſubvenit neceſſitatem patienti. *R.* ſubvenire per miniſtrationem ſacramenti graviter irreverentem, & ſic ſubveniendo peccare mortaliter, niſi tamen per accidens excuſetur, ut dictum eſt.

Ex dictis hactenùs manifeſtum eſt, quòd miniſter ſacramenti, qui peccati mortalis à ſe admiſſi ſibi conſcius eſt, teneatur ſibi procurare ſtatum gratiæ, antequam miniſtret; non tenetur tamen confeſſionem præmittere; ſed ſatis eſt, ſi eliciat actum perfectæ contritionis: unde ſi cum contritione perfecta exiſtimata tantùm, licèt per eam non juſtificetur, miniſtret, non peccat imputabiliter, ſed materialiter tantùm, modò bona fide exiſtimet ſe perfectè contritum.

Hic porrò excipienda eſt conſecratio Euchariſtiæ in Miſſa: cùm enim ſacerdos Miſſam celebrans teneatur communicare, ex ſpeciali Eccleſiæ præcepto, ad confeſſionem celebrationi Miſſæ præmittendam obligatur, ſi eſt in ſtatu peccati mortalis; niſi tamen deſit copia ſacerdotis cui confiteatur, & inſtet celebrandi neceſſitas: tunc enim non tenetur niſi ad eliciendum actum contritionis perfectæ, antequam celebret, & ad quàm primùm poterit poſt celebrationem confitendum; ita ut poſtea peccet mortaliter contra præceptum Eccleſiæ, ſi ubi primùm aderit copia confeſſarii, ſine gravi aliqua cauſa non ſtatim moraliter loquendo confiteatur.

Patet ex Tridentino ſeſſ. 13. can. 11. in quo dicitur: *Statuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem*. Et cap. 7. ubi dicitur: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus* (Apoſtoli) *præceptum*: Probet ſe ipſum homo. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis*

talis

talis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat; quod à chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia confeſſoris. Quòd ſi neceſſitate urgente, ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur. Hæc autem ultima verba, *Quamprimùm confiteatur*, non merum conſilium, ſed præceptum continere videntur, & quidem grave, quale poſtulat ſacramenti ſanctitas, ne reverentiæ ſacramento debitæ negligens ſacerdos, prætermiſſa confitendi, quæ primùm occurrit, opportunitate, veniat in periculum iterùm celebrandi in peccato mortali, & ſacrilegè communicandi.

Quæres 2. utrùm ſacerdos diſtribuens Euchariſtiam, ante conſecratam, peccet mortaliter, ſi id faciat in ſtatu peccati mortalis.

R. affirmativè: Sacerdos enim diſpenſando Euchariſtiam, immediatè repræſentat Chriſtum (cujus eſt oves ſuas propria carne & ſanguine ſuo paſcere) ejuſque perſonam ſuſtinet in munere ſanctiſſimo, ad quod ſpecialiter conſecratus eſt: unde munus illud exercendo cum reatu mortalis peccati, gravem admittit irreverentiam, gravemque facit Chriſto injuriam. Quare peccat mortaliter toties, quot ſunt diverſæ perſonæ quibus diſtribuit, quia tot ſunt diſtributiones numero diverſæ, adeoque tot actus muneris illius auguſtiſſimi numero diverſi. Quòd ſi uni plures hoſtias ſimul daret, non tot numero peccata admitteret, quot eſſent hoſtiæ, ſed unum tantùm, quia una tantùm eſſet diſtributio.

Quæres 3. utrùm ſacerdos ſibi conſcius mortalis peccati, peccet mortaliter, elevando hoſtiam, & cum ea benedicendo populum? Ratio dubitandi eſt, quia tunc ſacerdos non diſpenſat merita & ſanguinem Chriſti, nec ipſum immediatè repræſentat, & aliunde actio illa non videtur eſſe tam ſancta, ut in eo, à quo fit, graviter exigat ſtatum gratiæ.

Reſpondetur à pleriſque negativè, propter rationes allatas. Cui reſponſioni videtur contradicere Gregorius IX. locis ſupra citatis, cap. ſcilicet ultimo, extra de tempor. ord. &c. ubi interrogatus de ſacerdotibus, & aliis clericis, qui per mortale aliquod peccatum bonum conſcientiæ rectæ perdiderunt, reſpondet non eſſe quidem amovendos ab officio, ſi oculta ſunt eorum crimina; at monendos eſſe, niſi pœnituerint, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ut in ſuſceptis Ordinibus non miniſtrent. Et cap. ultimo, extra de cohabit. cleric. &c. de clericis in fornicationem prolapſis interrogatus, an eorum ſit officium priuſquàm pœnituerint audiendum, reſpondet eos quidem non debere in officiis evitari, niſi eorum peccatum ſit notorium; at quemlibet illorum pro peccato mortali quoad ſe ipſum eſſe ſuſpenſum ab officio.

Ex his autem ſic argumentari licet. 1. Sacerdos mortalis peccati ſibi conſcius, peccat mortaliter miniſtrando in ordine ſuo: nam ſi non peccaret mortaliter, quare ſub interminatione divini judicii monendus & obteſtandus eſſet, ne ſine præmiſſa pœnitentia miniſtraret? Atqui ſacerdos in caſu propoſito miniſtrat in ſuo ordine, & miniſtrat cum conſcientia peccati mortalis. Ergo, &c.

2. Sacerdos quoad ſe ipſum ſuſpenſus ab officio, & nihilominùs in officio miniſtrans, peccat mortaliter, niſi excuſetur per levitatem materiæ. Atqui in caſu propoſito ſacerdos quoad ſe ipſum ſuſpenſus eſt ab officio, in quo tamen miniſtrat; nec videtur levis eſſe materia actus quem exercet: ſolemniter enim cum hoſtia populum benedicere, videtur eſſe aliquid grave inter actus religionis noſtræ. Ergo, &c.

Ratio hæc addi poteſt, quòd gravis ſit indecentia in eo, quòd actus ille ſolemniter benedicendi populum cum hoſtia, exerceatur ab eo, qui inimicus Chriſti, eique abominatus eſt; qualis indecentia non reperitur in eo, quòd ſacerdos, mortalis peccati reus hoſtiam ex uno loco in alium opportuniorem tranſferat, vel humi jacentem elevet, ut illam deponat in loco decenti.

Ad id quod dicitur, ſacerdotem in caſu propoſito non diſpenſare merita & ſanginem Chriſti, nec Chriſtum repræſentare, reſponderi poteſt, 1. illum in re gravi & valdè ſancta ſaltem exhibere ſe miniſtrum Eccleſiæ; & Eccleſiæ ſanctitatem in hoc caſu graviter exigere ſtatum gratiæ in eo qui illam repræſentat, & perſonam illius ſuſtinet. 2. Ex eo quòd ſacerdos in caſu propoſito non diſpenſat merita & ſanguinem Chriſti, nec ipſum repræſentat, ſequi tantùm quòd non tam graviter peccet; quamvis adhuc admittat irreverentiam ad peccatum lethale ſufficientem.

Quæres 4. Utrùm diaconi peccent mortaliter, cùm ſolemniter exercent ſuum ordinem in peccato mortali?

R. Affirmativè, cum Toleto lib. 1. inſtructionis ſacerdotum c. 91. & cum aliis pluribus. *Et prob.* 1. ex S. Thoma in 4. diſt. 24. queſt. 1. art. 3. ad quæſtiunc. 5. ubi ſic loquitur: *Lex* (naturalis) *præcipit ut homo juſtè ea quæ ſunt juſta exequatur; & ideò quicumque homo quod ſibi competit ex ordine, facit indignè, quod juſtum eſt, injuſtè exequitur, & contra præceptum legis* (naturalis) *facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium, quin indignè illud faciat; unde patet quòd mortaliter peccet.* Quòd autem S. Doctor hac voce, *Quicumque homo*, cum epiſcopis & presbyteris diaconos ſaltem intelligat, dubium eſſe non poteſt. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Gregorio IX. locis ſupra citatis, diaconi qui per mortale peccatum conſcientiæ rectæ bonum perdiderunt, monendi ſunt & obteſtandi, etiam ſub interminatione divini judicii, ut non miniſtrent in ſuo ordine, niſi priùs pœnituerint. Ergo niſi priùs pœnituerint, miniſtrando in ſuo ordine, peccant mortaliter. Nec dic diaconos tunc tantùm admoneri poſſe ſub interminatione divini judicii, ne in ſuo ordine miniſtrent, quando eorum peccata ſunt publica: nam cùm Gregorius dicit clericos peccatores monendos eſſe, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ne, &c. loquitur de clericis, quorum crimina non ſunt notoria, adeoque de clericis quorum crimina ſunt occulta, ut obſervat Gloſſa. Quod confirmatur ex alio capite citato, ex quo ſic adhuc argumentor. Diaconi in ſtatu peccati exiſtentes, ſunt quoad ſe ipſos ſuſpenſi ab officio. Ergo officium ſuum exercendo ſolemniter, mortaliter peccant, niſi à mortali excuſet eos levitas materiæ. At levitas materiæ locum non habet in diaconorum officio, quod eſt proximè aſſiſtere puriſſimo altaris ſacramento.

Quæres 5. utrùm etiam ſubdiaconi, & ii qui in minoribus ordinibus ſunt conſtituti, peccent mortaliter, ſi actus ſuorum ordinum ſolemniter, & modo quo non licet laicis, exerceant cum conſcientia peccati mortalis?

Affirmativam ſententiam videtur tenuiſſe S. Thomas loco proximè citato, cùm generaliter dicit; *Quicumque cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium, quin indignè illud faciat, unde patet quòd mortaliter peccet.* Principium autem ejus generale pro omnibus indiſcriminatim ordinibus videtur eſſe, quòd nemo cum peccati mortalis conſcientia poſſit exhibere ſe miniſtrum Eccleſiæ in actu ad ſuſceptum ab eo ordinem pertinente, quin peccet mortaliter: nam ſic loco citato ad 4. reſpondet: *Dicendum quod quandocumque* (clericus) *exhibet ſe in aliquo actu ut miniſtrum Eccleſiæ* (cum peccato mortali) *mortaliter peccat.* Sed ſubdiaconi, & ii qui in minoribus ordinibus ſunt conſtituti, toties exhibent ſe ut miniſtros Eccleſiæ in actibus ad ſuſceptos ab eis ordines pertinentibus, quoties actus illos ſolemniter exercent. Ergo

ſolemni-

ſolemniter illos exercendo cum mortalis peccati conſcientia, peccant mortaliter. S. Thomæ favere videtur Gregorius IX. cap. *Quæſitum* de temp. ordin. &c. ubi de ſacerdotibus & aliis clericis peccatoribus generaliter & ſine exceptione loquitur, & dicit, ſub interminatione divini judicii obteſtandos eſſe, ut non in ſuſceptis ordinibus miniſtrent, niſi priùs pœnituerint.

Sed cùm longè probabilius ſit, quòd ſubdiaconi, & ii qui ad minores ordines promoventur, ad actus ſuorum ordinum ſolemniter exercendos non conſecrentur per ordinationem ſacramentalem, quod ſignum eſt actus illos etiam ut ſolemniter exercendos, non eſſe tanti momenti, ut ad decentem ſui executionem graviter exigant in miniſtro ſtatum gratiæ; adeoque non eſſe tanti momenti, ut miniſter ſine gravi irreverentia non poſſit eos exequi cum conſcientia mortalis peccati; jure merito ſententia illa ut durior, & ſufficienti fundamento deſtituta, communiter rejicitur à Theologis.

Ad quæſtionem igitur propoſitam, *R.* ſubdiaconos, & eos qui in minoribus ordinibus ſunt conſtituti, quando actus ſuorum ordinum ſolemniter exercent cum conſcientia peccati mortalis, peccare mortaliter, propter ſcandalum, ſi ſunt peccatores publici; ſi non ſunt, excuſari à mortali, niſi adſit contemptus. Ratio eſt, quia ad actus inferiorum Ordinum, & ſubdiaconatus, etiam ſolemniter exercendos, miniſtri non conſecrantur per ordinationem ſacramentalem: unde apertè colligitur, actus illos non eſſe tanti momenti, ut ſtatum gratiæ graviter exigant in miniſtro eos ſolemniter exercente; quare ſine gravi irreverentia ſolemniter exerceri poſſunt cum conſcientia peccati mortalis. Dico, ſine gravi irreverentia: nam non ſine aliqua irreverentia actus inferiorum ordinum & ſubdiaconatus ſolemniter exercentur in ſtatu peccati, & ita qui eos exercent in ſtatu peccati, peccant venialiter.

Authoritati S. Thomæ reſpondetur, ad hoc ut aliquis mortaliter peccet, in aliquo actu ad cultum divinum pertinente exhibendo ſe miniſtrum Eccleſiæ, requiri ut actus ille ad decentem ſui executionem graviter exigat ſtatum gratiæ in eo qui illum exequitur ut miniſter Eccleſiæ. Tales autem non ſunt actus inferiorum Ordinum & ſubdiaconatus, quos eſſe ſacramenta, parùm probabiliter ſupponit S. Doctor. Authoritati verò Gregorii IX. reſpondetur, eum eſſe intelligendum de ſacerdotibus, & aliis clericis promotis ad ſacros Ordines, ad quorum actus ſolemniter exercendos per ordinationem ſacramentalem conſecrantur miniſtri, quibus confertur gratia ſanctificans, ut actus illos decenter ac dignè valeant ſic exercere: unde rectè colligitur actuum illorum ut ſolemniter exercendorum talem eſſe dignitatem & excellentiam, ut ſtatum gratiæ graviter requirant in miniſtro, qui proinde graviter peccat, ſolemniter eos exercendo cum mortalis peccati conſcientia.

Quæres 6. utrùm miniſter mortaliter peccet, concionando in ſtatu peccati mortalis?

S. Thomas in 4. diſt. 19. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. ad 4. reſpondet affirmativè, etiam pro miniſtro, cujus peccatum eſt occultum. Alii verò communiter Scholaſtici reſpondent cum diſtinctione: nam vel eſt notorius peccator, vel occultus. Si primum, dicunt eum peccare mortaliter, propter ſcandalum: ut enim dicit S. Thomas loco citato, quantùm in ſe eſt, verbi divini quod prædicat, impedit finem, qui eſt *ut ad vitam æternam homo perveniat: quia ore ſe profitetur noſſe Deum, factis autem negat*. Si ſecundum, negant eum mortaliter peccare. Quod verum eſſe videtur de ſimplici ſacerdote (idem dic à fortiori de diacono & ſubdiacono.) Simplex enim ſacerdos per ordinationem ſuam non conſecratur ſpecialiter ad munus concionandi, ſed ſolùm ad illud ab Eccleſia deputatur; unde munus concionandi non videtur in ſimplici ſacerdote graviter exigere ſtatum gratiæ, ſeu dignitatem illam, quæ ex gratia ſanctificante oritur. Quare ſi abſit contemptus, & adſit recta intentio cum debita externa reverentia, non videtur ſimplex ſacerdos peccare mortaliter, concionando cum conſcientia peccati mortalis.

Major eſt difficultas de Epiſcopo: quia per ordinationem epiſcopalem ſpecialiter conſecratur ad munus concionandi: ſpecialiter enim conſecratur ad munus paſcendi, ad quod pertinet non ſolùm miniſtratio ſacramentorum, ſed etiam verbi divini prædicatio: unde non ſolùm miniſtrando ſacramenta, ſed etiam gregem ſuum docendo, exhibet ſe miniſtrum Chriſti ſupremi animarum paſtoris, eumque immediatè repræſentat, & perſonam ejus ſuſtinet: quare videtur gravem injuriam facere Chriſto, gregem ſuum docendo in ſtatu peccati; ſicut gravem illi faceret injuriam, in ſtatu peccati ſacramenta miniſtrando. Hinc ut gregem ſuum paſcendi, hoc eſt, non ſolùm ſacramenta miniſtrandi, ſed etiam docendi munus exequatur, & exequendo perſonam Chriſti ſuſtineat decenter & dignè, gratiam ſanctificantem accipit in ordinatione ſua.

Quæres 7. utrùm miniſter peccet mortaliter, cùm in peccato mortali perficit ſacramentalia, qualia ſunt chriſma, benedictio olei infirmorum, conſecratio templi vel calicis, benedictio aquæ luſtralis, &c.

R. Epiſcopus peccat mortaliter, conficiendo chriſma, & benedicendo oleum infirmorum cum conſcientia peccati mortalis. Nam 1. Epiſcopus per ordinationem ſuam ſpecialiter conſecratur ad utramque illam actionem: unde in utraque illa actione exhibet ſe miniſtrum Chriſti, ejuſque perſonam immediatè ſuſtinet, cui proinde gravem infert injuriam, actiones illas exercendo in ſtatu peccati: graviter enim lædit ejus dignitatem & ſanctitatem. 2. Epiſcopus in ordinatione ſua accipit gratiam ſanctificantem, ut actiones illas dignè & decenter exerceat: accipit enim miniſter quilibet in ordinatione ſacramentali gratiam ſanctificantem ad dignè & decenter exequendum id omne, ad quod ſpecialiter conſecratur per ordinationem illam. Ergo non poteſt Epiſcopus actiones illas dignè & decenter exercere ſine ſtatu gratiæ. Ergo exercendo illas in ſtatu peccati, indecenter & indignè exercet illas, adeoque mortaliter peccat. Quod confirmatur ex eo, quòd actiones illæ ſpecialem habeant excellentiam: per illas enim conficitur materia ſacramentorum Confirmationis & Extremæ-unctionis.

Quantùm autem attinet ad reliqua ſacramentalia, cùm ſint tantùm inſtitutiones eccleſiaſticæ, & Epiſcopus ea conficiendo exhibeat ſe tantùm miniſtrum Eccleſiæ, non videntur ſtatum gratiæ graviter exigere in eo à quo conficiuntur: unde qui ea conficit in ſtatu peccati, non videtur peccare, niſi venialiter, modò tamen abſit contemptus, & omnia reverenter exequatur miniſter.

ARTICULUS VI.

Utrùm liceat petere & accipere ſacramenta à malo miniſtro.

NOta. Difficultas eſſe tantùm poteſt de miniſtris, quos moraliter certum eſt, peccaturos adminiſtrando ſacramenta, quæ ab illis accipientur: tandiu enim quilibet poteſt & debet præſumi bonus, quandiu non conſtat eſſe malum; & ita tandiu miniſter quilibet poteſt & debet præſumi dignè miniſtraturus eſſe ſacramenta, quandiu non conſtat eſſe indignè miniſtraturum: quare licitè poſſum ſacramenta petere & accipere ab omni miniſtro, quem moraliter certus non ſum, peccaturum eſſe miniſtrando. Ad hanc autem moralem certitudinem non ſufficit, quòd ſciam eum recens mortale aliquod admiſiſſe: nam poſſum adhuc præſumere, illum, ſi præſertim ad miniſtranda ſacramenta ſeſe ſponte exponat, aut confeſſum eſſe, aut ſaltem contritionis actum elicuiſſe. At ſufficeret v. g. ſi ſcirem illum ſine ſalutes cura, alicujus gravis peccati conſuetudine teneri.

Quæ-

Quæſtio igitur propoſita intelligi debet de miniſtris malis, de quibus moraliter certum eſt, quòd peccaturi ſint miniſtrando ſacramenta. Sunt autem in triplici claſſe. Prima eſt eorum, qui peccaturi ſunt, quia præcisè ſunt in ſtatu peccati mortalis. Secunda eorum, qui peccaturi ſunt, quia per cenſuram aliquam graviter eis prohibitum eſt ne miniſtrent. Tertia eorum, qui peccaturi ſunt, quia carent juriſdictione neceſſaria ad ſacramentum validè conferendum.

Mali primæ & ſecundæ claſſis miniſtri, vel ſunt expoſiti, vel parati tantùm. Expoſiti dicuntur, qui v. g. ſedent in tribunali ad audiendas confeſſiones, vel Euchariſtiam diſtribuunt populo: parati verò, qui ſi rogarentur, ſtatim ſacramenta conferrent. Item inter eos alii ſunt, quibus ex officio incumbit miniſtrara ſacramenta, ut epiſcopi & parochi; alii verò, quibus non incumbit, qui nimirùm ſacramenta miniſtrant ex delegatione tantùm.

Præterea, inter ſecundæ claſſis miniſtros alii ſunt tolerati, & alii non tolerati. Tolerati ſeu noo vitandi dicuntur, quibuſcum in rebus ſacris communicare licet fidelibus; non tolerati verò ſeu vitandi dicuntur, quorum in ſacris communio fidelibus graviter prohibita eſt lege Eccleſiaſtica. Tales autem, poſt Extravagantem Martini V. in Conſtantienſi Synodo editam, jure communi cenſentur ii tantùm, qui ſunt nominatim excommunicati, & denunciati, vel ſuſpenſi ab officio, & nt tales declarati; vel denique clerici percuſſores notorii. In Gallia clericos percuſſores etiam notorios tolerari, quandiu non ſunt denunciati per ſententiam judicis declarantis illos in excommunicationem incidiſſe, ſcribunt recentiores aliqui; à quibus diſſentiunt alii in hac materia magis verſati, ut Cabaſſutius in Praxi Juris can. lib. 5. c. 11. n. 3. & Ludovicus de Hericourt, in lib. gallico de Legibus Eccleſiaſticis Galliæ, edito an. 1719. c. 22. num. 56. pag. 167. His præſuppoſitis ſit

Responsio I.

Accipere ſacramenta à malo miniſtro primæ claſſis, qui ſeſe ſponte exponit ad miniſtrandum, ſive ex officio miniſtret, ſive ex commiſſione tantùm, licitum eſt, ſecluſo ſcandalo.

Prob. ex Nicolao Papa cap. *Sciſcitantibus*, 15. q. 8. ubi ſaltem intelligendus eſt de hujuſmodi malis miniſtris, qui ſeſe ſponte exponunt ad miniſtrandum, & miniſtrant in peccato mortali. Sic autem loquitur: *Sciſcitantibus vobis* (Bulgaris) *ſi à ſacerdote, qui ſive deprehenſus in adulterio, ſive de hoc ſola fama reſperſus eſt, debeatis communionem ſuſcipere, nec ne, reſpondemus: Non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus ſit, ſacramenta divina polluere .... Proinde qualiſcumque ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt. Idcirco ab eo, uſqueque judicio epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt: quoniam mali, bona adminiſtrando, ſe tantummodo lædunt: & cerea fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis verò lumen in tenebris adminiſtrat: & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.*

Ratio autem eſt, quia 1. miniſter ille toleratus ab Eccleſia; unde nulla lege eccleſiaſtica prohibeor, ne ſacramentum ab illo accipiam. 2. Poſſet, ſi vellet, bene miniſtrare, eliciendo actum contritionis; cùm nulla cenſura prohibeatur miniſtrare. 3. Non induco illum ad peccandum: non enim peto ſacramentum ab illo, ſed ipſe ſponte ſua illud offert mihi. 4. Cenſeri non poſſum velle indirectè peccatum illius, dando illi occaſionem peccandi: ab illo enim accipiendo ſacramentum, quod offert, rem facio non modò de ſe licitam, ſed etiam honeſtiſſimam, & quidem ex gravi & rationabili cauſa, quæ eſt magna mea utilitas ſpiritualis, nec, ut ſupponitur, adeſt alius miniſter bonus, quem adire poſſim. Ergo nullatenus imputari poteſt mihi, quòd actio mea ſit ei peccandi occaſio per accidens, & propter ejus malitiam.

Responsio II.

A miniſtro malo primæ claſſis non expoſito, ſi ex officio teneatur mihi ſacramenta miniſtrare, ſive paratus ſit ad miniſtrandum, ſive non, licitè poſſum petere ſacramentum, niſi commode poſſim ab alio, qui ſine peccato daturus eſt, petere & accipere.

Ita Toletanus lib. 1. c. 92. num. 3. & ratio eſt, quia jus habeo ab eo petendi ſacramentum, quod jus non amitto propter ejus malitiam: unde ab eo ſacramentum petendo, utor jure meo. Præterea, peto ab eo, quod poteſt, ſi velit, ſine peccato præſtare. Quare ſi petitio mea futura eſt ei occaſio ruinæ, non per ſe, ſed per accidens; & propter ejus malitiam futura eſt, & erit ſcandalum, non datum, ſed acceptum, quod noo teneor impedire, non utendo jure meo, niſi tamen commodè poſſim ab alio, &c. quia præceptum charitatis obligat me ad impediendam proximi ruinam, cum id commodè poſſum.

Responsio III.

A malo miniſtro primæ claſſis, qui nec expoſitus eſt, nec ex officio tenetur miniſtrare, ſacramentum petere licitum eſt urgente mortis periculo: imò ſi paratus ſit ad miniſtrandum, videtur etiam licitum eſſe, cùm adeſt notabilis neceſſitas ſpiritualis.

Prob. 1. *pars*. Nam miniſtrum illum præceptum charitatis obligat ad ſubveniendum mihi in periculo mortis; adeoque tunc peto ab eo ſacramentum, quod tenetur mihi conferre; & inſuper poteſt, ſi velit, mihi conferre ſine peccato. Ergo ſi conferrendo peccet, illi, non mihi debet imputari. Hic autem ſupponitur non adeſſe alium miniſtrum, qui ſi rogetur, ſine peccato miniſtraturus ſit.

Prob. 2. *pars*. Quia petendo ſacramentum à miniſtro illo, rem facio non ſolùm de ſe licitam, ſed etiam honeſtam; & cùm adeſt notabilis neceſſitas ſpiritualis, non pecco, rem faciendo de ſe licitam & honeſtam, quæ alteri per accidens & propter ejus malitiam futura eſt peccandi occaſio: imò non pecco, etiamſi tantùm adſit neceſſitas temporalis. Sic v. g. pauper non peccat, petendo mutuum ab uſurario, quem ſcit non ſine uſura daturum, adeoque peccaturum dando. Ratio eſt, quia petitio mutui eſt actio de ſe licita, & habet rationabilem cauſam in paupere, etiam pro eo caſu, quo alteri propter ejus malitiam futura eſt occaſio peccati, quod proinde ſoli mutuanti cum uſura imputari debet, non verò pauperi, cui planè involuntarium cenſetur. Similiter petitio ſacramenti eſt actio de ſe licita & honeſta, & habet rationabilem cauſam, etiam pro eo caſu, quo malo miniſtro propter ejus malitiam futura eſt occaſio peccandi: tam enim rationabiliter poſſum permittere peccatum mali miniſtri, ut ſubveniam neceſſitati meæ ſpirituali, quam pauper, ut neceſſitati ſuæ temporali ſubveniat, poteſt rationabiliter permittere peccatum uſurarii.

Licitè igitur poſſum à malo miniſtro petere ſacramentum in caſu propoſito, ſi præceptum inſtat confitendi aut ſumendi Euchariſtiam tempore paſchali, ſi ſim in ſtatu peccati mortalis, ſi urgeat me gravis aliqua tentatio, quam non eſſe facilè ſuperandam judico, niſi per ſuſceptionem ſacramenti; quod præſertim verum eſt, ſi miniſter ille ſit paratus. Supponimus autem aut omninò non poſſe, aut ſaltem non ſine notabili incommodo poſſe adiri alium miniſtrum, qui ſine peccato ſit miniſtraturus. Porrò utrùm ſufficeret etiam notabilis aliqua utilitas ſpiritualis ad petendum licitè ſacramentum à malo miniſtro, qui nec expoſitus eſt, nec ex officio tenetur miniſtrare, ſed ad miniſtrandum paratus eſt, utrùm v. g. ſufficeret lucranda aliqua indulgentia, non eſt ſatis exploratum nobis, quanquam Doctores multi affirmant ſufficere.

Responsio IV.

A malo miniſtro ſecundæ claſſis, ſed tolerato & expoſito, ſive ei ex officio incumbat miniſtrare, ſive

ve non, ſacramentum accipere licitum eſt, per ſe loquendo.

Prob. Quia 1. videtur etiam de tali miniſtro intelligendus Nicolaus Papa, cap. *Sciſcitantibus* ſupra laudato. 2. Quia fideles non prohibentur cum illo communicare in ſacris; nec inducitur ad peccandum ab eo qui ſacramentum accipit quod alter ſponte offert; qui, ſi malè dat, ſibi, non accipienti, imputare debet; unde ſibi ſoli nocendo, prodeſt alteri, qui ad peccatum, quod malus miniſtet à nemine provocatus, ex pura malitia committit, impediendum, non tenetur privare ſe utilitate illa ſpirituali, quæ ipſi ex ſacramenti perceptione provenit: ſemper tamen ſupponendo, quòd non ſit alius, qui commodè adiri poſſit, & qui ſine peccato miniſtraturus ſit.

At inquies. Miniſter ille non poteſt ſine peccato miniſtrare propter cenſuram, qua ligatus eſt, & qua manente, graviter ei prohibitum eſt ne miniſtret: videtur enim protſus improbabile, quòd miniſter cenſura ligatus, ſeſe ſponte exponens, non procurata priùs abſolutione, per Bullam Martini V. ſubleventur indirectè in favorem accipientis ab eo ſacramentum. Ergo qui ab eo ſacramentum accipit, accipit id quod non poteſt ſine peccato conferre. Atqui illicitum nobis eſt ab alio accipere id, quod ſine peccato dare nobis non poteſt. Ergo, &c.

Reſp. negando ſubſumptum, ſi illud quod accipimus, eſt res bona, & eſt noſtra, aut ſaltem jus ad illam habemus, nec ſumus alteri cauſa malè dandi. At cùm à miniſtro cenſura aliqua ligato, ſed tolerato, & ſeſe ſponte ſua exponente, ſacramentum accipimus, ab illo accipimus rem bonam; ut enim dicit Nicolaus Papa, *Qualiſcumque ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt*, atque ita ſacramentum, ſive à bono ſive à malo ſacerdote miniſtretur, perinde bonum & ſanctum eſt. Et accipimus quod noſtrum eſt, aut ſaltem ad quod jus habemus; nam ſacramenta ſunt propter nos inſtituta, nec ſumus tali miniſtro cauſa, ſed ipſe ſibi ſua malitia cauſa eſt malè dandi.

Quòd autem tali miniſtro ſimus occaſio malè miniſtrandi, hoc eſt contra intentionem noſtram, & hanc occaſionem non tenemur tollere, alioquin fruſtra Martinus V. nobis indulget, ut cum tali miniſtro communicare poſſimus in ſacramentorum ſuſceptione. Illa porrò impotentia, quam habet miniſter ille miniſtrandi ſine peccato, eſt conſequens & volita: nam non poteſt non peccare miniſtrando, quia ſeſe, non procurata ſibi priùs abſolutione, voluntariè exponit ad miniſtrandum: unde ſe ipſe in neceſſitatem peccandi præcipitat; & cùm nobis dat quod bonum & noſtrum eſt, ſe ſolum lædit: *Sicut cerea fax accenſa ... unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.*

Dixi in Reſp. Per ſe loquendo; quia in omni caſu ſemper, quantùm fieri poteſt, vitari debet ſcandalum infirmorum. Unde à malo miniſtro ſacramentum accipere non poſſumus in caſu propoſito, ſi ii qui in fide infirmi, aut non ſatis inſtructi ſunt, inde probabiliter occaſionem accepturi ſunt contemnendi myſteria fidei, aut cenſuras Eccleſiæ. Idem dic, ſi periculum ſit, ne authoritatem aliquam conciliemus errori, accipiendo ſacramenta à miniſtro expoſito, apertè novitatem aliquam orthodoxæ doctrinæ repugnantem profitente, vel judicio Eccleſiæ in materia fidei apertè renitente: talium enim miniſtrorum, propter morale periculum everſionis fidelium, in ſacramentorum ſuſceptione communionem vitare tenemur ſub mortali, extra caſum extremæ aut ſaltem graviſſimæ neceſſitatis.

Responsio V.

A malo miniſtro ſecundæ claſſis tolerato, ſed non expoſito, licet ſacramentum petere, ſi ei ex officio incumbat miniſtrare, nec alius commodè adiri poſſit, qui miniſtraturus ſit ſine peccato: quòd ſi non ei ex officio incumbat miniſtrare, non licet ab eo petere ſacramentum, quantumcumque paratus ſupponatur.

Prob. 1. pars. Quia jus habet ſubditus exigendi ſacramenta à tali miniſtro, quod jus non amittit propter ejus malitiam. Præterea, jus illud, quod habet ſubditus, non ligatur per cenſuram, cui ſubeſt miniſter; hic enim toleratur ab Eccleſia, adeoque licitum eſt cum eo in ſuſceptione ſacramentorum communicare.

At inquies. Nemo poteſt ſine peccato petere ab alio id, quod ſine peccato non poteſt præſtare. Atqui miniſter, qui ſubeſt cenſuræ, quamvis toleretur ab Eccleſia, non poteſt etiam ſubdito petenti miniſtrare ſacramentum ſine peccato. Ergo, &c.

Minorem negant multi, quia, inquiunt, parochus v.g. excommunicatus, ſed toleratus, ad ſacramentum aliquod miniſtrandum requiſitus, poteſt, priuſquam miniſter, conteri, & petere abſolutionem, ſi per tempus liceat; ſin minùs, ſeriò proponere eam petere, quamprimùm id fieri poterit, & ſic licitè miniſtrabit: quia etſi Martinus V. Bulla ſua nullo modo intendat directè excommunicatos hujuſmodi ſublevare & juvare, eos tamen neceſſariò ſublevat indirectè & ex accidenti, quatenùs eorum ſubditis dando veniam ab illis ſacramenta in utilitatem ſuam petendi, non poteſt hoc ipſo illis non dare veniam ſacramenta ſubditis petentibus conferendi; alias fruſtra omninò veniam ſubditis daret, qua non poſſent uti; cùm nemo, ut in majore dicitur, poſſit ſine peccato petere ab alio id quod præſtare ſine peccato non poteſt. Quæ reſponſio nondum difficultatem amputat, nec tamen nobis probari poteſt.

R. igitur neg. maj. de eo qui jus habet exigendi ab alio id quod præſtare non poteſt ſine peccato; quia ſe ipſum in impotentia aliter præſtandi voluntariè ſua negligentia vel malitia conſtituit; nec alius poteſt, aut ſine notabili incommodo non poteſt adiri, qui ſine peccato præſtare poſſit illud, quod exigitur. Cùm itaque v. g. parochus excommunicatus, ſed toleratus, ad miniſtrandum aliquod ſacramentum requiritur; vel poteſt petere abſolutionem à cenſura, antequam ſacramentum conferat, vel non poteſt. Si primum, petat abſolutionem, qua obtenta, poterit ſine peccato conferre ſacramentum. Si ſecundum, vel antea adhibuerat moralem diligentiam, ut abſolveretur à cenſura, vel non adhibuerat. Si primum, eſt involuntariè perplexus, & ita non peccabit, quod minus malum eſt eligendo. Minus autem malum erit, ſacramentum conferre in caſu ſaltem notabilis neceſſitatis vel utilitatis ſubditi. Si ſecundum, eſt in voluntaria perplexitate, quæ peccatum excuſare non poteſt; unde utrumvis ex duobus eligendo peccabit: nam ſacramentum non conferendo, injuriam faciet ſubdito pro jure ſuo ſacramentum petenti; & conferendo ſacramentum, cenſuram violabit. Subditus tamen ab illo ſacramentum accipiendo non peccabit, quia ab illo accipiet id quod ab illo accipiendi jus habet; & quòd ille malè det, imò quòd non poſſit non malè dare, ſibi ſoli debet imputare: neceſſitas enim peccandi, quam patitur, eſt conſequens & volita, qualis non rarò occurrit in iis qui de ſalute ſua parùm ſolliciti ſunt.

Porrò indirecta illa ſublevatio miniſtri excommunicati, aut alia cenſura irretiti, & tolerati, ad quam confugit altera reſponſio, videtur nobis ſine ſufficienti neceſſitate & fundamento aſſerta, imò & planè aliena à mente Pontificis, qui in Bulla ſua, poſtquam miſericorditer indulſit Chriſti-fidelibus, ut communicare poſſint in ſuſceptione ſicut & in adminiſtratione ſacramentorum cum excommunicatis, aut alia qualibet cenſura ligatis, exceptis denunciatis, & notoriis clericorum percuſſoribus, ſic proſequitur: *Per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare ſic excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, aut prohibitos.* Quibus verbis videtur excludi omnis tam indirecta, quam directa ſublevatio excommunicatorum, ſuſpenſorum, &c. miniſtrorum, facta in favorem fidelium. Et verò tali favore non indigent fideles, ut ſatis patet ex dictis; & indirecta ſublevatio malorum miniſtrorum faceret eorum negligentiam; facilè enim ſperarent ſeſe ope hujus indi-

rectæ

Digitized by Google

rectæ ſublevationis impunè, & ſine periculo irregularitatis incurrendæ, ſubditis petentibus ſacramenta collaturos, ſicque de abſolutione procuranda parùm ſolliciti eſſent.

At inquies. Sine indireta illa ſublevatione miniſtri, cui ex officio incumbit miniſtrare, miniſter, ſubdito ſacramentum petente, vel non tenebitur ad conferendum ſacramentum, vel tenebitur ad peccandum: nam ſi tenebitur ad conferendum ſacramentum, tenebitur ad præſtandum aliquid, quod non poteſt ſine peccato præſtare. Abſurdum conſeq. Ergo, &c.

R. neg. ſeq. maj. Aliud enim eſt, aliquem teneri ad peccandum, & aliud, teneri ad præſtandum aliquid, quod per ſe bonum eſt & honeſtum, quod tamen ſua culpa præſtare non poteſt ſine peccato. Unde aliud eſt, miniſtrum v. g. excommunicatum toleratum, cui ex officio incumbit miniſtrare, teneri ad conferendum ſacramentum ſubdito illud exigenti, quamvis conferre ſine peccato non poſſit ob cenſuram, cujus abſolutionem procurare aut noluit, aut neglexit; & aliud, teneri ad peccandum: tenetur enim non ad conferendum ſacramentum quoquo modo, ſed ad conferendum ſacramentum ſine peccato, adeoque tenetur ad non peccandum conferendo ſacramentum.

Dices. Ergo tenetur ad impoſſibile. *Reſp.* diſt. Tenetur ad impoſſibile, impoſſibilitate antecedente & involuntaria, N. Impoſſibilitate conſequente & volita, C.

Prob. 2. *pars reſponſionis*. Quia qui à miniſtro v. g. excommunicato tolerato, cui ex officio non incumbit miniſtrare, ſacramentum petit, petit ab eo id quod non tenetur præſtare, nec poteſt ſine peccato, propter cenſuram qua ligatur. Sed qui petit ab alio, id ad quod non tenetur, & quod ſine peccato præſtare non poteſt, jure merito cenſetur illum inducere ad peccandum, quod certè illicitum eſt. Ergo illicitum eſt ſacramentum petere à miniſtro, &c. Nec juvat ſupponere, quòd miniſter ille ſit paratus ad miniſtrandum: aliquem enim, qui ad peccandum paratus eſt, ad peccandum inducere, peccatum eſt; quamvis foret peccatum gravius, ſi non eſſet paratus.

Excipi debet imminens mortis periculum, in quo miniſter, qui toleratur, etiam ille cui ex officio non incumbit miniſtrare, tenetur conferre ſacramenta ad ſalutem neceſſaria; unde in tali periculo licet petere & accipere ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ à miniſtro excommunicato, vel ſuſpenſo, aut interdicto tolerato; quamvis ex officio ei non incumbat miniſtrare, licet, inquam, etſi miniſtrando ſit peccaturus (quamvis minùs, quàm non miniſtrando) ſi nimirùm hunc caſum prævidere potuit, nec ad procurandam abſolutionem, moralem diligentiam adhibuit.

Responsio VI.

A malo miniſtro non tolerato nunquam licet petere aut accipere aliquod ſacramentum extra mortis articulum.

Prob. Nam non licet nobis petere aut accipere ſacramentum ab iis, quibuſcum graviter prohibemur communicare in ſacramentorum perceptione. Atqui graviter prohibemur communicare in perceptione ſacramentorum cum miniſtris non tolleratis: idcircò enim dicuntur non tolerari, quia ſub gravi, in ſacris præſertim, ſunt vitandi. Ergo, &c.

Dixi autem, Extra mortis articulum: nam in hoc articulo licet baptiſmum petere & accipere à malo miniſtro non tolerato, ut expreſsè docet S. Auguſtinus lib. 1. de bapt. c. 2. ubi ſic ait: *Si quem fortè coegeris extrema neceſſitas, ubi catholicum, per quem* (baptiſmum) *accipias, non inveneris, & in animo pace catholica cuſtodita, per aliquem extra unitatem catholicam poſitum acceperis, quod erat in ipſa catholica unitate accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, non eum niſi catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm ſe catholica congregationi etiam corporali præſentia reddiderit, unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſimè veriſſimeque laudamus.*

Ratio eſt baptiſmi neceſſitas, & inſtitutio Chriſti, qui ad validam baptiſmi collationem, nec juriſdictionem, nec ordinationem aliquam, aut ſpecialem deputationem neceſſariam eſſe voluit: ita ut ex Chriſti inſtitutione, etiam à pagano validè poſſit conferri. Manifeſtum autem eſt, in extrema neceſſitate licitum eſſe ſacramentum ad ſalutem neceſſarium petere & accipere à quocumque, illud validè conferendi poteſtatem, adeoque gravem illud conferendi obligationem habente, ſive illud collaturus ſit ſine peccato, ſive non.

Licet igitur baptiſmum in articulo mortis petere & accipere à malo miniſtro non tolerato; modò tamen non adſit alius miniſter bonus, vel malus toleratus, à quo peti & accipi poſſit; tunc enim in perceptione baptiſmi communicare cum miniſtro non tolerato, graviter illicitum eſt; cùm tunc nulla ſit neceſſitas cum eo ſic communicandi. Hoc apertè ſignificat S. Doctor verbis laudatis, & diſertè aſſerit ſubſequentibus, ſic enim poſt pauca proſequitur: *Si quis autem, cum poſſit in ipſa catholica accipere, per aliquam mentis perverſitatem eligit in ſchiſmate baptizari* (etiam in vitæ periculo) *etiamſi poſtea* (cum convaluerit) *venire ad catholicam cogitat, quia certus eſt ibi prodeſſe ſacramentum, quod alibi accipi quidem poteſt, prodeſſe autem non poteſt: proculdubio perverſus & iniquus eſt, & tantò pernicioſiùs, quantò ſcientiùs.*

Quod de Baptiſmo diximus, idem etiam de ſacramento Pœnitentiæ affirmant Scholaſtici magno numero, idque contendunt efficaciter probari ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi dicitur: *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideo omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt*. Hic autem, inquiunt, illud, *omnes ſacerdotes*, ſumendum eſt abſque ulla reſtrictione, cùm nulla apponat Synodus; adeoque nomine omnium ſacerdotum comprehendi cenſendi ſunt ſacerdotes depoſiti, degradati, apoſtatæ, & quilibet alii non tolerati.

Sed contra eſt; quia 1. non poteſt ſacerdos non toleratus (idem dic de depoſito, degradato, &c.) validè abſolvere in articulo mortis, niſi habeat in eum, quem abſolvit, ordinariam vel delegatam juriſdictionem pro illo articulo. *Quoniam igitur*, inquit Synodus cap. citato, *natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Atqui ex eo quòd nulla peccata, nullæve cenſuræ reſerventur in articulo mortis, perperam videtur colligi, quòd ſacerdos non toleratus habeat in illo articulo juriſdictionem, vi cujus poſſit quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere. Quod

Confirmatur. Nam ex eo quòd nulla ſit reſervatio in articulo mortis, non videtur aliud ſequi, quàm quòd omnes ſacerdotes juriſdictionem ordinariam vel ſubdelegatam habentes, ſine poteſtate abſolvendi à caſibus & cenſuris reſervatis, poſſint abſolvere quoslibet pœnitentes à quibuſvis, &c. in mortis articulo: quia pro illo nulla peccata nullæque cenſuræ eorum juriſdictioni ſubtrahuntur: ſicut ex eo quòd nulla omninò eſſet reſervatio etiam extra mortis articulum, ſequeretur tantùm, quòd omnes ſacerdotes habentes juriſdictionem ordinariam vel ſubdelegatam, poſſent etiam extra mortis articulum & in quolibet caſu abſolvere quoslibet pœnitentes à quibuſvis, &c. quia tunc pro nullo tempore vel caſu reſtricta eſſet eorum juriſdictio. Hic

Confirmatur iterùm. Si ex eo quòd nulla ſit reſer-

vatio in articulo mortis, rectè colligitur quòd omnes omninò ſacerdotes, etiam ii qui tolerati non ſunt, vel ſunt depoſiti aut degradati, habeant juriſdictionem neceſſariam ad validè abſolvendum à quibuſvis peccatis & cenſuris in articulo mortis; ex eo etiam quòd nulla eſſet reſervatio etiam extra articulum mortis, rectè colligeretur, quod omnes omninò ſacerdotes, etiam ii qui, &c. haberent juriſdictionem neceſſariam ad validè abſolvendum à quibuſvis peccatis & cenſuris extra articulum mortis; & in caſu quolibet. Sed conſequens eſt falſum & abſurdum. Ergo, &c.

2. Quòd Synodus, cùm ait, omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſe in articulo mortis, eos tantùm intelligat, qui cum juriſdictiono ordinaria vel ſubdelegata non habent poteſtatem abſolvedi à reſervatis, manifeſtum videtur ex ſubſequentibus: nam ſic proſequitur: *Extra quem articulum ſacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.* Hi autem ſacerdotes, quibus, quia nihil poſſunt in caſibus reſervatis præcipit Synodus, ut extra mortis articulum pœnitentes remittant ad ſuperiores & legitimos judices, alii certè non ſunt, quàm qui cum juriſdictione ordinaria vel ſubdelegata, non habent poteſtatem abſolvendi à reſervatis: nam ſi nec ordinariam nec ſubdelegatam jurisdictionem haberent, non præciperet illis Synodus, quia nihil poſſunt in caſibus reſervatis, ſed ſimpliciter quia nihil poſſunt extra mortis articulum.

Sic itaque argumentor. Sacerdotes, quos dicit Synodus in articulo mortis quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſe, ſunt illi ipſi, quibus, quia nihil poſſunt in caſibus reſervatis, præcipit, ut extra mortis articulum, pœnitentes qui ad eos veniunt ut abſolvantur, remittant ad ſuperiores & legitimos judices, quorum eſt à reſervatis abſolvere. Atqui ſacerdotes, quibus, quia nihil poſſunt in caſibus reſervatis, præcipit Synodus ut extra mortis articulum, &c. ſunt ii, qui juriſdictionem ordinariam vel ſubdelegatam habent, ſine poteſtate abſolvendi à caſibus reſervatis. Ergo, &c.

Major videtur manifeſta eſſe ex contextu. Minor verò jam probata eſt, & adhuc probatur breviter, Nam ii quibus, quia nihil poſſunt in caſibus reſervatis, præcipit Synodus ut extra mortis articulum, &c. proculdubio quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis cenſuris abſolvere poſſent extra mortis articulum, ſi poteſtatem haberent in caſibus reſervatis, aut ſi extra mortis articulum nulli eſſent caſus reſervati. Atqui in talibus juriſdictionem ordinariam vel delegatam eſſe neceſſe eſt. Ergo, &c.

3. Denique, Synodus non dicit, ne quis pereat ob defectum juriſdictionis in ſacerdote, Eccleſiam ſemper voluiſſe, ut ſacerdotes omnes poſſent in articulo mortis quoslibet pœnitentes validè abſolvere; ſed, quod longè aliud eſt, dicit, ne aliquis pereat occaſione reſervationis caſuum, quos ſibi Pontifex in tota Eccleſia, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus reſervant, & reſervando inferiorum ſacerdotum juriſdictioni ſubtrahunt, in Eccleſia ſemper cuſtoditum fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: unde fit ut omnes ſacerdotes, etiam ii qui poteſtatem non habent abſolvendi à caſibus reſervatis, quoslibet pœnitentes in articulo mortis poſſint abſolvere à quibuſvis peccatis & cenſuris, etiam ab iis, à quibus extra mortis articulum abſolvere non poſſent, quia Pontifici vel Epiſcopo reſervantur: quo pacto contingere non poteſt, ut aliquis pereat occaſione caſuum reſervatorum; quod tamen contingere poſſet, & frequenter contigeret, ſi ad mortis articulum extenderetur reſervatio: frequenter enim contingeret, ut parochi, & alii ſimplices ſacerdotes, quamvis hi ſubdelegatam, illi verò ordinariam juriſdictionem habentes; quia poteſtatem non habent in caſibus reſervatis, pœnitentes moribundos non poſſent abſolvere, & pœnitentes illi ſine abſolutione morerentur, quia ad ſuperiorem recurri non poſſet.

Ex his autem quid ſequitur? Sacerdotes omnes, juriſdictionem ordinariam vel ſubdelegatam habentes; quantùmvis extra mortis articulum reſtrictam per caſuum reſervationem, in articulo mortis quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſe; nihilque prætereà.

RESPONSIO VII.

Nunquam licet petere ſacramentum ab eo, qui non habet juriſdictionem neceſſariam ad illud validè conferendum.

Prob. Nam à tali petendo ſacramentum, exponeremus nos invalidæ, adeòque ſacrilegæ ſuſceptioni ſacramenti, quod nunquam licitum eſſe poteſt. Quòd ſi probabile ſit talem habere juriſdictionem neceſſariam, tunc licet in extrema neceſſitate ab eo petere & accipere ſacramentum ad ſalutem neceſſarium. Si quia ab extrinſeco probabile eſt propter multorum Doctorum authoritatem, quòd ſacerdos v.g. nominatim excommunicatus & denunciatus, validè abſolvat in articulo mortis, ſi non adſit alius ſacerdos, tunc licet ab eo petere & accipere abſolutionem.

Porrò quia pœnitens de hujus abſolutionis valore moraliter certus eſſe non poteſt, propter authoritatem Doctorum illorum, quorum ſententia videtur deſtituta omni probabilitate intrinſeca; ſi poſtea ex morbo convaleſcat, ſub gravi tenebitur confeſſionem ſuam iterare apud parochum, vel alium ſacerdotem approbatum, ſive caſus reſervatos habeat ſive non. Secùs verò dicendum de pœnitente, etiam in caſus reſervatos prolapſo, qui in articulo mortis confitetur ſacerdoti juriſdictionem ordinariam vel ſubdelegatam habenti, ſine poteſtate abſolvendi à caſibus reſervatis, nam ex Tridentino manifeſtum eſt, hunc ſacerdotem, etiam præſente Papa vel Epiſcopo in articulo mortis pœnitentem quemlibet à quibuſvis peccatis & cenſuris validè abſolvere.

ARTICULUS VII.

Utrùm liceat miniſtrare Sacramenta indignis.

RESPONSIO.

Miniſter conſecratus, vel ab Eccleſia ſpecialiter deputatus, miniſtrando ſacramentum indigno, per ſe loquendo peccat mortaliter.

Prob. Nam miniſter conſecratus, vel ſpecialiter deputatus, agit ut diſpenſator, dum miniſtrat ſacramenta. Ergo ſub gravi tenetur ea fideliter ac prudenter miniſtrare: nam diſpenſator omnis ſub gravi tenetur in materia gravi fideliter ac prudenter diſpenſare. Ergo ſub gravi tenetur ea miniſtrare ſecundùm voluntatem Chriſti: diſpenſator enim eatenùs fidelis eſt ac prudens in diſpenſando, quatenùs bona Domini ſui diſpenſat ſecundùm voluntatem ejus. Ergo miniſter conſecratus, vel ſpecialiter deputatus, graviter peccat miniſtrando ſacramenta contra voluntatem Chriſti. Atqui Chriſtus non vult ſacramenta ſua miniſtrari indignis, ſed hoc graviter prohibet, per ſe loquendo. Ergo, &c.

Præterea, miniſter dans ſacramentum indigno, per ſe loquendo cooperatur peccato alterius, qui recipit ſacramentum indignè: nam qui recipit ſacramentum indignè, ſemper peccat graviter. Sed qui cooperatur peccato alterius, peccat, & quidem graviter, ſi peccatum cui cooperatur, ſit grave. Ergo, &c. Miniſter igitur conſecratus, vel ſpecialiter deputatus, indigno ſacramentum miniſtrans, duplici titulo peccat; & quia cooperatur alterius peccato, & quia non ſervat in diſpenſando fidelitatem ac prudentiam, ad quas graviter tenetur.

Dixi autem, Per ſe loquendo: nam per accidens fieri poteſt, ut non peccet miniſter, v.g. miniſtrando Euchariſtiam indigno, ut docet S. Thomas hic q. 80. a. 6. in O. ubi ſic ait: *Circa peccatores diſtinguendum*

dum eſt. Quidam enim ſunt occulti, quidam verò manifeſti, ſcilicet per evidentiam facti; ſicut publici uſurarii, aut publici raptores; vel etiam per aliquod judicium eccleſiaſticum vel ſæculare. Manifeſtis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus ſacra communio dari (quod probat authoritate S. Cypriani.) *Si vero non ſunt manifeſti peccatores, ſed occulti, non poteſt eis petentibus ſacra communio denegari. Cùm enim quilibet chriſtianus, ex hoc ipſo quod eſt baptizatus, ſit admiſſus ad dominicam menſam, non poteſt ei jus ſuum tolli, niſi pro aliqua manifeſta cauſa.* Quod probat ex S. Auguſtino lib. de medicina pœnitent. cap. 3. ubi hæc leguntur: *Nos à communione prohibere quenquam non poſſumus* (*quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum* (publicè ſcilicet) *aut in aliquo ſive ſæculari ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum.*

Ratio itaque cur Euchariſtia peccatori eam publicè petenti denegari non poſſit, adeòque ſine peccato adminiſtretur, quandiu peccatum ejus eſt occultum, ex S. Doctore eſt, quia peccator (baptizatus ſcilicet, de eo enim hic agitur) per baptiſmum ſuum jus acquiſivit ad recipiendam Euchariſtiam tam publicè, quam privatim. Ergo non poteſt publicè ab ea repelli ſine juſta cauſa illum ſic ab ea repellendi. Juſta autem cauſa illa alia eſſe non poteſt, quàm peccatum, ut per ſe clarum eſt, & quidem manifeſtum: quandiu enim peccatum occultum eſt, tandiu jus habet peccator, ne publicè infametur, & quandiu jus habet ne infametur publicè, tandiu jus habet, ne publicè repellatur ab Euchariſtia; cùm ab ea publicè repelli non poſſit ſine publica infamia.

At inquies. De duobus malis minus malum eſt eligendum. Sed minus malum eſſe videtur, ſi peccator infametur, quàm ſi ſumens corpus Chriſti, mortaliter peccet. Ergo etiam cum publica infamia ab Euchariſtia repellendus eſt, quantùmvis peccatum ejus occultum ſit. Ergo, &c. Hanc difficultatem proponit S. Thomas art. citato, & ad eam reſpondet: *Quod licèt pejus ſit peccatori occulto peccare mortaliter ſumendo corpus Chriſti, quàm infamari: tamen ſacerdoti miniſtranti corpus Chriſti, pejus eſt peccare mortaliter, infamando injuſtè peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet à peccato;* quod probat S. Doctor ex S. Auguſtino lib. qq. in Geneſim qu. 42. ubi ait: *Periculoſiſſimè admittitur hæc compenſatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.*

Itaque, ut ibidem proſequitur S. Doctor, *peccator occultus potius deberet eligere infamari, quàm indignè ad menſam Domini accedere*, quia ad menſam Domini indignè accedendo, ſacrilegium admittit, & peccat mortaliter. Eum tamen ad menſam Domini publicè accedentem non debet, imò nec licitè poteſt repellere ſacerdos, quia repellendo illum, illum injuſtè infamaret, & illum injuſtè infamando, peccaret mortaliter; unde illum repellendo, eligeret quod ſibi pejus eſt; cùm è contra illum admittendo, eligat quod ſibi bonum eſt, quia illum admittendo, vitat injuſtam illius infamationem, per quam peccaret mortaliter, & quam proinde ipſi bonum eſt vitare, & ut eam vitet, alterius permittere peccatum, quod poteſt & debet permittere, quia non poteſt illud niſi peccando impedire: unde huic peccato nullatenùs dici poteſt cooperari, aut delinquere contra debitum fidelis ac prudentis diſpenſatoris: non enim tunc diſpenſat contra, ſed juxta voluntatem Domini, qui corpus ſuum Judæ proditori, ne infamaretur, manducandum dedit, & graviter prohibet injuſtam proximi infamationem.

At inquies. Dare Euchariſtiam indigno, intrinsecè malum eſt, ſicut intrinſecè malum eſt eam indignè ſumere. Ergo ſicut nunquam indignè ſumi, ita nunquam indigno dari poteſt ſine peccato. *R.* intrinſecè quidem malum eſſe, Euchariſtiam indignè ſumere; quia nunquam eſſe poteſt juſta aliqua cauſa eam ſic ſumendi. At juſta aliqua cauſa eſſe poteſt, dandi Euchariſtiam indigno, unde eam dare indigno non eſt intrinſecè malum, niſi quando non eſt juſta cauſa eam dandi. Tunc autem juſta cauſa eſt eam dandi indigno, quando indignus ille eſt peccator occultus, & petit illam publicè: tunc enim indignus ille repelli non poteſt ſine injuſta infamatione; cùm tandiu jus habeat, ne infametur, quandiu peccatum ejus occultum eſt. Quòd ſi peteret Euchariſtiam privatim, & in iis circumſtantiis, in quibus poſſet repelli ſine infamatione & ſcandalo, tunc nulla eſſet juſta cauſa eum ad communionem admittendi, unde tunc rejiciendus eſſet.

At inquies. Chriſtus Matth. c. 7. ait: *Nolite ſanctum dare canibus.* Atqui ſanctum datur canibus, cùm peccatoribus datur Euchariſtia. Ergo, &c. Ad hoc reſpondet S. Thomas art. citato, per canes illos intelligendos eſſe manifeſtos peccatores, non occultos, adeòque Chriſtum loco illo prohibere tantùm, ne communio detur peccatoribus manifeſtis; & rationem ſubdit, quia *occulta non poſſunt publicè puniri, ſed ſunt divino judicio reſervanda.* Publicè autem punirentur occulta, ſi publicè denegaretur communio peccatoribus occultis, qui tunc publicè infamarentur.

Porrò cùm dicitur, à communione arcendos eſſe peccatores manifeſtos, hoc de illis intelligitur, cùm ad ſacram menſam accedunt, antequam pœnitentiam egerint, & reconciliati fuerint: nam, ut dicit S. Thomas art. citato in O. *Poſt pœnitentiam & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non eſt communio deneganda, præcipuè in articulo mortis;* quod probat S. Doctor ex Concilio Carthaginenſi III. can. 35. ubi dicitur: *Scenicis, atque hiſtrionibus, cæteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtatis converſis ad Deum, reconciliatio non negetur;* quòd ſi eis reconciliatio negari non debet, nec debet communio.

Quæres 1. Utrùm laicus peccet mortaliter, conferendo baptiſmum indigno? Ratio dubitandi eſt, quia laicus neque conſecratur, nec ſpecialiter deputatur ad baptizandum.

R. Laicum peccare mortaliter, ſi conferat baptiſmum ei, quem ſcit eſſe indignum; tum quia cooperatur gravi peccato alterius, tum quia hoc ipſo quòd vult hoc ſacramentum conferre, ſuſcipit in ſe munus diſpenſatoris, adeòque & gravem obligationem fideliter ac prudenter diſpenſandi. Duplici igitur titulo graviter peccat, quamvis non tam graviter, quàm ſi eſſet miniſter conſecratus, vel ab Eccleſia ſpecialiter deputatus ad baptizandum.

Quæres 2. Utrùm ad hoc ut ſacerdos miniſtret ſacramentum ſine peccato, ſatis ſit ſi non conſtet ei petentem indignum eſſe; an verò diligentiam aliquam adhibere debeat, ut moraliter certus ſit de dignitate petentis?

R. Non poſſe hic generalem pro omnibus ſacramentis regulam tradi, & pro unoquoque ſacramento ſecundùm ejus naturam & conditionem reſpondendum eſſe. Itaque in Baptiſmo, cùm ſit janua ſacramentorum, & ingreſſus in Eccleſiam, nec adultus qui petit illum, jus ad illum habeat; ſacerdos non debet baptizare adultum, niſi moraliter certus ſit eum eſſe ſatis inſtructum, & rectè diſpoſitum. In Confirmatione & Euchariſtia locum habet hæc regula: Bonus præſumitur, quem non conſtat eſſe malum; imò peccatori publicè petenti Confirmationem vel Euchariſtiam, non poteſt quod petit denegari, niſi ſit peccator manifeſtus, ut ſupra probatum eſt.

In Pœnitentia, quæ miniſtratur per modum judicii, & cujus proinde miniſter agit ut judex, qui ſententiam ferre non poteſt prudenter, niſi cauſam diligenter examinarit priùs, ſacerdos debet moralem adhibere diligentiam, ut ſtatum, & internam pœnitentis diſpoſitionem agnoſcat, antequam eum abſolvat, vel liget. In Extrema unctione ſufficit, ſi ſacerdos ſciat moribundum chriſtianam vitam egiſſe; aut ſi peccator eſt publicus, vel paulò ante grave aliquod crimen admiſit, aliquod doloris ſignum dediſſe.

In

Digitized by Google

In ſacramento Ordinis, per quod qui promoventur, admittuntur ad miniſteria Eccleſiaſtica, cùm maximi interſit Eccleſiæ, habere dignos miniſtros, Epiſcopi graviter tenentur ad diligenter examinandum ſtatum & qualitates perſonarum, ut nequem promoveant, qui dignus non ſit hoc ſacramento, nec ad ejus munia obeunda idoneus, ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. in decreto de reform. cap. 5. & 7. In Matrimonio denique, quod inducit vinculum indiſſolubile, cùm eſt conſummatum, & innumerorum peccatorum occaſio eſt, ſi contingat illud invalidè contrahi ſummoperè curare tenentur paſtores Eccleſiæ, ut ad hoc ſacramentum non accedant niſi perſonæ ad contrahendum habiles, cum aliis diſpoſitionibus ad ſacramentum dignè ſuſcipiendum prærequiſitis.

DISPUTATIO V.

De ſubjecto Sacramentorum.

TAnquam facile ſupponimus, ſolos homines viatores capaces eſſe ſacramentorum. Ratio eſt, quia Chriſtus ſacramenti inſtituit ad dandam vel augendam gratiam. Atqui in ſolo hominum viatorum ſtatu acquiri vel augeri poteſt gratia. Ergo pro ſolis hominibus viatoribus Chriſtus inſtituit ſacramenta. 2. Omnes homines viatores capaces eſſe trium ſacramentorum, Baptiſmi ſcilicet, Confirmationis, & Euchariſtiæ; at non omnes capaces eſſe omnium ſacramentorum: nam v.g. mulier non eſt capax Ordinis, nec ſanus Extremæ unctionis, nec Religioſus Matrimonii. 3. Infantes, quandiu ſunt in utero materno, non eſſe ullius ſacramenti capaces: ſi cujus enim capaces ſunt, certè Baptiſmi. At hoc non: Chriſtus enim baptiſmum ſuum non inſtituit niſi pro hominibus natis, ut apertè colligitur ex verbis; *Niſi quis renatus fuerit in aqua, &c.* quibus continetur Baptiſmi inſtitutio: nam renaſci non poteſt, niſi qui antea natus erat. His itaque præſuppoſitis, ſit

ARTICULUS I.

Utrùm in ſubjecto, ad validam Sacramenti ſuſceptionem, requiratur intentio aliqua, & quanam requiratur.

RESPONSIO I.

IN adulto recipiente ſacramentum, ad ſacramenti valorem requiritur aliqua voluntas poſitiva illud recipiendi.

Prob. 1. Authoritate Conciliorum: nam Conc. Carthaginenſe III. ſic ait can. 34. *Ut ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium, hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Pondero has voces, *periculo proprio:* perinde enim eſt, ac ſi diceretur; Quòd ſi affirmando ægrotos deſideraſſe baptiſmum, falſum affirmarint, rei erunt ſacramenti invalidè collati. Et Arauſicanum I. can. 12. ſic loquitur: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Ecce utraque hæc Synodus ad valorem baptiſmatis, quod eſt ſacramentorum omnium maximè neceſſarium, requirit ex parte ſubjecti etiam in extrema neceſſitate poſitivam voluntatem illud recipiendi.

Prob. 2. Authoritate Innocentii III. cap. *Majores*, extra de bapt. §. ult. in quo 1. proponit hanc quæſtionem, *utrùm dormientibus & amentibus ſacramenti ſaltem character in baptiſmate imprimatur, ut excitati à ſomno, & ab ægritudine liberati, non ſint denuò baptizandi.* 2. Ex occaſione hujus quæſtionis duas exponit ſententias, quarum prima eſt eorum, *qui dicunt quòd ſacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut Baptiſmus & Ordo ... non ſolùm dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quantum ad rem* (ſacramenti, hoc eſt, quantùm ad gratiam ſanctificantem) *quantùm tamen ad characterem conferuntur.*

Hanc autem ſententiam ſic refellit Pontifex: *Sed opponitur talibus, quòd qui fuiſſent inviti & reluctantes immerſi, ſaltem ratione ſacramenti ad juriſdictionem eccleſiaſticam pertinerent: unde ad ſervandam regulam fidei chriſtianæ forent rationabiliter compellendi. Verum id eſt religioni chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus, & penitùs contradicens, ad recipiendam & ſervandam chriſtianitatem aliquis compellatur.*

Secunda ſententia diſtinguit *inter invitum & invitum, coactum & coactum*, hoc eſt, inter invitum & coactum ſimpliciciter, & invitum & coactum ſecundùm quid. Qui primo modo invitus & coactus baptizatur, invalidè baptizatur, quia nullam planè voluntatem habet recipiendi baptiſmum. Qui verò ſecundo modo invitus & coactus baptizatur, validè baptizatur, quia baptiſmum recipit *tanquam conditionatè volens, licèt abſolutè non velit*, hoc eſt, quia verè vult baptizari, licèt velit tantùm, *ne detrimentum incurrat*, & ita nollet, ſublato proprii detrimenti periculo. Unde talem Pontifex hanc ſententiam approbans, ait, *cogendum eſſe ad obſervantiam fidei chriſtianæ*, & pro hoc caſu intelligendum eſſe Concilium Toletanum IV. can. 56. ubi de Judæis, *qui jam pridem ad chriſtianitatem coacti ſunt venire*, ſtatuitur *oportere, ut fidem quam etiam vi vel neceſſitate ſuſceperunt* (ne ſcilicet detrimentum aliquod incurrerent) *tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, & fides quam ſuſceperunt* (tanquam conditionatè volentes, licèt abſolutè non vellent, quia tantùm ſuſceperunt, ne detrimentum incurrerent) *vilis & contemptibilis habeatur.*

3. Contra primam ſententiam concludit in hunc modum: *Ille vero qui nunquam conſentit, ſed penitùs contradicit, nec rem nec characterem ſuſcipit ſacramenti* (adeòque invalidè ſacramentum ſuſcipit,) *quia plus eſt expreſsè contradicere*, quàm minimè conſentire (ſupple, quare ſi is, qui minimè conſentit, licèt exteriùs non contradicat, invalidè ſuſcipit ſacramentum, quantò magis invalidè ſuſcipit ille, qui penitùs contradicit.)

4. Denique, quæſtionem propoſitam ſic reſolvit: *Dormientes autem & amentes, ſi priùs quam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent: quia in iis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare: & ſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt ſacramenti. Secùs autem ſi priùs catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare. Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contraria non invenit obſiſtentem.*

Per voluntatem autem contrariam manifeſtè Pontifex intelligit non ſolùm poſitivum diſſenſum, ſed etiam negationem conſenſus: alioquin ex eo quòd in caſu neceſſitatis catechumenos in amentiam lapſos, qui baptiſmi ſuſcipiendi propoſitum habuerunt, Eccleſia baptizare conſuevit, ineptè concluderet baptiſmum valere, quoties in ſuſcipiente non invenit obicem voluntatis contrariæ. Rectè porrò per voluntatem contrariam intelligit etiam conſenſus negationem, pro iis ſcilicet qui conſentire potuerunt, quia qui conſentire poteſt, & non conſentit, moraliter & in æſtimatione prudenti diſſentit.

Prob. 3. Ex Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito, in Baptiſmo adultorum, ubi dicitur: *Si quis adultus ſit baptizandus, debet .... ejus voluntas & propoſitum ſæpiùs explorari, & non niſi ſciens & volens, probeque inſtructus baptizari. At verò ſi quis, dum inſtruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel neceſſitatis, baptizetur.* Inferiùs, de amentibus & furioſis dicitur: *Si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes*

ſunt, baptizentur, ſi velint. Si verò mortis periculum immineat, etiamſi non ſint compotes mentis, baptizentur, modò *antequam inſanirent, ſuſcipiendi baptiſmi deſiderium oſtenderint.* His autem verbis, ut teſtatur Paulus V. in præfatione non ſolùm particularis Romanæ, ſed etiam univerſalis Eccleſiæ intimatur praxis, quæ manifeſtè ſupponit, invalidè conferri baptiſmum adulto, qui neque actualem, neque habitualem habet intentionem recipiendi baptiſmum, niſi ſemper mentis impos fuerit, in quocumque caſu ei conferatur baptiſmus. Quod autem hic dicitur de baptiſmo, à fortiori intelligendum eſt de aliis ſacramentis; cùm ſint minùs neceſſaria.

Prob. 4. Authoritate S. Thomæ hic quæſt. 68. a. 7. ubi ſic ait in O. *Ex parte baptizati requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi ſacramentum.* Et ad 2. *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi ſacramentum, eſſet rebaptizandus. Si tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* A. 12. in O. ubi ſic loquitur de amentibus & furioſis: *Quidam ſunt à nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet & de talibus, quantum ad baptiſmi ſuſceptionem, videtur eſſe idem judicium & de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ. Alii verò ſunt amentes, qui ex ſana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem quam habuerunt, dum ſana mentis exiſterent. Et ideò ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, debet eis exhiberi .... alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi baptiſmum in eis apparuit, non ſunt baptizandi.*

Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, hactenùs ſatis probata, cujus inſtitutionis hæc ratio congrua afferri poteſt, quia ſacramenta à Chriſto inſtituta ſunt ad conferendam vel augendam ſanctitatem. Atqui planè congruum eſt, ut nullus adultus ſanctitatem vel ejus augmentum accipiat, niſi ipſe velit juſtificari & ſanctificari, vel ſi jam juſtus & ſanctus eſt, in juſtitia & ſanctitate creſcere. Ergo, &c. Hoc argumentum ſuggerit S. Thomas hic quæſt. 68. art. 7. in O. ubi ſic ait: *Per baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ novitatem .... & ideò ſicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur, ſecundum Auguſtinum, in habente uſum liberi arbitrii, voluntas quâ eum veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, quâ intendat vitæ novitatem: cujus principium eſt ipſa ſuſceptio ſacramenti. Et ideò ex parte baptizati requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi ſacramentum.*

RESPONSIO. II.

Intentio ad valorem ſacramenti requiſita in adulto illud recipiente, non debet eſſe actualis aut virtualis, ſed ſufficit habitualis, hoc eſt, præterita non retractata.

Patet ex probationibus allatis pro prima reſponſione, in quibus dicitur adultum moribundum, rationis uſu deſtitutum, baptizandum eſſe, ſi conſtet eum, antequam uſu rationis privaretur, propoſitum ſuſcipiendi baptiſmi habuiſſe, nec illud retractaſſe. Excipi tamen debent ab hac reſponſione ſacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii, nam ut exiſtant, neceſſe eſt, ut pœnitentes actu doleant de peccatis, illaque eo modo quo poſſunt, actu confiteantur; & ut contrahentes internum ſuum conſenſum exprimant verbis, aliiſve ſignis externis. Ad hæc igitur ſacramenta non ſufficit ex parte ſubjecti voluntas ea recipiendi præterita, quamvis non retractata.

Quæres, utrùm ad valorem ſacramenti in adulto illud recipiente, requiratur fides, vel etiam ſanctitas.

R. Negativè, & probatur authoritate Eccleſiæ, quæ prohibet rebaptizari vel reordinari hæreticos ab hæreticis baptizatos vel ordinatos, cùm ad fidem catholicam convertuntur, ſi in materia & forma debita baptizati, vel ordinati fuerunt. Excipe ſacramentum Pœnitentiæ, ad cujus valorem requiritur in pœnitente, non quidem ſanctitas ſed ſupernaturalis dolor cum ſpe veniæ, adeòque & fides.

Porrò cùm voluntas, quæ ad valorem ſacramenti ſufficit, ſufficiat ad impreſſionem characteris, ad impreſſionem characteris ſufficit in adulto ſacramentum ſuſcipiente, habitualis voluntas illud ſuſcipiendi.

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones.

OBj. 1. Concilium Florentinum ad valorem baptiſmi tria tantùm requiſit, materiam ſcilicet, formam, & in miniſtro intentionem faciendi quod facit Eccleſia, nulla mentione facta intentionis ex parte ſuſcipientis. *R.* Concilium ea tantùm recenſet, quæ generaliter & in omni caſu neceſſaria ſunt in omnibus ſacramentis, qualis certè non eſt intentio ſuſcipientis, ut patet ex baptiſmo parvulorum, qui validè baptizantur ſine propria intentione, cujus quia capaces non ſunt, voluit pro illis Chriſtus intentionem Eccleſiæ ſufficere. At cùm adulti propriæ intentionis capaces ſint convenientiſſimè propriam in eis intentionem ad valorem baptiſmi requiſivit idem Chriſtus, & alienam ſufficere noluit.

Obj. 2. S. Auguſtinum lib. 4. Confeſſ. cap. 4. ubi narrat, cuidam condiſcipulo & amico ſuo ægrotanti, ac ſenſibus deſtituto, collatum fuiſſe baptiſmum, nec dicit hunc amicum ſuum, antequam ſenſibus deſtitueretur, baptiſmi deſiderium aliquod oſtendiſſe; imò quòd nullum ejuſmodi deſiderium habuerit, videtur certò conjici poſſe ex eo quòd ut ibidem teſtatur Auguſtinus, infectus eſſet Manichæorum erroribus. Tali autem baptiſmum validè collatum fuiſſe, ex eo apertè colligitur, quòd baptizatus brevi contra omnium ſpem convaluerit, & aliquantò poſt in febrim relapſus, chriſtianè obierit.

R. Supponendum eſſe hunc Auguſtini amicum habuiſſe & oſtendiſſe ſincerum baptiſmi deſiderium, quod non quidem affirmat Auguſtinus, ſed nec negat. Præterea, adoleſcens ille, quamvis erroribus Manichæorum infectus, magni faciebat baptiſmum: cum enim ad ſe rediiſſet, & ſe baptizatum fuiſſe reſciviſſet, factum probavit quàm maximè, ut manifeſtum eſt ex eo quòd Auguſtinum, baptiſmum ab eo ſuſceptum irridere tentantem, *ita exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate, ut ſi amicus eſſe vellet, talia ſibi dicere deſineret.* Quidni ergo dicatur baptiſmi deſiderium habuiſſe, illudque, ubi primùm de vita periclitari ſe ſenſit, ſignificaſſe, & hoc latuiſſe Auguſtinum?

Obj. 3. S. Epiphanium in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, in qua hæc de Pauliniano S. Hieronymi fratre ſcribit: *Ignorantem eum, & nullam penitus habentem ſuſpicionem, per multos diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne fortè, liberari ſe cupiens, adjuraret nos per nomen Chriſti, & primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut miniſtraret, valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans ... & cum miniſtraret in ſanctis ſacrificiis, rurſus eum, ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus presbyterum.* *R.* Paulinianum non fuiſſe invitum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm, & verè in ordinationem ſuam conſenſiſſe, quamvis non abſolutè, ſed conditionatè tantùm conſenſerit, hoc eſt, ita conſenſerit, ut non conſenſiſſet, ſi fugere potuiſſet, quia utpote ſingulari humilitate præditus, indignum ſe diaconatu & a fortiori presbyteratu judicabat.

Obj. 4. Theodoretum in hiſt. SS. Patrum, ubi de Macedonio, qui ſolitariam vitam agebat, & ob eximiam ſanctitatem in omnium ore verſabatur, hæc narrat: *Eum quidem* (Flavianus Antiochenus Epiſcopus) *abducit à vertice montis, tanquam in eum ad ſe delata fuiſſet accuſatio. Cum autem myſticum*

Digitized by Google

ſticum eſſet propoſitum ſacrificium, adducit ad altare: & eum coaptat in numerum ſacerdotum. Poſtquam autem fuit finitum ſacrum officium, & hoc ei ſignificavit aliquis: quod enim factum fuerat ignorabat omninò: primùm quidem laceſſebat omnes conviciis & maledictis: poſtea autem accepto baculo, ſolebat enim eo innitens ingredi propter ſenium, & ipſum proſequebatur Pontificem, & alios quotquot aderant, &c.

R. Macedonium non quidem explicitè & diſtinctè, ſed, quod ſufficiebat, implicitè & confuſè conſenſiſſe in ordinationem ſuam: externam enim illam cæremoniam, quam circa illum exercuit Pontifex, lubens ac volens ſuſcepit, & quidem ut ſacram, intentionem ſuam conformando intentioni Pontificis, ſeu generaliter & confuſè intendendo per cæremoniam illam, id quod intendebat Pontifex eam peragendo. Porrò nobis non obeſt, quòd omninò ignorarit Macedonius per cæremoniam illam ordinari ſe presbyterum, & quòd poſtea, cùm per cæremoniam illam ordinatum ſe eſſe didiciſſet, vehementer reclamarit: nam inde tantùm argui poteſt, quòd in ordinationem ſuam nec conſenſerit, nec conſentire potuerit diſtinctè & explicitè, quòdque nullo modo in ordinationem ſuam conſenſurus fuiſſet, ſi per hujuſmodi cæremoniam presbyteratum conferri non ignoraſſet. At, quod ſufficiebat, non ignoravit cæremoniam illam ut ſacram uſurpari, & ad ſanctum aliquem finem ordinari ab Epiſcopo: unde potuit illam ut ſacrum quid ſuſcipere, & ſuſcipiendo, quod intendebat Epiſcopus intendere confuſè & generaliter; & quòd re ipſa intenderit, dubitare non ſinunt ſingularis ejus in Deum pietas, & obſervantia erga Prælatum.

Obj. 5. Dioſcorus mimus, qui chriſtianis inſultabat, & eorum myſteria deridebat in theatro, baptizatus eſt, & quidem validè, quamvis nullam haberet intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, ut refert S. Auguſtinus epiſt. 67. quæ eſt ad Alipium ab eo ſcripta. *R.* 1. Dioſcorum baptizatum fuiſſe, non in theatro, ſed in Eccleſia. 2. Baptizatum non fuiſſe, niſi poſtquam voto ſe obligavit chriſtianum fore, ſi filiam, quam habebat unicam, & de cujus ſalute corporali deſperabatur, ſalvam videret: imò & poſtquam, repentina cæcitate ſuffuſus, eò quòd votum non exolveret, iterùm vovit: quare perperam dicitur, ſuſcipiendi baptiſmi intentionem non habuiſſe. Conſulatur citata epiſtola. De Geneſio jam aliàs ſufficienter dictum eſt.

Obj. 6. S. Thomam hic q. 64. a. 8. ad 2. ubi ſic ait: *Alii melius dicunt, quòd miniſter ſacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter: in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis ſacramentum.* Ergo, juxta Sanct. Thomam, ad validam ſacramenti collationem nihil aliud ex parte recipientis requiritur, quàm ut non contradicat exteriùs, ſeu, quod idem eſt, quàm ut exteriùs conſentiat.

S. Thomæ præivit S. Auguſtin. lib. 7. de bapt. cap. 53. ubi aſſertivè dicit, baptiſmum validè ſuſcipi ab eo qui illum recipit cum ficta tantùm intentione, modò illum recipiat in Eccleſia, aut apud eos, qui ſe putant veram eſſe Eccleſiam. *Sicut*, inquit, *jam prateritis majorum ſtatutis, non dubito etiam illos habere baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur, de quibus dictum eſt.* Ex nobis exierunt.

Imò verò tract. 26. in Joan. docet valere ſacramentum, etiamſi recipiens ſit invitus & coactus ſimpliciter, nec ſolùm corde, ſed etiam ore contradicat, & quantùm poteſt reluctetur. *Intrare quiſquam*, inquit, *Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere poteſt ſacramentum nolens, credere non poteſt niſi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: ſed non corpore creditur ad juſtitiam.*

Ad obj. R. Negando conſeq. Nam S. Thomas nihil aliud vult loco citato, quam explicitam & diſtinctam intentionem ſacramenti, neque in miniſtro neque in recipiente neceſſariam eſſe, ſed in utroque intentionem confuſam & generalem ſufficere cum explicita & diſtincta intentione Eccleſiæ, quæ verbis conſecratoris exprimitur, & ſupplere poteſt id quod intentioni confuſæ & generali deeſt ad determinandam ſacramenti materiam ad ſignificationem ſacramentalem.

Ad ea quæ adduntur ex S. Auguſtino, *R. breviter*, S. Doctoris authoritati neceſſariò anteponendam eſſe authoritatem Conciliorum, Summorum Pontificum, & Ritualis Romani, in quo expreſſam habemus non ſolùm particularis Romanæ, ſed etiam univerſalis Eccleſiæ doctrinam & praxim, à quibus ſine errore diſcedere non poſſumus.

Dices. S. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. a. 2. in reſp. ad qu. 3. docet adultos uſu rationis carentes validè baptizari, ſi non eis habitu ineſt contraria voluntas. *R.* hic totum noſtrum eſſe S. Doctorem. Dicit itaque 1. ad gratiam & characterem ſacramentalem in baptiſmo recipiendam, ex parte recipientis non requiri cauſam aliquam, ſed ſufficere obicem removens. 2. Hunc obicem nihil aliud eſſe, quàm voluntatem contrariam ſuſceptioni gratiæ & characteris. 3. Hunc obicem in iis, in quibus eſſe poteſt, quatenùs gratiæ opponitur, removeri per contritionem ſive devotionem; per intentionem verò & voluntatem ſuſcipiendi ſacramentum removeri, quatenùs opponitur characteri ſeu valori ſacramenti, qui ab impreſſione characteris ſeparari non poteſt. *Et ideo*, inquit, *in adultis, & in habentibus uſum rationis, in quibus poteſt eſſe contraria voluntas actu vel habitu, requiritur & contritio, ſive devotio ad percipiendam rem ſacramenti* (hoc eſt gratiam) *& intentio vel voluntas ad recipiendum ſacramentum*) adeòque & characterem.) *In pueris autem abſque utroque* (devotione ſcilicet & intentione ſuſcipiendi ſacramentum) *percipitur & ſacramentum, & res ſacramenti: & ſimiliter eſt in carentibus uſu rationis, niſi contraria voluntas habitu inſit, etſi non actu* (adeòque modò cùm uſum rationis habuerunt, habuerint voluntatem recipiendi ſacramentum, & hanc voluntatem exteriùs prodiderint. Nam

Juxta Sanctum Doctorem, qui poteſt velle vel nolle ſacramentum recipere, ſi non poſitivè volt, cenſetur nolle, & ita in eo voluntas contraria, quæ ſacramenti valorem impedit, non excluditur, niſi per poſitivam voluntatem recipiendi ſacramentum: quare ſi hanc non habet actu, vel habitu, habet alteram, nempe contrariam, ſi non actu, ſaltem habitu; atque ita ſacramentum non poteſt ei validè conferri. Hinc, juxta Sanctum Doctorem, in amentibus, qui aliquando uſum rationis habuerunt, ac proinde potuerunt nolle ſacramentum recipere, ad validam ſacramenti ſuſceptionem requiritur poſitiva voluntas illius recipiendi, non quidem actualis, cujus capaces non ſunt, ſed habitualis, hoc eſt, præterita non retractata, ut per eam excludatur ſacramenti obex, cujus ſunt capaces: poteſt enim illis ineſſe contraria voluntas habitu, etſi non actu, quæ voluntas non poteſt eſſe in pueris; unde in pueris ad hoc ut validè ſuſcipiant ſacramentum, neque actualis, neque habitualis illud recipiendi intentio requiritur.

Audiamus S. Doctorem in reſp. ad 2. *In pueris non poteſt eſſe contraria voluntas neque actu, neque habitu: & ideò non requiritur voluntas vel intentio in eis, quæ prohibens removeatur. In amentibus autem & dormientibus poteſt eſſe voluntas contraria habitualis, quamvis non ſit actualis: & ideò ſi ante ſomnum, vel furiam fuerunt contraria voluntatis* (fuerunt autem, ſi recipiendi ſacramenti propoſitum non habuerunt,) *non recipiunt ſacramentum, quia adhuc illa voluntas habitualiter manet. Si autem habuerunt propoſitum recipiendi baptiſmum, & hoc per aliqua ſigna innotuit, tunc* (ſublato ſcilicet per tale propoſitum obice voluntatis contrariæ, & hoc ſuffi-

in articulo neceſſitatis debet eis conferri baptiſmus, & ſuſcipiunt ſacramentum, & rem ſacramenti, etiamſi furioſus tunc contradicat: quia illa contradictio non procedit à voluntate rationis, ſecundùm quàm eſt capax baptiſmalis gratiæ.

Ex his obiter obſervare juvat, quàm alienus fuerit S. Thomas à ſententia eorum, qui dicunt, tam in miniſtro quàm in recipiente ad valorem ſacramenti ſuſficere intentionem externam: ita ut ſecundùm illos valeat ſacramentum, etiamſi miniſter & recipiens, intentionem ſuam intùs retineant, hic recipiandi, illa conferendi ſacramentum, hoc eſt, etiamſi intùs in corde ſuo dicat hic: Nolo recipere; ille verò: Nolo dare ſacramentum. Contra quos hic disertè aſſerit S. Doctor, voluntatem in recipiente contrariam ſeu noluntatem recipiendi ſacramentum, etiam habitualem tantùm, impedire valorem ſacramenti. Quòd ſi in recipiente noluntas recipiendi verum ſacramentum, etiam habitualis tantùm, juxta S. Doctorem, impedit valorem ſacramenti, quantò magis, juxta eundem, impedit actualis in miniſtro noluntas dandi verum ſacramentum?

At inquiunt. Ita quidem ſenſit S. Thomas, cùm junior eſſet; at poſtea, ſenior factus, mutavit ſententiam, in Summæ ſcilicet 3. part. quæſt. 64. a. 8. ad 2. Sed contra eſt, quia eod. art. ad 1. disertè requirit in miniſtro intentionem faciendi quod facit Chriſtus & Eccleſia, Id autem quod facit Chriſtus & Eccleſia, non eſt ritus externus præciſè, ſed ritus externus, ut habens ſignificationem & efficientiam ſpiritualem. Præterea, quæſt. 68. a. 7. in O. ad valorem baptiſmi requirit ex parte baptiſmi voluntatem ſiva intentionem ſuſcipiendi ſacramentum; nec dici poteſt S. Doctor hic intelligere intentionem externam, ſeu intentionem ſucipiendi ritum externum baptiſmi: nam ex toto contexto manifeſtum eſt, eum loqui de intentione, qua qui ritum externum baptiſmi voluntariè ſeu non reclamando ſuſcipit carere poteſt.

Et verò hic ad valorem baptiſmi requirit S. Doctor ex parta baptizati eam intentionem, de qua loquitur in reſponſ. ad 2. ubi ait: *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi ſacramentum, eſſet rebaptizandus, Si tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum, &c.* Requirit ergo intentionem in adulto, de qua dubium eſſe poteſt utrùm fuerit, an non, in eo qui ſuſcepit ritum externum baptiſmi. At de intentione externa dubium eſſe non poteſt, utrùm fuerit, an non, in eo qui ritum externum baptiſmi ſuſcepit; nam vel ſimpliciter coactus eſt, vel non, ſive, quod idem eſt, vel violenter baptizatus eſt, vel non, Si ſecundum, eum habuiſſe; ſi primum, eum non habuiſſe intentionem externam manifeſtum eſt. E contra verò de intentione interna dubium eſſe poteſt, utrùm fuerit, an non, in eo qui etiam voluntariè ſeu abſque violentia & coactione ſimpliciter dicta ſuſcepit ritum externum baptiſmi: potuit enim illum animo jocandi vel irridendi, aut aliqua alia prophana intentione ſucipere; potuit nolle illum ſuſcipere ut aliquid ſacrum, & à Chriſto inſtitutum ad ſignificandam & efficiendam gratiam. Ad valorem igitur baptiſmi S. Doctor requirit ex parte baptizati intentionem internam, ſeu intentionem recipiendi ritum externum baptiſmi ut ſacramentalem.

Obj. 7. Praxis Eccleſiæ eſt, ut moribundis ſenſu deſtitutis conferatur Extrema-unctio, licèt hoc ſacramentum nunquam petierint. Ad hanc objectionem ſic reſpondet Suarez tom. 3. io 3. part. diſp. 14 ſect. 2. „ In Extrema unctione, quæ per ſe ſupponit hominem baptizatum, & bene diſpoſitum per pœnitentiam, & non poſtulat aliquos actus ipſius hominis recipientis tale ſacramentum, ut ipſum aliquo modo conſtituant non requiritur voluntas adeò expreſſa & formalis ſuſcipiendi tale ſacramentum in particulari, ſed ſufficit voluntas, qua unuſquiſque fidelis pœnitens ac bene diſpoſitus, vult frui omnibus ſacramentis, & remediis à Chriſto Domino ad ſuam ſalutem inſtitutis, & ea cupit ſibi applicari, ſi eis indiguerit. Quam voluntatem & petitionem ab ea profectam exigit Eccleſia in particulari circa ſacramentum Extremæ-unctionis, quando homo eſt ſui compos, ſuamque voluntatem explicare poteſt: quando verò non poteſt, ſi aliunde conſtet, hominem ægrotum eſſe bene diſpoſitum, ſeu ſigna pœnitentiæ dediſſe, præſumit Eccleſia illum habuiſſe ſaltem generalem illam voluntatem, quam explicuimus, eamque ſufficientem reputat ad hoc ſacramentum præſtandum. „

Dieimus itaqua cum Suare, 1. ad Extremam unctionem, ſicut & ad alia ſacramenta, requiri ex parte recipientis intentionem recipiendi cæremoniam externam ut ſacramentalem, quamvis non ſit neceſſe, ut ſit tam expreſſa & diſtincta, quam v. gr. in Baptiſmo; *quia*, ut ibidem obſervat idem Suarez, *eſt janua ad Eccleſiam, & in eo fit prima profeſſio fidei & legis Chriſti*, 2. Hanc intentionem actualem eſſe debere in ægro, qui ſui compos eſt; habitualem verò ſufficere in ægro ſenſu deſtituto. Ad habitualem hanc intentionem ſatis eſſe præteritam non retractatam voluntatem illam generalem, *quâ unuſquiſque fidelis pœnitens ac bene diſpoſitus, vult frui omnibus ſacramentis, & remediis a Chriſto Domino ad ſuam ſalutem inſtitutis, & ea cupit ſibi applicari ſi eis indiguerit*, 4. Prudentem hujus voluntatis generalis præſumptionem ſuſficerere ad licitam Extremæ-unctionis adminiſtrationem. 5. Tunc autem prudenter generalem hanc voluntatem præſumi, quando aliunde conſtat, ægrum ſenſu deſtitutum ſigna pœnitentiæ dediſſe; adde, aut vitam homine Chriſtiano dignam egiſſe.

TRACTATUS DUODECIMUS.

DE BAPTISMO.

DISPUTATIO PRIMA.

De inſtitutione & eſſentia Baptiſmi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Baptiſmus.

NOta 1. Baptiſmus apud Patres & Scholaſticos variis inſignitur nominibus. Nam vocatur, 1. Regeneratio, quia per illum homo regeneratur ſpiritualiter, & ex filio diaboli, fit Dei filius. 2. Expurgatio, quia per eum homo ab omni peccato non ſolùm quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam omnem expurgatur. 3. Illuminatio, tum propter habitum fidei, qui per eum infunditur, tum propter illuſtrationum ſupernaturalium abundantiam, ad quam jus dat. 4. Donum ſeu Gratia, quia Deus per eum peccata omnia condonat, & pœnam omnem illis debitam relaxat liberaliter, & ex pura miſericordia, nulloque noſtro præcedente merito. 5. Signaculum ſeu ſigillum, propter characterem, qui per eum imprimitur, & per quem fideles ab infidelibus primùm diſcernuntur. 6. Denique Cuſtodia & Præſidium, qui per auxilia actualia, quæ iis qui characterem habet baptiſmalem, dantur, niſi obicem ponant, animam contra diaboli nequitias defendit, & in bono cuſtodit.

Nota 2. Baptiſmus tripliciter poteſt definiri. 1. ſcilicet phyſicè per materiam & formam, ſic definitur: Exterior ablutio corporis, facta ſub præſcripta verborum formula. 2. Metaphyſicè per genus & differentiam, ſic definitur; Sacramentum regenerationis, ſeu ſignum ſenſibile, ſacrum, permanenter à Chriſto inſtitutum, ad ſignificandam & efficiendam regenerationem ſpiritualem. 3. Phyſicè & metaphyſicè ſimul, ſic definitur: Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Hæc autem tertia definitio, quæ eſt Catechiſmi Romani, cæteris præſtat, utpote clarior & magis completa, quia exprimit ſignificationem & efficientiam ſacramentalem Baptiſmi, Baptiſmus enim ſignificat & efficit regenerationem ſpiritualem, ſimulque declarat quo ritu fiat iſta regeneratio. Per verbum autem vitæ Catechiſmus intelligit illam verborum formam, quam præſcripſit Chriſtus, & quæ animam vivificandi vim habet. Juxta hanc itaque definitionem, ſit

RESPONSIO.

Baptiſmus eſt ſacramentum ad ſpiritualem hominis regenerationem à Chriſto inſtitutum, conſiſtens in ablutione corporis per aquam naturalem, & prolatione horum verborum, vel æquivalentium. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, facta à miniſtro cum debita intentione, circa perſonam idoneam.

Bonitas hujus definitionis patet ex eo quòd detur per genus & differentiam, & quòd cum ſignificatione ſacramentali propria Baptiſmi, exprimantur materia & forma illius, aliaque ad ejus valorem requiſita.

Dices. Sacramentum Pœnitentiæ eſt etiam ſacramentum regenerationis: Chriſtus enim illud inſtituit ad eos, qui per peccatum mortui ſunt, vivificandos ſpiritualiter. Ergo, &c. *Reſp.* neg. antec. Nam ſacramentum regenerationis dicitur illud, quod dat primam vitam ſpiritualem. Baptiſmus autem dat primam vitam ſpiritualem iis qui naturalem acceperunt; unde eos, qui ſecundùm vitam naturalem generati ſunt via ordinaria, rectè dicitur regenerare, hoc eſt, quaſi ſecundò generare, vitæ naturali ſpiritualem ſuperaddendo, quà privati naſcuntur, qui via ordinaria generantur. Pœnitentiæ verò ſacramentum non dat primam vitam ſpiritualem, ſed eam poſt baptiſmum per peccatum mortale amiſſam reſtituit, unde ſacramentum eſt à Chriſto, non ad regenerationem ſpiritualem, ſed ad ſpiritualem reſurrectionem inſtitutum.

Hic obiter obſervo, Scholaſticos cum S. Thoma hic quæſt. 66. artic. 1. in O. Tria in baptiſmo diſtinguere, videlicet aliquid quod eſt ſacramentum tantùm, aliquid quod eſt res & ſacramentum, & aliquid quod eſt res tantùm. Sacramentum tantùm eſt illud quod ſignificat & non ſignificatur, & eſt exterior corporis ablutio cum præſcripta verborum forma: ſignificat enim interiores effectus baptiſmi; ſed nihil eſt, per quod ſignificetur. Res & ſacramentum ſimul eſt illud, quod ſignificat & ſignificatur, & eſt character baptiſmalis: ſignificatur enim per ablutionem exteriorem, & ſignificat interiorem juſtificationem. Res denique tantùm eſt illud, quod ſignificatur & non ſignificat, & eſt interior juſtificatio, ſeu gratia ſanctificans, qua qui baptizatur, juſtificatur interiùs, & quæ ſignificatur per characterem & ablutionem exteriorem, ſed ipſa non ſignificat. Portò hic definivimus id, quod eſt ſacramentum tantùm, & quod ſolùm propriè ac ſimpliciter ſacramentum eſt.

ARTICULUS II.

Quandonam Baptiſmus à Chriſto fuerit inſtitutus.

RESPONSIO.

CHriſtus Baptiſmum ſuum inſtituit ante mortem & reſurrectionem ſuam.

Prob. 1. ex Scriptura: nam Joan. c. 3. dicitur: *Poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus, in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat* (ſupple per diſcipulos ſuos: ſequenti enim capite dicitur: *Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quòd Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Joannes, quanquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus, reliquit Judæam, &c.*) Ergo Chriſtus longè ante paſſionem ſuam baptizavit per diſcipulos ſuos. Atqui credibile non eſt, baptizaſſe baptiſmo Joannis, qui baptiſmus nullius erat efficaciæ, & erat tantùm figura baptiſmi à Chriſto inſtituendi: unde Joannes baptiſmum ſuum à baptiſmo Chriſti diſtinguebat in eo, quòd ipſe baptizaret in qua tantùm, Chriſtus verò baptizaturus eſſet in ſpiritu & igne. Ergo jam inſtitutus erat baptiſmus Chriſti, quando per diſcipulos ſuos baptizabat in Judæa; adeòque Chriſtus baptiſmum ſuum longè ante inſtituit, quam pateretur.

Prob. 2. ex S. Auguſtino pluribus locis. Nam 1. tract. 5. in Joan. ad hæc verba, *Quamvis ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli ejus*, ſic ait: *Ipſe, & non ipſe. Ipſo poteſtate, illi miniſterio. Servitutem ad baptizandum illi admovebant: poteſtas baptizandi in Chriſto*

permanebant. Ergo baptizabant diſcipuli ejus, & ibi adhuc erat Judas inter diſcipulos ejus. Si quos ergo baptizabat Judas, non ſunt iterum baptizati: & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati ſunt? Planè iterum, ſed non iterato baptiſmo. Quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas, Chriſtus baptizavit.

2. Tract. 13. hæc verba, *Illic demorabatur cum eis, & baptizabat*, ſic interpretatur: *Baptizatus baptizat, non eo baptiſmo baptizat quo baptizatus eſt*. Et tract. 15. textus à nobis citatos ex cap. 3. & 4. concilians, ſic loquitur; *Jeſus baptizabat & non baptizabat: baptizabat enim, quia ipſe mundabat: non baptizabat, quia ipſe non tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corpori, præbebat ille adjutorium majeſtatis*. Similia habet epiſt. 108. quam ad Seleucianam ſcripſit. Juxta S. Doctoem igitur Chriſtus baptiſmum ſuum inſtituerat, quando in Judæa baptizabat per diſcipulos ſuos, & per eos non Joannis, ſed ſuum conferebat baptiſmum: unde cùm baptizabant, ipſe baptizabat, & ideò quos illi baptizarunt, non ſunt iterùm baptizati utpotè, à Chriſto baptizati: cùm è contra quos baptizavit Joannes baptizati iterùm ſint, quia quos baptizavit Joannes, non Chriſtus, ſed Joannes baptizavit quos enim Joannes baptizavit, non Chriſti, ſed ſuo baptiſmo baptizavit.

Porrò quos baptizavit Joannes, iterùm baptizati ſunt quia poſt Joannem venit alius, nempe Chriſtus, ipſo præſtantior, qui præſtantiorem inſtituit baptiſmum, vim ſcilicet habentem ſanctificandi, quam vim non habuit baptiſmus Joannis. Quos verò baptizavit Chriſtus per diſcipulos ſuos, non ſunt iterum baptizati, quia poſt Chriſtum nec venit, nec venire potuit alius ipſo melior qui meliorem baptiſmum inſtitueret. Hæc eſt mens S. Doctoris.

Obj. 1. Tunc tantùm Chriſtus baptiſmum ſuum inſtituit, cùm dixit Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Hoc autem dixit poſt reſurrectionem ſuam. 2. In Scriptura non legimus formam baptiſmi fuiſſe traditam ante paſſionem Chriſti, aut ante hoc tempus Apoſtolos myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis edoctos fuiſſe. 3. Baptiſmus Chriſti totam vim ſuam ab ejus paſſione accepit, adeòque non niſi poſt illam inſtitui potuit. 4. Baptiſmus Chriſti cœlum aperit baptizato; at ante aſcenſionem Chriſti nulli homini cœlum patuit. 5. S. Leo epiſt. 4. Decretali docet baptiſmum Chriſti non fuiſſe inſtitutum niſi poſt ejus reſurrectionem.

R. ad 1. Verba illa Chriſti continere, non inſtitutionem baptiſmi, ſed præceptum baptizandi non ſolos Judæos, ſicut ante Chriſti paſſionem, ſed omnes alios populos poſt ſufficientem eorum in rebus fidei inſtitutionem. Hoc autem præcepto non ſolùm Apoſtolis obligatio conferendi baptiſmum, ſed etiam illius ſuſcipiendi neceſſitas populis omnibus impoſita eſt, poſt ſufficientem Evangelii promulgationem. Quare baptiſmus non fuit medium ad conſequendam ſalutem neceſſarium ante mortem & reſurrectionem Chriſti. Hoc dicit S. Thomas hic quæſt. 66. art. 2. in O. *Neceſſitas utendi hoc ſacramento*, inquit, *indicta fuit hominibus poſt paſſionem & reſurrectionem* (Chriſti,) *tum quia in paſſione Chriſti terminata ſunt figuralia ſacramenta, quibus ſuccedit baptiſmus, & alia ſacramenta novæ legis: tum etiam quia per baptiſmum configuratur homo paſſioni & reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit novam juſtitiæ vitam. Et ideò oportuit Chriſtum prius pati & reſurgere, quàm hominibus indiceretur neceſſitas ſe configurandi morti & reſurrectioni ejus.*

R. ad 2. Non omnia ſcripta eſſe, & quòd Chriſtus ante paſſionem ſuam Apoſtolis ſuis formam baptiſmi privatim tradiderit, ſatis innuit cap. 3. & 4. Joannis. Præterea, quòd Apoſtoli myſterium SS. Trinitatis non fuerint edocti, niſi poſt mortem & reſurrectionem Chriſti, evidenter falſum eſt, & contrarium demonſtratur ex cap. 16. Matth. ubi Chriſto interroganti quem ſe eſſe dicerent, Petrus omnium aliorum nomine reſpondet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Deinde quomodo myſterium SS. Trinitatis ignorare potuerunt Apoſtoli uſque ad mortem Chriſti; cùm ignorare tandiu non potuerint ea quæ in ejus baptiſmo contigerant? cùm toties eis de Patre ſuo ante mortem ſuam locutus fuerit? toties coram eis ſe Filium Dei dixerit, nec Sancti Spiritus perſonam reticuerit?

R. ad 3. Ex eo quod baptiſmus Chriſti vim ſanctificandi, quam habet, à paſſione ejus acceperit, non ſequi quòd non niſi poſt illam potuerit inſtitui: potuit enim ab illa ut ab eo acceptata, quamvis nondùm conſummata, vim ſanctificandi accipere.

R. ad 4. Baptiſmum Chriſti ante paſſionem ejus collatum, non aperuiſſe baptizato cœlum pro tempore aſcenſionem Chriſti antecedente, quia non decuit membra præire capiti; unde nulli homini cœlum patuit ante Chriſti Aſcenſionem; at aperire potuiſſe, & aperuiſſe pro tempore ſubſequente.

R. ad 5. Patribus qui videntur eſſe in oppoſita ſententia, opponendum eſſe S. Auguſtinum, qui rem hanc videtur diligentiùs examinaſſe. Quod attinet ad Leonem Magnum, non aliud intendit epiſt. citata cap. 3. quàm docere cathecumenos non eſſe extra caſum neceſſitatis baptizandos, niſi pridie Paſchatis vel Pentecoſtes.

Quæres 1. Quo præcisè tempore baptiſmum ſuum Chriſtus inſtituerit?

Reſpondet S. Thomas hic q. 66. a. 2. in O. Chriſtum inſtituiſſe baptiſmum ſuum eo ipſo tempore, quo à Joanne baptizatus eſt in Jordane; quod ſic probat: *Tunc videtur aliquod ſacramentum inſtitui, quando accipit virtutem producendi effectum ſuum. Hanc autem virtutem accepit baptiſmus, quando Chriſtus eſt baptizatus. Unde tunc verè baptiſmus inſtitutus fuit quantùm ad ipſum ſacramentum*; quamvis tunc neceſſitas eo utendi indicta non fuerit hominibus, ſed tantùm poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti.

Sed non videtur efficax ratio S. Doctoris: tunc enim Chriſtus, cùm à Joanne baptizatus eſt, videtur aquas non aliter ſanctificaſſe, eiſque ſanctificandi vim non aliter contuliſſe, quàm interiùs in mente ſua illas deputando & deſtinando ad ſanctificandos homines per ſacramentum baptiſmi à ſe aliquando inſtituendi. Dicendum igitur videtur, quòd cùm Chriſtus à Joanne baptizatus eſt, baptiſmus Chriſti tunc quaſi delineatus fuerit, quatenus materia illius deſignata eſt per exteriorem Chriſti ablutionem, forma verò per manifeſtationem SS. Trinitatis. At tunc propriè Chriſtus baptiſmum ſuum non inſtituit: tunc enim minimè declaravit, exteriorem corporis ablutionem cum horum verborum, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Prolatione fore impoſterum ſignum efficax regenerantis gratiæ. Et verò talis declaratio ſeu ſanctio eſt actus legiſlatoris. Chriſtus autem, cùm à Joanne baptizaretur, non legiſlatoris, ſed potiùs pœnitentis hominis perſonam ſuſtinebat. Dicendum itaque videtur, quòd Chriſtus poſt quadrageſimale jejunium baptiſmum ſuum inſtituerit, ſub illud tempus, quo diſcipulos ſuos ad prædicandum & baptizandum miſit.

Dices. Chriſtus poſtquam à Joanne baptizatus fuit, ipſum viciſſim baptiſmo ſuo ſtatim baptizavit. *R.* hoc abſque fundamento dici; Matthæus enim, qui omnia quæ tunc contigerunt, accuratè deſcribit, nullam planè mentionem facit baptiſmi à Chriſto viciſſim collati.

At inquies. Hoc videtur aſſerere Hieronymus in cap. 3. Matthæi, ubi ad hæc verba Chriſti, *Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*; ſic ait: *Pulcrè dixit: Sine modò, ut oſtenderet Chriſtum in aqua, Joannem à Chriſto in ſpiritu baptizandum*. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Cùm enim dicit Hieronymus Joannem à Chriſto in ſpiritu baptizatum iri, non cæremoniam aliquam à Chriſto exercendam intelligit, ſed augmentum gratiæ, quod Joanni Chriſtus ob officium ſibi devotè & humiliter præſtitum collaturus erat.

Quæ-

Quæres 2. Utrùm Apoſtoli baptizati fueriot baptiſmo Chriſti?

Reſp. Affirmativè cum S. Auguſtino in epiſt. 108. ad Scleucianam, ubi ſic loquitur: *Si dicimus aqua non fuiſſe baptizatos* (Apoſtolos) *metuendum eſt ne graviter in eis erremus, ne demus hominibus authoritatem contemnendi baptiſmum, quem uſque adeò non contemnendum ipſa apoſtolica diſciplina commendat, ut Cornelius Centurio, & qui cum illo erant, etiam accepto Spiritu ſancto, fuerint baptizati.* Et ioferiùs: *Baptizabat non per ſe ipſum, ſed per diſcipulos ſuos, quos intelligimus jam fuiſſe baptizatos, ſive baptiſmo Joannis, ſicut nonnulli arbitrantur, ſive, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti: neque enim miniſterio baptizandi defuit* (Chriſtus) *ut haberet baptizatos ſervos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis miniſterio, quando eis lavit pedes*, (hoc eſt, quandoquidem Chriſtus ipſe pedes lavit diſcipulis ſuis) omninò credendus eſt illos quoque baptiſmo ſuo baptizaſſe, ut ſic baptizati alios majori cum decentia baptizarent, eoſque ad baptiſmum hunc ſuſcipiendum exemplo ſuo provocare poſſent.

Ibidem de omnibus Apoſtolis, quòd baptiſmum Chriſti ſuſceperiot, probat S. Doctor ex his verbis: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Nam ſic ratiocinatur: *Poſtquam Dominus Chriſtus in Eccleſia ſua ſacramentum novi teſtamenti pro circumciſione carnis ſanctum baptiſmum dedit, & apertiſſimè dixit*; Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, noo intrabit io regnum cœlorum: *Jam non debemus quærere, quando quiſque fuerit baptizatus, ſed quoſcumque legimus in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cœlorum, nonniſi baptizatos intelligere debemus, niſi fortè quos anguſtia paſſionis invenit, & nolentes negare Chriſtum, antequam baptizarentur, occiſi ſunt, quibus ipſa paſſio pro baptiſmo deputata eſt. Sed numquid hoc poſſumus de Apoſtolis dicere, qui uſque adeò largum tempus habuerunt quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint?*

Hæc S. Doctoris ratio efficax eſt, & eam breviter ſic expono. Hæc Chriſti verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Exprimunt neceſſitatem medii, & generalia ſunt, adeòque complectuntur omoes ſalvandos in lege evangelica. Ergo in lege evangelica nemo ſalvatur, aut etiam ſalvari poteſt ſioe baptiſmo Chriſti in re ſuſcepto, ſi poteſt ſuſcipi; aut ſaltem ſuſcepto io voto, ſi noo poteſt in re ſuſcipi. Ergo ſine baptiſmo Chriſti ſalvari noo potuerunt Apoſtoli, & quidem io re ſuſcepto; cùm adeò largum tempus habuerint quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint. Ergo Apoſtoli re ipſa baptiſmo Chriſti baptizati fuerunt. Baptizatos autem fuiſſe, antequam baptizareot alios, ac proinde antequam ad prædicandum & baptizaodum à Chriſto mitterentor, quis poteſt ambigere? Quod

Confirmatur. Ex eo quòd ibidem S. Doctor probat Petrum, adeòque & cæteros Apoſtolos baptiſmum Chriſti ſuſcepiſſe ante paſſionem ejus; *Petenti*, inquit, *Petro, ut non tantum pedes, verùm etiam manus & caput ei lavaret, reſpondit.* Qui lotus eſt, noo indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: *Ubi intelligitur quod jam Petrus baptizatus fuerat*, baptiſmo ſcil. vim habente mundandi animam, eamque ſanctificaodi, adeòque baptiſmo Chriſti. At ſi ante mortem Chriſti baptiſmum ejus ſuſceperunt Apoſtoli, illum tunc cùm à Chriſto inſtitutus eſt, ſuſcepiſſe proculdubio dicendi ſunt, præſertim cùm jamjam illum aliis eſſent miniſtraturi.

At inquies. Apoſtoli ſacramentum ad originalis peccati remiſſionem olim inſtitutum ſuſceperant, & juſti erant apud Deum. Ergo baptiſmo Chriſti indigere noo poterant. *Reſp.* Neg. conſeq. Nam v. gr. Paulus, quamvis circumciſus, & ad Deum intra triduum illud, quo viſu privatus continuò oravit, perfectè converſus, Chriſti tamen baptiſmo indiguit. Item, ut obſervat S. Auguſtinus, Cornelius Centurio, & qui cum illo erant, accepto Spiritu ſancto, adeòque accepta juſtificationis gratia, nihilominùs baptizati ſunt baptiſmo Chriſti.

Apoſtoli igitur baptiſmo Chriſti indiguerunt, quamvis ab originali culpa liberi & juſti apud Deum, ut jus ad ſpecialia auxilia gratiæ baptiſmali annexa acquirerent; ut acciperent characterem baptiſmalem, quo fideles ab infidelibus diſcernuntur; hoc enim charactere caruiſſe, aut alia via, quàm per baptiſmi ſuſceptionem, eum accepiſſe dici non poſſunt; ut noo ſolùm de facto, ſed etiam de jure eſſent membra Eccleſiæ Chriſti; ut jus habereot & aptitudinem ad alia ſacramenta à Chriſto inſtituenda; ut eſſent forma & exemplum gregis, cujus paſtores à Chriſto conſtituendi erant, &c.

At inquies. Nullibi in Scriptura ſacra legimus Apoſtolos baptiſmo Chriſti baptizatos fuiſſe. Huic inſtantiæ ſic reſpondet S. Auguſtinus in laudata epiſtola: *Non omnia quæ facta ſunt, etiam ſcripta inveniuntur, veruntamen facta eſſe ex cæteris documentis probantur. Scriptum eſt quando baptizatus ſit Apoſtolus Paulus: & ſcriptum non eſt quando baptizati ſint alii Apoſtoli; veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus: quemadmodum ſcriptum eſt quando baptizata ſunt plebes Eccleſiarum in Hieruſalem & Samaria: quando autem baptizata ſint aliæ plebes gentium, quibus Apoſtoli epiſtolas miſerunt, non eſt ubique ſcriptum: & tamen etiam ipſas baptizatas utique minimè dubitamus, propter illam Domini ſententiam.* Niſi quis renatus fuerit, &c.

ARTICULUS III.

Quænam ſit materia Baptiſmi.

RESPONSIO.

Materia remota baptiſmi eſt aqua vera & naturalis, ſeu elementaris.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Script. Nam Joan. c. 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Act. c. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Et Epheſ. cap. 5. *Mundans* (Eccleſiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quibus io locis agitur de baptiſmo, quem Chriſtus inſtituit. Ergo, &c.

2. Ex Conciliis, Lateranenſi IV. ſub Innoc. III. cap. *Firmiter*, ubi dicitur: *Sacramentum baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, conſecratur in aqua, tam parvulis quàm adultis in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem.* Florentino, in decr. Eug. §. *Primum omnium*, ubi dicitur de baptiſmo: *Materia hujus ſacramenti eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit an calida.* Ex Tridentino ſeſs. 7. can. 2. de bapt. *Si quis dixerit*, inquit, *aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi .... anathema ſit.* Quo canone petitur Lutherus, qui in Sympoſiacis colloquiis c. 17. docet, quidquid balnei nomine nuncupari poteſt, illud eſſe aptum ad baptizandum.

3. Authoritate SS. Patrum. Pro Græcis ſit Gregorius Nazianz. orat. in ſanctum baptiſmum, ubi ait: *Duabus rebus conſtat baptiſmus, aqua ſcil. ac Spiritu, illa viſibiliter ac corporaliter accepta, hoc verò incorporeo & inviſibili modo concurrente: illa figurali, hoc verò & penitiſſimos animi ſenſus purgante.* Et pro Latinis Ambroſius in lib. de iis qui myſteriis initiantur, ubi ſic loquitur cap. 3. *Vides aquam? vides lignum* (Crucem,) *Columbam aſpicis, & dubitas de myſterio? Aqua eſt ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium.* Et cap. 4. ſic Catechumenum loquentem inducit: *Aquas video, quas videbam quotidiè: iſtæ me habent mundare, in quas ſæpè deſcendi, & nunquam mundatus ſum?* Tum ſic proſequitur: *Hinc cognoſce quòd aqua non mundat ſine ſpiritu. Ideòque legiſti quòd tres teſtes in baptiſmate unum ſint, aqua,*

ſan-

ſanguis, & ſpiritus: quia ſi unum horum detrahas, non ſtat baptiſmatis ſacramentum. Quid eſt enim aqua ſine cruce Chriſti? Elementum commune, ſine ullo ſacramenti effectu. Nec iterùm ſine aqua regenerationis myſterium eſt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui hoc convenientiſſimè voluit: quia, ut obſervat S. Thomas hîc quæſt. 69. art. 3. in O. aqua naturalis & elementatis *ratione ſuæ communitatis & abundantiæ, eſt conveniens materia neceſſitati hujus ſacramenti: poteſt enim ubique de facili haberi.* Alias convenientias lege ibidem.

Obj. 1. Matth. cap. 3. Joannes Baptiſta de Chriſto dicit: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne.* 2. Joan. epiſtol. 1. cap. 5. de eodem Chriſto dicitur: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem ..... non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.* 3. Apud Nicephorum lib. 3. hiſtor. Eccl. cap. 37. M. Aurelio Antonino imperante, Judæus quidam in arido quodam ſolo correptus morbo repentino, cùm à viatoribus chriſtianis, quibuſcum iter agebat, petiit ut eum baptizarent. Hi precibus ejus victi, detractis ei veſtibus, arena, quæ ibi erat, pro aqua, cujus copiam non habebant, uſi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, tertium arena in eum conjecta, eum baptizarunt, iſque ſubitò morbo relevatus, & ſanus iter peregit.

Reſp. ad 1. Joannem Baptiſtam, vel non loqui de baptiſmo inſtituendo à Chriſto, ſed aut de adventu Spiritus ſancti ſub ſpecie ignis mittendo in diſcipulos die Pentecoſtes; de quo adventu loquitur ipſe Chriſtus, cùm ait Act. cap. 1. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies*; aut generaliùs de ſanctificatione, & ſpiritali emundatione per Chriſtum conferenda hominibus, ſive in ſacramentis, ſive extra ſacramenta: vel ſi Joannes loquitur de baptiſmo Chriſti, non materiam, ſed virtutem & efficaciam illius deſignat, qua ſanctificat animas, & peccatorum ſordes & maculas abſumit, ſicut ignis ferri rubiginem.

Reſp. ad 2. Ibi Joannem Apoſtolum loqui non de baptiſmo Chriſti, ſed de Chriſto cruci affixo, è cujus latere fluxit aqua & ſanguis, ut teſtatur idem Apoſtolus Evang. cap. 19. *Unus militum*, inquit, *lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.*

Reſp. ad 3. Suppoſita hujus facti veritate, miraculum à Deo factum eſſe in Judæo propter ejus fidem, & devotionem, non ad probandam veritatem baptiſmi in arena collati. Præterea, ibidem duo referuntur, quibus confirmatur veritas catholica. 1. Scilicet viatores chriſtianos Judæo roganti multùm reſtitiſſe, eò quòd probè ſcirent, verum baptiſmum ſine aqua non poſſe perfici. 2. Dionyſium Alexandrinum, cùm res ad eum delata eſſet, conſuluiſſe de ea Eccleſiam ſuam, *cui viſum eſt, aqua inſuper* (Judæum) *ad eum modum initiatum, juxta Eccleſiæ traditionem abluendum eſſe.*

Quæres 1. Utrùm ad hoc ut aqua naturalis ſit materia remota baptiſmi, requiratur, ut ſimplex & pura ſit?

Reſp. Cum S. Thoma hîc qu. 66. art. 4. in O. *dicendum eſſe quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ, poteſt fieri baptiſmus: ſi verò ſolvatur ſpecies aquæ, non poteſt fieri baptiſmus.* Solvitur autem ſpecies aquæ, quando fit pars mixti perfecti vel imperfecti, ſecundùm communem hominum æſtimationem, ab aqua ſimplici & pura ſpecificè ſeu notabiliter diverſi. Hinc

Concludit Sanctus Doctor, non valere baptiſmum in aqua roſacea, nec in aquis alchymicis, nec in luto, nec in vino, idem dic de cerevisia, nec in aqua decoctionis carnium, *quando liquor plus habet de aliena ſubſtantia, quàm de aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt:* At valere in aqua fluviali, in aqua pluviali, in aqua marina, in aqua ex luto expreſſa, in lixivio, in aqua cui admiſcetur chriſma, & in aquis ſulphureorum balneorum.

Quæres 2. Utrùm ad valorem baptiſmi requiratur, ut aqua ſit benedicta?

Reſp. negativè. Nam in caſu neceſſitatis validè & licitè aqua non benedicta adhibetur ad baptiſmum; quod probat factum Philippi, qui Eunuchum cum aqua, quæ illis occurrit in via, baptizavit, ut refertur, Act. cap. 8. & factum Athanaſii, qui puer pueros catechumenos baptizavit in littore maris; & univerſæ Eccleſiæ ſenſus, quæ ſemper ratum habuit baptiſmum collatum in aqua non benedicta, & nunquam rebaptizavit eos, qui ſic baptizati eſſent. Et verò ſic quotidiè infantes domi baptizantur, quando ob inſtans mortis periculum ad Eccleſiam deferri non poſſunt, nec poſteà, ſi convaleſcant, rebaptizantur.

Extra caſum neceſſitatis itaque ad baptiſmum neceſſaria eſt aqua benedicta, neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici tantùm; quod præceptum ab ipſis Apoſtolis profectum eſſe docet ſanctus Baſilius libro de Spiritu ſancto cap. 27. ubi ait: *Benedicimus aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, adhuc etiam ipſum baptizatum; ex quibus ſcripturis* (habemus?) *Nonne à tacita, & myſtica traditione* (apoſtolica;) & probat perpetua Eccleſiæ praxis, de qua ſic loquitur Dionyſius Areopagita libro de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 2. *Ipſe* (Pontifex) *ad matrem adoptionis accedit* (hoc eſt, fontem baptiſmatis) *ejuſque aquam ſacris invocationibus conſecrans, & eam trina unguenti, vim maximam habentis purificandi, per modum crucis effuſione perficiens.*

Porrò aqua baptiſmalis benedicitur ad hoc, ut majori cum decentia ſacramentum adminiſtretur, eique concilietur major apud fideles reverentia. Apud nos autem bis tantùm ſingulis annis, pridie ſcilicet Paſchatis & Pentecoſtes, benedicitur; apud Græcos verò toties, quoties unus aut plures baptizandi ſunt; & perfecto baptiſmo, in locum honeſtum abjicitur, ut teſtatur Arcudius libro 1. de concordia Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, &c. C. 7. ubi ſic ait: „
Materia hujus ſacramenti (baptiſmi) eſt aqua na- „
turalis, quam Græci calefaciunt ....: quam ſacer- „
dos Græcus, cùm vult baptizare unum aut plures, „
eodem tempore benedicit, & deinde in locum ho- „
neſtum abjicit. Cùm enim Græci ſoleant infantes „
totos in aquam mergere (quæ etiam cauſa potiſſi- „
ma eſt, cur aquam calefaciant) non videtur hone- „
ſtum, moraliter loquendo, ut eadem aqua, quippe „
quodam modo polluta, diu ſervetur, & aliis bap- „
tizandis inſervire debeat. „

ARTICULUS IV.

Quænam ſit materia proxima Baptiſmi.

RESPONSIO I.

MAteria proxima baptiſmi eſt exterior corporis ablutio.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Matth. cap. ultimo Chriſtus dicit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quibus verbis formam & materiam proximam baptiſmi aſſignat: formam quidem his: *In nomine Patris, &c.* Materiam verò proximam illis: *baptizantes eos.* Baptizare autem eſt abluere. Hinc Apoſtolus Epheſios cap. 5. Baptiſmum vocat lavacrum aquæ: *Mundans*, inquit, *lavacro aquæ in verbo vitæ*; in quæ verba ſic ait ſanctus Auguſtinus tractat. 15. in Joann. *Quid eſt baptiſmus Chriſti? Lavacrum aquæ in verbo.*

2. Ex forma baptiſmi. Nam ſic argumentor. Aqua eſt materia remota baptiſmi. Ergo materia proxima baptiſmi conſiſtit in aliquo uſu aquæ: baptiſmus enim conſiſtit in uſu. Ergo materia proxima baptiſmi eſt exterior ablutio corporis: nam ſi eſt aliquis uſus aquæ, certè eſt ille, quem exprimit forma, & determinat ad ſignificationem ſacramentalem. Forma autem exprimit exteriorem corporis ablutionem.

3. Ex

3. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ baptiſmum ſemper contulit per exteriorem corporis ablutionem; ſemper enim baptizavit, vel per immerſionem in aquam, vel per aſperſionem ſeu effuſionem aquæ. Immergere autem, vel aſpergere, eſt abluere, ut dicit S. Thomas hic quæſt. 66, art. 7. in O. *Ablutio*, inquit, *fieri poteſt per aquam, non ſolùm per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis, vel effuſionis*. Sed

Nota 1. Exterior corporis ablutio completè ſumpta, duo eſſentialiter complectitur; actionem ſcilicet baptizantis, quam directè exprimit forma Latinorum: *Ego te baptizo*; & paſſivam receptionem baptizati, quam forma Græcorum: *Baptizatur ſervus Chriſti*, directè ſignificat. Unde materia proxima baptiſmi adæquatè ſumpta, eſt aqua à miniſtro applicata, & vi hujus applicationis corpus baptizati ſucceſſivè, ac immediatè contingens.

Dico 1. A miniſtro applicata: nam ablutio debet fieri à miniſtro: hoc enim dicit forma: *Ego te baptizo*. *Baptizatur* (à me) *ſervus Chriſti*. Ergo neceſſe eſt, ut miniſter aquam applicet. Dico 2. Succeſſivè ac immediatè contingens corpus baptizati; ad veram enim rei alicujus ablutionem, ſive per aquam, ſive per liquorem alium, requiritur contactus aquæ, vel alterius liquoris ſucceſſivus & immediatus; nam aqua, idem dic de quolibet alio liquore, nunquam dicta eſt abluere rem, quam non immediatè tangeret; aut ſi immediatè tangeret, non tangeret ſucceſſivè, ut patet in vaſe aqua pleno, quod tamen abluere non dicitur aqua.

Nota 2. Hic corrigendus eſt error vulgi, confundentis ablutionem cum expurgatione, & communiter cenſentis non ablui id, quod non expurgatur ſordibus. Ablutio itaque propriè & ſtrictè dicta, ab expurgatione ſeu emundatione diſtinguitur, & ſe habet ad illam ut cauſa ad effectum, ſine quo eſſe poteſt: corpus enim v. grat. verè ac propriè abluitur, cùm immediatè ac ſucceſſivè tangitur ab aqua, quod eſſe poteſt ſine emundatione; ſive quia corpus nullas habet ſordes; ſive quia ſordes adhærent tenaciùs; ſive denique quia ipſa aqua ſordida eſt. Hinc ad valorem baptiſmi non requiritur corporis emundatio, ſicut nec aliqua alia paſſio, putà frigefactio, vel calefactio, aut humefactio; ſed ſufficit contactus ſucceſſivus & immediatus aquæ per miniſtrum applicatæ, qui contactus nullam dicit paſſionem verè & propriè dictam in corpore, ſed meram corporis cum aqua propinquitatem & contiguitatem. Hinc valet baptiſmus, etiamſi adhibeatur aqua lutoſa, aut ante baptiſmum ad majorem decentiam corpus emundetur ab omnibus ſordibus, quia in utroque caſu corpus adhuc per aquam à miniſtro applicatam verè ac propriè abluitur.

Nota 3. Ablutio ex natura ſua ordinatur ad emundationem perficiendam per corporis abluentis partes inſenſibiles penetrantes poros ſordium, & penetrando diluentes, & diluendo abſtergentes, ad quod in corpore abluente liquiditas requiritur: unde abluere eſt actio propria corpori liquido, nec corpori duro convenire poteſt. Hinc glacies, quamvis in partes minutiſſimas contuſa, nix, & arena, nec dicuntur, nec dici poſſunt abluere corpus, quod immediatè & ſucceſſivè tangunt. Hinc aqua congelata, niſi priùs liquefiat, non poteſt eſſe materia baptiſmi, quia quandiu liquida non eſt, tandiu eſt ad abluendum inepta.

Nota 4. Vera & propriè dicta ablutio fieri poteſt duobus modis; per immerſionem ſcilicet, & aſperſionem ſeu effuſionem: ſive enim corpus immergas in aquam, ſive aquam effundas in corpus, aqua corpus immediatè & ſucceſſivè tangit, in quo conſiſtit vera & propriè dicta ablutio. Uterque igitur abluendi modus ad conficiendum baptiſmum de ſe idoneus eſt, & ſufficit, niſi Chriſtus unum è duobus tanquam neceſſarium in particulari determinaſſet, cùm excluſione alterius, quod facere potuit. Unde meritò quæritur, utrùm validè conferatur baptiſmus per utrumque illum modum abluendi? Cui quæſtioni jam ſatisfaciendum eſt. Pro quo ſit

Responsio II.

Exterior corporis ablutio facta à miniſtro per immerſionem, ſufficit ad valorem baptiſmi.

Prob. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ: nam Eccleſia prioribus ſæculis per ſolam immerſionem, tam parvulis quàm adultis baptiſmum contulit, extra caſum neceſſitatis. Atqui Eccleſia circa ea, quæ ad valorem ſacramentorum requiruntur, errare non poteſt. Ergo, &c.

Prob. ant. Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimonio; Dionyſii ſcilicet Areopagitæ lib. de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 2. *Hierarcha*, inquit, *in loco ſuperiore ſtans. ... ter illum* (qui initiatur) *demergit, atque in tribus ejus, qui initiatur, demerſionibus emerſionibuſque, trium divinæ Beatitudinis perſonarum nomina appellat & invocat*. Cyrill. Hieroſ. catech. 3. *Deſcendis quidem*, inquit, *in aquam, ferens peccata .... Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis vivificatus in juſtitia*. Baſilii lib. de Spiritu S. cap. 27. *Jam ter*, inquit, *immergi hominem, unde eſt traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptiſmo, veluti renunciare Satanæ & angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonnè ex privata & arcana hac traditione* (Apoſtolica.) Chryſoſtomi hom. 24. in Joan. *In aqua*, inquit, *tanquam in ſepulchro caput immergentibus vetus homo ſepelitur & ſubmergitur; deinde nobis emergentibus, novus reſurgit inde ..... Ter iſtud fit, ut hinc Patris, & Filii, & Spiritus S. virtutem hæc omnia implere intelligas*. Theodoreti lib. 4. hæt. fab. in Eunomio, ubi de eo ſic loquitur: *Ipſe quoque ſubvertit ſancti baptiſmi ritum, à Domino & Apoſtolis ab initio traditum .... dicens non oportere ter immergere eum qui baptizatur*. Ex Damaſceni lib. 4. de fide cap. 10. *Baptiſmus*, inquit, *per triplicem immerſionem tres dies, quibus Dominus tumulo conditus jacuit, ſignificat*.

Tertulliani lib. de corona militis cap. 3. *Ut à baptiſmate ingrediar*, inquit, *aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto priùs in Eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis ejus. Dehinc ter mergitamur*. Hieronymi lib. 2. in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. *In Patrem*, inquit, *& in Filium, & in Spiritum ſanctum baptizamur. Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat ſacramentum*. Leonis magni epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 3. ubi ut probet baptiſma celebrandum eſſe pridie Paſchatis, ſic ratiocinatur: *Sepulturam triduanam imitatur trina demerſio; & ab aquis elevatio, reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro. Ipſa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt, & virtus muneris, & ſpecies actionis*. Gregorii Magni lib. 1. epiſtol. 41. *Nos*, inquit, *quòd tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur*. Iſidori Hiſpalenſis lib. 2. de officiis Eccl. cap. 24. *Chriſti mors*, inquit, *una pro nobis eſt, in cujus imagine mergimur per myſterium ſacri fontis, ut conſepeliamur Chriſto morientes huic mundo, & ab iiſdem aquis, quibus in forma reſurrectionis ejus emergimur per myſterium, non reverſuri ad corruptionem, ſicut & ille minimè revertitur ad mortem*. Et Anſelmus comment. in cap. 6. epiſt. ad Rom. ubi ſic ait: *Sicut ipſe* (Chriſtus) *tribus diebus in ſepulchro jacuit, ſic nos tribus vicibus ſepulchro baptiſmatis immergimur*.

Responsio III.

Sufficit etiam ad valorem baptiſmi exterior corporis ablutio, facta à miniſtro per aſperſionem, ſeu effuſionem.

Prob. 1. Ex Act. cap. 2. tria circiter hominum millia una die baptizarunt Apoſtoli: nam ibi dicitur: *Qui ergo receperunt ſermonem ejus* (Petri,) *baptizati ſunt, & appoſita ſunt in die illa animæ circiter tria millia*. Atqui tantam hominum multitudinem una die baptizatam fuiſſe per immerſionem, credibile non eſt. 2. Ex praxi Eccleſiæ: nam toto eo tempore,

quo

quo vigit mos baptizandi per immerſionem, baptiſmus in caſu neceſſitatis per effuſionem collatus eſt, nec poſteà iteratus, ut patet ex Clinicis, qui in lectulo, ob inſtans mortis periculum, per effuſionem baptizari, etiamſi poſteà convaleſcerent, non rebaptizabantur. 3. Ratione. Quia ad valorem baptiſmi requiſivit tantùm Chriſtus pro materia remota aquam, juxta illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, & pro materia proxima veram, & propriè dictam ablutionem, juxta illud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*. Atqui vera & propriè dicta ablutio tam fit per effuſionem, quàm per immerſionem, ut jam probatum eſt. Ergo, &c.

Hoc argumentum ſuggerit S. Thomas hìc qu. 66. art. 7. in O. ubi ſic ait: *Aqua aſſumitur in ſacramento baptiſmi* (ſecundùm Chriſti inſtitutionem) *ad uſum ablutionis corporalis, per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri poteſt per aquam, non ſolùm per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis vel effuſionis. Et ideò ... poteſt fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis.*

Confirmatur authoritate S. Cypriani epiſtol. 64. ad Magnum. Hic à Cypriano quæſierat, utrùm hi, *qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur* (per baptiſmum) *habendi ſint legitimi chriſtiani, eò quòd aqua ſalutari non loti ſunt* (per immerſionem ſcilicet) *ſed perfuſi? Nota obiter*. Non dubitabat Magnus, ut aliquibus videtur, utrùm baptiſma infirmis per effuſionem collatum valeret; ſed, quod aliud eſt, utrùm habendi ſint legitimi chriſtiani, hoc eſt, utrùm illis vi baptiſmatis per effuſionem, non per immerſionem, etiam validè ſuſcepti, competant jura omnia, quæ legitimis chriſtianis competunt.

Tales autem reſpondet S. Martyr nil minus accipere, quàm ii qui per immerſionem baptizantur: *Æſtimamus*, inquit, *in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia divina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plena & tota fide & dantis, & ſumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur .... In ſacramentis ſalutaribus, neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia*. Et allegatis aliquot veteris Scripturæ textibus, ſic ex illis concludit: *Unde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar lavachri ſalutaris obtinere: & quando hæc in Eccleſia fiunt, ubi ſit & dantis & accipientis fides integra, ſtare omnia, & conſummari ac perfici poſſe majeſtate Domini, & fidei veritate .... Et idcircò quantum fide concipere & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt, ut chriſtianus judicetur legitimus, quiſquis fuerit in Eccleſia lege & jure fidei divinam gratiam conſecutus*, (etiamſi lotus non fuerit per immerſionem, ſed ſolùm aſperſus, vel perfuſus.)

Hanc autem ſententiam ſuam ut confirmet, ſic adhuc ratiocinatur. Vel baptiſmus per aſperſionem collatus nullius eſt efficaciæ, vel non tantam habet, quantam habet collatus per immerſionem, & quanta requiritur, ut quis ſit legitimus chriſtianus. Hoc utrumque falſum eſt: *Aut ſi aliquis exiſtimat eos*, inquit, *nihil conſecutos, eò quod ab aqua ſalutari tantum perfuſi ſint, ſi inanes & vacui ſunt, non decipiantur, ut ſi incommodum languoris evaſerint, & convaluerint, baptizentur: ſi autem baptizari non poſſunt, qui jam baptiſmo Eccleſiaſtico ſanctificati ſunt, cur in fide ſua & Domini indulgentia ſcandalizentur? An conſecuti ſunt quidem gratiam dominicam, ſed breviore & minore menſura muneris divini ac Spiritus S. ut habeantur quidem chriſtiani, non ſint tamen cæteris adæquandi? Quin imo Spiritus S. non de menſura datur, ſed ſuper credentem totus infunditur. Nam ſi dies omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari, & æquali luce diffunditur, quantò magis Chriſtus, ſol & dies verus, in Eccleſia ſua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur?*

Denique poſtquam hanc æqualitatem probavit exemplo mannæ, quæ gratiæ in lege nova à Chriſto per ſacramenta dandæ figura fuit, ad plenam ſententiæ ſuæ confirmationem ſubjicit: *Hoc denique & rebus ipſis experimur, ut neceſſitate urgente, in ægritudine baptizati, & gratiam conſecuti, careant immundo ſpiritu, quo antea movebantur, & laudabiles ac probabiles in Eccleſia vivant, pluſque per dies ſingulos in augmentum cæleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiant.*

Juxta Cyprianum igitur, baptiſmus validè per effuſionem confertur, & tam validè, quàm per immerſionem. Item baptiſmus per effuſionem collatus tam efficax eſt, quàm collatus per immerſionem. Item baptiſmus collatus per effuſionem, non iterabatur in antiqua Eccleſia; & qui ſic baptizati erant, tanquam vera Eccleſiæ membra, ad aliorum ſacramentorum participationem admittebantur. Item qui ſic baptizantur, tam habendi ſunt legitimi chriſtiani, quàm qui per immerſionem baptizantur. Baptiſmus igitur perinde valet, juxta Cyprianum, ſive per immerſionem, ſive per effuſionem, ſeu aſperſionem conferatur. Hic porrò, quod obiter obſervamus, cautè legendus eſt Cyprianus, utpotè errorem ſuum circa hæreticorum baptiſma catholicæ veritati immiſcens.

ARTICULUS V.

Difficultates aliquot circa materiam proximam Baptiſmi proponuntur, & reſolvuntur.

QUæres 1. Utrùm conſuetudo abluendi per immerſionem, inducta fuerit ab Apoſtolis?

Reſp. Affirmativè. Nam 1. hoc expreſsè docent S. Baſilius, & Theodoretus, locis articulo ſuperiore reſp. 2. citatis; & ante eos docuit Tertullianus lib. & cap. ibidem citatis. Nam poſt verba à nobis relata, multa alia commemorat in Eccleſia obſervari ſolita; tum ſic continuò proſequitur cap. ſequenti: *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi oſtendetur auctrix.*

2. Baptiſmus per immerſionem in tota Eccleſia conferebatur ſecundo ſæculo, ut patet ex Tertulliano libr. de cor. milit. cap. 3. ubi ablutionem factam per modum immerſionis, accenſet aliis, quæ religiosè ſervabantur in univerſa Eccleſia. Ergo conſuetudo abluendi per immerſionem, vel ab Apoſtolis, vel poſt mortem Apoſtolorum, finito ſcilicet primo ſæculo, à plenario aliquo Concilio, aut certè ſummo aliquo Pontifice præſcripta eſt: valet enim quod dicit ſanctus Auguſtinus epiſt. 118. cap. 1. *Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis* (adde, ſi vis, vel ſummis Pontificibus) *quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Atqui nullum fuit plenarium Concilium ante quartum ſæculum; neque aſſignari poteſt Pontifex aliquis, qui conſuetudinem abluendi per immerſionem ſæculo ſecundo præſcripſerit. Ergo ab Apoſtolis inducta eſt conſuetudo abluendi per immerſionem, & quidem trinam: nam Patres laudati de trina loquuntur; & trina, teſte Tertulliano, uſurpabatur ab univerſa Eccleſia ſecundo ſæculo.

Probant nonnulli reſponſionem noſtram ex facto Philippi diaconi, qui Eunuchum Candacis Reginæ baptizaſſe refertur, Act. cap. 8. ubi hæc verba leguntur: *Deſcenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum. Cum autem aſcendiſſet de aqua, ſpiritus Domini rapuit Philippum.* At ex eo quòd Eunuchus in aquam deſcenderit, ut baptizaretur, non video quomodo efficaciter probari poſſit, eum per immerſionem baptizatum fuiſſe: potuit enim in aquam deſcendere, ut commodiùs baptizaretur per effuſionem. Certè Chriſtus, ut à Joanne baptizaretur, deſcendit in aquam, ut conſtat ex Matth. cap. 3. ubi dicitur: *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua*; & tamen quòd non per

immer-

Digitized by Google

immerſionem, ſed per effuſionem Chriſtum Joannes baptizarit, ſententia communis eſt, quam picturæ innumeris in locis exprimunt.

Dices. Si conſuetudo abluendi per immerſionem, Eccleſiæ tradita eſt ab Apoſtolis, non potuit aboleri, & alia ejus loco inſtitui conſuetudo, ſcilicet abluendi per ſolam effuſionem extra caſum neceſſitatis. Nego ſeq. *Prob.* Quæ ſunt juris divini, non poſſunt aboleri ab hominibus. Atqui ſi conſuetudo abluendi per immerſionem, &c. eſt juris divini. *Reſp.* neg. ſeq. min. *Prob.* Omnia quæ Eccleſiæ tradita ſunt ab Apoſtolis, ſunt juris divini. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. ant. Omnia quæ Eccleſiæ tradita ſunt ab Apoſtolis, tanquam puris organis Spiritus ſancti, ſunt juris divini, C. ant. nam horum omnium author & inſtitutor eſt Deus, Apoſtoli verò promulgatores tantùm. Hujus generis ſunt baptiſmus parvulorum, imaginum veneratio, invocatio Sanctorum, &c. Omnia quæ Eccleſiæ tradita ſunt ab Apoſtolis, ut prælatis & paſtoribus illius, Neg. ant. Ea enim omnia ſunt tantùm juris Eccleſiaſtici, & potuerunt, aut poſſent mutari, vel abrogari ab Eccleſia, quæ tantam habet authoritatem, quantam habuerunt Apoſtoli, quà paſtores ejus. Hujus generis eſt irregularitas, quæ per bigamiam incurritur: hanc enim irregularitatem impoſuit Paulus Apoſtolus ut rector Eccleſiæ: unde juſtas ob cauſas Eccleſia poſſet eam tollere. Ejuſdem generis eſt conſuetudo abluendi per immerſionem, quam proinde abolere potuit Eccleſia juſtas ob cauſas, quales ei non defuiſſe, pro certo ſtatuendum eſt.

Quæres 2. Quandiu viguerit in Eccleſia conſuetudo non abluendi niſi per immerſionem, extra caſum neceſſitatis?

Reſp. Viguiſſe undecim ſaltem prioribus Eccleſiæ ſæculis, Patet ex art. ſuper reſp. 2. Anſelmus enim, quem ex Patribus ultimum laudavimus, floruit ſæculo undecimo ad finem vergente. Dixi, Saltem; nam quòd etiam viguerit duodecimo ſæculo ſaltem ex parte maxima, argui poteſt ex Magiſtro Sententiarum; hic enim lib. 4. ſent. diſt. 3. litt. I. loquens de materia proxima baptiſmi, hæc tantùm habet: *De immerſione vero ſi quæritur, quomodo fieri debeat, præcisè reſpondemus, vel ſemel, vel ter, pro vario more Eccleſiæ.* Sic autem loquendo, apertè videtur ſupponere, non alium in Eccleſia morem fuiſſe, cùm hæc ſcriberet, hoc eſt circa annum 1150. quàm abluendi per immerſionem; nec tunc temporis collatum fuiſſe baptiſmum per aſperſionem ſeu effuſionem, ſaltem extra caſum neceſſitatis.

Quæres 3. Utrùm toto eo tempore neceſſaria fuerit trina immerſio?

Reſp. Non fuiſſe neceſſitate præcepti divini neceſſariam, Nam ſic neceſſaria non ſunt in ſacramentis, niſi ea quæ ſunt de ſubſtantia ſacramentorum, Atqui trina immerſio non eſt de ſubſtantia baptiſmi, etiam ex hypotheſi quòd conferatur per immerſionem: vera enim & propriè dicta ablutio exterior, quæ eſt materia proxima baptiſmi, tam fit per unam immerſionem, quàm per trinam; & una immerſio tam apta eſt ad ſignificandam internam cordis ablutionem, quàm trina. Ergo, &c.

Huic doctrinæ planè conſonat S. Gregorius epiſt. 41. ad Leandrum Hiſpaniarum Epiſcopum, in qua hæc ſcribit: *De trina merſione baptiſmatis, nihil reſponderi verius poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis* (trinam ſcilicet merſionem neceſſariam non eſſe ad valorem ſacramenti, & unicam ſufficere; atque ſine aliquo Eccleſiæ detrimento juſtas ob cauſas ab authoritate legitima præſcribi, & præſcriptam uſurpari poſſe) *quia in una fide nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quòd tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus* (quæ ſignificatio non eſt eſſentialis baptiſmo, ſed accidentalis;) *Quod ſi quis fortè etiam pro ſumma Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizando, ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile nullatenus eſſe poteſt, infantem in baptiſmate, vel ter, vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari.*

Ex his porrò, quæ ſubjicit: *Sed quia nunc huc uſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, ſe morem veſtrum viciſſe glorientur;* facilè intelligimus, ante ſeptimum ſæculum in multis Hiſpaniarum Eccleſiis uſum unicæ immerſionis receptum fuiſſe, propter Arianos, qui triplici immerſione abutebantur, ad divinitatem in tres ſubſtantias dividendam.

Uſum hunc ſemel tantùm immergendi in baptiſmate, lege ſua ſancivit pro tota Hiſpania Concilium Toletanum IV. anno 633. ut patet ex canone 6. in quo ſic loquitur: *Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem; ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum probare aſſertionem, dum ſequuntur & morem.*

Quia autem ab aliquibus objici poſſet, baptiſmum in unica merſione collatum deficere in ſignificatione, ſic proſequitur: *Et ne fortè cuiquam ſit dubium hujus ſimpli myſterium ſacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari: nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt; & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo Unitatem divinitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendi: Unitatem dum ſemel immergimus, Trinitatem dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizamus.* Sed

Obiter hìc obſerva, baptiſmum à Chriſto inſtitutum tantùm fuiſſe ad ſignificandam ſpiritualis regenerationis gratiam per exteriorem corporis ablutionem, & formulam verborum continentem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis in unitate eſſentiæ ſubſiſtentis invocationem. Unde ad eſſentiam baptiſmi non pertinet triduanæ ſepulturæ Chriſti & ejus reſurrectionis ſignificatio; & cùm olim ad utramque ſignificandam Eccleſia trinam vel unam immerſionem uſurpavit in baptiſmo, hoc laudabiliter quidem, ſed præter Chriſti inſtitutionem fecit.

Contra decretum Concilii Toletani objici poteſt, 1. Canon apoſtolicus 49. quo jubetur deponi Epiſcopus aut presbyter, qui in baptiſmo non trinam, ſed unam tantùm immerſionem adhibet. 2. Can. 7. Concilii generalis II. in quo dicitur, Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur, ab Eccleſia ut Græcos ſeu Ethnicos admitti, & poſt ſufficientem inſtructionem rebaptizari.

Reſp. ad 1. Canonem illum, qui à compilatore aliquo videtur Apoſtolis perperam inſcriptus, loqui de Epiſcopo vel presbytero, qui baptiſmum confert per unicam immerſionem ſine invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis: ſic enim habet canon ille: *Si quis Epiſcopus aut presbyter in una initiatione non tres immerſiones, ſed unam dumtaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor.* Non enim dixit Dominus: *In mortem meam baptizate; ſed, profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Reſp. ad 2. Eunomianos rebaptizatos fuiſſe, non præcisè quia in unam tantùm demerſionem baptizabantur, ſed quia baptizabantur ſic ſine invocatione trium perſonarum, & in mortem Chriſti dumtaxat, adeòque ſine forma à Chriſto præſcripta, & eſſentiali baptiſmo, Patet ex Theodoreto libro 4. hæreſ. fab. ubi Eunomium docuiſſe ſcribit, *non oportere ter immergere eum, qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, ſed ſemel baptizare in mortem Chriſti*, hoc eſt, ſemel immergere ad ſignificandam Chriſti mortem, ſine prolatione horum verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Quam doctrinam manifeſtè petit canon Apoſtolicus 49. quem idcircò non credimus editum, niſi poſt exortam Eunomianam hæreſim.

Trina igitur immerſio nunquam neceſſaria fuit neceſſitate

ceſſitate præcepti divini, ſed ſolùm tandiu neceſſaria fuit neceſſitate præcepti eccleſiaſtici, quandiu viguit conſuetudo baptizandi per immerſionem: tandiu enim graviter illicitum fuit una dumtaxat immerſione baptizare. Ratio eſt, quia conſuetudo baptizandi per trinam immerſionem ab Apoſtolis inducta, vim legis, adeòque propter gravitatem materiæ graviter obligandi habuit; donec conſuetudo baptizandi per immerſionem aboleretur per conſuetudinem baptizandi per aſperſionem ſeu effuſionem, legitimè præſcriptam. Cùm itaque conſuetudo baptizandi per immerſionem vigueret adhuc ſæculo decimo-tertio in longè majori parte Eccleſiæ, in longè majori parte Eccleſiæ trina immerſio etiam ſæculo decimo-tertio neceſſaria fuit neceſſitate præcepti eccleſiaſtici; adeòque etiam ſæculo decimo-tertio unica immerſione baptizare, graviter illicitum fuit in majori parte Eccleſiæ. Dico, In majori parte Eccleſiæ: nam ſaltem excipiendæ ſunt Hiſpaniæ, quia pro illis uſus ſimplæ immerſionis juſtas ob cauſas in Toletana Synodo ſancitus fuerat ſæculo ſeptimo: unde ab eo tempore in omnibus Hiſpaniarum provinciis baptiſmus per ſimplam immerſionem licitè collatus eſt.

Patent hæc ex S. Thoma, qui in extrema ætate Summam ſuam theologicam exaravit, & mortuus eſt anno 1274. Hic autem 3. part. quæſt. 66. art. 8. in O. ſic loquitur: *Ad baptiſmum per ſe requiritur ablutio aquæ, quæ eſt de neceſſitate ſacramenti: modus autem ablutionis per accidens ſe habet ad ſacramentum: & ideò ..... quantum eſt de ſe, utrumque licitè fieri poteſt, ſcilicet & ſemel & ter immergere .... ſed diverſis ex cauſis ſecundum ordinationem Eccleſiæ, quandoque inſtitutus eſt unus modus, quandoque alius. Quia enim à principio naſcentis Eccleſiæ, quidam de Trinitate male ſentiebant ...... ideò non baptizabant in nomine Trinitatis .... & una immerſione: quod reprobatum fuit in primitiva Eccleſia .... Poſtmodum verò inolevit quorumdam ſchiſmaticorum & hæreticorum error, homines rebaptizantium ... & ideo in deteſtationem erroris eorum, fuit ſtatutum in Concilio Toletano, quòd fieret una ſola immerſio ... Sed ceſſante tali cauſa, communiter obſervatur in baptiſmo trina immerſio; & ideo graviter peccaret aliter* (hoc eſt, per unam tantùm immerſionem) *baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans: nihilominùs tamen eſſet baptiſmus.*

Juxta S. Thomam igitur, trina immerſio non fuit juris divini, quia non fuit de neceſſitate ſacramenti, ſed fuit juris eccleſiaſtici à principio naſcentis Eccleſiæ uſque ad ſeptimum ſæculum pro univerſa Eccleſia, & à ſeptimo ſæculo uſque ad decimum tertium incluſivè pro omnibus Eccleſiis extra Hiſpanias ſitis, paucis ſcilicet exceptis, in quibus hoc ſæculo decimo-tertio conſuetudo baptizandi per effuſionem jam obtinuerat, & ita deſierat conſuetudo baptizandi per immerſionem. Hic porrò, quod aſſertioni noſtræ non officit, duplici errore facti labitur Sanctus Doctor: nam 1. dicit trinam immerſionem ab Apoſtolis fuiſſe præceptam ex occaſione alicujus erroris; cùm antiqui Patres apertè ſignificent inſtitutam fuiſſe ab Apoſtolis ad expreſſionem myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis proteſtationem, ac triduanæ ſepulturæ Chriſti, & ejus reſurrectionis ſignificationem. 2. Dicit à Toletana Synodo ſimplam immerſionem ſtatutam fuiſſe in deteſtationem erroris hæreticorum homines rebaptizantium; cùm ſtatuta fuerit in deteſtationem erroris Arianorum, trina immerſione abutentium ad ſignificandam multiplicitatem ſubſtantiarum abſolutarum in Deo, ut patet ex ipſa Synodo Toletana.

Quæres 4. Utrùm in ſingulis merſionibus olim, cùm baptiſmus per trinam immerſionem conferebatur, tres perſonæ SS. Trinitatis nominarentur, & ita ter proferretur verborum formula?

Reſp. Negativè, ſed in ſingulis merſionibus una tantùm nominabatur perſona; in prima quidem Pater, in ſecunda Filius, & in tertia Spiritus Sanctus. Unde baptizans, ter immergendo, ſemel tantùm dicebat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Prob. 1. Ex Tertulliano lib. adverſùs Praxeam c. 26. ubi ſic loquitur: *Noviſſimè mandans* (Chriſtus) *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum S. non in unum: nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tinguimur.* 2. Ex Rituali Romano, ubi hæc leguntur, in ordine baptiſmi parvulorum: *Ubi autem eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, ſacerdos accipit infantem, & advertens ne lædatur, cautè immergit, & trina merſione baptizat, & ſemel tantum dicit:* Ego te baptizo, &c.

Quæres 5. Quandonam in Eccleſia cœperit mos baptizandi per aſperſionem ſeu effuſionem, extra caſum neceſſitatis?

Reſp. Omninò videri dicendum, quòd cœperit ſæculo decimo-tertio ineunte: hæc enim praxis jam in Eccleſiis non paucis recepta erat, quando Summam componebat S. Thomas, ut non obſcurè arguitur ex 3. part. quæſt. 66. art. 7. ubi ſic ait in O. *Quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus, poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis.* Et ad 2. *In immerſione expreſſius repræſentatur figura ſepulturæ Chriſti: & ideò hic modus baptizandi eſt communior & laudabilior.* Cùm autem dicebat ſanctus Doctor, modum baptizandi per immerſionem communiorem eſſe, manifeſtè ſignificabat, tunc temporis multis jam in locis modum baptizandi per effuſionem obtinuiſſe.

Hic porrò modus baptizandi per aſperſionem ſeu effuſionem, quem minùs laudabilem eſſe, & modo baptizandi per immerſionem poſtponendum judicabat S. Thomas, ita poſt ſæculum decimum-tertium invaluit, ut ſæculo decimo-quinto, tempore Concilii Florentini, in Eccleſia Latina communiſſimus eſſet, ut apertè colligitur ex epiſtola encyclica, quam Marcus Epheſius poſt Florentinam Synodum ad omnes chriſtianos ſcripſit, & in qua hic Hereſiarcha, ut refert Arcudius lib. 1. de concord. cap. 10. Reprehendit antiſtites Græcos, “quòd conjuncti fuerint cum Latinis, & tamen inter cætera, quæ ipſe recenſet abſurda, duo etiam baptiſmata fieri patiantur, unum Græcorum per trinam immerſionem, alterum Latinorum per infuſionem.”

Adhuc tamen modus baptizandi per immerſionem ab aliquibus Eccleſiis aliquandiu ſervatus eſt poſt ſæculum decimum-ſextum, ut colligitur ex jam citato Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito anno 1614. in ordine baptiſmi parvulorum, verbis ſupra citatis, & in ordine baptiſmi adultorum, in quo dicitur: *In Eccleſiis autem ubi baptiſmus fit per merſionem ſive totius corporis, ſive capitis tantum, ſacerdos accipiat electum per brachia prope humeros; & ſuperiore parte corporis nudatum, reliqua honeſtè contectum, ter illum vel caput ejus mergendo, & toties elevando baptizat ſub trina merſione S. Trinitatem ſemel tantum ſic invocando, &c.*

Hic obiter obſerva, eos omnes qui baptizabantur, tam parvulos quàm adultos, in primitiva Eccleſia toto corpore in aquam mergi ſolitos fuiſſe, ut de adultis teſtatur S. Auguſtinus hom. 3. ad Neophytos, apud Gratianum de conſecrat. diſt. 4. cap. 73. *In hoc ergo fonte,* inquit, *antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus: Credis in Deum Patrem, &c.* Et de parvulis apertè agnoſcimus ex S. Gregorio in jam citata epiſt. ad Leandrum, ubi ait: *Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur* (pondera has voces: *Ab aquis educitur*) *reſurrectio triduani temporis exprimatur.* Hic autem mos mergendi toto corpore, non ſolùm in maribus, ſed etiam in fœminis baptizandis ſervabatur, ut clarè ſignificat S. Chryſoſtomus in prima ſua epiſtola ad Innocentium Pontificem, in qua ſic loquitur tom. 2. Concil. pag. 1297. *Mulieres quoque quæ per illud tempus ſe exuerant ut baptizarentur, metu graviorum inſidiarum nudæ aufugerant: neque enim concedebatur*

tur

tur ut ſe velarent, ſicut mulieres honeſtas decet. Sic autem fœminæ ad baptiſmum denudari deſierunt, cùm deſiit in Eccleſia uſus diaconiſſarum. Sed ex occaſione data.

Quæres 6. Utrùm ad valorem baptiſmi requiratur ablutio totius corporis?

Reſp. Non requiri, ſed ſufficere ablutionem capitis, ut certum eſt ex praxi totius Eccleſiæ Latinæ, quæ non totum corpus, ſed ſolum caput abluit. Patet etiam ex Rituali Romano, ubi ad baptiſmum ſolius capitis ablutio præſcribitur, ſive per infuſionem, ſive per immerſionem baptiſmus conferendus ſit.

Utrùm autem ſufficiat ablutio alterius partis notabilis, ut pectoris, humerorum, brachii, &c. controvertitur. Sententia affirmans videtur quidem valdè probabilis, ſed non eſt certa: unde graviter peccaret, qui extra caſum neceſſitatis, omiſſo capite, aliam corporis partem etiam notabilem ablueret, quia ſacramentum periculo nullitatis exponeret. Quòd ſi quis in caſu neceſſitatis baptiſmum conferret per ablutionem partis alterius quàm capitis, non peccaret quidem; at baptiſmus ſic collatus, poſteà ſi fieri poſſet, iterandus eſſet, ſaltem ſub conditione. Porrò baptizans curare tenetur ſub gravi, ut aqua ad cutem perveniat in ea copia, quæ ſufficiat ad hoc, ut qui baptizatur, ſecundùm communem æſtimationem cenſeatur ablutus.

Quæres denique 7. Utrùm quando ablutio fit per immerſionem (ſic enim adhuc licitè fieri poteſt in caſu neceſſitatis in Eccleſia Latina) requiratur emerſio ad valorem baptiſmi?

Reſp. Non requiri. Ratio eſt, quia qui in aquam projiciuntur, licèt ex aqua non educantur, verè abluuntur: ad ablutionem enim præcisè requiritur contactus immediatus & ſucceſſivus aquæ circa corpus. Ad hunc autem contactum ſufficit motus localis, vel aquæ circa corpus, ut fit in effuſione, vel corporis in aqua, ut fit in immerſione, ſive poſteà ſequatur emerſio, ſive non. Hinc ſi quis infantem in flumen projiciat cum intentione illum baptizandi, & omnia formæ verba proferat, antequam infans aquis extinguatur, tunc verus erit baptiſmus, & infans ſalvabitur.

Dices. 1. Sic immergere infantem, non eſſet eum abluere, ſed ſuffocare. 2. Talis actio eſſet illicita & mala. 3. Credibile non eſt, Chriſtum talem abluendi modum inſtitutione ſua comprehendiſſe. *Reſp. ad* 1. Eſſet utrumque. *Reſp. ad* 2. Actio aliqua, quamvis illicita & mala, poteſt nihilominùs eſſe verum ſacramentum, ut aliàs oſtenſum eſt. *Reſp. ad* 3. Chriſtus ad valorem baptiſmi inſtitutione ſua aliud non requiſivit, quàm immediatam & ſucceſſivam aquæ naturalis applicationem ad corpus baptizati, factam à miniſtro proferente hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* Aut æquivalentia, cum intentione conferendi baptiſmum. Prætereà noluit valorem ſacramentorum impediri per miniſtrorum malitiam.

ARTICULUS VI.

De forma baptiſmi.

Circa formam baptiſmi quæri poteſt. 1. Utrùm baptiſmus in Eccleſia nunquam collatus fuerit ſine expreſſa & diſtincta invocatione trium perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis. 2. Utrùm hæc expreſſa & diſtincta invocatio trium perſonarum Trinitatis ſit eſſentialis baptiſmo. 3. Utrùm præter invocationem hanc ad perfectionem requirantur hæc verba: *Ego te baptizo*, aut alia æquivalentia. 4. Quænam ſit forma baptiſmi in Eccleſia Latina. 5. Quænam ſit forma baptiſmi apud Græcos, & an differat ſubſtantialiter à noſtra. Quibus quæſtionibus ſatisfiet ſequentibus paragraphis.

§. I.

Baptiſmus in Eccleſia nunquam collatus eſt ſine expreſſa, & diſtincta invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis.

Hujus facti teſtis pro ſæculo primo Dionyſius libro de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 2. *In tribus ejus, qui initiatur, demerſionibus, emerſionibuſque*, inquit, *trium divinæ Beatitudinis perſonarum nomina appellat & invocat.*

Pro ſæculo ſecundo Juſtinus Martyr, Apolog. 2. *Eò*, inquit, *adducuntur à nobis* (catechumeni) *ubi aqua eſt; atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur; nam in nomine rerum cunctarum Parentis, & Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti in aqua tum lavantur.*

Pro ſæculo tertio, Tertullianus lib. adverſ. Praxeam cap. 26. *Noviſſimè*, inquit, *mandans* (Chriſtus) *ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non in unum. Nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tinguimur.*

Pro ſæculo quarto, ex Latinis S. Hilarius lib. 1. de Trinit. n. 21. *Sequens* (libellus) *ita*, inquit, *ſacramentum edocet divinæ generationis, ut baptizandi in Patre, & Filio, & Spiritu S. non ignorent nominum veritatem, neque vocabulis intelligentiam confundant, ſed unumquodque ita ſenſu concipiant, ut eſt ac nuncupatur* (in baptiſmo.) Ex Græcis S. Baſilius lib. de Spirit. S. cap. 12. *Sicut*, inquit, *credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum S. ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Pro ſæculo quinto, ſanctus Auguſtinus libro 6. de bapt. cap. 25. *Dicimus*, inquit, *non omnem baptiſmum .... ſed baptiſmum Chriſti*, ideſt, *verbis evangelicis* (quæ ſcilicet leguntur Matth. cap. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*) *Conſecratum, ubique eundem eſſe*. Ex Græcis Theodoretus lib. 4. hæret. fab. in Eunomio, ubi huic hæreſiarchæ exprobrat, quòd ritum baptiſmi à Domino & Apoſtolis ab initio traditum, adeòque in Eccleſia univerſa obſervatum ſubverterit, docendo non oportere ter immergere, nec Trinitatem invocare.

Pro ſæculo ſexto, S. Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. cap. 11. *Omnis*, inquit, *qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ſacramento ſanctæ regenerationis abluitur, nonniſi in Chriſti morte, ac nomine baptizatur, ut evidenter appareat illi nos conſepultos eſſe per baptiſmum in morte, in cujus uno cum Patris, & Spiritus ſancti conſtat nomine baptizatos.*

Pro ſæculo ſeptimo, S. Iſidorus lib. 2. de off. Eccl. cap. 24. *In Patre*, inquit, *& Filio, & Spiritu ſancto ſalutaria baptiſmi dona conſiſtunt. Unde nequaquam baptiſmi ſanctificatur officio, niſi qui ſub Trinitatis tingitur ſacramento, ſicut Dominus ait:* Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.

Pro ſæculo octavo, S. Damaſcenus lib. 4. orth. fid. cap. 10. *Ob id*, inquit, *in ſanctam Trinitatem baptizamur, quòd ii ipſi qui baptizantur, tum ad ſui coagmentationem, tum ad conſervationem ſancta Trinitate opus habent.*

Pro ſæculo duodecimo, Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 3. litt. B. *Sed quod eſt illud verbum*, inquit, *quo accedente ad elementum fit ſacramentum? Veritas te docet, quæ hujus ſacramenti formam tradens ait diſcipulis:* Ite docete.... *Invocatio igitur Trinitatis verbum dicitur, quo baptiſma conſecratur: & hæc forma verborum, ſub qua traditur baptiſmus.*

Pro ſæculo decimo-tertio, Innocentius III. in Concil. Later. IV. cap. *Firmiter*, in quo ait: *Sacramentum baptiſmi ..... ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, conſecratur in aqua.*

Pro ſæculo decimo-quinto, Eugenius IV. in Conc. Flor. in decr. §. *Primum omnium.*

Pro ſæculo decimo-ſeptimo, Rituale Pauli V. in ordine Baptiſmi parvulorum & adultorum.

Obj.

Obj. Tempore Apoſtolorum baptiſmus conferebatur in ſolo nomine Chriſti: nam dicitur Actor. cap. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu.* Et cap. 8. *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu.* Et cap. 19. *Baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu.* Ad hanc objectionem ſic reſpondet S. Thomas hic qu. 66. art. 6. ad 1. *Dicendum quòd ex ſpeciali Chriſti revelatione* (ſeu diſpenſatione) *Apoſtoli in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant: ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis & gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quòd ad ejus invocationem Spiritus S. dabatur in baptiſmo.*

Sed contra hanc reſponſionem eſt, quia 1. nullibi extat ſufficiens fundamentum aſſerendi talem diſpenſationem conceſſam eſſe Apoſtolis, quibus tamen aliunde conſtat præceptum fuiſſe, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Nam ſi alicubi extat, vel in Scriptura, vel in traditione. Neutrum autem dici poteſt. Non primum: nam textus in objectione allegati, & alii ſimiles, non probant ſolum nomen Filii prolatum fuiſſe in baptiſmo, ut infra oſtendetur. Non etiam ſecundum: talis enim traditionis nullus ex Patribus meminit, & ex illis multi eam, ſi non expreſsè & formaliter, ſaltem æquivalenter & implicitè negant, ut Origenes, Cyprianus, Hilarius, Baſilius, &c. quos infra citabimus.

2. Nulla afferri poteſt cauſa probabilis, ob quam diſpenſatio conceſſa fuerit Apoſtolis baptizandi proferendo ſolum nomen Chriſti. Nam ſi qua fuit hujus diſpenſationis cauſa probabilis, vel quia expediebat nomen Chriſti expreſsè enunciari in forma baptiſmi. At ad hoc, ut nomen Chriſti in baptiſmi forma expreſsè enunciaretur, neceſſe non fuit, ut ſupprimerentur nomina Patris & Spiritus ſancti. Vel quia utile tunc temporis fuit, ut nomina Patris & Spiritus ſancti tacerentur in baptiſmo. At etiam à prædicationis evangelicæ exordio nullus adultus ſine fide explicita Trinitatis licitè baptizari potuit. Ergo nulla tunc temporis eſſe potuit utilitas in myſterio SS. Trinitatis occultando iis, qui ad fidem convertebantur, & baptizabantur, & reticendis ad hunc finem in forma baptiſmi Patris & Spiritus ſancti nominibus: vel denique quia in forma baptiſmi cum nomine Chriſti, Patris & Spiritus ſancti nomina conjungendo, minor Chriſto apud Neophytos conciliabatur reverentia. At hoc eſt evidenter falſum: nam in forma baptiſmi nomina Patris & Spiritus ſancti conjungendo cum nomine Chriſti, ejus divinitas, & cum Patre æqualitas explicitè aſſeritur; implicitè verò tantùm, ſi reticeantur nomina Patris & Spiritus ſancti, ut ejus nomen ſolum proferatur.

Reſp. Itaque negando obj. Et dico etiam Apoſtolos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizaſſe, ſeu nunquam baptizaſſe ſine expreſſa & diſtincta invocatione trium perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis. Nam cùm Chriſtus dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Grave præceptum impoſuit Apoſtolis baptizandi cum expreſſa & diſtincta invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis. Ergo vel ſic baptizarunt, vel aliter baptizando graviter peccarunt, tranſgrediendo præceptum à Domino impoſitum. Secundum dici non poteſt. Ergo, &c.

At inquies. Cum Apoſtolis diſpenſatum eſt, ut aliter baptizarent. *Reſp.* Hic ſine ſufficienti fundamento, & contra doctrinam veterum Patrum, recurri ad diſpenſationem.

Ad 1. Scripturæ locum *reſpondet* S. Cyprianus epiſtol. 70. ad Jubajanum, ex eo non ſequi, quòd Apoſtoli baptizarint in ſolo nomine Chriſti; & Apoſtolis ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, impoſitum fuiſſe præceptum, in quo præcepto, quod evidenter ſuppleri debet, nunquam diſpenſatum eſt. Unde concludit S. Martyr, baptiſmum in ſolo nomine Chriſti collatum, invalidum eſſe: *Jeſu Chriſti*, inquit, *mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi poſt reſurrectionem à Domino Apoſtoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizari gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt ...... in nomine Jeſu Chriſti ..... gentilem baptizatum, remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat* (quo præcepto obligati fuerunt ipſimet Apoſtoli) *in plena & adunata Trinitate?*

Ad 2. *Reſp.* Hanc vocem, *tantum*, dici relativè, non ad nomina Patris & Spiritus ſancti, ſed ad receptionem Spiritus ſancti per impoſitionem manuum, ſeu per ſacramentum Confirmationis. Patet ex contextu: nam loco citato legitur: *Miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu* (hoc eſt, nondùm acceperant Spiritum S. modo ſcilicet ſenſibili, quia nondùm ſacramentum Confirmationis, in quo tunc temporis Spiritus S. dabatur ſenſibiliter, ſed ſolum Chriſti baptiſmum ſuſceperant.) Itaque *tunc* (Petrus & Joannes) *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* (modo viſibili.) *Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, &c.*

Ad 3. *Reſp.* Per contextum confirmari reſponſionem noſtram: nam cap. cit. dicitur: *Factum eſt .... ut Paulus inveniret quoſdam diſcipulos: dixitque ad eos, Si Spiritum S. accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus S. eſt, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Joannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ .... His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu,* (hoc eſt, baptizati ſunt baptiſmo Chriſti, collato cum expreſſa & diſtincta invocatione trium perſonarum Trinitatis, quæ invocatio non fiebat in baptiſmo Joannis.) Unde Spiritus S. ignorari poterat ab iis, qui hunc tantùm, ſecùs verò ab iis, qui illum baptiſmum ſuſcepiſſent. Quare Paulus, qui diſcipulos illos, quos invenerat, exiſtimans baptizatos fuiſſe baptiſmo Chriſti, interrogaverat num Spiritum S. accepiſſent per impoſitionem manuum, ſeu ſacramentum Confirmationis? Spiritum S. neſcire ſe reſpondentes rurſum interrogavit, quo ergo baptiſmo eſſent baptizati? Perinde autem eſt ac ſi dixiſſet: Si Spiritum S. neſcitis, non eſtis baptizati baptiſmo Chriſti, in quo Spiritus ſanctus unà cum Patre & Filio invocatur; quem ergo baptiſmum ſuſcepiſtis?

Scripturæ igitur phraſi, baptizari in nomine Domini Jeſu, idem eſt, ac baptizari authoritate Chriſti, & baptiſmo quem Chriſtus inſtituit, non baptiſmo Joannis, qui in exordio naſcentis Eccleſiæ adhuc erat in uſu, ut patet ex Act. cap. 19. vel certè qui in exordio naſcentis Eccleſiæ baptiſmum Chriſti ſuſcipiebant, dicebantur baptizari in nomine Domini Jeſu, ſub intellectis Patris & Spiritus S. nominibus, quia Apoſtoli nomen Domini Jeſu formæ baptiſmi inſeruerant, ut nomen hoc, quod, ut ait S. Thomas, Judæis & gentilibus tunc odioſum erat, hoc pacto magis amabile & honorabile redderent; atque ita baptizando dicebant: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti; ad quod omninò videtur alludere Juſtinus Martyr, cùm ait in Apolog. 2. *Eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur: nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini Dei & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti in aqua tum lavantur.* Quibus verbis videtur etiam ſanct. Martyr ſignificare ſuo adhuc tempore viguiſſe conſuetudinem nomen Jeſu Chriſti expreſsè invocandi in baptiſmo,

§. II.

Expreſſa & diſtincta invocatio trium perſonarum SS. Trinitatis eſt baptiſmi eſſentialis.

Prob. 1. Authoritate Patrum Græcorum, Origenis ſcilicet in c. 6. epiſt. ad Rom. ubi ad hæc verba: *Quicumque ergo baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte*

ipſius

ipſius baptizati ſumus; ſic ait: *Requiras fortaſſis etiam hoc quod ipſe Dominus dixit ad diſcipulos, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum hic Apoſtolus ſolius Chriſti in baptiſmo nomen aſſumpſit ... cùm utique non habeatur legitimum baptiſma, niſi ſub nomine Trinitatis.* Reſpondet autem Apoſtolum ſolius Chriſti meminiſſe, licèt baptiſmus non valeat, niſi conferatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; quia *non conveniebat ut diceret: Quicumque baptizati ſumus in nomine Patris, vel in nomine Spiritus ſancti, in morte ipſius baptizati ſumus.*

Baſilii lib. de Spir. ſanct. c. 12. *Si in baptiſmo*, inquit, *ſeparare Spiritum à Patre & Filio, ut periculoſum eſt baptizanti, ita baptiſmum accipienti inutile, quomodo nobis tutum fuerit in Patre & Filio diſtrahere Spiritum* (negando ſcilicet illum eſſe ejuſdem cum eis eſſentiæ) *fides ac baptiſma duo ſunt modi parandæ ſalutis, inter ſe cognati & inſeparabiles. Nam fides perficitur per baptiſmum, baptiſmus verò fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces* (Pater, Filius, & Spiritus ſanctus) *impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ac præcedit quidem profeſſio ad ſalutem perducens, ſequitur autem baptiſma conſignans pactum noſtrum.* Duo igitur, juxta Baſilium, ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, credere ſcilicet in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et qui non baptizatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, inutiliter ad ſalutem baptizatur, quia nimirùm invalidè baptizatur.

Chryſoſtomi hom. 20. cap. 5. epiſt. ad Epheſ. ad hæc verba, *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, ſic ait: *In verbo*, inquit, *quonam? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Juxta S. Doctorem, verbum vitæ, cujus virtute is qui baptizatur, mundatur in baptiſmo, ſunt voces illæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Atqui verbum vitæ, cujus virtute, &c. non poteſt non eſſe baptiſmo eſſentiale. Ergo, &c.

Joannis Damaſceni lib. 4. orthod. fid. c. 10. *Nos ſemel baptizari neceſſe eſt*, inquit, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti .... Qui in ſanctam Trinitatem minimè baptizati ſunt, hi denuò baptizentur neceſſe eſt: etſi enim Apoſtolus his verbis utitur*, In Chiſtum & mortem ipſius baptizati ſumus; *non tamen hoc vult, baptiſmi formulam his verbis conſtare debere, verùm hoc demum, baptiſmum mortis Chriſti figuram præferre.* Ecce apertè dicit, baptiſmum, ſi non conferatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, adeoque ſi conferatur in ſolo nomine Chriſti, idem dic ſi conferatur in ſolo nomine Patris, aut ſolo nomine Spiritus ſancti, non valere, & iterandum eſſe.

Prob. 2. authoritate Patrum Latinorum, nempe Cypriani in epiſt. ad Jubaianum verbis §. ſuperiore relatis. Auguſtini lib. 6. de bapt. c. 25. *Deus*, inquit, *adeſt verbis evangelicis ſuis, ſine quibus baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt ... Dicimus ... baptiſmum Chriſti, id eſt, verbis evangelicis conſecratum, ubique eundem eſſe.* Quid autem intelligat per verba evangelica, disertè aſſerit lib. 3. de bapt. c. 15. ubi ait: *Si evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat ſacramentum.* Leonis Magni epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ c. 3. *Formam & poteſtatem* (Chriſtus) *tradidit baptizandi, dicens:* Euntes ergo nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Fulgentii lib. de incarn. & grat. cap. 11. ad eadem Chriſti verba dicentis: *Doctor igitur & largitor æternæ ſalutis, hanc ideò formam ſancti baptiſmatis dedit, ne quis, &c.* Et Iſidori lib. de offic. Eccl. c. 24. *Si omiſſa*, inquit, *qualibet Trinitatis perſona baptiſma detur, manifeſtè in regenerationis aqua nil agitur, niſi tota Trinitas invocetur.*

Prob. 3. authoritate Summorum Pontificum, nempe Gregorii Magni lib. 9. epiſt. 61. *Hi verò hæretici*, inquit, *qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur ..., cùm ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur: quia baptiſmus non fuit, quod in errore poſiti, in ſanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. Nec poteſt hoc ipſum baptiſma dici iteratum, quod .... in Trinitatis nomine non erat datum.* Et Zachariæ relati, diſt. 4. de conſecr. cap. 83. ubi ait: *Si lotus in fonte baptiſmatis quis fuerit ſine invocatione Trinitatis, perfectus chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti fuerit baptizatus.* Et addit, pro certo verum eſſe, quòd *qui vel unam de Trinitate perſonarum in baptiſmo non nominaret, illud baptiſma eſſe verum non poſſet.*

Prob. 4. authoritate Conciliorum. Nam Concilium Arelatenſe I. can. 8. jubet ut ii qui ad Eccleſiam de hæreſi veniunt, rebaptizentur, ſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti non fuerint baptizati. Et Synodus Nicæna idem can. 19. ſtatuit de Paulianiſtis ad Eccleſiam venientibus, quia apud Paulianiſtas baptiſmus non conferebatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut obſervat Innocentius I. epiſt. 22. cap. 5. Ergo ſecundùm Concilia, verus baptiſmus eſſe non poteſt ſine expreſſa & diſtincta invocatione trium perſonarum SS. Trinitatis. Ergo, &c.

Obj. 1. S. Ambroſium, qui lib. 1. de Spir. ſanct. c. 3 disertè docet valere baptiſmum, etiamſi detur in nomine unius tantùm perſonæ Trinitatis, modò tamen is qui baptizatur, rectam Trinitatis fidem teneat: ſic enim loquitur; *Æthiops Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus in Chriſto, plenum myſterium conſecutus eſt.* Et inferiùs: *Denique & illi ipſi qui dixerant:* Nec ſi Spiritus ſanctus ſit audivimus, *baptizati ſunt poſtea in nomine Domini Jeſu Chriſti. Et hoc abundavit ad gratiam, quia Spiritum ſanctum Paulo prædicante cognoverant. Nec contrarium debet videri, quia quamvis etiam poſtea* (quando baptizati ſunt) *tacitum ſit de Spiritu* (ſicut & de Patre) *tamen creditum eſt: & quod verbo tacitum fuerat, expreſſum eſt fide.* Quibus verbis probat baptiſmum in ſolo nomine Chriſti collatum, verum eſſe baptiſmum, in eo qui credit in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; pro quo duplex affert exemplum, Eunuchi ſcilicet Candacis Reginæ, & diſcipulorum illorum, de quibus Act. 19.

Deinde quæſtionem proponit de Spiritu ſancto, utrùm ſcilicet ſimiliter baptiſmus validè conferri poſſit in ſolo nomine Spiritus ſancti, *Nunc conſideremus*, inquit, *utrùm quemadmodum in Chriſti nomine plenum eſſe legimus baptiſmatis ſacramentum, ita etiam ſancto tantùm Spiritu nuncupato, nihil deſit ad myſterii plenitudinem.* Huic autem quæſtioni reſpondet affirmativè, pro eo qui baptiſmum ſuſcipit cum recta fide Trinitatis. Et ratio ejus eſt, quia qui unam Trinitatis perſonam nominat, alias duas indicat, & ita omnes æquivalenter invocat relatè ad eum, qui rectam habet fidem Trinitatis.

Audiamus illum: ſic enim proſequitur: *Rationem ſequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit. Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem, à quo unctus eſt Filius, & ipſum qui unctus eſt Filium, & Spiritum, quo unctus eſt, deſignaſti .... Et ſi Patrem dicas, & Filium ejus, & ſpiritum oris ejus pariter indicaſti, ſi tamen id etiam corde comprehendas. Et ſi Spiritum dicas, & Deum Patrem, à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque eſt ſpiritus, nuncupaſti. Unde ut rationi copuletur authoritas, in Spiritu quoque rectè baptizari nos poſſe Scriptura indicat, dicente Domino:* Vos autem baptizabimini in Spiritu ſancto.

R. S. Ambroſium exponit, & exponendo, quantùm poteſt, excuſat S. Thomas hic q. 66. a. 6. ad 2. *Ambroſius*, inquit, *aſſignat rationem, quare convenienter talis diſpenſatio* (baptizandi ſcilicet in ſolo nomine Chriſti) *fieri potuit in primitiva Eccleſia: quia ſcilicet in nomine Chriſti tota Trinitas intelligitur. Et ideò ſervabatur ad minus integritate intelligibili, forma quam Chriſtus tradidit in Evangelio.* Sed hæc interpretatio videtur non eſſe ad mentem S. Ambroſii, ut-

potè nullam diſpenſationis in primitiva Eccleſia conceſſæ mentionem facientis, & ſatis clarè aſſerentis, quovis tempore ad valorem baptiſmi ſufficere poſſe expreſſam invocationem unius perſonæ; modò is qui recipit; adde, ſi vis, & is qui dat ſacramentum, de Trinitate teneat quod tenendum eſt.

Hanc doctrinam erroneam refutamus cum S. Thoma art. citato in O. in quo ſic loquitur: *Sacramenta habent efficaciam ab inſtitutione Chriſti; & ideò ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod ſacramentum, efficacia caret ... Chriſtus autem inſtituit ſacramentum baptiſmi dari cum* (expreſſa & diſtincta) *invocatione Trinitatis; & ideò quidquid deſit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptiſmi. Nec obſtat quod in nomine unius perſonæ intelligitur alia, ſicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut quod ille qui nominat* (vel audit) *unam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidem de tribus, quia ſicut ad ſacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Unde non ſufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem ſacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas* (diſtinctè) *exprimatur*. Quòd autem Chriſtus inſtituerit ſacramentum baptiſmi dari cum expreſſa & diſtincta invocatione trium perſonarum divinarum, ex allegatis hoc §. & ſuperiore ſatis apparet.

Nec S. Ambroſium juvant loca Scripturæ, in quibus aliqui dicuntur, tacitis Patris, & Spiritus ſancti nominibus, baptizati fuiſſe in nomine Domini noſtri Jeſum Chriſti: hæc enim loca non poſſe ſic intelligi, ut ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus nominatus fuerit in baptiſmo, ſupra oſtenſum eſt, docent Origenes, Cyprianus, Baſilius, Damaſcenus, quibus lubet adjungere Auguſtinum lib. 3. contra Maximinum c. 17. ubi tanquam rem indubitatam ſupponit, eos qui in Scriptura dicuntur baptizati fuiſſe in nomine Chriſti, non fuiſſe tamen baptizatos ſine expreſſa & diſtincta invocatione Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Hanc proponit Maximini objectionem: *Dicis & in perſona Spiritus ſancti non poſſe ſuſcipi quod de Filio dictum eſt*: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: *& hoc ideò dicis, ut quibus potueris perſuadeas, quod vobis malè perſuaſum eſt, Spiritum ſanctum non eſſe creatorem: quaſi legeris: Omnia per ipſum facta ſunt ſine Spiritu ſancto: aut, Omnia per neminem facta ſunt, niſi per ipſum* (Filium.)

Huic autem objectioni ſic ſecundo loco reſpondet: *Si quia non eſt nominatus* (Spiritus ſanctus) *quod etiam per illum facta ſit creatura, quando de Filio dictum eſt*, Omnia per ipſum facta ſunt; *ideò putas Dei Spiritum non eſſe creatorem, proculdubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus*: Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; *quia non ait, Et Spiritus ſancti; nec, In Patris nomine, quia nec ipſe ibi eſt nominatus. Si autem etiam nominatis Patre & Spiritu ſancto, in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: cur non ſic audis de Filio Dei:* Omnia per ipſum facta ſunt: *ut non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum ſanctum?*

Obj. 2. Nicolaum I. relatum diſt. 4. de conſec. c. 24. in quo ſic loquitur: *A quodam Judæo, neſcitis utrùm chriſtiano, an pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iis ſit agendum conſulitis. Hi profectò, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantùm in Chriſti nomine, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt; unam quippe idemque eſt, ut ſanctus exponit Ambroſius; conſtat eos non eſſe denuò baptizandos.*

R. Nicolaum hic duo dicere. 1. Baptiſmum in legitima forma collatum valere, etiamſi is à quo confertur, ſit Judæus, vel paganus. 2. Formam legitimam eſſe non ſolum ſub nomine trium perſonarum Trinitatis, ſed etiam ſub nomine Chriſti tantùm. Primum dicit ut Pontifex; per illud enim ad id de quo conſultus fuerat, reſpondet; & verum eſt. Secundum verò addit ut Doctor privatus, & eſt falſum. Pontificem autem errare poſſe, quando loquitur ut privatus Doctor, facilè concedunt omnes.

Obj. 3. S. Bernardum epiſt. 340. in qua ſic ait: *Raptum ex utero puerum ob periculum mortis, laicus quidam, ut dicitis, baptizavit, communem verborum formam non tenens; ſed dicens: Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ & veræ Crucis .... Hunc verè baptizatum puto, nec ſonum vocis veritati fidei & pietati intentionis præjudicare potuiſſe. Reſp.* Hoc reſcribit S. Bernardus, non ut doctrinam in Eccleſia communiter receptam, ſed ut privatam ſuam ſententiam, paratus ad eam deponendam, oſtenſa ſibi illius falſitate: nam ante verba citata ſic loquitur: *Vobis de propoſita quæſtione reſpondemus, ſine præjudicio tamen ſapientius ſapientis.*

Sic autem ad caſum propoſitum reſpondet ex falſo principio, nempe quod in baptiſmo dicatur potiùs, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quàm v. g. in nomine Dei, hoc eſſe non ex inſtitutione Chriſti, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & ſecundùm inſtitutionem Chriſti ad valorem baptiſmi ſufficere confuſam & implicitam Trinitatis confeſſionem, qualis fit, cum dicitur v. g. Ego te baptizo in nomine Dei; tunc enim una ſubſtantia Trinitatis exprimitur. *Ut enim taceam*, inquit, *quod in nomine Dei unam expreſſit ſubſtantiam Trinitatis, in eo ipſo quod addidit, Sanctæ & veræ Crucis, manifeſtè commendavit dominicam paſſionem ... neque enim cùm juxta communem Eccleſiæ conſtitutionem baptizantes dicimus*, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *aliud intelligendum eſt, quàm in confeſſione Trinitatis. Porro autem confeſſio ſanctæ Crucis, non niſi Crucifixi confeſſio. Legimus ſanè in Actibus Apoſtolorum, non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, verùm & in nomine Domini Jeſu Chriſti aliquos baptizatos.* His autem poſterioribus verbis, *Confeſſio ſanctæ Crucis, &c.* ſatis innuit videri ſibi baptiſmum fortè validum, ſi quis baptizando diceret tantùm, Ego te baptizo in nomine ſanctæ & veræ Crucis, quia baptizaret in nomine Crucifixi, adeoque in nomine Domini Jeſu Chriſti. Quantùm verò hæc omnia à veritate aliena ſint, ſatis ſuperque conſtat ex relatis hoc & ſuperiore paragrapho.

§. III.

Hæc verba, Ego te baptizo, aut alia æquivalentia, ſunt etiam de eſſentia baptiſmi.

Prob. 1. ex Alexandro III. extra de baptiſmo cap. 1. ubi ait: *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen; & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen; non eſt puer baptizatus.*

Prob. 2. ex decreto Eugenii IV. §. *Primum omnium*, in quo dicitur: *Cùm principalis cauſa, ex qua baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter, qui tradit exterius ſacramentum; ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione, perficitur ſacramentum.* Actus autem quem exercet miniſter, exprimitur per hæc verba, Ego te baptizo, vel alia eis æquivalentia; ſicut ſanctæ Trinitatis invocatio fit per iſta, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Juxta Eugenium igitur, hæc verba, Ego te, &c. tam requiruntur ad perfectionem baptiſmi, quàm iſta, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Prob. 3. ex Alexandro VIII. à quo damnata eſt anno 1690. hæc propoſitio: *Valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus, In nomine Patris, &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo*, aut aliis æquivalentibus. Quòd autem aliqui dicunt, hanc propoſitionem damnatam fuiſſe relatè ad tempus, pro quo hæc verba, Ego te baptizo, formulæ baptiſmi ab Eccleſia inſerta ſunt tanquam conditio ſine qua non valeret baptiſmus, intolerabiliter falſum eſt, ut patet ex contradictoria, quam intendit aſſerere Pontifex, & quæ hæc

eſt,

eſt, Nunquam valuit baptiſmus ſub hac formula collatus, In nomine Patris, &c.

Prob. 4. ex S. Thoma hic q. 66. a. 5. ad 2. ubi ait: *Quia ablutio hominis in aqua, propter multa fieri poteſt, oportet quòd determinetur in verbis forma ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: quia omnia in tali nomine facere debemus: ut habetur* Coloſſ. 3. *& ideò ſi non exprimatur actus baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum, non perficitur ſacramentum.* Itaque, juxta S. Doctorem, ſine his verbis, *Ego te baptizo*, vel aliis æquivalentibus, non poteſt eſſe baptiſmus, non quia formulæ baptiſmi ab Eccleſia additæ fuerunt tanquam conditio ſine qua non, ſed quia ſine illis actus baptiſmi, hoc eſt, immerſio corporis in aquam, aut effuſio aquæ in corpus, habere non poteſt ſignificationem ſacramentalem, ad quam de ſe indifferens eſt, nec determinari poteſt per ipſa verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ per ſe exprimunt tantùm SS. Trinitatis invocationem, quæ ob varios fines fieri poteſt, & in baptiſmo ad ablutionem animæ ſenſibiliter ordinantur per hæc verba, Ego te baptizo, aut alia æquivalentia, quibuſcum proinde ſignificant, & ſine quibus non ſignificant ablutionem illam.

Obj. Hæc verba, *Ego te baptizo*, aut alia æquivalentia non fuerunt præſcripta à Chriſto. Ergo non ſunt de eſſentia baptiſmi. Neg. ant. *Probabis*. Nam cùm Chriſtus ait Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* non magis mandavit Apoſtolis, ut dicerent, Ego te baptizo, cùm baptizarent, quàm ut dicerent, Ego te doceo, cùm docerent. *R.* neg. Ratio diſparitatis eſt, quia ad docendum neceſſe non eſt, ut is qui docet, dicat, Ego te doceo, ego vos doceo: unde inutiliter Chriſtus mandaſſet Apoſtolis, ut dicerent, Ego te doceo, ego vos doceo. At ut fiat baptiſmi ſacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile ablutionis ſpiritualis, neceſſe eſt ut actus externus baptiſmi ad ablutionem ſpiritualem ſignificandam determinetur à miniſtro per verba aliqua, quæ alia eſſe non poſſunt, quàm iſta, Ego te baptizo, aut æquivalentia. Ita reſpondet S. Thomas loco proximè citato, verbis laudatis.

Obj. 2. Hæc verba, Ego te baptizo, non fuerunt in uſu quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis: iis enim ſæculis Patres multi ſcripſerunt de baptiſmo, & tamen ex eis nullus meminit horum verborum, Ego te baptizo. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam quòd baptiſmus ſine forma legitima, adeoque invalidè collatus fuerit in Eccleſia quinque prioribus ſæculis, enormiter falſum eſt. Quòd autem legitima baptiſmi forma non habeatur ſine his verbis, Ego te baptizo, aut æquivalentibus, patet ex ipſa natura ſacramenti, quod eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile ablutionis ſpiritualis; tale enim ſignum eſſe non poteſt ſine his verbis, Ego te baptizo, aut æquivalentibus, quia ſine illis actus baptiſmi, ſive per immerſionem, ſive per effuſionem fiat, per hæc verba, *In nomine Patris, &c.* ſenſibiliter determinari non poteſt ad ſignificandam ablutionem ſpiritualem, ut obſervat Angelicus Doctor.

Ad prob. R. 1. non omnia ſcripta eſſe. 2. Nullum è quinque priorum ſæculorum Patribus ſcripſiſſe, quòd hæc verba, Ego te baptizo, aut æquivalentia, pertineant ad formam baptiſmi, quia nullus Rituale condidit, nullus omnium quæ ad baptiſmi perfectionem neceſſaria ſunt, expoſitionem ſuſcepit; nullus adverſarium habuit, qui horum verborum impugnaret neceſſitatem: hæretici enim, qui verum baptiſmum eſſe poſſe ſine expreſſa invocatione trium perſonarum aſſerere auſi ſunt, non idem aſſeruerunt de his verbis Ego te baptizo: unde non de his verbis, Ego te baptizo, aut æquivalentibus, ſed de expreſſa & diſtincta trium perſonarum invocatione contra hæreticos diſſerendi neceſſitas Patribus incubuit.

Dices. Imò S. Auguſtinus non obſcurè reprobavit hanc formulam, Ego te baptizo: nam lib. 50. homil. hom. 23. ad hæc Chriſti verba Luc. c. 7. *Remittuntur tibi peccata .... fides tua te ſalvam fecit*, ſic ait: *Medicus bonus ægros non ſolùm præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo.* Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. *Ad prob. Reſp.* S. Doctorem hic loqui, non de miniſtris, qui baptizando dicunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ſed de vaniſſimis quibuſdam hominibus, qui alios velut graves peccatores aſpernabantur, & gloriabantur inſolenter à ſe propriis meritis & authoritate propria, non authoritate Spiritus ſancti peccata dimitti, ut ex contextu manifeſtum eſt, ubi Chriſtum ſic loquentem inducit: *O homo, quando à Judæis putatus ſum homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedi ... O hæretice, tu cùm ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio .... Ego cùm putarer homo, dixi: Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit ... reſpondent, & dicunt: Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt quod ait Chriſtus;* Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo.

Obj. 3. Doctores catholici nonnulli ſæculo duodecimo ſenſerunt, hæc verba, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſufficere ad valorem baptiſmi. *R.* Doctores illos malè ſenſiſſe, & eorum ſententiam damnatam fuiſſe ab Alexandro III. c. *Si quis puerum*, ſupra relato.

At inquies. Alexander hoc canone non damnavit ſententiam Doctorum illorum pro illorum ſcilicet tempore: tunc enim nondùm pendebat valor baptiſmi ab his verbis, Te baptizo: ſed ſtatuit, ne ſine his verbis, Te baptizo, inpoſterum valeret baptiſmus. Ut autem hujus canonis, poſtquam ante annum 1241. ſub Gregorio IX. in jus canonicum relatus eſt, & ab univerſa Eccleſia receptus, effectum eſt, ut baptiſmus perfici non poſſit ampliùs ſine his verbis, *Te baptizo*, utpote nunc ſe habentibus ad baptiſmum per modum conditionis ſine qua non.

R. hanc doctrinam, quæ tota conficta eſt ad eludendam condemnationem factam ab Alexandro III. falſam & erroneam eſſe: nam ſi ante decretum Alexandri III. hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſufficiebant ex parte formæ ad valorem baptiſmi, certè quia Chriſti inſtitutio ad valorem baptiſmi nihil aliud ex parte formæ requirit, ut per ſe clarum eſt. Ergo vel etiam poſtquam decretum Alexandri III. in jus canonicum relatum eſt, & ab Eccleſia receptum, verba illa ad valorem baptiſmi adhuc ſufficiunt; vel Eccleſia decretum illud recipiendo, derogavit inſtitutioni Chriſti. Quod autem Eccleſia inſtitutioni Chriſti derogare poſſit, falſum & erroneum eſt.

Præterea, ſecundùm adverſarios, hæc forma, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, non ſufficit amplius ad baptiſmum, & ſufficit iſta, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Ergo hæ duæ formæ ſubſtantialiter differunt: nam ſi accidentaliter tantùm differrent, non poſſet una ſufficere, quin & alia ſufficeret: accidentalis enim mutatio non poteſt tollere ſubſtantiam ſacramenti, adeoque nec veritatem ejus impedire poteſt. Ergo, ſecundùm adverſarios, forma baptiſmi poſt decretum Alexandri III. alia eſt ſubſtantialiter, quam fuit ante decretum illud. Ergo per decretum illud facta eſt mutatio ſubſtantialis in baptiſmo. Ergo Eccleſia poteſtatem habet in ſubſtantiam ſacramentorum, quod evidenter repugnat doctrinæ Concilii Tridentini ſeſſ. 21. cap. 2.

Præterea, hæc verba, Ego te baptizo, neceſſaria eſſe ad valorem baptiſmi, & tamen ad id requiri ut conditionem ſine qua non tantùm, manifeſtam implicat contradictionem: nam ſic argumentor. Secundùm adverſarios, hæc verba, Ego te baptizo, requiruntur ad valorem baptiſmi ut conditio ſine qua non tantùm. Ergo requiruntur, & non requiruntur. Requiruntur, ut volunt adverſarii; non requiruntur, ut probo. Requiruntur tantùm ut conditio ſine qua non. Ergo non requiruntur ut pars formæ baptiſmi. Ergo ſine illis eſſe poteſt tota forma, & à fortiori

tota materia baptiſmi. Ergo ſine illis poteſt eſſe baptiſmus: nam tota forma & materia ſacramenti à miniſtro cum debita intentione poſita, non poteſt non eſſe ſacramentum. Ergo, &c.

At inquies. Eccleſia potuit apponere certas conditiones, ſine quibus nullum eſſet ſacramentum Matrimonii. Ergo potuit etiam certas conditiones apponere, ſine quibus nullum eſſet baptiſmi ſacramentum. *R*. Eccleſia potuit quidem apponere certas conditiones, ſine quibus illegitimus eſſet contractus matrimonialis, adeoque ſine quibus contractus ille inutilis eſſet ad perficiendum Matrimonii ſacramentum, quia Chriſtus pro ſubſtantia vel cauſa efficiente hujus ſacramenti, præcisè inſtituit contractum legitimum, relinquendo Eccleſiæ ſuæ poteſtatem certas, quando & ubi expedire judicaret, apponendi conditiones, ſine quibus contractus talis eſſe non poſſet. At Eccleſia apponere non potuit certas conditiones, ſine quibus ſacramentum Matrimonii nullum eſſet, etiam eo caſu, quo tota ejus ſubſtantia à perſonis idoneis cum intentione debita poneretur. Unde ſacramenti Matrimonii exemplum perperam hic afferunt. Sed ex dictis

Argumentor adhuc contra adverſarios ſic. Hæc verba. Ego te baptizo, nunc ad valorem baptiſmi neceſſaria ſunt. Ergo neceſſaria ſunt vel per modum conditionis ſine qua non, vel per modum partis eſſentialis formæ baptiſmi. Non primum, ut demonſtratum eſt. Ergo ſecundum. Ergo ad valorem baptiſmi neceſſaria ſunt vi inſtitutionis Chriſti; cùm enim ſolus Chriſtus totam ſacramentorum eſſentiam inſtituerit, nihil ad ſacramentorum perfectionem requiri poteſt ut aliquid eſſentiale, niſi vi inſtitutionis Chriſti. Ergo falſum eſt, quòd hæc verba, Ego te baptizo, ad valorem baptiſmi nunc requirantur propter decretum Alexandri III. ab Eccleſia receptum. Item ergo ſemper neceſſaria fuerunt ad valorem baptiſmi: quidquid enim ad ſacramenti perfectionem requiritur vi inſtitutionis Chriſti, ſemper requiſitum fuit, ſicut & ſemper requiritur, cùm prorſus invariabilis ſit Chriſti inſtitutio. Ergo ſine illis, aut aliis æquivalentibus, quod ſemper ſuppleri debet, nunquam validè collatus eſt baptiſmus. Ergo pro certo ſtatuendum eſt, etiam quinque prioribus Eccleſiæ ſæculis baptiſmum in Eccleſia Latina collatum fuiſſe ſub hac formula, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Ergo contrarium ex ſilentio Patrum, qui temporibus illis floruerunt, perperam colligunt, vel ſuſpicantur adverſarii. Quod

Confirmatur breviter ſic. Sæculo ſexto baptiſmus collatus eſt ſub hac forma, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. ut patet ex Sacramentario S. Gregorii, in quo hæc formula refertur in terminis. Ergo ſub eadem forma collatus fuerat ſæculo quinto, idem dic de quarto, tertio, &c. alioquin oſtendant adverſarii, à quo Pontifice vel Concilio præſcripta fuerit hæc forma ſæculo ſexto: non enim dici poteſt Gregorius eam inſtituiſſe, cùm eam præcisè referat ut ritum in Eccleſia receptum: aut ſaltem proferant alicujus ex præcedentibus ſæculis teſtimonium, quo poſitivè aſſeratur baptiſmum in Eccleſia collatum fuiſſe ſub his tantùm vocibus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

§. IV.

Apud Latinos, forma baptiſmi hæc eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Patet ex Sacramentario S. Gregorii; ex Ordine Romano, qui aliquando poſt Gregorii obitum editus eſt in lucem; ex decreto Eugenii §. *Primum omnium*; ex Rituali Pauli V. &c. Hanc autem formam à Chriſto præſcriptam fuiſſe probant hæc ejuſdem Chriſti verba, Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, adjuncta traditione & conſtanti ac perpetua praxi Eccleſiæ.

In hac porrò forma vox, *Ego*, non eſt neceſſariò exprimenda, quia ſufficienter continetur in verbis, *baptizo*, & verò non exprimitur in Græcorum formula, quam tamen approbat Eugenius in decreto §. *Primum omnium*. Voces autem reliquæ, Te baptizo in nomine Patris, &c. ſunt eſſentiales, non quidem in materiali, ſed in formali ſuppoſitione ſumptæ: non enim in ipſas voces, ſed in earum ſignificationem cadit inſtitutio Chriſti. Hinc valeret baptiſmus, ſi baptizans diceret, Te lavo, vel, te abluo in nomine Patris, &c. Item ſi diceret: Te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati. Item ſi diceret: Te baptizo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. At dubium eſt, utrùm valeat hæc forma: Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quæ dicitur eſſe Zuinglianorum. Idem dic de iſta: Ego te baptizo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Ratio eſt, quia certum non eſt, quòd ad valorem baptiſmi neceſſaria non ſit expreſſio unitatis eſſentiæ divinæ, quæ unitas exprimitur per hanc vocem, *in nomine*, & exprimi quoque poteſt per iſtam, *in Deum*. Contrariæ tamen ſententiæ favet canon Apoſtolicus 48.

§. V.

Apud Græcos, forma baptiſmi hæc eſt; Baptizatur ſervus Dei N. ſeu ſerva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Conſtat ex Arcudio lib. 1. de concordia c. 8. ubi hanc eſſe Græcorum formam ex Euchologio aliiſque teſtimoniis probat, contra Latinos pleroſque, qui falsò exiſtimant, Græcos dicere, *Baptizetur ſervus, &c.* Græcorum itaque forma differt à noſtra grammaticaliter, & ſicut inter ſe differunt paſſivum & activum, manente eadem utriuſque ſignificatione. Unde jure merito Eugenius in decreto §. *Primum omnium*, agnoſcit cum forma Græcorum verum perfici baptiſma.

Porrò modum loquendi paſſivum in miniſtrando baptiſmo contendit ibidem Arcudius à Patribus Græcis introductum fuiſſe propter errorem aliquorum, qui in Oriente credebant *pro miniſtri meritis baptiſmum meliorem, aut deteriorem fieri, hoc eſt, eum ſua virtute baptizare, cæteraque ſacramenta adminiſtrare*, & *per conſequens ſe ipſos primarios quodammodo* juſtificationis *auctores conſtituebant*. Ex quo, ſi verum eſt, apertè ſequitur, tempore Apoſtolorum, etiam in Oriente, non ſub Græcorum, ſed ſub Latinorum formula miniſtratum fuiſſe baptiſmum: cùm præfatus error poſt Apoſtolorum tempora exortus fuerit.

ARTICULUS VII.

Utrùm Baptiſmus poſſit iterari.

RESPONSIO.

BAptiſmus validè ſuſceptus iterari non poteſt.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura: nam Apoſtolus Epheſ. c. 4. ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma* (unum autem non ſolùm ſpecie infima, ſed etiam numero reſpectu ejuſdem ſubjecti, ut interpretantur Patres) Pro omnibus ſit Leo magnus in epiſt. ad Leonem Ravennatem c. 2. *Scimus*, inquit, *inexpiabile eſſe facinus, quoties juxta hæreticorum damnata à ſanctis Patribus inſtituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, apoſtolica reclamante doctrina, quæ nobis ... prædicat ... unum in baptiſmate ſacramentum.*

Prob. 2. authoritate Patrum Græcorum, nempe Clementis Alexandrini lib. 1. Pædagogi c. 6. *Remittuntur*, inquit, *peccata uno medicamento Pæonio, nempe rationali baptiſmo ... una enim eſt hæc gratia illuminationis, quo non ſunt iidem mores, qui erant antequam lavaremur*. Cyrilli Hieroſ. in præf. catecheſeon. *Non licet*, inquit, *bis aut ter hoc lavacro uti ...*

unus

Digitized by Google

unus enim Dominus, & una fides, & unum baptiſma. Theodoreti in cap. 6. epiſt. ad Hebræos: *Et multa,* inquit, *& frequenter adhibebantur* (baptiſmata apud Judæos.) *Hic autem* (Chriſti baptiſmus) *unus eſt, ut qui ſalutaris paſſionis & reſurrectionis typum habeat, & futuram reſurrectionem nobis ante deſcribat.* Et Damaſceni lib. 4. orth. fidei c. 10. *Quemadmodum,* inquit, *Dominus ſemel morte perfunctus eſt, ſic nos etiam ſemel baptizari neceſſe eſt ... Quocirca qui in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum baptizati ... baptiſmum repetunt, ii Chriſtum rurſus ... in crucem agunt.*

Prob. 3. Authoritate Patrum Latinorum: Tertulliani ſcilicet lib. de bapt. c. 15. *Unus omnino,* inquit, *baptiſmus eſt nobis, tam ex Domini Evangelio, quàm ex Apoſtoli litteris, quoniam unus Dominus, & unum baptiſma .... Semel ergo lavacrum inimus, ſemel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. Cæterùm Iſrael Judæus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de uno lavacro definitum eſt: Fœlix aqua, quæ ſemel abluit, quæ ludibrio peccatoribus non eſt.* Cypriani epiſt. 68. ad Cæcilium, in hæc Chriſti verba Joan. c. 4. *Omnis qui biberit ex aqua iſta, &c. Quo & ipſo,* inquit, *baptiſma ſalutaris aqua ſignificatur, quod ſemel ſcilicet ſumitur, nec rurſus iteratur.* Ambroſii lib. 2. de pœn. cap. 2. *Semel,* inquit, *crucifixus eſt Chriſtus, ſemel peccato mortuus, & ideò unum, non plura baptiſmata.* Et Auguſtinus tract. 11. in Joannem: *Una eſt,* inquit, *de terra* (nativitas) *alia de cælo: una eſt de carne, alia eſt de ſpiritu .... una eſt de maſculo & fœmina, alia eſt de Deo & Eccleſia. Sed ipſæ duæ ſingulæ ſunt, nec illa poteſt repeti nec iſta .... quomodo uterus non poteſt repeti, ſic nec baptiſmus.*

Prob. 4. authoritate Conciliorum, nempe Carthaginenſis I. cap. 1. in quo interrogati Epiſcopi reſpondent omnes: *Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum à ſincera fide, & catholica diſciplina.* Conſtantinonpolitani I. in ſymbolo, in quo Patres dicunt: *Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Viennenſis ſub Clemente V. cap. 1. §. *Ad hoc* in 6. *Ad hoc,* inquit, *baptiſma unicum, baptizatos omnes in Chriſto regenerans, eſt ſicut unus Deus ac fides unica, ab omnibus fidelibus confitendum.* Florent. in decreto Eugenii §. *Quintò,* ubi dicitur tria ſacramenta, nempe Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem characterem imprimere, & ideò in eadem perſona non reiterari. Et Tridentini ſeſſ. 7. can. 11. de bapt. *Si quis dixerit,* inquit, *verum & ritè collatum baptiſmum iterandum eſſe illi qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur: anathema ſit.* Et can. 9. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit,* inquit, *in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima ... unde ea iterari non poſſunt: anathema ſit.*

Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, qui voluit unicam eſſe regenerationem ſpiritualem, ſicut unica eſt generatio carnalis. Hinc inter alias rationes primam affert S. Thomas hic q. 66. a. 9. in O. *Baptiſmus,* inquit, *iterari non poteſt, primo quidem, quia baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio: prout ſcilicet aliquis moritur veteri vita, & incipit novam vitam agere ... Unius autem non eſt niſi una generatio: & ideò non poteſt baptiſmus iterari, ſicut nec carnalis generatio.* Alias rationes convenientiæ ſuggerunt Patres & Concilia, quæ ex laudatis textibus facile eruentur.

Quæres, utrùm in dubio collati baptiſmi baptizari poſſit infans?

R. 1. poſſe in dubio purè negativo, quando ſcilicet nulla ſunt indicia ad judicandum infantem baptizatum eſſe, aut non eſſe.

Prob. ex cap. 110. de conſecr. diſt. 4. in quo cap. S. Gregorius III. ad Bonifacium Moguntinum ſcribit: *Parvulos qui à parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint ignorant, nos ut baptizare debeas ſecundùm Patrum traditionem, ſi non fuerit qui teſtificetur, ratio poſcit.* Tunc enim recta ratio dictat providendum eſſe ſaluti parvulorum, qui in probabili periculo damnationis verſantur, & nullam fieri injuriam ſacramento.

R. 2. poſſe etiam in dubio poſitivo, quando ſcilicet adſunt rationes in utramque partem veriſimiles.

Prob. ex Concilio Carthaginenſi V. can. 6. qui 39. eſt in collectione canonum Africanorum, & in quo dicitur: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur: neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos; ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari.* Idem iiſdem terminis in Vormacienſi Synodo ſæculo nono definitum eſt. Ergo Concilia ad hoc ut infantes non baptizentur, requirunt moralem certitudinem de eorum baptiſmo. Atqui in dubio poſitivo nec habetur, nec haberi poteſt moralis certitudo, ut per ſe clarum eſt. Ergo, &c. Hujus autem Conciliorum definitionis ratio eſt, quia ubi non eſt moralis certitudo, quòd baptizatus ſit infans, infans eſt in probabili periculo damnationis. Infanti autem in probabili periculo damnationis poſito recta ratio dictat ſubveniri poſſe & debere per collationem baptiſmi, præſertim cùm ei aliter ſubveniri non poſſit. Quòd ſi fortè contingat baptiſmum iterari, hoc fit abſque irreverentia. Hinc

Collige infantes expoſitos baptizandos eſſe, non ſolùm cùm non habent ſchedam, aut aliam hujuſmodi notam, quæ ſit accepti baptiſmi teſtimonium, ſed etiam cùm habent: nam citata Concilia, ad hoc ut non baptizentur parvuli, requirunt moralem certitudinem de baptiſmo ab eis accepto. At ſcheda, aliave hujuſmodi nota, ab ignoto, adeoque incertæ fidei authore appoſita, nec facit, nec facere poteſt moralem certitudinem. Itaque qui infantes expoſitos, etiam ſchedam aut quid ſimile habentes non baptizant, præfatis Conciliis contradicunt, nec videntur ſatis conſulere ſaluti parvulorum illorum.

Quæres iterum, an idem de adultis tenendum ſit, quod de infantibus?

R. idem planè tenendum eſſe. Nam 1. quòd adultus baptizari poſſit in dubio purè negativo, hoc eſt, quando omninò neſcitur utrùm baptizatus ſit, an non, docet S. Leo epiſt. 92. ad Ruſticum cap. 15. *Si nulla,* inquit, *exiſtant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt ut renaſcantur: ne manifeſtè pereant, in quibus, quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe, quod ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed ſi hoc etiam ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Idem planè tradit epiſt. 37. ad Leonem Ravennatem cap. 1.

2. Quòd adultus poſſit etiam baptizari in dubio poſitivo, quando ſcilicet prudenter dubitatur utrùm baptizatus ſit, an non, probat hæc regula: In dubio tutior pars eſt eligenda: quæ hic, vel nullibi, locum habet propter maximam neceſſitatem baptiſmi, & vi cujus proinde in dubio poſitivo, ſicut & in negativo, urget obligatio ſuſcipiendi baptiſmum, cui in neutro caſu injuria fit, etiamſi contingat eum reiterari. Porrò in utroque dubio ante collationem baptiſmi diligens fieri debet inquiſitio veritatis, propter reverentiam ſacramento debitam. Hoc dicit S. Leo epiſt. ad Leonem Ravenn. c. 1. *Quoties,* inquit, *perſona talis* (de qua dubium eſt, utrùm baptiſmum acceperit) *inciderit, ſollicita primùm examinatione diſcutite; & longo tempore, niſi fortè ſupremus finis immineat, indagate, utrùm nemo ſit penitùs, qui teſtimonio ſuo juvare poſſit ignorantiam neſcientis. Et cùm*

conſtiterit hunc, qui baptiſmatis indiget ſacramento, ſola inaniter ſuſpicione prohiberi, accedat intrepidus ad conſequendam gratiam, &c.

Quæres 3. Utrùm in rationabili dubio, quòd baptiſmus datus fuerit cum legitima materia, vel cum legitima forma, vel cum debita intentione, poſſit & debeat iterari?

R. poſſe & debere: nam hic dubium juris coincidit cum dubio facti: cùm enim dubitatur utrùm baptiſmus fuerit datus cum legitima materia, vel, &c. hoc ipſo dubitatur utrùm fuerit factus; ac proinde eadem eſt ratio pro dubio juris & pro dubio facti; & jura citata pro dubio facti, intelligenda quoque ſunt pro dubio juris. Atqui in rationabili dubio facti poteſt & debet conferri baptiſmus, ut probatum eſt. Ergo, &c.

Porrò quando reiteratur baptiſmus in dubio ſive facti ſive juris, reiterandus eſt ſub conditione, his verbis: *Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondam baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Patet ex cap. *De quibus* extra de bapt. Et ratio eſt, quia ſic vitatur omne periculum irreverentiæ, & reiterationis baptiſmi verè ſuſcepti. Conditio autem illa non eſt re ipſa verbis exprimenda, niſi cùm baptiſmus ſolemniter datur, & dubium publicum eſt, ad tollendam ſcilicet occaſionem ſcandali. Quòd ſi dubium eſt occultum, aut baptiſmus privatim confertur, ſufficit tunc, ſi conditio mente & intentione concipiatur.

DISPUTATIO II.

De Miniſtro Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quinam poſſint validè baptizare.

RESPONSIO I.

IN caſu neceſſitatis quilibet validè baptizare poteſt, modò poſſit aquam & verba cum debita intentione applicare.

Prob. 1. Ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, in quo dicitur: *Sacramentum baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti conſecratur in aqua, tam parvulis quàm adultis in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem.* Hæc autem definitio intelligi ſaltem debet de baptiſmo collato in caſu neceſſitatis, quem proinde valere conſtat, à quocumque conferatur, modò ritè conferatur in forma Eccleſiæ, adeoque valere, ſive à viro ſive à fœmina, ſive à fideli, ſive ab infideli, ſive à baptizato, ſive à non baptizato conferatur: cùm enim ſimpliciter dicitur, *A quocumque*, nullus mentis compos excluditur.

Prob. 2. Ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Primum omnium*, in quo dicitur: *In cauſa autem neceſſitatis non ſolùm ſacerdos vel diaconus, ſed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus, baptizare poteſt, dummodò formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.*

Ratio à priori eſt voluntas & inſtitutio Chriſti, cujus hanc rationem pro laicis, quæ pro omnibus omninò, qui ritum externum baptiſmi ritè exercere poſſunt, manifeſtè valet, affert S. Thomas hic q. 67. a. 3. in O. *Inter omnia ſacramenta maximæ neceſſitatis eſt baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualem, quia pueris aliter omninò ſubveniri non poteſt, & adulti non poſſunt aliter, quàm per baptiſmum plenam remiſſionem conſequi, & quantùm ad culpam, & quantum ad pœnam* (adde, quòd non poſſunt etiam aliter, quàm per baptiſmum, jus acquirere ad alia ſacramenta, & bona Eccleſiæ) *& ideò ut homo circa remedium tam neceſſarium defectum pati non poſſit, inſtitutum eſt* (à Chriſto) *ut & materia baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ à quolibet de facili haberi poteſt, & miniſter baptiſmi etiam ſit* (in caſu neceſſitatis) *quicumque non ordinatus* (ſive mas, ſive fœmina, ſive baptizatus, ſive non, ſive fidelis, ſive infidelis,) *ne propter defectum baptiſmi, homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur.*

RESPONSIO II.

Etiam extra caſum neceſſitatis, quilibet potens cum debita intentione applicare aquam & verba, validè baptizare poteſt.

Sequitur ex præcedenti: nam ad valorem ſacramentorum, neque ex parte ipſorum, neque ex parte miniſtri, pauciora requiruntur in neceſſitate, quàm extra neceſſitatem. 1. Pauciora non requiruntur ex parte ipſorum ſacramentorum; nam ſacramentorum eſſentia una eſt & invariabilis, adeoque etiam in caſu neceſſitatis ſemper eadem, unde quidquid extra neceſſitatem ad ſubſtantiam cujuslibet ſacramenti requiritur, requiritur etiam in neceſſitate. 2. Pauciora non requiruntur ex parte miniſtri; nam ſi extra neceſſitatem in miniſtro requiritur ordinatio, vel etiam præter ordinationem juriſdictio aut ſpecialis deputatio; requiritur quoque in neceſſitate.

Itaque quicumque validè baptizare poteſt in caſu neceſſitatis, poteſt etiam extra hunc caſum. Et verò quare non poſſet? Nam 1. ſive in neceſſitate ſive extra neceſſitatem, tota ſubſtantia baptiſmi conſiſtit in ablutione aquæ, & hac formula, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* prolata cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. 2. Ad validè baptizandum, neque ordinatio, neque juriſdictio, aut ſpecialis deputatio vel commiſſio requiritur in miniſtro, ut patet ex Reſp. 1. Ergo quicumque poteſt materiam & formam baptiſmi cum debita intentione applicare, poteſt ſive in caſu ſive extra caſum neceſſitatis, validè baptizare. Quod adhuc

Prob. Pro laicis baptizatis, ex S. Auguſtino lib. 2. contra epiſt. Parmeniani c. 13. *Sed & ſi nulla neceſſitate uſurpetur* (à laico baptizato alienum baptizandi munus) *& à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non poteſt dici non datum, quamvis rectè dici poſſit illicitè datum.* Auguſtino præiverat Tertullianus lib. de bapt. c. 17. ubi ſic loquitur: *Alioquin etiam laicis jus eſt* (baptizandi, præciſo ſcilicet honore Eccleſiæ.) *Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt .... proinde & baptiſmus æque Dei cenſus ab omnibus exerceri poteſt: ſed quantò magis laicis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit, cùm ea majoribus competat .... Sufficiat* (ò laice) *ut in neceſſitatibus utaris, &c.* Utrumque ſequitur S. Thomas hìc q. 67. a. 3. ad 1. *Baptizare*, inquit, *pertinet ad ordinem ſacerdotalem, ſecundum quandam convenientiam & ſolemnitatem: non autem hoc eſt de neceſſitate ſacramenti. Unde etiamſi extra neceſſitatis articulum laicus baptizet, peccat quidem, tamen ſacramentum baptiſmi confert, nec eſt rebaptizandus ille, qui ſic eſt baptizatus.*

Pro mulieribus, ex S. Thoma hìc q. 67. a. 4. 1. in Sed contra, ubi citat Urbanum II. cap. *Super quos* 30. q. 3. in quo ſic loquitur Pontifex: *Hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum, ut & baptiſmus ſit* (validus ſcilicet & licitus) *ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* At ſi baptiſmus à fœmina in neceſſitate collatus, validus eſt, validus pariter eſt, quamvis illicitus, collatus extra neceſſitatem. 2. in O. *Chriſtus eſt*, inquit S. Doctor, *qui principaliter baptizat .... Dicitur autem Col. 3. quòd in Chriſto non eſt maſculus & fœmina. Et ideò ſicut maſculus laicus poteſt baptizare quaſi miniſter Chriſti, ita etiam & fœmina.* 3. in Reſp. ad 3. *In generatione ſpirituali*, inquit, *neuter* (maſculus & fœmina) *operatur in virtute propria, ſed inſtrumentaliter tantùm, per virtutem Chriſti, & ideo eodem modo poteſt vir & mulier in caſu neceſſitatis baptizare. Si tamen etiam mulier extra caſum neceſſitatis baptizaret, non eſſet rebaptizandus* (qui ſic eſſet baptizatus.)

Pro paganis, adeoque pro non baptizatis, ex

cap.

Digitized by Google

cap. 23. de conſecr. diſt. 4. in quo dicitur: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat; ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licèt paganus ſit qui baptizat.* Ex cap. 24. ead. diſt. in quo Nicolaus à Bulgaris conſultus de quodam Judæo, quem neſciebant utrùm chriſtianus eſſet an paganus, quique multos in eorum patria baptizaverat, nil diſtinguens utrùm Judæus ille baptizari in neceſſitate, an non, reſpondet tanquam certum & indubitatum, non eſſe denuò baptizandos, quos ille baptizavit, ſi baptizavit in forma Eccleſiæ. Et ex S. Thoma hic q. 67. a. 5. in O. *Sicut ex parte materia*, inquit, *quantùm ad neceſſitatem ſacramenti ſufficit quacumque aqua, ita etiam ſufficit ex parte miniſtri quicumque homo. Et ideò etiam non baptizatus, in articulo neceſſitatis baptizare poteſt* (non ſolùm validè, ſed etiam licitè) *ut ſi duo non baptizati ſe invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & poſtea baptizaretur ab eodem, conſequeretur uterque non ſolùm ſacramentum, ſed etiam rem ſacramenti. Si verò extra articulum neceſſitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, ſcilicet baptizans & baptizatus, & per hoc impediretur baptiſmi effectus, licèt non tolleretur ipſum ſacramentum.*

Pro hæreticis denique, ex cap. *Si qui*, 28. de conſecr. diſt. 4. *Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in ſancta Trinitatis confeſſione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur ut baptizati, ne ſanctæ Trinitatis invocatio vel confeſſio annulletur.* Ex cap. *Quamvis* 24. eod. diſt. *Quamvis unum baptiſma ſit & hæreticorum, eorum ſcilicet qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizantur, & Eccleſia catholica, &c.* Et ex cap. *Hi de quibus* 38. ead. diſt. in quo S. Leo ep. 90. ad Ruſticum Narbonenſem reſcribit: *Hi de quibus ſcripſiſti, qui ſe baptizatus ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt.* Sed de hæreticis jam aliàs accuratè.

Obj. 1. cap. 52. de conſecr. diſt. 4. in quo Gregorius II. ad Bonifacium reſcribit: *Quos à paganis baptizatus eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuò baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* *R.* cum Gloſſa & S. Thoma hic q. 67. a. 5. in O. agi de paganis, qui non baptizabant in forma Eccleſiæ; unde ab illis baptizatos jubet Pontifex rebaptizari in nomine Trinitatis, hoc eſt, in Eccleſiæ forma.

Obj. 2. caput 59. 1. q. 1. in quo dicitur: *Si quis per ignorantiam ordinatur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipſe ulterius non ordinetur.* *R.* cum Gloſſa, hoc caput duas habere partes, quarum prima continetur verbis citatis, & interrogativè legenda eſt. Secunda verò, quæ verbis ſubſequentibus continetur, reſpondet valere baptiſmum etiam à pagano collatum. Et refertur diſt. 4. de conſecratione cap. 23.

Obj. 3. Concilium Eliberitanum can. 38. in laico ad hoc ut validè baptizet, etiam in caſu neceſſitatis, requirit ut ſit baptizatus, nec bigamus, nec pœnitentiæ publicæ obnoxius. *Peregrè navigantes*, inquit, *aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum, &c.* *R.* Concilium Eliberitanum hic loqui non de valida præcisè, ſed de valida ſimul & licita adminiſtratione baptiſmi, quod hic nobis ſufficit. Adde hanc Synodum, quæ fuit paucorum, nempe novemdecim Epiſcoporum præjudicare non poſſe ſententiæ Concilii Florentini, docentis in decreto Eugenii, hominem non baptizatum validè & licitè baptizare poſſe in caſu neceſſitatis.

Obj. 4. S. Auguſtinum lib. 2. contra ep. Parmeniani c. 3. ubi ſic loquitur: *Et hæc quidem alia quæſtio eſt, utrùm & ab iis qui nunquam fuerunt chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum eſt ſine authoritate tanti Concilii, quantum tanta rei ſufficit.* Ex quibus verbis apparet S. Doctori, ſaltem dubium fuiſſe, utrùm validus ſit baptiſmus à non baptizato collatus. *R.* 1. S. Doctorem hoc dubium poſtea depoſuiſſe, ut patet ex lib. 7. de bapt. c. 53. *Si quis fortè me*, inquit, *in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus quorum ſententias ſequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipſe ſentirem: ſi eo modo affectus eſſem, cum eram cùm iſta dictarem: nequaquam dubitarem habere eos baptiſmum, qui ubicumque & à quibuſcumque illud verbis evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide accepiſſent.*

R. 2. nos habere nunc quod ad tollendum dubium requirebat Auguſtinus, nempe definitionem Concilii generalis, Lateranenſis ſcilicet, generaliter docentis cap. *Firmiter*, baptiſmum à quocumque in forma Eccleſiæ ritè collatum valere. Adde Nicolaum I. Bulgaris reſpondentem cap. *A quodam Judæo*, de conſecrat. diſt. 4. eos qui in debita forma baptizati ſunt, validè baptizatos eſſe, ſive is qui baptizavit, ſit baptizatus, ſive non. Quod Nicolai reſponſum, utpote ab univerſa Eccleſia receptum, æquivalet definitioni univerſalis Concilii.

Obj. 3. S. Baſilium in epiſt. 1. ad Amphilochium, in qua loquens de Cypriani & Firmiliani circa baptiſmum hæreticorum ſententia, quam ipſe ſequebatur, ſic ratiocinatur: *Qui autem* (per hæreſim) *abrupti ſunt* (ab unitate Eccleſiæ) *laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi habent poteſtatem .... Quare eos qui ab ipſis baptizati erant, tanquam à laicis baptizatus, juſſerunt* (Cyprianus & Firmilianus) *ad Eccleſiam venientes, vero Eccleſia baptiſmo expurgari.* Ex quibus verbis apparet non ſolùm Cyprianum & Firmilianum, ſed etiam Baſilium in ea fuiſſe ſententia, quòd nullus ſit baptiſmus à laicis collatus. *R.* Ita eſt, ſed hac in re cum Cypriano & Firmiliano erravit Baſilius, & unum errorem, quòd nullum ſit baptiſma ab hæreticis etiam in forma Eccleſiæ collatum, cum illis defendit alio errore.

ARTICULUS II.

Utrùm omnes qui validè baptizare poſſunt, licitè baptizent in caſu neceſſitatis.

NOta. Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 15. §. 20. docet nequidem in extrema neceſſitate baptizare licitum eſſe iis, qui non ſunt ordinarii Eccleſiæ miniſtri ad hoc deputati. Et hanc ſibi ipſe proponit objectionem: *At periculum eſt ne is qui ægrotat, ſi abſque baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratia privetur:* quam ſolvit eod. §. pro infantibus fidelium; dicendo eos, antequam naſcantur, Deum adoptare in ſuos, eoſque proinde non indigere baptiſmo ad ſalutem conſequendam: pro adultis verò §. 22. in fine, aſſerendo eis ad gratiam juſtificantem obtinendam fidem ſufficere.

Nota iterum. Arcudius lib. 1. de concord. cap. 11. ſcribit totam fermè Græciam, Ruſſiam, Moſcoviam, & alias provincias, quæ in fide Chriſti ritu græco perſeverant, ex imperitia in eo verſati errore, ſcrupulo & religione, ut abſente presbytero malint permittere, ut infantes ſine baptiſmo è vita decedant, quàm eos ſalutari lavacro abluere; quòd exiſtiment ſibi laicis ne in neceſſitate quidem licere hoc munere fungi. “ Sed contra Calvinum, & Græcos, aliotque ritum græcum ſequentes, ſit

Responsio I.

Laici baptizati & catholici, licitè baptizare poſſunt in caſu neceſſitatis, ſi non adeſt clericus aliquis, qui baptizare poſſit, & velit.

Prob. 1. authoritate Eugenii in decreto §. *Primum omnium*, in verbis jam relatis, & infra reſp. 2. iterùm referendis. Et Joannis VIII. relati cap. *Ad limina*, 30. q. 1. in quo ſic reſpondet Anſelmo Lemovicenſi: *Hoc baptizandi opus laicis fidelibus juxta canonicam authoritatem, ſi neceſſe fuerit facere, liberè conceditur. Unde ſi ſupradictus genitor filium ſuum corpore mo-*

vicatem reſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri unda baptiſmatis lavit .... bene feciſſe laudatur. His adjungi poteſt Concilium Eliberitanum can. 38. ſupra citato.

Prob. 2. Authoritate Patrum, Tertulliani ſcilicet lib. de bapt. c. 17. ubi laicum fidelem alloquens, ait: *Sufficiat in neceſſitatibus, ut utaris* (jure baptiſmi) *ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit: tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cùm urget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederis præſtare, quod liberè potuit*. Hieronymi in dialogo contra Luciferianos: *Inde venit, ut ſine chriſmate, & Epiſcopi juſſione, neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi: quod frequenter, ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere laicis*. Auguſtini apud Gratianum de conſecr. diſt. 4. cap. 21. *In neceſſitate cùm Epiſcopi, aut presbyteri, aut quilibet miniſtrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus qui petit, ne ſine iſto ſacramento hanc vitam finiat, etiam laicos ſolere dare ſacramentum, quod acceperunt, ſolemus audire*. Et Iſidori lib. 2. de officiis cap. 24. *conſtat baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe traditum* (ut ordinariis miniſtris) *cujuſque myſterium nec ipſis diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopis, vel presbyteris, niſi illis procul abſentibus ultima languoris cogat neceſſitas, quod & laicis fidelibus* plerumque *permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur*.

Obj. Illud Matth. cap. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Nam hæc verba diriguntur ad ſolos Epiſcopos, & eorum ſucceſſores, adeoque per hæc verba, ſolis Epiſcopis & eorum ſucceſſoribus conceditur poteſtas baptizandi *Reſp.* per hæc verba, dato quòd ad ſolos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores dirigantur, quod certum non eſt, imponi ſpecialem obligationem baptizandi, ſicut & docendi; item dari jus ſpeciale docendi, & miniſtrandi baptiſmum ex officio: unde ſequitur, quòd Apoſtolis competiverit, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus competat primò & per ſe munus docendi & baptizandi; non quòd munus & poteſtas docendi & baptizandi competiverit ſolis Apoſtolis, & nunc competat ſolis Epiſcopis eorum ſucceſſoribus. Et verò tempore Apoſtolorum, approbantibus ipſis Apoſtolis, Stephanus diaconus concionatus eſt; Philippus diaconus baptizavit; aliique baptizarunt, qui nec Apoſtoli nec diaconi erant, ut Ananias.

Nota. Apoſtoli non tunc primùm, cùm eis dictum eſt, *Euntes docete, &c.* acceperunt poteſtatem ad validè & licitè baptizandum neceſſariam; cùm ante Domini paſſionem validè & licitè baptizaverint; ſed hanc poteſtatem acceperunt, quando Chriſtus baptiſmum inſtituit, quo etiam tempore à Chriſto deputatus eſt homo quilibet, ut poſſet validè baptiſmum miniſtrare, quamvis non cuilibet conceſſum fuerit, ut poſſet etiam miniſtrare licitè extra caſum neceſſitatis, & ſolemniter.

Responsio II.

Mulier baptizata & catholica poteſt licitè baptizare in caſu neceſſitatis, ſi non adſit vir baptizatus & catholicus, qui poſſit & velit baptizare.

Prob. Ex S. Thoma hic q. 67. a. 4. in O. *Dicendum*, inquit, *quod Chriſtus eſt, qui principaliter baptizat .... Dicitur autem Col. 3. quod in Chriſto non eſt maſculus & fœmina. Et ideò ſicut maſculus laicus poteſt baptizare quaſi miniſter Chriſti, ita etiam & fœmina, Quia tamen caput mulieris eſt vir, & caput viri eſt Chriſtus .... non debet mulier baptizare, ſi adſit copia viri*. Quòd autem hic S. Doctor intelligat non ſolùm potentiam facti ad faciendum ſimpliciter, ſed etiam potentiam juris ad licitè faciendum in caſu neceſſitatis, patet ex ejus reſp. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod ſicut mulieri non permittitur publicè docere, poteſt tamen privata doctrina vel monitione aliquem inſtruere; ita non permittitur ei publicè & ſolemniter baptizare, ſed tamen poteſt baptizare in neceſſitatis articulo*. Vide etiam Reſp. 2. & 3.

Prob. 2. ratione. Si mulier baptizata & catholica, abſente viro baptizato & catholico, qui baptizare poſſit & velit, non poteſt licitè baptizare in caſu neceſſitatis; vel quia non poteſt validè baptizare, vel quia lege aliqua prohibetur baptizare in caſu neceſſitatis, etiam abſente viro, &c. Neutrum dici poteſt. Non primum: nam etiam extra neceſſitatis articulum, præſente quocumque alio, qui poſſet & vellet baptizare, validè baptizaret, ut probatum eſt.

Non etiam ſecundum: nam ſi lege aliqua prohibetur baptizare, &c. vel lege naturali, vel eccleſiaſtica, vel poſitiva divina. Nihil horum dici poteſt. Non primum: nam non eſt intrinſecè malum & indecens mulierem baptiſmum miniſtrare privatim in caſu neceſſitatis, &c. è contra verò tunc tenetur lege naturali miniſtrare baptiſmum; quilibet enim lege naturali tenetur, cùm poteſt, ſubvenire proximo neceſſitatem patienti, ſi non adeſt alius, qui poſſit & velit ei ſubvenire. Non ſecundum: nam talis lex nulla aſſignari poteſt. Non denique tertium: nam legis hujuſmodi nullum extat veſtigium in Scriptura, aut traditione. Ergo, &c.

Obj. 1. Tertullianum lib. de virginibus velandis c. 9. *Non permittitur*, inquit, *mulier in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre*. Et lib. de bapt. c. 17. *Petulantia autem mulierum*, inquit, *quæ uſurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus ſibi pariet*. Et lib. de præſcript. c. 41. *Mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tinguere*. R. Tertullianum nobis contrarium non eſſe. Nam primo loco dicit tantùm non permitti, ut doceant & baptizent in Eccleſia, ſicut nec ut ſacrificent. Secundo loco dicit tantùm, mulieribus jus competere non poſſe baptizandi publicè ac ſolemniter, & extra caſum neceſſitatis. Tertio loco reprehendit mulieres hæreticas, quæ publicè, ac præſentibus viris, munia ſacerdotalia exercere non verebantur, adeoque ordinarium, & publicum uſurpabant miniſterium docendi, baptizandi, &c. Quod Marcioni exprobat S. Epiphanius hær. 42. num. 4. *Jam*, inquit, *mulierculis baptizandi* (publicè ſcilicet & ſolemniter) *poteſtatem facit*.

Obj. 2. Concilium Carthaginenſe IV. can. 100. quo dicitur: *Mulier baptizare non præſumat*. R. vel ſubintelligendum eſſe, niſi neceſſitate cogente, ut obſervat Gratianus diſt. 4. de conſecr. ad cap. 20. vel ſubintelligendum eſſe, in conventu ſeu in Eccleſia, ut colligitur ex can. 99. quo dicitur: *Mulier, quamvis docta & ſancta, viros in conventu docere non præſumat*. Non enim videtur hic mulier aliter prohiberi ne baptizet, quàm prohibetur ne doceat. Sicut igitur Concilium can. 99. mulieribus prohibet tantùm ne publice & præſentibus viris doceant, ita can. 100. prohibet illis tantùm, ne baptizent publicè, aut privatim in caſu neceſſitatis, præſente viro, qui poſſit & velit baptizare. Et ſicut mulier, non obſtante canone 99. licitè poteſt privatim docere; ita etiam non obſtante canone 100. licitè poteſt baptizare privatim in caſu neceſſitatis, ſi non adſit vir, &c. imò jure naturali, cui nulla humana authoritas derogare poteſt, graviter tenetur tunc baptizare; cùm poſſit validè baptizare, & baptizando, infanti v. g. cujus ſalus æterna periclitatur, efficaciter ſubvenire: unde tunc non baptizando, gravis culpæ reatum incurret, quoniam, ut loquar cùm Tertulliano lib. de bapt. c. 17. *rea erit perditi hominis, ſi ſuperſederis præſtare, quod liberè potuit*.

Responsio III.

Vir non baptizatus, & mulier non baptizata licitè baptizare poſſunt in caſu neceſſitatis, abſente omni alio digniore, qui poſſit & velit baptizare.

Prob. 1. authoritate S. Thomæ hic q. 67. a. 5. in O. ubi ait: *Non baptizatus, in articulo neceſſitatis bapti-*

baptizare poteſt (licitè) *ut ſi duo non baptizati ſe invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & poſtea baptizaretur ab eodem, conſequeretur uterque non ſolum ſacramentum, ſed etiam rem ſacramenti* (nempe gratiam ſanctificantem; *ſi verò extra articulum neceſſitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, ſcilicet baptizans & baptizatus: & per hoc impediretur baptiſmi effectus* (nempe gratia ſanctificans,) *licèt non tolleretur ipſum ſacramentum.*

Prob. 2. ratione. Quia 1. poſſunt validè baptizare in articulo neceſſitatis; cùm etiam poſſint extra hunc articulum, ut probatum eſt. 2. Nulla lege prohibentur in articulo neceſſitatis, abſente omni alio, &c. baptizare ante ſuſceptum à ſe baptiſmum. Non lege naturali: non baptizatum enim baptizare in articulo neceſſitatis, abſente omni alio, &c. non eſt intrinſecè malum & indecens. Non lege eccleſiaſtica: nulla enim aſſignari poteſt, quæ hoc prohibeat: imò nulla humana authoritas hoc prohibere poteſt. Non denique lege poſitiva divina: talis enim lex, quæ hoc prohibeat, neque in Scriptura neque in traditione invenitur.

Obj. S. Auguſtinum lib. 2. contra epiſt. Parmeniani c. 13. ubi ſic ait: *Nulla cogente neceſſitate ſi fiat* (à laico baptizato, *alieni muneris uſurpatio eſt* (adeoque peccatum grave.) *Si autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt*. Ergo S. Auguſtinus de laico baptizato, & à fortiori de non baptizato dubius fuit, utrùm licitè baptizare poſſet in caſu neceſſitatis, an non. *Reſp.* neg. conſeq. Nam ſenſus loci laudati eſt, laici baptizati, urgente neceſſitate baptizantis aut nullum eſſe peccatum, ſi priùs omnem quam potuit, diligentiam adhibuit, ut ſacerdotem inveniret; aut non eſſe niſi peccatum veniale; quia priùs quàm baptizaret, non adhibuit diligentiam illam omnem, quam potuit adhibere.

Quæres, Utrùm quando plures adſunt, qui baptizare poſſunt & volunt, aliquis inter eos ſervandus ſit ordo, etiam in caſu neceſſitatis?

R. Servandum eſſe: ita ut præferatur ſacerdos diacono, diaconus ſubdiacono, ſubdiaconus clericis aliis inferioribus, clericus non clerico, ſeu laico, vir fœminæ, baptizatus non baptizato, non excommunicatus excommunicato, catholicus hæretico. Hoc docet S. Thomas hic queſt. 67. art. 4. in O. & ratio eſt, quia reverentia ſacramento debita poſtulat, ut digniores minùs dignis per ſe loquendo præferantur. Dico autem per ſe loquendo: nam per accidens fieri poteſt, ut ordo ſit invertendus ratione honeſtatis, v. g. ut ſi infans, propter imminens mortis periculum, baptizandus ſit antequam totaliter prodierit ex utero materno: tunc enim mulier etiam propria patocho præferenda eſt. Porrò abſque hujuſmodi cauſa gravi, præfatus ordo inverti non poteſt, & ſi invertitur, peccatur graviter.

Quæres, Utrùm paganus in ſenſu compoſito paganiſmi, & hæreticus in ſenſu compoſito hæreſis, baptizare licitè poſſit in caſu neceſſitatis?

Reſp. non poſſe per ſe loquendo. Ratio eſt, quia ſtatus paganiſmi & hæreſis, incompoſſibiles ſunt cum ſtatu gratiæ, ſine quo nemo ſacramenta poteſt licitè miniſtrare per ſe loquendo. Dico, per ſe loquendo: nam per accidens fieri poteſt, ut hæreticus v. g. manens hæreticus, licitè baptizet in caſu neceſſitatis: nam ſi non adeſt alius, qui poſſit & velit baptizare, nec caſum illum prævidit; & baptizandus eſt in proximo mortis periculo, ita ut jamjam moriturus videatur, tunc involuntariè perplexus eſt, & è duobus malis quod minus malum eſt eligendo, quod facit miniſtrando baptiſmum, non peccat.

ARTICULUS III.

Quinam extra caſum neceſſitatis licitè baptizent, ſeu quibus ex officio competat baptizare.

Rasponsso I.

PRimò competit Epiſcopis officium baptizandi eos omnes, qui in eorum diœceſi commorantur.

Prob. 1. ex verbis Chriſti Matth. c. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Nam Chriſtus his verbis ordinarium docendi & baptizandi munus confert Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, tanquam Eccleſiæ principibus, quibus proinde ut talibus, primò ac per ſe jure divino competit docere & baptizare in locis curæ ſuæ commiſſis.

Prob. 2. ex Patribus, Tertulliano ſcilicet lib. de baptiſmo c. 17. ubi ait: *Dandi quidem* (baptiſmum) *habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc presbyteri & diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt. Alioquin etiam laicis jus eſt .... ſed quantò magis laicis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit, cum ea majoribus* (presbytero & diacono) *competat, ne ſibi adſumant dicatum Epiſcopi officium epiſcopatus.* Ex S. Hieronymi in dialogo contra Luciferianos. *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in Summi Sacerdotis* (Epiſcopi) *dignitate pendet: cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas; tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde venit ut ſine chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi.* Ex his autem.

Argumentor breviter. Ex Patribus, presbyteri & diaconi non poſſunt habere jus baptizandi ſine juſſione & authoritate Epiſcopi. Ergo ex Patribus jus baptizandi primò & per ſe competit Epiſcopo. Ratio Patrum eſt, quia hoc poſtulat honor Eccleſiæ, & epiſcopalis, in qua Eccleſiæ ſalus pendet, dignitas; cui ad impedienda ſchiſmata, adeoque ad ſervandam unitatem, exortem quandam & eminentem presbyteris aliiſque inferioribus clericis poteſtatem annexam eſſe neceſſe eſt.

Ratio ulterior eſt, quia qui baptizatur, in membrum Eccleſiæ, & ejus privilegiorum communionem per baptiſmum admittitur. Atqui aliquem in alicujus communitatis membrum adſcribere, eique illius privilegia communicare, pertinet primò & per ſe ad principem illius communitatis; & Epiſcopus quilibet eſt princeps Eccleſiæ in ſua diœceſi. Ergo primò & per ſe pertinet ad Epiſcopum quemlibet in ſua diœceſi baptizare.

Responsio II.

Ordinarium munus baptizandi competit etiam presbyteris, ſed cum ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopis, ſeu ex commiſſione & licentia Epiſcoporum.

Prob. 1. Ex cap. *Diaconus* 13. diſt. 93. in quo dicit Gelaſius Papa: *Diaconos propriam conſtituimus ſervare menſuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus: nihil eorum ſuo miniſterio penitùs applicare, quæ primis ordinibus* (Epiſcopali ſcilicet & presbyterali) *propriè decrevit antiquitas. Abſque Epiſcopo vel presbytero baptizare non audeant, &c.* 2. Ex cap. *Conſtat* 19. de conſecr. diſt. 4. in quo dicit Iſidorus: *Conſtat baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe tractandum* (tanquam miniſtris ordinariis Epiſcopo ſubordinatis, & ab eo dependentibus) *ejuſque myſterium nec ipſis diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo vel presbytero.* 3. Ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii §. *Primum omnium*, in quo dicitur: *Miniſter* (ordinarius ſcilicet) *hujus ſacramenti* (baptiſmi) *eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Ergo, &c.

Quòd autem baptizandi munus ordinarium presbyteris competere non poſſit ſine ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopis, docent expreſsè Tertullianus & Hieronymus locis Reſp. 1. citatis. Et ratio eſt, quia presbyteri ſunt tantùm adjutores Epiſco-

ſcoporum, quibus ſolis, ut Eccleſiæ principibus, primò & per ſe competit officium baptixandi. Ergo officium baptizandi presbyteris competere non poteſt primo & per ſe, ſed ſolùm ex Epiſcoporum commiſſione & licentia.

Porrò cùm presbyter in parochum eligitur, hoc ipſo quod ab Epiſcopo approbatur ut idoneus, ab eo accipit bapitizandi licentiam, quæ jure communi ita ſtabilis eſt, ut ea presbyter ſine juſta cauſa privari non poſſit ab Epiſcopo, qui nihilominus poteſt pro nutu alium quemlibet presbyterum committere ad baptizandum in eadem parochia, & pro nutu hanc commiſſionem revocare: ſicut etiam ipſe parochus alium presbyterum ab Epiſcopo approbatum, ad idem munus obeundum committere, & commiſſionem revocare pro arbitrio poteſt.

Obj. Presbyter in ſua ordinatione accipit poteſtatem ordinariam baptixandi. Ergo munus ordinarium baptiaandi competit presbytero independenter ab Epiſcopo. *R.* 1. cum Bellarminio lib. 1. de bapt. c. 7. poteſtatem abſolvendi à peccatis dari presbyteris in ſua ordinatione; & tamen, quia abſolvere à peccatis eſt actus juriſdictionis, quæ eſt Epiſcoporum propria, ideò presbyteros non poſſe uti ea poteſtate, niſi quantùm eis Epiſcopi concedunt. Similiter quamvis presbyteri in ſua ordinatione ordinariam poteſtatem baptixandi accipiant, eoa tamen hac poteſtate uti non poſſe ſine licentia Epiſcopi. Rationem jam attullimus, quia nimirùm qui baptizat hominem, eum adſcribit in membrum Eccleſiæ; quod facere ad Epiſcopum, ut principem Eccleſiæ, primò & per ſe pertinet.

Reſp. 2. Dici poſſe quòd presbyteri in ordinatione ſua accipiant tantùm inchoationem quandam ordinariæ poteſtatis baptixandi, quatenùs accipiendo in ordinatione ſua poteſtatem in verum Chriſti Corpus, hoc ipſo accipiunt ſpecialem idoneitatem ad hoc ut eis committatur ordinaria poteſtas in corpus Chriſti myſticum, hoc eſt, in fideles ex quibus corpus Chriſti myſticum coaleſcit, adeoque ordinaria poteſtas illis ſacramenta omnia, præter Ordinem & Confirmationem, miniſtrandi, & eorum proles, alioſque, qui in eorum ſocietatem adſcribi volunt, baptizandi. Unde ſine Epiſcopi ſui commiſſione vel licentia, presbyteri nec habent, nec habere poſſunt completam & integram baptixandi poteſtatem ordinariam. Quare extra neceſſitatis articulum baptizando, non accepta priùs Epiſcopi licentia, graviter peccant: quamvis tunc nec excommunicationem, nec irregularitatem incurrans, quia talem pœnam nullum jus imponit.

Rezponsto III.

Munus ordinarium baptizandi competere non poteſt diaconis.

Prob. 1. Ex cap. *Diaconos*, & ex cap. *Conſtat*, citatis Reſp. 2. ex quibus liquet ſolos Epiſcopos & presbyteros baptiſmi ordinarios miniſtros eſſe poſſe. 2. Ex Concilio Florentino, quod cùm dicit ſacerdotem eſſe baptiſmi miniſtrum, cui ex officio incumbit baptizare, manifeſtè omnes alios inferiores ordines ab officio baptixandi excludit. 3. Ex S. Thoma hic. q. 67. a. 1. in O. ubi ait: *Dicuntur diaconi quaſi miniſtri, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod ſacramentum principaliter & quaſi ex proprio officia prebere, ſed adhibere miniſterium aliis majoribus in ſacramentorum exhibitione. Et ſic ad diaconum non pertinet quaſi ex proprio officie tradere ſacramentum baptiſmi: ſed in collatione hujus ſacramenti & aliorum aſſiſtere & miniſtrare majoribus* (Epiſcopo ſcilicet & presbytero.)

Ulterior ratio eſt, quia cùm diaconus in ordinatione ſua non accipiat poteſtatem in verum Chriſti Corpus (non enim accipit poteſtatem illud conficiendi ſub ſpeciebus per conſecrationem) non fit idoneus per ordinationem ſuam ad hoc ut ei committatur poteſtas ordinaria in corpus Chriſti myſticum, adeoque non fit idoneus ad hoc ut ei comminatur ordinaria poteſtas miniſtrandi aliquod ſacramentum.

Dices. Tertullianus & Hieronymus comparant diaconum cum presbytero in adminiſtrationem baptiſmi. Ergo ex Patribus illis, diaconus tam poteſt habere poteſtatem ordinariam baptizandi, quam presbyter. *R.* neg. conſeq. Nam in hoc tantùm Patres illi comparant diaconum cum presbytero, quòd neuter poſſit licitè baptizare extra caſum neceſſitatis ſine commiſſione & licentia Epiſcopi.

Responato IV.

Extraordinariam poteſtatem licitè baptizandi extra caſum neceſſitatis habere poteſt diaconus ex commiſſione Epiſcopi, vel presbyteri curam animarum habentis.

Prob. Ex cap. *Diaconos*, in quo dicitur: *Abſque Epiſcopo vel presbytero baptizare non audeant* (diaconi) *niſi prædictis fortaſſis ordinibus longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat: quod & laicis chriſtianis facere plerumque conceditur*. Idem plane habetur cap. *Conſtat*. Unde ſic argumentor. Jura prohibent diacono, ne baptixet extra caſum neceſſitatis, ſine licentia Epiſcopi vel presbyteri. Ergo diaconos ab Epiſcopo vel presbytero habere poteſt licentiam baptizandi extra caſum neceſſitatis. Ergo vel ordinariam habere poteſt, vel extraordinariam. Atqui non poteſt habere ordinariam; cùm ſit illius incapax, ut Reſp. 3. probatum eſt. Ergo ſupereſt, ut ab Epiſcopo vel presbytero habere poſſit extraordinariam licentiam baptizandi extra caſum neceſſitatis. Quod

Confirmatur Ex eo, quòd in ordinatione diaconi dicitur: *Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Ex his enim verbis colligitur, diaconum in ordinatione ſua accipere inchoatam aliquam potentiam ad baptixandum. Hæc autem inchoata poteſtas, quam diaconus accipit in ordinatione ſua, 1. eſt poteſtas juris, de qua hic agitur: nam poteſtatem facti ad baptizandum etiam completam diaconus habet ex inſtitutione Chriſti. 2. Eſt poteſtas juris ad baptizandum extra caſum neceſſitatis: nam diaconus habet quoque ex inſtitutione Chriſti, completam poteſtatem juris ad baptixandum in neceſſitatis, articulo. 3. Non eſt poteſtas ordinaria, ut patet ex dictis Reſp. 3. Ergo diaconus recipit in ordinatione ſua inchoationem quandam poteſtatis extraordinariæ, per commiſſionem Epiſcopi vel presbyteri complendæ, ad licitè baptixandum extra caſum neceſſitatis (extremæ ſcilicet, quod ſemper ſuppleri debet.) Extrema autem neceſſitas cenſetur, cùm probabiliter timetur, ne quis ſine baptiſmo moriatur, niſi ſtatim baptizetur.

Poteſt igitur Epiſcopus vel presbyter, qui curam animarum habet, committere diacono munus extraordinarium baptizandi, quod tamen fieri non poteſt ſine gravi aliqua cauſa: alioquin officium baptixandi eodem modo committi poſſet diacono, quo committi poteſt presbytero, & tam diacono quàm presbytero ordinarium baptixandi officium competere, quod eſt falſum. Gravis autem & juſta cauſa cenſetur, ſi v. g. parochus ægrotat, & non adeſt alius ſacerdos; qui poſſit committi; ſi multi ſunt, qui baptiſmo indigent, & parochus non poteſt omnibus ſufficere; qui tamen ſine notabili aliquo incommodo differri non poſſunt, nec adeſt alius presbyter, à quo parochus poſſit adjuvari, &c.

Responsio V.

Diaconus poteſt ex commiſſione Epiſcopi vel presbyteri gravem aliquam ob cauſam habere licentiam extraordinariam baptizandi ſolemniter.

Prob. Nam, ut probatum eſt, poteſt diaconus ex commiſſione Epiſcopi vel presbyteri, gravem aliquam ob cauſam habere licentiam extraordinariam ad baptizandum extra caſum neceſſitatis. Atqui non poteſt habere licentiam ad baptixandum extra caſum neceſſitatis, niſi habeat licentiam ad baptizandum ſolemniter: graviter enim prohibetur Clem. unica de

bapt.

bapt. in 6. ne quis extra caſum extremæ neceſſitatis, baptizet, niſi in Eccleſia aliqua, in qua ſint fontes ad baptizandum ſpecialiter deputati, quoties ſcilicet liberi Regum vel Principum non ſunt baptizandi, quibuſcum poteſt diſpenſari. In Eccleſia autem non baptizatur niſi ſolemniter; adeoque graviter prohibetur Clem. illa, ne quis niſi ſolemniter baptizet extra caſum extremæ neceſſitatis. Ergo, &c. Quod confirmari poteſt ex Gloſſa ad cap. *Diaconos* diſt. 93. v. *Neceſſitas*, ubi dicitur, diaconum à presbytero juſtam ob cauſam juſſum, in Eccleſia, adeoque ſolemniter baptizare poſſe in præſentia ipſius presbyteri.

Responsio VI.

Nullus clericus diacono inferior, etiam ex commiſſione presbyteri vel Epiſcopi, habere poteſt licentiam ad baptizandum extra caſum neceſſitatis.

Prob. 1. Ex Patribus, & juribus hoc articulo citatis: cùm enim de ſolis presbyteris & diaconis dicant, quòd ex commiſſione poſſint habere licentiam ad baptizandum extra neceſſitatis articulum, manifeſtè ſupponunt & innuunt, id nunquam licere poſſe aliis inferioribus clericis. 2. Ratione: quia qui non poſſunt habere licentiam ad baptizandum ſolemniter, non poſſunt habere licentiam ad baptizandum extra neceſſitatis articulum, cùm baptiſmus extra neceſſitatem licitè miniſtrari non poſſit niſi ſolemniter. Atqui nullus clericus diacono inferior, licentiam habere poteſt ad baptizandum ſolemniter. Ergo, &c.

Quæres, utrùm ſoli Epiſcopi aliquando baptiſmum adminiſtraverint?

R. prioribus Eccleſiæ ſæculis ſolos Epiſcopos baptizaſſe in locis, in quibus reſidebant.

Prob. 1. Ex Dionyſio Areop. lib. de Eccl. hier. c. 2. ubi hoc apertè ſupponitur, cùm ritum baptiſmi deſcribens, dicit ab Epiſcopo, aſſiſtentibus ei presbyteris, hoc ſacramentum miniſtrari. 2. Ex S. Hieronymo in dialogo contra Lucifer. ubi apertè innuit, presbyteros & diaconos nonniſi in locis ab Epiſcopali ſede remotioribus baptizaſſe. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat.* 3. Ex Paulino in S. Ambroſii vita, ubi hæc habet: *In rebus etiam divinis implendis fortiſſimus labor, in tantum ut quod implere ſolitus erat circa baptizandos, quinque poſtea Epiſcopi à tempore quo deceſſit; vix implerent.* At poſt quintum ſæculum cœperunt presbyteri etiam in Epiſcopalibus urbibus baptizare, & ſenſim mos obtinuit, ut ſoli baptizarent.

DISPUTATIO III.

De Baptiſmo infantium.

ARTICULUS I.

Utrùm liceat infantes baptizare.

SÆculo duodecimo, tempore S. Bernardi, exorta eſt hæreſis, authore, vel ſaltem promotore Henrico quodam, negans licere infantes baptizare. Conſtat ex S. Bernardo ſerm. 66. in Cantica, & epiſt. 240. ubi hanc hæreſim refert, & refellit. Eam nihilominus ſæculo decimo-ſexto ſuſcitarunt Anabaptiſtæ, aſſerentes non licere baptiſmum dari, niſi adultis illum per ſe poſtulantibus; Imò multi ex illis, teſte Calvino, contendebant, adultos non eſſe baptizandos ante annum ætatis trigeſimum, qua ætate Chriſtus ipſe à Joanne baptizatus eſt. Anabaptiſtas imitati ſunt eodem ſæculo Sociniani: nam miniſtri tranſylvani, teſte Bellarminio lib. 1. de bapt. cap. 8. contra Trinitatem & Incarnationem anno 1567. duos libros ediderunt, quibus addiderunt 36. argumenta contra baptiſmum parvulorum; pro quo ſit

Responsio.

Infantes poſſunt validè & licitè baptizari.

Eſt de fide, & *prob.* 1. authoritate Patrum Græcorum, Dionyſii ſcilicet Areop. lib. de Eccl. hier. c. 7. ubi ait: *pueros etiam, qui nondum divina myſteria intelligere poſſunt, divini ortus participes fieri, ſanctiſſimorumque divina ſocietatis ſignorum.* Et inferiùs, quòd eis in baptiſmo dentur ſponſores ſeu patrini, dicit eſſe traditionis Apoſtolicæ. Origenis hom. 14. in Lucam. *Parvuli*, inquit, *baptizantur in remiſſionem peccatorum.* Et Gregorii Nazianz. orat. in ſanctum bapt. *Infans*, inquit, *ubi eſt? ne anſam & occaſionem arripiat improbitas, ab infantia ſanctitate imbuatur, ab ipſis unguiculis ſpiritui conſecretur. At propter naturæ imbecillitatem baptiſmo ſignari metuis? Quàm abjecti animi mater es, puſillaque fide... Trinitatem ipſi dato, magnum illud & præclarum amuletum.*

Prob. 2. Authoritate Patrum Latinorum, Cypriani ſcilicet in epiſtola ſynodica ad Fidum presbyterum, ubi ait: *Univerſi judicavimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam denegandam .... Eſſe apud omnes, ſive infantes, ſive majores natu unam divini muneris æqualitatem, declarat nobis divina Scriptura fides .... Deus ut perſonam non accipit, ſic nec ætatem, cùm ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbeat patrem.* Hieronymi lib. 3. contra Pelag. in fine, ubi ſic loquitur: *Si unum & in parvulis & in magnis habetis baptiſma, etiam infantes in remiſſionem peccatorum baptizandos ... credatis.*

Auguſtini lib. 1. de peccatorum mer. & remiſſ. c. 26. ubi ait; *Parvulos baptizandos eſſe concedunt* (Pelagiani) *qui contra authoritatem univerſæ Eccleſiæ procuidubio per Dominum & Apoſtolos traditam venire non poſſunt.* Lib. 4. de bapt. c. 23. ubi dicit: *Quod traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui nondum poſſunt credere corde ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem .... tamen nullus chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari.* Lib. 10. de Geneſi c. 23. *Conſuetudo matris Eccleſiæ*, inquit, *in baptizandis parvulis neque ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.*

Et Bernardi epiſt. 240. jam citata, in qua contra Henricum hæreticum hæc ſcribit: *Parvulis chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia: nec ſaluti propinquare ſinuntur, Salvatore piè licèt clamante pro eis:* Sinite, *inquit*, parvulos venire ad me .... *Quid quæſo; quid invidet parvulis Salvatorem parvulum, qui natus eſt ei? Invidia hæc diabolica eſt, invidia hac mors intravit in orbem terrarum.*

Prob. 3. Authoritate Summorum Pontificum, Siricii in epiſt. ad Himerium c. 2. *Infantibus*, inquit, *qui necdum loqui potuerint per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri.* Leonis I. epiſt. 86. ad Nicetam Aquilejenſem. *A parvulo*, inquit, *recèns nato, uſque ad decrepitum ſenem ... ſicut nullus prohibendus eſt à baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in baptiſmo.* Et Innocentii III. cap. *Majores* extra de bapt. *Ne baptiſmus*, inquit, *qui ſucceſſit loco ipſius* (circumciſioni) *& generalior tamen exiſtit, cùm tam viri quàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis quàm parvulis eſt conferendus.*

Prob. 4. authoritate Conciliorum, Carthaginenſis ſcilicet ſub Cypriano, cujus epiſtola ſynodica inter Cyprianas extat num. 36. ad Fidum presbyterum, qui dixerat, *infantes intra ſecundum vel tertium diem, quo nati ſunt, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam legem eſſe circumciſionis antiquæ, ut intra octavum diem, eum qui natus eſt baptizandum & ſanctificandum non putaret.* Hæc autem inter alia ad Fidum nomine totius Synodi reſcribit Cyprianus: *Hæc*

fuit

fuit in Concilio noſtra ſententia, à baptiſmo atque à gratia Dei, qui omnibus miſericors & benignus & pius eſt, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa univerſos obſervandum ſit atque retinendum, tum magis circa infantes ipſos & recens natos obſervandum putamus.

Milevitani II. anno 416. can. 2. quo dicitur: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat .... anathema ſit.* Gerundenſis anno 517. can. 5. ſtatuentis, ut parvuli, *ſi infirmi fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati ſunt .... baptizentur.* Bracarenſis III. anno 572. can. 7. prohibentis ne quod pignus pro infantium baptiſmo à pauperibus violenter in poſterum tollant clerici, quia *multi pauperes hoc timentes, filios ſuos à baptiſmo retrahunt.*

Viennenſis generalis anno 1311. clement. unica de ſumma Trin. §. *Ad hoc baptiſma*; quo dicitur: *Ad hoc baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto, regenerans eſt .... quod celebratur in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, credimus eſſe tam adultis quàm parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem.*

Et Tridentini ſeſſ. 5. can. 4. idem ad verbum dicentis, quod Milevitanum II. can. 2. & ſeſſ. 7. can. 13. ſic loquentis: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe; ac propterea, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ: anathema ſit.*

Prob. denique 5. ratione. Quia infantes ſalvari poſſunt, etiamſi moriantur ante uſum rationis; ut fide conſtat. Ergo etiam ante uſum rationis juſtificari poſſunt; nemo enim ſalvatur, niſi decedat in ſtatu juſtitiæ. Atqui extra caſum martyrii juſtificari non poſſunt ante rationis uſum, niſi per ſuſceptionem baptiſmi. Ergo etiam ante uſum rationis per baptiſmi ſuſceptionem juſtificari poſſunt; adeoque baptiſmi capaces ſunt ante uſum rationis.

Obj. 1. Nullum de baptiſmo parvulorum præceptum, vel exemplum extat in Scriptura. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Nam non omnia ſcripta ſunt, & præter Scripturam, habemus traditionem Apoſtolicam, quæ parem habet cum Scriptura authoritatem. Ex hac autem traditione, ut Patrum teſtimonio oſtenſum eſt, conſtat parvulos baptizari poſſe, & baptizandos eſſe.

Obj. 2. Matth. cap. ult. dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo baptiſmus ad eos tantum pertinet, qui doceri poſſunt & credere. *R.* neg. conſ. Nam primo loco, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus præceptum imponitur, non baptizandi ſolos adultos, ſed baptiſmo adultorum præmittendi ſufficientem inſtructionem. Et ſecundo loco, ſignificatur tantùm neceſſitas credendi in adultis, ad conſequendam juſtificationis gratiam in baptiſmo.

Obj. 3. Si infantes baptizandi ſunt, ſunt etiam ad Euchariſtiæ participationem admittendi. Falſum conſeq. Ergo, &c. *R.* neg. ſequelam maj. Ratio diſparitatis eſt, quia baptiſmus inſtitutus eſt ad dandam vitam ſpiritualem: Euchariſtia verò inſtituta tantùm eſt ad vitam illam ſpiritualem, acceptam in baptiſmo, conſervandam & nutriendam. Unde parvuli baptiſmo, indigent, quia ſine vita ſpirituali, quam dat baptiſmus, & quam ſine baptiſmo in re ſuſcepto, extra caſum martyrii habere non poſſunt, morientes, in æternum pereunt. At non indigent Euchariſtia, quia vitam ſpiritualem, in baptiſmo acceptam, amittere non poſſunt, donec perveniant ad annos diſcretionis; atque ita donec perveniant ad annos diſcretionis, egere non poſſunt ſacramento, ad vitam illam conſervandam inſtituto.

Obj. 4. Tertullianum lib. de bapt. c. 18. in quo ſic ait de parvulis: *Veniant* (ad baptiſmum) *dum adoleſcunt; veniant dum diſcunt, dum quò veniant docentur: fiant chriſtiani, cum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum? Cautius agetur in ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere ſalutem, ut petenti dediſſe videaris.* Quibus verbis inculcat, parvulos, antequam adultam ætatem attigerint, non eſſe baptizandos.

R. Tertullianum hìc velle, non quòd parvulos ſtatim baptizare illicitum ſit, ſed ſolum quòd præſtet adultam ætatem expectare, ut ſic majori cum fructu baptiſmum ſuſcipiant. *Etiam ætate*, inquit ibidem, *cunctatio baptiſmi utilior eſt, præcipuè tamen circa parvulos.* Dicit autem, *præcipuè*, quia idem etiam ibidem conſulit pro adultis innuptis: nam ſic ait: *Non minore de cauſa innupti quoque procraſtinandi, in quibus tentatio præparata eſt tam virginibus per maturitatem, quàm viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentia corroborentur. Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quàm dilationem: fides integra ſecura eſt de ſalute.*

Sicut itaque Tertullianus perperam ſenſit, propter rationes quas affert, differendum eſſe baptiſmum innuptorum adultorum; ita & parvulorum baptiſmum, donec adoleſcant, differendum eſſe, perperam ſenſiſſe proculdubio cenſendus eſt. Certè Tertulliani ſententia S. Cypriano, cujus major eſt authoritas, & ejus Synodo diſplicuit, ut patet ex ſynodica ad Fidum epiſtola, in qua Fidi de baptiſmo parvulorum uſque ad octavum ab eorum nativitate diem differendo, opinio reprobatur. Nec Tertulliani, ſed Cypriani ſententiam ſecuta eſt univerſa Eccleſia, quæ hactenus, ut infantes baptizaret, adultam ætatem non expectavit, ſed eos recens natos baptizari, maxima ſollicitudine curavit, propter mortis periculum, quod, ut ſapienter obſervat S. Thomas hic q. 68. a. 3. ad 1. in parvulis ſemper eſt timendum: neque, ut ait S. Doctor eod. art. in O. poteſt eis alio remedio ſubveniri, niſi per ſacramentum baptiſmi.

Dices. Gregorius Nazianz. Tertulliani conſilium approbat orat. in ſanctum bapt. *R.* neg. Imò verò reprobat: nam ſic de parvulis loquitur; *Quamquam res ita ſe habet, ut referendis vitæ rationibus non ante obnoxii eſſe incipiant, quàm & ratio ad plenum accreverit, & vim ſacramenti hujus intelligant ..., tamen propter inopinatos & ſubditos ac repentinos periculorum impetus, nec ullo* (alio) *auxilio propulſabiles lavacro communiri omnino conducibilius eſt.*

At inquies. Ibidem expreſsè docet differendum eſſe baptiſmum parvulorum. *R.* Docet quidem triennium, aut aliquantò brevius vel longius temporis ſpatium expectandum eſſe, ut parvuli aliquo modo reſpondere poſſint. *De reliquis* (parvulis, quos mortis periculum non urget) *ita cenſeo, ut triennio expectato, aut aliquantò breviori vel longiori temporis ſpatio; nam tum & myſtici quiddam audire & reſpondere poſſunt... ita demum per magni baptiſmi ſacramentum, & animis & corporibus ſanctitatem afferant.* At in hoc ab aliis Patribus deſeritur, & quidem jure optimo: cùm non appareat, quid utilitatis ex hac dilatione percipere poſſint parvuli triennes, adeoque rationis uſum nondùm habentes; cùm interea toto triennio periclitabitur eorum ſalus.

Addo, neque Tertullianum, neque Nazianzenum favere Anabaptiſtis: neuter enim docet baptiſmum validè ſuſcipi non poſſe ante ætatem adultam. Neuter ad valorem baptiſmi requirit proprium fidei actum in omnibus qui baptizantur. Neuter in infantia, etiam extra imminens mortis periculum, baptizatos, aſſerit eſſe rebaptizandos, cùm adoleverint. Uterque demùm ſentit parvulos, cùm imminet mortis periculum, baptizari debere. Nam ſic loco citato loquitur Nazianzenus: *Quid autem de iis dices*, inquit, *qui adhuc tenera ætate ſunt, nec aut damnum, aut gratiam ſentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorſus, ſi quod periculum urgeat: præſtat enim ſine ſanctitatis ſenſu ſanctificari, quàm citra baptiſmum atque*

initia-

Digitized by Google

initiationem è vita decedere. Idem breviter, ſed ſufficienter indicat loco citato Tertullianus, cùm ait; *Etiam ætate cunctatio baptiſmi utilior eſt, præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe* (hoc eſt, ſi non urget mortis periculum) *ſponſores etiam periculo ingeri?*

Dices. Primis Eccleſiæ ſæculis baptiſmus parvolorum uſque ad ætatem adultam differebatur, *R.* hoc negando, & falſum eſſe oſtenditur ex S. Auguſtino lib. 4. de bapt. c. 23. in quo ſic ait: *Quod traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui nondum poſſunt corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem ..... quin etiam flendo & vagiendo cum eis myſterium celebratur, ipſi mæſtis vocibus obſtrepunt, & tamen, &c.* Tempore igitur S. Auguſtini infantes recèns nati baptizabantur in univerſa Eccleſia.

Hunc autem infantes recèns natos baptizandi morem non tunc primùm cœpiſſe, ſed prioribus omnibus ſæculis in univerſa Eccleſia obtinuiſſe, manifeſtè teſtatur S. Doctor, cùm ſubjicit: *Et ſi quiſquam in hac re authoritatem divinam quærat, quanquam quod univerſa tenet, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*. Quibus verbis S. Auguſtinus morem baptizandi infantes recèns natos ab ipſis Apoſtolis profectum eſſe, adeoque non inaniter uſurpari, probat ex eo, quòd ſemper viguerit in univerſa Eccleſia. Quod

Confirmatur 1. Ex alio ejuſdem S. Doctoris teſtimonio lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. c. 26. ubi de Pelagianis ſic loquitur: *Parvulos baptizandos eſſe concedunt, qui contra authoritatem univerſæ Eccleſiæ proculdubio per Dominum & Apoſtolos traditam venire non poſſunt*. Ex quibus verbis apparet, Pelagianos obligationem baptizandi infantes recèns natos inficiari auſos non eſſe propter authoritatem ſeu propter conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ, quam tamen conſuetudinem ut abuſum recenter introductum proculdubio contempſiſſent, ſi neminem primis ſæculis niſi in adulta ætate baptizare ſolita fuiſſet Eccleſia.

Confirmatur 2. Ex S. Irenæo lib. 2. c. 39. ubi ait; *Omnes venit* (Chriſtus) *per ſemetipſum ſalvare: omnes inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum* (per baptiſmum) *infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, ſanctificans infantes* (per baptiſmum ſcilicet.) Primis igitur Eccleſiæ ſæculis, teſte S. Irenæo, infantes baptizabantur.

Nec dic, ex can. 5. Gerundenſis Synodi ſupra citato colligi, quòd olim non niſi in periculo mortis infantes baptizarentur: nam ex hoc canone argui tantùm poteſt, quòd in aliquibus Eccleſiis particularibus, extra mortis periculum, infantes eodem quo nati erant die, non baptizarentur, & ita quòd extra caſum languoris & infirmitatis, per unum aut alterum diem differretur eorum baptiſmus ad majorem decentiam. Alioquin Gerundenſi Synodo, quæ paucorum, ſeptem ſcilicet Epiſcoporum fuit, opponeremus aliam longè antiquiorem, & longè majoris authoritatis, nempe Milevitanam II. quæ nimirùm fuit 60. & amplius Epiſcoporum, canone 2. anathematizantem eos, qui negant parvulos recentes ab uteris matrum eſſe baptizandos: cùm enim non addat, in mortis periculo, apertè ſignificat omnes omninò parvulos baptizari oportere, & ab orthodoxia baptizatos fuiſſe. Quare Ludovicus Vives ad caput 27. lib. 1. de Civ. Dei perperam & temerè ſcripſit, quòd *nemo olim ſacro admovebatur baptiſterio .... niſi adulta jam ætate? & cùm idem ipſe & ſciret, quid ſibi myſtica illa vellet aqua: & ſe ablui illa peteret, nec ſemel peteret.*

ARTICULUS II.

Utrùm Baptiſmus infantibus neceſſarius ſit ad ſalutem.

NOta. Circa hanc quæſtionem varii ſunt errores. Primus eſt Pelagianorum, qui peccatum originale negantes, conſequenter negabant baptiſmum parvulis ad alicujus peccati remiſſionem neceſſarium eſſe: fatebantur tamen eos baptiſmo indigere ad aſſecutionem, non quidem vitæ æternæ, ſed regni cœlorum: nam vitam æternam à regno cœlorum diſtinguebant; & parvolis ſine baptiſmo morientibus promittebant *extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam*, ut refert S. Auguſtinus lib. de hær. num. 88.

Secundus error eſt eorum, qui neque ad remiſſionem peccati, neque ad regni cœleſtis aſſecutionem baptiſmum parvulis neceſſarium eſſe docuerunt; inter quos eminent Joannes Vvicleff, teſte Thoma Vvaldenſi tom. 2. cap. 96. Zuinglius lib. de vera & falſa religione, Martinus Bucerus in cap. 3. Matthæi.

Tertius error eſt Calvini lib. 4. inſtit. c. 15. §. 20. & alibi docentis, fidelium infantes à Deo in ſuos adoptari, antequam naſcantur, adeoque eos ſalvari, etiamſi abſque baptiſmo decedant. Calvinum ſecutus eſt Henricus Bullingerus, Zuinglii ſucceſſor, comm. in epiſt. 1. Cor. cap. 7. Sed contra hos omnes errores ſit

Responsio.

Baptiſmus parvulis neceſſarius eſt ad ſalutem, ſeu ad remiſſionem peccati originalis, & aſſecutionem vitæ æternæ.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex verbis Chriſti Joan. c. 3. dicentis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Nam hæc verba non ſolùm præcepti, ſed etiam medii, ſine quo ſalus obtineri non poteſt, neceſſitatem manifeſtè exprimunt; & generalia ſunt, adeoque non ſolùm ad adultos, ſed etiam ad parvulos pertinent. Ergo parvuli regnum cœlorum introire non poſſunt ſine baptiſmo. Ergo, &c. Nec juvat Pelagianos, quòd Chriſtus non dixerit: Non habebit ſalutem vel vitam æternam, ſed, *Non poteſt introire, &c.* Perperam enim diſtinguunt ſalutem & vitam æternam à regno Dei, ſeu gloria cœleſti; nam vita æterna & gloria cœleſtis ſunt unum & idem in Scriptura.

Prob. 2. authoritate Patrum, Irenæi lib. 3. cap. 19. ubi ait ſimpliciter, baptiſmum nobis neceſſarium. Tertulliani lib. de baptiſmo cap. 12. *Cùm verò præſcribitur nemini ſine baptiſmo competere ſalutem, ex illa maximè pronunciatione Domini, qui ait*: Niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam, *ſuboriuntur ſcrupuloſi, &c.* Cypriani epiſt. ad Fidum. Nazianzeni orat. in ſanctum baptiſma. Hieronymi lib. 3. adversùs Pelagianos. Auguſtini locis modò citandis, & Bernardi epiſt. 240.

Prob. 3. in particulari authoritate S. Auguſtini lib. 3. de anima & ejus origine c. 9. *Noli*, inquit, *credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus*. Et epiſt. 28. ad Hieronymum, in qua ſic loquitur: *Quæcumque eligenda eſt* (opinio,) *abſit ut impugnet hanc fidem, de qua certi ſumus, omni animæ etiam parvuli infantis neceſſariam eſſe liberationem ex obligatione peccati, eamque nullam eſſe niſi per Jeſum Chriſtum* (mediante ſcilicet baptiſmo.) Et inferiùs: *Quiſquis*, inquit, *dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine ſacramenti ejus* (baptiſmi) *participatione de vita exeunt: hic profectò & contra apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cùm baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe*. Auguſtino addo Fulgentium lib. de fide ad Petrum c. 30. in quo ait: *Firmiſſimè tene ... exceptis illis qui pro*

no-

nomine Chriſti, ſuo ſanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic .... fuerit ... per ſacramentum fidei ..., id eſt per baptiſmum liberatus.

Prob. 4. authoritate Summorum Pontificum, nempe Siricii epiſt. 1. ad Himerium c. 2. ubi poſt verba ſuperiùs laudata, ſic proſequitur: *Ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi, negato deſiderantibus* (adultis vel parvulis) *fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſæculo, & regnum perdat & vitam.* Et Innocentii I. epiſt. 25. ad Mileviranum Concilium. *Illud verò, quod eos* (Pelagianos) *veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, abſque baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt.*

Prob. 5. authoritate Conciliorum, nempe Carthaginenſis ſub Cypriano in epiſt. ſynod. ad Fidum, Carthaginenſis II. contra Pelagianos in epiſt. ſynod. ad Innocentium I. in qua dicitur: *Parvulos etiam, propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortifera doctrina in æternum necant.* Milevitani II. in epiſt. ſynod. ad eundem Innocentium, in qua dicitur: *Pueros quoque parvulos, ſi nullis imbuantur chriſtianæ gratiæ ſacramentis, habituros vitam æternam, nequaquam chriſtiana præſumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apoſtolus:* Per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c.

Bracarenſis III. ſuo de baptiſmate infantium decreto hæc ſubjicientis: *Quod ſi fortè, dum differunt* (parentes,) *ſine gratia baptiſmi de hac vita* (infantes) *receſſerint; neceſſe eſt, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum ſpolia pertimeſcentes* (parentes,) *à baptiſmi gratia* (parvulis ſuis procuranda) *ſe retraxerunt.* Tridentini denique ſeſſ. 7. can. 5. *Si quis,* inquit, *dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem: anathema ſit.* Et ſeſſ. 5. can. 4. *Si quis,* inquit, *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam ... anathema ſit.*

Prob. 6. ratione. Quia omnes parvuli etiam fidelium, naſcuntur peccatores: omnes enim in Adamo peccaverunt, ut apertè docet Apoſtolus Rom. c. 5. Ergo parvuli etiam fidelium, ſalvari non poſſunt, niſi ante mortem juſtificentur: nemo enim ſalvatur, niſi moriatur in ſtatu juſtitiæ. Atqui parvuli, extra caſum ſcilicet martyrii, quod ſemper ſubintelligitur, juſtificari non poſſunt, niſi per ſuſceptionem baptiſmi, ut docet Tridentinum loco proximè citato, & ſeſſ. 6. c. 4. ubi ait: *Quibus verbis juſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, ut ſit translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ* (qui ſtatus eſt peccati, & injuſtitiæ ſtatus) *ad ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum, quæ quidem translatio poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto* (quod in ſolis adultis eſſe poteſt,) *fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt:* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ergo, &c.

Obj. 1. illud Gen. c. 17. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te .... ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Ergo, inquit Calvinus, Deus fidelium filios adoptat in ſuos, & regni ſui hæredes, adeoque eis peccatum originale condonat, etiam antequam naſcantur. Ergo, inquit, filii fidelium ſalvantur, etiamſi moriantur abſque baptiſmo. *R.* verba Scripturæ laudata ſumi vel litteraliter vel myſticè. Si primum, pertinent ad ſolos Judæos, & continent, non promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſed tantùm ſpecialis protectionis, gubernationis & fœlicitatis temporalis. Si ſecundum, pertinent ad nos, & continent quidem promiſſionem remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ: ſed hujus promiſſionis non ſimus participes niſi per ſpiritualem regenerationem in Chriſto.

Obj. 2. Sicut Joan. c. 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ita dicitur ejuſd. Joan. c. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Atqui ex hoc ſecundo loco, malè colligeretur Euchariſtiam eſſe abſolutè neceſſariam infantibus ad ſalutem. Ergo pariter ex primo loco malè colligitur baptiſmum infantibus ad ſalutem abſolutè neceſſarium eſſe. *R.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia primus locus tam ad infantes pertinet, quàm ad adultos, tam enim infantes, cùm peccatores naſcantur, ad ſalutem indigent renaſcentia ſpirituali ad quam inſtitutus eſt baptiſmus, adeoque tam indigent baptiſmo ad ſalutem conſequendam, quam adulti. At ſecundus locus pertinet ad ſolos adultos, quia ſoli adulti ad ſalutem indigent nutritione ſpirituali, ad quam Euchariſtia inſtituta eſt: ſicut enim iis tantùm neceſſaria eſt nutritio corporalis, qui de vita corporali aliquid deperdunt per calorem naturalem; ita iis tantum neceſſaria eſſe poteſt nutritio ſpiritualis, qui de vita ſpirituali aliquid deperdere poſſunt per peccata actualia, quorum non infantes, utpote uſu rationis carentes, ſed ſoli adulti capaces ſunt.

Obj. 3. illud 1. Cor. c. 7. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt.* Ergo fidelium liberi naſcuntur ſancti, & grati Deo. *R.* neg. conſeq. Nam Apoſtolus hic loquitur, non de ſanctitate propriè dicta, quæ ex parte conſiſtit in immunitate à peccato mortali, ſed de ſanctitate quadam civili, poſita in eo quòd filii ſint legitimi, & non ſpurii. Exorta erat inter Corinthios ad fidem converſos controverſia, utrùm ſcilicet matrimonium fidelis cum infideli legitimum eſſet, necne. Reſpondet Apoſtolus legitimum eſſe; quod probat ex eo, quòd liberi in tali matrimonio nati, ſint ſancti, hoc eſt, immunes ab omni infamia civili.

Obj. 4. Si baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem infantibus, peribunt ſine ſua culpa infantes infiniti. Atqui hoc alienum eſt à miſericordia divina. Ergo, &c. *R.* quòd tot parvuli perire ſinantur, occultum quidem eſſe Dei judicium, ſed juſtiſſimum: licèt enim parvuli qui moriuntur abſque baptiſmo, & ita in æternum pereunt, nulla ſua culpa non baptizentur ante mortem, non tamen pereunt ſine aliqua ſua culpa: nam cùm in Adamo peccaverint, naſcuntur infecti peccato originali, propter quod, abſque baptiſmo morientes meritò damnantur in æternum.

ARTICULUS III.

Utrùm baptiſmus infantium ſuppleri poſſit per martyrium.

NOta. Triplicem cum S. Thoma hîc q. 66. a. 11. in O. baptiſmum diſtinguunt Scholaſtici; baptiſmum ſcilicet fluminis, flaminis, & ſanguinis. Baptiſmus fluminis, qui ſolus intelligitur nomine baptiſmi ſimpliciter, & ſolus eſt ſacramentum novæ legis, eſt ablutio corporis per aquam, cum hac verborum formula, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Baptiſmus flaminis eſt actus ad juſtificationem ſufficiens ex opere operantis, qualis eſt perfecta contritio, vel amor Dei ſuper omnia, in eo qui mortalis peccati conſcientiam non habet. Baptiſmus denique ſanguinis eſt martyrium, ſeu mors per ſanguinis effuſionem, aut aliquo alio modo illata in odium fidei, religionem, aut alicujus virtutis chriſtianæ, putà caſtitatis.

Nota iterùm. Martyrium, prout commune eſt parvulis & adultis, duo tantùm requirit, nempe mortem, & cauſam mortis motivam, nempe odium fidei, religionis, vel alicujus virtutis chriſtianæ. Martyrium verò, prout adultis proprium eſt, præter mortem illatam in odium fidei, quam defendit & profitetur adultus, requirit voluntariam acceptationem mortis. Unde martyrium in adulto poteſt accipi dupliciter. 1. Pro morte ipſa, ob Chriſti fidem, vel

vir-

virtutem chriſtianam obita. 2. Pro interna acceptatione, à qua mors rationem habet voluntarii. Secundo modo ſumptum, eſt actus fortitudinis formaliter; ſumptum verò primo modo, non eſt actus fortitudinis, niſi materialiter & denominativè, denominatione ſcilicet petita ab actu interno, quo acceptatur, & qui à virtute fortitudinis elicitur.

RESPONSIO.

Baptiſmus infantium ſuppleri poteſt per martyrium, Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 1. ad. 1. & eſt communis contra unum aut alterum ſententia Scholaſticorum, quæ Suari tam certa eſt, ut exiſtimet contrarium teneri non poſſe ſine temeritate, t. 3. in 3. p. q. 69. diſp. 29.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Matth. c. 10. Chriſtus generaliter dicit: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* At parvuli, qui in odium fidei, vel alterius virtutis occiduntur, ſuo modo Chriſtum confitentur, non loquendo, ſed moriendo, ut canit Eccleſia de SS. Innocentibus. Ergo, &c. Item eodem cap. generaliter dicit Chriſtus: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* At parvuli, qui occiduntur in odium Chriſti, perdunt vitam temporalem propter Chriſtum. Ergo, &c. Nec dic has Chriſti ſententias, & alias ſimiles intelligendas eſſe de ſolis adultis: nam nulla eas ſic reſtringendi ratio probabilis afferri poteſt, eaſque Patres etiam de parvulis intelligunt.

Prob. 2. authoritate Patrum, morti propter Chriſtum obitæ vim parvulos juſtificandi tribuentium: ut Irenæi lib. 3. c. 18. ubi de infantibus ab Herode interfectis loquens, ſic ait: *Propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo David* (hoc eſt, in urbe Bethleem,) *bene ſortiti illo tempore naſci, ut eos præmitteret in ſuum regnum, ipſe infans cùm eſſet, infantes hominum martyres parans, propter Chriſtum ... in civitate David interfectos.* Juxta Irenæum, Innocentes, quia propter Chriſtum interfecti ſunt, verè martyres effecti ſunt, & propter martyrium cœleſti regno donati.

Origenis. Hujus verba infrà referentur. Cypriani epiſt. 63. ad Thibaritanos. *Chriſti*, inquit, *nativitas à martyriis infantum ſtatim cœpit, ut ob nomen à bimatu & infra qui fuerant, necarentur. Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam.* Ergo juxta Cyprianum, infantes ob nomen Chriſti necati, martyres fuerunt, & quia martyres, cœleſti gloria coronati.

Leonis Magni ſerm. 2. de Epiphania, ubi ait: *Illi* (infantes) *potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant confiteri. Itaque Chriſtus ... quaſi diceret,* Sinite parvulos venire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum, *nova gloria coronabat infantes, & de initiis ſuis parvulorum primordia conſecrabat: ut diſceretur neminem hominum divini incapacem eſſe ſacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martirii.*

Auguſtini lib. 3. de Symbolo c. 4. ubi Herodem ſic alloquitur: *Necas parvulos corpore ... ille autem fons gratiæ parvus & magnus, qui in præſepio jacet ... à captivitate liberat diaboli animas: ſuſcipit filios inimicorum in numerum adoptatorum ... Ille nondum loquentes, idoneos ſuos efficit teſtes ... Ecce jam liberat liberator, & ſalutem præſtat Salvator .... Necdum loquuntur, & Chriſtum confitentur: necdum motibus membrorum valent ſuſcipere pugnam, & victoria jam efferunt palmam ... Præſtitit eis Chriſtus, ut pro Chriſto morerentur, præſtitit ut ſuo ſanguine ab originali peccato diluerentur. Nati ſunt ad mortem, ſed continuò eos mors reddidit vitæ.*

Et Fulgentii ſerm. de Epiph. ſimiliter objurgantis Herodem. *Per ſævitiam*, inquit, *tuam facti ſunt martyres, qui per infantiam ſuam fuerant innocentes, quando per gratiam hujus pueri, pro eo meruerunt mori, priuſquam eum poſſent coram hominibus confiteri. Iſte itaque puer, qui mundum creavit .... hoc egit, ut per tuam invidiam furioſam, illi pueri mortem ſuſciperent pretioſam ... Te præmiſit ad nequitiam, illos produxit ad palmam.*

Juxta laudatos igitur Patres, parvuli capaces ſunt martyrii, quia occidi poſſunt in odium Chriſti, atque ita juſtificari & ſalvari poſſunt per mortem in odium Chriſti illatam, quia æternæ gloriæ corona martyrio debetur. Unde juxta Patres, illi innocentes, quos Herodes juſſit interfici, veri martyres fuerunt, quia juſſit ſunt interfici in odium Chriſti, & per mortem in odium Chriſti illatam, ad eximium ſanctitatis & gloriæ gradum evecti ſunt.

Prob. 3. ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ infantes illos Chriſti cauſa ab Herode occiſos, à primis ſæculis ut Martyres & Sanctos cultu religioſo proſecuta eſt, ut teſtis eſt Origenes in lib. homiliarum in diverſos, hom. 3. *Dominus iſtos*, inquit, *de quibus prælocutus eſt per Prophetam, elegerat infantes: quique parvuli & ad memoriam æternæ laudis à beato Evangeliſta in ſancto Evangelio conſcribuntur, horum & memoria ſemper, ut dignum eſt, in Eccleſiis celebrantur ſecundùm integrum ordinem ſanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occiſorum.* Et poſt Origenem, Auguſtinus l. 3. de libero arbitrio c. 23. *Non enim*, inquit, *fruſtrà etiam infantes illos, qui cùm Dominus Jeſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem martyrum receptos commendat Eccleſia.*

Dices. Infantes ab Herode occiſi, priùs circumciſi, & per circumciſionem juſtificati fuerunt, quàm occiderentur. Ergo ex infantibus ab Herode occiſis, nihil concludi poteſt pro aliis infantibus, qui nunc ante baptiſmum etiam in odium fidei occiderentur. *R.* maximam fuiſſe infantium ab Herode occiſorum multitudinem. In tanta autem multitudine procul dubio multi fuerant nati parentibus ethnicis, permixtis populo Judaico; & ex aliis qui parentibus Judæis nati fuerant, multi ante diem octavum, quo circumciſio fiebat, interfecti fuerunt. Unde antecedens generaliter ſumptum falſum eſt, adeoque nego conſeq.

Dices. Inter infantes ab Herode occiſos, eos tantùm colit Eccleſia, qui circumciſi, & per circumciſionem juſtificati fuerant. *R.* hoc eſſe falſum: nam Eccleſia omnium indiſcriminatim infantium ab Herode occiſorum feſtum celebrat, omneſque indiſcriminatim prædicat & laudat ut Chriſti martyres; dicit enim in oratione illius diei: *Deus cujus præconium Innocentes martyres, non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, &c.* Quæ verba tam incircumciſis, quàm circumciſis infantibus conveniunt.

Dices. Eccleſia infantes ab Herode occiſos colit titulo ſanctitatis per circumciſionem acceptæ. Ergo eos tantùm colit, qui per circumciſionem ſanctificati fuerant. *R.* neg. ant. Nam colit eos ut eximiè & ſingulari modo ſanctos, adeoque collit eos titulo ſanctitatis eximiæ & ſingularis, qualis profectò non fuit ſanctitas per circumciſionem accepta. Præterea colit eos ut martyres, & quia martyres. Ergo colit eos titulo ſanctitatis, per mortem pro Chriſti cauſa obitam obtentæ.

Dices denique. Infantes ab Herode occiſi, ſanctificati quidem fuerunt per mortem pro Chriſto obitam, ſed ex ſpeciali privilegio, quod extendi non poteſt ad alios infantes propter Chriſtum occiſos. *R.* hoc ſpeciale privilegium gratis aſſeri: nullum enim fundamentum habet ſive in Scriptura, ſive in Patribus, qui magno conſenſu, nulla talis privilegii mentione facta, infantium ab Herode occiſorum eximiam ſanctitatem & gloriam tribuunt morti propter Chriſtum obitæ.

Prob. 4. ratione. Quia infantes capaces ſunt martyrii, ut patet ex ſenſu Eccleſiæ, quæ infantes ab Herode occiſos prædicat & colit ut Martyres; & ex conſenſu Patrum laudatorum, Eccleſiæ ſenſui ſuffragantium. Atqui martyrium vim habet juſtificandi, ut patet ex verbis Chriſti Matth. c. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Imò majorem vim habet juſtificandi, quàm baptiſmus, ut probant

Digitized by Google

bant Patres. Ergo infantes juſtificari poſſunt per martyrium, adeoque martyrium ſupplere poteſt baptiſmum infantium, quaorùm ſcilicet ad effectum ſanctificationis: nam extra dubium eſt, ſupplere non poſſe quoad alios effectus, ſubjectionem juriſdictioni Eccleſiæ, jus participandi bonis ejus, & proximam capacitatem ad alia ſacramenta ſuſcipienda. Ratio eſt, quia baptiſmus per martyrium ſuppleri non poteſt quantùm ad characterem, quæ illa omnia ſupponunt, & cui annexa ſunt.

Obj. 1. illud Chriſti Joan. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. *R.* Chriſtum ita locutum eſſe cum tacita exceptione martyrii, ut patet ex alia Chriſti ſententia Matth. c. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*; & obſervat S. Auguſtinus lib. 2. de anima & ejus orig. c. 12. *Intonat*, inquit, *per os proprii corporis veritas:* Si quis non fuerit renatus ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. *Atque ut ab hac ſententia exceptos Martyres faciat, quibus contigerit ante pro Chriſti nomine occidi, quàm Chriſti baptiſmate dilui, dicit alio loco*: Qui perdiderit animam ſuam propter me, &c,

Obj. 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. expreſsè aſſerit neminem poſt promulgatum Evangelium juſtificationis gratiam conſequi poſſe ſine baptiſmo, aut ejus voto. *R.* Concilium ſimiliter cum exceptione martyrii intelligi debere; ait enim de remediis, quæ ad hominum juſtificationem & ſalutem à Chriſto inſtituta & præſcripta ſunt, & ſine quibus juſtificatio & ſalus ordinariè obtineri non poſſunt. Baptiſmum autem eſſe tale remedium non ſolùm reſpectu adultorum, ſed etiam reſpectu parvulorum, docet contra hæreticos aſſerentes parvulos ſine baptiſmo ordinariè ſalvari poſſe, & re ipſa ſalvari, ſi ex parentibus fidelibus nati fuerint.

Porrò eodem, quo Concilium, ſenſu loquitur Auguſtinus epiſt. 28 ubi ait. *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine ſacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe*. Loquitur enim de parvulis de vita exeuntibus naturali neceſſitate, non verò per vim illatam in odium fidei, pro quibus unicum eſt ſalutis remedium à Chriſto Domino inſtitutum & præſcriptum, nempe baptiſmus. Quod

Evidenter oſtenditur ex lib. 2. de anima & ejus orig. c. 12. Hìc enim S. Doctor, poſtquam disertè aſſeruit illud Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c.* quo baptiſmi neceſſitas exprimitur, intelligendum eſſe cum martyrii exceptione; eodem planè modo loquitur quo in epiſtola 26. Nam ſic poſt verba ſuperiùs relata in prob. 4. ſtatim proſequitur: *Et ne cuiquam, qui non renatus fuerit chriſtiano fidei lavacro, promittatur peccati originalis abolitio* (ſupple extra caſum martyrii) *clamat Apoſtolus*, per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. *Contra quam condemnationem Dominus unum eſſe oſtendens ſalutis auxilium* (à ſe inſtitutum & præſcriptum:) Qui crediderit, *inquit*, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. *Cujus myſterium credulitatis in parvulis per eorum reſponſionem à quibus geſtantur, impletur, ne ſi factum non fuerit* (naturali neceſſitate de vita exeuntes) *eant ex uno omnes in condemnationem* (quia pro parvulis omiſſo baptiſmo, aliud non ſupereſt ſalutis remedium, niſi martyrium; quod remedium neque à Chriſto præſcriptum eſt, neque licitè adhiberi poteſt, neque ſi naturali neceſſitate de vita exeant, adhibitum eſt, adeoque ſic morientes ſine baptiſmo, eunt in condemnationem.

Obj. 3. Infantes non ſunt capaces martyrii. Ergo, &c. *Probabis ant.* Nam martyrium eſt actus virtutis fortitudinis, qui eſſe non poteſt ſine uſu rationis, quo carent infantes. *R.* diſt. ant. Infantes non ſunt capaces martyrii, ſi martyrium ſumatur pro interna acceptatione mortis, C. ant. talis enim acceptationis incapaces ſunt parvuli. Si martyrium ſumatur pro morte ipſa propter Chriſtum obita, N. ant. nam parvuli occidi poſſunt in odium Chriſti. *Ad prob. autem dico* martyrium ſecundo modo acceptum, non eſſe actum fortitudinis, niſi in iis qui martyrii primo modo ſumpti capaces ſunt.

Dices. Mors pro Chriſto obita, non eſt propriè martyrium, niſi ſit voluntaria, ac proindè niſi ſit acceptata. Ergo infantes non ſunt capaces martyrii propriè ſumpti. *R.* diſt. ant. Mors, niſi ſit voluntaria, non eſt propriè martyrium reſpectu illius qui capax eſt internæ acceptationis, C. ant. unde in adulto requiritur ad rationem martyrii, ut mortem acceptet. Non eſt propriè martyrium reſpectu illius qui capax non eſt acceptationis internæ, N. ant. nam in tali ad martyrium propriè dictum ſufficit ut occidatur in odium Chriſti, ut manifeſtum eſt ex Patribus ſupra laudatis, inter quos hoc luculenter exponit Author libri de operibus cardinalibus, cùm ait ſerm. de Stella & Magis: *Ecce parvuli iſti, quos ... Herodes occidit, ſubito ſiunt martyres.* (Quare? Quia) *dum vice Chriſti & pro Chriſto avulſi à matrum uberibus detruncantur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſiones & ſufficit cauſa* (mortis) *teſtimonio, licèt non dum eloquio diſtinguatur*.

Obj. 4. In veteri lege ante Chriſti adventum parvuli non juſtificabantur per mortem in odium religionis illatam. Ergo nec juſtificantur in lege nova. *R.* neg. conſeq. Quot enim privilegiis gaudet lex nova, quibus lex vetus caruit? *At inquies*. Non eſt fundamentum ſufficiens unum aſſerendi potiùs, quàm aliud. *R.* negando. Nam quòd infantes in lege nova juſtificari poſſint per mortem illatam in odium religionis, apertè colligimus ex Scriptura, ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, & ex Patrum teſtimoniis. Tale autem quid non habemus, unde poſſimus colligere, ſic juſtificari potuiſſe parvulos in veteri lege ante adventum Chriſti; quanquam videatur hoc valdè probabile, & divinæ bonitati maximè conſentaneum. Unde ad ant. dixi, Eſto.

Obj. 5. Ex noſtra ſententia ſequitur, infantes juſtificari poſſe in utero materno. Abſurdum conſ. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam infantes in utero materno exiſtentes, tam poſſunt occidi in odium Chriſti, quàm infantes nati, adeoque tam juſtificari poſſunt per martyrium: quamvis juſtificari non poſſint per baptiſmum, quia quandiu in utero materno exiſtunt, aqua ablui non poſſunt. Infantes igitur in utero materno exiſtentes, non poſſunt juſtificari per baptiſmum, quia non poſſunt baptizari. At poſſunt juſtificari per martyrium, quia poſſunt eſſe martyres; & poſſunt eſſe martyres, quia poſſunt mori pro Chriſto; ad quod non requiritur ut occiſor ſciat matrem eſſe gravidam: ad hoc enim ut infans in utero materno exiſtens, cenſeatur mori pro Chriſto, ſatis eſt, ſi occiſor vulnus infligat in odium Chriſti, & propter vulnus in odium Chriſti inflictum moriatur infans: tunc enim infans verè moritur propter Chriſtum; verè enim occiditur in odium Chriſti, licèt occiſor non intendat illum occidere.

ARTICULUS IV.

Utrùm infantes infidelium ſint baptizandi.

NOta. Satis ſuperque conſtat ex dictis Art. 1. baptizandos eſſe infantes fidelium, de quibus obſervamus hic quòd extra caſum neceſſitatis jure eccleſiaſtico teneantur parvulis ſuis brevi poſt eorum nativitatem tempore baptiſmum procurare: ita ut peccent mortaliter ſi diutiùs id differant. Ratio eſt, quia conſuetudo univerſalis Eccleſiæ baptizandi parvulos brevi poſt eorum nativitatem tempore, vim obtinet legis graviter obligantis propter materiæ

gra-

gravitatem. In caſu verò neceſſitatis, quando nimiùm infans eſt in mortis periculo, ad ei quàm primùm procurandum baptiſmum obligantur non ſolùm jure eccleſiaſtico, ſed etiam præcepto generali charitatis, quo tenemur ſubvenire proximo in neceſſitate poſito, & præcepto pietatis, quo filiis ſuis providere tenentur parentes.

Tota igitur difficultas eſt de infantibus infidelium, de quibus quæritur, utrùm licitè poſſint baptizari, Dico, licitè: nam quòd etiam invitis parentibus validè baptizari poſſint, extra omnem controverſiam eſt: ſunt enim capaces baptiſmi; & miniſter, parentibus eorum quantumcumque reluctantibus, poteſt illis adhibere ea omnia quæ ad baptiſmum requiruntur. Porrò ſi quando contingat infantes illos, invitis etiam parentibus, baptizari, ſecluſo ſcandali & perturbationis reipublicæ periculo, à parentibus infidelibus abſtrahi debent, ut in fide inſtruantur; quia per baptiſmum eorum in eos juriſdictionem, & jus ad eorum inſtructionem acquiſivit Eccleſia.

Responsio I.

Extra caſum mortis certò imminentis, infidelium Eccleſiæ nullo modo ſubjectorum infantes, non poſſunt licitè baptizari ab Eccleſia, invitis parentibus.

Prob. Nam infans bujuſmodi baptizatus, vel relinqueretur parentibus infidelibus, vel non, ſed eis eriperetur. Atqui neutrum licitum eſt. Non primum: nam ſic evidenti prophanationis periculo exponeretur baptiſmus. Moraliter enim certum eſt quòd infans ille in infidelitate educaretur à parentibus infidelibus. Non etiam ſecundum: nam ſic parentibus injuria fieret: quia naturale jus habent apud ſe retinendi prolem ſuam, eamque educandi, donec pervenerit ad annos diſcretionis; quo jure Eccleſia, cui nullo modo ſubjecti ſunt, privare illos non poteſt.

Dixi 1. Extra caſum mortis certò imminentis: nam ſi mors certò immineat infanti, licitè poteſt & debet baptizari, (modò fieri poſſit occultè, & inſciis parentibus, quibus nulla vis inferenda eſt, etiam in caſu mortis certò imminentis infanti.) Ratio eſt, quia in hoc caſu ceſſat morale periculum prophanationis baptiſmi, cùm paulò poſt infans ſit moriturus, adeòque parentibus per mortem eripiendus.

Dixi 2. Infidelium nullo modo ſubjectorum Eccleſiæ: nam ſi parentes infideles fuerint baptizati, Eccleſia in illos propter baptiſmum ab eis aliàs ſuſceptum, juriſdictionem habet in ordine ad religionem; atque ita poteſt eos privare poteſtate patria, quam habent ad educandas proles, quas proinde poteſt eis eripere, ut baptizentur, & in fide, cùm adoleverint, inſtruantur; poteſt, inquam, eis eripere, modò id fieri poſſit ſine reipublicæ perturbatione, & periculo ne religio chriſtiana in odium & contemptum infidelium veniat.

Dixi 3. Invitis parentibus: nam ſi parentes infideles in baptiſmum parvulorum ſuorum conſenſerint, & eos ſibi retinere noluerint, tunc parvuli illi licitè baptizari poterunt, quia hoc fiet ſine injuria parentum, & nullo prophanationis periculo exponetur collatus baptiſmus.

At inquies. Saltem ſi alter parens conſentiret, tunc liceret baptizare infantem, altero parente quantumlibet reluctante. *Reſp.* neg. Hic enim agitur de parentibus infidelibus, principi infideli ſubjectis; adeòque ſi baptizaretur infans in caſu propoſito, baptiſmus morali periculo prophanationis exponeretur: nam parens infidelis, quo invito baptizatus eſſet infans, chriſtianam ejus educationem facilè, & impunè poſſet impedire.

At inquies iterùm. Quid ſi infans jam eſſet abſtractus à parentibus infidelibus, nec eſſet illis poſteà reſtituendus? *Reſp.* Tunc infantem licitè baptizatum iri, quia tunc nec erit morale periculum prophanationis baptiſmi, nec violabitur jus parentum; quamvis priùs per injuſtam infantis abſtractionem violatum fuerit.

Responsio II.

Extra caſum mortis certò imminentis, infantes parentum infidelium non baptizatorum, Chriſtianis licèt Principibus ſubjectorum, ſed civiliter & politicè tantùm, non poſſunt licitè baptizari, invitis parentibus.

Prob. Nam neque ab Eccleſia, neque à principe ſæculari cogi poſſunt, ut parvulos ſuos offerant ad baptiſmum, ſicut nec poſſunt cogi, ut ipſi baptiſmum ſuſcipiant. Ergo, &c.

Prob. ant. 1. Cogi non poſſunt ab Eccleſia: nam ei nullo modo ſubjecti ſunt. 2. Cogi non poſſunt à principe ſæculari: nam ei tantùm ſubſunt in iis quæ ſpectant ad juſtitiam, & honeſtatem naturalem, & ad bonum naturale ſubditorum ac reipublicæ; adeòque non ei ſubſunt quantùm ad baptiſmi & fidei ſuſceptionem, quæ ſupernaturalis ordinis eſt.

Dixi autem, Parentum infidelium: nam ſi alter parens ſit chriſtianus, infans baptizari debet, etiam invito altero parente infideli, ut conſtat ex c. *Judæi* 28. quæſt. 1. in quo dicitur: *Filii autem, qui ex talibus* (patre Judæo & matre chriſtiana) *nati exiſtunt, fidem atque conditionem matris ſequantur. Similiter, & hi qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, chriſtianam ſequantur religionem, non judaicam ſuperſtitionem.* Idem ſtatuitur cap. 2. extra de converſione infidelium. Ratio eſt, quia jus parentis chriſtiani prævalet juri parentis infidelis.

Dixi etiam, invitis parentibus: nam ſi alter parens conſentiat in baptiſmum infantis, quamvis parens uterque infidelis ſit, infans licitè baptizabitur, quia nemini fiet injuria, licèt alter parens reluctetur. Ratio eſt, quia in hoc diſſidio, in quo infans uni parti ſubtrahendus eſt, & alteri judicandus, prævalet jus partis innocentis. Pars autem innocens cenſetur parens ille, qui in baptiſmum infantis conſentit: talis enim conſenſus cedit in favorem religionis, & infantis ſalutem. Tunc autem cavendum erit, ne infans ſub parentis, qui ejus baptiſmo reluctatus eſt, poteſtate relinquatur, ſed iis, à quibus chriſtianè poſſit educari, tradendus erit.

Obj. 1. Zizebutus Rex omnes Judæos in regno ſuo exiſtentes coegit ad ſuſcipiendum baptiſmum, & factum ejus laudatur à Concilio Toletano IV. can. 57. *Reſp.* Factum hoc Zizebuti à Concilio Toletano minimè laudari, imò tacitè reprobari laudato canone, quo Synodus prohibet ne cui deinceps ad credendum vis inferatur.

Obj. 2. Principes Chriſtiani poſſunt ex conceſſione Eccleſiæ cogere ſubditos ſuos fideles, ut offerant parvulos ſuos ad baptiſmum. Ergo & ſubditos ſuos infideles. *Reſp.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd baptizati juriſdictioni Eccleſiæ ſubſint, ſecùs verò non baptizati: unde Eccleſia Principibus Chriſtianis poteſtatem aliquam in ſubditos baptizatos poteſt concedere, nullam verò in non baptizatos.

Dices. Ad poteſtatem Eccleſiæ pertinet, curare ut ſerventur leges ſupernaturales, ad ſalutem animarum ſpectantes, qualis eſt lex baptiſmi. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Quia poteſtatem illam Eccleſia exercere non poteſt niſi circa eos in quos juriſdictionem habet, quales non ſunt infideles non baptizati: quare ſicut ipſa per ſe cogere non poteſt infideles non baptizatos, ut aut ipſi baptiſmum ſuſcipiant, aut parvulos ſuos offerant ad baptiſmum, ita nec Principibus Chriſtianis poteſt concedere, ut hoc poſſint.

Obj. 3. Parentes infideles dum prohibent baptiſmum filiorum ſuorum, abutuntur patria poteſtate. Ergo jure poſſunt ea privari à Principe Chriſtiano cui ſubſunt. *Reſp.* neg. conſeq. Quia abuſus ille patriæ poteſtatis eſt circa aliquid ſupernaturale, adeòque à principe civili puniri non poteſt: civilis enim poteſtas vindicativa ad ſupernaturalia non extenditur.

Dices. Poteſtas principum eſt vicaria divinæ poteſtatis. Ergo extendit ſe ad ſupernaturalia reſpectu ſubditorum. *Reſp.* neg. conſeq. Quia poteſtas principum non eſt vicaria divinæ poteſtatis, niſi in iis quæ ſunt ordi-

ordinis naturalis, & pertinent ad reipublicæ bonum temporale.

At inquies, Patria poteſtas parentum extendit ſe ad ſupernaturalia reſpectu filiorum. Ergo & principum poteſtas reſpectu ſubditorum. *Reſp.* 1. Poteſtatem parentum non ſe extendere ad ſupernaturalia reſpectu filiorum adultorum: non enim illos cogere poſſunt ad fidem & baptiſmum ſuſcipiendum. *Reſp.* 2. Nec ſe extendere propriè loquendo reſpectu parvulorum, ſed impropriè tantùm, quatenùs poſſunt parvulos ſuos offerre ad baptiſmum, quia parvuli ante uſum rationis non habent moraliter aliam voluntatem quàm parentum.

Idem dic de parvulis reſpectu principum ſuorum, ſi parentibus careant; tunc enim non habent aliam moraliter voluntatem quàm principis, vel magiſtratus chriſtiani: unde tunc princeps, vel magiſtratus chriſtianus poteſt, & debet eis procurare baptiſmum, & ſuo tempore inſtructionem in fide: etiam ſi reluctentur tutores infideles, quia poteſtas quam habent in pupillos, eſt à jure civili, adeòque princeps poteſt juſta de cauſa illi derogare, & in præſenti caſu derogare tenetur.

Obj. 4. Deus jubet ut omnes baptizentur. *R.* Hanc juſſionem eſſe conditionalem, & Deum jubere ut baptizentur adulti, ſi conſentiant in baptiſmum ſuum; item jubere ut baptizentur parvuli, ſi parentes in eorum baptiſmum conſentiant. Unde ex præcepto divino de conferendo omnibus baptiſmo, nihil ſequitur contra aſſertionem noſtram.

Responsio III.

Infantes mancipiorum infidelium, qui ſubſunt dominis chriſtianis, poſſunt & debent ipſis invitis baptizari, ſi in parentum ſervitute nati ſunt.

Prob. Nam in hoc caſu injuria parentum, & periculum prophanationis baptiſmi locum non habent: domini enim plenum habent dominium in ejuſmodi parentes, & infantes eorum; quos proinde infantes ab ejuſmodi parentibus ſine ulla eorum injuria abſtrahere, & aliis in fide catholica educandos tradere poſſunt.

Obj. Poteſtas domini in ſervum eſt tantùm temporalis. Ergo non poteſt extendere ſed ad ſupernaturalia, qualis eſt baptiſmus & fides. *Reſp.* Neg. conſeq. Nam poteſtas domini in ſervum, ſuccedit poteſtati patriæ, quæ extendit ſe ad procurandum liberis baptiſmum, ſuppoſita baptiſmi ad ſalutem neceſſitate, & ſic aliquo modo extendit ſe ad ſupernaturalia.

Dices. Poteſtas parentum in filios, ratione nativitatis, prævalet poteſtati dominorum in eoſdem ratione ſervitutis. *Reſp.* Hanc propoſitionem eſſe de ſubjecto non ſupponente: nam parentes de quibus agitur, utpotè ſervi, non ſunt ſui juris, & ita non habent poteſtatem patriam in filios, quam poteſtatem habent ſoli parentes liberi.

Quæres 1. Quid ſentiendum ſit de infantibus, qui ante ſervitutem parentum nati ſunt, nec aliundè ſubjecti ſunt ſervituti?

Reſp. Poſſe baptizari invitis parentibus: quia parentes deſierunt eſſe ſui juris, & jus illorum omne tranſit ad dominos: unde ſicut parentes liberi, quocumque alio invito, poſſunt offerre infantes ſuos ad baptiſmum, ita & ad baptiſmum offerre poſſunt, quolibet invito, infantes ſervorum ſuorum, quorum poteſtati patriæ ſucceſſerunt.

Quæres 2. Quid ſentiendum ſit de amentibus à nativitate, nec habentibus intervalla lucida, ſi uterque parens infidelis eſt, & neuter in eorum baptiſmum conſentit?

Reſp. Baptizandos eſſe, modò id abſque tumultu & violentia fieri poſſit. Ratio eſt, quia reſpectu hujuſmodi amentium, nullum eſt periculum prophanationis baptiſmi; & ſic baptizatos à parentibus abſtrahi neceſſe non eſt.

Quæres 3. Quid ſentiendum ſit de amentibus, qui aliquando uſum rationis habuerunt, & eo tempore baptiſmum petierunt?

Reſp. Baptizandos eſſe in amentia, ſi tamen nulla ſpes eſt aliquando ad mentem eſſe redituros. Dico, ſi tamen, &c. quia quandiu aliqua ſpes eſt, quòd ad mentem redituri ſint, tandiu extra mortis periculum differri debet baptiſmus, nec conferendus erit, niſi cùm ſpes illa deſiiſſe prudenti judicio cenſebitur.

Quæres 4. Quid ſentiendum ſit de amentibus, qui aliquando uſum rationis habuerunt, & tunc baptiſmum non petierunt; quamvis neceſſitatem ejus non ignorarent?

Reſp. Non eſſe baptizandos in amentia. Ratio eſt, quia ad baptiſmi valorem requiritur in adultis conſenſus aliquis, quando haberi poteſt. At amentes illi, dum rationis uſum habebant, conſentire potuerunt, & tamen non conſenſerunt, ut ſupponitur. Ergo, &c.

Quæres 5. Quid ſentiendum ſit de amentibus, lucida intervalla habentibus, & tunc baptiſmum petentibus?

Reſp. Baptizandos eſſe etiam in amentia, ſi urgeat mortis periculum: quòd ſi tale periculum non immineat, expectari debet lucidum intervallum, ut cum debita reverentia ac devotione, & majori cum fructu baptiſmum ſuſcipiant.

Quæres 6. Quid ſentiendum ſit de infantibus in utero materno exiſtentibus?

Reſp. Non poſſe baptizari: nam neque in ſe ablui poſſunt, neque ſufficere poteſt ablutio matris; quia in ordine ad baptiſmum mater & infans ſunt perſonæ omninò diſtinctæ, & fictio juris hic locum habere non poteſt.

DISPUTATIO IV.

De Baptiſmo Adultorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm baptiſmus adultis ad ſalutem neceſſarius ſit, & qua neceſſitate.

NOta. Aliquid poteſt dici dupliciter neceſſarium ad ſalutem, nempe neceſſitate præcepti, & neceſſitate medii. Neceſſarium neceſſitate præcepti dicitur illud, quod eſt præceptum, ut non occidere, non furtum facere, &c. Illud verò dicitur neceſſarium neceſſitate medii, quod eſt medium ad conſequendam ſalutem neceſſarium. Poteſt autem aliquid eſſe medium ad ſalutem conſequendam neceſſarium dupliciter, ſtrictè ſcilicet, & minùs ſtrictè. Strictè neceſſarium dicitur id, ſine quo in re habito, ſalus ſecundùm legem Dei ordinariam non poteſt obtineri; talis eſt perſeverantia finalis. Minùs ſtrictè neceſſarium dicitur id, quod ad primam juſtificationem, ſine qua obtineri non poteſt ſalus, ita neceſſarium eſt, ut hæc prima juſtificatio nunquam obtineatur ſine ipſo in re habito, aut expreſſo, vel ſaltem implicito deſiderio ipſius, ut per ſe neceſſarii, & per aliud, quod vicem ejus agat, ſupplendi, cùm ſpeciali ad illud adhibendum, ſi poſteà fieri poterit, onere.

Responsio I.

Baptiſmus adultis non baptizatis ad ſalutem neceſſarius eſt neceſſitate medii.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex Scriptura, Joan. cap. 3. ubi dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba neceſſitatem medii exprimunt, & generaliter dicta, omnes homines comprehendunt, ut ſemper intellexit Eccleſia, & intellexere ſummi Pontifices, Concilia, & Patres.

Prob. 2. Ex Patribus, pro quibus omnibus ſit unus Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 18. *Quis*, inquit, *chriſtianorum ferat, cùm dicitur ad æternam ſalutem poſſe quemquam pervenire,*

ſi non

ſi non renaſcatur in Chriſto, quod per baptiſmum fieri voluit. Et epiſt. 180. ad Honoratum Epiſcopum in qua ſic loquitur: *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem ..... ubi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati ..... ſi autem miniſtri adſint pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, &c.*

Prob. Ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Primum omnium*, in quo dicitur: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt. Per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore* (non ſolùm facto, ſed etiam jure) *efficimur Eccleſiæ. Et cùm per primum hominem mors introïerit in univerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut inquit veritas, in regnum cœlorum introire*.

Ratio eſt, quam ſuggerit Florentinum, quia omnes homines naſcuntur cum peccato originali, ſine cujus proinde remiſſione ſalutem conſequi non poſſunt. Atqui baptiſmus ex inſtitutione Chriſti eſt medium neceſſarium ad remiſſionem peccati originalis, Ergo, &c.

Responsio II.

Baptiſmus adultis non baptizatis neceſſitate medii neceſſarius eſt, non primo modo, ſed ſecundo.

Prob. Quòd non ſit neceſſarius primo modo. Nam medium primo modo neceſſarium ad ſalutem, eſt illud ſine quo in re habito, ſalus obtineri non poteſt. Atqui baptiſmus non eſt talis reſpectu adultorum, ſicut nec reſpectu parvulorum: adulti enim non baptizati juſtificari, & ſalvari poſſunt per actum contritionis vel charitatis, & martyrium, ut infrà oſtendetur: ſicut etiam per martyrium juſtificari, & ſalvari poſſunt parvuli, ut ſupra oſtenſum eſt. Ergo, &c.

Prob. Quòd baptiſmus ſit neceſſarius ſecundo modo. Nam illud dicitur medium ad ſalutem neceſſarium ſecundo modo, ſine quo in re habito, aut ſaltem expreſſo illius deſiderio, nemo conſequi poteſt primam juſtificationem, ſine qua nemo poteſt ſalvari. Atqui talis eſt baptiſmus. Ergo, &c.

Prob. min. 1. Authoritate S. Thomæ hìc quæſt. 68. art. 2. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod pro tanto dicitur ſacramentum baptiſmi eſſe de neceſſitate ſalutis, quia non poteſt eſſe homini ſalus niſi ſaltem in voluntate habeatur, quæ apud Deum reputatur pro facto*. Et in O. ubi ſic ait: *Sacramentum baptiſmi dupliciter poteſt alicui deeſſe uno modo & re & voto, quod contingit illis qui nec baptizantur, nec baptizari volunt: quod manifeſtè ad contemptum ſacramenti pertinet, quantùm ad illos qui habent uſum liberi arbitrii. Et ideò hi, quibus hoc modo deeſt baptiſmus, ſalutem conſequi non poſſunt: quia nec ſacramentaliter, nec mentaliter Chriſto incorporantur, per quem ſolum eſt ſalus. Alio modo poteſt ſacramentum baptiſmi alicui deeſſe re, ſed non voto: ſicut cùm aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu prævenitur morte, antequam baptiſmum ſuſcipiat. Et talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operantem, per quam Deus interiùs hominem ſanctificat, cujus potentia ſacramentis viſibilibus non alligatur*.

Prob. 2. *min.* Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 4. ubi dicit primam juſtificationem impii, in qua peccatum originale condonatur, eſſe translationem ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundùm Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. Tum ſic proſequitur: *Quæ quidem translatio per Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt*: Niſi quis

renatus fuerit, &c. quæ verba, interprete Synodo œcumenica, ſignificant neceſſitatem medii minùs ſtrictè ſumptam.

Confirmat. Ex Patribus, qui docent adultum in neceſſitatis articulo per veram ad Deum converſionem cum baptiſmi deſiderio ſalvari poſſe. Ut Ambroſius in oratione funebri de obitu Valentiniani, in qua dicit: *Quem in Evangelio eram generaturus amiſi: ſed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit*. Et inferiùs ſic proſequitur: *Qui habuit ſpiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? An quia ſolemniter non ſunt celebrata myſteria, hoc movet? Ergo nec martyres, ſi catechumeni fuerint, coronentur: non enim coronentur, ſi non initiantur. Quòd ſi ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas*. Quibus verbis Ambroſius baptiſmo ſanguinis, quantùm ad juſtificationis effectum, æquiparat baptiſmum flaminis, ſaltem pro articulo neceſſitatis; docetque adultum ſine reali ſuſceptione baptiſmi, quem deſiderat, æquè ſalvari poſſe per veram ad Deum converſionem, ac per martyrium, adeòque per utrumque poſſe ſalvari eum ſolo voto baptiſmi.

S. Auguſtinus lib. 4. de bapt. cap. 22. *Baptiſmi*, inquit, *vicem aliquandò implere paſſionem, de latrone illo cui non baptizato dictum eſt*: Hodie mecum eris in Paradiſo, *non leve documentum idem B. Cyprianus aſſumit, quòd etiam atque etiam conſiderans, invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id quod ex baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt .... Quantùm itaque valeat etiam ſine viſibili ſacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus*: Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, *in illo latrone declaratum eſt: ſed tunc impletur inviſibiliter, cùm myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit*.

Et S. Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem de S. Victore: *In majori*, inquit, *ætate quiſquis poſt vulgatum ubique baptiſmi remedium, renuit jam baptizari, generali originalique maculæ addit, & ex proprio crimen ſuperbiæ, duplicem ſecum portans juſtiſſimæ damnationis cauſam, ſi ſic de corpore exire contigerit. Tamen ſi ante exitum reſipuerit, & voluerit & petierit baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, charitas ſincera: propitius ſit mihi Deus, quia huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omninò poſſum deſperare ſalutem... tantùm ſi aquam non contemptus, ſed ſola prohibeat impoſſibilitas*. Hanc autem ſuam ſententiam probat authoritate ſancti Ambroſi & Auguſtini.

Responsio III.

Baptiſmus eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti, adultis nondùm baptizatis.

Prob. Nam hoc ipſo quòd Chriſtus baptiſmum inſtituit ut medium ad ſalutem neceſſarium adultis, hoc ipſo, inquam, adultis gravem impoſuit obligationem procurandi ſibi baptiſmum, niſi illum in infantia acceperint. Ergo adulti nondùm baptizati tenentur præcepto poſitivo divino ad baptiſmum ſuſcipiendum. Ad quod etiam, ſuppoſita inſtitutione Chriſti, graviter tenentur jure naturali; unuſquiſque enim præcepto naturali charitatis graviter obligatur ad adhibenda media ſibi ad ſalutem neceſſaria.

Porrò neceſſitas baptiſmi, tam ut præcepti reſpectu adultorum, quàm ut medii reſpectu adultorum, & parvulorum, cœpit ab eo tempore quo lex evangelica fuit ſufficienter promulgata; hoc enim dicit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. Cùm enim ait neminem poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis aut ejus voto juſtificari poſſe, æquivalenter ait, aliter potuiſſe homines juſtificari ante promulgationem Evangelii; ac proindè ante promulgationem Evangelii, baptiſmum neceſſarium non fuiſſe neceſſitate medii, nec adeò neceſſitate præcepti: non enim

priùs neceſſarius fuit neceſſitate præcepti, quàm neceſſitate medii. Ex his

Collige, neceſſitatem baptiſmi, tam ut medii quàm ut præcepti, cœpiſſe à die Pentecoſtes: nam ab illo die cœpit ſolemniter promulgari Evangelium: non tamen ab illo die cœpit illa neceſſitas pro toto Orbe, quia illo die facta non fuit, nec fieri potuit pro toto Orbe ſufficiens Evangelii promulgatio. Itaque baptiſmi neceſſitas cœpit in urbe Hieroſolyma die Pentecoſtes, & inde ſucceſſivè tranſiit ad aliàs mundi partes, prout ad eas legis evangelicæ promulgatio propagata eſt. Poſtquam autem Evangelium promulgatum eſt in tot Orbis partibus, ex quibus ad aliàs Orbis partes humano modo propagati potuit hujus promulgationis fama, elapſumque eſt tempus ad hanc evulgationem ſufficiens, quamvis ſive ob negligentiam, ſive ob malitiam hominum ubique non fuerit facta, in toto terrarum Orbe à multis ſæculis baptiſmus neceſſarius eſt ad ſalutem neceſſitate medii & præcepti.

ARTICULUS II.

Utrùm etiam extra neceſſitatis articulum baptiſmus adultorum ſuppleri poſſit per actum contritionis vel charitatis.

RESPONSIO I.

Baptiſmus adultorum, etiam extra mortis articulum, ſuppleri poteſt per actum contritionis, vel charitatis; quantùm ad infuſionem gratiæ ſanctificantis, & remiſſionem peccatorum.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam 1. Ezechielis cap. 18. dicitur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt ...., vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et inferiùs: *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.* Et inferiùs: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Quibus verbis, ut ſentiunt omnes Doctores Scholaſtici, contritioni (perfectæ ſcilicet, de qua ſola hic agitur) promittitur gratia ſanctificans, & peccatorum remiſſio, non ſolùm pro tempore veteris legis, ſed etiam pro tempore legis gratiæ, pro qua credibile non eſt minùs virtutis & efficaciæ habere contritionem, niſi quòd in non baptizatis requirat votum baptiſmi; ſicut votum ſacramenti Pœnitentiæ requirit in peccatoribus baptizatis.

2. Luc. c. 7. dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et Joan. cap. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ex quibus locis, & aliis ſimilibus liquet hominem quemlibet per actum charitatis juſtum fieri, ac gratum Deo & amicum ejus. Et verò actus charitatis eſt dilectio Dei ſuper omnia propter ſe. Talis autem dilectio Dei non minoris eſt dignitatis, quàm contritio perfecta: imò contritio perfecta totam ſuam dignitatem obtinet à tali Dilectione Dei, quæ proinde tantam habet proportionem cum charitate habituali, & ad eam pariter diſponit. Ergo tam diſponit ad hominis juſtificationem, quæ per charitatis habitualis infuſionem perficitur.

Prob. 2. Authoritate S. Auguſtini lib. 4. de baptiſmo cap. 24. *Cornelius*, inquit, *etiam dono Spiritus ſancti priùs quàm baptizaretur ditatus eſt.* Et inferiùs: *Sicut ergo*, inquit, *in Abraham præceſſit fidei juſtitia, & acceſſit circumciſio ſignaculum juſtitiæ fidei, ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritus ſancti, & acceſſit ſacramentum regenerationis in lavacbro baptiſmi.* Ergo Cornelius Centurio, juxta S. Auguſtinum, ante baptiſmi ſuſceptionem juſtificatus fuit, & quidem tunc cùm nullum urgeret mortis periculum.

Prob. 3. Authoritate Innocentii III. cap. *Apoſtolicam*, extra de presbytero non baptizato; ubi ſic loquitur: *Presbyterum quem ſine unda baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ Matris Eccleſiæ fide & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato* (idem dic de actualibus) *ſolutum, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctanter.* Ecce Innocentius ex chriſtiana presbyteri non baptizati vita colligit eum per actum ſcilicet charitatis vel contritionis in decurſu vitæ juſtificatum fuiſſe, & in juſtificationis gratia perſeveraſſe. Unde infrà jubet pro illo preces hoſtiaſque Deo offerri.

Prob. 4. Authoritate Pii V. & Gregorii XIII. has Baii Propoſitiones damnantium, nempe XXXI. *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* XXXI. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* XXXIII. *Catechumenus juſtè, rectè & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in baptiſmi lavacbro demùm percipitur.* Quibus propoſitionibus traditur doctrina noſtræ aſſertioni contraria. Ergo doctrina noſtræ aſſertioni contraria à ſummis Pontificibus proſcripta eſt.

Prob. 5. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. ubi dicitur, contritionem charitate perfectam peccatorem baptizatum Deo reconciliare ante realem ſacramenti ſuſceptionem. Ergo peccatorem etiam non baptizatum reconciliat Deo ante realem ſuſceptionem baptiſmi; eadem enim eſt ratio pro utroque ſacramento: imò verò potior eſt ratio pro baptiſmo: hominis enim non baptizati reconciliatio cum Deo facilior eſſe debet, quàm reconciliatio hominis poſt baptiſmum peccantis, ut dicitur eadem ſeſſ. 14. cap. 8. Igitur ſic: contritio charitate perfecta cum voto ſacramenti Pœnitentiæ ſufficit in peccatore baptizato ad obtinendam juſtificationis gratiam, à fortiori dicenda eſt cum voto baptiſmi ſufficere in homine non baptizato.

Obj. 1. Ananias, Act. c. 22. Paulò antea perfectè contrito dixit: *Baptizare, & ablue peccata tua.* R. Ananiam hoc dixiſſe, non ut ſignificaret Paulum juſtificari non potuiſſe, aut juſtificatum non fuiſſe ante realem baptiſmi ſuſceptionem, ſed, vel quia neſciebat eum anteà fuiſſe perfectè contritum; vel quia Paulus non fuerat antea juſtificatus, niſi ſub onere baptiſmi poſteà ſuſcipiendi, & ejus peccata eum adhuc gravabant, ratione obligationis ſuſcipiendi baptiſmum; vel denique loquebatur Ananias de totali ablutione peccatorum, hoc eſt, de peccatorum ablutione, etiam quoad pœnæ reatum.

Obj. 2. S. Ambroſium libro de iis qui initiantur, cap. 4. ubi ait: *Credit etiam catechumenus in Crucem Domini Jeſu, quia & ipſe ſignatur. Sed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritalis gratiæ munus haurire.* *Reſp.* S. Ambroſium hìc non aliud velle, quàm ad remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ, fidem non ſufficere catechumeno, ſed inſuper requiri, ut cum requiſitis diſpoſitionibus baptiſmum in re ſuſcipiat.

Obj. 3. S. Auguſtinum lib. 1. de anima & ejus origine, cap. 9. ubi dicit: *Nemo fit membrùm Chriſti, niſi aut baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.* *Reſp.* S. Doctorem hoc loco agere de parvulis, & de neceſſitate baptiſmi, ut juſtificentur & ſalventur. Hic igitur ſenſus ejus eſt: Nemo fit membrum Chriſti, vivum ſcilicet, niſi aut morte pro Chriſto obita, aut baptiſmate in re ſuſcepto, ſi ſit parvulus; & ſi ſit adultus, ſuſcepto, vel in re, vel ſaltem in voto, cum onere illud in re ſuſcipiendi, quàm primum commodè fieri poterit.

Dices 1. Idem lib. 2. de peccatorum meritis, &c.

cap. 26.

Digitized by Google

cap. 26. hæc habet : *Sanctificatio catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remiſſionem. Reſp.* S. Doctorem hic oon loqui de ſanctificatiooe propriè ſumpta, quæ fit per infuſionem gratiæ juſtificantis, ſed de ſanctificatione ſumpa impropriè, quæ fit per ſignum Crucis, per orationem, & manus impoſitionem ſupra catechumenum, ut patet ex contextu: ſic eoim exorditur caput citatum: *Non unius modi eſt ſanctificatio: nam & catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis puto ſactificari ...... & ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ adimur, ſanctificari idem Apoſtolus dixit, per verbum Dei, & orationem qua oramus, utique noſtra corpuſcula refecturi.* Tum utramque catechumeni & ciborum ſanctificatiooem comparans, ſic proſequitur : *Sicut autem iſta ciborum ſanctificatio non efficit, ut quod in os intraverit, &c. ita ſanctificatio catechumeni, ſi non fuerit, &c.*

Dices 2. Idem tract. 13. in Joan, ſic loquitur : *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat : non illi dimittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum. Reſp.* Hìc S. Doctorem loqui de catechumeno baptiſmum contemnente, tanquam ſibi oon neceſſarium, eò quòd meliorem ſe exiſtimet aliis multis, qui baptizati ſunt, ut patet ex contextu : *Oportebat*, inquit S. Doctor, *ut Dominus baptizaretur ... quia multi contempturi erant baptiſmum, eò quòd jam majore gratiâ præditi viderentur, quàm viderent alios fideles : verbi gratia jam continenter vivens catechumenus contemneret conjugatum, & diceret ſe meliorem eſſe, quàm ille ſit fidelis. Ille catechumenus poſſet dicere in corde ſuo : Quid mihi opus eſt baptiſmum accipere, ut hoc habeam, quod & iſte, quo jam melior ſum?* (Voluit itaque Dominus baptizari baptiſmo ſervi) *ne quis arrogans eò quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari baptiſmo Domini. Quantumcumque enim catechumenus* (baptiſmum contemnens) *proficiat* (in aliquo geoere virtutis) *adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat : non illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum* (quia tunc primùm habebit eam cordis ad Deum cooverſionem, ſine qua impius juſtificari non poteſt : ut enim ait S. Doctor lib. 4. de bapt. cap. 25. *Converſio cordis poteſt quidem ineſſe, non percepto baptiſmo; ſed contempto, non poteſt. Neque enim ullo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum, cùm Dei ſacramentum contemnitur.*

Dices 3. Idem lib. 1. de Symbolo ad Catechumen. c. ult. ait : *Deus non dimittit peccata, niſi baptizatis ... Quando? Quando baptizantur ... Catechumeni quandiu ſunt, ſuper illos ſunt peccata eorum. R.* Sanctum Doctorem loqui de peccatorum remiſſiooe, prout ordinariè fit eis catechumenis, qui ordinariè ante baptiſmum noo habent dilectionem Dei perfectam, ſed inchoatam tantùm, quæ quidem cum attritione, ad juſtificationem ſufficit in ſacrameoto baptiſmi, at extra illud non ſufficit.

Responsio II.

Baptiſmus adultorum per actum charitatis vel contritionis perfectæ ſuppleri poteſt quoad aſſecutionem gloriæ : regulariter tamen & per ſe loquendo, adulti non aſſequuntur gloriam ſine baptiſmo.

Prob. 1. *pars*. 1. Authoritate Innocentii III. cap. *Debito*, extra de baptiſmo, ubi dicit de quodam Judæo, qui in mortis articulo conſtitutus, cùm inter Judæos tantùm exiſteret, ſe ipſum baptizarat, non eſſe verè baptizatum, atque rebaptizandum eſſe ; & addit : *Quamvis ſi talis* (Judæus) *continuò deceſſiſſet, ad cœleſtem patriam protinus evolaſſet, propter ſacramenti fidem* (ſupple informatam charitate,) *etſi non propter fidei ſacramentum*, (quod ſibi conferre oon poterat.)

2. Ratione. Nam, ut probatum eſt, catechumenus per actom charitatis vel contritiooìs perfectæ juſtificari poteſt. Juſtificatus autem poteſt in gratia accepta aliquandiu permanere, & in ea mori, antequam copiam habeat baptiſmi, adeòque antequam baptiſmi omiſſio ei poſſit imputari. Quo caſu ſalvabitur ſine reali ſuſceptione baptiſmi : quicumque enim io ſtatu gratiæ moritur, gloriam æternam infallibiliter conſequitur. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars*. 1. Authoritate S. Auguſtini libro 4. de bapt. cap. 21. *Sicut*, inquit, *bono catechumeno baptiſmus deeſt ad capeſſendum regnum cœlorum, ſic malo baptizato vera converſio .... ne ſecura eſſet juſtitia catechumeni, dictum eſt :* Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum. *Rurſus, ne percepto baptiſmo ſecura eſſet iniquitas baptizatorum, dictum eſt :* Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum : *Alterum ſine altero* (hoc eſt converſio ſine baptiſmo) *perficit illius poſſeſſionis* (regni Cœlorum) *hæredem*. Igitur, juxta Sanctum Doctorem, catechumenu per perfectam cordis ad Deum cooverſionem juſtificato ante realem baptiſmi ſuſceptionem, neceſſarius eſt baptiſmus in re ſuſceptus ad aſſecutionem gloriæ : quia nimirùm ad aſſequendam gloriam oeceſſaria eſt perſeverantia in ſtatu gratiæ ; & catechumenus in ſtatu gratiæ per juſtificationem acceptæ ante baptiſmum perſeverare non poteſt, niſi baptiſmum ſuſcipiat ſine vituperabili mora, quod per ſe & regulariter intelligendum eſt : fieri enim poteſt, & quandoque fit, ut catechumenus ante baptiſmum juſtificatus, moriatur antequam baptiſmum in re ſuſcipere poſſit. Illum autem hoc caſu ſalvari docet ſanctus Doctor pluribus locis. Ex his

Prob. 2. Ratione. Nam catechumenus per fidem & perfectam cordis ad Deum converſionem juſtificatus ante baptiſmum in re ſuſceptum, per ſe & regulariter loqnendo, poteſt baptiſmom ſuſcipere antequam moriatur. Unde, vel re ipſa ante mortem ſuſcipit baptiſmum, vel noo ſuſcipit. Si primum, peccat mortaliter, cùm voluntariè omittat baptiſmum, quem poteſt & graviter tenetur ſuſcipere, & ſic moriens io ſtatu peccati, damnatur. Si ſecundum : oon peccat, & ita perſeverat io ſtatu gratiæ (à qua, ut ſupponitur, per aliud mortale peccatum oon excidit) adeòque ſalvatur, ſed non ſine ſuſcepto baptiſmo. Ergo adultus per ſe & regulariter loquendo, non ſalvatur, niſi baptiſmum ſuſcipiat, quamvis ante ſuſceptum baptiſmum juſtificari poſſit. Hinc, juxta S. Auguſtinum lib. 4. de bapt. cap. 21. Cornelius, licèt ante baptiſmum juſtificatus, ſine baptiſmo tamen ſalvatus non eſſet ; *Verumtamen*, inquit, *Cornelius, ſi etiam Spiritu ſancto jam accepto, baptizari noluiſſet, contempti tanti ſacramenti reus fieret*, & ita non ſuſcepto baptiſmo, gravis peccati reus damnatus eſſet. Sed contra primam partem.

Obj. 1. Siricium loco ſuperiùs laudato, jubentem, ut nemini in neceſſitate exiſtenti denegetur baptiſmus, ne ob defectum neceſſarii remedii, regno cœlorum privetur. *Reſp.* Ita loqui Siricium, non quia catechumenus gratiam & gloriam conſequi non poteſt per contritionem perfectam, etiam cum voto baptiſmi, ſed quia contritio perfecta valdè ardua eſt, & ita catechumenus magnum ſalutis periculum ſubit, ſi in caſu oeceſſitatis baptiſmus ei deoegetur ; eò quòd tunc fortaſsè noo habebit contritionem charitate perfectam, ſed imperfectam tantùm, cum dilectione Dei inchoata, quæ ounquam ad juſtificationem ſufficiunt extra ſacrameotum, & quibuſcum proinde catechumenus damnabitur, ſi baptiſmum non accipiat ; è contra ſi accipiat, ſalvabitur ; cùm ad juſtificationem attritio cum inchoata dilectione Dei, ſufficiat in baptiſmo.

Obj. 2. Sanctus Auguſtioos lib. de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 74. ubi ſic loquitur: *Baptizatis tantum iter eſſe ſalutis credimus. Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota baptiſmi ſacramenta complentur. R.* 1. Librum illum noo eſſe

Auguſtini, ſed Gennadii Maſſilienſis Epiſcopi, ut probat Bellarminus lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis in Auguſtino. *Reſp.* 2. Fateri aliquos Gennadium in ea fuiſſe ſententia, quòd baptiſmus per ſolum martyrium ſuppleri poſſit. Sed Gennadio oppoñimus alios longè majoris authoritatis, nempe Patres & Pontifices ſupra laudatos.

Obj. 3. Si baptiſmus adulti ſuppleri poteſt quoad effectum gratiæ & gloriæ per contritionem perfectam, vel ſuppleri poteſt per illam independenter à voto baptiſmi, vel tantùm dependenter. *Reſp.* Baptiſmum adulti, quoad effectum gratiæ & gloriæ, non ſuppleri per contritionem perfectam, niſi conjunctam cum voto baptiſmi: nam ex inſtitutione Chriſti, ut probatum eſt, baptiſmus adultis non baptizatis ad ſalutem neceſſarius eſt neceſſitate medii. Ergo adulti non baptizati primam juſtificationem aſſequi non poſſunt ſine baptiſmo in re ſuſcepto, vel ſaltem ſine illius voto, hoc eſt expreſſo illius deſiderio, quid enim eſt votum baptiſmi, niſi expreſſum deſiderium illius? Deus igitur catechumeno perfectè contrito, & baptiſmum deſideranti, primam juſtificationis gratiam confert, intuitu contritionis perfectæ, & deſiderii baptiſmi: quæ doctrina planè conſentanea eſt Patribus ſupra laudatis, & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4.

ARTICULUS III.

Utrùm Baptiſmus adultorum ſuppleri poſſit per martyrium.

Responsio I.

Baptiſmus adultorum per martyrium ſuppleri poteſt quoad effectum gratiæ, juſtificationis, remiſſionis peccatorum, & gloriæ.

Eſt omninò certa & indubitata, & *prob.* 1. Ex Scriptura: nam dicitur, Matth. cap. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et inferiùs: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Et Marci cap. 8. *Qui perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.* Quibus locis, & aliis ſimilibus, ſecundùm unanimem Patrum interpretationem, Chriſtum confitenti, & pro illo vitam perdenti, ſalus æterna promittitur.

Prob. 2. Ex Patribus, Tertulliano ſcilicet, qui lib. de patientia cap. 13. martyrium vocat ſecundam intinctionem, hoc eſt, ſecundùm baptiſmum. Et lib. de bapt. cap. 16. ſic ait: *Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, unum & ipſum, ſanguinis ſcilic. hic eſt baptiſmus, qui lavacrum & non acceptum repræſentat, & perditum reddit.* Et in Scorpiaco adversùs Gnoſticos cap. 6. hæc habet: *Poſuit* (Deus) *ſecunda ſolatia, & extrema præſidia, dimicationem martyrii, & lavacrum ſanguinis exinde ſecurum … propriè enim martyribus nihil jam reputari poteſt, quibus in lavacro ipſa vita deponitur.*]

Cypriano in præfat. ad lib. de exhortatione martyrii. *Nos*, inquit, *qui Domino permittente, primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, inſinuantes & docentes hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius ……. baptiſma quod nos recedentes de mundo, ſtatim Deo copulat. In aqua baptiſmo percipitur peccatorum remiſſio: in ſanguinis* (baptiſmo, non ſolùm remiſſio peccatorum percipitur, ſed etiam) *corona virtutum.*

Cyrillo Hieroſol. catech. 3. *Si quis*, inquit, *non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos martyres, qui vel ſine aqua regno cæleſti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per Crucem, & in latere vulneratus, ſanguinem & aquam emiſit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alii verò tempore perſecutionis, in propriis ſanguinibus baptizentur.*

Auguſtino lib. 13. de Civit. cap. 7. ubi ait: *Qui cumque etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis;* quod probat ex Scripturæ locis allatis Reſp. 1. Tum ſic proſequitur: *Hinc eſt quod ſcriptum eſt:* Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus: *Quid enim pretioſius, quàm mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?*

Proſpero, in libro epigrammatum.

> *Si mundo* (inquit) *moritur, divino fonte renaſcens,*
> *Fitque novus vita, qui ſepelitur aqua.*
> *Fraudati non ſunt ſacro baptiſmate Chriſti,*
> *Fons quibus ipſa ſui ſanguinis unda fuit.*
> *Et quidquid ſacri fert myſtica forma lavacri,*
> *Id totum implevit gloria martyrii.*

Laudatis Patribus addi poſſunt Gennadius Maſſilienſis, loco ſuperiùs citato; & Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. 30. quorum uterque aſſerit neminem ſine baptiſmo, niſi per martyrium, vitam æternam accepturum eſſe. Patribus ſuffragatur S. Thomas hic quæſt. 66. art. 12. in O.

Responsio II.

Baptiſmus adultorum ſuppleri etiam poteſt per martyrium, quoad remiſſionem omnis pœnæ peccato debitæ, tam temporalis quàm æternæ, ita ut martyres continuò poſt mortem coronentur.

Eſt certa, & *prob.* 1. Authoritate Patrum, Tertulliani in Scorpiaco cap. 6. dicentis: *Propriè martyribus nihil jam reputari poteſt.* Cypriani epiſt. 58. ad Antonianum, aſſerentis martyrem peccata omnia paſſione purgare; ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem; ſtatim à Deo coronari. Auguſtini ſermon. 17. de verbis Apoſt. *Habet*, inquit, *eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria eſt enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari: certavit enim contra peccatum uſque ad ſanguinem.*

Prob. 2. Authoritate Innocentii III. cap. *Cum Marthæ*, extra de celebratione miſſarum, &c. §. *Tertio loco*, ubi ait: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Accedit traditio perpetua Eccleſiæ, quæ, ut teſtis eſt Auguſtinus loco proximè citato, nunquam orat pro animabus martyrum, ſed potiùs ſeſe illis commendat. In hoc porrò martyrium præſtat actui charitatis, & contritionis perfectæ, à quibus ordinariè baptiſmus adultorum non ſuppletur quoad remiſſionem omnis pœnæ.

Responsio III.

Martyrium non poteſt ſupplere baptiſmum quoad alios effectus baptiſmi.

Prob. Nam 1. martyrium non poteſt ſupplere baptiſmum quoad impreſſionem characteris: characteris enim impreſſio eſt effectus proprius trium ſacramentorum initerabilium, per quæ ad certos quoſdam ſtatus perpetuos homines deputantur; unde & ad hoc inſigniuntur nota quadam indelebili.

2. Martyrium ſupplere non poteſt baptiſmum quoad ſubjectionem poteſtati, & juriſdictioni Eccleſiæ: nam, ut docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. baptiſmus eſt janua per quam in Eccleſiam ingrediuntur homines: ingrediuntur autem Eccleſiam per baptiſmum, quia per baptiſmum fiunt membra Eccleſiæ; & hoc ipſo quòd fiunt membra Eccleſiæ, ſubjiciuntur ejus poteſtati & juriſdictioni, quæ extenditur ad eos omnes & ſolos, qui ſunt ei incorporati.

3. Non poteſt martyrium ſupplere baptiſmum, quoad jus participandi bonis Eccleſiæ: nam jus communicandi bonis Eccleſiæ fundatur in incorporatione cum ipſa. Unde ſola Eccleſiæ membra jus habent communicandi bonis ejus. Per martyrium autem homo non incorporatur Eccleſiæ, nec fit ejus membrum. Ergo, &c.

4. Mar-

4. Martyrium non poteſt ſupplere baptiſmum quoad capacitatem proximam recipiendi alia ſacramenta: hæc enim capacitas non poteſt eſſe niſi in membris Eccleſiæ, & ſupponit characterem baptiſmalem. Unde cap. *Si quis*, extra de presbytero non baptizato, presbyter non baptizatus jubetur baptizari, & iterùm ordinari. Et cap. *Veniens*, eodem tit. dicitur baptiſmum eſſe fundamentum omnium ſacramentorum, & ante ſuſceptionem baptiſmi non ſuſcipi (validè) aliud ſacramentum. Porrò quod de martyrio hac Reſp. dicimt, à fortiori intelligi debet de actu charitatis, & contritione perfecta.

Dices. Adulti per martyrium & actum charitatis, vel contritionis perfectæ juſtificantur. Ergo fiunt membra Eccleſiæ. *Reſp*. Diſt. conſequ. Ergo fiunt membra Eccleſiæ latiùs ſumptæ pro collectione juſtificatorum quocumque modo, C. conſequ. Fiunt membra Eccleſiæ viſibilis, ſeu cœtus illius & corporis moralis, cujus membra certis legibus vivunt, & ſubjecta ſunt uni capiti viſibili, nempe Romano Pontifici, Neg. conſeq.

Quæres. Utrùm martyrium eximat ab obligatione recipiendi baptiſmum, etiamſi ante mortem ſuſcipi poſſit?

Reſp. Negativè: Quia nullus adultus juſtificatur ante realem baptiſmi ſuſceptionem, niſi cum onere ſuſcipiendi poſteà baptiſmum, ſi poſſit; vel, quod idem eſt, niſi cum directa & ſpeciali obligatione ad baptiſmum, ut ad medium ex inſtitutione Chriſti per ſe neceſſarium ad juſtificationem, quæ tunc per aliud, tanquam ipſius vicarium, confertur. Hinc ſi Deus per miraculum impediret mortem martyris, vel ſi ad vitam revocaretur poſt martyrium, baptizandus eſſet. Porrò ſi martyrium non eximit ab obligatione ſuſcipiendi baptiſmum, multò minùs eximit actus charitatis vel contritionis perfectæ. Unde Actor. 10. Cornelius & ejus ſocii, qui ante baptiſmum juſtificati fuerant, nihilominùs juſſu Petri Apoſtoli baptizati ſunt,

---

ARTICULUS IV.

Utrùm martyrium baptiſmum adultorum ſupplere poſſit ex opere operato.

DUplex eſt hac de re ſententia Catholicorum. Prima negat, & aſſerit martyrium baptiſmum adultorum ſupplere tantùm ex opere operantis, hoc eſt, non ſupplere niſi dependenter ab actu dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe, quo acceptatur, ut totam vim, quam habet, ei conferente.

Ita tenet S. Thomas hìc quæſt. 66. art. 12. ubi in O. ait, virtutem Spiritus ſancti operari in baptiſmo aquæ per quandam virtutem latentem: in baptiſmo Pœnitentiæ per cordis commotionem; ſed in baptiſmo ſanguinis per potiſſimum dilectionis fervorem. Et ad 2. ſic reſpondet: *Effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmi* (adeòque non remittit peccata) *ſi ſit ſine charitate. Ex quo patet quòd baptiſmus ſanguinis includit baptiſmum flaminis, & non è converſo.*

Eandem doctrinam tradit 2. 2. quæſt. 124. art. 2. ubi ſic ait ad 2. *Ad actum martyris inclinat quidem charitas, ſicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem ſicut motivum proprium, per modum virtutis elicientis. Et inde eſt quòd myſterium eſt actus charitatis, ut imperantis; fortitudinis autem, ut elicientis. Inde etiam eſt, quòd utramque virtutem manifeſtat. Quod autem ſit meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus.*

Pro hac ſententia citatur S. Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem de S. Victore, in qua ſic loquitur: *Etſi martyrium vicem baptiſmi poſſe implere conceditur, non planè hoc facit pœna, ſed ipſa fides* (quæ per dilectionem operatur,) *nam abſque ipſa, quid eſt martyrium, niſi pœna? Quæ ergo martyrio præſtat, ut abſque ulla dubietate pro baptizante reputetur, ipſa ita infirma & imbecillis per ſe erit, ut quod dare alteri valet, ſola non valeat obtinere?*

Citari etiam poteſt Tertullianus in Scorpiaco c. 6. ubi poſtquam dixit: *Propriè martyribus nihil jam reputari poteſt, quibus in lavacro ipſa vita deponitur;* in hunc modum proſequitur: *Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum ſcilicet diligens ex totis viribus ſuis, quibus in martyrio decertat, ex tota anima ſua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit*. Juxta Tertullianum igitur, vis illa delendi peccata, quam habet martyrium, oritur ex dilectione Dei ſuper omnia propter ſe, ex qua martyrium libenter ſuſcipitur.

Tertulliano addi poteſt Auguſtinus lib. 4. de bapt. c. 17. ubi ait: *Nunquid poteſt, inquit* (Cyprianus) *vis baptiſmi major eſſe aut potior, quàm confeſſio, quàm paſſio, ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur? Et tamen, inquit, neque hoc baptiſma hæretico prodeſt, ſi quamvis Chriſtum confeſſus, extra Eccleſiam fuerit occiſus, quia charitatem non habuiſſe convincitur, de qua Apoſtolus dicit:* Et ſi tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Et libro 3. cap. 16. ubi ad hæc Apoſtoli verba Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt, &c.* ſic ait: *Ipſa eſt charitas, quam non habent, qui ab Eccleſia catholica communione præciſi ſunt, ac per hoc etiamſi .... tradant corpus ſuum ut ardeant, nihil eis prodeſt.*

Quòd ſi objiciatur ſanctus Doctor lib. 13. de Civitate cap. 7. ubi dicit: *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis;* Reſponderi poterit S. Doctorem ſic loqui, quòd is qui pro Chriſti confeſſione moritur, mortem acceptet ex affectu charitatis, ſeu ex affectu quo Chriſtum ſuper omnia propter ſe diligit: nam inferiùs ſic loquitur: *Sed quando ſine abundantia gratia ſpiritus illius, qui ubi vult ſpirat, tantùm Chriſtum amare poſſint, ut eum in tanto vitæ diſcrimine ſub tanta ſpe veniæ negare non poſſint?*

Quare ſupponendo martyres pro Chriſto mori ex fervore charitatis erga ipſum, ſic ibidem ait: *Quid pretioſius quam mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur? Neque enim tanti ſunt meriti, qui cum mortem differre non poſſint, baptizati ſunt, deletiſque omnibus peccatis, ex hac vita emigrarunt: quanti ſunt hi, qui mortem differre cùm poſſint, ideò non diſtulerunt, quia maluerunt Chriſtum* (quem rebus omnibus, etiam propriæ vitæ anteponebant) *confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando, ad ejus baptiſmum pervenire* (& baptiſmo Chriſti negationem abluere.)

Secunda ſententia docet martyrium baptiſmum adultorum ſupplere ex opere operato, non quidem ſtrictè ſumpto (quod ſemper ſuppleri debet) ſed minùs ſtrictè, hoc eſt, ex privilegio ipſi conceſſo à Chriſto, adeòque martyrium, etiam ſecluſo actu charitatis, peccata omnia, & quoad culpam, & quoad pœnam omnem remittere poſſe, & remittere. Ita ſentit Div. Thomas in 4. diſt. 3. q. 3. art. 3. q. 3. ad 1. ubi dicit martyrium vim remittendi peccata habere, non ex opere operantis, ſed ex imitatione paſſionis Chriſti; quod etiam dicit ad 4. quæſt. ubi ait, quantùm ad remiſſionem peccatorum, majorem efficaciam ineſſe martyrio quàm baptiſmo, quia baptiſmus aquæ paſſioni Chriſti ſacramentali tantùm ſignificatione conformat, baptiſmus verò ſanguinis realiter. Hanc ſententiam tenent ex recentioribus Bellarminus, Suarez, &c. contra Vaſquez, &c.

Prob. autem 1. Ex Scriptura locis Art. 3. citatis, quibus Chriſtus vitam æternam promittit morti pro ipſo obitæ, nulla facta mentione dilectionis Dei ſuper omnia, ex qua mors acceptari debeat ab adultis. Et verò his locis uno & eodem verborum tenore vita æterna promittitur parvulis & adultis pro Chriſto morientibus. At promittitur parvulis independenter ab

omni actu proprio meritorio, cujus capaces non ſunt. Ergo & adultis. Ergo martyrium non ex opere operantis, ſed ex privilegio confert gratiam, & gloriam.

Prob. 2. Martyrium vim habet juſtificandi parvulos ex opere operato: nam in parvulis nullus eſſe poteſt actus operantis, cui meritò tribui poſſit eorum juſtificatio. Ergo habet etiam vim juſtificandi adultos ex opere operato. Quod argumentum tam valet, quàm iſtud: Baptiſmus vim habet juſtificandi parvulos ex opere operato. Ergo & adultos.

Prob. 3. Martyrium ſupplere poteſt baptiſmum adultorum quoad effectus gratiæ ſanctificantis, & remiſſionis peccatorum, ut conſtat ex Patribus art. 3. laudatis. Quibus hic addimus Baſil. lib. de Spiritu S. cap. 15. *Jam verò ſunt nonnulli*, inquit, *qui in certaminibus pro pietate reverà, non imitatione, Chriſti mortem perpeſſi, nihil hujuſmodi ſacramentis, quæ ſunt in aqua, opus habuerunt ad ſalutem, nimirum in proprio baptizati ſanguine*. Et Proſperum lib. Sententiarum ſent. 149. *Qui etiam*, inquit, *non percepto regenerationis lavachro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantùm eis valet ad abolenda peccata, quantùm ſi abluerentur fonte baptiſmatis*. Ergo martyrium adultis obicem non ponentibus, primam gratiam conferendi vim habet: hanc enim vim habet baptiſmus. Ergo martyri prima gratia non infunditur ex opere operantis, ſed ex opere operato ipſius martyrii: nam ſi prima gratia non infunditur martyri, niſi propter opus operantis, hoc eſt, niſi propter actum primæ gratiæ de congruo meritorium, quo mortem pro Chriſto acceptat, martyrium nunquam infundit primam gratiam, ſed ſemper ſupponit infuſam; adeòque primam gratiam infundendi vim habere, perperam dicitur.

Confirmatur 1. Quia martyrium ex privilegio ipſi conceſſo poteſt remittere peccata quoad reatum totius pœnæ temporalis. Ergo poteſt etiam ex privilegio ſibi conceſſo remittere peccata quoad reatum culpæ; adeòque baptiſmum adultorum ſupplere poteſt ex opere operato, eo ſenſu de quo hic agitur. Conſequentiam admittit Vaſquez, & fatetur ſpeciale privilegium, ſi pro uno admittitur, pro altero quoque admittendum eſſe.

Prob. ant. Quia martyri reipſa remittitur tota pœna temporalis, ut probatum eſt. Ergo remittitur vel propter vim ſatisfactoriam pœnæ, vel propter fervorem charitatis, vel denique propter ſpeciale privilegium morti pro Chriſto obitæ conceſſum. Non primum: gratis enim dicitur, quòd mors v. gr. per abciſſionem capitis illata, ſit ſatisfactio ſufficiens pro multis & graviſſimis delictis, quæ antea martyr admiſerit, & pro quibus non ſemel ipſam mortem promeritus fuerit, etiam per tormenta graviſſima inferendam. Non etiam ſecundum: multi enim ſancti confeſſores ardentiorem charitatem habuerunt, quàm multi martyres, nec tamen idcircò totiùs pœnæ temporalis, peccatis antea commiſſis debitæ, indulgentiam obtinuerunt. Ergo ſupereſt, ut dicatur tertium.

Confirmatur 2. Sit fidelis peccator, qui à tyranno comprehenſus, malit mori, quàm Chriſtum negare, & reipſa moriatur, ſed cum ea tantùm ad juſtificationem diſpoſitione, quam baptiſmus aquæ prærequirit: vel ille juſtificabitur, vel non juſtificabitur. Non ſecundum: alioquin baptiſmus ſanguinis non ſupplet baptiſmum aquæ: talis enim baptizabitur in ſuo ſanguine, & erit verè martyr, quia pro Chriſto & verâ fide morietur. Ergo primum, & conſequenter talis juſtificabitur ex opere operato martyrii; non enim juſtificabitur ex opere operantis, quia attritionem tantùm habebit, cum quadam charitatis inchoatione: non enim aliam in adulto diſpoſitionem prærequirit baptiſmus aquæ. Ergo, &c.

Confirmatur 3. Patres docent martyrium non minorem vim habere, quàm baptiſmum; immò majorem martyrio vim tribuunt quàm baptiſmo. Atqui hoc non videtur verum, niſi martyrium etiam ex opere operato baptiſmum ſupplere poſſit, quantùm ad infuſionem gratiæ, & peccatorum remiſſionem. Ergo, &c.

Confirmatur 4. Si martyrium non ex opere operato, ſed ex opere operantis conferret primam gratiam, baptiſmus ſanguinis non diſtingueretur à baptiſmo flaminis, ſed utrumque baptiſma flaminis eſſet: utrumque enim conſiſteret in actu dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe. Atqui baptiſmus ſanguinis diſtinguitur à baptiſmo flaminis; alioqui Scholaſtici perperam diſtinguunt tria baptiſmata, baptiſmum aquæ, baptiſmum flaminis; & baptiſmum ſanguinis. Ergo, &c.

Confir. 5. Eccleſia ad hoc ut aliquem colat ut martyrem, nunquam examinat an mortem acceptarit ex affectu charitatis, ſed indifferenter colit eos omnes quos conſtat in confeſſione veræ fidei & unitate Eccleſiæ pro Chriſto occiſos eſſe. Ergo, &c. Sed

Hæc omnia quæ pro ſecunda ſententia afferuntur, difficilem non habent ſolutionem. Nam *ad* 1. *Reſp.* Locis illis Scripturæ art. 3. relatis, morienti pro Chriſto vita æterna promittitur, nulla facta mentione actus honeſti, quo adultus acceptet mortem pro Chriſto; & tamen, ſecundùm omnes, in adultis requiritur libera & honeſta acceptatio mortis, ad hoc ut ſint verè martyres, & ſic ad hoc ut tanquam veri martyres coronentur. Item in locis illis nulla fit mentio contritionis, nec tamen adultus peccator ſine contritione ſaltem imperfecta, juxta hujus ſecundæ ſententiæ authores, per martyrium vitam æternam conſequi poteſt. Sic igitur locis illis, morti pro Chriſto obitæ, abſolutè promittitur vita æterna, ut tamen aliquæ conditiones pro adultis neceſſariò ſubintelligantur. Itaque dicendum eſt loca illa, vel non comprehendere parvulos, vel, quod verius eſt, ita parvulis & adultis uno & eodem verborum tenore vitam æternam promittere, ut aliquos pro his, pro illis nullos actus proprios ſupponant. Dicimus autem in adultis ſupponere affectum charitatis, ex quo mori, quàm Chriſtum negare præoptent, ſi juſti ſunt; ſi verò injuſti & peccatores, cum affectu charitatis contritionem perfectam, qua de peccatis commiſſis doleant propter Deum ſummè dilectum propter ſe.

Ad 2. *prob. Reſp.* Neg. conſeq. Ratio diſparitatis, quæ ipſamet probatione affertur, eſt quia cùm parvuli uſum rationis & libertatis non habeant, incapaces ſunt omnis actus meritorii, adeòque juſtificati non poſſunt ex opere operantis. Morti pro Chriſto obitæ privilegium juſtificandi conceſſum eſt pro illis, non verò pro adultis, qui uſum rationis & libertatis habent, atque ita mortem pro Chriſto obeuntes, ex opere operantis juſtificari poſſunt, mortem quam obeunt, acceptando ex affectu charitatis erga Chriſtum: adeòque convenientiſſimè voluit Chriſtus, ut nonniſi per talem acceptationem juſtificarentur. Non valet autem paritas petita à baptiſmo; quia ſi baptiſmus habet, ut reverà habet, vim juſtificandi parvulos ex opere operato, habet ex eo quòd eſt ſacramentum, & ſacramentum eſt tam reſpectu adultorum, quàm reſpectu parvulorum.

Ad 3. *prob. R.* Baptiſmum adultorum quoad effectus gratiæ ſanctificantis & remiſſionis peccatorum, ſuppleri poſſe per martyrium, ut docent unanimiter Patres. At martyrium hoc non poteſt præcisè quà mors eſt pro Chriſto tolerata, ſed quà mors eſt propter Chriſtum tolerata ex affectu charitatis erga Chriſtum, ut apertè docent Patres citati pro prima ſententia. Martyri igitur prima gratia infunditur ex opere operantis, ſeu propter charitatis affectum, illius de congruo meritorium, quem martyrium adultorum includit: unde tantùm ſequitur martyrium ſumptum præcisè pro morte propter Chriſtum tolerata, non infundere primam gratiam, ſed ejus infuſionem ſemper ſupponere, quod verum eſt.

Ad 1. *confirm. R.* Neg. conſeq. Ex eo enim quòd martyrium ex privilegio ipſi conceſſo poſſit remittere peccata quoad reatum totiùs pœnæ temporalis,

non

non neceſſariò ſequitur quòd poſſit etiam eodem modo peccata quoad reatum culpæ remittere : potuit enim ſpeciale privilegium pro uno , & non pro altero concedi , & re ipſa pro uno ; non pro altero conceſſum eſſe facilè credimus. Dicimus itaque martyrium totam pœnam temporalem remittere ex privilegio morti pro Chriſto obitæ conceſſo, peccata verò ea opere operantis , ſeu per actum charitatis quo adultus Chriſtum ſuper omnia diligit, & ideò mavult mori, quàm illum & veram fidem negare.

Ad 2. confirm. R. Negando fidelem peccatorem in facta ſuppoſitione juſtificatum iri , etiamſi mortem acceptet ex motivo aliquo honeſto , ſed diverſo à motivo charitatis . Unde non ſequitur baptiſmum aquæ non ſuppleri per baptiſmum ſanguinis: nam in adulto baptiſmus ſanguinis , ſeu verum martyrium , non eſt mors pro Chriſto acceptata ex quolibet motivo honeſto, ſed eſt mors pro Chriſto acceptata ea affectu perfectæ dilectionis Chriſti, ut docet S. Thomas locis ſupra laudatis pro prima ſententia . Quare fidelis peccator in facta ſuppoſitione non magis in ſuo ſanguine baptizaretur , quàm baptizaretur hæreticus vel ſchiſmaticus , qui mori , quàm Chriſtum negare mallet . Et fidelis ille peccator , quamvis in odium Chriſti occideretur, non eſſet verè martyr, quia non moreretur pro Chriſto à ſe ſuper omnia dilecto ; & mortis, quam pateretur, cauſa ex parte ipſius non eſſet perfecta Chriſti dilectio,

Hujus reſponſionis veritas declaratur ampliùs. Si fidelis peccator in facta ſuppoſitione erit verè martyr, per mortem in odium Chriſti illatam non ſolùm juſtificabitur, ſed etiam eximium ſanctitatis & gloriæ gradum evehetur, etiam ſupponendo quòd ne vel unum charitatis actum in toto vitæ decurſu elicuerit, & ſic nunquam, nequidem in mortis articulo , Deum perfectè dilexerit: nam Eccleſia indifferenter colit martyres omnes, ut homines eximiè ſanctos ac beatos . Conſequens videtur abſurdum , hominem enim qui nunquam ante mortem charitatis præceptum compleverit, & Deum nunquam, vel nonniſi imperfectè amaverit , nihilominùs ad eximium ſanctitatis & gloriæ gradum perveniſſe, & ut talem ſpeciali cultu honorari ab Eccleſia, abſurdum certè videtur . Ergo , &c.

Ad 3. confirm. R. Patres docent non minorem vim ineſſe martyrio , quàm baptiſmo , quia martyrium peccata remittit omnia, non ſolùm quoad reatum culpæ , ſed etiam quoad reatum totius pœnæ temporalis; at non docent hanc vim martyrio ineſſe ex opere operato , & non ex opere operantis , Item majorem quàm baptiſmo vim martyrio tribuunt , quia martyrium ad altiorem ſanctitatis & gloriæ gradum evehit, quàm baptiſmus ; Nam , ut modò dictum eſt , Eccleſia veneratur martyres ut eximiè ſanctos, & non ſic veneratur homines etiam in articulo mortis baptizatos, & proximè poſt mortem defunctos , quantùmvis ſupponantur cum perfecta Dei dilictione baptiſmum ſuſcepiſſe . At hanc majorem vim ſpeciali privilegio non attribuunt ; è contra verò eam referunt in ardentem charitatem , ea cujus affectu adultus Chriſtum rebus omnibus & vitæ propriæ anteponens , pro illo mortem fortiter tolerat .

Ad 4. confirm. R. neg. ſeq. maj. Nam ex eo quòd martyrium non conferat primam gratiam niſi ea opere operantis , ſequitur tantùm quòd baptiſmus ſanguinis includat baptiſmum flaminis; quo non obſtante hæc duo baptiſma ſufficienter adhuc diſtinguuntur inter ſe : diſtinguuntur enim adhuc ut contentum à continente . Unde ſequitur baptiſmum ſanguinis non eſſe baptiſmum flaminis ſimpliciter , ſed cum addito ; nec baptiſmum flamminis ſimpliciter & ſine addito eſſe baptiſmum ſanguinis: quod Scholaſticis ſufficiens fundamentum fuit diſtinguendi tria baptiſmata , baptiſmum aquæ, baptiſmum flaminis , & baptiſmum ſanguinis. Martyrium igitur non eſt mors in odium Chriſti illata , & tolerata ex affectu perfectæ dilectionis Chriſti : cùm baptiſmus flaminis ſit tantùm dilectio Dei, vel contritio perfecta.

Ad 5. confirm. R. Eccleſiam quidem non examinare, utrùm adultus qui in odium Chriſti & religionis chriſtianæ occiſus eſt , mortem acceptarit ea affectu charitatis, ſicut non examinat utrùm ſaltem acceptarit illam ex motivo aliquo honeſto & ſupernaturali , ſicut etiam non examinat utrùm fuerit juſtus an peccator . A tali examine abſtinet ; non quod credat mortem in odium Chriſti illatam, & voluntariè toleratam, & gratiam infundere, & peccata remittere ea opere operato, hoc enim ſaltem dubium eſt ; ſed quia ex eo quòd adultus in confeſſione veræ fidei & unitate Eccleſiæ mortem in odium Chriſti collatam patienter toleravit, & ex aliis circumſtantiis ſufficienter judicat adultum illum ex ferventi erga Chriſtum charitate mortem acceptaſſe & toleraſſe, in quo judicio ferendo errare non poteſt Eccleſia, propter infallibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam.

His adde, à ſecundæ ſententiæ defenſoribus perperam allegari ſanctum Thomam in commentariis in 4. ſent. cùm manifeſtum ſit eum poſtea ſe ipſum correxiſſe, & ſententiam mutaſſe; quod novum pondus affert ſententiæ neganti baptiſmum adultorum, quantum ad infuſionem primæ gratiæ & remiſſionem peccatorum, ſuppleri poſſe per mortem in odium Chriſti & fidei illatam , & voluntariè toleratam ; pro qua ſententia præter Doctorem angelicum , citari poſſunt Alenſis , Durandus , Andreas Vega , &c. Jam ſit

Responsio.

Si non omninò certum, ſaltem longè probabilius eſt , baptiſmum adultorum ſuppleri non poſſe per martyrium, ſecluſo actu charitatis , quo acceptetur mors in odium Chriſti illata.

Patet ex dictis hactenùs , & adhuc *confirmatur* 1. ea Apoſtolo dicente 1. Cor. cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero , nihil mihi prodeſt* . Quo loco probabilius eſt Apoſtolum loqui de charitate actuali , ſine qua , ait , mortem in odium Chriſti illatam, etiam voluntariè & patienter toleratam, nihil toleranti prodeſſe , ut interpretantur Patres , Bernardus ſcil. & Auguſtinus locis ſupra citatis.

Confirmatur 2. Hac ratione Martyrium , ſecluſo actu charitatis , eſt martyrium, & non eſt . Eſt , ut volunt adverſarii ; & non eſt , ut facilè probatur : Nam martyrium eſt mors pro Chriſto tolerata , ut nobiſcum dicunt adverſarii. Atqui mors pro Chriſto tolerata, eſt mors tolerata ex affectu amoris amicitiæ erga Chriſtum . Ergo , &c. *Prob. min.* Mori enim pro aliquo, v. g. pro amico , in ſenſu proprio & maximè obvio, eſt mori ex amore amicitiæ erga illum , ut apertè ſupponit Chriſtus ipſe Joan. 15. ubi ait : *Majorem hac dilectionem nemo habet , ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Ecce , juxta Chriſtum ipſum, animam ſuam ponere pro amicis, eſt illam ponere ex dilectione illorum ; qui ſic ponit animam pro amico, tanta eum, appretiativè ſaltem, quanta eſſe poteſt , dilectione proſequitur . Ergo , &c. Quod

Declaratur ampliùs . Supponatur adultus mortem in odium Chriſti illatam acceptare non ex amore amicitiæ erga Chriſtum , ſed ex alio motivo inferiori , v. gr. ea ſolo metu damnationis æternæ , aut ex ſolo deſiderio gloriæ cœleſtia . Talis , quà patitur mortem in odium Chriſti illatam , in ſenſu improprio dici poteſt mori pro Chriſto : at propriè loquendo pro ſeipſo tantùm moritur , quia moritur ex amore ſui , & non Chriſti : ſicut ex amore ſui & non Chriſti moreretur , ſi mortem in in odium Chriſti illatam acceptaret ex ſolo deſiderio vanæ gloriæ.

Confirmatur 3. Quòd mors in odium Chriſti illata , & voluntariè tolerata , juſtificet ſecluſo actu charitatis, certè dependebat à voluntate divina. Atqui hanc in Deo fuiſſe voluntatem nullum extat ſufficiens fundamentum , ſive in Scriptura, ſive in defini-

fini-

finitione Eccleſiæ, ſive in Patribus, qui teſtes ſunt traditionis divinæ. Ergo, &c.

Prob. ſubſ. 1. Nullum fundamentalem extat in Scriptura: nam ſi extat, certè in his Chriſti verbis Matth. cap. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, &c. Qui perdiderit animam ſuam propter me, &c.* quibus remiſſio omnis culpæ & pœnæ promittitur martyribus. Atqui hoc dici non poteſt: nam promiſſio his locis & aliis ſimilibus facta, quantùmvis abſoluta videatur, eſt tamen tacitè conditionata pro adultis, ut docent ipſimet adverſarii, & ſecundùm illos ſupponit in juſtis acceptationem mortis factam ex motivo aliquo honeſto, in peccatoribus verò præter acceptationem illam, imperfectam ſaltem de peccatis commiſſis contritionem, ſeu ſupernaturalem attritionem. Mortis autem acceptationem ex motivo à motivo charitatis diverſo & inferiore factam ſufficere, quo alio Scripturæ textu probabunt?

2. Nullum fundamentum extat in definitione Eccleſiæ: nam Eccleſia mortem in odium Chriſti illatam & voluntariè toleratam, vim habere remittendi peccata, ſecluſo actu charitatis, neque per Summos Pontifices, neque per Concilium aliquod generale, aut etiam particulare, definivit aliquando.

3. Nullùm extat fundamentum in Patribus: nam dicunt quidem martyrio non minorem, imò majorem ineſſe vim quàm baptiſmo. At non dicunt hanc ineſſe martyrio independenter ab actu charitatis, quo mors in odium Chriſti illata acceptetur; imò verò plures ſaltem hanc vim dilectioni perfectæ Chriſti attribuunt, ut patet ex locis ſupra allegatis; & videntur omnes, ex adultis eos tantùm ut verè martyres agnoviſſe, qui ex affectu charitatis erga Chriſtum vitam præſentem contemnerent, mortemque in odium illius illatam libenter obirent.

Dices. Si ita eſt, damnabitur adultus peccator pro fide moriens ex ſolo v. g. deſiderio gloriæ cœleſtis, ſi non habeat contritionem perfectam, aut ſaltem, peccata oblitus, non diligat Deum ſuper omnia propter ſe. *R.* 1. adultum peccatorem in hac hypotheſi damnatum iri, quia deſiderium gloriæ cœleſtis, etiam efficax, non ſufficit ad juſtificationem adulti peccatoris, etiam pro fide morientis ſine dilectione Dei ſuper omnia propter ſe.

R. 2. Negando hypotheſim, ut impoſſibilem ſaltem moraliter; moraliter enim fieri non poteſt ut adultus mortem in odium Chriſti illatam ex motivo honeſto toleret, ſine aliqua Chriſti dilectione. Ergo mortem tolerabit ex dilectione Chriſti. Ergo ex perfecta Chriſti dilectione, juxta illud Joan. cap. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis ſuis.* Certè adultus ille non acceptabit mortem ex deſiderio gloriæ cœleſtis ſine adjutorio Spiritus ſancti, ipſum per interiorem gratiam excitantis & corroborantis: At cùm ſupponitur Spiritus ſanctus eum excitare ad tantum gloriæ cœleſtis deſiderium, gratis omninò ſupponitur eum non excitare ad tantum Chriſti amorem, ut ex affectu illius poſſit acceptare, & re ipſa acceptet mortem pro Chriſto, atque ita non ſolùm ex deſiderio gloriæ cœleſtis, ſed etiam ex perfecta dilectione Chriſti, malit mori quàm Chriſtum negare: neque fore unquam, ſecundùm ordinariam Dei providentiam, ut adultus peccator ex ſolo deſiderio gloriæ cœleſtis, aut alio quovis motivo honeſto & ſupernaturali, ſine perfecta Chriſti dilectione mortem in odium Chriſti illatam acceptet, ſupponere poſſumus & debemus.

DISPUTATIO V.

De Effectibus Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quinam ſint effectus Baptiſmi.

N*Ota.* Plures effectus baptiſmi agnoſcunt Catholici omnes. Primus eſt, tollere culpam omnem. Secundus, tollere omnem pœnam, etiam temporalem. Tertius, conferre ex opere operato gratiam, & alia dona ſupernaturalia, quibus homo ſanctificatur, & interiùs renovatur verò ac formaliter. Quartus, dare jus ad auxilia ſpecialia, fini ſuo proportionata, hoc eſt, ad vivendum chriſtianè. Quintus, imprimere characterem indelebilem, unde baptiſmus ſemel validè collatus, iterari non poteſt. Sextus, conſtituere membrum Eccleſiæ; ita ut baptizati non ſolùm facto, ſed etiam jure ſint Eccleſiæ membra. Septimus, ſubjicere poteſtati & juriſdictioni Eccleſiæ. Octavus, tribuere capacitatem aliorum Sacramentorum, & jus ad illa aliáque omnia Eccleſiæ bona communia. De primo tantùm hic agimus contra Lutheranos & Calviniſtas, aſſerentes peccata non verè tolli per baptiſmum, ſed ſolùm tegi & non imputari; contra quos ſit

RESPONSIO I.

Secluſo obice, baptiſmus remittit omne peccatum, originale ſcilicet, cum actualibus.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam ad Epheſios cap. 5. dicitur: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipſe ſibi* (non tantùm mundam, ſed &) *glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam* (peccati) *aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* At ſi in baptiſmo non delentur peccata, ſed ſolùm teguntur, quomodo baptiſmus dici poteſt mondare & ſanctificare? Quomodo baptizati dici poſſunt non habere maculam, eſſe ſancti & immaculati? Nam ſi peccata teguntur tantùm, maculas peccatorum & ſordes in baptizatis remanere manifeſtum eſt.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam 1. in Symbolo Conſtantin. dicitur: *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* 2. Concilium Florentinum in decreto Eugenii ait: *Hujus ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis.* 3. Tridentin. ſeſſ. 5. can. 5. anathematizat eum omnem qui in baptiſmate *aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum, radi aut non imputari.* Et ſeſſ. 6. cap. 7. poſtquàm dixit juſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & ſanctificationem & renovationem interioris hominis, &c. inferiùs ſubjicit, hujuſce juſtificationis cauſam inſtrumentalem eſſe baptiſmum.

Prob. 3. ex unanimi conſenſu Patrum, pro quibus omnibus unus aut alter hic ſufficit, nempe Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 6. *Neque,* inquit, *ego renuo divinum beneficium, id eſt, abolitionem delictorum, inituris aquam omni modo ſalvum eſſe; ſed ut eò pervenire contingat, elaborandum eſt.* Et lib. de reſurrectione carnis, ubi ait: *Caro abluitur* (in baptiſmo,) *ut anima emaculetur.* Et Cyrillus Hieroſol. catecheſi 3. *Deſcendis,* inquit, *in aquam, ferens peccata, ſed gratiæ invocatio ſignans animam, non permittit deinceps, ab horrendo illo ſubmergi dracone. Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis vivificatus in juſtitia.*

Prob. 4. Ratione. Quia ſecluſo obice, baptiſmus reddit hominem juſtum, ſanctum, Deo gratum, & cœleſti gloria dignum. Sed hos effectus præſtare non poteſt, niſi peccata omnia deleat: non enim poteſt homo ſimul eſſe peccator, injuſtus, Deo odibilis, æternæ damnationi obnoxius; & juſtus, ſanctus, Deo

gra-

gratus, &c. Dixi, ſecluſò obice: peccatorum enim remiſſio impediri poteſt in baptizato duobus modis: primò quidem poſitivè, per actualem ſcilicet affectum ad peccatum. 2. Privativè, vel negativè, per defectum debitæ diſpoſitionis.

Porrò ſublato obice, baptiſmus ſemper habet hunc effectum, quando reperit peccata in recipiente. Quòd ſi is qui baptizatur, per actum contritionis vel charitatis priùs juſtificatus fuit quàm baptizaretur, tunc baptiſmus non remittit peccata, quia per præcedentem actum aliquem remiſſa fuerunt: ſed hoc ſe habet per accidens reſpectu baptiſmi, ſine cujus tamen voto ante ejus ſuſceptionem peccata non fuerunt remiſſa: unde tunc remiſſa fuerunt partialiter per baptiſmum in voto. Quare peccata nunquam remittuntur in prima juſtificatione, ſine baptiſmo in re vel ſaltem in voto.

Quamvis autem baptiſmus in re ſuſceptus non ſemper remittat peccata, quia non ſemper reperit remittenda; ſemper tamen producit gratiam ſanctificantem in ſuſcipiente ritè diſpoſito; vel primam, quam per ſe confert, cùm ſit ſacramentum regenerationis ſpiritualis, quæ conſiſtit in prima gratia ſanctificante; vel ſaltem ſecundam, ſeu augmentum primæ. Primam confert ſuſcipienti ritè diſpoſito, ſed nondùm juſtificato per contritionem perfectam, aut dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe. Secundam verò ſuſcipienti jam regenerato per aliquem ex illis actibus, quod eſt per accidens reſpectu baptiſmi. Adde ſuſcipientem, per actum charitatis vel contritionis non fuiſſe ante baptiſmi ſuſceptionem regeneratum, ſine voto baptiſmi: unde baptiſmus in voto tunc fuit partialis cauſa ſpiritualis regenerationis. Quare ſine baptiſmo vel in re vel ſaltem in voto, nullus unquam homo regeneratur ſpiritualiter.

Responsio II.

Secluſo obice, baptiſmus remittit omnem pœnam peccatis debitam.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex perpetua & conſtanti praxi Eccleſiæ, quæ adultis baptizatis nunquam impoſuit opera ſatisfactoria pro peccatis ante baptiſmum commiſſis. Quòd ſi ante baptiſmum catechumenis opera aliqua pœnalia, ut jejunia, orationes, &c. præſcribit, hoc facit, non ut ſatisfaciant pro pœna temporali, quæ ſolvenda ſuperſit poſt baptiſmum, ſed tantùm ut meliùs diſpoſiti, majorem ex baptiſmo fructum percipiant, intenſiùs peccata deteſtando, & Deum ardentiùs amando.

Prob. 2. Authoritate Conciliorum. Nam 1. Concilium Florentinum hoc expreſsè docet in decreto §. *Primum omnium*, in quo ſic loquitur: *Hujus ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio: ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum & Dei viſionem perveniunt.* 2. Tridentinum rem definit ſeſſ. 5. can. 5. ubi ait: *Nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem .... ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.* Vide etiam ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. cap. 8.

Quæres, Utrùm parvulis in baptiſmo infundatur gratia cum virtutibus?

Reſp. Inter veteres Scholaſticos alii fuerunt, qui aſſererent parvulos in baptiſmo originalis peccati remiſſionem accipere ſine gratia & virtutibus: alii verò, qui dicerent, parvulis non ſolùm peccatum originale remitti, ſed etiam infundi gratiam & virtutes, ut refert Innocentius III. cap. *Majores*, extra de baptiſm. ubi controverſiam hanc indeciſam relinquit.

Poſtea verò Clemens V. Clement. 1. de ſumma Trinitate, &c. §. *Ad hoc*, in 6. ſecundam ſententiam, utpote probabiliorem, ab omnibus catholicis, altera rejecta, tenendam eſſe decrevit; ſic ut primam tenere vel docere poſtmodùm graviter fuerit illicitum, *Nos*, inquit, *attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit, tam parvulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

Sententia itaque negans parvulis in baptiſmo infundi gratiam & virtutes, proſcripta fuit in generali Concilio Viennenſi an. 1311. ut minùs conſona doctrinæ SS. Patrum, & modernorum Theologiæ Doctorum, adeòque poſt Concilium Viennenſe defendi non potuit ſine temeritate. Nunc verò poſt Tridentinum Concilium nequidem ſine nota hæreſis videtur defendi poſſe: controverſiam enim planè definiviſſe videtur Tridentinum ſeſſ. 7. can. 6. ubi ait: *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem, non conferre .... anathema ſit.* Parvuli autem nullum obicem ponunt aut etiam ponere poſſunt, ut per ſe clarum eſt. Imò ante Concilium Tridentinum, poſt Florentinum ſententia affirmans parvulos gratiam & virtutes in baptiſmo accipere, videtur fuiſſe de fide: nam ſic loquitur Florentinum in decreto §. *Quintò Eccleſiaſticorum*, ubi ſic loquitur de ſacramentis noſtris: *Hæc verò noſtra & continent gratiam & ipſam dignè* (hoc eſt ſine obice) *ſuſcipientibus conferunt.*

Confirmatur hæc ſententia; quia 1. nullum peccatum mortale remittitur ſine infuſione gratiæ ſanctificantis. Atqui parvulis originale peccatum, quod eſt mortale, remittitur in baptiſmo. Ergo, &c. 2. Parvuli juſtificantur in baptiſmo. Atqui juſtificatio, ut docet expreſsè Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 7. præter remiſſionem peccatorum, dicit ſanctificationem, & renovationem interioris hominis, per ſuſceptionem gratiæ & donorum. Ergo, &c. 3. Parvuli per baptiſmum renaſcuntur ſpiritualiter, juxta illud S. Auguſtini in enchiridio cap. 42. *Ipſum eſt quod in nobis celebratur, magnum baptiſmatis ſacramentum, ut quicumque ad iſtam pertinent gratiam, moriantur peccato .... & vivant de lavacro renaſcendo.* Ad iſtam autem gratiam pertinent non ſolùm adulti, ſed etiam parvuli: nam, ut proſequitur S. Doctor cap. 43. *à parvulo recens nato uſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus eſt à baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in baptiſmo.* Atqui renaſcentia ſpiritualis fit per gratiæ & donorum infuſionem. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Quænam diſpoſitiones requirantur in adultis ad effectus Baptiſmi conſequendos.

Responsio I.

AD conſequendum characterem baptiſmi, non alia requiritur diſpoſitio in adultis, quàm voluntas ſuſcipiendi baptiſmum.

Prob. Quia ad conſequendum characterem baptiſmi, non alia requiritur diſpoſitio in adulto, quàm quæ requiritur ad valorem baptiſmi: baptiſmus enim validus eſſe non poteſt, quin characterem conferat. Sed ad valorem baptiſmi non alia requiritur diſpoſitio in adulto, quàm voluntas ſuſcipiendi baptiſmum. Ergo, &c.

Responsio II.

Ut adultus ante ſuſceptionem baptiſmi juſtificatus per actum perfectæ contritionis vel charitatis, recipiat augmentum gratiæ in baptiſmo, requiritur & ſufficit voluntas ſuſcipiendi baptiſmum ex motivo aliquo ſupernaturali concepta.

Prob. 1. Requiritur, &c. Nam adultus non poteſt recipere augmentum gratiæ, quin in illud conſentiat conſenſu aliquo proportionato, adeòque conſenſu habente ſupernaturalem honeſtatem. Ergo, &c.

2. Suf-

2. Sufficit, &c. Nam non eſt fundamentum plus requirendi in adulto de quo agitur, cùm jam in eo præceſſerint fides, ſpes, contritio, vel charitas, proindeque & propoſitum ſervandi omnia Dei mandata, &c.

Responsio III.

Ut adultus habens ſolum originale, quod fieri poteſt ſaltem per breve aliquot tempus, conſequatur gratiam & remiſſionem peccati originalis in baptiſmo, requiruntur & ſufficiunt fides, ſpes, dilectio Dei inchoata; & propoſitum ſervandi atque profitendi legem Chriſtianam, cum voluntate ſuſcipiendi baptiſmum.

Prob. 1. Requiritur fides, qua adultus credit *vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt: atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Nam ut ait Apoſtolus Heb. cap. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

2. Requiritur ſpes veniæ, & ſalutis conſequendæ: requiritur enim ut adultus in ſpem erigatur, fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, juxta illud Matei cap. 2. *Confide, filii, remittuntur tibi peccata tua;* quibus verbis ſignificatur actum ſpei eſſe diſpoſitionem in adulto prærequiſitam ad obtinendam peccatorum veniam.

3. Requiritur inchoata ſaltem Dei dilectio, quà adultus Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit: æquum enim non eſt ut ille juſtificationis gratiam conſequatur, qui Deum nequidem incipit diligere ut tanti beneficii collatorem. Item æquum non eſt ut admittatur ad amicitiam divinam, qui ad eam nequidem per initialem Dei amorem ſe comparat.

4. Requiritur propoſitum ſervandi & profitendi legem chriſtinam: non enim adultus admitti poteſt ad Dei amicitiam, niſi in illam conſentiat. Nec in illam ſincerè conſentit, niſi efficaciter velit omnia ad eam ſervandam neceſſaria præſtare.

5. Denique requiritur voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, quia ſine tali voluntate nullus eſt baptiſmus. Vide Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6.

Quòd autem actus recenſiti ſufficiant in caſu propoſito, facilè prob. Nam ſi quis alius actus requiritur, certè pœnitentia ſeu contritio. Atqui hoc dici non poteſt: oon enim dolere poſſumus niſi de peccatis propria voluntate commiſſis, adeòque dolere non poſſumus de peccato originali, quod non propria, ſed aliena voluntate, quamvis noſtra moraliter, commiſimus.

Actus porrò in caſu propoſito ad juſtificationem adulti requiſitos, ſupernaturales eſſe de fide eſt: nam Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. ait: *Declaratur præterea* (Synodus) *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Et can. 3. inquit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.*

Responsio IV.

Ut adultus, præter peccatum originale habens alia actualia mortalia, gratiam & peccatorum remiſſionem conſequatur in baptiſmo, præter actus fidei, ſpei, & dilectionis Dei inchoatæ, cum voluntate recipiendi ſacramentum, requiritur pœnitentia ſeu dolor de peccatis.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex Scriptura: Nam Act. c. 2. dicitur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* 2. Ex Tridentioo ſeſſ. 6. cap. 6. ubi dicitur: *At propterea moventur* (adulti ad juſtificationem in baptiſmo obtinendam ſeſe præparantes) *adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* Et ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis* (ſeu doloris & deteſtationis) *motus neceſſarius.* 3. Ratione. Quia Deus adultum in amicitiam ſuam non vult admittere, niſi volentem, & in illam conſentientem. Non poteſt autem adultus ſincerè conſentire in amicitiam divinam, niſi deteſtetur peccata, quibus illa ſe privavit, vel indignum reddidit. Præterea æquum non eſt ut qui voluntate propria Deum offendit, in ejus recipiatur amicitiam, niſi priùs doleat quod ſic Deum offenderit.

Itaque in caſu propoſito, ad juſtificationis gratiam in baptiſmo obtinendam, indiget adultus dolore & deteſtatione peccatorum. Sed quærient utrùm hic dolor debeat eſſe perfecta contritio, ſeu dolor ex motivo amoris Dei ſuper omnia propter ſe, an verò ſufficiat ut ſit attritio; ſeu dolor ex aliquo inferiore motivo charitatis, v. gr. ex motivo vitandæ gehennæ, vel deſiderio vitæ æternæ. Pro reſolutione ſit

Responsio V.

Ut adultus in caſu propoſito conſequatur in baptiſmo gratiam & remiſſionem peccatorum, non requiritur contritio perfecta.

Prob. Nam baptiſmus ex inſtitutione ſua, & ex fine ſuo intrinſeco, ordinatur ad conferendam primam gratiam juſtificantem, & ad remittenda peccata. Ergo ad hunc effectum prærequirere non poteſt contritionem perfectam, tanquam diſpoſitionem neceſſariam. *Prob. conſeq.* Quid alioquin effectum illum, ad quem cauſandum ordinatur ex inſtitutione ſua & fine intrinſeco, ſemper ſupponeret cauſatum per diſpoſitionem quam prærequireret: perfecta enim contritio primam gratiam confert, & peccata omnia remmittit infallibiliter extra quodlibet ſacramentum; atque ita baptiſmus in re ſuſceptus effectum illum, ad quem cauſandum ordinatur, &c. nunquam cauſare, quod eſt abſurdum.

Responsio VI.

In caſu propoſito, ad conſequendam gratiam & remiſſionem peccatorum, ſufficit adulto attritio ſupernaturalis, præter actus ſupra recenſitos.

Sequitur ex præcedenti; nam ſi non requiritur contritio perfecta, attritionem ſufficere neceſſe eſt. Hanc autem attritionem non naturalem, ſed ſupernaturalem eſſe debere patet ex Tridentino, ſeſſ. 6. can. 3. jam citato, & ſeſſ. 14. cap. 4. ubi dicitur, attritionem quæ ad ſacramentum Pœnitentiæ diſponit, eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum. At idem manifeſtè aſſerendum eſt de attritione, quæ ad ſacramentum baptiſmi diſponit. Ratio à priori eſt, quia hæc attritio debet eſſe efficax peccatorum deteſtatio; ita ut non ſit compoſſibilis cum ullo affectu ad peccatum mortale. Item debet includere propoſitum efficax ſervandi omnia mandata divina. Atqui hæc ſuperant vires naturæ ſibi relictæ, & requirunt adjutorium interioris gratiæ excitantis, corroborantis & adjuvantis. Ergo, &c.

Obj. Gratis in adulto, etiam præter originale peccatum habente alia actualia mortalia, requirimus eum attritionis actu inchoatum Dei amorem propter ſe, ad conſequendam in baptiſmo juſtificationis gratiam. *R.* negando. Hunc enim inchoatum Dei amorem adulto neceſſarium eſſe in caſu propoſito, ſatis apertè colligitur ex Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi inter diſpoſitiones, quibus adultus ad recipiendum in baptiſmo juſtificationis beneficium diſponitur, recenſetur inchoata dilectio Dei tanquam omnis juſtitiæ fontis. Talis autem dilectio Dei eſt amor Dei ut ſummè beneficis & miſericordiis, adeòque amor Dei propter ſe.

Dices. At oon omnes diſpoſitiones cap. citato enumeratæ, neceſſariæ ſunt, ut conſtat de timore juſti-

tiæ

riæ divinæ. *R.* omnes, præter juſtitiæ divinæ timorem, diſpoſitiones ibi enumeratas, neceſſarias eſſe ad hoc ut adultus habens actualia mortalia, juſtificetur in baptiſmo, ut ſatis apertè colligitur ex ipſo textu, ubi dicitur; *Divina juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur:* cùm enim concilium ait, Quo utiliter concutiuntur, ſatis indicat, à ſe timorem juſtitiæ divinæ non recenſeri ut aliquid neceſſarium, Nihil autem ſimile dicit de aliis actibus, quos cum timore enumerat. Præterea, conveniens non eſt, ut in amicitiam divinam recipiatur peccator, quin priùs incœperit Deum amore amicitiæ diligere. Unde non eſt eadem ratio pro timore juſtitiæ divinæ, ac pro inchoata dilectione Dei propter ſe.

ARTICULUS III.

Utrùm Baptiſmus fictè ſuſceptus, poſtea reviviſcat, ſublata fictione.

NOta 1. *Fictus*, ut ait S. Thomas hic qu. 69. a. 9. ad 3. *dicitur aliquis ex eo, quòd demonſtrat ſe aliquid velle, quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptiſmum, ex hoc ipſo oſtendit, ſe rectam fidem Chriſti habere, & ſacramentum venerari, & velle ſe Chriſto conformari, & velle à peccato recedere*, (& à fortiori velle ipſum ſacramentum ſuſcipere.) Quare ſi quis ad baptiſmum accedat ſine voluntate illum ſuſcipiendi, aut ſine recta Chriſti fide, aut ſine aliquo alio actu ad ſacramentum dignè & reverenter ſuſcipiendum neceſſario; fictus eſt, & baptiſmum fictè ſuſcipit; atque ita vel ſacramentum nullum eſt; vel ſi validè ſuſcipitur, adeòque imprimitur character, virtus ejus, quantùm ad præcipuos effectus, infuſionem ſcilicet gratiæ, & remiſſionem peccatorum, impeditur per defectum unius aut plurium diſpoſitionum in ſubjecto prærequiſitarum. Hinc

Juxta S. Doctorem, fictio opponitur diſpoſitioni, vel ad valorem baptiſmi, vel ad regenerationem ſpiritualem baptiſmo perficiendam prærequiſitæ, & culpabiliter omiſſæ. Unde S. Doctor in O. art. citati ſic ait: *Dicitur aliquis fictus, per hoc quod voluntas ejus contradicit vel baptiſmo* (nollendo illum ſuſcipere niſi ſpecietenùs) *vel ejus effectui*, nolendo credere, aut aliquem alium actum ad infuſionem gratiæ & peccatorum remiſſionem requiſitum ponere. Sed paulò generaliùs ſumenda eſt fictio, nempe pro quavis excluſione etiam inculpabili diſpoſitionis prærequiſitæ, ſive ad valorem ſacramenti, ſive ad dignam & reverentem illius ſuſceptionem. Fictè igitur accedit ad baptiſmum, quicumque, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, accedit ſine aliqua diſpoſitione, vel ad ejus valorem, vel ſaltem ad ejus effectum ſpiritualem, ſcilicet regenerationem, prærequiſita.

Nota 2. Poteſt adultus accedere ad baptiſmum cum fictione impediente valorem ejus, & conſequenter impediente impreſſionem characteris baptiſmalis, alioſque effectus, qui ex impreſſo charactere baptiſmali conſequuntur: poteſt enim adultus ad baptiſmum accedere ſine voluntate ſuſcipiendi illum, niſi apparenter, adeòque accedere ſine diſpoſitione ad valorem ejus requiſita.

Nota 3. Poteſt adultus accedere ad baptiſmum cùm fictione impediente tantùm effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, ita ut validè quidem ſuſcipiat baptiſmum, ſed non conſequatur gratiam & peccatorum remiſſionem; poteſt enim adultus ad baptiſmum accedere cum diſpoſitione ad valorem ejus requiſita, ſine diſpoſitione requiſita ad effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum: nam poteſt accedere cum ſincera voluntate ſuſcipiendi ſacramentum, & carere v.g. attritione ſupernaturali, ſine qua tamen non poteſt conſequi gratiam & remiſſionem peccatorum; ſi præter originale peccatum habeat etiam alia actualia mortalia; vel carere fide chriſtiana, ſine qua etiam in baptiſmo juſtificari non poteſt; quantùmvis ſupponatur non habere aliud peccatum mortale, præter originale.

Nota 4. Poteſt adultus ad baptiſmum accedere cum fictione effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum impediente tribus modis; nam accedit cum fictione impediente effectum gratiæ, &c. 1. ſi careat inculpabiliter diſpoſitione neceſſaria, ut ſi accedat cum attritione bona fide exiſtimata, & tunc eſt fictio negativa. 2. Si diſpoſitione neceſſaria careat culpabiliter; ut ſi accedat omiſſo voluntariè attritionis actu, & tunc eſt fictio privativa. 3. Si eo inſtanti quo baptizatur, exercet aliquem actum malum, & tunc eſt fictio contraria. Poteſt autem hoc tertio modo fictè accedere, vel exercendo actum contrarium diſpoſitioni requiſitæ, ut ſi poſitivè nolit atteri, vel committendo peccatum, putà odii. Tunc autem vel advertit id adverſari reverentiæ ſacramento debitæ, & tunc duplex eſt peccatum, odii ſcilicet & ſacrilegii; vel non advertit nec poteſt advertere, & tunc unicum eſt peccatum imputabile, nempe peccatum odii, quo nihilominùs impeditur effectus gratiæ & remiſſionis peccatorum; gratia enim infundi non poteſt, nec poſſunt remitti peccata habenti actualem affectum ad peccatum mortale.

Nota 5. Manifeſtum eſt baptiſmum nunquam reviviſcere quantùm ad valorem, ſublata quantumlibet fictione, qua impeditus fuit valor ejus: nam ut baptiſmus ſit validus, requiritur ut ſimul actu ſint intentio in miniſtro conferendi ſacramentum, voluntas illud ſuſcipiendi in ſuſcipiente, & debita materia cum forma legitima; quorum ſi vel unum deſit, baptiſmus nullus eſt, & ſemper manet nullus, etiamſi illud quod deſuit, poſtea ponatur: non enim fieri poteſt ut fuerit id quod non fuit. Quæri igitur tantùm poteſt utrùm baptiſmus validè ſuſceptus, ſed cum fictione impediente effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, quantùm ad hunc effectum poſſit poſtea reviviſcere. Pro ſolutione ſit

RESPONSIO I.

Baptiſmi validè ſuſceptus, ſed cum fictione impediente effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, quantùm ad hunc effectum poſtea reviviſcit, ſublato obice.

Prob. 1. Authoritate S. Auguſtini lib. 3. de bapt. cap. 13. ubi ait: *Si autem* (quod verum eſt) *quamvis apud hæreticos vel ſchiſmaticos idem ſit baptiſmus Chriſti* (qui apud catholicos) *non tamen ibi operatur remiſſionem peccatorum propter eandem diſcordiæ fœditatem & diſſentionis iniquitatem: tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, non ut jam dimiſſa non retineantur, neque ut ille baptiſmus, quaſi alienus aut alius, improbetur, aut alter tradatur: ſed ut idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem* (utpote ſacrilegè ſuſceptus) *propter pacem intus operetur ſalutem*. Juxta S. Doctorem igitur, baptiſmus validè ſuſceptus, qui gratiam & peccatorum remiſſionem operatus non fuerat propter fictionem hæreſis vel ſchiſmatis, poſtea operatur utramque, cùm baptizatus rectam fidem amplectitur, & redit ad unitatem Eccleſiæ, quod eſt baptiſmum reviviſcere, ſublata fictione.

At inquies, S. Auguſtinus ante verba laudata expreſsè docet, in caſu baptiſmi cum fictione ſchiſmatis vel hæreſis ſuſcepti, poſtea per charitatem remitti peccata redeunti ad unitatem Eccleſiæ. *R.* S. Auguſtinum hoc docere, non ex propria ſententia, ſed tantùm ex falſa hypotheſi Donatiſtis permiſſa, non conceſſa, nempe quòd baptiſmus fictè ſuſceptus ſtatim operetur remiſſionem peccatorum; ita tamen, ut dimiſſa ratione pravæ diſpoſitionis, ſtatim redeant.

Audiamus S. Doctorem. *De remiſſione autem peccatorum*, inquit, *utrùm per baptiſmum apud hæreticos fiat, quid mihi videatur, in alio jam volumine ſcripſi; ſed etiam hic breviter commemore. Si ſit*

illic

illic remiſſio debitorum per baptiſmi ſanctitatem (quod tamen falſum eſt) *rurſus debita redeunt per hæreſis aut ſchiſmatis obſtinationem: & ideo neceſſarium habent hujuſmodi homines venire ad catholicam pacem, ut hæretici ſchiſmatici eſſe jam deſinant, & eorum quæ in illos redierant, peccatorum purgationem in unitatis vinculo, charitate operante, mereantur. Si autem* (quod verum eſt) *quamvis, &c,* ut ſupra.

Prob. 2. Ratione: quia ut dicit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. prima juſtificatio, ſeu regeneratio ſpiritualis non poteſt ſine baptiſmo in re vel ſaltem in voto. Ergo vel baptiſmus in re, ſed fictè ſuſceptus, reviviſcere poteſt; ſublata fictione, vel qui baptiſmum in re, ſed fictè ſuſcepit, & ita baptiſmum ſuſcipiendo regeneratus non fuit, nunquam poſtea regenerari poterit: non enim poterit per novum baptiſmum, quia baptiſmus validè collatus iterari non poteſt, ſed nec poterit per votum novi baptiſmi propter eamdem rationem: nam non poteſt deſiderari baptiſmus, quis non poteſt validè conferri. Atqui dici non poteſt, quòd quis validè ſed fictè baptiſmum ſuſcipit, & ita ſuſcipiendo, regenerationis gratiam non conſequitur, hanc gratiam numquam poſtea conſequi poſſit: alioquin adultus, qui ex affectu hæreſis vel ſchiſmatis apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptizatur, nunquam poſtea juſtificari poterit, etiamſi veniat ad catholicam unitatem. Ergo, &c.

Obj. Cùm tollitur fictio, baptiſmus non eſt ampliùs. Ergo tunc operari non poteſt gratiam & remiſſionem peccatorum. *R.* diſt. ant. Cùm, &c. baptiſmus non eſt ampliùs phyſicè, C. ant. baptiſmus enim conſiſtit in actione tranſeunte, adeòque non exiſtit phyſicè, niſi tranſeunter. Non eſt amplius moraliter & æquivalenter, N. ant. nam baptiſmus validè ſuſceptus cum fictione impediente effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, ſic phyſicè tranſit, ut maneat moraliter & æquivalenter in ordine ad præſtandum effectum illum, quando tolletur fictio; quatenùs tam aptum erit ad movendum Deum ad dandam gratiam & remiſſionem peccatorum, quando tolletur fictio, quàm ſi actu & phyſicè tunc exiſteret. Et diſt. conſ. Ergo cùm tollitur fictio, baptiſmus gratiam & remiſſionem peccatorum operari non poteſt phyſicè, C. conſeq. Moraliter; N. conſeq. tunc enim poteſt efficaciter movere Deum ad dandam gratiam, perinde ac ſi phyſicè exiſteret; & Deus intuitu illius, quando tollitur fictio, regenerationis gratiam infundit, & peccata remittit.

Responsio II.

In eo qui baptiſmum ſuſcepit cum fictione negativa, impediente effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, ad baptiſmi reviviſcentiam, requiritur & ſufficit, ut ponat diſpoſitionem, quâ caruit ſuſcipiendo baptiſmum, & quâm ſi habuiſſet, gratiam & peccatorum remiſſionem conſecutus eſſet; modò tamen poſt baptiſmum non peccarit mortaliter.

Prob. Nam in caſu fictionis negativæ, nihil efficaciam baptiſmi impedire poteſt, niſi carentia diſpoſitionis ab initio requiſitæ, & inculpabiliter omiſſæ. Ergo ſi is qui fictè baptiſmum ſuſcepit, poſtea ponat hanc diſpoſitionem, tunc ſtatim operabitur baptiſmus, ſicut ab initio operatus eſſet, ſi diſpoſitio ab initio fuiſſet poſita.

Dixi autem, Modò tamen, &c. Nam ſi is qui baptiſmum ſuſcepit cum fictione negativa, poſt ſuſceptum baptiſmum peccavit mortaliter, ad baptiſmi reviviſcentiam, præter diſpoſitionem, quæ ab initio requiſita fuit, requiritur vel contritio perfecta, cum voto ſacramenti Pœnitentiæ, vel attritio cùm inchoata dilectione Dei, & abſolutione ſacramentali. Ratio eſt, quia peccata poſt baptiſmum commiſſa ſacramento Pœnitentiæ obnoxia ſunt: unde niſi per illud vel contritionem perfectam cum ejus voto deleantur, baptiſmus ſublata quantùmvis fictione non poteſt delere alia peccata, quæ ante ipſius collationem commiſſa fuerunt: unum enim peccatum mortale ſine alio non remittitur.

Responsio III.

In eo qui baptiſmum ſuſcepit cum fictione privativa vel contraria, impediente effectum gratiæ & remiſſionis peccatorum, ad baptiſmi reviviſcentiam requiritur, ut peccatum fictionis, vel per ſacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam cum ejus voto remittatur.

Prob. Quia hoc peccatum non poteſt tolli per baptiſmum. Ergo ſupereſt ut poſſit & debeat tolli per ſacramentum Pœnitentiæ, vel contritionem, &c. Conſeq. patet. Nam ſola ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ per ſe primò inſtituta ſunt ad delenda peccata, adeòque nullum peccatum mortale remitti poteſt ſine alterutro in re ſuſcepto, vel alterutrius voto: unde quæcumque peccata mortalia remitti non poſſunt per baptiſmum, debent poſſe remitti per ſacramentum Pœnitentiæ, vel ejus votum.

Prob. itaque ant. Quia peccatum fictionis ita coexiſtit baptiſmo, ut committatur à realiter baptizato, & habente characterem baptiſmalem. Ergo eſt materia non baptiſmi, ſed ſacramenti Pœnitentiæ, nec magis poteſt illud remittere baptiſmus, quàm alia peccata, quæ poſt ipſius ſuſceptionem commiſſa fuerunt. Quod confirmatur, quia peccatum illud eſt peccatum hominis fidelis & Eccleſiæ membri: eo enim inſtanti quo quis characterem baptiſmalem recipit, eſt Eccleſiæ membrum, & chriſtianus. Atqui peccatum quod committitur ab homine chriſtiano, & Eccleſiæ incorporato, proindeque ei ſubdito, clavibus Eccleſiæ obnoxium eſt, ut patet ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. ubi dicitur, quòd *Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: qui pro poteſtate clavium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.* Ergo, &c.

Obj. 1. S. Thomas hìc quæſt. 69. artic. 10. ad 2. docet per baptiſmum remitti peccata præcedentia, & coexiſtentia baptiſmo. *R. S.* Doctorem intelligendum eſſe de peccatis coexiſtentibus actioni ſacramentali nondùm completæ in eſſe ſacramenti, non verò de coexiſtentibus illi jam completæ in ſuo eſſe; ſive, quod idem eſt, peccatis coexiſtentibus actioni ſacramentali ante ultimum inſtans intrinſecè terminativum illius, ante quod non eſt in eſſe ſacramenti completa, ac proinde ante quod non eſt baptiſmus ſimpliciter; adeòque de peccatis coexiſtentibus actioni ſacramentali, antequam is qui baptizatur, ſit baptizatus, ſit incorporatus Eccleſiæ, ſit Eccleſiæ ſubditus. Hæc autem peccata ſacramento Pœnitentiæ obnoxia eſſe non poſſunt.

Obj. 2. Concilium Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 2. & 5. docet poteſtatem clavium non extendere ſe niſi ad peccata poſt baptiſmum commiſſa. *R.* illud *poſt* intelligendum eſſe non ſolùm de poſterioritate temporis, ſed etiam de poſterioritate naturæ: ita ut velit Synodus illa omnia peccata clavibus Eccleſiæ obnoxia eſſe, quæ committuntur ab adultis baptizatis, & Eccleſiæ per baptiſmum incorporatis: eodem enim illo inſtanti, quo quis per baptiſmum Eccleſiæ incorporatur, ſubjicitur ejus poteſtati & juriſdictioni. Peccata autem quæ committuntur ab adultis poſt baptiſmum, quamvis poſterioritate naturæ tantùm, committuntur ab adultis baptizatis, adeòque per baptiſmum Eccleſiæ incorporatis: unde, juxta Synodi mentem, tam obnoxia ſunt clavibus Eccleſiæ, quàm peccata, quæ poſt baptiſmum committuntur poſterioritate temporis.

Jam verò peccatum fictionis conſummatum, naturâ poſterius eſt, quàm baptiſmus in ſuo eſſe completus: peccatum enim fictionis conſummatum, in eo

con-

conſiſtit, quòd virtus baptiſmi impediatur, ne operetur gratiam & remiſſionem peccatorum. At natura prius eſt, baptiſmum eſſe, quàm ejus virtutem impediri poſſe. Ergo natura prius eſt, baptiſmum eſſe, quàm eſſe peccatum fictionis conſummatum. Ergo peccatum fictionis conſummatum, eſt peccatum hominis baptizati, & Eccleſiæ per baptiſmum incorporati, proindeque, juxta mentem Synodi, Eccleſiæ clavibus obnoxium eſt. Dixi autem, peccatum fictionis conſummatum, hoc eſt, peccatum fictionis ſimpliciter: nam ſi quis ad baptiſmum accederet cum voluntate non dolendi de peccatis actualibus à ſe admiſſis, ſed in ultimo inſtanti in quo baptiſmus completur in ſuo eſſe, voluntatem illam retractaret, & de ea ſicut & de aliis ſuis peccatis doleret, voluntas illa non eſſet obnoxia ſacramento Pœnitentiæ, ſed per baptiſmum cum aliis peccatis antea commiſſis remitteretur, quia non eſſet peccatum hominis baptizati, & per baptiſmum Eccleſiæ incorporati; nam deſineret eſſe, antequam baptiſmus eſſet ſimpliciter; at non eſſet peccatum fictionis niſi ſecundùm quid, & inchoativè tantùm; non enim impediret effectum baptiſmi.

Responsio IV.

Quando baptiſmus reviviſcens, & ſacramentum Pœnitentiæ ſimul concurrunt ad productionem gratiæ & remiſſionem peccatorum, unum non agit priùs natura, quàm alterum, ſed utrumque ſimul & tempore & natura.

Prob. Tunc enim baptiſmus & ſacramentum Pœnitentiæ ſunt duæ cauſæ partiales, à ſe invicem in operando dependentes, ſimul conſtantes unam cauſam totalem, productivam gratiæ, & peccatorum remiſſivam; ſic tamen ut una unam, & altera alteram tantùm partem effectus totalis cauſet: nam baptiſmus cauſat eam tantùm partem gratiæ, cui reſpondet remiſſio peccati originalis, & aliorum actualium ante baptiſmum commiſſorum; ſacramentum verò Pœnitentiæ eam tantùm gratiæ partem, cui peccatorum à baptizato commiſſorum remiſſio reſpondet. Nihilominùs in unam cauſam totalem coaleſcunt per mutuam quam habent inter ſe dependentiam: cùm enim unum mortale non remittatur ſine alio, baptiſmus non remitteret originale, & alia actualia ante baptiſmum commiſſa, niſi ſacramentum Pœnitentiæ remitteret alia à baptizato commiſſa; & ſacramentum Pœnitentiæ ſimiliter non remitteret mortalia à baptizato commiſſa, niſi baptiſmus remitteret originale, & alia actualia commiſſa ante baptiſmum.

Obj. Peccatum fictionis phyſicè præteritum, ſed moraliter permanens, donec condonetur, ligat virtutem baptiſmi. Ergo debet natura priùs tolli, quàm baptiſmus poſſit operari. Ergo ſacramentum Pœnitentiæ natura priùs tollit peccatum fictionis, & ita natura priùs operatur, quàm operetur baptiſmus. *R.* diſt. ant. Peccatum fictionis phyſicè præteritum, &c. ligat virtutem baptiſmi, quandiu non retractatur per pœnitentiam, C. ant. tandiu enim deeſt diſpoſitio, ſine qua baptiſmus non poteſt operari. Ligat virtutem baptiſmi, etiam cùm per pœnitentiam retractatur, N. ant. tunc enim adeſt diſpoſitio, quæ ſi ab initio adfuiſſet, baptiſmus, quando collatus eſt, operatus eſſet, & quacum proinde, ubi primùm adeſt, operari poteſt & operatur, non quidem ſolus, ſed ſimul cum ſacramento Pœnitentiæ, id, quod ipſe non poteſt, operante. Peccatum igitur fictionis per pœnitentiam retractatum, non magis ligat virtutem baptiſmi, quàm ligant eam alia mortalia à baptizato commiſſa.

Responsio V.

Quando baptiſmus reviviſcit, plus vel minus gratiæ confert, pro menſura diſpoſitionis, qua poſita, reviviſcit.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi generaliter & abſolutè definitur, unumquemque recipere gratiam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem. 2. Ratione: quia baptiſmus dignè ſuſceptus, majorem vel minorem gratiam confert, quando ſuſcipitur, pro menſura diſpoſitionis ſubjecti ſuſcipientis. Ergo idem præſtat, cùm reviviſcit: eadem enim omninò eſt virtus baptiſmi, & cùm dignè ſuſcipitur, & cùm fictè ſuſceptus, poſtea reviviſcit, ſublata fictione, ſeu poſita diſpoſitione, quæ ab initio defuit.

TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DISPUTATIO PRIMA.

De exiſtentia, materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm detur Sacramentum Confirmationis.

SAcramentum Confirmationis ſaltem neglexere Novatiani: non enim conferebant illud iis quos baptizabant, ut teſtatur Theodoretus, lib. 3. hær. fab. in Novato. *Iis*, inquit, *qui ab ipſis tinguntur, ſacrum chriſma non præbent. Quocirca eos etiam, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, Patres ungi juſſerunt.* Baptizatis autem Confirmationem non conferebant, non fortaſsè quòd illam verum novæ legis ſacramentum eſſe, à Chriſto Domino inſtitutum inficiarentur; ſed quia, ut probabiliter autumat Bellarminus, Novatianus, ut refert Cornelius Papa apud Euſebium, lib. 6. hiſt. eccleſiaſticæ cap.43. in morbum graviſſimum collapſus, & dum jamjam moriturus crederetur, in ipſo, in quo jacebat, lectulo baptizatus, ea quæ omiſſa fuerant ſuppleri non curaverat, neque Confirmationis Sacramentum ſuſceperat: quod factum ut aliis probarent ejus diſcipuli, Confirmationem ut inutilem, vel certè ut minimè neceſſariam prætermittebant.

Novatianos imitati ſunt alii multi hæretici, ut Ariani, Macedoniani, Apollinariſtæ, &c. ut apertè colligitur ex can. 7. Conſtantin. Concilii I. in quo dicitur quòd venientes ab illis hæreſibus, ſignabantur, & ſancto chriſmate ungebantur. Qui autem dicunt Synodum non hic loqui de Sacramento Confirmationis, apertè contradicunt textui, in quo dicitur: *Arianos quidem & Macedonianos, &c. recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, .. & ſignatos, ſive unctos primum ſancto chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos ſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus ſancti* (quibus verbis exprimitur formula, ſub qua Græci Sacramentum Confirmationis adminiſtrant.)

Sacramentum Confirmationis reprobarunt Vualdenſes, ut teſtatur Reinerus è Dominicana Familia, libro adverſùs hæreticos illos conſcripto, in quo ſic ait c.5. *Item ſacramentum Confirmationis reprobant. Mirantur etiam quare ſolis Epiſcopis liceat confirmare.* Hoc autem mirabantur, quia Confirmationis ritum, ut inventum merè humanum, contemnebant. Quod confirmatur ex Indice, tom. 25. Bibl. Pat. in quo referuntur errores illorum 36. quorum 1. hic eſt: Sacramentum Confirmationis non credunt; licèt plurimi eorum ſe confirmari faciant, ne notentur. Unde Innocentius III. Vualdenſibus ad Eccleſiam redeuntibus præſcripſit profeſſionem hujus articuli: Confirmationem ab Epiſcopo factam, id eſt impoſitionem manuum ſanctam, & venerandè accipiendam eſſe cenſemus (ſupple, tanquam cœremoniam ſacram à Chriſto Domino inſtitutam.)

Hanc à Vualdeſibus ſæculo decimo-tertio fabricatam hæreſim ex inferis ſuſcitarunt novatores ſæculi decimſexti, Lutherus, & Calvinus, quorum primus ſic loquitur in lib. de captiv. Babyl. *Mirum eſt, quod in mentem illis venerit, ut ſacramentum Confirmationis facerent ex impoſitione manuum, qua legimus Chriſtum parvulos tetigiſſe, Apoſtolos dediſſe Spiritum ſanctum, &c.* Deinde addit, Confirmationis ritum cæremoniis purè Eccleſiaſticis accenſendum eſſe.

Alter autem lib. 4. inſtit. c. 19. §. 5. ſic ait: *Poſterior ætas, re propè obliterata, fictitiam neſcio quàm Confirmationem pro ſacramento Dei poſuit. Confirmationis virtutem eſſe finxerunt: Spiritum ſanctum conferre ad gratiæ augmentum, qui in baptiſmo collatus ſit ad innocentiam. Confirmare eos ad pugnam, qui baptiſmo regenerati ſint ad vitam.* Et §. 8. adverſus hoc Confirmationis ſacramentum ita invehitur: *Veriùs definire hanc Confirmationem poſſum, quàm ipſi hactenus definierint: nempè inſignem eſſe baptiſmi contumeliam, quæ uſum ipſius obſcurat, imò abolet: falſam eſſe diaboli pollicitationem, quæ nos à veritate Dei abſtrahit, aut, ſi mavis, oleum diaboli mendacio pollutum, quòd velut offuſis tenebris ſimplicium mentes fallit.* Sed

Contra hoſce hæreſiarchas cum Eccleſia catholica dicimus. Confirmationem unum eſſe à ſeptem ſacramentis novæ legis à Chriſto Domino inſtitutis; ſic dictum à primario ſuo effectu, qui eſt conferre abundantem gratiam ad fidem chriſtianam intrepidè profitendam. Eſt de fide, & ſequentibus paragraphis probabarur,

§. I.

Probatur Sacramentum Confirmationis ex Scriptura.

ACtorum c. 8. dicitur: *Cùm autem audiſſent Apoſtoli qui erant Jeroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem* (Apoſtolos,) *qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Quibus verbis deſcribitur cæremonia externa, à baptiſmo & quovis alio ſacramento diſtincta in manuum impoſitione & oratione, ſeu certà verborum formula conſiſtens; qua adhibita Apoſtoli ſuſcipientibus conferebant Spiritum ſanctum; quo nomine non ſolùm gratiæ gratis datæ ſignificantur, ſed etiam & potiſſimùm ſignificatur gratia gratum faciens, eaque abundans. Atqui omnis cæremonia ſacra, qua gratia gratis data confertur, ſacramentum eſt, à Chriſto Domino inſtitutum. Ergo cœremonia illa, quam uſurpantes Apoſtoli gratiam gratum facientem conferebant, erat ſacramentum, inſtitutum à Chriſto Domino. Ergo etiam nunc ſacramentum eſt: Chriſtus enim ſacramenta, quæ inſtituit, permanenter inſtituit. Ergo datur ſacramentum Confirmationis: nam cæremonia illa aliud ſacramentum non eſt.

At inquiunt novatores: Tria ad verum ſacramentum requiruntur, quæ hic aſſignari non poſſunt, nempe promiſſio gratiæ, ſeu Spiritus ſancti; ſymbolum externum, & mandatum illud uſurpandi. R. neg. quòd hæc tria hic non poſſint aſſignari. Et aſſignamus, 1. Promiſſionem Spiritus ſancti Joan. cap. 14. ubi Chriſtus ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis*; quibus verbis manifeſtè promittitur Spiritus ſanctus, nun ſolùm Apoſtolis, qui non ſemper erant

man-

manſuri, ſed etiam in eorum perſona his omnibus, qui per baptiſmum Eccleſiæ incorporandi erant uſque ad finem mundi. 2. Symbolum externum, Actorum cap. citato, nempe manuum impoſitionem non oratione, hoc eſt, cum certa verborum formula, cujus ſymboli Lucas meminit etiam Actorum cap. 19. ubi dicit: *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.* Et Apoſtolus Paulus epiſt. ad Heb. cap. 6. 3. Mandatum in praxi Apoſtolorum: ſymbolum enim illud non uſurpaſſent, niſi uſurpandi mandatum à Domino accepiſſent.

At inquit Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 6. *Huic impoſitioni manuum non altius ſubeſſe myſterium cogito: ſed hujuſmodi cæremoniam adhibitam ab illis* (Apoſtolis) *interpretor, ut ipſo geſtu ſignificarent, ſe Deo commendare, & velut offerre eum cui manus imponebant.* *R.* Hanc Calvini interpretationem manifeſtè contrariam eſſe Scripturæ ſacræ: nam Actorum cap. 8. poſt verba à nobis laudata, ſic ſtatim proſequitur Lucas: *Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Ergo per ſymbolum illud externum, quod uſurpabant Apoſtoli, continuò & ſemper ritè diſpoſitis dabatur Spiritus ſanctus; & ſymbolum illud uſurpabant Apoſtoli, ut ii circa quos cæremoniam illam exercebant, Spiritum ſanctum acciperent.

Præterea, ſi cæremoniam hujuſmodi adhibuiſſent Apoſtoli, tantùm, ut ipſo geſtu ſignificarent, ſe Deo commendare, & velut offerre eum cui manus imponebant, quidni ad eundem finem eandem illam cæremoniam adhibere potuiſſent presbyteri, imò & diaconi, qui baptizare poterant; cùm baptizatum commendare & offerre Deo non ſit aliquid majus, quàm baptizare? At Philippus diaconus, qui Samaritanos baptizaverat, non potuit illis manus imponere, ſed ad hoc faciendum venerunt Petrus & Joannes Apoſtoli, ut narrat Lucas, Actorum cap. 8. Ergo, &c.

At inquit Calvinus eod. loco: *Hoc miniſterium quo tunc Apoſtoli fungebantur, ſi adhuc in Eccleſia maneret, manuum quoque impoſitionem oporteret ſervari: ſed ubi gratia conferri deſiit, quorſum pertinet manuum impoſitio? ... ceſſarunt* (enim) *illa virtutum miracula, & manifeſta operationes, quæ per manuum impoſitionem diſtribuebantur, nec niſi ad tempus eſſe debuerunt: oportuit enim novam Evangelii prædicationem ... inauditis & inuſitatis miraculis illuſtrari & magnificari .... Qua igitur in parte hiſtriones iſti* (ſic vocat Eccleſiæ Epiſcopos) *Apoſtolos ſe imitari dicent? Hoc agendum erat manuum impoſitione, ut evidens Spiritus ſancti virtus ſtatim ſe exereret. Id non efficiunt. Quid igitur pro ſe jactant manuum impoſitionem?*

R. 1. Miniſterium illud, quo fungebantur Apoſtoli, adhuc manere in Eccleſia, & tranſiiſſe ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, ut conſtat ex perpetua & conſtanti praxi Eccleſiæ. Et verò cùm miniſterium illud à Chriſto inſtitutum fuerit ad dandum Spiritum ſanctum, oportuit illud eſſe perpetuum, ut nobiſcum juxta Chriſti promiſſionem perpetuò maneret Spiritus ſanctus.

2. Gratiam illam, quam per illud miniſterium conferebant Apoſtoli, deſiiſſe, non ſimpliciter, ſed ſolùm ſenſibiliter conferri, quatenùs deſierunt cum ea conferri gratiæ gratis datæ, qualia fuerunt donum prophetiæ, donum linguarum, &c. quia deſiit illarum neceſſitas. Ceſſarunt igitur illa virtutum miracula, illæ manifeſtæ operationes, quæ ab Apoſtolis diſtribuebantur per impoſitionem manuum, & quibus novam Evangelii prædicationem illuſtrari & magnificari oportuit. At non idcircò ceſſavit dari Spiritus ſanctus per Epiſcopos, qui in Apoſtolorum miniſterium ſucceſſerunt: illis enim manus imponentibus, non ceſſat charitas Dei in cordibus eorum, qui ſacramentum dignè ſuſcipiunt, diffundi per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ut maneat nobiſcum in æternum, & in cordibus noſtris per ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta diffuſus, in æternum operetur.

3. Epiſcopos noſtros, qui legitimi Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, pro jure ſuo imitari Apoſtolos, manuum impoſitionem, quam illi frequentarunt, frequentando, non ut dent Spiritum ſanctum viſibiliter, conferendo donum prophetiæ, aut donum linguarum, quibus nunc non indiget Eccleſia, ſed ut inviſibiliter illum dent, baptizatos corroborando per infuſionem abundantis gratiæ, cujus cauſa principalis eſt Spiritus ſanctus, ipſi verò cauſæ inſtrumentales tantùm.

Porrò in Epiſcopos noſtros enormiter iniquus eſt Calvinus, cùm vult, vel illos impoſitione manuum viſibiliter dare Spiritum ſanctum, vel deridendos eſſe ut hiſtriones, cùm baptizatis manus imponunt: quaſi verò impoſitionis manuum non alius poſſit eſſe effectus; aut miracula illa, & manifeſtæ illæ operationes, quibus virtus Spiritus ſancti exteriùs exerebat ſe, fuerint principalis & veluti primarius effectus impoſitionis manuum. Quod utrumque falſum eſt, ut docet S. Auguſt. lib. 3. de bapt. c. 16. ubi ait, impoſitionis manuum principalem effectum eſſe charitatem diffuſam per Spiritum ſanctum, ſive viſibiliter, ut olim fiebat, ſive inviſibiliter, ut nunc fit.

S. Doctorem audiat Calvinus loco citato. *Neque enim*, inquit, *temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modò datur Spiritus ſanctus, ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inviſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inſpirari, ut poſſint dicere:* Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Porrò quamvis hic Auguſtinus non de ſacramentali & confirmatoria manuum impoſitione agat, ſed de reconciliatoria tantùm; tamen, quod nobis ſufficit, apertè dicit id quod in Eccleſia intenditur principaliter per manuum impoſitionem, eſſe charitatem Dei diffuſam, &c.

At inquit cum novatoribus: Verba ex Actorum c. 8. relata, nobis prodeſſe non poſſunt ad probandum Confirmationis ſacramentum; cùm manus impoſitionem, quàm adhibebant Apoſtoli, nos repudiaverimus, & in ejus locum ſubſtituerimus unctionem chriſmatis. *R.* Impoſitionem manuum, quam adhibuerunt Apoſtoli ad dandum Spiritum ſanctum, nos minimè repudiaſſe, & impoſitionem illam non fuiſſe actionem diſtinctam ab unctione chriſmatis, ut infrà probabitur, & hìc obiter ſuadetur ex Apoſtolo, ad Sacramentum Confirmationis, & illam manuum impoſitionem, qua adminiſtrabatur, alludente Epheſiorum cap. 1. ubi ait: *Credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Et cap. 4. ubi ait: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo* (id eſt, per quem, ut cauſam principalem, miniſterio Apoſtolorum) *ſignati eſtis in diem redemptionis* (hoc eſt, in die quo baptizati eſtis, & baptiſmo redempti eſtis à ſervitute peccati & diaboli:) tunc enim ſacramentum Confirmationis conferebatur eodem die quo baptiſmus.

§. II.

Sacramentum Confirmationis probatur authoritate Patrum Græcorum.

Dionyſii ſcilicet Areop. lib. de Eccl. hierarch. cap. 2. parte 2. ubi tria ſacramenta, quæ catechumenis eodem die conferebantur, apertè diſtinguit, Baptiſmum, Confirmationem & Euchariſtiam: nam poſtquam ritum baptiſmi expoſuit, ſic proſequitur: *Ubi illum* (catechumenum baptizatum) *veſte initiato congrua, id eſt, alba, induerunt* (ſacerdotes) *rurſus*

ducunt ad hierarcham (Pontificem.) *Is cum virum unguento, quod maxime divinos efficit, inſignivit, Euchariſtiæ, quæ vim maximam habet omnia ferè ſacramenta perficiendi, participem eſſe pronuntiat.* Et cap.4. part.2. ſic ait; *Quin etiam ei, qui ſanctiſſimo divini ortus ſacro* (baptiſmo) *initiatus eſt, divini Spiritus adventum unguenti dat perfuſio.*

Clementis Alexandrini apud Euſebium, lib.3. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap.23. hæc inter alia, de juvene quem cuidam Epiſcopo commendarat Joannes Evangeliſta, narrantis; *Presbyter verò adoleſcentem ſibi traditum in domum ſuam ſuſcipiens educavit … tandemque ſacramentum baptiſmi eidem tradidit. Deinceps ſacerdos de priſtina cura atque cuſtodia paulatim remiſit, quippe tum perfectiſſimo cuſtode appoſito, Chriſti videlicet ſignaculo, juvenem communiſſet;* hoc eſt, cùm non ſolùm ei Baptiſmi, ſed etiam Confirmationis ſacramentum adminiſtraſſet, & hoc ſacramento, cujus eſt per abundantis gratiæ infuſionem corroborare, ſatis communitum exiſtimaret, &c.

Origenis, hom.8. in cap.12. & 13. Levitici. *Donum gratiæ Spiritus*, inquit, *per olei imaginem deſignatur, ut non ſolum purgationem* (per baptiſmum) *conſequi poſſit is qui convertitur à peccato, ſed & Spiritu ſancto repleri* (per unctionem olei.) Et hom. ſeq. *Omnes enim*, inquit, *quicumque unguento ſacri chriſmatis delibuti ſunt, ſacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem dicit Eccleſiam*: Vos autem genus electum, &c.

Cyrilli Hieroſ. catech. myſtagogica 3. quæ eſt de chriſmate, & in qua ſic loquitur: *Nobis poſtquam ſimiliter ex aquis ſacri lavacri aſcendimus, datum eſt chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus …., vos vero uncti eſtis unguento, facti participes & conſortes Chriſti. Cæterum vide ne illud putes eſſe unguentum tantum … Sanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, neque … commune, poſtquam jam conſecratum eſt: ſed eſt chriſma Chriſti, quod adventu Spiritus ſancti per ipſius divinitatem energiam habet; quo frons, & alii ſenſus corporis tui ſymbolicè inunguntur ….. Ut Salvator poſt baptiſmum, & illum ſancti Spiritus adventum egreſſus in prælium, devicit adverſarium: ſic & vos, poſt ſacrum baptiſma, & chriſma myſticum, induti armis ſancti Spiritus, adverſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtitis, & præliamini.* Et in fine: *Sic igitur peruncti ſancto chriſmate, intemeratum id & impollutum in vobis, proficientes in bonis operibus, cuſtodite.*

Gregorii Nazianz. orat. in ſanct. bapt. *Si per baptiſmum*, inquit, *te ipſum obfirmaveris, & præclariſſimo ac firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris, animum ſcilicet & corpus unctione & ſpiritu conſignans* (quæ ſanè verba cadere non poſſunt in unctionem, quæ ex inſtitutione purè eccleſiaſtica fit in vertice baptiſmi) *quod tibi præſidium comparatum erit?*

Et Theodoreti comment. in lib. Cantici Cantic. ad illud, *Unguentum effuſum nomen tibi*, ſic ait: *Sacri baptiſmatis myſterium recordare, in quo qui initiantur poſt ſatanæ abnegationem & Dei confeſſionem, veluti ſigno ac nota quadam regia, ſpiritalis unguenti chriſmate inuncti, ſub ea viſibili unguenti ſpecie inviſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam ſuſcipiunt.* Quæ certè verba convenire non poſſunt verticis unctioni, cui vim conferendi gratiam nemo unquam attribuit. Unde ſupereſt, ut Theodoretus, ſicut & Gregorius Nazianz. intelligatur de ſacramento Confirmationis. Vide recentiores Græcos apud Arcudium, lib.2. de concord. cap.4.

§. III.

Probatur Sacramentum Confirmationis authoritate Patrum Latinorum.

TErtulliani lib. de bapt. cap.7. juncto cap. 8. *In nobis*, inquit, *carnaliter currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit: quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur; ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc* (poſt baptiſmum) *manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.* Et lib. de reſurrectione carnis cap.8. *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur* (en baptiſmus.) *Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur* (en Confirmatio.) *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Ecce hæc tria, Baptiſmum, Confirmationem & Euchariſtiam in eadem linea conſtituit, eiſque pariter vim ſanctificandi attribuit.

Cypriani epiſt.70. ad Jubajanum, ubi ait: *Quia legitimum & eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant* (qui in Samaria erant) *baptizari eos ultra non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id a Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quid nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, per Præpoſitos Eccleſiæ* (presbyteros) *offerantur, & per noſtram* (Epiſcoporum) *orationem, ac manus impoſitionem, Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Et epiſt.72. *Ungi*, inquit, *quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Epiſt. denique 76. ad Stephanum, ubi dicit, eos qui extra Eccleſiam baptizati ſunt, quando ad Eccleſiam venerint *baptizari oportere, eò quod parum ſit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum; niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum: tunc enim demum plenè ſanctificari & eſſe filii Dei poſſunt, ſi ſacramento utroque naſcantur.*

Paciani Barcinonenſis, ſerm. de bapt. ad hæc verba Joan. cap. 1. *Quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, dicentis: *Hæc autem compleri aliàs nequeunt, niſi lavacri & chriſmatis, & Antiſtitis ſacramento. Lavacro enim peccata purgantur, chriſmate ſanctus Spiritus ſuperfunditur, utraque verò iſta, manu & ore Antiſtitis impetramus: atque ita totus homo renaſcitur, & innovatur in Chriſto.*

Ambroſii lib.3. de ſacram. cap. 2. *Sequitur*, inquit, *ſpiritale ſignaculum … quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.* Et lib. de iis qui myſteriis initiantur cap.7. *Repete*, inquit, *quia accepiſti ſignum ſpiritale, ſpiritum ſapientiæ & intellectus … & ſerva quod accepiſti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus* (miniſterio Epiſcopi,) *& dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, ſicut Apoſtolica lectione didiciſti.*

Hieronymi in dialogo adversùs Luciferianos, in quo Orthodoxus Luciferiano reſpondet: *Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat.*

Auguſtini lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 4. dicit: *In hoc unguento ſacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus, ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis.* Et inferiùs: *Diſcerne ergo viſibile ſanctum ſacramentum* (Chriſmatis,.) *quod eſſe & in bonis & in malis poteſt … ab inviſibili unctione charitatis, quæ propria bonorum eſt.*

Gennadii Maſſilienſis lib. de eccleſiaſticis dogmatibus, c.52. ubi ait: *Si conſentiunt credere, vel acquieſcunt confiteri … confirmentur manus impoſitione. Si verò parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi; & ſic manus impoſitione & chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.*

Iſidori lib.2. de officiis eccleſiaſticis, cap. 26. *Sed*, inquit, *quoniam poſt baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus cum manuum impoſitione, hoc in Actibus Apoſtolorum feciſſe meminimus Apoſtolos.*

Rabani Moguntini, lib.1. de inſtitutione clericorum

cap.30.

cap. 30. *Noviſſime autem*, inquit, *à ſummo Sacerdote per impoſitionem manus Paracletus traditur baptizato Spiritus ſanctus, ut roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis idem donum*. Rabano adjungi poteſt Amalarius Fortunatus lib. 1. de off. eccl. cap. 27. ubi etiam ex profeſſo tractat de ſacramento Confirmationis.

Arnoldi Carnotenſis lib. de operibus cardinalibus Chriſti, qui extat inter Cypriani opera, ſerm. de unctione Chriſmatis, in quo ſic loquitur: *Hodie in Eccleſia cum cæteris unctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum in participationem dignitatis & nominis, ſacrum Chriſma conficitur*. Et inferiùs: *Non hæc medendis corporibus eſt unctio inſtituta, quia ſanctitatis elementis jam non propria natura præbet effectum, ſed virtus divina potentius operatur; ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento, ut & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur authoritas, deiformi converſatione & cœleſtibus moribus innoteſcat ...., Ex hujus unctionis beneficio & ſapientia nobis & intellectus divinitùs datur, &c.*

Hugonis à S. Victore lib. 2. de ſacram. parte 7. c. 2. ubi hæc leguntur: *Manus impoſitio, quæ uſitato nomine Confirmatio vocatur, quâ chriſtianus unctione chriſmatis per impoſitionem manus in fronte ſignatur, ſolis Epiſcopis, Apoſtolorum vicariis debetur, ut chriſtianum conſignent, & Spiritum Paraclitum tradant.*

S. Thomæ hîc q. 72. a. 1. in O. ubi ait: *Sacramenta novæ legis ordinantur ad ſpeciales gratiæ effectus: & ideò ubi occurrit aliquis ſpecialis effectus gratiæ, ibi ordinatur ſpeciale ſacramentum ..... In Confirmatione autem homo accipit quaſi quandam perfectam ætatem .... poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam .. poſt baptiſmum roboramur.: & ideò manifeſtum eſt, quòd Confirmatio eſt ſpeciale ſacramentum.*

§. IV.

Probatur Sacramentum Confirmationis authoritate Summorum Pontificum.

Cornelii in epiſt. ad Fabianum Antiochenum, apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 43. ubi hæc inter alia de Novatiano ſcribit: *Dum jamjam moriturus crederetur, in ipſo, in quo jacebat, lectulo perfuſus, baptiſmum ſuſcepit ... ſed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta eccleſiaſticam regulam percipi debent: neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc aut ſignaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?*

Innocentii I. epiſt. 1. ad Decentium cap. 3. ubi ait, ſolos Epiſcopos poſſe conſignare, & conſignando dare Spiritum ſanctum. *De conſignandis infantibus*, inquit, *manifeſtum eſt, non ab alio, quàm ab Epiſcopo, fieri licere. Nam presbyteri, licèt ſint ſacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolùm conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio Actuum Apoſtolorum, &c.* Et addit, presbyteris licere baptizatos chriſmate, quod fuerit ab Epiſcopo conſecratum, ungere, *non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.*

Idem planè non ſolùm circa presbyteros, ſed etiam circa Chor epiſcopos docet & præſcribit Leo I. epiſt. 88. ubi ait, eis non licere, per impoſitiones manuum fidelibus baptizandis, vel converſis ex hæreſi, Paracletum Spiritum ſanctum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare.

Gregorii Magni lib. 3. epiſt. 9. ad Januarium. *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate non præſumant: ſed presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodùm ungere debeant in fronte*. Et lib. Sacramentorum, ubi in officio Sabbati ſancti ritus adminiſtrandæ Confirmationis deſcribitur.

§. V.

Probatur Sacramentum Confirmationis authoritate Conciliorum.

Eliberitani an. 305. can. 38. in quo dicitur, poſſe fidelem baptizatum, nec bigamum, *baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum: ita ut ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit.*

Arelatenſis I. an. 314. can. 8. in quo de veniente ex hæreſi, & baptizato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, præſcribitur, ut *manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum.*

Laodiceni antiquiſſimi can. 7. ubi de Novatianis, & aliis hæreticis, cum legitima verborum formula baptizatis, qui ad Eccleſiam veniunt, præſcribitur, ut *noſtra doceantur fidei ſymbolum, & uncti ſancto chriſmate, ſic myſteriis communicent ſacroſanctis*. Et can. 48. ubi dicitur, *quòd oporteat eos, qui baptizantur, poſt lavacrum chriſma cœleſte accipere, & regni Chriſti participes inveniri*. Hæc autem poſtrema verba, *Et regni, &c.* manifeſtè ſignificant, chriſmatis acceptationem eſſe acceptionem alicujus ſacramenti; adeòque hic Synodus præſcribit ſuſceptionem ſacramenti à baptiſmo diverſi, quod aliud eſſe non poteſt, quàm ſacramentum Confirmationis.

Meldenſis an. 845. can. 44. in quo dicitur, *ut Chorepiſcopus modum ſuum juxta canonicam inſtitutionem teneat, & nec ſanctum Chriſma, nec ſanctum Paracletum Spiritum, ſolis Epiſcopis juxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet.*

Florentini in decreto Eugenii §. *Secundum*. *Secundum*, inquit, *ſacramentum eſt Confirmatio*. Et Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de Confirmatione. *Si quis dixerit*, inquit, *Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potiùs verum & proprium ſacramentum ..., anathema ſit.*

ARTICULUS II.

Quænam ſit materia remota Confirmationis.

RESPONSIO I.

Materia remota Confirmationis eſt chriſma.

Prob. 1. Authoritate Patrum, Dionyſii Areop. lib. de hierar. Eccl. p. 3. ubi ait; *Unguenti illa, quæ perficiendi vim habet, perfuſio, eum qui initiatus eſt, ſuavitate odoris fragrantem facit*. At ſi unguenti perfuſio vim habet perficiendi, Confirmationis ſacramentum eſt, cujus proinde materia remota eſt ipſum unguentum.

Tertullianus lib. de bapt. cap. 7. *In nobis*, inquit, *carnaliter currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit: quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritualis effectus, quod delictis liberamur*. Quibus verbis efficiendi gratiam vim attribuit chriſmati ungenti in Confirmatione, ſicut aquæ abluenti in baptiſmo.

Cypriani epiſt. 72. *Ungi quoque neceſſe eſt*, inquit, *eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit*. Chriſmatis itaque, juxta ſanctum Martyrem, unctio vim habet conferendi gratiam in Confirmatione, ſicut habet v. g. ablutio aquæ in baptiſmo. Quare ſicut aqua eſt materia remota Baptiſmi, ita chriſma eſt materia remota Confirmationis.

Paciani, ſerm. de baptiſmo, ubi ait: *Sicut Baptiſmo peccata purgantur, ita chriſmate applicato ſanctum Spiritum ſuperfundi in Confirmatione*; & ibidem Confirmationem vocat Sacramentum Chriſmatis.

Cyrilli Hier. catech. myſtag. 3. *Sanctum hoc unguentum*, inquit, *non ampliùs eſt unguentum nudum, neque commune, poſtquam jam conſecratum eſt: ſed eſt chriſma Chriſti, quod* (cùm eo inungitur baptizatus) *adventu Spiritus ſancti* (qui eſt principalis cauſa gratiæ) *per ipſius divinitatem energiam habet* (hoc eſt, vim habet interiùs & ſpiritaliter animam ungendi,

per infuſionem ſcilicet corroborantis gratiæ. Unde inferiùs neophytos ſic alloquitur: *Ut Salvator poſt baptiſmum, & illum ſancti Spiritus adventum, egreſſus in prælium, devicit adverſarium: ſic & vos poſt ſacrum baptiſma & chriſma myſticum, induti armis Spiritus ſancti, adverſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtitis, & præliamini.*

Auguſtini, lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 4. vocantis Sacramentum Confirmationis Sacramentum Chriſmatis, quod poteſt eſſe in bonis & malis, quia ſcilicet tam mali, quàm boni ungi poſſunt exteriùs & viſibiliter chriſmate; quamvis principalem effectum ſuum non habeat niſi in bonis: hic enim effectus, quem exterior & viſibilis unctio chriſmatis ſignificat, & ſignificando in non ponentibus obicem producit, eſt inviſibilis unctio charitatis, quæ propria bonorum eſt.

Theodoreti, comment. in cap. 1. lib. Cantici Cant. ubi dicit, *ſpiritalis unguenti chriſmate inunctos, ſub ea viſibili unguenti ſpecie inviſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam ſuſcipere* (hoc eſt, in iis, qui ſacro chriſmate poſt baptiſmum inunguntur, externam illam unctionem chriſmatis eſſe ſignum ſenſibile & efficax unctionis internæ, quæ fit in anima per gratiam, quam in ea diffundit Spiritus ſanctus; ſive, quod idem eſt, chriſma viſibile, quo frons exteriùs & viſibiliter inungitur, eſſe ſignum ſenſibile & efficax gratiæ, qua interiùs & ſpiritaliter Spiritus ſanctus inungit animam. Unde Theodoretus ſacrum Chriſma vocat unguentum ſpiritale, quia exteriùs & corporaliter applicatum, internum & ſpiritualem effectum cauſat, per modum inſtrumenti concurrendo ad productionem gratiæ, qua veluti inungitur, & inuncta corroboratur anima.

Et Arnulfi Carnotenſis, lib. de oper. cardin. Chriſti ſerm. de unctione Chriſmatis, ubi ait: *Hodie in Eccleſia cum cæteris unctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum ... ſacrum chriſma conficitur ...., Hodie, ut diximus, unguentum ad ſanctificationem paratur .... Non hæc medendis corporibus eſt unctio inſtituta, quia ſanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum; ſed virtus divina potentiùs operatur; ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento..... Ex hujus unctionis beneficio, & ſapientia nobis & intellectus divinitùs datur ... Hoc oleo uncti, cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur.* Quibus verbis apertè dicit, chriſma parari ad hoc, ut in ſacramento operetur ſanctificationem animæ; chriſmatis unctione ad effectum ſupernaturalem virtute divina elevari; gratiam, quam ſignificat, verè operari, eaque animam corroborari ad colluctandum cum ſpiritualibus nequitiis; hujus denique unctionis beneficio, nobis omnia Spiritus ſancti dona largiter conferri.

Nota. Patres eodem ſaltem modo loquuntur de chriſmate relatè ad ſacramentum Confirmationis, quo loquuntur de aqua relatè ad Baptiſma: tantam enim ſaltem vim attribuunt chriſmati ad ſanctificandum in ſacramento Confirmationis, quantam attribuunt aquæ ad abluenda peccata in Baptiſmo. Ergo vel aqua non eſt materia remota Baptiſmi, quod eſt hæreticum; vel materia remota ſacramenti Confirmationis in chriſmate conſiſtit.

Prob. 2. Authoritate Summorum Pontificum, Gregorii Magni, expoſitione in Cantic. Canticor. cap. 1. ubi hæc habet: *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur*; quodque proinde aptum eſt eſſe materia remota ſacramenti Confirmationis: nam ſi chriſma dona ſancti Spiritus exprimit, chriſmatis unctio apta eſt ſignificare collationem donorum illorum, quæ re ipſa conferuntur in Confirmatione. Præterea, ad quid voluit Chriſtus dona ſancti Spiritus chriſmate exprimi, niſi ut unctio chriſmatis donorum illorum collationem in Confirmatione exprimeret? Et Innocentius III. extra de ſacra unctione, cap. 1. §. 3. *Per frontis chriſmationem*, inquit, *manus impoſitio deſignatur: quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur.* At ſi chriſmatio eſt materia proxima Confirmationis, materia remota non poteſt non eſſe chriſma.

Prob. 3. Authoritate Conciliorum, Laodiceni can. 48. ubi cùm ait, oportere eos qui illuminantur, poſt baptiſmi inungi ſupercœleſti chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes, apertè ſignificat chriſmati vim ineſſe conferendi in Confirmatione gratiam ſanctificantem, vi cujus hi qui confirmantur, jus ad regnum Chriſti acquirunt. Unde chriſma vocat ſupercœleſte, eo quòd vim quamdam divinam habeat in ſacramento. Florentini in decreto §. *Secundum*. *Secundum ſacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma, &c.* Et Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de Confirm. *Si quis dixerit*, inquit, *injurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt: Anathema ſit.* Virtus igitur ineſt chriſmati Confirmationis. Hæc autem virtus alia non eſt, quàm cauſandi gratiam præter characterem in ipſa collatione ſacramenti.

RESPONSIO II.

Chriſma, quod eſt materia remota Confirmationis, eſt unguentum ex oleo & balſamo confectum.

Prob. 1. Ex S. Gregorio loco ſupra citato, ubi ait, ex oleo & balſamo pontificali benedictione chriſma effici. Et lib. ſacramentorum in officio feriæ 5. in Cœna Domini, deſcribit ritum conſecrandi chriſmatis confecti ex oleo & balſamo. 2. Ex Ordine Romano, item in officio feriæ 5. &c. ubi deſcribitur benedictio olei balſamo commixti, quod principale chriſma ibi vocatur. 3. Ex Amalario lib. 1. de officiis eccleſiaſticis cap. 12. ubi ait: *Nunc tranſeundi eſt ad principalem conſecrationem chriſmatis: ipſa enim dicitur principalis, quia ad ejus unctionem principalis ſpiritus tribuitur ..... Hìc non ſolùm oleum, ſed & balſamum conſecratur.* 4. Ex Arnulpho, ſerm. ſupra citato. *Hodie*, inquit, *in Eccleſia ... ſacrum chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit unitatem.* 5. Ex Innocentio III. extra de ſacra unctione cap. 1. §. 1. ubi dicit: *Conficitur chriſma, quod ex oleo fit & balſamo, myſtica ratione: per oleum enim nitor conſcientiæ deſignatur ... per balſamum odor famæ exprimitur.* Idem fermè antea ſcripſerat Hugo à Sancto Victore lib. 2. de ſacramentis, p. 7. cap. 1. ubi legitur: *Chriſma ex oleo & balſamo conficitur: quia per oleum infuſio gratiæ, per baptiſmum odor bonæ famæ deſignatur.*

6. Denique ex S. Thoma hìc quæſt. 72. art. 2. in O. *Chriſma*, inquit, *conveniens materia hujus ſacramenti* (Confirmationis.) *Sicut enim dictum eſt, in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus ſancti, ad robur ſpirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem cùm ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare actiones ſuas ad alios; antea verò quaſi ſingulariter ſibi ipſi vivit. Gratia verò Spiritus ſancti in oleo deſignatur .... & ideò oleum competit materiæ hujus ſacramenti. Admiſcetur autem balſamum, propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios.*

Porrò Græci, præter balſamum, alia multa aromatum genera immiſcent, ut patet ex Euchologio, & ex Dioniſio Areop. lib. de Eccl. hier. cap. 4. part. 2. *Sit ergo ſtatuimus*, inquit, *ungenti confectionem; concretionem eſſe quamdam rerum bene olentium, quæ in ſe magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat.*

Quæres 1. Quodnam oleum ſit de eſſentia Sacramenti.

Reſp. Oleum olivarum, ut patet ex praxi Eccleſiæ, quæ hoc oleum adhibet; nec legitur unquam diſpenſaſſe ut aliud adhiberetur. Confirmatur authoritate S. Thomæ hic quæſt. 72. art. 2. ad 3. ubi ait: *Proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus ſanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo. Unde & ipſa oliva ſemper frondibus virens, virorem & miſericordiam Spiritus ſancti ſignificat. Hoc etiam oleum propriè dicitur oleum,*

& ma-

& maximè habetur in uſu, ubi haberi poteſt. Quilibet autem alius liquor, ex ſimili hujus oleum nominatur: nec eſt in uſu communi, niſi in ſupplementum apud eos, quibus deeſt oleum olivarum; & ideò hoc oleum ſolum aſſumitur in uſum hujus & quorumdam aliorum ſacramentorum.

Queres 2. Utrùm non ſolùm oleum olivarum, ſed etiam balſamum ſit de ſacramenti eſſentia?

R. Affirmativè, & *prob.* 1. ratione: quia hujus ſacramenti materia eſſentialis eſt chriſma, ut probatum eſt. Atqui, ut etiam probatum eſt, chriſma eſt unguentum confectum ex oleo & balſamo. Ergo hujus ſacramenti materia eſſentialis eſt unguentum confectum ex oleo & balſamo. Ergo hujus ſacramenti materia eſſentialis non poteſt magis exiſtera ſine balſamo, quàm ſine oleo. Ergo balſamum tam eſt de eſſentia hujus ſacramenti, quàm oleum.

Prob. 2. Ex Florentino, in decreto Eugenii §. *Secundum*, ubi dicit: *Secundum ſacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.*

Confirmatur ex S. Gregorio verbis jam relatis: *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimantur.* Pondera has voces, balſamum, quod chriſma efficitur; quibus apertè ſignificat S. Doctor, chriſma in recto tam eſſe balſamum, quàm oleum; atque ita balſamum tam eſſe partem conſtitutivam chriſmatis, quàm oleum; nec magis exiſtere poſſe verum chriſma ſine balſamo, quàm ſine oleo: ſicut non magis poteſt exiſtere verus homo ſine corpore, quàm ſine anima, quia homo in recto tam eſt corpus, quàm anima; atque ita corpus tam eſt pars conſtitutiva hominis, quàm anima. Cùm itaque quæritur, utrùm balſamum ſit de eſſentia Confirmationis, perinda eſt ac ſi quæratur utrùm chriſma ſit de, &c. Unde minimè ſibi conſtant, qui dicunt chriſmæ eſſe materiam remotam Confirmationis, & ſimul negant ad illius eſſentiam pertinere balſamum.

Denique, ut hìc ſatis indicat S. Gregorius, chriſma à Christo inſtitutum eſt ad exprimenda dona Spiritus ſancti, & horum donorum collationem, per applicationem ſui ſignificandam in Confirmatione. Ergo ſub hac ratione pertinet ad ſacramentum Confirmationis, & eſt materia illius remota. Atqui ſub hac ratione tam eſt balſamum, quàm oleum: tam enim habet à balſamo, ut poſſit dona Spiritus ſancti exprimere, quàm ab oleo. Ergo tam pertinet ad ſacramentum Confirmationis, & tam eſt illius materia remota ratione balſami, quàm ratione olei. Hoc ferè modo argumentatur S. Thomas hìc q.62. a.2. in O. in quo aſſertionem noſtram probat.

Obj. Ante ſextum ſæculum neque apud Orientales, neque apud Occidentales oleo admixtum fuit balſamum. Ergo vel dicendum eſt totis quinque prioribus ſæculis ſacramentum Confirmationis invalidè collatum fuiſſe, vel fatendum balſamum non eſſe de eſſentia hujus ſacramenti. *R.* neg. ant. *Probabis.* 1. Probabile non eſt Apoſtoloa, eorumque ſucceſſores, balſamum oleo admiſcuiſſe his temporibus quibus perſecutio ſæviebat: unde enim diſcipuli pauperes colligere potuiſſent liquoris pretioſiſſimi eam copiam, quæ neceſſaria erat ad inungendos eos omnes, qui ubique terrarum ad fidem convertebantur, & baptizabantur? 2. Nulli ex Patribus, ſive Græcis, ſive Latinis, qui ante ſextum ſæculum floruerunt, admixtionis balſami cum oleo meminerunt; cùm tamen multi ſacramenti Confirmationis meminerint. Dicendum igitur eſt, nonniſi circa initia ſexti ſæculi cœpiſſe chriſma ex oleo & balſamo confici, cujus admixtionis primus inter ſcriptores eccleſiaſticos ſub ejuſdem ſæculi finem expreſſam mentionem fecit Gregorius Magnus loco ſuprà citato.

R. ad 1. gratis negari, quòd Apoſtoli, eorumve ſucceſſores, etiam iis, quibus perſecutio ſæviebat, temporibus, balſamum oleo immiſcuerint. Contra quam immixtionem perperàm allegatur diſcipulorum paupertas: quaſi verò tantæ balſami copia, ad eos qui tunc ad fidem convertebantur & baptizabantur, inungendos neceſſaria fuerit, Et dato quòd fuerit neceſſaria, ad eam diſcipulis ſuppeditandam ſatis ſuperque fuit fidelium, qui tunc erant, ad procurandam animarum ſalutem ardens zelus, & profuſæ liberalitas.

R. ad 2. neg. conſeq. Nam ſi nullus ſcriptor Eccleſiaſticus ante Gregorium Magnum expreſſam mentionem fecit mixtionis balſami cum oleo, nullus ſaltem negavit; nec invenimus ab aliquo Pontifice, aut aliqua Synodo, hanc mixtionem præſcriptam & inſtitutam fuiſſe ante Gregorii Magni tempora. Unde ſic argumentari poſſumus. Tempora Gregorii Magni, adeòque ſub finem ſexti ſæculi, in tota ſaltem occidentali Eccleſia chriſma eo oleo & balſamo pontificali benedictione efficiebatur, & tamen non invenimus ſexto illo ſæculo talem uſum ab ullo Pontifica vel Concilio præſcriptum fuiſſe. Ergo jam ante ſæculum ſextum receptus erat in Eccleſia. Sed nec invenimus ſæculo quinto, quo vigebat inſtitutum fuiſſe ab aliquo Pontifice vel Concilio. Ergo ante ſæculum quintum jam obtinuerat in Eccleſia. Item non invenimus inſtitutum fuiſſe ab aliquo Pontifice vel Concilio ſæculo quarto, tertio, &c. deſcendendo uſque ad Apoſtolos. Ergo uſum illum ab ipſis Apoſtolis accepiſſe dicenda eſt Eccleſia.

Hìc igitur valet regula, quam tradit S. Auguſtinus lib.4. de bapt. cap.24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed* (adeòque) *ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Qua regula utitur pro valora baptiſmi parvulorum. *Nota.* Ad probandum parvulos non inaniter baptizari, non recurrit ad expreſſa teſtimonia Patrum, qui prioribus ſæculis ſcripſerunt; ſed duo ſibi ſufficere exiſtimat, nempe quòd univerſa Eccleſia baptizet parvulos, & quòd hæc univerſæ Eccleſiæ conſuetudo non fuerit introducta ab aliquo Concilio. Ratio autem ita judicandi ei fuit, quia praxim omnem in univerſa Eccleſia receptam, nec tamen aliquo Epiſcoporum Concilio inſtitutam, ſemper in Eccleſia viguiſſe, adeòque ex Apoſtolica traditione deſcendere, rectiſſimè creditur.

Sic itaque pro parvulorum baptiſmo argumentabatur S. Doctor. Univerſa Eccleſia baptizat parvulos, & hanc praxim parvulos baptizandi nullum Concilium inſtituit. Ergo hæc praxis ſemper viguit in Eccleſia. Ergo illam Eccleſiæ tradiderunt Apoſtoli; adeòque parvuli dici non poſſunt inaniter baptizari. Quidni autem ſimiliter pro admixtione balſami cum oleo argumentari poſſemus? Eccleſia univerſa, ſaltem Occidentalis, ſæculo ſexto chriſma efficiebat ex oleo & balſamo; & hunc chriſma ſic efficiendi uſum nullum Concilium, nullus Pontifex ſæculo illo, aut aliquo alio priore inſtituerat. Ergo hic uſus ſemper fuerat in Eccleſia Occidentali, adeòque illum Occidentalis Eccleſia ab Apoſtolis acceperat. Ergo ex Patrum, qui ante ſextum ſæculum ſcripſerunt, ſilentio malè colligitur, ante ſæculum ſextum admixtionem balſami cum oleo in confectione chriſmatis non fuiſſe uſitatam in Eccleſia; præſertim cùm nullus ſit ſcriptor Eccleſiaſticus, qui pro aliquo ex prioribus quinque ſæculis admixtionem illam inficiatus ſit.

Præterea, admixtionis illius veſtigia non incerta reperimus ante ſextum ſæculum apud Græcoa, non ſolùm in lib. de hier. Eccl. cap. 2. p. 3. ſed etiam in Cyrillo Hieroſ. catech. myſtag. 3. ubi cùm de unctionibus, quibus in ejus Eccleſia adminiſtrabatur Confirmationis ſacramentum, loquens, ait: *Poſtea nares* (unguntur) *ut divinum recipientes unguentum dicatis: Chriſti gratus odor eſt Deo, in his qui ſalvantur:* manifeſtè alludit ad fragrantiam chriſmatis. Hanc autem fragrantiam unde habebat chriſma? Certè à balſamo. *At inquies.* Habebat à vario aromatum genere, quod Græci admiſcebant oleo. At dico ego, præcipuum inter illa aromata fuiſſe balſamum: vel oſtende mihi in qua Synodo apud Græcos,

po Cyrillum præſcripta fuerit admixtio balſami cum oleo.

Apud Latinos verò ſæculo quarto in Concilio Carthag. II. can. 3. & Carthag. III. can. 36. & ſæculo 5. apud Leonem Magnum epiſt. 88. ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos, ubi prohibetur presbyteris, ne chriſma conficiant: nam chriſma conficere, quid eſt, niſi unguentum ex pluribus liquoribus componere? Ergo tunc temporis chriſma conſtabat ex pluribus liquoribus. Ergo ex oleo & balſamo: ex oleo enim & balſamo conſtabat tempore Gregorii Magni; nec poſt Leonem Magnum invenimus Pontificem, aut Concilium, à quo inſtituta fuerit hæc chriſmatis compoſitio. Sed

Hactenùs dicta confirmantur adhuc breviter ex verbis Gregorii in c. 1. Cantici Cant. jam laudatis: *In Engaddi gignitur balſamum; quod cum oleo pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur.* Nam ſic loquendo, S. Doctor apertè ſignificat, chriſma ex oleo & balſamo confici, ut donorum ſancti Spiritus collationem exprimat in Confirmatione. Unde ſic argumentor. Chriſma conficitur ex oleo & balſamo, ut donorum ſancti Spiritus collationem exprimat in ſacramento Confirmationis. Atqui quòd donorum ſancti Spiritus collationem exprimat, &c. hoc habet, non ex eccleſiaſtica, ſed ex divina inſtitutione. Ergo, quòd conficiatur ex oleo & balſamo, hoc habet ex inſtitutione divina, non ex eccleſiaſtica. Ergo vel aliquando Eccleſia inſtitutionem divinam neglexit in adminiſtratione hujus ſacramenti, quod ab homine catholico dici non poteſt; vel Eccleſia ſemper confecit chriſma ex oleo & balſamo.

Dices tamen adhuc. Si Chriſtus ipſe præſcripſit, ut chriſma conficeretur ex oleo & balſamo, certè præſcripſit, ut conficeretur ex oleo, & balſamo Syriaco. Atqui hoc dici non poteſt: nam multi Pontifices declararunt, balſamum Americanum ad conficiendum chriſma ſufficere. Ergo, &c. *R.* neg. ſeq. maj. Chriſtus enim pro materia remota Confirmationis ſolùm inſtituit chriſma ex oleo & vero balſamo confectum: ſicut pro materia remota Euchariſtiæ ſolùm inſtituit verùm vinum. Unde ſicut vinum Gallicum v. g. tam eſt ſecundùm inſtitutionem Chriſti materia remota Euchariſtiæ, quàm vinum Syriacum, quamvis fortaſſe ab eo ſpecie differat, quo non obſtante, adhuc eſt verum vinum: ita chriſma ex oleo & balſamo Americano confectum, tam eſt ſecundùm inſtitutionem Chriſti materia remota Confirmationis, quàm balſamum Syriacum, quia tam eſt verum balſamum, licèt fortaſſe ſpecie diverſum.

Obj. 2. Innocentium III. cap. *Paſtoralis*, extra de ſacramentis non iterandis, ubi conſultus utrùm *Confirmationis ſacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus*, reſpondet, *quod non eſt aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*. Ergo ſenſit Innocentius Confirmationem in caſu propoſito validè collatam fuiſſe, adeòque oleum ſine balſamo ſufficere ad validam hujus ſacramenti collationem; nam ſi Confirmationem in caſu propoſito nullam & irritam fuiſſe ſenſiſſet, clarè & expreſsè reſpondiſſet eam eſſe iterandam. Ergo, &c.

R. Neg. conſeq. & dico, quòd Innocentius Confirmationem ſenſerit nullam & irritam in caſu propoſito, in quo cùm reſpondet nihil iterandum eſſe, ſed ſolùm cautè ſupplendum id, quod incautè prætermiſſum fuit, intelligit, ipſummet ſacramentum ſupplendum eſſe, cum ſcilicet qui oleo tantùm unctus fuit, iterùm ungendo chriſmate, cum præſcripta verborum formula, ſed privatim, ad vitandum ſcandalum. Quod cùm fiet in caſu propoſito, nihil iterabitur; non ſacramentum ipſum, quia ut ad citatum caput ait Gloſſa, *non dicitur iterari, quod prius factum non fuit*; non cæremoniæ accidentales, quia privatim ponetur ipſa ſacramenti ſubſtantia.

Bonitas hujus reſponſionis declaratur ampliùs, Quia 1. ſi Innocentius hìc reſpondet, ſupplendam eſſe ſolam unctionem balſami; vel is qui oleo ſimplici inunctus fuit, poſtea ungetur balſamo non benedicto, vel ungetur balſamo benedicto ſeorſim ab oleo. Hoc autem utrumque alieniſſimum eſt à conſuetudine; & tale quid Innocentium præſcribere voluiſſe, prorſus eſt incredibile. Ergo, &c. 2. Idem Innocentius cap. *Cum veniſſet*, extra de ſacra unctione §. 3. materiam proximam Confirmationis disertè ponit in frontis chriſmatione. Ergo, juxta eundem, Confirmatio eſſe non poteſt ſine chriſmatione, adeòque nulla eſt & irrita, niſi is qui in fronte ungitur, ungatur chriſmate. Atqui, juxta eundem, qui oleo tantùm ungitur, non ungitur chriſmate: nam cap. *Paſtoralis* citato, chriſma diſtinguit à ſimplici oleo. Ergo, &c.

Responsio III.

Chriſma, quod eſt materia remota Confirmationis, eſt unguentum ab Epiſcopo benedictum.

Et 1. Quidem, quòd ſit unguentum benedictum, *prob.* ex Patribus, Tertulliano lib. de bapt. c. 7. *Egreſſi de lavacro*, inquit, *perungimur benedicta unctione*. Cypriano epiſt. 72. ad Januarium: *Euchariſtia eſt*, inquit, *unde baptizati unguntur, oleo in altari ſanctificatum*. Cyrillo Hieroſ. catech. myſtag. 3. ubi ait: *Hoc unguentum non ampliùs eſt unguentum nudum... poſtquam jam conſecratum eſt*. Baſilio lib. de Spir. ſanct. cap. 27. *Conſecramus*, inquit, *aquam baptiſmatis, & oleum unctionis*. Et Auguſtino lib. 5. de baptiſm. cap. 19. ubi ait: *Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ*.

2. Quòd ſit unguentum ab Epiſcopo benedictum, *prob.* 1. ex Patribus, Dionyſio Areop. lib. de Eccl. hier. cap. 4. p. 2. ubi ait; *Tum Pontifex ſumptum unguentum in divino altari ... locat .... perfectaque ſuper eo ſolemni, qua illud conſecravit, precatione, in ſanctiſſimis eorum quæ conſecrantur, illud adhibet in omni ferè pontificio munere*. Leone Magno epiſt. 88. ubi dicit conſecrationem chriſmatis *ſolis deberi ſummis Pontificibus* (hoc eſt, Epiſcopis) *authoritate canonum præcipi*. Gregorio Magno in cap. 1. Cantici Cant. ubi ait: *balſamum cum oleo chriſma effici Epiſcopali benedictione*. Et lib. Sacram. in officio Feriæ 5. in cœna Domini, ubi deſcribit ritum benedicendi chriſma. Et Amalario lib. 1. de offic. Eccl. cap. 12. ubi citat Ordinem Romanum, in quo dicitur: *Expectante in ſede ſua Pontifice, veniant ad ſacrarium duodecim presbyteri, & cæteri clerici, quantum opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale ..., uſque in Eccleſiam ante Epiſcopum, &c.* Et inferiùs: *Hic commiſceantur* (oleum & balſamum) *dicente Epiſcopo: Hæc commixtio liquorum fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum. Deinde antequam benedicatur, halat* (Epiſcopus) *ter ſuper ipſam ampullam, & dicit lenta voce exorciſmum chriſmalis olei, &c.*

Prob. 2. Ex Conciliis, Carthaginenſi II. can. 3. ubi dicitur: *Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio, à presbyteris non fiant*. Carthag. III. can. 36. quo dicitur, *ut presbyter chriſma non conficiat*. Carthag. IV. can. 36. quo præcipitur parochis, *ut per ſe ipſos, vel alium presbyterum ante Paſcha ſolemnitatem à proprio Epiſcopo chriſma petant*. Et Florentino in decreto Eug. §. *Secundum*, ubi dicitur: *Secundum ſacramentum, eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo ... & balſamo ..., per Epiſcopum benedicto*.

Quæres 1. Utrùm epiſcopalis benedictio ſit de ſacramenti hujus eſſentiam.

R. affirmativè, & *prob.* ex Florentino verbis proximè laudatis, quibus ſatis ſignificat, unguentum ex oleo & balſamo confectum, chriſma non eſſe, niſi ſit ab Epiſcopo benedictum; quod etiam ſatis ſignificaſſe videtur Gregorius Magnus, cùm dixit balſamum cum oleo effici chriſma per Epiſcopalem benedictionem.

Confirmatur ex eo, quod Florentinum §. citato ſubjicit: *Legitur tamen, aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum*

cauſa,

cauſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum. Nam quòd aliquando cum ſimplici ſacerdote diſpenſatum ſit ex rationabili & urgente admodùm cauſa, ut adminiſtraret ſacramentum Confirmationis, & nunquam cum eo ex ſimili cauſa, ut ſatis ſignificat Synodus, diſpenſatum ſit, ut chriſma benediceret, alia ſufficiens ratio reddi non poteſt, quàm quòd Epiſcopalis benedictio eſt juris divini, & ex inſtitutione Chriſti requiritur ad confectionem veri chriſmatis, ſine qua Confirmationis ſacramentum validè conferri non poteſt.

Hujus Chriſti inſtitutionis rationem congruam affert S. Thomas hic quæſt. 72. art. 3. in O. *Tota*, inquit, *ſacramentorum ſanctificatio à Chriſto derivatur. Eſt autem conſiderandum quod quibuſdam ſacramentis habentibus materiam Chriſtus eſt uſus, ſcilicet Baptiſmo, & etiam Euchariſtia. Et ideo ex ipſo uſu Chriſti, materia horum ſacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem ſacramenti .... & propter hoc non eſt de neceſſitate horum ſacramentorum, quod materia prius benedicatur; quia ſufficit benedictio Chriſti. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad ſolemnitatem ſacramenti, non autem ad neceſſitatem. Unctionibus autem viſibilibus Chriſtus non eſt uſus ... & ideò tam chriſma, quàm oleum ſanctum infirmorum prius benedicuntur* (per Epiſcopum) *quam adhibeantur* (aut etiam adhiberi poſſint validè) *ad uſum ſacramenti.*

Porrò benedictionem Epiſcopalem eſſe ſacramento Confirmationis eſſentialem, apertiſſimè docet in reſp. ad 2. in quo ſic objiciebatur; *Idem non debet bis conſecrari. Sed materia ſacramenti* (Confirmationis) *ſanctificatur in ipſa collatione ſacramenti per formam verborum, qua confertur ſacramentum. Ergo, &c.* Nam ita reſpondet: *Utraque conſecratio chriſmatis non refertur ad idem. Sicut enim inſtrumentum virtutem inſtrumentalem acquirit dupliciter, ſcilicet quando accipit formam inſtrumenti, & quando movetur à principali agente ad effectum: ita etiam materia ſacramenti* (cujuslibet) *duplici ſanctificatione indiget: per quarum unam fit propria materia ſacramenti, per aliam verò applicatur ad effectum.* Unde ut ait in reſp. ad 3. *materia ſacramenti conſecratur, vel ab ipſo Chriſto* (ut in Baptiſmo & Euchariſtia,) *vel ab Epiſcopo, qui gerit in Eccleſia perſonam Chriſti* (ut in Confirmatione.)

His addo expreſſum teſtimonium Dionyſii Areop. lib. de Eccl. hier. cap. 5. p. 1. ubi ait: *Itaque divinus mos* (vel ut vertit Arcudius, divina inſtitutio) *ſanctam hierarchicorum ordinum inſtitutionem, divinique unguenti confectionem atque ſanctam altaris conſecrationem divinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit.* At ſi ex inſtitutione Chriſti, chriſmatis confectio ad ſolum Epiſcopum pertinet, verum chriſma eſſe non poteſt ſine Epiſcopali benedictione; atque ita Epiſcopalis benedictio ſacramento eſſentialis eſt.

Obj. Concilium Toletanum I. can. 20. quo dicitur: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis, presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum, chriſma facere, & per diœceſim deſtinare.* Ubi duo ſunt obſervanda. 1. Concilium, ut præceptum ſuum confirmet, non ad jus divinum, ſed ad univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem recurrere. 2. Concilium chriſmatis conſecrationem à presbyteris factam non declarare irritam. Ergo non jure divino, ſed eccleſiaſtico tantùm chriſmatis conſecratio pertinet ad Epiſcopum; & ante Toletanum Concilium valuit conſecratio chriſmatis facta à presbyteris.

R. neg. conſeq. & dico, illam univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, ad quam recurrit Synodus, à nullo Concilio, nulloque Pontifice inſtitutam, non alium habuiſſe authorem, quàm Chriſtum; adeòque jure divino, & ex inſtitutione Chriſti chriſmatis conſecrationem ad ſolos Epiſcopos pertinere. Quare ſi qui presbiteri ante quintum ſæculum, ut colligi poteſt non ſolùm ex Tolerano I. ſed etiam ex Carthaginenſi II. & III. chriſmatis conſecrationem ſibi arrogarunt, contra jus divinum, & Chriſti inſtitutionem; proindeque non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè ſibi arrogarunt. *At inquis.* Toletanum chriſmatis conſecrationem à præsbyteris factam non declarat irritam fuiſſe. *R.* Quid inde? Nequidem declarat fuiſſe illicitam; & tamen quòd contra univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem facta, ſaltem illicita fuerit, quis dubitare poteſt?

Addo, cap. 329. lib. 7. Capitularium Caroli Magni chriſmatis conſecrationem à chorepiſcopis factam, declarari nullam & irritam, & juberi Epiſcopos conſecrare chriſma à correpiſcopis conſecratum invalidè; quo caſu non reiterabitur chriſmatis conſecratio, quia *quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum.*

Obj. iterum. Ex nullo Patrum textu evinci poteſt chriſma commune, ſeu non conſecratum, non eſſe materia ſufficientem ſacramento Confirmationis. Ergo, &c. *R.* neg. ant. nam Cyrillus Hier. catech. myſtag. 3. dicit, chriſma, adventu Spiritus ſancti, per ipſius divinitatem energiam habere poſtquam conſecratum eſt. Juxta Cyrillum igitur, chriſma conſecratur, ut energiam habeat, adeòque ut poſſit eſſe materiam ſacramenti. Item Arnulſus Carnotenſis ſerm. de unctione chriſmatis dicit, in Eccleſia chriſma conſici, adeòque benedici; non enim ſine benedictione efficitur, ad populum acquiſitionis ſanctificandum. Juxta Arnulſum ergo, chriſma ad ſanctificationem in ſacramento conferri non poteſt, niſi prius fuerit benedictum. Item Gregorius Magnus in c. 1. Cantici Cant. dicit balſamum cum oleo effici chriſma per Epiſcopalem benedictionem. Ergo ex Gregorio, nec eſt, nec poteſt eſſe materia confirmationis, ſine Epiſcopali benedictione. Præterea, nullus Patrum vim conferendi gratiam in Confirmatione attribuit chriſmati ſeu unguento, niſi prius conſecrato.

Adde praxim Eccleſiæ, quæ ſacramentum Confirmationis nunquam adminiſtrat, aut etiam adminiſtravit, ſine chriſmate prius conſecrato; cùm tamen aliquando, imò ſæpè baptiſmum adminiſtret cum aqua communi; quia ſcilicet benedictio aquæ, quacum ſolemniter baptiſmus adminiſtratur, non eſt inſtitutionis divinæ, ſed eccleſiaſticæ tantùm; unde ad ſolemnitatem ſacramenti, non ad neceſſitatem pertinet. Malè ergo dicitur, chriſmatis conſecrationem ad hoc tantum ſpectare, ut ſacramento major reverentia concilietur.

ARTICULUS III.

Quænam ſit materia proxima Sacramenti Confirmationis.

Circa hanc quæſtionem tres ſunt ſententiæ. Prima materiam proximam Confirmationis conſtituit in ſola manus impoſitione, diſtincta ab unctione chriſmatis, quæ fit in fronte. Secunda materiam illam conſtituit partim in manus impoſitione, quæ præcedit unctionem chriſmatis, & partim in ipſa unctione, quæ ſubſequitur. Tertia denique ſententia docet, materiam proximam adæquatam, eſſe chriſmatis unctionem in fronte factam in modum crucis. Pro hac ſententia ſit

§. I.

Proxima materia adæquata Confirmationis eſt chriſmatis unctio, quæ in fronte fit in modum crucis.

Eſt S. Thomæ hic qu. 72. art. 2. in O. & *prob.* 1. Ex regulę generali, & communi omnibus ſacramentis in uſu conſiſtentibus: nam in omnibus ſacramentis, quæ conſiſtunt in uſu, materia proxima eſt applicatio materiæ remotæ. Sic in baptiſmo materia proxima eſt applicatio aquæ ſeu ablutio, & in Extrema-unctione, olei applicatio, ſeu unctio. Atqui materia remota Confirmationis eſt chriſma, ut art. ſuperiore ex Patribus demonſtratum eſt. Ergo materia

proxima Confirmationis eſt applicatio chriſmaris, ſeu unctio, quæ fit in fronte, &c.

Prob.2. Ex Patribus, qui effectum Confirmationis ſimpliciciter attribuunt unctioni chriſmatis, factæ ſcilicet ſub legitima verborum formula, quod ſemper ſubintelligunt. Primus occurrit Dionyſius Areop. lib. de Eccl. hierarchia cap.2. p.3. *Unguenti illa*, inquit, *qua perficiendi vim habet, perfuſio, eum qui initiatus eſt, ſuavitate odoris fragmentum facit.*

2. Cyprianus epiſt.72. ad Januarium. *Ungi quoque neceſſe eſt*, inquit, *eum qui baptizatus, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.*

3. Cyrillus Hier. catech. myſtag.3. *Sanctum hoc unguentum*, inquit ... *poſtquam jam conſecratum eſt ... eſt chriſma Chriſti, quod adventu Spiritus ſancti per ipſius divinitatem energiam habet; quo frons, & alii ſenſus corporis tui ſymbolicè inunguntur: & corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur, anima verò ſancto vivificoque ſpiritu ſanctificatur.*

4. Ambroſius lib.3. de ſacram. cap.2. *Sequitur*, inquit, *ſpiritale ſignaculum .... quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.* Et lib. de iis qui initiantur cap.7. *Accepiſti*, inquit, *ſignaculum ſpiritale, ſpiritum ſapientia & intellectus, &c. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.*

5. Pacianus ſerm. de bapt. *Lavacro enim peccata purgantur, chriſmate ſanctus Spiritus ſuperfunditur*, Chriſmati applicato effectum Confirmationis attribuit, ſicut aquæ applicatæ effectum Baptiſmi.

6. Theodulphus Aurelianenſis lib. de ordine baptiſmi cap.16. ubi ait: *Quibus* (baptizatis) *ſeptiformis gratiæ Spiritus per chriſmatis unctionem conceditur.*

7. Arnulphus Carnot. ſerm. de unctione chriſmatis, *Ex hujus unctione*, inquit, *beneficio, & ſapientia nobis & intellectus divinitus datur, &c. Hoc oleo uncti cum ſpiritalibus nequitiis conluctamur.*

Prob.3. In particulari ex S. Auguſtino lib.5. de bapt. c.20. ubi diſtinguit quatuor ſacramenta, baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, & Ordinationem, quorum tria prima eadem die catechumenis olim conferebantur. Ibi autem materiam proximam Confirmationis in chriſmatis unctione, ſicut materiam proximam baptiſmi in ablutione aquæ, conſtituit. *Si ergo*, inquit, *ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem ſacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam* (qui eſt in Eccleſia) *deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi* (hoc eſt, ſuper ablutionem aquæ in baptiſmo) *vel ſuper oleum* (hoc eſt, ſuper unctionem chriſmatis in Confirmatione,) *vel ſuper Euchariſtiam* (hoc eſt, ſuper panem & vinum ex quibus Euchariſtia conficitur,) *vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur* (in Ordinatione;) *quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidam ... etiam in ipſa intùs Eccleſia. Cum dare nemo poſſit, quod non habet: quomodo dat homicida Spiritum ſanctum? & tamen ipſe intùs* (validè) *baptizat*, (validè confirmat, validè conſecrat, validè ordinat.) *Deus ergo dat etiam ipſo baptizante* (ſicut & ipſo confirmante, & ordinante) *Spiritum ſanctum.* Juxta S. Doctorem igitur, ſacramentum Confirmationis conſiſtit in unctione chriſmatis cum certa verborum formula, quam vocat deprecationem. Hinc l.2. contra litt. Petil. c.104. Confirmationem vocat Sacramentum chriſmatis, cujus effectus eſt inviſibilis unctio charitatis, quam ſignificat, & ſignificando, in bonis operatur externa & viſibilis unctio chriſmatis.

Prob.4. Ex Innocentio III. cap. *Cum veniſſent*, extra de ſacra unctione §. 3. ubi ait: *Per frontis chriſmationem, manus impoſitio deſignatur: quæ* (frontis chriſmatio) *alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur: unde cum cæteras unctiones ſimplex ſacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non niſi Summus Sacerdos, id eſt, Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, Quorum vicarii ſunt Epiſcopi quòd per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant.* Quibus verbis Innocentius nullum tergiverſandi locum relinquit, & materiam proximam adæquatam Confirmationis apertè conſtituit in chriſmatione frontis.

Porrò, ut rectè obſervat Bellarmin. in lib. de ſacram. Confirm. c.9. cùm ait Innocentius per frontis chriſmationem deſignari manus impoſitionem, non hoc dicit, quaſi Apoſtoli confirmarint manum imponendo, non frontem chriſmando; Epiſcopi verò nunc confirment frontem chriſmando, non manum imponendo: neque ritum ritui opponit; ſed ſolùm loquendi modum diſtinguit à modo loquendi; nec aliud vult, quàm frontis chriſmationem, quæ nunc communiter dicitur Confirmatio, eſſe illud ipſum ſacramentum, quod olim Impoſitio manus vocabatur, & quo Apoſtoli viſibiliter dabant Spiritum ſanctum, ſeu quo Apoſtoli cum gratia gratum faciente, conferebant alia dona, ut donum linguarum, donum prophetiæ, &c. quæ gratiæ gratis datæ dicuntur.

Obiter nota, eodem planè ſenſu locutum eſſe Conc. Florentinum in decreto §. *Secundum*, cùm dicit: *Loco autem illius manus impoſitionis* (qua Spiritum ſanctum dabant Apoſtoli) *datur in Eccleſia Confirmatio.* Hoc enim non dixit, quaſi Confirmatio, quæ nunc datur in Eccleſia, non ſit idem quoad ſubſtantiam, quod fuit illa manus impoſitio, qua Spiritum ſanctum dabant Apoſtoli; nec intellexit, unum ritum in ritus alterius locum ſubſtitutum fuiſſe; ſed ſolùm intellexit, ritus ejuſdem aliud nunc eſſe, & aliud olim fuiſſe nomen, cum aliqua, quantùm ad efficaciam, accidentali diverſitate; cùm olim per eum ab Apoſtolis Spiritus ſanctus daretur etiam viſibiliter; nunc verò nonniſi inviſibiliter detur ab Epiſcopis.

Prob.5. Ex Euchologio, quo à pluribus ſæculis Græci utuntur in ſacramentorum adminiſtratione, & in quo ritus Confirmationis in hunc modum præſcribitur, nulla prorſus impoſitionis manus mentione facta, hac recitata oratione (qua ſcilicet Spiritus ſancti gratia invocatur ſuper confirmandum:) *Ungit* (ſacerdos) *baptizatum ſancto unguento, ſignum Crucis faciens in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus & pedibus, dicens: Signaculum doni Spiritus ſancti. Amen.* Unde ſic argumentor. Græci à multis ſæculis confirmant per ſolam chriſmatis unctionem, & tamen validè confirmant. Ergo materia proxima Confirmationis conſiſtit adæquatè in unctione chriſmatis. Conſequentia patet.

Prima pars ant. manifeſta eſt, ex verbis Euchologii. Secunda verò pars facilè probatur, ex eo quòd in Eccleſia Latina de valore Confirmationis à Græcis ſic collatæ, hactenùs dubium nullum extiterit, ut oſtenditur, 1. ex facto Eugenii, qui in ſeſſ. ultima Concilii Florentini, poſt ſubſcriptionem litterarum ſanctæ unionis factam ab Epiſcopis, multa à Græcis quæſivit, & in particulari, cur presbyteri, non autem Pontifices, ſacro chriſmate utantur, cùm ſoli Pontifices eo uti deberent? nec tamen eos interrogavit de materia vel forma Confirmationis; cùm probè ſciret eos ſolam chriſmatis unctionem adhibere. Et verò quare interrogaſſet, quandoquidem ipſe in decreto, approbante concilio, §. *Secundum*; pro materia adæquata Confirmationis aſſignet chriſma? 2. Ex praxi Eccleſiæ, quæ in iis qui apud Græcos ſchiſmaticos confirmati fuerunt, & poſtea relicto ſchiſmate, veniunt ad unitatem catholicam, non iterat Confirmationem, etiam ſi poſtea promoveantur ad ſacros ordines.

Amplius. In Eccleſia Orientali non ſolùm poſt exortum ſchiſma, ſed etiam ante, imò & ab Eccleſiæ incunabulis, Confirmationem per ſolam unctionem chriſmatis collatam fuiſſe demonſtrari poteſt. Nam ſic argumentor. In Eccleſia Orientali Confirmatio per ſolam chriſmatis unctionem ſæculo quarto collata fuit. Ergo etiam ſic collata fuit tribus prioribus ſæculis. Conſeq. evincitur, ex eo quòd ante quartum ſæculum nullum extiterit Concilium gene-

generale, in quo ritus Confirmationem celebrandi per ſolam unctionem chriſmatis præſcribi potuerit.

Prob. itaque ant. Ex Cyrillo Hieroſol. & Concil. Conſtant. I. Nam Cyrillus Hieroſolym. catech. myſtag. 3. quæ eſt de Sacrament. Confirmat. de manus impoſitione ne verbum quidem habet, & hujus ſacramenti ritum ſic deſcribit: *Nobis poſtquam ſimiliter ex aquis ſacri lavacri aſcendimus, datum eſt chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus ..... quo* (chriſmate) *frons & alii ſenſus corporis tui ſymbolicè inunguntur: & corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur, anima vero ſancto vivificoque Spiritu ſanctificatur. At primum quidem fronti illinitur, ut ...... deinde verò aures unguntur, ut .... poſteà nares ..... tum verò & pectus inungitur, ut, &c.*

Concil. Conſtantin. I. can. 7. modum deſcribens, quo Arianis & aliis hæreticis, in forma Eccleſiæ apud ſuos baptizatis, & poſteà ad fidem converſis, Confirmationis ſacramentum miniſtrabatur in Orientali Eccleſia, ſic ait: *Signatos, ſive unctos primùm ſancto chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos ſignantes dicimus: Signaculum doni Spiritus ſancti*; & hìc, ut vides, de manus impoſitione altum ſervatur ſilentium.

Utrique, Cyrillo, & Conſtantin. Concilio, præmittere potuimus Laodicenum Concilium, Silveſtro Romanam Sedem tenente celebratum, quod de Confirmatione adminiſtranda loquens, ſolius unctionis meminit: nam Novatianos, & alios hujuſmodi hæreticos ritè baptizatos, ad Eccleſiam venientes, recipiendi modum præſcribens, can. 7. ait: *Deinceps eos, qui apud illos fideles dicebantur, fidei ſymbola diſcentes, & ſancto chriſmate inunctos, ſic ſancto myſterio communicare* (oportet.) Et can. 48. præcipiens ut ii qui baptizantur, ſtatim confirmentur poſt baptiſmum, dicit: *Oportet eos qui illuminantur, poſt baptiſma inungi ſuper cœleſti chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes.* Ergo per ſolam chriſmatis unctionem confirmavit Eccleſia Orientalis quarto ſæculo, Ergo per ſolam chriſmatis unctionem quatuor prioribus ſæculis confirmavit Eccleſia Orientalis.

Quod etiam in particulari de ſæculo quinto oſtenditur, ex Cyrillo Alexandr. commentar. in Joel, ubi loquens de Confirmatione, ait: *Acceſſit uſus olei, qui per ſacrum baptiſma in Chriſto juſtificatis ad conſummationem confert.* Et præſertim ex Authore libri de Eccleſiaſt. Hierach. quem nolunt eſſe Dionyſium Areopag. ſed alium, qui ſub finem quinti ſæculi ſcripſerit. Hic autem Confirmationem, eo quo ſcribebat tempore, datam fuiſſe per ſolam chriſmatis unctionem, apertè ſignificat. Sed, quod nobis ſufficit, Confirmationis ritum ſæculo quarto, adeòque & tribus prioribus uſitatum, nunquam poſteà immutatum fuiſſe, evidenter oſtendit mira cum Cyrillo Hieroſol. & Conſtant. Synodo Euchologii citati conformitas. Unde

Sic adhuc ex praxi Orientalis Eccleſiæ validiùs argumentor. Totis prioribus octo ſæculis in Orientali Eccleſia Confirmatio data eſt per ſolam chriſmatis unctionem. Ergo vel chriſmatis unctio eſt tota materia proxima Confirmationis, vel nequidem prioribus octo ſæculis, adeòque nunquam validè collata eſt Confirmatio in Eccleſia Orientali. Atqui quòd nunquam niſi invalidè in Eccleſia Orientali, quæ tot & tantos habuit Doctores, tamque orthodoxos, Confirmatio data ſit, nunquam præſertim reclamante Eccleſia Occidentali, quæ ſummum habet Pontificem, cujus eſt providere univerſæ Eccleſiæ, prorſus incredibile eſt, & falſum. Ergo, &c.

At inques. Orientalis Eccleſia prioribus ſæculis confirmavit per manus impoſitionem, ut teſtis eſt pro ſæculo tertio Firmilianus in ſua ad Cyprianum epiſtola, in qua ait: *Majores natu* (qui præſident in Eccleſia) *& baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem.* Pro ſæculo quarto Concilium Nicæn. can. 8. ubi de Catharis ad Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam accedentibus ſancit, *ut impoſitis eis manibus, ſic in clero maneant.* Pro ſæculo quinto Theodoretus comment. in cap. 6. epiſt. ad Hebr. *Qui crediderunt .... accedunt ad divinum baptiſmum, & per manum ſacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt.* Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. *Ad prob. Reſp.* Firmilianum per manus impoſitionem intellexiſſe, quod poſteà intellexit Synodus Nicæna can. citato. Intellexit autem ipſiſſimam chriſmatis unctionem, ut Theodoretus, qui profectò meliùs ſenſum Synodi aſſequi potuit, quàm Neoterici, contra quos hìc pugnamus; ut, inquam, Theodoretus interpretatur lib. 3. hæret. fabularum in Novatn, ubi de Novatianis dicit: *Iis qui ab ipſis tinguntur, chriſma non præbent. Quocirca eos etiam qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, benedicti Patres* (Nicæni Concilii) *ungi juſſerunt.* Portò quòd ipſe Theodoret. loco in obj. citato unctionem hanc vocet manus impoſitionem, mirum non eſt; cùm ibi interpretetur Apoſtolum, qui eam eodem illo nomine nuncupat.

At inquies. Extat Euchologium, quod Barberinum dicitur, ab octingentis & ampliùs annis, criticorum aliquorum judicio, editum, in quo ritus Arianos, & aliquos alios hæreticos, qui ad fidem convertuntur, in Eccleſiam admittendi deſcribitur in hunc modum: *Poſteà ſacerdos manum imponens ſuper caput converſi inclinati, hanc fundit orationem: Deus ſervator noſter ...... dignare eum ſigillo divini unguenti, & adventu Spiritus ſancti participatione venerandi corporis & ſanguinis Chriſti ..... Poſt hæc, ungit eum unguento ſicut Neophytos, eamdem ſuper ipſum formulam pronuncians.* Ergo perperam dicitur, in Eccleſia Orientali Confirmationem datam ſemper fuiſſe per ſolam unctionem chriſmatis.

Reſp. Neg. conſeq. Manifeſtum enim eſt, illam manus impoſitionem ſuper caput converſi non eſſe partem ſacramenti, ſed purè accidentalem cæremoniam, qua non confertur gratia, ſed ſolùm ſignificatur danda per ſacramentum modò conferendum. Patet ex oratione, quæ cum ea funditur, & qua petit à Deo ſacerdos, ut converſum dignum efficiat participatione Euchariſtiæ per Confirmationem, quam ei mox daturus eſt, & re ipſa dat per chriſmatis unctionem ſub hac formula: *Signaculum doni Spiritus ſancti.*

Prob. 6. Ex Pontificali Romano, juſſu Clementis VIII. edito ann. 1596. in quo ſic deſcribitur ritus confirmandi: *Pontifex ..... ſtans verſa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus ..... dicit:* Spiritus ſanctus ſuperveniat in vos, &c. *Tunc extenſis versùs confirmandos manibus, dicit:* Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus .... emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum paraclitum de cœlis .... & conſigna eos ſigno Crucis Chriſti, in vitam propitiatus æternam, &c. *Pontifex ſtans cum mitra illos confirmat per ordinem genuflexos ..... & ſummitate pollicis dextræ manus chriſmate intincta, dicit:* N. ſigno te ſigno crucis: *Quod dum dicit, producit pollice ſignum Crucis in frontem illius; deinde proſequitur:* Et confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Ex his autem argumentor ſic. Si manus impoſitio, ab unctione chriſmatis diſtincta, eſt tota vel partialis materia proxima Confirmationis, certè tunc Pontifex confirmat, vel incipit confirmare, cùm intendit manus versùs confirmandos, & dicit, *Omnipotens, &c.* Hìc enim manus impoſitio, ab unctione chriſmatis diſtincta, alia non poteſt eſſe, quàm manuum extenſio versùs confirmandos. Atqui conſequens evidenter falſum eſt ex Pontificali: nam ut ex textu apparet, tunc tantùm incipit confirmare, & confirmat, quando chriſmate frontem ungendo in modum crucis, dicit: *Signo te, &c.* Ergo evidenter falſum eſt, quòd manus impoſitio, ab unctione chriſmatis diſtincta, ſit tota, vel ſaltem partialis materia proxima Confirmationis.

Eſt igitur tantùm accidentalis cæremonia, quæ collationi ſacramenti præmittitur, & qua per orationem,

quæ

quæ cum ea fit, Pontifex implorat Spiritus ſancti gratiam, & implorando proteſtatur, gratiæ in ſacramento conferendæ principalem cauſam eſſe Deum, ſeſe verò cauſam inſtrumentalem tantùm. Vel etiam, ſi vis, hanc qualemcumque manuum impoſitionem cum oratione præmittit Pontifex, ut non ſolùm ex opere operato ſacramenti, ſed etiam ex opere operantis Eccleſiæ, quæ per ipſum Pontificem ut organum ſuum orat, confirmandi gratiam accipiant, & ſic abundantiorem accipiant.

§. II.

Reſpondetur ſententiæ conſtituenti materiam adæquatam Confirmationis in manus impoſitione, diſtincta ab unctione chriſmatis.

OBj. 1. Eadem nunc eſt materia Confirmationis, quæ fuit tempore Apoſtolorum. Atqui tempore Apoſtolorum manus impoſitio, & quidem diſtincta ab unctione chriſmatis, fuit tota materia Confirmationis. Ergo, &c. *Prob. min.* Actor. cap. 8. dicitur: *Qui cum veniſſent* (Petrus & Joannes) *oraverunt pro ipſis* (Samaritanis, qui receperant verbum Dei, & à Philippo diacono baptizati erant) *ut acciperent Spiritum ſanctum ... tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.*

Reſp. Concedendo maj. Nam quòd Chriſtus materiam proximam Confirmationis non ſolùm genericè, ſed etiam ſpecificè determinarit, libenter adverſariis concedimus; imò & ex perpetua ac conſtanti Eccleſiæ praxi demonſtrari poſſe credimus. At neg. minor. *Ad prob. Reſp.* Illam manus impoſitionem, quam refert Lucas c. citato, fuiſſe ipſiſſimam chriſmatis unctionem, in modum crucis factam in fronte. Ita Scripturam interpretatur Hugo à S. Victore lib. de Sacram. part. 7. cap. 2. *Manus impoſitio*, inquit, *quæ uſitato nomine Confirmatio vocatur: qua chriſtianus unctione chriſmatis per impoſitionem manus in fronte ſignatur, ſolis Epiſcopis Apoſtolorum vicariis debetur: ut chriſtianum conſignent, & Spiritum paraclitum tradant.*

Confirmatur hæc noſtra reſponſio. Nam 1. unctio chriſmatis facta in fronte, eſt manus impoſitio in ſenſu proprio. Et verò ſi, ut volunt adverſarii, manuum extenſio versùs confirmandos, eſt vera manuum impoſitio, quantò magis impoſitio manus dici poteſt & eſt unctio chriſmatis, facta in fronte, hoc eſt, actio qua Pontificis manus fronti immediatè admovetur? 2. Apoſtoli in Confirmatione, frontis unctionem in modum crucis adhibuerunt, ut probatur. Nam unctionem hanc in Confirmatione adhibuit Orientalis Eccleſia, ut manifeſtum eſt ex Cyrillo Hieroſolymit. atque etiam ſæculo tertio Eccleſia Latina, ut conſtat ex Tertulliano & Cypriano, & quidem factam in modum crucis, ut etiam ex eodem Tertulliano liquet, & Cornelio in epiſt. ad Fabianum Antiochenum: nec tamen poſt Apoſtolos ad ea uſque tempora fuit aliquod Concilium generale à quo inſtitueretur ritus ille; quem proinde uſurpaſſe ipſimet Apoſtoli incunctanter dicendi ſunt. Quidni ergo diceremus Lucam per manus impoſitionem ſignificaſſe frontis chriſmationem in modum crucis factam ab Apoſtolis in Confirmatione ad dandum Spiritum ſanctum?

Confirmatur iterùm. Ex Patribus, qui cùm de Confirmatione loquuntur, eam alii manus impoſitionem, chriſmatis unctionem alii nominant ſimpliciter; imò iidem Patres, loquendo de Confirmatione, eam modò impoſitionem manus, modò unctionem chriſmatis nuncupant. Quare? Quia ſive impoſitionem manus, ſive unctionem chriſmatis vocites Confirmationem, perinde eſt. Quare? Quia impoſitio manus, & chriſmatis unctio in fronte facta ab Epiſcopo, eſt una & eadem res, una & eadem actio diverſis nominibus nuncupata.

Confirmatur 3. Patres magno conſenſu chriſmatis unctioni diſertè attribuunt vim conferendi gratiam in Confirmatione. Ergo chriſmatis unctio in Confirmatione adhibetur ex inſtitutione Chriſti: ex ſola enim Chriſti inſtitutione vim illam producendi gratiam habere potuit. Ergo Apoſtoli, vel ex ſpeciali diſpenſatione ſine illa confirmarunt, vel cum illa confirmarunt: nam neque potuerunt, neque voluerunt agere contra Chriſti inſtitutionem. Atqui primum dici non poteſt cum fundamento: talis enim diſpenſationis nullum extat veſtigium; neque neceſſaria fuit. Ergo Apoſtoli confirmarunt, chriſmate frontem ungendo in modum crucis. Ergo, &c.

Obj. 2. Siricium epiſt. 1. ad Himerium cap. 1. ubi dicit: *Quos* (Arianos) *cum Novatianis aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit: à quo tramite vos quoque poſthac minimè convenit deviare, ſi non vultis à noſtro collegio ſynodali ſeparari ſententia.* Ergo ſæculo quarto non ſolùm in Eccleſia particulari Romana, ſed etiam in toto Oriente & Occidente, adeòque in univerſa Eccleſia Confirmatio dabatur per Epiſcopalis manus impoſitionem, & quidem à chriſmatis unctione diſtinctam, & diverſam.

Reſp. Neg. conſeq. Et dico Siricium per epiſcopalis manus impoſitionem intelligere chriſmatis unctionem in frontem factam ab Epiſcopo. Nam intelligit eam manus impoſitionem, qua Epiſcopi confirmabant in Orientali Eccleſia. At Epiſcopi in Orientali Eccleſia non confirmabant per impoſitionem manus diſtinctam ab unctione chriſmatis, nec aliter manum imponebant iis quos confirmabant, quàm eos chriſmate ungendo ſeu conſignando, ut §. 1. demoſtratum eſt.

Præterea, dicit, in Conſtantinopolitana Synodo (de ea enim hìc loquitur) decretum fuiſſe canone ſcilicet ſeptimo, ut Ariani cum Novatianis, aliiſque hæreticis, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conventui ſociarentur. Synodus autem Conſtant. canone citato dicit: *Arianos quidem, & Macedonianos, & Novatianos ...... recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes ......, & ſignatos, ſive unctos ſancto chriſmate, & frontem, &, &c.* Ergo, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, chriſmatis unctione ſeu conſignatione facta in fronte ab Epiſcopo, catholicorum conventui ſociari, & catholicorum conventui ſociari per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, epiſcopalis manus impoſitione, ſynonima ſunt Siricio. Ergo, &c.

Obj. 3. Gregorium Magnum epiſtol. 61. ad Quiricum, in qua hæc ſcribit: *Arianos per impoſitionem manus Occidens, per unctionem verò ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat.* Ergo ſæculo ſexto in Occidente Confirmatio dabatur per manus impoſitionem, ab unctione chriſmatis diſtinctam: hic enim Gregorius manus impoſitionem opponit unctioni chriſmatis, qua confirmabant Orientales; apertèque ſignificat, Orientales ſola chriſmatis unctione, Occidentales verò ſola manus impoſitione confirmare. Ergo ſæculo ſexto manus impoſitio, ab unctione chriſmatis diſtincta, in Eccleſia Occidentali habebatur, ut materia adæquata Confirmationis.

Reſp. Neg. conſeq. Nam Gregorius hoc loco intelligi non poteſt de impoſitione manus confirmatoria, ſed reconciliatoria tantùm: nam ſi intelligatur de confirmatoria, hic erit ſenſus propoſitionis ejus: Arianos per Confirmationem Occidens; per Confirmationem verò ad ingreſſum, &c. Oriens reformat; quod eſt abſurdiſſimum.

At inques. Senſus ejus eſt: Per manus impoſitionem Occidens, Oriens verò per unctionem chriſmatis Arianos confirmat. Sed contra eſt. 1. Si ita eſt, juxta Gregorium, materia Confirmationis alia fuit in Oriente, & alia in Occidente ſæculo ſexto:

nam

nam utrumque modum recipiendi Arianos, adeòque utrumque modum confirmandi, ut legitimum refert Gregorium, manifeſtum eſt. Quòd autem ſæculo ſexto alia in Orientali, & alia in Occidentali Eccleſia fuerit Confirmationis materia legitima, ut falſum jure merito exploditur. 2. Si ita eſt, non reſpondet ad rem: nec enim interrogatus fuerat, utrùm per impoſitionem manus, an per unctionem chriſmatis danda eſſet Confirmatio; Sed utrùm *ſacerdotes, ac plebes, quæ Neſtorianæ hæreſeos errore confuſa ſunt, cùm ad matrem electorum omnium catholicam Eccleſiam revertuntur, debeant baptizari, an certè ſolius veræ fidei confeſſione ejuſdem matris Eccleſiæ viſceribus adjungi*.

Propoſitæ igitur quæſtioni ut ſatisfaciat, reſcribit, per Confirmationem, juxta decretum ſcilicet Synodi Conſtantinopol. Arianos, à quibus Macedonios nomine tenùs differre vulgò credebantur, recipi in in Eccleſia Orientali per Confirmationis collationem; in Occidentali verò Eccleſia per cæremoniam purè eccleſiaſticam, nempe per manus impoſitionem, quæ non fiebat ſine oratione, poſteà, ut nunc fit, per chriſmatis unctionem confirmandos; at neque in Orientali Eccleſia, neque in Occidentali rebaptizari.

At inquies. Gregorius hìc loquitur de manus impoſitione, qua dabatur Spiritus ſanctus: nam poſt verba in objectione laudata, ſic proſequitur: *Monophyſitas verò, & alios ex ſola vera confeſſione recipis: quia ſanctum baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm, vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctum acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei, ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti*.

Reſp. diſt. Gregorius hìc loquitur de manus impoſitione, qua Spiritus ſanctus dabatur ex opere operato alicujus ſacramenti, N. Ex opere operantis Eccleſiæ, cujus nomine mioiſter homini converſo manum impoocbat, & ſuper eum orabat, C. De hac manus impoſitione, qua homines ex hæreſi ad Eccleſiam venientes recipiebantur, loquitur Auguſtinus lib. 3. de bapt. cap. 16. ubi ait: *Spiritus ſanctus ... in ſola Catholica Eccleſia per manus impoſitionem dari dicitur*. Et inferiùs: *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt: quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem?*

Confirmat. Reſponſio noſtra ex verbis Reccaredi Regis in Concil. Toler. III. *Ut*, inquit, *hæ gentes, quas in Dei nomine regia poteſtate præcellimus, & quæ deterſo antiquo errore, per unctionem ſacroſancti chriſmatis, vel manus impoſitionem Paracletum intra Dei Eccleſiam perceperunt Spiritum*: Hìc enim Reccaredus per unctionem ſacroſancti chriſmatis intelligit Confirmationem, quam proinde non intelligit per manus impoſitionem: niſi quis velit, quod certè falſum & abſurdum eſt, non unum & eundem fuiſſe modum dandi Confirmationem in omnibus Eccleſiis particularibus Hiſpaniarum, ſed in aliis per unctionem chriſmatis, in aliis verò per manus impoſitionem datam fuiſſe. Hìc itaque Reccaredus per impoſitionem manus intelligit cæremoniam eccleſiaſticam, qua cum oratione extra ſacramentum, ii qui ex hæreſi ad fidem convertebantur, reconciliabantur Eccleſiæ, & qua ex opere-operantis Eccleſiæ dicebatur dari Spiritus ſanctus.

Ex hoc porrò textu, quod obſervatur obiter, apparet Gregorii Magni tempore, etiam in Occidente, particulares aliquas Eccleſias Arianos ad fidem converſos per unctionem chriſmatis admiſiſſe, hoc eſt, Arianos ad fidem converſos in aliquibus Occidentis Eccleſiis ſtatim confirmatos fuiſſe. Unde illud quod dicit Gregorius, Arianos in Occidente per ſolam manus impoſitionem ſine ſacramento Eccleſiæ catholicæ reconciliari, non eſt generaliſſimè accipiendum; nec aliud velle cenſendus eſt, quàm hoc communiter fieri in Occidente.

Obj. 4. Concilium Arauſicanum I. can. 2. quo dicitur: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in Confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt: non ut præjudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*. Ergo ſæculo quinto, ii qui in baptiſmo chriſmate uncti fuerant, non iterùm ungebantur in Confirmatione, adeòque Confirmationem recipiebant per ſolam manus impoſitionem à chriſmatione diverſam. Ergo chriſmatis unctio non eſt eſſentialis materia Confirmationis.

Reſp. Utramque conſequentiam niti prava lectione canonis. Sic itaque legendum eſt: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel in baptiſmo chriſmari* (in vertice.) *De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in Confirmatione ſacerdos commonebitur* (ut baptizatum ungat priùs in vertice, ad ſupplendam cæremoniam in baptiſmo prætermiſſam, quàm illum ungat in fronte, ut illum confirmet:) *Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius nonniſi una* (quidem) *benedictio eſt*, (ſed) *non ut præjudicans quicquam* (hoc eſt, etiamſi una & eadem ſit benedictio chriſmatis, quo vertex inungitur in baptiſmo, & chriſmatis, quo in Confirmatione inungitur frons, hoc tamen non obſtat, quominùs verticalis chriſmatio omiſſa ſuppleatur, antequam per chriſmationem frontis detur Confirmatio) *ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*.

Hanc autem hujus canonis germanam eſſe lectionem & interpretationem, patet ex can. 3. quo dicitur: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à presbyteris* (tanquam extraordinariis miniſtris) *cum chriſmate, & benedictione*, (hoc eſt, præſcripta verborum formula) *conſignari placuit*. Ergo tunc temporis Confirmatio dabatur per chriſmatis unctionem, qua ſignabatur confirmandus, hoc eſt, qua frons confirmandi in modum crucis ungebatur.

Obj. 5. Tertullian. lib. de bapt. cap. 7. junct. 8. Nam c. 7. ſic ait: *Exinde egreſſi de lavachro, perungimur benedicta unctione*. Et cap. 8. ſic proſequitur: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum S*. Ergo in primitiva Eccleſia, teſte Tertulliano, unica adhibebatur chriſmatis unctio, eaque poſt baptiſmum, & ante Confirmationem, quæ deinde conferebatur per ſolam manus impoſitionem. Ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. Nam Tertullianus loquitur de unctione chriſmatis, quæ fiebat à presbytero in vertice baptizati, cum hac oratione, quam refert S. Ambroſius lib. 2. de ſacram. cap. 7. *Deus Pater Omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat in vitam æternam*. At præter unctionem illam, erat etiam alia, cujus hic implicitè tantùm meminit Tertullianus, & quam Epiſcopus faciebat in fronte baptizati, & faciendo manum imponebat baptizato, & ſic manum imponendo, baptizatum confirmabat, eique Spiritum S. dabat.

Tertulliani itaque ſenſus eſt: Egreſſi de lavacro, chriſmate inungimur in vertice. Dehinc manus nobis imponitur ab Epiſcopo, chriſmate eodem frontem noſtram in modum crucis inungente, & per verba ſacramentalia advocante, & invitante Spiritum ſanctum.

Sed obiter *nota*. Tres diſtinguendæ ſunt unctiones diverſæ. Prima eſt, qua ante baptiſmum oleo, quod vocant Catechumenorum, in pectore, & ſcapulis. Secunda, qua poſt baptiſmum chriſmate in capitis vertice ungimur à ſacerdote. Tertia denique, qua in Confirmationis ſacramento chriſmate frons in modum crucis inungitur ab Epiſcopo.

Secundæ porrò, & tertiæ unctionis expreſsè meminit

minit Tertullianus libro de Reſurrectione carnis, cap. 8. ubi ſic loquitur: *Caro abluitur, ut anima emaculetur*, (en Baptiſmus.) *Caro ungitur, ut anima conſecretur*, (en chriſmatis unctio, quæ à ſacerdote fit in vertice poſt Baptiſmum.) *Caro ſignatur, ut, & anima muniatur* (en chriſmatis unctio, qua in Confirmatione frontem in modum crucis ungit Epiſcopus, & ungendo quodammodo eam & vultum ipſum adumbrat: unde ſic proſequitur:) *Caro manus impoſitione adumbratur, ut, & anima Spiritu illuminetur.*

Obj. denique 6. Materia quæ Confirmationi eſſentialis eſt, etiam quantùm ad ſpeciem, eadem eſſe debet in utraque Eccleſia Orientali, nempe & Occidentali. Sed chriſma non eſt hujuſmodi; Græci enim illud componunt ex triginta quinque aromatum ſpeciebus cum oleo, & non modica quantitate vini ſimul concoctis. Latini verò ex oleo & balſamo, & quidem crudis, chriſma ſuum conficiunt. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Et dico chriſma eſſe idem etiam quantùm ad ſpeciem in utraque Eccleſia. Nam inter varia illa aromatum genera, ex quibus cum oleo Græci chriſma componunt, principem locum obtinet balſamum, cujus, ſicut & olei natura per aliorum aromatum admixtionem non corrumpitur: quare apud Græcos & Latinos chriſma idem eſt quantùm ad ſubſtantiam relatè ad ſacramentum; nec niſi accidentaliter diverſum eſt apud Græcos, propter admixtionem aliorum aromatum. Quod prob. ex Arcudio lib. 2. de concordia cap. 5. quod eſt de materia Confirmationis: *Materia*, inquit, *hujus ſacramenti, etiam ſecundum Græcos eſt oleum & balſamum ...... ſed iſtis immiſcentur alia multa aromatum genera.* Sed

Ex occaſione data ſic argumentor contra adverſarios. Materia proxima, quæ Confirmationi eſſentialis eſt, debet eſſe eadem etiam quantùm ad ſpeciem in utraque Eccleſia, Orientali & Occidentali. Atqui materia proxima Confirmationis in Orientali Eccleſia eſt chriſmatis unctio in fronte facta ab Epiſcopo in modum crucis, & fuit etiam ante chriſma; quo tempore dici non poteſt Orientalis Eccleſia non adhibuiſſe legitimam materiam Confirmationis, Ergo etiam in Eccleſia Occidentali chriſmatis unctio in fronte facta, &c. eſt materia Confirmationis. Ergo falſum eſt quòd manus impoſitio, & à fortiori, quòd ſola manus impoſitio, à chriſmatione diſtincta, ſit Confirmationis materia proxima.

§. III.

Reſpondetur ſententiæ materiam proximam adæquatam conſtituenti in chriſmatis unctione, & impoſitione manus ab illa unctione diſtincta.

OBj. Duodecim prioribus ſæculis, manus impoſitio, ab unctione chriſmatis diſtincta, fuit materia proxima adæquata Confirmationis. Ergo nunc etiam eſt: cùm enim Chriſtus etiam in ſpecie determinarit materiam Confirmationis, materiam Confirmationis etiam in ſpecie eandem nunc eſſe, quæ prioribus ſæculis fuit, neceſſe eſt; cùm ſubſtantia ſacramentorum, qualem Chriſtus inſtituit, prorſus immutabilis ſit.

Probabis ant. 1. Ex Scriptura: nam ut dicitur, Actorum cap. 8. Apoſtoli confirmabant per manuum impoſitionem: *Tunc*, inquit Lucas, *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Atqui hæc impoſitio manuum fuit actio diſtincta & diverſa ab unctione chriſmatis (ſupple ſemper, etiam ea, quæ in fronte fit ab Epiſcopo in modum crucis) quam etiam in Confirmatione adhibuerunt Apoſtoli. Ergo, &c.

Probabis ant. 2. Ex Patribus, qui diſertis verbis aſſerunt, Apoſtolos confirmaſſe per manuum impoſitionem. Nam ſic loquitur Cyprianus epiſt. 70. *Tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, per præpoſitos Eccleſiæ offerantur* (Epiſcopo,) *& per noſtram orationem, ac manus impoſitionem, Spiritum ſanctum conſequantur, ac ſignaculo dominico conſummentur.* Et Auguſtinus libro 15. de Trinit. cap. 26. *Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.*

Probabis ant. 3. Quia duodecim prioribus ſæculis Confirmationem per Epiſcopalis manus impoſitionem datam eſſe, evincitur ex Patrum teſtimonio. Nam 1. Tertullianus lib. de bapt. cap. 8. ſic ait: *Dehinc* (nobis è lavacro egreſſis, & chriſmate perunctis) *manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.* Et lib. de reſurrectione carnis cap. 8. *Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.*

2. Firmilianus in epiſt. ad Cyprianum hæc ſcribit: *Quando omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem.*

3. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos hæc habet: *Non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut eos qui longè in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat.*

4. S. Gregorius lib. ſacram. in officio Sabbati ſancti, Confirmationis ritum deſcribens, ait: *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono chriſma.... levata manu ſua ſuper capita omnium, dicit:* Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ..... emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum .... & conſigna eos ſigno crucis in vitam propitiatus æternam.

5. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de officiis Eccl. c. 26. dicit: *Sed quoniam poſt baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus S. cum manuum impoſitione, hoc in Actibus Apoſtolorum feciſſe meminimus Apoſtoles: ſic enim legitur, &c.*

6. Theodulphus Aurel. lib. de ordine baptiſmi c. 17. Hunc præfigit titulum; *Cur ab Epiſcopo confirmatus, per manus impoſitionem accipiat ſeptiformis gratiæ ſpiritum.*

7. Rupertus lib. 3. de operibus Spiritus ſancti c. 9. ſic loquitur: *Per manus impoſitionem, ſacrique chriſmatis unctionem, ſecundam, qui renatus eſt, gratiam accipit.*

8. Denique Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 7. hæc Rabani refert verba, lib. 1. de inſtit. clericorum cap. 30. *A ſummo Sacerdote per impoſitionem manus Paracletus traditur illi* (baptizato) *Spiritus ſanctus.*

Reſp. neg. ant. objectionis. *Ad* 1. *prob. Reſp.* gratis dici, manus impoſitionem, de qua Lucas loquitur, fuiſſe diſtinctam & diverſam ab unctione chriſmatis facta in fronte, & dico, impoſitionem illam fuiſſe contactum immediatum manus, frontem confirmandorum ſignantis & ungentis chriſmate in modum crucis. Et verò negari non poteſt, quòd immediatus ille contactus ſit manus impoſitio in ſenſu proprio & phyſico. Ergo qui dicit Apoſtolos per immediatum illum contactum confirmaſſe, dicit eos confirmaſſe per impoſitionem manus. Ergo planè ſatisfacit Scripturæ: niſi tamen velint adverſarii, Scripturam loco laudato, & aliis ſimilibus, non unicam manus impoſitionem exprimere, ſed multas inter ſe diſtinctas, & ſpecificè diverſas, quod eſt falſum & abſurdum.

At inquies obiter. Presbyteri baptizatos etiam in modum crucis ungunt in vertice capitis, & tamen non dicuntur, illis tunc manum imponere. *Reſp.* Unctionem verticalem à Patribus non vocari impoſitionem manus, non quòd presbyter per illam non im-

ponat

ponat manum propriè, ſed quia phraſi Scripturæ, manus impoſitio tantùm ſignificat actionem, qua confirmat, vel ordinat Epiſcopus.

Ad 2. prob. Reſp. Patres aſſerunt quidem Apoſtolos confirmaſſe per manus impoſitionem, & nos cum illis aſſerimus: at non aſſerunt Apoſtolos confirmaſſe per duplicem manus impoſitionem, aut per manus impoſitionem, diſtinctam aut diverſam ab ea actione, qua chriſmate frontem confirmandorum ipſimet, ut agnoſcunt adverſarii, ungebant, & in modum crucis ſignabant.

Imò verò ex allegatis Cypriani & Auguſtini textibus contra adverſarios argumentari poſſumus pro ſententia noſtra ſic. Ex Cypriano & Auguſtino, Apoſtoli ad confirmandum eam manus impoſitionem adhibebant, quam poſteà adhibuerunt Epiſcopi tempore Cypriani & Auguſtini. Atqui Epiſcopi tempore Cypriani & Auguſtini confirmabant per manus impoſitionem, qua frontem chriſmate ſignabant & ungebant; ut pro Cypriani tempore probatur ex his verbis S. Martyris: *Per orationem noſtram, ac manus impoſitionem, Spiritum S. conſequantur, ac ſignaculo dominico conſummentur.* Quid enim aliud eſt, per orationem, ac manus impoſitionem ſignaculo dominico conſummari, quàm per manus impoſitionem, qua fronti ſignum dominicum imprimitur, tanquam materiam proximam, & orationem tanquam formam confirmari, & per Confirmationem, ſuſcepta ſecunda, eaque abundantiore gratia, perfici.

Pro tempore autem ſancti Auguſtini ex lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 4. ubi Confirmationem vocat Sacramentum chriſmatis; & inferiùs dicendo: *Diſcerne viſibile ſanctum Sacramentum .... ab inviſibili unctione charitatis;* manifeſtè alludit ad viſibilem unctionem, cujus eſt effectus in bonis inviſibilis unctio charitatis, & in qua viſibile ſanctum Sacramentum conſiſtit. Secundùm Auguſtinum itaque, Epiſcopi, ſicut anteà Apoſtoli, confirmabant manum imponendo, & manum imponebant, chriſmate frontem viſibiliter ungendo: unde confirmando, conferebant ſacramentum chriſmatis, per viſibilem unctionem, & verbis conſecratoriis, ex quibus conſtat, ſignificans, & in bonis cauſans inviſibilem unctionem charitatis.

Ad 3. prob. Reſp. Neg. ant. Nam 1. Tertullianum & Firmilianum per manus impoſitionem intellexiſſe ipſiſſimam frontis unctionem & conſignationem, §. ſuperiore oſtenſum eſt. 2. Hieronymum & Iſidorum eodem ſenſu locutos eſſe non diffitebuntur adverſarii, quo Theodulphum Aurelian. & Rabanum, quos hic citant. Atqui Theodulphus & Rabanus per manus impoſitionem, qua Confirmatio datur, intellexerunt frontis unctionem & conſignationem, chriſmate factam; ut

Oſtenditur de Theodulpho. Nam libro citato ſic terminat caput 16. *Quibus etiam ſeptiformis gratia Spiritus per chriſmatis unctionem conceditur, ut non ſolum Spiritus ...... ſed totius S. Trinitatis habitaculum effici mereantur.* Tum ſubjicit hunc capit. 17. titulum: *Cur ab Epiſcopo confirmatus per manus impoſitionem, accipiat ſeptiformis gratiæ Spiritum.* Manifeſtum autem eſt, perinde eſſe ac ſi diceret: Cur ab Epiſcopo confirmatus per chriſmatis unctionem, accipiat, &c. Hìc igitur manus impoſitio & chriſmatis unctio Theodulpho ſynonima ſunt.

De Rabano idem etiam oſtenditur ex ejus libro 8. de naturis rerum capit. 6. apud Alenſem quæſt. 9. de ſacrament. Confirmat. memb. 2. art. 1. §. *Balſamus,* inquit Rabanus, *in chriſmatis confectione liquori olivæ admiſceri, ac pontificali ſolet benedictione conſecrari: quatenus fideles omnes impoſitione manus ſacerdotalis, qua Spiritus ſanctus accipitur, hac unctione ſignentur.* Juxta Rabanum, fideles chriſmate ſignantur per manus impoſitionem, qua Spiritus S. accipitur, ſeu, quod idem eſt, qua Confirmationis ſacramentum confertur.

3. Apud Rupertum, illud, per manus impoſitionem, ſacrique chriſmatis unctionem, dicitur per pleonaſmum, & unum membrum eſt interpretatio alterius. 4. Magiſter Sentent. apertè noſter eſt diſt. illa 7. ubi ait: *Forma* (Confirmationis) *aperta eſt, ſcilicet, verba, quæ dicit Epiſcopus, cùm baptizatos in frontibus ſacro ſignat chriſmate.* Cum autem inferiùs laudavit Rabanum, dicentem, à ſummo Sacerdote per impoſitionem manus Paracletus traditur baptizato; probè norat, eum intelligere manus impoſitionem, qua Epiſcopus baptizatos in frontibus ſacro ſignat chriſmate.

4. Denique ad textum Gregorii allegatum. *Reſp.* Illam manus verſùs confirmandos extenſionem cum oratione, eſſe cæremoniam purè eccleſiaſticam, & ſacramento accidentalem, qua Epiſcopus accingebat ſe ad dandam Confirmationem: quòd enim ſancti Gregorii tempore, quotquot aderant confirmandi, omnes ſimul & in globo una illa oratione, cùm manus verſùs illos extenſione facta confirmarentur, eſt prorſus incredibile & falſum. Unde ſtatim poſt orationem ſubjicitur: *Et interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate, facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſigillatim,* ſupple, ſupra ſingulos dicendo: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,* ut colligimus ex ordine Romano ſub Gregorii tempora edito, in quem ipſa ſola lectio ſuadet tranſcriptum fuiſſe librum ſacramentorum.

In hoc autem ordine ſic habetur: *Oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate, facit crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo:* Confirmo te in nomine Patris, &c. Ex his autem verbis priora manifeſtum eſt ex ſacramentorum libro fuiſſe tranſcripta. Quidni etiam poſteriora: *Confirmo te, &c.* Tranſcripta fuiſſe diceremus, adeòque caſu aliquo libro illo ſacramentorum excidiſſe: niſi quis tamen malit verba illa: *Confirmo te, &c.* In ordine Romano verbis Gregorii addita fuiſſe, quod facilè admittemus, modò Gregorius dicatur ea prætermiſiſſe, non quòd tunc temporis ſine illis Confirmatio daretur, ſed quia ante eum nullus ſcriptor eccleſiaſticus formam illam Confirmationis ſcripto mandarat, & eò uſque temporis ſola traditione orali conſervata fuerat; & aliunde notiſſima eſſet, & memoria retineri facillimè poſſet; hac in re imitatus Innocentium primum qui epiſtola prima ad Decentium, cap. 3. ubi de ſacramento Confirmationis agens, expreſsè dicit nolle ſe ſcribere verba quibus perficitur: *Verba verò,* inquit, *dicere non poſſum, ne magis prodere videar* (ſecretum quod eatenùs ſervatum fuerat in Eccleſia circa ſacramentorum adminiſtrationem, ne prophanorum deriſui exponerentur) *quàm ad conſultationem reſpondere.*

ARTICULUS .IV.

Quænam ſit forma Sacramenti Confirmationis.

§. I.

FOrma Confirmationis apud Græcos conſiſtit in his verbis: Signaculum donationis Spiritus ſancti: quæ Pontifex profert, cùm baptizatum inungit ſacro chriſmate.

Eſt contra recentiores, aſſerentes apud Græcos Confirmationis formam conſiſtere in oratione, quæ Neophytorum chriſmationem immediatè præcedit, & quæ hæc eſt: *Ipſe Domine Rex omnium benigne, ſignaculum doni ſancti, & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus, & ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti tui communionem ei largire. In ſanctitate tua cuſtodi illum, in vera fide confirma.* Eſt etiam contra Gabrielem Philadelphiæ Epiſcopum lib. de ſacrament. ubi quærit, quænam ſit forma Confirmationis, & reſpondet eſſe verba, quæ profert Pontifex ſuper unguentum, quando illud conſecrat. Vide Arcudium lib. 2. de concord. cap. 6. ubi etiam

obſer

obſervat eodem modo erraſſe Nicolaum Cabaſilum, libro de expoſitione liturgiæ cap. 29. & Marcum Epheſium in quodam ſuo opuſculo. Sed contra illos omnes

Prob. Aſſertio noſtra cum Arcudio ex Conc. Conſtant. I. can. 7. in quo dicitur ſecundùm Arcudii verſionem: *Eos qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis ſalvantur, recipimus ſecundùm ſubjectum hic tenorem & conſuetudinem. Arianos videlicet, & Macedonianos ... dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes ... recipimus obſignandos, ſive ungendos primùm ſancto chriſmate, & frontem, & oculos .... & eos ſignantes dicimus: Signaculum donationis Spiritus ſancti.*

Hìc autem Synodus ritum Confirmationis deſcribens, manifeſtè dicit illum ex duobus perfici, nempe ex unctione chriſmatis facta in fronte, & prolatione horum verborum: *Signaculum donationis Spiritus ſancti*. Et verò ſi Confirmationis forma non in verbis: *Signaculum donationis, &c.* Conſiſteret, ſed in oratione quæ unctionem præcedit; cur hanc orationem, ex qua tanquam parte præcipua ſacramentum conſtitueretur, ſilentio prætermiſiſſet Synodus, ut verborum, quæ ad ſacramenti conſtitutionem nullatenùs pertinerent, expreſſam mentionem faceret? Quis è contra non facilè agnoſcet, in tali ſuppoſitione Synodum ſic locuturam fuiſſe, & eos ſignantes ſic oramus: *Domine Rex omnium benigne, &c.* Aut aliquid ſimile?

Confirmatur ex Beſſarione Cardinali, doctrinæ pariter & ſanctitatis eximiæ viro, quem certè in iis, quæ ad Græcorum ritus attinent, potiùs audire debemus, quàm aut recentiores Græculos, aut Latinos aliquot novarum ſententiarum aucupes. Sic autem loquitur lib. de ſacram. Euchar. *Secunda œcumenica Synodus verba, qua ſacrum chriſma perficiunt* (& complent in ratione ſacramenti) *tradens in ſeptimo canone, ita inquit: Obſignantes, hoc eſt, SS. Chriſmate eos chriſmantes, dicimus, Signum doni Spiritus S. Et hæc verba, ſecundum eos* (Patres Synodi Conſtant.) *hoc chriſmatis ſacramentum perficiunt.*

Prob. Aſſertio noſtra ratione. Nam hæc verba: *Signaculum donationis Spiritus ſancti*, habent omnia, quæ in Confirmationis forma requiri poſſunt. 1. Enim proferuntur, cùm fit unctio chriſmatis, hoc eſt, cùm materia proxima Confirmationis ponitur. 2. Proferuntur ea intentione determinandi unctionem illam chriſmatis ad ſignificationem ſacramentalem 3. Ad hanc determinationem planè ſufficiunt: ſufficienter enim exprimunt effectus Confirmationis, characterem ſcilicet & gratiam roborantem, & horum effectuum cauſam principalem, nempe Spiritum ſanctum. Ergo, &c.

Confirmat. Ex refutatione aliarum ſententiarum. Nam 1. graviter hallucinatur Philadelphienſis, cùm docet formam Confirmationis eſſe verba illa, quæ profert Pontifex ſuper unguentum: nam per verba illa Pontifex ſolùm conſecrat unguentum, & conſecrando efficit chriſma. Unguentum autem conſecratum ſeu chriſma non eſt ſacramentum Confirmationis, ſed ejus materia remota tantùm: ſicut aqua benedicta non eſt ſacramentum baptiſmi, ſed ejus materia remota tantùm. Sicut igitur forma baptiſmi non ſunt verba, quibus aqua benedicitur, ſed verba, quæ à baptizante proferuntur, cùm corpus abluit aqua benedicta: ita forma Confirmationis non ſunt verba, quibus unguentum conſecratur, ſed verba, quæ à confirmante proferuntur, cùm frontem ungit unguento conſecrato. Ratio pro utroque ſacramento eſt, quia utrumque non in re aliqua permanente conſiſtit; ſed in rei permanentis uſu, ad ſignificationem & efficientiam ſacramentalem determinato per verba de præſenti.

2. Non majorem habet probabilitatem prima ſententia, quæ formam Confirmationis docet eſſe orationem, quæ præcedit unctionem chriſmatis. Nam 1. ea quæ ſententiæ hujus aſſertores pro ſe contra communiſſimam Doctorum ſententiam afferunt, nullo negotio reſolvuntur. Itaque dicunt 1. orationem illam quæ apud Græcos chriſmatis unctionem immediatè præcedit, eodem modo, & eadem ratione in omnibus eorum Euchologiis legi. 2. Hac oratione miniſtrum ſacramenti expreſsè petere à Deo effectum Confirmationis. 3. Orationem hanc maximè convenire cum forma, qua Latini utuntur: iſta enim, inquiunt, non aliud eſt quàm oratio, per quam Pontifex Spiritum S. invocat, antequam confirmandi frontem ungat ſacro chriſmate. Sed

Hæc facilem habent ſolutionem. Ad 1. itaque *R.* Hanc formulam: *Signaculum donationis Spiritus S.* quam miniſter profert, dum confirmandum ungit, eodem pariter modo, & eadem ratione in omnibus Græcorum Euchologiis inveniri. Ad 2. *Reſp.* Miniſtrum ſacramenti oratione illa petendo à Deo Confirmationis effectum, non aliud intendere, quàm ut à confirmando removeat obicem gratiæ ſecundæ, quam Confirmationis ſacramentum non confert niſi jam habentibus primam gratiam. At cùm inter ungendum dicit: *Signaculum donationis, &c.* Intendit per hæc verba unctionem ad ſacramentalem ſignificationem, adeòque ad eſſe ſacramenti determinare & elevare. Ergo hæc verba, non verò oratio illa, quam ante unctionem profert, ſunt forma Confirmationis. Ad 3. *Reſp.* Orationem illam minimè convenire cum forma Latinorum, quam contendimus, & demonſtrabimus non in oratione, per quam Pontifex ante chriſmatis unctionem Spiritum S. invocat, conſiſtere, ſed in his verbis: *Signo te ſigno crucis, &c.* Quæ Pontifex profert dum confirmandum ſignat & ungit chriſmate.

2. Omiſſa oratione illa, quæ præcedit unctionem Neophytorum, reliquis verò poſitis, quæ pro Confirmatione in Euchologio præſcribuntur, habetur tota eſſentia Confirmationis: habetur enim unctio chriſmatis ad ſignificationem ſacramentalem ſufficienter determinata, adeòque elevata ad eſſe ſacramenti; cùm ad hunc effectum omninò ſufficiant hæc verba: *Signaculum donationis, &c.* Cum debita intentione à miniſtro prolata; quod qui negant, perperam negant; nec negandi rationem aliquam, quæ ſit alicujus momenti, afferre poſſunt. Ergo oratio illa, quæ apud Græcos præcedit unctionem Neophytorum, non ad Confirmationis ſubſtantiam, ſed ad ejus ſolemnitatem tantùm pertinet: neque aliud per eam intendit miniſter, quàm ex opere operantis Eccleſiæ, cujus vices agit, confirmando, prærequiſitas ad effectum ſacramenti percipiendum diſpoſitiones procurare; vel etiam, ſi vis, quàm exteriùs proteſtari, ſe ad gratiam quam ſacramentum confert, nonniſi ut merum inſtrumentum concurrere.

3. In nullo alio ſacramento, quod in uſu conſiſtit, prolatio formæ præcedit materiæ remotæ uſum ſeu applicationem, ſed eam comitatur: imò, ſecundùm adverſarios, nequidem in Confirmatione præcedit apud Latinos; cùm adverſarii materiam Confirmationis, vel totaliter, vel ſaltem partialiter conſtituant in manus impoſitione, ſine qua apud Latinos Pontifex non fundit orationem illam, quæ chriſmatis unctionem præcedit, & quam adverſarii volunt eſſe formam Confirmationis. Ergo prolatio formæ nonniſi perperam dici poteſt in Confirmatione apud Græcos præcedere materiæ remotæ applicationem. Ergo forma Confirmationis apud Græcos nonniſi perperam conſtituitur in oratione illa, quæ ſine manus impoſitione funditur à ſacramenti miniſtro ante Neophytorum unctionem, quæque adeò apud Græcos præcedit totum uſum ſeu applicationem materiæ remotæ; cùm ſaltem apud Græcos chriſma ſit tota materia remota, proindeque chriſmatis unctio ſit tota applicatio materiæ remotæ, ſeu tota materia proxima Confirmationis.

At inquiunt. Tunc tantùm prolatio formæ debet comitari vel ſubſequi applicationem materiæ, quando forma actum exteriorem miniſtri exprimit. At forma Confirmationis non exprimit actum exteriorem miniſtri confirmantis. Ergo, &c.

Reſp. 1.

Reſp. 1. Neg. maj. Nam forma non profertur, niſi ad hoc ut materia ſacramenti, quæ ponitur, ad ſignificationem ſacramentalem determinetur, & ita per formam compleatur in eſſe ſacramenti, ad quod requiritur, ut forma proferatur cùm applicatur materia, non ante, vel poſt: nam ſi forma proferatur poſt uſum materiæ, uſus materiæ deſiit eſſe, antequam elevaretur ad eſſe ſacramenti: ſi verò proferatur forma ante uſum materiæ, cùm ponitur, nihil ampliùs exiſtit, à quo elevetur ad eſſe ſacramenti, atque ita in utroque caſu ſacramentum nullum eſt.

Nec dic in primo caſu uſum materiæ, poſtquam phyſicè deſiit, & in ſecundo formam, poſtquam prolata eſt, moraliter permanere ad hoc ut in primo caſu uſus materiæ per formam, quæ poſteà profertur, & in ſecundo per formam, quæ anteà prolata eſt, elevetur ad eſſe ſacramenti. Nam *Reſp.* Moralem illam permanentiam gratis fingi, nec certos ei limites præſcribi poſſe. Prætereà in omni ſacramento, ut aliquando ſit vel fuerit, requiritur, ut aliquando tota ejus ſubſtantia, ac proinde, ut materia & forma ſimul, non quidem permanenter, ſed fluenter phyſicè exiſtant, vel extiterint. Hinc in ordinatione v. grat. presbyteri, forma, quamvis actum exteriorem ordinantis non exprimat, neque ante, neque poſt uſum materiæ profertur, ſed tunc profertur ab ordinante, cùm ab eo materia applicatur.

Reſp. 2. neg. min. Et dico, actum exteriorem miniſtri exprimi tam debere per formam in ſacramento Confirmationis, quàm debet in ſacramento Baptiſmi; & utrumque pariter probari ex praxi, & traditione utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis: Occidentalis enim Eccleſia hanc in adminiſtranda Confirmatione ſemper adhibuit formulam: *Confirmo te, &c.* ut probabitur §. 2. Orientalis verò Eccleſia iſtam: *Signaculum donationis Spiritus ſancti*, in qua hæc vox, *ſignaculum*, exprimit chriſmatis unctionem, quæ eſt actus exterior confirmantis.

Quòd autem iſtam formulam ſemper adhibuerit Orientalis Eccleſia, facilè oſtenditur. Nam 1. Cùm Synodus Conſtantinop. can. 7. ait: *Et ſignantes eos dicimus, Signaculum donationis Spiritus ſancti*, nihil de novo ſtatuit, ſed ſolùm declarat ritum Confirmationis in Orientali Eccleſia uſitatum. Ergo in Orientali Eccleſia ſæculo quarto Confirmatio dabatur ſub hac verborum formula: *Signaculum donationis, &c.* quam tamen nullum generale Concilium eodem illo ſæculo, aut aliquo ex præcedentibus inſtituerat. Ergo Confirmatio data quoque fuerat in Orientali Eccleſia ſub eadem formula tribus prioribus ſæculis. 2. Quòd etiam ſub eadem formula data fuerit poſterioribus tredecim, ex Euchologiis manifeſtum eſt. Ergo, &c.

§. II.

Forma Confirmationis apud Latinos conſiſtit in his verbis: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Ita docet S. Thomas hìc quæſt. 72. art. 4. in O. ubi hujus formæ convenientiam declarat ſic: *In hoc ſacramento* (Confirmationis) *datur Spiritus ſanctus ad robur ſpiritualis pugnæ. Et ideò in hoc ſacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continentur in forma prædicta, quorum primum eſt, cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt ſancta Trinitas; quæ exprimitur, cùm dicitur,* In nomine Patris, &c. *Secundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per ſacramentum materiæ viſibilis ad ſalutem. Quod quidem tangitur, cùm dicitur:* Confirmo te chriſmate ſalutis. *Tertium eſt ſignum, quod pugnatori datur: ſicut & in pugna corporali, milites inſigniis ducum inſigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur:* Conſigno te ſigno crucis, *in quo ſcilicet Rex noſter* (Chriſtus) *triumphavit.*

S. Thomæ conſentiunt S. Bonaventura, & Scotus in 4. ſentent. diſtinct. 7. hìc quæſt. 1. ille art. 1. quibus præiverat Magiſter diſtinct. citata his verbis: *Forma aperta eſt, ſcilicet, verba quæ dicit Epiſcopus, cum baptizatos in frontibus ſacro ſignat chriſmate.* Verba autem, quæ ſæculo duodecimo dicebat Epiſcopus, cùm baptizatos ſacro ſignabat chriſmate, ſunt hæc: *Signo te, &c.* Ut fatentur adverſarii. Veteres Scholaſticos ſecuti ſunt recentiores, inter quos Suarez, cujus non mediocris eſt in ſchola auctoritas, tom. 3. in 3. part. S. Thomæ ſect. 5. diſertè aſſerit, aſſertionem noſtram eſſe de fide: unde juxta Suarez, contrarium ſine nota hæreſis teneri non poteſt. Hanc cenſuram contemnunt recentiſſimi aliqui, qui contra Doctorum Scholaſticorum, quos tanquam in veteribus monumentis parum verſatos non magni faciunt, torrentem ſcribunt, formam Confirmationis non in his verbis: *Signo te, &c.* Conſiſtere, ſed in oratione, quam Pontifex cum extenſione manuum versùs confirmandos fundit proximè ante confirmandorum unctionem. Contra quos

Prob. Aſſertione noſtra, 1. ex Ordine Romano in officio Sabbati ſancti, ubi hæc leguntur: *Pontifex veniens ad infantes...... elevata & impoſita manu ſuper capita omnium, dicat orationem ſuper eos, cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti:* Omnipotens ſempiterne Deus, &c. ut in libro Sacramentorum. Tum continuò hæc ſubjiciuntur: *Oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* His autem poſterioribus verbis nihil de novo ſtatuitur, ſed ſolùm deſcribitur uſus in adminiſtranda Confirmatione receptus in Eccleſia Romana, ut patet ex prioribus, quæ eodem tenore leguntur in Sacramentorum libro. Unde

Sic argumentor. Octavo ſæculo Confirmatio miniſtrabatur in Eccleſia Romana ſub hac formula: *Confirmo te;* & à nullo Pontifice ſæculo illo aut alio aliquo ex prioribus, hunc Confirmationem miniſtrandi modum præſcriptum fuiſſe invenimus. Ergo in Eccleſia Romana ſeptem etiam prioribus ſæculis Confirmatio data fuerat ſub hac formula: *Confirmo te, &c.* Ergo hunc modum dandi Confirmationem Apoſtoli tradiderant Eccleſiæ Romanæ. Ergo Eccleſia Romana hunc modum dandi Confirmationem etiam poſt octavum ſæculum ad hæc uſque tempora conſtanter ſervavit: Romana enim Eccleſia traditiones apoſtolicas nunquam deſeruit, aut etiam deſerere potuit. Quod

Confirmatur. Pro ſæculo decimo-tertio ex Alenſi part. 4. quæſt. 9. membro 2. art. 2. §. 2. ubi ait: *Forma ſacramenti Confirmationis in Romana Eccleſia uſitata, hæc eſt: Conſigno te ſigno crucis: Confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, &c.* Pro ſæculo decimo quinto ex decreto Eugenii §. *Secundum.* Pro ſæculo decimo-ſexto ex Pontificali Clementis octavi, de quibus infrà.

Dices. Ante ſæculum octavum hæc formula: *Confirmo te*, nunquam in Eccleſia adhibita eſt. *R.* neg. *Probabis.* Ante veterem illum Ordinem Romanum, à nobis citatum, altum eſt ubique de verbis illis ſilentium. *Reſp.* De his verbis altum ubique fuiſſe ſilentium ante ſæculum ſeptimum, quia nullus ſcriptor eccleſiaſticus aut neceſſitatem, vel opportunitatem habuit ea ſcripto mandandi, aut ea ſcripto mandare voluit, ne gentilium ludibrio exponerentur: *Verba*, inquit Innocentius Papa, de Confirmatione loquens loco jam ſupra citato, *dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Eodem modo loquitur Dionyſius Areopagita, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. part. 3. *Precationes autem*, inquit, *quæ in myſteriis adhibentur, nefas eſt ſcripto interpretari, & myſticam eorum intelligentiam, aut vim, quæ in eis Deo auctore efficacitatem habet, ex adyto in publicum efferre: ſed quemadmodum à majoribus noſtris traditum accepimus, cum eas doctrina, quæ foras exire non debet, hauſeris, & ad diviniorem ani-*

mi

Digitized by Google

mi conſtitutionem ; & mentis elevationem , divino amore , ſanctiſque actionibus perfectus , evaſeris : divino ſacramenti Ordinis lumine ad ſummam eorum ſcientiam deducere.

Volunt adverſarii à nobis afferri ſcriptorem aliquem eccleſiaſticum , qui aliquo ex prioribus ſæculo hanc ſcripto mandarit formulam : *Confirmo te* , *&c.* Sed pro nobis reſpondent illis Innocentius & Dionyſius , illiſque os obſtruunt , pro ſe & aliis priorum ſæculorum ſcriptoribus clamantes , ſe verba illa ſcribere non poſſe , ne magis prodere videantur , quàm ad conſultationem reſpondere : nefas eſſe ea ſcripto mandare , & ſic ea ex adyto Eccleſiæ , in quo per ſecretam traditionem oralem aſſervantur , in publicum efferre ; neque eorum notitiam omnibus promiſcuè fidelibus , ſed iis tantùm , qui poſtquam divino amore & ſanctis actionibus perfecti , ad diviniorem animi conſtitutionem , & mentis elevationem evaſerint , ſacris initiantur Ordinibus , oretenùs committi.

Hinc totis tribus prioribus ſæculis , & integro ferè quarto ſæculo in Eccleſia Orientali ; in Occidentali verò totis quinque prioribus ſæculis , & integro ferè ſexto ſæculo apud ſcriptores eccleſiaſticos altum fuit ſilentium de formis Sacramentorum , una excepta conſecrationis formula , quam utpotè in ſcripturis expreſſam non reticuerunt , eam proculdubio , ſi cum aliis ſacramentorum formis ſola traditione non ſcripta accepiſſent , pari ſilentio velaturi . Primus in Occidentali Eccleſia Gregorius exeunte ſæculo ſexto ſcripto tradidit formam Baptiſmi ; Confirmationis verò formam ſilentio prætermiſit , reveritus , ut nobis certò licèt conjicere , auctoritatem Innocentii deceſſoris ſui , qui quamvis rogatus , noluit eam ſcripto tradere , ne magis prodere videretur , quàm ad conſultationem reſpondere.

Deſinant igitur adverſarii argumenta ſua negativa venditare. Et verò argumentum hoc negativum : Totis ſeptem prioribus ſæculis apud ſcriptores eccleſiaſticos altum fuit ſilentium de hac formula : *Confirmo te* , *&c.* Ergo ante ſæculum octavum nullus fuit uſus hujus formulæ in Eccleſia , adeòque ſacramento Confirmationis eſſentialis eſſe non poteſt ; tam contemnendum eſt , quàm iſtud : Totis quinque prioribus ſæculis , & toto ferè ſæculo ſexto apud ſcriptores eccleſiaſticos altum fuit ſilentium de hac formula : *Ego te baptizo in nomine* , *&c.* Ergo totis quinque prioribus ſæculis , & toto ferè ſæculo ſexto nullus fuit uſus hujus formulæ in Eccleſia , adeòque ſacramento Baptiſmi non poteſt eſſe eſſentialis.

Similiter ſicut non obſtante ſilentio de hac formula : *Ego te baptizo* , *&c.* Servato totis quinque prioribus ſæculis , valet hoc argumentum . Sexto ad finem vergente ſæculo , Eccleſia Romana baptizabat ſub hac formula : *Ego te baptizo* , *&c.* Ut teſtis eſt Gregorius Magnus in lib. ſacram. nec ab aliquo Pontifice vel generali Concilio formulam hanc invenimus fuiſſe inſtitutam ſæculo ſexto , aut aliquo alio ex prioribus ſæculis , ergo Eccleſiæ Romanæ formulam hanc Apoſtoli tradiderunt , & ſub illa etiam prioribus ſæculis baptizavit : ita non obſtante ſilentio de iſta formula : *Confirmo te in nomine Patris* , *&c.* Totis ſeptem prioribus ſæculis ſervato , valet argumentum iſtud : Eccleſia Romana ſæculo octavo confirmabat ſub iſta formula : *Confirmo te* , *&c.* Ut teſtis eſt Ordo Romanus ; nec invenimus iſtam formulam antea inſtitutam fuiſſe ab aliquo Pontifice , vel Concilio generali . Ergo Eccleſia Romana formulam iſtam accepit ab Apoſtolis , & ſub illa totis etiam prioribus ſeptem ſæculis confirmavit.

Unde ſicut ex praxi ſæculo ſexto in Eccleſia Romana recepta , nec per Pontificem aliquem , aut aliquod generale Concilium introducta , invictè arguitur , hujus formulæ : *Ego te baptizo* , *&c.* Uſum ex Apoſtolica traditione venire , & in Eccleſia Romana ſemper receptum fuiſſe : ita ex praxi octavo ſæculo in Eccleſia Romana recepta , nec per Pontificem aliquem aut aliquod generale Concilium introducta , invictè arguitur , iſtius formulæ : *Confirmo te* , *&c.* Uſum ex traditione Apoſtolica venire , & in Eccleſia Romana ſemper receptum fuiſſe.

Dices. Octavo ſæculo Epiſcopi in Gallia verba illa : *Confirmo te* , non adhibebant , ſed iſta tantùm : *In nomine Patris* , *& Filii* , *& Spiritus ſancti.* Ut probatur ex Alcuino , qui libr. de divinis officiis cap. de Sabbato ſancto dicit : *Hac finita* (oratione) *facit* (Epiſcopus) *crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus , ita dicendo : In nomine Patris , & Filii , & Spiritus ſancti.*

Item ſæculo nono in Eccleſia Trevirenſi Epiſcopus Neophytorum frontem inungendo non utebatur his verbis : *Confirmo te* , ſed iſtis tantùm : *In nomine Patris* , *&c.* Patet ex Amalario , qui Trevirenſi Eccleſiæ nono ſæculo præfuit , & in lib. 1. de officiis cap. 27. ſic ait : *Dicit Romanus libellus , de quo ſæpè commemoravimus : Oratione expleta , facit crucem cum pollice ex chriſmate in ſingulorum frontibus , ita dicendo : In nomine Patris , & Filii , & Spiritus S.*

Item ſæculo decimo tertio magna fuit varietas in verborum formula , quam proferebant Epiſcopi ungendo Neophytos , ut teſtatur Alenſis part. 4. qu. 9. memb. 1. ubi ait : *Hujus ſacramenti* (Confirmationis) *ſecundum conſuetudines diverſarum Eccleſiarum , diverſa ſunt formæ verborum : habet enim quædam Eccleſia hanc formam : Confirmo te ſigno crucis & chriſmate ſanctificationis , in nomine Patris , &c. Alia eſt iſta : Confirmo & conſigno te ſigno crucis & chriſmate ſanctificationis , in nomine Patris.*

Item in Eccleſia Romana à ſæculo duodecimo dicitur , non ut habet Ordo Romanus : *Confirmo te in nomine Patris* , *&c.* Sed : *Signo te ſigno crucis , & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris* , *&c.* Quod ſatis clarum , neutram formulam Confirmationi eſſentialem eſſe , indicium eſt.

Denique , quod omittebatur , ſæculo ſeptimo in Anglia hæc verba : *Confirmo te* , non proferebantur in Neophytorum unctione , ut colligitur ex Anglicano codice ante annos 800. deſcripto , & in Rothomagenſi Eccleſia aſſervato , in quo verba illa : *Confirmo te* , non habentur , ſed ſolùm habetur oratio , quæ ſic incipit : *Benedicat vobis omnipotens Deus* , *&c.*

Reſp. ad 1. Ex Alcuino perperam inferri , quòd Gallicani Epiſcopi ſæculo octavo in Confirmatione non adhibuerint hæc verba : *Confirmo te* , ſed iſta tantùm : *In nomine Patris* , *&c.* Nam Alcuinus loc. cit. loquitur de Romano Pontifice , & citat Ordinem Romanum , qui habet hæc verba : *Confirmo te in nomine Patris* , *&c.* Unde Alcuinus , vel habuit mendoſum codicem , vel memoria lapſus eſt.

Reſp. ad 2. Ex Amalario illo , qui libros de officiis exaravit , malè colligi , quòd ſæculo nono in Trevirenſi Eccleſia Epiſcopus Neophytos ungendo uſus non fuerit his verbis : *Confirmo te* : nam Amalar. ille non fuit Epiſcopus Trevirenſis , ſed diaconus Metenſis Eccleſiæ , ut teſtis eſt Ademarius monachus in Chronico . Addo Ademarium illum loco citato loqui de Romano Epiſcopo , & Ordinem Romanum malè citando poſt Alcuinum , errorem ab eo mutuatum eſſe , ut veriſimillimè poſſumus conjicere.

Reſp. ad 3. Varietatem illam in verborum formula , quam ſæculo decimo-tertio proferebant Epiſcopi in unctione Neophytorum , non in eo poſitam fuiſſe , quòd inter Epiſcopos alii deprecativa , alii verò indicativa verborum formula uterentur ; omnes enim juxta Alenſem utebantur indicativa , ſed in eo , quòd non omnes adhiberent eaſdem dictiones , vel eundem dictionum ordinem ſervarent ; ſic tamen ut dictionum vel earum ordinis varietas diverſitatem ſubſtantialem non induceret , ut patet ex loco citato , & eodem Alenſi ead. qu. memb. 2. art. 2. §. 3. ubi ait , formam , qua utitur Eccleſia Romana , ſecuriſſimam eſſe , & maximè tenendam : alias tamen ſufficere , & ſuſtinendas eſſe , quia ſcilicet non ſunt diverſæ ſubſtantialiter , & in illis exprimitur conſignatio , & confirmatio cum materia , & invocatione Trinitatis.

Reſp. ad 4. Vel in Ordine Romano deſcriptam non fuiſſe

fuiſſe integram formulam Confirmationis; vel non ampliùs extare correctiora exemplaria, in quibus erat integra; vel denique dicendum, ad formulæ Confirmationis eſſentiam ſecundùm Chriſti inſtitutionem pertinere hæc tantùm verba, *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

R. ad 5. Mirum eſſe, quòd ex tam levi fundamento tam confidenter dicatur, olim in Anglia Epiſcopos ad Confirmationem non adhibuiſſe formam indicativam. Hunc itaque clandeſtinum codicem modicæ auctoritatis dicimus ea deſcriptum fuiſſe ætate, qua nondùm quiſquam in Occidentali Eccleſia ſcripto tradiderat formulam Confirmationis: unde mirum non eſt, quòd ea prætermiſſa, deſcripta tantùm fuerit oratio illa, quam Epiſcopus proferebat ante Confirmationem, & quæ nihil minùs apparet eſſe, quàm ſacramenti formula. Nam

Hæc eſt: *Benedicat vobis omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptiſmate per Spiritum ſanctum remiſſionem omnium peccatorum tribuit. Amen. Qui eundem Spiritum in igneis linguis diſcipulis ſuis dedit, ipſius illuſtratione corda noſtra perluſtret, atque in ſui amorem jugiter accendat, Amen. Quatenus ejus dono à cunctis vitiis emundata, ipſiuſque opitulatione ab omnibus adverſitatibus defenſi, templum ipſius effici mereamur. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.*

Sanè ſi hæc oratio aliquando apud Anglos fuit Confirmationis formula, tunc Epiſcopi Angli, quod abſurdiſſimum eſt, non minùs ſe ipſos, quàm neophytos præſentes confirmare intendebant: talis enim formula, ſi revera ſacramenti formula eſt, tam cadit in ipſos Epiſcopos, quàm in præſentes neophytos. Manifeſtum igitur eſt, orationem illam non fuiſſe formam Confirmationis apud Anglos, quos tamen aliquam habuiſſe dubitari non poteſt. Manifeſtum igitur eſt in præfato codice non omnia, quæ ad ritum Confirmationis pertinebant, deſcripta fuiſſe, & prætermiſſam fuiſſe illam verborum formulam, quam Epiſcopi Angli proferebant, cùm ungebant neophytos. Dicant adverſarii, quæ tunc verba Epiſcopi illi protulerint. Dicentne aliquam aliam orationem protuliſſe? At ubi extat illa oratio? Oſtendant illam in ſuo codice. Interea nos dicimus Epiſcopos illos hæc ſaltem protuliſſe verba, *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: quia tunc temporis hæc ſaltem verba adhibebantur in Eccleſia Romana, cui Anglicanam Eccleſiam ab Auguſtino Romano inſtructam, & tunc temporis Eccleſiæ Romanæ conjunctiſſimam, ſeſe conformaſſe non poſſumus non præſumere.

§. III.

Prob. 2. Aſſertio noſtra ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Secundum*, ubi dicitur: *Secundum ſacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma ... Forma autem eſt, Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Hac auctoritate opprimuntur adverſarii: docent enim, à Chriſto non in genere tantùm, ſed in ſpecie inſtitutam fuiſſe formam Confirmationis. Ergo Chriſtus hanc inſtituit formam, *Signo te ſigno crucis, &c.* Ergo hæc ſemper fuit Confirmationis forma: nam inſtitutio Chriſti immutabilis eſt. Ergo etiam prioribus Eccleſiæ ſæculis Confirmatio data eſt ſub hac forma, *Signo te ſigno crucis, &c.* Ergo Eccleſia ad confirmandum hanc ſemper adhibuit formam, *Signo te, &c.*

At inquiunt. Decretum Eugenii intelligi debet de forma integrali, non de eſſentiali. *Reſp.* 1. Si decretum Eugenii intelligi debet de forma integrali tantùm, cùm ait formam Confirmationis eſſe, *Signo te, &c.* intelligi quoque debet de materia non eſſentiali, ſed integrali tantùm, cùm ait materiam Confirmationis eſſe chriſma; & tamen adverſarii, contra quos potiſſimùm hìc pugnamus, volunt chriſma eſſe partem eſſentialem materiæ Confirmationis. Quòd ſi dicant, decretum intelligendum eſſe de materia eſſentiali, & de forma tantùm integrali, digito monſtrabuntur.

2. Cùm decretum ait §. *Primum*, formam baptiſmi eſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* & §. *Quartum*, formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſe, *Ego te abſolvo &c.* & §. *Quintum*, formam extremæ-unctionis eſſe, *Per iſtam unctionem, & ſuam, &c.* loquitur de forma eſſentiali. Ergo loquitur etiam de forma eſſentiali, cùm ait formam Confirmationis eſſe, *Signo te, &c.*

At inquiunt. 1. Si decretum Eugenii loquitur de forma eſſentiali, omiſſis his verbis, *Signo, te ſigno crucis*, vel iſtis, *chriſmate ſalutis*, aut omiſſa expreſſa invocatione SS. Trinitatis, ſacramentum non valeret. 2. Eugenius rem, quæ ad meram diſciplinam pertinet, Armenos docere voluit, & eos ad ritus in Occidentali Eccleſia obſervari ſolitos adducere. 3. Irrita eſſet Confirmatio, quæ nunc datur à Græcis: non enim utuntur his verbis, *Signo te, ſigno crucis, &c.*

R. ad 1. dando inſtantiam. Si decretum Eugenii dicendo formam baptiſmi eſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* loqueretur de forma eſſentiali, omiſſa hac voce, *Ego*, ſacramentum non valeret. Item ſi decretum Eugenii dicendo formam extremæ-unctionis eſſe, *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, &c.* omiſſis his vocibus, *per iſtam unctionem*, vel iſtis, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, ſacramentum non valeret. Atqui baptiſmus, valet omiſſa hac voce, *Ego*. Item extrema-unctio valeret ſecundùm adverſarios, etiamſi hæc tantùm proferrentur verba, *Indulgeat tibi Dominus*. Ergo decretum Eugenii dicendo formam baptiſmi eſſe, *Ego te baptizo, &c.* non loquitur de forma eſſentiali. Item dicendo, &c. valetne hoc argumentum?

R. itaque 2. neg. ſeq. Nam ad hoc ut forma illa Confirmationis, quam refert decretum Eugenii, dicatur & ſit eſſentialis, & non integralis tantùm; non requiritur ut omnia verba, ex quibus conſtat, ſint eſſentialia, ſed ſufficit, ut verba eſſentialia habeat, hoc eſt, ut habeat verba, quæ ſecundùm inſtitutionem Chriſti requiruntur, & ſufficiunt ad determinandam materiam proximam ad ſignificationem ſacramentalem, eamque elevandi ad eſſe ſacramenti, ſeu ad eſſe ſigni ſacri & ſenſibilis, &c. ut patet ex formulis baptiſmi & extremæ-unctionis, quas refert decretum Eugenii.

Ad 2. *R.* Si cùm Eugenius in decreto ſuo dicit, materiam Confirmationis eſſe chriſma, formam verò, *Signo te, &c.* vult tantùm Armenos docere rem ad meram diſciplinam pertinentem, id etiam tantùm vult, cùm dicit materiam baptiſmi eſſe aquam veram & naturalem, & formam, *Ego te baptizo, &c.* Item cùm dicit, materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum de vite, formam verò, hæc Salvatoris verba, *Hoc eſt Corpus meum*. Item cùm dicit, materiam extremæ-unctionis eſſe oleum olivæ ab Epiſcopo benedictum, formam verò, *Per iſtam unctionem, & ſuam, &c.* Atqui hoc eſt enormiter abſurdum, & evidenter falſum. Quòd ſi Eugenius abſque intolerabili abſurditate dici non poteſt, rem ad meram diſciplinam pertinentem docere, cùm loquitur de materia & forma Baptiſmi, Euchariſtiæ, Extremæ-unctionis, &c. nec poteſt, cùm loquitur de materia & forma Confirmationis.

Ad 3. *R.* neg. Quamvis enim forma noſtra convenientior ſit quàm Græcorum forma, utpote expreſsè & diſtinctè ſignificans non ſolùm gratiam, quæ infunditur, ſed etiam characterem, qui imprimitur in Confirmatione, atque inſuper effectus utriuſque cauſam principalem, ſcilicet SS. Trinitatem, non tamen abſolutè neceſſaria eſt ad valorem ſacramenti, & ſufficere poteſt alia ei æquivalens, licèt minùs diſtincta & explicita, qualis eſt hæc Græcorum forma,

Signaculum donationis Spiritus ſancti, qua character & gratia Confirmationis cum utriuſque cauſa principali ſufficienter exprimuntur, ut oſtendit Arcudius lib. 2. de concord. cap. 7. *Nota obiter*. Chriſtus inſtituendo Sacramenta, non determinavit verba formarum, ſed ſenſum tantùm: unde verba quælibet, ſenſum ſufficienter exprimentia, ſufficere poſſunt ad valorem ſacramenti.

§. IV.

Prob. 3. Aſſertio noſtra ex Pontificali Romano, juſſu Clementis VIII. edito an. 1545. in quo poſt orationem, in qua adverſarii formam Confirmationis conſtituunt, hæc ſequuntur: *Pontifex ſedens ſuper faldiſtorium, vel etiam ſi multitudo confirmandorum id exiget, diſpoſitis illis per ordinem ſuper gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex ſtans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos, & uno ordine confirmato, illi ſurgunt, & alii genuflectunt, & confirmantur, & ſic uſque in finem*. Igitur oratio illa non eſt Confirmatio, aut pars Confirmationis, ſed aliquid Confirmationi prævium, & veluti præludium: Pontifex enim, cùm eam profert, nondùm confirmat, nec niſi poſt ejus prolationem confirmat.

Priuſquam autem confirmet Pontifex, *inquirit ſigillatim de nomine cujuslibet confirmandi .... & ſummitate pollicis dextra manus chriſmate intincta, dicit*: Signo te ſigno crucis: *quod dum dicit, producit pollice ſignum crucis in frontem illius; deinde proſequitur*: & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti .... *Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, &c.* Juxta Pontificale igitur Pontifex ſacramentum confert, cùm pollice chriſmate intincto producit ſignum crucis, &c. (en materia proxima) & producendo dicit: *Signo te, ſigno &c.* (en forma.) Ergo ſacramentum Confirmationis adæquatè conſiſtit in unctione chriſmatis in fronte facta in modum crucis ſub hac verborum formula, *Signo te, &c.* adeoque hujus ſacramenti forma in his verbis indicativis, *Signo te, &c.* conſiſtit.

Porrò ne quis ſuſpicetur, Clementem aliquid circa ſacramentorum adminiſtrationem innovaſſe, aut quadantenùs ab antiqua Eccleſiæ Romanæ praxi & traditione receſſiſſe, audiamus illum in ſua conſtitutione ſuper novi Pontificalis editione. *Pontificale Romanum*, inquit, *tandem reſtitutum & abſolutum eſt, atque ita ex omni parte diſpoſitum ... ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus urbis Eccleſiis, tum in noſtra Vaticana Bibliotheca, ac denique in quibuſdam aliis inſignibus locis aſſervantur, alienum aut diſcrepans irrepſerit*. Dubitandum autem non eſt, Clementem in antiquis illis Pontificalium codicibus, de quibus loquitur, Ordinem Romanum, cujus toties mentionem fecimus, & librum ſacramentorum S. Gregorii comprehendere; quod etiam ſuadet ipſa oratio, quæ Confirmationi præmittitur, & eſt eadem in libro ſacram. ac Ord. Rom. Ergo in verbis ex Clementis Pontificali ſupra relatis habemus perpetuam & conſtantem Eccleſiæ Romanæ praxim in adminiſtranda Confirmatione. Ergo ſemper in Eccleſia Romana Confirmatio data eſt ſub hac verborum formula, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te, &c.* & quidem ut parte ipſius formali, & compartem, nempe chriſmatis unctionem, & ſacramentalem ſignificationem determinante; niſi tamen aliquando data fuerit ſub his tantum verbis: *Confirmo te in nomine Patris, &c.* quod non niſi accidentalem diverſitatem facit, in quo nullum eſt inconveniens.

§. V.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Hæc forma, *Signo te, &c.* non fuit Confirmationi eſſentialis prioribus Eccleſiæ ſæculis: nam ante ſæculum ſextum non fuit adhibita inter confirmandum. Ergo nunc eſſentialis eſſe non poteſt. *R.* neg. ant. Hæc enim forma Confirmationi eſſentialis ſemper fuit ſaltem quantùm ad hæc verba, *Confirmo te*, quod nobis ſufficiet. *Ad prob. R.* etiam ante ſextum ſæculum hæc ſaltem verba, *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, inter confirmandum adhibita fuiſſe, ut ſatis ſuperque oſtendimus. Nec in contrarium quidquam efficere poſſunt argumenta illa negativa, quæ ad nauſeam inculcant adverſarii, & quibus nos appoſuimus argumentum poſitivum, nixum fundamento receptiſſimo, & à catholicis omnibus recipiendo.

Obj. 2. Qui formam Confirmationis in his verbis, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te, &c.* conſtituunt, non conveniunt inter ſe, quænam verba neceſſaria ſint neceſſitate ſacramenti. *R.* hoc eſſe falſum: omnes enim conſentiunt, hæc ſaltem verba, *Confirmo te*, requiri ad valorem ſacramenti; reliqua verò neceſſaria ſaltem eſſe neceſſitate præcepti eccleſiaſtici. Multi autem docent, quorum nobis placet ſententia, ad valorem ſacramenti omninò ſufficere hæc verba, *Confirmo te in nomine Patris, &c.* quippe quibus exprimitur effectus primarius Confirmationis, nempe gratia roborans ad fidem fortiter profitendam, & hujus gratiæ cauſa principalis, nempe SS. Trinitas, cujus tamen expreſſam & diſtinctam invocationem non requiri, ſed unius perſonæ, nempe Spiritus ſancti, cui ſpecialiter animarum ſanctificatio attribuitur, expreſſionem ſufficere oſtendit forma Græcorum.

At inquies. Effectus ille primarius Confirmationis, nempe gratia roborans, per orationem, quæ neophytorum unctionem præcedit, longè clarius exprimitur, quàm per hæc verba, *Confirmo te*. Ergo non in his verbis, ſed in illa oratione forma Confirmationis conſtituenda eſt. *Reſp.* neg. conſ. Nam 1. effectus omnes extremæ-unctionis per orationem, quæ poſt unctionem profertur, longè clarius exprimuntur, quàm per hæc verba, *Per iſtam unctionem, &c.* & tamen ipſimet adverſarii in his verbis, non in oratione illa, formam extremæ-unctionis conſtituunt. 2. Hæc verba, *Indulgeat tibi Deus*, non clariùs exprimunt effectum primarium extremæ-unctionis, quàm hæc verba, *Confirmo te*, effectum primarium Confirmationis; & tamen adverſarii formam eſſentialem extremæ-unctionis conſtituunt in his verbis, *Indulgeat tibi Deus*: quare ergo non dicunt, & quidni nos dicemus idem de iſtis, *Confirmo te*, reſpectu Confirmationis?

Itaque quamvis hæc verba, *Confirmo te*, effectum primarium Confirmationis tanta claritate non exprimant, quanta exprimi poteſt, ſufficienter tamen illum exprimunt ad hoc, ut prolata cum intentione debita, unctionem chriſmatis, quam comitantur determinare valeant ad ſignificationem ſacramentalem; atque ita cum illa Confirmationis ſacramentum conſtituant: ſicut hæc verba, *Indulgeat tibi Deus*, effectum primarium extremæ-unctionis tanta claritate non exprimunt, quanta poteſt exprimi, ſufficienter tamen ſecundùm adverſarios illum exprimunt ad hoc, ut unctionem olei, quam comitantur determinare poſſint ad ſacramentalem ſignificationem; atque ita cum ea faciant ſacramentum extremæ-unctionis.

Obj. 3. Patres Latini, qui prioribus ſæculis floruerunt, de Confirmatione loquentes, ſolius quæ neophytorum unctionem præcedit, orationis meminere, eique ſacramenti effectum attribuere. Ergo prioribus ſæculis non alia fuit forma Confirmationis, quàm oratio illa. Ergo, &c. *Probabis*. ant. Nam 1. S. Cyprianus ſic ait epiſt. 70. ad Jubaianum: *Tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus*. 2. S. Ambroſius lib. 3. de ſacram. cap. 2. hæc habet: *Sequitur ſpiritale ſignaculum ... quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur*. 3. S. Hieronymus dia-

logo

logo adverſùs Luciferianos ſic loquitur : *Non abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ... Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat.* 4. S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 26. ſic ait : *Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum : orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.*

R. neg. ant. & dico, Patres priorum ſæculorum formæ hujus indicativæ, *Signo te, & confirmo te*, locis citatis meminiſſe, & expreſſam voluiſſe nomine orationis, & invocationis, *At inquies.* Patres nomine orationis, & invocationis, aliud intellexiſſe dici non poſſunt, quàm formam deprecativam. *R.* hoc eſſe falſum : nam forma baptiſmi fuit ſemper indicativa, & tamen illam nomine deprecationis ſignificat Auguſtinus lib. 5. de bapt. c. 20. Item forma Euchariſtiæ ſemper fuit indicativa ; hæc enim ſemper fuit, *Hoc eſt Corpus meum* ; ſicut hæc ſemper fuit forma baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine*, *&c.* & tamen formam Euchariſtiæ deprecationem Auguſtinus loco citato, & invocationem Cyrillus Hier. catech. myſtag. 3. nominat.

Verba Cyrilli ſunt, *Quemadmodum panis Euchariſtiæ, poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti.* Verba verò Auguſtini ſunt, *Quomodo exaudit* (Deus) *homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, &c.* Porrò Patres ſacerdotem, cùm panem conſecrat, dicendo : *Hoc eſt Corpus meum*, dicunt deprecari, vel Spiritum ſanctum invocare ; quia tunc tantùm agit ut miniſter & inſtrumentum Chriſti ; atque ita habet ſe per modum deprecantis & invocantis, non verò per modum imperantis : quamvis per verba illa, quæ profert, id quod ſignificant, operetur infallibiliter. Similiter cùm baptizans dicit : *Ego te baptizo, &c.* vel confirmans dicit ; *Signo te ſigno crucis, &c.* deprecatur ſecundùm Patres, quia per verba, quæ profert, non operatur, ut cauſa principalis, ſed ſolùm ut inſtrumentalis, quæ Deum, qui ſanctificationis omnis liberrima & principalis cauſa eſt, volentem determinat moraliter ad infundendam gratiam, qua regeneratur is, qui baptizatur ; vel roboratur ad ſpiritualem pugnam is, qui confirmatur.

Obj. denique 4. Scripturam. Act. c. 8. dicitur, *Qui cùm veniſſent* (Petrus & Joannes Apoſtoli) *oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum ..., tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Nec dici poteſt, Scripturam orationis nomine formam indicativam intelligere. Nam 1. ex his verbis Jacobi cap. 5. *Et orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ... & oratio fidei ſalvabit infirmum, &c.* colligunt Theologi extremæ unctionis formam eſſe deprecativam. 2. Nullo monumento probari poteſt, Apoſtolos, & eorum ſucceſſores immediatos, in adminiſtranda Confirmatione forma indicativa uſos fuiſſe. Ergo, &c.

R. ad obj. 1. Scripturam intelligi poſſe de oratione ab Apoſtolis facta, antequam ſacramentum conferrent, & cùm ſubjicit : *Tunc imponebant manus ſuper illos* (illorum ſcilicet frontem ungendo chriſmate) ſupplenda eſſe hæc verba ſubintellecta, dicendo : *Signo te ſigno crucis, &c.* ſicut ſupplenda ſunt, cùm dicitur cap. 19. *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.* 2. Dato quòd Scriptura loco citato, per ly *oraverunt pro ipſis*, intelligat formam ſub qua confirmarunt Apoſtoli, formam hanc orationem vocat eo ſenſu, quo Patres poſtea vocarunt, & quem ſupra explicuimus.

Ad 1. *partem Confirmationis R.* Theologi extremæ-unctionis formam eſſe deprecativam colligunt ex his Jacobi verbis, *Et orent ſuper eum*, non ſolitariè ſumptis, ſed juncta traditione Apoſtolica, quæ relucet in perpetua praxi Eccleſiæ, formam deprecativam in extrema-unctione adhibentis. Unde neg. conſeq. Nam neque Orientalis, neque Occidentalis Eccleſia unquam formam deprecativam adhibuit in Confirmatione, ſi tamen unam aut alteram fortè Eccleſiam particularem excipias : unde ex his verbis Lucæ, *Oraverunt pro ipſis*, colligere non poſſumus formam Confirmationis deprecativam eſſe.

Ad 2. *p. R.* 1. per inſtantiam. Nullo monumento, quale intelligunt adverſarii, probari poteſt Apoſtolos eorumque immediatos ſucceſſores, &c. his verbis, *Ego te baptizo, &c.* uſos fuiſſe in baptiſmo : omnium enim ſcriptorum eccleſiaſticorum primus, Gregorius Magnus in his verbis, *Ego te baptizo, &c.* formam baptiſmi conſiſtere ſcripſit ſub finem ſexti ſæculi, & tamen dubitari non poteſt, Apoſtolos eorumque ſucceſſores immediatos baptiſmum adminiſtraſſe ſub horum verborum formula, *Ego te baptizo, &c.* quia ſcilicet hoc ſufficienter probat Eccleſiæ praxis ; cujus perpetuitatem ſufficientiſſimè probamus ex eo, quòd ab aliquo Pontifice, vel Epiſcoporum Concilio non inveniatur inſtituta. *R. itaque* 2. ad probandum Apoſtolos & eorum ſucceſſores immediatos hac forma indicativa, *Confirmo te, &c.* inter confirmandum uſos fuiſſe, non indigere nos expreſſo veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum teſtimonio, ſed ſufficere nobis praxim Eccleſiæ, cujus praxis perpetuitatem demonſtramus ex eo, quòd ab aliquo Pontifice, vel Epiſcoporum Concilio inſtitutam fuiſſe, nec oſtendatur, nec poſſit oſtendi.

Nobis conſentit S Thomas hic q. 72. a. 4. ad 1. ubi docet Apoſtolos confirmaſſe per unctionem chriſmatis in fronte, & prolationem horum verborum, *Conſigno te ſigno crucis, &c.* ſimulque reſpondet adverſariis poſtulantibus monumentum aliquod, ſeu teſtimonium ſcriptoris alicujus ex iis, qui prioribus Eccleſiæ ſæculis floruerunt. Nam ſic ait : *Quandoque* (Apoſtoli) *tanquam miniſtri ſacramentorum, hoc ſacramentum* (Confirmationis) *præbebant, & tunc ſicut materia* (nempe chriſmate) *ita & forma* (nempe Conſigno te, &c) *ex mandato Chriſti utebantur. Multa enim ſervabant Apoſtoli in ſacramentorum collatione, quæ in ſcripturis communiter propoſitis non ſunt tradita* (imò nec ſcripta à Patribus, qui prioribus ſæculis floruerunt.) *Unde Dionyſius dicit in fine Eccl. hier.* Conſummativas invocationes, *id eſt, verba quibus perficiuntur ſacramenta*, non eſt juſtum Scripturas interpretantibus, neque myſticum earum, aut in ipſis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere : ſed noſtra ſacra traditio ſine pompa, id eſt, occultè eas edocet.

DISPUTATIO II.

De Miniſtro Confirmationis.

ARTICULUS I.

Qui ſit Confirmationis ordinarius Miniſter.

Responsio.

SOlus Epiſcopus eſt ordinarius miniſter Confirmationis.

Eſt de fide contra Calvinum, ſic loquentem lib. 4. inſtit. cap. 19. §. 10. *Faxo tamen, vocetur dignior Confirmatio à dignitate Epiſcopalis manus. Sed ſi quis ab illis ſciſcitetur unde tanta prærogativa Epiſcopis delata fuerit, quam rationem afferent præter ſuam libidinem?* Lutherum lib. de captiv. Babyl. Wicleffum lib. 4. Trialogi c. 14. & Waldenſes apud Reinerum, quibus omnibus prævivit Photius ſæculo nono in encyclica ad Patriarchales Sedes Orientis epiſtola, in qua ſic loquitur : *Non licet ſacerdotibus, ajunt* (Occidentales) *eos qui ſacro baptiſmate initiantur, unguento ſanctificare ; ſolis enim Pontificibus hoc datum eſſe, unde venit hæc lex? & quiſnam hujus legis conditor, &c.* Sed contra illos omnes.

Prob. reſp. 1. ex Scriptura. Nam Act. cap. 8. dici-

tur, Petrum & Joannem Apoſtolos ab Eccleſia Hieroſolymis miſſos fuiſſe, ut confirmarent eos, quos Philippus diaconus in Samaria baptizaverat. Et c.19. refertur Paulus, & ipſe Apoſtolus, confirmaſſe eos, quos juſſerat ab aliis baptizari. Unde apertè colligitur, ſolos Apoſtolos confirmaſſe. Atqui cur ſoli Apoſtoli confirmarint, nulla alia ratio aſſignari poteſt, quam quòd ad primum gradum eccleſiaſticum, qui profectò Epiſcopalis eſt, confirmandi munus ſaltem ordinarium pertineat. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Patribus, pro quibus omnibus ſit Cyprianus epiſt. 70. ad Jubaianum, ubi ait: *Quia legitimum & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant* (Samaritani) *baptizari eos ultra non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus* (hoc eſt ut confirmarentur) *quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, per præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominica conſummentur* (hoc eſt, per chriſmatis unctionem in modum crucis, quæ ſignum dominicum eſt, factam in fronte ſub debita verborum formula confirmentur.)

Teſte igitur Cypriano, Confirmatio, ſicut per ſolos Apoſtolos primo ſæculo collata fuerat, ita tertio ſæculo per ſolos Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores conferebatur, & conferebatur per ſolos Epiſcopos, quia per ſolos Apoſtolos collata fuerat. Non niſi quia Chriſtus Apoſtolos & eorum ſucceſſores Epiſcopos hujus ſacramenti miniſtros ſaltem ordinarios inſtituit. Ergo, &c.

Prob. 3. Ex ſummis Pontificibus, nempe ex Cornelio in epiſt. ad Fabianum Antioch. in qua de Novatiano dicit apud Euſeb. lib. 6. hiſt. Eccl. c. 43. *Neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* Hic manifeſtum eſt, Cornelium loqui de ſacramento Confirmationis, cujus adminiſtrationem ad ſolum Epiſcopum pertinere, apertè innuit.

Innocentio I. in epiſt. 1. ad Decentium c. 3. in qua ſic ait; *De conſignandis infantibus manifeſtum eſt, non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri, licèt ſint ſacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent*, Tum ut probet ad ſolos Pontifices confirmandi munus ſaltem ordinarium pertinere, continuò hæc ſubjicit: *Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum.*

Leone Magno in epiſt. 88. ubi dicit: *Hæc omnia* (nempe chriſma conficere, chriſmate baptizatorum frontes ſignare, &c.) *illicita ſunt chor-epiſcopis, qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur; vel presbyteris, qui eandem geſtant formam: quoniam quanquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus* (hoc eſt, Epiſcopis) *authoritate canonum præcipitur, ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur.*

Et Gregorio Magno lib. 3. epiſt. 9. ad Januarium Catalitanum, in Sardinia Epiſcopum, in qua ſic loquitur: *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate non præſumant: ſed presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte.* Certè ſi presbyteri eſſent ordinarii miniſtri Confirmationis, eam non ſic prohiberentur adminiſtrare. Præterea, cùm ſummi Pontifices dicunt presbyteris licitum non eſſe Confirmationem adminiſtrare, quia Pontificatus apicem non obtinent, manifeſtè ſignificant munus ſaltem ordinarium confirmandi, gradui Epiſcopali adnexum eſſe.

Prob. 4. Ex Conciliis, Eliberitano can. 38. quo laico, qui catechumenum in extrema infirmitatis neceſſitate baptizavit, præcipitur, *ut ſi ſupervixerit* (catechumenus ille) *ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem eum perfici poſſit.* Quibus verbis apertè innuitur ſolum Epiſcopum miniſtrum eſſe Confirmationis.

Florentino in decreto Eugenii §. *Secundum*, ubi dicitur: *Ordinarius* (Confirmationis) *miniſter eſt Epiſcopus.* Et Tridentino ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione, ubi ait: *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem ſacerdotem: anathema ſit.*

Prob. 5. Ratione congrua. Nam 1. Confirmatio eſt complementum quoddam & perfectio baptiſmi, ut apertè colligitur ex modo loquendi Conciliorum & Patrum, qui dicunt hominem baptizatum perfici per ſacramentum Confirmationis. Ergo conveniens fuit, ut à primario miniſtro conferretur. 2. Per Confirmationem homo ad militiam Chriſti adſcribitur, ſicut adſcribitur ad Chriſti familiam per baptiſmum. Atqui ad militiam adſcribere, pertinere debet ad Duces & Imperatores, quales in Eccleſia ſunt Epiſcopi. Ergo, &c.

Obj. 1. Ananias, qui non erat Epiſcopus, Act. cap. 9. impoſuit manus Paulo: nam ibi dicitur: *Imponens ei manus* (Ananias) *dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus ... ut videas & implearis Spiritu ſancto, & confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.* *R.* impoſitionem illam manuum factam fuiſſe ante baptiſmum, non poſt. Paulus autem confirmari non potuit ante baptiſmum; cùm baptiſmus ſit primum omnium ſacramentorum. Illa igitur manuum impoſitio fuit curatoria tantùm, non confirmatoria: neque Ananias manus impoſuit Paulo, ut ei traderet Spiritum ſanctum, ſed ut ei viſum reſtitueret. Quare Scriptura dicit, non Spiritum ſanctum deſcendiſſe ſuper Paulum, Anania manus ei imponente: ſed cecidiſſe tanquam ſquamas ab oculis ejus, eumque viſum recepiſſe. Viſu autem recepto, ſurrexit & baptizatus eſt, & per baptiſmum impletus Spiritu ſancto. Miſit igitur Dominus Jeſus Ananiam ad Paulum, ut eum ſanaret per manus impoſitionem, & per baptiſmum Spiritu ſancto impleret.

Hunc eſſe Scripturæ laudatæ ſenſum patet ex eo quòd ſuperiùs dicitur: *Et vidit* (Saulus) *virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat. At inquies.* A quo ergo confirmatus fuit Paulus? *R.* vel confirmatum fuiſſe ab aliquo Apoſtolo, non enim omnia ſcripta ſunt; vel Spiritus ſancti plenitudinem, ſicut & alios Apoſtolos, ſine humana manuum impoſitione à Deo accepiſſe, quod videtur nobis veriſimilius.

Obj. 2. Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 4. Paulus dicit: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetam, cum impoſitione manuum presbyterii.* *R.* hic Apoſtolum per to *presbyterium* intelligere conventum Epiſcoporum, & loqui, non de Confirmatione, ſed de Ordinatione Epiſcopali, quæ fit, non per unum, ſed per plures Epiſcopos. Confirmatio autem non per plures Epiſcopos datur, ſed per unum tantùm. Unde hic locus non eſt ad rem.

Obj. 3. S. Hieronymum in dialogo adversùs Luciferianos; *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui: diſce, hanc obſervationem ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit, & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs ſacerdotii, quàm ad legis neceſſitatem.*

R. S. Hieronymum hic noſtrum eſſe: nam aſſerit, ſolum Epiſcopum miniſtrum eſſe Confirmationis, cùm ait baptizatum in Eccleſia, non niſi per manum Epiſcopi Spiritum ſanctum accipere; neque his verbis, *Ad honorem potiùs ſacerdotii, quàm ad legis neceſſitatem*, non aliud intendere, quàm munus ordi-

narium

narium confirmandi ad ſolos Epiſcopos pertinere, non ex natura rei, quaſi verò Spiritus ſanctus aliter accipi non poſſit quàm per manus Epiſcopi, alioqui, ut ſubjicit S. Doctor, *ſi ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus ſanctus deſlnit, lugendi ſunt qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Epiſcopis inviſerentur*: ſed propter voluntatem & inſtitutionem Chriſti, qui ſummum ſacerdotium ſpecialiter honorare voluit, certas Epiſcopis attribuendo prærogativas, quas non attribuit presbyteris. Sic autem ſummum ſacerdotium honorari conveniebat; quia, ut poſt verba proximè laudata proſequitur S. Doctor, *Eccleſia ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quadam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes.*

Obj. 4. Concilium Hiſpalenſe II. can. 7. in quo dicitur: *Quamvis cum Epiſcopis plurima illis* (presbyteris) *myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quadam novellis & eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint* (presbyteri,) *ſicut presbyterorum & diaconorum ac virginum conſecratio .... ſiquidem nec licere eis ... per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hareſi, Paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, &c.* Ergo munus confirmandi ſolis Epiſcopis non competit jure divino, ſed eccleſiaſtico tantùm.

R. hoc Concilium per novellas & eccleſiaſticas regulas intelligere quidem epiſtolas Innocentii & Leonis à nobis allegatas, ut patet ex contextu. At novellæ illæ & eccleſiaſticæ regulæ, quarum authoritas Synodo ſufficit, non novum aliquod jus ſtatuunt, ſed declarant jus divinum & inſtitutionem Chriſti, quam certè Synodus excludere minimè intendit.

Obj. 5. Si ſolus Epiſcopus dare poteſt Confirmationem, valor ſacramenti pendet à dignitate miniſtri. Conſequens continet errorem Donatiſtarum. Ergo, &c. *Reſp.* diſt. ſeq. maj. Valor ſacramenti pendet à miniſtri dignitate eccleſiaſtica, ſeu à certo gradu eccleſiaſtico, C. ſeq. maj. Pro omnibus ſacramentis, exceptis Baptiſmo & Matrimonio à miniſtri dignitate morali, ſeu à miniſtri fide vel probitate, N. ſeq. maj. Error autem Donatiſtarum fuit, non quòd valor ſacramentorum pendeat à gradu eccleſiaſtico, ſed quòd pendeat à fide vel probitate Miniſtri: alioqui Donatiſtarum error eſſet, quòd ſoli presbyteri Euchariſtiam conſecrare poſſint, quod eſt falſum & hæreticum.

Obj. 6. Tam presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, quàm Epiſcopi. Ergo confirmandi munus tam ad presbyteros pertinet, quàm ad Epiſcopos. *R.* neg. ant. cum Bellarmino lib. 2. de ſacram. Confirm. c. 12. ubi ait, Presbyteros quidem aliquo modo Apoſtolis ſuccedere, at illis ſimpliciter & abſolutè ſuccedere ſolos Epiſcopos. Pro quo

Nota cum eodem, 1. Apoſtolos fuiſſe primos chriſtianos. 2. Primos ſacerdotes. 3. Primos ſummos ſacerdotes. 4. Summos ſacerdotes, non in uno tantùm loco, ſed in toto terrarum orbe: potuerunt enim ubique prædicare, baptizare, ordinare, leges ferre, &c. 5. Summam illam in totum orbem poteſtatem, uno Petro excepto, non habuiſſe ut ordinariam, ſed tantùm ut extraordinariam, & quaſi delegatam; unde in ſumma illa in totum orbem poteſtate ſoli Petro & nulli alteri Apoſtolo ſucceditur. 6. Tria priora fuiſſe in omnibus Apoſtolis ordinaria, adeoque in tribus prioribus ſuccedi poſſe omnibus Apoſtolis.

Itaque chriſtiani omnes ſuccedunt Apoſtolis, ut primis chriſtianis. Sacerdotes omnes ſuccedunt Apoſtolis, ut primis ſacerdotibus. Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, ut primis ſummis ſacerdotibus, atque ita Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis in tota eorum ordinaria poteſtate, in qua non eis ſimiliter ſuccedunt ſimplices ſacerdotes. Unde ſimplices ſacerdotes non niſi ſecundùm quid, Epiſcopi verò ſimpliciter & abſolutè ſuccedunt Apoſtolis: non enim abſolutè & ſimpliciter ſucceditur alicui, niſi ſuccedatur ei in his omnibus, in quibus ei ſuccedi poteſt, proindeque niſi ſuccedatur ei in tota ejus authoritate ordinaria.

Dices. Saltem presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, ut ſacerdotibus. Atqui Apoſtoli confirmarunt, præcisè ut ſacerdotes, non ut ſummi ſacerdotes. Ergo confirmandi munus, &c. *R.* neg. min. Et verò ſi Apoſtoli non confirmabant, quia erant ſummi ſacerdotes, quare ad confirmandum Samaritanos à Philippo diacono baptizatos, potiùs miſſi Petrus & Joannes Apoſtoli, quàm aliqui ex ſeptuaginta diſcipulis, qui omnes erant ſacerdotes? Præterea, quòd Apoſtoli, ut ſummi ſacerdotes, confirmarent, ſatis ſuperque conſtat ex traditione divina, cujus teſtes ſunt Concilia & Patres, ſolis Epiſcopis confirmandi munus ſaltem ordinarium vindicantes.

ARTICULUS II.

Utrùm ſimplex ſacerdos poſſit eſſe ordinarius Miniſter Confirmationis.

Responsio.

Poteſt ſimplex ſacerdos ex diſpenſatione ſummi Pontificis validè Confirmationem adminiſtrare.

Ita S. Thomas hic q. 72. a. 11. ad 1. ubi ſic ait: *Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quadam, que ſunt ſuperiorum ordinum, committere quibuſdam inferioribus: ſicut quibuſdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem. Et ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit B. Greg. Papa, quòd ſimplices ſacerdotes hoc ſacramentum* (Confirmationis) *conferrent, quandiu ſcandalum tolleretur.* S. Thomæ aſſentiuntur alii plurimi Doctores Scholaſtici cum omnibus Canoniſtis. Sed

Prob. reſp. 1. ex facto Gregorii Magni, quod laudat S. Thomas verbis proximè relatis. Gregorius itaque lib. 3. epiſt. 26. ad Januarium Calaritanum, concedit Sardiniæ presbyteris, ut confirment iis in locis, in quibus deſunt Epiſcopi. *Pervenit quoque ad nos*, inquit, *quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſia noſtra fecimus: ſed ſi omninò hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Hic autem Gregorium de Confirmatione loqui, patet ex ejus epiſt. 9. ejuſd. libri ad eundem Januarium verbis ſupra relatis: neque tantum Pontificem hic errore facti lapſum eſſe, ſine temeritate dici poſſe videtur.

Prob. 2. Ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Secundum*, ubi ſimpliciter dicitur, ordinarium miniſtrum Confirmationis eſſe Epiſcopum; & inferiùs redditur ratio his verbis: *Legitur tamen, aliquando per Apoſtolica Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum*. Quibus verbis inter alia indicatur factum Gregorii, & proculdubio approbatur.

Accedit Tridentinum, de quo ſic loquitur Bellarminus loco ſuperiùs laudato: *Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 3. de Confirm. ideò ait ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, ut indicaret poſſe extraordinaria poteſtate idem fieri etiam à presbytero.* Quod confirmatur ex eo, quòd Tridentinum idem de miniſtro Confirmationis ſenſiſſe, & docere voluiſſe, quod ſenſerat & docuerat Florentinum in Eugenii decreto, rationabiliter dubitari non poteſt.

Prob. 3. Ex praxi Græcorum. Nam apud Græcos pres-

preſbyteri Confirmatioοem adminiſtrant, non quidem ut ordinarii, ſed ut extraordinarii miniſtri. Arqui validè adminiſtrant. Ergo, &c. Major patet ex Euchologio, quo utuntur Græci, & in quo hæc leguntur in officio ſancti Baptiſmatis: *Uncto toto corpore* (catechumeni) *baptizat eum ſacerdos, erectum illum tenens, & ortum ſolis reſpicientem, & dicit: Baptizatur ſervus Dei, &c. Et poſtquam eductus fuerit* (ex aqua,) *adjicit ſacerdos orationem hanc: Benedictus es, Domine Deus, &c. Et oratione hac terminata, baptizatum ſancto unguento ungit, cujus ſignum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens: Signaculum doni ſancti Spiritus, Amen.* Quòd autem hoc non niſi ut extraordinarii miniſtri faciant Græci preſbyteri, patet ex dictis art. 1. & facilè concedunt Græci omnes orthodoxi.

Prob. itaque minor, 1. Ex eo quòd Græcos in ſchiſmate à preſbyteris confirmatos, nunquam iterùm confirmarit Eccleſia Romana. 2. Ex actis Concilii Florentini in fine, ubi refertur, finita Synodo, & unione utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis & Orientalis, conſummata, Eugenium convocatis Græcis propoſuiſſe quæſtiones aliquot, inter quas erat hæc numero ſexta, Cur preſbyteri, non autem Pontifices, ſacro chriſmate utantur, cùm ſoli Pontifices eo uti deberent; vel, ut è græco codice vertit Arcudius lib. 2. de concord. c. 15. quare Pontifices non inungunt ſacro chriſmate, ſed ſacerdotes, cùm hoc Pontificibus ſit datum? Et inferius ſubjicitur Pontifici à Græcis ſatisfactum eſſe ſuper his omnibus quæſtionibus, exceptis duabus ultimis, quæ erant de ſeparatione matrimonii, & creatione Patriarchæ extra Conſtantinopolim. *Quas quidem quæſtiunculas*, inquiunt Acta, *Præſul Mitylenenſis diſſolviſſe facilè viſus eſt, ultimis duabus exceptis, in quibus cùm ſummo Pontifici neutiquam ſatisfecerit, ſummus Pontifex Imperatorem rogavit, &c.*

Non potuit autem Mitylenenſis Epiſcopus ſummo Pontifici ſatisfacere circa Confirmatioοem à Græcis ſacerdotibus adminiſtratam, niſi aſſerendo, 1. Simplicem ſacerdotem Confirmationem ex legitima diſpenſatione adminiſtrare poſſe, ut extraordinarium miniſtrum. 2. Cum Græcis ſacerdotibus ob rationabiles & urgentes cauſas legitimè diſpenſatum fuiſſe, ut parvulos, quos baptizant, confirment. 3. Græcos ſacerdotes, non ut ordinarios, ſed tantùm ut extraordinarios miniſtros, & Epiſcoporum vicarios in adminiſtranda parvulis quos baptizant Confirmatione, ſeſe gerere. Quibus tribus Pontifex, cùm ea ſine ulla contradictione admiſerit, adductus eſt, ut Confirmationem à Græcis ſacerdotibus datam, ut validam & licitam probaret. Ergo, &c.

Confirmatur ex Arcudio, qui loco proximè ad marginem citato hæc ſcribit: *Nec defuerunt alii Pontifices* (præter Gregorium Magnum) *pari poteſtate præditi, quia hac noſtra ætate ob penuriam Epiſcoporum eandem* (confirmandi) *facultatem pauciſſimis quibuſdam viris Apoſtolicis ſpectatis Patribus Societatis Jeſu conceſſerint, ut religioſiſſimus Pater Ludovicus Fonſeca mihi oretenus retulit, præſentibus quoque aliis gymnaſii Græcorum in urbe alumnis, qui cùm ex Braſilica ora ſolviſſe, ac Romam ad generalem conventum anno Domini 1593. veniſſet, munere procuratoris illius Provinciæ functus eſt. Aiebat porrò, ac pro certo affirmabat, ſe ſolitum eſſe in illis partibus hoc ſacramentum* (Confirmationis) *adminiſtrare, ibique hujus authoritatis conceſſæ aſſervari diploma Pontificis.* Arcudium autem fabulam commentum eſſe, aut P. Ludovicum Fonſecam mentiri voluiſſe, credibile non eſt.

Porrò idem Arcudius ibidem ſcribit, alios referre *Adrianum VI.* anno 1522. die 25. Aprilis, petentibus fratre Galapione, & Franciſco de Angelis, conceſſiſſe pro Indiis, & regionibus ubi non ſunt Epiſcopi, ut ſacerdos regularis ex minoribus poſſet cum chriſmate ab Epiſcopo conſecrato confirmare. Haberi autem authenticum Hiſpali in monaſterio S. Franciſci.

At inquies. Adrianus ante ſummum Pontificatum docuit in 4. ſent. ſimplicem ſacerdotem nequidem ex commiſſione ſummi Pontificis validè poſſe Confirmationem adminiſtrare. *R.* ita eſſe: at ſententiam, ſi non evidenter falſam, ſaltem longè minùs probabilem facilè mutare potuit, cùm eſſet ſummus Pontifex, maturiùs ac diligentiùs Sedis ſuæ prærogativas inveſtigando.

Confirmatur iterùm ex Conciliis quibuſdam particularibus, Arauſicano ſcilicet I. can. 1. quo ait: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à preſbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit.*

Epaonenſi idem ſtatuente can. 16. quo ait: *Preſbyteros propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis & decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate permittimus ſubvenire. Quod omnes converſuri, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo noverint expetendum.*

Barcinonenſi II. can. 2. quo ait: *Simili etiam ſtatutum conditione eſt, ut cùm chriſma preſbyteris diœceſanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur. At inquies.* Synodus loquitur de neophytis confirmandis non per preſbyteros, ſed per Epiſcopos, quibus cùm diœceſes ſuas perluſtrabant, preſbyteri chriſma ad confirmandum ſuppeditare tenebantur. *R.* 1. Hæc interpretatio videtur manifeſtè adverſari ſenſui obvio canonis. 2. Mirum eſt, ſi aliquando Epiſcopi aliquid à preſbyteris acceperint, aut ſuos accipere ſiverint pro chriſmate, quo ipſi poſtea confirmaturi eſſent, & quod in hunc finem preſbyteris committebant.

At inquies. Synodi Arauſicana & Epaonenſis loquuntur de cæremonia, qua hæretici ad fidem converſi, cum chriſmali unctione reconciliabantur Eccleſiæ. *R.* ita eſſe: ſed cæremonia illa ſacramentalis erat, & hæretici, qui ad fidem convertebantur, tunc temporis in Gallia reconciliabantur Eccleſiæ per ſacramentum Confirmationis, cujus collationem præfatæ Synodi preſbyteris in caſu neceſſitatis extremæ permittunt pro reconciliandis hæreticis.

Obj. 1. Munus confirmandi jure divino competit ſolis Epiſcopis. Ergo committi non poteſt preſbyteris. *R.* munus ordinarium confirmandi jure divino competere ſolis Epiſcopis, ſicut etiam illis ſolis jure divino competit munus ordinarium prædicandi, quo non obſtante preſbyteri ad prædicandum delegari poſſunt, ſimiliter delegari poſſunt ad confirmandum. Sicut igitur munus prædicandi preſbyteris convenire poteſt ex conceſſione Epiſcoporum, quibus hoc munus jure divino proprium eſt; ita etiam munus confirmandi, quamvis Epiſcopis jure divino proprium, preſbyteris convenire poteſt ex conceſſione ſummi Pontificis, atque etiam poſſet ex conceſſione Epiſcopi cujuslibet pro ſua diœceſi, ſi hujuſmodi conceſſio ſummo Pontifici non eſſet reſervata; poſſet, inquam, juxta ſententiam plurimorum Theologorum & Canoniſtarum, apud Arcudium lib. 2. de concord. c. 15.

Horum autem eſt hoc axioma. „ Quidquid poteſt Pontifex in univerſo orbe, ſi ea excipias, quæ „ ad univerſæ Eccleſiæ ſtatum pertinent, poſſe Epi- „ ſcopum in ſua diœceſi, niſi ſpecialiter Pontifex ali- „ quid ſibi reſervet. Ratio eorum eſt, quia Epiſco- „ pus eſt paſtor ordinarius in ſua diœceſi, dicunt „ Pontifex in toto orbe, licèt ſit ipſi ſubjectus. „ Ergo in iis, in quibus Pontifex non coercet ejus „ juriſdictionem, habet poteſtatem ordinariam. „

Quòd ſi ante Pontificiam reſervationem potuit Epiſcopus quilibet pro ſua diœceſi munus confirmandi committere preſbyteris, idem potuit Synodus provincialis pro tota provincia, & nationalis pro tota natione; idem etiam potuit Orientalis Eccleſia pro totu Oriente; potuit, inquam, per commiſſionem vel expreſſam, vel etiam tacitam tantùm: quanquam conceſſionem hanc irritare & revocare potuerint & poſſent ſummi Pontifices; quod hactenùs non fecerunt, nec facere expediret. Ex his porrò, quomodo preſ-

byteri

byteri Græci ex conceſſione ſibi etiam extra Concilium aliquod generale Orientis facta, tanquam miniſtri extraordinarii munus confirmandi obire poſſint, & obeant validè & licitè, facilè intelligitur.

Dices. Poteſtas confirmandi convenit Epiſcopo per characterem Epiſcopalem. Ergo communicari non poteſt inferiori ordini. *Reſp.* poteſtatem confirmandi perfectam, abſolutam, & ab omni alio independentem, convenire Epiſco per characterem Epiſcopalem: unde Epiſcopus ad validè confirmandum non indiget diſpenſatione; imò à valida hujus ſacramenti collatione nulla ſuperiori poteſtate impediri poteſt. At præter illam poteſtatem, ita characteri Epiſcopali annexam, & Epiſcoporum propriam, ut nulli inferiori ordini convenire poſſit, eſt alia confirmandi poteſtas inchoata, imperfecta, & dependens à voluntate ſuperioris, à qua proinde per diſpenſationem compleri & perfici debet ad hoc ut in actum exire poſſit. Hæc autem poteſtas presbyteris ineſt propter characterem presbyteralem: unde presbyteri, ſuppoſita diſpenſatione legitima, validè confirmare poſſunt, & confirmant vi characteris presbyteralis; ſicut vi illius validè conſecrant; cum hoc tamen diſcrimine, quòd ad validè conſecrandum non indigeant diſpenſatione, quia quoad ſacramentum Euchariſtiæ character presbyteralis annexam habet poteſtatem perfectam, abſolutam, & independentem à voluntate cujuſcumque ſuperioris. Ita docet Bellarminus lib. 2. de ſacr. Confirm. cap. 12.

Obj. 2. Nicolaus Papa I. juſſit iterùm confirmari eos, quos presbyteri à Photio miſſi confirmaverant in Bulgaria, recèns ad fidem converſos. *R.* hoc juſſiſſe Nicolaum, quia Photiani presbyteri cum ipſo Photio pſeudo-patriarcha erant à ſacris ſuſpenſi, adeoque validè ſacramentum Confirmationis adminiſtrare non potuerunt, præſertim in aliena diœceſi: Bulgari enim recèns ad fidem converſi, non erant ſubjecti Patriarchatui Conſtantinopolitano, ad quos proinde confirmandos Photius, etiam dato quòd Patriarchalem habuerit autoritatem, presbyteros ſuos validè delegare non potuit.

Obj. 3. Innocentius III. cap. *Quarto* extra de conſuetudine, declarat nullam & irritam eſſe Confirmationem à presbyteris Græcis datam, & idcircò graviter eis prohibet ne in poſterum eam dare præſumat. *Pervenit ad audientiam noſtram*, inquit, *quod quidam ſimplices ſacerdotes apud Conſtantinopolim ea ſacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt ſacramentum Confirmationis, quod chriſma renatis, ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre: ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſolam conſuetudinem prætendentes. Dilectioni tuæ mandamus, quatenus omnibus presbyteris diſtrictè prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant*. Et inferiùs hujus prohibitionis cauſam ſubjicit his verbis: *Cùm umbra quædam oſtendatur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu.* Ergo, &c.

R. neg. ant. Nam Innocentius citato capite loquitur non de presbyteris Græcis, ſed de Latinis: tunc enim temporis Latini dominabantur Conſtantinopoli. Quòd autem loquatur de presbyteris Latinis Innocentius, patet ex ejus epiſtola ad Lucium Sedis Apoſtolicæ in urbe Conſtantinopolitana vicarium ſcripta, ex qua caput citatum à Gregorio IX. deſumptum eſt, & in qua, teſte Arcudio, legitur: *Mandamus, quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtrictè prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant*. Græcorum porrò presbyterorum conſuetudo juvare non poterat præsbyteros Latinos, qui Conſtantinopoli degebant; cùm ſubjecti eſſent immediatè Sedi Apoſtolicæ, ſine cujus proinde commiſſione munus confirmandi obire non poterant; quare jure merito illos reprehendit Innocentius, ut inutilem ſibi conſuetudinem prætendentes, nullamque & irritam declarat Confirmationem ab illis datam.

Obj. 4. Innocentius IV. in litteris ad Epiſcopum Tuſculanum Apoſtolicæ Sedis legatum in regno Cypri, quæ extant in ejus regiſtro bullarum, Pontificatus ſui anno 11. in Bibliotheca Vaticana, de ritibus Græcorum conſultus, quod attinet ad Confirmationem §. 4. ita faciendum reſcribit: *Soli autem Epiſcopi conſignent in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopos exhiberi, quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam Confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum ſanctum tribuiſſe leguntur*.

Ad hanc obj. quam proponit Arcudius lib. 2. de concord. c. 15. ſic ipſe *reſpondet*, & nos cum eo; „Dicendum, cùm non ſolùm in regno Cypri, ſed in toto fermè Oriente ille mos eſſet, fortaſſis legatus Pontificis, agnita poſtea difficultate, decretum Pontificis hac de re publicare prætermiſit, neque executioni mandavit, quòd commodè fieri haud poſſet." Hanc Arcudii reſponſionem confirmare poſſumus, ex eo quòd Eugenius IV. poſt Synodi Florentinæ clauſulam, Græcos interrogans, cur apud eos non Epiſcopi, ſed presbyteri confirmarent, non eis oppoſuerit prohibitionem à ſuis deceſſoribus factam, ſed ſolùm cauſatus ſit, Epiſcoporum proprium eſſe munus confirmandi.

Paucis porrò interjectis, præfatus Author hæc non inutiliter ſubjicit: „Univerſi autem de Pontificibus, qui revocarent (diſpenſationem Græcis presbyteris ad confirmandum conceſſam) illud dicendum videtur: primum revocaſſe quidem, quia putabant presbyteros ſolitos fuiſſe conficere chriſma, (quod) nulla ratione ad eos pertinet (eò) quòd ipſis commiſſum nunquam fuerit. Deinde revocaſſe, quòd exiſtimarent authoritate propria presbyteros illos illud munus (confirmandi) uſurpaſſe, ideoque in hujuſmodi decretis ſæpe invenitur hoc verbum, ne præſumant; præſumptio autem nullam facultatem conceſſam ſupponit, quam tamen illi obtinuerant, & longiſſimo uſu ſtabilierant. A quo tamen obtinuerint, an à Romano Pontifice, an ab aliis Epiſcopis, hoc non conſtat."

Facilè crediderim, 1. facultatem confirmandi ſimplicibus ſacerdotibus primùm conceſſam fuiſſe in Ægypto, etiam ante quartum ſæculum: Author enim commentariorum in epiſtolas B. Pauli inter S. Ambroſii opera editorum, qui ſub Damaſo vixit, de Confirmationis per ſimplices ſacerdotes in Ægypto adminiſtratione, ut de uſu non recèns introducto, ſed jam antiquo loquitur in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. *Denique*, inquit, *apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*. Ex quibus verbis colligimus etiam, uſum illum viguiſſe in ſolo Ægypto, quando ſcribebat præfatus Author: nam ſi in aliis regionibus tunc temporis ſimplices ſacerdotes Confirmationem adminiſtraſſent, hoc proculdubio, quod ejus propoſito maximè congruebat, non prætermiſiſſet.

2. Uſum illum jam à prioribus Eccleſiæ ſæculis in Ægypto inſtitutum & receptum, ſenſim poſt ſæculum quartum propagatum fuiſſe per totum Orientem, Epiſcopis expreſsè vel ſaltem tacitè annuentibus, nec ſummis Pontificibus, qui conſuetudinem illam ignorare non poterant, contradicentibus: ita ut ſæculo nono, quo, duce Photio, Græci ab Eccleſia Romana defecerunt, ſimplices ſacerdotes jam ab aliquot retrò ſæculis extraordinariè munus confirmandi obirent in toto aut pene toto Oriente. Hinc anſam arripiens Photius, adversùs Epiſcopos à Nicolao I. miſſos, qui Bulgaros à Photianis presbyteris confirmatos iteratò confirmaverant, impotenter invectus eſt in encyclica ad Patriarchales ſedes Orientis epiſtola. *Quin etiam*, inquit, *illos, qui à presbyteris chriſmate uncti fuerant, iterùm chriſmare ipſi non horruerunt. Epiſcopos ſe ipſos jactitantes, & presbyterorum chriſma inutile eſſe, & fruſtra ab illis adminiſtrari, portentosè docentes*.

Quæres, quandonam in Eccleſia Latina cœperint, & deſierint ſimplices ſacerdotes Confirmationis ſacramentum adminiſtrare?

Reſp. 1. Confirmationem adminiſtratam fuiſſe à ſimplicibus ſacerdotibus in Sardinia quidem ſæculo ſexto, ut conſtat ex lib. 3. epiſt. Gregorii Magni epiſt. 26. ad Januarium Caralitanum Epiſcopum; in Galliis ſæculo quinto, ut probavimus ex Concilio Arauſicano I. In Hiſpania ſæculo ſexto, ut colligimus ex Concilio Barcinonenſi II. & fortè etiam quinto ſæculo: fortaſſis enim Toletanum I. de Confirmatione loquitur, cùm ait can. 20. *Statutum eſt, diaconum non chriſmare, ſed presbyterum, abſente Epiſcopo, præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum*. Certè hæc verba de Confirmatione intelligit Bellarminus. Alii tamen non de confirmatoria chriſmatione intelligunt, ſed de verticali, qua baptizatus inungitur, & quam tunc temporis à presbytero baptizante contendunt fieri non potuiſſe, præſente Epiſcopo, niſi ipſe juberet.

Reſp. 2. ſimplices ſacerdotes in Eccleſia Latina à confirmandi munere prorſus amotos fuiſſe ante nonum ſæculum, ut colligitur ex Flodardo lib. 3. hiſt. Eccleſiæ Remenſis cap. 17. ubi ſic loquitur: *Sed ut* (Nicolaus I.) *alteram epiſtolam eidem* (Hincmaro) *& cæteris Archi-epiſcopis & Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum Imperatores, ſed & Orientales Epiſcopos calumniari ſanctam Romanam Eccleſiam, imo omnem Eccleſiam, quæ latina utitur lingua . . . quia presbyteros ſortiri conjuges prohibemus, & quoniam eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus*. Nonnullis tamen poſtea ſæculo decimo-ſexto regularibus presbyteris confirmandi poteſtatem à ſummis Pontificibus conceſſam fuiſſe, ſcribit Arcudius loco ſupra citato.

ARTICULUS III.

Utrùm antiqua Eccleſia nullam & irritam eſſe cenſuerit Confirmationem à miniſtris hæreticis datam.

Responsio.

Antiqua Eccleſia Confirmationem à miniſtris hæreticis datam, non cenſuit eſſe irritam, ſed è contra ratam habuit, & tam habuit ratam, quàm ratum habuit baptiſmum à miniſtris hæreticis collatum.

Eſt contra Maldonatum noſtrum (ſi tamen verus Maldonatus eſt, & non ſuppoſititius (tom. 1. de ſacram. diſp. de Confirm. q. 2. ubi ſatis inconſultè, ne dicam temerè, ſic loquitur: *Quòd ea Confirmatio, quæ à catholicis Epiſcopis data fuit, non debeat repeti, ſemper fuit certum, & de ea intelliguntur omnes canones Conciliorum, qui agunt de hac re; tamen an Confirmatio data ab Epiſcopis hæreticis, repeti deberet in Eccleſia catholica, non ita fuit certum, imò exiſtimo in tota veteri Eccleſia fuiſſe repetitam; quia non exiſtimabatur eſſe vera Confirmatio. Quod colligo ex omnibus antiquis ſcriptoribus, qui abſolutè ſine ulla diſtinctione docent, eos omnes, qui apud hæreticos fuerint baptizati, cùm redeunt ad Eccleſiam catholicam, non eſſe baptizandos iterùm, ſed confirmandos. Atqui non ignorabant pleroſque non tantùm fuiſſe baptizatos apud hæreticos, ſed etiam confirmatos; præſertim cùm eſſet tunc conſuetudo, ut ſtatim poſt baptiſmum daretur Confirmatio, &c.* Maldonato aſſentitur Morinus lib. 9. de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ cap. 11. Sed contra illos

Prob. reſp. 1. auctoritate S. Optati Milevitani lib. 7. contra Parmenianum Donatiſtam, in quo ſic ait: *Si nos exterminaremus à vobis* (Donatiſtis) *confectum oleum, meritò nos muſcas morituras appellare poſſetis: ſed dum quod à nobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſca moritura eſſe non poſſumus.* Quibus verbis Optatus Confirmationem, quam dabant Donatiſtæ, à catholicis non repudiari ut irritam, ſed ratam haberi, apertè teſtatur. Atqui Donatiſtæ non ſolùm erant ſchiſmatici, ſed etiam hæretici, ut teſtis locuples eſt S. Auguſtinus in lib. de hær. num. 69. ubi de Donatiſtis ait: *Pertinaci diſſenſione firmata, in hæreſim ſchiſma verterunt.* Ergo ſæculo quarto catholici ut validam recipiebant Confirmationem datam ab hæreticis: unde Donatiſtas ab hæreſi, in qua à ſuis confirmati fuerant, ad fidem converſos, non iterùm confirmabant, ſicut nec rebaptizabant.

Prob. 2. authoritate S. Auguſtini lib. 5. de bapt. cap. 19. ſic loquentis: *Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adeſt ſacramentis & verbis ſuis* (quod certè negari non poteſt) *per quoslibet adminiſtrentur, & ſacramenta Dei* (Baptiſmus ſcilicet & Confirmatio) *ubique* (etiam in hæreſi) *recta ſunt; & mali homines, quibus nihil proſunt, ubique* (etiam in catholica Eccleſia) *perverſi ſunt.*

Cap. 20. ejuſd. libri ſic ait: *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ* (exiſtentis in Eccleſia) *poſſit tamen Deus oleum ſanctificare, & in altari quod hæretici poſuerunt, non poſſit, neſcio* (hoc eſt, tam poteſt Deus ad verba, quæ procedunt ex ore hæretici extra Eccleſiam, oleum ſanctificare, quam poteſt ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ in Eccleſia; adeoque tam poteſt hæreticus extra Eccleſiam adminiſtrare ſacramentum Confirmationis, quàm poteſt homicida in Eccleſia. Atqui quòd ſacramentum Confirmationis ab homicida in Eccleſia adminiſtrari poſſit, extra controverſiam eſt. Ergo, &c.

Denique lib. 3. cap. 15. hæc habet: *Sacramenta tamen ſi eadem ſunt* (quantùm ad materiam & formam, quas Chriſtus inſtituit) *eadem ſunt, ubique* (etiam apud hæreticos) *integra ſunt, etiamſi pravè intelliguntur, & diſcordioſè tractantur: ſicut Scriptura ipſius Evangelii ſi eadem ipſa eſt, ubique* (etiam apud hæreticos) *integra eſt, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur*. Baptiſmus igitur & Confirmatio, juxta S. Doctorem, ſi eodem, quo apud catholicos, ritu celebrentur apud hæreticos, apud hæreticos tam vera ſunt & integra Chriſti ſacramenta, quàm apud catholicos, licèt pravè intelligantur, & diſcordioſè tractentur ab hæreticis, hoc eſt, licèt ſine recta fide & catholicæ unitatis ſtudio celebrentur. Quod egregiè illuſtrat S. Doctor exemplo Scripturæ ſacræ, quæ apud hæreticos integra eſſe non deſinit propter falſas interpretationes, quandiù apud illos quoad textum eadem habetur, quæ apud catholicos.

Ex his autem argumentor ſic. Eadem de Baptiſmo & Confirmatione collatis ab hæreticis fuit Auguſtini & veteris Eccleſiæ ſententia: Auguſtinus enim pro veteris Eccleſiæ ſententia pugnabat contra Donatiſtas. Atqui Auguſtini ſententia fuit, quòd ſacramenta Baptiſmi & Confirmationis ab hæreticis collata, rata & valida ſint, modò ab hæreticis in illis conferendis idem adhibeatur ritus, qui adhibetur in Eccleſia catholica: hoc enim aſſerit Auguſtinus, & in eo probando totus eſt contra Donatiſtas, qui contrarium ſentiebant, & idcircò transfugas, in Eccleſia catholica, quam ipſi exhorrebant ut hæreticam Eccleſiam, baptizatos & confirmatos iterùm baptizabant & confirmabant, ut refert S. Optatus lib. ſupra citato, ubi Donatiſtas ſic alloquitur: *Vos exterminaſtis in rebaptizatione ſuavitatem olei illius, quod in nomine Chriſti confectum eſt .... ſeduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterùm unxiſtis, &c.* Ergo veteris Eccleſiæ ſententia fuit, quòd ſacramenta Baptiſmi & Confirmationis ab hæreticis collata, rata & valida ſint, modò, &c.

Prob. 3. authoritate Alcimi Aviti, Viennenſis Epiſcopi, qui à Stephano Epiſcopo de Donatiſta ad Eccleſiam redire cupiente conſultus, utrùm ſcilicet

Digitized by Google

licet per Confirmationis collationem, quo pacto alii tunc temporis admittebantur hæretici ad fidem converſi, an ſine illa per ſolam manus impoſitionem reconciliatoriam admittendus eſſet, reſpondet epiſt. 24. hominem illum, cum certum ſit eum apud nos non ſolùm baptizatum, ſed etiam confirmatum fuiſſe, per ſolam manus impoſitionem Eccleſiæ reconciliandum eſſe. *Manus impoſitionem*, inquit, *perſonæ, de qua ſcribitis, adhibete ... quam conſtat, ſi revera in ſupradicti ſchiſmatis profeſſione* (& non in alia ſecta hæretica) *verſata eſt, cum miniſterio baptiſmatis etiam chriſmate conſignatam. Hoc certe eos* (Donatiſtas) *in regione illa obſervare manifeſtum eſt.*

Sic autem Avitum reſpondere ſecundùm communem Eccleſiæ catholicæ ſenſum, dubium eſſe non poteſt. Ergo Eccleſia catholica ſæculo ſexto ratam habuit Confirmationem ab hæreticis adminiſtratam ritu legitimo. Quare cùm reliquiæ Donatiſtarum in Africa cum Baptiſmo Confirmationem darent, & ritu à Chriſto inſtituto adminiſtrarent; qui ex illis ad Eccleſiam confugiebant, non denuò baptizabantur, aut confirmabantur, ſed ſolùm per manus impoſitionem reconciliabantur Eccleſiæ.

Prob.4. Vetus Eccleſia idem planè ſenſit de Confirmatione ab hæreticis data, quod de Baptiſmo ab illis dato: cùm evidentiſſimum ſit nullum planè fundamentum eſſe, aliter de uno ſacramento ſentiendi, quàm de altero; & rationes, quibus Cyprianus & alii rebaptizantes nitebantur, ſi valent contra Confirmationem ab hæreticis datam, valent etiam & maximè contra Baptiſmum ab illis collatum. Atqui vetus Eccleſia Baptiſmum ab hæreticis ritè collatum, non irritum, ſed validum cenſuit, & idcircò ab hæreticis, ritu quem Chriſtus inſtituit, baptizatos rebaptizari vetuit. Ergo pariter Confirmationem ab hæreticis datam, non irritam, ſed validam cenſuit.

Prob.5. Si vetus Eccleſia invalidam judicavit Confirmationem ab hæreticis datam, erravit in materia ad fidem pertinente. 1. Erravit: nam falſum eſt, quòd Epiſcopus hæreticus invalidè confirmet, ſi ritum à Chriſto præſcriptum adhibeat, & falſum eſſe catholicis omnibus exploratum eſt. 2. Erravit in materia ad fidem pertinente: nam quòd Confirmatio ab hæreticis data valida ſit vel invalida, res eſt pertinens ad inſtitutionem Chriſti. Quidquid autem ad inſtitutionem Chriſti pertinet, eſt de materia fidei. Atqui quòd vetus Eccleſia erraverit in materia ad fidem pertinente, falſum eſt, & erroneum, imò & hæreticum. Ergo vetus Eccleſia non invalidam judicavit Confirmationem ab hæreticis datam; & aſſerere quòd vetus Eccleſia invalidam judicaverit Confirmationem ab hæreticis datam, falſum ſaltem eſt, & erroneum.

Confirmatur. Quòd nullius ſacramenti valor pendeat à fide vel probitate miniſtri, nunc eſt de fide; atque ita nunc eſt de fide, ſacramenti Confirmationis valorem non pendere à fide aut probitate miniſtri. Ergo nunc eſt de fide, validam eſſe Confirmationem datam à miniſtro hæretico. Ergo invalidam eſſe, nunquam teneri potuit ſine errore in fide; errat in fide, qui tenet oppoſitum veritati revelatæ, quamvis non ſufficienter ad credendum propoſitæ. Ergo invalidam eſſe Confirmationem datam à miniſtro hæretico, vel nunquam tenuit Eccleſia, vel aliquando ſaltem erravit in fide. Secundum autem dici non poteſt; quòd enim Eccleſia errare non poſſit in fide, unus eſt ex præcipuis fidei articulis. Ergo quòd invalidam eſſe Confirmationem datam à miniſtro, nunquam tenuerit Eccleſia, firmiſſimè tenendum eſt.

At inquies. Eccleſia prioribus ſæculis ſchiſma & hæreſim appoſuit ut impedimentum dirimens, quo miniſtri ab Eccleſiæ communione præciſi, fierent ad confirmandum inhabiles; quod impedimentum aliquot abhinc ſæculis ſublatum eſt. Quare mirum non eſt, quòd Eccleſia Confirmationem datam à miniſtro ſchiſmatico vel hæretico, olim cenſuerit invalidam, nunc verò ut ratam & validam admittat: neque ex eo, quod de Confirmatione ab hæreticis vel ſchiſmaticis data, aliter olim ſenſerit, quàm nunc ſentiant, argui poteſt quòd olim erraverit in materia fidei.

R. 1. Dicant ergo, qui tam hactenùs inaudita non verentur aſſerere, à quo Pontifice vel Concilio prioribus ſæculis appoſita, à quo Pontifice vel Concilio poſtea ſublata fuerit illa inhabilitas. Proferant ſcriptorem aliquem Eccleſiaſticum, qui inhabilitatis illius vel appoſitæ vel ſublatæ meminerit.

2. Evidenter falſum eſt, talem inhabilitatem apponi potuiſſe ab Eccleſia: nam Epiſcopus quandiu retinet characterem Epiſcopalem, tandiu retinet perfectam & abſolutam poteſtatem confirmandi, ſicut & ordinandi: character enim Epiſcopalis eſt eſſentialiter talis poteſtas. Atqui quandiu Epiſcopus retinet perfectam & abſolutam poteſtatem confirmandi, tandiu validè confirmat, adhibito ritu, quem Chriſtus inſtituit, ut patet ex terminis. Ergo quandiu Epiſcopus retinet characterem Epiſcopalem, tandiu validè confirmat, adhibito, &c. Non poteſt autem ullo jure eccleſiaſtico tolli character Epiſcopalis, cùm ex inſtitutione Chriſti ſit prorſus inamiſſibilis, ut fide conſtat. Ergo nullo jure eccleſiaſtico Epiſcopus reddi poteſt inhabilis ad validè confirmandum.

Confirmatur. Quia ſi inhabilitates hujuſmodi induci poſſunt jure eccleſiaſtico, ſacerdos v.g. qui irregularitatem aliquam incurrit, non poteſt validè conſecrare: irregularitas enim eſt pœna, qua quantùm poteſt Eccleſia, hominem reddit inhabilem ad uſum ſuſceptorum Ordinum, ut conſtat ex ipſa definitione irregularitatis. Atqui falſum eſt, & falſum eſſe ſentiunt unanimiter Doctores Scholaſtici, quòd ſacerdos irregularis non conſecret valide. Ergo, &c.

Confirmatur iterùm. Unanimis eſt Doctorum ſententia, eum tantùm irritum & invalidum reddi poſſe jure eccleſiaſtico ſuſcepti ordinis uſum, ad quem requiritur juriſdictio; quæ non datur per ordinationem, ſed penes Eccleſiam eſt, quæ poteſt pro arbitrio eam concedere vel denegare, & conceſſam ſubtrahere. Atqui Epiſcopus ad confirmandum non indiget juriſdictione: Confirmationis enim adminiſtratio non magis eſt actus juriſdictionis, quàm adminiſtratio Baptiſmi, aut Euchariſtiæ confectio. Unde Epiſcopus confirmans in aliena diœceſi, ſine diœceſani conſenſu, quamvis peccet, validè confirmat. Ergo, &c.

Denique, illam ad validè confirmandum inhabilitatem ab Eccleſia hæreticis & ſchiſmaticis appoſitam, eſſe merum, quod novitatis ſtudium peperit, figmentum, evidenter probant SS. Optati & Alcimi Aviti teſtimonia, ex quibus conſtat, à Donatiſtis hæreticis confirmatos, qui ad catholicam fidem convertebantur, non fuiſſe denuò confirmatos in Eccleſia, quanquam hæreticos alios, qui ad eam veniebant, nec apud ſuos confirmati fuerant, non admitteret ſine Confirmatione.

Obj. 1. Cyprianus in ea fuit ſententia, quòd Confirmatio ab hæreticis data non valeat. Patet ex epiſt. 72. ad Januarium, in qua ſic loquitur: *Porrò Euchariſtia eſt, unde baptizati unguntur, oleum in altari ſanctificatum. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuerit nec Eccleſiam. Unde nec unctio ſpiritalis* (hoc eſt Confirmationis ſacramentum) *apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omninò non poſſe.* Quod ut probet, ſic proſequitur: *Scire autem & meminiſſe debemus ſcriptum eſſe: Oleum peccatoris non ungat caput meum. Quod ante in Pſalmis præmonuit Spiritus ſanctus, ne quis exorbitans, & à via veritatis exerrans, apud hæreticos & Chriſti adverſarios ungeretur. Sed & pro baptizato quam facere precem poteſt ſacerdos ſacrilegus & peccator? cùm ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit ... Quis autem poteſt dare quod ipſe non habeat?*

beat?

beat? aut quomodo poteſt ſpiritalia agere, qui ipſe amiſerit Spiritum ſanctum?

R. revera ita ſenſiſſe Cyprianum cum Firmiliano, & ante utrumque; Agrippinum Cypriani deceſſorem, quos ſecuti ſunt omnes rebaptizantes, ut patet ex Donatiſtis, qui confirmatos à catholicis, quos accenſebant reliquis hæreticis, iterùm confirmabant. At ita ſentiendo erravit Cyprianus, & tam erravit, quàm repudiando baptiſmum hæreticorum. Neutrum autem errorem probavit vetus Eccleſia, ſed è contra utrumque, quamvis unum magis explicitè quàm alterum, damnavit & proſcripſit. Locuples teſtis eſt Auguſtinus in libris ſuis de bapt. ubi pro Eccleſiæ doctrina pugnat contra Donatiſtas, & lib. 5. cap. 19. & 20. rationes à Cypriano contra Confirmationem hæreticorum allegatas ex profeſſo refellit.

Nec dici poteſt Cypriani ſententiam aliquando fuiſſe ſententiam Eccleſiæ: non enim Cypriani & aliorum rebaptizantium, qui pauciſſimi erant, comparati ad eos qui contrarium ſentiebant, ſed Stephani ſummi Pontificis, & illorum tot millium Epiſcoporum, qui ei adhærebant, doctrina, erat Eccleſiæ doctrina. Et verò ſi, ut alicubi dicit Cyprianus ipſe, ibi eſt Eccleſia particularis, ubi eſt particularis Epiſcopus; certè ibi non poteſt non eſſe univerſalis Eccleſia, ubi eſt ſummus Pontifex cum ſua Eccleſia, quæ centrum unitatis eſt, & longè maxima parte Epiſcoporùm.

Quòd autem Stephanus ratam habuerit Confirmationem ab hæreticis vel ſchiſmaticis datam, manifeſtum eſt ex eo quòd ratum habuit baptiſmum ab illis datum: ratum enim habuit baptiſmum ab hæreticis vel ſchiſmaticis datum, quia Eccleſiæ ſuæ traditione perſuaſus, credidit noluiſſe Chriſtum ſacramentorum ſuorum valorem pendere à fide vel probitate miniſtri: unde manifeſtè ſequitur, ad valorem ſacramentorum præter poteſtatem & inſtitutionem miniſtri, nihil aliud requiri, quam ut adhibeantur materia & forma, quas Chriſtus inſtituit. Quod principium Confirmationi cum Baptiſmo commune eſt; eoque intuitus Auguſtinus, ad mentem Stephani, & aliorum orthodoxè ſentientium loquens, aiebat in libris de bapt. Deum adeſſe ſacramentis, & verbis ſuis, hoc eſt, ſacramentis ritu quem inſtituit, adminiſtratis, per quoslibet adminiſtrentur; & ſacramenta ubique recta eſſe, hoc eſt, rata eſſe & valida, ſi ſint eadem ubique, id eſt, ſi ubique eo quem Chriſtus inſtituit, ritu celebrentur.

Obj. 2. Confirmatio ab Epiſcopis hæreticis data, in tota veteri Eccleſia fuit repetita. Non niſi quia exiſtimabatur non eſſe vera Confirmatio. Ergo, &c. *Probabis* maj. ex Concilio Conſtant. I. can. 7. ex Siricio epiſt. 1. ad Himerium cap. 1. ex Leone Magno epiſt. 37. ad Leonem Ravennatem cap. 2. & ex Gregorio Magno lib. 9. epiſt. 61. ad Quiricum.

Reſp. neg. maj. *Ad prob. R.* ex Concilio Conſtant. & Pontificibus citatis nihil aliud haberi, quàm hæreticos, qui ad fidem convertebantur, & apud ſuos ritè baptizati fuerant, in veteri Eccleſia non iterùm baptizatos fuiſſe, ſed ſolùm ſtatim ad ingreſſum Eccleſiæ fuiſſe confirmatos, exceptis tamen iis, qui ex Donatiſtarum hæreſi convertebantur, & in Eccleſiam admittebantur per ſolam manuum impoſitionem reconciliatoriam, ut ex S. Optato & Alcimo Avito probavimus.

In veteri autem Eccleſia hæretici, ut Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, Tetraditæ & Apollinariſtæ, cùm veniebant ad Eccleſiam, non baptizabantur, ſed ſolùm confirmabantur, quia Ariani, Macedoniani, &c. ritè baptizabant ſuos, baptizantes eos in forma à Chriſto præſcripta; unde valebat baptiſmus ab hæreticis illis datus, & idcircò non iterabatur in iis, qui ex illorum hæreſi ad fidem catholicam convertebantur. Baptizatos verò non confirmabant; unde iis qui deſertis eorum caſtris tranſibant ad catholicos, cùm Eccleſiæ reconciliabantur, ab Epiſcopis catholicis dabatur Confirmatio.

Porrò hæreticis in veteri Eccleſia ad fidem converſis datam eſſe Confirmationem, quia illam à ſuis non acceperant, probatur, 1. ex Theodoreto lib. 3. hæret. fabul. in Novato, ubi ait, Patres Nicænos juſſiſſe, ut Novatiani in Eccleſiam admitterentur per Confirmationem, quia apud Novatianos Confirmatio non conferebatur iis qui baptizabantur. 2. Ex eo quòd Donatiſtæ recipiebantur ſine Confirmatione, quia hoc ſacramentum baptizatis Epiſcopi Donatiſtæ conferebant, ut patet ex Alcimo Avito. 3. Ex Leone Magno ep. 37. c. 2. ubi ſic loquitur: *Quod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit; ergo hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem, virtutem ſancti Spiritus conſequatur.* Pondera hæc verba, *quod ibi defuit*, ex quibus liquet, in veteri Eccleſia hæreticos, qui in Eccleſiam admittebantur per Confirmationem, non ſic fuiſſe admiſſos, eò quòd crederentur validè quidem baptizati fuiſſe, at non niſi invalidè confirmari potuiſſe à ſuis; ſed quia conſtabat in eorum ſecta Baptiſmum adminiſtrari & ritè adminiſtrari, baptizatis verò Confirmationem non dari.

Confirmatur ex S. Cypriano epiſt. 74. ad Pompejum ſic loquente: *Aut ſi effectum baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jeſu Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur, cur non in ejuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum?* Quibus verbis manifeſtè ſupponit S. Martyr apud hæreticos ſui temporis non dari Confirmationem cum Baptiſmo; perinde enim eſt, ac ſi diceret: Si hæretici validè baptizare poſſunt, poſſunt etiam validè confirmare; quare ſi baptizando, hominem renovare & ſanctificare poſſunt, poſſunt etiam confirmando homini Spiritum ſanctum conferre. Cur ergo Confirmationem cum Baptiſmo non dant?

Hinc tempore S. Cypriani hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus conferebatur Confirmatio, quam apud ſuos non acceperant. Contendebat autem Cyprianus, non ſolùm confirmandos, ſed etiam rebaptizandos eſſe, quantumlibet à ſuis ritu à Chriſto inſtituto baptizati fuiſſent. Patent hæc ex ejus epiſt. 76. ad Stephanum Papam, in qua hæc ſcribit: *Eos qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos & ſchiſmaticos prophanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere* (judicavimus,) *eò quod parum ſit manum imponere ad accipiendum Spiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum. Tunc enim demum plenè ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi ſacramento utroque naſcantur, cum ſcriptum ſit:* Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quæ Chriſti verba S. Martyr non de uno tantùm, ſed de duplici ſacramento, Baptiſmi ſcilicet & confirmationis intelligit.

Obj. 3. S. Auguſtinum lib. 3. de bapt. cap. 16. ubi ait: *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt*; quibus verbis S. Doctor videtur hoc diſcrimen inter Baptiſmum & Confirmationem hæreticorum ponere, quòd Baptiſmus ab hæreticis datus, non poſſit repeti, quia datur validè; Confirmatio verò ab hæreticis data repeti poſſit, quia datur invalidè.

R. hanc eſſe non poſſe mentem S. Doctoris. Nam 1. ut ſupra oſtenſum eſt, S. Doctor expreſsè docet ſacramenta Baptiſmi & Confirmationis rata & valida eſſe, ubicumque & à quibuſcumque adminiſtrentur, modò in illis adminiſtrandis adhibeatur ritus à Chriſto præſcriptus. 2. Loco in objectione citato S. Doctor manifeſtè loquitur de impoſitione manuum, quæ fit in Eccleſia, adeoque de impoſitione manuum, quæ non ab hæreticis vel ſchiſmaticis, ſed à catholicis fit, & repeti poteſt, quia nihil aliud eſt, quam cæremonia, qua ſuper hominem, cui manus imponuntur, invocatur Spiritus ſanctus, olim ab Apoſto-

lis

lis uſurpata, & in Eccleſia ab Apoſtolotum tempore uſitata: uode ſic poſt verba in objectione allegata proſequitur: *Quid eſt enim aliud* (impoſitio manuum) *niſi oratio ſuper hominem?*

Toto igitur illo cap. 16. quod nobis objicitur, videtur loqui S. Auguſtinus de manuum impoſitione, non ſacramentali & confirmatoria, ſed purè deprecatoria, qua non ex opere operato, ſed ex opere operantis Eccleſiæ per miniſtros ſuos, manus imponentes nomine illius, datur Spiritus ſanctus: unde ſequitur tantùm, ea Scripturæ loca, io quibus dicitur, eos quibus manus imponebant Apoſtoli, Spiritum ſanctum accepiſſe, à S. Doctore intellecta noo fuiſſe de ſacramento Confirmationis, de cujus proinde exiſtentia per ſolam traditionem & perpetuum Eccleſiæ uſum convincebatur. Hoc autem de S. Auguſtino credidiſſe S. Thomam fideliſſimum illius interpretem, ſatis arguitur ex ipſo S. Thoma hic q. 72. a. 4. ad 1. ubi impoſitionem manuum, qua Spiritum ſanctum dabant Apoſtoli, diſtinguit à ſacramento Confirmationis.

DISPUTATIO ULTIMA.

De ſubjecto, effectibus, & proprietatibus Confirmationis.

ARTICULUS I.

De ſubjecto Confirmationis.

Responsio.

OMnes & ſoli baptizati capaces ſunt ſacramenti Confirmationis.

Prob. 1. Quòd ſoli baptizati, &c. Nam ut dicit S. Thomas hic q. 72. a. 6. in O. *character Confirmationis ex neceſſitate præſupponit characterem baptiſmalem .... cujus ratio eſt, quia ſicut ſe habet Confirmatio ad Baptiſmum* (ex inſtitutione & voluntate Chriſti) *ita augmentum ad generationem: manifeſtum eſt autem, quod nullus poteſt promoveri in ætatem perfectam, niſi primò fuerit natus.* (Ergo) *niſi primò aliquis fuerit baptizatus, non poteſt ſacramentum Confirmationis accipere*. Quare ut ibidem ait S. Doctor, *Si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, ſed oporteret iteratò ipſum confirmari poſt baptiſmum*.

Dices. Act. 10. dicitur, quòd adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, qui audiebant verbum, & audiebant eos loquentes linguis. Et poſtea Petrus juſſit eos baptizari. Ergo pari ratione poſſunt alii prius confirmari, quàm baptizentur.

R. cum S. Thoma art. citato, negando conſ. Nam ii de quibus loquitur Scriptura, ante baptiſmum quidem miraculosè acceperunt effectum Confirmationis, at non ipſum Confirmationis ſacramentum acceperunt. Poteſt autem effectus Confirmationis alicui conferri ante baptiſmum: *quia virtus divina non eſt alligata ſacramentis: Unde poteſt conferre homini ſpirituale robur ad confitendum publicè fidem Chriſti abſque ſacramento Confirmationis, ſicut etiam poteſt conſequi remiſſionem peccatorum ſine baptiſmo*. At non poteſt alicui ante Baptiſmum ſacramentum Confirmationis conferri: *Sicut enim effectus Confirmationis, qui eſt robur ſpirituale, præſupponit effectum Baptiſmi, qui eſt juſtificatio; ita ſacramentum Confirmationis præſupponit ſacramentum Baptiſmi* (quod eſt janua cæterorum ſacramentorum.)

Porrò, quod non eſt prætermittendum, *Sicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ſine baptiſmi voto, ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius; quod poteſt haberi ante ſuſceptionem baptiſmi*.

Prob. 2. Quòd omnes, &c. 1. ex S. Thoma quæſt. 72. art. 8. in O. ubi ait, omnibus baptizatis exhibendam eſſe Confirmationem, quia omnes baptizati capaces ſunt effectus primarii Confirmationis, qui eſt perfectio ætatis ſpiritualis, ſeu plenitudo Spiritus ſancti. *Per hoc ſacramentum*, inquit, *promovetur homo ſpiritualiter in ætatem perfectam ... anima autem, ad quam pertinet & ſpiritualis nativitas, & ſpiritualis ætatis perfectio ... poteſt, ſicut tempore ſenectutis ſpiritualem nativitatem conſequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ, conſequi perfectam ætatem, quia hujuſmodi corporales ætates animæ non præjudicant*.

2. Ex praxi veteris Eccleſiæ, in qua infantes confirmabantur, ut conſtat ex Innocentio I. epiſt. 1. cap. 3. & quidem ſtatim poſt baptiſmum, & confirmati communicabant, ut liquet ex libro ſacramentorum S. Gregorii, & ex Ordine Romano in officio Sabbati ſancti; quem morem infantes ſtatim poſt baptiſmum confirmandi hactenùs retinent Græci, ut patet ex eorum Euchologiis. Veterem autem Eccleſiam in re tanti momenti & ad fidem pertinente hallucinatam eſſe, nemo catholicus dixerit. Ergo, &c.

Porrò quamvis infantes capaces ſint Confirmationis, & poſſint etiam nunc, ſicut olim potuerunt, non ſolùm validè, ſed etiam licitè confirmari; eorum tamen Confirmatio in Eccleſia Latina convenienter differtur uſque ad uſum rationis, tum quia ſacramentum hoc ad ſalutem neceſſarium non eſt neceſſitate medii, unde infantes ſine illo ſalvari poſſunt; tum quia illud ſuſcipiendo cum actuali devotione, cujus nemo ante uſum rationis capax eſt, majori cum utilitate ſuſcipitur; tum denique quia ſic periculum iterationis certiùs vitatur: hujus enim ſacramenti à ſe ſuſcepti meminiſſe poſſunt, qui illud poſt uſum rationis ſuſcipiunt.

Quæres, quænam ætas ſit expectanda ad hoc ut pueris detur Confirmatio?

Ad hanc quæſtionem ſic reſpondet Catechiſmus Romanus tit. de Confirm. *In quo illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum, Confirmationis ſacramentum poſſe adminiſtrari, ſed minùs tamen expedire hoc fieri, antequam pueri uſum rationis habuerint: quare ſi duodecimus annus non expectandus videatur, uſque ad ſeptimum certè hoc ſacramentum differre maximè convenit*. Ex hoc habemus, ſeptimum ætatis annum omninò ſufficere, ut quis Confirmationis ſacramentum accipiat; imò melius videtur circa illam ætatem pueris Confirmationem dari, quàm diutiùs differri, quia ætas illa regulariter eſt adhuc innocens, & à peccatis lethalibus immunis, poteſtque cum debita reverentia & devotione ſacramentum ſuſcipere, ſi bene inſtruatur. Præterea per actuales gratias huic ſacramento annexas multùm juvari poteſt puer ad ſuperandas graves tentationes, quibus poſtmodùm obnoxius eſt, cùm adoleſcit; vitandaque graviora peccata, in quæ grandiores incidere, ſæpe ſæpiùs contingit.

Porrò quamvis Confirmationis ſacramentum ad ſeptimum uſque ætatis annum differri maximè conveniat, neceſſarium tamen non eſt: ita ut rationabilem aliquam ob cauſam poſſit laudabiliter ætas illa præveniri, putà ſi puer ſit morti proximus, vel credatur poſtea aut omninò non habiturus, aut nonniſi difficillimè habiturus occaſionem ſuſcipiendi ſacramentum.

Quæres, utrùm amentes confirmari poſſint?

R. 1. perpetuò amentes confirmari poſſe. Ratio eſt, quia ſicut per Baptiſmum poſſunt ſpiritualiter regenerari, ita & regenerati poſſunt creſcere & perfici in gratia; vel, ſi vis, ſicut capaces ſunt nativitatis ſpiritualis, quam per Baptiſmum conſequimur; ita & capaces ſunt perfectionis ætatis ſpiritualis, quam conſequimur per Confirmationem. Ergo ſicut baptizari, ita & confirmari poſſunt. Quòd ſi poſſunt confirmari, confirmandi ſunt; cùm in illis confirmandis ma-

jus

ſus non poſſit eſſe inconveniens, vel major indecentia, quàm in confirmandis parvulis.

Reſp. 2. Idem ſentiendum de amentibus, qui aliquando uſum rationis habuerunt; cùm eadem ſit pro illis ratio; modò tamen ſtatim poſt grave aliquod delictum in amentiam non inciderint, & habuerint aliquam intentionem hoc ſacramentum ſuſcipiendi: quæ intentio præſumi poteſt & debet, modò contrariam voluntatem, cùm adhuc uſum rationis habebant, non oſtenderint. Quòd ſi crederentur ad ſanam mentem aliquando redituri, hoc tempus expectari deberet, ut ſic cum majore decentia, & utilitate propria, ſacramentum ſuſcipere poſſent.

Quæres, quænam in adulto diſpoſitiones præterequirantur ad validam & licitam ſuſceptionem ſacramenti Confirmationis?

Reſp. In adulto qui juſtus eſt, non alia prærequiritur diſpoſitio, quàm voluntas recipiendi ſacramentum: quænam enim alia prærequireretur? Itaque in hoc non eſt difficultas. In adulto verò peccatore, præter voluntatem recipiendi ſacramentum, prærequiritur contritio charitate perfecta, vel attritio cum inchoata Dei dilectione, & ſacramento Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia ſacramentum Confirmationis in ſuſcipiente prærequirit ſtatum gratiæ: non enim inſtitutum eſt ad dandam primam gratiam, ſed ad eam augendam.

Porrò quamvis in adulto peccatore ſufficiat contritio perfecta; quia contritio perfecta infallibiliter juſtificat extra ſacramentum; neque exiſtit aliquod præceptum, ſive divinum, ſive eccleſiaſticum, quo adultus peccator teneatur Confirmationi præmittere confeſſionem: tamen in praxi curandum eſt, ut quicumque mortalis peccati ſibi conſcius eſt, priùs confiteatur, quàm Confirmationem accipiat, quia ſatis incerta & difficilis eſt perfecta contritio in pleriſque. Unde diſt. 5. de conſecr. cap. *Ut jejuni*, dicitur: *Moneantur* (qui veniunt ad Confirmationem) *confeſſionem facere prius, ut mundi donum ſancti Spiritus valeant accipere.*

Quæres, Utrùm jejunis tantùm danda ſit Confirmatio?

Reſp. 1. In antiqua Eccleſia adultis, Confirmationem datam non fuiſſe niſi jejunis, ut teſtatur Catechiſmus Romanus tit. de Confirm. cùm ait: *Admoneantur* (qui adulta jam ætate confirmandi ſunt) *laudabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem renovandam eſſe, ut nonniſi jejuni hoc ſacramentum ſuſciperent.* Hæc autem conſuetudo vim obtinebat legis, quæ vigebat adhuc ſæculo undecimo & duodecimo, ut patet ex Gratiano de conſecr. diſt. 5. cap. 6. ubi dicitur, *ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis.* Et ex Magiſtro Sententiarum lib. 4. diſt. 7. ubi ait: *Hoc ſacramentum* (Confirmationis) *tantùm à jejunis accipi, & jejunis tradi debet, ſicut & Baptiſmus, niſi aliter cogat neceſſitas.*

Talem porrò obligationem ſæculo decimo tertio rationabiles ob cauſas ſublatam eſſe, ſcribit S. Thomas hic quæſt. 72. art. 12. ad 2. ubi ait: *Propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia, ſuſtinetur ut hoc ſacramentum* (Confirmationis) *quod nonniſi ab Epiſcopis dari poteſt* (in Eccleſia Latina) *etiam à non jejunis detur & accipiatur: quia unus Epiſcopus, præcipuè in magna diœceſi, non ſufficeret, ad tot homines confirmandos, ſi eis tempus arctaretur. Ubi tamen congruè ſervari poteſt* (antiqua Eccleſiæ conſuetudo) *convenientius eſt, ut* (Confirmatio) *à jejunis detur & accipiatur.* Quare fideles adulti etiam atque etiam, ut monet Catechiſmus Romanus, adhortandi ſunt, ut ad Confirmationem veniant jejuni, ſi poſſunt ſine notabili aliquo ſuo incommodo.

R. 2. In antiqua Eccleſia, infantibus Confirmationem datam non eſſe niſi jejunis, extra caſum neceſſitatis, quia tunc eadem die etiam infantibus cum Baptiſmo & Confirmatione dabatur Euchariſtia, ad quam ſumendam non ſolùm adultos, ſed etiam, quantùm fieri poterat, infantes jejunos eſſe volebat Eccleſia: Patet ex S. Gregorio lib. ſacram. ubi ait: *Qui etiam* (infantes) *non prohibentur lactari ante ſacram communionem, ſi neceſſe fuerit.* Et ex Ordine Romano, in quo dicitur: *Illud autem parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent ſacramento Corporis Chriſti.*

ARTICULUS II.

De effectibus Confirmationis.

RESPONSIO I.

Confirmatio characterem imprimit.

Eſt de fide, & probatur 1. ex Concil. Florentino in decreto Eugenii §. *Quintò*. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. de Sacram. in genere. 3. Ratione, quia ſacramenta illa characterem imprimunt, quæ ſemel ritè collata, poſtea iterari non poſſunt: quòd enim ſacramenta ſemel validè collata, non poſſint iterari, alia ratio afferri non poteſt, quàm quòd imprimant characterem indelebilem, in quo virtualiter permanent. Atqui Confirmatio ſemel validè collata iterari non poteſt, ut probabitur. Ergo, &c.

Dices. Character eſt ſignum diſtinctivum. Atqui Confirmatio non imprimit ſignum diſtinctivum. Ergo, &c. Nego min. *Probabis*. Per Confirmationem homo non diſtinguitur. 1. enim non diſtinguitur ab infideli: nam ipſum ab infideli diſtinguere, ad Baptiſmum pertinet. 2. Non diſtinguitur ab aliis fidelibus: nam Confirmatio ex inſtitutione ſua non ordinatur ad aliquid ſpeciale, ſed ad aliquid fidelibus omnibus commune, nempe ad pugnam ſpiritualem, adeoque nihil habere poteſt, quo unum fidelem ab alio fideli diſtinguere poſſit. Ergo &c.

R. neg. ant. *Ad prob. R.* hominem per Confirmationem diſtingui ab alio fideli non confirmato; tanquam ſpiritualiter provectum ad virilem ætatem, ab eo qui tantùm ſpiritualiter natus eſt, & adhuc in infantia ſpirituali exiſtit: homo enim per Baptiſmum ſpiritualiter naſcitur; natus verò ſpiritualiter, per Confirmationem ſpiritualiter promovetur ad perfectam ætatem.

Ad id quod additur, Confirmationem ex inſtitutione ſua non ordinari ad aliquid ſpeciale *R.* falſum eſſe. Pro quo, *nota*. Pugna ſpiritualis duplex eſt, una ſcilicet contra hoſtes inviſibiles, quæ fidelibus omnibus communis eſt; altera verò contra hoſtes viſibiles, id eſt. contra perſecutores fidei, & eſt propria confirmatorum; ad quos, utpote ſpiritualiter ad ætatem virilem provectos, ſpecialiter pertinet contra fidei perſecutores pugnare, nomen Chriſti publicè confitendo. Confirmatio igitur ex inſtitutione ſua ordinatur non ad aliquid commune, ſed ad aliquid ſpeciale, nempe ad ſpiritualem pugnam contra hoſtes viſibiles fidei, ad quam propugnandam ſpecialiter deputat eos, qui confirmantur, ſimulque idoneos facit, illos ad perfectam ætatem ſpiritualiter promovendo: nam qui ſunt ſpiritualiter parvuli, quamdiù tales ſunt, ad id muneris viriliter ac ſtrenuè obeundum idonei eſſe non poſſunt, niſi operatio Confirmationis à Deo extraordinariè ſuppleatur, Vide S. Thomam hic q. 72. a. 5. ad 1.

Dices, Character eſt quædam ſpiritualis poteſtas ad aliquas ſacras actiones ordinata, ut dicit S. Thomas art. proximè citato in O. Ergo character diſtinctus eſt ſpiritualis poteſtas diſtincta. Atqui Confirmatio non dat ſpiritualem poteſtatem, diſtinctam ab ea quam dat Baptiſmus, Ergo Confirmatio non imprimit characterem diſtinctum à charactere baptiſmali.

R. neg. ſubſ. Nam ut dicit S. Thomas loco citato, *ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio in*

vitam

vitam chriſtianam; ita etiam Confirmatio eſt quoddam ſpirituale augmentum, promovens hominem in ſpiritualem ætatem perfectam. Manifeſtum eſt autem ex ſimilitudine corporalis vitæ, quòd alia eſt actio hominis ſtatim nati, & alia actio quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideò per Sacramentum Confirmationis datur homini poteſtas ſpiritualis ad quaſdam alias actiones ſacras, præter illas ad quas datur ei poteſtas in Baptiſmo. Nam in Baptiſmo accipit homo poteſtatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent ſalutem; prout ſcilicet ſecundùm ſe ipſum vivit. Sed in Confirmatione accipit homo poteſtatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei, &c.

Homo per Baptiſmum ſpiritualiter naſcitur, & accipit poteſtatem exercendi munia, quæ ſunt recèns nati ſpiritualiter. Per Confirmationem ad ætatem virilem ſpiritualiter promovetur, & accipit poteſtatem exercendi munia, quæ ſunt viri ſpiritualiter. Homo per Baptiſmum adſcribitur in familiam Chriſti; per Confirmationem adſcribitur in ejus militiam. Unde per Baptiſmum conſignatur ut domeſticus Chriſti, & accipit poteſtatem ſpiritualem ad exequenda ea, quæ ſunt fidelis domeſtici: per Confirmationem verò conſignatur ut miles Chriſti, & accipit poteſtatem ſpiritualem ad exequenda ea, quæ ſunt fortis ac ſtrenui militis. Character igitur Confirmationis diſtinctus ac diverſus eſt à charactere Baptiſmi.

Responsio II.

Confirmatio primam gratiam, ſeu gratiam juſtificantem non confert, ſaltem primò, & per ſe.

Ita docet S. Thomas hic q. 72. a. 7. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quòd ſicut eo ipſo nomine* (Confirmationis) *apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum quod priùs invenerit: & ideò non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc, ſicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, niſi per pœnitentiam reparatis.* Ex

Prob. 1. Ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. ubi dicit: *Eſt autem hoc ſacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum, ad ſalutem neceſſarium, ut non regeneratis ipſe Baptiſmus.* Unde ſic argumentor. Si Confirmatio inſtituta eſſet ad conferendam primam gratiam, ſacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium non eſſet ad ſalutem. Conſequens apertè repugnat doctrinæ Concilii. Ergo, &c. *Prob. ſeq. maj.* Nam lapſus poſt Baptiſmum & ante Confirmationem, habens attritionem cum inchoata dilectione Dei, tam poſſet juſtificari per ſacramentum Confirmationis, quàm per ſacramentum Pœnitentiæ, & ſic alterutrum ei ſufficeret, adeoque neutrum determinatè eſſet ei neceſſarium ad ſalutem. Unde falsò diceretur ſimpliciter, ſacramentum Pœnitentiæ lapſis omnibus poſt Baptiſmum ad ſalutem eſſe neceſſarium.

Prob. 2. ratione; nam Confirmatio inſtituta eſt ad augmentum & perfectionem primæ gratiæ, ſeu gratiæ regenerantia ſpiritualiter, ut docent Concilia & Patres. Unde ſic argumentor. Confirmatio non confert eam gratiam, quam ex inſtitutione ſua in ſubjecto ſuo præſupponit. Atqui ex inſtitutione ſua præſupponit in ſubjecto ſuo primam gratiam. Ergo, &c. Major patet ex terminis. *Prob. min.* Nam Confirmatio in ſubjecto ſuo præſupponit illud, quod in eo præſupponit effectus ad quem inſtituta eſt. Atqui effectus ad quem inſtituta eſt Confirmatio, præſupponit in ſubjecto confirmando primam gratiam: cùm ſit primæ gratiæ augmentum & perfectio. Ergo, &c.

Obj. In veteri Eccleſia hæretici apud ſuos validè baptizati, & poſtea ad fidem converſi, non præmiſſâ confeſſione & abſolutione ſacramentali, confirmabantur: cùm enim Concilium Conſtan. can. 7. & ſummi Pontifices Siricius & Leo I. dicunt hæreticos illos admittendos eſſe per Confirmationem, nullam mentionem faciunt confeſſionis aut abſolutionis ſacramentalis. Ergo creditum eſt in veteri Eccleſia Confirmationem vim habere per ſe juſtificandi, adeoque per ſe conferendi primam gratiam.

Reſp. neg. ant. & dico hæreticos illos, antequam publicè & ſolemniter in Eccleſiam admitterentur, fuiſſe privatim Deo reconciliatos per ſacramentum Pœnitentiæ. *Ad prob. R.* Concilium & Pontifices laudatos loqui tantùm de modo publicè & ſolemniter admittendi hæreticos ad Eccleſiam venientes; & velle tantùm prohibere, ne ritu legitimo apud ſuos baptizati, iterùm baptizentur; adeoque mirum non eſſe, quòd nullam faciant mentionem eorum, quæ publicam & ſolemnem hæreticorum illorum receptionem privatim præcedere debebant. Certè hæretici illi, antequam publicè & ſolemniter incorporarentur Eccleſiæ, privatim inſtruebantur, & tamen privatæ hujus inſtructionis Concilium & Pontifices præfati non meminerunt.

Porrò in reſponſione dictum eſt, primò & per ſe, propter authoritatem S. Thomæ, qui loco citato hæc habet: *Et ſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam* (conſcientiam habens illius peccati) *non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequetur remiſſionem peccatorum;* non quòd ſacramentum Confirmationis inſtitutum ſit ad conferendam juſtificationis gratiam, & delenda peccata, ſed quia ex generali intentione Chriſti, ſacramenta omnia non fictis ſeu non ponentibus obicem conferunt gratiam gratum facientem, quæ proinde cùm ſtatu peccati incompoſſibilis eſt; & non ponit obicem, qui etiam in peccato exiſtens, vel illius conſcientiam non habet, & devotè accedit, vel ſi conſcientiam habet illius peccati, accedit cum attritione, bonâ fide exiſtimans ſe perfectè contritum. Unde fieri poteſt, ut ſacramentum non ad primam, ſed ad ſecundam gratiam conferendam inſtitutum, per accidens & præter inſtitutionem ſuam, primam gratiam conferat, & peccata remittat. Hæc ſententia probabilis eſt propter authoritatem tanti Doctoris; ſed minimè certa.

Responsio III.

Confirmatio confert gratiam ſecundam, & ſpecificè diverſam à gratia Baptiſmi, & Euchariſtiæ.

Prob. 1. Confert gratiam: nam eſt verum ſacramentum, à Chriſto poſt reſurrectionem & ante aſcenſionem inſtitutum. Præterea, ut Scriptura teſtatur, confert Spiritum ſanctum. Nomine autem Spiritus ſancti ſimpliciter collati, Scriptura intelligit gratiam, nec gratiam qualemcumque, ſed abundantem gratiam, ſeu plenitudinem gratiæ. 2. Confert gratiam ſecundam: nam ut probatum eſt, ſupponit primam. 3. Confert gratiam ſpecificè diverſam à gratia Baptiſmi & Euchariſtiæ: nam gratia Baptiſmi hominem ſpiritualiter regenerat in vitam chriſtianam. Gratia Confirmationis regeneratum ſpiritualiter, ſpiritualiter promovet ad ætatem virilem. Gratia Euchariſtiæ ſpiritualiter promotum ad ætatem virilem, vel ſaltem regeneratum ſpiritualiter, nutrit & conſervat. Gratiæ igitur ſacramentales Baptiſmi, Confirmationis & Euchariſtiæ habent effectus ſpecificè diverſos, adeoque ſub hac ratione ſunt inter ſe ſpecificè diverſæ.

At inquies. Gratia gratum faciens eſt ubique eadem ſpecie. *R.* diſt. Eſt ubique eadem ſpecie, ſi ſpectetur præcisè ſecundùm ſe, C. Si ſpectetur ut ſacramentalis, ut hic à nobis ſpectatur, N. Nam quà ſacramentalis, in diverſis ſacramentis ordinatur ad fines & effectus diverſos, & dat jus ad diverſa auxilia: unde quà ſacramentalis, diverſa eſt in diverſis ſacramentis.

Quæ-

1. *Quæres*, otrùm ebriſmatis unctio, quam in vertice baptizati facit ſimplex ſacerdos, vim habeat conferendi gratiam Confirmationis?

R. negativè. Nam ſi verticalis illa onctio, facta à ſimplici ſacerdote, vim haberet ſupplendi Confirmationem, ſimplex ſacerdos per unctionem illam traderet Spiritum ſanctum. Falſum conſ. Nam ſolis Epiſcopis jure divino competit oſdinaria poteſtas tradendi Spiritum ſanctum per onctionem chriſmatis in fronte baptizati ſactam, ut docet Innocentius epiſt. 1. cap. 3. ubi ait: *Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent* (hoc eſt, chriſmate ungant frontem in formam crucis) *vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum*. Ergo, &c.

præterea, unctio verticalis noo eſt ſacramentum, ſed cœremonia purè eccleſiaſtica, quam poſt tertium ſæculum inſtitutam fuiſſe ſcribit Hugo à S. Victore. lib. 2. de ſacram. part. 7. cap. 3. ubi ait, primis Eccleſiæ temporibus omnem unctionem chriſmatis per ſolos Pontifices ſactam fuiſſe, & à Silveſtro primùm, adeoque initio quarti ſæculi ſtatutum eſſe, ut ſimplex ſacerdos baptizatum chriſmate liniret in vertice: *ne fortè per abſentiam Epiſcopi, & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizatum ab hac vita migrare contingeret*. Hoc autem ſactum probat ex libro Pontificali Damaſi, in quo de Silveſtro dicitur: *Hic & hoc conſtituit, ut baptizatum liniat presbyter chriſmate levatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis*. Sed quam hæc verba mereantur fidem, collige ex ſuperioribus, quibus dicitur de eodem Silveſtro: *Et privilegium Epiſcopis contulit, ut baptizatum conſignent*: quaſi verò ex conceſſione Pontificis, & non jure divino, ſeu ex inſtitutione Christi, Epiſcopis competat ordinaria confirmandi poteſtas! Non magis verum eſt, quod præmittitur; *Conſtituit & chriſma ab Epiſcopo confici*: non enim à Silveſtro, aut aliquo alio Pontifice, ſed ab ipſo Chriſto inſtitutum eſt, ut chriſma conficeretur ab Epiſcopo.

Sive autem Silveſter presbyteris, ut baptizatos in vertice ungerent, primus conceſſerit, ſive non, unctionem verticalem ritum eſſe purè eccleſiaſticum, planè indubitatum eſt; quod nobis ſufficit. Inde enim manifeſtè habemus, unctioni illi vim Confirmationis gratiam conferendi ineſſe noo poſſe, quod ſanè dicit Innocentius I. epiſt. 1. cap. 3. cùm ait: *Presbyteris ... baptizatos ungere licet ... non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum*.

At inquies. Hanc tamen vim unctioni verticali attribuit Hugo cap. citato. *R.* hoc eſſe falſum: nam ibidem ſic loquitur: *Conſignatio frontis ſolis Pontificibus reſervatur: ſolus enim Pontifex frontem conſignare & linire poteſt, & Spiritum ſanctum tradere*. Idem jam dixerat cap. 2. Itaque Hugo cap. 3. citato, nihil aliud voluiſſe dicendus eſt, quàm quod poſtea docuit S. Thomas p. 3. q. 71. a. 3. ad 4. ubi ait: *Unctionem, quæ fit in vertice, operari conſervationem gratiæ baptiſmalis* (non quidem infallibiliter & ex opere operato, ſed ex opere operantis Eccleſiæ, quæ per miniſtrum ſuum ungendo baptizatum in vertice, & ſuper illum orando, impetrat illi auxilia idonea ad conſervandam baptiſmalem gratiam.)

ARTICULUS III.

De proprietatibus Confirmationis.

Responsio I.

Confirmatio eſt ſacramentum initerabile.

Eſt contra poſteriores Græcos, qui hæreticos quoſcumque, ſive in hæreſi natos & educatos, ſive natos in Eccleſia catholica, in eaque baptizatos ac confirmatos, & poſtea lapſos in hæreſim, ſi ad rectam fidem convertantur, in Eccleſiam per Confirmationem admittunt: nam chriſmate eos conſignant in fronte ſub hac verborum formula, *Signaculum donationis Spiritus ſancti*; qui ritus eſt Confirmationis in Orientali Eccleſia.

Hæreticam autem hanc praxim apud Græcos poſt Photii Græcorum ſchiſmaticorum anteſignani tempora exortam eſſe, probat ipſe Photius in epiſtola ſua encyclica, in qua ſic ait: *Num reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit inſipientiam, quam iſti* (Epiſcopi Latini, à Nicolao I. in Bulgariam miſſi) *mente capti audere non dubitarunt? illos videlicet, qui ſemel tincti ſunt chriſmate, iterùm chriſmantes, & chriſtianorum excelſa & divina myſteria in magnas nugas, & deriſum ingentem convertentes*. Et inferiùs: *Iterata chriſmatio illorum, qui baptizati ſunt, & chriſmate tincti, neque canonum authoritate indiget, credo, ut damnetur, cùm vel ipſa ſola rei narratio ſuperet omnem impietatis exceſſum*. Confirmatio igitur baptizatis data non iterabatur in Eccleſia græca tempore Photii; imò & eatenùs in univerſa Eccleſia per annos ferè nongentos fuerat prorſus inaudita: alioquin certè ſic palàm omnibus mentiri auſus non eſſet Photius. Sed

Prob. Reſp. 1. Ex Apoſtolo ad Hebr. cap. 6. dicente; *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel* (per baptiſmum) *ſunt illuminati .... &* (per impoſitionem manuum, id eſt, Confirmationem) *participes facti ſunt Spiritus ſancti ... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam* (hoc eſt, rurſus pœnitendo baptizari & confirmari: ſic enim Apoſtolum intellexerunt Patres, ut fusè probat Arcudius lib. citato cap. 23.

2. Ex S. Auguſtino lib. 2. contra Litteras Petiliani c. 104. ubi loquens de ſacramento Confirmationis, ſic ait: *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt, illis ad præmium, illis ad judicium, ab inviſibili unctione charitatis, quæ propria bonorum eſt*. Juxta S. Doctorem igitur, gratia quidem, quam confert Confirmationis ſacramentum, in ſolis bonis manet, at ſacramentum ipſum manet etiam in malis. Atqui ſacramentum, quod poſtquam collatum eſt, permanet, iterari nec debet nec poteſt. Ergo, &c.

3. Ex cap. *Dictum eſt*, & cap. *de homine* diſt. 5. de conſec. quibus prohibetur iteratio Confirmationis. 4. Ex Concilio Florentino in decreto Eugeni §. *Quintò*, ubi dicitur Confirmationem non reiterari in eadem perſona. 5. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. de Sacram. in genere, ubi dicitur anathema aſſerentibus Confirmationem iterari poſſe.

Responsio II.

Sacramentum Confirmatioois neceſſarium eſt neceſſitate medii, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm.

Prob. 1. Non eſt ſimpliciter neceſſarium neceſſitate medii: nam ſine illo poteſt obtineri ſalus. Sic infans baptizatus tantùm, ante adultam ætatem moriens ſalvatur. Sic etiam adultus baptizatus tantùm, moriens ante omiſſam culpabiliter Confirmationem, ſalvabitur, ſi alterius gravis culpæ reatum non habeat. 2. Neceſſarium eſt ſecundùm quid, &c. quia medium eſt homini neceſſarium ad bene eſſe: nam ſine illo in re ſuſcepto, vel ſaltem illius voto, homo pervenire non poteſt ad perfectam ætatem ſpiritualem: ſicut enim nativitas ſpiritualis eſt effectus Baptiſmi, ita perfecta ætas ſpiritualis eſt effectus Confirmationis: quare ſicut nativitas ſpiritualis non obtinetur ſine Baptiſmo, aut ejus voto; ita ſine Confirmatione, aut ejus voto, ad perfectam ætatem ſpiritualem non pervenitur. Ita expreſsè docet S. Thomas hìc q. 72. a. 6. ad 1.

Res-

RESPONSIO III.

Sacramentum Confirmationis neceſſarium eſt neceſſitate præcepti divini, graviter obligantis.

Prob. Nam, 1. incredibile eſt, Chriſtum ea ſacramenta, quæ ſingulorum ſalutem ſpectant, inſtituiſſe ſine obligatione illa ſuſcipiendi.

2. Si Confirmatio non fuit præcepta à Chriſto, certè quia non fuit ab eo inſtituta ut medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Atqui hæc ratio manifeſtè nulla eſt: nam Chriſtus præcepit ſumptionem Euchariſtiæ, & tamen Euchariſtiam non inſtituit ut medium ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium. Ergo, &c.

3. Adultus jure divino tenetur procurare ſibi effectum Confirmationis. Ergo jure divino tenetur procurare ſibi Confirmationem. Conſeq. patet: nam effectus Confirmationis obtineri non poteſt ſine ipſa Confirmatione, aut voto illius.

Prob. ant. Effectus Confirmationis eſt ſpiritualis ætas perfecta. Atqui adultus baptizatus, jure divino tenetur ſibi procurare ſpiritualem illam ætatem virilem, ſicut adultus non baptizatus jure divino tenetur ſibi procurare nativitatem ſpiritualem. Et verò ſicut homo per nativitatem ſpiritualem fit chriſtianus; ita per ſpiritualem ætatem virilem fit plenè chriſtianus; unde ſic loquitur S. Cyrillus Hier. catecheſi myſtag. 3. *Hujus ſancti chriſmatis dono accepto meritò appellamini chriſtiani, veram efficientes appellationem, in ipſa regeneratione: ante enim quàm hæc gratia* (Confirmationis) *vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes eò uſque progreſſi eſtis, ut efficeremini chriſtiani* (ſuſcipiendo ſacramentum Confirmationis.) Atqui homo jure divino tenetur ad id contendere, ut ſit non ſolùm chriſtianus, ſed etiam plenè chriſtianus. Ergo, &c.

Dices. Scriptura nullibi meminit talis præcepti. *Reſp.* hoc præceptum haberi ex traditione, cujus ſufficientia argumenta habemus in pluribus Synodis, à quibus inculcatur ejus obligatio; & in praxi Eccleſiæ, quæ olim per plura ſæcula non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis Confirmationem cum Baptiſmo contulit, & hæreticos à ſuis validè baptizatos, ſed non confirmatos, non ſine hujus ſacramenti ſuſceptione admiſit. Adulti igitur baptizati graviter tenentur hoc ſacramentum ſuſcipere, ubi primùm illius ſuſcipiendi occurrit opportunitas, niſi gravis aliqua & rationabilis cauſa dilationem excuſet. Ex dictis apparet Epiſcopos graviter obligari ad conferendam diœceſanis ſuis Confirmationem, adeoque illos gravis peccati reos eſſe, qui in ea conferenda graviter negligentes ſunt.

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS.

DE EUCHARISTIA.

DISPUTATIO PRIMA,

De Euchariſtia ſecundùm ſe.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Euchariſtia ſit ſacramentum novæ legis, & quibus appelletur nominibus.

Responsio I.

EUchariſtia eſt verè ac propriè dictum ſacramentum novæ legis.

Eſt de fide, & *probatur* 1. Ex perpetua & conſtanti Eccleſiæ traditione, cujus teſtes ſunt omnium ætatum Patres, quos ſuo loco citabimus. 2. Ex Concilio Florentino in decreto §. *Tertium*, ubi dicitur: *Tertium eſt Euchariſtia ſacramentum, cujus materia, &c.* 3. Ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. quo dicitur: *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, &c. anathema ſit.* 4. Ratione: nam Euchariſtia eſt ſignum ſenſibile, ſacrum, permanenter à Chriſto inſtitutum ad ſignificandam & conferendam gratiam, qua anima ſpiritualiter nutritur: unde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. ſic ait: *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem, verum, &c.*

Confirmatur authoritate S. Thomæ 3. p. q. 73. a. 1. in O. ubi probat Euchariſtiam eſſe ſacramentum, ex eo quòd oportuerit præter Baptiſmum & Confirmationem, aliud ſacramentum inſtitui, quod eſſet animarum ſpirituale alimentum. *Sicut*, inquit, *ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitæ, ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſervatur in vita. Et ideò ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio, & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum: ita oportuit eſſe ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſſet ſpirituale alimentum.*

Juxta S. Doctorem igitur, tam convenienter à Chriſto inſtituta fuit Euchariſtia, quàm Baptiſmus, & Confirmatio; & Euchariſtia tam eſt verè ac propriè ſacramentum novæ legis, quàm Baptiſmus & Confirmatio: quia ſicut per Baptiſmum confertur gratia, qua homo ſpiritualiter regeneratur; & per Confirmationem confertur gratia, qua homo ſpiritualiter regeneratus, ſpiritualiter creſcit, & perfectam quandam ſpiritualis vitæ ætatem acquirit; ita per Euchariſtiam confertur gratia, qua homo quaſi virilem interioris hominis ætatem adeptus, nutritur & conſervatur. Hinc

Euchariſtia rectè & communiter definitur: *Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis, ad ſpiritualem animarum nutritionem à Chriſto inſtitutum.*

Responsio II.

Euchariſtia, quatenùs ſacramentum eſt, variis nominibus nuncupatur.

Probatur. Nam 1. appellatur Panis vitæ, ſive quia vitam ſpiritualem conſervat, ſive quia continet ipſum Chriſtum, qui, ut ait Apoſtolus, *reſurgens à mortuis jam non moritur.* 2. Panis de cœlo deſcendens, quia eſt Chriſtus ipſe, ſub ſpeciebus panis & vini reproductus ſecundùm humanitatem, quæ in cœlo ſedet ad dextram Dei. 3. Cibus animæ, & Eſca ſpiritualis, quia inſtituta eſt ad animam ſpiritualiter nutriendam, conferendo auxilia gratiæ, quibus vita ſpiritualis conſervatur. 4. Convivium Dominicum, quia in ea Chriſtus ſeipſum manducandum præbet. 5. Corpus & Sanguis Domini. 6. Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. 7. Viaticum, quia ut ait S. Thomas hìc quæſt. 73. art. 4. in O. præbet nobis viam perveniendi ad fruitionem Dei, quæ erit in patria.

8. Communio & Synaxis, quia 1. cum Chriſto conjungit & unit fideles, à quibus accipitur, juxta illud ipſius Chriſti Joan. c. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* De hac unione ſic loquitur Cyrillus Alex. l. 10. in Joan. cap. 13. *Sicut ſi quis ceram alteræ ceræ permixtè implicet, & igne ſimul liquefaciat, unum quid ex ambobus efficit; ita per participationem Corporis Chriſti & pretioſi Sanguinis, ipſe quidem in nobis, nos verò rurſus in ipſo conjuncti manemus.* Et Chryſoſtomus homilia 24. in primam ad Cor. ad hæc verba Apoſtoli, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* ſic ait: *Cur non dixit participatio? Quoniam voluit aliquid amplius ſignificare, & magnam indicare conjunctionem. Non ſolum enim communicamus, eò quod ſumus participes, & ſumimus, ſed etiam eo quòd unimur.*

2. Quia conjungit & unit fideles inter ſe: nam ex conjunctione fidelium cum Chriſto neceſſariò conſequitur conjunctio fidelium inter ſe, juxta illud vulgare: Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Conjunctionem hanc disertè exprimit Apoſtolus 1. Cor. c. 10. *Quoniam unus panis*, inquit, *unum corpus multi ſumus, omneſque de uno pane participamus.* In quæ verba hæc habet Chryſoſtomus homilia citata: *Sumus ipſum illud corpus. Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt, qui ſumunt? Corpus Chriſti. Non corpora multa, ſed unum corpus. Quemadmodum enim panis ex multis granis compoſitus, eſt unitus, ut nuſquam appareant grana, ſed ſint quidem ipſa, non manifeſta autem ſit eorum differentia propter conjunctionem; ita etiam inter nos & Chriſto Conjungimur.*

Utramque fidelium conjunctionem, cum Chriſto ſcilicet & inter ſe, exprimit Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. *Euchariſtia*, inquit, *communicatio dicitur, & eſt reverà, eò quod per ipſam communicamus Chriſto, & participes ſumus ejus carnis ac divinitatis. Communicamus item per ipſam, & unimur inter nos. Quia enim de uno pane omnes participamus, unum corpus Chriſti & unus ſanguis, & inter nos membra efficimur cum Chriſto concorporati.*

9. Sacramentum hoc vocatur Euchariſtia, id eſt, ut ait S. Thomas art. proximè citato, *Bona gratia; quia gratia Dei vita æterna* (quam præfigurat ſacramentum hoc) *vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia*, adde, & fons ac author omnis gratiæ. Hoc ſacramentum Euchariſtiam nominari ait S. Chryſoſtomus; quia nobis in memoriam revocat beneficia divina; noſque ad exhibendam Deo gratitudinem debitam incitat. Verba S. Doctoris ſunt:

Opti-

Optima beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio: propterea & tremenda ac ſalutaria illa myſteria, qua in omni Synaxi celebramus, Euchariſtia nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum divina erga nos providentia oſtendunt, noſque faciunt debitas ſemper gratias Deo exſolvere. Eandem Euchariſtiæ notionem vaticinando declarat Pſaltes Regius Pſal. 110. *Memoriam*, inquit, *fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.*

10. Denique, ſacramentum hoc à Patribus quibuſdam nominatur Cœna Dominica; quia à Chriſto Cœnæ tempore inſtitutum fuit. Lutherani porrò & Calviniſtæ, Euchariſtiæ nomen repudiantes, communiter vocant hoc ſacramentum ultimo nomine Cœnam dominicam, quia putant illud in ſolo uſu conſiſtere, & ſic vocari contendunt ab Apoſtolo, 1. Corinth. c. 11. cùm ait: *Convenientibus vobis in unum, jam non eſt dominicam Cœnam manducare.* Sed eos egregiè refellit Becanus noſter c. 15. de Sacramentis in ſpecie, ubi obſervat 1. in ultima cœna factas fuiſſe tres comeſtiones ſeu cœnas: cæremonialem ſcilicet, ſeu legalem, quæ erat agni Paſchalis; communem ac uſitatam; ſacramentalem denique, ſeu Euchariſticam.

Obſervat 2. Chriſtianos in primitiva Eccleſia Chriſtum in ſecunda & tertia comeſtione imitatos fuiſſe, non autem in prima, quia cæremonia agni Paſchalis cum aliis Moſaicis erat abrogata. Utrùm autem priùs ſumpſerint communem cibum & potum, quàm Euchariſtiam; an verò è contra priùs Euchariſtiam ſumpſerint, quàm communem cibum & potum, controvertitur: alii enim ſcribunt chriſtianos illos priùs ſumpſiſſe communem cibum, alii verò negant, eoſque priùs Euchariſtiam ſumpſiſſe contendunt.

Obſervat 3. communem illam cœnam, quam ante, vel poſt Euchariſtiam Chriſtiani ſumebant, habuiſſe duo nomina. 1. Vocabatur ἀγάπη, hoc eſt, Dilectio; quia ſcilicet, chriſtiani divites cœnam illam ad oſtenſionem mutuæ charitatis ſolebant exhibere pauperibus. 2. Vocabatur Cœna dominica, quia fiebat ad imitandum Chriſtum Dominum, qui ut ſingularem ſuam in diſcipulos ſuos charitatem demonſtraret, priùs cum illis cœnare voluit, quàm ex hoc mundo diſcederet.

Obſervat 4. non ſolùm Euchariſtiam, ſed etiam cœnam illam communem, quæ dabatur pauperibus, ſolitam exhiberi publicè in Eccleſia, ad quam omnes tam divites, quàm pauperes conveniebant.

His præſuppoſitis reſpondet, Apoſtolum loco ſupra citato loqui non de Euchariſtia, ſed de communi cœna, quam ad imitationem Chriſti Domini divites pauperibus exhibebant, & Corinthios reprehendere, quòd contra hujus cœnæ inſtitutionem peccarent: fuerat enim inſtituta pro pauperibus, ad oſtendendam mutuam charitatem, & Chriſtum Dominum imitandum. Ditiores autem Corinthii, non expectatis pauperibus, lautè comedebant, & bibebant in Eccleſia. Quod

Probat ex contextu; nam ſic proſequitur Apoſtolus: *Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt: nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Ex quibus verbis habetur, Apoſtolum loqui. 1. De cœna, in qua aliqui, eſurientibus aliis, inebriabantur; quod certè convenire non poteſt cœnæ Euchariſticæ. 2. De cœna, quam quiſque domi parare ſibi, & ſumere poterat, quod valet contra Lutheranos & Calviniſtas, qui contendunt licitum non fuiſſe Euchariſtiam domi ſumere. 3. De cœna, quam ſibi parare non poterant pauperes, qui tamen facilè poterant Euchariſtiam habere; cùm ad id fruſtum panis ſufficeret.

Porrò, quod addimus, de illis chriſtianorum agapis loquitur Tertullianus, lib. 2. ad uxorem cap. 4. ubi ait: *Quis* (maritus infidelis) *ad convivium dominicum illud, quod infamant, ſine ſua ſuſpicione* (uxorem chriſtianam) *dimittet?* Et Concil. Carthagien. III. anno 397. can. 29. ubi dicitur: *Ut ſacramenta altaris nonniſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur.* Et Sozomenus lib. 7. hiſtor. cap. 19. *In multis*, inquit, *urbibus, ac vicis Ægypti, contra receptam omnium conſuetudinem, die ſabbati ſub veſperam convenientes, jam pranſi ſacra myſteria percipiunt.* Ex quibus apparet agaparum illarum morem in aliquibus Eccleſiis perduraſſe multis ſæculis.

ARTICULUS II.

Utrùm Euchariſtia conſiſtat in re permanente.

SAcramentum Euchariſtiæ eſſe rem permanentem tenent Catholici omnes, contra quos ſentiunt Lutherani & Calviniſtæ, qui ſacramentum hoc in actione tranſeunte conſtituunt. Hanc hæreſim excogitavit Bucerus, ut Lutheranos & Zuvinglianos inter ſe conciliaret: nam cùm Lutherani Corpus Chriſti præſens eſſe realiter in Euchariſtia aſſererent, Zuvingliani verò negarent; ut hoc diſſidium Bucerus componeret, Luthero perſuaſit Corpus Chriſti eſſe realiter præſens in manducatione, quod erat pro Lutheranis, ſed extra manducationem non eſſe, quod erat pro Zuvinglianis. Lutherani autem & Zuvingliani, manente diſſidio, Buceri ſententiam amplexi ſunt; cum hoc diſcrimine, quòd Lutherani agnoſcant realem Chriſti præſentiam in manducatione, Zuvingliani verò ſpiritualem & ſacramentalem tantùm. Et quia exiſtimant Chriſtum præſentem non eſſe ſive realiter ſive ſacramentaliter, niſi in manducatione, conſequenter ſolam manducationem eſſe propriè ſacramentum Euchariſtiæ tenent omnes. Excipiendus tamen eſt Kemnitius, qui ad eludendam Patrum authoritatem, docet Corpus Chriſti præſens eſſe in omnibus actionibus, quibus cœna peragitur; hoc eſt, cùm panis accipitur in manus, benedicitur, frangitur, diſtribuitur, & manducatur; immò cùm immediatè poſt cœnam ad ægrotos defertur, illumque comedunt.

RESPONSIO.

Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanente.

§. I.

Probatur aſſertio authoritate Scripturæ.

CHriſtus Matth. c. 26. Euchariſtiam inſtituens, ait: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus, &c.* Atqui hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, à Chriſto prolata fuerunt ante actionem manducandi & bibendi. Ergo ante actionem manducandi & bibendi, vera fuerunt: nam vera fuerunt ſimul atque prolata ſunt. Ergo fuit verum Corpus, & verus ſanguis Chriſti, proindeque verum ſacramentum ante actionem manducandi & bibendi. Ergo ſacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in manducatione, ſed in ea, quæ manducationem antecedit, & quæ cùm non ſit actio, non poteſt non eſſe aliquid permanens.

Inutiliter autem recurretur ad effugium Kemnitii: nam ſic contra illum argumentor. Si ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in omnibus actionibus, quæ in cœna fiunt, vel conſiſtit in omnibus ſimul ſumptis, vel in omnibus ſingillatim ſumptis. Neutrum dici poteſt. Non primum; alioquin ſacramentum non eſt integrum & perfectum, ſicque Corpus Chriſti non eſt in menſa ante manducationem, quod eſt contra ipſum Kemnitium. Non ſecundum; alioquin tot ſunt ſacramenta, quot ſunt actiones, quæ fiunt in cœna; vel, quod eodem redit, toties fit ſacramentum in

eadem cœna, quot in ea ſiunt actiones; quod certè inaudinum eſt & abſurdum.

Dices 1. Cum Illirico. Chriſtus hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, non protulit ante manducationem, ſed inter manducandum. N. *Prob.* Ex Matth. c. 26. ubi hæc leguntur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.* Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſ. Nam ex loco citato, non magis poteſt colligi quòd Chriſtus hæc verba. *Hoc eſt corpus meum*, non protulerit ante actionem manducandi, quàm ex Marco cap. 14. ſic narrante: *Accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus, &c.* Colligi poteſt, quòd Chriſtus hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*, poſt actionem bibendi protulerit. Sicut igitur ex Mateo colligi non poteſt, Chriſtum dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus*, poſt actionem bibendi: ita neque ex Matthæo colligi poteſt, Chriſtum non dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum*, ante actionem manducandi.

Ratio eſt, quia verborum ordinem ſæpè mutant Evangeliſtæ, id quod priùs factum eſt, narrando poſteriùs: unde præcisè ex verborum ordine, quid priùs, quidve poſteriùs actum ſit, haberi non poteſt. Non igitur hic attendendus eſt verborum ordo, ſed ſenſus, ex quo colligi debet, quid priùs, quid poſteriùs factum fuerit in cœna. At ex ſenſu verborum apertè colligitur, verba illa: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, ante prolata fuiſſe à Chriſto, quàm diſcipulis porrigeret panem & vinum conſecratum: nam ſicut verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, manifeſtè continent rationem, cur deberet comedi panis conſecratus; ſimiliter iſta: *Hic eſt ſanguis meus*, manifeſtè continent rationem, cur vinum conſecratum bibi deberet. Utraque autem ratio hæc probat priùs diſcipulis, ut per ſe clarum eſt, proponi, quam illis porrigerentur panis & vinum conſecratum; ut ſic moveri poſſent ad id quod porrigebatur accipiendum, & accipiendo intelligerent quid acciperent.

Confirmat. Cùm Chriſtus dicit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, evidenter invitat diſcipulos ad cibum, quem porrigit, comedendum, quia eſt corpus ſuum. Similiter cùm dicit: *Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus*, evidenter invitat diſcipulos ad potum, quem porrigit, bibendum, quia eſt ſanguis ſuus. Evidens igitur eſt, priùs Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum*, & diſcipulos hæc verba audiviſſe & intellexiſſe, quàm cibum porrectum acciperent & comederent. Similiter evidens eſt, Chriſtum priùs dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus*, & diſcipulos hæc verba audiviſſe & intellexiſſe, quàm porrectum potum acciperent, & haurirent.

Dices 2. Cum Calvino. Licèt hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, prolata fuerint ante manducationem, non fuerunt tamen verificata niſi in ipſa manducatione, Neg. *Prob.* Cùm aliquid promittitur ſub conditione præcepti, tunc non impletur promiſſio, niſi præceptum impleatur. Atqui Chriſtus præſentiam corporis ſui ſub conditione præcepti promiſit: hæc enim verba: *Accipite & comedite*, continent præceptum; & iſta: *Hoc eſt corpus meum*, promiſſionem. Ergo corpus Chriſti non fuit præſens, niſi quando diſcipuli acceperunt, & comederunt.

Reſp. Perperam dici, quòd hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, promiſſionem contineant. Nam ſi continerent, exprimi deberet per verbum futuri temporis, ut aliæ promiſſiones, qualis eſt ea quæ continetur his Chriſti verbis Matth. cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Præterea hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, continent non promiſſionem, ſed rationem accipiendi & comedendi, ut ex contextu manifeſtum eſt; ſicut iſta: *Hic eſt ſanguis meus*, continent non promiſſionem, ſed rationem accipiendi & bibendi, ut etiam clarum eſt ex contextu. *Bibite ex hoc omnes*, inquit Chriſtus: *Hic eſt enim ſanguis, &c.* Nam hæc particula *enim* cauſalis eſt, adeòque evincit accipiendi & bibendi cauſam exprimi his verbis: *Hic eſt ſangui meus.*

§. II.

Probatur aſſertio authoritate Patrum veterum.

PRo ſecundo ſæculo habemus Juſtinum Martyrem apolog. 2. ſub finem, ubi ſcribit Euchariſtiam in Eccleſia poſt conſecrationem diſtribui præſentibus, & abſentibus mitti per diaconos. Et S. Irenæum apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 24. Victori ſcribentem, deceſſores ejus Summos Pontifices, in ſignum pacis & communionis, aliarum Eccleſiarum Epiſcopis, qui Paſcha luna 14. celebrabant, Euchariſtiam tranſmiſiſſe.

Pro tertio ſæculo habemus Tertullianum lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi ſic ait: *Non ſciet maritus* (gentilis) *quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Illud autem quod Chriſtiani ante omnem cibum ſecretò guſtabant, aliud non erat, quàm Euchariſtia, quam proinde ſecum deferebant in domos ſuas tunc temporis, ut eam opportuno tempore ſumerent. Quod etiam evidenter apparet ex S. Cypriano in ſermone de lapſis ſic loquente: *Cum quædam* (mulier) *arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.*

Præter Tertullianum & Cyprianum, pro eodem ſæculo adeſt nobis Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 44. ubi in epiſt. ad Fabium Romanum Pontificem ſcripta, narrat de Serapione quodam ſene, qui cùm eſſet morti proximus, per nepotem ad ſe vocavit presbyterum, à quo ſacramentaliter abſolvi, & viatico refici poſſet. At presbyter cùm tunc morbo detineretur, *exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret.*

Pro quarto ſæculo habemus 1. Ambroſium in oratione funebri de exceſſu fratris ſui Satyri, ubi de eo refert, quòd *prius quàm perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cum ea, qua veheretur, navis ſcopuloſo illiſa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus, ſolveretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterii exiret è vita, quos initiatos eſſe cognoverat, ab his divinum illud fidelium* (Euchariſtiæ) *ſacramentum popoſcit...* & particulam Euchariſtiæ ab illis acceptam *ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita ſe dejecit in mare.... nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio, denique primus ſervatus ex undis, &c.*

2. S. Baſilium in epiſtola ad Cæſariam Patritiam, in qua ſcribit, Anachoretas, qui commodè non poterant ſæpiùs venire in Eccleſiam, ſolitos Euchariſtiam ſecum deferre in eremum. 3. S. Gregorium Nazianz. in orat. funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ, ubi ſcribit Gorgoniam, *noctis intempeſta caligine obſervata, cum levius aliquando morbus urgeret, ad altare cum fide procubuiſſe, eumque, qui ſuper illud colitur, cum magno clamore obteſtatam eſſe.* Cùm autem Nazianzenus dicit, eum qui ſuper altare colitur, non alium certè intelligit, quàm Chriſtum in Euchariſtia: unde ex verbis citatis apparet, Gorgoniam in ædibus ſuis ſacellum habuiſſe, & in eo altare, in quo aſſervabat Euchariſtiam, quam cùm reverenter adoraſſet, & Chriſtum in ea realiter præſentem cum uberrimis lachrymis oraſſet, ſeque ipſa communicaſſet, ſanitatem ſubitò recuperavit: nam de ea ſic paulò inferiùs proſequitur Gregorius: *Capue .... cum uberrimis lachrymis, mulierculæ illius inſtar, quæ olim Chriſti pedes irrigarat, altari admovens .... ac deinde hoc ſuo pharmaco totum corpus perungens... protinus ſe morbo liberam ſentit, atque & corpore & animo & mente levis abſcedit.*

Pro quinto ſæculo habemus, 1. S. Hieronymum in epiſt. ad Ruſticum monachum, in qua de S. Exuperio Toloſano Epiſcopo, qui poſt ſæculum quartum eximia ſanctitate floruit, ſingularem quo erga paupertatem evangelicam afficiebatur amorem laudans, hæc ſcribit:

ſcribit : *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro.*

2. S. Chryſoſtomum in epiſt. ad Innocent. Papam, in qua narrans quæ poſtquam in exilium ejectus, eſt, Conſtantinopoli contigerunt, hæc ſcribit: *Sanctuaria ingreſſi ſunt milites, quos aliquos ſcimus nullis initiatos myſteriis, & viderunt omnia quæ intùs erant; quin & ſanctiſſimus Chriſti Sanguis ...... in prædictorum militum veſtes effuſus eſt.*

3. S. Cyrillum Alex. in epiſt. ad Caloſyrium, in qua ſic ait : *Porrò alios etiam eſſe audio, qui myſticam benedictionem* (Euchariſtiam) *nihil ad ſanctificationem juvare dicant, ſi quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Inſaniunt verò qui hæc aſſerunt, neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum ejus Corpus immutatur* (ſub ſpeciebus conſecratis, in alium diem reſervatis). *ſed benedictionis vis ac facultas, & viviſicans gratia, perpetuò in ipſo exiſtit,*

Pro ſexto denique ſæculo habemus S. Benedictum apud Gregorium Magnum, lib. 2. dialog. cap. 24. ubi narratur quòd, cùm puerulus monachus, in paterna domo defunctus, ſepeliri non poſſet, terra corpus ejus projiciente, parentes ejus *ad Benedicti Patris veſtigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei ſuam gratiam largiri dignaretur, Quibus vir Dei manu ſua protinùs communiònem dominici Corporis dedit, dicens : Ite, atque hoc dominicum Corpus ſuper pectus ejus ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite; quod dum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus ejus terra tenuit,*

Ex allegatis hactenùs Patrum teſtimoniis evidenter colligimus, praxim antiquæ Eccleſiæ in ſervanda Euchariſtia, ad abſentes mittenda, deferenda ad ægrotos, fidelibus utriuſque ſexus, qui eam in ædes ſuas aſportarent, permittenda, adoranda in altari, &c. & ex hac praxi eam antiquæ Eccleſiæ fidem fuiſſe, quòd Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis maneant extra uſum, & manducationem, adeòque, quòd Euchariſtiæ ſacramentum non in actione aliqua tranſeunte, ſed in re permanente conſiſtat; quam fidem confirmavit Deus pluribus miraculis, quæ nonniſi protervè negantur à novatoribus. Hujus antiquæ Eccleſiæ praxis vim ſenſit Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 39. ubi ait : *Sed enim qui ſic faciunt* (hoc eſt, qui Euchariſtiam ad ægrotos deferendam reſervant) *habent veteris Eccleſiæ exemplum. Fateor, verùm in re tanta, & in qua non ſine magno periculo erratur, nihil tutius eſt, quàm ipſam veritatem ſequi.* Hic, quod nobis ſufficit, Calvinus fatetur nos habere ſuffragium veteris Eccleſiæ. Ad id quod addit, nihil tutius eſſe, quàm ipſam veritatem ſequi, reſpondemus eum à veritate aberrare non poſſe, qui pro ſe habet veteris Eccleſiæ ſuffragium : veritas enim catholica non poteſt non colligi certò ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ, quæ errare non poteſt in re de qua agitur, cùm tanti ſit momenti, nec in ea ſine magno periculo errari poſſit, ut fatetur hæreſiarcha. Sed ad magis adhuc confirmandam praxim illam veteris Eccleſiæ, ſit

§. III.

Probatur aſſertio authoritate Conciliorum.

1. Concilium Nicæn. can. 13. jubet, ut fidelibus omnibus in mortis articulo conſtitutis, & Euchariſtiam poſtulantibus, communio concedatur ab Epiſcopo, præmiſſo examine : in hoc enim canone ſic dicitur : *In ſumma autem, de quolibet excedente, & Euchariſtiæ participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat* (Epiſcopus.) Hoc autem fieri non potuit, niſi Euchariſtia aſſervaretur in Eccleſia, ut quovis tempore diſtribui poſſet, etiam quando cœna non celebratur.

2. Concil. Turonenſe II. anno 567. ait can. 3. *Ut Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* Quibus verbis prohibetur, ne Euchariſtia ponatur inter ſacras imagines, quæ ſuper altari poni ſolent, ſed potiùs ponatur ſub ipſa Cruce, quæ in altaris meditullio poni ſolet.

3. Concil. Quini-ſextum ſeptimo ſæculo can. 52. ſic loquitur : *In omnibus ſancta Quadrageſima jejunii diebus, præterquam ſabbato & Dominica, & ſancto Annunciationis die, ſacrum præſanctificatorum* (exerceatur) *miniſterium*; Quibus verbis ſtatuitur, ut in Quadrageſima die ſabbati & Dominico tantùm conſecratio fiat, aliis verò diebus communicent ex præſanctificatis : unde apparet, quòd tunc temporis in Eccleſia Græca Euchariſtia conſecrata ſervaretur ſex ſaltem diebus, à die ſaltem Dominica, uſque ad ſequentem feriam ſextam.

4. Concil. Lateranenſe IV, ſub Innocentio III. anno 1215. can. 20. hæc habet : *Statuimus ut in cunctis Eccleſiis Chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur; ne poſſit ad illa temeraria manus extendi.*

5. Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 1. docet : *In almo S. Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum atque hominem, verè, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri.* Et cap. 3. dicit Euchariſtiæ ſacramentum ab aliis in hoc differre, *quòd reliqua ſacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante uſum eſt.* Quam veritatem ut probet Synodus, ſtatim proſequitur ſic: *Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe, quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verumque ejus Sanguinem ſub panis & vini ſpecie unà cum ipſius anima & divinitate exiſtere.* Denique can. 4. ſic pronuntiat : *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt, & in hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini : anathema ſit.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Sacramenta non fiunt, niſi ſervetur inſtitutio Chriſti. Sed Chriſtus præcepit, ut panis benediceretur, frangeretur, diſtribueretur, & manducaretur : at non præcepit, ut ſervaretur in pixide, geſtaretur in ſupplicatione, adoraretur in Eccleſia, deferretur ad ægrotos, &c. Ergo ſacramentum non eſt, cùm panis conſecratus ſervatur in pixide, geſtatur, &c. ſed tunc tantùm, cùm panis benedicitur, frangitur, &c. *Reſp.* neg. conſ. Nam Chriſtus non quidem præcepit, ut panis conſecratus ſervaretur in pixide, geſtaretur in publica ſupplicatione, &c. At non præcepit, ut ſtatim manducaretur, nec prohibuit illum in pixide ſervari, in publica ſupplicatione geſtari, &c. Unde quòd non ſtatim manducetur, quòd in pixide ſervetur, in ſupplicationibus geſtetur, &c. inſtitutioni Chriſti nullatenùs repugnat.

Obj. 2. Baptiſmus conſiſtit in actione : ergo & Euchariſtia. *Reſp.* neg. conſ. Nam, ut ait Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 3. *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem : verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua ſacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur* (quia nimirùm tunc primùm ſunt, & in uſu conſiſtunt) *at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante uſum eſt* (adeòque Euchariſtia ante uſum vim habet ſanctificandi, & ante uſum ſacramentum eſt.)

Probabis tamen conſeq. Quia 1. omnia ſacramenta legis novæ ſunt ejuſdem generis. 2. Sicut Chriſtus dixit : *Baptizate omnes gentes*; ita dixit : *Accipite &*

comedite. *Reſp. ad* 1. Omnia ſacramenta novæ legis eſſe quidem ejuſdem generis, at non ſunt ejuſdem ſpeciei. Præterea, etiamſi ejuſdem ſpeciei eſſent, adhuc alia in actione tranſeunte, alia verò in re permanente conſiſtere poſſent: nam hæc differentia materialis tantùm eſſet. *Reſp. ad* 2. Hæc Chriſti verba: *Baptizantes eos*, ſignificant uſum & eſſentiam Baptiſmi, quia in Baptiſmo uſus & eſſentia non diſtinguuntur. At hæc alia Chriſti verba: *Accipite & comedite*, ſignificant tantùm uſum Euchariſtiæ, quia in Euchariſtia uſus diſtinguitur ab eſſentia.

Obj. 3. Clemens Romanus epiſt. 2. ad Jacobum fratrem Domini, jubet, ut tot ponantur hoſtiæ in altari, quot neceſſariæ ſunt ad communicandum populum; & ſi quid poſt communionem ſuperſit ex conſecratis ſpeciebus, non ſervetur in craſtinum, & à clericis conſumatur. *Reſp*. 1. Hanc Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, adeòque non eſſe magnæ authoritatis. *Reſp*. 2. Loco citato præſcribi tantùm pro uſu quotidiano, ut non plures conſecrentur hoſtiæ, quàm ſufficiant populo, qui communicaturus eſt; cùm ad hunc tantùm finem conſecrentur; & cùm additur, Si quid ex conſecratis hoſtiis ſuperſit poſt communionem populi, ſervandum non eſſe in craſtinum, ſed à clericis conſumendum, hoc intelligi debet, exceptis hoſtiis illis, quæ pro infirmis communicandis erant in ſacrario reſervandæ: nam paulò ſuperiùs dicitur in eadem epiſtola: *Tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta divinorum ſecretorum, ideſt, Presbytero, Diacono, & Miniſtro* (hoc eſt, Subdiacono) *qui cum timore & tremore clericorum, reliquias fragmentorum Corporis dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni Corporis Domini gravis inferatur injuria*. Dato igitur quòd hæc epiſtola ab ipſo Clemente ſcripta fuerit, manifeſtum eſt, quòd primo Eccleſiæ ſæculo Euchariſtia ſervaretur in ſacrariis pro communione infirmorum; quod confirmari poteſt ex libro 8. conſtitutionum, quæ ſub ejuſdem Clementis nomine circumferuntur, nec minorem, imò majorem habent authoritatem, quàm præfata epiſtola. Libro itaque citato cap. 13. hæc leguntur: *Poſt communionem omnium tum virorum, tum mulierum, ſumant diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum*.

Obj. 4. Originem hom. 5. in cap. 7. Levitici, ubi dicit: *Dominus panem, quem diſcipulis dabat, non diſtulit, nec differri juſſit in craſtinum*. *Reſp*. Reverà Chriſtum non juſſiſſe Apoſtolis, ut Euchariſtiæ à ſe conſecratæ manducationem in craſtinum differrent; at inde non ſequitur, quòd Euchariſtia nunquam poſteà conſervari potuerit, & debuerit. Nam 1. Chriſtus non prohibuit, ne Euchariſtia conſervaretur. 2. Multa, quæ per ſe non præſcripſit, poſteà pro poteſtate ab eo accepta, præſcripſere Apoſtoli circa ſacramentum Euchariſtiæ. Quòd autem Apoſtoli Euchariſtiam conſervari poſſe, Eccleſiæ tradiderint, eamque, ne plurimi in exitu vitæ poſiti, hoc ſaluberrimo viatico privarentur, atque ut fideles ſanctiſſimi hujus ſacramenti præſentia quovis tempore frui poſſent, conſervari voluerint, & juſſerint, ex primitivæ Eccleſiæ praxi certò & evidenter colligimus.

Obj. 5. Heſychius, qui ſub pontificatu Gregorii Magni Hieroſolymitanam rexit Eccleſiam, libro 2. in Leviticum cap. 8. ſcribit morem Eccleſiæ eſſe comburendi id quod ſupereſt ex Euchariſtiæ ſacramento. *Reſp*. Heſychium loco citato excipere particulas Euchariſtiæ, in ſacrario aſſervari ſolitas per unum, vel duos, aut etiam plures dies. Verba ejus ſunt: *Quod reliquum eſt de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit* (Deus in lege veteri) *quod nunc videmus etiam ſenſibiliter in Eccleſia fieri, igníque tradi quæcumque remanere contigerit inconſumpta, non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis ſervata ſunt: ſicut enim apparet, non hoc Legiſlator præcepit; ſed quod reliquum eſt, incendi jubet*. Teſte igitur Heſychio, id tantùm quod poſt populi communionem, & particulas in ſacrario repoſitas ſupererat, igni tradebatur.

Obj. 6. Humbertus Cardinalis, qui floruit ſæculo decimo-primo in lib. contra Nicetam conſcripto Græcos reprehendit, quòd tempore Quadrageſimæ quotidiè offerentur præſanctificatis, excepto Sabbato & die Dominica. *Reſp*. Humbertum Græcos non reprehendere quòd panem conſecratum aſſervent, ſed quod ex pane conſecrato die Sabbati vel Dominica, reliquis hebdomadæ diebus Miſſam celebrent; quamvis ſacrificium Miſſæ fieri non poſſit niſi in ea conſecretur panis.

Obj. 7. Nicephorus Calliſtus, lib. 17. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 25. narrat morem fuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut reliquiæ Euchariſtiæ darentur pueris innocentibus manducandæ: *Conſuetudo*, inquit, *à multo tempore imperanti urbi fuit, ut cùm pluſculum de partibus immaculati divinique corporis Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti reliquum eſſet, Sacerdotes pueros incorruptos ... accerſerent, qui jejuni reliquias eas ederent; quod quidem mihi quoque ſæpè numero, cum puer admodum eſſem ..., contigit*.

Reſp. Nicephorum loqui tantùm de reliquiis Euchariſtiæ quæ ſuperabundabant, ut apertè ſignificat hæc vox *pluſculum*. Quod confirmatur ex Concilio Matiſconenſi II. anno 585. celebrato, hæc præſcribente can. 6. *Quæcumque reliquia ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta, vel ſexta feria innocentes, ab illo cujus intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant*. Itaque quia illæ tantùm reliquiæ pueris innocentibus conſumendæ tradebantur, quæ ſuperabundabant, illa reliquiarum conſumptio non fiebat quotidie, ſed tantùm feria quarta, vel ſexta, quando ſcilicet ſacramentum in ſacrario renovabatur.

Obj. 8. Eccleſia tandem agnovit, aſſervationem Euchariſtiæ abuſum eſſe, & repugnare inſtitutioni Chriſti. Neg. *Prob*. Conſuetudo aſſervandi Euchariſtiam in aliquibus Eccleſiis, ab Eccleſia tandem abrogata fuit, ut probat canon 14. Concilii Toletani I. quo dicitur: *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur*. *Reſp*. Hoc canone non prohiberi ne Euchariſtia ſervetur in ſacrariis, ſed ne Laici acceptam à Sacerdote Euchariſtiam in ædes ſuas deferant; quod illis tribus ſaltem prioribus ſæculis licitum fuerat, ut patet ex Tertulliano & Cypriano locis ſupra citatis.

Nota. Prioribus illis ſæculis, Fideles in Eccleſia à Sacerdotibus excipiebant Euchariſtiam, non ore, ut nunc fit, ſed manu dextera concava, eo modo quem explicat S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 5. ſub finem, ubi ait: *Accedens autem ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis; ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjicias dextræ, qua tantum Regem ſuſceptura eſt; & concava manu ſuſcipe Corpus Domini, dicens, Amen*. Acceptæ autem ſic manu dextera Euchariſtiæ partem aliquam, cùm vellent, reſervabant, & deferebant ad domos ſuas, ut eam opportuno tempore privatim ſumerent; quòd poſteà, ingraveſcente morum corruptela, prohibitum eſt, propter profanationis periculum.

ARTICULUS III.

In quo ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtat ſecundùm Catholicos.

CAtholici omnes docent hoc ſacramentum in re aliqua permanente conſiſtere: Sed quæritur 1. utrùm conſiſtat in ſolis ſpeciebus panis & vini, an in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti, an in utriſque ſimul? 2. An verba, quibus conſecratio perficitur, aliquo modo pertineant ad eſſentiam hujus ſacramenti? 3. Utrùm ſumptio ſit pars illius eſſentialis, vel integralis? Pro horum reſolutione, ſit

Reſponſio I.

Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolis ſpeciebus panis & vini.

Prob. Nam ſacramento Euchariſtiæ multa conveniunt, quæ aut non conveniunt ſpeciebus, aut ſolis non conveniunt, ut eſſe cibum animæ, eſſe panem de cœlo deſcendentem, habere vim ſanctificandi, fieri per verba conſecrationis, adorari latria. Solæ autem ſpecies non fiunt per verba conſecrationis, neque ſolæ adorantur cultu latriæ, neque ſolæ ſunt cibus animæ, neque ſolæ vim habent ſanctificandi; nam hæc vis multò magis competit Corpori & Sanguini Chriſti, eique attribuitur, Joan. cap. 6. ubi ait Chriſtus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ergo, &c.

Obj. 1. Innocentius III. cap. *Cum Martha*, extra de celebratione Miſſarum, dicit ſpecies eſſe ſacramentum. *Reſp.* Innocentium capite laudato 1. diſtinguere tria in Euchariſtia, nempe id quod eſt ſacramentum tantùm, id quod eſt res tantùm, & id quod eſt res & ſacramentum. 2. Per ſacramentum tantùm intelligere illud quod ſignificat, & non ſignificatur. Per rem tantùm, illud quod ſignificatur, & non ſignificat. Denique per rem & ſacramentum, illud quod & ſignificatur, & ſignificat. 3. Ex his concludere, 1. in Euchariſtia ſpecies eſſe ſacramentum tantùm, quia ſignificant rem ſacram, nempe Corpus & Sanguinem Chriſti, & cum utroque gratiam ſanctificantem, ſed non ſignificantur. 2. Gratiam ſacramentalem, qua per charitatem Fideles inter ſe uniuntur, eſſe rem tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat. 3. Denique Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe rem & ſacramentum, quia & ſignificantur per ſpecies, & ſignificant gratiam ſacramentalem, qua Fideles inter ſe conjunguntur per charitatem.

Verba Pontificis ſunt: *Dicitur* (Euchariſtia) *Myſterium Fidei, quoniam aliud ibi creditur, quam cernitur; & aliud cernitur, quàm credatur. Cernitur ſpecies panis & vini, & creditur veritas carnis & ſanguinis Chriſti, ac virtus unitatis & charitatis. Diſtinguendum eſt* (igitur) *ſubtiliter inter tria, quæ ſunt in ſacramento hoc diſcreta, videlicet formam viſibilem, veritatem corporis, & virtutem ſpiritualem. Forma, eſt panis & vini: veritas, carnis & ſanguinis: virtus, unitatis & charitatis. Primum* (nempe ſpecies panis & vini) *ſacramentum, & non res. Secundum* (nempe Corpus & Sanguis Chriſti) *eſt ſacramentum, & res. Tertium* (nempe virtus ſpiritualis, ſeu gratia ſacramentalis Fideles inter ſe conjungens per charitatem) *eſt res & non ſacramentum.* Cùm itaque Innocentius dicit, ſpecies eſſe ſacramentum tantùm, nil aliud vult, quàm ſpecies rem aliquam ſacram ſignificare, & non ſignificari; nomineque ſacramenti intelligit præcisè ſignum rei ſacræ, quod non ſufficit ad rationem adæquatam ſacramenti novæ *Legis*: ad hanc enim rationem requiritur, ut aliquid ſignificet, & efficiat gratiam ſanctificantem, ſeu veram ſanctitatem, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit. Gratiam autem ſanctificantem ſignificare & efficere, non convenit ſolis ſpeciebus, ſeu ſpeciebus ſeorſim à Corpore & Sanguine Chriſti ſumptis.

Obj. 2. Cap. *Hoc eſt*, 48. diſt. 2. de conſecratione, ſpecies ſimpliciter vocantur ſacramentum; Corpus verò & Sanguis Chriſti res ſacramenti, ut patet ex verbis infra referendis. *Reſp. Breviter*, loco citato, nomine ſacramenti intelligi præcisè ſignum rei ſacræ. Itaque hìc vocantur ſpecies ſacramentum, non quòd ſolæ rationem habeant adæquatam ſacramenti, ſeu, quod idem eſt, non quòd ſolæ ſignificent & efficiant gratiam ſanctificantem, ſed quia ſunt ſignum Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ ſunt res ſacra. Corpus verò & Sanguis Chriſti vocantur res ſacramenti, quia ſignificantur per ſpecies.

Obj. 3. Berengarius in confeſſione fidei, quam ſubſcripſit Romæ in Concilio 113. Epiſcoporum, præſide ſummo Pontifice Nicolao, hæreſim ſuam revocans, confitetur in Euchariſtia non ſolùm eſſe ſacramentum, ſed etiam Corpus Chriſti. Ergo, &c. *Reſp.* In illa fidei confeſſione, quam ſibi à ſummo Pontifice & Epiſcopis oblatam ſubſcripſit Berengarius, per to ſacramentum, præcisè intelligi ſignum rei ſacræ. *Nota.* Berengarius docuerat, in Euchariſtia eſſe ſacramentum tantùm, hoc eſt, nudum ſignum Corporis, non ipſum Corpus Chriſti: quare juſſus errorem ſuum revocare, confitetur in Euchariſtia non ſolùm eſſe ſacramentum, ſed etiam Corpus Chriſti, ideſt, non ſolùm ſignum Corporis, ſed etiam ipſum Corpus Chriſti: *Conſentio*, inquit, *Sanctæ, Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor... panem & vinum, quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem, non ſolum ſacramentum* (hoc eſt non ſolùm ſignum corporis & ſanguinis, &c.) *ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm ſacramento* (ideſt, ſigno) *ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.*

Reſponſio II.

Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti.

Prob. Nam ſacramentum novæ Legis, ut conſtat ex ejus definitione, eſt ſignum ſenſibile per ſe, & hoc commune eſſe ſacramento Euchariſtiæ cum aliis ſacramentis, diſertis verbis docet Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 3. ubi ait: *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ, inviſibilis gratiæ formam viſibilem.* Atqui Corpus & Sanguis Chriſti, prout ſunt in Euchariſtia, non ſunt per ſenſibilia, ſive, quod idem eſt, non ſunt ſenſibilia niſi per ſpecies. Ergo ſine ſpeciebus ſacramentum conſtituere non poſſunt. Ergo, &c.

Confirmat. Ex Tridentino ſeſſ. citata can. 1. Ubi anathematizat eos, qui negant, *in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem... Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ergo ſacramentum Euchariſtiæ dicit aliquid præter Corpus & Sanguinem Chriſti, quod cum Corpore & Sanguine Chriſti unum totum facit, in quo Corpus & Sanguis Chriſti rectè dicuntur contineri, tanquam pars in toto: nihil enim propriè dici poteſt in ſeipſo contineri.

Obj. 1. Ad hoc ut ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtat in ſolo corpore & ſanguine Chriſti, ſufficit, ut Corpus & Sanguis Chriſti connotent extrinſecè ſpecies, per quas ſic ſufficienter fiunt ſenſibilia. *Reſp.* Neg. Licèt enim non requiratur, ut quælibet pars ſacramenti ſit per ſe ſenſibilis, ut patet ex contritione, quæ eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ, integrum tamen ſacramentum debet eſſe per ſe ſenſibile aliqua ſaltem ſui parte; & aliquid inſenſibile ſecundùm ſe totum, non poteſt eſſe integrum ſacramentum, ut patet ex definitione ſacramenti. At ſi ſacramentum Euchariſtiæ conſiſteret in ſolo corpore & ſanguine Chriſti, non eſſet ulla ſui parte per ſe ſenſibile, ſed tantùm per aliquid extrinſecum, nempe ſpecies connotatas.

Obj. 2. Patres vocant ſacramentum Euchariſtiæ Corpus Chriſti. *Reſp.* Tunc Patres vel intelligere Corpus Chriſti, non nudum, ſed ſub ſpeciebus conſecratis exiſtens, ex quibus & Corpore Chriſti fit totum per ſe ſenſibile, quod eſt Euchariſtiæ ſacramentum; vel ſumere partem pro toto, quod etiam accidit in aliis ſacramentis, ut cum Baptiſmus dicitur ablutio, & tunc Patres ſacramentum Euchariſtiæ denominant à parte præcipua, nec ullatenùs volunt, Corpus Chriſti cum ejus ſanguine ſine ſpeciebus eſſe integrum Euchariſtiæ ſacramentum.

Obj. 3. Vis ſanctificandi & reficiendi animam reſidet in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti. Ergo & ſacramentum Euchariſtiæ. Reſponderi poteſt, 1. Negando antecedens, & dici, vim ſanctificandi & reficiendi animam competere ſacramento Euchariſtiæ, principaliter ratione Corporis & Sanguinis Chriſti, tanquam prin-

principalis inſtrumenti, & per ſe primò requiſiti ad rationem cibi & potus ſpiritualis, & minùs principaliter ratione ſpecierum conſecratarum; ita ut id quod in Euchariſtia ſanctificat & ſpiritualiter reficit animam, non ſit ſolùm Corpus & Sanguis Chriſti, ſed complexum ex corpore Chriſti, ſanguine ejus, & ſpeciebus conſecratis; quatenùs complexum hoc ſecundùm ſe totum ſignificat, adeòque & cauſat gratiam per modum refectionis ſpiritualis.

Reſponderi poteſt 2. conceſſo antecedente, negando conſeq. Dici itaque poteſt, quòd vis ſanctificandi & reficiendi animam reſideat in ſolo corpore & ſanguine Chriſti; cùm Chriſtus, Joan. cap. 6. non de ſpeciebus, ſed de carne & ſanguine ſuo dixerit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Unde ſpecies non reficiunt nec ſuſtentant animam, atque adeò non ſunt cauſa gratiæ ſanctificantis. Hoc tamen non impedit, quominùs ſint pars ſacramenti Euchariſtiæ, quatenùs ſignificant cibum & potum ſpiritualem, ſeu quatenùs ſignificant Corpus & Sanguinem Chriſti per modum cibi, & potus ſpiritualis; & ſignificando, cum corpore & ſanguine Chriſti faciunt unum totum per ſe ſenſibile una ſui parte, & altera quæ principalior eſt & excellentior, vim habens reficiendi & ſuſtentandi animam.

Dices. In baptiſmo v.g. vis ſanctificandi non conſiſtit in ſola formula verborum: *Ego te baptizo, &c.* ſed ſimul ac indiviſibiliter in formula illa, & ablutione. Ergo ſimiliter in Euchariſtia vis ſanctificandi non conſiſtit in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti, ſed ſimul ac indiviſibiliter in Corpore & Sanguine Chriſti cum ſpeciebus. *Reſp.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia in baptiſmo gratia regenerans per formam & materiam proximam ſimul ac indiviſibiliter ſignificatur ſecundùm inſtitutionem Chriſti, adeòque ſecundùm inſtitutionem Chriſti per utramque ſimul, ac indiviſibiliter cauſatur. At in Euchariſtia ſpecies non ſignificant ſpiritualem animæ refectionem, unde illam non efficiunt; non enim ſunt cibus & potus ſpiritualis; ſed ſolùm utrumque ſignificant. *Breviter*, in Euchariſtia ſpecies ſignificant Corpus & Sanguinem Chriſti per modum cibi & potus ſpiritualis: corpus verò & ſanguis Chriſti per modum cibi & potus ſpiritualis ſignificata, ſignificant refectionem ſpiritualem, quæ proinde cauſatur à ſolo corpore & ſanguine Chriſti ſignificatis per modum cibi & potus ſpiritualis.

Dices iterum. Imò in ſacramento Euchariſtiæ ſolæ ſpecies ſunt cauſa proxima & immediata gratiæ ſanctificantis. *Reſp.* neg. *Prob.* Chriſtus in hoc ſacramento non aliter cauſa eſt gratiæ, quàm in aliis ſacramentis. At in aliis ſacramentis non eſt proxima & immediata cauſa gratiæ, ſed tantùm remota & univerſalis. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Et dico Chriſtum in ſacramento Euchariſtiæ tripliciter concurrere ad productionem gratiæ animam ſpiritualiter reficientis: nam primò concurrit ut cauſa principalis phyſica, quod facit per ſuam divinitatem. Secundò, concurrit ut cauſa principalis meritoria, quod facit per opera à ſe ut homine Deo Patri ad hunc finem exhibita. 3. Denique concurrit ut cauſa inſtrumentalis proxima, quod facit per corpus & ſanguinem ſuum, ſignificata per ſpecies ad modum cibi & potus ſpiritualis. Duo primi modi omnibus ſacramentis communes ſunt, tertius proprius eſt Euchariſtiæ.

Responsio III.

Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in ſpeciebus cum corpore & ſanguine Chriſti, tanquam partibus intrinſecè conſtituentibus.

Prob. 1. Authoritate S. Iræni lib. 4. adversùs hæreſes cap. 43. ubi loquens de ſacramento Euchariſtiæ ſic ait: *Jam* (poſt conſecrationem) *non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena* (nempe ſpecie panis,) *& cœleſti* (nempe Corpore Chriſti.) 2. Ex capite *Hoc eſt* jam citato, in quo dicitur: *Hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcil. Eccleſiæ* (quod eſt Euchariſtia) *duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Jeſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento, & re ſacramenti, ideſt, corpore Chriſti, ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur Deo & homine*. Unde ſic argumentor. Euchariſtia conſtituitur ex ſpeciebus panis & vini, & corpore & ſanguine Chriſti, ſicut perſona Chriſti conſtituitur ex Deo & homine. Atqui perſona Chriſti conſtituitur intrinſecè ex Deo & homine: nam Chriſtus eſt intrinſecè Deus & homo. Ergo pariter ſacramentum Euchariſtiæ conſtituitur intrinſecè, &c.

3. Hac ratione. Sacramentum Euchariſtiæ, ut probatum eſt, conſiſtit in re permanente. Ergo vel in ſolis ſpeciebus conſecratis, vel in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti, vel in ſpeciebus conſecratis, & Corpore cum Sanguine Chriſti. Non primum, nec ſecundum, ut probatum eſt. Ergo ſupereſt ut Euchariſtiæ ſacramentum conſiſtere dicatur in complexo ex ſpeciebus conſecratis, & Corpore cum Sanguine Chriſti. Quod confirmatur; quia huic complexo, non verò ſpeciebus, aut Corpori & Sanguini Chriſti ſeorſim convenit eſſe ſignum ſenſibile animam ſanctificans & ſuſtentans per modum cibi & potus ſpiritualis; nam per ſpecies ſenſibile eſt, & per Corpus & Sanguinem Chriſti, animam ſanctificat & ſuſtentat, &c. Ergo in hoc complexo, non in ſpeciebus, aut Corpore & Sanguine Chriſti ſeorſim conſiſtit ſacramentum Euchariſtiæ.

Obj. 1. Corpus Chriſti (idem dic de Sanguine) eſt res ſacramenti. Ergo nec ſacramentum eſt, nec pars ſacramenti. 2. Euchariſtia dicitur ſacramentum Corporis Chriſti. Ergo non eſt ipſum Corpus Chriſti. 3. Tridentinum ſeſſione citata can. 1. dicit Corpus & Sanguinem Chriſti contineri in ſacramento Euchariſtiæ.

Reſp. ad 1. neg. conſeq. Nam Corpus Chriſti eſt res ſacramenti, & ſimul pars ſacramenti ſub diverſo reſpectu. Eſt res ſacramenti reſpectu ſpecierum, quia per eas ſignificatur ad modum cibi ſpiritualis. Eſt pars ſacramenti reſpectu gratiæ animam nutrientis & reficientis, quia illam ſignificat & operatur. *Reſp. ad* 2. Euchariſtiam dici intranſitivè ſacramentum Corporis Chriſti; & tunc perinde eſt ac ſi diceretur ſacramentum, quod eſt Corpus Chriſti. *Reſp. ad* 3. Corpus & Sanguinem contineri in ſacramento Euchariſtiæ tanquam partes in toto; ſicut verbi gratia, corpus hominis continetur in homine.

Dices. Si ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in Corpore & Sanguine Chriſti & ſpeciebus conſecratis, vel Corpus & Sanguis Chriſti ſe habent per modum materiæ, & ſpecies conſecratæ per modum formæ, aut contra, vel non. Reſpondent multi, Corpus & Sanguinem Chriſti cum ſpeciebus conſecratis ſe habere per modum materiæ, ſacramentalem verò ſignificationem per modum formæ. Sed quidni dicatur, Corpus & Sanguinem Chriſti ſe habere per modum materiæ, & ſpecies per modum formæ; quia ſpecies ſignificando Corpus & Sanguinem Chriſti, ut cibum & potum ſpiritualem, determinant illa ad ſignificandam gratiam ſacramentalem propriam hujus ſacramenti, ſeu ad ſignificandam gratiam, animæ nutritivam & ſuſtentativam?

Responsio IV.

Verba conſecratoria non ſunt de conſtitutivo intrinſeco ſacramenti Euchariſtiæ.

Prob. 1. Illud non eſt pars ſacramenti Euchariſtiæ, per quod fit. Atqui ſacramentum Euchariſtiæ fit per verba conſecrationis, quatenùs vi horum verborum, ſubſtantia panis & vini, remanentibus ſpeciebus, convertitur in Corpus & Sanguinem Chriſti. Ergo, &c. 2. Si verba conſecrationis eſſent pars intrinſeca ſacramenti Euchariſtiæ, ſacramentum hoc non conſiſteret adæquatè in re permanente, nam verba conſe-

conſecrationis tranſeunt; nec totum haberetur poſt conſecrationem, nam poſt conſecrationem verba conſecrationis non exiſtunt ampliùs. Atqui ſacramentum hoc adæquatè conſiſtit in re permanente, & facta conſecratione totum habetur. Ergo, &c.

Obj. Concilium Florentinum in decr. §. *Quintò*, docet ſacramenta novæ Legis conſtare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Ergo ex Concilio Florentino, verba conſecrationis ſunt de intrinſeco conſtitutivo ſacramenti Euchariſtiæ. *Reſp.* neg. ant. Florentinum enim loco citato non docet ſacramenta novæ Legis conſtare rebus, &c. Sed, quod aliud eſt, docet perfici rebus, &c. quod verum eſt etiam de ſacramento Euchariſtiæ: nam perficitur ex pane & vino tanquam materia, & verbis conſecratoriis tanquam forma, vi cujus, panis & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti convertuntur: at non ideò conſtat ex verbis, cùm tranſeant, ſicut nec conſtat ex ſubſtantia panis & vini, quia non remanet.

Dices. Idem Florentinum in eod. decr. §. *Tertium*, dicit verba conſecrationis: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, eſſe formam Euchariſtiæ, ſicut dixit §. *Primum*, hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* eſſe formam Baptiſmi. Ergo ſicut hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt de conſtitutivo intrinſeco Baptiſmi; ita verba conſecrationis ſunt de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Concilium non dicit, verba conſecrationis eſſe eodem modo formam Euchariſtiæ, quo hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt forma Baptiſmi.

Hæc autem verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt de conſtitutivo intrinſeco Baptiſmi, quia Baptiſmus conſiſtit in actione tranſeunte, & in omnibus ſacramentis, quæ in actione tranſeunte conſiſtunt, eadem eſt materia, & eadem forma, quibus perficiuntur & conſtituuntur. At verba conſecrationis non ſunt de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ, quia Euchariſtia in re permanente conſiſtit, adeòque materia & forma, quibus intrinſecè conſtituitur, neceſſariò aliæ ſunt à materia, nempe ſubſtantia panis & vini, & forma, nempe verbis conſecrationis, quibus perficiuntur; cùm ambæ tranſeant, adeòque rem permanentem conſtituere nequeant.

Præterea, Florentinum ſicut dicit verba conſecrationis eſſe formam Euchariſtiæ, ita ibidem ait, panem & vinum eſſe materiam illius. Nec tamen inde inferri poteſt, panem & vinum eſſe de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ; cùm fide certum ſit ſubſtantiam panis & vini non remanere, ſed converti in Corpus & Sanguinem Chriſti. Ergo nec de verbis conſecrationis id poteſt inferri: imò Concilium apertè ſignificat, verba conſecrationis nullatenùs eſſe de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ: nam ſic loquitur: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit ſacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.* En 1. Concilium dicit confici, non verò dicit conſtitui Euchariſtiam per verba conſecrationis; quo modo loquendi ſatis innuit verba conſecrationis eſſe formam non intrinſecam, ſed extrinſecam tantùm Euchariſtiæ. 2. Verba conſecrationis ait eatenùs eſſe formam Euchariſtiæ, quatenùs illorum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem ejus convertuntur; quod idem eſt ac dicere, verba conſecrationis eatenùs Euchariſtiæ formam eſſe, quatenùs ſunt cauſa efficiens inſtrumentalis proxima illius. Ex Florentino igitur ſufficientiſſimè habemus, verba conſecrationis ad conſtitutivum intrinſecum Euchariſtiæ nullo pacto pertinere.

Dices. Sacramentum Euchariſtiæ dicit eſſentialem ordinem ad verba conſecrationis. *Reſp.* diſt. Dicit eſſentialem ordinem ad verba conſecrationis, tanquam ad aliquid ipſius intrinſecè conſtitutivum, N. Tanquam ad cauſam ejus efficientem inſtrumentalem proximam, vel, ſi vis, tanquam ad inſtrumentum morale, quo Deus proximè determinatur ad efficiendam mirabilem illam panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti converſionem, C.

Dices. Illud eſt de eſſentia Euchariſtiæ, quod Chriſtus inſtituit ad ſignificandam ſpiritualem refectionem: nam Euchariſtia eſt ſacramentum, ad ſignificandam, & efficiendam ſpiritualem refectionem à Chriſto inſtitutum. Atqui Chriſtus verba conſecrationis inſtituit ad ſignificandam refectionem ſpiritualem: ad id enim illa inſtituit, ad quod illa ipſemet adhibuit. Atqui ipſe illa adhibuit ad ſignificandam refectionem ſpiritualem. Ergo, &c.

Reſp. Neg. min. *Ad prob.* neg. etiam min. Chriſtus itaque non ad ſignificandam ſpiritualem refectionem verba conſecrationis adhibuit, ſed ad præſentiam Corporis & Sanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini ſignificandam, & ſignificando efficiendam. Chriſtus igitur non inſtituit verba conſecrationis, ut eſſent ſignum refectionis ſpiritualis, ſed ut eſſent ſignum practicum præſentiæ Corporis & Sanguinis ejus ſub ſpeciebus panis & vini. Chriſtus igitur inſtituit verba conſecrationis, ut eſſent cauſa efficiens inſtrumentalis proxima moralis, non refectionis ſpiritualis, ſed ſacramenti, quod eſt ſignum practicum refectionis ſpiritualis, ſeu quod eſt cauſa efficiens inſtrumentalis proxima moralis, qua Deus utitur ad producendam in anima gratiam, qua ſpiritualiter nutritur & reficitur.

Aliud eſt de verbis, quibus perficiuntur alia ſacramenta, quæ conſiſtunt in actione tranſeunte: nam v. g. hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* à Chriſto inſtituta fuere, ut cum applicatione materiæ ſeu ablutione ſignificent, & ſignificando efficiant ſpiritualem regenerationem: unde ex vi inſtitutionis Chriſti verba hæc: *Ego te baptizo, &c.* & ablutio, faciunt unum ſignum practicum ſpiritualis regenerationis, quod eſt Baptiſmi ſacramentum; quare Baptiſmus his verbis: *Ego te baptizo, &c.* & ablutione perficitur, ſicut homo v. g. perficitur anima & corpore; & ſicut homo intrinſecè conſtituitur per corpus & animam, ita Baptiſmus intrinſecè conſtituitur per ablutionem, & hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* Quare hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt forma intrinſeca Baptiſmi, & vera illius pars; quod dici non poteſt de verbis conſecrationis reſpectu Euchariſtiæ: non enim Euchariſtia perficitur verbis conſecrationis, ſicut homo anima perficitur, ſed ſicut v. gr. ſcriptura perficitur calamo: unde verba conſecrationis non magis intrinſecè Euchariſtiam conſtituunt, quam calamus ſcripturam; atque ita non magis ſunt forma intrinſeca Euchariſtiæ, & vera illius pars, quàm calamus ſcripturæ.

Dices. Si verba conſecrationis non ſunt de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ, Euchariſtia non eſt ſignum per ſe ſenſibile ſpiritualis refectionis. Abſurdum conſeq. Ergo, &c. *Prob.* 1. Sequela maj. Nam Euchariſtia non eſt ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis, niſi per quandam habitudinem ad verba conſecrationis. *Prob.* 2. min. Quia omne ſacramentum eſſentialiter eſt ſignum per ſe ſenſibile gratiæ ſacramentalis, ad quam ſignificandam, & efficiendam à Chriſto inſtitutum eſt.

Reſp. Reipſa ſacramentum Euchariſtiæ non eſſe ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis ſine habitudine quadam ad verba conſecrationis priùs prolata, ſicut nec eſt ſine habitudine quadam ad panem & vinum vi verborum illorum in Corpus & Sanguinem Chriſti converſa. 1. Itaque Euchariſtia non eſt ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis ſine habitudine ad verba conſecrationis priùs prolata, quia ſpecies non poſſent ſignificare præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacramento, niſi ad hoc determinarentur per habitudinem quam habent ad verba illa: ſecluſo enim omni ad verba illa reſpectu, ſpecies conſecratæ non magis ſignificant præſentiam Chriſti, quàm non conſecratæ; & ſecluſo omni ad verba illa reſpectu, non poſſumus ſpecies conſecratas à non conſecratis diſtinguere; nec conſecrata à non conſecratis

Google

diſtinguimus, niſi quantùm ſcimus ſuper unas, & non ſuper alias verba conſecrationis prolata fuiſſe.

2. Euchariſtia non eſt ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis ſine habitudine ad panem & vinum, ex quibus tranſeuntibus confecta eſt, quia ſpecies conſecratæ non poſſent ſignificare Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe in ſacramento per modum cibi & potus ſpiritualis, ſi non eſſent ſpecies panis & vini, quibus communiter veſcimur: unde ſi Deus Corpus & Sanguinem Chriſti poneret ſub ſpeciebus alicujus rei, nec comeſtibilis, nec potabilis, compoſitum hoc aut non eſſet verum ſacramentum, aut ſaltem ſacramentum eſſet alterius rationis, quàm Euchariſtiæ ſacramentum, quod Chriſtus inſtituit; quia non eſſet ſignum Corporis & Sanguinis Chriſti per modum cibi & potus ſpiritualis, & ita non eſſet ſignum ſpiritualis refectionis.

Hæc autem habitudo, quam ſpecies conſecratæ habent ad verba conſecrationis, & ſubſtantiam panis & vini, non eſt de conſtitutivo intrinſeco ſacramenti, nec magis eſt pars illius intrinſeca, quàm habitudo orationis ad humanam inſtitutionem, eſt intrinſeca pars orationis; quæ tamen, ut aliquid ſignificet, eſſentialiter dependet ab humana inſtitutione, & habitudine ad illam; nihil enim ſignificaret, ſi non eſſet ab hominibus inſtituta ad aliquid ſignificandum; unde nec poteſt aliquid ſignificare, iis, qui neſciunt ad quid ſignificandum ſit inſtituta. Sicut itaque inſtitutio humana, & habitudo ad illam, non ſunt de eſſentia orationis, ſed ſolùm aliquid ad eſſentiam orationis præréquiſitum; ita verba conſecrationis, & habitudo ad illa, ut jam pronuntiata, non ſunt de Euchariſtiæ eſſentia, ſed ſolùm aliquid ad eam prærequiſitum eſſentialiter.

Item ſicut oratio per ſe ſignificat id, quod ſignificat, quamvis in ſignificando eſſentialiter dependeat ab inſtitutione humana, ſibi extrinſeca, nec ſignificet ſine quadam habitudine ad illam; ita ſacramentum Euchariſtiæ per ſe ſenſibiliter ſignificat id, ad quod ſignificandum a Chriſto inſtitutum eſt, quamvis in eo ſignificando eſſentialiter dependeat à verbis conſecrationis, nec ſignificet ſine habitudine quadam ad illa ut prolata à Sacerdote ſuper panem & vinum cum intentione faciendi ſacramentum.

Porrò hæc habitudo, quam habent ſpecies conſecratæ ad verba conſecrationis, ut prolata à Sacerdote, &c. & ſine qua nec ſignificarent, nec poſſent ſignificare ſenſibiliter, Chriſtum ibi præſentem eſſe; in re nihil eſt, quàm denominatio extrinſeca conſecrati, quæ reſultavit in ſpecies ex prolatione verborum conſecrationis facta à Sacerdote, &c. & in hominum memoria remanet. Sub hac autem extrinſeca denominatione conſecrati, quandiu in hominum memoria remanet, velut facem præferente, ſpecies per ſe ſenſibiliter ſignificant præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ad modum cibi & potus ſpiritualis: Corpus verò & Sanguis Chriſti ſic ſenſibiliter ſignificata, ſenſibiliter ſignificant gratiam, qua ſpiritualiter anima reficitur.

Dices. Etiamſi verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, non maneant phyſicè, nihilominùs poſſunt eſſe pars intrinſeca Euchariſtiæ, quantumcumque ſupponatur in re permanente conſiſtere. Ergo, &c. Nego antecedens. *Prob.* Verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, ſic deſinunt eſſe phyſicè, ut moraliter permaneant. Atqui hæc moralis permanentia ſufficit ad hoc, ut poſſint eſſe pars intrinſeca rei permanentis. Ergo, &c.

Prob. maj. Nam poſtquam prolata ſunt, tam permanent moraliter in ordine ad conſtituendum ſacramentum permanens, quam in matrimonio v. g. conſenſus unius partis, poſtquam phyſicè deſiit, moraliter permanet, niſi revocetur, in ordine ad conſtituendum ſacramentum matrimonii cum conſenſu alterius partis, quando ponetur.

Reſp. Nego majorem. Nam verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, nullam habent moralem permanentiam, qualem habet in matrimonio conſenſus unius partis, quandiu non revocatur: nam in matrimonio is qui conſentit, quandiu conſenſum ſuum non revocat directè, vel ſaltem indirectè, tandiu ex natura rei, & in æſtimatione prudenti, cenſetur conſentire; quod ſufficit ad hoc, ut accedente alterius conſenſu, cum eo conſtituat contractum matrimonialem, adeòque, & matrimonii ſacramentum in eorum ſententia, qui ſacramentum hoc in contractu matrimoniali conſtituunt; quo caſu ſacramentum matrimonii exiſtit, phyſicè quidem ſecundùm unam ſui partem, nempe ſecundùm conſenſum qui actu ponitur; & moraliter tantùm, ſeu in morali tantùm æſtimatione, ſecundùm aliam partem ſui, nempe ſecundùm conſenſum aliàs poſitum, nec retractatum. At verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, non poſſunt cenſeri deinceps continuò pronuntiari à Sacerdote, à quo prolata fuerunt: unde ſic poſt prolationem ſui ita phyſicè deſinunt, ut nullum eſſe habituale retineant, & ne quidem in morali æſtimatione perſeverent. Ex his patet Reſponſio ad probationem majoris.

Præterea, etiamſi verbis conſecrationis concederetur moralis quædam permanentia, poſtquam prolata ſunt, non idcirco apta eſſent ad eſſe partem intrinſecam rei propriè permanentis: res enim propriè permanens debet ſecundùm omnes partes, ex quibus intrinſecè conſtituitur, ſimul exiſtere phyſicè: unde res ſecundùm aliquas tantùm ſui partes exiſtens, quantumvis dicatur, etiam ſecundùm alias exiſtere in morali æſtimatione, non eſt res propriè, ac ſimpliciter permanens, ſed ſecundùm quid, & cum addito deſtruente propriam rationem rei permanentis. Euchariſtia autem eſt res propriè permanens, & tota propriè exiſtit, & habetur poſt conſecrationem, adeòque poſt conſecrationem ſecundùm omnes partes, ex quibus intrinſecè conſtituitur, ſimul exiſtit phyſicè. Nihil igitur, quod poſt conſecrationem nonniſi moraliter, vel habitualiter exiſtit, poteſt eſſe pars intrinſeca Euchariſtiæ.

At inques. Supponatur verba conſecrationis, quæ prolata deſinunt phyſicè, eſſe partem intrinſecam Euchariſtiæ, adhuc tamen Euchariſtia propriè dici poterit exiſtere, quandiu exiſtent ſpecies conſecratæ: ſicut v. g. Baptiſmus propriè dicitur exiſtere, cùm exiſtit ultima ſyllaba formæ illius, quamvis reliqua omnia, ex quibus intrinſecè conſtituitur, deſierint eſſe. *Reſp.* Magnum eſſe diſcrimen inter Baptiſmum & Euchariſtiam: nam Baptiſmus eſt res ſucceſſiva; res autem ſucceſſiva, cùm nonniſi fluenter exiſtat, non poteſt ſecundùm omnes ſuas partes ſimul exiſtere; unde maximè dicitur exiſtere, quando ultima ejus pars exiſtit. At Euchariſtia eſt res permanens: res autem permanens poteſt ſimul eſſe phyſicè ſecundùm omnes partes ſuas: unde reverà non exiſtit, niſi cùm omnes ejus partes ſimul exiſtunt.

Responsio V.

Sumptio ſacramenti Euchariſtiæ nullatenùs pertinet ad intrinſecum illius complementum.

Prob. Nam 1. Sacramentum Euchariſtiæ per conſecrationem conficitur, ita ut facta conſecratione ſit perfectum & integrum Euchariſtiæ ſacramentum. Ergo nullatenus dici poteſt intrinſecè compleri per ſumptionem, quæ fit poſteà. 2. Sacramentum Euchariſtiæ integrè perficitur à ſolo ſacerdote: nam ſolus ſacerdos miniſter eſt hujus ſacramenti. Atqui ſi ſumptio ad intrinſecum ſacramenti hujus complementum pertineret, ſacramentum hoc non perficeretur integrè à ſolo ſacerdote: ſumptio enim fieri poteſt, & paſſim fit à fidelibus, qui non ſunt ſacerdotes. Ergo, &c. 3. Denique ſacramentum Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum eſt per modum cibi & potus ſpiritualis. Atqui ſumptio cibi vel potus non eſt illius complementum intrinſecum; præciſà enim ſumptione, exiſtit tota ratio cibi & potus. Ergo, &c.

Dices. Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur ad nutritionem animæ, & hæc nutritio ſine ſumptione haberi

non

non poteſt. Ergo ſumptio eſt intrinſecum Euchariſtiæ complementum. R. neg. conſeq. Nam ex antecedente ſequitur tantùm, quod verum eſt, ſumptionem eſſe conditionem ſine qua haberi non poteſt effectus, ad quem operandum inſtituta eſt Euchariſtia. Sic ex eo quòd cibus corporalis ordinatur ad nutritionem corporalem, & hæc nutritio haberi non poteſt ſine ſumptione cibi corporalis, non ſequitur quòd ſumptio cibi corporalis intrinſecum illius complementum ſit, ſed tantùm quòd ſit conditio, ſine qua cibus corporalis effectum ſuum non haberet.

Ex dictis hactenùs collige ſacramentum Euchariſtiæ rectè definiri ſic: Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſpecies conſecratæ, Corpus & Sanguinem Chriſti continentes. Vel ſic: Sacramentum Euchariſtiæ eſt Corpus & Sanguis Chriſti, contenta ſub ſpeciebus conſecratis. Vel ſic: Sacramentum Euchariſtiæ eſt cibus ſpiritualis, conſtans ex Corpore & Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis. Vel denique, ut Articulo primo; Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis, ad ſpiritualem animarum refectionem à Chriſto permanenter inſtitutum.

ARTICULUS IV.

Utrùm Sacramentum Euchariſtiæ ſit unum, vel plura.

NOta. Euchariſtia poteſt conſiderari tripliciter, 1. Ut conſtituitur tantùm ex Corpore Chriſti, & ſpeciebus panis. 2. conſtituitur tantùm ex Sanguine Chriſti, & ſpeciebus vini. 3. Ut conſtituitur ex his omnibus. Item ſumi poteſt tribus modis. 1. Sub ſpecie panis tantùm, ut nunc ſumitur à laicis. 2. Sub ſpecie vini, ut aliquando ſumpta eſt ab infantibus. 3. Sub utraque ſpecie, ut ſemper ſumpta fuit & ſumitur à ſacerdotibus Miſſam celebrantibus. Quæritur ergo utrum Euchariſtiæ plura ſint ſacramenta, an unum tantùm?

Responsio I.

Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul ſumibilia, non ſunt plura ſacramenta, ſed unum tantùm.

Prob. Illa non ſunt plura, ſed unum tantùm ſacramentum, quæ ſimul & indiviſibiliter concurrunt ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem: nam v.g. in Baptiſmo ablutio, & verba, *Ego te baptizo, &c.* non ſunt plura, ſed unum tantùm ſacramentum, quia ſimul & indiviſibiliter concurrunt ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem, nempe ſpiritualem regenerationem. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul & ſine morali interruptione ſumibilia, ſimul & indiviſibiliter concurrunt ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem: nam ſimul & indiviſibiliter unam & eandem ſpiritualem animæ refectionem ſignificant ad modum cibi & potus ſpiritualis. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia Chriſtus Euchariſtiam inſtituit ad modum ſpiritualis convivii. Ergo quæ faciunt unum moraliter convivium ſpirituale, faciunt unum Euchariſtiæ ſacramentum, non plura. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul & ſine morali interruptione ſumibilia, faciunt unum moraliter convivium ſpirituale: ſicut cibus & potus corporalis faciunt unum moraliter convivium corporale. Ergo, &c.

Dices. Plures res ſenſibiles, in quibus ſingulis reperitur tota ratio ſpecifica ſacramenti, ſunt plura ſacramenta. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, quamvis ſumantur ſimul & ſine interruptione morali, ſunt plures res ſenſibiles, & ſingulis ineſt tota ratio ſpecifica ſacramenti Euchariſtiæ. 1. Sunt plures res ſenſibiles, ut per ſe manifeſtum eſt. 2. Singulis ineſt tota ratio ſpecifica Euchariſtiæ, quà ſacramentum eſt; utrumque enim, præciſo alio, eſt ſignum practicum & efficax ſpiritualis refectionis, in quo conſiſtit tota ratio ſpecifica Euchariſtiæ, quà ſacramentum eſt. Ergo, &c.

R. Plures res ſenſibiles, in quibus ſingulis eſt tota ratio ſpecifica ſacramenti, eſſe plura actualiter ſacramenta, ſi non coaleſcant moraliter in unum totum, quod ſignum ſit unius effectus ſacramentalis; vel, quod idem eſt, ſi non ſimul & indiviſibiliter concurrant ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem. Quod ſi coaleſcant moraliter, &c. non ſunt ſacramenta plura actualiter, ſed potentialiter tantùm. Corpus autem Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, cùm ſumuntur ſimul & ſine morali interruptione, coaleſcunt moraliter in unum totum, nempe in unum convivium ſpirituale, quod eſt ſignum illius tantùm effectus ſacramentalis, quem ipſa ſeorſim ſignificant; vel, quod idem eſt, ſimul ac indiviſibiliter ſignificant effectum illum ſacramentalem, quem ſignificare poſſunt, & ſignificant ſingula, cum hoc tantum diſcrimine, quòd effectus ille à ſingulis minùs perfectè ſignificetur, quàm ab ambobus ſimul. Corpus igitur Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, non ſunt actualiter, ſed potentialiter tantùm plura numero ſacramenta.

Dices. Euchariſtia, etiam cùm ſumitur ſub utraque ſpecie, dicitur in plurali ſacramenta, ut probatur, 1. Ex quadam Collecta, in qua ait ſacerdos: *Purificent nos, Domine, ſacramenta quæ ſumpſimus.* 2. Ex capite *In ſacramentorum*, diſt. 2. de conſecratione, in quo dicitur: *In ſacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, &c.* R. 1. In Collecta citata Euchariſtiam vocari etiam in ſingulari numero ſacramentum: nam inferiùs hæc verba leguntur: *Hoc tuum ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam.* Et citata diſtinctione, cap. 5. in quo dicitur: *In ſacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum.* R. 2. Euchariſtiam, cùm ſumitur ſub utraque ſpecie, modò vocari ſacramentum, modò ſacramenta: quia tunc ſacramentum unum eſt actualiter, & duo potentialiter, vel, ut alii ajunt, materialiter.

Responsio II.

Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſeorſim ſumibilia, ſunt ſacramenta plura numero non ſpecie.

Prob. 1. Sunt plura numero ſacramenta: nam utrumque, etiam ut ſeorſim ſumibile, habet totam rationem eſſentialem Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt. Ergo utrumque, etiam ut ſeorſim ſumibile, eſt verum & integrum ſacramentum Euchariſtiæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam tota ratio eſſentialis Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt, conſiſtit in eo, quòd ſit ſignum practicum ſpiritualis refectionis. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, etiam ut ſeorſim ſumibile (idem dic de Sanguine Chriſti ſub ſpecie vini) eſt ſignum practicum refectionis ſpiritualis, & vim completam habet conferendi gratiam, quà ſpiritualiter anima reficitur. Ergo, &c.

2. Non ſunt plura ſpecie ſacramenta, ſeu, quod idem eſt, non ſunt ſacramenta ſpecificè diverſa: nam illa ſacramenta non ſunt ſpecificè diverſa, quæ ſunt ſignum practicum ejuſdem effectus ſacramentalis, quæque proinde eundem effectum ſacramentalem producunt: nam ſicut ſacramentum ut ſic, eſt ſignum practicum alicujus effectus ſacramentalis, ita ſacramentum ſpecificè diverſum eſt illud, quod eſt ſignum practicum effectus ſacramentalis ſpecificè diverſi. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſeorſim ſumibilia, ſunt ſignum practicum ejuſdem effectus ſacramentalis: ſunt enim ſignum practicum ejuſdem gratiæ animam ſpiritualiter reficientis. Ergo, &c.

Obj. Illa ſunt ſacramenta ſpecie diverſa, quorum diver-

diverſa eſt ſignificatio ſacramentalis. Atqui Corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificatio ſacramentalis diverſa eſt. Ergo, &c. *R.* diſt. maj. Illa ſunt ſacramenta ſpecie diverſa, quorum ſignificatio ſacramentalis diverſa eſt quoad rem ſignificatam, C. maj. Quorum ſignificatio diverſa eſt qooad modum ſignificandi, N. maj. & diſt. min. Corporis Chriſti, &c. ſacramentalis ſignificatio diverſa eſt qooad modum ſignificandi, C. min. Diverſa eſt quoad rem ſignificatam, N. min. & conſeq.

Itaqur diverſitas ſpecifica ſacramentorum repeti debet, non à diverſo modo ſignificandi, ſed à diverſo effectu ſacramenti ſignificato: nam ſicut res ſacramentum eſt, non quia tali modo ſignificat, ſed quia ſignificat effectum aliquem ſacramentalem, quem ſignificando operatur; ita ſacramentum ſpecificè diverſum eſt, non quia ſignificat modo ſpecificè diverſo, ſed quia effectum ſacramentalem ſpecificè diverſum ſignificat & operatur. Hinc v. g. Baptiſmus per infuſionem vel aſperſionem collatus; noo eſt ſacramentum ſpecificè diverſum à Baptiſmo collato per immerſionem: quia utrovis modo conferatur, ſemper ſignificat & operatur eundem effectum ſacramentalem, nempe ſpiritualem regenrrationem. Quòd autem ſpiritualis illa regeneratio aliter per infuſionem, & aliter per immerſionem ſignificetur, mareriale eſt & accidentarium Baptiſmo, ut eſt ſacramentum, quia Baptiſmi, ut ſacramentum eſt, tota ratio conſiſtit in eo, quod ſit ſignum practicum gratiæ; & ut tale ſacramentum eſt, tota ratio conſiſtit in eo quòd ſit ſignum practicum talis gratiæ, oempe gratiæ ſpiritualiter regenerantis. Similitrr presbyteratus alio modo ſignificat, collatus ritu latino, & alio modo collatus ritu græco, & tamen utrovis modo fiat, ſemper eſt idem ſpecie ſacramentum, quia utrovis modo fiat, ſemper ſignificat & efficit eandem ſpecie gratiam ſacramentalem, & eundem ſpecie characterem.

Quamvis igitur Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini, non eodem, ſed diverſo modo ſignificent, nam primum ſignificat per modum cibi ſpiritualis, & alter per modum ſpiritualis potus; non ſunt tamen ſacramenta ſpecificè diverſa, cùm eundem ſpecificè effectum ſacramentalem ſignificent, nempe eandem ſpecificè refectionem animæ ſpiritualem, adeòque ſunt tantùm numero diverſa ſacramenta, ſub eadem ſacramenti ſpecie contenta.

Inſtabis. Atqui Corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificatio ſacramentalis diverſa eſt, etiam quoad rem ſignificata. Ergo ſunt diverſa ſpecie ſacramenta. Nego ant. *Probabis*. Corpus Chriſti ſub ſpecie panis ſignificat tantùm refectionem, quæ fit per cibum ſpiritualem, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificat tantùm refectionem quæ fit per ſpiritualem potum. Atqui refectio facta per cibum ſpiritualem, ſpecificè diverſa eſt ab ea quæ fit per ſpiritualem potum. Ergo, &c. *R.* neg. min. dico in Euchariſtia refectionem quæ fit per cibum ſpiritualem, non eſſe niſi numero diverſam ab ea quæ fit per ſpiritualem potum. *Probabis* tamen min. neg. Cibus corporalis aliter reficit corpus, quàm potus corporalis. Ergo ſimiliter in Euchariſtia cibus ſpiritualis aliter reficit animam, quàm ſpiritualis potus. *R.* neg. conſeq. Nam ſubſtantia cibi corporalis longè diverſa eſt à ſubſtantia potus corporalis: unde neceſſe eſt, alium eſſe effectum cibi corporalis, & alium corporalis potus. At in Euchariſtia cibus ſpiritualis, & ſpiritualis potus ſunt una & eadem res, quamvis diverſimodè ſignificata, nempe Chriſtus ipſe, qui ſub utraque ſpecie eamdem vim habet animam ſpiritualiter reficiendi, & eodem modo reficit, & ſub una ſpecie per modum cibi tantùm, & ſub altera tantùm per modum potus.

At inquies. Sicut cibus corporalis explet famem corporalem, ita in Euchariſtia cibus ſpiritualis explet famem ſpiritualem. Item ſicut potus corporalis extinguit ſitim corporalem, ita in Euchariſtia potus ſpiritualis extinguit ſitim ſpiritualem. Atqui explere famem ſpiritualem, & ſpiritualem ſitim extinguere, ſunt effectus diverſi: ſicut famem corporalem explere, & extinguere ſitim corporalem, ſunt diverſi effectus. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam in corporalibus quidem fames & ſitis ſunt diverſæ affectiones corporis: unde aliud eſt explere famem corporalem, & aliud extinguere ſitim corporalem: at in ſpiritualibus fames & ſitis ſunt unum & idem, ut docet S. Auguſt. tract. 25. in Joannem, ubi ad hæc capitis 6. verba, *Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet unquam*; ſic ait: *Quod dixit, Non eſuriet, hoc intelligendum eſt, Et non ſitiet unquam. Utroque enim illa ſignificatur æterna ſatietas, ubi nulla eſt egeſtas*. Quibus verbis docet, famem & ſitim ſpiritualem, adeòque famem ſpiritualem expleri, & extingui ſpiritualem ſitim, unum & idem eſſe. Itaque in Euchariſtia cùm Corpus Chriſti ſub ſpecie panis explet famem ſpiritualem, ſitim ſpiritualem extinguit; & cùm Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini extinguit ſitim ſpiritualem, famem ſpiritualem explet. Ergo idem utriuſque ſacramentalis effectus eſt.

At inquies. Euchariſtia ſub ſpecie panis ſignificat & efficit gratiam, quà anima ſpiritualiter confortatur tantùm; & ſub ſpecie vini ſignificat & efficit gratiam quà anima exhilaratur tantùm. Ergo, &c. *R.* neg. ant. & dico Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, etiam ut ſeorſim ſumibili, eſſe convivium ſpirituale integrum, adeòque gratiam ſacramentalem, quam ſub ſpecie panis ſignificat & efficit, eſſe tam ſpiritualiter exhilarativam, quàm confortativam; & gratiam ſacramentalem quam ſignificat & efficit ſub ſpecie vini, tam eſſe ſpiritualiter confortativam, quàm exhilarativam.

Dices. Materia & forma, quibus perficitur Euchariſtia ſub ſpecie panis, ſunt diverſæ à materia & forma, quibus perficitur Euchariſtia ſub ſpecie vini. *R.* Inde ſequi tantùm extrinſecam, non verò intrinſecam diverſitatem inter Euchariſtiam ſub ſpecie panis, & Euchariſtiam ſub ſpecie vini.

Dices. Euchariſtia ſub ſpecie panis ſignificat tantùm præſentiam Corporis Chriſti; & Euchariſtia ſub ſpecie vini, ſignificat tantùm præſentiam Sanguinis Chriſti. Ergo diverſa eſt utriuſque ſignificatio, etiam ex parte rei ſignificatæ. *R.* diſt. conſeq. Diverſa eſt utriuſque etiam ex parte rei ſignificatæ ſignificatio ſpeculativa, C. conſeq. Significatio practica, N. conſeq. Itaque Euchariſtia ſub ſpecie panis duas habet ſignificationes, unam ſpeculativam, qua ſignificat præſentiam Corpori Chriſti, & alteram practicam, qua ſignificat ſpiritualem animæ refectionem, & ſignificando efficit in ſubjecto diſpoſito. Similiter Euchariſtia ſub ſpecie vini duas habet ſignificationes, unam ſpeculativam, qua ſignificat præſentiam Sanguinis Chriſti, & alteram practicam, qua ſignificat, & ſignificando efficit ſpiritualem animæ refectionem, eandem cum refectione ſpirituali, quam ſignificat ſub ſpecie panis. Igitur Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, & Euchariſtiæ ſub ſpecie vini diverſa quidem eſt etiam ex parte rei ſignificatæ ſignificatio ſpeculativa, ſed hæc diverſitas eſt tantùm materialis, & ex ea tantùm ſequitur, quòd Euchariſtia ſub ſpecie panis ſit ſacramentum materialiter diverſum ab Euchariſtia ſub ſpecie vini, quod non obſtat quominùs Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſit ſacramentum ejuſdem ſpeciei: ſpecies enim ſacramenti conſiſtit in ſignificatione practica, adeòque ubi eſt eadem ſignificatio practica vel, quod idem eſt, ubi eſt ſignificatio practica ejuſdem effectus ſacramentalis, ibi eadem eſt ſacramenti ſpecies.

Dices denique. Saltem Euchariſtia ſub utraque ſpecie diverſum eſt ſacramentum ab Euchariſtia ſub una tantùm ſpecie, putà ſub ſpecie panis: nam Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſacramentalem ſignificationem diverſam habet ab ea quam habet ſub ſpecie panis tan-

tum.

tùm, *R.* Euchariſtiam ſub utraque ſpecie diverſam habere ſignificationem ſacramentalem ex parte modi ſignificandi, non verò ex parte rei ſignificatæ, adeòque diverſum eſſe ſacramentum non formaliter, ſed materialiter tantùm.

Portò Euchariſtia ſub utraque ſpecie, ſignificationem habet diverſam ex parte modi ſignificandi, quia refectionem animæ ſignificat per modum cibi & potus ſimul, & ſub ſpecie panis, ſignificat tantùm per modum cibi. At ſub utraque ſpecie ſignificationem diverſam non habet ex parte rei ſignificatæ; tam enim ſignificat integram animæ refectionem ſub ſpecie panis, quàm ſub utraque ſpecie panis & vini; cum hoc tantùm diſcrimine, quòd ſub utraque ſpecie panis & vini refectionem illam perfectiùs ſignificet, quàm ſub ſpecie panis tantùm, quia ſub ſpecie panis tantùm confusè & implicitè, & ſub utraque ſpecie diſtinctè & explicitè ſignificat refectionem integram.

At inquies. Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſignificat integram refectionem, & ſub una tantùm ſpecie, putà ſub ſpecie panis, ſignificat partialem tantùm. Ergo ſub utraque ſpecie ſignificationem ſacramentalem diverſam habet, etiam ex parte rei ſignificatæ, adeòque ſub utraque ſpecie ſacramentum diverſum eſt, etiam formaliter, & non materialiter tantùm. *R.* neg. ant. quoad ſecundam partem. Nam Euchariſtia ſub ſpecie pania v.g. ſpiritualem animæ refectionem ſignificat ad modum cibi ſpiritualis. Ergo ſignificat ad modum integri convivii ſpiritualis: nam cibus ſpiritualis eſt integrum convivsum ſpirituale. Ergo Euchariſtia ſub ſpecie panis ſignificat integram animæ refectionem: nam integra animæ refectio neceſſariò ſignificatur per integrum convivium ſpirituale, ut per ſe manifeſtum eſt.

At inquies. Si Euchariſtia ſub ſpecie panis v.g. ſignificat integram animæ refectionem, nullum eſt diſcrimen inter Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, & Euchariſtiam ſub una ſpecie tantùm. *R.* nullum eſſe diſcrimen quantùm ad efficaciam; quantùm verò ad ſignificationem, diſcrimen eſt in eo, quòd per Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, perfectiùs quàm ſub una ſpecie tantùm, idem effectus ſacramentalis ſignificetur, quia integra animæ refectio per Euchariſtiam ſub utraque ſpecie diſtinctè & explicitè, & per Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie confusè tantùm & implicitè ſignificatur. Hinc D. Bonav. in 4. diſt. 11. p. 2. a. 1. q. 2. dicit ſpecies panis & vini non quoad efficaciam, ſed ſolùm quoad ſignificantiam eſſe de integritate ſacramenti Euchariſtiæ; & fideles perfectum ſacramentum ſub una ſpecie recipere quantùm ad efficaciam, licèt non quantùm ad ſignificantiam. Euchariſtia igitur ſub utraque ſpecie ab Euchariſtia ſub una ſpecie tantùm non eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter differt, etiam in ratione talis ſacramenti, quia in Euchariſtia utrovis modo ſumpta, eadem eſt & tota ratio conſtitutiva ſacramenti Euchariſtiæ, nempe ſignificatio practica integræ refectionis animæ.

Responsio III.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt unum ſpecie infima.

Prob. Sacramentum illud unum eſt ſpecie infima, quod dividi non poteſt in alia ſacramenta ſpecie diverſa. Atqui ſacramentum Euchariſtiæ non poteſt dividi in alia ſacramenta diverſa ſpecie, ut manifeſtum eſt ex dictis hactenùs. Ergo, &c. Hoc itaque inter ſacramentum Euchariſtiæ, & ſacramentum Ordinis diſcrimen intereſt, quòd ſacramentum Ordinis ſub ſe contineat ſacramenta alia, non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie diverſa, nempe Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum: ſacramentum verò Euchariſtiæ non ſub ſe contineat alia ſacramenta diverſa ſpecificè, ſed ſolùm dividatur in plura numero tantùm diſtincta cum materiali diverſitate.

Quæres, Utrùm plures hoſtiæ ſint plura numero ſacramenta?

R. Plures hoſtias, ut ſeorſim ſumibiles, eſſe plura numero ſacramenta. Ratio eſt, quia ut ſeorſim ſumibiles, ſunt plura numero convivia, & ſingulæ completam habent ſignificationem ſacramentalem; ſeu, quod idem eſt, ſingulæ ſunt ſignum practicum integræ refectionis animæ: at ut ſumibiles ſimul faciunt unicum numero ſacramentum, quia ſunt unum moraliter convivium, & faciunt unicum ſignum practicum refectionis ſpiritualis.

ARTICULUS V.

Utrùm ſacramentum Euchariſtia ſit medium neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantem.

Responsio II.

Euchariſtia non eſt medium neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantem.

Prob. Illud enim ſacramentum non eſt medium neceſſarium ad primam gratiam, qua peccator juſtificatur, obtinendam, quod non fuit per ſe primò inſtitutum ad remiſſionem mortalium. Atqui Euchariſtia non fuit per ſe primò inſtituta ad remiſſionem mortalium. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ſi Euchariſtia fuit per ſe primò inſtituta ad remiſſionem mortalium; vel ad remiſſionem peccati originalis, & aliorum actualium, quæ committuntur ante baptiſmum, vel ad remiſſionem actualium, à baptizatis admiſſorum. Neutrum dici poteſt. Non primum; quia ad remiſſionem peccati originalis, & aliorum actualium, quæ committuntur ante baptiſmum, per ſe primò inſtitutum fuit ſacramentum Baptiſmi. Non etiam ſecundum; quia ad remiſſionem actualium à batizatis admiſſorum, per ſe primò inſtitutum fuit Pœnitentiæ ſacramentum. Ad neutrum igitur illorum effectuum per ſe primò inſtituta eſt Euchariſtia: duo enim ſacramenta ſpecie diverſa, non fuerunt per ſe primò inſtituta ad eumdem finem; & ſingula ſacramenta, ſpecificè diverſa, diverſum habent finem ſibi proprium, ad quem per ſe primò à Chriſto ordinata ſunt.

Confirmatur. Quia ſacramentum Euchariſtiæ per ſe primò inſtitutum eſt ut cibus & potus ſpiritualia. Ergo per ſe primò ſupponit vitam ſpiritualem. Nam ſicut cibus corporalia vitam corporalem, ita ſpiritualis ſpiritualem ſupponit. Et verò cibus per ſe ordinatur, non ad dandam vitam, ſed ad eam conſervandam. Ergo ſacramentum Euchariſtiæ per ſe primò ſupponit primam gratiam juſtificantem, in qua conſiſtit vita ſpiritualis; adeòque non eſt medium neceſſarium ad primam gratiam juſtificantem: nihil enim medium eſſe poteſt neceſſarium ad habendum id quod per ſe primò ſupponit jam habitum.

Quòd autem ſacramentum Euchariſtiæ per ſe primò inſtitutum fuerit ut cibus & potus ſpiritualis, probatur, 1. Ex verbis Chriſti Joan. cap. 6. ubi ait: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*. 2. Ex Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Salvator noſter) *ſacramentum hoc*, inquit, *tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Hinc nemo dignè Euchariſtiam percipere poteſt niſi ſit in ſtatu gratiæ, ut admonet Trident. eadem ſeſſ. cap. 7. & probat ex verbis Apoſtoli 1. ad Cor. cap. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.* Unde ſic adhuc breviter argumentor. Illud ſacramentum non eſt per ſe primò inſtitutum ad primam juſtificationem, adeòque ad eam obtinendam neceſſarium non eſt, quod, ut dignè ſuſcipiatur, in ſuſcipiente ſtatum gratiæ prærequirit. Atqui Euchariſtia ut dignè ſuſcipiatur, prærequiritur in ſuſcipiente ſtatua gratiæ. Ergo, &c. Minor eſt de fide, major verò facilè probatur: nam quod per ſe primò inſtitutum eſt ad primam juſtificationem, dignè adhiberi poteſt ad illam obtinendam, adeòque dignè adhiberi poteſt ab homine peccatore, id eſt, nondùm exiſtente in ſtatu gratiæ, ut patet ex Baptiſmo, & ſacramento Pœnitentiæ.

Obj.

Obj. Votum Euchariſtiæ neceſſarium eſt ad primam juſtificationem. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam nemo per Baptiſmum ante Pœnitentiam conſequi poteſt primam gratiam, niſi votum habeat recipiendi ſuo tempore Euchariſtiam, ut diſertè docet S. Thomas hîc quæſt. 79. art. 1. ad 1. ubi ait: *Hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem hujus ſacramenti, vel niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum, ut adulti; vel voto Eccleſiæ, ſicut parvuli.*

R. Duplex hîc diſtinguendum eſſe votum, nempe votum propriè ac ſtrictè ſumptum, quale eſt votum rei neceſſariæ neceſſitate medii; & votum latè ſumptum ac generale, quale eſt votum rei cujuslibet neceſſariæ neceſſitate præcepti tantùm. Cùm autem loco citato S. Thomas dicit neminem conſequi gratiam ante realem Euchariſtiæ ſuſceptionem ſine aliquo ipſius voto, non intelligit votum ſtrictè ſumptum, ſed votum generale, & Euchariſtiæ, cum rebus aliis omnibus quæ ratione præcepti neceſſariæ ſunt, commune; quod votum habetur, hoc ipſo quòd habetur propoſitum efficax ſervandi omnia præcepta legis chriſtianæ.

Itaque ad objectionem *R.* diſt. ant. Votum Euchariſtiæ ad primam juſtificationem neceſſarium eſt parvulis, Neg. ant. parvuli enim omnis voti incapaces ſunt & tamen primam juſtificationem conſequi poſſunt, & conſequuntur per baptiſmi ſuſceptionem. Votum Euchariſtiæ ad primam juſtificationem neceſſarium eſt adultis, ſubdiſt. Votum ſtrictè ſumptum, quale requiritur in cathecumenis, ut ante ſuſceptionem Baptiſmi, & in baptizatis, ut ante ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ juſtificentur. N. iterùm ant. Votum latè ſumptum, quod includitur in propoſito ſervandi præcepta omnia, C. ant. & neg. conſeq.

Obj. iterùm. Euchariſtia eſt cauſa univerſalis concurrens ad effectus omnium ſacramentorum. Ergo ſacramenta per ſe primò ad primam juſtificationem inſtituta, nempe Baptiſmus & ſacramentum Pœnitentiæ, nihil efficiunt ſine concurſu Euchariſtiæ. *Prob.* ant. nam Chriſtus eſt cauſa univerſalis, concurrens cum omnibus ſacramentis, & vim illis tribuens gratiam conferendi. At Chriſtus realiter eſt in Euchariſtia. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Euchariſtia enim eſt tantùm cauſa particularis. *Ad prob. R.* Chriſtum ſecundùm ſe eſſe cauſam univerſalem meritoriam cum omnibus ſacramentis concurrentem, & illis per merita ſua vim tribuentem conferendi gratiam: at prout eſt in Euchariſtia, ſeu prout eſt ſub ſpeciebus panis & vini, illum per modum cibi & potus ſpiritualis ſignificantibus, eſt tantùm cauſa particularis inſtrumentalis proxima moralis gratiæ ſpiritualiter animam reficientis. Nullatenùs ergo Euchariſtia concurrit ad effectus aliorum ſacramentorum, & independenter ab ea Baptiſmus & Pœnitentia conferunt primam gratiam juſtificantem, ad quam conferendam per ſe primò inſtituta fuerunt.

ARTICULUS VI.

Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ neceſſarium ſit neceſſitate medii ad ſalutem pro parvulis ante adultam ætatem morientibus.

Responsio.

Euchariſtia neceſſaria non eſt neceſſitate medii pro parvulis.

Prob. 1. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. ubi ait: *Eadem ſancta Synodus docet, parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſi quidem per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt; neque ideò tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Et can. 4. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem: anathema ſit.*

Ex Trid. igitur tanquam fide certum habemus, Euchariſtiam in re parvulis ante adultam ætatem morientibus non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium: ſed nec dici poteſt illis eſſe neceſſariam ſaltem in voto. Nam 1. quod non eſt medium in re neceſſarium pro eo caſu, quo haberi poteſt, nunquam neceſſarium eſt in voto. 2. Parvuli ante uſum rationis incapaces ſunt omnis voti Euchariſtiæ: at profectò Euchariſtia neceſſaria eſſe non poteſt in voto pro illis, qui votum illius habere non poſſunt.

Prob. 2. Ratione. Quia ſi Euchariſtia eſt medium ad ſalutem neceſſarium pro parvulis ante adultam ætatem morientibus, certè vel quia juſtificari non poſſunt ſine Euchariſtia, vel quia in accepta per baptiſmum juſtificationis gratia, ſine Euchariſtia perſeverare non poſſunt. Neutrum dici poteſt. Non primum: nam ad juſtificationem ſufficit illis baptiſmus; ut enim dicit Trid. per baptiſmum ſpiritualiter regenerantur, ſicut & incorporantur Chriſto. Non etiam ſecundum: nam, ut ait idem Concilium, in illa ætate acceptam juſtificationis gratiam amittere non poſſunt; in illa enim ætate peccare non poſſunt mortaliter; & nemo acceptam juſtificationis gratiam, niſi per mortale aliquod, amittere poteſt. Ergo parvuli ante adultam ætatem indigere non poſſunt Euchariſtia ad perſeverandum in accepta juſtificationis gratia, & morientes ante adultam ætatem, neceſſariò decedunt in ſtatu gratiæ, etiamſi antea Euchariſtiam non perceperint, adeòque ſalvantur ſine perceptione Euchariſtiæ.

Doctrinam hanc tradit S. Auguſtinus pluribus locis. Nam 1. epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum, ſic ait ſub finem: *Tantùm valebit* (baptiſmus parvulo, etiamſi proprio actu credere non poſſit) *ut ſi ante rationis uſum ex hac vita emigraverit, per ipſum ſacramentum, commendante Eccleſiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, chriſtiano adjutorio liberetur* (adeòque ſalvetur.) *Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt, etſi habeat fidei ſacramentum* (proindeque res eſt fide certa.) Et lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20. *Si percepto baptiſmate de hac vita emigraverit* (parvulus) *ſoluta reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternum juſtificatos præſentia Creatoris illuminat.*

Obj. 1. Euchariſtiæ ſumptio tam neceſſaria eſt parvulis, quàm Baptiſmus. Sed Baptiſmus eis neceſſarius eſt neceſſitate medii ad ſalutem, extra caſum martyrii. Ergo, &c. Nego maj. *Probabis.* Illud Joan. c. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, tam pertinet ad parvulos, quàm iſtud Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei;* quibus verbis ſignificatur Baptiſmum eſſe medium ad ſalutem neceſſarium. Ergo, &c.

R. neg. ant. Nam ut rectè diſſerit Ægidius Coninck lib. de ſacramentis qu. 73. art. 3. dubio unico, n. 49. utrumque Chriſti dictum non eſt æquè generale: nam quando ſignificatur neceſſitas Baptiſmi per hæc verba, *Niſi quis, &c.* verba non diriguntur ad certas aliquas perſonas, nec aliquis actus præcipitur; unde illud, *Niſi quis, &c.* pertinet abſolutè ad omnes omninò homines, qui fuerint tempore legis gratiæ. At quando ſignificatur neceſſitas communionis per verba iſta, *Niſi manducaveritis, &c.* verba certum actum præcipiunt, & ad audientes ac intelligentes diriguntur. Unde manifeſtè colligitur, illud,

Niſi

Niſi manducaveritis, *&c.* ad eos tantùm ſpectare, qui poſſunt audire & intelligere, & actum præcepturn humano modo agere, quales non ſunt parvuli, cùm uſum rationis non habeant. Falſum igitur eſt, quòd Euchariſtia ſit parvulis eodem modo ad ſalutem neceſſaria, quo Baptiſmus.

Præterea, ut idem Author ibidem ait, Baptiſmus ad ſpiritualem regenerationem inſtitutus eſt, & ad eam neceſſarius, juxta illud, *Niſi quis*, *&c.* Ergo juxta illud, *Niſi quis*, *&c.* Baptiſmus eſt medium ad ſalutem neceſſarium illis omnibus, quibus ad ſalutem neceſſaria eſt regeneratio ſpiritualis. Atqui non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis regeneratio ſpiritualis ad ſalutem neceſſaria eſt. Ergo juxta illud, *Niſi quis*. *&c.* non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis Baptiſmus neceſſarius eſt ad ſalutem, adeòque illud, *Niſi quis*, tam ſpectat ad parvulos, quàm ad adultos. At Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi ad refectionem ſpiritualem. Ergo illis tantùm neceſſaria eſſe poteſt, qui refectione ſpirituali indigent. Atqui parvuli non indigent refectione ſpirituali. Ergo Euchariſtia parvulis neceſſaria eſſe non poteſt; adeòque hæc verba, *Niſi manducaveritis*, *&c.* quibus Euchariſtiæ neceſſitas exprimitur, ad parvulos nequaquam ſpectare poſſunt.

Dices. Hæc doctrina repugnat S. Auguſtino, qui lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20. docet & probat, hæc verba, *Niſi manducaveritis*, *&c.* ad parvulos tam pertinere, quàm iſta, *Niſi quis renatus fuerit*, *&c. Dominum audiamus*, inquit, *non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem*, *ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ*, *quò nemo ritè niſi baptizatus accedit: Niſi manducaveritis carnem meam*, *& biberitis ſanguinem meum*, *non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quærimus .... An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit*, *quòd ad parvulos hæc ſententia non pertineat*, *poſſintque ſine participatione Corporis hujus & Sanguinis in ſe habere vitam: quia non ait*, *Qui non manducaverit*, *ſicut de baptiſmo*, *Qui non renatus fuerit*; *ſed ait: Si non manducaveritis*, *velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant*, *quòd utique non valent parvuli*; *Sed qui hoc dicit*, *non attendit*, *quia niſi omnes iſta ſententia teneat*, *ut ſine Corpore & Sanguine Filii hominis vitam habere non poſſint*, *fruſtra etiam ætas major id curat*.

R. S. Doctorem hìc nobis ſpecie tenùs contrarium eſſe. Cùm enim dicit hæc verba, *Niſi manducaveritis*, *&c.* tam pertinere ad parvulos, quàm iſta, *Niſi quis renatus fuerit*, *&c.* non vult utramque ſententiam ad parvulos pertinere in eodem ſenſu, ſed in diverſo tantùm: ita ut poſterior ad eos pertineat in ſenſu litterali, prior verò in ſenſu tantùm myſtico: nos verò ſupponentes cum objectione, ſententiam utramque ſumi in eodem ſenſu, nempe in ſenſu litterali, poſteriorem tantùm, non priorem, ad parvulos ſpectare contendimus, & quidem omninò ad mentem S. Doctoris, qui pluribus locis expreſsè docet parvulos ſine reali ſumptione Euchariſtiæ, cum ſolo Baptiſmo ſalvari, ſi ante adultam ætatem moriantur. Sed

Obj. 2. Patres disertè affirmant, ſumptionem Euchariſtiæ parvulis neceſſariam eſſe ad ſalutem. Nam 1. Innocentius I. epiſt. 93. inter Aug. epiſt. ad Patres Concilii Milevitani reſcribens contra Pelagianos, ſic ait: *Illud verò quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare*, *parvulos æterna vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari*, *perfatuum eſt: niſi enim manducaverint carnem Filii hominis*, *& biberint ſanguinem ejus*, *non habebunt vitam in ſemetipſis*; quæ verba referens S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap. 4. ſic urget adverſarium: *Sanctu Innocentio vide quid reſpondeas .... qui parvulos definivit*, *niſi manducaverint carnem Filii hominis*, *vitam prorſus habere non poſſe*. *Huic reſponde*, *imò ipſi Domino*, *cujus ille Antiſtes uſus eſt teſtimonio*.

2. Idem Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 24. ſic loquitur: *Optime Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem*; *& ſacramentum Corporis Chriſti*, *nihil aliud quam vitam vocant. Unde niſi ex antiqua*, *ut exiſtimo*, *& Apoſtolica Traditione*, *qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent*, *præter baptiſmum & participationem dominicæ menſæ*, *non ſolùm non ad regnum Dei*, *ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire .... Si ergo ut tot & tanta divina teſtimonia concinunt*, *nec ſalus*, *nec vita æterna ſine baptiſmo*, *& Corpore & Sanguine Domini cuiquam ſperanda eſt*, *fruſtra ſine his promittitur parvulis*. Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 22. loquens de parvulis, hæc habet: *Nec illud cogitatis*, *eos vitam habere non poſſe*, *qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Chriſti*, *dicente ipſo: Niſi manducaveritis carnem meam*, *& biberitis ſanguinem meum*, *non habebitis vitam in vobis*. Ad ſolutionem.

Nota 1. Pro certo ſtatuendum eſt, non eſſe mentem Auguſtini, nec proinde Innocentii, cujus & Auguſtini una fuit ſententia, affirmare realem Euchariſtiæ ſumptionem ita neceſſariam eſſe parvulis ad ſalutem, ut ſine illa cum Baptiſmo ſalvari non poſſint: ipſe enim non uno loco contrarium docet ex profeſſo, ut jam oſtenſum eſt.

Nota 2. Indubitatum tamen eſt, Auguſtinum & cum eo Innocentium exiſtimaſſe hanc Chriſti ſententiam, *Niſi manducaveritis*, *&c.* non ſolùm ad adultos ratione utentes, ſed etiam ad parvulos aliquo modo pertinere, proindeque exiſtimaſſe aliquem Euchariſtiæ manducationem parvulis ad ſalutem neceſſariam eſſe, non tamen realem ac phyſicam, ut patet ex primo notabili. Quam igitur? Ad hoc,

Nota 3. Præter realem ac phyſicam Euchariſtiæ manducationem, aliam agnovit Auguſtinus, myſticam ſcilicet, ſeu ſpiritualem, quam in eo conſtituit, ut quis fiat membrum Eccleſiæ, Chriſto incorporetur, ejuſque gratia vivificetur, ut probatur ex tractatu 26. in Joann. ubi hæc verba, *Qui manducat meam carnem*, *& bibit meum ſanguinem*, interpretans, ſic ait: *Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum*, *quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis*, *&c.* Et inferiùs: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam*, *& illum bibere potum*, *in Chriſto manere*, *& illum manentem in ſe habere*; *ac per hoc qui non manet in Chriſto*, *& in quo non manet Chriſtus*, *proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus*, *nec bibit ejus ſanguinem*, *licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti*.

Nota 4. Myſticam hanc Euchariſtiæ manducationem fieri in baptiſmo, & ad ſalutem ſufficere poſſe, expreſsè docet Auguſtinus, tam pro adultis, quàm pro parvulis, in ſerm. de Corp. & Sang. Domini, apud Bedam in comment. cap. 10. 1. Cor. ubi hæc Auguſtini verba referuntur: *Nulli eſt aliquatenus ambigendum*, *tunc unumquemque fidelium Corporis Sanguiniſque Dominici participem fieri*, *quando in baptiſmate membrum Chriſti efficitur*; *nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio*, *etiamſi antequam panem illum comedat*, *& calicem bibat*, *de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur*, *quando ipſe hoc*, *quod illud ſacramentum ſignificat*, *invenit*. *Ex his*

Nota 5. In doctrina S. Auguſtini duplex diſtingui poteſt Euchariſtiæ ſumptio; una realis & phyſica, & altera ſpiritualis tantùm & myſtica. Prima adultis neceſſaria eſt ſaltem neceſſitate præcepti: ſecunda non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis neceſſaria eſt neceſſitate medii. Ita poſt S. Auguſtinum docet S. Thomas hìc qu. 80. art. 11. in O. ubi ait: *Duplex eſt modus percipiendi hoc ſacramentum*, *ſcilicet ſpiritualis*, *& ſacramentalis. Manifeſtum eſt autem*, *quod omnes* (tam parvuli quàm adulti) *tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare*; *quia hoc eſt Chriſto incorporari*. Hinc verba hæc, *Niſi manducaveritis carnem*, *&c.* poſſunt dupliciter intelligi. Primò, de reali & phyſica manducatione, & ſecundùm hanc acceptionem, ſpectant

ad

ad ſolos adultos, & ſaltem præcepti neceſſitatem ſignificant. Secundò, de ſpirituali tantùm & myſtica manducatione, & ſecundùm hanc acceptationem pertinent etiam ad parvulos, ſignificantque neceſſitatem medii. Sed hæc nobis non adverſantur: non enim hic agitur de myſtica manducatione Euchariſtiæ, ſed de reali & phyſica, de qua quæritur, utrùm parvulis neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem. Neceſſariam autem ſic eſſe parvulis negamus, & nobiſcum negat Auguſtinus. Sed

Quæres, Quare Innocentius & Auguſtinus contra Pelagianos ad myſticam illam Euchariſtiæ manducationem recurrant?

R. Illis recurrendi occaſionem fuiſſe quandam hæreticorum illorum evaſionem: Nam cùm Pelagianos aſſerentes, parvulos abſque Baptiſmo ſalvari poſſe urgerent verbis illis Chriſti Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Pelagiani, ut vim hujus ſententiæ eluderent, reſpondebant, non vitam æternam, ſed regnum Dei tantùm negari non baptizatis. Hoc autem vanum hæreticorum effugium ut occluderent Innocentius & Auguſtinus, recurrerunt ad hanc aliam Chriſti ſententiam, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, intellectam in ſenſu myſtico, ex qua ſic ſumpta, contra adverſarios ſic argumentabantur: Verba Chriſti, *Niſi manducaveritis, &c.* tam ſpectant parvulos, quàm adultos. Ergo parvuli ad habendam vitam indigent participatione Corporis & Sanguinis Domini ſaltem myſtica & ſpirituali. Atqui non poſſunt eſſe hoc modo participes Corporis & Sanguinis Domini ſine perceptione Baptiſmi. Ergo parvuli ſine perceptione Baptiſmi vitam æternam habere non poſſunt.

Contra idem Pelagianorum effugium, ad hæc alia verba Joan. cap. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*, recurrit Auguſtinus lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 20. Nam verbis illis recitatis, ſic proſequitur: *In quo igitur horum genere ponemus infantes? In eorum qui credunt in Filium, an in eorum qui ſunt increduli Filio? In neutro, ait aliquis; quia cùm adhuc credere non poſſunt, nec increduli deputandi ſunt. Non hoc judicat Eccleſiaſtica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adjungit. Porro ſi iſti, qui baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti ſacramenti, quamvis ſuo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur; profectò illi quibus ſacramentum defuerit, in eis habendi ſunt, qui non credunt Filio; atque ideò ſi hujus inanes gratiæ de corpore exierint, ſequetur eos quod dictum eſt, Non habebunt vitam, ſed ira Dei manet ſuper eos.*

Ecce S. Doctor ait quidem, verba Scripturæ citata tam ad parvulos pertinete, quàm ad adultos; at non ait, eodem modo pertinete: nam juxta mentem ejus, pro adultis ſignificant neceſſitatem actus ſalutaris, quo adulti rebus à Chriſto revelatis firmiter aſſentiuntur; pro parvulis verò ſignificant tantùm neceſſitatem Baptiſmi, quod eſt ſacramentum fidei, & quo ſuſcepto parvuli in numero credentium computantur, cenſenturque credere, ut disertè explicat S. Doctor epiſt. 23. ubi ſic loquitur: *Sicut ergo ſecundùm quemdam modum ſacramentum Corporis Chriſti Corpus Chriſti eſt ... ita ſacramentum fidei fides eſt. Nihil eſt autem aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc cùm reſpondetur parvulus credere, qui fidei nondùm habet affectum, reſpondetur fidem habere, propter fidei ſacramentum .... Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei ſacramentum fidelem facit: nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei ſacramentum percipiendo.*

Itaque, juxta S. Doctorem, cùm loco citato Joannes Baptiſta dicit: *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam*, vel, ut habetur in Auguſtini textu, *Non habebit vitam*, verborum ſenſus eſt pro adultis, qui rebus à Chriſto revelatis, ſibi ſufficienter propoſitis, aſſentiri non vult, &c. pro parvulis verò, qui ex hac vita non ſuſcepto fidei ſacramento emigraverint, &c. Similiter hæc Chriſti verba, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* ait S. Auguſtinus non ſolùm ad adultos, ſed etiam ad parvulos dirigi, ſed in ſenſu planè diverſo; ita ut pro adultis, juxta S. Doctoris mentem, ſignificent neceſſitatem realis manducationis Euchariſtiæ; pro parvulis verò ſignificent neceſſitatem ſpiritualis tantùm manducationis; vel, ſi vis, pro adultis ſignificent neceſſitatem ipſius ſacramenti Euchariſtiæ in re ſuſcepti; pro parvulis verò ſignificent tantùm neceſſitatem rei per Euchariſtiæ ſacramentum ſignificatæ, nempe unionis cum Chriſto & Eccleſia, cujus caput eſt Chriſtus: unde infert S. Doctor, pro parvulis Baptiſmi neceſſitatem ad conſequendam vitam æternam; cùm aliter non poſſint fieri membra Eccleſiæ, & Chriſto incorporati, atque Spiritu ipſius vivificari, quàm per Baptiſmi ſuſceptionem.

Obj. 3. S. Thomas hîc quæſt. 73. art. 3. in O. docet parvulos ſalvari non poſſe ſine voto Euchariſtiæ. *R.* S. Thomam loqui tantùm de voto impropriè ſumpto, quod conſiſtit in intentione Eccleſiæ, parvulos per Baptiſmum ordinantis ad Euchariſtiam, ſeu parvulos baptizantis, ut idonei fiant ad Euchariſtiam hoc tempore ſuſcipiendam; quod in re nihil aliud eſt, quam dicere parvulos ſalvari non poſſe ſine reali ſuſceptione Baptiſmi, quem illis Eccleſia per ſuos Miniſtros confert ex tali intentione; quæ tamen intentio ad parvulorum ſalutem minimè neceſſaria eſt; quia ſufficit, ſi validè baptizentur, ex quacumque tandem intentione id fiat: niſi tamen S. Doctor dicatur loqui de intentione neceſſaria ad valorem ſacramenti, adeòque de intentione faciendi ſacramentum, quod per ſeipſum, hoc ipſo quòd validè confertur ſeclusâ qualibet alia intentione Miniſtri, parvulos habitualiter ordinat ad Euchariſtiam, ut ſuo tempore poſtea ſuſcipiendam. Verba S. Doctoris ſunt: *Per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, & ideo ex hoc ipſo quod pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam: & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius*, (hoc eſt charitatem habitualem, quâ cum Chriſto & aliis juſtis uniuntur.)

ARTICULUS VII.

Utrùm Euchariſtia adultis neceſſaria ſit neceſſitate medii.

Responsio I.

Euchariſtia non eſt adultis ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii.

Prob. Illud non eſt medium ad ſalutem neceſſarium adultis, ſine quo adulti juſtificari poſſunt. Atqui adulti juſtificari poſſunt ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ. Ergo, &c. *Prob.* 1. *min.* Nam adulti peccatores vel ſunt baptizati, vel non. Si non ſunt baptizati, per Baptiſmi ſuſceptionem; ſi baptizati ſunt, per ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ juſtificari poſſunt, cum ſolo propoſito generali ſervandi mandata omnia; quod propoſitum commune eſt Euchariſtiæ; cum aliis omnibus rebus, quæ neceſſitate præcepti neceſſariæ ſunt. *Prob.* 2. *maj.* Nam adultus peccator, ſive per Baptiſmum, ſive per Pœnitentiæ ſacramentum juſtificatus, ſi, quod poteſt, antequam in novum aliquod mortale inciderit, migret ex hac vita, ſalvabitur, quia morietur in ſtatu gratiæ, adeòque ſalvabitur independenter ab eo ſacramento, independenter à quo gratiam juſtificationis conſecutus eſt. Ergo, &c.

Hoc argumentum ſuggerit S. Thomas in 4. diſt. 9. qu. 1.

qu.1. art.1. ad qu.2. ubi ait: *Dicendum quod gratia eſt ſufficiens cauſa gloriæ: unde omne illud, ſine quo poteſt haberi gratia, non eſt de neceſſitate ſalutis. Hoc autem ſacramentum* (Euchariſtiæ) *gratiam præſupponit, quia præſupponit baptiſmum, in quo gratia datur, nec debet peccato præveniri quod gratiam privet, & ideo quantum eſt de ſe, non eſt de neceſſitate ſalutis: ſed de ordinatione Eccleſiæ homines obligantur ſecundum Eccleſiæ ſtatutum, Corpus Chriſti ſemel in anno ſumere.*

Obj. S. Thomas hic qu.80. art.11. ad 2. expreſsè aſſerit, Euchariſtiam adultis tam eſſe neceſſariam ad ſalutem, quàm Baptiſmum. Atqui Baptiſmus adultis neceſſarius eſt ad ſalutem neceſſitate medii. Ergo, &c. Verba S. Doctoris ſunt: *Hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut Baptiſmus, quantùm ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc ſacramento, non autem ſine ſacramento Baptiſmi; quantum verò ad adultos, utrumque eſt neceſſitatis.* R. neg. maj. Nam S. Doctor loco citato dicit quidem utrumque ſacramentum, nempe Baptiſmum & Euchariſtiam, adultis neceſſarium eſſe ad ſalutem: at non dicit eodem modo neceſſarium eſſe quantùm ad realem ſuſceptionem. Et verò articulo citato non quærit S. Doctor, utrùm Euchariſtia, quantùm ad realem manducationem, neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate medii, ſed ſolùm, an ſit neceſſaria neceſſitate præcepti, ita ut non liceat omninò à communione ceſſare. Juxta S. Doctorem igitur, adultis Baptiſmus & Communio euchariſtica ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſed cum aliquo diſcrimine: nam Baptiſmus neceſſarius illis eſt neceſſitate medii & præcepti, & Communio euchariſtica neceſſaria neceſſitate præcepti tantùm.

Dices. S. Thomas in corpore articuli citati probat, Euchariſtiam adultis neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, ex eo quòd illis neceſſaria eſt neceſſitate medii. Ergo, &c. R. diſt. ant. Probat, Euchariſtiam, &c. ex eo quòd illis neceſſitate medii neceſſaria eſt quantùm ad manducationem realem & ſacramentalem, N. ant. Quantùm ad manducationem ſpiritualem, C. ant.

Loco itaque citato S. Doctor 1. diſtinguit duplicem Euchariſtiæ manducationem, ſacramentalem ſcilicet, ſeu realem, & ſpiritualem. *Duplex eſt*, inquit, *modus percipiendi hoc ſacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis.*

2. Dicit manducationem ſpiritualem omnibus, tam parvulis ſcilicet, quàm adultis, ad ſalutem neceſſariam eſſe neceſſitate medii: nam ſic proſequitur: *Manifeſtum eſt autem, quòd omnes teneatur ſaltem ſpiritualiter manducare, quia hoc eſt Chriſto incorporari.*

3. Addit, adultos non poſſe ſpiritualiter manducare Euchariſtiam ſine voto illam manducandi realiter, adeòque votum hoc ad ſalutem neceſſarium eſſe neceſſitate medii, quia ſic neceſſaria eſt, non realis manducatio, ſed ſpiritualis, quæ ſine voto illo eſſe non poteſt. *Spiritualis autem manducatio*, inquit, *includit votum ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum, & ideo ſine voto percipiendi hoc ſacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus.*

4. Inde probat realem Euchariſtiæ manducationem neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, ſeu jure divino præceptam eſſe. Nam ex præfatis ſic concludit: *Fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet, & ideo manifeſtum eſt, quòd homo tenetur hoc ſacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini.* Porrò cùm S. Doctor, ut probet realem Euchariſtiæ manducationem neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, recurrit ad manducationem ſpiritualem, ut neceſſariam neceſſitate medii; manifeſtè ſupponit & ſignificat, realem manducationem Euchariſtiæ non aliâ, quàm neceſſitate præcepti, ad ſalutem neceſſariam eſſe.

Breviter, juxta S. Doctorem, realis manducatio Euchariſtiæ non eodem modo neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, quo Baptiſmus v.g. Nam Baptiſmus neceſſarius eſt neceſſitate præcepti, quia ipſe neceſſarius eſt neceſſitate medii. At realis manducatio Euchariſtiæ neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, quia neceſſitate medii neceſſaria eſt ſpiritualis manducatio, quæ non poteſt eſſe ſine illius voto; quod eſſet fruſtra, niſi opportuno tempore impleretur.

Responsio II.

Euchariſtia adultis neceſſaria tamen eſt neceſſitate medii, ad perſeverandum in ſtatu gratiæ longo aliquo tempore; ita ut ſine illa, vel in re, vel in voto ſuſcepta, juſtificatus non poſſit potentia ad actum reducenda, mortalia omnia longo aliquo tempore vitare.

*Prob.*1. Ex verbis Chriſti Joannis cap.6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* (ſupple permanentem, diùque perſeverantem.) Nam Chriſtus ſic loquendo, videtur exprimere aliam & majorem, quàm præcepti neceſſitatem, adeòque neceſſitatem medii exprimere.

*Prob.*2. Sacramentum ad id neceſſarium eſt neceſſitate medii, ad quod per ſe primò inſtitutum eſt. Atqui Sacramentum Euchariſtiæ per ſe primò inſtitutum fuit ad dandam perſeverantiam in gratia. Ergo medium eſt juſtificatis neceſſarium, ad hoc ut in gratia per Baptiſmum accepta, vel per ſacramentum Pœnitentiæ recuperata perſeverent. *Major probari poteſt* facili inductione: nam v.g. Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad gratiam regenerationis, quia ad eam conferendam per ſe primò inſtitutus eſt. Item ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſt neceſſitate medii ad recuperandam regenerationis gratiam per mortale aliquod amiſſam, quia ad eam reſtituendam per ſe primò inſtitutum eſt.

Prob. 2. *min.* Nam 1. cùm non ſolùm prima gratia, ſed etiam perſeverantia in ea, ad ſalutem neceſſaria ſit, ſicut ad eam conferendam per ſe primò inſtitutus eſt Baptiſmus, & ad eam reparandam per ſe primò inſtitutum eſt ſacramentum Pœnitentiæ; ita ad dandam in ea perſeverantiam omninò conveniens fuit, aliud aliquod ſacramentum per ſe primò inſtitui, & reipſa inſtitutum fuiſſe, videtur pro certo ſtatuendum. Tale autem ſacramentum aliud non eſt, quàm ſacramentum Euchariſtiæ. Ergo, &c.

2. Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt, ut ſpiritualis cibus & potus animæ, ut ipſe Chriſtus inculcat Joan. c.6. *Caro mea*, inquit, *verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* Ergo per ſe primò inſtituta eſt ad conſervandam animæ vitam: cibus enim ſpiritualis tam per ſe & intrinſecè ordinatur ad vitæ ſpiritualis conſervationem, quàm cibus corporalis ad conſervationem vitæ corporalis. Ergo, quod idem eſt, Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt ad dandam in gratia perſeverantiam.

3. Synodus Tridentina ſeſſ. 13. cap. 2. dicit, quòd Chriſtus voluerit à nobis ſumi Euchariſtiam, *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur.* Dici autem non poteſt, quòd Euchariſtia ex inſtitutione ſua ſecundariò tantùm ſit antidotum illud. Ergo Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt ad dandam nobis perſeverantiam in gratia: nam perſeverare à mortalibus, & dare perſeverantiam in gratia, unum & idem ſunt, cùm gratia non poſſit amitti, niſi per mortalia. Ergo, &c.

Confirmatur Reſponſio. Quia Euchariſtia ſpecialem quandam analogiam cum cibo corporali habet ex vi inſtitutionis ſuæ, ut apertè ſignificat Chriſtus ipſe Joann. cap.6. cum ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* Et, *Caro mea verè eſt cibus, &c.* Et, *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Et, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Atqui ſpecialis illa analogia, ut etiam ſatis innuunt verba Chriſti laudata, in eo conſiſtit, quòd

ſicut

Google

eadem cœna, quot in ea fiunt actiones; quod certè inauditum eſt & abſurdum.

Dices 1. Cum Illirico. Chriſtus hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, non protulit ante manducationem, ſed inter manducandum. N. *Prob.* Ex Matth. c. 26. ubi hæc leguntur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.* Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſ. Nam ex loco citato, non magis poteſt colligi quòd Chriſtus hæc verba. *Hoc eſt corpus meum*, non protulerit ante actionem manducandi, quàm ex Marco cap. 14. ſic narrante: *Accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus*, &c. Colligi poteſt, quòd Chriſtus hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*, poſt actionem bibendi protulerit. Sicut igitur ex Marco colligi non poteſt, Chriſtum dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus*, poſt actionem bibendi: ita neque ex Matthæo colligi poteſt, Chriſtum non dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum*, ante actionem manducandi.

Ratio eſt, quia verborum ordinem ſæpè mutant Evangeliſtæ, id quod priùs factum eſt, narrando poſteriùs; unde præcisè ex verborum ordine, quid priùs, quidve poſteriùs actum ſit, haberi non poteſt. Non igitur hìc attendendus eſt verborum ordo, ſed ſenſus, ex quo colligi debet, quid priùs, quid poſteriùs factum fuerit in cœna. At ex ſenſu verborum apertè colligitur, verba illa: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, ante prolata fuiſſe à Chriſto, quàm diſcipulis porrigeret panem & vinum conſecratum: nam ſicut verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, manifeſtè continent rationem, cur deberet comedi panis conſecratus; ſimiliter iſta: *Hic eſt ſanguis meus*, manifeſtè continent rationem, cur vinum conſecratum bibi deberet. Utraque autem ratio hæc probat priùs diſcipulis, ut per ſe clarum eſt, proponi, quàm illis porrigerentur panis & vinum conſecratum; ut ſic moveri poſſent ad id quod porrigebatur accipiendum, & accipiendo intelligerent quid acciperent.

Confirmat. Cùm Chriſtus dicit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, evidenter invitat diſcipulos ad cibum, quem porrigit, comedendum, quia eſt corpus ſuum. Similiter cùm dicit: *Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus*, evidenter invitat diſcipulos ad potum, quem porrigit, bibendum, quia eſt ſanguis ſuus. Evidens igitur eſt, priùs Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum*, & diſcipulos hæc verba audiviſſe & intellexiſſe, quàm cibum porrectum acciperent & comederent. Similiter evidens eſt, Chriſtum priùs dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus*, & diſcipulos hæc verba audiviſſe & intellexiſſe, quàm porrectum potum acciperent, & haurirent.

Dices 2. Cum Calvino. Licèt hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, prolata fuerint ante manducationem, non fuerunt tamen verificata niſi in ipſa manducatione, Neg. *Prob.* Cùm aliquid promittitur ſub conditione præcepti, tunc non impletur promiſſio, niſi præceptum impleatur. Atqui Chriſtus præſentiam corporis ſui ſub conditione præcepti promiſit: hæc enim verba: *Accipite & comedite*, continent præceptum; & illa: *Hoc eſt corpus meum*, promiſſionem. Ergo corpus Chriſti non fuit præſens, niſi quando diſcipuli acceperunt, & comederunt.

Reſp. Perperam dici, quòd hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, promiſſionem contineant. Nam ſi continerent, exprimi deberet per verbum futuri temporis, ut aliæ promiſſiones, qualis eſt ea quæ continetur his Chriſti verbis Matth. cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Præterea hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, continent non promiſſionem, ſed rationem accipiendi & comedendi, ut ex contextu manifeſtum eſt; ſicut iſta: *Hic eſt ſanguis meus*, continent non promiſſionem, ſed rationem accipiendi & bibendi, ut etiam clarum eſt ex contextu. *Bibite ex hoc omnes*, inquit Chriſtus: *Hic eſt enim ſanguis*, &c. Nam hæc particula *enim* cauſalis eſt, adeòque evincit accipiendi & bibendi cauſam exprimi his verbis: *Hic eſt ſangui meus.*

§. II.

Probatur aſſertio authoritate Patrum veterum.

PRo ſecundo ſæculo habemus Juſtinum Martyrem apolog. 2. ſub finem, ubi ſcribit Euchariſtiam in Eccleſia poſt conſecrationem diſtribui præſentibus, & abſentibus mitti per diaconos. Et S. Irenæum apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 24. Victori ſcribentem, deceſſores ejus Summos Pontifices, in ſignum pacis & communionis, aliarum Eccleſiarum Epiſcopis, qui Paſcha luna 14. celebrabant, Euchariſtiam tranſmiſiſſe.

Pro tertio ſæculo habemus Tertullianum lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi ſic ait: *Non ſciet maritus* (gentilis) *quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Illud autem quod Chriſtiani ante omnem cibum ſecretò guſtabant, aliud non erat, quàm Euchariſtia, quam proinde ſecum deferebant in domos ſuas tunc temporis, ut eam opportuno tempore ſumerent. Quod etiam evidenter apparet ex S. Cypriano in ſermone de lapſis ſic loquente: *Cum quadam* (mulier) *arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.*

Præter Tertullianum & Cyprianum, pro eodem ſæculo adeſt nobis Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 44. ubi in epiſt. ad Fabium Romanum Pontificem ſcripta, narrat de Serapione quodam ſene, qui cùm eſſet morti proximus, per nepotem ad ſe vocavit presbyterum, à quo ſacramentaliter abſolvi, & viatico refici poſſet. At presbyter cùm tunc morbo detineretur, *exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret.*

Pro quarto ſæculo habemus 1. Ambroſium in oratione funebri de exceſſu fratris ſui Satyri, ubi de eo refert, quòd *priùs quam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cùm ea, qua veheretur, navis ſcopuloſo illiſa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus, ſolveretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterii exiret è vita, quos initiatos eſſe cognoverat, ab his divinum illud fidelium* (Euchariſtiæ) *ſacramentum popoſcit*... & particulam Euchariſtiæ ab illis acceptam *ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita ſe dejecit in mare.... nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio, denique primus ſervatus ex undis*, &c.

2. S. Baſilium in epiſtola ad Cæſariam Patritiam, in qua ſcribit, Anachoretas, qui commodè non poterant ſæpiùs venire in Eccleſiam, ſolitos Euchariſtiam ſecum deferre in eremum. 3. S. Gregorium Nazianz. in orat. funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ, ubi ſcribit Gorgoniam, *noctis intempeſta caligine obſervata, cum levius aliquando morbus urgeret, ad altare cum fide procubuiſſe, eumque, qui ſuper illud colitur, cum magno clamore obteſtatam eſſe.* Cùm autem Nazianzenus dicit, eum qui ſuper altare colitur, non alium certè intelligit, quàm Chriſtum in Euchariſtia: unde ex verbis citatis apparet, Gorgoniam in ædibus ſuis ſacellum habuiſſe, & in eo altare, in quo aſſervabat Euchariſtiam, quam cùm reverenter adoraſſet, & Chriſtum in ea realiter præſentem cum ubertimis lachrymis oraſſet, ſeque ipſa communicaſſet, ſanitatem ſubitò recuperavit: nam de ea ſic paulò inferiùs proſequitur Gregorius: *Caput .... cum uberrimis lachrymis, muliercula illius inſtar, quæ olim Chriſti pedes irrigarat, altari admovens .... ac deinde hoc ſuo pharmaco totum corpus perungens... protinus ſe morbo liberam ſentit, atque & corpore & animo & mente levis abſcedit.*

Pro quinto ſæculo habemus, 1. S. Hieronymum in epiſt. ad Ruſticum monachum, in qua de S. Exuperio Toloſano Epiſcopo, qui poſt ſæculum quartum eximia ſanctitate floruit, ſingularem quo erga paupertatem evangelicam afficiebatur amorem laudans, hæc ſcribit:

ſcribit : *Nihil ille ditius , qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro.*

2. S. Chryſoſtomum in epiſt. ad Innocent. Papam, in qua narrans quæ poſtquam in exilium ejectus , eſt, Conſtantinopoli contigerunt, hæc ſcribit: *Sanctuaria ingreſſi ſunt milites, quos aliquos ſcimus nullis initiatos myſteriis , & viderunt omnia quæ intùs erant; quin & ſanctiſſimus Chriſti Sanguis ...... in prædictorum militum veſtes effuſus eſt.*

3. S. Cyrillum Alex. in epiſt. ad Caloſyrium , in qua ſic ait : *Porrò alios etiam eſſe audio , qui myſticam benedictionem* (Euchariſtiam) *nihil ad ſanctificationem juvare dicant, ſi quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Inſaniunt verè qui hæc aſſerunt, neque enim alteratur Chriſtus , neque ſanctum ejus Corpus immutatur* (ſub ſpeciebus conſecratis, in alium diem reſervatis). *ſed benedictionis vis ac facultas , & viviſicans gratia, perpetuè in ipſo exiſtit,*

Pro ſexto denique ſæculo habemus S. Benedictum apud Gregorium Magnum , lib. 2. dialog. cap. 24. ubi narratur quòd, cùm puerulus monachus, in paterna domo defunctus , ſepeliri non poſſet , terra corpus ejus projiciente , parentes ejus *ad Benedicti Patris veſtigia currentes, cum magnu fletu petierunt, ut ei ſuam gratiam largiri dignaretur . Quibus vir Dei manu ſua protinùs communionem dominici Corporis dedit , dicens : Ite , atque hoc dominicum Corpus ſuper pectus ejus ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite; quod dum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus ejus terra tenuit,*

Ex allegatis hactenùs Patrum teſtimoniis evidenter colligimus, praxim antiquæ Eccleſiæ in ſervanda Euchariſtia, ad abſentes mittenda , deferenda ad ægrotos, fidelibus utriuſque ſexus, qui eam in ædes ſuas aſportarent, permittenda, adoranda in altari, &c. & ex hac praxi eam antiquæ Eccleſiæ fidem fuiſſe, quòd Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis maneant extra uſum , & manducationem , adeòque, quòd Euchariſtiæ ſacramentum non in actione aliqua tranſeunte, ſed in re permanente conſiſtat; quam fidem confirmavit Deus pluribus miraculis, quæ nonniſi protervè negantur à novatoribus, Hujus antiquæ Eccleſiæ praxis vim ſenſit Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 39. ubi ait : *Sed enim qui ſic faciunt* (hoc eſt , qui Euchariſtiam ad ægrotos deferendam reſervant) *habent veteris Eccleſiæ exemplum. Fateor , verùm in re tanta , & in qua non ſine magno periculo erratur , nihil tutius eſt , quàm ipſam veritatem ſequi .* Hic , quod nobis ſufficit , Calvinus fatetur nos habere ſuffragium veteris Eccleſiæ. Ad id quod addit, nihil tutius eſſe , quàm ipſam veritatem ſequi , reſpondemus eum à veritate aberrare non poſſe , qui pro ſe habet veteris Eccleſiæ ſuffragium : veritas enim catholica non poteſt non colligi certò ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ, quæ errare non poteſt in re de qua agitur, cùm tanti ſit momenti , nec in ea ſine magno periculo errari poſſit , ut fatetur hæreſiarcha. Sed ad magis adhuc confirmandam praxim illam veteris Eccleſiæ, ſit

§. III.

Probatur aſſertio authoritate Conciliorum.

1. Concilium Nicæn. can. 13. jubet, ut fidelibus omnibus in mortis articulo conſtitutis , & Euchariſtiam poſtulantibus , communio concedatur ab Epiſcopo , præmiſſo examine : in hoc enim canone ſic dicitur : *In ſumma autem , de quolibet excedente, & Euchariſtiæ participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat* (Epiſcopus.) Hoc autem fieri non potuit, niſi Euchariſtia aſſervaretur in Eccleſia, ut quovis tempore diſtribui poſſet , etiam quando cœna non celebratur.

2. Concil. Turonenſe II. anno 567. ait can. 3. *Ut Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* Quibus verbis prohibetur , ne Euchariſtia ponatur inter ſacras imagines, quæ ſuper altari poni ſolent, ſed potiùs ponatur ſub ipſa Cruce , quæ in altaris meditullio poni ſolet.

3. Concil. Quini-ſextum ſeptimo ſæculo can. 52. ſic loquitur : *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam ſabbato & Dominica, & ſancto Annunciationis die, ſacrum præſanctificatorum* (exerceatur) *miniſterium*; Quibus verbis ſtatuitur , ut in Quadrageſima die ſabbati & Dominico tantùm conſecratio fiat, aliis verò diebus communicent ex præſanctificatis : unde apparet , quòd tunc temporis in Eccleſia Græca Euchariſtia conſecrata ſervaretur ſex ſaltem diebus, à die ſaltem Dominica, uſque ad ſequentem feriam ſextam.

4. Concil. Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno 1215. can. 20. hæc habet : *Statuimus ut in cunctis Eccleſiis Chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur; ne poſſit ad illa temeraria manus extendi.*

5. Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 1. docet : *In almo S. Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum atque hominem, verè, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri.* Et cap. 3. dicit Euchariſtiæ ſacramentum ab aliis in hoc differre, *quòd reliqua ſacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante uſum eſt.* Quam veritatem ut probet Synodus, ſtatim proſequitur ſic: *Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe , quod præbebat . Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit , ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus , verumque ejus Sanguinem ſub panis & vini ſpecie unà cum ipſius anima & divinitate exiſtere* , Denique can. 4. ſic pronuntiat : *Si quis dixerit , peracta conſecratione , in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti , ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt , & in hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini : anathema ſit.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Sacramenta non fiunt, niſi ſervetur inſtitutio Chriſti. Sed Chriſtus præcepit, ut panis benediceretur, frangeretur, diſtribueretur, & manducaretur . at non præcepit , ut ſervaretur in pixide , geſtaretur in ſupplicatione , adoraretur in Eccleſia , deferretur ad ægrotos, &c. Ergo ſacramentum non eſt , cùm panis conſecratus ſervatur in pixide , geſtatur , &c. ſed tunc tantùm , cùm panis benedicitur , frangitur , &c. *Reſp.* neg. conſ. Nam Chriſtus non quidem præcepit, ut panis conſecratus ſervaretur in pixide , geſtaretur in publica ſupplicatione , &c. At non præcepit, ut ſtatim manducaretur, nec prohibuit illum in pixide ſervari , in publica ſupplicatione geſtari , &c. Unde quòd non ſtatim manducetur , quòd in pixide ſervetur , in ſupplicationibus geſtetur , &c. inſtitutioni Chriſti nullatenùs repugnat.

Obj. 2. Baptiſmus conſiſtit in actione : ergo & Euchariſtia. *Reſp.* neg. conſ. Nam, ut ait Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 3. *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis , ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem : verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua ſacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur* (quia nimirùm tunc primùm ſunt, & in uſu conſiſtunt) *at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante uſum eſt* (adeòque Euchariſtia ante uſum vim habet ſanctificandi, & ante uſum ſacramentum eſt.)

Probabis tamen conſeq. Quia 1. omnia ſacramenta legis novæ ſunt ejuſdem generis . 2. Sicut Chriſtus dixit : *Baptizate omnes gentes*; ita dixit : *Accipite &*

comedite. *Reſp. ad* 1. Omnia ſacramenta novæ legis eſſe quidem ejuſdem generis, at non ſunt ejoſdem ſpeciei. Prætereà, etiamſi ejuſdem ſpeciei eſſent, adhuc alia in actione tranſeunte, alia verò in re permanente conſiſtere poſſent: nam hæc differentia materialis tantùm eſſet. *Reſp. ad* 2. Hæc Chriſti verba: *Baptizantes eos*, ſignificant uſum & eſſentiam Baptiſmi, quia in Baptiſmo uſus & eſſentia non diſtinguuntur. At hæc alia Chriſti verba: *Accipite & comedite*, ſignificant tantùm uſum Euchariſtiæ, quia in Euchariſtia uſus diſtinguitur ab eſſentia.

Obj. 3. Clemens Romanus epiſt. 2. ad Jacobum fratrem Domini, jubet, ut tot ponantur hoſtiæ in altari, quot neceſſariæ ſunt ad communicandum populum; & ſi quid poſt communionem ſuperſit ex conſecratis ſpeciebus, non ſervetur in craſtinum, & à clericis conſumatur. *Reſp*. 1. Hanc Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, adeòque non eſſe magnæ authoritatis. *Reſp*. 2. Loco citato præſcribi tantùm pro uſu quotidiano, ut non plures conſecrentur hoſtiæ, quàm ſufficiant populo, qui communicaturus eſt; cùm ad hunc tantùm finem conſecrentur; & cùm additur, Si quid ex conſecratis hoſtiis ſuperſit poſt communionem populi, ſervandum non eſſe in craſtinum, ſed à clericis conſumendum, hoc intelligi debet, exceptis hoſtiis illis, quæ pro infirmis communicandis erant in ſacrario reſervandæ: nam paulò ſuperiùs dicitur in eadem epiſtola: *Tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta divinorum ſecretorum, ideſt, Presbytero, Diacono, & Miniſtro* (hoc eſt, Subdiacono) *qui eum timore & tremore clericorum, reliquias fragmentorum Corporis dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni Corporis Domini gravis inferatur injuria*. Dato igitur quòd hæc epiſtola ab ipſo Clemente ſcripta fuerit, manifeſtum eſt, quòd primo Eccleſiæ ſæculo Euchariſtia ſervaretur in ſacrariis pro communione infirmorum; quod confirmari poteſt ex libro 8. conſtitutionum, quæ ſub ejuſdem Clementis nomine circumferuntur, nec minorem, imò majorem habent authoritatem, quàm præfata epiſtola. Libro itaque citato cap. 13. hæc leguntur: *Poſt communionem omnium tum virorum, tum mulierum, ſumant diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum*.

Obj. 4. Originem hom. 5. in cap. 7. Levitici, ubi dicit: *Dominus panem, quem diſcipulis dabat, non diſtulit, nec differri juſſit in craſtinum*. *Reſp*. Reverà Chriſtum non juſſiſſe Apoſtolis, ut Euchariſtiæ à ſe conſecratæ manducationem in craſtinum differrent: at inde non ſequitur, quòd Euchariſtia nunquam poſteà conſervari potuerit, & debuerit. Nam 1. Chriſtus non prohibuit, ne Euchariſtia conſervaretur. 2. Multa, quæ per ſe non præſcripſit, poſteà pro poteſtate ab eo accepta, præſcripſere Apoſtoli circa ſacramentum Euchariſtiæ. Quòd autem Apoſtoli Euchariſtiam conſervari poſſe, Eccleſiæ tradiderint, eamque, ne plurimi in exitu vitæ poſiti, hoc ſaluberrimo viatico privarentur, atque ut fideles ſanctiſſimi hujus ſacramenti præſentia quovis tempore frui poſſent, conſervari voluerint, & juſſerint, ex primitivæ Eccleſiæ praxi certò & evidenter colligimus.

Obj. 5. Heſychius, qui ſub pontificatu Gregorii Magni Hieroſolymitanam rexit Eccleſiam, libro 2. in Leviticum cap. 8. ſcribit morem Eccleſiæ eſſe comburendi id quod ſupereſt ex Euchariſtiæ ſacramento. *Reſp*. Heſychium loco citato excipere particulas Euchariſtiæ, in ſacrario aſſervari ſolitas per unum, vel duos, aut etiam plures dies. Verba ejus ſunt: *Quod reliquum eſt de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit* (Deus in lege veteri) *quod nunc videmus etiam ſenſibiliter in Eccleſia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconſumpta, non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis ſervata ſunt: ſicut enim apparet, non hoc Legiſlator præcepit: ſed quod reliquum eſt, incendi jubet*. Teſte igitur Heſychio, id tantùm quod poſt populi communionem, & particulas in ſacrario repoſitas ſupererat, igni tradebatur.

Obj. 6. Humbertus Cardinalis, qui floruit ſæculo decimo-primo in lib. contra Nicetam conſcripto Græcos reprehendit, quòd tempore Quadrageſimæ quotidiè uterentur præſanctificatis, excepto Sabbato & die Dominica. *Reſp*. Humbertum Græcos non reprehendere quòd panem conſecratum aſſervent, ſed quod ex pane conſecrato die Sabbati vel Dominica, reliquis hebdomadæ diebus Miſſam celebrent; quamvis ſacrificium Miſſæ fieri non poſſit niſi in ea conſecretur panis.

Obj. 7. Nicephorus Calliſtus, lib. 17. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 25. narrat morem fuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut reliquiæ Euchariſtiæ darentur pueris innocentibus manducandæ: *Conſuetudo*, inquit, *à multo tempore imperanti urbi fuit, ut cùm pluſculum de partibus immaculati divinique corporis Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti reliquum eſſet, Sacerdotes pueros incorruptos ... accerſerent, qui jejuni reliquias eas ederent; quod quidem mihi quoque ſæpè numero, cùm puer admodum eſſem ..., contigit*.

Reſp. Nicephorum loqui tantùm de reliquiis Euchariſtiæ quæ ſuperabundabant, ut apertè ſignificat hæc vox *pluſculum*. Quod confirmatur ex Concilio Matiſconenſi II. anno 585. celebrato, hæc præſcribente can. 6. *Quæcumque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta, vel ſexta feria innocentes, ab illo cujus intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant*. Itaque quia illæ tantùm reliquiæ pueris innocentibus conſumendæ tradebantur, quæ ſuperabundabant, illa reliquiarum conſumptio non fiebat quotidie, ſed tantùm feria quarta, vel ſexta, quando ſcilicet ſacramentum in ſacrario renovabatur.

Obj. 8. Eccleſia tandem agnovit, aſſervationem Euchariſtiæ abuſum eſſe, & repugnare inſtitutioni Chriſti. Neg. *Prob*. Conſuetudo aſſervandi Euchariſtiam in aliquibus Eccleſiis, ab Eccleſia tandem abrogata fuit, ut probat canon 14. Concilii Toletani I. quo dicitur: *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur*. *Reſp*. Hoc canone non prohiberi ne Euchariſtia ſervetur in ſacrariis, ſed ne Laici acceptam à Sacerdote Euchariſtiam in ædes ſuas deferant; quod illis tribus ſaltem prioribus ſæculis licitum fuerat, ut patet ex Tertulliano & Cypriano locis ſupra citatis.

Nota. Prioribus illis ſæculis, Fideles in Eccleſia à Sacerdotibus excipiebant Euchariſtiam, non ore, ut nunc fit, ſed manu dextera concava, eo modo quem explicat S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 5. ſub finem, ubi ait: *Accedens autem ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis; ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjicias dextræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt; & concava manu ſuſcipe Corpus Domini, dicens, Amen*. Acceptæ autem ſic manu dextera Euchariſtiæ partem aliquam, cùm vellent, reſervabant, & deferebant ad domos ſuas, ut eam opportuno tempore privatim ſumerent; quòd poſteà, ingraveſcente morum corruptela, prohibitum eſt, propter profanationis periculum.

ARTICULUS III.

In quo ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtat ſecundùm Catholicos.

CAtholici omnes docent hoc ſacramentum in re aliqua permanente conſiſtere: Sed quæritur 1. utrùm conſiſtat in ſolis ſpeciebus panis & vini, an in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti, an in utriſque ſimul? 2. An verba, quibus conſecratio perficitur, aliquo modo pertineant ad eſſentiam hujus ſacramenti? 3. Utrùm ſumptio ſit pars illius eſſentialis, vel integralis? Pro horum reſolutione, ſit

Ras-

RESPONSIO I.

Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolis ſpeciebus panis & vini.

Prob. Nam ſacramento Euchariſtiæ multa conveniunt, quæ aut non conveniunt ſpeciebus, aut ſolis non conveniunt, ut eſſe cibum animæ, eſſe panem de cœlo deſcendentem, habere vim ſanctificandi, fieri per verba conſecrationis, adorari latria. Solæ autem ſpecies non fiunt per verba conſecrationis, neque ſolæ adorantur cultu latriæ, neque ſolæ ſunt cibus animæ, neque ſolæ vim habent ſanctificandi; nam hæc vis multò magis competit Corpori & Sanguini Chriſti, eique attribuitur, Joan. cap. 6. ubi ait Chriſtus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ergo, &c.

Obj. 1. Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, extra de celebratione Miſſarum, dicit ſpecies eſſe ſacramentum. *Reſp.* Innocentium capite laudato 1. diſtinguere tria in Euchariſtia, nempe id quod eſt ſacramentum tantùm, id quod eſt res tantùm, & id quod eſt res & ſacramentum. 2. Per ſacramentum tantùm intelligere illud quod ſignificat, & non ſignificatur. Per rem tantùm, illud quod ſignificatur, & non ſignificat. Denique per rem & ſacramentum, illud quod & ſignificatur, & ſignificat. 3. Ex his concludere, 1. in Euchariſtia ſpecies eſſe ſacramentum tantùm, quia ſignificant rem ſacram, nempe Corpus & Sanguinem Chriſti, & cum utroque gratiam ſanctificantem, ſed non ſignificantur. 2. Gratiam ſacramentalem, qua per charitatem Fideles inter ſe uniuntur, eſſe rem tantùm, quia ſignificatur, & non ſignificat. 3. Denique Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe rem & ſacramentum, quia & ſignificantur per ſpecies, & ſignificant gratiam ſacramentalem, qua Fideles inter ſe conjunguntur per charitatem.

Verba Pontificis ſunt: *Dicitur* (Euchariſtia) *Myſterium Fidei, quoniam aliud ibi creditur, quam cernitur; & aliud cernitur, quàm creditur. Cernitur ſpecies panis & vini, & creditur veritas carnis & ſanguinis Chriſti, ac virtus unitatis & charitatis. Diſtinguendum eſt* (igitur) *ſubtiliter inter tria, quæ ſunt in ſacramento hoc diſcreta, videlicet formam viſibilem, veritatem corporis, & virtutem ſpiritualem. Forma, eſt panis & vini: veritas, carnis & ſanguinis: virtus, unitatis & charitatis. Primum* (nempe ſpecies panis & vini) *ſacramentum, & non res. Secundum* (nempe Corpus & Sanguis Chriſti) *eſt ſacramentum, & res. Tertium* (nempe virtus ſpiritualis, ſeu gratia ſacramentalis Fideles inter ſe conjungens per charitatem) *eſt res & non ſacramentum.* Cùm itaque Innocentius dicit, ſpecies eſſe ſacramentum tantùm, nil aliud vult, quàm ſpecies rem aliquam ſacram ſignificare, & non ſignificari; nomineque ſacramenti intelligit præciſè ſignum rei ſacræ, quod non ſufficit ad rationem adæquatam ſacramenti novæ Legis: ad hanc enim rationem requiritur, ut aliquid ſignificet, & efficiat gratiam ſanctificantem, ſeu veram ſanctitatem, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit. Gratiam autem ſanctificantem ſignificare & efficere, non convenit ſolis ſpeciebus, ſeu ſpeciebus ſeorſim à Corpore & Sanguine Chriſti ſumptis.

Obj. 2. Cap. *Hoc eſt*, 48. diſt. 2. de conſecratione, ſpecies ſimpliciter vocantur ſacramentum; Corpus verò & Sanguis Chriſti res ſacramenti, ut patet ex verbis infra referendis. *Reſp. Breviter*, loco citato, nomine ſacramenti intelligi præciſè ſignum rei ſacræ. Itaque hic vocantur ſpecies ſacramentum, non quòd ſolæ rationem habeant adæquatam ſacramenti, ſeu, quod idem eſt, non quòd ſolæ ſignificent & efficiant gratiam ſanctificantem, ſed quia ſunt ſignum Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ ſunt res ſacra. Corpus verò & Sanguis Chriſti vocantur res ſacramenti, quia ſignificantur per ſpecies.

Obj. 3. Berengarius in confeſſione fidei, quam ſubſcripſit Romæ in Concilio 113. Epiſcoporum, præſide ſummo Pontifice Nicolao, hæreſim ſuam revocans, confitetur in Euchariſtia non ſolùm eſſe ſacramentum, ſed etiam Corpus Chriſti. Ergo, &c. *Reſp.* In illa fidei confeſſione, quam ſibi à ſummo Pontifice & Epiſcopis oblatam ſubſcripſit Berengarius, per to ſacramentum, præciſè intelligi ſignum rei ſacræ. *Nota.* Berengarius docuerat, in Euchariſtia eſſe ſacramentum tantùm, hoc eſt, nudum ſignum Corporis, non ipſum Corpus Chriſti: quare juſſus errorem ſuum revocare, confitetur in Euchariſtia non ſolùm eſſe ſacramentum, ſed etiam Corpus Chriſti, ideſt, non ſolùm ſignum Corporis, ſed etiam ipſum Corpus Chriſti: *Conſentio*, inquit, *Sanctæ, Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor... panem & vinum, quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem, non ſolum ſacramentum* (hoc eſt non ſolùm ſignum corporis & ſanguinis, &c.) *ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum ſacramento* (ideſt, ſigno) *ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.*

RESPONSIO II.

Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti.

Prob. Nam ſacramentum novæ Legis, ut conſtat ex ejus definitione, eſt ſignum ſenſibile per ſe, & hoc commune eſſe ſacramento Euchariſtiæ cum aliis ſacramentis, diſertis verbis docet Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 3. ubi ait: *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ, inviſibilis gratiæ formam viſibilem.* Atqui Corpus & Sanguis Chriſti, prout ſunt in Euchariſtia, non ſunt per ſenſibilia, ſive, quod idem eſt, non ſunt ſenſibilia niſi per ſpecies. Ergo ſine ſpeciebus ſacramentum conſtituere non poſſunt. Ergo, &c.

Confirmat. Ex Tridentino ſeſſ. citata can. 1. Ubi anathematizat eos, qui negant, *in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem ... Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ergo ſacramentum Euchariſtiæ dicit aliquid præter Corpus & Sanguinem Chriſti, quod cum Corpore & Sanguine Chriſti unum totum facit, in quo Corpus & Sanguis Chriſti rectè dicuntur contineri, tanquam pars in toto: nihil enim propriè dici poteſt in ſeipſo contineri.

Obj. 1. Ad hoc ut ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtat in ſolo corpore & ſanguine Chriſti, ſufficit, ut Corpus & Sanguis Chriſti connotent extrinſecè ſpecies, per quas ſic ſufficienter fiunt ſenſibilia. *Reſp.* Neg. Licèt enim non requiratur, ut quælibet pars ſacramenti ſit per ſe ſenſibilis, ut patet ex contritione, quæ eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ, integrum tamen ſacramentum debet eſſe per ſe ſenſibile aliqua ſaltem ſui parte; & aliquid inſenſibile ſecundùm ſe totum, non poteſt eſſe integrum ſacramentum, ut patet ex definitione ſacramenti. At ſi ſacramentum Euchariſtiæ conſiſteret in ſolo corpore & ſanguine Chriſti, non eſſet ulla ſui parte per ſe ſenſibile, ſed tantùm per aliquid extrinſecum, nempe ſpecies connotatas.

Obj. 2. Patres vocant ſacramentum Euchariſtiæ Corpus Chriſti. *Reſp.* Tunc Patres vel intelligere Corpus Chriſti, non nudum, ſed ſub ſpeciebus conſecratis exiſtens, ex quibus & Corpore Chriſti fit totum per ſe ſenſibile, quod eſt Euchariſtiæ ſacramentum; vel ſumere partem pro toto, quod etiam accidit in aliis ſacramentis, ut cum Baptiſmus dicitur ablutio, & tunc Patres ſacramentum Euchariſtiæ denominant à parte præcipua, nec ullatenùs volunt, Corpus Chriſti cum ejus ſanguine ſine ſpeciebus eſſe integrum Euchariſtiæ ſacramentum.

Obj. 3. Vis ſanctificandi & reficiendi animam reſidet in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti. Ergo & ſacramentum Euchariſtiæ. Reſponderi poteſt, 1. Negando antecedens, & dici, vim ſanctificandi & reficiendi animam competere ſacramento Euchariſtiæ, principaliter ratione Corporis & Sanguinis Chriſti, tanquam pri-

principalis inſtrumenti, & per ſe primò requiſiti ad rationem cibi & potus ſpiritualis, & minùs principaliter ratione ſpecierum conſecratarum; ita ut id quod in Euchariſtia ſanctificat & ſpiritualiter reficit animam, non ſit ſolùm Corpus & Sanguis Chriſti, ſed complexum ex corpore Chriſti, ſanguine ejus, & ſpeciebus conſecratis; quatenùs complexum hoc ſecundùm ſe totum ſignificat, adeòque & cauſat gratiam per modum refectionis ſpiritualis.

Reſponderi poteſt 2. conceſſo antecedente, negando conſeq. Dici itaque poteſt, quòd vis ſanctificandi & reficiendi animam reſideat in ſolo corpore & ſanguine Chriſti; cùm Chriſtus, Joan. cap. 6. non de ſpeciebus, ſed de carne & ſanguine ſuo dixerit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Unde ſpecies non reficiunt nec ſuſtentant animam, atque adeò non ſunt cauſa gratiæ ſanctificantis. Hoc tamen non impedit, quominùs ſint pars ſacramenti Euchariſtiæ, quatenùs ſignificant cibum & potum ſpiritualem, ſeu quatenùs ſignificant Corpus & Sanguinem Chriſti per modum cibi, & potus ſpiritualis; & ſignificando, cum corpore & ſanguine Chriſti faciunt unum totum per ſe ſenſibile una ſui parte, & altera quæ principalior eſt & excellentior, vim habens reficiendi & ſuſtentandi animam.

Dices. In baptiſmo v.g. vis ſanctificandi non conſiſtit in ſola formula verborum: *Ego te baptizo, &c.* ſed ſimul ac indiviſibiliter in formula illa, & ablutione. Ergo ſimiliter in Euchariſtia vis ſanctificandi non conſiſtit in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti, ſed ſimul ac indiviſibiliter in Corpore & Sanguine Chriſti cum ſpeciebus. *Reſp.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia in baptiſmo gratia regenerans per formam & materiam proximam ſimul ac indiviſibiliter ſignificatur ſecundùm inſtitutionem Chriſti, adeòque ſecundùm inſtitutionem Chriſti per utramque ſimul, ac indiviſibiliter cauſatur. At in Euchariſtia ſpecies non ſignificant ſpiritualem animæ refectionem, unde illam non efficiunt; non enim ſunt cibus & potus ſpiritualis; ſed tolùm utrumque ſignificant. *Breviter*, in Euchariſtia ſpecies ſignificant Corpus & Sanguinem Chriſti per modum cibi & potus ſpiritualis: corpus verò & ſanguis Chriſti per modum cibi & potus ſpiritualis ſignificata, ſignificant refectionem ſpiritualem, quæ proinde cauſatur à ſolo corpore & ſanguine Chriſti ſignificatis per modum cibi & potus ſpiritualis.

Dices iterùm. Imò in ſacramento Euchariſtiæ ſolæ ſpecies ſunt cauſa proxima & immediata gratiæ ſanctificantis. *Reſp.* neg. *Prob.* Chriſtus in hoc ſacramento non aliter cauſa eſt gratiæ, quàm in aliis ſacramentis. At in aliis ſacramentis non eſt proxima & immediata cauſa gratiæ, ſed tantùm remota & univerſalis. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Et dico Chriſtum in ſacramento Euchariſtiæ tripliciter concurrere ad productionem gratiæ animam ſpiritualiter reficientis: nam primò concurrit ut cauſa principalis phyſica, quod facit per ſuam divinitatem. Secundò, concurrit ut cauſa principalis meritoria, quod facit per opera à ſe ut homine Deo Patri ad hunc finem exhibita. 3. Denique concurrit ut cauſa inſtrumentalis proxima, quod facit per corpus & ſanguinem ſuum, ſignificata per ſpecies ad modum cibi & potus ſpiritualis. Duo primi modi omnibus ſacramentis communes ſunt, tertius proprius eſt Euchariſtiæ.

Responsio III.

Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in ſpeciebus cum corpore & ſanguine Chriſti, tanquam partibus intrinſecè conſtituentibus.

Prob. 1. Authoritate S. Iræneì lib. 4. adversùs hæreſes cap. 43. ubi loquens de ſacramento Euchariſtiæ ſic ait: *Jam* (poſt conſecrationem) *non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena* (nempe ſpecie panis,) *& cœleſti* (nempe Corpore Chriſti.) 2. Ex capite *Hoc eſt* jam citato, in quo dicitur: *Hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcil. Eccleſiæ* (quod eſt Euchariſtia) *duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Jeſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento, & re ſacramenti, ideſt, corpore Chriſti, ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur Deo & homine.* Unde ſic argumentor. Euchariſtia conſtituitur ex ſpeciebus panis & vini, & corpore & ſanguine Chriſti, ſicut perſona Chriſti conſtituitur ex Deo & homine. Atqui perſona Chriſti conſtituitur intrinſecè ex Deo & homine: nam Chriſtus eſt intrinſecè Deus & homo. Ergo pariter ſacramentum Euchariſtiæ conſtituitur intrinſecè, &c.

3. Hac ratione. Sacramentum Euchariſtiæ, ut probatum eſt, conſiſtit in re permanente. Ergo vel in ſolis ſpeciebus conſecratis, vel in ſolo Corpore & Sanguine Chriſti, vel in ſpeciebus conſecratis, & Corpore cum Sanguine Chriſti. Non primum, nec ſecundum, ut probatum eſt. Ergo ſupereſt ut Euchariſtiæ ſacramentum conſiſtere dicatur in complexo ex ſpeciebus conſecratis, & Corpore cum Sanguine Chriſti. Quod confirmatur: quia huic complexo, non verò ſpeciebus, aut Corpori & Sanguini Chriſti ſeorſim convenit eſſe ſignum ſenſibile animam ſanctificans & ſuſtentans per modum cibi & potus ſpiritualis; nam per ſpecies ſenſibile eſt, & per Corpus & Sanguinem Chriſti, animam ſanctificat & ſuſtentat, &c. Ergo in hoc complexo, non in ſpeciebus, aut Corpore & Sanguine Chriſti ſeorſim conſiſtit ſacramentum Euchariſtiæ.

Obj. 1. Corpus Chriſti (idem dic de Sanguine) eſt res ſacramenti. Ergo nec ſacramentum eſt, nec pars ſacramenti. 2. Euchariſtia dicitur ſacramentum Corporis Chriſti. Ergo non eſt ipſum Corpus Chriſti. 3. Tridentinum ſeſſione citata can. 1. dicit Corpus & Sanguinem Chriſti contineri in ſacramento Euchariſtiæ.

Reſp. ad 1. neg. conſeq. Nam Corpus Chriſti eſt res ſacramenti, & ſimul pars ſacramenti ſub diverſo reſpectu. Eſt res ſacramenti reſpectu ſpecierum, quia per eas ſignificatur ad modum cibi ſpiritualis. Eſt pars ſacramenti reſpectu gratiæ animam nutrientis & reficientis, quia illam ſignificat & operatur. *Reſp. ad* 2. Euchariſtiam dici intranſitivè ſacramentum Corporis Chriſti; & tunc perinde eſt ac ſi diceretur ſacramentum, quod eſt Corpus Chriſti. *Reſp. ad* 3. Corpus & Sanguinem contineri in ſacramento Euchariſtiæ tanquam partes in toto; ſicut verbi gratia, corpus hominis continetur in homine.

Dices. Si ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in Corpore & Sanguine Chriſti & ſpeciebus conſecratis, vel Corpus & Sanguis Chriſti ſe habent per modum materiæ, & ſpecies conſecratæ per modum formæ, aut contra, vel non. Reſpondent multi, Corpus & Sanguinem Chriſti cum ſpeciebus conſecratis ſe habere per modum materiæ, ſacramentalem verò ſignificationem per modum formæ. Sed quidni dicatur, Corpus & Sanguinem Chriſti ſe habere per modum materiæ, & ſpecies per modum formæ; quia ſpecies ſignificando Corpus & Sanguinem Chriſti, ut cibum & potum ſpiritualem, determinant illa ad ſignificandam gratiam ſacramentalem propriam hujus ſacramenti, ſeu ad ſignificandam gratiam, animæ nutritivam & ſuſtentativam?

Responsio IV.

Verba conſecratoria non ſunt de conſtitutivo intrinſeco ſacramenti Euchariſtiæ.

Prob. 1. Illud non eſt pars ſacramenti Euchariſtiæ, per quod fit. Atqui ſacramentum Euchariſtiæ fit per verba conſecrationis, quatenùs vi horum verborum, ſubſtantia panis & vini, remanentibus ſpeciebus, convertitur in Corpus & Sanguinem Chriſti. Ergo, &c. 2. Si verba conſecrationis eſſent pars intrinſeca ſacramenti Euchariſtiæ, ſacramentum hoc non conſiſteret adæquatè in re permanente, nam verba

conſe-

conſecrationis tranſeunt; nec totum haberetur poſt conſecrationem, nam poſt conſecrationem verba conſecrationis non exiſtunt ampliùs. Atqui ſacramentum hoc adæquatè conſiſtit in re permanente, & facta conſecratione totum habetur. Ergo, &c.

Obj. Concilium Florentinum in decr. §. *Quintò*, docet ſacramenta novæ Legis conſtare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Ergo ex Concilio Florentino, verba conſecrationis ſunt de intrinſeco conſtitutivo ſacramenti Euchariſtiæ. *Reſp.* neg. ant. Florentinum enim loco citato non docet ſacramenta novæ Legis conſtare rebus, &c. Sed, quod aliud eſt, docet perfici rebus, &c. quod verum eſt etiam de ſacramento Euchariſtiæ: nam perficitur ex pane & vino tanquam materia, & verbis conſecrationis tanquam forma, vi cujus, panis & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti convertuntur: at non ideò conſtat ex verbis, cùm tranſeant, ſicut nec conſtat ex ſubſtantia panis & vini, quia non remanet.

Dices. Idem Florentinum in eod. decr. §. *Tertium*, dicit verba conſecrationis: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, eſſe formam Euchariſtiæ, ſicut dixit §. *Primum*, hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* eſſe formam Baptiſmi. Ergo ſicut hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt de conſtitutivo intrinſeco Baptiſmi; ita verba conſecrationis ſunt de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Concilium non dicit, verba conſecrationis eſſe eodem modo formam Euchariſtiæ, quo hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt forma Baptiſmi.

Hæc autem verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt de conſtitutivo intrinſeco Baptiſmi, quia Baptiſmus conſiſtit in actione tranſeunte, & in omnibus ſacramentis, quæ in actione tranſeunte conſiſtunt, eadem eſt materia, & eadem forma, quibus perficiuntur & conſtituuntur. At verba conſecrationis non ſunt de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ, quia Euchariſtia in re permanente conſiſtit, adeòque materia & forma, quibus intrinſecè conſtituitur, neceſſariò aliæ ſunt à materia, nempe ſubſtantia panis & vini, & forma, nempe verbis conſecrationis, quibus perficiuntur; cùm ambæ tranſeant, adeòque rem permanentem conſtituere nequeant.

Præterea, Florentinum ſicut dicit verba conſecrationis eſſe formam Euchariſtiæ, ita ibidem ait, panem & vinum eſſe materiam illius. Nec tamen inde inferri poteſt, panem & vinum eſſe de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ; cùm fide certum ſit ſubſtantiam panis & vini non remanere, ſed converti in Corpus & Sanguinem Chriſti. Ergo nec de verbis conſecrationis id poteſt inferri: imò Concilium apertè ſignificat, verba conſecrationis nullatenùs eſſe de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ: nam ſic loquitur: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit ſacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.* En 1. Concilium dicit confici, non verò dicit conſtitui Euchariſtiam per verba conſecrationis; quo modo loquendi ſatis innuit verba conſecrationis eſſe formam non intrinſecam, ſed extrinſecam tantùm Euchariſtiæ. 2. Verba conſecrationis ait eatenùs eſſe formam Euchariſtiæ, quatenùs illorum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem ejus convertuntur; quod idem eſt ac dicere, verba conſecrationis eatenùs Euchariſtiæ formam eſſe, quatenùs ſunt cauſa efficiens inſtrumentalis proxima illius. Ex Florentino igitur ſufficientiſſimè habemus, verba conſecrationis ad conſtitutivum intrinſecum Euchariſtiæ nullo pacto pertinere.

Dices. Sacramentum Euchariſtiæ dicit eſſentialem ordinem ad verba conſecrationis. *Reſp.* diſt. Dicit eſſentialem ordinem ad verba conſecrationis, tanquam ad aliquid ipſius intrinſecè conſtitutivum, N. Tanquam ad cauſam ejus efficientem inſtrumentalem proximam, vel, ſi vis, tanquam ad inſtrumentum morale, quo Deus proximè determinatur ad efficiendam mirabilem illam panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti converſionem, C.

Dices. Illud eſt de eſſentia Euchariſtiæ, quod Chriſtus inſtituit ad ſignificandam ſpiritualem refectionem: nam Euchariſtia eſt ſacramentum, ad ſignificandam, & efficiendam ſpiritualem refectionem à Chriſto inſtitutum. Atqui Chriſtus verba conſecrationis inſtituit ad ſignificandam refectionem ſpiritualem: ad id enim illa inſtituit, ad quod illa ipſemet adhibuit. Atqui ipſe illa adhibuit ad ſignificandam refectionem ſpiritualem. Ergo, &c.

Reſp. Neg. min. *Ad prob.* neg. etiam min. Chriſtus itaque non ad ſignificandam ſpiritualem refectionem verba conſecrationis adhibuit, ſed ad præſentiam Corporis & Sanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini ſignificandam, & ſignificando efficiendam. Chriſtus igitur non inſtituit verba conſecrationis, ut eſſent ſignum refectionis ſpiritualis, ſed ut eſſent ſignum practicum præſentiæ Corporis & Sanguinis ejus ſub ſpeciebus panis & vini. Chriſtus igitur inſtituit verba conſecrationis, ut eſſent cauſa efficiens inſtrumentalis proxima moralis, non refectionis ſpiritualis, ſed ſacramenti, quod eſt ſignum practicum refectionis ſpiritualis, ſeu quod eſt cauſa efficiens inſtrumentalis proxima moralis, qua Deus utitur ad producendam in anima gratiam, qua ſpiritualiter nutritur & reficitur.

Aliud eſt de verbis, quibus perficiuntur alia ſacramenta, quæ conſiſtunt in actione tranſeunte: nam v. g. hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* à Chriſto inſtituta fuere, ut cum applicatione materiæ ſeu ablutione ſignificent, & ſignificando efficiant ſpiritualem regenerationem: unde ex vi inſtitutionis Chriſti verba hæc: *Ego te baptizo, &c.* & ablutio, faciunt unum ſignum practicum ſpiritualis regenerationis, quod eſt Baptiſmi ſacramentum; quare Baptiſmus his verbis: *Ego te baptizo, &c.* & ablutione perficitur, ſicut homo v. g. perficitur anima & corpore; & ſicut homo intrinſecè conſtituitur per corpus & animam, ita Baptiſmus intrinſecè conſtituitur per ablutionem, & hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* Quare hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* ſunt forma intrinſeca Baptiſmi, & vera illius pars; quod dici non poteſt de verbis conſecrationis reſpectu Euchariſtiæ: non enim Euchariſtia perficitur verbis conſecrationis, ſicut homo anima perficitur, ſed ſicut v. gr. ſcriptura perficitur calamo: unde verba conſecrationis non magis intrinſecè Euchariſtiam conſtituunt, quam calamus ſcripturam; atque ita non magis ſunt forma intrinſeca Euchariſtiæ, & vera illius pars, quàm calamus ſcripturæ.

Dices. Si verba conſecrationis non ſunt de conſtitutivo intrinſeco Euchariſtiæ, Euchariſtia non eſt ſignum per ſe ſenſibile ſpiritualis refectionis. Abſurdum conſeq. Ergo, &c. *Prob.* 1. Sequela maj. Nam Euchariſtia non eſt ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis, niſi per quandam habitudinem ad verba conſecrationis. *Prob.* 2. min. Quia omne ſacramentum eſſentialiter eſt ſignum per ſe ſenſibile gratiæ ſacramentalis, ad quam ſignificandam, & efficiendam à Chriſto inſtitutum eſt.

Reſp. Reipſa ſacramentum Euchariſtiæ non eſſe ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis ſine habitudine quadam ad verba conſecrationis priùs prolata, ſicut nec eſt ſine habitudine quadam ad panem & vinum vi verborum illorum in Corpus & Sanguinem Chriſti converſa. 1. Itaque Euchariſtia non eſt ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis ſine habitudine ad verba conſecrationis priùs prolata, quia ſpecies non poſſent ſignificare præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacramento, niſi ad hoc determinarentur per habitudinem quam habent ad verba illa: ſecluſo enim omni ad verba illa reſpectu, ſpecies conſecratæ non magis ſignificant præſentiam Chriſti, quàm non conſecratæ; & ſecluſo omni ad verba illa reſpectu, non poſſumus ſpecies conſecratas à non conſecratis diſtinguere; nec conſecrata à non conſecratis

diſtinguimus, niſi quantùm ſcimus ſuper unas, & non ſuper alias verba conſecrationis prolata fuiſſe.

2. Euchariſtia non eſt ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis ſine habitudine ad panem & vinum, ex quibus tranſeuntibus confecta eſt, quia ſpecies conſecratæ non poſſent ſignificare Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe in ſacramento per modum cibi & potus ſpiritualis, ſi non eſſent ſpecies panis & vini, quibus communiter veſcimur: unde ſi Deus Corpus & Sanguinem Chriſti poneret ſub ſpeciebus alicujus rei, nec comeſtibilis, nec potabilis, compoſitum hoc aut non eſſet verum ſacramentum, aut ſaltem ſacramentum eſſet alterius rationis, quàm Euchariſtiæ ſacramentum, quod Chriſtus inſtituit; quia non eſſet ſignum Corporis & Sanguinis Chriſti per modum cibi & potus ſpiritualis, & ita non eſſet ſignum ſpiritualis refectionis.

Hæc autem habitudo, quam ſpecies conſecratæ habent ad verba conſecrationis, & ſubſtantiam panis & vini, non eſt de conſtitutivo intrinſeco ſacramenti, nec magis eſt pars illius intrinſeca, quàm habitudo orationis ad humanam inſtitutionem, eſt intrinſeca pars orationis; quæ tamen, ut aliquid ſignificet, eſſentialiter dependet ab humana inſtitutione, & habitudine ad illam; nihil enim ſignificaret, ſi non eſſet ab hominibus inſtituta ad aliquid ſignificandum; unde nec poteſt aliquid ſignificare, iis, qui neſciunt ad quid ſignificandum ſit inſtituta. Sicut itaque inſtitutio humana, & habitudo ad illam, non ſunt de eſſentia orationis, ſed ſolùm aliquid ad eſſentiam orationis prærequiſitum; ita verba conſecrationis, & habitudo ad illa, ut jam pronuntiata, non ſunt de Euchariſtiæ eſſentia, ſed ſolùm aliquid ad eam prærequiſitum eſſentialiter.

Item ſicut oratio per ſe ſignificat id, quod ſignificat, quamvis in ſignificando eſſentialiter dependeat ab inſtitutione humana, ſibi extrinſeca, nec ſignificet ſine quadam habitudine ad illam; ita ſacramentum Euchariſtiæ per ſe ſenſibiliter ſignificat id, ad quod ſignificandum à Chriſto inſtitutum eſt, quamvis in eo ſignificando eſſentialiter dependeat à verbis conſecrationis, nec ſignificet ſine habitudine quadam ad illa ut prolata à Sacerdote ſuper panem & vinum cum intentione faciendi ſacramentum.

Porrò hæc habitudo, quam habent ſpecies conſecratæ ad verba conſecrationis, ut prolata à Sacerdote, &c. & ſine qua nec ſignificarent, nec poſſent ſignificare ſenſibiliter, Chriſtum ibi præſentem eſſe; in re nihil eſt, quàm denominatio extrinſeca conſecrati, quæ reſultavit in ſpecies ex prolatione verborum conſecrationis facta à Sacerdote, &c. & in hominum memoria remanet. Sub hac autem extrinſeca denominatione conſecrati, quandiu in hominum memoria remanet, velut facem præferente, ſpecies per ſe ſenſibiliter ſignificant præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ad modum cibi & potus ſpiritualis: Corpus verò & Sanguis Chriſti ſic ſenſibiliter ſignificata, ſenſibiliter ſignificant gratiam, qua ſpiritualiter anima reficitur.

Dices. Etiamſi verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, non maneant phyſicè, nihilominùs poſſunt eſſe pars intrinſeca Euchariſtiæ, quantumcumque ſupponatur in re permanente conſiſtere. Ergo, &c. Nego antecedens. *Prob.* Verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, ſic deſinunt eſſe phyſicè, ut moraliter permaneant. Atqui hæc moralis permanentia ſufficit ad hoc, ut poſſint eſſe pars intrinſeca rei permanentis. Ergo, &c.

Prob. maj. Nam poſtquam prolata ſunt, tam permanent moraliter in ordine ad conſtituendum ſacramentum permanens, quàm in matrimonio v. g. conſenſus unius partis, poſtquam phyſicè deſiit, moraliter permanet, niſi revocetur, in ordine ad conſtituendum ſacramentum matrimonii cum conſenſu alterius partis, quando ponetur.

Reſp. Nego majorem. Nam verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, nullam habent moralem permanentiam, qualem habet in matrimonio conſenſus unius partis, quandiu non revocatur: nam in matrimonio is qui conſentit, quandiu conſenſum ſuum non revocat directè, vel ſaltem indirectè, tandiu ex natura rei, & in æſtimatione prudenti, cenſetur conſentire; quod ſufficit ad hoc, ut accedente alterius conſenſu, cum eo conſtituat contractum matrimonialem, adeòque, & matrimonii ſacramentum in eorum ſententia, qui ſacramentum hoc in contractu matrimoniali conſtituunt; quo caſu ſacramentum matrimonii exiſtit, phyſicè quidem ſecundùm unam ſui partem, nempe ſecundùm conſenſum qui actu ponitur; & moraliter tantùm, ſeu in morali tantùm æſtimatione, ſecundùm aliam partem ſui, nempe ſecundùm conſenſum altàs poſitum, nec retractatum. At verba conſecrationis, poſtquam prolata ſunt, non poſſunt cenſeri deinceps continuò pronuntiari à Sacerdote, à quo prolata fuerunt: unde ſic poſt prolationem ſui ita phyſicè deſinunt, ut nullum eſſe habituale retineant, & ne quidem in morali æſtimatione perſeverent. Ex his patet Reſponſio ad probationem majoris.

Præterea, etiamſi verbis conſecrationis concederetur moralis quædam permanentia, poſtquam prolata ſunt, non idcircò apta eſſent ad eſſe partem intrinſecam rei propriè permanentis: res enim propriè permanens debet ſecundùm omnes partes, ex quibus intrinſecè conſtituitur, ſimul exiſtere phyſicè: unde res ſecundùm aliquas tantùm ſui partes exiſtens, quantumvis dicatur, etiam ſecundùm alias exiſtere in morali æſtimatione, non eſt res propriè, ac ſimpliciter permanens, ſed ſecundùm quid, & cum addito deſtruente propriam rationem rei permanentis. Euchariſtia autem eſt res propriè permanens, & tota propriè exiſtit, & habetur poſt conſecrationem, adeòque poſt conſecrationem ſecundùm omnes partes, ex quibus intrinſecè conſtituitur, ſimul exiſtit phyſicè. Nihil igitur, quod poſt conſecrationem nonniſi moraliter, vel habitualiter exiſtit, poteſt eſſe pars intrinſeca Euchariſtiæ.

At inques. Supponatur verba conſecrationis, quæ prolata deſinunt phyſicè, eſſe partem intrinſecam Euchariſtiæ, adhuc tamen Euchariſtia propriè dici poterit exiſtere, quandiu exiſtunt ſpecies conſecratæ: ſicut v. g. Baptiſmus propriè dicitur exiſtere, cùm exiſtit ultima ſyllaba formæ illius, quamvis reliqua omnia, ex quibus intrinſecè conſtituitur, deſierint eſſe. *Reſp.* Magnum eſſe diſcrimen inter Baptiſmum & Euchariſtiam: nam Baptiſmus eſt res ſucceſſiva; res autem ſucceſſiva, cùm nonniſi fluenter exiſtat, non poteſt ſecundùm omnes ſuas partes ſimul exiſtere; unde maximè dicitur exiſtere, quando ultima ejus pars exiſtit. At Euchariſtia eſt res permanens: res autem permanens poteſt ſimul eſſe phyſicè ſecundùm omnes partes ſuas: unde reverà non exiſtit, niſi cùm omnes ejus partes ſimul exiſtunt.

Reſponſio V.

Sumptio ſacramenti Euchariſtiæ nullatenùs pertinet ad intrinſecum illius complementum.

Prob. Nam 1. Sacramentum Euchariſtiæ per conſecrationem conficitur, ita ut facta conſecratione ſit perfectum & integrum Euchariſtiæ ſacramentum. Ergo nullatenus dici poteſt intrinſecè compleri per ſumptionem, quæ fit poſteà. 2. Sacramentum Euchariſtiæ integrè perficitur à ſolo ſacerdote: nam ſolus ſacerdos miniſter eſt hujus ſacramenti. Atqui ſi ſumptio ad intrinſecum ſacramenti hujus complementum pertineret, ſacramentum hoc non perficeretur integrè à ſolo ſacerdote: ſumptio enim fieri poteſt, & paſſim fit à fidelibus, qui non ſunt ſacerdotes. Ergo, &c. 3. Denique ſacramentum Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum eſt per modum cibi & potus ſpiritualis. Atqui ſumptio cibi vel potus non eſt illius complementum intrinſecum; præciſà enim ſumptione, exiſtit tota ratio cibi & potus. Ergo, &c.

Dices. Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur ad nutritionem animæ, & hæc nutritio ſine ſumptione haberi

non

non poteſt. Ergo ſumptio eſt intrinſecum Euchariſtiæ complementum. *R.* neg. conſeq. Nam ex antecedenta ſequitur tantùm, quod verum eſt, ſumptionem eſſe conditionem ſine qua haberi non poteſt effectua, ad quem operandum inſtituta eſt Euchariſtia. Sic ex eo quòd cibus corporalis ordinatur ad nutritionem corporalem, & hæc nutritio haberi non poteſt ſine ſumptione cibi corporalis, non ſequitur quòd ſumptio cibi corporalis intrinſecum illius complementum ſit, ſed tantùm quòd ſit conditio, ſine qua cibus corporalis effectum ſuum non haberet.

Ex dictis hactenùs collige ſacramentum Euchariſtiæ rectè definiri ſic: Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſpecies conſecratæ, Corpus & Sanguinem Chriſti continentes. Vel ſic: Sacramentum Euchariſtiæ eſt Corpus & Sanguis Chriſti, contenta ſub ſpeciebus conſecratis, Vel ſic: Sacramentum Euchariſtiæ eſt cibus ſpiritualis, conſtans ex Corpore & Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis. Vel denique, ut Articulo primo: Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis, ad ſpiritualem animarum refectionem à Chriſto permanenter inſtitutum,

ARTICULUS IV.

Utrùm Sacramentum Euchariſtia ſit unum, vel plura.

NOta. Euchariſtia poteſt conſiderari tripliciter, 1. Ut conſtituitur tantùm ex Corpore Chriſti, & ſpeciebus panis. 2. conſtituitur tantùm ex Sanguine Chriſti, & ſpeciebus vini. 3. Ut conſtituitur ex his omnibus. Item ſumi poteſt tribus modis. 1. Sub ſpecie panis tantùm, ut nunc ſumitur à laicis. 2. Sub ſpecie vini, ut aliquando ſumpta eſt ab infantibus. 3. Sub utraque ſpecie, ut ſemper ſumpta fuit & ſumitur à ſacerdotibus Miſſam celebrantibus. Quæritur ergo utrum Euchariſtiæ plura ſint ſacramenta, an unum tantùm?

Responsio I.

Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul ſumibilia, non ſunt plura ſacramenta, ſed unum tantùm.

Prob. Illa non ſunt plura, ſed unum tantùm ſacramentum, quæ ſimul & indiviſibiliter concurrunt ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem: nam v.g. in Baptiſmo ablutio, & verba, *Ego te baptizo*, *&c.* non ſunt plura, ſed unum tantùm ſacramentum, quia ſimul & indiviſibiliter concurrunt ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem, nempe ſpiritualem regenerationem. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul & ſine morali interruptione ſumibilia, ſimul & indiviſibiliter concurrunt ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem: nam ſimul & indiviſibiliter unam & eandem ſpiritualem animæ refectionem ſignificant ad modum cibi & potus ſpiritualia. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia Chriſtus Euchariſtiam inſtituit ad modum ſpiritualis convivii. Ergo quæ faciunt unum moraliter convivium ſpirituale, faciunt unum Euchariſtiæ ſacramentum, non plura. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſimul & ſine morali interruptione ſumibilia, faciunt unum moraliter convivium ſpirituale: ſicut cibus & potus corporalis faciunt unum moraliter convivium corporale. Ergo, &c.

Dices. Plures res ſenſibiles, in quibus ſingulis reperitur tota ratio ſpecifica ſacramenti, ſunt plura ſacramenta. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, quamvis ſumantur ſimul & ſine interruptione morali, ſunt plures res ſenſibiles, & ſingulis ineſt tota ratio ſpecifica ſacramenti Euchariſtiæ. 1. Sunt plures res ſenſibiles, ut per ſe manifeſtum eſt. 2. Singulis ineſt tota ratio ſpecifica Euchariſtiæ, quà ſacramentum eſt; utrumque enim, præciſo alio, eſt ſignum practicum & efficax ſpiritualis refectionis, in quo conſiſtit tota ratio ſpecifica Euchariſtiæ, quà ſacramentum eſt. Ergo, &c.

R. Plures res ſenſibiles, in quibus ſingulis eſt tota ratio ſpecifica ſacramenti, eſſe plura actualiter ſacramenta, ſi non coaleſcant moraliter in unum totum, quod ſignum ſit unius effectus ſacramentalis; vel, quod idem eſt, ſi non ſimul & indiviſibiliter concurrant ad ſignificandum unum & eundem effectum ſacramentalem. Quod ſi coaleſcant moraliter, &c. non ſunt ſacramenta plura actualiter, ſed potentialiter tantùm. Corpus autem Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, cùm ſumuntur ſimul & ſine morali interruptione, coaleſcunt moraliter in unum totum, nempe in unum convivium ſpirituale, quod eſt ſignum illius tantùm effectus ſacramentalis, quem ipſa ſeorſim ſignificant; vel, quod idem eſt, ſimul ac indiviſibiliter ſignificant effectum illum ſacramentalem, quem ſignificare poſſunt, & ſignificant ſingula, cum hoc tantum diſcrimine, quòd effectus ille à ſingulis minùs perfectè ſignificetur, quàm ab ambobus ſimul. Corpus igitur Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, non ſunt actualiter, ſed potentialiter tantùm plura numero ſacramenta.

Dices. Euchariſtia, etiam cùm ſumitur ſub utraque ſpecie, dicitur in plurali ſacramenta, ut probatur, 1. Ex quadam Collecta, in qua ait ſacerdos: *Purificent nos, Domine, ſacramenta quæ ſumpſimus.* 2. Ex capite *In ſacramentorum*, diſt. 2. de conſecratione, in quo dicitur: *In ſacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, &c.* *R.* 1. In Collecta citata Euchariſtiam vocari etiam in ſingulari numero ſacramentum: nam inferiùs hæc verba leguntur: *Hoc tuum ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam.* Et citata diſtinctione, cap. 5. in quo dicitur: *In ſacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua miſtum.* *R.* 2. Euchariſtiam, cùm ſumitur ſub utraque ſpecie, modò vocari ſacramentum, modò ſacramenta: quia tunc ſacramentum unum eſt actualiter, & duo potentialiter, vel, ut alii ajunt, materialiter.

Responsio II.

Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſeorſim ſumibilia, ſunt ſacramenta plura numero non ſpecie.

Prob. 1. Sunt plura numero ſacramenta: nam utrumque, etiam ut ſeorſim ſumibile, habet totam rationem eſſentialem Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt. Ergo utrumque, etiam ut ſeorſim ſumibile, eſt verum & integrum ſacramentum Euchariſtiæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam tota ratio eſſentialis Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt, conſiſtit in eo, quòd ſit ſignum practicum ſpiritualis refectionis. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, etiam ut ſeorſim ſumibile (idem dic de Sanguine Chriſti ſub ſpecie vini) eſt ſignum practicum refectionis ſpiritualis, & vim completam habet conferendi gratiam, quà ſpiritualiter anima reficitur. Ergo, &c.

2. Non ſunt plura ſpecie ſacramenta, ſeu, quod idem eſt, non ſunt ſacramenta ſpecificè diverſa; nam illa ſacramenta non ſunt ſpecificè diverſa, quæ ſunt ſignum practicum ejuſdem effectus ſacramentalis, quæque proinde eundem effectum ſacramentalem producunt: nam ſicut ſacramentum ut ſic, eſt ſignum practicum alicujus effectus ſacramentalis, ita ſacramentum ſpecificè diverſum eſt illud, quod eſt ſignum practicum effectus ſacramentalis ſpecificè diverſi. Atqui Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini, ut ſeorſim ſumibilia, ſunt ſignum practicum ejuſdem effectus ſacramentalis: ſunt enim ſignum practicum ejuſdem gratiæ animam ſpiritualiter reficientis. Ergo, &c.

Obj. Illa ſunt ſacramenta ſpecie diverſa, quorum diver-

diverſa eſt ſignificatio ſacramentalis. Atqui Corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificatio ſacramentalis diverſa eſt. Ergo, &c. *R.* diſt. maj. Illa ſunt ſacramenta ſpecie diverſa, quorum ſignificatio ſacramentalis diverſa eſt quoad rem ſignificatam, C. maj. Quorum ſignificatio diverſa eſt quoad modum ſignificandi, N. maj. & diſt. min. Corporis Chriſti, &c. ſacramentalis ſignificatio diverſa eſt quoad modum ſignificandi, C. min. Diverſa eſt quoad rem ſignificatam, N. min. & conſeq.

Itaque diverſitas ſpecifica ſacramentorum repeti debet, non à diverſo modo ſignificandi, ſed à diverſo effectu ſacramenti ſignificato: nam ſicut res ſacramentum eſt, non quia tali modo ſignificat, ſed quia ſignificat effectum aliquem ſacramentalem, quem ſignificando operatur; ita ſacramentum ſpecificè diverſum eſt, non quia ſignificat modo ſpecificè diverſo, ſed quia effectum ſacramentalem ſpecificè diverſum ſignificat & operatur. Hinc v. g. Baptiſmus per infuſionem vel aſperſionem collatus; non eſt ſacramentum ſpecificè diverſum à Baptiſmo collato per immerſionem: quia utrovis modo conferatur, ſemper ſignificat & operatur eundem effectum ſacramentalem, nempe ſpiritualem regenerationem. Quòd autem ſpiritualis illa regeneratio aliter per infuſionem, & aliter per immerſionem ſignificetur, materiale eſt & accidentarium Baptiſmo, ut eſt ſacramentum, quia Baptiſmi, ut ſacramentum eſt, tota ratio conſiſtit in eo, quod ſit ſignum practicum gratiæ; & ut tale ſacramentum eſt, tota ratio conſiſtit in eo quòd ſit ſignum practicum talis gratiæ, nempe gratiæ ſpiritualiter regenerantis. Similiter presbyteratus alio modo ſignificat, collatus ritu latino, & alio modo collatus ritu græco, & tamen utrovis modo fiat, ſemper eſt idem ſpecie ſacramentum, quia utrovis modo fiat, ſemper ſignificat & efficit eandem ſpecie gratiam ſacramentalem, & eundem ſpecie characterem.

Quamvis igitur Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini, non eodem, ſed diverſo modo ſignificent, nam primum ſignificat per modum cibi ſpiritualis, & alter per modum ſpiritualis potus; non ſunt tamen ſacramenta ſpecificè diverſa, cùm eundem ſpecificè effectum ſacramentalem ſignificent, nempe eandem ſpecificè refectionem animæ ſpiritualem, adeòque ſunt tantùm numero diverſa ſacramenta, ſub eadem ſacramenti ſpecie contenta.

Inſtabis. Atqui Corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificatio ſacramentalis diverſa eſt, etiam quoad rem ſignificata. Ergo ſunt diverſa ſpecie ſacramenta. Nego ant. *Probabis*. Corpus Chriſti ſub ſpecie panis ſignificat tantùm refectionem, quæ fit per cibum ſpiritualem, & Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificat tantùm refectionem quæ fit per ſpiritualem potum. Atqui refectio facta per cibum ſpiritualem, ſpecificè diverſa eſt ab ea quæ fit per ſpiritualem potum. Ergo, &c. *R.* neg. min. dico in Euchariſtia refectionem quæ fit per cibum ſpiritualem, non eſſe niſi numero diverſam ab ea quæ fit per ſpiritualem potum, *Probabis* tamen min. neg. Cibus corporalis aliter reficit corpus, quàm potus corporalis. Ergo ſimiliter in Euchariſtiâ cibus ſpiritualis aliter reficit animam, quàm ſpiritualis potus. *R.* neg. conſeq. Nam ſubſtantia cibi corporalis longè diverſa eſt à ſubſtantia potus corporalis: unde neceſſe eſt, alium eſſe effectum cibi corporalis, & alium corporalis potus. At in Euchariſtia cibus ſpiritualis, & ſpiritualis potus ſunt una & eadem res, quamvis diverſimodè ſignificata, nempe Chriſtus ipſe, qui ſub utraque ſpecie eamdem vim habet animam ſpiritualiter reficiendi, & eodem modo reficit, & ſub una ſpecie per modum cibi tantùm, & ſub altera tantùm per modum potus.

At inquies. Sicut cibus corporalis explet famem corporalem, ita in Euchariſtia cibus ſpiritualis explet famem ſpiritualem. Item ſicut potus corporalis extinguit ſitim corporalem, ita in Euchariſtia potus ſpiritualis extinguit ſitim ſpiritualem. Atqui explere famem ſpiritualem, & ſpiritualem ſitim extinguere, ſunt effectus diverſi: ſicut famem corporalem explere, & extinguere ſitim corporalem, ſunt diverſi effectus. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam in corporalibus quidem fames & ſitis ſunt diverſæ affectiones corporis: unde aliud eſt explere famem corporalem, & aliud extinguere ſitim corporalem: at in ſpiritualibus fames & ſitis ſunt unum & idem, ut docet S. Auguſt. tract. 25. in Joannem, ubi ad hæc capitis 6. verba, *Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet unquam;* ſic ait: *Quod dixit, Non eſuriet, hoc intelligendum eſt, Et non ſitiet unquam. Utroque enim illa ſignificatur æterna ſatietas, ubi nulla eſt egeſtas*. Quibus verbis docet, famem & ſitim ſpiritualem, adeòque famem ſpiritualem expleri, & extingui ſpiritualem ſitim, unum & idem eſſe. Itaque in Euchariſtia cùm Corpus Chriſti ſub ſpecie panis explet famem ſpiritualem, ſitim ſpiritualem extinguit; & cùm Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini extinguit ſitim ſpiritualem, famem ſpiritualem explet. Ergo idem utriuſque ſacramenenталis effectus eſt.

At inquies. Euchariſtia ſub ſpecie panis ſignificat & efficit gratiam, quâ anima ſpiritualiter confortatur tantùm; & ſub ſpecie vini ſignificat & efficit gratiam quâ anima exhilaratur tantùm. Ergo, &c. *R.* neg. ant, & dico Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, etiam ut ſeorſim ſumibili, eſſe convivium ſpirituale integrum, adeòque gratiam ſacramentalem, quam ſub ſpecie panis ſignificat & efficit, eſſe tam ſpiritualiter exhilarativam, quàm confortativam; & gratiam ſacramentalem quam ſignificat & efficit ſub ſpecie vini, tam eſſe ſpiritualiter confortativam, quàm exhilarativam.

Dices. Materia & forma, quibus perficitur Euchariſtia ſub ſpecie panis, ſunt diverſæ à materia & forma, quibus perficitur Euchariſtia ſub ſpecie vini. *R.* Inde ſequi tantùm extrinſecam, non verò intrinſecam diverſitatem inter Euchariſtiam ſub ſpecie panis, & Euchariſtiam ſub ſpecie vini.

Dices. Euchariſtia ſub ſpecie panis ſignificat tantùm præſentiam Corporis Chriſti; & Euchariſtia ſub ſpecie vini, ſignificat tantùm præſentiam Sanguinis Chriſti. Ergo diverſa eſt utriuſque ſignificatio, etiam ex parte rei ſignificatæ. *R.* diſt. conſeq. Diverſa eſt utriuſque etiam ex parte rei ſignificatæ ſignificatio ſpeculativa, C. conſeq. Significatio practica, N. conſeq. Itaque Euchariſtia ſub ſpecie panis duas habet ſignificationes, unam ſpeculativam, qua ſignificat præſentiam Corpori Chriſti, & alteram practicam, qua ſignificat ſpiritualem animæ refectionem, & ſignificando efficit in ſubjecto diſpoſito. Similiter Euchariſtia ſub ſpecie vini duas habet ſignificationes, unam ſpeculativam, qua ſignificat præſentiam Sanguinis Chriſti, & alteram practicam, qua ſignificat, & ſignificando efficit ſpiritualem animæ refectionem, eandem cum refectione ſpirituali, quam ſignificat ſub ſpecie panis. Igitur Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, & Euchariſtiæ ſub ſpecie vini diverſa quidem eſt etiam ex parte rei ſignificatæ ſignificatio ſpeculativa, ſed hæc diverſitas eſt tantùm materialis, & ex ea tantùm ſequitur, quòd Euchariſtia ſub ſpecie panis ſit ſacramentum materialiter diverſum ab Euchariſtia ſub ſpecie vini, quod non obſtat quominùs Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſit ſacramentum ejuſdem ſpeciei: ſpecies enim ſacramenti conſiſtit in ſignificatione practica, adeòque ubi eſt eadem ſignificatio practica vel, quod idem eſt, ubi eſt ſignificatio practica ejuſdem effectus ſacramentalis, ibi eadem eſt ſacramenti ſpecies.

Dices denique. Saltem Euchariſtia ſub utraque ſpecie diverſum eſt ſacramentum ab Euchariſtia ſub una tantùm ſpecie, putà ſub ſpecie panis: nam Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſacramentalem ſignificationem diverſam habet ab ea quam habet ſub ſpecie panis tan-

tum.

tùm. *R.* Euchariſtiam ſub utraque ſpecie diverſam habere ſignificationem ſacramentalem ex parte modi ſignificandi, non verò ex parte rei ſignificatæ, adeòque diverſum eſſe ſacramentum non formaliter, ſed materialiter tantùm.

Porrò Euchariſtia ſub utraque ſpecie, ſignificationem babet diverſam ex parte modi ſignificandi, quia refectionem animæ ſignificat per modum cibi & potus ſimul, & ſub ſpecie panis, ſignificat tantùm per modum cibi. At ſub utraque ſpecie ſignificationem diverſam non babet ex parte rei ſignificatæ; tam enim ſignificat integram animæ refectionem ſub ſpecie panis, quàm ſub utraque ſpecie panis & vini; cum boc tantùm diſcrimine, quòd ſub utraque ſpecie panis & vini refectionem illam perfectiùs ſignificet, quàm ſub ſpecie panis tantùm, quia ſub ſpecie panis tantùm confusè & implicitè, & ſub utraque ſpecie diſtinctè & explicitè ſignificat refectionem integram.

At inquies. Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſignificat integram refectionem, & ſub una tantùm ſpecie, putà ſub ſpecie panis, ſignificat partialem tantùm. Ergo ſub utraque ſpecie ſignificationem ſacramentalem diverſam habet, etiam ex parte rei ſignificatæ, adeòque ſub utraque ſpecie ſacramentum diverſum eſt, etiam formaliter, & non materialiter tantùm. *R.* neg. ant. quoad ſecundam partem. Nam Euchariſtia ſub ſpecie panis v.g. ſpiritualem animæ refectionem ſignificat ad modum cibi ſpiritualis. Ergo ſignificat ad modum integri convivii ſpiritualis: nam cibus ſpiritualis eſt integrum convivium ſpirituale. Ergo Euchariſtia ſub ſpecie panis ſignificat integram animæ refectionem: nam integra animæ refectio neceſſariò ſignificatur per integrum convivium ſpirituale, ut per ſe manifeſtum eſt.

At inquies. Si Euchariſtia ſub ſpecie panis v.g. ſignificat integram animæ refectionem, nullum eſt diſcrimen inter Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, & Euchariſtiam ſub una ſpecie tantùm. *R.* nullum eſſe diſcrimen quantùm ad efficaciam: quantùm verò ad ſignificationem, diſcrimen eſt in eo, quòd per Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, perfectiùs quàm ſub una ſpecie tantùm, idem effectus ſacramentalis ſignificetur, quia integra animæ refectio per Euchariſtiam ſub utraque ſpecie diſtinctè & explicitè, & per Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie confusè tantùm & implicitè ſignificatur. Hinc D. Bonav. in 4. diſt. 11. p. a. a. 1. q. 2. dicit ſpecies panis & vini non quoad efficaciam, ſed ſolùm quoad ſignificantiam eſſe de integritate ſacramenti Euchariſtiæ; & fideles perfectum ſacramentum ſub una ſpecie recipere quantùm ad efficaciam, licèt non quantùm ad ſignificantiam. Euchariſtia igitur ſub utraque ſpecie ab Euchariſtia ſub una ſpecie tantùm non eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter differt, etiam in ratione talis ſacramenti, quia in Euchariſtia utrovis modo ſumpta, eadem eſt & tota ratio conſtitutiva ſacramenti Euchariſtiæ, nempe ſignificatio practica integræ refectionis animæ.

Responsio III.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt unum ſpecie infima.

Prob. Sacramentum illud unum eſt ſpecie infima, quod dividi non poteſt in alia ſacramenta ſpecie diverſa. Atqui ſacramentum Euchariſtiæ non poteſt dividi in alia ſacramenta diverſa ſpecie, ut manifeſtum eſt ex dictis hactenùs. Ergo, &c. Hoc itaque inter ſacramentum Euchariſtiæ, & ſacramentum Ordinis diſcrimen intereſt, quòd ſacramentum Ordinis ſub ſe contineat ſacramenta alia, non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie diverſa, nempe Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum: ſacramentum verò Euchariſtiæ non ſub ſe contineat alia ſacramenta diverſa ſpecificè, ſed ſolùm dividatur in plura numero tantùm diſtincta cum materiali diverſitate.

Quæres, Utrùm plures hoſtiæ ſint plura numero ſacramenta?

R. Plures hoſtias, ut ſeorſim ſumibiles, eſſe plura numero ſacramenta. Ratio eſt, quia ut ſeorſim ſumibiles, ſunt plura numero convivia, & ſingulæ completam habent ſignificationem ſacramentalem; ſeu, quod idem eſt, ſingulæ ſunt ſignum practicum integræ refectionis animæ: at ut ſumibiles ſimul faciunt unicum numero ſacramentum, quia ſunt unum moraliter convivium, & faciunt unicum ſignum practicum refectionis ſpiritualis.

ARTICULUS V.

Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit medium neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantem.

Responsio II.

EUchariſtia non eſt medium neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantem.

Prob. Illud enim ſacramentum non eſt medium neceſſarium ad primam gratiam, qua peccator juſtificatur, obtinendam, quod non fuit per ſe primò inſtitutum ad remiſſionem mortalium. Atqui Euchariſtia non fuit per ſe primò inſtituta ad remiſſionem mortalium. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ſi Euchariſtia fuit per ſe primò inſtituta ad remiſſionem mortalium; vel ad remiſſionem peccati originalis, & aliorum actualium, quæ committuntur ante baptiſmum, vel ad remiſſionem actualium, à baptizatis admiſſorum. Neutrum dici poteſt. Non primum; quia ad remiſſionem peccati originalis, & aliorum actualium, quæ committuntur ante baptiſmum, per ſe primò inſtitutum fuit ſacramentum Baptiſmi. Non etiam ſecundum; quia ad remiſſionem actualium à baptizatis admiſſorum, per ſe primò inſtitutum fuit Pœnitentiæ ſacramentum. Ad neutrum igitur illorum effectuum per ſe primò inſtituta eſt Euchariſtia: duo enim ſacramenta ſpecie diverſa, non fuerunt per ſe primò inſtituta ad eumdem finem; & ſingula ſacramenta, ſpecificè diverſa, diverſum babent finem ſibi proprium, ad quem per ſe primò à Chriſto ordinata ſunt.

Confirmatur. Quia ſacramentum Euchariſtiæ per ſe primò inſtitutum eſt ut cibus & potus ſpiritualis. Ergo per ſe primò ſupponit vitam ſpiritualem. Nam ſicut cibus corporalis vitam corporalem, ita ſpiritualis ſpiritualem ſupponit. Et verò cibus per ſe ordinatur, non ad dandam vitam, ſed ad eam conſervandam. Ergo ſacramentum Euchariſtiæ per ſe primò ſupponit primam gratiam juſtificantem, in qua conſiſtit vita ſpiritualis; adeòque non eſt medium neceſſarium ad primam gratiam juſtificantem: nihil enim medium eſſe poteſt neceſſarium ad habendum id quod per ſe primò ſupponit jam habitum.

Quòd autem ſacramentum Euchariſtiæ per ſe primò inſtitutum fuerit ut cibus & potus ſpiritualis, probatur, 1. Ex verbis Chriſti Joan. cap. 6. ubi ait: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* 2. Ex Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Salvator noſter) *ſacramentum hoc*, inquit, *tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Hinc nemo dignè Euchariſtiam percipere poteſt niſi ſit in ſtatu gratiæ, ut admonet Trident. eadem ſeſſ. cap. 7. & probat ex verbis Apoſtoli 1. ad Cor. cap. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c.* Unde ſic adhuc breviter argumentor. Illud ſacramentum non eſt per ſe primò inſtitutum ad primam juſtificationem, adeòque ad eam obtinendam neceſſarium non eſt, quod, ut dignè ſuſcipiatur, in ſuſcipiente ſtatum gratiæ præerequirit. Atqui Euchariſtia ut dignè ſuſcipiatur, præerequiritur in ſuſcipiente ſtatus gratiæ. Ergo, &c. Minor eſt de fide, major verò facilè probatur: nam quod per ſe primò inſtitutum eſt ad primam juſtificationem, dignè adhiberi poteſt ad illam obtinendam, adeòque dignè adhiberi poteſt ab homine peccatore, id eſt, nondùm exiſtente in ſtatu gratiæ, ut patet ex Baptiſmo, & ſacramento Pœnitentiæ.

Obj.

Obj. Votum Euchariſtiæ neceſſarium eſt ad primam juſtificationem. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam nemo per Baptiſmum aut Pœnitentiam conſequi poteſt primam gratiam, niſi votum habeat recipiendi ſuo tempore Euchariſtiam, ut diſertè docet S. Thomas hîc quæſt. 79. art. 1. ad 1. ubi ait: *Hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem hujus ſacramenti, vel niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum, ut adulti; vel voto Eccleſiæ, ſicut parvuli.*

R. Duplex hîc diſtinguendum eſſe votum, nempe votum propriè ac ſtrictè ſumptum, quale eſt votum rei neceſſariæ neceſſitate medii; & votum latè ſumptum ac generale, quale eſt votum rei cujuslibet neceſſariæ neceſſitate præcepti tantùm. Cùm autem loco citato S. Thomas dicit neminem conſequi gratiam ante realem Euchariſtiæ ſuſceptionem ſine aliquo ipſius voto, non intelligit votum ſtrictè ſumptum, ſed votum generale, & Euchariſtiæ, cum rebus aliis omnibus quæ ratione præcepti neceſſariæ ſunt, commune; quod votum habetur, hoc ipſo quòd habetur propoſitum efficax ſervandi omnia præcepta legis chriſtianæ.

Itaque ad objectionem *R.* diſt. ant. Votum Euchariſtiæ ad primam juſtificationem neceſſarium eſt parvulis, Neg. ant. parvuli enim omnis voti incapaces ſunt & tamen primam juſtificationem conſequi poſſunt, & conſequuntur per baptiſmi ſuſceptionem. Votum Euchariſtiæ ad primam juſtificationem neceſſarium eſt adultis, ſubdiſt. Votum ſtrictè ſumptum, quale requiritur in cathecumenis, ut ante ſuſceptionem Baptiſmi, & in baptizatis, ut ante ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ juſtificentur. N. iterùm ant. Votum latè ſumptum, quod includitur in propoſito ſervandi præcepta omnia, C. ant. & neg. conſeq.

Obj. iterùm. Euchariſtia eſt cauſa univerſalis concurrens ad effectus omnium ſacramentorum. Ergo ſacramenta per ſe primò ad primam juſtificationem inſtituta, nempe Baptiſmus & ſacramentum Pœnitentiæ, nihil efficiunt ſine concurſu Euchariſtiæ. *Prob.* ant. nam Chriſtus eſt cauſa univerſalis, concurrens cum omnibus ſacramentis, & vim illis tribuens gratiam conferendi. At Chriſtus realiter eſt in Euchariſtia. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Euchariſtia enim eſt tantùm cauſa particularis. *Ad prob. R.* Chriſtum ſecundùm ſe eſſe cauſam univerſalem meritoriam cum omnibus ſacramentis concurrentem, & illis per merita ſua vim tribuentem conferendi gratiam: at prout eſt in Euchariſtia, ſeu prout eſt ſub ſpeciebus panis & vini, illum per modum cibi & potus ſpiritualis ſignificantibus, eſt tantùm cauſa particularis inſtrumentalis proxima moralis gratiæ ſpiritualiter animam reficientis. Nullatenùs ergo Euchariſtia concurrit ad effectus aliorum ſacramentorum, & independenter ab ea Baptiſmus & Pœnitentia conferunt primam gratiam juſtificantem, ad quam conferendam per ſe primò inſtituta fuerunt.

ARTICULUS VI.

Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ neceſſarium ſit neceſſitate medii ad ſalutem pro parvulis ante adultam ætatem morientibus.

RESPONSIO.

EUchariſtia neceſſaria non eſt neceſſitate medii pro parvulis.

Prob. 1. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. ubi ait: *Eadem ſancta Synodus docet, parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſi quidem per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt; neque ideò tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.* Et can. 4. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem: anathema ſit.*

Ex Trid. igitur tanquam fide certum habemus, Euchariſtiam in re parvulis ante adultam ætatem morientibus non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium: ſed nec dici poteſt illis eſſe neceſſariam ſaltem in voto. Nam 1. quod non eſt medium in re neceſſarium pro eo caſu, quo haberi poteſt, nunquam neceſſarium eſt in voto. 2. Parvuli ante uſum rationis incapaces ſunt omnis voti Euchariſtiæ: at profectò Euchariſtia neceſſaria eſſe non poteſt in voto pro illis, qui votum illius habere non poſſunt.

Prob. 2. Ratione. Quia ſi Euchariſtia eſt medium ad ſalutem neceſſarium pro parvulis ante adultam ætatem morientibus, certè vel quia juſtificari non poſſunt ſine Euchariſtia, vel quia in accepta per baptiſmum juſtificationis gratia, ſine Euchariſtia perſeverare non poſſunt. Neutrum dici poteſt. Non primum: nam ad juſtificationem ſufficit illis baptiſmus; ut enim dicit Trid. per baptiſmum ſpiritualiter regenerantur, ſicut & incorporantur Chriſto. Non etiam ſecundum: nam, ut ait idem Concilium, in illa ætate acceptam juſtificationis gratiam amittere non poſſunt; in illa enim ætate peccare non poſſunt mortaliter; & nemo acceptam juſtificationis gratiam, niſi per mortale aliquod, amittere poteſt. Ergo parvuli ante adultam ætatem indigere non poſſunt Euchariſtia ad perſeverandum in accepta juſtificationis gratia, & morientes ante adultam ætatem, neceſſariò decedunt in ſtatu gratiæ, etiamſi antea Euchariſtiam non perceperint, adeòque ſalvantur ſine perceptione Euchariſtiæ.

Doctrinam hanc tradit S. Auguſtinus pluribus locis. Nam 1. epiſt. 23. ad Boniſacium Epiſcopum, ſic ait ſub finem: *Tantùm valebit* (baptiſmus parvulo, etiamſi proprio actu credere non poſſit) *ut ſi ante rationis uſum ex hac vita emigraverit, per ipſum ſacramentum, commendante Eccleſiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, chriſtiano adjutorio liberetur* (adeòque ſalvetur.) *Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt, etſi habeat fidei ſacramentum* (proindeque res eſt fide certa.) Et lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20. *Si percepto baptiſmate de hac vita emigraverit* (parvulus) *ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternum juſtificatos præſentia Creatoris illuminat.*

Obj. 1. Euchariſtiæ ſumptio tam neceſſaria eſt parvulis, quàm Baptiſmus. Sed Baptiſmus eis neceſſarius eſt neceſſitate medii ad ſalutem, extra caſum martyrii. Ergo, &c. Nego maj. *Probabis.* Illud Joan. c. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* tam pertinet ad parvulos, quàm iſtud Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei;* quibus verbis ſignificatur Baptiſmum eſſe medium ad ſalutem neceſſarium. Ergo, &c.

R. neg. ant. Nam ut rectè differit Ægidius Coninck lib. de ſacramentis qu. 73. art. 3. dubio unico, n. 49. utrumque Chriſti dictum non eſt æquè generale: nam quando ſignificatur neceſſitas Baptiſmi per hæc verba, *Niſi quis, &c.* verba non diriguntur ad certas aliquas perſonas, nec aliquis actus præcipitur: unde illud, *Niſi quis, &c.* pertinet abſolutè ad omnes omninò homines, qui fuerint tempore legis gratiæ. At quando ſignificatur neceſſitas communionis per verba iſta, *Niſi manducaveritis, &c.* verba certum actum præcipiunt, & ad audientes ac intelligentes diriguntur. Unde manifeſtè colligitur, illud,

Niſi

Niſi manducaveritis, *&c.* ad eos tantùm ſpectare, qui poſſunt audire & intelligere, & actum præceptum humano modo agere, quales non ſunt parvuli, cùm uſum rationis non habeant. Falſum igitur eſt, quòd Euchariſtia ſit parvulis eodem modo ad ſalutem neceſſaria, quo Baptiſmus.

Prætereà, ut idem Author ibidem ait, Baptiſmus ad ſpiritualem regenerationem inſtitutus eſt, & ad eam neceſſarius, juxta illud, *Niſi quis*, *&c.* Ergo juxta illud, *Niſi quis*, *&c.* Baptiſmus eſt medium ad ſalutem neceſſarium illis omnibus, quibus ad ſalutem neceſſaria eſt regeneratio ſpiritualis. Atqui non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis regeneratio ſpiritualis ad ſalutem neceſſaria eſt. Ergo juxta illud, *Niſi quis*, *&c.* non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis Baptiſmus neceſſarius eſt ad ſalutem, adeòque illud, *Niſi quis*, tam ſpectat ad parvulos, quàm ad adultos. At Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi ad refectionem ſpiritualem. Ergo illis tantùm neceſſaria eſſe poteſt, qui refectione ſpirituali indigent. Atqui parvuli non indigent refectione ſpirituali. Ergo Euchariſtia parvulis neceſſaria eſſe non poteſt; adeòque hæc verba, *Niſi manducaveritis*, *&c.* quibus Euchariſtiæ neceſſitas exprimitur, ad parvulos nequaquam ſpectare poſſunt.

Dices. Hæc doctrina repugnat S. Auguſtino, qui lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20. docet & probat, hæc verba, *Niſi manducaveritis*, *&c.* ad parvulos tam pertinere, quàm iſta, *Niſi quis renatus fuerit*, *&c. Dominum audiamus*, inquit, *non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quò nemo ritè niſi baptizatus accedit: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quærimus .... An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit, quòd ad parvulos hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione Corporis hujus & Sanguinis in ſe habere vitam: quia non ait, Qui non manducaveritis, ſicut de baptiſmo, Qui non renatus fuerit; ſed ait: Si non manducaveritis, velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli; Sed qui hoc dicit, non attendit, quia niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine Corpore & Sanguine Filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra etiam ætas major id curat.*

R. S. Doctorem hìc nobis ſpecie tenùs contrarium eſſe. Cùm enim dicit hæc verba, *Niſi manducaveritis*, *&c.* tam pertinere ad parvulos, quàm iſta, *Niſi quis renatus fuerit*, *&c.* non vult utramque ſententiam ad parvulos pertinere in eodem ſenſu, ſed in diverſo tantùm: ita ut poſterior ad eos pertineat in ſenſu litterali, prior verò in ſenſu tantùm myſtico: nos verò ſupponentes cum objectione, ſententiam utramque ſumi in eodem ſenſu, nempe in ſenſu litterali, poſteriorem tantùm, non priorem, ad parvulos ſpectare contendimus, & quidem omninò ad mentem S. Doctoris, qui pluribus locis expreſsè docet parvulos ſine reali ſumptione Euchariſtiæ, cum ſolo Baptiſmo ſalvari, ſi ante adultam ætatem moriantur. Sed

Obj. 2. Patres disertè affirmant, ſumptionem Euchariſtiæ parvulis neceſſariam eſſe ad ſalutem. Nam 1. Innocentius I. epiſt. 93. inter Aug. epiſt. ad Patres Concilii Milevitani reſcribens contra Pelagianos, ſic ait: *Illud verò quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æterna vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt: niſi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis;* quæ verba referens S. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum cap. 4. ſic urget adverſarium: *Sancto Innocentio vide quid reſpondeas .... qui parvulos definivit, niſi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Huic reſponde, imò ipſi Domino, cujus ille Antiſtes uſus eſt teſtimonio.*

2. Idem Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 24. ſic loquitur: *Optime Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem; & ſacramentum Corporis Chriſti, nihil aliud quàm vitam vocant. Unde niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & Apoſtolica Traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum & participationem dominicæ menſæ, non ſolùm non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire .... Si ergo ut tot & tanta divina teſtimonia concinunt, nec ſalus, nec vita æterna ſine baptiſmo, & Corpore & Sanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, fruſtra ſine his promittitur parvulis.* Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 22. loquens de parvulis, hæc habet: *Nec illud cogitatis, eos vitam habere non poſſe, qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Chriſti, dicente ipſo: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Ad ſolutionem,

Nota 1. Pro certo ſtatuendum eſt, non eſſe mentem Auguſtini, nec proinde Innocentii, cujus & Auguſtini una fuit ſententia, affirmare realem Euchariſtiæ ſumptionem ita neceſſariam eſſe parvulis ad ſalutem, ut ſine illa cum Baptiſmo ſalvari non poſſint: ipſe enim non uno loco contrarium docet ex profeſſo, ut jam oſtenſum eſt.

Nota 2. Indubitatum tamen eſt, Auguſtinum & cum eo Innocentium exiſtimaſſe hanc Chriſti ſententiam, *Niſi manducaveritis*, *&c.* non ſolùm ad adultos ratione utentes, ſed etiam ad parvulos aliquo modo pertinere, proindeque exiſtimaſſe aliquem Euchariſtiæ manducationem parvulis ad ſalutem neceſſariam eſſe, non tamen realem ac phyſicam, ut patet ex primo notabili. Quam igitur? Ad hoc,

Nota 3. Præter realem ac phyſicam Euchariſtiæ manducationem, aliam agnovit Auguſtinus, myſticam ſcilicet, ſeu ſpiritualem, quam in eo conſtituit, ut quis fiat membrum Eccleſiæ, Chriſto incorporetur, ejuſque gratia vivificetur, ut probatur ex tractatu 26. in Joann. ubi hæc verba, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*, interpretans, ſic ait: *Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis*, *&c.* Et inferiùs: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere; ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubiò nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti.*

Nota 4. Myſticam hanc Euchariſtiæ manducationem fieri in baptiſmo, & ad ſalutem ſufficere poſſe, expreſsè docet Auguſtinus, tam pro adultis, quàm pro parvulis, in ſerm. de Corp. & Sang. Domini, apud Bedam in comment. cap. 10. 1. Cor. ubi hæc Auguſtini verba referuntur: *Nulli eſt aliquatenùs ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis Sanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum Chriſti efficitur; nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipſe hoc, quod illud ſacramentum ſignificat, invenit. Ex his*

Nota 5. In doctrina S. Auguſtini duplex diſtingui poteſt Euchariſtiæ ſumptio; una realis & phyſica, & altera ſpiritualis tantùm & myſtica. Prima adultis neceſſaria eſt ſaltem neceſſitate præcepti: ſecunda non ſolùm adultis, ſed etiam parvulis neceſſaria eſt neceſſitate medii. Ita poſt S. Auguſtinum docet S. Thomas hìc qu. 80. art. 11. in O. ubi ait: *Duplex eſt modus percipiendi hoc ſacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis. Manifeſtum eſt autem, quòd omnes* (tam parvuli quàm adulti) *tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare; quia hoc eſt Chriſto incorporari.* Hinc verba hæc, *Niſi manducaveritis carnem*, *&c.* poſſunt dupliciter intelligi. Primò, de reali & phyſica manducatione, & ſecundùm hanc acceptionem, ſpectant

ad

ad ſolos adultos, & ſaltem præcepti neceſſitatem ſignificant. Secundò, de ſpirituali tantùm & myſtica manducatione, & ſecundùm hanc acceptationem pertinent etiam ad parvulos, ſignificantque neceſſitatem medii. Sed hæc nobis non adverſantur: nun enim hìc agitur de myſtica manducatione Euchariſtiæ, ſed de reali & phyſica, de qua quæritur, utrùm parvulis neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem. Neceſſariam autem ſic eſſe parvulis negamus, & nobiſcum negat Auguſtinus. Sed

Quæres, Quare Innocentius & Auguſtinus contra Pelagianos ad myſticam illam Euchariſtiæ manducationem recurrant?

R. Illis recurrendi occaſionem fuiſſe quandam hæreticorum illorum evaſionem: Nam cùm Pelagianos aſſerentes, parvulos abſque Baptiſmo ſalvari poſſe urgerent verbis illis Chriſti Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Pelagiani, ut vim hujus ſententiæ eluderent, reſpondebant, non vitam æternam, ſed regnum Dei tantùm negari non baptizatis. Hoc autem vanum hæreticorum effugium ut occluderent Innocentius & Auguſtinus, recurrerunt ad hanc aliam Chriſti ſententiam, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, intellectam in ſenſu myſtico, ex qua ſic ſumpta, contra adverſarios ſic argumentabantur: Verba Chriſti, *Niſi manducaveritis, &c.* tam ſpectant parvulos, quàm adultos. Ergo parvuli ad habendam vitam indigent participatione Corporis & Sanguinis Domini ſaltem myſtica & ſpirituali. Atqui non poſſunt eſſe hoc modo participes Corporis & Sanguinis Domini ſine perceptione Baptiſmi. Ergo parvuli ſine perceptione Baptiſmi vitam æternam habere non poſſunt.

Contra idem Pelagianorum effugium, ad hæc alia verba Joan. cap. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*, recurrit Auguſtinus lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 20. Nam verbis illis recitatis, ſic proſequitur: *In quo igitur horum genere ponemus infantes? In eorum qui credunt in Filium, an in eorum qui ſunt increduli Filio? In neutro, ait aliquis; quia cùm adhuc credere non poſſunt, nec increduli deputandi ſunt. Non hoc judicat Eccleſiaſtica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adjungit. Porrò ſi iſti, qui baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti ſacramenti, quamvis ſuo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur; profectò illi quibus ſacramentum defuerit, in eis habendi ſunt, qui non credunt Filio; atque ideò ſi hujus inanes gratiæ de corpore exierint, ſequetur eos quod dictum eſt, Non habebunt vitam, ſed ira Dei manet ſuper eos.*

Ecce S. Doctor ait quidem, verba Scripturæ citata tam ad parvulos pertinere, quàm ad adultos; at non ait, eodem modo pertinere: nam juxta mentem ejus, pro adultis ſignificant neceſſitatem actus ſalutaris, quo adulti rebus à Chriſto revelatis firmiter aſſentiuntur; pro parvulis verò ſignificant tantùm neceſſitatem Baptiſmi, quod eſt ſacramentum fidei, & quo ſuſcepto parvuli in numero credentium computantur, cenſenturque credere, ut diſertè explicat S. Doctor epiſt. 23. ubi ſic loquitur: *Sicut ergo ſecundùm quemdam modum ſacramentum Corporis Chriſti Corpus Chriſti eſt ..., ita ſacramentum fidei fides eſt. Nihil eſt autem aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc cùm reſpondetur parvulus credere, qui fidei nondùm habet affectum, reſpondetur fidem habere, propter fidei ſacramentum .... Itaque parvulum, etſi nondùm fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei ſacramentum fidelem facit: nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei ſacramentum percipiendo.*

Itaque, juxta S. Doctorem, cùm loco citato Joannes Baptiſta dicit: *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam*, vel, ut habetur in Auguſtini textu, *Non habebit vitam*, verborum ſenſus eſt pro adultis, qui rebus à Chriſto revelatis, ſibi ſufficienter propoſitis, aſſentiri non vult, &c. pro parvulis verò, qui ex hac vita non ſuſcepto fidei ſacramento emigraverint, &c. Similiter hæc Chriſti verba, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* ait S. Auguſtinus non ſolùm ad adultos, ſed etiam ad parvulos dirigi, ſed in ſenſu planè diverſo; ita ut pro adultis, juxta S. Doctoris mentem, ſignificent neceſſitatem realis manducationis Euchariſtiæ; pro parvulis verò ſignificent neceſſitatem ſpiritualis tantùm manducationis; vel, ſi vis, pro adultis ſignificent neceſſitatem ipſius ſacramenti Euchariſtiæ in re ſuſcepti; pro parvulis verò ſignificent tantùm neceſſitatem rei per Euchariſtiæ ſacramentum ſignificatæ, nempe unionis cum Chriſto & Eccleſia, cujus caput eſt Chriſtus: unde infert S. Doctor, pro parvulis Baptiſmi neceſſitatem ad conſequendam vitam æternam; cùm aliter non poſſint fieri membra Eccleſiæ, & Chriſto incorporati, atque Spiritu ipſius vivificari, quàm per Baptiſmi ſuſceptionem.

Obj. 3. S. Thomas hìc quæſt. 73. art. 3. in O. docet parvulos ſalvari non poſſe ſine voto Euchariſtiæ. *R.* S. Thomam loqui tantùm de voto impropriè ſumpto, quod conſiſtit in intentione Eccleſiæ, parvulos per Baptiſmum ordinantis ad Euchariſtiam, ſeu parvulos baptizantis, ut idonei fiant ad Euchariſtiam hoc tempore ſuſcipiendam; quod in re nihil aliud eſt, quam dicere parvulos ſalvari non poſſe ſine reali ſuſceptione Baptiſmi, quem illis Eccleſia per ſuos Miniſtros confert ex tali intentione; quæ tamen intentio ad parvulorum ſalutem minimè neceſſaria eſt; quia ſufficit, ſi validè baptizentur, ex quacumque tandem intentione id fiat: niſi tamen S. Doctor dicatur loqui de intentione neceſſaria ad valorem ſacramenti, adeòque de intentione faciendi ſacramentum, quod per ſeipſum, hoc ipſo quòd validè confertur ſecluſa qualibet alia intentione Miniſtri, parvulos habitualiter ordinat ad Euchariſtiam, ut ſuo tempore poſtea ſuſcipiendam. Verba S. Doctoris ſunt: *Per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, & ideo ex hoc ipſo quod pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam: & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius*, (hoc eſt charitatem habitualem, qua cum Chriſto & aliis juſtis uniuntur.)

ARTICULUS VII.

Utrùm Euchariſtia adultis neceſſaria ſit neceſſitate medii.

Responsio I.

Euchariſtia non eſt adultis ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii.

Prob. Illud non eſt medium ad ſalutem neceſſarium adultis, ſine quo adulti juſtificari poſſunt. Atqui adulti juſtificari poſſunt ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ. Ergo, &c. *Prob. 1. min.* Nam adulti peccatores vel ſunt baptizati, vel non. Si non ſunt baptizati, per Baptiſmi ſuſceptionem; ſi baptizati ſunt, per ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ juſtificari poſſunt, cum ſolo propoſito generali ſervandi mandata omnia; quod propoſitum commune eſt Euchariſtiæ; cum aliis omnibus rebus, quæ neceſſitate præcepti neceſſariæ ſunt. *Prob. 2. maj.* Nam adultus peccator, ſive per Baptiſmum, ſive per Pœnitentiæ ſacramentum juſtificatus, ſi, quod poteſt, antequam in novum aliquod mortale inciderit, migret ex hac vita, ſalvabitur, quia morietur in ſtatu gratiæ, adeòque ſalvabitur independenter ab eo ſacramento, independenter à quo gratiam juſtificationis conſecutus eſt. Ergo, &c.

Hoc argumentum ſuggerit S. Thomas in 4. diſt. 9. qu. 1.

qu.1. art.1. ad qu.2. ubi ait: *Dicendum quod gratia eſt ſufficiens cauſa gloriæ: unde omne illud, ſine quo poteſt haberi gratia, non eſt de neceſſitate ſalutis. Hoc autem ſacramentum* (Euchariſtiæ) *gratiam præſupponit, quia præſupponit baptiſmum, in quo gratia datur, nec debet peccato præveniri quod gratiam privet, & ideò quantum eſt de ſe, non eſt de neceſſitate ſalutis: ſed de ordinatione Eccleſiæ homines obligantur ſecundum Eccleſiæ ſtatutum, Corpus Chriſti ſemel in anno ſumere.*

Obj. S. Thomas hic qu. 80. art. 11. ad 2. expreſsè aſſerit, Euchariſtiam adultis tam eſſe neceſſariam ad ſalutem, quàm Baptiſmum. Atqui Baptiſmus adultis neceſſarius eſt ad ſalutem neceſſitate medii. Ergo, &c. Verba S. Doctoris ſunt: *Hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut Baptiſmus, quantùm ad pueros, quibus poteſt eſſe ſalus ſine hoc ſacramento, non autem ſine ſacramento Baptiſmi; quantum verò ad adultos, utrumque eſt neceſſitatis.* R. neg. maj. Nam S. Doctor loco citato dicit quidem utrumque ſacramentum, nempe Baptiſmum & Euchariſtiam, adultis neceſſarium eſſe ad ſalutem: at non dicit eodem modo neceſſarium eſſe quantùm ad realem ſuſceptionem. Et verò articulo citato non quærit S. Doctor, utrùm Euchariſtia, quantùm ad realem manducationem, neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate medii, ſed ſolùm, an ſit neceſſaria neceſſitate præcepti, ita ut non liceat omninò à communione ceſſare. Juxta S. Doctorem igitur, adultis Baptiſmus & Communio euchariſtica ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſed cum aliquo diſcrimine: nam Baptiſmus neceſſarius illis eſt neceſſitate medii & præcepti, & Communio euchariſtica neceſſaria neceſſitate præcepti tantùm.

Dices. S. Thomas in corpore articuli citati probat, Euchariſtiam adultis neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, ex eo quòd illis neceſſaria eſt neceſſitate medii. Ergo, &c. *R.* diſt. ant. Probat, Euchariſtiam, &c. ex eo quòd illis neceſſitate medii neceſſaria eſt quantùm ad manducationem realem & ſacramentalem, N. ant. Quantùm ad manducationem ſpiritualem, C. ant.

Loco itaque citato S. Doctor 1. diſtinguit duplicem Euchariſtiæ manducationem, ſacramentalem ſcilicet, ſeu realem, & ſpiritualem. *Duplex eſt*, inquit, *modus percipiendi hoc ſacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis.*

2. Dicit manducationem ſpiritualem omnibus, tam parvulis ſcilicet, quàm adultis, ad ſalutem neceſſariam eſſe neceſſitate medii: nam ſic proſequitur: *Manifeſtum eſt autem, quòd omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare, quia hoc eſt Chriſto incorporari.*

3. Addit, adultos non poſſe ſpiritualiter manducare Euchariſtiam ſine voto illam manducandi realiter, adeòque votum hoc ad ſalutem neceſſarium eſſe neceſſitate medii, quia ſic neceſſaria eſt, non realis manducatio, ſed ſpiritualis, quæ ſine voto illo eſſe non poteſt. *Spiritualis autem manducatio*, inquit, *includit votum ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum, & ideò ſine voto percipiendi hoc ſacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus.*

4. Inde probat realem Euchariſtiæ manducationem neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, ſeu jure divino præceptam eſſe. Nam ex præfatis ſic concludit: *Fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet, & ideò manifeſtum eſt, quòd homo tenetur hoc ſacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini.* Porrò cùm S. Doctor, ut probet realem Euchariſtiæ manducationem neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, recurrit ad manducationem ſpiritualem, ut neceſſariam neceſſitate medii; manifeſtè ſupponit & ſignificat, realem manducationem Euchariſtiæ non alia, quàm neceſſitate præcepti, ad ſalutem neceſſariam eſſe.

Breviter, juxta S. Doctorem, realis manducatio Euchariſtiæ non eodem modo neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, quo Baptiſmus v. g. Nam Baptiſmus neceſſarius eſt neceſſitate præcepti, quia ipſe neceſſarius eſt neceſſitate medii. At realis manducatio Euchariſtiæ neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, quia neceſſitate medii neceſſaria eſt ſpiritualis manducatio, quæ non poteſt eſſe ſine illius voto; quod eſſet fruſtra, niſi opportuno tempore impleretur.

Responsio II.

Euchariſtia adultis neceſſaria tamen eſt neceſſitate medii, ad perſeverandum in ſtatu gratiæ longo aliquo tempore; ita ut ſine illa, vel in re, vel in voto ſuſcepta, juſtificatus non poſſit potentia ad actum reducenda, mortalia omnia longo aliquo tempore vitare.

Prob. 1. Ex verbis Chriſti Joannis cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* (ſupple permanentem, diùque perſeverantem.) Nam Chriſtus ſic loquendo, videtur exprimere aliam & majorem, quàm præcepti neceſſitatem, adeòque neceſſitatem medii exprimere.

Prob. 2. Sacramentum ad id neceſſarium eſt neceſſitate medii, ad quod per ſe primò inſtitutum eſt. Atqui Sacramentum Euchariſtiæ per ſe primò inſtitutum fuit ad dandam perſeverantiam in gratia. Ergo medium eſt juſtificatis neceſſarium, ad hoc ut in gratia per Baptiſmum accepta, vel per ſacramentum Pœnitentiæ recuperata perſeverent. *Major probari poteſt* facili inductione: nam v. g. Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad gratiam regenerationis, quia ad eam conferendam per ſe primò inſtitutus eſt. Item ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſt neceſſitate medii ad recuperandam regenerationis gratiam per mortale aliquod amiſſam, quia ad eam reſtituendam per ſe primò inſtitutum eſt.

Prob. 2. *min.* Nam 1. cùm non ſolùm prima gratia, ſed etiam perſeverantia in ea, ad ſalutem neceſſaria ſit, ſicut ad eam conferendam per ſe primò inſtitutus eſt Baptiſmus, & ad eam reparandam per ſe primò inſtitutum eſt ſacramentum Pœnitentiæ; ita ad dandam in ea perſeverantiam omninò conveniens fuit, aliud aliquod ſacramentum per ſe primò inſtitui, & reipſa inſtitutum fuiſſe, videtur pro certo ſtatuendum. Tale autem ſacramentum aliud non eſt, quàm ſacramentum Euchariſtiæ. Ergo, &c.

2. Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt, ut ſpiritualis cibus & potus animæ, ut ipſe Chriſtus inculcat Joan. c. 6. *Caro mea*, inquit, *verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.* Ergo per ſe primò inſtituta eſt ad conſervandam animæ vitam: cibus enim ſpiritualis tam per ſe & intrinſecè ordinatur ad vitæ ſpiritualis conſervationem, quàm cibus corporalis ad conſervationem vitæ corporalis. Ergo, quod idem eſt, Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt ad dandam in gratia perſeverantiam.

3. Synodus Tridentina ſeſſ. 13. cap. 2. dicit, quòd Chriſtus voluerit à nobis ſumi Euchariſtiam, *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur.* Dici autem non poteſt, quòd Euchariſtia ex inſtitutione ſua ſecundariò tantùm ſit antidotum illud. Ergo Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt ad dandam nobis perſeverantiam in gratia: nam perſeverare à mortalibus, & dare perſeverantiam in gratia, unum & idem ſunt, cùm gratia non poſſit amitti, niſi per mortalia. Ergo, &c.

Confirmatur Reſponſio. Quia Euchariſtia ſpecialem quandam analogiam cum cibo corporali habet ex vi inſtitutionis ſuæ, ut apertè ſignificat Chriſtus ipſe Joann. cap. 6. cum ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* Et, *Caro mea verè eſt cibus, &c.* Et, *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Et, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Atqui ſpecialis illa analogia, ut etiam ſatis innuunt verba Chriſti laudata, in eo conſiſtit, quòd

ſicut

ſicut cibus corporalis ita neceſſarius eſt ad conſervandam vitam corporalem, ut ſine eo vita corporalis diu conſervari non poſſit; ita Euchariſtia ex vi inſtitutionis ſuæ ſic neceſſaria eſt ad conſervandam vitam animæ, ut ſine illa non poſſit diu conſervari. Atqui vita animæ conſiſtit in gratia. Ergo Euchariſtia ex vi inſtitutionis ſuæ medium eſt ad perſeverandum in gratia ita neceſſarium, ut ſine illa diu in gratia perſeverare, adeòque mortalia omnia vitare non poſſit homo juſtificatus.

At inquies. Magnum diſcrimen eſt inter cibum corporalem, & cibum euchariſticum. *R.* diſcrimen in eo tantùm eſſe, quòd ſine cibo corporali in re ſumpto, vita corporalis diu conſervari non poſſit; at verò ſine Euchariſtia in re ſumpta, poſſit diu conſervari vita animæ, & ad hoc ſufficiat votum Euchariſtiæ, quando realis illius ſumptio impoſſibilis eſt; ut cùm quis inter hæreticos vel ethnicos ex neceſſitate aut juſta de cauſa degit. De hoc diſcrimine ſic loquitur S. Thomas hic qu.73. art.3. ad 2. *Hæc eſt*, inquit, *differentia inter alimentum corporale & ſpirituale, quòd alimentum corporale convertitur in ſubſtantiam ejus qui nutritur: & ideò non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur: ſed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſeipſum ... Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine hujus ſacramenti perceptione*.

Dixi autem in reſponſione, longo aliquo tempore: nam Euchariſtia non eſt medium ita neceſſarium juſto ad perſeverandum in gratia, ut non poſſit brevi aliquo tempore ſine illa, vel ejus voto propriè ſumpto vitare mortalia omnia, & permanere in ſtatu gratiæ: unde ſic eſt neceſſaria ad perſeverandum in gratia, ut tamen non ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem conſequendam: nam illud non eſt medium ad ſalutem conſequendam ſimpliciter neceſſarium, ſine quo in re habito, & ejus voto propriè ſumpto, ſalvari poteſt aliquis. At ſine Euchariſtia in re ſumpta, & ejus voto propriè ſumpto, poteſt aliquis ſalvari, ſi nimirùm poſt acceptam in Baptiſmo vel ſacramento Pœnitentiæ juſtificationis gratiam, ſtatim, aut brevi ex hac vita decedat: nam ſi ſtatim moritur, moritur antequam è ſtatu gratiæ per mortale aliquod excidere poſſit: quòd ſi aliquandiu ſuperſtes ſit, facilè fieri poteſt, ut brevi illo tempore nulla gravi tentatione pulſetur, & nulla gravi urgeatur obligatione, adeòque facilè fieri poterit, ut nec reali ſumptione Euchariſtiæ, nec ejus voto ad hoc egeat, ut in gratia uſque ad mortem perſeveret.

Obj. Si Euchariſtia fuit per ſe primò inſtituta ad dandam perſeverantiam in gratia, nemo ſine illa, vel ejus voto propriè ſumpto in gratia perſeverare poteſt. Ergo ſine illa, vel illius voto propriè ſumpto poteſt conſequi ſalutem, cùm nemo ſalvari poſſit, niſi uſque in finem perſeveret in gratia. Ergo, contra id quod diximus, Euchariſtia in re, vel in voto propriè dicto, eſt medium ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium. *R.* Euchariſtiam, ut patet ex aſſertione, per ſe primò ad dandam perſeverantiam in gratia inſtitutam fuiſſe eo ſenſu, quòd ſit per ſe primò medium, ſine quo in re, vel in voto, adultis juſtificatus, ſi diu vivat, gratiam baptiſmalem uſque ad finem non eſt conſervaturus; vel, ſi vis, ſine quo in re, vel in voto, adultus ab accepta per Baptiſmum regenerationis gratia, vel à recuperata per ſacramentum Pœnitentiæ, ſi poſtea longo tempore victurus eſt, uſque ad mortem peccata omnia mortalia vitare, & præcepta omnia implere non potuit potentia reducenda ad actum: ita ut illam negligens, etiam ſecluſo omni præcepto poſitivo, ad eam ſumendam obligante, aliquando, imò ſæpè lapſurus ſit mortaliter.

Ex hoc autem non ſequitur, quòd Euchariſtia ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem; cùm ſine illa & illius voto, ſalvari poſſit adultus; quia ſine illa, & illius voto, poteſt adultus perſeverare in gratia brevi tempore; & ei ad hoc ut ſalutem conſequatur, ſufficere poteſt, ut brevi tempore perſeveret in gratia, eò quòd non diu poſt acceptam juſtificationis gratiam victurus eſt. Nam exempli gratia, ſupponatur aliquis, poſtquam toto vitæ longioris tempore Euchariſtiam neglexit, ideòque multoties mortaliter lapſus eſt, morti proximus in iis circumſtantiis, in quibus illi impoſſibilis eſt ſumptio Euchariſtiæ, certè talis per contritionem perfectam, vel attritionem cum ſacramento Pœnitentiæ juſtificari poteſt, & juſtificatus, paulò poſt mori. Ergo perſeverabit in gratia ſine Euchariſtia, adeòque ſine illa ſalvabitur.

At inquies. Perſeverabit quidem in gratia ſine reali ſumptione Euchariſtiæ, at non perſeverabit ſine voto illius. *R.* diſt. Non perſeverabit ſine voto illius ſtrictè ſumpto, & tanquam medio per ſe neceſſario ad perſeverandum in gratia in caſu propoſito, N. Non perſeverabit ſine voto illius latè ſumpto, & illi cum rebus aliis neceſſitate præcepti neceſſariis communi ante mortem non retractato, C. Adultus itaque in caſu propoſito, ad hoc ut perſeveret in gratia, non debet, poſtquam per contritionem perfectam, vel Pœnitentiæ ſacramentum, juſtificatus eſt elicere votum Euchariſtiæ, ſeu propoſitum ſumendi Euchariſtiam, ſi ſumendi opportunitas adeſſet, aut poſtea aderit; ſed omninò ſatis eſt, ſi generale & commune propoſitum ſervandi omnia præcepta non retractet, & ſic propoſitum illud antea elicitum, ad mortem uſque habitualiter permaneat.

Obj. 2. Si Euchariſtia ſpecialem illam, quæ ſupra aſſerta eſt, habet cum cibo corporali analogiam, Euchariſtia tam parvulis ad perſeverandum in gratia, neceſſaria eſt, quàm adultis. Falſum conſequens. Ergo, &c. *Probatis ſeq. maj.* Nam ſicut parvuli non poſſunt diu ſervare vitam corporalem ſine cibo corporali, ita non potuerunt diu conſervare vitam animæ ſine cibo Euchariſtico. *R.* neg. ſeq. maj. Nam ſicut cibus corporalis iis tantùm neceſſarius eſt ad conſervandam vitam corporalem, in quibus vires naturales paulatim conſumuntur, niſi identidem reſtaurentur per cibum; ita illis tantùm cibus euchariſticus neceſſarius eſt ad conſervandam vitam animæ, in quibus vires ſpirituales minui & conſumi poſſunt per inordinatos concupiſcentiæ motus. In adultis autem, non verò in parvulis, vires animæ minui & conſumi poſſunt per concupiſcentiam; adeòque ad vitam animæ conſervandam, ſeu, quod idem eſt, ad perſeverandum in gratia, ſolis adultis, & nullateoùs parvulis, neceſſarius eſt cibus euchariſticus, utpote à Chriſto ad reſtaurandas vires per concupiſcentiam perditas per ſe primò inſtitutus. Breviter, parvuli ante adultam ætatem mortaliter peccare non poſſunt: ergo toto illo tempore non indigent Euchariſtia ad perſeverandum in gratia; cùm gratia non poſſit amitti, niſi per peccatum mortale.

Obj. 3. Si Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt ad dandam perſeverantiam in gratia, illi omnes qui vel ſemel Euchariſtiam dignè ſunt, accepti in gratia perſeverant, etiamſi diu poſt acceptam Euchariſtiam vivant. Conſequens falſum eſt, & manifeſtè repugnat experientiæ. Ergo, &c. *Prob. ſequel. maj.* à pari; nam quia baptiſmus v. gr. per ſe primò inſtitutus eſt ad conferendam regenerationis gratiam, omnes catechumeni, qui baptiſmum dignè ſuſcipiunt, infallibiliter gratiam regenerationis conſequuntur. Ergo pariter ſi Euchariſtia per ſe primò inſtituta eſt ad dandam perſeverantiam in gratia, quicumque Euchariſtiam dignè ſuſcipiunt, perſeverantiam in gratia conſequuntur.

R. Perſeverantiam in gratia dicere duo, unum ſcilicet ex parte Dei, nempe ſpecialia gratiæ actualis auxilia, quibus excitamur & adjuvamur ad ſervanda præcepta, & vitanda peccata; ſine quibus in accepta juſtitia perſeverare non poſſumus, & quibuſcum poſſumus, ut docet Trident. ſeſſ. 6. can. 22. alterum verò ex parte noſtri nempe cooperationem liberi arbitrii cum auxiliis illis. Cùm autem dicimus

Eu-

Euchariſtiam per ſe primò inſtitutam fuiſſe ad dandam perſeverantiam in gratia: perſeverantiam primo modo ſumimus; & ſenſus, eſt Euchariſtiam per ſe primò inſtitutam fuiſſe ad danda gratiæ actualis auxilia, ſine quibus in accepta juſtitia per Baptiſmum vel Pœnitentiam perſeverare non poſſumus, & quibuſcum poſſumus, præcepta omnia ſervando, & vitando omnia mortalia. Hæc autem actualis gratiæ auxilia ſacramentum Euchariſtiæ illud dignè ſuſcipientibus ſemper & infallibiliter confert: quia tamen multi ex iis, qui dignè Euchariſtiam ſuſceperunt, auxiliis illis non utuntur conſtanter, ut debent, multi, quamvis dignè ſuſcepta Euchariſtia, non perſeverant in gratia longo tempore.

Dices. Gratis aſſeritur Euchariſtiam neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad obtinenda ſpecialia illa actualis gratiæ auxilia, ad quæ conferenda per ſe primò inſtituta fuiſſe dicitur. *R.* neg. *Probabis*. Auxilia illa ſpecialia obtineri poſſunt per orationes, jejunia, & alia pietatis opera. *R.* per orationes, jejunia, &c. ſpecialia auxilia, ſine quibus adultus juſtificatus diù perſeveraturus non eſt in accepta juſtitia, ſemper & infallibiliter obtineri non poſſe niſi accedente reali ſumptione Euchariſtiæ, aut expreſſo illius voto, quando non adeſt opportunitas vel poſſibilitas eam accipiendi: nam Chriſtus fruſtra non dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

Dixi, Sine expreſſo illius voto: nam eo caſu, quo ſumptio Euchariſtiæ poſſibilis non eſt, ad perſeverandum in gratia longo tempore ſufficere non poteſt adulto juſtificato votum implicitè Euchariſtiæ, incluſum in propoſito generali ſervandi præcepta omnia, quod adultus ille habuit, quando per contritionem perfectam, vel ſacramentum Baptiſmi aut Pœnitentiæ juſtificatus eſt: hoc enim propoſitum totum ſuum effectum habuit quando ſuo modo concurrit ad collationem gratiæ juſtificantis. Ut ergo adultus poſt acceptum juſtificationis beneficium diu perſeveret in ſtatu gratiæ, opus habet novo & explicito voto Euchariſtiæ, ſi eam realiter ſumere non poteſt.

At inquies. Votum implicitum Baptiſmi ſufficere poteſt ſine reali illius ſuſceptione, ad obtinendum effectum illius nempe gratiam regenerationis. Ergo ſimiliter votum implicitum Euchariſtiæ ad obtinendum illius effectum ſufficere poteſt, ſaltem eo caſu, quo eam realiter ſumendi deeſt poſſibilitas. *R.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia contritio perfecta, quæ votum implicitum Baptiſmi continet, vim habet remittendi peccatum originale & alia actualia ante Baptiſmum commiſſa, adeòque effectum Baptiſmi ante realem illius ſuſceptionem cauſare poteſt, ſicque votum implicitum Baptiſmi cum contritione perfecta, in qua includitur, ad obtinendam regenerationis gratiam ſufficit. At nihil eſt, quod votum implicitum Euchariſtiæ contineat, & vim habeat realem illius ſuſceptionem ſupplendi, & loco illius jus ad ſpecialia auxilia, ſine quibus in gratia nemo longo tempore perſeveraturus eſt, conferendi. Quare ſupereſt, ut ad explicitum illius votum recurratur, pro eo caſu, quo realis illius ſuſceptio poſſibilis non eſt, putà pro eo caſu, quo quis inter Barbaros captivus detinetur.

ARTICULUS VIII.

Utrum ſacramentum Euchariſtia convenienti tempore inſtitutum fuerit.

SAcramentum hoc iſtitutum fuiſſe in ultima Cœna, quam fecit Chriſtus cum diſcipulis ſuis, docent Evangeliſtæ, Matthæus ſcilicet c. 27. Marcus cap. 14. & Lucas c. 22. & cum Evangeliſtis Apoſtolus 1. Cor. c. 11. ubi ait: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* Supereſt igitur difficultas, utrùm tunc convenienter inſtitutum fuerit. Pro quo ſit

Responsio.

Chriſtus ſacramentum Euchariſtiæ convenienter inſtituit in ultima Cœna paulò ante mortem.

Ita S. Thomas hic quæſt. 73. art. 5. in O. ubi ait: *Convenienter hoc ſacramentum inſtitutum fuit in cœna, in qua ſcilicet Chriſtus ultimo cum ſuis diſcipulis fuit converſatus*. Quod probat triplici ratione congruentiæ. Prima eſt, quia cùm Chriſtus vellet in propria ſpecie diſcedere à diſcipulis ſuis, conveniens fuit, ut ſeipſum illis in aliena ſpecie relinqueret. *Quando*, inquit, *ipſe Chriſtus in propria ſpecie à diſcipulis diſceſſurus erat, in ſacramentali ſpecie ſeipſum eis reliquit, ſicut in abſentia Imperatoris exhibetur veneranda ejus imago*.

Secunda eſt: cùm in veteri lege fuiſſet ſacramentum præfigurativum paſſionis Chriſti futuræ, conveniens erat, ut ſublato illo ſacramento, novum inſtitueretur ſacramentum, quod in lege nova paſſionis Chriſti præteritæ memoriale eſſet. *Sine fide paſſionis Chriſti*, inquit, *nunquam potuit eſſe ſalus .... & ideò oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid repræſentativum dominicæ paſſionis, cujus in veteri quidem teſtamento præcipuum ſacramentum erat agnus Paſchalis ... Succeſſit autem ei in novo teſtamento Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt rememorativum præteritæ paſſionis, ſicut & illud fuit præfigurativum futuræ; & ideo conveniens fuit, ut imminente paſſione celebrato priori ſacramento, novum ſacramentum inſtitueret*.

Tertia eſt, quia ſub mortem inſtituendo ſacramentum Euchariſtiæ, Chriſtus diſcipulorum ſuorum memoriæ altiùs impreſſit tantùm beneficium. *Ea*, inquit, *quæ ultimò dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur: præſertim quia tunc magis inflamatur affectus ad amicos. Ea verò ad quæ magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur*.

Dices. Euchariſtia inſtituta fuit, ut eſſet memoriale mortis ac paſſionis Chriſti jam peractæ. Ergo non potuit inſtitui, antequam Chriſtus paſſus & mortuus eſſet, ergo ſic inſtituta falſum repræſentaret, mortem & paſſionem Chriſti adhuc futuram repræſentando ut præteritam. *R.* Chriſtum ante paſſionem inſtituiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, ut poſt paſſionem inciperet eſſe illius memoriale, ut ſignificant verba illa futuri temporis 1. Cor. c. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*. Et iſta eodem loco: *Hoc facite* (poſt mortem & paſſionem meam) *in meam commemorationem*. Porrò quòd Euchariſtia poſt paſſionem Chriſti inſtitui non debuerit, probatur ex eo quòd Chriſtus hoc ſacramentum inſtituendo, quaſi teſtamento, diſcipulis ſuis, & in eorum perſona fidelibus omnibus, Corpus & Sanguinem ſuum legavit; & teſtamenta non poſt, ſed ante mortem teſtatorum fiunt.

Dices iterùm. Sacramentum Euchariſtiæ non ſolùm potuit & debuit inſtitui ante mortem & paſſionem Chriſti, ſed etiam ante ipſam incarnationem, ut per illud homines, qui fuerunt ab initio mundi, Chriſto unirentur ſicut membra capiti: Chriſtus enim omnium hominum, etiam eorum qui ab initio mundi fuerunt, caput eſt. *R.* neg. Nam Euchariſtia eſt ſignum perfectum dominicæ paſſionis, eamque proinde ut jam peractam repræſentans, & Chriſtum ut jam paſſum continens. Ergo ante incarnationem inſtitui nec debuit, nec potuit; ſed inſtituenda fuit, vel poſt mortem & paſſionem Chriſti, vel certè, ut re ipſa inſtituta eſt, proximè ante mortem & paſſionem illam, & eo tempore quo mors & paſſio illa inſtabat, & jam quaſi præſens erat moraliter. Itaque ante incarnationem ea tantùm ſacramenta locum habuerunt, quæ dominicæ paſſionis erant præfigurativa. Vide S. Thomam art. cit. ad 2.

DISPUTATIO II.

De Materia Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

In quo conſiſtit materia ſacramenti Euchariſtiæ.

RESPONSIO I.

PAnis & vinum ſunt materia neceſſaria ſacramenti Euchariſtiæ.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex locis Scripturæ, in quibus Euchariſtiæ inſtitutio refertur, & ex quibus manifeſtum eſt, quod Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, eamque deinceps uſque ad finem mundi conſecrari præcipiens, non aliam materiam quàm panem & vinum adhibuerit. Verba Matthæi c. 26. ſunt: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim Sanguis meus: &c.* Quòd autem Chriſtus non aquæ, ſed vini calicem acceperit, patet ex eo quod Evangeliſta paulò inferiùs ſubjicit: *Dico autem vobis: Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem illum, &c.* Sed & quòd panem & vinum Chriſtus ut materiam hujus ſacramenti neceſſariam determinaverit, manifeſtè oſtendunt hæc ejus verba apud Apoſtolum 1. Cor. c. 11. *Accipite & manducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite .... Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* Cùm enim dicit, *Hoc facite, &c.* perinde eſt ac ſi diceret: Facite quod me videtis feciſſe circa panem & vinum ex illis efficiendo Corpus & Sanguinem meum.

Prob. 2. Authoritate Patrum omnium, qui de materia Euchariſtiæ ſcribendi occaſionem habuerunt; pro quibus omnibus, unus hic ſufficiet S. Cyprianus in epiſt. 68. ad Cæcilium, in qua ſic loquitur: *In ſacerdote Melchiſedech ſacrificii dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura divina teſtatur, & dicit:* Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Et inferiùs. *Ut ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit ante imago ſacrificii* (dominici) *in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.*

Prob. 3. Authoritate Conciliorum, & 1. quidem Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. c. *Firmiter*, ubi dicitur: *Una verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur; in qua idem ipſe ſacerdos & ſacrificium Jeſu Chriſtus: cujus Corpus & Sanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguine poteſtate divina, ut ad perficiendam myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.*

2. Florentini in decreto §. *Tertium*, in quo dicitur: *Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* 3. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. *Quoniam*, inquit, *Chriſtus Redemptor noſter Corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus.* Sed

Nota 1. Cùm dicimus panem & vinum eſſe materiam ſacramenti Euchariſtiæ, non loquimur de materia proxima & permanente, ex qua intrinſecè conſtituatur Euchariſtia, ſed de materia remota & tranſeunte, ex qua quoad totam ſubſtantiam in Corpus & Sanguinem Chriſti converſa, fit Euchariſtiæ ſacramentum, remanentibus tantùm accidentibus. Non idcircò tamen dici poſſunt panis & vinum habere ſe per accidens reſpectu Euchariſtiæ; quando quidem ſine illis Euchariſtia fieri non poteſt, & eſſentialiter ex inſtitutione Chriſti neceſſaria ſunt, ut ex illis fiat euchariſtica tranſubſtantiatio, & ſuppeditent ſpecies, quæ ſacramentum hoc ex parte intrinſecè conſtituunt.

Nota 2. Circa materiam Euchariſtiæ olim erraverunt, non vinum, ſed puram aquam eſſe materiam calicis aſſerentes hæretici varii, nempe primò Ebionitæ, de quibus S. Epiphanius hæreſi 30. §. 16. hoc refert: *Ex Chriſtianorum Eccleſiæque imitatione myſteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & ad alteram myſterii partem meram aquam adhibent.* 2. Tatiani, teſte eodem Epiphanio hæreſi 46. 3. Encratitæ, ut teſtatur idem Epiphanius hæreſi 47.

Eundem errorem inter catholicos Africæ Epiſcopos nonnulli ex ignorantia vel ſimplicitate, non ex affectu hæreſis, ſecuti ſunt tempore S. Cypriani, ut patet ex ejus epiſt. 78. ad Cæcilium, quam ſic exorditur; *Quanquam ſciam, Frater chariſſime, Epiſcopos plurimos Eccleſiis dominicis in toto mundo divina dignatione præpoſitos Evangelicæ veritatis ac dominicæ traditionis tenere rationem; nec ab eo quod Chriſtus Magiſter præcepit & geſſit, humana & novella inſtitutione decedere: tamen quoniam quidam vel ignoranter vel ſimpliciter in calice dominico ſanctificando, vel plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ſacrificii hujus auctor & doctor fecit & docuit; religioſum pariter hoc neceſſarium duxi, &c.* Pauci autem illi Epiſcopi in calice dominico ſanctificando non hoc faciebant quod Chriſtus fecerat aut docuerat; quia, ut patet ex ſubſequentibus, ad conſecrationem calicis non vinum aqua mixtum, ſed aquam ſolam adhibebant, contra praxim aliorum omnium Epiſcoporum toto orbe diffuſorum, qui evangelicæ veritatis ac dominicæ traditionis rationem tenebant, conſecratione calicis vinum aqua admixtum adhibentes.

Paucos autem illos Epiſcopos ſic ex ignorantia vel ſimplicitate in calice ſanctificando, ab eo quod fecerat & docuerat Chriſtus deflectentes, Cyprianus in laudata epiſtola potiſſimùm impugnat, 1. ex verbis Chriſti Matthæi c. 26. *Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis, &c.* Quibus recitatis ſic proſequitur: *Qua in parte invenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit, & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit* (& dicendo, in ſanguinem ſuum re ipſa convertit?) *Unde apparet Sanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici ... Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Chriſto in regno Patris bibemus, ſi in ſacrificio Dei Patris & Chriſti vinum non offerimus?*

2. Verbis Apoſtoli 1. Cor. c. 11. *Quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur*; quibus hæc ſubjicit: *Quòd ſi à Domino præcipitur, & ab Apoſtolo ejus hoc idem confirmatur & traditur, ut quotieſcumque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus quod fecit & Dominus, invenimur non obſervari à nobis, quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus; & calicem pari ratione miſcentes* (hoc eſt, non puram aquam, ſed vinum aqua temperatum conſecrantes) *à divino magiſterio non recedamus.*

Aquarios illos refellit etiam luculenter S. Chryſoſtomus homil. 83. in caput 26. Matthæi, ubi ad hæc verba, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, &c.* ſic ait: *Quare, cùm opus non erat poſt reſurrectionem comedit & bibit, cùm ejus corpus iſtis nullo modo amplius indigeat? Ut certiori argumento reſurrectionem firmaret. Sed cujus rei gratia, non aquam, ſed vinum poſt reſurrectionem bibit? Pernicioſam quamdam hæreſim radicitùs evellere voluit eorum, qui aqua in myſteriis utuntur; ita ut oſtenderet, quia & quando*

hoc

hoc myſterium tradidit; vinum tradidit, & jam poſt reſurrectionem ſine myſteriis, in ſimplici menſa vino uſus eſt; ex genimine, ait, vitis, quæ certè vinum, non aquam producit.

Nota 3. In hac eadem re graviùs adhuc ac fœdiùs errarunt hæretici alii, & 1. quidem Gnoſtici, qui ad Euchariſtiam, teſte S. Epiphanio hæreſi 26. §. 4. ſemen humanum ut corpus Chriſti, & ſanguinem menſtruum mulierum ut ſanguinem ejus ſumebant.

2. Ophitæ, ad Euchariſtiam adhibentes tantùm panem, quem putabant à ſerpente, quem nutriebant, lambedo conſecrari, teſte S. Aug. lib. de hæreſibus n. 17. ubi hæc de illis refert: *Habent verum colubrum, quem nutriunt & venerantur; qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpelunca, & oblationes eorum lambit, & involvens ſe circa eas, regreditur ad ſpeluncam: & ita conſtringunt oblationes in Euchariſtiam, quaſi à ſerpente Chriſto, ut illi putant, ſanctificatas.*

3. Caraphryges, qui conficiebant in pane ex farina, infantis ſanguine ſubacta, ut teſtatur S. Auguſtinus eodem lib. n. 26. *Sacramenta*, inquit, *perhibentur funeſta habere: nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi euchariſtiam ſuam conficere perficere perhibentur, miſcentes eum farina, panemque inde facientes: qui puer, ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote.*

4. Denique Artotyritæ, qui offerebant panem & caſeum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuiſſe celebratas, ut narrat idem Auguſtinus eod. lib. num. 28. Sed hæc refutatione non indigent.

RESPONSIO II.

Ad materiam Euchariſtiæ non ſufficit panis quilibet, ſed requiritur triticeus uſualis.

Primò quidem quòd requiratur panis triticeus, communis eſt Theologorum ſententia, &, ut ait Suarez hic diſp. 44. ſect. 1. tam certa, ut ſine temeritate & erroris periculo negari non poſſit. *Prob. autem*, 1. ex facto Chriſti: nam Chriſtus eam Euchariſtiæ materiam ut neceſſariam inſtituit, quam ipſe conſecravit. Atqui Chriſtus conſecravit panem triticeum. Ergo panis triticeus eſt materia neceſſaria Euchariſtiæ. Minorem facilè admittunt omnes: & verò veriſimile non eſt panem azymum, qui ad feſtum Paſchale & eſum agni conficiebatur, ex alia materia, quàm ex triticea fuiſſe. Major colligitur ex his Chriſti verbis apud Apoſtolum 1. Cor. cap. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*; & ex illis eam colligit S. Cyprianus in epiſt. ſupra laudata, & poſt eum Concilium Carthaginenſe III. can. 24. ubi ait: *Ut in ſacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aquæ mixtum.*

2. Ex traditione & praxi utriuſque Eccleſiæ Orientalis ſcilicet, & Occidentalis: in utraque enim Eccleſia & ſemper conſecratus fuit, & nunc conſecratur ſolus panis triticeus.

3. Ex Rubricis Miſſalis Romani tit. de defectibus, ubi expreſsè dicitur, ſacramentum non confici, ſi panis non ſit triticeus.

4. Ex Florentino in decreto §. *Tertium*, ubi ſimpliciter dicit, materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum de vite. Materiam autem conſecrationis panis reſtringendo ad panem triticeum, ſicut materiam calicis ad vinum de vite, manifeſtè ſignificat, ſacramento non minùs eſſentiale eſſe, ut panis ſit triticeus, quàm ut vinum ſit de vite. Atqui nemo dubitat, materiam calicis neceſſariam & eſſentialem eſſe vinum de vite. Ergo, &c. Præterea, in litteris ſanctæ unionis ſic ait: *Definimus ... in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici*. Quibus verbis apertè ſignificat, ad conſecrationis valorem nihil referre, ſitne panis azymus an fermentatus, dummodò triticeus ſit.

5. Ratione, quam affert S. Thomas hic qu. 74. a. 3. in O. *Dicendum*, inquit, *quòd ad uſum ſacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communiùs apud homines in talem uſum venit. Inter alios autem panes communiùs homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur eſſe introducti in hujus panis defectum; & ideò Chriſtus creditur in hujus panis ſpecie hoc ſacramentum inſtituiſſe*. Huic rationi aliam congruitatis ſubjungit; quia panis triticeus magis, quàm alii panes, confortat hominem, adeòque ad effectum hujus ſacramenti ſignificandum aptior eſt & convenientior, quàm panes alii. Addit alteram Suarez ſect. citata, nempe quòd panis triticeus ſit omnium optimus, proindeque quòd ſolus dignitatem & excellentiam ſacramenti hujus decuerit.

Confirmatur 1. Quia Scripturæ, & poſt Scripturas Patres & Concilia, pro materia neceſſaria Euchariſtiæ aſſignant panem & vinum ſimpliciter, & ſine addito. Atqui ſolus panis triticeus eſt panis ſimpliciter, ſicut ſolum vinum de vite eſt ſimpliciter vinum, & hoc utrumque maximè in Scripturis, in quibus, quando panis v. g. non eſt triticeus, non dicitur ſimpliciter panis, ſed panis cum addito, v. g. hordeaceus, ut Joannis cap. 6. ubi legitur: *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos*. Ergo, &c.

Confirmatur 2. ex Catechiſmo Romano, in quo ſic exponitur materia Euchariſtiæ: *Duplex itaque eſt hujus ſacramenti materia; altera panis ex tritico confectus ... nam ut docent Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas, Chriſtus Dominus panem in manus accepit ... Cùm autem varia ſint panis genera ...... quod ad primum attinet, Salvatoris verba oſtendunt, panem ex tritico confici oportere: communi enim loquendi conſuetudine, cùm panis abſolutè dicitur, panem ex tritico intelligi ſatis conſtat .... Sed quemadmodùm nullus panis, niſi triticeus, apta ad ſacramentum materia putandus eſt, hoc enim Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſiæ catholicæ authoritas firmavit; ita etiam ex iis, &c.*

Dices 1. Materia hujus ſacramenti debet eſſe communis, & facilè parabilis in qualibet regione. Atqui tale non eſt triticeum: nam multæ ſunt regiones, in quibus non reperitur. Ergo, &c. *R.* ad confectionem Euchariſtiæ parvam ſufficere tritici quantitatem, quæ facilè comparari poteſt in qualibet mundi parte.

Dices 2. Materia ſacramenti cujuslibet debet eſſe certa & nota. At talis non eſt materia Euchariſtiæ, ſi conſiſtit in ſolo pane triticeo: nam triticum generaliter vix diſtingui poteſt à non tritico, ut ſatis oſtendunt Doctorum ea in re altercationes. Ergo, &c.

R. Differentiam tritici ab aliis frumenti ſpeciebus neque incertam, neque obſcuram aut difficilem eſſe agriculturæ peritis, apud quos totum hujus rei judicium eſſe debet, non apud Doctores Scholaſticos, hìc inter ſe de verbis potiùs, quàm de rebus altercantes planè inutiliter: conſtat enim materiam Euchariſtiæ neceſſariam & ſufficientem, eſſe panem illum, qui conficitur ex eo frumento, quod in quavis regione à peritis triticum eſſe certò creditur; ſive omne hujuſmodi frumentum ſit ejuſdem planè ſpeciei, ſive non: & verò non eſſe, facilè credi poteſt; nam ſicut omninò veriſimile eſt, vinum de vite non eſſe ejuſdem ſpeciei in omnibus regionibus, in quibus naſcuntur uvæ; ita omninò veriſimile eſt, triticum in omnibus regionibus, in quibus naſcitur, non eſſe ejuſdem ſpeciei. Sed ex dictis

Collige 1. Panem omnem, ex grano, de quo, an ſit triticum, apud peritos dubium eſt, confectum, eſſe materiam dubiam, adeòque licitè conſecrari non poſſe, ſaltem extra caſum neceſſitatis: nam extra caſum neceſſitatis nunquam licet in ſacramentis adhibere materiam dubiam. Imò nequidem caſum neceſſitatis audet excipere Suarez ſectione citata; quia, inquit, eſt res graviſſima, & huic ſacramento ſumma reverentia debetur: unde cùm aliàs non ſit ſacramentum neceſſitatis ſimpliciter, nulla videtur poſſe occurrere cauſa moraliter ſufficiens ad conficiendum illud, niſi in materia certa.

Collige 2. Validam eſſe, licèt illicitam, conſecrationem, ſi panis non ſit ex tritico puro, ſed mixto, modò tamen granum alterius naturæ mixtum tritico, ſit in tam parva quantitate, ut adhuc in

morali æſtimationa panis triticeus ſit. Idem dic, ſi paſta mixta fuerit lacte, butyro, melle, ſaccaro, aqua roſacea, aliove liquore, ab aqua naturali ſpecie diverſo: quandiu enim panis triticeus remanet in æſtimatione morali, tandiu eſt materia ſufficiens ad validam conſecrationem, quæ tamen graviter illicita eſt propter mixtionem.

2. Requiritur panis uſualis, ſeu panis quo communiter utuntur homines, ut ſit veluti comes aliorum ciborum. Nam primò Chriſtus talem panem conſecravit. 2. Patres & Concilia pro materia Euchariſtiæ aſſignant panem ſimpliciter. Atqui panis ſimpliciter, eſt panis communis & uſualis. Ergo, &c. Sed hic inter Doctores catholicos nulla eſt diſſenſio.

Itaque ad validam Euchariſtiæ conſecrationem neceſſarius eſt, 1. Panis ex farina triticea, ſola aqua naturali ſubacta: nam panis uſualis & communis ſolùm fit ex farina triticea & aqua naturali; & verò panis confectus ex farina, & lacte, oleo, aut ſimili liquore, non eſt panis uſualis, ſed genus aliquod placentæ. 2. Panis coctus calore ignis; nam maſſa cruda non eſt panis, nec cibus, aut alimentum hominum. 3. Panis coctus ſolo calore ignis; ita ut non ſit oleo, aut butyro frixus, vel aqua elixus. Ratio eſt, quia alioquin non erit panis verus & uſualis, ſed placenta, aut quid ſimile. Non refert autem, quòd torreatur in clibano, aut ſub cineribus, vel intra vas aliquod aſſetur, dummodò coquatur ſolo calore ignis: quovis enim ex modis illis concoctio fiat, fit verus panis. 4. Denique, ut panis dicto modo confectus, perſeveret in ſua ſubſtantia & natura. Ita Suarez diſp. citata ſect. 2.

R E S P O N S I O III.

Calicis materia neceſſaria & eſſentialis, eſt vinum vitigeneum.

Prob. 1. Ex facto Chriſti: nam Chriſtus materiam illam calicis ut neceſſariam & eſſentialem inſtituit, quam ipſe conſecravit. Atqui Chriſtus conſecravit vinum ex uvis expreſſum, & manifeſtè ſignificant verba illa, quæ ipſe apud Matthæum cap. 26. poſt panis & vini conſecrationem profert: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, uſque, &c.* & probat perpetua Eccleſiæ traditio: nam, ut ait Catechiſmus Romanus, Chriſtum vino ex vitis fructu expreſſo in hujus ſacramenti inſtitutione uſum eſſe, catholica Eccleſia ſemper docuit. Ergo, &c.

2. Ex Patribus, Cypriano ſcilicet in ſua ad Cæcilium ep. de ſacramento dominici Calicis jam ſupra citata, ubi ait: *Invenimus & in Geneſi ſacramentum circa Noe hoc idem præcurriſſe, & figuram dominicæ Paſſionis illic extitiſſe, quòd vinum bibit, quod inebriatus eſt ... & cætera quæ neceſſe non eſt exequi; cum ſatis ſit hoc ſolum complecti, quòd Noe typum futuræ veritatis oſtendes, non aquam ſed vinum biberit, & ſic imaginem dominicæ Paſſionis* (cujus ipſa etiam Euchariſtia imago eſt) *expreſſerit.* Juxta Cyprianum igitur, Chriſtus in inſtituenda Euchariſtia uſus eſt eo vino, quod Noe bibit, & quo inebriatus eſt. At Noe bibit vinum ex vitis fructu expreſſum. Ergo, &c. Eodem loco Sanctus Cyprianus aſſerit, in ſacerdote Melchiſedech ſacrificii dominici ſacramentum præfiguratum fuiſſe; ſecundùm quod Scriptura divina teſtatur, & dicit, quòd Melchiſedech Rex Salem protulerit panem & vinum. At nemo dubitat, à Melchiſedeco panem triticeum, & vinum de vite prolata fuiſſe. Ergo, &c.

2. Ex S. Chryſoſt. hom. 83. in cap. Matth. 26. verbis jam ſupra laudatis, quibus contra Aquarios Chriſtum pro materia calicis neceſſaria inſtituiſſe vinum ex vite productum, probat ex eò quòd Chriſtus dixerit, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.*

3. Ex Conciliis Aurelianenſi IV. anno 541. can. 4. quo præſcribitur, *ut nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ exprimitur, & hoc aqua mixtum, offerre præſumat; quia ſacrilegum judicatur aliud offerri, quàm quòd in mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit.*

Antiſiodorenſi anno 578. can. 8. quo dicitur: *Non licet in altario in ſacrificio divino mellitum, quod mulſum appellant, nec ullum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum, offerre: quia ad grande reatum & peccatum pertinet presbytero illi, quicumque aliud poculum, extra vinum, in conſecratione Sanguinis Chriſti offerre præſumpſerit.* Cùm autem nominat vinum ſimpliciter, non aliud profectè, quàm ex uvis expreſſum intelligit.

Lateranenſi IV. cap. *Firmiter*, & Tridenr. ſeſſ. 13. cap. 4. quæ cùm docent, Euchariſtiam fieri ex pane & vino, converſis ſeu tranſubſtantiatis in Corpus & Sanguinem Chriſti; ſicut nomine panis ſimpliciter, panem triticeum, ita nomine vini ſimpliciter, vinum vitigeneum intelligunt. Florentino denique, in decreto §. *Tertium*, ubi diſertè pro materia calicis aſſignat vinum de vite.

4. Denique ratione, quam ſic exponit S. Thomas hic qu. 74. art. 5. in O. *Ad materiam ſacramentorum aſſumitur, quod propriè & communiter habet talem ſpeciem. Propriè autem vinum dicitur, quod de vite ſumitur: alii verò liquores, vinum dicuntur ſecundùm quandam ſimilitudinem ad vinum vitis.* Huic rationi aliam congruitatis ſubjicit: *Quia*, inquit, *vinum vitis magis competit ad effectum hujus ſacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia: quia ſcriptum eſt, quòd vinum lætificat cor hominis.*

Dices. Sicut aqua eſt materia Baptiſmi, ita vinum eſt materia Calicis. Sed in qualibet aqua poteſt fieri baptiſmus. Ergo ex quolibet vino, putà malorum granatorum, vel mororum, aut hujuſmodi, poteſt fieri conſecratio, præſertim cùm in quibuſdam terris vites non creſcant. *R.* Sicut ſola aqua naturalis eſt materia Baptiſmi, quia ſola aqua naturalis eſt propriè ac ſimpliciter aqua; ita ſolum vinum ex uvis expreſſum, eſt materia calicis; quia ſolum vinum ex uvis expreſſum, eſt propriè ac ſimpliciter vinum: alii verò liquores, de quibus fit mentio in objectione, non dicuntur propriè ac ſimpliciter vinum, ſed impropriè tantùm, propter aliqualem ſimilitudinem, quam habent cum vino ex uvis expreſſo. Nec obeſt, quòd in quibuſdam terris vites non creſcant: nam ad terras illas ſatis facilè deferri poteſt verum vinum, quantùm ſufficit ad ſacramentum Euchariſtiæ. Ita S. Thomas art. cit. ad 1.

Dices iterum. Saltem omphacium eſt ſufficiens materia calicis: nam omphacium eſt liquor ex uvis expreſſus. *R.* neg. *Ad prob. R.* ad hoc ut liquor ex uvis expreſſus, ſit materia ſufficiens calicis, neceſſarium eſſe, ut ſit maturus. Ratio eſt, quia hoc neceſſarium eſt, ut ſit propriè ac ſimpliciter vinum, & ſolum vinum propriè ac ſimpliciter, eſt materia ſufficiens calicis. Porrò ſicut neceſſarium eſt ad materiam ſufficientem calicis, ut liquor uvarum maturus ſit, & ex uvis expreſſus, ita & neceſſarium eſt, ut in ſubſtantia ſua permaneat: cùm enim non ſit vinum propriè ac ſimpliciter, niſi maturus ſit, & expreſſus ex uvis, ita non perſeverat eſſe vinum propriè ac ſimpliciter, & ſic non perſeverat eſſe materia ſufficiens calicis, niſi quandiu permanet in ſua ſubſtantia. Ex his,

1. Uvarum ſuccus, priuſquàm exprimatur, non eſt materia calicis, nec poteſt in ipſis uvis validè conſecrari. Ratio eſt, quia ſuccus ille, quamdiu in uvis continetur, non eſt vinum ſimpliciter, nec materia potabilis, ſed pars cibi cujuſdam.

2. Neque acetum eſt calicis materia. Ratio eſt, quia non eſt vinum: fit enim ex ſubſtantiali corruptione vini, quòd colligitur ex effectibus ejus, & ex eo quòd non poteſt iterùm redire in ſpeciem vini; & ideò ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici Euchariſtia, ita nec de aceto, ut ait S. Thom. art. cit. ad 2. ubi hæc addit: *Poteſt tamen confici* (Euchariſtia) *de vino aceſcenti, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem; licet peccet conficiens* (& quidem interdùm graviter, pro ratione dubii vel irreverentiæ.)

3. E contra muſtum, ex uvis maturis expreſſum, eſt materia ſufficiens, quamvis non conveniens, donec

Google

nec purum ſit, & ſufficienter concoctum. Ita docet S. Thomas ad 3. ubi ait : *Muſtum jam habet ſpeciem vini ... & ideò de muſto poteſt confici hoc ſacramentum ... Prohibetur etiam ne muſtum, ſtatim expreſſum de uva, in calice offeratur : quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti : poteſt tamen in neceſſitate fieri.*

Supereſt difficultas de vino congelato, utrùm ſit materia ſufficiens: circa quod duplex eſt ſententia. Prima eſt Armillæ, & aliquorum aliorum, negantium eſſe materiam ſufficientem. Secunda eſt Sylveſtri, & aliorum quos ſequitur Suarez hic diſp.45. ſect. 1. aſſerentium vinum congelatum eſſe ſufficientem materiam. Hanc ſententiam ſic probat Suarez loco citato: „ Quia vinum congelatum, eſt vinum vitis, „ & conſequenter per ſe eſt materia potabilis : accidentarium enim eſt, quòd ſub illa diſpoſitione potari non poſſit : ſatis verò eſt, quòd ex ſe, & ab „ intrinſeco, habet naturam & formam potabilem, „ ad quam facilè & ab intrinſeco redigi poſſit. “ Tum „ ſic ſectionem concludit : „ Nihilominùs tamen „ non credo liberè hujuſmodi materiam conſecrare „ propter dubium : eſt enim contraria ſententia utcumque probabilis.

Dices 1. Contra ſententiam Suarez. Vinum per congelationem corrumpitur ſubſtantialiter, ut colligitur ex eo quòd perdat calorem, ſaporem, & ſimiles qualitates. Ergo non magis eſt vinum quàm acetum, adeòque nec magis eſt materia ſufficiens. *R.* neg. ant. Nam quòd vinum per congelationem non corrumpatur ſubſtantialiter, patet ex eo, quòd ſi poſtea liqueſiat, habet qualitates & effectus vini, ac proinde & naturam; ad quam, ſi fuiſſet ſubſtantialiter corruptum, nec rediret, nec redire poſſet per ſolam liquefactionem : unde ferè certum exiſtimat Suarez, vinum conſecratum, etiamſi congeletur, retinere conſecrationem & Sanguinem Chriſti : quod etiam probat authoritate Miſſalis Romani in defectibus Miſſæ, ubi dicitur, ſi contingat in calice vinum conſecratum congelari, debere liquefieri, & conſumi tanquam verum ſacramentum. Hinc

Ulteriùs tanquam ferè certum infert idem Author, vinum ante conſecrationem congelatum, ſi poſtea liqueſiat, poſſe eſſe materiam conſecrationis; & addit valdè probabile eſſe, quòd Sacerdos tale vinum conſecrando nullum admittat peccatum, quia de valore hujus conſecrationis nullum eſt dubium; conſultius tamen eſſe, ſi fieri poteſt, in vino illo non conſecrare : quòd ſi contingat vinum congelari ante conſecrationem etiam poſt oblationem, optimum conſilium fore, ſi vinum mutetur, & iterùm fiat oblatio, ac poſtea conſecratio.

Dices iterùm. Vinum congelatum habet quidem totam ſubſtantiam vini, & ideò ſi liqueſiat, eſt ſufficiens materia. At quandiu congelatum eſt, non habet formam & rationem potus. Ergo quandiu congelatum eſt, aptum non eſt conſecrationi. Quod adhuc confirmatur ſic. Quamvis aqua congelata ſit ſubſtantialiter aqua, non tamen poteſt eſſe materia baptiſmi, niſi priùs liqueſiat. Ergo ſimiliter vinum congelatum, licèt ſit ſubſtantialiter vinum, niſi priùs liqueſiat, non poteſt eſſe materia calicis.

Ad hanc inſtantiam, quæ certè veriſimilitudine non caret, *R.* neg. conſeq. Ad hoc enim, ait Suarez, ut vinum congelatum ſit materia apta conſecrationi, ſatis eſt, quòd ex ſe & ab intrinſeco habeat naturam & formam potabilem, ad quam facilè & ab intrinſeco reduci poteſt. *Ad confirmationem R.* magnum eſſe diſcrimen inter Baptiſmum, & Euchariſtiam : nam Baptiſmus conſiſtit in actuali uſu, & materia ejus proxima eſt ablutio, ad quam inepta eſt aqua congelata, niſi liqueſiat. At Euchariſtia conſiſtit in re permanente, adeòque ſatis eſt, quòd materia ex qua fit, ſit vinum ſubſtantialiter, licèt pro eo tempore quo conſecratur, non poſſit debito modo applicari, ſeu ſumi ad modum potùs, niſi liqueſiat : ſicut panis triticeus, qui præ duritie comedi non poſſet, niſi mollefieret aliquo modo, eſſet nihilominùs materia ſufficiens conſecrationis, quia nihilominùs retineret totam panis ſubſtantiam, & per ſe manducabilis eſſet. Ita Suarez.

ARTICULUS II.

Utrùm panis azymus, vel fermentatus, ſit de neceſſitate ſacramenti, aut ſaltem præcepti.

VAriæ hìc ſunt ſententiæ. Prima eſt Græcorum ſchiſmaticorum, qui docent in ſolo fermentato validè conſecrari poſſe. Patet ex Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano in prima reſponſione ad Lutheranos cap.10. in qua ſic loquitur: *Cenſet igitur Catholica Eccleſia panem poſt ſanctificationem tranſmutari in ipſum Corpus Chriſti ... cùm panis videlicet fermentatus ſit, minimèque azymus : Dominus enim nocte qua tradebatur, accipiens panem, & gratias agens fregit, & dixit :* Accipite, comedite. *Non hoc inquiet eſt azymum.* Errorem hunc apud Græcos ſchiſmaticos communiter exiſtimatur natum eſſe circa annum Domini 1053. authoribus Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinopolitano, & Leone Archiepiſcopo Achrideno, qui Leonem IX. ſummum Pontificem, & Latinos, quos per contemptum Azymitas vocabant, auſi ſunt excommunicare, eo quòd conſecrarent in azymo, ut patet ex epiſtola 1. Leonis IV. ad Michaelem cap.5. ubi hæreſiarchas illos ſic alloquitur : *Tu Conſtantinopolitane, tuque Leo Achridene, dicimini Apoſtolicam & Latinam Eccleſiam, nova præſumptione, atque incredibili audacia, nec auditam, nec convictam, palàm damnaſſe, pro eo maximè quòd de Azymis audeat commemorationem dominicæ Paſſionis celebrare.*

Secunda ſententia docet panem azymum pro Latinis neceſſarium eſſe neceſſitate ſacramenti. Ita ſentit Hugo quidam, cujus verba refert Gloſſa in caput *Litteras* 14. extra de celebratione Miſſarum. *Si quis,* inquit, *conficeret de fermentato pane in Eccleſia Occidentali, nihil fieret.*

Tertia ſententia tenet quidem, neutrum panem pro Græcis aut Latinis eſſe de neceſſitate ſacramenti, ſed contendit convenientiorem, magiſque congruentem materiam eſſe panem fermentatum. Hanc ſententiam ſequuntur Lutherani & Calviniſtæ, qui conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ contemnentes, fermentato pane in ſuis, ut vocant, Cœnis dominicis utuntur.

Quarta ſententia eſſe poteſt extremæ oppoſita, videlicet quòd azymus ſit de neceſſitate ſacramenti pro omnibus, ita ut fermentatus nullibi ſufficiat. Hic error perperàm tribuitur Armenis, neque illum eis attribuit Nicephorus lib. 18. eccleſiaſt. hiſt. cap. 53. ſed ſolùm inter eorum errores recenſet, quòd in conſecranda Euchariſtia, azymo, non fermentato utuntur; in quo Nicephorus ipſe errorem ſuum prodit de neceſſitate fermentati.

Quinta ſententia docet panem azymum, quamvis non ſit de neceſſitate ſacramenti, omnibus tamen eſſe de neceſſitate præcepti, ita ut peccent Græci conſecrando in fermentato. Hæc ſententia tribuitur Scoto, & aliquibus aliis. Eam fundant aliqui in praxi Eccleſiæ Romanæ, cui etiam Græci tenentur ſeſe conformare : alii verò fundant eam in jure divino, quod colligunt ex facto Chriſti, qui conſecravit in azymo.

Sexta denique ſententia eſt Paludani, quamvis ſubobſcurè, docentis panem azymum Latinis eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, Græcis verò liberum eſſe azymo, vel fermentato uti.

RESPONSIO I.

Tam panis azymus, quàm fermentatus, eſt materia ſufficiens ſacramenti Euchariſtiæ.

De pane azymo *prob.* 1. Ex facto Chriſti: nam, ut ait S. Thomas hìc quæſt.74. art.4. in O. Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit prima die Azymorum, ut habetur Matthæi 27. & Marci 14. & Lucæ 22. qua die

nihil fermentatum in domibus Judæorum eſſe debebat, & fermentato uti jam erat illicitum. Ergo Chriſtus conſecravit in azymo, adeòque azymum eſt materia ſufficiens ſacramenti. Conſeq. evidenter ſequitur ex antecedente, cujus veritas infrà demonſtrabitur.

2. Ex perpetua & conſtanti praxi particularis Eccleſiæ Romanæ, quam ritum in azymo conſecrando à beato Petro Apoſtolorum principe didiciſſe, Leo IX. apertè ſignificat in epiſt. 1. ad Michaelem Cerularium cap. 5. ubi ait: *Ecce jam poſt mille ac fermè viginti à Paſſione Salvatoris noſtri annos, incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria Paſſionis ejuſdem ſit recolenda: quaſi nil ei contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio ... illius venerabilis ſenis, cui ſpecialiter Chriſtus Filius Dei vivi dicit:* Beatus es, Simon Barjona, &c.

De fermentato *prob.* ex antiquiſſima conſuetudine in univerſa Orientali Eccleſia recepta pluribus ſæculis ante Photii ſchiſma, nunquam improbata, ſed potiùs tacitè ſaltem approbata ab Eccleſia Romana, ut colligitur ex Gregorio VII. apud S. Thomam hìc qu. 74. art. 4. in O. *Romana*, inquit, *Eccleſia offert azymos panes, propterea quòd Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnem: ſed Græci offerunt fermentatum, pro eo quòd Verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentatum miſcetur farina.*

De utroque, azymo & fermentato, *Prob. ſimul* 1. Ex Concilio Florentino in litteris ſanctæ unionis, quas Græci & Latini Antiſtites ſubſcripſerunt, & in quibus ſic loquitur ſummus Pontifex: *Definimus ..., in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici.* Unde quòd uterque panis, azymus & fermentatus, ſit materia ſufficiens conſecrationis, res eſt de fide.

2. Ratione. Quia panis uterque eſt panis ſimpliciter, quod de fermentato ultrò Græcis concedimus, & à nemine in dubium revocatur; de azymo verò *prob.* ex Scriptura Matth. cap. 26. v. 26. Marci cap. 14. v. 22. & Lucæ cap. 22. v. 19. quibus locis Chriſtus dicitur ſimpliciter accepiſſe panem. Verba Lucæ ſunt: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, &c.* Chriſtus autem azymum accepit: tunc enim fermentatus non inveniebatur in domibus Judæorum. Prætetea, Lucæ cap. 24. legitur: *Et factum eſt, dum recumberet cum eis* (duobus diſcipulis in caſtello nomine Emmaus) *accepit panem, & benedixit.* Panis autem ille fuit certò azymus: narrat enim Lucas id, quod factum eſt tertio die azymorum ſecundùm nos; autem ſaltem ſecundo juxta Græcos.

Denique uterque panis fit ex farina triticea, aqua naturali ſubacta, & ſolo ignis calore coquitur. Item uterque uſum habet panis proprium, ut ſcilicet cum aliis cibis tanquam comes illorum adhibeatur; quamvis fermentati uſus ſit frequentior, quia & aptior, & delectabilior eſt. Ergo panis azymus tam eſt propriè ac ſimpliciter panis, quàm fermentatus.

Porrò ſic uterque panis, azymus & fermentatus, eſt materia ſufficiens pro omnibus omninò Eccleſiis, ut tamen azymus ſit materia convenientior, vel, ut loquitur S. Thomas art. citato in O. rationabilior. Et 1. quidem, propter factum Chriſti, qui non in fermentato, ſed in azymo conſecravit. 2. Quia panis azymus purior eſt, adeòque aptior ad ſignificandam puritatem Corporis Chriſti, quod ſine ulla corruptione conceptum eſt. 3. Quia panis azymus aptior eſt ad ſignificandam ſinceritatem ſeu ſanctitatem, quacum fideles ad hoc ſacramentum debent accedere, juxta illud 1. Cor. cap. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis.* Quibus verbis videtur Apoſtolus innuere, tunc in Eccleſia morem fuiſſe conſecrandi tantùm in azymo.

Quartam rationem addit Anſelmus: quia panis azymus faciliùs ac decentiùs conficitur: fermentatus tamen non caret omni congruitate: aptus enim eſt ad ſignificandam unionem divinitatis cum humanitate Chriſti, ut obſervat Gregorius VII. non l. apud S. Thomam hìc quæſt. 74. art. 4. in O. Sed quia ſacramentum Euchariſtiæ, ut notat S. Thomas, magis eſt ſacramentum Corporis Chriſti, quàm divinitatis ipſius, fermentato pani antecellit azymus, quia ad ſignificandam Corporis Chriſti puritatem magis idoneus eſt.

Responsio II.

Panis azymus pro Latinis, & fermentatus pro Græcis, neceſſarius eſt neceſſitate præcepti.

Probatur ex Litteris ſanctæ unionis, in quibus Eugenius, poſt verba ſupra citata ſic proſequitur: *Sacerdoteſque in altero* (hoc eſt, azymo, vel fermentato) *ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis, conſuetudinem* (ſupple, definimus.) Quibus verbis ſufficienter ſignificatur conſuetudinem utriuſque Eccleſiæ, Orientalis & Occidentalis, vim habere graviter obligandi reſpectivè.

1. Itaque Latinus Sacerdos celebrans in Eccleſia Latina, tenetur ſine dubio conſecrare in azymo; & conſecrans in fermentato peccat mortaliter, non ſolùm propter ſcandalum, ſed etiam propter Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, rationabiliter ut patet ex ſupra dictis, inductam, & vim legia graviter obligantis obtinentem; quod confirmari poteſt ex capite finali extra de celebratione Miſſarum, in quo Sacerdos, qui in pane fermentato, & ſcypho ligneo Miſſarum ſolemnia præſumpſerat, graviſſimè punitur.

2. Similiter Sacerdos Græcus celebrans in Eccleſia Græca, tenetur conſecrare in fermentato; ita ut in azymo conſecrans mortaliter peccet, ut expreſsè docet S. Thomas art. citato in O. ubi ait: *Sicut peccat presbyter in Eccleſia Latinorum, celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum.* Et ratio eſt, quia conſuetudo conſecrandi in fermentato rationabiliter introducta eſt in Orientali Eccleſia, & in ea tanquam obligans ſub gravi, legitimè recepta.

At inquies. Sacerdotes Græci tenentur relinquere ſuum ſchiſma; ergo tenentur relinquere ſuam conſuetudinem conſecrandi in fermentato. *R.* neg. conſeq. Nam poſſunt relinquere ſuum ſchiſma, & retinere conſuetudinem conſecrandi fermentatum. *Nota.* Aliud eſt, Eccleſiæ Romanæ in azymo conſecrandi conſuetudinem, ut veritati & reverentiæ ſacramenti adverſantem, damnare; & aliud, in fermentato conſecrare. Primum pertinet ad ſchiſma, & hæreſim Græcorum, quod utrumque tenentur relinquere Græci Sacerdotes. Secundum verò pertinet ad honeſtam conſuetudinem, in Orientali Eccleſia rationabiliter introductam, ac receptam, nec unquam ab Eccleſia Occidentali reprobatam, ut contrariam veritati & reverentiæ ſacramenti, ſed è contra ab ea expreſsè approbatam in Florentina Synodo, ut patet ex Litteris ſanctæ unionis: quare poſſunt laudabiliter ei ſeſe conformare ſacerdotes Græci, quandiu in Eccleſia ſua remanent, nec ad Latinam tranſeunt, imò & ſub gravi tenentur, quia tandiu illos graviter obligat; & Eccleſia Romana, ut ei ſeſe conforment, & hortatur & vult, ut patet ex epiſt. Leonis IX. ad Michaelem Cerularium cap. 29. ubi hæc leguntur: *Ecce in hac parte, Romana Eccleſia quantò diſcretior, moderatior & clementior vobis eſt! ſi quidem cum intra & extra Romam, plurima Græcorum reperiantur Monaſteria, ſive Eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, ſive ſua conſuetudine: quin potius ſuadetur & admonetur eam obſervare.*

Dices contra Latinos. Latini peccant, conſecrantes in azymo. Ergo non ſolùm Græci, ſed etiam Latini tenentur conſecrare in fermentato. Neg. ant. *Probabis.* Latini conſecrantes in azymo, judaizant. Ergo peccant graviter. *R.* neg. ant. Nam Latini azymum conſecrando, non Judæos, ſed Chriſtum ipſum, qui

qui in azymo conſecravit, imitantur. Porrò nec fideles azymum conſecratum comedendo, dici poſſunt judaizare: ſumunt enim ſacramentum à Chriſto inſtitutum, non verò cæremoniam aliquam veteris legis peragunt.

At inquies. Concilium Quini-ſextum can. 11. prohibet, ne Chriſtiani azymum comedant. *Nemo*, inquit, *eorum, qui in ſacerdotali ordine enumerantur, vel laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat*. *R.* 1. Synodum illam non fuiſſe generalem, & nullius eſſe authoritatis, utpote à Sede Apoſtolica reprobatam. *R.* 2. Canonem eatum ad rem præſentem nihil pertinere; eo enim tantùm Chriſtianis prohibetur, ne in communi menſa cum Judæis utantur azymis.

Dices iterum. Saltem falſum eſt, quòd Eccleſia Romana ſemper conſecrarit in azymo: nam tota Eccleſia initio uſa eſt pane fermentato uſque ad tempora Alexandri Papæ, qui primus morem in azymo conſecrandi induxit. Hujus objectionis, vel potius mendacii author eſt Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 43. ubi ſic loquitur: *Fermentatum & vulgarem panem fuiſſe ante tempus Alexandri Romani Epiſcopi narrant hiſtoriæ, qui primus azymo pane delectatus eſt. Qua id ratione non video, niſi ut plebis oculos novo ſpectaculo traheret in admirationem magis, quàm ut animos proba religione inſtitueret*. *Reſp.* 1. Calvinus nullum citat hiſtoricum; quia procul dubio nullum, talem qui probatæ fidei eſſet, invenire potuit. 2. Nec dicit, quis ille Alexander fuerit, cùm tamen plures Alexandri fuerint Pontifices maximi. 3. Vel loquitur de Alexandro I. qui ſeptimus à beato Petro ſedit anno 119. At hoc veriſimile non eſt: nam non eſt veriſimile, quòd Hereſiarcha ille ritum quem reprehendit, tam antiquum eſſe, & à tam ſancto Pontifice inſtitutum, agnoſcere voluerit. Præterea à nemine ſcriptum eſt, quòd hic Alexander inſtituerit azymum; & Leo IX. ep. jam pluries citata cap. 5. aſſerit, Romanam Eccleſiam à beato Petro, non verò ab aliquo alio didiciſſe, qualiter debeant divina myſteria celebrari; & cap. 24. ait, ſanctos primitivæ Eccleſiæ Martyres noſtris azymis, hoc eſt, Euchariſtia in azymo conſecrata ſaginatos. Vel loquitur Calvinus de Alexandro II. aut aliquo alio poſteriore, & cum mentiri manifeſtum eſt ex Leone IX. qui multis annis ante Alexandrum II. ſedit, & in citata epiſtola contra Michaelem Cerularium, Latinorum in azymis celebrandi ritum acerrimè defendit. Sed de his modo adhuc uberiùs. Interea

Quæres, Utrùm Sacerdos Græcus in Eccleſia Latina, vel Latinus in Græca peregrinans, poſſit utrovis modo conſecrare, hoc eſt, in azymo, vel fermentato, prout libuerit?

R. Affirmativè pro utroque. 1. itaque Sacerdos Græcus, qui tanquam peregrinus in Eccleſia Latina verſatur, ritum propriæ Eccleſiæ ſervare poteſt, ut patet ex praxi Eccleſiæ Romanæ, quæ hoc permittit Græcis in ea peregrinantibus. 2. Poteſt etiam conformare ſe ritui Eccleſiæ Latinæ, ut prob. ex cap. *Illa autem* 11. diſt. 12. ubi S. Auguſtinus hæc S. Ambroſii verba refert: *Cùm Romam venio, jejunio ſabbato: cum Mediolani ſum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*. Superiùs dixerat idem Auguſtinus: *Nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſia, ad quamcumque fortè devenerit*. Quòd autem Sacerdos Latinus idem poſſit in Eccleſia Græca, in qua peregrinatur, quod poteſt Græcus in Latina, per ſe manifeſtum eſt, nec probatione indiget.

At inquies, Quid ſi Sacerdos Græcus domicilium mutaſſet, & in Eccleſia Latina tanquam incola habitaret? *R.* Tunc Sacerdos Græcus teneretur conformare ſe ritui Eccleſiæ Latinæ: tunc enim jam factus eſſet membrum illius, nec reputandus eſſet Sacerdos Græcus, ſed Latinus. Idem dic de Sacerdote Latino, qui domicilium mutaſſet, & jam ut incola habitaret in Eccleſia Græca: tunc enim factus eſſet membrum Eccleſiæ Græcæ, cujus proinde ritus ſervare teneretur.

At inquies. Quid ſi Sacerdos Græcus celebrare vellit in templo Græcorum, quod in Eccleſia Latina invenitur? *R.* teneri ad ſervandum ritum Eccleſiæ propriæ: tunc enim perinde ſe habet, ac ſi in Eccleſia propria verſaretur. Idem dic de Sacerdote Latino, qui celebrare vellet in templo Latinorum, quod inveniretur in Eccleſia Græca; teneretur enim ritum Eccleſiæ propriæ ſervare; quia perinde ſe haberet, ac ſi verſaretur in Eccleſia Latina.

ARTICULUS III.

Utrùm Orientalis Eccleſia ſemper in fermentato, & Latina ſemper in azymo conſecrarit.

PLures hic ſunt ſententiæ. Prima eſt S. Thomæ in 4. ſent. diſt. 11. q. 2. a. 2. quæſt. 3. ubi ait, eò quòd Chriſtus azymum conſecraverat, in primitiva Eccleſia Apoſtolos celebraſſe in azymo, & hunc morem celebrandi Romanam Eccleſiam ab Apoſtolis qui ipſam fundaverunt, accepiſſe: ſed poſtea graſſante hæreſi Ebionitarum, qui ſimul cum Evangelio legalia obſervanda eſſe dicebant, utramque Eccleſiam, Orientalem ſcilicet & Occidentalem, ne hæreticis illis conſentire viderentur, inſtinctu Spiritus ſancti, relicto azymo, fermentatum ad tempus adhiberi voluiſſe: poſtea verò extincta Ebionitarum hæreſi, Eccleſiam Romanam, & cùm ea alias Occidentis Eccleſias, ad priſtinum in azymo conficiendi morem rediiſſe, Orientalibus fermentatum retinentibus. Idem docet Sanct. Bonaventura in lib. 4. ſent. diſt. 11. art. 1. quæſt. 3. & alii plures, tum ex veteribus, tum ex recentioribus Scholaſticis pro ſua ſententia Sanct. Thomas citat Leonem IX. in cujus tamen epiſtolis ad Michaelem Cerularium, & Conſtantinum Monomachum Imperatorem nihil planè invenimus, quo hiſtoria illa probari poſſit: ſed è contra ex illis videtur poſſe falſitatis revinci. Adde altum de illa apud veteres omnes Scriptores eccleſiaſticos ſilentium eſſe.

Secunda ſententia eſt Sirmondi è Societate noſtra, in diſquiſitione de azymo, in qua contendit Eccleſiam Latinam ab initio per octingentos & ampliùs annos conſecraſſe in fermentato, & in ea poſt exortum ſchiſma Photii uſum azymi cœpiſſe.

Tertia ſententia eſt Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturgic. cap. 23. ubi docet Latinam Eccleſiam prioribus ſæculis utrumque, azymum ſcilicet & fermentatum, pro variis temporum, locorum & perſonarum circumſtantiis in conficienda Euchariſtia adhibuiſſe.

Quarta denique ſententia eſt ſingularis notæ recentiorum, ut Joannis Mabillonii in diſſertatione de pane Euchariſtico azymo & fermentato, & Chriſtiani Lupi Lovanienſis Theologi tom. 3. ſcholiorum in decreta & canones Conciliorum. Hi autem contendunt perpetuum & conſtantem ab apoſtolicis temporibus azymorum uſum fuiſſe in Eccleſia Latina; quibus, ut verius ac rectiùs de Eccleſia ſentientibus, libenter aſſentimur.

RESPONSIO. I.

Nullo ſufficienti fundamento niti videntur, qui dicunt, Orientales Eccleſias à tempore Apoſtolorum ſemper conſecraſſe panem fermentatum.

Prob. aſſertio. Quòd Orientales omnes Eccleſiæ ſtatim & ab initio exemplum Chriſti, quem in azymo conſecraſſe infra demonſtrabitur, ita neglexerint, ut conſecrarint in ſolo fermentato, videtur res per ſe incredibilis, & niſi validiſſimis argumentis comprobetur, nullatenùs credenda, ſed ut merum figmentum explodenda. Atqui nullo argumento ſufficienter probatur, ut patebit ex ſolutione eorum, quæ ab adverſariis afferuntur. Ergo, &c.

Obj. 1. Patres Græci paſſim in ſcriptis ſuis panem conſecrandum vocant communem. Ita Juſtinus Martyr apologia 2. pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem. Gregorius Niſſenus orat. in baptiſmum Chriſti, Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi myſtagogica 3. &c. Verba Juſtini Martyris ſunt: *Non enim ut communem panem neque communem potum ita ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus, &c.* Verba Nyſſeni ſunt: *Panis item panis eſt initio communis; ſed ubi eum myſterium ſanctificaverit, Corpus Chriſti fit & dicitur.* Verba denique Cyrilli ſunt: *Quemadmodum panis Euchariſtia, poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti, ſic, &c.* Ergo Orientalis Eccleſia quatuor prioribus ſæculis, non in azymo, ſed in fermentato conſecravit.

R. Neg. conſeq. Nam nomine panis communis tam venit panis azymus, quàm fermentatus: unde Patres citati tam facilè intelliguntur de pane azymo, quàm de fermentato; & quòd potiùs de fermentato, quàm de azymo intelligi debeant, nec probatur, nec probari poteſt: imò de azymo intelligendos eſſe, perſuadet nobis factum Chriſti, qui conſecravit in azymo, & cujus exemplum prioribus illis ſæculis Orientales Eccleſias imitatas eſſe pro certo tenendum eſſe contendimus, niſi contrarium evidenter demonſtretur.

Præterea, quòd Patres citati per panem illum communem, intellexerint panem azymum, vel, ſi vis, intellexerint panem triticeum præcisè, præſcindendo ab hoc quòd eſſet azymus vel fermentatus, ſuaderi poteſt ex S. Irenæo lib. 4. cap. 34. ubi panem, ex quo conficiebatur Euchariſtia; vocat panem communem, *Quemadmodum enim*, inquit, *qui eſt à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, &c.* Atqui nomine panis communis tunc certo certiùs intelligit vel panem azymum, vel præcisè panem triticeum: ipſe enim in azymo conſecrabat, cùm eſſet Epiſcopus in Eccleſia Latina, quam nunquam niſi azymum in conſecranda Euchariſtia adhibuiſſe, infra ſufficientiſſimè probabitur.

At inquies. Eo ſenſu Juſtinus Martyr loco citato panem communem ſumpſit, quo eum ſumere poterat Imperator Antoninus, ad quem ſuam ſcribebat Apologiam. Atqui Antoninus ſolum fermentatum intelligere poterat nomine panis communis: vel enim planè ignorabat azymum, vel non potuit eum æſtimare panem communem; vel denique non ei videbatur verus panis. Ergo Juſtinus Martyr loco citato intelligit panem fermentatum.

R. Ad hanc frigidam inſtantiam, ſatis fuiſſe Juſtino, quòd Antoninus, nomine panis communis intelligeret panem, quem homines in menſa ut ciborum aliorum comitem adhibent, ſive alteriùs crederet omnem ejuſmodi panem fermentatum eſſe, ſive non crederet; ſive ſciret azymum eſſe poſſe, ſive non ſciret: Juſtinus enim hoc tantùm docere volebat Antoninum, quòd tota ſubſtantia panis per verba conſecratoria, operante divina virtute, in Corpus Chriſti converteretur, ſolis ſpeciebus panis remanentibus. Juſtinus igitur loco citato, nomine panis communis ſignificare vult, & ſignificat tantùm panem, qui ab hominibus adhibetur ut comes ciborum aliorum, & quem ipſe ſciebat fermentatum, vel azymum eſſe poſſe, & reipſa azymum eſſe, non fermentatum, quoties parabatur ad conficiendam Euchariſtiam.

Nota. Panis communis quoddam genus eſt, ſub ſe continens ſpecies, fermentatum ſcilicet & azymum, quarum una frequentior & uſitatior eſt altera, quia gratior eſt, & ſapidior: ſic tamen ut altera non ſit, aut ſaltem non fuerit infrequens apud plebejos, ut innuit Humbertus Cardinalis in ſuo Michaelis Cerularii refutatione, in qua ſic loquitur: *Salva ergo, ut dignum eſt, reverentia Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in fermentato, & in azymo, perquiramus an fermentatum ad humanas menſas præparatum, ſincerius ac mundius ſit plebeja azymo.* Et ſuperiùs: *Quod autem calumniamini azyma deorſum terræ conjuncta, non negamus, vulgò hæc eadem ſic parari lapidibus, aut argillæ ſuperpoſita ... verum hæc ad communes uſus hominum, & cæterorum animalium tranſeunt.*

Obj. 2. S. Epiphanius quarto Eccleſiæ ſæculo Ebionitarum hæreſim deſcribens, tanquam rem ſpeciali obſervatione dignam refert, quòd ſacra myſteria non in fermentato pane, ſed in azymo celebrent. Ergo ex S. Epiphanio, Ebionitæ à Catholicis Orientalibus differebant, eò quòd conſecrabant azymum. Ergo teſte S. Epiphanio, Catholici Orientales in conficienda Euchariſtia fermentatum adhibebant. Verba S. Epiphanii ſunt hær. 30. *Ex Chriſtianorum & Eccleſiæ imitatione myſteria quotannis celebrant per azymos panes, & ad alteram myſterii partem meram aquam adhibent.*

R. Hic adverſarios garrire contra textus evidentiam: nam S. Epiphanius loco citato manifeſtè dicit tantùm, quòd Ebionitæ Chriſtianos & Eccleſiam, vel, ut habet Græcum, Sanctos, qui in Eccleſia ſunt, imitentur, in quantum quotannis myſteria celebrant per azymos, ſed ab eis in eo diſcrepent, quòd ſolam aquam adhibent pro materia calicis. Quid ergo hic in Ebionitis reprehendit Epiphanius? Quòd ſacra myſteria celebrarent in azymo? Minimè: in hoc enim imitabantur Chriſtianos, & ipſum Chriſtum, qui inſtituendo Euchariſtiam, in azymo conſecrarat. Quid ergo; Ebionitas culpat Epiphanius, quòd non vinum aqua mixtum more Chriſtianorum, ſed puram aquam pro materia calicis adhiberent.

Porrò idem in Tatiano, quod in Ebionitis, reprehendit S. Epiphanius hær. 46. ubi ait: *Similiter & myſteria, ad Eccleſiæ ſanctæ imitationem celebravit* (utique per azymos panes) *ſed in myſteriis illis ſola aqua uſus eſt* (ſcilicet pro materia calicis.) Habemus igitur contra id quod perperam ſentiunt adverſarii, ex S. Epiphanii teſtimonio, ſæculo quarto ad finem vergente, quo tempore ſcribebat S. Epiphanius, Eccleſiam Orientalem celebraſſe in azymo, non in fermentato.

Obj. 3. Joannes Philoponus, in diſputatione de Paſchate, contendit Chriſtum celebraſſe cœnam ultimam ante dies azymorum; quia ſi in azymo Chriſtus inſtituiſſet Euchariſtiam, non in fermentato, ſed in azymo Euchariſtia celebraretur. Ergo ſexto ſæculo eodem, quo tempore ſcribebat Philoponus, Græci Euchariſtiam, non ex pane azymo, ſed ex fermentato conficiebant. Item ex veteribus Liturgiis Græcorum ante ſchiſma ſcriptis, conſtat ipſos ad ſacrificium panem integrum & turgidum, juſtæque magnitudinis attuliſſe, ex quo particulas conſecrandas lanceola incidebant, ut etiam nunc faciunt. Item Clemens Galenus refert Armenos circa tempora ſextæ Synodi generalis, poſtquam ad Eutychianam hæreſim defecerant, relicto fermentato, in celebrando ſacrificio uti cœpiſſe azymo, quod illis vitio datum eſt à Græcis: ita ut qui vellent ad concordiam cum Eccleſia Græca redire, cogerentur hoc proferre anathema: *Si quis in in panem oblationis non immittit fermentum & ſal, nec aquam cum vino in ſanctum calicem, anathema ſit.* Denique Humbertus Cardinalis ſcribit, Græcos tempore ſextæ Synodi uſos eſſe fermentato. Ergo, &c.

R. Ex his omnibus quæ hic congeruntur, nihil colligi poſſe pro quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis, ſed tantùm utcumque poſſe conjici, quòd quinto vel ſexto ſæculo uſus fermentati cœperit in Orientali Eccleſia; ſic tamen ut non ſtatim receptus fuerit ubique, & in omnibus Eccleſiis particularibus; quod ſuaderi poſſe videtur ex ipſo Photio epiſt. 64. in qua variam per varias, Orientis ſcilicet, Eccleſias in myſticis ſacrificiis diſciplinam agnoſcit, hoc enim ad euchariſticum panem videtur poſſe referri; atque ita receptus fuerit in multis, ut in illis uſus azymi non ceſſarit omninò ante conſummatum ſchiſma. Quod

Probari poteſt ex Michaelis Cerularii epiſt. ad Petrum Patriarcham Antiochenum, in qua de Patriarchis

Google

ebis Alexandrino & Hieroſolymitano, ita ſcribit: *Ad noſtras aures pervenit, quòd ...... prædicti duo Patriarchæ non ſolùm alios azymis veſcentes recipiunt, ſed etiam ipſi aliquando in azymis ſacrum conficiunt ſacrificium.*

Nec obſunt quæ ſubjicit: *Et nos quidem cùm non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re*
Ap. Baron. tom. 2. pag. 209. *illos ſuſcitaremur: quin etiam nec aliis confidere volentes, rem totam tuæ ſanctitati requirendam relinquimus, ut de hac re, cùm omnia diligenter fuerint ſcrutata, humilitati noſtræ ſingula faciat manifeſta.* Nam Petrus ad Cerularium reſcribens, de duobus
Pag. 213. Patriarchis in azymis ſacrificium offerentibus, tacet omninò, & ejus ſilentium tacita veritatis confeſſio eſt.

Dixi. Utcumque poſſe colligi, &c. Nam primò nego Joannem Philoponum ſcripſiſſe diſputationem de Paſchate: hujus enim diſputationis non meminerunt Photius in Bibliotheca, & Poſſevinus in Apparatu ſacro, dum libros ab hæretico illo exaratos recenſent. Præterea, hæc diſputatio de Paſchate fabricata fuit ad probandum Græcorum errorem, nempe quòd Chriſtus non luna decima-quarta primi menſis, ſed decima-tertia cœnam ultimam cum diſcipulis fecerit, adeòque Euchariſtiam inſtituendo, non in azymo, ſed in fermentato conſecrarit: quare omninò videtur hæc diſputatio non Joanni Philopono attribuenda, ſed ab alio recentiore poſt exortam de azymo controverſiam Græcos inter & Latinos, elucubrata,

2. Dato quòd veteres Liturgiæ, de quibus objectio loquitur, ante ſchiſma ſcriptæ fuerint, ex eo quòd Orientales Eccleſiæ ad ſacrificium panem integrum, juſtæque magnitudinis adhiberent, malè concluditur panem illum fermentatum fuiſſe, non azymum: nam, ut disertè aſſerit Humbertus Cardinalis in Cerularii refutatione, Eccleſia Romana panem integrum, & juſtæ magnitudinis conſecrabat, & poſt conſecrationem frangebat, & fractum diſtribuebat fidelibus. Panis autem ille azymus erat, non fermentatus: *Romana*, inquit Humbertus, *& Occidentalis Eccleſia à miniſtris ſacri altaris in ſecretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti & limpida aqua per ignem fuerit præparatum*. Et inferiùs: *Sicut ſancta Romana Eccleſia uſque nunc obſervat, panem integrum benedixit* (Dominus) *& fractum ſingulis particulatim diſtribuit, dicens: Accipite & comedite, &c.* Et inferiùs: *Tenues oblatas ex ſimila præparatas, integras & ſanas ſacris altaribus nos quoque ſuperponimus, & ex ipſis poſt conſecrationem fractis cum populo communicamus.*

3. Quod Galenus refert de Armenis, eos ſcilicet à fermentato ad azymum traductos eſſe decreto cujuſdam Conciliabuli circa tempora ſextæ Synodi generalis, impunè contemni poteſt ut fabula, & dici Armenos ab initio conſtantes fuiſſe in azymo ad ſacrificium adhibendo, nec Græcos ante Armenis, quàm Latinis, hoc vitio dediſſe, proindeque anathema illud, quod deſcripſit Cotelerius, ad undecimum ſæculum eſſe rejiciendum.

4. Denique falſum eſt, quòd Humbertus Cardinalis ſcripſerit Græcos tempore ſextæ Synodi uſos eſſe fermentato: ſolùm enim ſcribit in reſponſione adversùs Nicetam Pectoratum, quòd finita Synodo, *tanta gratia legatos catholicæ pacis comitata eſt, ut Joannes Portuenſis Epiſcopus, qui erat unus ex ipſis, Dominica octava Paſchæ miſſas publicas in Eccleſia ſancta Sophiæ coram Principe & Epiſcopo ipſius urbis latinè celebraret.* Et ſubdit paulò inferiùs, legatos à Conſtantino Imperatore, *qualiter Romana Eccleſia de ſacrificio Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ordinem teneret*, interrogatos, reſpondiſſe: *In calice Domini non debet offerri ſolum vinum, ſed aqua mixtum .... Oblatio verò quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem fermenti debet habere.* Addit, placuiſſe piiſſimo Principi Conſtantino hanc traditionem Apoſtolicæ Sedis.

Porrò ex altera parte reſponſionis Legatorum, nempe quòd oblatio, quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam fermenti commixtionem debeat habere, non magis argui poteſt, quòd tunc temporis Græci fermento uterentur, quàm ex prima, nempe quòd non debeat offerri ſolum vinum, ſed aqua mixtum, poteſt inferri Græcos tunc temporis purum vinum adhibuiſſe.

Obj. S. Thomam hic quæſt. 74. art. 4. in O. ubi hæc Gregorii in regiſtro verba citat: *Romana Eccleſia offert azymos panes .... ſed Græca offerunt fermentatum. Reſp.* Cum ipſis adverſariis, verba illa non eſſe Gregorii Magni, ſed Gregorii VII. qui ſedere cæpit anno 1073. ac proinde poſt conſummatum ſchiſma Græcorum, & cùm jam ab annis viginti Latini à Græcis propter azymum excommunicati fuiſſent, quo tempore Græci ſolo fermento utebantur.

Obj. denique. Theodorum Abucaram opuſcul. 22. ubi ſic percunctantem inducit Saracenum: *Ex una farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis, alterum in particulas partitum populis diſtribuitis, nominatiſque Chriſti Corpus, &c. Reſp.* 1. Quòd fermentum in Eccleſiis Orientalibus in ſacrificio adhibitum fuerit prioribus ſæculis, probari non poteſt ex Theodoro illo, qui ſæculo nono cadente vixit. 2. Ex verbis citatis nihil concludi poſſe pro uſu fermentati: Nam Saracenus non dicit, ex una maſſa, ſed, quod aliud eſt: *Ex una farina*; ex una autem farina duo panes confici poſſunt, quorum unus ſit fermentatus, & in cibum communem relinquatur, alter verò ſit azymus, & ad conficiendam Euchariſtiam aſſumatur, & poſt conſecrationem, in particulas diviſus, populis diſtribuatur. Facilè tamen adverſariis concedimus, eo tempore quo Theodorus Abucara ſcribebat, morem conficiendi in fermentato jam invaluiſſe in Orientali Eccleſia: ſic tamen ut adhuc per ducentos ferè annos azymum ad ſacrificium identidem adhibitum fuerit, ſi non in omnibus, ſaltem in multis Eccleſiis Orientalibus.

Responsio II.

Panis azymi uſus in Euchariſtiæ ſacrificio conſtans ac perpetuus fuit ab Apoſtolicis temporibus in Eccleſia Latina, ac in primis in particulari Romana.

Prob. 1. Authoritate Legatorum, quos Agatho Papa Conſtantinopolim miſit, ut ejus nomine ſextæ Synodo generali præſiderent, quique apud Humbertum Cardinalem in reſponſione adversùs Nicetam Pectoratum à Conſtantino Imperatore interrogati: *Qualiter Romana Eccleſia de ſacrificio Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ordinem teneret*, reſponderunt: *In calice Domini non debet offerri ſolum vinum, ſed aqua mixtum ... Oblatio verò, quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere: ſicut Beata Virgo Maria abſque omni corruptione Chriſtum concepit & peperit .... ſic & oblatio munda debet eſſe à fermento*; quibus verbis recitatis, ſic proſequitur Humbertus: *Tunc placuit piiſſimo Principi Conſtantino hæc traditio Apoſtolicæ Sedis. Ecce iſtius, & cæterarum ſex Synodorum omnibus ſanctis Patribus & orthodoxis Imperatoribus per omnia placuit fides & traditio Apoſtolicæ Sedis. Et tu quis es (ò Niceta!) cui diſplicent?*

Ex his verbis, 1. clarum eſt Eccleſiam Romanam ſæculo ſeptimo azymum, & ſolum azymum adhibuiſſe in ſacrificio: unde jam falſi manifeſtè convicti manent, qui cum Sirmundo tenent Eccleſiam Romanam fermento uſam fuiſſe octo prioribus ſæculis, nec azymum aſſumpſiſſe niſi poſt exortum ſchiſma Photianum. 2. Imò clarum videtur Eccleſiam Romanam catenùs ab inſtitutione ſua nunquam niſi in azymo conſe-

conſecraſſe: Legati enim non recentem aliquam Ecleſiæ Romanæ traditionem, ſed antiquam, & ab Apoſtolis acceptam, atque eatenùs conſtanter conſervatam, exponunt. Et verò Eccleſia Romana non aliàs habet traditiones, quàm eas quas ab Apoſtolis, à quibus fundata eſt, accepit; & quas accepit, integras ac intemeratas ſemper conſervavit, ſemperque conſervatura eſt.

Præterea, legati, ſicut dicendo in calice Domini non debere offerri ſolum vinum, ſed aqua mixtum, hoc ipſo intelliguntur dicere, in Eccleſiá Romana nunquam ſolum vinum, ſed ſemper aqua mixtum, in calice Domini oblatum fuiſſe; ita dicendo oblationem quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem fermenti habere debere, hoc ipſo intelliguntur dicere, in Eccleſia Romana oblationem, quæ in ſacrificium altaris offertur, omnis commixtionis, & corruptionis fermenti ſemper fuiſſe expertem, ſeu, quod idem eſt, in Eccleſia Romana ſolum azymum ſemper oblatum fuiſſe in ſacrificium altaris.

Prob. 2. Ea Alcuino, qui deſinente ſæculo octavo floruit, & in epiſtola 69. ad Lugdunenſes ſcripta, ſic loquitur: *Audivimus aliquos in illis partibus affirmare, ſalem eſſe in ſacrificium Corporis Chriſti mittendum; quam conſuetudinem nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit authoritas. Tria ſunt, quæ in ſacrificio hujus teſtimonii offerenda ſunt, panis, aqua, & vinum .... Panis, qui in Chriſti Corpus conſecratur, abſque fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus; & aqua abſque omni ſorde mundiſſima, & vinum abſque omni commixtione alterius liquoris, niſi aqua, purgatiſſimum ..... Ex aqua & farina panis fit, qui conſecratur in Corpus Chriſti*. Hic autem Alcuinus manifeſtè præſcribit id quod circa utramque Euchariſtiæ materiam ſervandum eſt juxta morem particularis Eccleſiæ Romanæ, & univerſæ Latinæ: neque obſtant nobis verba illa, Abſque fermento ullius alterius infectionis, tam enim intelligi poſſunt ac debent de fermento propriè dicto, quod fit ex farina & aqua, quàm de quolibet alio fermento ex alia materia confecto: nam fermentum, quod fit ex aqua & farina, quæ poſtquam ſubacta fuit, conſervatur donec aceſcat, tam verè & propriè maſſam cui immiſcetur, inficere dicitur, quàm aliud fermentum quodlibet.

Prob. 3. Ea Rabano, qui floruit ſæculo nono; & lib. 1. de inſtitut. clericor. cap. 31. ait: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum, in ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſanctificari oportet*. Quod autem panis omnis fermenti expers eſſe debeat, probat ea facto Chriſti, qui cùm Euchariſtiam inſtituit, non fermentum, ſed azymum panem conſecravit: *Credimus*, inquit, *& panem illum, quem primum Dominus in Cœna myſtica in myſterium ſui corporis conſecravit, infermentatum eſſe: maximè cum in tempore Paſcha nullum fermentum cuiquam veſci, ſed nec in domo habere ulli licebat*. Hanc rationem, quæ pro omnibus retrò ſæculis valebat, aſſerendo, Rabanus ſatis ſignificat, id quod circa materiam utramque Euchariſtiæ ſuo tempore ſervandum erat, ſervatum ſemper fuiſſe in Eccleſia Latina. Perperam autem, nec abſque injuria, dicunt teſtis eſſe non poſſe ſæculorum præcedentium, ſed tantùm temporis quo vixit, nec conſuetudinis aliarum Eccleſiarum, ſed ſuæ tantùm.

Prob. 4. Ex Humberto Cardinali in refutatione Michaelis Cerularii, in qua hæc habet: *Jam quia ſufficienti authoritate novi & veteris teſtamenti conſtat, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum commemorationem ſuæ paſſionis recolendam in azymo diſcipulis ſuis ſub ipſa Cœna commendaſſe, ſicut hodieque ſancta Romana & Latina Eccleſia noſcitur recolere; dicere debeſis, cujus inſtitutionem in fermentato tam obſtinatè defenditis*. Teſte igitur Humberto, ſancta Romana Eccleſia, & cum ea Latina univerſa, ab initio ad illud uſque quo ſcribebat tempus, commemorationem paſſionis Chriſti recoluerant in azymo, azymum ſcilicet, non fermentatum conſecrando, & ſic recoluerant propter factum Chriſti, qui non fermentatum, ſed azymum conſecraverat, & conſecrato azymo: *Quod me videtis feciſſe, hoc in mei commemorationem faciete*, diſcipulis ſuis dixerat.

In reſponſione adversùs Nicetam Pectoratum ſic loquitur: *Non tantum ab Apoſtolis, quantum ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, traditum eſt nobis non de phaſe judaico comedere, ſed de Paſcha chriſtiano percipere*. Romana igitur Eccleſia ab Apoſtolis qui eam fundaverant, quamvis non tam ab illis quàm ab ipſo Chriſto edocta fuit, ſacramentum & ſacrificium Euchariſtiæ conficere ex azymo. Quis autem inficiari audet, Eccleſiam illam, id quod à Chriſto & Apoſtolis ejus edocta eſt, ſanctè ſervaſſe ſemper, ſemperque ſervaturam?

Inferiùs idem Humbertus teſtatur, Conſtantino Imperatori placuiſſe traditionem Apoſtolicæ Sedis circa ritum conficiendæ Euchariſtiæ, à Legatis Apoſtolicis expoſitam. Tum ſic proſequitur: *Ecce iſtius & cæterarum ſex Synodorum omnibus ſanctis Patribus, & orthodoxis Imperatoribus per omnia placuit fides & traditio Apoſtolicæ Sedis*, ſecundùm quam ſcilicet non ſolum vinum, ſed aqua mixtum in calice Domini debet offerri; oblatio verò, quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam fermenti commixtionem habere debet. Teſte igitur Humberto, in Eccleſia Romana traditum ſemper fuit panem azymum, ſicut & vinum aqua mixtum, in Euchariſtiæ ſacrificio adhibendum eſſe. At ſi hoc ſemper traditum eſt, certo certiùs ſemper ita factum eſt.

Probab. 5. Ex Leone IX. ſic loquente in prima ad Michaelem Cerularium epiſtola: *Ecce jam poſt mille ac fermè viginti à Paſſione Salvatoris noſtri annos incipis per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria Paſſionis ejuſdem ſit recolenda, quaſi nil ei contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio.. illius venerabilis ſenis* (Petri Apoſtoli) *cui, &c.* Et in ſecunda ad eundem: *Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt tot ſanctos & orthodoxos Patres, per mille & viginti à paſſione Salvatoris annos, novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes ..... quicunque participarentur ſacramentorum ex azymis?*

Ecce hoc utroque loco appertè ſupponit & ſignificat Leo IX. Eccleſiam Romanam, & cum ea Latinam univerſam, in ſolo azymo Euchariſtiam conſecraſſe à temporibus Apoſtolicis ad ſua uſque tempora. Nullus, inquit Leo, ea ſanctis & orthodoxis Patribus per mille & viginti annos, qui à paſſione Salvatoris effluxerunt, hactenùs Eccleſiam Latinam reprehendit, quòd Euchariſtiam conſecraret in azymo. Tu poſt tot ſæcula primus hujus Eccleſiæ calumniator emergis, eamque azymum adhibendo graviter errare contendis, & anathematizas eos omnes, qui Euchariſtiam in azymo conſecratam participant.

Romana Eccleſia poſt mille & viginti annos, inquit Leo ironicè, quibus celebrando in azymo, paſſionis Chriſti memoriam recolendi modum legitimum ignoravit, per vos tandem Græculos incipit diſcere qualiter recolenda ſit, nec in azymo, ſed in fermentato ſacrificium offerendum eſſe: quaſi verò nihil ei profuerit præſentia & inſtitutio B. Petri, quem Apoſtolorum ſuorum principem conſtituit Chriſtus, nec ab eo legitimum divina myſteria celebrandi ritum didicerit; quod certè enormiter falſum eſt. Modum ergo celebrandi in azymo, quem à mille & viginti annis hactenùs retinet, à B. Petro accepit: quare modum hunc immeritò ut illegitimum, & catholicæ doctrinæ contrarium calumniamini.

Sic autem ſine intolerabili errore facti circa traditionem, & morem Eccleſiæ ſuæ in re maximi momenti, loqui non potuiſſet Leo IX. ſi verum eſſet, quod aliqui volunt, Romanam Eccleſiam ſex prioribus ſæculis fermentatum, vel azymum indifferenter adhibuiſſe in offerendo ſacrificio: quantò magis, ſi

verum

verum eſſet, quod volunt alii, Eccleſiam Romanam, & univerſam Occidentalem, ſolo fermento uſas eſſe per novem priora ſæcula, nec azymi uſum in Occidente cœpiſſe, niſi poſt Photii tempora.

Prætereà, quomodo tam inſignis facti memoria ita ſæculo undecimo interiiſſet, ut penitùs lateret tantùm Pontificem? Denique quomodo fama illius ad Græcos uſque non pervaſiſſet? Certè ſi uſus ſolius azymi nonniſi poſt tot ſæcula in Romana Eccleſia, & aliis Occidentalibus receptus fuiſſet, hoc non ignoraſſent Cerularius & Leo Achridenus, nec illud ſilentio prætériiſſent, ſed è contra Latinæ Eccleſiæ, ut inſignem levitatis & inconſtantiæ notam, exprobraſſent. Leoni igitur, conſtantem & perpetuum in tota Eccleſia Latina ſolius azymi uſum fuiſſe ſæculo undecimo affirmanti, credere malumus, quàm paucis criticis id ſæculo xvii. negantibus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. In Melchiadis vita dicitur: *Hic fecit, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Et in vita Sirici legitur: *Hic conſtituit, ut nullus presbyter miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Et Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium cap. 5. ſic loquitur: *De fermento verò, quod die Dominica per titulos mittimus, ſuperfluè nos conſulere voluiſti; cùm omnes Eccleſiæ noſtra* (titulares) *intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcircò fermentum à nobis confectum per acolythos accipiunt, ut ſe à noſtra communione, maxime illa die non judicent ſeparatos: quod per parochias* (ſeu rurales Eccleſias titulares) *fieri debere non puto, quia nec longè portanda ſunt ſacramenta: nec nos per cœmeteria diverſa conſtitutis presbyteris deſtinamus, & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Ergo tertio & quarto ſæculo Romana Eccleſia Euchariſtiam conſecravit in fermentato.

Reſp. Neg. conſeq. Ad id quod refertur ex vita Melchiadis, *Reſp.* per *oblationes conſecratas* ſignificari, non Euchariſtiam, ſed Eulogias, quæ fiebant ex pane fermentato, à populo, vel à clericis oblato. Hoc itaque loco tantùm dicitur, quòd Melchiades inſtituit, ut panis fermentatus, à populo vel clericis oblatus, & ab Epiſcopo benedictus, tanquam ſymbolum catholicæ communionis mitteretur ad ſingulos titulorum, ſeu parœciarum presbyteros, qui illum certo tempore diſtribuerent fidelibus ſub ſe conſtitutis, qui Euchariſtiam non ſumpſiſſent.

De hoc antiquo ritu parochos ſuæ diœceſis inſtituens Hincmarus, ut obſervat ipſe Sirmondus in citata diſquiſitione, hæc præſcribit cap. 7. *Ut de oblatis quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, & poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant.*

Diſcrimen tamen, quòd hìc obſervare juvat, eſt inter ſtatutum Melchiadis, & ſtatutum Hincmari, in eo quòd ſecundùm ſtatutum Melchiadis, Eulogiæ faciendæ eſſent ex fermentato tantum; at ſecundùm Hincmari ſtatutum, fieri poſſent non ſolùm ex fermentato, ſed etiam ex azymo, qui conſecratus non fuerat: loco enim citato Hincmarus oblatas, quæ offerebantur à populo, manifeſtè diſtinguit à panibus quos deferebant fideles ad Eccleſiam, & oblatæ illæ erant azymæ, panes verò fermentati: oblatæ offerebantur à populo ad Euchariſtiæ conſecrationem; panes verò ab eo deferebantur ad benedictionem Eulogiarum.

Ex dictis patet reſponſio ad id quod affertur ex Siricio & Innocentio I. In hoc itaque utroque loco, ſicut in primo, agitur non de Euchariſtia, ſed de fermentato in ſymbolum unionis & communionis catholicæ, epiſcopali benedictione conſecrato. Quod ampliùs demonſtratur ex his Innocentii verbis: *Idcirco fermentum à nobis confectum per acolythos accipiunt.* Nam quòd olim Euchariſtia ad abſentes delata fuerit per diaconos, ut expreſsè teſtatur Juſtinus Martyr in Apologia 2. pro chriſtianis, mirum videri non debet; cùm diaconi ad hoc imprimis inſtituti fuerint, ut proximè aſſiſterent ſacerdoti ſacrificium offerenti: at quòd aliquando ad abſentes delata fuerit per acolythos, credibile non eſt. Innocentius autem loquitur de fermento, quod à ſe conſecratum Epiſcopus Romanus per acolythos mittebat ad presbyteros, qui Eccleſiis titularibus, ſeu parœciis in urbe conſtitutis præerant. Ergo, &c.

Itaque primo loco hæc verba: *Quod declaratur fermentum*, & in ſecundo iſta: *Quod nominatur fermentum*, addita fuere, ad ſignificandum non agi de Euchariſtia, quæ ex azymo conficiebatur; ſed de pane, qui in ſymbolum catholicæ communionis epiſcopali benedictione conſignabatur, nec azymus erat, ſed fermentatus. Non aliud ergo Siricius conſtituit, quàm ut nullus presbyter miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi priùs panem ab Epiſcopo benedictum accepiſſet in ſignum unionis ſeu communionis.

Innocentius verò Decentio Epiſcopo ſciſcitanti, num panis fermentatus, in ſignum communionis conſecratus ab Epiſcopo, die Dominica dirigendus eſſet non ſolùm ad parochos urbis, ſed etiam ad rurales, reſpondet non eſſe dirigendum: *Quia*, inquit, *nec longè portanda ſunt ſacramenta* (hoc eſt, quia nulla juſta neceſſitas eſt fermentatum illud in ſymbolum unionis catholicæ ab Epiſcopo conſecratum, longè portandi,) *nec nos per cœmeteria diverſa conſtitutis presbyteris deſtinamus* (hoc eſt, nec nos fermentum illud à nobis conſecratum in ſymbolum communionis, mittimus ad presbyteros, qui præſunt Eccleſiis non titularibus, ſitis in ſuburbiis, & qui proinde nullam habent plebem ſub ſe conſtitutam, cui panem benedictum diſtribuere debeant,) *& presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam*, (hoc eſt, & rurales presbyteri, qui Eccleſiis titularibus præſunt, & plebem ſibi ſubditam habent, jus & licentiam habent benedicendi fermentatum, quod fidelibus ſibi ſubditis, in ſignum Catholicæ Communionis diſtribuant.)

Porrò quia Decentio ſciſcitandi occaſio fuerat mos Eccleſiæ Romanæ, in qua Summus Pontifex fermentum à ſe benedictum, per acolythos mittebat ad presbyteros, qui præerant Eccleſiis titularibus urbis, ante verba laudata ſcribit Innocentius, Eccleſias omnes titulares urbis Romæ intra mœnia conſtitutas eſſe, adeòque Pontificem fermentum à ſe confectum diebus dominicis non mittere extra urbem, ſed intra tantùm ad parochos, qui propter plebem ſibi creditam in ſua quiſque Eccleſia die dominica celebrare tenentur, adeòque Pontifici celebranti adeſſe non poſſunt.

At inquies. 1. Fermentum illud, de quo loquitur Innocentius, die dominica dirigebatur ad presbyteros, qui præerant Eccleſiis titularibus, & qui diebus feſtis tremendum ſacrificium non offerebant, ut fideles ſub ſe conſtitutos communicare poſſent. Ergo fermentum illud erat Euchariſtia, quam in cathedrali Eccleſia Epiſcopus conſecraverat. 2. Fermentum illud Pontifices ad presbyteros in ſuburbiis conſtitutos non mittebant, eò quòd timerent, ne in via alicujus irreverentiæ periculo exponeretur. Atqui tale periculum non timuiſſent, ſi fermentum illud non fuiſſet Euchariſtia. Ergo, &c. 3. Fermentum illud, de quo loquitur Innocentius, in vita Melchiadis appellatur Oblatio conſecrata. Atqui hoc nomine venire poterat

tat

rat ſola Euchariſtia. Ergo, &c. 4. Denique, fermentum illud Innocentius expreſsè nominat Sacramentum. Ergo, &c.

Ad 1. *Reſp.* Falſum eſſe, quòd presbyteri, qui Eccleſiis titularibus in urbe conſtitutis præerant, diebus feſtis non offerrent tremendum ſacrificium; adeòque falſum eſſe, quòd fermentum illud, de quo loquitur Innocentius, ad presbyteros illos mitteretur, ut ex eo plebem ſibi ſubditam communicarent. Itaque presbyteri illi diebus dominicis in ſua quiſque Eccleſia, ut in principali Pontifex, celebrabant coram plebe ſibi ſubdita, & ex Euchariſtia à ſe conſecrata, eos qui ad communicandum parati erant, communicabant, reliquis verò in ſignum catholicæ communionis diſtribuebant fermentum ab Epiſcopo benedictum: unde Innocentius loco citato non dicit quòd fermentum à Pontifice confectum, per acolythos ad illos mitteretur, ut ex eo populum ſibi ſubditum communicarent, ſed ut ſe à Pontificis communione, maximè illa die, non judicarent ſeparatos.

Ad 2. *Reſp.* Neg. min. Ad hoc enim ut Pontifices irreverentiæ periculum metuerent, ſatis erat, quòd fermentum illud eſſet res quædam ſacra: erat autem res ſacra, quia in ſymbolum catholicæ communionis epiſcopali benedictione conſignatum erat.

Ad 3. *Reſp.* Neg. min. Fermentum enim de quo loquitur Innocentius, quamvis non eſſet Euchariſtia, rectè oblatio ſacra nominari poterat, & nominabatur. Dicebatur oblatio, quia fuerat à populo, vel à clericis oblatum ad benedictionem ſacerdotalem. Dicebatur oblatio ſacra, quia epiſcopali benedictione conſecratum erat.

Ad 4. *denique Reſp.* Fermentum illud, de quo loquitur Innocentius, ab eo latè vocari Sacramentum, & Innocentium hìc Sacramentum vocare, quod nos vocaremus ſacramentale. *Nota*. Veteres Patres Sacramenti nomine appellabant non ſolùm ritus ſacros à Chriſto inſtitutos ad ſignificandam & efficiendam gratiam, ſed etiam res aliquas ab Eccleſia inſtitutas ad ſpirituale aliquid ſignificandum, & ad id ſacerdotali benedictione conſecratas, quale erat fermentum illud, de quo loquitur Innocentius, quod ad ſignificandam unionem, & communionem catholicam, ab Eccleſiam inſtitutum fuerat, & ad id ex inſtitutione Eccleſiæ ab Epiſcopis & presbyteris, qui Eccleſiis titularibus præerant, conſecrabatur. Quod

Evidenter oſtendi poteſt ex S. Auguſtino lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione c. 26. ubi de catechumenis loquens, ſic ait: *Quod accipiunt quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt*. Quid autem erat illud quod catechumenis ante baptiſmum dabatur, & quamvis non eſſet Corpus Chriſti, ſanctius tamen erat, quàm cibi, quibus alimur? Certè panis, vel, ut aliis placet, ſal, quem Auguſtinus Sacramentum vocat, quia ad ſignificandam rem aliquam ſacram inſtitutus fuerat ab Eccleſia, & ad id ex inſtitutione Eccleſiæ benedictione ſacerdotali conſecrabatur. Sed ad pleniorem præſentis difficultatis ſolutionem.

Nota, Fermentum ab Epiſcopo benedictum, de quo Innocentius loquitur, variis olim nominibus nuncupabatur. Nam 1. vocabatur fermentum, ſeu panis ex maſſa fermentata confectus, ut ſic ab Euchariſtia diſtingueretur, quæ nonniſi ex azymo conficiebatur. 2. Vocabatur Oblatio, quia ad benedicendum offerebatur à plebe, vel à clericis. 3. Vocabatur Benedictio, Conſecratio, Eulogia, quia epiſcopali conſecratione benedicebatur. 4. Etiam Sacramentum appellabatur, quia ex inſtitutione Eccleſiæ, unionis & communionis catholicæ ſymbolum erat, epiſcopali conſecratione conſignatum: Porrò prioribus Eccleſiæ ſæculis ſymbolum illud unionis & communionis catholicæ ex ſolo fermentato fiebat, ſed poſteà ex fermentato, vel azymo indifferenter factum fuit, ut ex Hincmaro jam obſervavimus. Sed ex occaſione data.

Nota iterum. In veteri Eccleſia, Eulogiæ aliæ erant publicæ, & aliæ privatæ. Publicæ erant illæ, quæ fiebant ab Epiſcopo, ut eſſent ſymbolum catholicæ communionis. Epiſcopus itaque, ut jam dictum eſt, panem fermentatum à populo oblatum benedicebat, & benedictum ad ſingularum parœciarum in urbe conſtitutatum parochos mittebat, qui eum deinde in ſignum catholicæ communionis, fidelibus ſibi ſubditis diſtribuebant. Publicæ igitur Eulogiæ panis fermentatus erat, qui ad hoc ut eſſet publicum communionis catholicæ ſignum, conſecrabatur, & fidelibus in Eccleſia diſtribuebatur. Privatæ verò Eulogiæ erant illæ, quas amici ſolebant inter ſe ultrò citròque dare & accipere. De publicis loquitur Gregorius Turonenſis lib. 5. hiſt. cap. 14. ubi de Meroven Apoſtata agens, hæc narrat: *Operto capite, indutuſque veſte ſæculari, B. Martini templum expetiit. Nobis autem miſſas celebrantibus, in S. Baſilicam aperta reperiens oſtia, ingreſſus eſt. Poſt miſſas autem expetiit, ut ei Eulogias dare deberemus... Quod cùm refutaremus, ipſe clamare cœpit, & dicere, quòd non rectè eum à communione ſine fratrum conniventia ſuſpenderemus. Illo autem hæc dicente, Eulogias à nobis accepit. Veritus autem ſum, ne dum unum à communione ſuſpendimus, in multos exiſterem homicida: minabatur enim aliquos de populo noſtro interficere, ſi communionem noſtram non meruiſſet.*

De privatis verò, quæ erant etiam panis benedictus, loquitur S. Paulinus Nolanus epiſt. 1. ad Sevetum: *Panem campanum*, inquit, *de cellula noſtra tibi pro Eulogia miſimus ...... Tu licèt uberioribus micis à Domini menſa jam ſaturatus ſis, dignare & à peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in Eulogiam vertere*. Et epiſt. 31. ad S. Auguſtinum: *Panem unum*, inquit, *quem unanimitatis indicio miſimus charitati tuæ, rogamus, accipiendo benedicas*. Similiter S. Auguſtinus de iiſdem Eulogiis loquitur, epiſtol. 34 ad eumdem Paulinum: *Panis*, inquit, *quem miſimus, uberior benedictio fiet dilectione accipientis veſtræ benignitatis*.

Nota denique 3. Eulogiarum uſum non ſolùm in Occidentali Eccleſia, ſed etiam in Orientali receptum fuiſſe, patet ex Conc. Laodiceno can. 14. quo prohibetur, ne Euchariſtia Eulogiarum loco in alias parochias tranſmittatur in feſto Paſchæ. Et can. 32. quo prohibetur fidelibus, ne Eulogias hæreticorum accipiant. Et can. 49. quo prohibetur fidelibus, ne tempore Quadrageſimæ panem fermentatum offerant ad benedicendum, niſi ſabbato, & ſolis dominicis. Ratio autem prohibendi fuit, ne fideles panem benedictum ſeu Eulogias tempore illo comedendo, jejunium Quadrageſimale violarent. Quandonam autem Eulogiarum uſus in Occidentali Eccleſia cœperit, certò definiri non poteſt.

Porrò quia Eulogiarum mentionem non faciunt Tertullianus & Cyprianus, veriſimile eſt illas, nonniſi poſt eorum tempora in Eccleſia fuiſſe inſtitutas in ſymbolum catholicæ communionis, & ut eſſent vicariæ Euchariſtiæ: unde, ut patet ex Hincmaro, iis qui Euchariſtiam non ſumebant, diſtribuebantur. Sed quidquid ſit de tempore, quo inſtitutus eſt ritus panem fermentatum in ſymbolum catholicæ communionis benedicendi & conſecrandi, initio quarti ſæculi frequentatum fuiſſe colligitur ex verbis illis, quæ ſupra exſcripta ſunt è vita Melchiadis.

Obj. 2. Cum Sirmondo in diſquiſitione citata. Vetus in Eccleſia Chriſtianorum mos fuit, ut qui ad miſſas celebrandas conveniebant, ſuam unuſquiſque ſacrificii partem afferret, ut probatur, 1. ex Cypriano in libro de opere & eleemoſynis, ubi fœminam divitem, quæ hoc more neglecto nihil offerebat, graviter increpans, ait: *Locuples & dives Dominicum celebrare te credis ..... quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* 2. Ex Auguſtino, vel alio authore, ſed antiquo, in ſermone 215. de tempore, ubi dicit: *Oblationes quæ in altario conſecrantur, offerte: erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*. 3. Ex Ordine Romano, in quo dicitur:

citot: *Archidiaconus accipiens oblatas, ponit tantas ſuper altare, quanta poſſunt populo ſufficere.* Ad hoc pertinent verba illa ſacerdotis celebrantis: *Orate, fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile ſit apud Deum*, & iſta quæ in feriis paſchalibus frequentantur: *Suſcipe, quæſumus Domine, preces populi tui, cum oblationibus hoſtiarum.*

Ex his omnibus liquet profectò ſingulos, qui poterant, ita ut ſola excuſaret inopia, non ſolùm obtuliſſe in Miſſa, verùm etiam has ipſas oblationes conſecrari in altari, atque ita immolari conſueviſſe; unde & ſacrificium dictæ ſunt à Cypriano. Atqui panem illum qui oblatus à populo, conſecrabatur à ſacerdote, uſitatum fuiſſe, ac fermento de more temperatum, minimè dubium eſſe poteſt. Ergo vetus Eccleſia non pane azymo, ſed fermentato in altari uſa eſt.

Reſp. Verum quidem eſſe, quòd in veteri Eccleſia populus, qui ad Miſſæ celebrationem conveniebat, offerret panem ad ſacrificium, quòdque ex panibus à populo oblatis tantùm conſecraretur à ſacerdote celebrante, quantùm ſufficiebat iis, qui communicaturi erant: At quòd panes illi à populo ad ſacrificium oblati, ex maſſa fermentata conficerentur, quod magna confidentia affirmat, ſed non probat Sirmondus, intrepidè negamus, & omnis fermenti expertes fuiſſe dicimus, & ſufficientiſſimè ſupra probavimus, oſtendendo ſcilicet conſtantem ac perpetuum ſolius azymi in conſecranda Euchariſtia uſum fuiſſe in Eccleſia Latina. Quod

Adhuc juvat obiter ex ipſiuſmet Sirmondi teſtimonio confirmare. „ Vidimus, inquit, aliquando „ ipſi, non injucundo ſpectaculo in armoricis apud „ Leonices antiquis moris imaginem referentes ma- „ tronas aliquot, quæ die feſto communicaturæ, „ cùm in Dominicum veniſſent, adſtantique ad al- „ tare Miſſam celebraturo ſacerdoti, ſuam ſingulæ „ oblatam, ſed puram & azymam, vel domo alla- „ tam, vel è Sacrario petitam obtuliſſent; ubi per- „ acta conſecratione ad communionem ventum eſt; „ ita omnes communicarunt, ut, &c. “ Quid enim dictu proclivius eſt, quidve rationabilius, quàm apud Leonices veteris Eccleſiæ morem perſeveraſſe, atque ita matronas illas ſacerdoti celebraturo oblatas ſuas, non fermentatas, ſed puras & azymas, ad Euchariſtiæ, quam ſumpturæ erant, conſecrationem obtuliſſe? Sed

Contra eundem validiùs confirmatur ex ipſiuſmet doctrina. Mos Chriſtianorum panes offerendi, ex quibus fiebat ſacrificium, idem perduravit ſaltem uſque ad Photii, adeòque & Hincmari tempora, juxta Sirmondum, qui panis fermentati in Eccleſia Latina uſum nonniſi poſt factum à Photio ſchiſma ceſſaſſe contendit. Atqui tempore Hincmari, panes qui à Chriſtianis offerebantur, & ex quibus fiebat ſacrificium, erant azymi, ut manifeſtum videtur ex verbis Hincmari ſupra laudatis: *Ut de oblatis quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, &c.* Nam, ut jam obſervatum eſt, Hincmarus diſtinguit oblatas, quas populus ad conſecrationem Euchariſtiæ offerebat, à panibus, quos offerebat ad Eulogiarum conſecrationem, & qui certò certiùs fermentati erant. Ergo oblatæ erant azymæ: nullum enim aliud veriſimiliter inter eas & panes illos diſcrimen aſſignari poteſt. Ergo, &c.

Dices. Cum eodem. 1. Fermentati panis uſum apud Latinos ab ipſo ſuſceptæ Religionis exordio cœpiſſe manifeſtum eſt: alioquin undenam illis de azymo veniſſet in mentem, qui ab Oriente, unde illis ſacrorum origo, non didicerant, azymo, ſcilicet, uti; cùm Oriens ipſe ſemper uſus fuerit fermentato ..... aut quo pacto notati ab Orientalibus fuiſſent Ebionæi, quò panibus azymis myſteria celebrarent, ſi mos idem jam tum in Occidentalibus Eccleſiis inſediſſet?

2. Ex pane fermentato multis ſæculis factæ ſunt hoſtiæ, ſuoque ſæculo ſactas oſtendit Ambroſius lib. 4. de ſacramentis cap. 4. *Tu fortè dicis: Meus panis eſt uſitatus: ſed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Certè qui uſitatum, menſiſque quotidianis uſurpatum panem dicis, azymum haud dubiè non ſignificat.

3. Idem in Africa, quod Ambroſius in Italia, oſtendunt Concilii Carthaginenſis III. Patres can. 24. ubi tria populi oblationum genera diſtinguentes, de ſacramento Corporis Domini ſic locuti ſunt, ut in eo panem ſignificent, non azymum, ſed fermentatum, qualis offerri ſolebat conſecrari.

4. Idem pro Gallia probant S. Radegundis oblationes, quas ſuis manibus faciebat, & venerabilibus locis inceſſanter, Fortunato teſte, diſpenſabat. Et pro Roma, ipſa matrona illa, quæ, ut narrat in ſancti Gregorii vita Joannes Diaconus, interrogata cur riſiſſet, cùm ei porrigeretur Euchariſtia, ſancto Pontifici reſpondit: *Quia panem, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu Corpus Domini eum perhibebas.* Utraque enim uſitati panis, adeòque non azymi, ſed fermentati oblationes parabat, atque hanc Romæ, & in Gallia fuiſſe conſuetudinem confirmabat.

5. Pro cæteris una loquatur Hiſpania, cujus in Toletano Concilio XVI. can. 6. tam certum hac de re, & tam illuſtre eſt teſtimonium, ut omnium inſtar eſſe queat: *Ad conventus*, inquiunt, *noſtri agnitionem delatum eſt, quod ex quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam ſacerdotum, partim neſcientia implicati, partim temerario auſu provocati, non panes mundos, & ſtudio præparatos, ſupra menſam Domini in ſacrificio offerant, ſed paſſim, quomodo unumquemque aut neceſſitas intulerit, aut voluntas coegerit, de panibus, ſuis uſibus præparatis, cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper altare cum vino & aqua pro ſacro libamine efferant, quod factum nequaquam in ſacra authoritatis hiſtoria uſpiam geſtum perpenditur .... Unde temeritatis aut neſcientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantùm oblata, ſecundùm quod eccleſiaſtica conſuetudo retentat.*

Quid hoc tandem eſt, quod Concilii hujus Antiſtites in his ſacerdotibus reprehendunt: An quòd azymum panem non conſecrarent? Minimè gentium. Atqui hoc ante omnia redargui oportuit, ſi azyma requirebantur; Quia panes ipſorum uſibus præparati, quos immolabant, azymi non erant, ſed fermentati. Quo ergo nomine reprehendunt? Quia panes hi, quibus utebantur, nitidi non erant, nec ſtudio in eam rem parati, quod conſuetudo poſcebat.

Reſp. ad 1. Romanam Eccleſiam ritus ſuos non accepiſſe ab Orientali. Et verò cùm Eccleſia Romana ſit mater, & magiſtra omnium aliarum Eccleſiarum, illius eſt alias, non autem aliarum illam docere. Quidquid ſit igitur de Orientali Eccleſia, & dato etiam, quod videtur nobis eſſe contra omnem veriſimilitudinem, quòd Orientalis Eccleſia ab initio contra factum, & exemplum Chriſti ſolum fermentatum adhibuerit in conſecranda Euchariſtia, malè colligitur Romanam Eccleſiam cum aliis Occidentalibus Eccleſiis ſolo fermentato etiam ab initio uſam fuiſſe.

At inquies. Quis ergo Romanam Eccleſiam docuit uti azymo? *Reſp.* Cum Leone IX. in reſponſione adversùs Cerularium, Romanam Eccleſiam à B. Petro edoctam eſſe, & accepiſſe ritum Euchariſtiam conſecrandi in ſolo azymo, quem ritum ipſa, ſic ab Apoſtolorum Principe inſtituta, tradidit reliquis Occidentalibus Eccleſiis. Quod autem pertinet ad Ebionitas, ſupra jam probavimus, eos ab Epiphanio reprehenſos non fuiſſe, quòd ſacra myſteria celebrarent

per

Google

per azymos panes, ſed ſolùm quòd meram aquam loco vini aqua mixti, pro altera parte myſterii adhiberent.

Reſp. ad 2. Locum Ambroſii citatum ſpecie tenùs favere ſententiæ adverſarii. Nam 1. non ſolùm panis fermentatus, ſed etiam azymus, nomine panis communis & uſitati venire poteſt, quamvis fermentati uſus frequentior ſit, ut jam aliàs obſervatum eſt; immò uſum azymi priſcis temporibus non infrequentem fuiſſe colligimus ex Humberto Cardinali in reſponſione adverſùs Cerularium, ubi ait: *Quòd autem calumniamini azyma deorſum terra conjuncta, non negamus vulgò hæc eadem ſic parari lapidibus, aut argilla ſuperpoſita, non ſicut dicitis terræ conjuncta: verùm hæc ad communes uſus hominum & cæterorum animalium tranſeunt.* 2. Dato quòd Ambroſius per panem uſitatum, fermentatum intellexerit, potuit nihilominùs, etiam ſupponendo quòd in Mediolanenſi Eccleſia, ſicut in Romana & aliis Occidentalibus, ſolius azymi uſus eſſet receptus, potuit, inquam, nihilominùs adverſarium inducere ſic loquentem per quandam exaggerationem; cùm panis azymus ex eadem materia conſtet, qua fermentatus, nec ſit alterius ſubſtantiæ vel eſſentiæ; fermentum enim eſt aliquid pani omninò accidentarium.

Reſp. ad 3. Concilium Carthaginenſe apertè contrarium eſſe Sirmondo: nam quid canone citato præſcribit? *Ut in ſacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum.* Quid autem ipſe Dominus tradidit, facto ſuo ſcilicet? Sicut facto ſuo tradidit, ut in ſacramento altaris adhibeatur vinum aquæ mixtum, ſic tamen ut noluerit mixtionem aquæ eſſe de veritate ſacramenti; ita facto ſuo tradidit, ut adhibeatur panis azymus, ſic tamen ut ad ſacramenti veritatem quolibet pane triticeo contentus fuerit. Cùm igitur Concilium præſcribit, ut nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, jubet ut panis azymus adhibeatur.

Reſp. ad 4. Ex facto ſanctæ Radegundis, & Matronæ Romanæ, nihil aliud haberi quam quòd temporibus illis panes à fidelibus offerrentur ad Miſſæ ſacrificium, & quòd panes illi à Sacerdote celebrante conſecrarentur. Et verò Fortunatus narrat quidem de ſancta Radegunde, quòd ſuis manibus faceret oblatas, eaſque venerabilibus locis diſpenſaret; At non dicit quòd eas faceret ex maſſa fermentata, illaque eas ſine fermento facere poterat. Unde ergo ex facto illius, vel Fortunati narratione colligi poteſt, quòd eas fermentatas faceret? Similiter Matrona Romana, apud Joannem Diaconum, reſpondet ſe panem illum, quem poſteà conſecravit ſanctus Gregorius, propriis manibus feciſſe: At quòd eum ex maſſa fermentata fecerit, ne leviter quidem innuit. Unde ergo habere potuit Sirmondus, quòd panis ille non azymus, ſed fermentatus fuerit?

Reſp. denique ad 5. In quo triumphat Sirmondus, Concilium Toletan. canone citato, per panes mundos, & ſtudio præparatos, ſupra menſam Domini in ſacrificio offerendos, intellexiſſe panes azymos, ſeu oblatas modicas, integras, & omnis fermenti expertes. Nam circa ritum conſecrandæ Euchariſtiæ, quod negare non poteſt Sirmondus, in ſua hypotheſi non alia fuit tunc temporis Eccleſiarum Hiſpaniæ conſuetudo, quàm Romanæ Eccleſiæ. At quòd tunc Romana Eccleſia non in fermentato, ſed in ſolo azymo Euchariſtiam conſecraret, evidenter habemus ex Legatis Agathonis Papæ, apud Humbertum Cardinalem, in reſponſione adverſùs Nicetam, ubi Conſtantino Imperatori poſt ſextam Synodum generalem, habitam anno 680. eos interroganti, *qualiter Romana Eccleſia de ſacrificio Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ordinem teneret*, reſponderunt: *Oblatio quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem fermenti debet habere.* Toletanum igitur Concilium XVI. quod anno 693. celebratum fuit, canone citato quoſdam Sacerdotes reprehendit. 1. Quòd ſupra menſam Domini in ſacrificio non offerrent panem integrum, ſed fruſtulum tantùm in rotunditatem oblatum. 2. Quod fruſtulum illud auferrent de pane ſuis uſibus præparato, adeòque de pane non azymo, ſed fermentato; niſi tamen quis velit agreſtes illos Sacerdotes pane azymo veſci ſolitos fuiſſe. Neque neceſſarium fuit, ut Concilium in decreto ſuo expreſſis vocibus panis fermentati & azymi uteretur: clarum enim erat ex uſu illud per panes mundos & ſtudio præparatos, intelligere panes azymos.

Dices cum eodem. Tempore ſchiſmatis Photiani, azyma nondùm erant recepta in Eccleſia Latina. Ergo Eccleſia Latina novem prioribus ſæculis ſolo fermentato uſa eſt in conficienda Euchariſtia. *Reſp.* neg. ant. Cujus falſitas demonſtratur non ſolùm teſtimonio Alcuini & Rabani, qui multis annis fuerunt, antequam Photius Latinis bellum indiceret; ſed etiam, quod nullum tergiverſandi locum relinquit, teſtimonio Legatorum Apoſtolicorum, qui ſextæ Synodo generali præfuerunt, & peracta Synodo, Conſtantino Imperatori ritum Eccleſiæ Romanæ in offerendo ſacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti, ſciſcitanti, reſponderunt diſertis verbis, panem azymum eſſe debere, & ſic reſpondendo, Romanæ Eccleſiæ, & aliarum Occidentis Eccleſiarum in adhibendo ſolo azymo conſuetudinem declararunt. Certiſſimum igitur eſt, quòd ſæculo ſeptimo cadente, Eccleſia Latina non fermentatum, ſed azymum conſecraret. Ergo manifeſtè falsò dicitur, in Eccleſia Latina azyma nondùm fuiſſe recepta tempore ſchiſmatis Photiani.

Probabis tamen ant. Cum eodem. In hoc ſchiſmate Græci, ne ſine conſilio divortium feciſſe viderentur, objecerunt, & crimini Latinis dederunt, quæcumque ab illorum moribus, & diſciplina diſcrepabant. Atqui inter illa, quæ à Græcis objecta ſunt Latinis, & quæ multa ſunt, nulla mentio fit azymorum. Ergo ſignum eſt, quòd tunc temporis, Latini in offerendo ſacrificio, non azymo, ſed fermentato uterentur: quis enim credat Græcos azyma ſilentio prætermiſſuros, ſi tunc temporis in illis Euchariſtiam conſecrandi apud Latinos conſuetudo jam obtinuiſſet?

Reſp. 1. Nos longè potiori jure ex hujus argumenti majore ſic contra Sirmondum argumentari. In hoc ſchiſmate Græci, ne ſine conſilio divortium feciſſe viderentur, objecerunt, & crimini Latinis dederunt quæcumque ab illorum moribus & diſciplina diſcrepabant. Atqui Græci Latinis nec objecerunt, nec crimini dederunt azyma, quamvis multa, & alia longè leviora illis crimini dederint. Ergo manifeſtum eſt azyma Latinorum à Græcorum moribus, & diſciplina non diſcrepaſſe. Ergo tempore ſchiſmatis Photiani, vel Orientalis Eccleſia, ſicut Occidentalis, ſolis azymis utebatur; vel Orientalis Eccleſia indifferenter utebatur fermentato, vel azymo; vel denique in Orientali Eccleſia non erat hac in re particularium omnium Eccleſiarum idem mos; ita ut aliæ ſolum fermentatum, aliæ ſolum azymum adhiberent.

Reſp. 2. Dato quòd tempore ſchiſmatis in tota Orientali Eccleſia ſolus fermentatus adhiberetur, quod tamen falſum eſſe ſupra probatum eſt, Græcos azyma Latinis non objeciſſe, nec crimini dediſſe tempore ſchiſmatis Photiani, quia nondùm apud illos in dubium revocatum erat, quòd Chriſtus ipſe in azymo conſecraſſet: unde mirum non eſt, quòd eis in mentem non venerit, Latinis azyma crimini dare; cùm eis in mentem venire non potuerit, Latinos in eo inſimulare, in quo, ſcientibus illis, manifeſtè Chriſti factum & exemplum imitabantur.

Denique ſi verum eſſet, quòd azyma nondùm erant apud Latinos recepta Photiani ſchiſmatis tempore; & hoc ſufficienter probaretur ex eo, quòd Photianis temporibus nulla de azymis quæſtio fuerit,

rit, & hæc minimùm excitata fuerit à Cerulario Patriarcha; azymorum initium, ut vult Sirmondus, apud Latinos ad intervallum illud referendum eſſet, quod Photium inter & Cerularium, hoc eſt, ab anno 867. ad 1054. interceſſit. Atqui hoc dici non poteſt cum aliqua veriſimilitudine. Et verò ſi intra intervallum illud Eccleſia Latina, repudiato fermentato, poſtquam ab eo initio per tot ſæcula conſtanter uſa fuerat, azymum aſſumpſit, quomodò tam inſigne factum latere potuit Cerularium? Aut ſi Cerularius dicitur illud non ignoraſſe, quomodò potuit illud ſilentio prætermittere, illudque Latinis non objicere, cùm inde tam plauſibile argumentum ſumere poſſet contra recentem illum Latinorum morem? At ne verbum quidem habet in ſua ad Joannem Tranenſem Epiſcopum epiſtola de tali mutatione poſt Photii tempora à Latinis facta; ſed eos quantùm attinet ad azyma, ſolùm impugnare conatur Scripturarum authoritate.

Præterea, quærimus, quo authore Latina Eccleſia fermentatum poſt tot ſæcula repudiarit; qua de cauſa; quòd enim ſine gravi, immò & graviſſima cauſa repudiarit, credibile non eſt? A quo Pontifice, vel generali Concilio azymorum uſus primùm inſtitutus ſit: nam ſine legitima authoritate tam inſignis in re tanti momenti mutatio intra intervallum illud fieri non potuit cum tanta Eccleſiarum omnium particularium conſenſione, ut nulla eſſet tempore Leonis IX. quæ non in azymo Euchariſtiam conſecraret? At nihil horum dicitur, aut dici poteſt.

Jure meritò igitur dicimus perpetuum, ac conſtantem azymi uſum fuiſſe in Eccleſia Latina. At, inquit Sirmondus, nec Leo IX. unquam, nec Humbertus Cardinalis, cùm azymorum cauſam agerent adversùs Græcos, ita ſe perpetui moris præſcriptione defenderunt. *Reſp.* De utroque, falſum eſſe. Nam 1. an non Humbertus ſeſe perpetui moris præſcriptione defendit, cùm in reſponſione adversùs Cerularium ait: *Jam quia ſufficienti authoritate novi & veteris Teſtamenti conſtat, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum commemorationem ſuæ Paſſionis recolendam in azymo diſcipulis ſub ipſa cœna commendaſſe, ſicut hodieque ſancta Romana & Latina Eccleſia noſcitur recolere; dicere debetis, &c.* 2. An non Leo IX. ſeſe perpetui moris præſcriptione defendit in prima ad Cerularium epiſtola, cùm ait: *Ecce jam poſt mille ac fermè viginti à Paſſione Salvatoris noſtri annos, incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria Paſſionis ejuſdem ſit recolenda?*

Dices denique. Cum eodem, poſt Demetrium Chomatenum Bulgariæ Archiepiſcopum in reſp. ad Epiſcopum Tyrrachii: Nulli uſquam canones Conciliorum prioribus ſæculis meminerunt azymorum. Ergo Romana Eccleſia non conſecravit in azymis prioribus ſæculis.

Reſp. 1. Nos habere pro azymis canonem 24. Carthaginenſis III. & ſtatum Toletani XVI. *Reſp.* 2. neg. conſeq. Nam ſi, ut dicimus, & probavimus, conſuetudo conſecrandi in azymo in Romana & Latina Eccleſia ab initio religioſè & ſanctè cuſtodita eſt, non opus habuit canonibus Conciliorum, quibus protegeretur, aut promoveretur: quare mirum videri non debet, quòd nulla illius in antiquorum Conciliorum canonibus mentio reperiatur; nihilque prorsùs ex Conciliorum ſilentio contra illam concludi poteſt.

Obj. 3. Veriſimile eſt Apoſtolos, poſt Domini in cœlos aſcenſionem, fermentatum ſæpiùs adhibuiſſe; furtim enim ac clanculum ſacris operam dabant, nec in promptu erant azyma, quæ diſtribuerent ingenti fidelium numero, apud quos ex improviſo divertebant, & non nunquam medio noctis ſilentio. Item multùm probabile eſt, eum panem non fuiſſe azymum, quem, è Diaconorum manibus receptum in templis, Chriſtiani in privatas domos deferebant. Item azymus non erat panis, quem, teſte Tertulliano, fideles ante omnem cibum in privatis ædibus deguſtabant: nam abſconditum ab uxoribus, aut ſervis chriſtianis, mariti aut domini Gentiles à ſe poſteà detectum, quòd facilè poterat accidere, proculcaſſent, ſi fuiſſet azymus, cùm Gentiles nullo alio pane quam fermentato uterentur.

Reſp. ad 1. Ubi verba perduntur fruſtrà, longè veriſimilius eſſe, quòd Apoſtoli poſt Domini in cœlos aſcenſum, nunquam niſi in azymo conſecraverint, & ut ſic exemplum Domini imitarentur, & magis conſulerent reverentiæ ſacramenti apud Gentiles recèns ad fidem converſos, apud quos facilè in contemptum venire potuiſſet ſacramentum, ſi vidiſſent illud confici indiſcriminatim & promiſcuè ex pane quolibet. Omninò igitur dicendum videtur, Apoſtolos nunquam conſecraſſe niſi in azymo, & ad id quidem ſtudio præparato; Quod etiam tunc temporis facilè fieri poterat, quia modica quantitas numero fidelium etiam magno poterat ſufficere.

Reſp. ad 2. Hoc dici, ſed nec probari nec probatum iri. *Reſp. ad* 3. neg. *Ad prob. Reſp.* 1. Gratis dici, ne probari poſſe, quòd Gentiles nunquam alio pane quàm fermentato veſcerentur. 2. Tempore Tertulliani, quo fideles Euchariſtiam in ædes privatas deferebant, ut eam ante omnem cibum ſumerent, ſive ex azymo, ſive ex fermentato confecta fuiſſe ſupponatur, æquale periculum fuiſſe prophanationis: periculum enim erat, ne abſcondita ab uxoribus aut ſervis chriſtianis, à maritis, vel dominis infidelibus detegeretur aliquando; & detecta, ab illis aut comederetur, aut proculcaretur, aut canibus, vel aliis animalibus projiceretur.

ARTICULUS V.

Utrùm Chriſtus panem azymum, an fermentatum conſecraverit.

LAtinos in azymo, Græcos verò in fermentato conſecrare, jam dictum eſt. Utrique autem ritum ſuum fundant in facto Chriſti: nam Græci Chriſtum in fermentato, Latini in azymo conſecraſſe contendunt. Hujus controverſiæ reſolutio pendet ex reſolutione alterius, utrùm ſcilicet Chriſtus inſtituerit ſacramentum Euchariſtiæ primo die azymorum, quando fermentatus panis inveniri non poterat in omnibus finibus Iſrael; an verò ante diem illum. Etenim ſi Chriſtus Euchariſtiam inſtituit primo die azymorum, prorsùs indubitatum erit, eum in azymo conſecraſſe, adeòque indubitatum erit, Latinorum ritum ritu Græcorum meliorem eſſe, cùm clarùm ſit, meliùs illud eſſe quod Chriſtus fecit. Quòd ſi Chriſtus alio tempore, quo ſcilicet, fermentatum apud Judæos inveniebatur, Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit, in inſtituenda azymum adhibuiſſe, non fermentatum, aut omninò non poterit, aut certè non poterit efficaciter probari. Hìc itaque tota difficultas poſita eſt in hac controverſia, utrùm Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam primo die azymorum, quando fermentum apud Judæos inveniri non poterat, an alio die.

§. I.

Prænotanda.

1. Judæi menſes habebant lunares, & illum diem computabant primum menſis, in quo accidebat Novilunium, ſeu Lunæ cum Sole conjunctio; idemque erat apud eos prima Luna, ſecunda Luna, tertia, &c. & primus dies menſis, ſecundus dies menſis, tertius, &c. Annum autem ab eo menſe incipiebant, cujus dies xiv. æquinoctium vernum proximè ſubſequebatur, quem vocabant Niſan, quo etiam ex Ægypto egreſſi ſunt, & qui menſi noſtro Martio circiter reſpondebat.

2. Apud Judæos dies feſtus & dies naturalis ſumebantur diverſimodè: nam dies feſtus incipiebat

ab

ab occaſu Solis, & in occaſum Solis deſinebat; ſeu, quod idem eſt, à veſpera præcedentis diei incipiebat, & deſinebat in veſperam diei ſequentis, juxta illud Levit. cap. 23. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*. Dies verò naturalis & ordinarius, ab ortu Solis incipiebat, & in ortum Solis deſinebat, vel, quod idem eſt, à manè incipiebat, & deſinebat in mane, ut probatur. 1. Ex illo Gen. cap. 1. *Factum eſt veſperè & manè dies primus:* Nam ut interpretatur S. Ambroſius lib. 1. Exhaemeron. cap. 10. hoc loco ſignificatur, ex die artificiali, qui terminatur in veſperam, & ex nocte ſequenti, quæ terminatur in manè; ſactum eſſe primum diem. 2. Ex eo quòd ſi dies naturalis incœpiſſet apud Judæos à veſpera, ſeu ab occaſu Solis, prima hora diei apud eos fuiſſet prima hora poſt occaſum Solis, atque ita Chriſtus fuiſſet crucifixus circa horam decimam octavam, quod manifeſtè repugnat Scripturæ: nam ex Joan. cap. 19. v. 14. Conſtat Chriſtum fuiſſe crucifixum circa horam ſextam, ſecundum computum Judæorum; hoc eſt, circa horam duodecimam juxta computum noſtrum, quia nos diem naturalem incipimus à media nocte. Unde ſic adhuc breviter argumentor. Judæi incipiebant horas numerare ab ortu Solis. Ergo ab ortu Solis diem naturalem incipiebant: ab eo enim incipiebant diem naturalem, à quo incipiebant horas numerare. Quod confirmari poteſt ex Matth. cap. 20. ubi paterfamilias primùm exit ſummo manè, deinde hora tertia, deinde ſexta, &c. ut conducat operarios in vineam ſuam. Unde apparet quòd non à veſpera, ſed à manè horas numerare inciperent, quia ſcilic. diem naturalem à manè non à veſpera incipiebant. Apud Judæos igitur dies naturalis continebat diem artificialem & noctem, non noctem & diem artificialem: è contra verò dies feſtus continebat noctem & diem artificialem, non diem artificialem & noctem.

3. Deus præceperat Judæis, ut in memoriam liberationis à ſervitute Ægyptiaca, ſingulis annis, die decima quarta menſis primi in veſpera comederent Paſcha, ſeu agnum paſchalem, & ab hac veſpera per dies ſeptem continuos, ſeu uſque ad veſperam diei XXI. ejuſdem menſis, veſcerentur panibus azymis, nec quidquam fermentatum apud illos toto illo tempore reperiretur. Patet ex Deuter. cap. 16. in quo dicitur: *Obſerva menſem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte .... Non comedes in eo panem fermentatum: ſeptem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egreſſus es de Ægypto: ut memineris diei egreſſionis tua de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ: non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus, &c.*

4. Dies ſequens nempe XV. erat feſtivus & ſolemnis, ſicut & dies VII. hoc eſt XXI. & eo die, ſicut & VII. ſeu XXI. interdictum erat omnibus operibus, exceptis iis quæ ad veſcendum pertinent. Patet ex cap. 12. Exodi, ubi dicitur: *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, à primo die uſque ad diem ſeptimum. Dies prima erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent;* Quod tamen de operibus ſervilibus intelligendum eſt, ut explicatur Levitici c. 23. verſ. 28. ubi opus diebus feſtis prohibitum, vocatur ſervile.

5. A ſecundo die azymorum, qui erat decimusſextus poſt demiſſum & oblatum manipulum primitiarum, numerabant Judæi dies quinquaginta, quorum ultimus feſtum erat Pentecoſtes. Patet ex Deuteron. cap. 16. ubi hæc leguntur: *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris; & celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo, &c.* Et ex Levitic. cap. 23. ubi dicitur: *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies, & ſic offeretis, &c.* Vide Joſephum lib. 3. antiquit. c. 10. ubi clarè & accuratè feſtorum Paſchalium & Pentecoſtes ordinem & cæremonias deſcribit.

6. Quoniam apud Judæos, ut patet ex notabili 2. dies feſtivi incipiebant à veſpera diei præcedentis, & deſinebant in veſperam diei ſequentis, primus dies azymorum, quà feſtivus, incipiebat à veſpera diei XIV. in qua comedebatur Agnus Paſchalis, & deſinebat in veſperam diei XV. ſicque conſtabat ex poſteriori parte ſeu nocte diei XIV. & priori parte ſeu luce diei XV. ſumendo diem XIV. & XV. naturaliter & ordinariè, ut ſumebantur à Judæis: quare dies XIV. erat ex parte poſteriore dies primus azymorum quà feſtivus, ſicut dies XV. erat ex parte priori: unde dies XIV. tam poterat vocari primus dies azymorum, quàm poterat dies XV. ſumendo, ſcilicet, diem primum azymorum, qua feſtivum. Dico, quà feſtivum: nam primus dies azymorum, quà dies naturalis & ordinarius, erat ipſe dies XV. & incipiebat ab ortu Solis diei XV. & deſinebat in ortum Solis diei XVI. eratque feſtivus ſecundùm priorem partem, nempe à manè ad veſperam.

§. II.

Variæ in præſenti controverſia ſententiæ.

Prima ſententia eſt Græcorum, qui volunt Chriſtum manducaſſe Agnum Paſchalem Luna XIII. & ſequenti die poſt mortem ejus, ad veſperam incœpiſſe tempus paſchale Judæorum, & fermenti abjectionem. Itaque, ſecundùm Græcos, 1. feria quinta in cœna Domini, fuit apud Judæos menſis primi Luna XIII. proindeque eo die nondùm incœpit tempus azymorum. 2. Feria ſexta, in qua Chriſtus crucifixus eſt, non fuit dies feſtivus, ſed prophanus, & illo ipſo die poſt occaſum Solis, tempus azymorum incœpit, quia dies ille erat Luna XIV. primi menſis. 3. Denique dies ſabbati fuit Luna decimaquinta, adeòque feſtum Paſchæ, & dies ſolemniſſimus. Hanc ſententiam tenet Nicephorus lib. 1. hiſt. c. 28. ubi ait, Chriſtum manducaſſe quidem Agnum Paſchalem cum azymis, ſed finita cœna legali, ceſſiſſe ad panem fermentatum, quo veſci licebat, cùm nondùm adveniſſet tempus azymorum, ſicque Chriſtum non in azymo, ſed in fermentato inſtituiſſe ſacramentum Euchariſtiæ.

Secunda ſententia eſt Ruperti in commentario Matthæi c. 26. ubi ait eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, die Jovis fuiſſe Lunam decimam-quartam primi menſis, & illo ipſo die non ſolùm Chriſtum, ſed etiam Judæos ſuum paſcha manducaſſe ad veſperam; ſed diem Veneris non fuiſſe feſtum azymorum, quia nimirùm feſtum illud in diem ſabbati eo anno dilatum eſt: unde dies illa, qua Chriſtus mortuus eſt, feſtiva non fuit, ſed prophana. Ratio Ruperti eſt, quia Judæi ex quadam Patrum ſuorum traditione nunquam celebrabant duos dies feſtos continuos, & idcircò quando feſtum azymorum feria ſexta occurrebat, illud in diem ſequentem differebant; ita tamen ut Paſchæ celebrationem, ſeu Agni Paſchalis manducationem nunquam differrent.

Tertia ſententia eſt Petri Burgenſis, in eo tantùm à Ruperto diſſentientis, quòd Rupertus dicat Judæos ex traditione Majorum aliquando differre feſtum azymorum in ſequentem diem, Agni verò manducationem nunquam differre; at ipſe Burgenſis utrumque ab illis differri contendat: unde colligit eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, Judæos Agnum paſchalem manducaſſe die Veneris ad veſperam, Chriſtum verò die Jovis.

Quarta ſententia eſt Luiſii Legionenſis, qui in opuſcu-

opuſculo quodam de immolatione utriuſque agni typici & veri, docet Chriſtum cum reliquis Judæis Paſcha celebraſſe Luna XIV. in primi veſpera illius, non in poſteriori, hoc eſt, in fine diei naturalis XIII. ſeu die naturali XIII. poſt occaſum Solis, quo tempore, ut putat ille, incipiebat Luna XIV. & Paſcha manducari debebat.

Quinta eſt Petavii lib. 12. de doctrina temporum cap. 16. ubi probare contendit, Chriſtum eo anno quo mortuus eſt, Agnum paſchalem cum aliquot tantum Judæis manducaſſe feria quinta ad veſperam, reliquos verò Judæos feria ſexta. Et ſub finem capitis, ait, „ Chriſtum legitimo tempore „ Paſcha peregiſſe; Judæos autem pleroſque alieno, „ nec legitimo. Chriſtum epulatum eſſe prima die „ azymorum re vera, & ex legis ac veteris ritus „ præſcripto: quamvis ex Judæorum corruptela de„ pravationeque, nondùm illis cenſeretur: Quocir„ ca duplex Paſcha anno illo fuiſſe, alterum legiti„ mum, alterum præpoſterum: illud Chriſtum Do„ minum cum Judæis aliquot ſanioris mente præ„ ditis, hoc Phariſæos & Scribas cum Judæis ple„ riſque tenuiſſe. “ Ex quibus apparet eum à Ruperto & Burgenſi potiſſimùm differre, in eo quòd velit dilationem illam Paſchatis à Phariſæis & Scribis factam, non ex honeſta aliqua cauſa, vel ritu publicum in uſum & conſuetudinem admiſſo profectam eſſe, ſed peculiarem & extraordinariam fuiſſe corruptelam, quam ſuperſtitioſius, ac divinæ legi contrarius Phariſæorum ritus invexerat.

Sexta eſt Harduini, de qua inferiùs. Septima denique eſt communis Doctorum, Bellarmini, Vaſquis, &c. & tenet Chriſtum cum reliquis Judæis Paſcha ſuum manducaſſe Luna XIV. poſt occaſum Solis, ſeu veſpera, quam immediatè ſubſequebatur dies XV. naturalis, ſeu, quod idem eſt, à qua incipiebat primus azymorum dies; neque Judæos ulla legis permiſſione, aut conceſſione, vel depravatione uſos, Paſcha in alterum diem tranſtuliſſe, ſicque Chriſtum & alios omnes Judæos comediſſe Agnum paſchalem die Jovis poſt Solis occaſum, ſive in ſecunda veſpera, & die Veneris fuiſſe feſtum Paſchatis ſolemniſſimum, in eoque Chriſtum à Judæis crucifixum, Luna XVII. reſurrexiſſe. Sententiam hanc diſertis verbis tradit S. Ambroſius epiſt. 83. ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos, ubi eos de paſchali celebritate inſtruens, hæc ſcribit: *Ipſe ergo* (Chriſtus) *qui legem locutus eſt, poſtea veniens per Virginem noviſſimis temporibus, plenitudinem legis conſummavit, quia venit non legem ſolvere, ſed implere, & celebravit Paſcha hebdomada, in qua fuit quarta decima Luna, quinta feria: denique ipſa die, ſicut ſuperiora docent, Paſcha cum diſcipulis manducavit: ſequenti autem die, hoc eſt, ſexta feria, crucifixus eſt, Luna quinta-decima. Sabbato quoque magno ille ſexta-decima fuit, ac per hoc ſeptima-decima Luna reſurrexit à mortuis.*

§. III.

Chriſtus, eo anno quo paſſus eſt, comedit Agnum paſchalem.

Eſt de fide & *prob.* 1. ex manifeſtis Scripturæ teſtimoniis. Nam Matth. cap. 26. dicitur: *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha.* Marci cap. 14. *Et primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha? Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in civitatem ... Et abierunt diſcipuli ejus ... & paraverunt Paſcha.* Et Lucæ cap. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus ... Euntes autem invenerunt ſicut dixit illis, & paraverunt Paſcha. Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Chriſtus igitur pridiè mortis ſuæ miſit aliquos ex diſcipulis ſuis, qui pararent Agnum paſchalem, quique abeuntes re verà paraverunt. Chriſtus igitur Agnum paſchalem manducavit pridiè mortis ſuæ, & ea nocte qua comprehenſus eſt à Judæis: loquuntur enim Evangeliſtæ de die quem proximè ſubſecuta eſt mors Chriſti, & Chriſtum ea nocte à Judæis comprehenſum fuiſſe narrant.

Prob. 2. Ex ſenſu univerſæ Eccleſiæ, quæ in feſto Corporis Chriſti canit: *Noctis recolitur cœna noviſſima, qua Chriſtus creditur agnum & azyma dediſſe fratribus, juxta legitima priſcis indulta patribus.* Et paulò poſt: *Poſt agnum typicum, Corpus dominicum datum diſcipulis.*

Prob. 3. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ait: *Celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha* (Chriſtus) *ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, &c.* En igitur anno Chriſtus manducavit Agnum paſchalem, quo Miſſæ ſacrificium inſtituit. Hoc autem ſacrificium inſtituit pridiè mortis ſuæ, ut eodem capite Synodus ſuperiùs aſſerit. *In cœna*, inquit, *noviſſima* (Chriſtus) *qua nocte tradebatur .... Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent, præcepit, &c.*

Confirm. Nam eſus Agni paſchalis erat cœremonia apud Judæos celeberrima. Ergo quòd à Chriſto, cùm in Judæa verſaretur, fuerit prætermiſſa, prorsùs incredibile eſt, quando quidem tam accuratè legem Moſaicam obſervavit, quamdiù vixit, ut ipſe teſtatur Matth. cap. 5. *Nolite putare*, inquit, *quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere, &c.* Adde quòd ſi Chriſtus in Judæa exiſtens, præceptum de comedendo agno paſchali non obſervaſſet, hoc Judæi proculdubio reſciviſſent, & Chriſto exprobraſſent; cùm ſæpe ipſum, eò quòd ægrotos ſabbatis curaret, tanquam ſabbati tranſgreſſorem accuſaverint.

Obj. 1. Eo anno quo Chriſtus mortuus eſt, tardiùs de paſchate celebrando cum diſcipulis collocutus eſt, quàm poſſet ab eo agnus immolari: nam v. g. Matth. cap. 26. dicitur: *Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?* Ergo jam nullum ſupererat tempus ut præpararetur agnus ad paſchatis celebrationem; ſiquidem præparandus erat ante primum diem azymorum.

Reſp. neg. objectionem. *Ad prob.* dico Matthæum cum Marco & Luca per primum diem azymorum intelligere diem naturalem & ordinarium XIV. qui continebat diem artificialem & noctem apud Judæos: ut enim obſervatum eſt §. 1. apud Judæos dies naturalis incipiebat ab ortu ſolis, & in ortum ſolis deſinebat: unde luna XIV. ſecundùm partem poſteriorem, nempe ſecundùm noctem, erat dies primus azymorum, quippe qui incipiebat ab occaſu ſolis lunæ XIV. & deſinebat in occaſu ſolis lunæ XV. ut jam obſervatum eſt. Itaque prima die azymorum, hoc eſt, luna XIV. primi menſis, qua agnus paſchalis immolandus erat, & comedendus ſolis occaſu, acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, maturè ſcilicet, nempe tempore matutino, dicentes: *Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?*

Obj. 2. Evangeliſtæ per paſcha intelligunt, non cœnam legalem, in qua agnus paſchalis manducabatur, ſed communem: nam Matthæus poſt verba illa, *Et paraverunt paſcha*, ſtatim addit: *Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis;*

quæ verba cadere non poſſunt in cœnam legalem: in ea non jacebant, ſed ſtabant convivæ. *R.* neg. objectionem. *Ad prob. R.* verbum illud, *Diſcumbebat*, vel non pertinere ad cœnam legalem, ſed ad communem, quæ legalem ſubſecuta eſt, vel idem ſignificare quod, Ad menſam acceſſit. *Nota*. Chriſtum cum Apoſtolis cœnam triplicem feciſſe pridie mortis: legalem, in qua ſtantes comedebant agnum; communem, in qua convivæ jacebant in lectulis, & euchariſticam, in qua Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini ſumendum tribuit.

Obj. 3. Lege præſcriptum erat, ut patet ex capite 12. Exodi, ut die decima menſis primi, agnus in domum adduceretur, & ibi ſervaretur uſque ad diem decimumquartum, quod Chriſtus non fecit, nec facere potuit: eadem enim illa die, qua agnus immolandus erat, nondùm habebat domum præparatam, ubi paſcha celebraret, ſed ad eam præparandam illa ipſa die Apoſtolos miſit. Ergo, &c.

R. Hieruſolymitanos cives exteris ad celebrandum Paſcha venturis, cubicula, agnos, & reliqua neceſſaria præparaſſe; & pretio accepto, vel gratia ſubminiſtraſſe. Cives igitur Hieroſolymitani agnos pro ſe & pro exteris luna decima primi menſis præparabant, & uſque ad lunam decimam-quartam menſis ejuſdem ſervabant: quare ſatis fuit, ut Chriſtus luna decima-quarta diſcipulos ſuos mitteret ad hominem illum, apud quem Paſcha celebraturus erat.

Obj. 4. Numerus duodecim Apoſtolorum ſufficiens non fuit, ut Chriſtus cum illis Paſcha celebraret. *R.* hoc eſſe falſum: nam, ut diſertè aſſerit Joſephus lib. 7. de bello Judaico cap. 17. juſta ad eſum agni paſchalis familia decem homines cenſebantur: quòd ſi quid ſupereſſet ex agno, igne comburebatur.

Obj. 5. Patres trium priorum Eccleſiæ ſæculorum in ea fuerunt ſententia, quòd Chriſtus, eo anno quo paſſus eſt, Paſcha non celebrarit. Ergo, &c. *Prob. ant.* ex authore Chronici, quod Signonius appellat Faſtos Siculos, & Ducangius Chronicon Paſchale; qui profert teſtimonia Petri Alexandrini, Clementis Alexandrini, Hippolyti Martyris, & Appollinaris Hieropolitani. *R.* neg. *Ad prob. R.* Authorem citatum nulla fide dignum eſſe, & Patribus citatis teſtimonia quæ ipſe fabricavit, adſcribere.

§. IV.

Dies quo Chriſtus paſſus eſt, feſtivus fuit apud Judæos, non prophanus.

PRob. 1. Ex Matthæo, Marco, & Luca. Nam dies illa à Matthæo cap. 27. verſu 15. vocatur ſolemnis. *Per diem*, inquit, *ſolemnem conſueverat Præſes populo dimittere unum vinctum quem voluiſſent*. A Marco cap. 15. verſu 6. appellatur dies feſtus. *Per diem*, inquit, *feſtum ſolebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petiſſent*. Et à Luca ſimiliter cap. 23. verſu 17. *Neceſſe*, inquit, *habebat dimittere eis per diem feſtum, unum*. Hi autem Evangeliſtæ manifeſtè loquuntur de die qua Chriſtus crucifixus eſt. Ergo, ſecundùm hos Evangeliſtas, dies illa qua Chriſtus crucifixus eſt, ſolemnis fuit & feſtiva.

Prob. 2. Ex Joanne Euangeliſta cap. 13. ſic loquente: *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem .... ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua .. & cœpit lavare pedes diſcipulorum*. Atqui Chriſtus hoc fecit pridie mortis ſuæ, Ergo dies qua Chriſtus mortuus eſt, fuit feſtum Paſchæ, adeoque non fuit dies prophana.

At inquies. Cùm Joannes dicit, Chriſtum laviſſe pedes diſcipulorum ante feſtum Paſchæ, loquitur de feſto futuro die ſabbati, non de feſto immediatè ſubſequente noctem illam, in qua Chriſtus diſcipulorum pedes lavit. *R.* hoc dici non poſſe: nam idem Evangeliſta eodem capite, narrat Apoſtolos, cùm audiſſent Chriſtum Judæ dicentem: *Quod facis fac citius*, vidiſſentque Judam continuò exire, cùm jam nox eſſet, exiſtimaſſe, Judæ à Chriſto dictum eſſe, ut ea quæ ad diem feſtum neceſſaria erant, emeret. *Quidam*, inquit, *putabant, quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*. At ſi totus dies ſequens ante feſti ſolemnitatem ſuperfuiſſet, ne vel leviter quidem ſuſpicari potuiſſent, Judam à Chriſto mitti eadem illa nocte, ad ea quæ ad diem feſtum neceſſaria erant, comparanda: manifeſtè enim minimè opus fuiſſet tanta feſtinatione. Evidens igitur eſt Evangeliſtam intelligendum eſſe de die feſto, noctem illam, in qua Chriſtus lavit pedes diſcipulorum, proximè & immediatè ſubſequente.

Apud eumdem Evangeliſtam cap. 18. Judæi dicunt: *Nobis non licet interficere quemquam*. Atqui hoc eis non licebat, niſi quia dies illa feſtiva erat, non prophana, ut interpretatur S. Chryſoſtomus homil. 86. in cap. 26. Matthæi, ubi ait: *Quoniam interficere ipſum ſtatuerunt*, (Judæi) *& propter diem feſtum non poterant, ad Pilatum eum ducunt. Tu verò conſidera quomodo res ita compulſa eſt, ut in die feſto ageretur*. Et S. Auguſtinus tract. 114. in Joan. ubi ait: *Sed intelligendum eſt eos dixiſſe, non ſibi licere interficere quemquam, propter diei feſti ſanctitatem, quem celebrare jam cœperant, propter quem de ingreſſu etiam Prætorii contaminari metuebant*. Et Beda in cap. 18. Joan. ubi hæc verba S. Auguſtini exſcribit. Ergo, &c.

Eod. cap. 18. Pilatus dicit: *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha; vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Sic autem Pilatus locutus eſt paulo antequam Chriſtum damnaret ad crucem. Ergo dies illa, qua Chriſtus cruci affixus eſt, fuit Paſcha, ſeu feſtum Paſchæ; hîc enim, nomine Paſchæ, Paſchæ feſtum manifeſtè intelligitur.

Prob. 3. Authoritate Patrum, Tertulliani ſcilicet in lib. adversùs Judæos cap. 8. ubi de paſſione Chriſti loquens, ſic ait: *Quæ paſſio hujus exterminii intra tempora 70. hebdomadarum perfecta eſt, ſub Tyberio Cæſare, conſulibus Rubellio gemino, & Rufio gemino, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die 8. Kalendarum Aprilium, die prima azymorum, quo agnum ut occiderent ad veſperam, à Moyſe fuerat præceptum*. At dies prima azymorum fuit dies feſtiva apud Judæos: fuit enim Paſchæ feſtum, Ambroſii epiſt. 83. ad Epiſcopos Æmiliæ, cujus verba ſupra jam recitavimus, & ubi expreſsè ait S. Doctor, Chriſtum crucifixum eſſe luna xv. At luna xv. fuit feſtum Paſchæ, & prima dies azymorum. Chryſoſtomi homil. 86. in Matthæum verbis ſupra laudatis. S. Epiphanii, qui & ipſe Hebræus fuit, & hæreſi 70. quæ eſt Audianorum, ſic ait: *Sic enim idem Apoſtoli præcipiunt: dum epulantur illi* (Judæi) *vos jejunantes, pro illis lugete, quoniam feſto illo die Chriſtum in crucem ſuſtulerunt*. Auguſtini, loco ſupra citato, Leonis Magni ſerm. 7. de paſſ. Domini. *Divino*, inquit, *intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, ut ſacrilegi Judæorum Principes, & impii Sacerdotes, qui ſæviendi in Chriſtum occaſiones ſæpè quæſiverant, non niſi in ſolemnitate Paſchali exercendi furoris ſui acciperent poteſtatem*. Bedæ in cap. 18. Joannis, &c.

Obj. 1. Illud Matthæi cap. 26. *Dicebant autem* (Principes Sacerdotum & Seniores populi) *Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo*. Ergo Chriſtus non fuit crucifixus die feſto, ſed prophano. *R.* primùm quidem Judæos timuiſſe, Chriſtum morti tradere in feſto Paſchæ, ne tumultus in populo fieret: ſed poſtea, cùm oblata eſſet occaſio ex proditione Judæ promittentis ſe ſine tumultu traditurum eſſe Chriſtum, mutarunt ſententiam, ſtatueruntque etiam in feſto Paſchæ occidendum, ne opportunitas eum occidendi elaberetur.

Obj. 2. Eo die quo Chriſtus paſſus eſt, Joſeph mercatus eſt ſyndonem, Marci cap. 15. Item mulieres paraverunt aromata, Lucæ cap. 23. Item Judæi cauſam criminalem egerunt contra Chriſtum; eum comprehenderunt, examinarunt. Atqui hæc omnia

illi-

illicita erant in die feſto: nam Levit. cap. 23. prohibentur omnia opera ſervilia in feſtis diebus.

R. 1. Apud Judæos omnia opera ſervilia non tam ſtrictè fuiſſe prohibita in diebus feſtis, quàm in diebus ſabbati: nam ut patet ex cap. 12. Exodi, licebat in feſto Paſchæ cibos coquere, quod non licebat diebus ſabbati. *Dies prima* (azymorum) *erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent.*

2. In feſtis prohibita non fuiſſe opera pietatis & charitatis, quale erat mortuum ſepelire, adeoque & parare & facere ea, quæ neceſſaria erant ad ſepulturam, ut emere ſyndonem & aromata; prohibita, inquam, non fuiſſe, præſertim quando differri non poterant, ut accidit in morte Chriſti, quia imminebat ſabbatum, quo corpora relinqui in cruce non poterant.

3. Quod attinet ad Judæos, qui cauſam criminalem egerunt contra Chriſtum, eos odio ſuo & invidia excæcatos, facilè ſibi perſuadere potuiſſe, & perſuaſiſſe, hoc ſibi etiam die feſto licere, imò & ſe obſequium præſtare Deo, procurando mortem Chriſti die feſto, cui reverentiæ ſatis ſeſe habere judicarunt, quòd Chriſtum manibus ſuis morti non traderent. Confirmatur ex eo quòd cùm de morte Chriſto inferenda deliberarent, non dixerunt: Non in die feſto, ne ipſum tranſgrediamur; ſed, Non in die feſto, ne tumultus fiat in populo: unde manifeſtè apparet, illis omninò perſuaſum fuiſſe, feſtum non violatum iri per mortem Chriſti, ſaltem ſi illum à gentilibus damnari & occidi procurarent.

Obj. 3. Joan. cap. 19. dies, quo Chriſtus paſſus eſt, vocatur Paraſceve Paſchæ: *Erat autem Paraſceve Paſcha hora quaſi ſexta.* Ergo feſtum Paſchæ non incidit eo die, quo Chriſtus paſſus eſt, adeoque dies ille prophanus fuit.

R. neg. conſeq. Nam illud *Paraſceve Paſcha* non ſignificat paraſcevem ad feſtum Paſchæ, ſed paraſcevem in feſto Paſchæ occurrentem; & dies, quo Chriſtus paſſus eſt, fuit paraſceve, non ad feſtum Paſchæ, ſed ad ſabbatum, quod magnum vocatur à Joanne eodem capite, quia incidebat in hebdomada paſchali, & ideircò celebrius erat. Quòd autem illud *Paraſceve Paſcha* ſit paraſceve in hebdomada paſchali occurrens, non verò paraſceve ad feſtum Paſchæ, *Prob.* ex ipſo Joanne eodem capite, ubi ait: *Quoniam paraſceve erat: ut non remanerent in cruce corpora ſabbato; erat enim magnus dies ille ſabbati: rogaverunt Pilatum, &c.* Ecce non dicit, Ut non remanerent in cruce corpora in feſto Paſchæ; ſed, quod aliud eſt, ut non remanerent ſabbato. Loquitur ergo de paraſceve quæ erat ad ſabbatum, non verò ad feſtum Paſchæ. Similiter Marcus cap. 15. ait: *Quia erat paraſceve, quod eſt ante ſabbatum*; non verò, Erat paraſceve, quod eſt ante feſtum Paſchæ. Item Lucas cap. 23. dicit: *Dies erat paraſceves, & ſabbatum illuceſcebat*; non verò, Dies erat paraſceve, & illuceſcebat feſtum Paſchæ. Ex quibus manifeſtum videtur, paraſcevem, de qua loquitur Joannes, fuiſſe paraſcevem, non ad Paſchæ feſtum, ſed ad ſabbatum. Quod

Confirm. Quia apud Judæos paraſceve non erat, niſi propter ſabbatum: Judæis enim paraſceve idem erat ac ciborum præparatio: poterant autem parare cibos diebus feſtis, ut ſupra probatum eſt, & ſolo ſabbato non poterant: unde tenebantur quidem parare cibos pridie ſabbati, quibus ſabbato veſcerentur; at non tenebantur parare pridie feſtorum aliorum: apud illos igitur ad ſabbatum tantùm, non verò ad alios dies feſtos erat paraſceve.

At inquies. Id quod hic dicitur, *Paraſcevem Paſcha*, idem eſſe, ac paraſcevem in feſto Paſchali incidentem, tam abſonum eſt, quàm ſi ad ſignificandum vigiliam v. g. nativitatis Chriſti, incidiſſe in die Dominica, diceretur: Erat autem vigilia Dominicæ. *R.* neg. eſt enim magna diſparitas: nam cùm apud Judæos, paraſceve non eſſet niſi ad ſabbatum, poterat dici abſque æquivocatione: *Erat autem paraſceve Paſcha*, & ſenſus obvius horum verborum alius eſſe non poterat, quàm is, Erat autem paraſceve in die paſchali incidens. At vigilia non eſt tantùm ad nativitatem Chriſti, & poteſt eſſe etiam ad Dominicam: unde non poſſet quis ſine magna æquivocatione & obſcuritate, dicere: Erat autem vigilia Dominicæ, ad ſignificandum vigiliam Nativitatis Chriſti incidiſſe in Dominica. Nulla igitur paritas eſt; & cùm Joannes dicit, *Erat paraſceve Paſcha*, perinde eſt ac ſi diceret, Erat paraſceve ad ſabbatum magnum, erat paraſceve ad ſabbatum incidens in hebdomada paſchali, adeoque ad ſabbatum ſolemniſſimum, quo proinde minimè conveniebat crucifixorum corpora pendere in patibulo.

At inquies. Falſum eſt quòd apud Judæos dies feſti non haberent ſuam paraſceven: habebant enim ſuum *Ereb.* Atqui *ereb* idem erat ac paraſceve. Ergo, &c. *R.* neg. inſtantiam. *Ad prob. R.* neg. minorem: nam vox *ereb*, non paraſceven, ſed veſperam ſignificat. Quilibet autem dies feſtus apud Judæos habebat ſuam veſperam: dies enim feſtivi apud Judæos incipiebant ab occaſu ſolis diei præcedentis, & deſinebant in occaſum ſolis diei ſequentis: at non habebant paraſceven propriè loquendo, quia propriè loquendo paraſceve erat præparatio ciborum, quibus poſtridie veſcendum erat, quique poſtridie parari non poterant.

Obj. 4. Joannis cap. 18. de Judæis dicitur: *Ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha.* Ergo eo die quo Chriſtus cruci affixus eſt, Judæi manducaverunt agnum paſchalem, poſt occaſum ſolis ſcilicet. Ergo dies ille fuit luna decima-quarta, non decima quinta primi menſis. Atqui luna decima quarta primi menſis, eo anno quo Chriſtus crucifixus eſt, fuit dies prophanus. Ergo, &c. Ad ſolutionem

Nota. 1. Singulis diebus paſchalis hebdomadæ, immolabantur duo vituli, aries unus, hircus unus, & ſeptem agni. Patet ex cap. 28. Num. ubi dicitur: *Menſe autem primo, quarta-decima die menſis, phaſe Domini erit, & quinta decima die ſolemnitas ... Offeretiſque incenſum holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos ſeptem ... & hircum pro peccato unum.* 2. Vituli, aries, & agni erant holocauſta, hircus verò erat ſacrificium pro peccato, & ex eo quotidie parari ſolebat epulum ſacerdotibus. Patet ex Joſepho lib. 3. antiquit. Judaicarum cap. 10. ubi ait: *Per ſingulos dies* (azymorum) *tauri jugulantur duo, aries unus, agni ſeptem ... Hæc holocautomata ſiunt, additurque hædus pro peccatis in quotidianum epulum ſacerdotibus.* 3. Holocauſta, quæ diebus azymorum fiebant, ac proinde vituli, aries & agni, qui diebus illis immolabantur, vocantur Phaſe, lib. 2. Paralip. cap. 35. ubi legitur: *Dederunt ſacerdotibus ad faciendum phaſe pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boves trecentos.* 4. denique, ſacerdotibus, niſi mundi eſſent, non licebat comedere ſacrificia. Patet ex Levit. cap. 22. ubi dicitur: *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* His præſuppoſitis,

R. Joannem loco citato, nomine Paſchæ, non agnum paſchalem, qui immolabatur luna decima quarta ad veſperam, intelligere, ſed victimam paſchalem, nempe hircum, qui diebus paſchalibus immolabatur pro peccato, & ſacerdotibus mundis cedebat in epulum. Porrò Joannes tam potuit hircum illum vocare paſcha, ſeu phaſe, quàm vocari poterant, & lib. 2. Paralip. Phaſe ſeu paſcha vocantur vituli, aries, & agni, qui ſingulis diebus azymorum cum irco illo immolabantur. Principes igitur ſacerdotum in prætorium introire noluerunt, ne contaminarentur, ſeu immundi fierent, quia immundis non licuiſſet comedere victimam illam paſchalem, quæ ſingulis azymorum diebus pro peccato immolabatur, & ex qua immolata epulum parabatur ſacerdotibus.

§. V.

Chriſtus, eo anno quo mortuus eſt, Agnum Paſchalem cum diſcipulis ſuis comedit, non luna decima-tertia, ſed luna decima-quarta menſis primi.

PRob. 1. Ex Matthæo, Marco, & Luca locis jam ſupra laudatis, ubi apertè teſtantur Chriſtum manducaſſe Agoum Paſchalem in ultima cœna cum diſcipulis ſuis, primo die azymorum. Atqui luna XIII. primi meoſis, oeqnc ex toto, neque ex parte, ſuit primus dies azymorum: oam luoa xv. ex parte fuit primus azymorum dies; quod eſſe non potuiſſet, ſi dies primus axymorum ſuiſſet, etiam ex parte tantùm, luna XIII. Ergo, &c.

Reſpondet 1. Græci aliqui, tres illos Euangeliſtas allucinatos eſſe, & correctos fuiſſe à Joanne, cùm ait cap. 13. *Ante diem feſtum Paſcha ſciens Jeſus, &c.* Ar hoc ſine ingenti blaſphemia dici non poteſt; & dato quòd Euangeliſtæ inter ſe non conſentirent, fides potiùs habenda eſſet tribus, quàm uni.

Reſpondent 2. alii, tres Evangeliſtas loqui de primo die azymorum, non præſeote, ſed adventante tantùm, quod probant ex Luca cap. 22. ubi ait: *Venit autem dies azymorum*. Sed hæc reſponſio eſt evidenter falſa; nam Matthæus, & Marcus dicuot: *Primo die azymorum*. Adeoque loquuotur, noo de advenante tantùm, ſed de præſente primo die azymorum. Apud Lucam autem to *venit* noo eſt in præſenti tempore, ſed in præterito, ut patet ex textu græco, qui habet ἦλθε, quæ vox eſt aoriſtus præteriti temporis.

Reſpondent 3. aliqui, Evangeliſtas diem illum vocare diem primum azymoram, quia Chriſtus tuoc comedit agnum paſchalem cum azymis. Sed hæc reſponſio eſt abſurda: nam Evangeliſtæ diem illum, non reſpectivè, ſed abſolutè vocant diem primum azymorum, & narrant diſcipulos à Domino petiviſſe, ubi vellet comedere paſcha; noo quia tunc paſcha comedere volebat, ſed quia erat primus dies azymorum, quo, juxta præſcriptum legis, agnus paſchalis comedendus erat.

Illud igitur Euangeliſtarum, *Prima die azymorum, venit dies azymorum*, intelligi nullatenùs poteſt de luoa XIII. primi menſis, ſed intelligi debet de luna XIV. in qua ad veſperam agnus paſchalis immolabatur, & omnis uſus fermentati apud Judæos deſinebat. Quod

Declaratur adhuc amplius ex iiſdem Evangeliſtarum verbis, in hunc modum. 1. Luna XIII. tota licebat Judæis comedere fermentatum: ergo illud Evangeliſtarum, *Primo die azymorum*, & illud, *Venit autem dies azymorum*, intelligi noo poſſunt de luna XIII. ſed neceſſariò intelligenda ſuot de luna XIV. quam Evangeliſtæ vocant primum dieo azymorum, quia in ejus poſteriori parte, nempe io ſecunda veſpera, non licebat Judæis uti fermentato, imò nec illud habere in domibus ſuis; atque ioſuper ſecundùm partem illam poſteriorem re ipſa erat primus azymorum dies. 2. Primo illo die azymorum, de quo loquuorur Evangeliſtæ, Judæi immolabant agnum paſchalem. *Primo*, inquit Marcus, *die azymorum, quando paſcha immolabant*. Atqui Judæi nunquam immolabant agnum paſchalem luna XIII. ſed XIV. Ergo, &c. 3. denique primo illo die azymorum, de quo loquuntur Evaogeliſtæ, oeceſſe erat immolari agnum paſchalem propter legis præſcriptum. *Venit autem*, inquit Lucas, *dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha*. Atqui lex præcipiebat ut agnus paſchalis immolaretur luoa XIV. menſis primi, non luoa XIII. ut patet ex cap. 28. Num. ubi dicitur: *Menſe autem primo, quarta decima die menſis, Phaſe Domini erit, & quinta decima die ſolemnitas: ſeptem diebus veſcentur azymis, &c.* Ergo per illam primam diem azymorum, de qua loquuntur Evangeliſtæ, alia intelligi ooo poteſt dies, quà luna XIV. primi menſis.

Quod confirmatur authoritate Patrum, Hieronymi ſcilicet, Bedæ, & Anſelmi, in cap. 26. Matthæi, ubi Euangeliſtam dicunt per primam azymorum diem iotelligere lunam XIV. primi menſis. *Prima azymorum*, inquit, Hieronymus, *quarta-decima dies menſis primi eſt, quando agnus immolatur, & luna pleniſſima eſt, & fermentum abjicitur*. *Primum diem azymorum*, inquit Beda, *quartum-decimum, quo agnum occidere ſolebant, appellant*. *Primam diem azymorum*, inquit Anſelmus, *vocat* (Matthæus) *quartum decimum diem primi menſis, quando fermento abjecto, immolare, id eſt, agnum occidere ad veſperam ſolebant*. Ergo, &c.

Prob. 2. Ratione. Chriſtus comedit agnum paſchalem pridie paſſioois, ut expreſsè teſtantur Matthæus, Marchus, & Lucas. Atqui Chriſtus paſſus eſt luna decima-quinta. Ergo comedit agnum paſchalem pridie lunæ decimæ quintæ. Ergo, quod idem eſt, comedit agnum paſchalem luna decima-quarta, non decima tertia. *Probatur* min. authoritate Patrum, Ambroſii epiſt. 83. ad Epiſcopos Æmiliæ; Chryſoſtomi homil. 86. in Matthæum, Epiphanii hæreſ. 70. Auguſtioi tract. 114. in Joan. Leonis Magni ſerm. 7. de paſſione Domini, locis citatis §. ſuperiore, & Bedæ & Anſelmi locis citatis hoc paragrapho, qui omnes aut expreſsè dicunt Chriſtum luna XV. crucifixum fuiſſe, aut, quod eſt æquivalens, crucifixum fuiſſe in die ſeſto ſeu ſolemoi. Ergo, &c.

Obj. 1. Joannis cap. 13. Chriſtus dicitur ultimam cœnam ſumpſiſſe, adeoque agnum paſchalem manducaſſe *ante diem feſtum Paſcha*, qui incipiebat luna XIV. ad veſperam. Ergo ſecundùm Joannem Evangeliſtam, Chriſtus agnum paſchalem manducavit luna XIII.

Reſp. Joannem, dum ait Chriſtum ultimam cœnam ſumpſiſſe ante diem ſeſtum Paſchæ, ſumere diem ſeſtum Paſchæ, non eccleſiaſticè, nam ſic ſumptus incipiebat à veſpera lunæ decimæ quartæ; ſed civiliter, quo modo ſumptus incipiebat ab ortu ſolis lunæ decimæ-quintæ: unde cùm Joannes dicit Chriſtum feciſſe cœnam ultimam ante diem feſtum Paſchæ, perinde eſt ac ſi diceret, feciſſe cœnam ultimam pridie lunæ decimæ quintæ, ſeu luna decima quarta ad veſperam.

Nota. Feſtum Paſchæ ſumi poteſt dupliciter, eccleſiaſticè & civiliter. Primo modo ſumptum, incipiebat à veſpera lunæ decimæ-quartæ, & deſinebat in veſperam lunæ decimæ-quintæ: ſumptum verò ſecundo modo, incipiebat ab ortu ſolis lunæ decimæ-quintæ, & deſinebat in occaſum ejuſdem lunæ: quapropter indifferenter dici poteſt Chriſtum feciſſe cœnam ultimam in ſeſto Paſchæ, vel ante ſeſtum Paſchæ. Quòd ſi dicis, feciſſe in ſeſto Paſchæ, ſeſtum Paſchæ ſumis ſecundùm uſum ſacrum & eccleſiaſticum: ſi verò dicis, feciſſe ante ſeſtum Paſchæ, ſeſtum Paſchæ ſumis ſecundùm uſum civilem.

Obj. 2. S. Epiphanium hæreſ. 50. quæ eſt Quartadecimaoorum, ubi §. ſecundo ait, oportuiſſe Chriſtum immolari luna XIV. Ergo ſecundùm Epiphanium Chriſtus paſcha manducavit luna XIII. *R.* Epiphanium loqui de immolatione Chriſti, non in ſe, ſed in figura: unde cùm ait: *Chriſtum decima-quarta die mactari ex præſcripto legis oportuit; ut ejus lumen, quod Judæos colluſtrabat, oriente ſole, ac lunam abſcondente, deſineret: etenim à quarta decima die deinceps lunæ ſplendor imminuitur*; perinde eſt, ac ſi diceret clariùs: Ex præſcripto legis oportuit agnum, qui erat figura Chriſti, immolari luna decima quarta ad veſperam, ut immolatio illa Chriſti in figura, quæ ſecundùm legem fiebat, ſignificaret ſynagogam, Chriſto veniente, lumen ſuum amiſſuram eſſe, quia à quarta-decima die, in qua luna pleniſſima eſt, lunæ ſplendor ſenſim deficit.

Obj. 3. S. Chryſoſtomum homil. 22. in Joan. ubi dicit, Chriſtum agnum paſchalem comediſſe pridie quàm illum comederent Judæi. Atqui Judæi comederunt illum luna decima quarta. Ergo Chriſtus comedit illum luna decima tertia. *R.* Chryſoſtomum, cùm dicit Chriſtum manducaſſe agnum paſchalem

pridie

pridiè quàm illum manducarent Judæi, non intelligere populum Judæorum, ſed ſolùm ſacerdotes illos, qui in procuranda Chriſti morte tota nocte occupati fuerant, quos proindè credidit non potuiſſe cum cæteris Judæis tempore debito agnum paſchalem manducare, nempe in veſpera feriæ quintæ, quæ erat luna decima-quarta, adeoque agni paſchalis eſum diſtuliſſe in ſequentem diem, qui fuit luna decima-quinta; in quo addit eos legem prævaricatos eſſe, & graviſſimè peccaſſe: nam ſic loquitur homil. 85. in cap. 26. Matth. *Cur autem ipſum* (Chriſtum) *eò duxerunt* (qui eum in horto comprehenderant) *ubi omnes erant congregati? Ut ex Pontificum ſententia omnia facerent. Idcircò ad eum omnes conveniunt, qui illo anno ſummum pontificatum obtinebat, ubi pernoctarunt vigilantes; adeò ut paſcha ea nocte comedere neglexerint. Manè autem facto non intrarunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha. Unde liquidò patet, cupiditate interficiendi Chriſtum prævaricatos fuiſſe, ac alia die paſcha comediſſe.: non enim Chriſtus tempus Paſchæ tranſgreſſus eſt, ſed illi audaciſſimi homines.*

Obj. 4. S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 13. ubi refert, aliquos dixiſſe, paſcha Judæorum, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, cœpiſſe in ſequenti ſabbato, & ideò feriam ſextam, in qua paſſus eſt Chriſtus, dictam eſſe Paraſceven Paſchæ. *R.* S. Auguſtinum hoc referre, ſed non approbare. Præterea, S. Doctor tract. 14. in Joan. expreſsè docet, feriam illam ſextam fuiſſe diem feſtivum, qui à veſpera feriæ quintæ incœperat.

At inquies. S. Auguſtinus tract. 120 in Joan. docet acceleratam fuiſſe Chriſti ſepulturam propter paraſceven Judæorum, quia illa nocte cœnam puram ſumpturi erant. *R.* cœnam illam puram non fuiſſe agni paſchalis manducationem, ſed cœnam quamdam ſolemnem, quam Judæi veſpera feriæ ſextæ ad initium ſabbati ſumebant.

Obj. 5. Anſelmum in cap. 27. Matth. ubi ait, ſe comperiſſe Chriſtum crucifixum fuiſſe luna decima-quarta, quæ eo anno incidit in feria ſexta, atque ita illum paſcha ſuum celebraſſe luna decima-tertia, quæ in feria quinta incidit. *R.* cum Bellarmino, ab interpolatore aliquo Græcorum fautore, locum illum inſertum fuiſſe; quod probatur evidenter ex eodem Anſelmo in cap. 26. Matth. ubi disertè aſſerit Chriſtum paſcha ſuum celebraſſe luna xiv. & ſequenti die, quæ fuit luna decima quinta, crucifixum fuiſſe. *Primam*, inquit, *diem azymorum vocat* (Evangeliſta) *quartum-decimum diem primi menſis, quando fermento abjecto immolare, id eſt, agnum occidere ad veſperam ſolebant, qui* (Chriſtus) *licet die ſequenti, hoc eſt, quinta-decima luna ſit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, & carnis, ſanguiniſque ſui myſteria celebranda tradidit diſcipulis.*

Obj. 6. Apud Judæos dies Pentecoſtes celebrabatur die quinquageſimo à ſecundo die azymorum, ut probatur ex Levitico cap. 23. ubi dicitur: *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies: & ſic offeretis ſacrificium novum Domino, &c.* Atqui eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, feſtum Pentecoſtes Judæorum incidit in die dominica, ut conſtat ex traditione Eccleſiæ. Ergo etiam dies ſecunda azymorum incidit in die dominica: cùm enim feſtum Pentecoſtes eſſet quinquageſimus à ſecundo die azymorum, neceſſe erat ut uterque in eodem die hebdomadæ incideret, ut numeranti patebit. Ergo eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, dies primus azymorum fuit in ſabbato, adeoque luna decima quinta fuit in ſabbato, & luna decima-quarta in ſexta feria, in qua Chriſtus cruci affixus eſt. Ergo Chriſtus eo anno paſcha ſuum celebravit luna decima-tertia, quæ in feria quinta incidit.

R. Cum Bellarmino lib. 3. de cultu ſanct. cap. 13. eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, dies Pentecoſtes numeratos fuiſſe non à ſecundo die azymorum, qui fuit ſabbato, ſed à tertio, qui fuit die dominico; unde factum eſt, ut feſtum Pentecoſtes in die dominica inciderit eo anno quo Chriſtus paſſus eſt. Ratio hujus ſolutionis eſt, ſecundùm Bellarminum, quia ordinariè quidem dies Pentecoſtes numerari incipiebant à ſecunda die azymorum. At ſi ſecunda illa dies eſſet ſabbatum, tunc incipiebant numerari à tertia die azymorum; quod ſic probat idem Doctor: Cauſa cur illi dies quinquaginta non inciperent à die primo azymorum, ſed à ſecundo, eſt, quia illo die à quo incipiebant, oportebat aliqua opera ſervilia facere, quæ die feſto erant prohibita, nempe metere manipulum frumenti, & ad ſacerdotem deferre. Atqui hæc magis prohibita erant die ſabbati, quàm primo die azymorum. Ergo multò minùs licebat dies illos quinquaginta incipere in ſecunda azymorum die, quando ea dies ſabbatum erat; adeoque quando ea dies ſabbatum erat, dies illi quinquaginta à tertia die azymorum numerari incipiebant.

At inquies. Huic ſolutioni obſtant verba Scripturæ; *Numerabitis ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum.* Negat hoc Bellarminus, & obſervat Scripturam dixiſſe, *Altero die ſabbati*, non, altero die Paſchæ, vel, altero die azymorum; quia voluit generatim includere feſta, quæ immediatè occurrerent poſt immolationem agni paſchalis, ſive eſſet unum, ſive plura: unde juxta eundem, illud, *Altero die ſabbati*, ſignificat, prima die prophana poſt feſtum Paſchæ.

At inquies. Obſtat Joſephus lib. 3. antiq. cap. 10. ubi ait: *Secunda azymorum die, qua eſt menſis hujus decimaſexta, frugibus demeſſis & hactenus intactis incipiunt frui ... Poſt paſchale ſacrum elapſis ſeptem ſeptimanis, id eſt, quadraginta novem diebus, quinquageſima ... offerunt Deo panem, &c.*

Reſpondet Bellarminus, Joſephum loquentem de eo, quod plurimùm accidebat, ſcripſiſſe, quòd dies Pentecoſtes à luna decima ſexta numerari inciperent, quia re ipſa, ut plurimùm, poſt agni paſchalis immolationem feſtum non occurrebat, niſi primo azymorum die; quanquam anno quo Chriſtus paſſus eſt, dies Pentecoſtes numerari incœperint à luna decima ſeptima, eò quòd luna decima ſexta incidit in ſabbatum: unde anno illo feſtum Pentecoſtes in Dominicam incidit, quia dies quinquageſimus poſt ſeptem hebdomadas, à luna decima ſeptima numeratas, fuit dies dominicus.

§. VI.

Chriſtus agnum paſchalem cum diſcipulis ſuis comedit luna decima quarta primi menſis, non in priore veſpera, ſed in poſteriore, ſive non in veſpera ſubſequente diem artificialem decimum tertium, ſed in veſpera proximè & immediatè præcedente diem artificialem decimum-quintum.

PRob. Contra Luiſium Legionenſem, qui malè ſupponit lunam decimam quartam primi menſis habuiſſe primam veſperam, ſeu, quod idem eſt, lunam decimam quartam primi menſis incœpiſſe ab occaſu ſolis lunæ decimæ-tertiæ: nam apud Judæos ſoli dies feſtivi, quà tales, incipiebant à veſpera diei præcedentis, & ita apud Judæos ſoli dies feſtivi, quà tales, habebant primam veſperam. Atqui luna decima quarta primi menſis non erat dies feſtivus, ſed prophanus, ut fatentur omnes. Ergo, &c. *Prob. major.* Nam apud Judæos neque dies artificiales incipiebant à veſpera diei præcedentis, incipiebant enim ab ortu ſolis, & deſinebant ad ejus occaſum, ſicut noctes incipiebant ab occaſu ſolis, & deſinebant in ejus ortum; neque dies naturales; nam incipiebant ab ortu ſolis, & deſinebant in ortum ſolis, ut jam ſupra obſervatum eſt. Ergo, &c.

Præterea, Exodi cap. 12. Hebræi jubentur ſeligere Agnum paſchalem die decima, & eum ſerva uſque ad diem decimam-quartam, eumque immo-

lare die decima quarta ad veſperam. *Decima die menſis hujus* (primi) *tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas ..... & ſervabitis eum uſque ad quartam-decimam diem menſis hujus; immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Atqui in ſententia Luiſii, agnus non fuiſſet ſervatus uſque ad diem decimam-quartam, ſed fuiſſet immolatus die decima-tertia.

At inquies. Fuit ſervatus agnus uſq; ad diem decimam-quartam inchoatam, quia immolabatur veſperè, ſive poſt occaſum Solis diei decimæ-tertiæ, à quo tempore incipiebat dies decima quarta. Sed Sed contra eſt; quia 1. ut jam oſtenſum eſt, dies decima-quarta non iocipiebat ab occaſu Solis diei decimæ tertiæ, ſed à ſubſequente ortu Solis. 2. Cùm in Scriptura dicitur Hebræos debuiſſe agnum immolare ad veſperam, ſenſus eſt, debuiſſe immolare appropinquante occaſu Solis: Scriptura enim loquitur de veſpera quæ Solis occaſum præcedit, non de veſpera quæ ſubſequitur: quare agnus immolari non potuit die decima quarta ad veſperam, niſi immolaretur appropinquante occaſu Solis diei decimæ-quartæ.

Præterea, Exodi cap. 12. Hebræi jubentur comedere paſcha nocte. *Edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus*; ſic ut nihil ex eo ſupereſſet uſque manè. *Nec remanebis quidquam ex eo uſque manè*. Atqui illud manè erat manè Lunæ decimæ quintæ, ut docet Joſephus lib. 3. antiq. cap. 10. *Sacrificium*, inquit, *quod tunc exeuntes feciſſe diximus, Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare lege jubemur: celebramuſque id per ſodalitia, nihil è victimis in ſequentem diem relinquentes, qua eſt quinta-decima, & azymorum feſtivitas prima*. Ergo Judæi comedebant paſcha in nocte illa quæ deſinebat in manè Lunæ decimæ quintæ. Ergo comedebant paſcha in nocte illa, quæ ſubſequebatur diem artificialem Lunæ decimæ-quartæ. Ergo falſum eſt, quòd Judæi comederent paſcha in nocte illa quæ præcedebat diem artificialem Lunæ decimæ quartæ.

Denique Chriſtus celebravit Paſcha ea nocte, quam proximè & immediatè ſubſecutus eſt dies artificialis, in quo paſſus eſt, ut apertè docent Matthæus, Marcus, & Lucas. Sed dies ille artificialis fuit pars Lunæ decimæ quintæ, non decimæ quartæ: nam fuit feſtivus & ſolemnis apud Judæos, ut ſupra probatum eſt; dies autem artificialis Lunæ decimæ quartæ prophanus fuit, Ergo non in priore veſpera, quæ deſinebat in diem artificialem Lunæ decimæ quartæ, ſed in poſteriore, quæ deſinebat in diem artificialem Lunæ decimæ quintæ, Chriſtus paſcha ſuum comedit cum diſcipulis.

Obj. Joſephus lib. 2. ant. cap. 5. extremo, numerat octo dies azymorum. *In memoriam ejus inopiæ*, inquit, *feſta per octo dies celebramus, quos vocamus Azymorum*. Atqui non potuerant eſſe octo dies azymorum, niſi Judæi paſcha ſuum manducarent Luna decima quarta in priori veſpera, ſeu, quod idem eſt, in veſpera immediatè ſubſequente diem artificialem Lunæ decimæ-tertiæ. Ergo, &c.

Reſp. Joſephum loco citato ſic numerare octo dies azymorum, ut lib. 3. antiq. cap. 10. numeret tantùm ſeptem: nam poſt verba ſuperiùs citata ſic proſequitur: *Nam hoc feſtum priori continenter ſuccedit, duratque dies ſeptem, per quos panibus non fermentatis veſcuntur*. Potuit autem hoc facere Joſephus ſine inconſtantia, cujus proinde immeritò accuſatur à recentiore. Quamvis enim Chriſtus & Judæi paſcha ſuum manducaverit Luna decima-quarta poſt ſecundam ejus veſperam, potuerunt indifferenter numerari azymorum dies octo vel ſeptem tantùm. Ratio eſt, quia azymorum dies indifferenter numerari potuerunt à Luna decima-quarta, vel decimaquinta: cujus ulterior ratio eſt, quia tam Luna decima-quarta vocari potuit dies primus azymorum, quàm Luna decima quinta: ſicut enim Luna decima quinta fuit dies primus azymorum ſecundùm priorem ſui partem, ita Luna decima-quarta fuit dies primus azymorum ſecundùm poſteriorem ſui partem: quia dies primus azymorum conſtabat ex nocte Lunæ decimæ quartæ, & ex die artificiali Lunæ decimæ-quintæ. Joſephus itaque lib. 2. antiquit. cap. 5. dicit eſſe octo dies azymorum, quia ibi numerat illos à Luna decima quarta incluſivè; lib. verò 3. cap. 19. dicit eſſe ſeptem azymorum dies, quia ibi numerat illos à luna decima-quinta. Ad objectionem igitur *Reſp.* 2. negando minorem.

§. VII.

Non ſolùm Chriſtus cum ſuis diſcipulis, ſed etiam Judæi comederunt paſcha luna decima-quarta primi menſis, & luna decima-quinta celebrarunt feſtum Paſchæ, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt.

PRob. 1. Nam Levit. cap. 23. hebræis abſolutè & abſque omni exceptione præcipitur, ut celebrent Paſcha luna decima-quarta primi menſis, & luna decima quinta feſtum Paſchæ. *Menſe primo, quarta-decima die menſis ad veſperum, Phaſe Domini eſt; & quinta-decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, &c.* Ergo ad id ſemper obligati fuerunt: ergo hoc fecerunt etiam tempore Chriſti: quod enim cœremoniam hanc circa Chriſti tempora mutaverint, cùm tunc cœremoniarum illarum fuerint obſervantiſſimi, prorsùs incredibile eſt.

Prob. 2. Ex Joſepho, qui ſcribens ea, quæ ipſe ſuis oculis videbat, lib. 3. antiq. cap. 10. teſtatur ſuo tempore legem de immolando agno paſchali luna decima-quarta, & celebranda feſtivitate azymorum luna decimaquinta religioſè obſervatam fuiſſe: ſic enim habet: *Menſe Xanthice, qui noſtris Niſan vocatur, & annum exorditur, luna quarta decima, ſole Arietem obtinente, quandoquidem hoc menſe ab Ægyptiaca ſervitute liberati ſumus, ſacrificium .... Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare lege jubemus: celebramuſque id per ſodalitia, nihil è victimis in ſequentem diem relinquentes, qua eſt quinta-decima, & azymorum feſtivitas prima.*

Prob. 3. Et quidem evidenter ex Scriptura: nam Lucas cap. 22. ait: *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha*. Et Marcus cap. 14. *Primo die azymorum, quando paſcha immolabant, &c.* Unde ſic argumentor. Chriſtus eo die celebravit paſcha, quo Judæi tenebantur celebrare, imò eo die quo re ipſa celebrarunt. Atqui Chriſtus, ut ſupra probatum eſt, celebravit paſcha luna XIV. Ergo & cœteri Judæi celebrarunt paſcha luna XIV. ſed & die ſequenti celebrarunt feſtum Paſchæ; cùm apud illos feſtivus fuerit dies artificialis, qui proximè & immediatè ſubſecutus eſt noctem illam, in qua Chriſtus paſcha comedit cum diſcipulis, adeoque & in qua ipſi comederunt, ut ſuo loco probatum eſt.

Obj. 1. Tempore Chriſti, conſuetudo Judæorum fuit nunquam celebrandi duo feſta continua. Ergo tempore Chriſti, feſtum azymorum nunquam incidit in feria ſexta; aut ſi quando incidit, illud Judæi tranſtulerunt in ſabbatum. *R.* fictitiam eſſe hanc conſuetudinem, nec potuiſſe Judæos, quin aliquando duo feſta continua celebrarent: nam ſupponamus eos, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, feſtum Paſchæ in feria ſexta incidens tranſtuliſſe in ſabbatum; adhuc celebrarunt duo feſta continua: in hac enim ſuppoſitione dies ſeptimus azymorum incidit in feria ſexta ſequentis hebdomadæ, atque ita in ſequenti hebdomada fuerunt duo feſta continua: nam dies ſeptimus azymorum tam feſtivus fuit ac ſolemnis, quàm primus, ut patet ex Num. cap. 28. ubi dicitur, de ſeptimo die azymorum: *Dies quoque ſeptimus celeberrimus & ſanctus erit vobis: omne opus ſervile non facietis in eo.*

Obj. 2. Chriſtus cum populo quidem celebravit paſcha luna XIV. ſecundùm computum Calendarii,

ſecun-

ſecundùm quem hoc anno luna XIV. incidebat in die Jovis. At ſacerdotes & phariſæi celebrarunt luna XIV. ſecundùm calculum Aſtronomicum, ſecundùm quem hoc anno luna XIV. incidit in diem Veneris. *R.* hanc evaſionem gratis & abſque omni fundamento confictam eſſe. Nam 1. calendarium Judæorum ſemper fuit accuratiſſimum, ſemperque, quantùm fieri poterat, calculo Aſtronomico conſentiens. 2. Dato quòd tunc notabilis error fuerit calendarii, nec maturè authoritate legitima correctus, agnus paſchalis eo anno ab omnibus immolari debuit feria 5. & feſtum Paſchæ celebrari feria 6. atque ad id tam ſacerdotes obligati fuerunt, quàm reliquum vulgus: lex enim divina, præcipiet ut agnus immolaretur luna XIV. primi menſis, & celebraretur feſtum Paſchæ luna XV. ejuſdem menſis, non loquebatur de luna XIV. & XV. ſecundùm calculum aſtronomicum, qui pauciſſimis notus erat, ſed ſecundùm vulgarem computum calendariorum populi, notum omnibus, ſive computus iſte conveniret cum Aſtronomico, ſive non.

Igitur in ſuppoſitione diſſonantiæ calendarii, & calculi aſtronomici, vel error calendarii maturè correctus fuit legitima authoritate, & correctio maturè evulgata, atque celebratio paſchæ in feriam ſextam indicta, vel non. Si primum, Judæi omnes obligati fuerunt ad paſcha celebrandum feria ſexta eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, & ita Chriſtus paſcha ſuum non manducavit die legitima, quod eſt dictu abſurdiſſimum, & prorſus incredibile; quis enim credat Chriſtum legitimam illam calendarii correctionem ſpreviſſe? Et ſi ſprevit, quare ſacerdotes eum velut ſchiſmaticum, & Synagogæ inobedientem non traduxere? Si ſecundum, agnus paſchalis immolari debuit ab omnibus feria quinta, & ab omnibus celebrari feſtum Paſchæ feria ſexta: unde ſi ſacerdotes manducarunt agnum feria ſexta, & feſtum Paſchæ celebrarunt ſabbato, neutrum legitimo tempore fecerunt, & legem divinam tranſgreſſi ſunt. Nihil porrò cogit ad dicendum quòd feria ſexta agnum manducaverint. Sed dato quòd hoc fecerint, ſaltem, quod nobis ſufficit, reliquum Judæorum populum illorum tranſgreſſionis participem fuiſſe, nec legitimo tempore, adeoque eo die quo Chriſtus ipſe cum ſuis diſcipulis manducavit, agnum paſchalem manducaſſe, contra manifeſtum Evangeliſtarum teſtimonium aſſereretur.

§. VIII.

Chriſtus conſecravit in azymo, non in fermentato pane.

PRobatur ex dictis hactenus. Chriſtus inſtituit Euchariſtiam poſt cœnam legalem, ſeu poſt manducationem agni paſcalis, ut manifeſtum eſt ex Matthæo, Marco, & Luca. Sed manducavit agnum paſchalem luna decima-quarta in poſteriore veſpera, & eadem die, qua reliqui Judæi comedere debuerunt, & comederunt, ut probatum eſt. Ergo Chriſtus inſtituit Euchariſtiam eo tempore, quo fermentum nec inveniebatur, nec inveniri poterat apud Judæos. Ergo Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, conſecrando panem azymum, non verò fermentatum.

Obj. 1. Immolatio agni paſchalis figura fuit Chriſti in cruce pro hominibus immolandi. Sed agnus paſchalis immolabatur die decima-quarta ante ſolis occaſum. Ergo Chriſtus in cruce immolatus fuit die decima-quarta, non decima-quinta. Ergo Euchariſtiam inſtituit die decima tertia, non decima quarta. Ergo Euchariſtiam inſtituit eo tempore quo Judæi utebantur pane fermentato. Ergo non azymum, ſed panem fermentatum conſecravit.

R. Agnum paſchalem figuram fuiſſe Chriſti, ut in ſacramento Euchariſtiæ manducandi; & immolatio agni paſchalis non tam ſignificabat cruentam Chriſti immolationem, quæ peragenda erat in cruce, quàm myſticam Chriſti immolationem, quæ in ſacrificio Miſſæ peragitur. Unde Chriſtus myſticam hanc ſui immolationem inſtituit eadem illa nocte, qua agnus paſchalis manducandus erat, & manducabatur. Quia tamen agnus paſchalis fuit etiam figura Chriſti ut in cruce immolandi, eodem illo die feſto Chriſtus in cruce immolatus eſt, quo agnus paſchalis immolatus, aſſatus manducabatur; adeoque in cruce immolatus eſt Chriſtus in die artificiali lunæ decimæ-quintæ, ex qua, & nocte lunæ decimæ-quartæ, in qua manducabatur agnus paſchalis, conſtabat primus azymorum dies.

Obj. 2. Tempore Chriſti conſuetudo Judæorum fuit nunquam feſtum Paſchæ celebrandi die 2. 4. 6. Ergo feria ſexta in qua Chriſtus paſſus eſt, non fuit luna decima-quinta, ſed decima quarta tantùm. Ergo feria quinta, in qua cum diſcipulis ſuis fecit cœnam ultimam, & Euchariſtiam inſtituit, non fuit luna decima quarta, ſed decima-tertia tantùm. Ergo, &c. *Reſp.* neg. maj. & dico conſuetudinem illam non celebrandi feſtum Paſchæ die 2. 4. 6. non fuiſſe apud Judæos receptam niſi multis poſt Chriſti Paſſionem ſæculis, ut

Prob. Nam Victore I. Romanam Sedem tenente, ideoque ſecundo ſæculo deſinente, Aſianæ Eccleſiæ Paſcha ſuum celebrabant eodem illo die, quo Judæi ſui temporis fermentum abjiciebant, & celebrabant ſuum Paſcha, eamque conſuetudinem ab initio naſcentis fidei eatenùs retinebant, ut patet ex Polycrate in ſua ad Victorem epiſtola apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 24. in hac enim epiſtola ſic ſcribebat: *Hi omnes* (Epiſcopi, qui Aſianis Eccleſiis ab initio hactenùs præfuerunt) *diem Paſcha quarta-decima luna juxta Evangelium obſervarunt, nihil omninò variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes, Ego quoque omnium veſtrum minimus Polycrates ex traditione cognatorum meorum ... qui quidem omnes ſemper Paſche diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret .... poſſem etiam Epiſcoporum qui mecum ſunt facere mentionem, quos petiiſtis ut convocarem, ſicut & feci .. Hi .. epiſtolam noſtram aſſenſu ſuo comprobarunt.* Hæc autem ſcribit, ad defendendum Aſiaticarum Eccleſiarum morem eo tempore celebrandi paſcha cum Judæis luna XIV.

Atqui Aſiaticæ illæ Eccleſiæ paſcha ſuum celebrabant quolibet hebdomadæ die. *Prob.* ex Euſebio lib. citato cap. 23. ubi ait: *Hiſdem temporibus gravi controverſia exorta, eo quod omnes per Aſiam Eccleſia, vetuſta quadam traditione nixa, quarta-decima luna ſalutaris Paſche feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant, quo die præſcriptum erat Judæis ut agnum immolarent: eaque omninò luna, in quemcumque demum diem ſeptimanæ incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe ſtatuebant.* Teſte igitur Euſebio, Eccleſiæ illæ paſcha ſuum celebrabant luna XIV. in quamcumque diem ſeptimanæ incidiſſet: qui modus loquendi excludit delectum omnem, omneque diſcrimen dierum. Ergo Eccleſiæ illæ paſcha ſuum celebrabant aliquando die dominica, aliquando feria tertia, & aliquando feria quinta. Ergo ſimiliter Judæi tempore illo agnum paſchalem immolabant die dominica, aliquando feria tertia, & aliquando feria quinta, adeoque feſtum Paſchæ celebrabant aliquando feria ſecunda, aliquando feria quarta, & aliquando feria ſexta. Falſum igitur eſt, quòd feſtum Paſchæ tunc temporis, & à fortiori tempore Chriſti, nunquam inciderit feria ſecunda, quarta, vel ſexta.

Præterea ſæculo quarto, tempore Nycenæ Synodi, plurimæ Orientis Eccleſiæ ſervabant eumdem illum morem cum Judæis paſcha celebrandi quolibet die hebdomadæ abſque omni dierum diſcrimine. Et primò quidem quòd paſcha ſuum cum Judæis celebrarent, locuples teſtis eſt S. Athanaſius in lib. de Syn. ubi probans Nycenam Synodum non temerè, ſed graviſſimas ob cauſas congregatam fuiſſe, ſic ait: *Syri, Cilices, Meſopotamiani, in cauſa feſti* (paſchalis) *claudicabant, atque unà cum Judæis paſcha celebrabant.*

2. Quòd paſcha ſuum celebrarent quolibet hebdo-

madæ die, abſque ullo dierum diſcrimine vel delectu, *prob.* ex eo quòd de Quarta decimanis, qui poſt Nicenam Synodum morem eumdem retinuerant, referunt S. Auguſt. lib. de hæreſ. §. 29. ubi refert Teſſareſcæ decatitas, ſeù quarta decimanos, hinc appellatos eſſe; *Quod nonniſi quarta-decima luna, menſe martio, paſcha celebrant, quolibet ſeptem dierum occurrat dies*; & Philaſtrius lib. de hæreſ. §.11. ubi hæc habet; *Sunt & qui de die paſcha ſaluberrima ambigunt, aſſerentes quarta-decima luna celebrandum eſſe paſcha, non ſicut Eccleſia catholica celebrat, & menſe martio ſemper celebrandum aſſerunt: & cùm hoc faciunt, diem non dominicam ſemper cuſtodiunt paſcha, non computantes horas & dies, ſed ſecunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut ſexta die celebrant.* Judæi igitur quarto adhuc ſæculo paſcha ſuum celebrabant quolibet hebdomadæ die, adeoque & feſtum Paſchæ feria ſecunda, quarta, & ſexta.

Denique Rabbi Abeneſta apud Bellarmin. lib. 4. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 8. diſertè affirmat in commentario capitis 23. Lev. præfatam conſuetudinem non ſolùm non fuiſſe ab initio ſecundi Templi, ut multi fabulantur, ſed nec fuiſſe eo tempore quo fiebat Talmud: nam, ut ipſe dicit in Talmud, invenitur feſtum Paſchæ in Badu, id eſt, die 2. 4. 6. Cùm itaque Talmud confectum non fuerit niſi multis poſt Paſſionem Chriſti ſæculis, præfata conſuetudo apud Judæos non niſi multis à Paſſione Chriſti annorum centuriis introducta eſt, quando ſcilicet qui apud Judæos calendariis præſunt, ita cœperunt accommodare novi-lunia, ut nunquam contingat diem primum menſis Niſan eſſe feria 2. vel 4. vel 6. unde fit ut luna decima-quinta primi menſis nunquam ſit feria 2. 4. 6.

APPENDIX

De Harduini ſyſtemate circa præſentem controverſiam.

HArduinus è Societate noſtra, vir omni eruditionis genere inſtructiſſimus, cùm nihil, ut ipſe ait, ſatis probabile afferre ipſi videantur ad controverſiam de paſchate diſcerptandam Doctores omnes, qui ante eum ea de re ſcripſerunt, in opere ſuo doctiſſimo de ſupremo Chriſti Domini Paſchate, novam hujus controverſiæ diſſolvendæ viam proponit.

Vult itaque, 1. tempore Chriſti apud Judæos duplicem fuiſſe lunam xv. primi menſis, ſeu menſis Niſan: unam pro Judæis, qui Galilæam, & alteram pro Judæis, qui Judæam incolebant; & ita Judæos, qui habitabant in Galilæa, quos deinceps Galilæos nominabimus, menſem Niſan non numeraſſe ab eadem die cum Judæis aliis, qui in Judæa habitabant, & quos Judæorum nomine intelligemus deinceps.

2. Aliquando Galilæos priores numeraſſe, & Judæos poſteriores, & viciſſim, aliquando Judæos priores, & Galilæos poſteriores.

3. Si novi-lunium ſeu media conjunctio lunæ cum ſole incideret in *Badu*, hoc eſt, feria 2. 4. vel 6. tunc Galilæos priores numeraſſe, ac proinde primum diem menſis Niſan illis fuiſſe feriam 2. vel 4. vel 6. Judæos verò poſteriores numerando à ſequenti die menſem incœpiſſe, & ita primum diem menſis Niſan illis fuiſſe feriam 3. vel 5. vel ſabbatum.

4. Quòd ſi novi-lunium incideret in ſabbato, vel in feria 1. aut 3. aut 5. tunc Judæos priores numeraſſe, ab ea ſcilicet die, in qua novi-lunium incidebat; Galilæos verò poſteriores, incipiendo ſcilicet ab altera die, quibus proindè tunc prima dies menſis erat feria 1. vel 2. vel 4. vel 6.

5. Atque ita cùm luna xv. incidat eadem die, in qua primus dies menſis, lunam xv. menſis Niſan pro Judæis, incidere non potuiſſe tempore Chriſti in feria 2. 4. 6. ſed ſemper incidiſſe in ſabbato, vel feria 1. aut 3. aut 5. Galilæis verò ſemper incidiſſe feria 1. vel 2. vel 4. vel 6.

6. Eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, & qui fuit ejus annus trigeſimus tertius, mediam lunæ conjunctionem cum ſole, à qua menſem primum numerari oportuit, incidiſſe in feriam 6. adeoque Galilæos eo anno priores, & à feria 6. numeraſſe menſem primum, Judæos verò poſteriores, & à ſabbato: unde eo anno luna xv. in feriam 6. pro Galilæis, & pro Judæis in ſabbatum incidit, & ſic eo anno luna xiv. fuit feria 5. pro Galilæis, & pro Judæis feria 6.

7. Feriam ſextam, in qua Chriſtus occiſus eſt, fuiſſe diem feſtum in Galilæa, in qua erat luna xv. & fuiſſe diem prophanum in Judæa, in qua erat tantùm luna xiv.

8. Denique Chriſtum pridie mortis, ſeu feria 5. celebrando ſuum paſcha cum Galilæis legitimo tempore celebraſſe, cum ipſe domicilio Galilæus eſſet; & ſimiliter Judæos ſuum paſcha celebrando poſtridie, ſeu feria 6. legitimo tempore celebraſſe, cùm illud celebrarint ea die qui illis eo anno fuit primus azymorum dies.

Hoc ſuum ſyſtema, quòd hactenùs expoſuimus, ut probet Harduinus, multa affert, quibus aſſentiri non poſſumus, quia videntur vel à veritate omninò aliena, vel arbitrariè & ſine ſufficienti probabilitate aſſerta, ut pro modulo noſtro ſequentibus paragraphis oſtendere conabimur.

§. I.

Harduinus §. 6. operis ſui, contendit primam diem azymorum, apud Matthæum, Marcum, & Lucam, fuiſſe ipſam decimam-quintam diem menſis primi ab antecedente veſpera. Sed hoc eſt evidenter falſum, ut facilè oſtenditur ex ipſiſmet Evangeliſtis. Nam 1. Matthæus cap. 26. dicit: *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere paſcha?* Atqui diſcipuli ad Jeſum acceſſerunt, non poſt occaſum ſolis lunæ decimæ-quartæ, ſed multò ante, putà manè, vel ad ſummum circa meridiem. Ergo evidenter Matthæus per primam diem azymorum intellexit non lunam decimam-quintam, ſed decimam-quartam. 2. Marcus cap. 14. dicit: *Prima die azymorum, quando paſcha immolabant.* Et Lucas cap. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha.* Ergo Marcus & Lucas per primam diem azymorum intelligunt diem illam, in qua ex præſcripto legis agnus paſchalis immolandus erat, & ab hebræis re ipſa immolabatur. Atqui agnus paſchalis ex præſcripto legis immolandus erat, & re ipſa ab hebræis immolabatur, non luna decima-quinta, ſed decima-quarta ad priorem veſperam, ſeu ſole ad occaſum vergente. Ergo Marcus & Lucas per primam diem azymorum non lunam decimam-quintam, ſed decimam-quartam manifeſtè intelligunt. Quod

Confirmatur Authoritate Patrum: nam Matthæum per primam azymorum diem lunam xiv. ſignificaſſe, diſertis verbis aſſerunt S. Hieronymus, Beda, & S. Anſelmus locis ſupra laudatis §. 5. quibus hìc adjungimus S. Auguſtinum epiſt. 86. ad Caſulanum, ubi ait: *Matthæus Evangeliſta, quintam ſabbati* (quæ fuit luna xiv. non xv.) *dicit fuiſſe primam diem azymorum, quia ejus veſpera ſequente futura erat cœna paſchalis, qua cœna incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari* (hoc eſt, quia quinta ſabbati, ſeu luna xiv. re ipſa prima erat dies azymorum, poſteriore ſui parte, nempe ab occaſu ſolis, ad ſubſequentem ſolis ortum, à quo incipiebat luna xv.

Dico, Ad ſubſequentem ortum ſolis, à quo incipiebat luna xv. dies enim naturales apud Hebræos incipiebant ab ortu ſolis, & in ortum ſolis deſinebant, ut videtur à nobis ſuo loco demonſtratum. Hinc Harduinus dicere non potuit, primam diem azymorum apud Matthæum, Marcum & Lucam, eſſe ipſam decimam quintam diem, ſeu lunam menſis primi ab antecedente veſpera; non enim luna xv. ſed, quod aliud eſt, dies prima azymorum incœpit ab

ante-

antecedente veſpera, qui apud Hebræos, ut etiam oſtenſum eſt, dies feſti ab occaſu ſolis præcedentis diei incipiebant, & deſinebant in occaſum ſolis diei ſubſequentis.

At inquies. Luna xv. primi menſis erat dies feſtus, Ergo incipiebat ab antecedente veſpera. *R.* diem artificialem lunæ xv. fuiſſe diem feſtum primi menſis; fuit enim altera pars primæ diei azymorum, quæ conſtabat ea nocte lunæ xiv. & die artificiali lunæ xv. Luna igitur xv. feſtiva fuit ab ortu ſolis uſque ad occaſum, & profeſta ab occaſu ſolis, uſque ad ortum ſolis lunæ xvi. quando ſabbatum non incidebat in luna xvi.

At inquit. Dies primus azymorum in veteri teſtamento ſemper intelligitur xv. dies menſis primi, ut conſtat ex Levit. cap. 23. & Num. cap. 28. Sed qui primus dies azymorum in veteri teſtamento dicitur, idem in novo ſic cognominari profectò debuit. Ergo, &c. *Reſp.* Moſem quidem per diem primam azymorum nunquam intellexiſſe niſi lunam xv. primi menſis; ſed potuiſſet etiam lunam xiv. intelligere: tam enim potuit luna xiv. dies primus azymorum diei, quàm luna xv. ſicut enim luna xv. erat primus dies azymorum priori parte ſui; ita luna xiv. erat primus dies azymorum poſteriore ſui parte, quia dies primus azymorum conſtabat ea nocte lunæ xiv. & die artificiali lunæ xv. Perperam ergo dicitur, Evangeliſtas non debuiſſe nec potuiſſe lunam xiv. cognominare primam diem azymorum, eò quòd Moſes ſolam lunam xv. diem primam azymorum cognominavit.

At inquit. Septem dies azymorum paſſim celebrantur in veteri teſtamento, *A quarta-decima die menſis ad veſperam, uſque ad diem viceſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam*. Ergo prima dies azymorum dies eſt quinta-decima; ut ſeptima exinde dies prima ac viceſima ſit uſque ad veſperam, Ergo eodem intellectu neceſſe eſt apud Evangeliſtas eam vocem, *Prima dies azymorum*, accipi, quo eſt à Moſe prolata.

R. Dies azymorum poſſe numerari dupliciter, ſecundùm computum ſacrum & eccleſiaſticum, & computum naturalem. Primo modo ſunt ſeptem, & numerantur à veſpera lunæ xiv. ad veſperam lunæ xxi. quo modo à Moſe numerantur Exodi cap. 12. Secundo modo numerari poſſunt indifferenter à luna xv. vel à luna xiv. quia utraque luna eſt primus dies azymorum, una ſcilicet poſteriori parte ſui, nempe xiv. & altera priore, nempe xv. Sunt autem ſeptem azymorum dies, ſi numerentur à luna xv. quomodo numerantur à Moſe Levit. c.23. Quòd ſi numerentur à luna xiv. ſunt octo, quomodo numerantur à Joſepho lib. 2. antiq. cap. 3. in fine; imò & ab ipſis Evangeliſtis, Matthæo ſcilicet, Marco, & Luca, cùm dicunt lunam xiv. fuiſſe primum azymorum diem. Quovis autem ex præfatis modis azymorum dies numerarentur, azymorum uſus neque contrahebatur, neque extendebatur, ſed ſemper incipiebat ab occaſu ſolis lunæ xiv. & deſinebat in occaſu lunæ xxi. Ex dictis patet reſponſio ad 1. conſeq. & neg. 2. conſeq.

At inquit. Si luna xiv. appellari poteſt prima azymorum dies, dieſve paſchalis, eò quòd proximè antecedit primum diem azymorum, ac præparatoria azymorum eſt, quod erit nomen, quiſve numerus diei ſequentis? Primane, an ſecunda dicetur.

R. 1. Ab Evangeliſtis lunam xiv. appellatam eſſe diem primam azymorum, non quia azymorum erat præparatoria, ſeu non quia in ea circa meridiem à Judæis coquebantur azyma, aut quòd primum diem azymorum proximè antecederet, ſed quia pars ejus poſterior erat prior pars primæ diei azymorum; ſicut luna xv. à Moſe appellata fuerat primus dies azymorum, quia prior pars lunæ xv. erat pars poſterior primæ diei azymorum.

R. 2. Harduinum eò quòd luna decima-quarta appelletur primus dies azymorum, ſollicitum eſſe non oportere de nomine & numero diei ſequentis, neque neceſſe eſſe diem ſecundo-primam comminiſci: nam ex æquo luna decima quinta eſt etiam dies primus azymorum. *At inquiet.* Quomodo duo dies poſſunt eſſe una & eadem dies? *R.* hic duos dies naturales apud Hebræos fuiſſe unam & eandem diem feſtivam: cùm enim dies feſti apud Hebræos inciperent ab occaſu ſolis diei naturalis præcedentis, & deſinerent in occaſu ſolis diei naturalis ſubſequentis, dies feſti apud Hebræos, ſecundùm priorem ſui partem conſtabant nocte diei naturalis præcedentis, & ſecundùm poſteriorem die artificiali diei naturalis ſubſequentis: unde duo dies naturales ſecundùm aliquid ſui erant unus & idem dies feſtus; ſic luna decima-quarta v. g. ſecundùm noctem ſuam, & luna decima-quinta ſecundùm diem ſuum artificialem, erant primus dies azymorum. Hinc ſi quæras à me ſeorſim, num luna decima quarta & luna decima-quinta fuerint dies primus azymorum, *R.* ſimpliciter, & ſine addito: Luna decima quarta fuit primus dies azymorum, luna decima quinta fuit primus dies azymorum. Quod ſi conjunctim quæris, reſpondebo cum addito: Luna decima quarta poſteriore ſui parte, & luna decima quinta priore ſui parte fuerunt primus dies azymorum.

At inquit. Hæc locutio, Luna decima-quarta fuit primus dies azymorum, tam inſolens eſt, quàm ſi quis dixerit, apud nos eſſe novem dies Epiphaniæ, relata utique in numerum dierum illorum antecedente vigilia. *Reſp.* hoc eſſe apertè falſum: magnum enim diſcrimen eſt inter lunam decimam quartam relatè ad primum diem azymorum, & vigiliam Epiphaniæ relatè ad ipſum Epiphaniæ feſtum: nam apud nos vigilia Epiphaniæ à media nocte incipit, & deſinit in media nocte, à qua incipit feſtum Epiphaniæ: unde vigilia Epiphaniæ nulla ſui parte ad ipſum Epiphaniæ feſtum pertinet; quare inſaniret, qui Epiphaniæ dies numeraret à vigilia incluſivè. At cùm primus azymorum dies inciperet ab occaſu lunæ xiv. luna xiv. poſteriore ſui parte erat primus azymorum dies: unde azymorum dies potuerunt numerari à luna xiv. incluſivè.

§. II.

Harduinus §. 7. feriam illam ſextam, in qua Chriſtus paſſus eſt, nec feſtum diem aut ſolemnem Hieroſolymis fuiſſe, nec eſſe potuiſſe, intrepidè aſſerit, 1. Contra torrentem Doctorum. 2. Contra authoritatem multorum Patrum, Chryſoſtomi ſcilicet, Epiphanii, Auguſtini, Leonis Magni, & Bedæ, locis ſupra Articulo 5. §. 4. citatis, ubi diſertis verbis aſſerunt, diem illam, in qua Chriſtus cruci affixus eſt, feſtivam ac ſolemnem Hieroſolymis fuiſſe: imò & aliorum Patrum, Tertulliani, Ambroſii, Anſelmi, &c. qui ſcripſerunt Chriſtum luna decima quinta morti traditum fuiſſe, quique proinde cenſuerunt, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, diem primum azymorum ſeu feſtum Paſchæ Hieroſolymis fuiſſe feria illa ſexta, in qua Chriſtum crucifixerunt Judæi, & conſequenter feriam illam ſextam feſtivam ac ſolemnem Hieroſolymis fuiſſe crediderunt, cùm ne ſomniarint quidem de duplici apud Hebræos luna decima-quinta pro Chriſti tempore. 3. ut nobis videtur, contra authoritatem Evangeliſtarum: nam Matthæus diem illam, qua Chriſtus crucifixus eſt, cap. 27. vocat ſolemnem, Marcus cap. 15. cum Luca cap. 23. diem feſtum appellat; & Joannes illam nominat Paſcha, ſic enim cap. 18. loquentem inducit Pilatum; *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Per to *Paſcha* autem, juxta ipſum Harduinum, aliud hic intelligi non poteſt, quàm ipſe dies feſtus Paſchæ: nam juxta illum §. 1. num. 5. juncto §. 9. num. 63. in Scriptura nunquam accipitur niſi, aut pro agno paſchali, aut pro aliis victimis quæ immolabantur diebus azymorum, aut denique pro primo azymorum die feſtivo ac ſolemni.

At inquies. Scriptura dicit quidem, ſolitum fuiſſe præ-

præſidem Judæis unum vinctum dimittere per diem ſolemnem, per diem feſtum, in die feſto Paſchæ: at non dicit feriam ſextam, in qua Chriſtus paſſus eſt, fuiſſe diem illum. Pilatus autem, qui ſolebat in die feſto Paſchæ Judæos rogare quem è vinctis vellent ſibi dimitti, & quem volebant, dimittere; hac vice, cùm à principibus ſacerdotum premeretur, & Chriſtum ſervare vellet, diem feſtum Paſchæ non expectavit, ſed pridie illius populum interrogavit, quem è duobus, Chriſto ſcilicet, & Barraba, qui erat latro inſignis, & homicidium fecerat, dimitti præoptaret?

Sed contra eſt. Hoc qualecumque effugium eſt, quia videtur Scriptura apertè ſignificare Pilatum eo die Judæos interrogaſſe, quem vellent è duobus, Chriſto & Barraba dimitti, quia dies erat primus azymorum, feſtivus ac ſolemnis, quo ſingulis annis unum vinctum, quem vellent, dimittere ſolitus erat. *Per diem autem feſtum*, inquit Marcus cap. 15. *ſolebat dimittere illis unum ex vinctis quemcumque petiſſent ... Cùm aſcendiſſet turba* (ſupple, & adeſſet dies feſtus) *cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis ... Vultis dimittam vobis Regem Judæorum? ... Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barrabam*. Sed videamus quibus momentis aſſertionem ſuam ſtabiliat Harduinus §. citato.

Affert 1. Joannem cap. 13. ubi cùm Chriſtus dixiſſet Judæ: *Quod facis fac citiùs, quidam* (ex diſcipulis) *putabant quia loculos habebat Judas, quòd dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*. At inquit Harduinus, Apoſtolis in mentem venire non potuit ſuſpicari, quòd Chriſtus Dominus his verbis, *Quod facis, fac citiùs*, Judæ juſſerit, ut ea quæ opus erant ad diem feſtum emeret, ſi jam dies ille feſtus advenerat. Ergo, &c.

R. Retorquendo. Si dies artificialis proximè & immediatè ſubſecutura noctem illam, in qua Chriſtus Judæ dixit, *Quod facis, fac citiùs*, futura non erat dies feſtiva, quomodo diſcipulis, Chriſtum ſic loquentem audientibus, in mentem venire potuit, quòd Chriſtus Judæ juberet, ut quantociùs, & in illa ipſa nocte, emeret ea quibus opus habebant ad diem feſtum? Certè ſi dies illa artificialis, proximè & immediatè ſubſecutura, futura erat, ut loquitur Harduinus, ἐργάσιμη, & negotioſa, hominibus ſanæ mentis, quales erant Apoſtoli, in mentem, venire non potuit, Chriſtum dicendo Judæ, *Quod facis, fac citiùs*, juſſiſſe, ut tunc & ſine mora emeret neceſſaria ad diem feſtum, non inchoandum niſi poſt integram diem artificialem proximè ſecuturam profeſtam, & in qua proinde omnia ad diem feſtum neceſſaria commodè parari poterant.

Manifeſtum ergo videtur, *Per diem feſtum*, loco citato intelligi diem artificialem proximè & immediatè ſubſecuturam noctem illam in qua Chriſtus Dominus cœnam ultimam cum diſcipulis fecit, & Judæ dixit, *Quod facis, fac citiùs*, adeòque diem illam artificialem feſtivam ac ſolemnem fuiſſe. Atqui dies illa artificialis fuit illa in qua Chriſtus paſſus eſt. Ergo ex loco citato dies illa, in qua Chriſtus paſſus eſt, feſtiva ac ſolemnis fuit Hieroſolymis.

At inquiet. Ergo jam advenerat feſtum Paſchæ, quando Chriſtus dixit Judæ, *Quod facis, fac citiùs*. *R*. Feſtum Paſchæ jam advenerat ſecundùm priorem ſui partem; at futurum adhuc erat ſecundùm poſteriorem. *Nota*. Feſtum Paſchæ conſtabat nocte lunæ decimæ quartæ, & die artificiali lunæ decimæ-quintæ: unde cùm jam adeſſet nox lunæ decimæ quartæ, quando Chriſtus Judæ dixit, *Quod facis, fac citiùs*, jam feſtum Paſchæ aderat ſecundùm priorem ſui partem; & quia nondùm aderat, ſed futura erat dies artificialis lunæ decimæ-quintæ, nondùm aderat, ſed futurum erat feſtum Paſchæ ſecundùm poſteriorem ſui partem. Hinc Apoſtoli audientes Dominum loquentem Judæ, non putarunt Judæ dixiſſe: Eme quæ nobis opus ſunt ad noctem feſtam, quia jam aderat, & omnia ad eam neceſſaria aderant; ſed putarunt dixiſſe: Eme quæ nobis opus ſunt ad diem feſtum, hoc eſt, ad lucem craſtinam, ſeu ad diem artificialem craſtinum, qui feſtivus erit ac ſolemnis. Sed

Obſerva iterùm. Evangeliſta, cùm dicit, *Quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*; ſicut initio ejuſdem cap. cùm dicit, *Ante diem feſtum Paſchæ*, in utroq; loco loquitur, non de integro Paſchæ feſto; tunc enim jam ea parte aderat; cùm jam adeſſet veſpera lunæ XIV. à qua incipiebat, ſed de altera tantùm ejus parte, nempe de die artificiali lunæ XV. ſeu, quod eodem redit, in utroque loco loquitur, non de luna XIV. quæ poſteriore ſui parte erat prior pars feſti Paſchæ, ſed de luna XV. quæ priore ſui parte erat poſterior pars feſti hujus. Eodem autem jure potuit Joannes lunam XV. vocare diem feſtum Paſchæ, quo potuerunt Matthæus, Marcus & Lucas lunam XIV. appellare primum diem azymorum.

At inquit. Si jam feſtum Paſchæ advenerat, quando Dominus Judæ dixit, *Quod facis, fac citiùs*, tunc nihilo magis quàm ſabbato, licebat emere aliquid. Ergo, &c. *R*. hoc argumentum non magis valere, quàm iſtud: Si jam feſtum Paſchæ advenerat, quando Dominus, &c. tunc nihilo magis quàm ſabbato, licebat coquere cibos. Ergo, &c. Itaque ſi licebat coquere cibos in feſto Paſchæ, quòd non licebat ſabbato; quidni etiam tunc licuiſſet emere, non quidem quidlibet, ſed ea, quæ opus erant ad diem feſtum, quamvis hoc non liceret ſabbato?

Affert 2. Matthæum cap. 26. ubi ait; *Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum .... & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo*. *R*. ut ſuperiore articulo, principes ſacerdotum, oblata opportunitate ex proditione Judæ, mutaſſe conſilium, & in ipſo Paſchæ feſto Chriſtum comprehendiſſe, ejuſque mortem procuraſſe. *Conſidera*, inquit Chryſoſtomus hom. 18. in cap. 26. Matthæi, *valdè ipſos* (ſacerdotes) *timere, non Deum, neque ne majus ſcelus eſſet in ipſa Paſcha celebratione tam tetrum facinus facere, ſed homines & tumultum: ira tamen inflammati, poſteaquam proditorem invenerunt, commutati expectare non potuerunt, ſed in ipſa ſolemnitate ipſum occiderunt*.

At inquit. Cur adeò feſtinanter ſententia capitis in Dominum lata eſt prima ipſa die azymorum? Certè quia dies ille non feſtus, ſed pridie diei feſti fuit: quo feſto die ſi judicium de reo conſtitueretur, *tumultus fieret in populo*. *R*. cauſas illas Judæorum in condemnando Chriſto feſtinationis gratis omninò fingi, & dico 1. cum Chryſoſtomo loco citato: *In ipſa ſolemnitate* (Chriſtum) *occiderunt: quaſi enim cæci cupiditate, furoreque irritati, quàm primùm ſibi facultas data eſt* (per Judæ proditionem, rem) *peregerunt*. 2. Cum Toſtato parte 2. defenſorii cap. 8. *Voluerunt occidere eum illicò ut tenuerunt, ut ſic populus non haberet locum eripiendi eum de manibus ſuis & ſic oportuit eum in die feſto occidi*. Duplex igitur ea parte ſacerdotum cauſa feſtinationis eorum fuit, immane ſcilicet odium, quo furebant in Chriſtum, & metus, ne ſi ſupplicium ejus differrent, ex illorum manibus eriperetur à populo, à quo non ignorabant eum ut Prophetam magnum haberi.

Quare antea dixerant; *Non in die feſto, ne tumultus fieret in populo*, non quòd timerent ne populus ex affectu religionis tumultuaretur propter violationem diei feſti, ſi in eo adverſus Chriſtum cauſa criminalis ageretur, quod dictu frigidum ſatis eſt; ſed quia plurimi ex iis, qui ad diem feſtum Hieroſolymam confluxuri erant, miracula ab eo patrata viderant, & ab eo corporis vel animæ ſanitatem receperant, ſicque periculum erat, ne ad ſervandum Chriſtum ex effectu devotionis, & gratitudinis erga ipſum, moverent ſeditionem, propter quam ſacerdotes ipſi pro merito mulctarentur à Romanis.

Affert 3. Marcum cap. 15. ubi ait: *Et cùm jam ſerò eſſet factum, quia erat paraſceve, quòd eſt ante ſabbatum, venit Joſeph .... & petiit corpus Jeſu .... Joſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum,*

in-

Google

involvit ſindone, & poſuit eum in monumento. Cur, inquit Harduinus, Joſepho licuit ac Nicodemo emere ſindonem & aromata prima die azymorum, niſi quia dies profeſtus fuit, obeundis operibus deſtinatus? Aut quorſum deponere de cruce dominicum corpus ac ſepelire proccurarunt omni feſtinatione? Verebantur, ne initio feſti & ſabbati ingruente, iſto defungi officio prohiberentur.

R. Prima die azymorum, quamvis feſtiva fuerit ac ſolemnis, licuiſſe Joſepho, quod lex fieri præcipiebat. At lex præcipiebat, corpora eorum qui in patibulo appenſi fuerant, eadem die è patibulo deponi, ac ſepeliri. Licuit ergo Joſepho, die illo in quo Chriſtus crucifixus eſt, quamvis feſto ac ſolemni, corpus ejus è cruce deponere, illudque ſepelire, maximè cùm eſſet paraſceve, ſeu pridie ſabbati in hebdomada paſchali incidentis, in quo corpora occiſorum pendere in cruce indecentiſſimum fuiſſet: quamobrem, ut ait Auguſtinus tract. 120. in Joan. Judæi rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura pendentium, ut fractis cruribus citius morerentur, & mortuorum corpora de ligno auferrentur, *Ne pendentes in crucibus, magnum diem feſtum* (ſeu ſabbatum propter paſchalem hebdomadam, in qua incidebat, ſolemnius) *ſui diurni cruciatus horrore fœdarent*. Quòd ſi Joſepho licuit Domini corpus è cruce deponere, illudque ſepelire die primo azymorum, quamvis feſto & ſolemni, proculdubio licuit etiam, emere ea, quæ ad illud ſepeliendum decenter, & hebræorum more, erant neceſſaria.

At inquiet. Si Chriſtus crucifixus fuiſſet die ſabbati, Joſepho non licuiſſet corpus ejus è cruce deponere, illudque ſepelire eadem illa die: ergo nec licuit primo die azymorum, ſi fuit dies feſtus ac ſolemnis. *R.* Eſto ant. neg. conſeq. Nam multa licita erant diebus feſtis, quæ diebus ſabbati erant illicita, ut coquere cibos, & ignem accendere. Dixi, Eſto ant. Nam v. g. licitè poterat quilibet, aſinum vel bovem ſuum, in puteum die ſabbati delapſum, illicò extrahere: *Cujus veſtrum aſinus aut bos*, inquit Chriſtus Luc. cap. 14. *in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati?* Adeoque ad id licitè poterat juvari à proximo. Atqui corpus Chriſti è cruce deponere ac ſepelire, tam fuit opus pietatis ac miſericordiæ, quàm aliquem in extrahendo bove in puteum delapſo juvare: ergo tam licitum fuiſſet die ſabbati.

At inquiet. Illicitum fuit primo illo die azymorum, in quo Chriſtus paſſus eſt, cauſas criminales agere, & reos punire, ſi dies ille feſtus fuit ac ſolemnis. Ergo ſimiliter illicitum fuit, punitorum corpora è patibulo deponere, & ſepelire. *R.* ſecundùm ea, quæ articulo ſuperiore dicta ſunt, neg. conſeq. cujus nulla eſt cum antecedente connexio, ut cuilibet attendenti facilè patebit.

Reſpondet Toſtatus cap. citato, illicitum fuiſſe cauſas criminales, agere, & reos punire die ſabbati, non die primo aut ultimo azymorum, quamvis celeberrimi eſſent. *Multa*, inquit, *fieri poterant in die primæ & ſeptimo azymorum, quæ non fiebant in ſabbato, ut publica punitio judicialis, & cauſarum diſcuſſio, quia non erat feſtum tanta reverentia, ſicut ſabbatum*. Si vera eſt hæc Toſtati ſententia, habemus tertiam cauſam feſtinationis Judæorum in ferenda ſententia capitis contra Dominum, & ejus morte procuranda; quia ſcilicet niſi ea die, quæ erat pridie ſabbati, illum occiderent, expectandum eis foret ſabbati poſtridie, cum periculo id, quod inceperant, non perficiendi, populo qui ex omni Judæa & Galilæa ad feſti celebrationem confluxerat, pro Chriſto ſervando ſeditionem movente.

Affert 4. Joannem cap. 19. ubi ait: *Judæi ergo quoniam paraſceve erat; ut non remanerent in cruce corpora ſabbato, erat enim magnus ille dies ſabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur*. Primus igitur ille azymorum dies, in quo Dominus paſſus eſt, fuit paraſceve, ſeu pridiè ſabbati, quod magnum à Joanne vocatur, quia eo anno feſtus ac ſolemnis dies Paſchatis, ſeu, quod idem eſt, quia eo anno luna xv. Judæorum, quæ ſola Hieroſolymis feſtiva erat ac ſolemnis, in illo incidebat.

Ad hoc reſpondemus cum Toſtato cap. citato, ſabbatum illud, de quo loquitur Joannes, ab eo vocari magnum, quia incidebat in hebdomada paſchali, licèt eo anno in lunam xv. aut lunam xxi. ſeu in primum aut ſeptimum azymorum diem, qui dies erant feſti ac ſolemnes, non incideret, ſed in lunam xvi. quæ quidem erat dies profeſtus, & obeundis operibus deſtinatus, ſed in qua multæ, ut patet ex cap. 28. Num. fiebant oblationes, multaque ſacrificia, præter juge ſacrificium, quod ſolum fiebat aliis diebus profeſtis communibus: unde ſabbatum, in hanc lunam, quamvis profeſtam, incidens, celebrior erat, non propter majorem vacationem ab operibus ſervilibus (nam ſic nequidem propter primum, vel ſeptimum azymorum diem, quando incidebat in eum, erat celebrior, quia tanta erat in quolibet ſabbato vacatio ab operibus ſervilibus, ut major eſſe non poſſet propter concurſum cujuſcumque alterius feſti,) ſed propter multiplicationem oblationum & ſacrificiorum. Sed

Audiamus Toſtatum. *Cùm* inquit, *ſabbatum, quod erat poſt Chriſti mortem, eveniret in die tertio azymorum, ſecundùm modum computandi Evangeliſtarum* (Matthæi, Marci, & Lucæ, *& die ſecundo azymorum ſecundùm computationem Hebræorum* (quæ fuit Moſis computatio) *acquirebat ſibi illud ſabbatum quandam celebritatem, & vocatur magnus dies ſabbati, ſcilicet quia erat major & celebrior in ſacrificiis, quàm ſi eveniſſet iſtud ſabbatum extra dies azymorum .... verum eſt, quòd ſi iſtud ſabbatum fuiſſet prima dies azymorum, eſſet celebrius, quàm in ſecunda die: tamen adhuc in ſecunda die erat magnus dies ſabbati; quia ipſe dies de ſe erat magnus, quia ſabbatum erat, & præter hoc, quia cadebat intra feſtivitatem paſchalem, licèt non in die principali, & ex hoc erat celebrior in ſacrificiis*. Pro quo

Nota. 1. Apud Hebræos dies feſti omnes habebant ſuas oblationes, & ſua ſacrificia, ut patet ex Num. cap. 28. & 29. 2. Cùm dies feſti plures in eadem die coincidebant, ſacrificia unius feſti non impediebant alterius ſacrificia, etiamſi eſſent ſimilia, ſed omnia concurrentium feſtorum ſacrificia ea die offerebantur, ut ex citatis capitibus colligitur. 3. Licèt inter azymorum dies primus tantùm & ſeptimus feſti eſſent ac ſolemnes, in intermediis tamen, quamvis profeſtis, eædem omninò oblationes, eademque ſacrificia fiebant, quæ primo & ſeptimo, ut patet ex cap. 28. Num.

4. Itaque ſabbato in die azymorum profeſto incidente, in eo præter holocauſtum matutinum, quod ſemper offerebatur, & agnos anniculos duos, qui erant proprium ſacrificium ſabbati, offerebantur vituli duo, aries unus, agni anniculi ſeptem, & hircus pro peccato unus, ex quo parabatur epulum ſacerdotibus. Quòd ſi ſabbatum illud extra paſchalem hebdomadam incidiſſet, in eo oblati fuiſſent tantùm agni anniculi duo.

Jure merito igitur Joannes ſabbatum vocavit magnum, licèt in eo non primus, ſed ſecundus azymorum dies incideret; jure merito, inquam, vocavit magnum, propter multitudinem ſacrificiorum; adde, & propter ſpecialem ſanctitatem diei in illud incidentis: quamvis enim profeſtus eſſet, & in eo ſerviles operæ licitæ eſſent, Deo tamen ſpecialiter conſecratus erat, ejuſque cultui dicatus, ſicut & alii intermedii, ut oſtendit ſacrificiorum, quæ in illis fiebant, multiplicitas.

At inquiet. Evangeliſtæ dicunt, primum illum azymorum diem, in quo Dominus mortuus eſt, fuiſſe paraſcevem. *R.* Dicunt fuiſſe paraſcevem, ſeu pridie ſabbati. *Dies erat paraſceves*, inquit, Lucas cap. 23. *& ſabbatum illuceſcebat*. *Quia erat paraſceve*, inquit Marcus c. 15. *quod eſt ante ſabbatum*. Græcum habet *προσάββατον*; unde *ante ſabbatum* non ſunt duæ voces, ſed unica compoſita, nec interpres reddidit,

didit, *quæ eſt*, ſed *quod eſt ante ſabbatum*. Ex his autem quid colligi poteſt? Eo anno quo Dominus paſſus eſt, primum diem azymorum, eumque feſtivum ac ſolemnem, incidiſſe in feria ſexta, adeoque non niſi poſt Chriſti tempora apud Hebræos regulam *Badu* inſtitutam & receptam fuiſſe.

At inquit. Primo illo die azymorum, quo Chriſtus paſſus eſt, gemina fuit paraſceve, una ſabbati, & altera Paſchæ, ſeu primi azymorum diei, qui Hieroſolymis feſtivus erat ac ſolemnis, quarum prima incœpit eadem illa hora, qua deſivit altera, hora ſcilicet nona, hoc eſt, ſecundùm nos, poſt meridiem tertia, à qua incipiebat agni paſchalis immolatio. Ergo primus ille dies azymorum non fuit Judæis dies feſtus Paſchæ, nec potuit eſſe; idem enim dies non potuit Judæis ſimul eſſe pridie diei feſti Paſchæ, & dies feſtus Paſchæ. Ergo dies feſtus Paſchæ Judæis incidit in ſabbato, quod idcircò magnum appellatur à Joanne.

R. 1. Gratìs dici paraſcevem ſabbati non incœpiſſe ante horam nonam feriæ ſextæ; quidni enim Hebræi potuerunt cibos, quibus ſabbato veſcerentur, feria ſexta præparare qua vellent hora ante ſolis occaſum, à quo incipiebat ſabbatum? 2. Gratìs fingi duplicem paraſcevem: nam unica fuit, eaque ad ſabbatum. Ratio eſt, quia paraſceve erat præparatio ciborum, quibus veſcendum erat poſtridiè, quia poſtridiè illo præparari non poterant. At cibi præparari poterant quolibet die feſto, excepto ſolo ſabbato. Ergo Paraſceve erat ad ſolum ſabbatum.

At inquiet. Joannes cap. 19. ſatis clarè aſſignat geminam paraſcevem, paraſcevem Paſchæ v. 14. ubi ait: *Erat autem paraſceve Paſcha hora quaſi ſexta*, & paraſcevem ſabbati v. 31. ubi ait: *Judæi ergo, quoniam paraſceve erat, ut non remanerent, &c.* *R.* Joannem locis citatis unam eandem paraſcevem aſſignare, nempe paraſcevem ad ſabbatum, quam primo loco vocat paraſcevem Paſchæ, quia erat paraſceve ad ſabbatum, quod in hebdomada paſchali incidebat, & quod proinde inferius magnum appellat, propter majorem ejus celebritatem ac ſanctitatem

At inquies. Hebræi luna XIV. ante horam ſextam præparabant panes azymos, quibus veſcerentur luna XV. Ergo non ſolùm ſabbatum, ſed etiam dies feſtus Paſchæ ſuam paraſcevem habuit. *Reſp.* neg. conſeq. Nam dato quòd tempore Chriſti azymos panes Hebræi ab hora quinta præpararent, ad id nulla neceſſitate adigebantur: poterant enim, ſi vellent, eos præparare & coquere ipſo die feſto Paſchæ, ut patet ex cap. 12. Exodi, ubi dicitur: *Nihil operis facietis in eis* (die prima & ſeptima) *exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*. At paraſceve erat præparatio ciborum in diem ſequentem, quo præparari non poterant; ſic ut Hebræi integro illo die jejuni manere deberent, ſi cibos, quibus veſcerentur, non præparaſſent pridie.

Denique ſic argumentatur Harduinus. Sua ſabbato paraſceve ſervari debuit, ut in eum diem epulæ pararentur, cæteræque operæ ſerviles fierent, quas præſtari ſabbato nefas eſſet. Ergo primum illum azymorum diem, in quo Dominus paſſus eſt, *ἐργάσιμον*, ac negotioſum eſſe oportuit, adeoque non fuit dies feſtus Paſchæ, ſed pridie illius. *R.* Si valet hoc argumentum, &, ut vult Harduinus, in Judæa dies feſtus Paſchæ fuit ſabbato, ſeptimus in Judæa azymorum dies non fuit feſtivus ac ſolemnis, incidit enim in feriam ſextam; unde oportuit illum eſſe *ἐργάσιμον*, & negotioſum, cùm ſua ſabbato ſequenti paraſceve ſervari debuerit, ut in eum diem epulæ pararentur, cæteræque operæ ſerviles fierent, quas præſtari ſabbato nefas eſſet. Abſurdum autem & manifeſtè falſum eſt hoc conſequens.

Præterea, ſi valet Harduini argumentum, dies ille primus azymorum, in quo Dominus paſſus eſt, non fuit feſtivus ac ſolemnis in Galilæa: tam enim in Galilæa quàm in Judæa, ſua ſabbato ſervari debuit paraſceve, ut in eum diem, &c. Conſ. negat Harduinus ipſe, qui poſt *Reſp.* Leonem Mutinenſem, dicit apud Hebræos tempore Chriſti fuiſſe azymorum dies octo, quorum duo primi, & duo poſtremi feſti ac ſolemnes erant extra Judæam, & feſtos ac ſolemnes fuiſſe autumat propter geminam lunam XV. quarum una Judæorum, altera Galilæorum erat. Sed de hoc infrà.

§. III.

Syſtematis ſui de gemina luna XV. probationem aggreditur Harduinus §. 8. ubi 1. ait, certum exploratumque eſſe, hac ætate à Judæis non ſeptem tantummodò celebrari, ſed octo ipſos azymorum dies, è quibus primi duo, totidemque poſtremi, feſti ſolemneſque cenſentur; idque ex antiqua conſuetudine, ut teſtatur *R.* Leo Mutinenſis, qui conſuetudinem hanc ſtante templo, & Chriſti Domini ætate, longo jam uſu increbuiſſe confitetur. Horum autem dierum octo azymorum, quorum duo priores, totidemque poſteriores extra Judæam feſti ac ſolemnes erant, veriſimilior cauſa videtur fuiſſe, quòd propter populi frequentiam, impendi Hieroſolymis veſperas duas agnis paſchalibus mactandis oportuerit, alteramque Judæis deſtinari, Iſraelitis ſive Galilæis alteram.

R. 1. Ut refert Harduinus ipſe, Leo Mutinenſis octo illos azymorum dies ſtante Templo extra urbem ſanctam & Palæſtinam tantùm fuiſſe aſſerit, quare, quod nobis ſufficit, juxta Leonem illum, in urbe ſancta & Palæſtina, ſtante Templo, ſeptem tantùm fuerunt azymorum dies, ſecundùm ſacram computationem ſcilicet, vel etiam computationem naturalem, numerando à luna XV. 2. Sic ſeptem tantùm fuiſſe azymorum dies ſtante Templo, & Chriſti Domini ætate, manifeſtè teſtari videtur Joſephus lib. 3. antiq. cap. 10. ubi ait: *Menſe Xantico, qui noſtris Niſan vocatur, & annum exorditur, luna quarta-decima . . . ſacrificium . . . Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare lege jubemur: celebramuſque id per ſodalitia, nihil è victimis in ſequentem diem relinquentes, quæ eſt quinta-decima, & azymorum feſtivitas prima: nam hoc feſtum priori continenter ſuccedit, duratque dies ſeptem, per quos panibus non fermentatis veſcuntur*.

Joſephi igitur tempore dies azymorum ſeptem tantùm erant, computando dies à feſtivitate prima, quæ priore ſui parte erant nox lunæ XIV. & poſteriore dies artificialis lunæ XV. Nec Harduino prodeſſe poteſt illud ejuſdem Joſephi lib. 2. antiq. cap. 5. *Feſta per octo dies celebramus, quos vocamus azymorum:* hic enim Joſephus, quod poſtea fecerunt tres Evangeliſtæ, dies azymorum naturaliter computat à luna XIV. cujus primam veſperam feſtum Paſchæ Joſephus nominat ſuperiore loco, quia in ea immolabantur agni paſchales, quanquam in ea nondùm ceſſabant ſerviles operæ, & à cujus ſecunda veſpera incipiebat uſus & feſtivus azymorum: unde poſteriore ſui parte erat prior pars feſtivitatis azymorum primæ, cujus poſterior pars erat luna XV. priore ſui parte: unde azymorum dies indifferenter computari poterant vel à luna XIV. vel à luna XV. ſed utrovis modo computarentur, azymorum uſus incipiebat ab occaſu ſolis lunæ XIV. & deſinebat in occaſu ſolis lunæ XXI. atque ita ſeptem tantùm erant azymorum dies, ſecundùm ſacram computationem.

2. Conjecturam ſumit Harduinus ex populi frequentia, & tantam fuiſſe autumat Chriſti Domini ætate multitudinem eorum, qui ex omni Judæa & Galilæa Hieroſolymam confluebant ad celebrandum Paſcha, ut non potuerint in una veſpera immolari tot agni, quot illis ſimul & Hieroſolymitanis civibus ſufficeret, adeoque ingenioſo prorſus religioſoque conſilio, in tanta convenarum multitudine, ſuperpoſitionem alterius veſperæ excogitatam eſſe: eamque ob rem alios aliis uno die ſeriùs neomeniam civilem Niſan computaſſe; ut altera quidem veſpera convenæ è regno Juda cum Hieroſolymitanis Paſcha immolarent; altera Iſraelitæ ſive Galilæi; quamvis utrique ea die, quam decimam quintam menſis primi numerarent.

Huic conjecturæ 1. opponimus teſtimonium Joſephi

ſephi lib. 7. de bello Judaico cap. 17. ubi ait: *Quòd autem civitas caperet tantam hominum multitudinem* (hoc eſt, duodecies centum millia hominum) *certum erat ex his, qui ſub Ceſtio fuerant enumerati. Is enim tunc vires civitatis ac florem Neroni ſignificare cupiens, contemnenti nationem, à pontificibus petiit, ut ſi quo modo poſſent, multitudinem numerarent. Illi autem cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando à nona quidem hora uſque ad undecimam hoſtias cadunt, per ſingulas verò contubernia non pauciorum, quam decem virorum fiunt ... multi etiam vicini conveniunt: hoſtiarum quidem ducenta & quinquaginta ſex millia, & quingentas numeraverunt. Fiunt, autem, ut denos epulatores per ſingulas imputemus, vicies centena ac ſeptuaginta millia, ſancti omnes ac puri .... magna verò hæc multitudo ab extraneis congregabatur.*

Teſte igitur Joſepho, intra horas duas potuerunt mactari tot agni, quot ſufficerent vicies centenis & ampliùs hominum millibus, denos tantùm homines computando pro ſingulis agnis. Quòd ſi vicenos, ut poſſumus, homines pro ſingulis agnis computemus, tot agni immolari potuerunt, quot quadragies centenis & ampliùs millibus hominum ſufficeret. Quòd autem nunquam plures, imò verò quòd nunquam niſi multò pauciores Hieroſolymam convenire potuerint ad celebrandum Paſcha, creditu facile eſt. Fruſtra igitur videtur laboraſſe Harduinus in inveniendis duabus veſperis, in quarum una pro Galilæis, & altera pro Judæis immolarentur agni.

At inquiet Harduinus. Quod hic narrat Joſephus de numero agnorum duarum horarum ſpatio cæſorum, caret omni veriſimilitudine, & videtur manifeſtè falſum. *R.* Quòd Joſephus vir inter Hebræos honoratus, in re, in qua ab innumeris teſtibus mendacii convinci potuiſſet, nulla prorſus ad id utilitatis ſpecie inductus, mentiri voluerit, non credemus, niſi poſitivo aliquo argumento demonſtretur.

At inquiet Harduinus. Fieri non potuit, ut tot agnorum millia à ſacerdotibus in templo cæderentur tam brevi temporis intervallo. *R.* Joſephum non dicere, quòd tot agnorum millia in templo cæſa fuerint à ſacerdotibus, ſed tantùm, quòd ſacerdotes numeraverint ducenta & quinquaginta ſex millia, &c. *Illi autem*, inquit, *cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando à nona quidem hora uſque ad undecimam hoſtias cadunt* (hoc eſt, quando à nona hora uſque ad undecimam cæduntur agni paſchales, ſupple, partim in privatis domibus à patribus familias, partim in templo à levitis) *& per ſingulas* (ſingulos agnos) *contubernia non pauciorum, quam decem virorum fiunt .... hoſtiarum ducenta & quinquaginta ſex millia & quingentas numeravere* (partim ſcilicet in templo, partim in privatorum ædibus, quas luſtraverunt.)

At inquit Harduinus. Agni paſchales non poterant niſi in templo immolari. *R.* contrarium probari ex Philone in vita Moſis pag. 530. *Ejus*, inquit, *menſis* (primi) *die quarta decima, ſub ipſum tempus quo luna ſuum orbem ſolet complere lumine, celebratur migrationis publica feſtivitas, quam chaldaicè Paſcha nominant: quo tempore, non ut aliàs, plebeii homines victimas adducunt ad altare mactandas à ſacerdotibus, ſed jubente lege tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiſque mactat hoſtiam ſuis manibus. Tunc univerſo populo concelebrante lætas epulas, dum quiſque ſe gerit pro ſacerdote, &c.* Juxta Philonem igitur, patresfamilias, vel alii eorum nomine, extra templum, non tamen extra ſanctam civitatem, poterant in privatis ædibus agnum paſchalem immolare, & immolabant, exceptis tamen his, qui aut propter immunditiam aliquam non poterant, aut ex devotione agnos ſuos in templum deferebant immolandos.

His autem planè conſonat Scriptura lib. 2. Paralip. cap. 30. ubi dicitur: *Congregatique ſunt in Jeruſalem populi multi, ut facerent ſolemnitatem azymorum in menſe ſecundo ... Immolaverunt autem phaſe quartadecima die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem ſanctificati, obtulerunt holocauſta in domo Domini ... Sacerdotes verò ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Levitarum, eò quòd multa turba ſanctificata non eſſet: & idcirco immolarent Levitæ phaſe his, qui non occurrerant ſanctificari Deo.* Ex multis igitur populis, qui ſub Ezechia Rege in Jeruſalem congregati ſunt ad celebrandum Phaſe, qui mundi erant, agnos ſuos mactarunt domi, & ideò ſacerdotes non ſuſceperunt effundendum ſanguinem de manibus eorum, iis verò qui immundi erant, ſed quorum immunditia duratura tantùm erat uſque ad ſolis occaſum, agnos in templo immolarunt Levitæ, de quorum proinde manibus effundendum ſuſceperunt ſacerdotes.

At inquit Harduinus. Philo loco citato aſſerit quidem privato cuique permiſſum fuiſſe, ut mactaret agnum paſchalem, quod verum eſt: at non dicit, agnum paſchalem extra templum in privatis ædibus immolari potuiſſe: imò lib. 2. de monarchia, negat cuiquam ſacrificandi poteſtatem eſſe extra templum unicum Hieroſolymitanum. *R.* Philonem apertè aſſerere, quòd privato cuique permiſſum fuerit, ut agnum paſchalem domi immolaret, hoc ipſo quòd aſſerit, plebeios homines ad id obligatos non fuiſſe, ut agnos ſuos adducerent ad altare mactandos à ſacerdotibus. ſed unumquemque ſeſe pro ſacerdote gerere, & ſacrificare potuiſſe, ſuam victimam mactando ſuis manibus: unde quod ait lib. 2. de monarchia, neceſſariò intelligi debet cum exceptione agni paſchalis.

At inquit Harduinus, Eſto quòd ita ſenſerit Philo, de eo minimè laborandum eſt, cùm refragetur Joſephus lib. 3. antiq. cap. 10. & lib. 7. belli Judaici cap. 17. *R.* Imò verò maximè laborandum eſt, quid hic ſenſerit Philo: vir enim tantæ inter Hebræos eruditionis, qui & ipſe de genere ſacerdotali oriundus erat, nunquam impunè diceretur, ignoraſſe quid hac in re lex præſcriberet, quove ritu ſua ætate Paſcha celebraretur. Expreſſis autem verbis aſſerit, privatos quoſque luna decima quarta primi menſis juxta legis præſcriptum ſacrificare, manibus ſuis immolando victimam, agnum ſcilicet paſchalem, quem non tenentur, ſicut victimas alias, quas offerre volunt, ad templum adducere, ut immolentur à ſacerdote; atque hoc aſſerendo, narrat proculdubio, quod ipſe ſuis oculis viderat, aut certè quod ab ocularis teſtibus certò didicerat.

Quod ad Joſephum attinet, *R.* neg. illum refragari. Nam 1. lib. 3. antiq. cap. 10. de agno luna decimaquarta primi menſis immolando, aliud non dicit, quàm quòd ſit ſacrificium: ſed quid inde? At, inquit Harduinus poſt Toſtatum q. 20. in cap. 26. Mat. ſacrificia non poterant fieri, niſi in loco Sanctuarii ad oſtium tabernaculi, ut patet ex cap. 12. Deuter. *R.* cùm Philone neg. propoſitionem univerſaliter ſumptam; & locum Scripturæ citatum, aliaque ſimilia, intelligenda eſſe cum exceptione agni luna XIV. primi menſis immolandi. Agni autem paſchalis immolationem patribus familias, vel aliis vicem eorum agentibus faciendam in privatis ædibus relinquere voluit ſapientiſſimus legiſlator, prævidens futuram aliquando tantam populi frequentiam, ut aliter non poſſent humanitùs tot, quot ſufficerent, immolari victimæ in una civitate intra ſpatium duarum vel trium horarum; plures enim lex non concedebat agnorum paſchalium immolationes. Et verò narrat Joſephus, ſupra ducenta & quinquaginta ſex millia agnorum immolata fuiſſe in uno feſto Paſchatis, potuiſſentne, ut Harduino duas veſperas concedamus, potuiſſentne, inquam, in una veſpera duabus vel tribus horis centum & viginti octo agnorum millia immolari in ſanctuario, præſertim ſine præpoſtera feſtinatione, abſque tumultu & rixis, & cum ea, qua par erat, decentia atque reverentia?

2. Joſephus non refragatur lib. 7. de bello Judaico cap. 17. Ut enim jam obſervatum eſt, verba illa Joſephi, *Quando à nona quidem hora uſque ad undecimam hoſtias* (ſeu agnos) *cadunt*, intelligi non poſſe

de

de ſacerdotibus, patet ex lib. 2. Paralippomenon cap. 30. ubi expreſsè dicitur, agnos paſchales *his, qui non occurrerant ſanctificari Domino*, non à ſacerdotibus, ſed à Levitis, de quorum manibus effundendum ſanguinem ſuſcipiebant ſacerdotes, in templo immolatos fuiſſe, reliquos verò è populo, qui puri erant, pro ſe immolaſſe, ſive in templo, ut vult Harduinus, ſive in privatis ædibus, ut nos volumus, immolarint. Non igitur à ſacerdotibus, ſed vel à Levitis, vel ab ipſis populis cædebantur hoſtiæ ſeu agni paſchales. Perperam ergo dicitur Joſephus contradicere Philoni.

At inquiet Harduinus. Philoni refragantur omnes Hebræorum magiſtri cum Majemonide in tractatu Corban Paſach cap. 1. ubi ait: *Non mactandum erat Paſcha, niſi in atrio, ubi reliqua ſacrificia immolantur: immolandumque die xxi. poſt meridiem, poſt juge ſacrificium*. *R.* parum curandum eſſe, quid ſentiant moderni Hebræorum magiſtri, quorum, etiamſi mille ſint, authoritas unius Philonis, quæ ipſe ſuis oculis viderat ſcribentis, authoritate facilè ſuperatur. Sic autem ad rem noſtram adhuc loquitur Philo in lib. de decalogo non procul à fine: *Populariter* (luna XIV. primi menſis) *ſinguli ſanctificant, non expectatis ſacerdotibus, ipſi permiſſa legis fungentes ſacerdotio quotannis per unum diem* (nempe lunam XIV. primi menſis ad veſperam) *deſtinatum huic negotio*.

Ex quibus verbis apparet, falſum eſſe quod dicit Harduinus, à privatis quidem agnos mactatos fuiſſe, ſed ſacerdotes ſanguinem circa & ſuper altare fundendum crateribus excepiſſe; adeoque agnos mactatos fuiſſe in templo: nam ſi privati ſacrificabant, proindeque mactabant agnos ſuos, non expectatis ſacerdotibus, quomodo ſanguinem è vulnere fluentem crateribus excipere poterant ſacerdotes? Præterea illud, *Non expectatis ſacerdotibus*, idem manifeſtè videtur eſſe ac, Sine ſacerdotum miniſterio & opera. Quare autem ſine miniſterio & opera ſacerdotum? Quia privatus quiſque, non in templo, ſed in ædibus ſuis immolabat agnum ſuum ad occaſum ſolis, & aſſum igne cum familia ſua poſt ſolis occaſum comedebat. Hinc Philo lib. de ſeptenario ſic loquitur: *Unaquæque domus illo* (Paſchatis) *tempore ſpeciem majeſtatemque templi præ ſe tulit, dum hoſtia, quæ mactata fuerat, ad congruum epulum pararetur, purgatique eſſent .. qui ad convivium collecti convenerant ... ut avitum inſtitutum ſervarent cum precibus & hymnis*. Juxta Philonem igitur, tempore Paſchatis unaquæque domus erat inſtar templi, quia in unaquaque victima immolabatur, & immolata ad epulum parabatur, atque cum precibus & hymnis à mundis & puris comedebatur: Tunc enim unaquæque verè referebat templum ipſum, in quo victimæ, quæ pro peccato immolabantur, ibidem ad congruum epulum parabantur ſacerdotibus, & ab eis cum precibus comedebantur.

At inquit Harduinus. Philoni Scriptura pluribus locis refragatur. 1. Deuter. cap. 16. ubi dicitur: *Immolabit Phaſe Domino Deo tuo, de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. 2. Lib. 2. Paralip. cap. 35. *Immolatum eſt Phaſe: aſperſeruntque ſacerdotes manu ſua ſanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum: & ſeparaverunt ea, ut darent per domos & familias ſingulorum. Et aſſaverunt Phaſe ſuper ignem, juxta quod in lege ſcriptum eſt: pacificas verò hoſtias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & feſtinatò diſtribuerunt univerſæ plebi: ſibi autem & ſacerdotibus poſtea paraverunt: nam in oblatione holocauſtorum & adipum uſque ad noctem ſacerdotes fuerant occupati: unde Levitæ ſibi & ſacerdotibus filiis Aaron paraverant noviſſimis*. 3. Eod. lib. cap. 30. *Congregatique ſunt in Jeruſalem populi multi, &c.* ut ſupra.

R. neg. Philoni Scripturam adverſari. *Ad 1. locum R.* ibi per to *Phaſe* non ſignificari agnos paſchales, ſed victimas alias, per ſeptem azymorum dies immolandas in templo, & à ſolis ſacerdotibus. *Ad 2. R.* ſimiliter, cum dicitur, *Immolatum eſt Phaſe*, per to *Phaſe* intelligi holocauſta, & hoſtias pacificas, quæ luna XV. & ſequentibus azymorum diebus immolatæ fuerunt ſub Joſia Rege. Verbis igitur laudatis narrat Scriptura, quod à ſacerdotibus & Levitis in azymorum ſolemnitate actum eſt in templo circa ſacrificia, illic juſſu Regis oblata: unde ſic narrationem ſuam concludit: *Omnis igitur cultura Domini ritè completa eſt in die illa* (hoc eſt, in illa ſolemnitate paſchali) *ut facerent Phaſa* (hoc eſt, ut immolarent hoſtias pacificas) *& offerrent holocauſta ſuper altare Domini, juxta præceptum Regis Joſiæ*; tum agni paſchalis immolationem, à populis luna XIV. ad occaſum ſolis privatim ſine ſacerdotum & Levitarum miniſterio factam, ſtatim ſubjicit his verbis: *Feceruntque filii Iſrael, qui reperti fuerant ibi, Phaſe in tempore illo, & ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus*: ad quod pertinent illa alia, quæ ſuperiùs leguntur, *Et aſſaverunt Phaſe ſuper ignem, juxta quod in lege ſcriptum eſt*: hoc enim cap. 35. Paralipp. quæ in azymorum feſtivitate facta ſunt, ſummatim nec ordine temporis & rerum geſtarum ſervato narrantur.

Ad 3. denique locum R. Illum planè conſentire Philoni: nam, ut jam ſupra obſervatum eſt, ex illo habemus, non omnes agnos paſchales, ſed aliquos tantùm in templo mactatos fuiſſe, non à ſacerdotibus, quorum tamen erat mactare victimas omnes, quæ non niſi in templo immolari poterant, ſed à Levitis, & hoc ex accidenti; quia ſcilicet, ut ait Scriptura, multi *non occurrerant ſanctificari Domino*, atque ita non poterant ipſi agnos ſuos immolare in privatis ædibus: unde neceſſe fuit, ut eos in templum adducerent ad Levitas, à quibus immolarentur, reliquis, qui ſanctificati erant, ſuos domi immolantibus: hinc ſimpliciter dicitur, quòd multi populi *immolaverunt Phaſe quarta decima die menſis ſecundi*, nec additur, ſacerdotes de manibus eorum ſuſcepiſſe ſanguinem effundendum.

At inquit denique Harduinus. Si Paſcha non fuit ſacrificium in templum immolandum, cur non hodieque Paſcha integrè peragitur à Judæis, ſeu agni paſchalis? *R.* Quia Paſcha fuit ſacrificium immolandum in urbe ſancta, ſeu in urbe Hieroſolyma, extra quam poſt templi deſtructionem Paſcha celebrari ceſſavit.

3. Ex Lucæ cap. 13. ſic diſcurrit Harduinus. Galilæos ſejunctim à Judæis in templo Hieroſolymitano ſacrificia obtuliſſe S. Lucas haud obſcurè prodidit. *Aderant autem*, inquit, *ipſo in tempore, annunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum. Et reſpondens, &c.* *R.* Harduinum ex hoc loco nihil planè pro ſuo ſyſthemate efficere poſſe, niſi probet Lucam loqui de ſacrificio publico. Interea nos dicimus, illum loqui de ſacrificio privato à Galilæis aliquot oblato. Hoc autem ſacrificium, ſicut ſejunctim ab aliis ſuis contribulibus, ita & ſejunctim à Judæis offerre potuerunt. De privatis autem & publicis ſacrificiis conſule Joſephum lib. 3. antiq. cap. 10,

§. IV.

§. 9. Harduinus regulam *Badu* ſaltem pro feria ſexta lege divina ſancitam fuiſſe; ita ut lege divina tenerentur Judæi lunam XV. primi menſis, quoties in feriam ſextam incidebat, transferre in ſabbatum, probare conatur ex cap. 23. Levitici, ubi præcipitur, ut *altero die ſabbati*, hoc eſt, inquit, poſtridie diei feſti Paſchæ, ſacerdoti manipulus offeratur: unde ſic argumentatur. Lege divina præceptum erat, ut poſtridie diei feſti Paſchæ demeteretur manipulus, & ſacerdoti in templo offerretur. Ergo poſtridie diei feſti Paſchæ non potuit eſſe dies ille, qui verè ac propriè nuncupatur Sabbatum: hoc enim die meſſem oblationemve manipuli fieri nefas eſſet. Ergo quoties conjunctio ſolis & lunæ incurrebat in feriam ſextam primi menſis, neceſſe erat jure divino neomeniam uno die differre, ut ſic luna XV. non in feriam ſextam, ſed in ſabbatum incideret.

Verba Scripturæ ſunt: *Menſe primo quarta-decima*

die

die menſis ad veſperum, Phaſe Domini eſt: & quintadecima die menſis hujus, ſolemnitas azymorum Domini eſt … Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipules ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem: qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabile ſit pro vobis, altero die ſabbati … panem, polentam, & pultes non comedetis ex ſegete uſque ad diem, qua offeretis ex ea Deo veſtro. Præceptum eſt ſempiternum in generationibus, cunctiſque habitatulis veſtris. Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alteram diem explorationis hebdomadæ ſeptima, id eſt, quinquaginta dies, &c.

R. Ad præſentis difficultatis ſolutionem neceſſarium non eſſe, ut recurratur ad regulam *Badu* pro feria ſexta, quam regulam ſtante Templo, & Chriſti Domini ætate apud Hebræos nondùm uſu receptam fuiſſe, ſuo loco ſatis ſuperque oſtenſum eſt. Nam dici poteſt, ſicut & articulo ſuperiore diximus cum Bellarmino lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 13. per alterum diem ſabbati Scripturam intelligere primum à Paſchate ſeu ab immolatione agni paſchalis diem profeſtum, qui ordinariè erat luna XVI. & aliquando luna XVII. quando ſcilicet luna XV. in feriam ſextam incidebat: tunc enim luna XVI. erat dies feſtus, nempe ſabbatum, ſic verè ac propriè nuncupatum: unde primus tunc à Paſchate dies profeſtus erat luna XVII. quo proinde die demetebatur, & ad ſacerdotem deferebatur manipulus ſpicarum: unde & ab eo incluſivè numerabantur ſeptem hebdomadæ, & ſic feſtum Pentecoſtes incurrebat in feriam primam, ſeu, ut nos loquimur, in diem dominicum, ut contigit eo anno, quo Chriſtus Dominus paſſus eſt.

Porrò quod opponi poteſt ex Joſepho, loco citato ſolvimus cum Bellarmino. *At inquies,* Refragatur Toſtatus in cap. 23. Levitici, & dicit alterum diem ſabbati, de quo hic Scriptura loquitur, fuiſſe lunam XVI. tantum *R.* Hoc quidem videtur dicere, ſed non probat. Sed dato quòd per alterum diem ſabbati Scriptura intelligat ſolam lunam XVI. adhuc occurrit nobis ſufficiens reſponſio.

Hanc ſuggerit Toſtatus ipſe cap. 10. in cap. 23. Levitici §. 2. ubi ait: *Modus oblationis erat iſte: In ſecunda die azymorum, quæ erat ſexta-decima dies menſis primi, offerebantur manipuli, ſcilicet quo quilibet de Judæis, qui eſſet devotus, habitans in loco Sanctuarii, ducebat de ſegetibus ſuis unum manipulum in Sanctuarium: & aliquando erant valde multi manipuli, & aliquando pauciores, ſecundùm quod eſſet devotio offerentium: quoniam nemo cogebatur ad offerendum manipulum, ſed accipiebatur ſpontanea oblatio cujuslibet.* Quod ut probet, inferiùs diſtinguit primitias in generales, quarum oblatio erat ſub præcepto; & non generales, quarum oblatio non erat præcepta: *Sed qui voluiſſet ſponte offerre, offerebat: & iſta primitiæ magis dabantur pro ceremonia oblationis ad Deum, quàm pro eis, quæ proveniebant ſacerdotibus.* Hoc ſuppoſito,

Ad difficultatem propoſitam reſpondetur facilè, quando, quod rarò contingebat, luna XV. primi menſis incidebat in feriam ſextam, & ita luna XVI. ſabbatum erat, manipuli ſpicarum oblationem eo anno aut omninò prætermiſſam fuiſſe, cùm non eſſet ſub obligatione præcepti, nec manipulus demeti, & ex agro ad ſacerdotem in Sanctuarium deferri poſſet in die feſto; vel quod longè plauſibilius eſt, dilatam fuiſſe in diem ſequentem, nempe lunam XVII. quæ ſemper erat dies profeſtus; unde ſemper in ea ex devotione fieri poterat, quod pridie propter diei ſolemnitatem fieri non potuerat ex devotione, Hinc, ut rectè conjicimus, quando luna XV. primi menſis incurrebat in feriam ſextam, eo anno non à luna XVI. ſed à luna XVII. in qua fiebat demeſſio & oblatio manipuli ſpicarum, ſeptem hebdomadæ numerabantur: quamobrem anno quo Chriſtus Dominus paſſus eſt, Pentecoſtem in diem dominicum incidit.

Hanc ſecundam reſponſionem invenio apud Leonardum Marium in cap. 23. Levitici, ubi ſic ait: *Sunt qui tempore Domini ita factum putant* (ut Pentecoſte occurreret die dominica) *quia quotieſcumque ſecunda azymorum incidebat in ſabbatum, illa die non fiebat oblatio manipuli, eò quòd ſabbatis non liceret metere, ſed die ſequenti; & ab hac tum inchoabatur computatio quinquaginta dierum, adeoque tempore Domini oblatus eſt manipulus die dominico, & poſt ſeptem ſeptimanas idem dies fuit Pentecoſte.*

Eam autem refutat in hunc modum: *Hæc ſententia minùs videtur ſolida: ſi enim ſabbatis licuit boves occidere, & ut Dominus noſter loquitur,* in templo ſabbata violare; *cur etiam non licuit religionis cauſa manipulum metere? ut taceam, quòd nulla unquam fuit hujus exceptionis mentio, & in Thalmud apertè legamus etiam ſabbatis meſſiones has eſſe factas.* Ad hoc dicimus, nos hactenùs reſpondiſſe ex ſuppoſitione, quòd metere manipulum, eumque ad ſacerdotem in templum deferre, eſſet opus ſervile.

Sic igitur argumentor. Metere manipulum, eumque ad ſacerdotem deferre in templum, vel fuit opus ſervile, vel non. Si non fuit opus ſervile, manipulus meti, & ad ſacerdotem in templum deferri potuit luna XVI. etiamſi incideret in ſabbatum; ſolumque addendum eſt, à luna XVI. non incluſivè, ſed excluſivè numeratas fuiſſe ſeptem hebdomadas. Si verò fuit opus ſervile, vel oblatio manipuli fuit in præcepto, vel non. Si primum, ſtandum eſt reſponſione Bellarmini, & dicendum, per alterum diem ſabbati Scripturam intelligere primum ab immolatione agni paſchalis diem profeſtum. Si ſecundum, per alterum diem ſabbati intelligendo ſolam lunam XVI. dicendum, quòd ea in ſabbatum incurrente, demeſſio, & ad ſacerdotem in templum delatio manipuli differebatur in lunam XVII. quæ ſemper erat dies profeſta. Ex quibus omnibus concluditur, ex textu Scripturæ laudato probari non poſſe regulam *Badu* pro feria ſexta.

Quæres obiter, quid ſentiendum ſit de demeſſione manipuli, & ejus ad ſacerdotem deportatione, utrùm ſcilicet eſſent opera ſervilia, an non?

R. Fuiſſe opera ſervilia: nam mactare victimas in Sanctuario, excoriare, lavare, diſſecare, item ligna componere, & ignem accendere ad comburendas victimas in honorem Dei, erant opera ſervilia, ut manifeſtum eſt ex Matth. cap. 12. ubi Chriſtus ait: *An non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant* (hoc eſt, ſabbato exercent in templo opera ſervilia, mactando ſcilicet victimas, illas excoriando, &c.) *& ſine crimine ſunt.* Ergo à fortiori demetere manipulum, eumque ex agro deportare ad ſacerdotem, erant opera ſervilia.

At inquies. Saltem non magis illicitum erat popularibus metere manipulum, illumque ad ſacerdotem deportare ſabbato, quando ad illud incurrebat luna XVI. primi menſis, quàm ſacerdotibus, ſabbato quolibet mactare victimas, eaſque excoriare, lavare, &c. in templo, Atqui ſacerdotibus illicitum non fuit ſabbato, &c. ut patet ex verbis Chriſti, *Et ſine crimine ſunt. R.* majorem non carere omni probabilitate: illam tamen negat Toſtatus q. 10. in cap. 23. Levitici §. 2. & præcipua ejus ratio eſt, quia lex prohibens fieri opera ſervilia diebus ſabbati, lata non fuerit pro tabernaculo Domini, ſed tantùm pro popularium habitationibus, ut probatur ex citato Levitici capite, ubi dicitur: *Dies ſeptimus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur ſanctus: omne opus non facietis in eo, ſabbatum Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris.*

Denique Harduinus eod. §. num. 63. Chriſti temporibus octo dies fuiſſe azymorum (ſecundùm ſacram ſcilicet computationem) & regulam *Badu* jam tum receptam, colligere contra omnem veriſimilitudinem nititur ex Luca Act. cap. 12. ubi ait: *Miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio: videns autem quia placeret Judæis, appoſuit ut apprehenderet & Petrum; erant autem dies azymorum: quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem …. volens poſt Paſcha producere eum populo.* Ex quibus

ver-

verbis ſic diſcurrit Harduinus: Jam inierant dies azymorum, cùm Petrum Herodes apprehendit; nondùm tamen Paſcha, hoc eſt, nondùm dies feſtus Paſchæ, qui dies feſtus ſequebatur mactationem Phaſe à Judæis factam. Ergo tunc dies octo azymorum fuerunt, unus qui Paſcha Judæorum antecederet, quoniam idem eſſet Paſcha Galilæorum, ut diximus, ex ſanctione Synagogæ: deinde ſeptem continui apud Judæos ex lege divina.

Itaque, ſi Harduino credere volumus, Herodes Petrum comprehendit, & in carcerem miſit primo die azymorum, qui fuit Galilæorum luna xv. & dies prophanus in Judæa, quemque immediatè ſubſecuta eſt luna xv. Judæorum quæ erat dies feſtus Paſchæ. Sed contra eſt, quia Lucas non dicit, Inierant dies azymorum, aut, erat dies azymorum, ſed, quod aliud eſt, *Erant dies azymorum*: de ſolo autem primo azymorum die præſente dici non potuit, *Erant dies azymorum*. Manifeſtè igitur Lucas, cùm ait, *Erant dies azymorum*, ſignificat unum ſaltem vel alterum azymorum diem effluxiſſe, antequam Petrus ab Herode comprehenderetur, & in carcerem mitteretur.

Præterea, quòd Lucas per to Paſcha non intelligat diem feſtum Paſchæ, ſeu primum diem azymorum ſolemnem, manifeſtum videtur ex verbis, quæ ſubjicit; ſic enim proſequitur: *Et Petrus quidem ſervabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens, &c.* Quibus verbis apertè ſignificat, Petrum per plures dies ſervatum fuiſſe in carcere. At Petrus non fuit ſervatus in carcere per plures dies, niſi ut poſt paſcha produceretur populo: cum enim comprehenderat Herodes, volens eum poſt paſcha producere populo. Ergo per to Paſcha Lucas non intelligit diem feſtum Paſchæ: nam ſi Lucas per to Paſcha intelligit diem feſtum Paſchæ, pluribus ante diem feſtum Paſchæ diebus comprehenſus eſt Petrus, adeoque comprehenſus eſt Petrus, antequam eſſent dies azymorum, contra id, quod narrat Lucas ipſe.

Supereſt igitur, ut Lucas dicatur, per to Paſcha intelligere hebdomadam paſchalem, vel, ſi vis, ſeptimum azymorum diem, qui tam celebris, imò, juxta Harduinum, celebrior erat, quàm primus, proindeque tam poterat nominari Paſcha. Itaque erant dies azymorum, quando comprehenſus eſt Petrus, quia comprehenſus eſt in hebdomada paſchali, putà luna xvi. aut xvii. & comprehenſus, ſervatus eſt in carcere, ut produceretur poſt Paſcha populo, hoc eſt, ut produceretur populo poſt hebdomadam paſchalem, ſeu poſt omnes azymorum dies: quamvis enim ſoli primus & ſeptimus eſſent feſti ac ſolemnes, erant tamen omnes ſancti, & ſpecialiter cultui divino conſecrati, ut patet ex eo, quòd in omnibus eadem omninò offerentur ſacrificia. Quare mirum non eſt, quòd Herodes, ut religioſum ſe ſimularet, & ut talis apud populum ſe oſtenderet, non niſi poſt paſchalem hebdomadam voluerit contra Petrum criminaliter agere.

§. V.

Ex dictis hactenùs ſatis apparet, nullo fundamento niti Harduini ſyſthema, contra quod adhuc tamen hoc §. argumentabitur.

Si regula *Badu* non fuit apud Hebræos recepta temporibus Chriſti, Harduini ſyſtema ingenioſis commentis adnumerandum eſt. Sequelam hanc facilè admittet Harduinus ipſe. Atqui falſum eſt, quòd regula *Badu* apud hebræos recepta fuerit temporibus Chriſti. Ergo, &c.

Prob. min. Jure divino mactationem agni paſchalis proximè & immediatè ſubſequebatur primus dies azymorum feſtus ac ſolemnis, ſeu dies feſtus Paſchæ. Patet ex Levitici cap. 23. ubi dicitur: *Menſe primo quarta-decima die menſis ad veſperum, Phaſe Domini eſt: & quinta-decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt*. Et ex Numerorum cap. 28. ubi dicitur: *Menſe autem primo quarta-decima die menſis, Phaſe Domini erit, & quinta-decima die ſolemnitas*. Unde evidenter ſequitur, Hebræos jure divino obligatos fuiſſe ad agnum paſchalem immolandum pridie diei feſti Paſchæ; tamque jus divinum tranſgreſſuros fuiſſe, alio die agnum immollando, quàm ſi illum immolarent extra ſanctam civitatem, ſeu extra locum, in quo erat templum Domini. Ex his autem

Sic argumentor. 1. Si regula *Badu* apud Hebræos recepta fuit temporibus Chriſti, & ita eo anno, quo Chriſtus paſſus eſt, dies feſtus Paſchæ dilatus eſt in ſabbatum, tam Galilæi, quàm Judæi agnum paſchalem immolarunt feria ſexta, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt: Hebræi enim omnes, adeòque tam Galilæi, quàm Judæi, jure divino tenebantur agnum paſchalem immolare pridie diei feſti Paſchæ. Atqui falſum eſt, ut agnoſcit Harduinus ipſe, quòd Galilæi agnum paſchalem immolarint feria ſexta, eo anno quo Chriſtus paſſus eſt. Ergo falſum eſt, quòd temporibus Chriſti regula *Badu* recepta fuerit apud Hebræos.

2. Galilæi eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, agnum paſchalem immolarunt pridie diei feſti Paſchæ: quòd enim voluerint, aut permiſſi fuerint legem divinam tranſgredi, alieno tempore agnum paſchalem immolando, credibile non eſt. Atqui Galilæi eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, agnum paſchalem immolarunt feria quinta, ut Harduinus ipſe aſſerit, & probat. Ergo anno illo feria quinta fuit pridie diei feſti Paſchæ, adeoque feria ſexta fuit dies feſtus Paſchæ. Ergo falſum eſt, quòd Chriſti temporibus apud Hebræos regula *Badu* recepta fuerit.

At inquit Harduinus. Eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, feria ſexta fuit dies feſtus Paſchæ in Galilæa, licèt non fuerit in Judæa. *R.* Quid inde? Non enim Galilæi agnum paſchalem in Galilæa, ſed in Judæa immolarunt: unde ſi in Judæa feria ſexta non fuit dies feſtus Paſchæ, ſed dies profana, agnum paſchalem immolando feria quinta, Galilæi pridie diei profanæ, non pridie diei feſti Paſchæ, contra clarum & expreſſum jus divinum immolarunt. Non ſolùm igitur in Galilæa, ſed etiam in Judæa feria ſexta fuit dies feſtus Paſchæ eo anno quo Chriſtus paſſus eſt.

At inquit Harduinus. Sanedrium propter populi ad feſtum confluentis frequentiam ſtatuit, ut immolandis agnis impenderentur duæ veſperæ, una à Galilæis, & altera à Judæis. *R.* Sanedrium hoc ſtatuere nec potuiſſe, nec voluiſſe. 1. Non potuit, quia non potuit derogare jure divino, clarè & expreſsè præcipienti, ut immolaretur agnus paſchalis pridie diei feſti Paſchæ, ſeu ut immolaretur agnus paſchalis ea die, quam proximè & immediatè ſubſequebatur azymorum feſtivitas. Suppoſito autem illo Sanedrii inſtituto, quod comminiſcitur Harduinus, Galilæi nunquam immolaſſent agnum paſchalem pridie feſtivitatis azymorum; ſemper enim immolaſſent aut altero die ante feſtivitatem, aut in ipſa feſtivitate, quia ſemper immolaſſent ea die, quæ eſſet vel luna xiii. vel luna xv. in Judæa. 2. Non voluit, quia eo tempore, nempe tempore Chriſti, quo ſtatutum illud à Sanedrio divinat Harduinus, Judæi, ut teſtatur ipſe, erant legi Moſaicæ addictiſſimi.

At inquit Harduinus. Sanedrium potuit illæſo jure divino ſtatuere, ut immolandis agnis paſchalibus impenderentur duæ veſperæ, ſtatuendo ut Galilæi & Judæi non inchoarent ſimul menſem Niſan, ſed in annis *Badu* Galilæi priores à conjunctione ſiderum, & Judæi poſteriores à phaſi; in aliis verò annis Judæi priores, & Galilæi poſteriores, hi à phaſi, illi à ſiderum conjunctione inchoarent. Hoc enim pacto fiebat, ut Galilæi, ſive priores, ſive poſteriores agnum immolarent, ſemper immolarent ea die, quæ erat luna xiv. in Galilæa, atque ita neque à Judæis, neque à Galilæis jus divinum violaretur.

Reſp. Galilæos agnum immolando ea die, quæ eſſet luna xiv. in Galilæa tantùm, nihilominùs, tranſ-

greſ-

ſgreſſuros fuiſſe legem divinam. Nam 1. Lex divina ſicut præcipiebat, ut in urbe ſancta agnus immolaretur, ut patet ex cap. 16. Deuteron. ubi dicitur : *Non poteris immolare phaſe in qualibet urbium tuarum . . ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*; ita & proculdubio præcipiebat, ut agnus immolaretur ea die, quæ erat luna xiv. in urbe ſancta. 2. Galilæi nunquam agnum immolaſſent pridie feſtivitatis azymorum.

At inquies. Imò verò agnum immolando ea die, quæ erat xiv. in Galilæa, ſemper immolaſſent pridie feſtivitatis azymorum. *R.* neg. vel, ſi vis, diſt. Semper immolaſſent pridie feſtivitatis azymorum, celebrandæ eo in loco, in quo non eſſent, & quam ipſi celebraturi non eſſent, tranſeat. Dico. Tranſeat; quòd enim temporibus Chriſti fuerint azymorum dies ſecundùm ſacram computationem octo, quorum duo priores, totidemque poſteriores in Galilæa feſti ac ſolemnes fuerint, figmentis accenſemus. Semper immolaſſent pridie feſtivitatis azymorum, celebrandæ eo in loco, in quo eſſent, & in quo paſcha celebrarent, Neg. Nam ſemper agnum immolando ea die, quæ eſſet xiv. in Galilæa tantùm, ſemper immolaſſent ea die, quæ eſſet xiii. vel xv. in urbe ſancta, & ita ſemper immolaſſent pridie diei, quæ in urbe ſancta profana, vel profeſta eſſet: nunquam igitur immolaſſent pridie diei feſti, ac ſolemnis: qui enim facit aliquid pridie diei profanæ, vel profeſtæ eo in loco, in quo verſatur, non poteſt niſi nugatoriè dici rem illam facere pridie diei feſti ac ſolemnis, eò quòd hic dies, qui profanus vel profeſtus eſt eo in loco in quo verſatur, in loco alio à quo longè abeſt, feſtus ſit ac ſolemnis. Sed

Quod nullum tergiverſandi locum relinquit, cùm Scriptura dicit Levitici cap. 23. *Menſe primo quartadecima die ad veſperum, Phaſe Domini eſt*, manifeſtè loquitur de immolatione agni facienda in loco, quem elegerit Dominus, ut habitet nomen ejus ibi; & cùm addit: *Et quinta-decima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt*, manifeſtè intelligit ſolemnitatem celebrandam in eo loco, in quo agnus immolatus fuerit, adeòque ſolemnitatem celebrandam in loco, quem Dominus electurus erat, ut habitaret nomen ejus ibi.

Lege igitur divina tenebantur Hebræi omnes, ac proinde Galilæi, ſi Paſcha celebrare vellent, in urbe ſancta agnum immolare pridie feſtivitatis azymorum, ibidem celebrandæ, adeòque in urbe ſancta agnum immolare ea die, quæ ibi erat quarta decima, ſive ipſi priores aut poſteriores quàm Judæi, ſive ſimul cum illis menſem Niſan inchoarent: neque Sanedrium magis cum eis diſpenſare potuit, ut alia die immolarent, quàm potuit cum eis diſpenſare, ut immolarent extra urbem ſanctam. Neutrum autem potuit, quia utrumque pariter jure divino prohibitum fuit; & neutrum tentavit temporibus Chriſti, quia jus divinum tam clarum & expreſſum violare noluit temporibus illis, quibus Judæi, ut agnoſcit Harduinus, devotiſſimi fuere legi Moſaicæ.

ARTICULUS VII.

Utrùm Chriſtus conſecraverit vinum aqua temperatum, & an aquam vino miſceri in calice oporteat.

SÆculo ſeptimo Armenos in errorem lapſos eſſe circa præſentem controverſiam, aſſerendo vinum purum conſecrari debere, teſtatur Trullana Synodus canon. 32. ubi ait: *Ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantùm in ſacra menſa offerunt, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt.* Eos autem ibidem affirmat eadem Synodus errandi occaſionem ſumpſiſſe ex S. Chryſoſtomo hom. 83. in cap. 26. Matthæi, ubi putabant S. Doctorem damnare mixtionem aquæ cum vino in calice; cùm tamen ibi tantùm impugnet antiquam hæreſim hydroparaſtatum, qui ſolam aquam in ſacrificio adhibebant. Aliam errandi, & ſolo vino in ſacra menſa utendi cauſam Armenis attribuit Nicephorus lib. 18. hiſt. cap. 53. ne ſcilicet, viderentur duas in Chriſto naturas, divinam & humanam admittere: *Vinum*, inquit, *aqua non temperatum adhibent* (in re divina facienda) *unam ea re in Chriſto naturam deſignantes.*

Lutherus Armenos imitatur, & in primo ſuo contra Regem Angliæ ſcripto, fatuos appellat & ſtolidos eos, qui peccatum eſſe exiſtimant, celebrare ſine aqua, & ibidem hæc addit: Meo ſenſu melius & tutius foret, aquam non miſcere vino, cùm ſit merum figmentum humanum, & ſiniſtram, imò peſſimam habeat ſignificationem. Kemnitius in 2. part. exam. Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 7. & can. 9. aſſerit, aquæ mixtionem in calice rem eſſe planè indifferentem, nec poſſe ab Eccleſia præcipi, multiſque conatur probare, certum non eſſe, quòd Chriſtus aquam vino in inſtituenda Euchariſtia admiſcuerit. Calvinus circa præſentem controverſiam nihil habet: Calviniſtæ tamen cum Lutheranis ſolo vino utuntur in cœna ſua. Sed contra illos omnes ſit

RESPONSIO I.

Chriſtus cùm ſacramentum Euchariſtiæ in ultima cœna inſtituit, vinum aqua temperatum conſecravit.

Prob. 1. Auctoritate Patrum, S. Irænei lib. 4. c. 57. *Accipiens*, inquit, *panem* (Dominus) *ſuum corpus eſſe confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit.* S. Cypriani epiſtol. 68. ad Cæcilium: *Dominus*, inquit, *panem & calicem mixtum vino obtulit.* Et inferiùs ſic ait: *Invenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit*, S. Baſilii in ſua liturgia, ubi dicit, Chriſtum acceptum calicem aqua miſcuiſſe, & poſteà dixiſſe: Hic eſt calix meus; & S. Damaſceni lib. 4. orthodoxæ fidei c. 14. *Conſimili*, inquit, *modo acceptum calicem, ex vino & aqua conſtantem, impertivit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes; hic eſt ſanguis meus, &c.*

Prob. 2. Auctoritate Conciliorum, Carthagin. III. can. 24. quo dicitur: *Ut in ſacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum.* Concilii Florent. in decr. §. *Tertium*, ubi ait: *Aqua autem ideo admiſcetur* (vino in calice) *quoniam juxta teſtimonia SS. Patrum, ac Doctorum Eccleſia . . creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentum*; & Concilii Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. ubi hæc leguntur: *Monet deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, &c.*

RESPONSIO II.

Neceſſe eſt aquam vino admiſceri in calice.

Prob. 1. Ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ, cujus teſtes ſunt ſanctus Juſtinus Martyr in Apologet. 2. ſub finem: *Precibus*, inquit, *peractis, panis offertur, & vinum, & aqua.* Sanctus Iræneus lib. 5. cap. 2. *Quando ergo*, inquit, *& mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia Sanguinis & Corporis Chriſti.* Sanctus Cyprianus in laudata proximè epiſtola: *Admonitos nos ſcias*, inquit, *ut in calice offerendo dominica traditio ſervetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Sancti Baſilius, & Chryſoſtomus in ſuis liturgiis, ut expreſsè teſtatur Concilium Trullanum can. 32. jam citato, ubi ait: *Nam & ſua Eccleſia, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit* (Chryſoſtomus) *quando incruentum peragi ſacrificium oportet . .* Et Baſilius . . *Myſtico nobis in ſcriptis traditio ſacrificio ita conſecrandum, in divina miſſa ex*

aqua & vino ſacrum calicem (edidit .) S. Iſidorus lib. 1. de divinis officiis c. 18. ubi verba S. Cypriani ex ejus ad Cæcilium epiſt. exſcribit. S. Damaſcenus loco proximè citato, ubi ait: *Panis ac vinum & aqua per ſancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Chriſti Corpus & Sanguinem vertuntur.* Et Conc. Flor. in decreto §. *Tertium*. *Cùm ergo*, inquit, *tam ſancta Romana Eccleſia a beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quàm reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ ..... ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent* (aquam vino in calice miſcendo) *inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia*.

Prob. 2. Quia hoc ſemper fuit in Eccleſia præceptum, ut *prob.* 1. ex S. Cypriano epiſt. ad Cæcilium laudata: *Si quis*, inquit, *de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi: nobis verò non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus, ut calicem dominicum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus, & de hoc quoque ad collegas noſtros litteras dirigamus, ut ubique lex evangelica & traditio dominica ſervetur, & ab eo quod Chriſtus & docuit & fecit, non recedatur.*

2. Ex Conciliis, Carthaginenſi III. can. 24. cujus verba relata ſunt reſp. 1, Ex Concilio Vormacienſi canon. 4. in quo dicitur: *Calix dominicus vino & aqua permixtus debet offerri*. Concilio Triburenſi can. 19. ubi ait: *Cujus rei veritatem* (quòd vinum aqua permixtum offerri debeat) *in hac ſancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne ullus ſine commixtione vini & aquæ myſteria ſacra conficiat*. Ex Concilio Florentino in decreto §. *Tertium*, verbis infra laudandis, & ex Concilio Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. verbis laudatis reſp. 1. & can. 9. ubi anathematizatur, qui dixerit, *aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo.*

RESPONSIO III.

Non eſt neceſſarium neceſſitate ſacramenti, aquam vino admiſcere in ſacro calice.

Prob. 1. Ex Florentino in decreto §. *Tertium*, ubi docet materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum de vite, quibus verbis exprimit totam materiam eſſentialem ſacramenti. Certè ſi credidiſſet, mixtionem aquæ eſſe de eſſentiali materia ſacramenti, non dixiſſet ſimpliciter, vinum de vite eſſe materiam, ſed dixiſſet, vinum aqua mixtum, &c. Sicut §. *Secundum*, dixerat, materiam Confirmationis eſſe oleum mixtum balſamo, ſeu quod idem eſt, eſſe chriſma ex oleo & balſamo confectum.

Præterea reddens rationem, cur aqua vino admiſceri debeat in calice, non dicit eſſe admiſcendam, quia Chriſtus inſtituit, ut admiſceretur, vel quia ſine tali admixtione ſacramentum non fit; ſed quia. 1. *Creditur ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentum*. 2. *Hoc convenit dominicæ paſſionis repræſentationi*. 3. *Convenit ad ſignificandum hujus ſacramenti effectum, qui eſt unio populi chriſtiani ad Chriſtum*.

Denique decernit, *ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo Orbe chriſtiano conforment, eorumque ſacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino*; non quòd aliter valida eſſe non poſſit conſecratio calicis, ſed quia, *cum tam S. R. Eccleſia ... quàm reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ ... ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia*. Certè ſi mixtio aquæ cum vino in calice neceſſaria eſſet neceſſitate ſacramenti, neceſſitatem hanc Armenis opponere debuiſſet, & proculdubio oppoſuiſſet Concilium: opponit autem illis tantùm omnium aliarum Eccleſiarum conſuetudinem, quo facto apertè ſignificat, Armenos, vinum ſine aqua conſecrantes, non omittere aliquid ad validam conſecrationem requiſitum, nec peccare contra inſtitutionem & præceptum Chriſti, ſed ſolum contra præceptum Eccleſiæ.

Prob. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. ubi Concilium monet: *Præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent*. At ſi Chriſtus hanc mixtionem præcepiſſet, proculdubio Synodus à Chriſto præceptam eſſe monuiſſet. Præterea rationem reddens, cur aquæ mixtio in calice ſacerdotibus præcepta ſit, non aſſignat ſacramenti neceſſitatem, aut inſtitutionem Chriſti, ſed aliquas tantùm congruentias: nam poſt verba proximè laudata, ſic proſequitur: *Tum quod Chriſtus Dominus ita feciſſe credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod ſacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi beati Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur.*

Obj. S. Cyprianum in epiſt. ad Cæcilium ſupra laudata, ubi hæc habet: *Sic vero calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur: quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage ſolidatum ...... Si in ſacrificio quod Chriſtus obtulit, nonniſi Chriſtus ſequendus eſt, utique id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit. Reſp.* Videtur S. Cyprianus fuiſſe in oppoſita ſententia, & exiſtimaſſe mixtionem aquæ cum vino in calice neceſſariam eſſe neceſſitate ſacramenti, & à Chriſto præceptam. Sed S. Cypriano incunctanter anteponendus eſt ſenſus univerſæ Eccleſiæ, quem ſatis evidenter habemus ex doctrina Conciliorum, Florentini, ſcilicet, & Tridentini, ſupra expoſita.

Aliqui tamen S. Martyrem explicant, & dicunt eum loco laudato, & aliis ſimilibus velle tantum, mixtionem aquæ cum vino in calice requiri ad perfectam ſignificationem ſacramenti, non verò ad ejus ſubſtantiam; ita ut juxta S. Martyrem, valida quidem ſit conſecratio, ſi purum vinum conſecretur, ſed ſacramentum careat aliqua ſignificatione, quam ſecundùm Chriſti intentionem habere debet, quia tunc non ſignificatur unio populi fidelis cum Chriſto. Quod probare conantur ex verbis ea quæ nobis objiciuntur, antecedentibus: *Sic autem*, inquit Cyprianus, *in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur.*

At inquiunt. Cùm dicit S. Martyr: *Si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis*, apertè ſignificat, vinum aqua non mixtum, ſi conſecretur, converti in Sanguinem Chriſti.

Reſp. S. Martyrem non ſatis nobis videri hoc ſignificare. Horum tantum verborum: *Si vinum tantum quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto*, videtur hic eſſe ſenſus: Si vinum tantum quis offerat, repræſentat tantum Sanguinem Chriſti: ſi verò offerat aquam tantùm, populum fidelem tantùm repræſentat: unde utrumvis ſolum offerat, nihil efficit; at offerendo utrumque, ſeu vinum aqua mixtum, tunc ſacramentum perficiet, Chriſti Sanguinem continens, & ejus cum populo fideli unionem ſignificans. Doctoribus illis magis fortaſsè prodeſſent hæc alia S. Cypriani verba in eadem epiſtol. *Apparet Sanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici, nec ſacrificium dominicum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio & ſacrificium noſtrum reſponderit Paſſioni* (ſupple, in qua è latere Chriſti fluxit aqua cum ſanguine; adeòque niſi aqua cum vino offeratur, & conſecretur.) Quibus ver-

bis

bis videtur Cyprianus ſolum vinum ad validam, aquam verò tantùm ad licitam conſecrationem requirere: ſed poſſet quis reſpondere, S. Martyrem per legitimam ſanctificationem intelligere conſecrationem validam.

Responsio IV.

Neceſſarium non eſt neceſſitate præcepti divini miſcere aquam vino in calice.

Prob. In ſacramentis illud ſolum neceſſarium eſt neceſſitate præcepti divini, quod neceſſarium eſt neceſſitate ſacramenti. Atqui miſcere aquam vino in ſacro calice, neceſſarium non eſt neceſſitate ſacramenti, ut probatum eſt. Ergo, &c. Supereſt igitur, ut, miſcere aquam vino in calice, neceſſarium tantùm ſit neceſſitate præcepti eccleſiaſtici, quod ſatis apertè ſignificat Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. cùm ait: *Præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent;* Nam ſi hoc eſt à Chriſto præceptum, ſicut ab eo præceptum eſt, ut vinum de vite adhibeatur, tam incongruè Synodus loquitur, dicendo, ſacerdotibus ab Eccleſia præceptum eſſe, ut aquam vino miſceant in calice, quam incongruè loqueretur, dicendo ſacerdotibus ab Eccleſia præceptum eſſe, ut ad conſecrationem adhibeant vinum de vite.

Obj. 1. Juſtinus Martyr in Apologia 2. ſub finem, poſtquam retulit ritum celebrandi Euchariſtiam, mixtionem aquæ cum vino in calice, conſecrationem, &c. ſic proſequitur: *Nam Apoſtoli in commentariis à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum.* Ergo ſenſit Juſtinus etiam mixtionem aquæ cum vino in calice à Chriſto præceptam fuiſſe. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Juſtinus loco citato vult tantùm, à Chriſto præceptum fuiſſe ſubſtantiam ritus illius, quem exponit, non verò ſingulas illius circumſtantias: alioqui dicendus eſt ſenſiſſe, etiam à Chriſto præceptam fuiſſe laicorum communionem ſub utraque ſpecie, quam ibidem refert: hoc autem non admittent ii, contra quos hìc diſputamus.

Obj. 2. Mixtionem aquæ cum vino in calice a Chriſto præceptam fuiſſe, docent Concilia, ut Carthaginenſe III. can. 24. verbis jam ſupra relatis, Aurelianenſe IV. can. 4. cujus hæc ſunt verba: *Ut nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, & hoc aqua mixtum, offerre præſumat: quia ſacrilegium judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit.* Et Vvormacienſe can. 4. quo dicitur: *Cum igitur Magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, panem tantum & calicem ſub hoc ſacramento præbuiſſe cognoſcimus; ideoque præter panem & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim dominicus vino & aqua permixtus debet offerri .... Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur.* *Reſp. breviter.* Concilia laudata tria dicere. 1. Contra factum & inſtitutionem Chriſti eſſe, ſi præter panem & vinum aqua mixtum, in ſacrificio Miſſæ offeratur aliquid, putà lac, vel mel. 2. Præter panem & vinum, aquam, quæ vino miſceatur, offerri poſſe; cùm Chriſtus non vinum purum, ſed aqua temperatum conſecraverit. 3. Re ipſa aquam in calice ante conſecrationem vino miſcendam eſſe, tum propter factum Chriſti, tum propter conſtantem Eccleſiæ ab ejus exordio conſuetudinem & præceptum Apoſtolicum. Cùm autem Vvormacienſe dicit: *Non poteſt calix Domini, &c.* ſenſus ejus eſt. Nec licitè, nec validè calix Domini poteſt eſſe aqua ſola; ſolum verò vinum eſſe licitè non poteſt, quamvis poſſit validè: aqua igitur miſceri debet vino in calice, ut & validè & licitè fiat conſecratio.

Quæres 1. Utrùm præceptum miſcendi aquam vino in calice ante conſecrationem ſit Apoſtolicum?

Reſp. Affirmativè, & *Prob.* Ex Florent. in decreto §. *Tertium*, ubi ait, conſuetudinem miſcendi aquam vino in calice, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſervatam fuiſſe.

Quæres 2. Quanta & qualis eſſe debeat aqua vino in calice permiſcenda?

Quantum ad primum, reſpondet Honorius III. extra de celebratione Miſſ. cap. *Perniciſus* 13. majorem vini, quam aquæ, quantitatem eſſe debere: *Perniciſus*, inquit, *in tuis partibus inolevit abuſus: videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in ſacrificio, quàm de vino; cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum.*

Ante Honorium Concil. Triburienſe can. 19. dixerat, tertiam calicis conſecrandi partem aquæ eſſe poſſe: *Confirmamus*, inquit, *ne ullus ſine commixtione vini & aquæ myſteria ſacra conficiat: ſed ut duæ partes ſint vini, quia major eſt majeſtas Sanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.*

Reſpondet Flor. in decreto §. *Tertium*, modiciſſimam aquam admiſcendam eſſe: *Materia*, inquit, *eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Quantum ad ſecundum, *Reſp.* Aquam vino miſcendam in calice, naturalem eſſe debere: quando enim Patres & Concilia ſimpliciter dicunt, aquam vino in calice permiſceri debere ante conſecrationem, loquuntur de aqua naturali, quæ ſola propriè, ac ſimpliciter eſt aqua.

Quæres 3. Utrùm Græci Armenorum errorem aliquando ſecuti ſint aut ſequantur?

Reſp. Guido Carmelita in catalogo hæreticorum, & Innocentius III. lib. 4. de offic. Miſſæ cap. 32. hujus erroris Græcos inſimulant, ſed immeritò, ut patet ex Concil. Quiniſexto can. 32. ubi Armeni graviter reprehenduntur, quòd in ſacra menſa vinum tantùm offerant, aquam illi non miſcentes, & refelluntur auctoritate Jacobi Apoſtoli, Baſilii, Chryſoſtomi, & Conc. Carthaginenſis III. tum ſic pronunciatur: *Si quis ergo Epiſcopus, vel presbyter non ſecundùm traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino miſcens, ſic immaculatum offert ſacrificium, deponatur, ut imperfectè myſterium enuncians, & quæ tradita ſunt innovans.*

Porrò ſacerdos Græcus dum initio ſacrificii vinum & aquam frigidam miſcet in calice, recitat illa verba: *Et continuò exivit ſanguis & aqua.* Dixi frigidam; nam Græci peracta jam conſecratione, immediatè ante communionem, aquam ferventem infundunt in calicem, ut ſignificent, ſanguinem & aquam, non frigida, ſed calida fluxiſſe è latere Chriſti, ut refert Arcudius lib. 3. de concordia cap. 39. Hac porrò cæremonia uſi ſunt Baſilius & Chryſoſtomus, ut patet ex eorum liturgiis; & de illa Græcos Eugenio IV. poſt Florentinam Synodum interroganti ſatisfecit Mytilenenſis Epiſcopus, ut in calce Concilii refertur.

ARTICULUS VIII.

Utrùm aqua, quæ vino in calice admiſcetur ante conſecrationem, convertatur in Sanguinem Chriſti.

Circa hanc controverſiam duæ ſunt præcipuæ ſententiæ. Prima docet, aquam vino mixtam in calice, non converti in Sanguinem Chriſti, niſi ante conſecrationem convertatur in vinum. Secunda contrarium docet, aquam ſcilicet vino mixtam, in Chriſti Sanguinem converti, etiamſi in vini ſubſtantiam non convertatur priùs. Utraque ſententia patronos habet inſignis notæ Theologos: Sed cum ſecunda ſit

Responsio.

Aqua, quæ in calice vino miſcetur, per verba conſecratoria convertitur in Sanguinem Chriſti, etiamſi ante conſecrationem in ſubſtantiam vini converſa non fuerit.

N 2 *Prob.*

Prob. Ex Patribus. Et 1. quidem ex S. Juſtino Martyre in apolog. 2. aliquanto ante finem, ubi ait: *Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum univerſarum Patri, per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixe exequitur,* (hoc eſt, Miſſam celebrat.) *Atque ubi ille preces & gratiarum actionem abſolvit ...... & populus univerſus apprecatione læta* (dicendo amen) *eam comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt* (hoc eſt, qui à ſacerdote Miſſam celebrante conſecratus eſt) *panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia.*

Quibus verbis Juſtinus dicit tria, ſubſtantiam panis, vini, & aquæ manere uſque ad conſecrationem; per conſecrationem, panem in Corpus Chriſti, vinum verò & aquam in ejus Sanguinem converti; atque ita Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ejus Sanguinem ſub ſpeciebus vini & aquæ poſt conſecrationem à diaconis diſtribui iis, qui adfuerunt ſacrificio, & deferri ad alios, qui legitima aliqua de cauſa adeſſe non potuerunt.

2. Ex S. Cypriano in epiſt. ad Cæcilium art. ſuperiore jam laudata, ubi ſic loquitur: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt .... Quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cæleſte perficitur: hic vero calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, &c.* Hìc manifeſtè ſupponit S. Martyr, ſubſtantiam aquæ, perindè, ac ſubſtantiam vini, manere in calice uſque ad conſecrationem. Præterea, juxta illum, ut ſacramentum ſpiritale & cæleſte perficiatur, hoc eſt, ut aqua cum vino convertatur in ſanguinem Chriſti, non requiritur, ut priùs ſubſtantia aquæ in vini ſubſtantiam convertatur, ſed ſufficit ſi vinum & aqua miſceantur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulentur.

3. Ex S. Ambroſio lib. 4. de ſacramentis c. 4. ubi ſic loquitur: *Ergo didiciſti, quod ex pane corpus fiat Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Juxta S. Doctorem, per verba conſecratoria, vinum, & aqua in calice mixta, fiunt ſanguis Chriſti, & ſuppoſita miſtione, ſubſtantia aquæ perinde, ac ſubſtantia vini in ſanguinem Chriſti convertitur. Sed clariùs adhuc loquitur, cap. 5. *Ante verba Chriſti,* inquit, *calix eſt vini & aquæ plenus: ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* Secundùm Ambroſium, ante prolationem formæ conſecratoriæ, vinum & aqua ſunt in calice; poſt conſecrationem verò, ſub vini ſpecie ſola ſanguinis Chriſti ſubſtantia, in quam ſubſtantia vini & aquæ, quibus calix plenus erat, converſa eſt.

4. Ex S. Damaſceno lib. 4. orthodoxæ fidei c. 14. ubi ait: *Conſimili modo acceptum calicem, ex vino & aqua conſtantem, impertivit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt ſanguis meus, &c.* Et inferiùs: *Quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum, in comedentis & bibentis corpus & ſanguinem immutantur, corpuſque alterum fiunt, atque a priori ipſius corpore diverſum; ſic propoſitionis panis, ac vinum & aqua, per Sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt duo, ſed unum & idem.* Quid clarius?

Laudatis Patribus addere poſſumus Paſchaſium Ratbertum, qui floruit ann. 850. Nam lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 11. hæc habet: *Licèt priùs myſticè vinum & aqua commiſceatur, poſt conſecrationem tamen nonniſi ſanguis bibitur .....* (adeòque non ſolùm ſubſtantia vini, ſed etiam ſubſtantia aquæ in ſanguinem convertitur) *nec dubium, quin ſub hoc myſterio illam bibamus aquam, de qua Dominus: Qui biberit aquam, inquit, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertatur in ſanguinem.* Supponit ergo Paſchaſius ſubſtantiam aquæ manere in calice, eamque per conſecrationem, non quidem in phlegma, quod è latere Chriſti demortui fluxit, ſed in Chriſti ſanguinem converti. Et Algerum, qui floruit anno 1130. dicentem lib. 1. de ſacramento corporis Domini cap. 16. *Cùm enim vinum pro Chriſto, aqua ſacrificetur pro populo, & utrumque unus ſanguis fiat, &c.*

Confirm. 1. Ex facto Chriſti. Chriſtus enim quando Euchariſtiam inſtituit, vino aquam admiſcuit in magna ſatis copia, & pro maxima ſua temperantia, & pro conſuetudine regionis illius in qua verſabatur, & in qua vinum vehementiſſimum eſt. Præterea, aquam illam copioſam vino miſcuit Chriſtus immediatè ante conſecrationem, ut intelligitur ex Matth. ſic narrante cap. 26. *Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus, &c.* Aqua igitur ob quantitatem ſuam, & temporis brevitatem, non potuit in vinum converti, antequam à Chriſto in ſanguinem ſuum converteretur. Liquor igitur ille quem in ſanguinem ſuum convertit Chriſtus, fuit vinum & aqua in propria ſubſtantia. Sicut igitur vini ſubſtantiam, ita & ſubſtantiam aquæ Chriſtus in ſanguinem ſuum immediatè convertit: totum enim liquorem, qui erat in calice quem habebat in manibus, convertit in ſanguinem ſuum. Perperam igitur dicunt adverſarii, aquam priùs in vinum convertendam eſſe, quàm poſſit à ſacerdote per verba conſecratoria in Chriſti ſanguinem converti.

Confirmat. 2. Ex praxi Eccleſiæ ſic. Si aqua non convertitur in ſanguinem Chriſti, niſi convertatur in vinum, debuit ſemper Eccleſia ſummoperè curare, ut aqua modica miſceretur vino in calice, ad hoc ut certiùs aqua in vinum ante conſecrationem poſſet tranſmutari. Atqui de hoc ſollicita non fuit prioribus ſæculis: tunc enim aqua copioſa miſcebatur vino in calice, ut intelligitur ex Juſtino, calicem conſecrandum vocante poculum vini & aquæ: qui enim dicit poculum vini & aquæ, dicit aquam in notabili quantitate, ſaltem relatè ad quantitatem vini cui mixta eſt; & ex Ambroſio dicente, calicem vino & aqua plenum eſſe ante conſecrationem; hoc enim dicendo, ſatis apertè ſignificat, vinum in calice aqua copioſa temperatum fuiſſe.

Sæculo nono Concil. Triburienſe can. 19. concedit tertiam partem aquæ, quæ notabilis quantitas eſt; nec duas partes vini requirit, ut faciliùs in vinum convertatur aqua, ſed *quia major eſt majeſtas ſanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi.* Sæculo decimo tertio Honorius III. cap. *Perniciosus* extra de celebrat. Miſſ. jubet tantùm, ut ſecundùm rationabilem univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, plus vini quàm aquæ ponatur in calice. Quòd ſi poſteà ſæculo decimoquinto Concil. Florentinum in decreto §. *Tertium,* juſſit ut aqua modicíſſima vino in calice miſceretur, ad id jubendum permotum non eſt, quòd crederet aquam priùs in vinum convertendam eſſe, ut poſſit converti in ſanguinem Chriſti; ſed ne in multis regionibus, in quibus vinum ſat debile eſt, aqua copioſè affuſa corrumperet vini ſubſtantiam.

Confirmatur denique 3. Quia aqua vino mixta in calice, per verba conſecratoria convertitur in ſanguinem Chriſti, ut apertè docent Patres ſupra laudati, & poſt illos ſanctus Thomas hic quæſt. 74. art. 8. in O. ubi ait: *Quidam dicunt, quòd aqua adjuncta vino per ſe manet, vino converſo in ſanguinem. Sed hæc opinio ſtare non poteſt: quia in ſacramento altaris, poſt conſecrationem nihil eſt niſi corpus & ſanguis Chriſti... alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ.* At ſi neceſſe eſt, aquam priùs converti in vinum, quàm poſſit converti in ſanguinem Chriſti, vix ac ne vix quidem probabile eſt, aquam vino mix-

tam

tam in calice, unquam in Chriſti ſanguinem converti; cùm vix ac ne vix quidem probabile ſit, vinum in ſubſtantiam ſuam aquam poſſe convertere: ad hoc enim neceſſaria eſſet fermentatio, vel ſaltem percolatio ſpecifica, qualis fit in vite. Hanc autem fermentationem vel percolationem in vino, cùm aqua perfunditur, admittere inverecundum eſt. Immò aquam vino mixtam manere in propria ſubſtantia, demonſtrat experientia, qua aqua vino mixta ab eo etiam poſt longum tempus ſeparatur.

Obj. 1. Innocentius III. extra de celebratione Miſſarum cap. *Cum Martha* 6. §. *Quæſiviſti etiam*, approbat ſententiam eorum qui tenent aquam in Chriſti ſanguinem converti mediatè tantùm, hoc eſt, modò prius in vinum converſa fuerit. *Reſp.* neg. Itaque loco citato Innocentius, 1. proponit quæſtionem ſibi factam: *Quæſiviſti etiam*, inquit, *utrum aqua cum vino in ſanguinem convertatur*. 2. Tres circa hanc controverſiam ſententias affert, quarum prima docet vinum in ſanguinem Chriſti, & aquam quæ vino mixta fuit, in phlegma, quod de Chriſti latere fluxit, converti. Secunda tenet, *quòd aqua cum vino tranſſubſtantiatur in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat mixta vino: licèt Phyſici contrarium aſſeverent, quia aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari.* Tertia eſſe poteſt, *quod aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet prioris vini partibus circumfuſa, ita quòd vini ſaporem aſſumit.* 3. Quæſtioni propoſitæ reſpondet in hunc modum: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, ut expreſſius eluceat proprietas ſacramenti.*

Ex his autem liquet, ſummum Pontificem, 1. nihil definire, ſed tantùm aſſerere, & oſtendere, ſecundam ſententiam eſſe duabus aliis, nempe prima & tertia, probabiliorem. 2. Præcisè approbare concluſionem ſecundæ ſententiæ, non ejus rationem: nam nec de illa, nec de contrario Phyſicorum ſenſu, mentionem ullam facit, cùm ſecundam ſententiam cæteris præfert. 3. Præcisè reſpondere ad id, quod præciſè quæſitum fuerat, videlicet aquam cum vino converti in ſanguinem, præſcindendo à mediata, vel immediata converſione: unde apparet illum nobis magis, quàm adverſariis favere.

Obj. 2. Idem Pontifex, lib. 4. de myſteriis Miſſæ cap. 30. ſic loquitur: *Quibuſdam abſurdum non videtur, quòd aqua tranſit in ſanguinem, ea ſcilicet ratione, quòd aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem in ſanguinem: quis enim ambigat aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum aquæ infunditur.*

Reſp. Pontificem verbis citatis ſic approbare mediatam converſionem aquæ in ſanguinem, ut tamen immediatam non rejiciat: immò immediatæ converſioni, qualem nos defendimus, apertè favet eodem lib. cap. 11. ubi dicit, in ſacramento Euchariſtiæ haberi trinitatem ſpecierum, panis ſcilicet, vini, & aquæ, quod non eſſet verum, ſi prius aqua in vinum, quàm in ſanguinem converteretur.

Obj. 3. Chriſtus non conſecravit aquam, quam vino in calice miſcuit ante conſecrationem: non enim ea intentione miſcuit, ut eam conſecraret; alioquin aqua tam eſſet materia neceſſaria conſecrationis, quàm vinum. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. Et utramque probationem, & dico materiam neceſſariam conſecrationis eſſe vinum uſuale, prout à vino puro, vel aqua temperato præſcindit. Unde conſecratio valida eſſe poteſt ſine aqua, non ſine vino: neque hoc enthymema: Aqua vino mixta, eſt materia conſecrationis: ergo eſt materia neceſſaria conſecrationis; magis valet, quàm iſtud: Si panis triticeus fiat cum fermento, fermentum eſt partialis materia conſecrationis; tunc enim eſt pars panis uſualis: ergo eſt materia neceſſaria conſecrationis. Hæc autem conſequentia non valet, quia nempe materia neceſſaria conſecrationis eſt panis triticeus uſualis, prout præſcindit ab azymo & fermentato: unde conſecratio valida eſſe poteſt ſine fermento, non ſine pane triticeo.

Obj. 4. Chriſtus non dedit Apoſtolis poteſtatem convertendi aquam in ſanguinem. Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis*. Chriſtus non præcepit Apoſtolis, ut aquam vino miſcerent in calice: præceptum enim miſcendi aquam vino in calice, eſt purè eccleſiaſticum, ut probatum eſt. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſequentiam, quæ non magis valet, quàm iſta: Chriſtus non præcepit Apoſtolis, ut conſecrarent vinum album: ergo non dedit illis poteſtatem conſecrandi vinum album. Sicut ergo Chriſtus dedit Apoſtolis poteſtatem conſecrandi vinum album, vel rubrum, licèt neutrum præceperit determinatè, ſed tantùm alterum ſub disjunctione: ita dedit illis poteſtatem conſecrandi vinum purum, vel aqua temperatum; licèt neutrum determinatè, ſed alterum tantùm ſub disjunctione præceperit.

Obj. 5. Concil. Florent. in decreto §. *Tertium*, diſtinguit aquam à materia ſacramenti, dicendo materiam ſacramenti eſſe *vinum de vite, cui modiciſſima aqua admiſceri debet*. Ergo, &c. *Reſp.* Concilium aquam à materia neceſſaria & eſſentiali diſtinguere, & ſuo loquendi modo indicare, aquam neceſſariam non eſſe neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti tantùm: ſicut ſi dixiſſet materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, cui fermentum admiſceri debet apud Græcos, tunc tantùm diſtinxiſſet fermentum à materia neceſſaria & eſſentiali, tantumque indicaſſet, fermentum neceſſarium non eſſe neceſſitate ſacramenti, ſed ſolùm præcepti apud Græcos.

Obj. 6. Concil. Trident. ſeſſ. 13. can. 2. dicit ſubſtantiam vini converti in Sanguinem Chriſti, quod non dicit de ſubſtantia aquæ. Ergo ſola ſubſtantia vini convertitur in Chriſti Sanguinem, non verò ſubſtantia aquæ. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Concilium, vel loquitur tantùm de vino puro, vel loquitur de omni verò ac propriè dicto vino uſuali. Si primum, damnat quidem negantes vinum converti; at non damnat affirmantes, non ſolùm ſubſtantiam vini, ſed etiam aquæ ſubſtantiam converti in Sanguinem Chriſti; & intento Concilii ſufficit, ſi vinum convertatur in Chriſti Sanguinem, præſcindendo ab aquæ ſubſtantia, de qua controverſiam non habuit Concilium cum hæreticis.

Si ſecundum, quod verum eſt; vinum aqua temperatum, ſeu, quod idem eſt, compoſitum ex vino puro & aqua, tam eſt verum, ac propriè dictum vinum uſuale, quàm vinum purum, ut docet ipſa Scriptura Proverbior. cap. 9. ubi dicitur: *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*: unde, juxta mentem Concilii, tam compoſitum ex vino puro, & aqua in Chriſti Sanguinem convertitur, quàm vinum purum; adeòque, juxta mentem Concilii, tam partes compoſiti ex vino puro & aqua convertuntur in Sanguinem Chriſti, quàm partes vini puri; atque ita, juxta mentem Concilii, particulæ aquæ, quæ ſunt in compoſito ex vino puro & aqua, tam convertuntur in Sanguinem Chriſti, quàm particulæ vini puri.

Dices. Concilium loco laudato dicit, ſubſtantiam vini in Chriſti Sanguinem converti, *manentibus dumtaxat ſpeciebus vini*. At ſi non ſolùm vini ſubſtantia, ſed etiam ſubſtantia aquæ converteretur in Sanguinem Chriſti, non ſolum vini ſpecies, ſed etiam ſpecies aquæ manerent. Ergo ſola vini ſubſtantia in Sanguinem Chriſti convertitur.

Reſp. Cùm Synodus loquatur de omni vero, ac propriè dicto vino uſuali, & tam vinum aqua mixtum, quàm purum, ſit verum ac propriè dictum vinum uſuale, Synodi ſenſum eſſe, quòd ſubſtantia vini, ſive purum ſit, ſive aqua mixtum, ſic convertatur in Sanguinem Chriſti, ut ejus dumtaxat ſpecies poſt conſecrationem remaneant; quo modo loquendi non excluduntur ſpecies aquæ: ſicut enim aqua eſt partialiter vinum mixtum; ita ſpecies aquæ ſunt partialiter ſpecies vini mixti.

Dices. Ex Concilio, ſolum vinum convertitur in Sanguinem Chriſti. Sed aqua non eſt vinum. Ergo, &c. *Reſp.* Ex Concilio, ſolum vinum converti in

Sanguinem Chriſti, nomine vini intelligendo omne verum ac propriè dictum vinum uſuale, quale eſt merum aqua mixtum, ſeu, quod idem eſt, quale eſt compoſitum ex mero & aqua, quandiu ſcil. (quod ſemper ſuppleri debuit, & debet) colorem, ſaporem, & alias proprietates vini, quamvis quadantenùs alteratas, retinet. Cùm itaque partes omnes veri ac propriè dicti vini uſualis convertantur in Sanguinem Chriſti per conſecrationem, partes omnes compoſiti ex mero & aqua, per conſecrationem in Sanguinem Chriſti convertuntur. Non tantùm igitur merum, ſed etiam aqua, quæ eſt in compoſito illo, convertitur in Sanguinem Chriſti.

Quamvis igitur aqua ſola, nec mero mixta, per conſecrationem nec convertatur, nec converti poſſit in Sanguinem Chriſti, quia nequidem partialiter eſt vinum uſuale; attamen non ſola, & mero mixta, & converti poteſt, & re ipſa convertitur in Sanguinem Chriſti per conſecrationem, quia tunc eſt pars veri ac propriè dicti vini uſualis. Hinc

Ad hanc inſtantiam: Aqua non eſt vinum: ergo non convertitur in Sanguinem Chriſti. *Reſp.* Diſt. ant. Aqua ſola, nec mero mixta, non eſt vinum, C. ant. Aqua non ſola, & mero mixta, non eſt vinum, Subdiſt. Non eſt vinum, ſed eſt pars veri ac propriè dicti vini uſualis, Conc. iterùm ant. Non eſt vinum, nec pars veri ac propriè dicti vini uſualis, N. ant. & diſt. conſeq. Ergo aqua non convertitur in Sanguinem Chriſti, ſi ſit ſola, nec mero mixta, C. conſeq. Si ſit mixta mero, N. conſeq. Tunc enim eſt pars veri ac propriè dicti vini uſualis, cujus partes omnes in Chriſti Sanguinem convertuntur per conſecrationem.

Obj. 7. Patres & Concilia, cùm aſſignant materiam Euchariſtiæ, tantùm nominant panem & vinum. *Reſp.* 1. Hoc eſſe falſum: nam nominant panem, vinum, & aquam, ut manifeſtum eſt ex teſtimoniis Patrum & Conciliorum ſupra relatis. Quòd ſi tamen aliquando Patres, & Concilia nominant tantum panem & vinum, cùm Euchariſtiæ materiam aſſignant: ſicut nomine panis intelligunt omnem verum, ac propriè dictum panem triticeum uſualem; ita nomine vini intelligunt omne verum ac propriè dictum vinum uſuale. Sicut autem verus ac propriè dictus panis uſualis, alius eſt purus, qui fit ex farina pura, & defœcata à furfuribus, alius verò non purus, qui fit ex farina non pura, nec à furfuribus defœcata, unde ſecundùm Patres & Concilia, tam panis non purus, quàm panis purus, eſt materia conſecrationis; ita verum ac propriè dictum vinum uſuale, aliud eſt purum, & aliud non purum, & aqua mixtum; unde ſecundùm Patres & Concilia tam vinum non purum & aqua mixtum, quàm vinum purum, eſt materia conſecrationis.

Obj. 8. Si aqua vino mixta conſecrari poteſt, poteſt etiam ſola conſecrari. Abſurdum conſequens. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ſequel. maj. Nam aqua vino mixta eſt partialiter verum, ac propriè dictum vinum uſuale: unde aqua vino mixta conſecrari poteſt. At aqua ſola, nequidem partialiter eſt vinum uſuale: unde aqua ſola non poteſt conſecrari. Habemus exemplum in pane communi & à furfuribus non defœcato: nam furfures farinæ puræ mixti conſecrari poſſunt, quia ſunt partialiter verus ac propriè dictus panis uſualis, cum farina enim pura conſtituunt intrinſecè panem communem non defœcatum, qui eſt verus ac propriè dictus panis uſualis; & tamen non ſunt ſeorſim conſecrabiles, quia ſeorſim, & à farina pura ſeparati, nequidem partialiter ſunt panis uſualis.

Obj. 9. Vinum ex inſtitutione Chriſti eſt materia neceſſaria conſecrationis: ergo aqua materia conſecrationis eſſe non poteſt. *Reſp.* neg. conſeq. Itaque vinum ex inſtitutione Chriſti ſic eſt materia neceſſaria conſecrationis, ut nihilominùs vi ejuſdem inſtitutionis aqua poſſit eſſe partialiter conſecrationis materia, ſi miſceatur vino, & ita fiat pars vini uſualis: ſicut ex inſtitutione Chriſti, farina ſic eſt materia conſecrationis neceſſaria, ut tamen vi ejuſdem inſtitutionis furfures poſſint eſſe partialiter materia conſecrationis, ſi miſceantur farinæ, atque ita fiant pars panis uſualis.

Ratio à priori pro utroque eſt, quia Chriſtus pro materia conſecrationis inſtituit panem uſualem, & vinum uſuale: quare cùm panis uſualis non poſſit eſſe ſine farina, nec vinum uſuale ſine vino, farina & vinum ſunt materia conſecrationis neceſſaria ex Chriſti inſtitutione. E contra cùm panis uſualis poſſit eſſe ſine furfuribus, & vinum uſuale ſine aqua, vi ejuſdem inſtitutionis furfures, & aqua non ſunt materia neceſſaria conſecrationis: ſed quia panis uſualis tam poteſt eſſe ex farina & furfuribus, quàm ex farina pura; & vinum uſuale tam poteſt eſſe vinum aqua mixtum, quàm vinum purum, furfures & aqua vi inſtitutionis Chriſti poſſunt eſſe partialis materia conſecrationis, & tam poſſunt eſſe materia conſecrationis vi inſtitutionis Chriſti, quàm farina pura, & vinum purum; quamvis non poſſint eſſe materia neceſſaria, nec totalis, ſicut farina pura, & vinum purum.

Obj. 10. Solo præcepto eccleſiaſtico tenemur aquam miſcere vino in calice. Ergo aqua non eſt materia conſecrationis. *Reſp.* Ex antecedente ſequi tantùm, quòd aqua non ſit materia conſecrationis neceſſaria, quod verum eſt. *At inquies.* Si aqua vino mixta in calice eſt conſecrationis materia, Eccleſia facit materiam ſacramenti. *Reſp.* Hoc eſſe falſum: nam aqua vino mixta in calice, eſt conſecrationis materia, non quia Eccleſia præcepit, ut vino in calice miſceretur, ſed quia Chriſtus pro materia conſecrationis inſtituit vinum uſuale, quod tam poteſt eſſe vinum aqua temperatum, quàm vinum purum.

Obj. ult. Si aqua vino mixta conſecraretur, Sanguis Chriſti contineretur ſub ſpeciebus aquæ. Falſ. conſeq. Ergo, &c. *Probab. min.* Quia ſpecies aquæ non poſſunt ſignificare ſanguinem: unde canones dicunt populum per aquam, & ſanguinem per vinum ſignificari. *Reſp.* diſt. ſeq. maj. Sanguis Chriſti contineretur ſub ſpeciebus aquæ etiam ſolis, & ſeparatis à ſpeciebus vini, Neg. ſeq. maj. Sicut enim aqua ſola conſecrari non poteſt, ita nec Sanguis Chriſti poteſt contineri ſub ſpeciebus aquæ ſolis, & à ſpeciebus vini ſeparatis. Sanguis Chriſti contineretur ſub ſpeciebus aquæ, quandiu mixtæ ſunt ſpeciebus vini, ſeu, quod idem eſt, quandiu ſunt partialiter ſpecies vini mixti, C. ſeq. maj. Species autem aquæ, quandiu ſpeciebus vini mixtæ manent, tam ſignificant præſentem eſſe Sanguinem Chriſti, quàm ſpecies vini, quamvis etiam, ut canones dicunt, ſpecies aquæ populum, & ſpecies vini ſanguinem alio modo ſignificent, per quandam ſcilicet, analogiam qualitates eorum repræſentando.

ARTICULUS IX.

Solvuntur aliquot dubia circa materiam Euchariſtiæ.

QUæres 1. Utrùm materia conſecranda debeat eſſe præſens miniſtro conſecranti?

Reſp. Materiam conſecrandam, miniſtro conſecranti moraliter præſentem eſſe debere: nam id omninò exigit formula conſecrationis: in his enim verbis, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, pronomina, *hoc* & *hic* demonſtrativa ſunt: nihil autem demonſtrari poteſt, niſi ſit moraliter præſens demonſtranti.

Quæres 2. Quid requiratur ad hoc ut materia conſecranda ſit moraliter præſens?

Reſp. Requiri duo. 1. Ut percipi poſſit ſenſu aliquo. 2. Ut ita ſit loco propinqua, ut pronomen, *hoc* vel *hic*, non egeat alia deſignatione externa, ut in eam cadere intelligatur; ſicque pronomen, *hoc*, vel *hic*, illam ſe ſolo deſignet, & concipiatur deſignare, quod prudenti judicio æſtimandum relinquunt.

Quæ-

Quæres 3. Utrùm materia conſecranda debeat eſſe in ſe ſenſibilis?

Reſp. Satis eſſe, quòd ſit vel in ſe ſenſibilis, vel in toto, putà cumulo, cujus eſt pars, vel in re eam continente, quæ ſcil. talis eſt, ut ex communi hominum uſu deſtinata ſit ad eam continendam.

Quæres 4. Utrùm materia conſecranda debeat eſſe certa & definita in intentione conſecrantis?

Reſp. Affirmativè. Ratio eſt, quia intentio miniſtri eſſentialiter requiritur ad ſacramenti perfectionem, ita ut ſacramentum non perficiatur, niſi miniſter intendat illud perficere. Ergo miniſter non conſecrat hanc materiam, niſi determinatè intendat illam conſecrare. Prætereà, ſacerdos materiam demonſtrat, quam conſecrat, & in tantùm conſecrat, in quantùm demonſtrat: ſed non poteſt demonſtrare, niſi materiam à ſe definitam & determinatam. Ergo, &c.

Porrò neceſſe non eſt, ut hæc materiæ determinatio actualis ſit & explicita, ſed ſufficit, ut ſit virtualis, aut implicita; qualis eſt, hoc ipſo quòd ſacerdos intendit, legitimè, & prout præſentes circumſtantiæ exigunt, celebrare: hoc ipſo enim, materia præſens in corporali, ſufficienter definita ac determinata eſt in intentione conſecrantis.

Quæres 5. Utrùm panis & vinum quantæcumque quantitatis poſſint conſecrari validè?

Reſp. Affirmativè. Modò tamen ſint ſufficienter præſentia conſecranti: Chriſtus enim dedit ſacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem & vinum, quam poteſtatem, nullo medio probari poteſt, Chriſtum limitaſſe & determinaſſe ad certam quantitatem, qua major, quamvis ſufficienter præſens, conſecrari non poſſit. Si quis tamen plus materiæ conſecraret, quàm poſſit decenter conſervari, & à fidelibus conſumi, peccaret graviter.

Dices. Poteſtas conſecrandi collata eſt ſacerdotibus in uſum fidelium. Ergo non poteſt validè conſecrari plus materiæ, quam ad uſum fidelium ſufficiat. *R.* Hoc enthymema non magis valere, quàm illud: Poteſtas conſecrandi ſacerdotibus collata eſt in bonum uſum: ergo ſacerdotes non poſſunt validè conſecrare ad uſus illicitos. Certè ſi non poſſet validè conſecrari plus materiæ, quàm ſufficiat in uſum fidelium, ſæpè dubitaremus, an poſſit fieri nova conſecratio: quis enim ſcit, an non aliquis jam conſecrarit tantùm materiæ, quantùm ad uſum fidelium ſufficit? Similiter quando plurimæ hoſtiæ conſecrantur, dubitare poſſemus, an non plures ſint, quàm ad uſum fidelium ſufficiant, & ita an omnes ſint conſecratæ, imò verò an aliqua ſit conſecrata; nam vel omnes conſecratæ ſunt, vel nulla conſecrata eſt, quia intentio & determinatio miniſtri non magis in unas, quàm in alias fertur.

Quæres 6. Utrum panis & vinum validè conſecrari poſſint, quantæcumque ſint parvitatis?

Reſp. Affirmativè. Modò tamen ſint ſenſibilia: hoc enim ſuppoſito, poſſunt per verba conſecratoria demonſtrari ſenſibiliter, & ſub illis Chriſtus poni poteſt. Ergo nihil impedit quominùs illis validè applicetur conſecrationis forma. Dicu, validè: nam ut licita ſit conſecratio, ſervari debet uſus Eccleſiæ, tam quoad parvitatem, quàm quoad magnitudinem; & haberi debet ratio decentiæ, & finis, propter quem panis & vinum conſecrantur, qui finis eſt, ut commodè uſui eſſe poſſint ad ſumendum, & adorandum.

Quòd ſi particulæ panis & vini adeò exiguæ ſint, ut non poſſint humano modo ſenſibiliter demonſtrari, conſecrari non poſſunt, nec ſufficere poſſunt ad materiam Euchariſtiæ, quia verba conſecrationis demonſtrativa ſunt ſacramentaliter, adeòque debent demonſtrare aliquid humano modo ſenſibile: item ſacramentum Euchariſtiæ debet eſſe humano modo ſenſibile, non ſolùm ex parte formæ, ſed etiam ex parte materiæ, quæ proinde talis eſſe debet, ut per pronomina formæ demonſtrativa humano modo demonſtretur ſenſibiliter; qualis certè non erit, ſi nequidem acutiſſimis ſenſibus naturaliter percipi poſſit.

Quæres 7. Utrùm conſecrari poſſit panis, confectus ex grano, de quo dubium eſt, an ſit verum triticum?

Reſp. Panem illum eſſe materiam dubiam, adeòque ſaltem extra caſum neceſſitatis licitè conſecrari non poſſe, quia in ſacramentis extra caſum neceſſitatis materiam dubiam adhibere non licet. Sed de hoc jam ſupra.

Quæres 8. Utrùm valida ſit conſecratio panis, qui confectus eſt ex tritico, ſed non puro.

Reſp. Si granum alteriùs ſpeciei, tritico mistum, ſit in tam parva quantitate, ut panis ſit adhuc triticeus in morali æſtimatione, validam eſſe conſecrationem, ſed illicitam; idem dic, ſi maſſa triticea fuerit mixta butyro, melle, ſaccaro, lacte, aqua roſacea, aliove liquore, ab aqua naturali ſpecie diverſo: nam ſi maſſa illa, cocta ſolo calore ignis, moraliter adhuc cenſeatur panis, valebit quidem conſecratio, ſed illicitè fiet. Sed de his jam ſupra.

Quæres 9. Utrùm peccet, qui vinum aliquantò acidum conſecrat?

Reſp. Peccare graviter, quia conſecrationem exponit periculo nullitatis.

DISPUTATIO III.

De Forma Conſecrationis.

ARTICULUS PRIMUS.

De erroribus circa præſentem controverſiam.

QUinque hìc quæri poſſunt. 1. Utrùm ad conficiendam Euchariſtiam aliqua verba ſint neceſſaria. 2. Suppoſito quòd aliqua verba neceſſaria ſint, utrùm debeant eſſe concionalia, ſeu dici ad populum inſtruendum, an verò conſecratoria, ſeu dici ad conſecrandam materiam. 3. Suppoſito quòd verba conſecratoria requirantur, utrum ſint hæc ſola: *Hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus*; vel, *Hic eſt calix Sanguinis mei*, &c. 4. Utrùm ſint figuratè accipienda. 5. Quis ſit genuinus horum verborum ſenſus. Circa hæc

Primus error eorum eſt, qui verba ad conficiendam Euchariſtiam neceſſaria eſſe negant. Hujus erroris auctorem fuiſſe Bucerum autumat Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 12. quia hæreſiarcha ille in cap. 26. Matthæi apertè docet, neceſſarium non eſſe, ut verba aliqua recitentur, quòd nulla ſcriptura id doceat: Dominus enim, inquit, juſſit panem frangere & manducare, ſed non juſſit, ſuper panem dici: *Hoc eſt Corpus meum.*

Secundus error eorum eſt, qui verba quidem requirunt, ſed concionalia tantùm, non conſecratoria: cùm enim nullam materiæ conſecrationem admittant, ſupereſt ut velint tantùm verba recitari ad inſtituendum populum. Errorem hunc docet Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 17. §. 39. ubi inſigniter blaſphemat, verba conſecratoria, quibus catholica Eccleſia utitur, vocando magicam incantationem, quam ſacerdotes noſtri demurmurant: unde horum verborum loco, in formula ſacramentorum miniſtrandorum præſcribit lectionem ex cap. 11. primæ ad Corinthios, & concionem miniſtri cum paucis quibuſdam præfatiunculis.

Tertius error eſt Lutheranorum, requirentium verba vocetenùs conſecratoria: cùm enim dicunt, per verba ſacramentalia panem fieri Corpus Chriſti, & vinum fieri Sanguinem ejus, non intelligunt, ſicut nos catholici intelligimus, verba ſacramentalia vim habere tanquam inſtrumenta Dei, convertendi panem in Corpus Chriſti, & vinum in Sanguinem ejus: nam panem in Corpus Chriſti, & vinum in ejus Sanguinem converti non credunt; immò nequidem intelligunt, per verba illa fieri, ut Corpus Chriſti in pane, & Sanguis ejus in vino incipiant eſſe præſentia,

quia credunt Corpus Chriſti eſſe ubique; quam abſurditatem deglutiunt, ne ad probandam Corporis Chriſti præſentiam in pane, cogantur recurrere ad efficaciam conſecrationis, ut ajunt, Papiſticæ; quam cum Calvinianis impiè & blaſphemè magiam & incantationem vocitant.

Cùm itaque Lutherani dicunt, per verba ſacramentalia panem fieri Corpus Chriſti, & vinum fieri Sanguinem ejus, ut explicat Kemnitius in 2. parte examinis Concilii Tridentini ſeſſ. 13. cap. 1. nihil aliud volunt, quàm nos per verba illa certos reddi, quòd in Cœna Domini, cùm panis & vinum diſtribuuntur, diſtribuatur verum Corpus, & verus Sanguis Chriſti. Lutherani igitur per verba illa, quæ vocant conſecratoria, intelligunt tantùm verba, quibus Corporis Chriſti in pane, & Sanguinis ejus in vino præſentia ſignificatur, & annunciatur: re ipſa igitur verba conſecratoria rejiciunt, & tantùm admittunt verba, quibus fides inſtruitur, adeòque à Calviniſtis non diſſentiunt, niſi in modo loquendi.

Quartus error eſt Nicolai Cabaſilæ in expoſitione liturgiæ cap. 27. 29. & 30. & docet 1. Verba Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus*, quæ in Miſſa à ſacerdote proferuntur, narrativè tantum enunciari, eaque non magis ad conſecrationem conferre, quàm ſi omninò non enunciarentur: quanquam ibidem, quæ eſt hæreticorum & ſchiſmaticorum inconſtantia, aſſerat verba illa, à ſacerdote prolata, ad conficiendam Euchariſtiam non ſufficere, & ſic loquendo, ea aliquid conſecrationi conducere fateatur. 2. Docet verba illa, quæ ipſemet Chriſtus in ultima Cœna protulit, quamvis tranſierint, conſecrationem efficere, cùm ad id à ſacerdote celebrante applicantur: applicantur autem, non quando, vel quia recitantur à ſacerdote; ab eo enim, non ſignificativè, ſed narrativè tantùm recitantur; ſed quando, vel quia poſteà orat ſacerdos, & dicit in Miſſa Græca: *Fac hunc panem pretioſum Corpus Chriſti*: & in Miſſa Latina: *Jube ſurſum ferri dona hæc in manus Angeli ad ſupercæleſte tuum altare*. Cabaſilæ ſaltem in eo, quòd conſecratio non perficiatur ſine verbis, quibus ſacerdos orat, & petit ut panis fiat Corpus Chriſti, aſſentiuntur Marcus Epheſinus, Simeon Theſſalonicenſis, & Samonas Gazæus.

Quintus error eorum eſt, qui non propriè, ſed figuratè verba illa: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, exponenda eſſe contendunt. In illis autem verbis depravandis minimè inter ſe conſentiunt. 1. Enim alii τὸ *hoc*, adverbialiter intelligi volunt; ita ut horum verborum: *Hoc eſt corpus meum*, ſenſus ſit, hìc ſedet corpus meum. Hanc interpretationem ſe ex Pauli cæleſtis revelatione didiciſſe aſſerit Carolſtadius. 2. Alii pronomen *hoc* totam cœnæ actionem ſignificare volunt; ita ut ſenſus ſit: Hæc actio repræſentat Corpus Chriſti, ſive in hac actione exhibetur Corpus Chriſti. Hanc expoſitionem Bucerus invenit. 3. Alii per *hoc* panem intelligunt, ſed ſumptum metaphoricè, hoc modo: *Hoc eſt corpus meum*, ideſt, corpus meum eſt hoc, nempe panis, vel ſe habet ad modum panis, quia animas nutrit ac reficit. 4. Alii tropum eſſe in verbo *eſt*, aſſerunt, & accipi debere pro, ſignificat: *Hoc eſt corpus meum*, ideſt, hic panis ſignificat corpus meum. Hujus depravationis auctor eſt Zuinglius, qui eam ſe à ſpiritu quodam per ſomnium accepiſſe teſtatur.

5. Alii docent ſenſum eſſe: Hic panis eſt Corpus Chriſti, & hoc verè dici propter communicationem idiomatum; ſicut propter illam verè dicitur de Chriſto, hic homo eſt Deus. Pro quo tres uniones diſtinguunt, ex quibus idiomatum communicatio reſultat; unam naturalem, qualis eſt inter corpus & animam; alteram hypoſtaticam, qualis eſt Deum inter & hominem in Chriſto; & tertiam ſacramentalem, qualem eſſe volunt panis & corporis Chriſti in ſacramento. 6. Alii dicunt, tropum eſſe in nomine, *Corpus*, & per figuram metonymiæ panem dici corpus, tribuendo ſigno nomen rei ſignificatæ; ita ut horum verborum: *Hoc eſt corpus meum*, ſenſus ſit: Hic panis eſt figura corporis mei. Ita interpretatur Oecolampadius, cui aſſentitur Calvinus lib. 4. inſtit. c. 17. §. 21. Addendo tamen, panem euchariſticum non eſſe nudam figuram Corporis Chriſti, ſed eſſe figuram, quæ rem ipſam exhibet; adeòque Chriſtum non dixiſſe; Hic panis eſt figura corporis, ſed corpus ipſum. 7. Denique alii verborum: *Hoc eſt corpus meum*, hunc eſſe ſenſum dicunt; Hic panis eſt corpus à me factum & creatum. Expoſitionem hanc, ut Sacramentarios irrideret, Lutherus per jocum excogitavit, & poſteà per jocum à Luthero prolatam, ſeriò accepit ac defendit Joannes Campanus.

ARTICULUS II.

Utrùm ad conficiendam Euchariſtiam requirantur verba, & quænam requirantur, ac ſufficiant.

RESPONSIO I.

AD conficiendam Euchariſtiam verba requiruntur.

Eſt contra Bucerum, & ut ſatis apertè colligitur ex S. Auguſtino lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 13. contra Manichæos, qui ſenſerunt non opus eſſe aliqua forma ad conficiendam Euchariſtiam, eò quòd putarent Chriſtum præſentem eſſe in omni pane & vino abſque ulla conſecratione. Sic enim eos alloquitur ſanctus Doctor loco citato: *Vobis autem per fabulam veſtram in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur; adhuc ligandus veſtris viſceribus, ſolvenduſque ructatibus: nam & cum manducatis, Dei veſtri defectione vos reficitis, & cùm digeritis, illius refectione deficitis, &c.* Sed contra hæreticos illos.

Prob. Reſp. 1. Ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ: nunquam enim ſine verbis Euchariſtiam confecit Eccleſia, ut conſtat 1. ex liturgiis antiquiſſimis, Petri, ſcilicet, Jacobi, Marci, Clementis, Baſilii, Chryſoſtomi, &c. 2. Ex Patribus, quorum verba deinceps referemus.

Prob. 2. Ex Concil. Florent. in decreto §. *Quintò Eccleſiaſticorum*, ubi de ſacramentis omnibus novæ legis loquens, ſic ait: *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum.*

RESPONSIO II.

Ad conficiendam Euchariſtiam, verba concionalia non ſufficiunt.

Prob. Authoritate Patrum. Nam 1. Juſtinus Martyr dicit Euchariſtiam fieri precibus: *Eam*, inquit, *in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ alimoniam, unde ſanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.*

2. Irenæus lib. 4. cap. 34. Euchariſtiam fieri ait per invocationem Dei: *Quemadmodum*, inquit, *qui eſt à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti* (hoc eſt, ſpecie panis, & corpore Chriſti) *ſic & corpora noſtra, &c.* Idem dicit Cyrillus Hieroſolymit. catecheſi myſtagogica 3. *Quemadmodum*, inquit, *panis Euchariſtiæ, poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti, ſic, &c.*

3. S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. aſſerit Euchariſtiam fieri per conſecrationem: *Tu fortè dicis*, inquit, *meus panis eſt uſitatus: ſed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.*

Idem docet S. Aug. lib. 20. contra Fauſtum cap. 13. *Noſter*, inquit, *panis & calix non quilibet, quaſi propter Chriſtum in ſpicis & in ſarmentis ligatum,*

ſicut

ſicut illi (Manichæi) *deſipiunt, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur: proinde quod non ita fit, quamvis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis.* Et lib. 3. de trinitate cap. 4. ubi ait: *Corpus Chriſti & ſanguinem dicimus illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis.*

Ita denique ſentiunt Patres alii, qui apud Authores legi poſſunt. Manifeſtè igitur, ex communi Patrum ſenſu habemus, ad conficiendam Euchariſtiam verba concionalia non ſufficere, ſed requiri conſecratoria; quod etiam probare poſſumus Conciliorum authoritate, Florentini ſcilicet in decreto, & Trid. ſeſſ. 13. c. 4. ubi docet, *per conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus.*

RESPONSIO III.

Verba conſecratoria, ad conficiendam Euchariſtiam neceſſaria & ſufficientia, ſunt hæc, vel æquivalentia; *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus.*

Prob. 1. Authoritate Patrum, Juſtini Martyris in Apologia 2. ubi ait: *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Quænam autem ſunt verba illa olim ab ipſo Chriſto prolata & inſtituta, quæ Sacerdos celebrando profert, & proferendo gratias agit, atque panem in corpus Chriſti, & vinum aqua mixtum, in ejus ſanguinem convertit? Certè non alia, quàm illa: *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus.*)

Tertulliani lib. 4. adversùs Marcionem cap. 40. *Acceptum*, inquit, *panem, & diſtributum diſcipulis* (Chriſtus) *corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt Corpus meum dicendo.* Unde ſic argumentor. Ea verba neceſſaria ſunt & ſufficientia ad conficiendam Euchariſtiam, quibus Chriſtus ipſe panem in corpus ſuum, & vinum in ſuum ſanguinem convertit. Atqui ex Tertulliano, Chriſtus panem in corpus ſuum convertit, dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*, adeòque & vinum convertit in ſuum ſanguinem, dicendo; *Hic eſt ſanguis meus.* Ergo hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus*, ex Tertulliano, ad conficiendam Euchariſtiam requiruntur & ſufficiunt.

Ambroſii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Panis iſte*, inquit, *panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti .... Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Ubi venitur ut conficiatur venerabile ſacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum.* Verba autem illa, quæ proferendo Sacerdos Euchariſtiam conſecrat, evidenter ſunt iſta, ſecundùm Ambroſium: *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus*; quæ Sacerdos in perſona Chriſti profert. Unde rectè dicit Ambroſius eſſe verba Chriſti, non ſacerdotis, qualia ſunt ea quæ ab eo ante conſecrationem ex propria perſona proferuntur, quibuſque Deum laudat, & orat pro populo, pro Regibus, & pro cæteris. Quod

Amplius declaratur ex lib. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 9. ubi ſic loquitur Ambroſius: *Si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret* (faciendo ut ferrum nataret) *quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur .... Sermo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare quod non erant? .... Hoc quod conficimus, corpus ex virgine eſt ... vera caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: verè ergo carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium* (à ſacerdote in perſona Chriſti factam) *alia ſpecies nominatur; poſt conſecrationem Corpus Chriſti* (præſens, per panis ſpeciem) *ſignificatur. Ipſe* (Chriſtus) *dicit ſanguinem ſuum: ante conſecrationem* (à ſacerdote factam per verba Chriſti) *aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur*, (& eſt ſub vini ſpecie.)

Gregorii Nazianzeni orat. 2. de Paſchate. *Inter ſermones de carne, præcipui ſunt illi Chriſti: Hoc eſt corpus meum; illiſque prolatis à ſacerdote, qui non credit eſſe verum corpus Chriſti, ſine dubio fidem derogat.* Juxta Nazianzenum igitur, per hæc Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, à ſacerdote prolata, panis in verum Chriſti corpus convertitur.

Gregorii Nyſſæni in orat. catechetica cap. 37. *Hic panis*, inquit, *ut ait Apoſtolus, per verbum Dei & orationem ſanctificatur; non quia comeditur, eo progrediens ut verbi corpus evadat, ſed ſtatim per verbum in corpus mutatur, ut dictum eſt à verbo* (per ſacerdotem conſecrantem) *Hoc eſt corpus meum.*

Chryſoſtomi in hom. 2. in 2. ad Tim. ubi ait: *Quemadmodum verba, quæ locutus eſt Chriſtus* (quando Euchariſtiam inſtituit & confecit) *eadem ſunt quæ ſacerdotes* (celebrantes) *nunc quoque pronuntiant* (ſuper panem & vinum,) *ita & oblatio eadem eſt:* (hoc eſt, ſicut Chriſtus in cœna ultima, dicendo) *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus*, ſe ipſum obtulit per converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum; ita nunc ſacerdotes eadem illa verba proferendo, eumdem Chriſtum offerunt, panem & vinum in corpus & ſanguinem ejus convertendo. Et in ſermone de proditione Judæ ita habet: *Hoc eſt*, *inquit* (Sacerdos) *Corpus meum. Hoc verbum propoſita* (panem ſcilicet) in alium *Rhytmum ſeu formam convertit* (hoc eſt, convertit in corpus Chriſti.)

Aug. ſerm. 28. de verbis Domini. *Memini*, inquit, *ſermonis mei, cùm de ſacramentis tractarem, dixi vobis quòd ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur*, (quia revera panis eſt:) *ubi Chriſti verba deprompta fuerint* (à ſacerdote celebrante) *non jam panis dicitur, ſed corpus appellatur*, (quia tunc revera non eſt ampliùs panis, ſed Corpus Chriſti, in quod panis tranſmutatus eſt; per verba ipſius Chriſti, hoc eſt, per verba illa, quæ ipſemet Chriſtus adhibuit, ad panem convertendum in corpus ſuum, id eſt, per verba illa: *Hoc eſt corpus meum.*)

Damaſceni lib. 4. orth. fidei cap. 14. ubi ait: *Dixit Deus: Hoc eſt Corpus meum, & Hic Sanguis meus, & Hoc facite in meam commemorationem: atque omnipotenti ipſius præcepto, donec ipſe veniat* (hoc eſt uſque ad mundi finem) hoc efficitur, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum tranſmutantur in corpus & ſanguinem Chriſti à ſacerdote per verba illa: *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus*; quæ Chriſtus juſſit ad mirabilem illam tranſmutationem adhiberi, donec ipſe veniat.

Paſchaſii Ratberti in lib. de corp. & ſang. Domini cap. 12. *Sic itaque*, inquit, *in hoc myſterio credendum eſt, quòd eadem virtute Spiritus ſancti, per verbum Chriſti, caro ipſius & ſanguis efficiatur inviſibili operatione.*

Authoris libri de cardinalibus operibus Chriſti, apud S. Cyprianum ſerm. de cœna Domini, ſic loquentis. *Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera ejus, ſummus Sacerdos* (Chriſtus) *panem profert & vinum*, Hoc eſt, *inquit*, Corpus meum. *Manducaverant* (Diſcipuli) *& biberant de eodem pane ſecundùm formam viſibilem, ſed ante verba illa, cibus ille communis, tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporali ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt*, Hoc facite in meam commemorationem:

Hæc

Hæc eſt caro mea, & Hic eſt ſanguis meus: *quotieſcumque his verbis* (à ſacerdote conſecrante repetitis) *& hac de fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens.*

Irænæi denique, quem 2. loco laudari oportuit, lib.5. cap.2. ubi ait: *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti.* Nam Irenæus per *verbum Dei* certo certiùs intelligit verba illa olim à Chriſto prolata. *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus*, quæ Sacerdos conſecrans, in perſona Chriſti ſuper panem & vinum profert; non verò preces, quas ante vel poſt verba illa fundit ſacerdos: non enim ſunt verba Dei, ſed hominis, ea ex propria perſona proferentis & orantis.

*Prob.*2. Ex Conc. Flor. in decreto §. *Tertium*, ubi hæc habet: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit ſacramentum: Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum: Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.* Verba autem illa Salvatoris quæ proferens ſacerdos in perſona Chriſti loquitur, & ſic loquendo Euchariſtiam conficit, panem & vinum convertendo in corpus & ſanguinem Chriſti, manifeſtè alia eſſe oon poſſunt, quàm illa: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, quibus Salvator ipſe conſecravit Euchariſtiam in ultima cœna, & quotidie conſecrat per os ſacerdotum, ea repetentium, non in ſua, ſed ipſius perſona.

Prob,3. Ex Conc. Trid. ſeſſ.13. cap.1. ubi docet, 1. Chriſtum Euchariſtiam inſtituiſſe, panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum convertendo, oon ſola voluntate, ſed per verba, quibus converſionem illam ac corporis & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini præſentiam ſignificavit. *Majores noſtri omnes*, inquit Synodus, *quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſſimo hoc ſacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt, hoc tam admirabile ſacramentum in ultima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe; cùm poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.*

2. Docet quænam ſint illa verba, quibus Chriſtus Euchariſtiam inſtituit & conſecravit, ſic proſequendo: *Quæ verba à ſanctis Evangeliſtis commemorata, & à divo Paulo poſtea repetita, cùm propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt; indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri.*

Unde ſic argumentor. Sacerdotes Euchariſtiam conſecrant eo ritu ſacramentali, quo Chriſtus voluit eam conſecrari, ſeu, quod idem eſt, quo Chriſtus inſtituit, ut conſecraretur. Atqui Chriſtus voluit Euchariſtiam conſecrari per hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ſignificativè prolata in ipſius perſona. Ergo ſacerdotes Euchariſtiam conſecrant, hæc verba *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ſignificativè proferendo in perſona Chriſti. Major per ſe patet. *Prob. min.* Chriſtus eo ritu Sacramentali Euchariſtiam à Sacerdotibus conſecrari voluit, quo ipſe conſecravit, & conſecrando eam inſtituit: non enim Chriſtus voluit alio ritu ipſe conſecrare, & alio à ſacerdotibus conſecrari; imò dicendo, *Hoc facite*, expreſsè juſſit Apoſtolis, & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut Euchariſtiam conſecrarent eodem illo ritu, quo eam conſecraverat & inſtituerat. Atqui Chriſtus Euchariſtiam conſecravit, & conſecrando inſtituit, ſignificativè proferendo hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ut apertè tradit Synodus Tridentina. Ergo, &c.

*Prob.*4. Ex praxi utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet, & Occidentalis. Nam 1. in Eccleſia Latina ſtatim atque verba illa Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, prolata ſunt, Sacerdos elevat hoſtiam, ut adoretur à populo. Similiter illis Chriſti verbis, *Hic eſt Sanguis meus*, prolatis, ſtatim elevatur calix, ut quod in eo continetur, à populo adoretur. 2. In Eccleſia Græca verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, alta voce proferuntur à ſacerdote, & populus ad utraque reſpondet, *Amen*. Rurſus verbis illis, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, prolatis, continuò Diaconus populo demonſtrat oblata. Ergo ea Eccleſiæ Latinæ fides eſt, quòd prolatis Chriſti verbis, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, panis in corpus Chriſti, & vinum in ejus ſanguinem ſint tranſmutata: hoc enim ſi non crederet, nec hoſtiam, nec contentum in calice adoranda populo ſtatim proponeret. *Similiter ea Eccleſiæ* Græcæ fides eſt, licèt moderni aliqui ejus Doctores contrarium ſentiant; ea, inquam, Eccleſiæ Græcæ fides eſt, quòd prolatis, &c. Nam alioqui nec Diaconus oblata adoranda ſtatim proponeret populo, nec populus ſtatim *Amen* diceret: hæc enim vox *Amen*, id quod modò dictum eſt, confirmantis eſt, & verum eſſe profitentis, ut

Demonſtrari poteſt ex S. Ambroſio lib. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 9. ubi ait: *Ipſe clamat Dominus Jeſus* (per ſacerdotem ſcilicet alta voce verba proferentem) *Hoc eſt Corpus meum, ante benedictionem verborum cœleſtium* (hoc eſt, ante verborum Chriſti, quibus panis benedicitur & conſecratur, prolationem) *alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur ... & tu dicis, Amen: hoc eſt; Verum eſt: quod os loquitur, mens interna fateatur: quod ſermo ſonat, affectus ſentiat ...* Et lib.4. de ſacram. cap.5. ubi ait: *Ergo non otioſè cùm accipis, tu dicis, Amen, jam in ſpiritu confitens, quòd accipias Corpus Chriſti. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti., & tu dicis, Amen, hoc eſt, Verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Cùm igitur olim in Eccleſia Latina, adeòque & in Græca, verbis Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, alta voce prolatis à ſacerdote, continuò reſpondebat populus, *Amen*, per hanc vocem *Amen* profitebatur ſe credere, id quod verba illa ſignificant, nempe præſentiam corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini.

Porrò dixi, Cùm olim in Eccleſia Latina, &c. Quòd enim non ſolùm in Eccleſia Græca, ſed etiam in Latina ab exordio naſcentis Eccleſiæ, ſaltem ad IV. uſque ſæculum incluſivè, Sacerdos conſecrans, verba illa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, alta voce proferret, ſatis videtur colligi poſſe ex Liturgia Græco-Latina S. Petri, & S. Ambroſio locis citatis. Sic autem habet Petri Liturgia:

Clara voce.

Accipite, comedite; hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur.

Deinde continuat ſecretò.

Similiter rurſum, poſtquam cœnatum erat, accipiens Calicem, & gratias agens, benedixit, dedit ſanctis ſuis diſcipulis, dicens:

Clara voce.

Bibite ex eo omnes: hic eſt Sanguis meus.

Populus. Amen.

Quando autem poſt ſæculum IV. Sacerdos conſecrans, verba illa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, cœperit ſubmiſſa voce proferre, definire non poſſumus; ſed ſolùm ex Liturgia Græco-Latina Gregorii Magni colligimus, ſexto ſæculo ad finem vergente morem verba conſecratoria ſecretò proferendi in Eccleſia Romana obtinuiſſe; Sic enim habet Liturgia illa:

Sacerdos ſecretò:

Te igitur clementiſſime, &c. Communicantes, & memoriam venerantes, &c. Hanc igitur oblationem, &c. Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c. Tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens.

Hoc

Hoc loco Sacerdos accepto ambabus manibus ſuis pane, ipſum attollit, ſurſum reſpiciens ad orientem, eumque toti populo oſtendens, ait ſecretò.

Accipite & manducate: Hoc eſt Corpus meum.

Simili modo poſtquam cœnatum eſt, &c. ut habemus nunc in Liturgia noſtra.

Elevans autem calicem, eodem modo quo panem ait:

Et quotieſcumque feceritis, &c. Sed ad majorem veritatis quam hic defendimus confirmationem, ſit adhuc contra Cabaſilam & ejus aſſeclas,

Responsio IV.

Verba illa, *Fac Domine panem iſtum Corpus Chriſti tui*, quæ in liturgiis græcis, poſt iſtorum, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, prolationem, à ſacerdote recitantur, nec requiruntur, nec ullatenùs conducunt ad conſecrationem.

Prob. 1. Verba iſta, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, conferunt ad conſecrationem, & ad eam ſufficiunt. Ergo verba illa, *Fac Domine panem iſtum Corpus Chriſti tui*, ad conſecrationem nec requiruntur nec conferunt. Conſeq. patet.

Prob. 1. pars ant. nempe quòd iſta verba, *Hoc eſt corpus meum, &c.* ad conſecrationem conferant. Verba illa conferunt ad conſecrationem, quæ à ſacerdote celebrante ex præcepto Chriſti proferuntur, & quidem ſignificativè, non verò narrativè tantùm. Atqui verba iſta, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ex præcepto Chriſti, ſignificativè pronunciantur à ſacerdote celebrante. Ergo, &c. Maj. per ſe patet, nec eam negaret Cabaſilas, qui negans verba iſta, *Hoc eſt corpus meum, &c.* conſecrationi conducere, ut conſequenter loquatur, aſſerit à ſacerdote celebrante, non ſignificativè, ſed narrativè tantùm proferri.

Prob. ergo min. ex Apoſt. 1. Corinth. cap. 11. ubi ait: *Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem* (accepit) *poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* Ex quibus verbis ſic argumentor. Chriſtus præcepit ſacerdotibus, ut in conſecranda Euchariſtia faciant id, quod ipſe fecit eam conſecrando, & inſtituendo, adeòque ut verba illa proferant, quæ ipſe tunc protulit, & eo modo proferant, quo ipſe protulit. Atqui Chriſtus Euchariſtiam conſecrando & inſtituendo, hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſignificativè pronuntiavit, ut fatetur Cabaſilas. Ergo Chriſtus ſacerdotibus præcepit, ut hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſignificativè pronuntient, quoties conſecrare volunt Euchariſtiam. Hinc in liturgis græcis, ſacerdos celebrans, verba illa alta voce pronuntiat, cùm alia quæ antecedunt, & ſubſequuntur, ſubmiſſa tantùm voce proferat.

Prob. 2. pars ant. nempe quòd verba iſta, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſufficiant ad conſecrationem. Verba illa ad conſecrationem ſufficiunt, quæ ſe ſolis, & præciſis aut etiam ſublatis quibuſcumque aliis, ſufficienter ſignificant effectum conſecrationis. Atqui verba iſta, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſe ſolis, & præciſis, &c. effectum conſecrationis ſufficientiſſimè ſignificant. Ergo, &c. Major per ſe patet. *Prob. min.* Effectus conſecrationis eſt realis præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini, quæ vi conſecrationis illius in Corpus Chriſti & Sanguinem ejus tranſmutantur. Atqui verba iſta, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſe ſolis ſufficientiſſimè ſignificant præſentiam corporis, &c. Ergo, &c. Major eſt de fide. Minor per ſe manifeſta eſt, & confirmatur ex eo quòd, ut Cabaſilas fatetur, Chriſtus Euchariſtiam conſecravit, illa tantùm verba proferendo, adeòque per illa verba ſola converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum ſufficienter ſignificando.

Prob. 2. Verba illa ad conſecrationem non requiruntur, nec ad eam conferunt, quæ in celebratione Miſſæ omitti poſſunt, ſalvo jure divino. Atqui verba iſta, *Fac Domine, panem hunc Corpus Chriſti tui* (ſubintellige ſemper & iſta, *& calicem hunc, pretioſum Sanguinem Chriſti tui*) in celebratione Miſſæ omitti poſſunt, ſalvo jure divino. Ergo falſum eſt, quod ad conſecrationem requirantur, & ad eam conferant. Major patet: nam verba quæ ad conſecrationem requiruntur, & ad eam conferunt, jure divino neceſſaria ſunt, adeòque ſalvo jure divino non poſſunt prætermitti.

Prob. min. 1. Quia verba iſta, *Fac Domine panem hunc, &c.* neque in Clementis, neque in Petri, neque in Baſilii, neque in Gregorii liturgiis inveniuntur, ſicut nec in liturgia, qua utitur Eccleſia Latina. Atqui aliquid ad conſecrationem jure divino neceſſarium, & præceptum, in liturgiis illis omnibus, & præſertim in ea, qua Eccleſia Latina utitur, omitti, & incredibile eſt, & evidenter falſum. Quod enim Latini ſacerdotes, liturgia ſua utentes, validè conſecrent, in dubium revocari non poteſt. Ergo, &c.

At inquit Cabaſilas. Verba iſta, *Fac Domine panem hunc, &c.* non inveniuntur in terminis in liturgia Petri, Gregorii, & ea, qua nunc ſacerdotes Latini utuntur; at in eis inveniuntur æquivalenter, ſeu in verbis æquivalentibus: nam v.g. in liturgia Gregorii, ſacerdos poſtquam dixit: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, &c.* ſic orat: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſupercœleſte altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, &c.* quæ verba, inquit Cabaſilas, ſignificant panem oblatum transferri per manus Chriſti, qui eſt magni conſilii Angelus, in ſupercœleſte altare, hoc eſt, ut ſit Corpus Chriſti.

R. Hanc non expoſitionem, ſed depravationem canonis Gregoriani & noſtri ſingularem eſſe, & unius Cabaſilæ nugantis: omnes enim intelligunt, ut per ſe manifeſtum eſt, verbis illis ſacerdotem orare, ut ſacrificium, quod offertur viſibiliter manibus ipſius, in cœlo inviſibiliter offeratur manibus Chriſti, *Ut quotquot*, ſicut habetur in citata liturgia, *ex hac altaris participatione ſacroſanctum* Chriſti *Corpus & Sanguinem* ſumpſerint, *omni benedictione cæleſti & gratia* repleantur *per eumdem Chriſtum, &c.*

Prob. min. 2. Verba illa ſalvo jure divino omitti poſſunt in celebratione Miſſæ, quæ Chriſtus ipſe nec dixit, nec dici juſſit. Atqui verba iſta, *Fac Domine panem hunc, &c.* Chriſtus nec dixit, nec dici juſſit. Ergo, &c. Major per ſe patet; verba enim, quæ Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo & conſecrando, nec dixit, nec dici juſſit, ad Euchariſtiæ conſecrationem, jure divino neceſſaria eſſe non poſſunt.

Prob. ergo min. Nam 1. quòd Chriſtus verba illa dixerit, neque ex Scriptura, neque ex traditione vel leviter ſuſpicari poſſumus: nihil enim hìc pro Cabaſila inferri poteſt ex eo, quòd verba illa ſint in aliquibus liturgiis: nam in liturgiis non omnia deprompta ſunt ex verbis Chriſti, ſed multa ab aliis addita ſunt, atque inprimis preces illæ, quibus orat ſacerdos ex propria perſona ante & poſt prolationem verborum Domini: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.*

Nec dic quòd ſcriptores ſacri aſſerant, Chriſtum benedixiſſe panem: nam vel Chriſtus panem benedixit per hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ut aſſerit Catechiſmus Romanus tit. de Euchariſtiæ ſacramento; vel ſi Chriſtus verbis aliis benedixit panem, certè nullo modo dici poteſt eum benedixiſſe verbis iſtis, *Fac panem hunc, &c.* quæ non ſunt verba benedictionis, ſicut nec gratiarum actionis, ſed petitionis cujuſdam.

2. Quòd Chriſtus verba illa dici non juſſerit, ex modò dictis manifeſtè ſequitur: Chriſtus enim ſacerdotibus

dotibus conſecraturis juſſit tantùm, ut proferrent verba, quæ ipſe proferebat inſtituendo & conſecrando Euchariſtiam. Breviter, ex Apoſtol. 1. Corinth. cap. 11. verbis ſupra laudatis ſatis evidenter habemus hæc duo: 1. ſcilicet Chriſtum inſtituendo Euchariſtiam, hæc tantùm verba pronuntiaſſe, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*. 2. Sacerdotibus celebraturis tantùm juſſiſſe, ut eadem illa verba pronunciarent.

Confirmatur reſponſio 1. ſic. Conſecratio Euchariſtiæ fit per verba quæ proferuntur à ſacerdote in perſona Chriſti, ut docet Florent. hoc eſt, quæ profert ſacerdos, non ut ſuppoſitum à Chriſto diſtinctum, ſed ut ipſam Chriſti perſonam induens. Atqui ſacerdos ſic profert illa tantùm verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*: iſta verò, *Fac panem hunc, &c.* pronuntiat in propria perſona, & ut ſuppoſitum diſtinctum à Chriſto, cujus miniſter eſt. Ergo, &c. 2. Conſecratio certiſſima eſſe debet & eſt, etiamſi à malo miniſtro fiat. Ergo temerè & falsò dicitur fieri per preces, quibus divinam promiſſionem adnexam eſſe, nec conſtat, nec conſtare poteſt. Hoc ipſo enim nec conſtat, nec conſtare poteſt, preces illas ſemper & infallibiliter impetratorias eſſe, & effectum ſuum ſortiri, maximè cùm à malo miniſtro fiunt. Atqui nec conſtat, nec conſtare poteſt, verbis illis, *Fac Domine panem hunc, &c.* adnexam eſſe promiſſionem divinam: nam talis promiſſionis, verbis illis à Deo factæ, nullum planè extat veſtigium, ſive in Scriptura, ſive in traditione. Fruſtra autem Cabaſilas recurrit ad ſacramentum Extremæ-unctionis, pro cujus forma deprecatoria promiſſionem Dei apud Jacobum cap. ultimo diſertis verbis expreſſam habemus. Ergo, &c.

ARTICULUS III.

Solvitur difficultas petita ex Liturgiis.

ANtequam proponatur hæc difficultas, ad pleniorem illius intelligentiam & ſolutionem operæ pretium eſt, hic ex variis liturgiis, quæ nominibus S. Clementis, S. Jacobi, S. Marci, S. Baſilii, S. Chryſoſtomi, S. Petri, & S. Gregorii circumferuntur, ea, quæ ad rem pertinent, ſummatim exſcribere.

Ex Liturgia S. Clementis.

Lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 12. *Sacerdos dicit*: In qua enim nocte tradebatur, cùm accepiſſet panem ſanctis & ab omni labe puris manibus ſuis, ſuſtuliſſetque oculos ad te Deum ſuum ac Patrem, ac fregiſſet, dedit diſcipulis ſuis, dicens, Hoc eſt myſterium novi teſtamenti: accipite ex eo, comedite: Hoc eſt Corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem, poſtquam miſcuit ex vino & aqua, & ſanctificavit, dedit eiſdem, dicens: Bibite ex eo omnes: Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationem ....

Quare memores paſſionis ejus, & mortis, ejuſque reſurrectionis à mortuis, & reditus in cœlum .... offerimus tibi Regi & Deo, ſicut ipſe conſtituit, panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum ... ac te precamur, ut in hæc munera coram te propoſita benevolè aſpicias ... & mittas ſuper hoc ſacrificium, ſanctum tuum Spiritum ... ut oſtendas panem hunc Corpus Chriſti tui, & calicem hunc Sanguinem Chriſti tui: ut qui eum participarint, ad pietatem firmentur, &c.

Ex Liturgia S. Jacobi.

Sacerdos panem manibus accipiens, dicit: Accipiens panem in ſanctas, immaculatas, inculpabiles & immortales manus ſuas .... *Deinde exclamat*: Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum. *Populus*. Amen.

Deinde accipit calicem, & dicit: Similiter poſtquam cœnavit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino & aqua, & aſpiciens in cœlum, ac oſtendens tibi Deo Patri gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens Spiritu ſancto, dedit ſanctis ac beatis diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum. *Populus*. Amen. *Nota*. Sacerdos ſubmiſſa voce dicit: Similiter poſtquam, &c. uſque ad hanc vocem, dicens; tum elata voce proſequitur: Bibite ex hoc, &c.

Sacerdos. Hoc facite in meam commemorationem ...... *Deinde inclinata cervice dicit*: Dominum vivificum ..... ipſum Spiritum tuum ſanctiſſimum dimitte nunc quoque Domine in nos, & in hæc dona ſancta propoſita. *Et erigens ſe exclamat*: Ut ſuperveniens, ſancta & bona & glorioſa ſua præſentia ſanctificet, & efficiat hunc panem Corpus ſanctum Chriſti tui. *Populus*. Amen. *Sacerdos*. Et calicem hunc, pretioſum Sanguinem Chriſti tui. *Populus*. Amen. *Sacerdos apud ſe ſtans*. Ut ſit omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam, &c.

Ex Litturgia S. Marci.

Sacerdos myſteria ſancta ſignaculo crucis ſignat, dicens: Dominus & Deus, & ſummus Rex noſter Jeſus Chriſtus, nocte qua tradebat ſeipſum pro peccatis noſtris ... accepit panem .... gratias egit, benedixit, ſanctificavit, fregit, deditque ſanctis & beatis Diſcipulis & Apoſtolis, dicens, (*elata voce*) Accipite, comedite. *Diaconus*. Attendite. *Sacerdos elata voce*: Hoc enim eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur, & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum. *Populus*. Amen.

Sacerdos autem orans ait: Similiter & calicem poſtquam cœnavit accipiens, factaque vini & aquæ commixtione, ſuſpiciens in cœlum ... gratias egit, benedixit, ſanctificavit, implevit Spiritu ſancto, & tradidit ſanctis & beatis diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens, (*elata voce*) Bibite ex eo omnes. *Diaconus*: Denuò attendite. *Sacerdos elata voce pergit*: Hic eſt enim Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum. *Populus*. Amen.

Sacerdos ſic orare pergit (ſubmiſſa ſcilicet voce) Hoc facite in meam commemorationem .... Domine Deus noſter, quæ tua ſunt, de tuis bonis hæc propoſuimus coram te ..... emitte præterea ſuper nos, & ſuper panes iſtos & calices iſtos Spiritum ſanctum tuum, ut eos ſanctificet & conſecret, tanquam Deus omnipotens (*elata voce*) & faciat panem quidem Corpus. *Populus*. Amen. *Sacerdos elata voce*: Calicem autem Sanguinem novi teſtamenti, ipſius Domini & Dei & Servatoris, & ſummi Regis noſtri Jeſu Chriſti. *Diaconus*: Deſcendite diaconi. *Sacerdos elata voce*: Ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in ſobrietatem, in medelam, in temperantiam, in ſanctificationem in renovationem animæ, &c.

Ex Liturgia S. Baſilii.

Sacerdos caput inclinat, & dexteram ſuam reverenter extollens, benedicit ſanctum panem, alta voce dicens: Dedit ſanctis diſcipulis & Apoſtolis, dicens: Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum. *Chorus canit*: Amen. *Sacerdos ſecretè*: Similiter & cùm calicem ex genimine vitis accepiſſet, miſcuiſſet, grates egiſſet, benedixiſſet & ſanctificaſſet, (*alta voce*) dedit ſanctis diſcipulis & Apoſtolis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum. *Chorus canit*: Amen.

Sacerdos inclinato capite orat ſecretè: Hoc facite in meam commemorationem ..... *Alta voce ſacerdos*: Tua ex tuis tibi offerentes in omnibus & per omnia, *Chorus canit*: Te rogamus ... *Sacerdos inclinato capite orat ſecretè*: Propterea ſanctiſſime Domine .... confitentes, ſancto altari tuo appropinquamus, & proponentes *ἀντίτυπα* ſancti Corporis & Sanguinis Chriſti tui; te rogamus ... ut ſpiritus ſanctus tuus ad nos veniat, & ad hæc dona propoſita, & ea benedicat,

& ſan-

& ſanctificet, & efficiat. *Deinde diaconus ... dicit ſecretè:* Benedic Domine ſanctum panem. *Et ſacerdos ſurgens ſancta dona ter ſignans, dicens ſecretè:* Panem hunc ipſum pretioſum Corpus Domini. *Diaconus* Amen. *Et rurſus diaconus:* Benedic Domine ſanctum calicem. *Sacerdos autem benedicens dicit:* Hunc verò calicem, ipſum pretioſum Sanguinem Domini; *Diaconus:* Amen. *Sacerdos:* qui pro mundi vita effuſus eſt. *Diaconus:* Amen. *Rurſus diaconus ...* Benedic Domine; *Sacerdos ...* mutans Spiritu tuo ſancto. *Diaconus:* Amen *ter.*

Ex Liturgia S. Chryſoſtomi.

Orat ſacerdos ſecretè: Cum his etiam nos ...., nocte, qua tradebatur, accepto pane ... cùm gratias egiſſet ... dedit ſanctis ſuis diſcipulis & Apoſtolis, dicens: *ſacerdos inclinat caput, & dexteram ſuam attollens, benedicit ſanctum panem, alta voce dicens:* Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum. *Chorus:* Amen.

Diaconus autem tangens ſuum Orarium, oſtendit (populo) *unà cum ſacerdote, ipſe quoque ſanctam patinam, ſimiliter etiam cum ſancto calice, itidem etiam quando ſacerdos alta voce dicit:* Tua ex tuis.

Sacerdos ſecretè: Similiter etiam calicem, poſtquam cœnavit, dicens, *alta voce ſacerdos manum ſupra reverenter tenens, & benedicens dicit:* Bibite ex eo omnes, Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum. *Chorus:* Amen.

Sacerdos inclinato capite orat ſecretè: Recordantes ergo ſalutaris hujus mandati ... (*alta voce*) Tua ex tuis tibi offerimus per omnia & in omnibus. *Chorus:* Te laudamus, &c. *Sacerdos rurſus orat ſecretè ...* Dimitte Spiritum tuum ſanctum in nos, & in hæc dona propoſita.

Deinde Diaconus ... dicit ſecretè: Benedic Domine ſanctum panem; *& ſurgens ſacerdos ter ſignat ſancta dona, dicens ſecretò:* Fac panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui. *Diaconus:* Amen. *Et rurſus diaconus:* Benedic Domine ſanctum calicem. *Sacerdos benedicens dicit:* Quod autem eſt in hoc calice, pretioſum Sanguinem Chriſti tui. *Diaconus,* Amen.

Et rurſus diaconus oſtendens utraque ſimul ſancta cum Orario, dicit: Benedic Domine. *Sacerdos autem utraque ſancta manu benedicens, dicit:* Mutans Spiritu tuo ſancto. *Diaconus:* Amen, Amen, Amen, *Sacerdos autem orat ſecretò:* Ut ſit iis, qui participant, ad emundationem animæ, ad remiſſionem peccatorum, &c.

Ex Liturgia S. Petri.

Sacerdos ſubmiſſa voce dicit: Qui pridie ejus diei, qua paſſus eſt, accipiens panem in ſanctas & immaculatas manus ſuas, oculoſque in cœlum levans ad te Deum & Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis, dicens (*clara voce*) Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur. *Deinde continuat ſecretò:* Similiter rurſum, poſtquam cœnatum erat, accipiens calicem, & gratias agens, benedixit, dedit ſanctis ſuis diſcipulis dicens: (*clara voce*) Bibite ex eo omnes, Hic eſt Sanguis meus. *Populus,* Amen.

Sacerdos orans addit: Et quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facite. Unde recordantes Domine, nos ſervi tui .... *clara voce:* tua ex tuis tibi offerimus per, &c. *Populus:* Te laudamus, &c.

Sacerdos adprecatur (ſubmiſſa ſcilicet voce) Tua ex tuis offerimus .... ſupplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc adminiſtrari per manum ſancti Angeli tui in illud ſublime altare tuum coram divina Majeſtate tua; ut qui ex hoc altari portionem faciam Corporis Filii tui, ſive Sanguinis ſumpſerimus, omni cœleſti benedictione & gratia repleamur, &c.

Ex Liturgia S. Gregorii.

Sacerdos dicit ſecretò: Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c. ut in noſtro canone, deditque diſcipulis ſuis, dicens: *Hoc loco ſacerdos accepto ambabus manibus ſuis pane, ipſum attollit ſurſum reſpiciens ad orientem, tumque toti populo oſtendens, ait ſecreto:* Accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum. Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens, &c. ut in noſtro canone; benedixit deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, Hic eſt enim calix Sanguinis mei, &c. ut in noſtro canone.

Elevans autem calicem eodem modo quo panem, ait: Et quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis. Unde & memores Domine, nos ſervi tui, &c. ut in noſtro canone. Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſupercœleſte altare tuum, &c. ut in noſtro canone. His autem præmiſſis,

Proponitur difficultas in hunc modum: In Liturgia Clementis, Jacobi, Marci, Baſilii, & Chryſoſtomi, ſacerdos verbis illis, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus,* prolatis, fundit preces, quibus à Deo petit, ut panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti ſui, virtute Spiritus ſancti convertat. Ergo per has preces, non verò per verba illa, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus,* panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti converſio perficitur. Ergo verba conſecratoria, ad conficiendam Euchariſtiam neceſſaria, non ſunt illa, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Quæ proinde non ſignificanvè, ſed tantùm narrativè pronuntiantur à ſacerdote celebrante.

R. Per preces illas, de quibus loquitur objectio, & quæ in præfatis Liturgiis poſt verborum illorum, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus,* prolationem, à ſacerdote celebrante recitantur, non peti à Deo, ut panis & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutentur, ſed ut Corpus & Sanguis Chriſti, in quæ panis & vinum per verba illa, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus,* à ſacerdote in perſona Chriſti ſignificativè prolata, tranſmutata ſunt, ad animarum ſalutem proſint iis qui ſunt communicaturi.

Itaque in liturgia Chryſoſtomi, verba illa ſacerdotis, *Fac panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui ... quod autem eſt in hoc calice, pretioſum Sanguinem Chriſti ... mutans Spiritu tuo ſancto .. ut ſit iis qui participant, ad emendationem animæ, &c.* unam orationem faciunt, quamvis interruptam per voces aliquas intercalares; & ſenſus eorum hic eſt: Fac ut panis hic, qui eſt pretioſum Corpus Chriſti tui .. & contentum in hoc calice, quod eſt pretioſus Sanguis Chriſti tui .. panis & vini converſione, Spiritus tui ſancti virtute à te facta .. ſit iis, qui participaturi ſunt, ad emendationem animæ, &c. vel, quod eodem redit, ſic verba illa interpretari poſſumus: Fac panem hunc nobis eſſe pretioſum Corpus Chriſti tui .. & quod eſt in hoc calice, nobis eſſe pretioſum Sanguinem Chriſti tui ... virtute Spiritus tui ſancti .. ut hoc ſacramentum ſit iis, qui participaturi ſunt, in emundationem animæ, &c.

At inquies. Quòd alius ſit verborum illorum ſenſus, & per illa petatur panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutatio, manifeſtum videtur ex verbis, quæ eis in liturgia Jacobi, Marci, & Baſilii correſpondent, & quibus disertè oratur, ut Spiritus ſanctus panem & vinum benedicat, & ſanctificet, & conſecret, & efficiat Corpus & Sanguinem Chriſti.

R. Neg. Nam ſacerdos in liturgia Jacobi, Marci, & Baſilii non orat, ut Spiritus ſanctus efficiat ſimpliciter, ſed ut efficiat nobis, &c. Demitte, inquit, nunc quoque Domine, Spiritum tuum ſanctum in nos, & in hæc dona ſancta propoſita, ut ſuperveniens ſua præſentia benedicat, ſanctificet, conſecret, & efficiat (nobis) panem hunc Corpus Chriſti .. & calicem hunc Sanguinem Chriſti, ut ſint omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum, &c. vel, ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, &c.

Similem planè orationem, non quidem poſt, ſed ante conſecrationem, fundit ſacerdos in noſtro canone, cùm dicit: *Quam oblationem Deus in omnibus, quæ-*

ſumus,

ſumus, benedictam aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Magnum tamen, quod hic obſervandum eſt, diſcrimen eſt inter orationem noſtram & Græcam: nam in oratione noſtra, quia ante conſecrationem dicitur; cùm ſacerdos dicit, *Quam oblationem tu Deus, &c.* vox, oblatio, ſupponit pro pane & vino conſecrandis. At in oratione Græca, quia poſt conſecrationem fit, cùm ſacerdos dicit, *Spiritum tuum ſanctum dimitte nunc quoque Domine, in nos, & in hæc ſancta dona propoſita*; vox, dona ſupponit pro Corpore & Sanguine Chriſti, in quæ panis & vinum jam ſunt tranſmutata per conſecrationem: unde cùm ſubjicit ſacerdos: *Ut ſuperveniens efficiat hunc panem Corpus ſanctum Chriſti tui, & calicem hunc pretioſum Sanguinem Chriſti tui*; voces hæ, panis & calix, ſupponunt pro Corpore & Sanguine Chriſti: quare verbis illis ſacerdos aliud non petit, quàm ut Corpus Chriſti, quod panem nominat, & ejus Sanguis, quem intelligit nomine calicis, nobis fiant cibus & potus, quibus animæ noſtræ reficiantur, & nutriantur, hoc eſt, ut Corporis & Sanguinis Chriſti ſumptio proſit ad ſalutem, iis omnibus, qui communicaturi ſunt; ita ut omnes ſacramentum hoc dignè ſuſcipientes, ſalutarem illius effectum abundè percipiant.

At inquies iterùm. Contra allatam expoſitionem apertè videtur reclamare textus liturgiarum Baſilii & Chryſoſtomi: nam ſacerdos dicit in liturgia Chryſoſtomi: *Fac panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui .. quod autem eſt in hoc calice, pretioſum Sanguinem Chriſti tui . . . mutans Spiritu tuo ſancto*, panem ſcilicet in Corpus Chriſti, & vinum in Sanguinem ejus. Ergo ſacerdos petit ſimpliciter panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutationem.

R. Latinum interpretem male reddidiſſe, per to mutans, verbum græcum μεταβαλών: verbum enim hoc hic eſt præteriti temporis, & ſic reddendum fuit: Qui mutaſti Spiritu tuo ſancto, panis ſcilicet & vini ſubſtantiam, in Corporis & Sanguinis Chriſti ſubſtantiam. Hic igitur perinde eſt, ac ſi ſacerdos diceret: Domine, qui Spiritus tui ſancti virtute, panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti tui tranſmutaſti, fac ut in noſtram utilitatem cedat tranſmutatio illa, utque ita hoc Corpus Chriſti tui, & hic Sanguis ejus ſiat iis qui illa participaturi ſunt, ad emundationem animæ, ad remiſſionem peccatorum, &c.

Expoſitionis & reſponſionis noſtræ bonitas confirmari poteſt, 1. Ex ipſiſmet liturgiis quæ nobis objiciuntur, in quibus omnibus ſacerdos hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, clara & alta voce pronuntiat, populo reſpondente, *Amen*. Hoc eſt, ut ex Ambroſio demonſtratum eſt, populo reſpondente: Verum eſt, ita credimus. At quid tunc populus profitetur ſe credere? Certè quod verba illa, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis, meus*, enunciant & ſignificant. Quid autem verba illa ſignificant & enunciant? Proculdubio, præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. Sed de hoc jam ſupra.

2. Ex ipſo Cabaſila, docente orationi huic Græcarum liturgiarum, in liturgia Latina reſpondere iſtam: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, &c.* Atqui, ut omnes, uno Cabaſila excepto, intelligunt, ſacerdos Latinus non petit, ut fiat panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, converſio, ſed tantùm ut converſio illa jam facta, proſit ad ſalutem animæ omnibus qui de ſacrificio participaturi ſunt, ut manifeſtum eſt ex verbis ſubſequentibus: ſic enim continuò proſequitur ſacerdos Latinus: *Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur, &c.* Ergo ſimiliter ſacerdos Græcus, cum dicit; *Demitte ſpiritum tuum, &c. ut efficiat, &c.* vel, *Fac panem hunc, &c.* petit tantùm, ut converſio panis & vini, in Corpus & Sanguinem Chriſti, jam prius facta, cedat in ſpirituale bonum eorum, qui communicaturi ſunt.

3. Ex confeſſione Græcorum, qui Concilio Florentino interfuerunt, & ut refert Bellarminus lib. 4. de Sacramento Euchariſtiæ c. 19. interrogati à ſummo Pontifice Eugenio IV. cur poſt verborum Chriſti: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, prolationem, preces illas dicerent, quibus conſecratio peti videtur; reſponderunt ſe non dubitare, quin fiat conſecratio à ſacerdote, cùm Chriſti verba pronuntiat; preces verò illas addi, ad petendum à Deo; ut ſacrificium proſit nobis, eo modo, quo Latini ipſi petunt per orationem illam, *Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, &c.* Hanc tamen Græcorum reſponſionem non habet in terminis Summa Conciliorum, ſed ſolùm, quod eſt æquivalens, Mitylenenſem Antiſtitem pro ſe & ſui contribulibus ſuper hac re ſummo Pontifici ſatisfeciſſe.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones reliquæ.

OBjicies. S. Dionyſium lib. de eccleſiaſtica hierarchia cap. 3. part. 3. ubi ritum celebrandi Miſſam deſcribens, ſic ait: *Dei Pontifex in Dei altari laudas ſancta divinaque Jeſu, quæ diximus opera ..... Poſtea verò quàm ea ornavit laudibus ... ad eorumdem ſacrificium, quod ſignis continetur, venit, atque id quo à Deo proditum eſt modo, facit. Itaque religiosè ſimul, & ut Pontificem decet, poſt ſacras divinorum operum laudes, de ſacrificio, quod ipſius dignitatem ſuperat, ſe purgat, dum primò ad eum clamat: Tu dixiſti:* Hoc facite in meam commemorationem, *Deinde cum rogavit, ut hoc quod Deum imitatur ſacrificio dignus ſit ... & ii, qui Sacramentis participaturi ſunt, digne ſumant; perficit ea, quæ maximè divina ſunt, laudataque oculis ſubjicit per ſigna, quæ ſanctè propoſita ſunt.*

Ecce, juxta Dionyſium, ſacerdos priuſquam conſecret, dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*; quæ verba in omnibus liturgiis non recitantur à ſacerdote, niſi poſtquam hæc alia Chriſti verba recitavit, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*; quibus proinde, juxta Dionyſium, conſecratio non perficitur; unde ſupereſt, ut juxta eumdem perficiatur per preces illas, quæ poſtea dicuntur, & quibus à Deo petitur, ut panis & vinum convertatur in corpus & ſanguinem Chriſti.

R. Noſtrum eſſe Dionyſium; nam hæc verba Chriſti, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ in omnibus aliis liturgiis quæ nunc extant, poſteriora ſunt illis Chriſti verbis, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, in Liturgia Dionyſii priora fuerunt. Ratio eſt, quia in Liturgia Dionyſii ea proferebat Sacerdos ut ſe excuſaret, quod conſecrandi munus auderet aggredi; quod proculdubio faciebat, & faciendum erat, antequam proferret verba conſecratoria. At in omnibus aliis liturgiis, quæ nunc extant, narrativè tantùm & hiſtoricè dicuntur à ſacerdote, qui proinde ea recitat poſt verba illa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, quia eodem ordine à Chriſto Domino, cùm Euchariſtiam inſtitueret, dicta fuerunt, ut narrat Apoſtolus 1. Cor. cap. 11. verbis jam relatis.

Itaque in Liturgia Dionyſii, Sacerdos primò laudabat ſancta divinaque opera, quæ Chriſtus ſalutis generis noſtri cauſa perfecerat. 2. Sacrificium offerendi munus, dignitatem ſuam ſuperare confitebatur, & quod illud aggredi auderet, ſe purgabat, allegando præceptum ipſius Chriſti, verbis illis expreſſum, *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus jubet Sacerdotibus, ut Sacrificium offerant. 3. Rogabat Deum, ut ſe dignum efficeret tanto munere,

nere,

mere, & ut ii qui ſacramento participaturi erant, dignè illud ſumerent. 4. Proferebat verba conſecratoria, *Hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus.* 5. Corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini adoranda populo oſtendebat, &c.

Obj. 2. Sanctum Baſilium, qui in ſua Liturgia poſt verborum illorum, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, prolationem à ſacerdote clara voce factam, oblata vocat *ἀντίτυπα* corporis & ſanguinis Chriſti, hoc eſt, figuras & imagines corporis & ſanguinis Chriſti; & paulò inferiùs orat, ut Spiritus ſanctus adveniat, hæc oblata benedicat, ſanctificet, & efficiat corpus & ſanguinem Chriſti. Baſilius igitur in ea fuit ſententia, quòd verbis illis, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, à ſacerdote prolatis, nondùm facta eſſet conſecratio, adeòque illam fieri cenſuit per preces illas, quæ poſtea dicuntur, quibuſque petitur, ut panis & vinum corpus & ſanguis Chriſti fiant.

R. S. Baſilium *ἀντίτυπα* corporis & ſanguinis Chriſti vocare, non panem & vinum, ſed ipſummet Corpus & Sanguinem Chriſti, latentia ſub ſpeciebus panis & vini: neque hoc ſingulare eſt Baſilio; nam Patres alii, tam Latini, quàm Græci, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Arcudium lib. de Euch. cap. 34. Euchariſtiam nominant ſymbolum, imaginem, figuram, ſignum, typum, antitypum Corporis & Sanguinis Chriſti. Porrò, quod hic obſervare juvat, Baſilius non typum ſimpliciter, ſed antitypum vocat Euchariſtiam. Pro quo

Nota. Figuram præciſè ſignificat typus; antitypus verò non figuram præciſè, ſeu non figuram qualemcumque ſignificat, ſed figuram æqualem, planè ſimilem, quæ è regione reſpondet exemplari, illudque ita ad vivum repræſentat, ut cum illo de forma certare videatur: unde *ἀντίτυπος* idem eſt, ac *ἰσότυπος*. Juxta Baſilium igitur, dona propoſita, poſt conſecrationem, quæ fit per verba illa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, à ſacerdote in perſona Chriſti prolata, ſunt antitypa Corporis & Sanguinis Chriſti, hoc eſt, figuræ & imagines exemplari ſuo æquales, ita ut quoad ſubſtantiam ab illo non differant, ſed ſolùm quoad modum aliquem ſe habendi accidentarium.

At inquies. Manifeſtè repugnat Euchariſtiam eſſe figuram Corporis & Sanguinis Chriſti. Ergo perperam dicitur Baſilius dona propoſita, vocare antitypa Corporis & Sanguinis Chriſti, poſtquam facta eſt conſecratio. Nego ant. *Probabis.* Non poteſt res aliqua eſſe ſui ipſius figura. Ergo cùm Euchariſtia ſit Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, non poteſt eſſe figura Corporis & Sanguinis Chriſti.

R. Non poſſe quidem rem aliquam eſſe ſui ipſius figuram ſub eadem ratione: unde Euchariſtia non poteſt eſſe figura Corporis & Sanguinis Chriſti, ut ſunt ſub ſpeciebus panis & vini; ſive, quod idem eſt, Chriſtus, ut eſt in Euchariſtia, non poteſt eſſe figura ſui ipſius, ut eſt in Euchariſtia. At nil obſtat, quominùs res eadem, ſub una ratione conſiderata, ſit figura ſui ipſius, ſub alia ratione conſideratæ, ut luculenter exemplo demonſtrat Bellarminus l. 2. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 15. *Si rex aliquis*, inquit, *graviſſimo bello confecto, idem ipſum bellum ad oblectandum populo in ſcena repræſentari vellet, & ipſe idem, qui verè pugnaverat, in ſcena ſe ipſum repræſentaret, eſſet ipſe verè antitypon ſui ipſius.*

Quin imò, ut idem Bellarminus ibidem obſervat, non ſemel Chriſtus ipſe ſub una ratione, dum viveret, fuit figura ſui ipſius ſub alia ratione. Sic cùm in monte coram Prophetis & Apoſtolis transfiguratus eſt, fuit figura ſui ipſius, ut in cœleſti gloria ab omnibus veteris & novi Teſtamenti ſanctis videndi. Item cùm duodennis tribus diebus latuit, & tandem die tertia inventus eſt in templo, figura fuit ſui ipſius, ut triduò abſcondendi in ſepulchro, & tandem tertia die reſurrecturi, ut notat Sanctus Ambroſius in cap. 2. Lucæ *Poſt triduum*, inquit, *reperitur in templo; ut eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis, in ſede cœleſti & honore divino fidei noſtræ ſe ſuſcitatus offerret, qui mortuus credebatur.*

Similiter Chriſtus, ut eſt in Euchariſtia, eſt antitypon ſui ipſius, ut fuit in paſſione; & ad hoc Euchariſtiam inſtituit, ut in ea eſſet antitypon ſui ipſius, ut fuit in cruce, ut patet ex his verbis, quibus apud Apoſtolum 1. Cor. cap. 11. Apoſtolis, & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus præcipit, ut Euchariſtiam conſecrent: *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, hoc facite, ut memoriam paſſionis & mortis meæ recolatis, vel, quod idem eſt, ut paſſionem & mortem meam repræſentetis: unde in canone Miſſæ dicitur, poſt panis & vini conſecrationem: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, hoc eſt, memoriam paſſionis & mortis meæ recoletis, paſſionem & mortem meam repræſentabitis; & ideò continuò additur: *Unde & memores paſſionis, &c.*

Quamobrem ſic inſtituit Euchariſtiam Chriſtus, ut nil planè deſit ad hoc, ut poſſit eſſe in ea, & ſit figura & imago ſui ipſius, ut fuit in cruce. In cruce corpus ejus fuit immolatum, & occiſum, atque à toto ejus ſanguine ſeparatum; in Euchariſtia corpus ejus eſt modo mortuo, & quantum eſt ex vi verborum conſecrationis, imò & quantum eſt ad ſpecies panis & vini, quæ remanent, & ſeparatim exiſtunt, ſeparatum à toto ejus ſanguine. Eſt igitur abſolutiſſima quædam ſimilitudo inter Chriſtum, ut eſt in Euchariſtia, & Chriſtum, ut fuit in cruce; ſive, quod idem eſt, inter corpus & ſanguinem Chriſti, ut ſunt in Euchariſtia, & corpus & ſanguinem Chriſti, ut fuerunt in paſſione; ſive, quod etiam idem eſt, inter Euchariſtiam & Chriſtum, ut fuit in cruce, inter Euchariſtiam & corpus ac ſanguinem Chriſti, ut fuerunt in paſſione.

Euchariſtia igitur verè ac propriè eſt figura Chriſti, ut fuit in cruce; eſt figura corporis & ſanguinis Chriſti, ut fuerunt in paſſione; & quia Euchariſtia ipſum exemplar, cujus eſt figura, totum continet quoad ſubſtantiam, nec ab eo differt, niſi quoad modum ſe habendi, eumque accidentarium; continet enim totum Chriſtum, qui fuit in cruce, ſed velatum ſub ſpeciebus panis & vini, quo modo non fuit in cruce; non eſt qualiscumque figura Chriſti, ut in cruce fuit, vel, ſi vis, corporis & ſanguinis Chriſti, ut in paſſione fuerunt, ſed figura æqualis exemplari. Euchariſtia igitur verè ac propriè dici poteſt, & eſt antitypon & iſotypon Chriſti, ut in cruce fuit, antitypon & iſotypon corporis & ſanguinis Chriſti, ut in paſſione fuerunt.

Ex his apparet, perperam à nobis dictum non eſſe, quòd Baſilius in ſua liturgia, non ante, ſed poſt conſecrationem dona propoſita vocet antitypon corporis & ſanguinis Chriſti: nam peracta conſecratione, ſunt Euchariſtia; adeòque verè dici poſſunt antitypa & iſotypa corporis & ſanguinis Chriſti, ſupple, ut in paſſione fuerunt: at ante conſecrationem ſunt tantùm panis & vinum. Panis autem & vinum quantumlibet ſacrificio deſtinata, corporis & ſanguinis Chriſti antitypa & iſotypa verè dici non poſſunt, ut per ſe manifeſtum eſt: imò nequidem dici poſſunt ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, ſive ut fuerunt in paſſione, ſive ut ſunt in Euchariſtia.

1. Enim non ſunt ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, ut fuerunt in paſſione, ut per ſe patet. 2. Non ſunt ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, ut ſunt in Euchariſtia: nam ſi ſunt, vel ſunt ex natura rei; at hoc non, quia ex eo quod quandam habeant analogiam cum corpore & ſanguine Chriſti, ut ſunt in Euchariſtia, quatenùs ex natura ſua ordinantur ad reficiendum corpus, & Euchariſtia ex inſtitutione ſua ordinatur ad reficiendam animam, inde ſequitur tantùm, quòd aſſumi potuerint, ut eſſent ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, ut ſunt in Euchariſtia. Vel ſunt ex inſtitutione divina; at hoc non, quia ad id Chriſtus illa non aſſumpſit in lege nova, ſicut in lege naturæ ſacrificium Melchiſedechis, & in lege Moſaica agnum paſchalem Deus aſſumpſerat.

Eſt

Eſt igitur prorſus improbabile, & incredibile, quòd Baſilius, qui tantus Doctor fuit, dona propoſita nondùm conſecrata, ſeu panem & vinum ſacrificio deſtinata, vocare voluerit antitypa, hoc eſt, iſotypa (hæc enim vox *ἀντὶ* apud Græcos ſolet æqualitatem ſignificare) corporis & ſanguinis Chriſti. Pro certo igitur ſtatuendum eſt, quòd Baſilius dona propoſita jam conſecrata vocet antitypa corporis & ſanguinis Chriſti; quare cùm liturgia ſua ſic vocet ea poſt verba illa, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, & ante preces illas, quibus orat ſacerdos, *ut Spiritus ſanctus ... ad nos veniat, & ad .. dona propoſita, & ea benedicat, & ſanctificet, & efficiat .... panem hunc pretioſum Corpus, &c.* pro certo ſtatuendum eſt, in liturgia Baſilii formam conſecrationis conſiſtere in verbis illis, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſignificativè in perſona Chriſti à ſacerdote prolatis; precibus verò, quæ ſubſequuntur, peti tantùm, ut dona propoſita, jam conſecrata, iis qui illa participaturi ſunt, proſint ad ſalutem animæ. Quod autem hìc dicitur de liturgia Baſilii, manifeſtè videtur dicendum de liturgia Clementis, Jacobi, Marci, & Chryſoſtomi.

Porrò, quòd juvat hìc addere, Euchariſtia antitypon eſt corporis & ſanguinis Chriſti, non ſolùm ut fuerunt in paſſione, ſed etiam ut ſunt animæ refectio. Pro quo

Nota. Euchariſtia eſt compoſitum ex corpore & ſanguine Chriſti, & ſpeciebus panis & vini; ſicut homo v.g. eſt compoſitum ex corpore & anima: unde ſicut homo eſt corpus & anima in recto; ita Euchariſtia eſt in recto non ſolùm corpus & ſanguis Chriſti, ſed etiam ſpecies panis & vini. Species autem panis & vini ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti per modum refectionis animæ; ſpecies enim panis ſignificat corpus Chriſti per modum cibi ſpiritualis, & ſpecies vini ſignificat ſanguinem Chriſti per modum ſpiritualis potus.

Species igitur panis & vini ſunt ſignum corporis & ſanguinis Chriſti, ut ſunt animæ refectio. Igitur Euchariſtia, ut eſt ſpecies panis & vini, typus eſt corporis & ſanguinis Chriſti, ut ſunt refectio animæ. Et quia adæquatè ſumpta, utrumque realiter in ſe continet, adæquatè ſumpta, utriuſque, ut eſt refectio animæ, non typus tantùm, ſed antitypus eſt. Potuit Baſilius dona propoſita vocare poſt conſecrationem antitypa corporis & ſanguinis Chriſti, non ſolùm ut in paſſione fuerunt, ſed etiam ut ſub panis & vini ſpeciebus præſentia ſunt per modum refectionis animæ, ſeu per modum cibi & potus ſpiritualis, quod certè non potuit ante conſecrationem.

Dices. Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. disertè aſſerit, dona propoſita à Baſilio, non poſt, ſed ante conſecrationem vocari antitypa corporis & ſanguinis Chriſti. *Quòd ſi*, inquit, *nonnulli panem ac vinum corporis ac ſanguinis Domini figuram eſſe dixerunt, quemadmodum ille divinitùs afflatus Baſilius, non hoc poſt conſecrationem dixerunt, ſed antequam oblatio ea conſecraretur, hoc vocabulum uſurparunt*. Rationem ſuperiùs reddit, cùm ait: *Nec verò panis & vinum* ((ſupple poſt conſecrationem) *corporis Chriſti figura ſunt, abſit enim hoc, verum ipſummet Domini corpus divinitate affectum: quippe cum Dominus ipſe dixerit, Hoc eſt, non corporis ſignum, ſed corpus, nec ſanguinis ſignum, ſed ſanguis*.

Reſp. Cum Arcudio lib. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 35. verba illa, *Quòd ſi nonnulli, &c.* quæ nobis opponuntur, non eſſe Damaſceni, ſed ab aliquo interpolatore aſſumpta fuiſſe, vel ex margine in textum exſcriptorum imperitia irrepſiſſe; alioquin dicendum erit, Damaſcenum in ea fuiſſe ſententia, quòd conſecratio non fiat per verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, à ſacerdote prolata in perſona Chriſti, ut aliqui aſſerunt, & Damaſcenum excuſant ex eo, quòd eo tempore quo ſcribebat, nondùm exorta eſſet controverſia de forma conſecrationis; quam excuſationem non habet Cabaſilas, & alii Græci moderni, qui Cabaſilæ aſſentiuntur. Sed

Ab errore illo alieniſſimum fuiſſe Damaſcenum, patet ex eodem illo capite, quod nobis objicitur, ubi ait: *Dixit Deus*, Hoc eſt corpus meum, *&* Hic ſanguis meus, *&* Hoc facite in meam commemorationem, *atque omnipotenti ipſius precepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur* (à ſacerdotibus ſcilicet, ſed quomodo? Certè faciendo quod ipſe fecit, & juſſit fieri ad conſecrandam Euchariſtiam, adeòque dicendo in perſona ipſius, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*.) quod

Ampliùs declaratur ex verbis, quæ poſt multa ſubjicit: *Quòd ſi, quo pacto id fiat* (hoc eſt, panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertantur) *requiris, ſat tibi ſit audire, quòd per ſanctum Spiritum id fiat, quemadmodum & ex ſancta Dei Matre per Spiritum ſanctum Dominus ſibi ipſi, & in ſe ipſo carnem condidit. Nec quicquam amplius nobis perſpectum & exploratum eſt, quàm quòd verbum Dei verum eſt, & efficax, atque omnipotens* (ſupple, adeòque eo prolato, ſtatim panis & vinum tranſmutentur in corpus & ſanguinem Chriſti.)

Quodnam autem eſt illud verbum Dei, quod verum eſt, & efficax, atque omnipotens, & cujus proinde virtute panis & vini ſubſtantia in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, operante Spiritu ſancto, tranſit? Certè illud, *Hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt ſanguis meus*, quod Deus ipſe incarnatus ore ſuo dixit, & in ſua perſona, donec ipſe veniat, à ſacerdotibus dici juſſit. Juxta Damaſcenum igitur ſacerdos in perſona Chriſti ſignificativè dicit, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſtatimque panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutat Spiritus ille, qui corpus Chriſti in utero virgineo formavit, & Verbo-Deo hypoſtaticè univit; quæ tranſmutatio ſi non fieret, Verbum Dei nec verum, nec efficax, nec omnipotens eſſet.

Ad illa porrò verba, quæ addita ſunt in inſtantia, *R*. Damaſcenus non negat Euchariſtiam eſſe typum & antitypon corporis & ſanguinis Chriſti, ſed ſolùm negat, quòd ſit corporis & ſanguinis Chriſti nudum ſignum & vacuum; ita ut Euchariſtia nihil aliud ſit quàm panis & vinum, ſignificantia corpus & ſanguinem Chriſti; vel ſi vis, quod idem eſt, negat tantùm Damaſcenus, quòd panis & vini ſubſtantia poſt conſecrationem maneat, vultque per conſecrationem panem in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem ejus tranſmutari, remanentibus ſolis ſpeciebus panis & vini: quia Chriſtus non dixit, Hoc eſt ſignum corporis mei, ſed, *Hoc eſt corpus meum*; nec dixit, Hoc eſt ſignum ſanguinis mei, ſed, *Hic eſt Sanguis meus*: unde Damaſcenus apertè quidem prædamnavit Calvinum & alios Sacramentarios, qui dicunt Euchariſtiam in pane & vino conſiſtere, adeòque illam corporis & ſanguinis Chriſti nudum tantùm & vacuum ſignum eſſe, minimè verò inficiatus eſt Euchariſtiam ratione ſpecierum panis & vini, quas dicit in recto, figuram eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, realiter præſentium per modum cibi & potus ſpiritualis.

Dices iterùm. S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 27. ſatis apertè docet preces illas, quæ poſt verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, à ſacerdote dicuntur, & quibus Spiritus ſanctus ſuper dona propoſita invocatur, ad conſecrationem conferre, ita ut ſine illis non perficiatur. *Invocationis verba*, inquit, *cum oſtenditur panis Euchariſtia, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus aut Evangelium; verum alia quoque & ante & poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus*.

Nota. In liturgia Baſilii triplex fit oſtenſio Euchariſtiæ: prima eſt, cùm proferuntur verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*. Secunda eſt, cùm petitur Spiritus ſanctus, ut ſuperveniens benedicat,

dicat, & ſanctificet, & efficiat panem pretioſum Corpus, &c. Tertia eſt, cùm circa finem Miſſæ, nulla facta invocatione, hoſtia dividitur, & pars illius in calicem mittitur. Baſilius autem loco citato non intelligit primam oſtenſionem, ut patet ex his verbis, *Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus aut Evangelium*, neque tertiam, cùm fiat abſque omni invocatione: ſupereſt ergo ut ſecundam intelligat, adeòque intelligat invocationem illam, qua petitur, ut Spiritus ſanctus efficiat panem Corpus Chriſti, & quod eſt in calice Sanguinem ejus. Ergo de ſecunda illa invocatione aſſerit, quòd multùm habeat momenti ad myſterium. Ergo, &c.

R. Baſilium non ſolùm de invocatione illa, quæ fit in ſecunda oſtenſione, ſed etiam de aliis precibus, quæ ante primam oſtenſionem, & verborum Chriſti prolationem dicuntur, aſſerere quòd multùm habeant momenti ad myſterium; nec tamen cenſeri poteſt, credidiſſe, quòd preces quæ dicuntur ante primam oſtenſionem, & verba Chriſti, efficiant conſecrationem, aut ad eam conferant.

Juxta Baſilium igitur, preces quæ in liturgia ante, & poſt ea, quæ Apoſtolus aut Evangelium commemorat, adeòque ante & poſt verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, &, *Hoc facite in meam commemorationem*, dicuntur, multùm habent momenti ad myſterium, non quòd conſecrationi eſſentiales ſint, & ſine illis confici non poſſit Euchariſtia, ſed quia, ut egregiè docet Arcudius lib. de ſacram. Euch. cap. 36. „ maximam vim habent .. ad „ decentiam, decorem, ornatum, & ſplendorem „ tanti ſacrificii, ut decenter, honorificè, & cum „ quadam auguſtiſſima majeſtate conficiatur, & quatenùs non poſſunt omitti ſine ingenti ſcelere, cùm „ ſint ex traditione. Licèt enim de neceſſitate ſacra„ menti non ſint, ſunt tamen de neceſſitate miniſtri, „ ut legitimè conſecrationem perficiat: Sacerdos enim „ celebrans, ritum Eccleſiæ ſervare in omnibus debet, „ & ordinationi ſanctorum Patrum parere.

Obj. 3. Cyrillum Hieroſolymitanum in catecheſi myſtagogica 5. in qua compendioſè exponit liturgiam, qua ſcilicet ejus tempore utebatur Eccleſia Hieroſolymitana. *Vidiſti*, inquit, *diaconum aquam lavandis manibus porrigentem ſacerdoti, & illis, qui circum altare Dei ſtabant, presbyteris .... Deinde clamat diaconus*: Complectimini, & oſculemini vos invicem .... *Poſtea clamat ſacerdos*: Surſum corda .... *vos deinde reſpondetis*: Habemus ad Dominum .... *Dicit deinde ſacerdos*: Gratias agamus Domino ... *ad hæc vos ſubjicitis*: Dignum & juſtum eſt ... *Faciamus deinde mentionem cœli & terræ ... Angelorum, Archangelorum ..., commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu ſancto cernebat Iſaias ... dicentia*: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus ſabaoth ... *Sic per ejuſmodi hymnos nos ipſos ſanctificantes, Deum benigniſſimum oramus, ut ſuper illa propoſita ſanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Chriſti, vinum vero Sanguinem Chriſti. Omnino enim quod attigerit Spiritus ſanctus, hoc ſanctificatur, & tranſmutatur.*

Deinde vero poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace .... poſtea facimus mutationem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras. Deinde pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis; denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt .... Poſtea dicitis illam orationem, quam Salvator ſuis diſcipulis tradidit .. dicentes: Pater noſter qui es in cœlis .... *Sacerdos autem poſtea dicit*, ſancta Sanctis; *Sancta ſcilicet ea, quæ in ara propoſita ſunt, adventu Spiritus ſancti ſanctificata ... vos deinde reſpondetis*: Unus ſanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus ... *Audiſtis deinceps .. pſallentem, atque ad ſacrorum myſteriorum communionem vos adhortantem*: Guſtate & videte quòd Chriſtus eſt Dominus, &c.

Cyrillus igitur in ea fuit ſententia, quòd conſecratio fiat per preces illas quibus rogatur Pater cœleſtis, ut Spiritum ſanctum emittat ſuper propoſita dona, ut ea corpus & ſanguinem Chriſti faciat, & loquens de panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatione, nequidem meminit verborum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*. Hanc ejus fuiſſe mentem, confirmari poteſt ex catecheſi myſtagogica 1. ubi ait: *Panis & vinum Euchariſtiæ ante ſacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat, & vinum merum: peracta verò invocatione, panis quidem fit Corpus Chriſti, vinum autem Sanguis Chriſti*. Et ex catecheſi 3. ubi ait: *Panis Euchariſtiæ, poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti.*

Arcudius lib. 3. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 33. aſſerit, non ſolvi, ſed ſubterfugi difficultatem, ſi reſpondeatur Cyrillum uſum fuiſſe liturgia, in qua preces illæ, quibus Spiritus ſanctus ſuper dona propoſita invocatur, erant ante verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, adeòque Cyrillum dixiſſe rogari Patrem, ut mittat Spiritum ſanctum, qui panem & vinum, in corpus & ſanguinem Chriſti, ipſiuſmet Chriſti verbis tranſmutet. „ Nam, inquit Arcudius, nullam Cyrillus compoſuit, vel diverſam „ habuit liturgiam; ſed ut ex tota illius expoſitione „ apparet, uſus eſt ſacra Myſtagogia Jacobi, præ„ ſertim cùm eſſet etiam Hieroſolymorum Antiſtes. „ Atque ordo eorum, quorum fit mentio in litur„ gia poſt conſecrationem, iſtud manifeſtè indicat, „ &c. " Fatetur ergo hic Author Cyrillum ita ſenſiſſe ut ſcribit, & illius verba ſignificant, nimirùm tunc fieri conſecrationem, quando illis precibus invocatur Spiritus ſanctus.

Addit mirum non eſſe, *ſi Cyrillus ita ſenſerit, Nam illa verba liturgiarum* (Græcarum) *primo aſpectu ſenſum Græcorum* (Cabaſilæ ſcilicet, & aliorum qui cum illo ſentiunt) *præ ſe ferunt; tempore vero Cyrilli minimè iſta diſceptatio inter Græcos & Latinos agitabatur, ut ex ea occaſione melius hæc conſiderare, ac decidere ſanctiſſimus vir potuerit, ſed ea verba ſimpliciter, ut ſonare videntur, expoſuit. Sed opponendi ſunt ipſi uni quidem plurimi, ac præcipui Doctores Eccleſiæ, Ambroſius, Auguſtinus, & Chryſoſtomus, item Nyſſenus, & alii* (ut Gregorius Nazianzenus.) Denique ſanctum Cyrillum quoquo modo excuſat Arcudius, ex eo quod in adoleſcentia catecheſes illas ſcripſerit, ut expreſsè teſtatur S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ubi hæc habet: *Extant ejus κατηχήσεις, quas in adoleſcentia compoſuit.*

Dices. Alii etiam Patres aſſerunt Euchariſtiam precibus & invocatione Dei conſecrari, ut patet ex locis citatis articulo 2. reſponſione 2. *R.* Patres illos per preces illas & invocationem Dei, quibus ajunt conſecrari Euchariſtiam, intelligere verba dominica; *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, quæ, ſicut & aliorum ſacramentorum formæ, continent implicitè invocationem divinæ virtutis, quæ eſt cauſa primaria effectus ſacramentalis, & à miniſtro proferuntur ex affectu deprecantis, & intentione impetrandi effectum ſacramentalem, cujus ſunt cauſæ inſtrumentales tantùm.

Confirmatur hæc reſponſio: nam v. gr. Juſtinus Martyr cùm in apologia 2. dicit Euchariſtiam fieri precibus, addit, preces illas eſſe verbum à Deo profectum. Irenæus lib. quidem 4. cap. 34. aſſerit Euchariſtiam fieri per invocationem Dei; at lib. 5. cap. 2. dicit, invocationem illam eſſe verbum Dei. Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. ſcribit Euchariſtiam prece myſtica conſecrari; at ſermone 28. de verbis Domini, apertè ſignificat, precem illam myſticam conſiſtere in verbis Chriſti, quæ certè alia non ſunt, quàm illa, *Hoc eſt Corpus, &c.* Ergo, &c.

Adde Patres aliquando Euchariſtiæ conſecrationem vocare preces, vel invocationem Dei, vel etiam gratiarum actionem, aut benedictionem: quia aliquando, ut obſervat Bellarmin. lib. 4. de Euchariſtia cap. 14.

per conſecrationem intelligunt, vel totam liturgiam, vel totum canonem, in quo ſunt preces, gratiarum actiones, benedictiones, & invocationes, atque ideò nunc ab una parte, nunc ab alia denominant totam actionem.

Obj. 4. Verba illa. *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, narrativè tantùm, non ſignificativè dicuntur à ſacerdote. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam quòd narrativè dicantur, evidens eſt ex verbis præcedentibus: ſacerdos enim antequam verba illa, *Hoc eſt corpus, &c.* proferat, dicit: *Accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, &c. benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc eſt enim corpus, &c.* 2. Quòd non dicantur ſignificativè *prob.* quia ſi ſic dicerentur, per illas ſacerdos demonſtraret corpus ſuum, non corpus Chriſti; ſed adeò dicere oporteret, Hoc eſt corpus Chriſti, non *Hoc eſt corpus meum*. Ergo, &c.

R. Verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, (idem eſt de aliis, *Hic eſt ſanguis meus*) à ſacerdote celebrante dicuntur utroque modo, narrativè ſcilicet, & ſignificativè. 1. Dicuntur narrativè: nam ſacerdos illa dicendo, intendit narrare quid Chriſtus dixerit, ſicut priùs dicendo, *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas .... fregit, deditque diſcipulis ſuis*, intendit narrare quid Chriſtus egerit. 2. Dicuntur etiam ſignificativè: nam ſacerdos illa dicendo, intendit agere perſonam Chriſti, & demonſtrare, atque demonſtrando efficere corpus ejus ex pane ſibi præſente, ſicut Chriſtus ipſe olim in cœna ultima verba illa proferendo, idem corpus ſuum demonſtravit, & demonſtrando effecit ex pane, quem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas acceperat. Per illa itaque verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſacerdos Euchariſtiæ ſacramentum perficit, panem & vinum ſibi præſentia, in corpus & ſanguinem Chriſti convertendo. In illis igitur verbis, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, conſiſtit forma conſecrationis. Jam ſit

ARTICULUS IV.

Utrùm verba illa, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus, *ſint figuratè accipienda.*

RESPONSIO.

VErba illa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, non figuratè, ſed propriè accipienda ſunt.

Prob. 1. Authoritate Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, qui realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia aſſeruerunt, quique proinde verba illa, *Hoc eſt corpus, &c.* intellexerunt in ſenſu proprio, quorum teſtimonia ſuo loco referentur. 2. Ex communi regula, quam in explicanda Scriptura adhiberi neceſſe eſt, & quæ eſt, ut ſemper proprius verborum ſenſus retineatur, niſi obſit vel ſcriptura alia manifeſta, vel aliquis fidei articulus, vel denique communis interpretatio totius Eccleſiæ: alioquin, ut rectè obſervat Bellarminus lib. 1. de ſacramento Euchariſtiæ c. 9. *Peribit fides, & remanebit ſola opinio de rebus divinis, & aperietur porta infinitis erroribus.* Atqui quominùs verba illa, *Hoc eſt corpus meum, &c.* in ſenſu proprio accipiantur, obſtat alia ſcriptura, aut alius articulus fidei aut communis totius Eccleſiæ ſenſus. Ergo, &c.

Confirmatur. 1. Quia per verba illa, Chriſtus inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ. Atqui ſacramenta inſtitui debuerunt, & revera inſtituta fuerunt à Deo, non metaphoricis, ſed propriis verbis, ne circa uſum illorum hominibus errandi occaſio daretur. 2. Euchariſtiæ inſtitutio quoddam eſt teſtamentum, ut patet ex Luca c. 22. ubi Chriſtus ait: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* At teſtamenta fieri debent, atque à ſapientibus fiunt propriis & perſpicuis verbis, ne detur occaſio litigandi de voluntate teſtatoris. Ergo, &c.

Obj. 1. Quando Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, per pronomen *hoc* panem intellexit. Ergo verborum illorum hic ſenſus eſt: Hoc eſt figura corporis mei. *R.* neg. ant. Nam cùm poſtea dixit, *Hic eſt ſanguis meus*, per *hic* non intellexit vinum; alioquin interpres reddere debuiſſet, hoc eſt ſanguis meus, Ergo, &c.

Probabis tamen ant. Scriptura apertè docet pronomen *hoc* in verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, accipi pro pane: nam Joannis cap. 6. Chriſtus ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Et 1. Corinth. cap. 10. Apoſtolus dicit: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Et cap. 11. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis ...... Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Præterea quando Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, loquebatur de eo, quod in manibus habebat, quod frangebat, & diſtribuebat. Atqui in manibus habebat, frangebat, & diſtribuebat panem. Ergo loquebatur de pane.

R. Neg. prob. ant. & dico nomine panis, non verum panem materialem, ſed cibum quemdam excellentem intelligi in locis ſcripturæ laudatis. Cùm itaque Chriſtus dicit, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*, ſenſus eſt: Cibus quem ego dabo, &c. juxta illud quod inferiùs ſubjicit, *Caro mea verè eſt cibus.* Adde corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia, rectè nominari panem; tum quia factum eſt ex pane per tranſubſtantiationem, tum quia ſumitur ſub ſpecie panis quæ remanet, deſtructa panis ſubſtantia, tum denique propter ſpecialem analogiam, quam habet cum pane in hoc ſacramento, in quo eſt per modum cibi.

Ad confirmationem *R.* quòd Chriſtus, cùm dixit: *Hoc eſt corpus meum*, loquebatur de eo, quod in manibus habebat in fine propoſitionis ſuæ, ſeu cùm protulit ſyllabam ultimam: tunc autem, non panem, ſed corpus ſuum habebat in manibus; vel ſi vis, diſt. ſic. Quando Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, loquebatur de eo, quod in manibus habebat, antequam ultimam propoſitionis ſyllabam proferret, Neg. Cùm protulit ſyllabam ultimam propoſitionis, Subd. Loquebatur de eo, quod in manibus habebat deſinenter, Nego Iterùm. Loquebatur de eo, quod in manibus habebat incipienter, Conc. *Nota.* Eo inſtanti, quo Chriſtus hanc vocem *meum* protulit, duo in manibus habuit, unum deſinenter, nempe ſubſtantiam panis, quæ deſinebat eſſe, & alterum incipienter, nempe corpus ſuum, quod eſſe incipiebat per panis in illud tranſmutationem. Chriſtus autem loquebatur de eo, quod incipiebat eſſe, non verò de eo, quod eſſe deſinebat: loquebatur enim de eo, quod poſt verborum ejus prolationem manſurum erat.

Dices. Quando Chriſtus pronunciavit pronomen *hoc*, antequam propoſitionem abſolveret, to *hoc* vel ſignificavit corpus Chriſti, vel panem ſignificavit, tertium enim dici non poteſt. Atqui to *hoc* tunc non ſignificavit corpus Chriſti. Ergo, &c. *Probabis min.* Tunc enim corpus Chriſti nondùm erat præſens: nam præſens non fuit, niſi peracta conſecratione, & conſecratio peracta non eſt, niſi tota propoſitione prolata. Ergo tunc pronomen, *hoc*, corpus Chriſti ſignificare non potuit. *R.* pronomen *hoc* quando pronunciatum fuit à Chriſto, nullam determinatam, ſed vagam tantùm & indeterminatam ſignificationem habuiſſe, antequam à Chriſto abſolveretur propoſitio: cùm enim pronomen *hoc* ſubjectum eſt alicujus propoſitionis, non ſignificat aliquid determinatè, niſi quatenùs ad ſignificandum determinatur per propoſitionis prædicatum, cui per copulam conjungitur. Inutiliter ergo quæritur, quid pronomen *hoc*, pronunciatum à Chriſto, ſignificavit, antequam reliqua pronunciarentur, tunc enim nihil determinatè ſignificavit, aut ſignificare potuit: ſed quærendum eſt, quid in propoſitione Chriſti, poſtquam abſoluta & perfecta eſt,

eſt, ſignificaverit. Tunc autem corpus Chriſti ſignificavit, & deſignavit, quia ad id ſignificandum & deſignandum per prædicatum propoſitionis determinatum fuit.

Obj. 2. In hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, verbum *eſt* metaphoricè ſumitur pro verbo ſignificat. *R.* neg. Tam enim in hac propoſitione, quàm in aliis quibuslibet, propriè ſumitur: nam tunc propriè ſumitur, cùm ſignificat unionem duorum extremorum inter ſe. Atqui unionem duorum extremorum ſignificat in hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*. Ergo, &c.

At inquies. In Scriptura verbum *eſt* ſæpe ſumitur pro ſignificat, ut v. gr. in hac propoſitione, *Petra autem erat Chriſtus*; idem dic de omnibus aliis propoſitionibus, in quibus eſt aliquis tropus. Ergo ſic ſumitur in iſta, *Hoc eſt corpus meum*. *R.* 1. neg. conſeq. quæ non magis valet, quàm illa: In Scriptura verbum *eſt* ſæpe ſumitur pro ſignificat: Ergo ſic ſemper ſumitur.

R. 2. neg. ant. Nam quando in propoſitionibus Scripturæ eſt aliquis tropus, tropus ille hæret in ſubjecto, vel in prædicato, non in verbo *eſt*. Sic v. g. in hac propoſitione, *Petra erat Chriſtus*, tropus hæret in prædicato, quod non pro ipſo Chriſto, ſed pro ſigno ſeu figura Chriſti ſupponit; ſenſus enim illius eſt: Petra erat ſignum ſeu figura Chriſti. Quòd ſi dicas ſenſum illius eſſe, Petra ſignificabat Chriſtum, reſpondebo hanc propoſitionem reſolvi in iſtam: Petra erat ſignificans Chriſtum, quæ reſolvitur in illam, petra erat ſignum Chriſti.

In hac igitur propoſitione, Petra erat Chriſtus, quantumlibet figurata & metaphorica, to *erat*, eſt pura ſubjecti & prædicati copula. Igitur etiam ſupponendo, quod tamen falſum eſt, figuram eſſe in iſta, *Hoc eſt corpus meum*, adhuc verbum *eſt* ſolum eſt copula ſubjecti & prædicati, quod agnoſcunt Calviniſtæ: unde tropum ponunt, non in verbo *eſt*, ſed in nomine *corpus*.

At inquies. Ipſimet Catholici tropum admittunt in verbo *eſt*; dicunt enim hujus propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, ſenſum eſſe: Hoc fit corpus meum, vel, quod idem eſt, hoc convertitur in corpus meum. *R.* hoc eſſe falſum: nam ſi verum eſſet, ſecundùm Catholicos, pronomen *hoc* deſignaret panem, non corpus Chriſti: at ſecundùm Catholicos, non panem, ſed corpus Chriſti deſignat.

At inquies. Secundùm Catholicos hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſunt practica, & per illa panis fit corpus Chriſti per tranſubſtantiationem. Ergo ſecundùm Catholicos ſunt ſimilia iſtis, *Fiat lux*, adeòque ſenſus eorum eſſe debet: Hoc fit, vel, ſi hoc fiat corpus meum. *R.* hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſimilia eſſe illis, *Fiat lux*, in eo, quòd tam ſint practica, & tam vim habeant efficiendi id, quod ſignificant, nempe realem corporis Chriſti præſentiam ſub ſpecie panis. Unde hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, à fortiori ſimilia ſunt illis, Hoc fiat corpus meum, quæ, ſi Chriſtus dixiſſet, & dici juſſiſſet, æquè practica eſſent, & eundem planè effectum haberent; ad quod neceſſe non eſt, ut eundem ſenſum habeant, neque eundem habent, ſed diverſum: nam prima forma formaliter ſignificat realem corporis Chriſti præſentiam ſub ſpecie panis, & conſecutivè tantùm converſionem panis in corpus Chriſti. Secunda verò è contra formaliter ſignificat converſionem panis in corpus Chriſti, & conſecutivè tantùm realem corporis Chriſti præſentiam ſub ſpecie panis.

Hinc quantùm ad ſignificationem, una in aliam reſolvi non poteſt; & ſacerdos qui diceret, Hoc fiat corpus meum, quantùmvis intenderet, illud in perſona Chriſti dicere, & conſecrare, nihil efficeret; quia, cùm Chriſtus dixit, & dici juſſit, *Hoc eſt corpus meum*, inſtituit, ut per formalem & directam ſignificationem realis præſentiæ corporis ſui ſub ſpecie panis, & non aliter, conſecraretur Euchariſtia.

Obj. 3. In hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, nomen *corpus* figuratè ſumitur pro ſigno ſeu figura corporis. *R.* hoc falsò & abſque omni fundamento dici: in his enim propoſitionibus, *Hoc eſt corpus meum*, *hic eſt ſanguis meus*, verba omnia clara ſunt & ſimplicia; nullus ſive in verbis, ſive in ſenſu apparet tropus; nullum vel leviter inſinuant Evangeliſtæ, nullum agnoverunt Patres antiqui, nullum denique veriſimiliter oſtendere poſſunt novatores.

Dices. Idem judicium eſto de hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, ac de iſta, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Sed in iſta duplex eſt figura, una quidem in nomine calicis, & altera in nomine teſtamenti. Nam 1. calix ſumitur pro vino, ſecundùm Calviniſtas, vel pro ſanguine, ſecundùm Catholicos, continens ſcilicet pro contento per metonymiam. 2. Teſtamentum ſumitur pro ſigno vel figura teſtamenti: non enim vinum vel ſanguis propriè teſtamentum eſt, ſed ſignum teſtamenti: unde apud Matthæum Chriſtus non dicit, Hic eſt ſanguis meus novum teſtamentum, ſed, *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur, &c.* Ergo, &c.

R. ad 1. *partem min.* ab aliquibus catholicis figuram admitti in nomine calicis: ſed quid inde? Neque enim idcircò neceſſarium eſt, ut ſit etiam figura in nomine corporis. Dixi, ab aliquibus: nam alii nolunt eſſe figuram in nomine calicis, etiam apud Lucam & Paulum, apud quos dicitur: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Illa enim, inquiunt, verba, *Hic calix in meo ſanguine*, perinde valent atque iſta, Hic eſt calix ſanguinis mei, ut patet ex noſtro canone. Atqui in iſtis nulla planè figura eſt: nam ſicut propriè dicimus, Hoc eſt vas aquæ, hæc eſt amphora vini; ita propriè dicimus: Hic eſt calix ſanguinis; & ſicut propriè dicimus, Bibite ex illo vaſe, vel ex illa amphora; etiam ita propriè dicimus, Bibite ex illo calice.

R. ad ſecundam partem. neg. figuram eſſe in nomine teſtamenti. Pro quo *nota*. Teſtamentum propriè ſumitur dupliciter. 1. Pro voluntate, ſeu promiſſione teſtatoris. 2. Pro authentico inſtrumento; quod duplex eſt, unum quidem, quo continetur voluntas, ſeu promiſſio teſtatoris, & alterum, quo applicatur nobis jus ad hæreditatem à teſtatore promiſſam. Hinc vetus Scriptura propriè vocatur teſtamentum, quia voluntatem Dei teſtantis & promittentis continet. Hinc etiam ſacramenta noſtra propriè vocari poſſunt teſtamenta, quia per illa nobis jus ad hæreditatem à Deo nobis promiſſam applicatur. Portò inter omnia novæ legis ſacramenta, Euchariſtia præcipuè teſtamentum dicitur, quia non ſolùm jus ad hæreditatem nobis applicat, ſed etiam quia realiter continet Chriſti ſanguinem, quo in paſſione effuſo ſancitum eſt novum teſtamentum, & à quo vim ſuam habet. Ex his

Intellige, quomodo propriè dicatur apud Matthæum & Marcum, *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, & apud Lucam & Paulum, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*: nam in priore loco, teſtamentum ſumitur pro voluntate & promiſſione teſtatoris: unde verborum ſenſus eſt, Hic eſt ſanguis meus, quo ſancitur voluntas & promiſſio Dei teſtantis. In poſteriori verò loco teſtamentum accipitur pro inſtrumento, non quo quidem voluntas & promiſſio teſtatoris continetur, ſed quo jus ad hæreditatem à Deo promiſſam nobis applicatur: unde verborum ſenſus eſt: Hic eſt calix mei ſanguinis, qui ſub ſpecie vini eſt authenticum inſtrumentum, quo hæreditas à Deo promiſſa applicatur hominibus.

At inquies. Si ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini eſt propriè teſtamentum, ſingulis diebus teſtamentum Chriſti renovatur, & præcedens antiquatur; atque ita neceſſe eſt, ut ſæpè moriatur Chriſtus: non enim valet teſtamentum, niſi intercedente morte teſtatoris. Abſurdum conſequens. Ergo, &c. *R.* neg. ſeq. maj. Nam ex antecedente ſequitur tantùm, ſingulis diebus repeti teſtamentum Chriſti, quia ſingulis diebus conſecratur Euchariſtia, quæ authenticum inſtrumentum eſt, quo nobis applicatur promiſſio, à Deo nobis

facta propter ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum. Sic itaque cùm quotidie conſecratur Euchariſtia, non ideircò quotidie novum ſacramentum inſtituitur, ſed ſolùm quotidie celebratur ſacramentum, quod olim Chriſtus inſtituit: ita non conditur quotidie novum teſtamentum, ſed ſolùm quotidie repetitur illud, quod olim Chriſtus condidit; ita ut tam ſemper idem ſit, quàm teſtamentum hominis in charta deſcriptum, idem ſemper eſſet, etiamſi quotidie in nova charta deſcriberetur.

Non igitur ex eo, quòd quotidie celebratur Euchariſtia, opus eſt, ut Chriſtus iterùm moriatur ad confirmandum teſtamentum ſuum, quia teſtamentum, ab eo ante mortem factum, non antiquatur, ſed ſolùm illud idem repetitur, & per unam Chriſti mortem ſufficientiſſimè confirmatum eſt. Porrò ſicut propriè dicitur, Hic ſanguis meus eſt novum teſtamentum; ita etiam propriè dici poteſt, Hoc corpus meum eſt novum teſtamentum. Ratio eſt, quia corpus Chriſti ſub ſpecie panis, tam eſt ſacramentum propriè dictum, quàm ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini: unde tam per illud nobis applicatur jus ad hæreditatem à Deo promiſſam; atque ita tam eſt propriè dictum teſtamentum in ſecundo ſenſu.

Dices. Chriſtus dixit, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, Ergo nomen corpus ſumitur non pro corpore Chriſti, ſed pro figura illius, nempe pro pane; corpus enim Chriſti non poteſt propriè manducari ore corporis, cùm non poſſit teri dentibus, *R*. neg. conſeq. & dico corpus in Euchariſtia propriè manducari ore corporis, licèt non teratur dentibus: ad propriam enim manducationem ſufficit, ut cibus ſumatur, & ab ore ad ſtomachum tranſmittatur per inſtrumenta naturalia, nempe per linguam, & palatum.

Dices. Si corpus propriè ſumitur in propoſitione illa, *Hoc eſt corpus meum*, vel ſignificat ſolum corpus, vel ſignificat totum Chriſtum, *R*. nomine corporis ſignificari ſolum Corpus, ſicut & nomine ſanguinis, ſolùm ſanguis ſignificatur: unde vi horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, ſolum corpus Chriſti ponitur ſub ſpecie panis, & vi iſtorum, *Hic eſt ſanguis meus*, ſolus ſanguis ponitur ſub pecie vini nec idcircò Chriſtus diſtrahitur. Nam propter naturalem concomitantiam, ſub ſpecie panis, cùm corpore, ſunt ſanguis, anima, & divinitas Chriſti, & ſub ſpecie vini, cum ſanguine, ſunt corpus, anima, &c. atque ita Chriſtus totus eſt ſub utraque ſpecie.

At inquies. Si ita eſt, idem ſenſus eſt propoſitionum illarum, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, *R*. neg. Nam prima ſignificat tantùm præſentiam corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & altera ſignificat tantùm præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini.

At inquies iterùm. Saltem de calice dici poterit, Hoc eſt corpus meum. *R*. de calice conſecrato dici poſſe quòd ſit corpus Chriſti, vi naturalis concomitantiæ; at dici non poteſt quòd ſit corpus Chriſti vi conſecrationis, vi cujus ſolus ſanguis ponitur ſub ſpecie vini.

ARTICULUS VI.

Quænam ſint verba eſſentialia formæ conſecratoriæ.

NOta. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens & conſecrans, dicit apud Matthæum, *Hoc eſt corpus meum .... Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Apud Marcum, *Hoc eſt corpus meum .... Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*. Apud Lucam, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem ... Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Apud Apoſt. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite, &c. Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*.

Nota iterùm. Sacerdos conſecrans dicit in Liturgia Jacobi: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum .... Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remiſſionem peccatorum*. In Liturgia Marci, *Hoc enim eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum .... Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum*. In Liturgia Baſilii, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum ...... Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum*. In Liturgia Chryſoſtomi, ut In Liturgia Baſilii. In Liturgia Petri, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur .... Hic eſt ſanguis meus*. In Liturgia Gregorii, *Hoc eſt corpus meum .... Hic eſt enim calix ſanguinis mei novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In Liturgia denique noſtra, *Hoc eſt enim corpus meum .... Hic eſt enim calix, &c.* ut in Liturgia Gregorii.

RESPONSIO.

Verba eſſentialia formæ conſecratoriæ ſunt hæc: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus*: ita ut requirantur & ſufficiant ad confectionem Euchariſtiæ.

Eſt communis Doctorum ſententia, & *prob*. Et 1. quidem quòd requirantur, ſatis ſuperque art. 2. demonſtratum eſt: unde in hoc jam non eſt difficultas. 2. Quòd ſufficiant, de quo ſolo nunc dubium eſſe poteſt oſtenditur ſic. Verba illa ſufficiunt ad confectionem Euchariſtiæ, quæ ſufficiunt ad ponendum corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguinem ejus ſub ſpecie vini, ut patet ex terminis. Atqui verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficiunt ad ponendum corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & illa, *Hic eſt ſanguis meus* (idem de æquivalentibus, *Hic eſt calix ſanguinis mei*) ſufficiunt ad ponendum ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini. Ergo, &c.

Prob. min, Nam verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, prolata in perſona Chriſti, præſentiam corporis Chriſub ſpecie panis; & illa, *Hic eſt ſanguis meus*, ſimiliter in perſona Chriſti prolata, præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini ſignificant, præciſis, aut etiam ſublatis verbis aliis quotieſcumque, ut per ſe manifeſtum eſt. Ergo verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, ſufficiunt, &c. Conſequentia patet: nam verba conſecratoria, ſicut & omnes aliæ ſacramentorum formæ, vim habent operandi id, quod ſignificant.

Confirmatur. Quia credibile non eſt, quòd ſcriptores ſacri formam conſecrationis referendo, aliquid ei eſſentiale prætermiſerint. At 1. pro forma conſecratoria panis, Matthæus & Marcus habent hæc tantùm verba, *Hoc eſt corpus meum*: ergo eſſentialia non ſunt ea quæ addit Lucas, *Quod pro vobis datur*, nec quæ addit Apoſtolus, *Quod pro vobis tradetur*. 2. Apoſtolus pro forma conſecratoria vini habet hæc tantùm verba: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*: ergo eſſentialia non ſunt verba addita in Liturgia Latina, *Myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. 3. Matthæus & Marcus non habent *teſtamentum*, ſed, *teſtamenti*: nam dicunt; *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*: unde apparet Apoſtolum nomen teſtamenti non in eodem ſenſu ſumere, in quo ſumunt Mattheus & Marcus; ſed Matthæum & Marcum illud accipere pro voluntate ſeu promiſſione Dei teſtantis; Apoſtolum verò, idem dic de Luca, pro authentico inſtrumento, quo promiſſio à Deo nobis facta, nobis applicatur: unde ulteriùs ſequitur nomen teſtamenti, ſive in recto, ſive in obliquo ſumatur, eſſentiale non eſſe. 4. denique, in forma conſecratoria panis, nec Matthæus, nec Marcus, nec Apoſtolus habent particulam, *enim*, in forma verò conſecratoria

vini eam ſolus habet Matthæus: ergo particula *enim* eſſentialis non eſt. Similis porrò reſponſionis noſtræ confirmatio deduci poteſt ex Liturgiis ſupra laudatis.

Obj.1. Niſi dicantur hæc verba, *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in manus ſuas, &c.* Iſta ſequentia, *Hoc eſt Corpus meum*, non ſignificant corpus Chriſti, ſed ſacerdotis. *R.* neg. Nam verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*, ad corpus Chriſti, non ſacerdotis illa proferentis, ſignificandum ſufficienter determinantur, per hoc, quòd ſacerdos illa profert in perſona Chriſti, ſeu ut agens ipſam Chriſti perſonam: ad hoc autem ut ſacerdos illa verba proferat in perſona Chriſti, ſatis eſt, quòd intendat ea ſic proferre.

At inquies. Si ita eſt, fruſtra præmittuntur hæc verba, *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c. R.* neg. & dico convenienter præmitti, ut clariùs appareat, verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*, proferri à ſacerdote, ut perſonam Chriſti agente.

Obj.2. Quando Chriſtus dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, addidit: Quod pro vobis tradetur. Ergo, &c. *R.* neg. conſ. Nam Chriſtus hæc verba addidit, non ut conſecratoria, ſeu ut vim habentia panem in corpus ejus tranſmutandi; hanc enim tranſmutationem non ſignificant; & verba conſecratoria id tantùm, quod ſignificant, efficere poſſunt; ſed ut prænunciativa mortis, quam pro iis, quos alloquebatur, erat ſubiturus.

Obj.3. Io forma conſecratoris vini, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, verba quæ ſubſequuntur, *novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, &c.* determinant priora, & cum eis orationem integram componunt. Ergo ſine illis, iſta, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, non habent perfectum & integrum ſenſum, adeòque ſine illis nihil efficere poſſunt. *R.* neg. quòd verba illa, *novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, &c.* determinent priora, *Hic eſt calix ſanguinis mei*: hæc enim, hoc ipſo quòd à ſacerdote in perſona Chriſti proferuntur, perfectum & integrum ſenſum habent, & expreſsè ac determinatè ſignificant præſentiam ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini: unde quæ ſubſequuntur, *novi & æterni teſtamenti, &c.* non adduntur ad ea determinando, ſed ſolùm ad ſignificandum aliquos effectus vel proprietates ſanguinis Chriſti.

Additur 1. *Novi & æterni teſtamenti*, ad ſignificandum, ſanguine Chriſti confirmatum & obſignatum fuiſſe novum teſtamentum quod Chriſtus inſtituit, quod uſque ad finem mundi immutandum non eſt, & quo nobis promittitur æterna hæreditas. Additur 2. *Myſterium fidei*, quia in hoc ſacramento proponitur nobis res valdè arcana, quam nec ſenſu nec intellectu percipere naturaliter poſſumus, ſed ſola fide poſſumus aſſequi, & credere debemus. Additur denique 3. *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ad ſignificandum, quòd ſanguis Chriſti pro omnium hominum ſalute in cruce effuſus fuerit. Verba autem illa, *Novi teſtamenti, myſterium fidei, &c.* in Miſſali Romano impreſſa ſunt eodem charactere quo priora, *Hic eſt enim calix, &c.* & eodem tenore pronunciantur à ſacerdote, antequam adoret ſanguinem, quia ad unam cum illis & eamdem rationem totalem pertinent ex inſtitutione Eccleſiæ: ſicut in Eccleſia Græca hæc verba, *Quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum*, eodem tenore quo iſta, *Hoc eſt Corpus meum*, proferuntur à ſacerdote, quia pertinent ad unam & eamdem orationem totalem ex inſtitutione Eccleſiæ Græcæ, non quia ſunt eſſentialia.

Dices. Confectio Euchariſtiæ habet rationem ſacrificii. Ergo ſaltem verba illa in forma conſecratoria calicis, *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, ad Euchariſtiæ confectionem neceſſaria ſunt. *R.* conſectionem Euchariſtiæ eſſe tantùm ſacrificium incruentum; unde nego conſeq. Præterea, quòd verba illa, *Qui pro vobis & multis effundetur*, non ſint eſſentialia, ſic demonſtratur obiter. Illud ſolum eſt de eſſentia formæ calicis, quod à ſacerdote profertur in perſona Chriſti, & illud ſolum in perſona Chriſti à ſacerdote profertur, quod ab eo profertur ſignificativè. Atqui verba illa, *Qui pro vobis, &c.* ſacerdos non profert ſignificativè, ſed narrativè tantùm & hiſtoricè: alioquin ſacerdos proferendo formam calicis, ſignificaret ſanguinem Chriſti adhuc effuſum iri per ſacrificium cruentum, hoc enim ſignificat Chriſtus, quando verba illa protulit. Abſurdum conſequens. Ergo, &c.

Obj.4. Saltem in Eccleſia Latina verba illa, *Accipite & manducate*, ſunt de eſſentia formæ, qua panis conſecratur. Ergo, &c. *Probabis ant.* Nam ſi Sacerdos celebrans ea omitteret, & diceret tantùm, Hoc eſt enim Corpus meum, non conſecraret. Ergo, &c. *Probabis ant.* Sacerdos enim conſecrare non poteſt per verba, quæ vel nullum faciunt ſenſum integrum, vel faciunt falſum. Atqui talia ſunt hæc verba, *Hoc eſt enim Corpus meum*, ſi ſolitariè proferantur à ſacerdote, ſeu à ſacerdote proferantur, omiſſis prioribus, *Accipite & manducate*: nam tunc reddunt rationem dicti præcedentis, cùm tamen nullum præceſſerit. Ergo, &c. Similis objectio de forma conſecratoria calicis fieri poteſt: nam in Eccleſia Latina Sacerdos dicit etiam, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, &c.*

R. neg. ant. *Ad prob. R.* diſt. ant. Sacerdos dicens tantùm, *Hoc eſt enim Corpus meum*, non conſecraret, ſi hæc verba proferret tantùm ſenſu hiſtorico, C. ant. Si hæc verba proferret ſenſu aſſertivo, & in perſona Chriſti, N. ant. & conſeq. *Ad prob. ant. R.* conceſſa majore, diſt. min. Atqui hæc verba, *Hoc eſt enim Corpus meum*, ſolitariè, & omiſſis prioribus, *Accipite & manducate*, à ſacerdote prolata, vel nullum faciunt ſenſum integrum, vel faciunt falſum, ſi proferantur ſenſu hiſtorico tantùm, C. min. Si proferantur ſenſu aſſertivo, & in perſona Chriſti, N. min.

Nota. Hæc verba, *Hoc eſt enim Corpus meum*, proferri poſſunt à ſacerdote dupliciter. 1. Senſu hiſtorico, & in propria perſona. 2. Senſu aſſertivo, & in perſona Chriſti. Primo modo proferuntur à ſacerdote, ſi proferantur ab eo ex intentione narrandi quid Chriſtus in ultima cœna egerit. Secundo modo proferuntur à ſacerdote, ſi proferantur ab eo ex intentione affirmandi in perſona Chriſti hoc eſſe Corpus ipſius, ſeu ex intentione loquendi in perſona Chriſti, & in ejus perſona loquendo ſignificandi corpus ejus præſens eſſe ſub ſpecie panis.

Itaque ſi primo modo proferantur à ſacerdote, omiſſis prioribus, *Accipite & manducate*, non habent ſenſum integrum, & reddunt falſum: nam ſic prolata faciunt propoſitionem cauſalem cum verbis præcedentibus, & cùm nulla præceſſerint, reddunt rationem dicti, quod non eſt; at ſenſum integrum & verum habent, quantùmvis ſolitariè prolata, & prioribus, quibuſcum propoſitionem cauſalem faciunt, prætermiſſis, ſi ſecundo modo proferantur: nam tunc redundat quidem particula *enim*; at non obſtat, quominùs perfectè & integrè ſignificent & affirment, hoc eſſe corpus Chriſti, ſeu quominùs perfectè & integrè ſignificent & affirment præſentiam corporis Chriſti: unde tunc particula *enim* interjecta, non magis conſecrationem impediet, quàm impediat, præmiſſis prioribus verbis, *Accipite & manducate*, verba enim conſecratoria operantur, cùm ſufficienter ſignificant: quare tunc hæc verba, *Hoc eſt enim Corpus meum*, non ſolùm perfectum & integrum, ſed etiam verum ſenſum habebunt.

Illa igitur verba, *Accipite & manducate*, non ſunt de eſſentia formæ conſecratoriæ panis; licèt ſacerdos celebrans non dicat, *Hoc eſt Corpus meum*, ſed, *Hoc eſt enim Corpus meum*. Ratio eſt, quia ab illis horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, ſenſus aſſertivus, qui ſolus ad validam conſecrationem requiritur, adeòque ſolus eſſentialis eſt formæ conſecratoriæ, nullatenùs dependet: manet enim hic ſenſus, & quidem perfectus ac integer, hoc ipſo quod ſacer-

dos, ex intentione conſecrandi, dicit, *Hoc eſt enim Corpus meum*, in quibus verbis deficiet tantùm ſenſus hiſtoricus, & ejus veritas, ſi præcedentia, quibuſcum faciunt propoſitionem cauſalem, à ſacerdote omittantur.

ARTICULUS VII.

Solvuntur aliquot dubia circa formam Euchariſtiæ.

§. I.

Quid pronomina, hoc & hic *ſignificent in forma Euchariſtiæ, ſeu in verbis illis*, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus.

R*Eſp.* In verbis illis, *Hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, pronomina *hoc* & *hic* ſignificant & demonſtrant corpus & ſanguinem Chriſti, quod jam obſervatum & probatum eſt: at non ſignificant ſub ratione explicita & diſtincta corporis & ſanguinis Chriſti: alioquin formæ conſecratoriæ, quod dici nefas eſt, eſſent propoſitiones identicæ & nugatoriæ, & ſenſus illarum eſſet. Hoc corpus meum eſt corpus meum, Hic ſanguis meus eſt ſanguis meus. Supereſt igitur ut ſignificent ſub confuſa & implicita ratione rei contentæ ſub ſpeciebus panis & vini, quando verba conſecratoria prolata ſunt: ita ut ſenſus ſit: *Hoc eſt Corpus meum*, id eſt, Hæc res, quæ continetur ſub ſpecie panis, eſt Corpus meum: *hic eſt Sanguis meus*, id eſt, Hæc res, quæ continetur ſub ſpecie vini, eſt ſanguis meus. Ratio eſt, quia pronomina demonſtrativa, in ſubjecto propoſitionis abſque ſubſtantivo eis adjuncto poſita, confusè tantùm & generatim ſignificant rem aliquam, adeòque exponi debent per to hæc res.

Dixi, Quando verba conſecratoria prolata ſunt: nam pronomen *hoc* in forma conſecratoria Corporis, non demonſtrat id quod initio prolationis exiſtit, ſed deſinit exiſtere, forma integrè prolata: nemo enim intendit demonſtrare id, quod non exiſtit ampliùs, ſed id quod exiſtit, propoſitione, qua demonſtrat, prolata. Id autem quod, forma integrè prolata, non exiſtit ampliùs, eſt ſubſtantia panis; & quod exiſtit ſub ſpecie panis, eſt Corpus Chriſti, in quod ſubſtantia panis tranſmutata eſt. Ergo pronomen *hoc*, in forma conſecratoria Corporis, non ſubſtantiam panis, ſed Corpus Chriſti demonſtrat, ſub ratione ſcilicet confuſa rei contentæ ſub panis ſpecie, ut jam dictum eſt. Similiter pronomen *hic*, in forma conſecratoria Sanguinis, ut facilè intelligitur ex modò dictis, non vinum, ſed Sanguinem Chriſti demonſtrat, ſub ratione confuſa rei contentæ ſub ſpecie vini; quia id demonſtrat, quod in fine prolationis formæ incipit exiſtere ſub ſpecie vini, non id quod tunc deſinit exiſtere.

Dices. Pronomen *hoc* demonſtrat id quod præſens eſt, quando pronuntiatur. Atqui quando ſacerdos conſecrans, pronuntiat pronomen *hoc*, id quod eſt præſens, panis eſt, non corpus Chriſti. *R.* majorem ſemper eſſe falſam in demonſtrationibus practicis, in quibus fit id quod demonſtratur, & in quibus proinde demonſtratur, non id quod præſens eſt, cum pronuntiatur pronomen demonſtrativum, ſed id quod præſens eſt, cùm propoſitio practica integrè prolata eſt.

Dices iterum. Forma conſecratoria Corporis ſignificat converſionem panis in Corpus Chriſti, adeòque verbum *eſt* in forma illa idem valet ac convertitur. Ergo in forma illa demonſtratur panis in Corpus Chriſti convertendus. *R.* neg. ant. vel, ſi vis, diſt. Forma conſecratoria Corporis converſionem panis in Corpus Chriſti ſignificat formaliter & explicitè, N. ant. Significat conſecutivè & implicitè, Tranſeat. Itaque forma conſecratoria Corporis formaliter & explicitè ſignificat ſolam realem præſentiam Corporis Chriſti ſub ſpecie panis: unde vi hujus formæ, Corpus Chriſti ſub ſpecie panis proximè & immediatè reproducitur; & quia Corpus Chriſti reproducitur ſub ſpecie panis, ſubſtantia panis deſtruitur: non enim Corpus Chriſti ſub ſpecie panis reproducitur, quia deſtruitur panis ſubſtantia, ſed è contra deſtruitur ſubſtantia panis, quia ſub ejus ſpecie reproducitur Corpus Chriſti, atque ita Corporis Chriſti reproductio natura, vel ſaltem ratione prior eſt ſubſtantiæ panis deſtructione, quæ propter naturalem duarum ſubſtantiarum ſub iiſdem accidentibus incompoſſibilitatem, naturaliter ſequitur ex Corporis Chriſti reproductione. Quare ad effectum conſecrationis neceſſe non eſt, ut forma conſecratoria ſignificet deſtructionem panis, vel ejus converſionem in Corpus Chriſti; ſed ſufficit quòd ſignificet Corporis Chriſti realem præſentiam ſub ſpecie panis: nam ſic ad reproducendum Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, ſufficienter determinat Deum, qui hoc ipſo conſequenter determinatur ad ſubſtantiam panis deſtruendam, quo pacto ſubſtantia panis in Chriſti Corpus convertitur.

Dices 3. In forma conſecratoria Corporis, pronomen *hoc* demonſtrat ſpeciem panis, & in forma conſecratoria Calicis, pronomen *hic* demonſtrat ſpeciem vini. *R.* neg. Nam ſi ita eſſet, vel formæ conſecratoriæ eſſent falſæ; nam nec ſpecies panis eſt Corpus Chriſti, nec ſpecies vini eſt ſanguis ejus; vel accipiendæ eſſent in ſenſu improprio, qui hic eſſet: Hæc ſpecies panis continet Corpus Chriſti, hæc ſpecies vini continet Sanguinem Chriſti. At perperam dicitur, quòd Chriſtus in hoc ſenſu improprio locutus ſit, quando dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*; cùm hoc utrumque verè dicere potueſit in ſenſu proprio. Præterea, ſenſum improprium à verbis conſecratoriis omninò rejicere debent Catholici, ne anſam præbeant hæreticis, nomen Corpus impropriè accipiendi pro figura corporis.

Dices 4. Cùm Chriſtus apud Matthæum cap. 26. dixit, *Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim Sanguis meus*; dicendo, *Bibite ex hoc omnes*, demonſtravit vinum. Ergo & vinum demonſtravit, dicendo, *Hic eſt enim Sanguis meus*: non enim duo, ſed unum & idem demonſtravit. *Ad ſolutionem nota.* Verba illa, *Bibite ex hoc omnes*, cum ſubſequentibus, *Hic eſt enim Sanguis meus*, faciunt unam propoſitionem completam & integram, adeòque ſine illis non habent ſenſum completum & integrum, eumque planè diverſum ab illo, quem haberent ſolitariè prolata: in hac enim propoſitione cauſali, *Bibite ex hoc omnes*, *hic eſt enim Sanguis meus*, ſenſus determinatur per verba illa, *hic eſt enim Sanguis meus*, & in eis completur. Unde *R.* Chriſtum, dicendo, *Bibite ex hoc omnes*, *hic eſt enim Sanguis meus*, unum tantùm ſignificaſſe & demonſtraſſe, nempè ſanguinem ſuum, quamvis non ſufficienter, niſi cùm ultima verba protulit, *Hic eſt enim Sanguis meus*, quia tunc tantùm ſenſus perfectus fuit & integer.

§. II.

Utrùm pronomina hoc & hic *in formis conſecratoriis*, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, *ſumantur adjectivè, an ſubſtantivè.*

R*Eſp.* Sumuntur ſubſtantivè: nam ante copulam ponuntur ſolitariè, ſine ſubſtantivo ſibi adjuncto aut ſubintellecto, & re verâ habent rationem ſubjecti, quod adjectivis convenire non poteſt. Ergo, &c.

Dices. In forma calicis, pronomen non exprimitur neutraliter. Ergo ſumitur adjectivè. Præterea, tam pronomen *hic* adjectivè ſumitur in hac propoſitione, *Hic eſt calix Sanguinis mei*, quàm in iſta, Hic eſt frater meus. Ergo, &c. *R. ad* 1. ad hoc ut in forma calicis, ſubſtantivè ſumatur pronomen, neceſſe non eſſe ut exprimatur in neutro genere. *Ad* 2. diſparitatem eſſe, quia in hac propoſitione, Hic eſt frater meus, ex parte ſubjecti ſubintelligitur nomen ſubſtantivum, nempe homo: in hac autem propoſitione, *Hic eſt calix Sanguinis mei*, ex parte

ſubje-

ſubjecti non ſubintelligitur nomen ſubſtantivum, ſed ſolùm pronomen *hic* ſupponit pro ſubſtantia in communi, ſine qualitate, id eſt, forma determinata, ut ait S. Thomas hic qu.78. art.5. in O. ſeu, ut à nobis ſuprà dictum eſt, pro contento ſub ſpecie vini, confusè & implicitè ſumpto.

§. III.

Utrùm verba conſecratoria à ſacerdote celebrante proferantur hiſtoricè & aſſertivè.

RESP. Affirmativè. Nam 1. proferuntur hiſtoricè: proferuntur enim à ſacerdote in propria perſona, ex intentione narrandi quid Chriſtus egerit & dixerit in cœna ultima, quando inſtituit & conſecravit Euchariſtiam, ut patet ex contextu canonis: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, &c. Et elevatis oculis ad cœlum, & tibi gratias agens, benedixit, & fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, &c. Hoc eſt enim, &c. Similiter poſtquam cœnatum eſt, &c.* Ex quibus apparet, verba ſacramentalia, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe partem narrationis, & connecti cum verbis præcedentibus, quæ ſine illis non habent ſenſum integrum & completum: unde gratis omninò diceretur, interrumpi narrationem, quando ad verba ſacramentalia ventum eſt.

2. Verba conſecratoria à ſacerdote celebrante proferuntur aſſertivè & ſignificativè: ſacerdos enim celebrans non ſolùm intendit proferre in propria perſona, ut referat quid à Chriſto actum & dictum ſit in inſtitutione Euchariſtiæ, ſed etiam intendit ea proferre in perſona Chriſti, & ſignificare ac demonſtrare Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, hic & nunc ſibi præſentibus.

§. IV.

Utrùm verba conſecratoria efficiant Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, quà ſunt vera; ita ut eorum vis efficiendi fundetur in eorum veritate, & operentur quà vera.

RESP. Vim verborum illorum non fundari in eorum veritate: nam id in quo fundatur vis efficiendi verborum illorum, natura prius eſt & independens à reproductione Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ut per ſe manifeſtum eſt. Atqui veritas verborum illorum non eſt natura prior & independens à reproductione Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ſed è contra poſterior ac dependens: ex eo enim quod eſt vel non eſt res per propoſitionem ſignificata, propoſitio eſt vera vel falſa; & prius eſt rem ſignificatam eo modo quo ſignificatur, exiſtere, quàm propoſitionem ſignificantem veram eſſe: unde exiſtentia rei ſignificatæ, eo modo quo ſignificatur, dicitur & eſt ſuo modo cauſa veritatis propoſitionis ſignificantis. Ergo id in quo fundatur vis efficiendi verborum illorum, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, nec eſt, nec poteſt eſſe eorum veritas, quæ ſupponit reproductionem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, adeòque & vim reproducendi Corpus & Sanguinem, &c. & id in quo fundatur hæc vis. Supereſt igitur ut vis efficiendi verborum illorum, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, fundetur in eorum ſignificatione, quæ ex ſola impoſitione dependet. Illa enim verba, ſuppoſita ſola inſtitutione, ſignificant, ſive vera ſint, ſive non, ſive vim habeant efficiendi, ſive non. Sed ad horum pleniorem intelligentiam,

Nota. In verbis illis, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, ſex conſideranda ſunt hoc ordine. 1. Sonus materialis verborum. 2. Significatio, quæ ſolam impoſitionem ſupponit. 3. Vis efficiendi, quæ fundatur in ſignificatione: hanc enim vim habent verba illa, quia ſignificant. 4. Efficientia, ſeu reproductio Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. 5. Præſentia Corporis & Sanguinis, &c. 6. Veritas ſeu conformitas cum objecto ſignificato. Porrò hic multi duplicem veritatem diſtinguunt; practicam ſcilicet, & ſpeculativam. Practica eſt veritas in cauſando, adeòque nihil aliud eſt, quàm ipſa vis efficiendi id quod ſignificatur. Veritas ſpeculativa eſt veritas in demonſtrando, & conſiſtit in conformitate verborum cum re demonſtrata. Hac diſtinctione ſuppoſita, dicendum eſt verba conſecratoria operari, quà vera practicè, non quà vera ſpeculativè.

DISPUTATIO IV.

De præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

ARTICULUS I.

De erroribus circa præſentem controverſiam.

1. SImoniani, & alii hæretici ſub finem primi ſæculi, indirectè, & conſequenter de veritate Euchariſtiæ malè ſenſerunt: cùm enim crederent Verbum divinum non verum corpus, ſed tantùm figuram corporis aſſumpſiſſe, conſequenter aſſerebant, in Euchariſtia eſſe tantùm corporis figuram. Teſtis eſt Ignatius Martyr apud Theodoretum dial.3. ubi hæc ſancti Martyris ex epiſt. ad Smyrnenſes verba referuntur: *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.*

2. Meſſaliani ſæculo IV. videntur Euchariſtiam habuiſſe pro pane communi, non pro Corpore Chriſti: dicebant enim ſumptionem Euchariſtiæ rem eſſe indifferentem, quæ nec obſit nec proſit, ut refert Theodoretus lib.4. hiſtoriæ eccleſiaſticæ apud Valeſium cap. 11. ubi loquens de Meſſalianis, ſic ait: *Se ab eccleſiaſtica quidem communione neutiquam ſepararunt, nec prodeſſe quidquam, nec nocere dicentes eſcam divinam: de qua Dominus noſter Chriſtus ita loquitur:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, vivet in æternum. *Dum autem morbum ſuum occultare ſtudent, etiam poſtea quam convicti ſunt, impudenter negant, eoſque condemnant qui eadem ſentiunt, quæ ipſi in pectore habent recondita.* Habes in hiſce Theodoreti verbis, quod obſervaſſe non pigebit, graphicè deſcriptos è novatoribus ætatis noſtræ plurimos, qui ſeſe à communione eccleſiaſtica ſeparare nolunt, quamvis ab Eccleſiæ doctrina abhorreant, & ut ſerviant tempori, hæretica quibus adhærent dogmata, palàm etiam cum juramento damnare non cunctantur.

3. Neſtoriani V. ſæculo unionem hypoſtaticam negantes, conſequenter negarunt in Euchariſtia ſumi carnem Verbi divini; quod damnavit Cyrillus in Synodo Alexandrina anathematiſmo 11. ut patet ex ipſius Cyrilli declaratione ad illum anathematiſmum, ubi ait: *Sanctum ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus, corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis nobiſque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes, ſed potius tanquam proprium corpus effectum, & ſanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes... Cum itaque Neſtorius, & qui cum illo ſentiunt, myſterii hujus virtutem temerè diſſolvant, propterea & ad id quidem admodum convenienter, editus eſt hic anathematiſmus.*

4. Iconoclaſtæ ſæculo VIII. in quodam ſuo conciliabulo Conſtantinopolitano, quod falsò ſeptimam Synodum nominabant, minùs cautè locuti ſunt de ſacramento Euchariſtiæ, dicendo unicam eſſe Chriſti imaginem, ab ipſo Chriſto inſtitutam, nempe *Euchariſtiæ panem*, (quem Chriſtus) ut non falſam imaginem naturalis carnis, per ſancti Spiritus adventum ſanctificandum, divinum Corpus fieri voluit medianO 4 te ſa-

Google

te ſacerdote, qui oblationem de communi ſeparans, ad ſanctificationem pertingere facit. Iconoclaſtas in Synodo Nicœna II. quæ fuit vera Synodus ſeptima, Epiphanius Diaconus refellit actione 6. tom. 3. *Nullus*, inquit, *aliquando tubarum ſpiritus, ſanctorum ſcilicet Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum noſtrorum, incruentum ſacrificium noſtrum ... dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino ſic dicere vel confiteri, ſed audiunt evangelicè dicentem eum: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis.*

5. Joannes Scotus ſæculo IX. primus in Eccleſia Latina realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia oppugnare auſus eſt in libro de corpore Domini, quem ab eo Caroli Calvi juſſu exaratum fuiſſe, ſcribit Berengarius in ſuis ad Ricardum litteris. Librum hunc in Con-
To 9. Conc. an. 1050. cilio Vercellenſi anno 1050. præſide Summo Pontifice Leone IX. lectum & damnatum fuiſſe, diſertis verbis aſſerit Lanfrancus in ſuo adversùs Berengarium commentario. Joanni Scoto eodem ſæculo ſocium adjungunt aliqui Bertramum quemdam presbyterum; ſed rectiùs nobis ſentire videntur, qui dicunt librum Scoti, nono & undecimo ſæculo ſub ipſius nomine lectum, duodecimo legi cœpiſſe ſub nomine Bertrami.

6. Berengarius Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus, ſæculo XI, errorem Joannis Scoti, lecto ejus libro, amplexus eſt, eumque palàm propugnare cœpit ante annum 1050. aſſerens, ut teſtatur Anonymus, qui anno 1088. quo Berengarius mortuus eſt, ſcribebat; aſſerens, inquam, *Panem & vinum in ſacrificio Domini, non verè, nec eſſentialiter* (id eſt, ſubſtantialiter) *ſed figuratè tantùm converti in Corpus & Sanguinem dominicum: quod*, inquit Anonymus, *catholicæ fidei & evangelicæ veritati apertiſſimè adverſatur, uti ſancti Patres docuerunt.*

Mirum itaque videri non debet, quòd Berengarius damnatus fuerit in tot Conciliis, & à tot ſummis Pontificibus. Damnatus autem eſt anno 1050. in Concilio Romano II. ſub Leone IX. præſide ipſo Summo Pontifice, & à communione Eccleſiæ ſemotus, atque juſſus adeſſe Synodo, proximè menſe Septembri Vercellis celebrandæ, cui ipſe Leo IX. præſuturus erat. Non paruit Berengarius, qui iterùm ſynodali ſententia perculſus eſt, fide, quam omnes Catholici de veritate corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini eatenùs habuerant, confirmata, & libro Joannis Scoti de corpore Domini ſub anathemate proſcripto.

Ibid p. 1069. Eodem etiam anno, procurante Henrico I. Francorum Rege, Concilium Epiſcoporum Pariſiis habitum eſt menſe Octobri. Berengarius, ut refert Durandus Troarnenſis, malæ conſcientiæ perculſus terrore, ut juſſus erat, eò venire noluit. Lectæ ſunt litteræ ab eo ad Paulum quendam familiarem ſuum pro ſuo dogmate ſcriptæ. Omnibus talis lectio, quoniam nequiſſima ſordebat hæreſi, vehementer diſplicuit. Communi Epiſcoporum ſententia damnatus eſt Berengarius cum ſuis complicibus, & codice Scoti, ex quo hæreticum Berengarii dogma ſumptum videbatur.

Trium Conciliorum, quorum duobus prioribus Pontifex maximus præſederat, auctoritati minimè ceſſit Berengarius, ut patet ex ejus ad Richardum epiſtola, in qua graviter queritur de injuria ſibi & Joanni Scoto facta ab Henrico Rege, cujus juſſu coacta fuerat Synodus Pariſienſis. Cùm igitur hæretici ſui dogmatis virus ſpargere non ceſſaret Berengarius, anno 1055. ſub Victore II. Hildebrandus, tunc temporis Eccleſiæ Romanæ ſubdiaconus, & Legatus Sedis Apoſtolicæ, Turonibus Concilium habuit in cauſa Berengarii, qui cùm præſens eſſet, nec dogma ſuum defendere poſſet, ſub jurejurando, inquit Anony-
,, mus, ,, propriam hæreſim anathematizavit, & com-
,, munem ſanctæ Eccleſiæ fidem de veritate corporis
,, & ſanguinis (ſub ſpeciebus panis & vini) ſe dein-
,, ceps ſervaturum ſub eodem juramento promiſit.
Idem teſtantur Guitmundus & Lanfrancus to. 9. Conc. pag. 1081.

Poſthabito juramento, quod in Concilio Turonenſi præſtiterat, Berengarius rediit ad ſuam hæreſim, quam poſtea anno 1059. à Nicolao II. Romam evocatus, & in Concilio centum & tredecim Epiſcoporum, præſide ipſo Summo Pontifice, auditus, confutatus, & convictus, iterùm abjuravit: ibidem in ſummi Pontificis, & totius Synodi conſpectu libros perverſi dogmatis manu propria combuſſit; cùmque juraſſet, fidei profeſſionem, quæ incipit: *Ego Berengarius indignus diaconus*, & extat in diſt. 2. de conſecratione, ab Epiſcopis, qui præſentes erant, traditam, inviolabiliter ſeſe ſervaturum, veteremque ſuam doctrinam de corpore & ſanguine Domini deinceps aliis non prædicaturum, ad Eccleſiæ communionem receptus eſt, ut teſtatur Lanfrancus in ſuo adverſus Berengarium commentario.

Jurejurando confirmatum à Berengario, ab eoque manu propria ſubſcriptam præfatam fidei profeſſionem per diverſa regna tranſmiſit Nicolaus, ut Eccleſiæ, quas ejus everſio ſcandalizaverat & afflixerat, eo converſo gauderent, & gratias Deo agerent. Sed Berengarius, (verba ſunt Anonymi) ,, more ſuo ad pro-
prium vomitum redire non timuit, & ultra omnes ,,
hæreticos, Romanos Pontifices, & ſanctam Roma- ,,
nam Eccleſiam verbis & ſcriptis blaſphemare præ- ,,
ſumpſit. Nempe ſanctum Leonem Papam, non Pon- ,,
tificem, ſed Pompificem, & Pulpificem appella- ,,
vit; ſanctam Romanam Eccleſiam, vanitatis Con- ,,
cilium, & Eccleſiam malignantium; Romanam Se- ,,
dem, non Apoſtolicam, ſed Sedem Satanæ, dictis ,,
& ſcriptis non timuit appellare. ,,
Denique hæreſim ſuam, poſt tot ſynodicas dam- ,,
nationes, & adjurationes, clanculò per diſcipulos ,,
ſuos uſquequaque non ceſſavit diſſeminare, & quos- ,,
libet incautos veneno ſuæ hæreſeos inficere: donec ,,
in Concilio Romano VI. ſub Gregorio VII. anno ,,
1079. coram Summo Pontifice & Epiſcopis atque ,,
Abbatibus centum quinquaginta erraſſe ſe confitens, ,,
veniamque poſtulans, hanc cum jurejurando emi- ,,
ſit fidei profeſſionem. ,,
Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, ,,
panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per my- ,,
ſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redempto- ,,
ris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ,,
ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti ,,
Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum ,,
Corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ,,
ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ,,
ſedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem ,,
Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantùm ,,
per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprie- ,,
tate naturæ & veritate ſubſtantiæ ... Sic credo, nec ,,
contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus ,,
adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. ,,

7. Hæreſim Berengarii, quamvis toties ab Eccleſia proſcriptam, & ab ipſo Berengario ſolemniter retractatam, amplexi ſunt ſæculo XII. Henricus quidam, cum Petro Bruis, qui dicebat, ſemel tantùm, nempe in ultima cœna, Corpus Chriſti verè datum fuiſſe ſub ſpecie panis. Sæculo XIII. Albigenſes, aſſerentes ſacramentum Euchariſtiæ non eſſe verum corpus Domini. Sæculo XIV. Author ſectæ Flagellantium, & Joannes Vvicleffus, qui docuit Corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, niſi ut in ſigno.

Denique ejuſdem erroris ſæculo XVI. patroni extitere Andreas Carloſtadius Archidiaconus Vvittembergenſis, ac primarius Lutheri diſcipulus, Zvvinglius Tigurinus paſtor, Joannes Oecolampadius ex Monacho Birgittano apoſtata, Joannes Calvinus, Theodorus Beza, &c.

At inquies. Calvinus lib. 4 inſtit. cap. 17. §. 32. dicit, nos in Cœna dominica ſub ſymbolis panis & vini ipſummet Corpus & Sanguinem Chriſti ſumere. *In ſacra*, inquit, *ſua Cœna jubet me* (Chriſtus) *ſub ſymbolis panis & vini Corpus & Sanguinem ſuum ſumere, manducare & bibere. Nihil dubito quin & ipſe porrigat, & ego recipiam.* R. Calvinum hìc in verbis ludere, & ſubſequentibus realem Corporis & San-

Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini præſentiam rejicere & impugnare : *Fidem*, inquit, *nos iſta, quam enarravimus, corporis participatione non minùs lautè affluenterque paſcimur, quàm qui ipſum Chriſtum è cælo detrahunt. Ingenuè intereà confiteor, mixturam carnis Chriſti cum anima noſtra, vel transfuſionem, qualem ab ipſis* (Catholicis) *docetur, me repudiare : quia nobis ſufficit, Chriſtum è carnis ſuæ ſubſtantia vitam in animas noſtras ſpirare : imò propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipſa Chriſti caro.*

Cùm itaque Calvinus loco citato & aliis ſimilibus ait, nos in cœna dominica ſumere Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſymbolis panis & vini, non intelligit ſumptionem realem ac propriè dictam, qua ſcilicet, cibus ex ore in ſtomachum trajicitur per inſtrumenta vitalia, ſed ſpiritalem tantùm & impropriè dictam, quæ fit per fidem, qua ſcilicet Chriſtus in cœlo exiſtens ſic apprehenditur, ut perinde corpore & ſanguine ſuo animas noſtras reficiat, ac ſi verè, realiter, & ſubſtantialiter eſſent ſub ſpeciebus panis & vini, atque ita in nos re ipſa ingrederentur.

Hanc eſſe mentem illius, patet ex citato cap. §. 5. ubi ait : *Sunt enim qui manducare Chriſti carnem & ſanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt, nihil eſſe aliud, quàm in Chriſtum ipſum credere. Sed mihi expreſſius quiddam ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus in præclara illa concione, ubi carnis ſuæ manducationem nobis commendat : nempe vera ſui participatione nos vivificari, quam manducandi etiam, ac bibendi verbis ideò deſignavit, ne quam ab ipſo vitam percipimus, ſimplici cognitione percipi quiſpiam putaret. Quemadmodum enim non aſpectus, ſed eſus panis corpori alimentum ſufficit : ita verè ac penitùs participem Chriſti animam fieri convenit, ut ipſius virtute in vitam ſpiritualem vegetetur. Interim verò hanc non aliam eſſe, quàm fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi poteſt.*

Juxta Calvinum, ad præſentiam panis & vini Chriſtus per fidem apprehenditur per modum cibi & potus animam ſpiritualiter reficientis ; & quia ſic apprehenſus, animam, quamvis ab ea toto cœlo diſtet, corpore ac ſanguine ſuo ſpiritualiter reficit, rectè dicimur ipſum manducare, quæ manducatio non eſt niſi fidei manducatio, quia reverà Chriſtus ſic ſola fide manducatur, non verò corpus ejus per linguam & palatum ex ore in ſtomachum trajicitur. Quòd ſi quæras à Calvino, quo pacto Chriſtus, in ſolo cœlo exiſtens, poſſit nihilominùs corpore ac ſanguine ſuo hominis in terra exiſtentis animam ſpiritualiter reficere per veram ac realem conjunctionem, quod videtur evidenter impoſſibile, reſpondebit ſe neſcire : *Porrò*, inquit, §. 32. *de modo ſi quis me interroget, fateri non pudebit, ſublimius eſſe arcanum, quàm ut vel meo ingenio comprehendam, vel enarrari verbis queat.*

Contra hanc hæreſim, cujus auctor fuiſſe Berengarius communiter dicitur, quia illam à Joanne Scoto inventam primus propagare ſtuduit, & re ipſa propagavit, Eccleſia catholica ſentit, ſicut ſemper ſenſit, poſt conſecrationem panis & vini ſub panis & vini ſpeciebus, verè, realiter, ac ſubſtantialiter contineri Corpus & Sanguinem Chriſti, unà cum anima & divinitate illius ; adeòque Chriſtum ipſum in Euchariſtia totum ſub ſpecie panis, & totum ſub ſpecie vini verè, realiter, & ſubſtantialiter præſentem eſſe. Fundamentalem hanc veritatem ſequentibus articulis demonſtrabimus.

ARTICULUS II.

Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia probatur ex Scriptura.

§. I.

PRobatur ex verbis, quibus inſtitutio Euchariſtiæ promittitur, cap. 6. Joan.

Chriſtus cap. 6. Joan. v. 52. ſic ait : *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* ; vel, ut habet Græcum : *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* His autem verbis Chriſtus 1. promittit : non enim dicit, Panis, quem ego do, ſed, *Panis, quem ego dabo.* 2. Panem, quem promittit, non dicit eſſe ſignum ſeu figuram carnis ſuæ, quam immolaturus eſt in cruce pro ſalore huminum, ſed clarè & expreſsè aſſerit, eſſe illam ipſiſſimam carnem ſuam : *Caro mea eſt*, inquit, *quam ego dabo pro mundi vita.* Quod eadem clarirare inculcat inferiùs, cùm ait : *Caro mea verè eſt cibus.* 3. Promittit carnem ſuam manducandam : nam promittit illam, ut panem & cibum. 4. Promittit carnem ſuam ut manducandam, non ſub propria ſpecie, ſed ſub aliena, nempe ſub ſpecie panis : nam idcircò panem illam vocat. Prætereà, non promittit illam ut manducandam ſub propria ſpecie, & ad modum aliarum carnium, quæ occiſæ, coctæ, & in fruſta diviſæ teruntur dentibus. Ergo, &c.

Hìc autèm Chriſtus non ſolùm promittit carnem ſuam ut manducandam ſub ſpecie panis, ſed etiam promittit ſanguinem ſuum ut bibendum ſub ſpecie vini, ut patet ex ſubſequentibus : nam poſt pauca ſic loquitur : *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam .... Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus : qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hìc igitur neceſſariò ſubintelliguntur verba, quibus Dominus promittit Sanguinem ſuum per modum potus ; niſi hæc promiſſio dicatur contineri verbis illis : *Sanguis meus verè eſt potus.* Hìc igitur Dominus promittit Sanguinem ſuum ut bibendum : at non promittit ut bibendum ſub propria ſpecie ; ſanguis enim ſub propria ſpecie, rationem potus habere non poteſt. Igitur Dominus Sanguinem ſuum promittit ut bibendum ſub ſpecie liquoris ad refectionem corporalem, adeòque ad potandum ex natura ſua ordinati, qui certè alius non eſt, quàm vinum de vite, quod propter excellentiam ſuam præ omni alio liquore potabili aſſumi à Chriſto congruum fuit. Sed ad majorem veritatis hactenùs probatæ confirmationem.

Nota. In capite citato agitur de triplici pane, materiali, ſcilicet, ſpirituali, & ſacramentali : agitur enim de quinque panibus hordeaceis, quibus miraculosè multiplicatis Chriſtus virorum quaſi quinque milla ſaturavit. Cùm autem turbæ ob tantum miraculum ſequerentur Chriſtum, ut iterùm ſimili prodigio ſaturarentur, inde occaſionem ſumit eas adhortandi verſ. 27. & ſeqq. ut potiùs panem ſpiritualem, quàm corporalem quærant, & de ſe ipſo loquendi, ut pane ſpirituali edendo per fidem, qua creduntur ejus divinitas & incarnatio : *Operamini*, inquit, *non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam ...... hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille ..... Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo .... Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam, &c.* Tandem verſ. 51. ad Euchariſtiam, à ſe aliquando inſtituendam ſermonem convertens, promittit carnem ſuam, ut manducandam ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſuum, ut bibendum ſub ſpecie vini : *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, &c. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

Dices. Non deſunt etiam Catholici, qui negent Chriſtum loqui de Euchariſtia hoc c. 6. Joan. *R.* Paucos eſſe, & eos ita ſentire contra communem ſenſum Patrum & Interpretum, contra torrentem Doctorum, contra Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 2. & ex levi admodum motivo, videlic. ut eludant argumentum Huſſitarum & Lutheranorum, qui ex cap. citato probant, jure divino præceptam eſſe communionem ſub utraque ſpecie, de quo infrà ſuo loco.

Præ-

Præterea, contra paucos illos Catholicos ſic argumentamur. 1. Cùm Chriſtus ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, vel loquitur de ſe ipſo ut ſpiritualiter edendo per fidem, vel de carne ſua ut ſacramentaliter edenda ſub ſpecie panis in Sacramento Euchariſtiæ. Non primum: nam ſi ſeipſum intelligeret ut ſpiritualiter edendum per fidem extra Euchariſtiam, non loqueretur in futuro: Chriſti enim manducatio, quæ fit per fidem extra ſacramentum Euchariſtiæ, non erat tunc primùm futura, ſed jam tunc Chriſtum ſic manducabant multi, quia jam multi credebant; imò ſic Chriſtum manducaverant, quotquot juſtificati fuerant in lege naturæ, & Moſaica, quia nemo unquam juſtificari potuit ſine aliqua in Chriſtum fide: unde manducatio Chriſti per fidem, fuit omnium temporum, adeòque futura non erat quando Chriſtus dicebat: *Panis quem ego dabo, &c.* Ergo, &c.

a. Cùm Chriſtus ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, evidenter promittit aliquid novi. Item promittit aliquid manducandum, quod non manducaverunt Iſraelitæ in deſerto: nam inferiùs ſic proſequitur: *Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem*, (quem ego daturus ſum) *vivet in æternum*. Ergo Chriſtus non loquitur de manducatione ſui per fidem: ſic enim Chriſtum manducare, non erat quid novum, & ſic eum in deſerto manducaverant Iſraelitæ. Supereſt igitur, ut Chriſtus loquatur de manducatione ſacramentali carnis ſuæ in Euchariſtia. Quod

Confirmari poteſt. 1. Quia ſi hìc Chriſtns non loquitur de Euchariſtia, nullibi fructum & excellentiam ejus expoſuit. Quòd autem pro Euchariſtia non fecerit, quod fecit pro Baptiſmo, credibile non eſt. Baptiſmi autem neceſſitatem & præſtantiam, antequam illum inſtituat, explicat Joan. cap. 3. his verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* 2. Joannes in toto ſuo Evangelio nuſquam meminit tanti ſacramenti, quod eſt etiam incredibile: unde S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. ſic ait: *Joannes de corpore & ſanguine Domini hoc loco* (cap. 13.) *nihil dixit, ſed planè alibi* cap. 6. *multo uberius hic Dominum locutum eſſe teſtatur*.

Dices. Sermo ille, quem cap. 6. Joannes refert, à Chriſto habitus eſt integro anno ante paſſionem ejus, cujus pridie Euchariſtiam inſtituit. Ergo Chriſtus in illo ſermone non loquitur de Euchariſtia. *Reſp.* neg. conſeq. Nam ex antecedente ſequitur tantùm, quòd Chriſtus Euchariſtiam promiſerit uno anno antequam illam inſtitueret; ſicut Matth. cap. 16. ante mortem ſuam promiſit Petro claves regni cœlorum, quas tamen ei non tradidit, niſi poſt ſuam reſurrectionem, Joan. cap. 21.

Dices. Chriſtus cap. citato loquitur de illa tantùm manducatione, quæ dat vitam. Atqui ſola manducatio ſpiritualis per fidem, vitam dat. Ergo de ea ſola loquitur Chriſtus. *Reſp.* neg. min. Nam manducatio ſacramentalis dat vitam efficienter, & inſtrumentaliter, ſicut eam dat diſpoſitivè manducatio ſpiritualis per fidem: neque refert quòd manducatio ſacramentalis vitam non det ſine ſpirituali manducatione per fidem: hoc enim non ex ipſa manducatione ſacramentali, quæ ex ſe ſemper eſt efficax, ſed ex ſola indiſpoſitione manducantis ſacramentaliter, provenit.

Dices. Hæc Chriſti verba: *Panis quem ege dabo, caro mea eſt*, intelligi non poſſunt de carne Chriſti propriè ac realiter manducanda. *Reſp.* neg. Et dico verba illa non ſolùm poſſe, ſed etiam debere de carne propriè ac realiter manducanda intelligi, ut *prob.* 1. Quia verba Scripturæ, quantùm fieri poteſt, in proprio ſenſu accipienda ſunt, niſi obſit graviſſima aliqua cauſa: nam ſi unuſquiſque poteſt pro libidine ad metaphoricos ſenſus detorquere Scripturam, nihil ex ea certi haberi poteſt, ipſaque ſeminarium erit omnium hæreſum. Atqui nihil planè obeſt, quominùs verba Chriſti laudata accipiantur in ſenſu proprio: ergo re vera ſic accipienda ſunt, adeòque de carne Chriſti propriè ac realiter manducanda intelligi debent.

a. Judæis eodem cap. inter ſe litigantibus, eò quòd Chriſtum de propria ac reali manducatione carnis ſuæ locutum eſſe putarent: *Litigabant ergo Judei ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Hanc cogitationem Chriſtus non removet, ſed è contra addit verba, quibus etiam cum jurejurando carnem ſuam propriè ac realiter manducandam, magis, ac magis ſignificat: *Amen amen dico vobis*, inquit, *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, &c.*

3. Diſcipulis ipſis ſcandalum patientibus, & murmurantibus eò quòd non ſolùm, ut Judæi, crederent Chriſtum promittere carnem ſuam propriè ac realiter edendam, ſed etiam edendam more communi, mortuam ſcilicet, & in fruſta diviſam: *Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Chriſtus tamen perſeverat in aſſerenda reali ac propria manducatione carnis ſuæ: *Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs?* hoc eſt, ſi hoc, quòd carnem meam realiter manducandam promitto, vos ſcandalizat nunc, cùm me videtis præſentem, quantò magis ſcandalizabit, cùm videretis me in cœlum aſcendiſſe?

4. Multis ex ejus diſcipulis ab eo diſcedentibus: *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant;* nihil planè adjecit, quo vel leviter inſinuaret, ſe de impropria & metaphorica manducatione locutum eſſe, illoſque diſcipulos abire paſſus eſt, ac dixit duodecim Apoſtolis: *Nunquid & vos vultis abire?* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Quod me de carnis meæ manducatione prænunciaſſe audiſtis, credere oportet; & qui nolunt credere, per me licet, abeant. Certè ſi Chriſtus dicendo: Panis quem ego dabo, &c. locutus fuiſſet in ſenſu improprio & metaphorico, id ſaltem Apoſtolis declaraſſet; cùm alia longè minoris momenti, quæ turbis propoſuerat paulò obſcuriùs, ſoleret illis exponere.

At inquies. Chriſtus ſe impropriè & metaphoricè locutum eſſe, ſatis declarat his verbis: *Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quidquam;* hoc eſt, inquiunt Calvioiſtæ, nil prodeſt re ipſa manducare carnem meam, ſed ſpiritu & fide manducare prodeſt: propterea non reipſa daturus ſum vobis meam carnem ad manducandum, ſed per fidem & ſpiritum. *R.* Calviniſticam hanc interpretationem manifeſtè contrariam eſſe cootextui.

Dico itaque cum Maldonato tom. 1. de Euchariſtia quæſt. 2. ſecundæ partis §. 3. Chriſtum, cùm ait: *Caro non prodeſt quidquam*, non loqui de carne ſua; & loci citati ſenſum eſſe hunc. " Humanum inge- „
nium, quod carnale eſt, non aſſequitur divina my- „
ſteria: Spiritus autem Dei eſt, qui excitat fidem „
& intelligentiam: & quia vos non trimini ſpiritu „
Dei, ſed ſenſu carnali veſtro, non poteſtis credere „
nec intelligere: ſicut Sapiens dixit, Sap. 9. *Corpus* „
quod corrumpitur, aggravat animam. Et Paulus „
1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ* „
ſunt ſpiritus Dei. „

Veritatem hujus interpretationis probat Chriſtus ipſe: nam poſt verba citata ſic continuò proſequitur: *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt* (ex materia ſcilic.) quia non de rebus cardinalibus, humanis & caducis aguor, ſed de divinis ſpiritualibus, & ad animæ vitam conferentibus, (ut exponit S. Chryſoſtomus homil. 46. in Joannem) *ſed ſunt quidam ex vobis* (quorum carnale ingenium eſt) *qui non credunt*.

„ Præterea, ut ait Maldonatus loco citato, cer- „
„ tiſſima

Digitized by Google

„ tiſſima regula eſt, non habens ullam exceptionem: „ quotieſcumque in ſacris litteris nomen *carnis* op- „ ponitur nomini *ſpiritus*, aut alteri idem valenti, „ accipi non pro natura carnis, ſed pro infirmitate „ & culpa, quæ naſcitur ex humana carne „. Hanc regulam demonſtrat Maldonatus longa Scripturæ textuum inductione: tum ſic concludit: „ Cùm ergo „ hoc loco videamus eſſe oppoſita, nomen *carnis*, „ & nomen *ſpiritus*, neceſſe eſt, ut *caro* accipiatur „ pro culpa & infirmitate humana, quæ non poterat „ in Chriſto eſſe. Quapropter non loquitur de ſua „ carne Chriſtus, ſed de auditorum imbecillitate: ſi- „ cuti cùm reprehendens Petrum quòd non poſſet vi- „ gilare, dixit: *Spiritus quidem promptus eſt, caro* „ *autem infirma*.

Addit Maldonatus authoritatem antiquorum Patrum, Tertulliani ſcilicet in lib. de reſurrectione carnis, Origenis, Chryſoſtomi, Cyrilli Hieroſolymitani, &c. Verba Chryſoſtomi homil. proximè citata ſunt: *Quomodo igitur ait* (Chriſtus) *Caro non prodeſt quidquam? Non de ſua carne dicit, abſit; ſed de his, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur*. Dicit autem Chryſoſtomus, abſit; quia ſi Chriſtus de carne ſua loquens, diceret: *Caro non prodeſt quidquam*, ut Calviniſtæ volunt, falſum diceret: nam caro Chriſti ſacramentaliter manducata, multùm prodeſſe poteſt, ſicut & poteſt crucifixa.

Dices. Patres apud Bellarminum lib. 1. de Euchariſtia cap. 7. verba hæc: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c.* Non intelligunt de manducatione ſacramentali. Nam Clemens Alexandrinus exponit per carnem & ſanguinem Chriſti, verbum Dei, quo ſpiritualiter alimur & inebriamur; Baſilius, doctrinam Chriſti & myſticum ejus adventum; Hieronymus, Scripturas; & Bernardus dicit manducare Chriſti carnem, eſſe paſſioni Domini communicare, ejuſque vitam imitari. *Reſp.* Cum eodem Bellarmino, Patres illos tunc verba Chriſti, non ad litteram, ſed myſticè expoſuiſſe, nec uſquam negaſſe verba illa accipi debere ad litteram de manducatione ſacramentali.

Nota. Duplex eſt Scripturæ ſenſus, litteralis ſcilicet, & myſticus, qui inter ſe minimè pugnant. Verba autem Chriſti litteraliter accepta, ſignificant ſacramentalem manducationem Corporis & Sanguinis Chriſti, licèt fortaſſe accipi etiam poſſint myſticè, & tunc ſignificare perceptionem verbi Dei, aut aliud quid ſimile, ut volunt Patres præfati.

Dices. Auguſtinus tract. 25. 26. & 27. in Joan. quibus caput ſextum exponit, intelligit illud de ſola manducatione Chriſti per fidem: nam tract. 25. in hæc Chriſti verba: *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem miſit ille*, ſic habet: *Hoc eſt ergo manducare cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, ut quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducaſti*. Et tract. 26. ſic ait: *Credere in eum* (Chriſtum) *hoc eſt manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat, inviſibiliter ſaginatur, quia & inviſibiliter renaſcitur*.

Præterea, eodem tractatu inferiùs, in hæc verba: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; & *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, panem & carnem interpretatur Corpus Chriſti myſticum, ſeu Eccleſiam; & manducare panem illum & carnem Chriſti, exponit per fidelem fieri, & eſſe membrum Chriſti & Eccleſiæ: *Norunt*, inquit, *fideles Corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti .... Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat; accedat, credat, incorporetur ut vivificetur; non abhorreat à compage membrorum*. Et adhuc inferiùs, ad hæc verba: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo*, ſic loquitur: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*.

Reſp. S. Doctorem locis citatis verba Chriſti c. 6. Joan. intelligere de manducatione Chriſti per fidem, credendo divinitatem & incarnationem ejus; vel de manducatione Chriſti per aggregationem ad corpus ejus myſticum, quod eſt Eccleſia; vel de manducatione Chriſti per charitatem, non ſolùm credendo, ſed etiam diligendo: at non intendit manducationem ſacramentalem excludere, quam citato tract. 26. diſertis verbis agnoſcit: ſic enim, poſt verba ex eo ultimo loco laudata, ſtatim proſequitur: *Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti; ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit*. Et tract. 27. ſic adhuc loquitur: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti non edamus tantum in ſacramento, quod & multi mali, ſed uſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus*. Juxta S. Doctorem igitur, in Euchariſtia manducamus corpus Chriſti ſub ſpecie panis, quam carnaliter & viſibiliter dentibus premimus, & ſanguinem Chriſti bibimus ſub ſpecie vini, quam carnaliter & viſibiliter potamus.

At inquies. S. Auguſtinus lib. 3. de doctrina chriſtiana cap. 16. videtur apertè excludere ſacramentalem manducationem carnis Chriſti: *Si præceptiva locutio eſt*, inquit, *aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata: ſi autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt*: Niſi manducaveritis, *inquit*, carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; *facinus vel flagitium videtur jubere; figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit*.

Reſp. S. Doctorem hic excludere tantùm ſenſum Capharnaitarum, & aliquorum Chriſti diſcipulorum, qui ut ipſe bis obſervat tract. 27. in Joan. verba Chriſti intelligebant de comeſtione facta modo vulgari, per carnis ſcilicet occiſæ & coctæ diviſionem & maſticationem: cùm enim, juxta mentem S. Doctoris, verborum Scripturæ proprietas retinenda ſit, quantùm fieri poteſt; ab ea, quando verba illa flagitium ſuadere videntur, juxta mentem S. Doctoris, non eſt recedendum, niſi quantùm opus eſt ad vitandum flagitium. Atqui ad vitandum flagitium ſatis eſt, ſi verba non intelliguntur de comeſtione carnali in ſenſu Capharnaitarum: tunc enim tantùm facinus eſſet, ſi caro Chriſti occideretur, in fruſta divideretur, & cocta manducaretur; quòd autem viva, & integra manens, non ſub ſpecie propria, ſed ſub aliena, nempe ſub ſpecie panis, ex ore in ſtomachum trajiciatur per inſtrumenta naturalia, nullum flagitium eſt. Ergo, &c.

Nec obeſt nobis S. Doctor, dicendo verba Chriſti intelligenda eſſe de manducatione ſpirituali: non enim intendit ab illis omnem alium ſenſum excludere, ſed ſolùm hic, quod ejus ſufficiebat propoſito, ſenſu myſtico contentus eſt, litterali prætermiſſo, tanquam propriùs ad carnalem, quem excludere volebat, accedente.

Nota. Aliud eſt dicere, verba Chriſti intelligenda eſſe, & aliud dicere, verba Chriſti intelligenda tantùm eſſe de manducatione ſpirituali. Primum dicit Auguſtinus, non ſecundum. Reſpondet Bellarminus lib. 1. de Euchar. cap. 7. S. Doctorem non aliud velle, quàm quod vult Apoſtolus 1. Cor. cap. 11. ubi ait, ſumendam eſſe Chriſti carnem in ſacramento, in memoriam paſſionis & mortis Domini.

Dices denique. Chriſtus, poſt hæc verba, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*, dicit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Atqui verba iſta intelligi non poſſunt de manducatione ſacramentali: multi enim manducando ſacramentaliter, non vivunt, ſed moriuntur, juxta illud Apoſtoli, 1. Cor. cap. 11. *Qui manducat indignè, judicium ſibi manducat*.

ducat. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. *Ad prob. Reſp.* in verbis illis: *Qui manducat hunc panem, &c.* ſubintelligi conditionem hanc: Si dignè manducet, quod commune eſt omnibus ferè promiſſionibus divinis. Sic v. gr. cùm Chriſtus ait Luc. cap. 11. *Omnis qui petit, accipit*, conditionem hanc ſubintelligit. Si benè petat. Chriſtus autem in neutro loco conditionem exprimit, ut ſignificet, orationem & Euchariſtiam, quantùm eſt ex ſe, effectum ſuum ſemper habere.

§. II.

Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia probatur ex verbis inſtitutionis.

MAtthæi cap. 26. hæc leguntur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite: Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Similia habent Marcus c. 14. Lucas c. 22. & Paulus 1. Corinth. cap. 11. Hæc autem verba, ſi accipiantur in ſenſu proprio, manifeſtè ſignificant, corpus & ſanguinem Chriſti contineri ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis. Atqui in ſenſu proprio accipi debent. Ergo, &c.

Min. negant Sacramentarii, & contendunt verba à nobis laudata, impropriè & metonymicè intelligi debere, ita, ut verborum illorum: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ſenſus ſit: Hic panis ſignificat corpus meum, vel, eſt figura corporis mei; Hoc vinum ſignificat ſanguinem meum, vel, eſt figura ſanguinis mei. Sed

Contra illos eſt. Quia verba Scripturæ accipienda ſunt in ſenſu proprio, niſi gravis aliqua cauſa obſtet. Atqui nihil, quod ſit alicujus momenti, obſtat quominùs verba inſtitutionis Euchariſtiæ accipiantur in ſenſu proprio: & verò ſi quid obſtat, quod ſit alicujus momenti, vel eſt alia Scriptura, vel eſt evidens aliquod abſurdum, quod inde ſequeretur. Neutrum autem dici poteſt. Nam nec Scriptura ulla afferri poteſt, quæ contraria ſit reali præſentiæ Chriſti in Euchariſtia; nec ex ea ullum ſequitur inconveniens; ſed è contra, ex ea ſequitur magna divinæ bonitatis, ſapientiæ & omnipotentiæ commendatio; immò verò plurima cogunt nos ad hoc, ut verba citata accipiamus in ſenſu proprio. Nam

1. Hìc mirabilis eſt conſenſus Evangeliſtarum & Apoſtoli, locis citatis, ubi inſtitutionem Euchariſtiæ referentes, nunquam utuntur verbo Significat, aut nomine figuræ vel ſigni, ſed ſemper utuntur verbo Eſt, & nominibus corporis & ſanguinis, ſicque nullum dant indicium, quòd Chriſtus locutus fuerit in ſenſu figurato, ſed è contra in proprio ſenſu locutum fuiſſe, apertè ſignificant.

2. Chriſtus proferens verba illa: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, alloquebatur ſolos Apoſtolos, quibus ſecreta cœleſtia palam revelare ſolebat; & ſi quid aliquando ſubobſcurum dixerat, ſtatim illis explanabat; atque inſuper alloquebatur Apoſtolos eo tempore & loco, quo minimè oportebat eum obſcurè loqui; alloquebatur enim illos, quando primùm ſacramenti ſui participes eos efficiebat; omninòque neceſſarium erat, ut clarè intelligerent, quid ipſis porrigeretur, ut illud reciperent cum affectu debito: aliter enim accipienda erat figura Corporis Chriſti, & aliter ipſummet illud Corpus.

3. Chriſtus inſtituebat ſacramentum, & quidem omnium præſtantiſſimum: at ſacramenta, cùm ſint fundamenta Eccleſiæ, non debuerunt verbis figuratis inſtitui, ne fidelibus circa eorum fidem & uſum errandi daretur occaſio. Item unum è præcipuis fidei dogmatibus tradebat: At fidei dogmata, præſertim gravia, & omnibus ad credendum propoſita, imprudenter traderentur per metaphoras & tropos. Item condebat ſuum teſtamentum, ut patet ex Luc. cap. 22. ubi dicitur: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine:* At in condendo teſtamento ſuo debuit adhibere verba propria & clara, ut viri boni ac prudentes, quantùm poſſunt, facere ſolent. Denique perpetuum Eccleſiæ imponebat præceptum de eodem ſacramento in poſterùm celebrando: At ſapientis legiſlatoris eſt, verbis claris & propriis mentem ac voluntatem ſuam exponere, ut clarè intelligant ſubditi, quid imperatum, & exequendum ſit.

4. Denique Apoſtolus 1. Corinth. cap. 11. in ſenſu proprio interpretatur verba inſtitutionis: poſtquam enim ea retulit, ex illorum proprietate ſuppoſita ſic concludit: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*, (ſupple, ſed eo tanquam cibo communi & promiſcuo utens.) Manifeſtè igitur intellexit Apoſtolus Chriſtum dediſſe diſcipulis, non figuram corporis & ſanguinis ſui, ſed ipſummet corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini.

Obj. 1. Scriptura dicit Chriſtum accepiſſe panem, benedixiſſe, fregiſſe, ac dediſſe diſcipulis ſuis, dicendo: *Hoc eſt corpus meum*. Ergo id quod dabat Chriſtus diſcipulis, erat ſimul panis & corpus Chriſti, panis quidem realiter, corpus verò Chriſti ſignificativè: alioquin neceſſe eſt, alteram partem narrationis falſam eſſe. *Reſp.* Ad veritatem hujus narrationis requiri, ut id quod Chriſtus dedit Apoſtolis, fuerit realiter, & panis & corpus Chriſti, non quidem ſimul, ſed ſucceſſivè, hoc eſt, ut realiter fuerit panis ante conſecrationem, & realiter corpus Chriſti poſt conſecrationem, ac vi illius.

Obj. 2. Apud Apoſtolum 1. Corinth. c. 11. Chriſtus dicit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Ergo corpus Chriſti non eſt in ſacramento, niſi eo modo quo frangitur: at in ſacramento frangitur tantùm in ſigno, in quantùm panis eucharisticus ſignum eſt corporis Chriſti in cruce fracti, adeòque non eſt in ſacramento realiter, ſed in ſigno tantùm. *Reſp.* Illud, *quod pro vobis frangitur*, intelligendum eſſe de paſſione, quæ per verbum de præſenti exprimitur, quia erat proximè futura, & jam moraliter præſens: unde vulgatus Interpres vertit: *Quod pro vobis tradetur*. Sermo igitur eſt, non de fractione quæ in ſacramento fiat, ſed de fractione quæ facta eſt in paſſione, in qua caro Chriſti fracta ac dilacerata fuit, licèt oſſibus ejus parcitum fuerit. Sed

Eſto quòd ſermo ſit de fractione, quæ fiat in ſacramento, nego Corpus Chriſti frangi tantùm in ſenſu hæreticorum, hoc eſt, ſignificativè, quatenùs per ſacramentum ſignificantur paſſio & mors Chriſti; nam corpus Chriſti etiam aliter frangitur in ſacramento, non quidem ratione ſui, eo ſcilicet ſenſu quòd pars à parte ſeparetur, ſed ratione ſpecierum quæ franguntur, quarum fragmentis ſubeſt totum corpus Chriſti, & à quibus fractis corpus Chriſti fractum extrinſecè denominatur: unde Apoſtolus, ait, 1. Corinth. c. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Immò corpus Chriſti dici poteſt frangi in ſacramento etiam ratione ſui, quia in ſacramento moraliter deſtruitur, & per moralem illam deſtructionem Deo immolatur.

Obj. 3. Chriſtus apud Apoſtolum loco proximè citato, his verbis: *Hoc eſt corpus meum*, addit illa, *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo id quod dabat Chriſtus erat commemoratio Chriſti: ergo non erat ipſe Chriſtus; eadem enim res non poteſt eſſe ſui ipſius commemoratio.

Reſp. Chriſtum verbis illis, *Hoc facite, &c.* præcepiſſe Apoſtolis, ut Euchariſtiam celebrarent, & ſumerent in memoriam mortis ejus, ut patet ex verbis ſubſequentibus: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat:* unde Euchariſtia eſt quidem commemoratio paſſionis Chriſti, & celebratur

ac

Digitized by Google

ac ſumitur in memoriam paſſionis Chriſti: at neutrum repugnat reali præſentiæ Chriſti in ſacramento: Chriſtus enim inviſibiliter præſens ſub ſpeciebus panis & vini, ſumi poteſt in memoriam mortis ſuæ, eſſeque poteſt commemoratio ſui ipſius, ut fuit in cruce: non enim repugnat, rem eandem ſub uno ſtatu repræſentare ſeipſam, adeòque revocare memoriam ſui ipſius, ut in alio ſtatu fuit, ut jam aliàs oſtenſum eſt.

Obj. 4. Hæ propoſitiones, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, tam figuratæ ſunt, quàm iſtæ, *Joannes eſt Elias*, *Ego ſum vitis vera*, *ego ſum oſtium*. *Reſp.* neg. Magnum enim diſcrimen eſt inter has propoſitiones, *Hoc eſt corpus meum*, *hic eſt*, *&c.* & iſtas, *Joannes eſt Elias*, *Ego ſum*, *&c.* In iſtis enim enunciatur diſparatum de diſparato, quæ non poſſunt eſſe unum & idem, ſeu quorum unum eſſe verè ac propriè aliud, eſt evidenter impoſſibile; adeòque ſunt evidenter falſæ, ſi accipiantur in ſenſu proprio: unde ad veritatem propoſitionum hujuſmodi neceſſarium eſt, ut in illis ſubjectum vel prædicatum impropriè & figuratè ſumatur. At cùm Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum*, *hic eſt*, *&c.* Non affirmavit diſparatum de diſparato: non enim affirmavit, panem eſſe corpus ſuum, & vinum eſſe ſanguinem ſuum, ſed corpus & ſanguinem ſuum enunciavit de ſe ipſis, ut confusè conceptis ſub ratione rei contentæ ſub ſpeciebus panis & vini, ut jam alibi dictum eſt.

Obj. 5. Luc. cap. 22. Chriſtus dicit, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis funditur*: unde ſic fit argumentum. Calix, ſeu id, quod continetur in calice, non eſt teſtamentum, niſi ſignificativè. Ergo ſimiliter id, quod antea Chriſtus edendum dederat Apoſtolis, non erat corpus ejus, niſi ſignificativè. Item id, quod eſt in calice poſt verborum illorum, *Hic calix novum*, *&c.* prolationem, non eſt ſanguis Chriſti realiter. Alioquin verborum illorum, *Hic calix novum teſtamentum eſt*, ſenſus eſt: Hic ſanguis meus eſt in meo ſanguine. Item quod datur in calice poſt conſecrationem, funditur. Sed ſanguis Chriſti non funditur realiter, cùm venis incluſus maneat. Ergo id quod eſt in calice poſt conſecrationem, eſt vinum, non ſanguis Chriſti, qui ſignificativè funditur, quatenùs vinum, quod eſt in calice, quodque infunditur, ſignum eſt effuſionis ſanguinis Chriſti, quæ in cruce facta eſt.

Reſp. ad 1. *argum.* neg. ant. Et dico, calicem, ſeu id quod in calice continetur, facta conſecratione eſſe verè ac propriè teſtamentum novum; & verborum Chriſti ſenſus eſt: Hic calix eſt inſtrumentum, quo promiſſiones à Deo factæ, hominibus ritè diſpoſitis applicantur, conſiſtens in meo ſanguine; ex quo patet reſponſio ad 2. argum. *Ad* 3. *argum. Reſp.* Illud, *funditur*, intelligendum eſſe non de effuſione, quæ fit in ſumptione Euchariſtiæ, ſed de effuſione facta in cruce, quam per verbum de præſenti Chriſtus expreſſit, quia erat proxime futura, & jam moraliter præſens: unde vulgatus Interpres, pro *funditur*, reddidit *effunditur*. Præterea etiam ſi to *funditur*, quod Græcum habet, intelligeretur de effuſione, quæ in ſumptione Euchariſtiæ fit, hoc nihil prodeſſet novatoribus: nam etiam in ſacramento Sanguis Chriſti verè effunditur, non quidem ratione ſui, quia venis incluſus manet, ſed ratione effuſionis ſpecierum, quibus ſubeſt, & quarum effuſionem ſequitur.

Obj. 6. Euchariſtia poſt conſecrationem vocatur genimen vitis, Matth. cap. 26. nam poſtquam Chriſtus dixit verſu 28. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ſtatim ſubdit verſu 29. *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei*. Idem planè habetur apud Marcum cap. 14. verſu 24. & 25. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. *Ad prob. Reſp.* Illud: *Dico autem vobis, non bibam, &c.* Non referri ſuo loco à Matthæo & Marco.

Nota. In cœna ultima, quam Chriſtus fecit cum diſcipulis ſuis, diſtinguendi ſunt duo calices vini, unus ſcilicet poſt eſum agni paſchalis, & ante conſecrationem, alter verò poſt conſecrationem. Ad primum autem calicem, non ad ſecundum, pertinent illa Chriſti verba: *Dico autem vobis, &c.* ut evidenter patet ex Luca, qui rem ſuo loco & ordine narravit. Sic autem habet cap. 22. verſ. 15. & ait illis: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt Corpus meum, &c.*

Obj. 7. Matthæi cap. 15. legitur: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Atqui Corpus Chriſti non emittitur in ſeceſſum: ergo nec realiter ſumitur in Euchariſtia. *Reſp.* Corpus Chriſti, licèt verè intret in os communicantium, & in ſtomachum tranſmittatur, non tamen emitti in ſeceſſum, quia corruptis in ſtomacho ſpeciebus, abſque ulla ſui læſione, ibi eſſe deſinit. Chriſtus autem verbis citatis loquitur de cibis communibus, qui ad nutriendum corpus ſumuntur, & ex quibus id quod facta digeſtione ſupereſt, in ſeceſſum emittitur. At Corpus Chriſti non eſt cibus communis, nec ad corpus alendum, ſed ad reficiendam animam ſumitur à fidelibus: propriè tamen manducatur, quia ad manducationem ſufficit ſumptio in os, & ex ore trajectio ad ſtomachum, facta per inſtrumenta vitalia.

Obj. ultimò. Illud Chriſti apud Matthæum cap. 26. *Semper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*. Et illud Marci cap. ult. *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dexteris Dei*. Ergo, &c. *Reſp. ad* 1. Chriſtum loqui de præſentia ſua corporali & viſibili, & ſecundùm eum ſtatum, in quo poterat ab hominibus aliquid utilitatis corporalis accipere.

Reſp. ad 2. Chriſtum reverà quoad humanitatem in cœlum aſcendiſſe, ibique nunc ſedere à dexteris Dei, nec inde viſibiliter deſcenſurum eſſe, ante judicii diem: hoc tamen non impedit, quominùs per reproductionem poſſit eſſe & ſit ſub ſpeciebus panis & vini conſecratis.

ARTICULUS III.

Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia probatur ex traditione, cujus teſtes ſunt Patres, & Concilia.

§. I.

Patres Græci.

SAnctus Ignatius Martyr in epiſtola ad Smirnenſes ap. Theodoret. dialog. 3. de hæreticis ſui temporis ſic loquitur: *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* Sect. 1.

S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro chriſtianis, ſub Sect. 2. finem hæc habet: *Alimentum hoc apud nos appellatur* Euchariſtia, *quod nulli alii participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & generationem* (ſpiritualem) *abluto, & ita ut Chriſtus tradidit viventi. Non enim ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ habuit; ad eundem modum etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Porrò dicit: *Unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur*, non ut ſigniſi-

cet

cet mortalem corporis noſtri ſubſtantiam nutriri, vel augeri per Euchariſtiam, ſed quia vult, corpora noſtra ex contactu corporis Chriſti quandam acquirere diſpoſitionem ad glorioſam reſurrectionem, & vitam immortalem, juxta illud Chriſti, Joan, cap. 9. *Qui manducat meam carnem ..... reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Sect. 3. Origenes hom. 5. in diverſos ſic ait: *Quaade ſanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vita pane & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguiaem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito:* Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*: Ubi enim indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.*

Sect. 4. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi myſtag. 4. ſic loquitur*: Ille* (Apoſtolus 1. Corinth. cap. 11.) *modo clamabat, quod nocte, qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens:* Accipite, manducate, hoc eſt Corpus meum*: Et accipiens calicem, agenſque gratias dixit:* Accipite, bibite, hic eſt Sanguis meus*: Cùm igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane:* Hoc eſt Corpus meum*: quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente:* Hic eſt Sanguis meus, *quis, inquam, dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum ..... ſola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? ... Quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus; nam ſub ſpetie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpetie vini datur Sanguis, ut ſumpto Corpore & Sanguine Chriſti, efficiaris ei compartieeps Corporis & Sanguinis. Sic chriſtophori erimus, cum ejus Corpus & Sanguinem in membra noſtra receperimus, &c.*

S. Chryſoſtomus homil. 51. in Matth. ſic auditores

Sect. 5. adhortatur*: Tangamus ergo etiam nos fimbriam veſtimenti ejus; vel potiùs, ſi volumus, ipſum totum habemus: non enim veſtis ſolùm, ſed corpus ipſius nobis propoſitum eſt, non ut tangamus ſolummodò, ſed ut comedamus, & ſaturemur. Adeamus igitur Chriſtum ſinguli ægrotantes magna cum fide: nam ſi qui fimbriam veſtimenti ejus tunc tetigerunt, omnes convaluerunt: quantò magis corroborabimur, ſi totum in nobis habebimus? Cum fide autem accedere, non eſt tantummodo ut propoſitum corpus recipias, veràm etiam multo magis ut mundo corde tangas ... Quando ſacerdotem corpus tibi præbere videris, noli ſacerdotis, ſed Chriſti manum ad te porrigi arbitrari...., qui majus, ideſt, ſeipſum pro te poſuit, quare dedignabitur ſuum tibi tradere corpus? Audiamus igitur, tam ſacerdotes, quàm alii, quàm magna, quàm admirabilis res nobis conceſſa eſt. Audiamus, oro, & perhorreſcamus: carnes ſuas nobis tradidit, ſe ipſum immolatum propoſuit* (manducandum.) *Quam igitur ſatisfactionem offerimus, cum tali pabulo nutriti, taliter peccemus? cùm agnum comedentes, in lupos convertimur, &c.*

Eod. Sect. S. Cyrillus Alexandrin. in explicat. 12. anathematiſmorum ab eo pronunciata in Epheſiana Synodo, anathem. 11. ſic exponit*: Sanctum, ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus: Corpus, quod proponitur, ſimiliter & pretioſum Sanguinem, non communis, nobiſque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes: ſed potiùs tanquam proprium Corpus effectum, & Sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes.*

Sect. 8. S. Damaſcenus lib. 4. orthod. fidei cap. 14. ſic ait: *Dixit Deus:* Hoc eſt corpus meum, & Hic ſanguis meus, &, Hoc facite in meam commemorationem*: Atque omnipotenti ipſius præcepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur ...... quoniam ità fert hominum uſus atque conſuetudo, ut panem edant, vinumque & aquam bibant, idcircò divinitatem ſuam cum ipſis conjunxit, eaque Corpus & Sanguinem ſuum effecit, ut per uſitata, naturæque conſentanea, ad ea, quæ ſupra naturam ſunt, aſſurgeremus ..... Panis ac vinum & aqua per ſancti Spiritus invocationem & adventum mirabili modo in Chriſti Corpus & Sanguinem vertuntur.*

Theophylact. in cap. 26. Matthæi hæc habet*: Porrò* (Chriſtus) *dicens:* Hoc eſt Corpus meum*: oſtendit quod ipſum Corpus Domiai eſt panis, qui ſanctificatur in altario; & non reſpondens figura. Non enim dixit:* Hoc eſt figura, *ſed*, Hoc eſt Corpus meum, *Ineffabili enim operatione* (panis) *transformatur, etiamſi nobis videatur panis: quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideò panis quidem apparet, ſed revera caro eſt.*

Similia habet Euthymius in idem cap. Matth. *Non dixit.* (Chriſtus) *Hæc ſunt ſigna corporis mei, & ſanguinis mei, ſed, Hæc ſunt Corpus & Sanguis meus.* Et inferiùs*: Quemadmodum ſupernaturaliter aſſumptam carnem deificavit, ſi ita loqui liceat, ita & hæc ineffabiliter tranſmutat in ipſum Corpus ſuum.*

Obj. 1. S. Ignatius in epiſt. ad Philadelph. Euchariſtiam diſtinguit à Corpore & Sanguine Chriſti: *Una eſt*, inquit, *caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus illius Sanguis, qui pro nobis effuſus eſt: & unus calix, qui pro omnibus nobis diſtributus eſt; unus panis, qui omnibus fractus eſt. Reſp.* Hìc S. Martyrem diſtinguere carnem Chriſti ut paſſam, & ſanguinem ejus ut effuſum in cruce, ab Euchariſtia, hoc eſt, ab eadem carne, & eodem ſanguine ut poſitis ſub ſpeciebus panis & vini, ad quam diſtinctionem ſufficit ſtatuum ac beneficiorum diverſitas. Porrò S. Martyr, quod etiam faciunt Patres alii, quos fruſtra nobis opponunt novatores, Euchariſtiam vocat panem eodem ſenſu, quo Apoſtolus 1. Corinth. cap. 10. quem ſenſum ſuo loco jam expoſuimus.

Obj. 2. Origen. qui ſic ait hom. 16. in Numeros*: Bibere dicimur Sanguinem Chriſti non ſolùm ſacramentorum ritu, ſed etiam cùm ſermones ejus accipimus.* Et in commentario cap. 26. Matth. *Panis iſte, quem Deus Verbum Corpus ſuum eſſe fatetur, Verbum eſt nutritorium animarum.* Et hom. 7. in Levit. poſtquam dixit carnem Chriſti eſſe Verbum Dei*: Si enim ſecundùm litteram ſequaris hoc, quod dictum eſt: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, occidit hæc littera;* Quibus verbis ſolùm ſenſum myſticum admittere videtur. Et hom. 9. in Levit. *Non hæreas in ſanguine carnis, ſed diſce potiùs ſanguinem Verbi, & audi ipſum dicentem tibi: Quia hic ſanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et in commentar. c. 15. Matth. Illud Chriſti*: Quod intrat per os non coinquinat hominem*, tractans, dicit corporalem Euchariſtiæ manducationem rem eſſe nec bonam nec malam. Item cibum illum qui ſanctificatur per verbum Dei & orationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abire, & in ſeceſſum emitti. Item Euchariſtiam eſſe corpus typicum & ſymbolicum. Item Corpus Chriſti non poſſe manducari à peccatoribus. Et lib. 8. contra Celſum, ſic ait*: Nos qui rerum omnium Conditori placere ſtudemus, cum precibus & gratiarum actione pro beneficiis acceptis oblatos panes edimus.*

Ad 1. *Reſp.* Origen. evidenter noſtrum eſſe: nam ibi diſtinguit duos modos bibendi Sanguinem Chriſti, unum ſacramentalem, quando ſcilicet in ſacramento ſumitur, & alterum ſpiritualem, quando doctrinam à Chriſto traditam recipimus.

Ad 2. *Reſp.* Origen. hunc locum exponere tantùm in ſenſu myſtico, nec per panem intelligere panem materialem, qui ſit Corporis Chriſti ſymbolum, ſed doctrinam Chriſti, quam dicit animarum eſſe nutritoriam: quare Origenes hoc loco novatores nullatenùs juvare poteſt.

Ad 3. *Reſp.* Verba illa Chriſti*: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, exponi poſſe tripliciter. 1. Omninò figuratè & myſticè, quomodo verba illa hoc loco Origenes exponit, per carnem Domini intelligendo verbum Dei. 2. Omninò litteraliter, quomodo acceperunt Capharnaitæ, qui putaverunt Chri-

ſtum

ſtum carnem ſuam promittere comedendam modo carnali & vulgari, ideſt, occiſam, coctam, & in fruſta diviſam: de hoc ſenſu hîc Origenes dicit: *Littera occidit*. 3. Denique, nec omninò litteraliter, nec omninò figuratè, ſed litteraliter quoad ſubſtantiam manducationis, & figuratè quoad modum *ejus*; ita ut ſenſus ſit, verè quidem, ac propriè Chriſti carnem manducandam, ſed abſque ulla ſui læſione, quomodo contendimus re ipſa manducari in ſacramento Euchariſtiæ. Senſum hunc hìc non attingit Origenes, ſed nec rejicit, cumque apertè admittit homil. 7. in Numeros, ubi verba illa Chriſti; *Caro mea verè eſt cibus*, ad litteram exponit de Euchariſtia. *Tunc*, inquit, *in ænigmate eſt manna cibus, nunc autem in ſpecie caro Verbi Dei, & verus cibus, ſicut ipſe dicit: Quia caro mea verè eſt cibus*. Et hom. 5. in diverſos, verbis ſupra laudatis.

Ad 4. Reſp. Senſum eſſe: Non hæreas in ſanguine vitulorum & hircorum, de quo Moyſes loquitur, ſed eo relicto, mentem converte ad ſanguinem Dei Verbi, quem ſanguis ille vitulorum & hircorum præfigurabat, quique pro redemptione noſtra effuſus eſt, ut teſtatur ipſemet Chriſtus, cùm ait: *Hic Sanguis meus eſt, qui pro vobis, &c.* Porrò quòd hìc Origenes intelligat Sanguinem Chriſti, prout eſt realiter & ſubſtantialiter ſub ſpecie vini in Euchariſtia, patet ex eo quod continuò ſubjicit: *Novit qui myſteriis imbutus eſt, & carnem & ſanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quæ & ſcientibus* (hoc eſt fidelibus baptizatis) *nota ſunt, & ignorantibus* (hoc eſt infidelibus, vel ſaltem nondùm baptizatis, donec eis proponatur myſterium Euchariſtiæ) *patere non poſſunt*.

Ad primam partem quinti Reſp. Origenem loqui de manducatione ſacramentali Euchariſtiæ, abſtrahendo à bonitate vel malitia manducantis: *Quod ad eſum per ſe attinet*, inquit, *neque ex hoc, quod non edimus* (juſtam non edendi cauſam habentes) *de pane, Verbo Dei & per obſecrationem ſanctificato, fraudamur aliquo bono; neque ex edendo* (niſi etiam adſit ſpiritualis manducatio) *abundamus aliquo bono*.

Ad ſecundam partem quinti Reſp. Per illud materiale, quod eſt in Euchariſtia, & quod in ſeceſſum abire ait Origenes, ab eo intelligi accidentia panis. *Ad tertiam partem quinti Reſp.* Ab Origene in ſenſu catholico Corpus Chriſti, prout eſt in Euchariſtia ſub ſpecie panis, vocari potuiſſe corpus typicum & ſymbolicum. Nam reverà Corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia ſub ſpecie panis, eſt typus ac ſymbolum ſui ipſius, ut fuit in cruce: unde Euchariſtiam celebrando, paſſionem ac mortem Chriſti commemoramus.

At inquies. Corpus illud typicum diſtinguit à vero Chriſti Corpore. *Reſp.* neg. Sed à corpore illo typico ſimul & vero, quod eſt Euchariſtia, diſtinguit ipſum Chriſtum, ſeu Verbum incarnatum, prout extra ſacramentum ſpiritualiter manducatur per fidem, in quo Chriſtum ipſum imitatur, qui Joannis cap. 6. Primò ſe ipſum proponit, ut manducandum per fidem, qua ejus incarnatio & divinitas creditur, & deinde ſe ipſum promittit ad manducandum ſacramentaliter ſub ſpecie panis in Euchariſtia, quam inſtituturus eſt.

Ad quartam partem quinti Reſp. Origenem, cùm ait à malis Chriſtum non poſſe manducari, loqui de manducatione Chriſti extra ſacramentum. Verum autem eſt, quòd mali extra ſacramentum manducare Chriſtum non poſſint, quia Chriſtus extra ſacramentum non poteſt niſi ſpiritualiter manducari.

Ad 6. denique & ultimum Reſp. Hoc loco Origenem damnare Sacramentarios, & apertè docere panis per verba conſecratoria in Corpus Chriſti converſionem: *Oblatos*, inquit, *panes edimus, corpus ſanctum quoddam per preces effectos, & ſanctificans eos, qui cum ſancto propoſito ipſo utuntur*. Certè corpus illud ſanctum, in quod per preces tranſmutantur oblati panes, quodque vim habet ſanctificandi eos, qui illud dignè accipiunt, aliud non eſt, quàm Corpus Chriſti. Porrò illud, *quoddam*, quod addit Origenes, diminutivum non eſt, ſed declarativum in confuſo veri Corporis Chriſti: noluit autem Origenes palam dicere Corpus Chriſti, ſolumque dixit corpus quoddam ſanctum, ne adverſario myſterium, quod non intelligebat, irridendi occaſionem præberet; & aliunde de quo corpore loqui vellet, ſatis intelligebant fideles.

Obj. 3. S. Chryſoſtomum in commentario Pſal. 22. ubi ait: *Ut quotidie in ſimilitudinem Corporis & Sanguinis Chriſti panem & vinum ſecundùm ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in ſacramento*. Et in epiſtola ad Cæſarium monachum, ubi dicit, panem poſt conſecrationem non vocari ampliùs panem, licèt natura panis in ipſo permaneat. *Reſp. ad* 1. Commentarium illum Pſal. 22. Non eſſe Chryſoſtomi, imò nec hominis Græci. *Ad* 2. *Reſp.* Similiter epiſtolam illam falsò attribuit Chryſoſtomo. Vide Bellarminum lib. 2. de Euchar. cap. 22.

Obj. 4. Theodoret. in dialogo 2. ubi ſic reſpondentem inducit orthodoxum: *Neque enim ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura; manent enim in priore ſubſtantia, & figurâ, & forma, & videri & tangi poſſunt, ſicut priùs: intelliguntur tamen ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint, quæ creduntur*. Reſpondet Bellarm. lib. 2. de Euchar. c. 27. Theodoretum duplicem diſtinxiſſe naturam ſeu eſſentiam, unam internam, qua res per ſe ſubſiſtens in ſe conſtituitur, & eſt ipſa res per ſe ſubſiſtens; alteram verò externam, cui res per ſe ſubſiſtens ſubeſt, & à qua habet eſſe talis figuræ, formæ, coloris, ſaporis, &c. Item à qua habet eſſe quantam, & impenetrabilem; unde & ab ea habet, ut poſſit videri, tangi, &c. Primam rei per ſe ſubſiſtentis naturam ſeu eſſentiam vocamus ſubſtantiam rei; ſecundam verò naturam ſeu eſſentiam rei per ſe ſubſiſtentis, accidentia rei appellamus; nec reverà aliud eſt, quàm complexio accidentium, quibus ſubſtrata eſt res per ſe ſubſiſtens.

Bellarmino igitur interprete, Theodoretus loco citato nihil aliud vult, quàm in corpus & ſanguinem Chriſti vi conſecrationis tranſmutari ſolam naturam & eſſentiam internam, hoc eſt, ut nos loquimur, ſolam ſubſtantiam panis & vini, manente tota natura & eſſentia externa utriuſque, hoc eſt, ut nos loquimur, manentibus omnibus utriuſque accidentibus. Sed movet nobis ſcrupulum hæc ſolutio, quòd ea ſuppoſita Theodoretus non videatur ſolvere difficultatem, quam ſibi proponit, & verbis quæ nobis objiciuntur, ſolvere intendit. Nam

Sub perſona Eraniſtis ita ſibi objicit: *Sicut ergo ſymbola Domini corporis & ſanguinis, alia quidem ſunt ante invocationem ſacerdotis, ſed poſt invocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam Corpus Domini poſt aſſumptionem mutatur in divinam ſubſtantiam*. Huic autem objectioni ita reſpondet ſub perſona orthodoxi: *Quæ ipſe texuiſti retibus captus es; neque enim ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura: manent enim in priore ſubſtantia & figura, &c.* Vel igitur naturam & eſſentiam tam internam quàm externam hìc intelligit, cùm ait, panem & vinum poſt ſanctificationem non recedere à ſua natura, & manere in priore eſſentia, tam interna, quàm externa; vel exemplo ſignorum myſticorum corporis & ſanguinis in Euchariſtia, Eutychianum errorem non refellit: quòd enim Corpus Domini à verbo hypoſtaticè aſſumptum non mutetur in divinam ſubſtantiam poſt aſſumptionem, ſed in propria natura & eſſentia, tam interna quàm externa maneat, ſuaderi minimè poteſt ex eo, quòd panis & vinum poſt ſanctificationem in Euchariſtia maneant ſecundùm naturam & eſſentiam externam, interna tota in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutata. Sed

Quidquid ſit de modo quo naturam & eſſentiam panis & vini ſumpſit hìc Theodoretus, quod nobis ſufficit contra Sacramentarios & Lutheranos, apertè ſenſit & docuit, panem & vinum vi conſecrationis

fieri

Digitized by Google

fieri verè ac realiter Corpus & Sanguinem Chriſti, adeòque poſt conſecrationem, præter Corpus & Sanguinem Chriſti, non eſſe aliam ſubſtantiam in Euchariſtia, vel, quod idem eſt, poſt conſecrationem non eſſe in Euchariſtia panem & vinum cum corpore & ſanguine Chriſti, ſed ſolùm corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini.

At inquies. Quomodo fieri poteſt, ut panis & vinum verè ac realiter per conſecrationem convertantur in corpus & ſanguinem Chriſti, ſi non recedunt à natura ſua, & manent in propria eſſentia poſt conſecrationem? *Reſp.* Fieri non poſſe: unde revera vi conſecrationis, panis, & vinum deſinunt eſſe ſecundùm totam naturam & eſſentiam ſuam internam, & ita poſt conſecrationem manent tantùm ſecundùm naturam & eſſentiam ſuam externam. Quòd ſi aliter ſentit Theodoretus, errat, ſed errore ſuo cauſam adverſariorum non adjuvat,

§. II.

Patres Latini.

Sect. 2. IRenæus, qui fuit in Eccleſia Latina Epiſcopus, & quem proinde Latinis Patribus accenſemus, quamvis græcè ſcripſerit, lib. 4. c. 34. ſic loquitur: *Quemadmodum qui eſt à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti* (hoc eſt, ſpecie panis & corpore Chriſti; res enim illa cæleſtis, in qua ex parte conſiſtit Euchariſtia, aliud eſſe non poteſt, quàm corpus Chriſti; & res terrena, quæ eſt altera pars Euchariſtiæ, aliud eſſe non poteſt, quam ſpecies panis; cùm ſubſtantia panis per invocationem Dei convertatur in aliquid ab ea ſubſtantialiter diverſum:) quare ſic proſequitur S. Martyr: *Sic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Quare? Quia percipiendo Euchariſtiam, non panem communem, ſed ipſummet corpus Chriſti ſub panis ſpecie percipiunt, & percipiendo illud, ex reali & phyſico illius contactu jus ad glorioſam reſurrectionem & immortalitatem acquirunt. Quod

Declaratur ampliùs ex eo, quod ante verba citata ſic habet: *Quomodo conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſint, Corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinis ejus; ſi non ipſum fabricatoris mundi Filium dicant, id eſt, Verbum ejus, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes: & terra dat primum quidem fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica? Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à Corpore Domini, & Sanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram.*

Quibus verbis Irenæus duo probat. 1. Verbum ſeu Filium Dei eſſe mundi Creatorem, ex eo quòd ore ſacerdotis panem & vinum in Euchariſtia convertat in corpus & ſanguinem ſuum. 2. Corpora noſtra poſtquam in pulverem redacta fuerint, aliquando glorioſè reſurrectura eſſe, & fore immortalia ex eo, quòd in hac vita mortali corpore & ſanguine Chriſti alita fuerint ex Euchariſtia: unde hæretici, contra quos pugnat Irenæus, Chriſtum univerſi Creatorem eſſe, & juſtorum corpora ad immortalitatem reſurrectura negantes, vel ex eo ſolo falſi convincebantur, quòd ipſimet veritatem corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia agnoſcerent. Catholicorum verò ſententia conſonans eſt Euchariſtiæ, quia agnoſcunt in ea veritatem corporis & ſanguinis Domini; & Euchariſtia viciſſim confirmat ſententiam Catholicorum, quia ex veritate corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, & Chriſti omnipotentia, & glorioſa corporum reſurrectio demonſtratur.

Similia adhuc habet Irenæus lib. 5. cap. 2. ubi iterùm glorioſam corporum reſurrectionem & immortalitatem probat ex reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia per panis & vini tranſmutationem vi formæ conſecratoriæ factam: *Quando ergo,* inquit, *& mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia Sanguinis & Corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia; quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ Sanguine & Corpore Chriſti nutritur.*

Tertull. lib. 2. ad uxorem cap. 5. de Euchariſtia loquens, ſic ait: *Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtet? Et ſi ſciverit, panem, non illum credit eſſe qui dicitur* (hoc eſt, panem communem, non corpus Chriſti, ut revera eſt, credet eſſe.) Et lib. de reſurrectione carnis cap. 8. *Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur* (in Euchariſtia) *ut & anima de Deo ſaginetur.* Et lib. 4. adversùs Marcionem c. 40. ſic apertè loquitur: *Acceptum panem* (Chriſtus) *& diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo:* nec obſunt verba ſubſequentia, *id eſt, figura corporis mei;* Tertullianus enim hìc tranſpoſitione utitur, & illud; *figura corporis mei,* non connectitur cum nomine *corpus meum,* ſed cum pronomine *hoc;* & ſenſus eſt: Chriſtus acceptum panem, illum fecit corpus ſuum, dicendo: Hic panis, qui olim fuit figura corporis mei, nunc eſt corpus meum. Unde hìc pronomen *hoc,* demonſtrat panem, non qui remanet, ſed qui mutatur, & convertitur in corpus Chriſti. Quod

Prob. Ex eo quod ſtatim ſubjicit Tertullianus: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Sic itaque contra Marcionem argumentatur: Chriſtus dicit panem fuiſſe figuram corporis ſui: ergo verum habuit corpus, non phantaſticum: cùm enim rei vacuæ ſeu phantaſmatis non poſſit aliquid, quod realiter exiſtit, eſſe figura, panis non fuiſſet, nec potuiſſet eſſe figura corporis Chriſti, ſi corpus Chriſti non fuiſſet verum corpus, ſed res vacua, ſeu phantaſma tantùm. Tertullianus igitur non dicit, Euchariſtiam eſſe figuram corporis Chriſti, ſed, panem, quem, dicendo: *Hoc eſt Corpus meum,* fecit corpus ſuum, ſeu, quod idem eſt, convertit in corpus ſuum, olim fuiſſe figuram corporis Chriſti. Quod ampliùs declaratur ex eo, quòd poſt pauca ſic proſequitur: *Cur autem panem corpus ſuum appellat* (Chriſtus) *& non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligimus veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Jeremiam.* Adversùs me cogitaverunt cogitatum, dicentes, Venite, conjiciamus lignum in panem ejus, *ſcilicet, crucem in corpus ejus? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declaravit, corpus ſuum vocans panem.* Hic igitur Tertullianus nihil aliud intendit, quam panem, quem Chriſtus in ultima cœna in corpus ſuum transmutavit, dicendo: *Hoc eſt corpus meum,* in veteri lege præfiguraſſe Corpus Chriſti, & ex eo, quòd præfiguraverit, ſequi quòd Chriſtus non phantaſticum, ut Marcion volebat, ſed verum corpus habuerit.

S. Hilarius lib. 8. de Trinitate §. 13. ſic contra Arianos diſputat: *Si enim verè Verbum caro factum eſt, & verè nos Verbum carnem cibo dominico ſumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis* (hoc eſt divinitatis) *ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit;* Et paulò inferiùs: *Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque verè ſub myſterio* (hoc eſt ſub ſpeciebus euchariſticis) *carnem corporis ſui ſumimus.*

Et adhuc inferiùs: *Ipſe* (Chriſtus) *ait:* Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus .... *de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et*

hac

hæc accepta atque hauſta (in Euchariſtia) *id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit, &c.*

Eod. Sæc. Sanctus Ambroſius lib. 4. de ſacramentis c. 4. veritatem catholicam apertiſſimè inculcat, cùm ſic ait: *Tu fortè dicis: Meus panis eſt uſitatus, ſed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti .... non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quòd jam corpus eſt Chriſti; ipſe dixit, & factum eſt: ipſo mandavit, & creatum eſt .... Ergo didiciſti quòd ex pane corpus fiat Chriſti, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur; ſed fit ſanguis conſecratione Verbi cœleſtis.* Et cap. 5. *Antequam conſecretur, panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti ... ante verba Chriſti, calix eſt vini & aqua plenus: ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.*

Sanctus Hieronymus in commentario cap. 1. epiſt. ad Titum ſic loquitur: *Si autem laicis imperatur, ut propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt qui quotidie pro ſuis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas?* Quid autem per illibatas illas victimas intel-
Eod. Sæc. ligit? Num panem & vinum, quæ ſint figura corporis & ſanguinis Chriſti? Minimè, ſed ipſummet corpus & ſanguinem Chriſti: unde ſic proſequitur S. Doctor: *Relegamus Regum libros, & inveniemus ſacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare David & pueris ejus, niſi interrogaret, utrum mundi eſſent pueri à muliere, non utique aliena, ſed conjuge ... Tantùm intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantùm inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria præfigurabantur.* Sic igitur ratiocinatus Hieronymus: Panes propoſitionis erant tantùm figura corporis Chriſti, quod immolatur à ſacerdotibus ſub ſpecie panis, & ſub eadem ſpecie in Euchariſtia comeditur à communicantibus; & tamen nonniſi à mundis comedi poterant: quantò igitur magis mundos eſſe oportet eos, qui corpus Chriſti offerunt, & oblatum comedunt ſub ſpecie panis.

Sæc. 5. Sanctus Auguſtinus variis loci realem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini præſentiam clarè aſſerit, ut lib. 2. contra adverſarium legis, &c. *Sicut*, inquit, *mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum, carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus, &c.* Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. *Aliud eſt*, inquit, *Paſcha, quod adhuc illi* (Judæi) *de ore celebrant, aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus.* Quibus verbis agno paſchali opponit corpus & ſanguinem Domini, quæ in Euchariſtia accipimus; opponit, inquam, tanquam veritatem figuræ. Agnus enim paſcalis fuit figura Euchariſtiæ, ſeu corporis Chriſti, ut immolatur & ſumitur ſub ſpecie panis. Et verò dici non poteſt, quòd agno paſchali opponat ſanctum panem, qui ſit figura corporis Domini: nam ſic figuræ figuram opponeret: agnus enim paſchalis ſignificavit corpus Domini, & quidem expreſſiùs, quàm ſignificaret panis. Quòd autem figuræ perfectiori minus expreſſam & perfectam opponere & anteponere voluerit, abſurdum dictu eſt.

Denique enarratione in pſalmum 33. concione 1. in illud, *Et ferebatur in manibus ſuis*, ſic ait: *Hoc verò fratres, quomodo poſſet fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram, non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait,* Hoc eſt corpus meum; *ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* Quid clariùs?

Eod. Sæc. Leo Magnus ſerm. 6. de jejunio ſeptimi menſis ſic loquitur: *Dicente Domino*, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: *ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis* (in Euchariſtia) *ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur.*

Sanctus Remigius, qui cum inſigni doctrinæ & ſanctitatis laude rexit Rhemenſem Eccleſiam, in commentario cap. 10. 1. Corint. hæc habet: *Panis quem frangimus in altari, nonne participatio corporis Domini eſt? Utique primùm conſecratur, & benedicitur à ſacerdotibus, & à Spiritu ſancto, & deinde frangitur, cùm jam, licèt panis videatur, in veritate corpus Chriſti eſt.* Et inferiùs: *Caro quam Verbum Dei Patris aſſumpſit in utero virginali in unitate ſuæ perſonæ, & panis qui conſecratur in Eccleſia, unum corpus ſunt: ſicut enim illa caro corpus Chriſti eſt, ita iſte panis tranſit in corpus Chriſti, nec ſunt duo corpora, ſed unum corpus.* Sæc. 6.

Gregorius Magnus hom. 22. in Evangelia ſic ait: *Quid ſit ſanguis agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis: qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.* Et Paulus diaconus in ejus vita refert, eum mulieri, quæ de veritate corporis Domini in Euchariſtia dubitaverat, ſic locutum fuiſſe: *Diſce veritati vel modo etiam conteſtanti credere:* Panis quem ego dabo, caro mea eſt, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sed præſcius conditor noſtræ infirmitatis, ea poteſtate, quâ cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne ſemper virginis, operante Spiritu ſancto, fabricavit, panem, & vinum aqua mixtum, manente propria ſpecie* (panis ſcilicet & vini) *in carnem & ſanguinem ſuum ad catholicam precem ob reparationem noſtram Spiritus ſui ſanctificatione convertit.* Sæc. 7.

Paſchaſius Corbeienſis Abbas in libro de corpore Domini c. 1. quaſi Berengarianam hæreſim ſæculo XI. exorituram præſentiens, ſic catholicam veritatem luculenter exponit: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra; & quia voluit, licèt figura panis & vini hic* (in Euchariſtia) *ſit, omnino nihil aliud, quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt: unde ipſa veritas ad diſcipulos:* Hæc, *inquit*, caro mea eſt pro mundi vita, *& ut mirabiliùs loquar non alia planè, quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulchro, hæc, inquam, ipſa eſt, & ideò Chriſti caro eſt, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur, & cùm dignè percipitur, vita utique in nobis æterna reparatur.* Similia habet cap. 4. *Quod in veritate*, inquit, *corpus & ſanguis fiat conſecratione myſterii, nemo qui verbis divinis credit, dubitat. Unde veritas ait,* Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus *... Ergo ſi verè eſt cibus, & vera caro: & ſi verè eſt potus, utique & verus ſanguis ... ſed quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt, voluit in myſterio hunc panem & vinum verè carnem ſuam & ſanguinem conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari: creando verò quotidie pro mundi vita myſticè immolari, ut ſicut de Virgine per Spiritum vera caro ſine coitu creatur; ita per eumdem ex ſubſtantia panis ac vini myſticè* (hoc eſt, non viſibiliter, & ſub propria ſpecie, ſed inviſibiliter, & ſub ſpecie aliena) *idem Chriſti corpus & ſanguis conſecretur.* Sæc. 9.

Pro ſæculo X. laudare poſſumus Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum, virum doctrina & ſanctitate eximium. Sic autem loquitur in epiſt. ad Adeodatum ſcripta: *Quia corpus ſuum, quod ſemel pro nobis offerebat in pretium, paulo poſt à noſtris viſibus ſublaturus fuerat in cœlum, ne ſublati corporis fraudaremur præſenti munimine, corporis nihilominùs & ſanguinis ſui pignus ſalutare nobis reliquit. Non inanis myſterii ſymbolum, ſed compaginante Spiritu ſancto, corpus Chriſti verum, quod quotidiana veneratione ſub viſibili creatura* (panis ſcilicet) *formâ inviſibiliter, virtus ſecreta in ſacris ſolemnibus operatur. De quo ſub hora paſſionis ſuæ ipſa* (Chriſtus) *familiaribus ſuis ait:* Hoc eſt corpus meum... *quo veri magiſtri authoritate animati, dum corpori & ſanguini ejus communicamus, audenter fatemur, nos in*

corpus illius transfundi, & ipſum in nobis manere dico, non ſolùm per concordiam voluntatis, ſed etiam per natura unita veritatem. Si enim Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem, cibo dominico ſumimus, quomodo non naturaliter (hoc eſt realiter & ſubſtantialiter) *Chriſtus in nobis manere exiſtimandus eſt?*

Sæc. 11. Sanctus Anſelmus in commentario capitis 11. 1. Cor. ſic verba Chriſti ab Apoſtolo relata interpretatur: *Dixit eis, Accipite hanc ſpiritalem eſcam, & manducate hoc ſacramentum, id eſt, & mente accipite, & ore comedite, ſcilicet ut carnem meam non edatis tantùm in ſacramento, ſicut & multi mali alii faciunt, ſed uſque ad participationem ſpiritus manducetis ... Manducate quod tribuo, quia hoc eſt corpus meum. Senſibus quidem exterioribus videtur eſſe panis, ſed ſenſibus cognoſcite mentis, quia hoc eſt corpus meum, non aliud, ſed illud idem ſubſtantialiter quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem, & crucifigetur.* Porrò Anſelmo adjungi poſſunt pro eodem ſæculo Durandus Troarnenſius Abbas, Guitmundus Averſanus Archiepiſcopus, & Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui pro catholica veritate contra Berengarium ſcriptis ſuis pugnaverunt.

Sæc. 12. Denique S. Bernardus in vita S. Malachiæ narrat, quòd *fuit quidam clericus in Leſmor, probabilis, ut fertur, vita, ſed fidei non ita; is ſciolus in oculis ſuis, præſumpſit dicere, in Euchariſtia eſſe tantummodo ſacramentum, & non rem ſacramenti, id eſt, ſolam ſignificationem, & non corporis veritatem, ſuper quo à Malachia ſecretò & ſæpe conventus, ſed incaſſum:* addit S. Bernardus hominem in conventu clericorum à S. Malachia convictum fuiſſe, nec tamen converſum; ſed paulò poſt lethali morbo ſubitò correptum, ad ſanam mentem rediiſſe, & abjurato errore, ac viatico recepto, priſtinam pervicaciam morte ſua expiaſſe.

Contra veritatem catholicam multa ex S. Auguſtino congerunt Sacramentarii, & inter alia opponunt, 1. epiſt. 23. in qua ſic loquitur Auguſtinus: *Sicut ſecundum quemdam modum ſacramentum corporis Chriſti Corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti Sanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei fides eſt.* Ad hunc Auguſtini locum plures afferunt ſolutiones Doctores catholici, quarum optima nobis videtur ea, quam affert Algerus lib. 1. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 5. ubi ait, S. Auguſtinum loqui de ſpeciebus panis & vini, quæ ſunt ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, hoc eſt, ſigna ſenſibilia corporis & ſanguinis Chriſti ibi præſentium. Unde rectè aſſerit ſanctus Auguſtinus, ſacramentum corporis Chriſti eſſe, ſecundùm quemdam modum, ipſum Corpus Chriſti, & ſacramentum ſanguinis Chriſti eſſe, ſecundùm quemdam modum, ipſum Sanguinem Chriſti: ſpecies enim panis & vini non ſunt corpus & ſanguis Chriſti, niſi modo quodam, hoc eſt, repræſentativè.

Opponunt 2. Ex libro contra Adimantum hæc verba cap. 12. *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum; cum ſignum daret corporis ſui.* R. Euchariſtiam, de qua loquitur S. Doctor, cùm ait, Dominum ſignum dediſſe corporis ſui, eſſe & ipſum corpus Domini, & ſignum corporis Domini, ut in cruce immolati. Quamvis igitur Chriſtus Euchariſtiam diſcipulis ſuis porrigendo, reverà dederit illis corpus ſuum ſub ſpecie panis, ſanè & catholicè dicere potuit Auguſtinus Chriſtum, porrigendo Euchariſtiam diſcipulis ſuis, dediſſe illis ſignum corporis ſui, ſupple, ut proximè pro eorum aliorumque hominum ſalute in cruce immolandi. Adde, Auguſtinum, cùm ait, Chriſtum dediſſe diſcipulis ſuis ſignum corporis ſui, loqui de ſigno non nudo & vacuo, ſed pleno ipſa re ſignificata.

Ex his patet reſponſio ad id, quod opponunt 3. ex commentario in Pſal. 3. ubi dicit S. Doctor, quòd Dominus Judam *adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit.* Juxta S. Doctorem igitur, Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo, inſtituit convivium, in quo paſſio & mors ejus repræſentantur, in quo cibus & potus ſunt figura corporis & ſanguinis ejus, ut fuerunt in cruce: in hoc enim convivio cibus eſt corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & potus eſt ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini: corpus autem Chriſti, & ſanguis ejus ſic exiſtentia ſub ſpeciebus alienis, illiſque diverſis, ac ſeparatim ſubſiſtentibus, ſe ipſa ut in paſſione & cruce immolata & ſeparata fuerunt, luculenter exhibent. Chriſtus igitur rectè dicitur in convivio euchariſtico diſcipulis ſuis tradidiſſe & commendaſſe figuram corporis & ſanguinis ſui, tradendo illis corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus alienis ac diverſis, & ſeparatim ſubſiſtentibus, ſimulque illis commendando, ut ea inpoſterum ſub iiſdem ſpeciebus conſecrarent, offerrent, & ſumerent in memoriam cruenti ſacrificii, quod ipſe jamjam oblaturus erat in cruce.

Opponuntur 4. lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. ubi ait S. Doctor: *Hujus ſacrificii caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur: in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur: poſt aſcenſum Chriſti per ſacramentum memoria celebratur*, *Reſp*, S. Doctorem hic manifeſtè loqui de memoria cruenti ſacrificii à Chriſto in cruce oblati: vocat igitur Euchariſtiæ ſacramentum ſacramentum memoriæ, non quòd in eo corpus & ſanguis Chriſti per panem & vinum ſignificentur, ſed quia in eo corpus & ſanguis Chriſti poſita ſub ſpeciebus panis & vini, adeoque ſub ſpeciebus alienis, diverſis, & ſeorſim exiſtentibus, repræſentant, ſicque in memoriam revocant cruentum illud ſacrificium, quod ſemel Chriſtus obtulit in cruce pro ſalute hominum.

Opponunt 5. lib. 3. de Trinitate cap. 10. ubi S. Auguſtinus de Euchariſtia loquens, ſic ait: *Panis ad hoc factus in accipiendo ſacramento conſumitur.* Ergo, inquiunt, in Euchariſtia ſumitur verus panis, non verum Chriſti corpus, quod conſumi non poteſt. *R.* ſanctum Auguſtinum loqui non de ſubſtantia panis interna, ſed de externa tantùm, ſeu tantùm de ſpecie panis, quam dicit conſumi à ſumentibus Euchariſtiam. *Nota.* In Euchariſtia panis quoad ſubſtantiam internam conſumitur peracta conſecratione, & quoad externam ſubſtantiam, ſive quoad accidentia, conſumitur per manducationem. Addi poteſt etiam ipſummet Chriſti corpus, quod ſub ſpecie panis manducatur, per manducationem aliquo modo conſumi, quatenùs ſcilicet, conſumpta panis ſpecie, deſinit eſſe, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſeu quatenùs deſinit eſſe reproductum in tali loco.

Opponunt 6. illa verba ex tractatu 25. in Joannem, *Quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducaſti.* Sed ad hunc locum & alia ſimilia, jam ſuo loco reſponſum eſt, ſanctum Doctorem loqui de ſpirituali manducatione Chriſti per fidem incarnationis & divinitatis ejus, ſed ſine præjudicio manducationis ſacramentalis, ut ſatis ſuperque ſuo loco oſtenſum eſt.

Opponunt 7. ex commentario in pſal. 98. hæc verba: *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, ſpiritaliter intellectum vivificabit vos: & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inviſibiliter intelligi.* Ad ſolutionem *nota.* Auguſtinus loco citato inducit Chriſtum reſpondentem iis, quibus *durum viſum eſt quod ait, Niſi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam:* qui *acceperunt illud ſtultè, & carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis*, ut obſervat Auguſtinus ipſe: unde apparet verborum illorum, *Non hoc corpus quod videtis, &c.* ſenſum eſſe: Non manducaturi eſtis corpus meum quale vobis nunc præſens eſt, in propria ſpecie, & mortale ac viſibile, ſed manducaturi eſtis illud in aliena ſpecie, & inviſibiliter ac impaſſibiliter ſe habens. Similiter, bibituri non eſtis ſanguinem meum in propria ſpecie, qualis funderetur à

Ju-

Digitized by Google

Judæis, ſed in ſpecie aliena. Myſterium aliquod commendavi vobis, cùm vobis dixi, Niſi quis manducaverit carnem meam, &c. Non ergo carnaliter intelligenda ſunt de carne manducanda modo vulgari, ſeu de carne manducanda in propria ſpecie, poſtquam occiſa fuerit & in fruſta diviſa, ſed de carne abſque ulla ſui læſione, ſacramentaliter, verè tamen, ac realiter manducanda.

Hanc eſſe mentem ſancti Auguſtini demonſtratur ex eo, quòd ibidem diſertis verbis aſſerat Chriſtum in Euchariſtia nobis carnem ſuam dediſſe manducandam, eamque à nobis priuſquam illam manducemus, adorari: nam ad hæc verba, *Et adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*, ſic loquitur: *Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus ... Ergo terram nos jubet adorare, quia dixit alio loco, quod ſit ſcabellum pedum Dei ... Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedum Domini mei, quia pſalmus mihi dicit, Adorate ſcabellum pedum ejus ... fluctuans converto me ad Chriſtum ... & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus: ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat niſi priùs adoraverit, inventum eſt quemadmodum adoretur ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Ecce juxta ſanctum Doctorem, in Euchariſtia manducamus, & priuſquam manducemus, adoramus eamdem illam carnem quam Chriſtus de carne Mariæ accepit, & in qua in hac mortali vita ambulavit. Quid clarius?

§. III.

Concilia,

Sæc. 4. EX Actis Concilii Nicæni, qualia extant in Bibliotheca Vaticana, hæc verba refert Bellarminus lib. 2. de Euchariſtia cap. 10. *Iterum etiam hic in divina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & calicem, ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente à ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius Corpus, & ſanguinem verè ſumentes credere oportet hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola, propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum, & ſciamus non ad ſatietatem, ſed ad ſanctificationem ſumi.*

Teſtimonium hoc admittit Calvinus lib. 4. inſtitutionis cap. 17. §. 36. & cum eo alii plures Sacramentarii, qui, quod mirum eſt, ex eo hæreſim ſuam probari poſſe contendunt; cùm è contra in eo apertiſſimè aſſeratur realis Chriſti præſentia in Euchariſtia, cùm dicitur in ſacra menſa agnum Dei, tollentem peccata mundi, qui certè alius eſſe non poteſt, quàm Chriſtus, incruentè à ſacerdotibus immolari, noſque pretioſum ipſius Corpus & Sanguinem ſumere, cùm ſumimus Euchariſtiam.

Neque ullatenùs obeſt quod additur, nos debere credere, quòd ſumentes Euchariſtia, ſumamus ſymbola reſurrectionis noſtræ: tunc enim ſumimus reſurrectionis noſtræ ſymbola, quia, ut docent Patres, corpora noſtra ex manducatione Chriſti ſub ſpecie panis, diſpoſitionem quamdam, & jus ad glorioſam reſurrectionem acquirunt.

Item non obeſt quod dicitur, intentos nos eſſe non oportere ad propoſitum panem & calicem in divina menſa, ſed mentem attollendam ad agnum illum Dei, qui tollit mundi peccata: verbis enim illis Concilium vetat, ne hæreamus in ſpeciebus panis & vini, quaſi nihil ibi ſit, niſi quod nobis renunciant oculi; jubetque ut mentem attollentes, fide credamus in divina menſa poſt conſecrationem verè eſſe Corpus & Sanguinem Chriſti, quamvis corporalibus oculis non percipiantur.

In Epheſino Concilio, duodecim anathematiſmorum adversùs Neſtorium in Alexandrina Synodo editorum, explicationem pronunciavit S. Cyrillus, in qua ad undecimum anathematiſmum apertiſſimè profitetur, in Euchariſtia verè ac realiter contineri corpus & ſanguinem Verbi incarnati, ut manifeſtum eſt ex verbis ejus jam ſuo loco relatis. Cùm autem declarationem illam à Cyrillo pronunciatam approbarit Synodus, eam jure merito pro reali præſentia Chriſti in Euchariſtia laudare poſſumus. Sæc. 5.

Simili modo pro veritate catholica afferre poſſumus ſeptimam Synodum generalem, quæ fuit Nycæna II. & in qua, ſeſſ. 6. tomo 3. nemine reclamante, Epiphanius diaconus acerrimè invectus eſt in Iconoclaſtas, quòd dixiſſent Euchariſtiam eſſe imaginem corporis Chriſti; & laudatis Scripturæ locis, in quibus refertur inſtitutio Euchariſtiæ, ex eis ſic concludit: *Ergo liquidò demonſtratum eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres imaginem dixerunt ſacrificium incruentum, quod per ſacerdotem offertur, ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem.* Certè ſi Epiphanius ita loquendo erraſſet, erraſſet in re graviſſimi momenti, adeoque Synodus nec tacere debuiſſet, nec tacuiſſet, ne ſilentio ſuo graviſſimum in fide errorem approbare videretur. Sæc. 8.

Sæculo XI. plura habemus Concilia, & 1. quidem Concilium Romanum II. anno 1050. tempore Leonis Papæ IX. in quo, ut refert Lanfrancus in ſuo adversùs Berengarium commentario, contra Berengarium Sacramentariorum parentem, eò quòd communi de Euchariſtia fidei adverſa ſentiret, promulgata eſt damnationis ſententia, privans illum communione ſanctæ Eccleſiæ, quam ipſe privare ſancta ejus communione ſatagebat.

2. Eodem anno ſub eodem Leone IX. Pontifice, Concilium Vercellenſe, ad quod, ut refert idem Lanfrancus in eodem commentario, de diverſis hujus mundi partibus Epiſcopi convenerant, & in quo Joannis Scoti liber, contra veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia ſcriptus, lectus eſt ac damnatus; ſententia Berengarii expoſita ac damnata; fides ſanctæ Eccleſiæ, realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia credentis, audita, & concordi omnium ſenſu confirmata.

3. Eodem anno Concilium Pariſienſe, in quo, ut teſtatur Durandus Troarnenſis, litterarum à Berengario ſcriptarum, quas Aurelianenſis Præſul interceperat, lectio Epiſcopis omnibus, quoniam nequiſſima ſordebat hæreſi, vehementer diſplicuit; quare communi ſententia Epiſcoporum Berengarius cum ſuis complicibus, & codice Joannis Scoti, ex quo errorem ſuum hauſiſſe videbatur, damnatus eſt.

4. Anno 1055. tempore Victoris Papæ II. Concilium Turonenſe, cui præfuere Legati Summi Pontificis, cui interfuit ipſe Berengarius, qui cùm partem ſuam defendendam ſuſcipere non auderet, confeſſus eſt coram omnibus communem Eccleſiæ fidem de corporis Chriſti præſentia in Euchariſtia, juravitque ſe ita deinceps crediturum. Teſtis eſt Lanfrancus in commentario jam citato & Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus lib. 3. de ſacram.

5. Concilium Romanum centum & tredecim Epiſcoporum, anno 1059. ſub Nicolao Papa II. in quo Berengarius, ſententia ſua tertiùm abjurata, emiſit profeſſionem fidei, quæ incipit, *Ego Berengarius indignus diaconus*, & in qua confitetur, *panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe*, (per converſionem ſcilicet ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.)

6. Anno 1079. Concilium Romanum VI. ſub Gregorio VII. in quo Berengarius cum jurejurando emiſit hanc alteram fidei profeſſionem, quæ incipit, *Ego Berengarius corde credo*, & in qua confeſſus eſt, *panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram ac propriam ac*

Digitized by Google

vivificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c.

Sæculo XIII. adeſt nobis Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, in quo dicitur: *Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur; in qua idem ipſe ſacerdos, & ſacrificium Jeſus Chriſtus, cujus Corpus & Sanguis in ſacramento altaris, ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.*

Sæculo XV. duo Concilia generalia habemus, Conſtantienſe ſcilicet, & Florentinum, quorum primum ſeſſ. 15. has damnavit Joannis Vvicleffi propoſitiones: *Sicut Chriſtus eſt ſimul Deus & homo, ſic hoſtia conſecrata eſt ſimul Corpus Chriſti ad minimum in figura, & verus panis in natura, vel, quod idem ſonat, verus panis naturaliter, & Corpus Chriſti figuraliter: ſecurè denuncio modernis hæreticis, quod non poſſunt declarare, nec intelligere accidens ſine ſubjecto. Sicut Joannes figuraliter fuit Elias, & non perſonaliter; ſic panis in altari figuraliter eſt Corpus Chriſti, & abſque ambiguitate, hæc eſt figurativa locutio*, Hoc eſt corpus meum, *ſicut iſta*, Joannes eſt Elias.

Alterum verò ſic loquitur in decreto Eugenii §. *Tertium, Sacerdos in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur: ita tamen quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte hoſtia conſecrata & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus*,

Sæculo denique XVI. Concil. Trident. œcumenicum ſeſſ. 13. cap. 1. veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia aſſerit verbis expreſſis: *Principio docet ſancta Synodus*, inquit, *& apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſancto Euchariſtia ſacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum atque hominem, verè, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri, &c.* Et in eos, qui hoc dogma catholicum rejiciunt, ſententiam fert canone 1. ubi ait: *Si quis negaverit, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno, vel figura, aut virtute: anathema ſit.*

Porrò ex allatis hactenùs Patrum & Conciliorum teſtimoniis efformare poſſumus hoc præſcriptionis argumentum. Dogma illud verum eſt & catholicum, nec abſque hæreſeos nota negari poteſt, quod nunquam non fuit in Eccleſia creditum. Atqui realis præſentia Chriſti in Euchariſtia nunquam non fuit credita in Eccleſia. Ergo eſt verum & catholicum dogma, quod nonniſi hæreticè negari poteſt.

Major certiſſima eſt, nec eam inficiantur Novatores, contra quos hic pugnamus: breviter tamen ſic demonſtratur. Illud dogma verum & catholicum eſt, quod ab Apoſtolis traditum fuit Eccleſiæ. Atqui dogma quod nunquam non creditum fuit in Eccleſia, certo certius Eccleſiæ ab Apoſtolis traditum non fuit. Ergo, &c.

Minor verò manifeſta eſt ex Conciliorum & Patrum teſtimoniis jam allatis. Præterea, ſi realis præſentia Chriſti in Euchariſtia non ſemper credita fuit in Eccleſia, certo tempore & certo loco, certo authore, tam inſignis, tamque pernicioſa novitas induci cœpta eſt. Atqui Sacramentarii nullo pacto poſſunt nobis oſtendere, quo loco, quo tempore, quo authore cœperit in Eccleſiam irrepere fides realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia. Ergo, &c.

Dices cum pſeudo miniſtro Claudio, Paſchaſium Corbeienſem Abbatem, primùm in Eccleſia Latina realis præſentiæ Chriſti dogma invexiſſe circa annum 818. *Reſp.* hoc eſſe manifeſtè falſum: realis enim præſentiæ aſſertorem habemus pro ſæculo VII. Gregorium Magnum, pro ſæculo VI. Remigium Rhemenſem, pro ſæculo V. Leonem Magnum & Auguſtinum, pro ſæculo IV. Hilarium cum Ambroſio, cujus verba adeò ſunt clara & expreſſa, ut vel ſola ſufficiant ad obſtruendum os Sacramentariis. Pro ſæculo III. Tertullianum, cui hic addimus ſanctum Cyprianum in ſermone de lapſis, ubi reprehendens eos, qui poſt negatum Chriſtum, priùs quàm per debitam ſententiam ſeſe purgaſſent, accedebant ad ſacramentum Euchariſtiæ, ſic ait: *Vis infertur corpori ejus & ſanguini; & plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.* Et pro ſæculo II. Irenæum Lugdunenſem.

Dices cum pſeudo-miniſtro Blondello, Anaſtaſium Sinaitam circa annum 636. in Eccleſia Græca ſententiæ aſſerentis Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia præſentem, fundamenta jeciſſe. *Reſp.* hoc etiam eſſe manifeſtè falſum: nam in Eccleſia Græca pro reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, habemus ſæculo quinto ſanctum Chryſoſtomum loco à nobis citato, & plurimis aliis, ut videre eſt apud Bellarminum lib. 2. de Euchariſtia cap. 22. & Cyrillum Alexandrinum. Sæculo quarto Cyrillum Hieroſolymitanum, Gregorium Nyſſenum, & Gregorium Nazianzenum, quorum duorum poſteriorum verba legi poſſunt apud Bellarminum lib. citato cap. 16. & 18. Sæculo tertio Origenem. Secundo Juſtinum. Primo denique Ignatium Martyrem, quem ab Apoſtolorum, quorum diſcipulus fuit, doctrina deflexiſſe nemo impunè dixerit.

DISPUTATIO V.

De modo quo Chriſtus realiter præſens eſt in Euchariſtia.

ARTICULUS I.

Utrùm ſubſtantia panis & vini præſens ſit cum Corpore & Sanguine Chriſti in Euchariſtia.

LUtherus lib. de captivitate Babilonica cap. de Euchariſtia duo dicit. 1. Videri ſibi probabilius, & Scripturis conformius, quòd panis maneat cum corpore Domini in Euchariſtia. 2. Veram eſſe hanc propoſitionem, Panis eſt corpus Chriſti, propter unionem panis cum corpore in ſacramento; ſicut vera eſt iſta, Chriſtus homo eſt Deus. Et in ſermone de ſacramento Cœnæ Domini, explicans modum, quo corpus Chriſti in ſacramento conjungitur cum pane, aſſerit corpus Chriſti id aſſecutum eſſe per ſui ad verbum unionem, ut ſit ubicumque verbum eſt, adeoque ubique ſit, Unde ſequitur illud etiam in pane cœnæ Domini fuiſſe. Doctrinam hanc amplexi ſunt Lutherani ferè omnes, quamobrem Ubiquetarii dicti ſunt. Sed contra Lutherum & ejus aſſeclas ſentit univerſa Eccleſia catholica, in ſacramento Euchariſtiæ non eſſe ſubſtantiam panis & vini, ſed totam converti in corpus & ſanguinem Chriſti; cujus doctrinæ veritatem demonſtrabimus ſequentibus paragraphis,

§. I.

Probatur ex Scriptura, ſubſtantiam panis & vini per conſecrationem converti totam in corpus & ſanguinem Chriſti.

Matthæi cap. 26. legitur: *Cœnantibus autem illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum.* Ex quibus verbis ſic argumentor. Vel Chriſtus dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, verè ac realiter mutavit panem in corpus ſuum; vel mutavit metaphoricè tantùm & figuratè, dando ſcilicet

panis

panis ſignificationem, quam ante non habebat; vel denique nullo modo mutavit. Tertium dici non poteſt: nam ſi Chriſtus dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, nullo modo mutavit panem, panis in nullo, hoc eſt, nec in proprio, nec in metaphorico ſenſu corpus Chriſti fuit, etiam per verborum Chriſti prolationem, adeoque propoſitio Chriſti fuit falſa; & Chriſtus dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, mentitus eſt: in hac enim hypotheſi propoſitionis Chriſti ſenſus fuit, Hic panis eſt corpus meum; quod falſum fuit, cùm revera neque in proprio, neque in metaphorico, adeoque in nullo planè ſenſu panis corpus Chriſti fuerit in hac hypotheſi. Sed

Nec ſecundum dici poteſt: nam ſi Chriſtus dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, figuratè tantùm mutavit panem, eò quòd ſcilicet ſic loquendo, præcisè inſtituerit, ut panis eſſet figura corporis ſui, verborum Chriſti ſenſus fuit: Hic panis eſt figura corporis mei, atq; ita Apoſtolis datus tantùm eſt panis, qui eſſet figura corporis Chriſti: Chriſtus enim Apoſtolis id tantùm dedit, quod ſignificavit per verba illa, *Hoc eſt corpus meum*. Atqui hæc eſt Sacramentariorum ſententia, quam nobiſcum damnant Lutherani, contra quos ſolos hìc pugnamus, quique confitentur, Chriſtum Apoſtolis ipſummet corpus ſuum manducandum dediſſe in cœna ultima. Supereſt igitur ut dicatur primum, adeoque ſubſtantiam panis non fuiſſe ampliùs poſt conſecrationem, ſed verè ac realiter mutatam fuiſſe in ſubſtantiam corporis Chriſti; & verborum illorum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, hunc fuiſſe ſenſum, Hæc res, quæ ſub ſpecie panis continetur, non eſt ampliùs panis, ſed corpus meum.

Dices 1. Cum Luthero. Hæc propoſitio de Chriſto facta, Hic homo eſt Deus, vera eſt abſque mutatione hominis in Deum, vel contra, Dei in hominem: ergo ſimiliter propoſitio iſta, Hic panis eſt corpus meum, vera eſt, licèt panis non mutetur in corpus Chriſti. *R.* neg. conſeq. Magna enim eſt diſparitas inter utramque propoſitionem. Itaque cùm de Chriſto dicitur: Hic homo eſt Deus, vera eſt propoſitio abſque ulla converſione, quia in ea abſque ulla converſione, & propter ſolam unionem hypoſtaticam duarum naturarum, humanæ ſcilicet & divinæ, in verbo, ſubjectum & prædicatum ſupponunt pro eodem, nempe pro perſona verbi. At cùm dicitur: Hic panis eſt corpus meum, ſubjectum & prædicatum non ſupponunt pro eodem, ſed pro diverſis rebus, & planè diſparatis: quare falſa eſt propoſitio: nam quod lumine naturali notum eſt, ad veritatem propoſitionis affirmativæ requiritur, ut ſubjectum & prædicatum pro eodem ſupponant.

Dices 2. Cum eodem. Si ad veritatem hujus propoſitionis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, neceſſaria fuit tranſubſtantiatio, ſeu mutatio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, fuit etiam neceſſaria tranſaccidentatio, ſeu mutatio accidentium panis in corpus Chriſti. *R.* neg. ſequel. Nam in hac propoſitione Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* demonſtrat ſubſtantiam, quæ ſubeſt accidentibus, & propoſitionis ſenſus eſt: Subſtantia quæ ſubeſt huic albedini, eſt corpus meum: unde ad veritatem propoſitionis hujus, *Hoc eſt corpus meum*, requiritur & ſufficit, ut pro ultimo inſtanti, quo completa eſt ſubſtantia, quæ ſubeſt huic albedini, ſit re ipſa corpus Chriſti, proindeque requiritur & ſufficit, ut pro ultimo inſtanti, quo completa eſt propoſitio, ſubſtantia panis in corpus Chriſti convertatur.

Dices 3. Ad veritatem hujus propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, ſatis eſt, quòd corpus Chriſti ſit intimè præſens pani per ubiquitatem: ſicut ad veritatem propoſitionum iſtarum, Hoc eſt vinum, Hoc eſt aurum, ſufficit ut dolium ſit plenum vino, & in crumena ſit aurum. *Reſp.* neg. Lutherani enim volunt in hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc*, demonſtrare panem, & propoſitionis ſenſum eſſe: Hic panis eſt corpus meum: at hoc verum eſſe non poteſt, propter intimam corporis Chriſti cum pane præſentiam. Ratio eſt, quia non obſtante intima illa præſentia, ſubjectum & prædicatum propoſitionis ſupponunt pro rebus diverſis ac ſeparatis, niſi ſubſtantia panis verè convertatur in corpus Chriſti. Allata autem exempla Lutheranos non juvant: nam v. g. cùm præſente dolio, in quo eſt vinum, dicitur, Hoc eſt vinum; pronomen *hoc*, non demonſtrat dolium, quo vinum continetur, nec ſenſus propoſitionis eſt, Hoc dolium eſt vinum: ſed demonſtrat id quod eſt in dolio, demonſtrat, inquam, ſub generali & confuſa ratione contenti in dolio; & ſenſus propoſitionis eſt: Liquor, qui continetur in hoc dolio, eſt vinum.

Dices 4. Valet quidem hæc reſponſio contra Lutheranos, qui dicunt, in illis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* demonſtrare panem; at non valeret contra eum, qui diceret, in Euchariſtia manere quidem panem cum corpore Chriſti; ſed verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*, dicta eſſe tantùm de corpore Chriſti; ita ut pronomen *hoc* ſupponat confusè pro re contenta ſub panis ſpecie, & virtute prædicati determinetur ad corpus Chriſti, nullaque ſubſtantiæ panis, licèt ibi maneat, fiat mentio. Hoc autem fieri poſſe, exemplo demonſtrari poteſt: ſic v. g. de dolio vini pleno, rectè dicitur, Hoc eſt vinum, licèt ibi ſint duæ ſubſtantiæ, una dolii, & altera vini.

R. In propoſitionibus de re continente, & re contenta, per pronomen *hoc*, indifferenter poſſe alterutrum verè demonſtrari, hoc eſt, tam rem continentem, quàm rem contentam, modò hæc una ſit. Sic de dolio, in quo tantùm eſt vinum, indifferenter verè dicimus, Hoc eſt dolium, vel, Hoc eſt vinum. Dixi autem, modò unica ſit res contenta: nam ſi plures continentur, v. g. ſi in dolio oleum eſt cum vino, verè quidem pronomen *hoc* demonſtrabit rem continentem, & verè dicent, Hoc eſt dolium; at neutram rem contentam, ſeu neutrum liquorum ſeorſim poterit verè & abſque deceptione demonſtrare.

Ratio eſt, quia ſecundùm communem uſum, qui rem contentam per pronomen *hoc* demonſtrat, unam tantùm, & cum exclusione cujuſcumque alterius, quæ ibidem contineri poſſet, demonſtrat: unde in allato exemplo, ſecundùm uſum communem, qui diceret, Hoc eſt oleum, diceret, & intelligeret cum excluſione vini, vel contra, qui diceret, Hoc eſt vinum, diceret, & intelligeret cum excluſione olei: quare utrumvis diceret, falsò loqueretur ſecundùm uſum communem, & audientes falleret.

Quando igitur Chriſtus dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, vel pro inſtanti, quo verba illa fuerunt completa, ſolum Chriſti corpus fuit ſub ſpecie panis, adeoque panis ſubſtantia in corpus Chriſti converſa fuit; vel ſi cum corpore Chriſti adhuc fuit ſubſtantia panis, Chriſtus Apoſtolos ſuos decepit, & malè dixit, *Hoc eſt corpus meum*, ſed dicere debuit: In hoc pane eſt corpus meum, vel, Hic eſt corpus meum, vel, Hic non ſolùm eſt panis, ſed etiam corpus meum.

At inquies. Etiamſi ſupponatur, panem manere in Euchariſtia cum corpore Chriſti, erit nihilominùs unica res contenta, nempe corpus Chriſti: panis enim erit res continens. Ergo nihilominùs tam verè dicetur à ſacerdote in perſona Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, quàm v. g. de dolio, in quo alius liquor præter vinum non continetur, verè dicitur, Hoc eſt vinum. *R.* neg. ant. Nam in Euchariſtia ſola accidentia ſe habent per modum rei continentis; corpus enim Chriſti eſt in Euchariſtia, non ut liquor in vaſe, aut res locata in loco, ſed ut ſubſtantia ſub accidentibus, per quæ demonſtrabilis eſt, ſubſtans: quare vel panis non eſt in Euchariſtia cum corpore Chriſti, vel ſi eſt, res eſt contenta cum corpore Chriſti ſub iiſdem accidentibus; atque ita nec Chriſtus verè dixit, nec ſacerdos in ejus perſona verè poteſt dicere, *Hoc eſt corpus meum*.

§. II.

In Euchariſtia totam panis ſubſtantiam converti in corpus Chriſti, probatur ex Patribus & Conciliis.

Ex Patribus, quos longo ordine refert Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 20. hic ſufficient nobis Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi myſtagogica 4. ubi ait: *Aquam aliquando* (Chriſtus) *mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutaſſet?* Et infra ante finem: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti; & vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.*

Sanctus Ambroſius lib. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 9. ubi ait: *Fortè dicas: Aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc* (quod ſcilicet accipitur, cùm accipitur Euchariſtia) *eſſe quod natura formavit? ſed quod benedictio conſecravit: majoremque vim eſſe benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione* (ſeu conſecratione) *etiam natura ipſa mutatur.* Quibus verbis ſanctus Doctor apertè docet ſubſtantiam panis in corpus Chriſti tranſmutari per conſecrationem. Hujus autem tranſmutationis poſſibilitatem ut demonſtret, affert multas alias olim virtute divina factas; ſic enim proſequitur: *Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens; rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis, & virgæ, &c.* Vide etiam loca alia laudata diſputatione ſuperiori.

Et ſanctus Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. ubi hæc habet: *Quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus & ſanguinem immutantur, corpuſque alterum fiunt, atque a priori ipſius corpore diverſum: ſic propoſitionis panis, ac vinum & aqua, per ſancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur; nec ſunt duo, ſed unum & idem.*

Patribus conſonant Concilia, & 1. quidem Romanum VI. ſub Gregorio VII. in quo Berengarius hæreſim ſuam abjurans, fidemque catholicam profitens, confitetur *panem & vinum, quæ ponuntur in altari, in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti ſubſtantialiter converti per verba conſecratoria, & ita poſt conſecrationem eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti.* 2. Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, ubi dicitur, panem in corpus, & vinum in ſanguinem poteſtate divina tranſubſtantiari in ſacramento altaris. 3. Florentinum in decreto Eugenii IV. verbis relatis ſuperiore diſputatione.

4. Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. in quo ſic loquitur: *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, quæ converſio convenienter & propriè à ſancta catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata.* Et can. 2. oppoſitum errorem profligat his verbis: *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, unà cum corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini: quam quidem converſionem catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat: anathema ſit.*

Patrum & Conciliorum authoritati addere poſſumus argumentum præſcriptionis in hunc modum. Quòd panis in Euchariſtia in corpus Chriſti verè convertatur, fuit ſemper fides Eccleſiæ catholicæ. Ergo vera panis, in corpus Chriſti converſio in Euchariſtia, eſt dogma verum, & ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum. Conſequentia patet; hoc enim Eccleſia ab Apoſtolis didicit, quod nunquam non credidit. *Prob. ant.* Nam ſi panis in corpus Chriſti realis converſio in Euchariſtia non ſemper fuit fides Eccleſiæ catholicæ, certo tempore, loco, & authore credi cœpta eſt in Eccleſia. Atqui hoc dici non poteſt, niſi falsò & perperam; nec adverſarii hactenùs oſtendere potuerunt, aut poterunt aliquando, quo tempore, loco, & authore Eccleſia cœperit credere, panem in corpus Chriſti converti in Euchariſtia. Ergo, &c.

Dices. Innocentius I. dogma converſionis ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti invexit in Concilio Lateranenſi, poſt initia ſæculi XIII. *Reſp.* hoc eſſe falſiſſimum: nam longè antea, nempe anno 1079. in Concilio Romano VI. ſub Gregorio VII. Berengarius cum jurejurando confeſſus eſt realem ac ſubſtantialem panis converſionem in veram & propriam carnem Chriſti.

Dices iterum. Saltem converſionis dogma ſæculo IX. à Paſchaſio Corbejenſi excogitatum eſt *R.* hoc etiam falſiſſimum eſſe; illud enim dogma ſæculo IV. verbis apertiſſimis jam tradiderant, inter alios Cyrillus Hieroſolymitanus, & Ambroſius, locis ſupra laudatis. Nec dicant adverſarii hoc converſionis dogma natum eſſe ſæculo IV. Nam pro ſæculo III. apertum illius aſſertorem habemus Tertullianum lib. 4. adverſùs Marcionem, ubi ait, quòd Chriſtus panem corpus ſuum fecerit, dicendo, *Hoc eſt corpus meum*: quid enim eſt Chriſtum panem corpus ſuum feciſſe, niſi Chriſtum ſubſtantiam panis in corporis ſui ſubſtantiam tranſmutaſſe? Et pro ſæculo II. Juſtinum Martyrem in apologia 2. ubi panis tranſubſtantiationem profitetur, cùm ait, panem qui in altari ponitur, poſt conſecrationem non eſſe ampliùs panem communem, ſed Chriſti carnem: nec prætermitti oportet, quod addit, & quo apertiſſimè damnantur Novatores, dogma hoc Eccleſiam ab Apoſtolis accepiſſe.

§. III.

Veritas hactenùs probata, confirmatur refutatione Lutheranæ ubiquitatis.

Corpus Chriſti realiter ac ſubſtantialiter præſens eſt in Euchariſtia, vel per ubiquitatem, hoc eſt, ut docent Lutherani, quia ubique eſt propter hypoſtaticam ſui cum verbo unionem; vel per realem ſubſtantiæ panis in ipſum converſionem per verba conſecratoria factam. Non primum. Ergo ſecundum. Majorem non negant, imò admittunt Lutherani, qui ſatis ingenuè fatentur ſe ad ubiquitatem confugere, ne cogantur agnoſcere in verbis conſecratoriis, vim permutandi panem in corpus Chriſti. *Prob. ergo min.* Nam ubiquitas corporis Chriſti repugnat 1. Scripturis, quæ apertè aſſerunt, Chriſtum ratione humanitatis ſuæ non fuiſſe alicubi, adeoque non ſemper fuiſſe ubique: nam Joan. cap. 6. dicitur: *Cum ergo vidiſſet turba, quia Jeſus non eſſet ibi.* Et cap. 11. *Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, ſed eamus ad eum.* Et Matth. cap. ultimo, *Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic, ſurrexit enim.*

Repugnat 2. Scripturis, quæ dicunt corpus Chriſti verè manducari in Euchariſtia. Matth. cap. 26. *Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum.* Jo. cap. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* & v. 55. *Qui manducat meam carnem, &c.* & v. 56. *Caro enim mea verè eſt cibus ... Qui manducat meam carnem, &c.* Nam ſic argumentor. Quod eſt ubique, non poteſt moveri, ſeu tranſire de loco ad locum. Sed quod non poteſt tranſire de loco ad locum, non poteſt verè ac propriè manducari: ad hoc enim ut aliquid verè ac propriè manducetur, requiritur ut ex ore tranſeat ad ſtomachum. Ergo quod eſt ubique, non poteſt verè ac propriè manducari. Ergo ſi corpus Chriſti eſt ubique, non manducatur verè ac propriè, cùm ſumitur Euchariſtia.

Con-

Confirmatur. Si Chriſtus non ſolùm ſecundùm divinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem eſt ubique, non magis ſecundùm humanitatem, quàm ſecundùm divinitatem movetur localiter, cùm localiter moventur corpora, ut patet ex terminis. Atqui in nullo ſenſu, hoc eſt, neque per ſe, neque per accidens movetur localiter ſecundùm divinitatem, cùm localiter moventur corpora. Ergo ſi ubique eſt ſecundùm humanitatem, ſecundùm illam neque per ſe, neque per accidens movetur localiter, cùm localiter moventur corpora: quare cùm panis à manu ad os, & ab ore ad ſtomachum tranſit, Chriſtus tunc non magis ſecundùm humanitatem, quàm ſecundùm divinitatem, tranſit à manu ad os, & ab ore ad ſtomachum, adeoque non magis ſecundùm carnem ſuam, quàm ſecundùm ſuam divinitatem, verè ac propriè manducatur, ſi tam ſecundùm humanitatem ſuam, quàm ſecundùm ſuam divinitatem eſt ubique. Ubiquitate igitur corporis Chriſti ſuppoſita, corpus Chriſti in Euchariſtia aliter manducari non poteſt, quàm ſpiritualiter & per fidem; quæ eſt Sacramentariorum ſententia, quam nobiſcum Lutherani deteſtantur.

Repugnat 3. Patribus, pro quibus omnibus unus hic nobis ſufficiet Auguſtinus, qui ſic ait tractatu 78. in Joannem: *A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat, & idem ipſe Chriſtus homo & Deus. Ergo & ibat per id, quod homo erat, & manebat per id, quòd Deus erat: ibat per id quòd uno loco erat, manebat per id quòd ubique erat.* Juxta S. Doctorem, Chriſtus homo & Deus, ut homo, in uno tantùm loco erat; ut Deus, erat ubique: unde ut Deus manebat in loco, quem ut homo relinquebat, ut tranſiret ad alium: ut homo moveri poterat, ut Deus immobilis erat. Simili modo loquitur epiſt. 57. ad Dardanum: *Secundùm hominem*, inquit, *in terra erat* (Chriſtus) *non in cælo, ubi nunc eſt, quando dicebat:* Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, Filius hominis qui eſt in cœlo: *quamvis ſecundùm id quòd Filius Dei erat, eſſet in cælo, ſecundùm id verò quòd Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondumque aſcendiſſet in cœlum.* Juxta S. Doctorem igitur, Chriſtus ut Deus, alicubi fuit, ubi non fuit, ut homo: dum mortalem vitam vivebat, non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlo erat ut Deus, ut homo in terra tantùm. Ergo juxta S. Doctorem, ut homo non erat, ubicumque erat ut Deus: ergo ubique non erat.

4. Repugnat dogmati à Lutheranis omnibus recepto: tenent enim omnes, corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia extra uſum, hoc eſt, non eſſe niſi cùm diſtribuitur & ſumitur: quapropter ſpecies conſecratas non ſervant, neque ad ægrotos deferunt. Atqui hoc dogma evidenter evertitur per ubiquitatem: nam ſi corpus Chriſti ubique eſt, manifeſtum eſt illud eſſe in pane euchariſtico, etiamſi non ſumatur & manducetur. Secum igitur ipſimet pugnant Lutherani, & ſeſe ultrò cum ſuo ubiquitatis dogmate explodendos propinant.

5. Repugnat Euchariſtiæ ſacramento, cujus naturam deſtruit: ea enim omnium novæ legis ſacramentorum natura eſt, ut eſſentialiter dependeant ab inſtitutione Chriſti; ita ut effici non poſſint, niſi ritu & verbis à Chriſto præſcriptis. At ſuppoſita corporis Chriſti ubiquitate, id quod in Euchariſtia præcipuum eſt, nempe realis præſentia corporis Chriſti ſub ſpecie panis, nullo modo dependet à Chriſti inſtitutione, & ad exiſtendum nullatenùs indiget ritu & verbis à Chriſto præſcriptis: nam in ultima cœna etiamſi Chriſtus non dixiſſet, *Hoc eſt corpus meum*, nihilominùs corpus ejus fuiſſet in pane, quem benedixit, & fregit, ac dedit diſcipulis ſuis. Similiter etiam nunc ſive ſacerdos conſecrans verba illa Chriſti in ejus perſona proferat, ſive non, nihilominùs corpus Chriſti eſt in pane euchariſtico.

6. Denique repugnat manifeſtæ rationi. Nam perfectiones, quæ ſunt proprietates quarto modo Dei, creaturis ſunt incommunicabiles. Atqui ubiquitas ſeu immenſitas eſt proprietas quarto modo Dei, & Chriſtus ſecundùm humanitatem creatura eſt. Ergo ubiquitas ſeu immenſitas communicari non potuit humanitati Chriſti. Major certiſſima eſt: & verò cùm proprietates quarto modo inſeparabiles ſint ab eſſentia, cujus ſunt proprietates, proprietates quarto modo Dei creaturis communicari non poſſent, niſi ſimul communicaretur illis eſſentia divina, quod eſt impoſſibile; alioquin creatura poſſet eſſe Deus. Minor non eſt minùs certa: nam proprietas quarto modo dicitur, illa, quæ fluit ex differentia, qua res in ſuo eſſe conſtituitur, & ab omni alia re diſtinguitur. Atqui immenſitas convenit Deo ratione differentiæ, qua conſtituitur in ſuo eſſe, & diſtinguitur ab omni alio, quod non eſt Deus: convenit enim Deo, quia eſt ens à ſe. Ergo, &c.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Quòd panis in corpus Chriſti converſio ſit novum & peregrinum dogma, ſatis apparet ex voce peregrina & barbara tranſubſtantiationis, quam in ſuo Concilio Lateranenſi commentus eſt Innocentius. *R.* hoc eſſe falſum: quòd enim panis in corpus Chriſti mutetur ſubſtantialiter, ſeu quòd panis ſubſtantia in Chriſti corpus mutetur, non mutatis accidentibus, ſemper in Eccleſia catholica creditum ſit, ex antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis ſatis ſuperque oſtenſum eſt.

Ad illam autem panis in corpus Chriſti mutationem ſubſtantialem, manentibus iiſdem numero accidentibus, ſignificandam, ab Eccleſia tam potuit in Concilio Lateranenſi adhiberi vox *Tranſubſtantiatio*, quàm adhiberi potuit in Concilio Nycæno nomen ὁμοούσιος, & in Concilio Epheſino θεοτόκος ad exprimendum dogma catholicum: nec magis Lutherani ex novitate vocis hujus *Tranſubſtantiatio* colligere poſſunt, quòd panis in Chriſti corpus mutatio ſubſtantialis ſit novum & peregrinum dogma, quàm Neſtoriani ex nomine θεοτόκος quòd B. Virgo ſit Mater Dei, vel Ariani ex nomine ὁμοούσιος quòd Verbum ſit unius & ejuſdem numero eſſentiæ cum Patre, novum eſſe & peregrinum dogma potuerunt colligere.

Obj. 2. Apoſtolus poſt benedictionem, & in ipſo uſu, Euchariſtiam quinquies 1. Cor. cap. 10. & 11. vocat panem. *Panis quem frangimus. De uno pane participamus. Quoties manducabitis panem hunc. Qui manducaverit hunc panem indignè. Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat.* *R. breviter*, Euchariſtiam ab Apoſtolo vocari panem, quia fit ex pane, in ea figura ſeu ſpecies panis remanet, & ſpecialem quandam habet cum pane analogiam: ſicut enim panis ordinatur ex natura ſua ad corporis refectionem; ita Euchariſtia ordinatur ex inſtitutione divina, adeoque ex natura ſua ad refectionem animæ. Sed de hoc jam aliàs.

Obj. 3. Sicut Chriſtus dixit Matthæi cap. 26. *Hoc eſt corpus meum*, ita dixit Joannis cap. 6. *Ego ſum panis*. Atqui dicendo, *Ego ſum panis*, non mutavit ſe ipſum in panem. Ergo nec panem mutavit in corpus ſuum, dicendo, *Hoc eſt corpus meum*. *R.* Chriſtum non dixiſſe ſimpliciter, *Ego ſum panis*, ſed, *Ego ſum panis vitæ, ego ſum panis vivus.* In his autem propoſitionibus, *Ego ſum panis vitæ, ego ſum panis vivus*, to *panis* non ſumitur in ſenſu proprio pro pane corporali, ſed in ſenſu metaphorico pro ipſo Chriſto ut manducando per fidem: unde ad veritatem propoſitionum illarum non fuit neceſſaria aliqua mutatio. At ſine ſubſtantiali mutatione panis in corpus Chriſti, Chriſtus non potuit verè dicere, *Hoc eſt corpus meum*: nam ſi ſubſtantia panis, quem in manibus habebat Chriſtus, in corpus ejus mutata non eſt, quando dixit, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* demonſtravit panem, & ita propoſitionis ſenſus fuit, Hic panis eſt corpus meum; quod verum eſſe non potuit. Hinc

quia Chriſtus verum dixit, cùm hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, protulit, in Eccleſia ſemper creditum eſt, Chriſtum verba illa proferendo, ſubſtantiam panis in corpus ſuum tranſmutaſſe. *Quoniam*, inquit Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. *Chriſtus Redemptor noſter, corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit ... per conſecrationem panis & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti.*

Obj. 4. Senſus falli non poſſunt circa objectum. At ſenſus judicant in Euchariſtia eſſe panem. Ergo revera panis eſt in Euchariſtia. *R.* diſt. maj. Senſus falli non poſſunt circa objectum proprium, & per ſe, Concedo maj. Circa objectum per accidens, Nego maj. Itaque duplex diſtingui poteſt objectum ſenſuum, nempe objectum proprium & per ſe, quod conſiſtit in accidentibus; unde circa accidentia ſenſus falli non poſſunt, modò tamen, quod hìc ſupponitur, conditiones omnes ad rectam ſenſationem requiſitæ adſint, & objectum per accidens, quod ſubſiſtit in ſubſtantia, quæ ſubſunt accidentibus: unde circa illas ſenſus falli poſſunt, & aliquando falluntur, ut docet experientia. Sic v. g. homines aliquando glaciem, quam vident, judicant eſſe cryſtallum; aurichalcum, quod vident, judicant eſſe aurum, &c. Circa Euchariſtiam igitur ſenſus non falluntur, percipiendo in ea accidentia panis, quia revera ſunt in Euchariſtia: at falluntur, vel potiùs fallunt, cùm quis, putà Lutheranus, ex perceptione accidentium panis, ibi panis ſubſtantiam eſſe judicat.

Obj. 5. In ſacramento Euchariſtiæ non decet aliquid eſſe falſum. At ſi ſubſtantia panis in eo non eſt ampliùs, falſitas eſt in accidentibus: cùm enim accidentia externa ſint naturalia ſigna internæ ſubſtantiæ, cujus ſunt accidentia, accidentia panis, quæ ſunt in Euchariſtia, ſignificant in ea ſubſtantiam panis adeſſe. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam accidentia externa ſolùm ſunt ſigna naturalia internæ ſubſtantiæ ſub ſe latentis, ſervato naturæ ordine: unde accidentia panis, quæ ſunt in Euchariſtia, ſolùm ſignificant, ibi ſubſtantiam ſub ſe latere naturaliter, hoc eſt, ſi curſus & ordo naturæ ſervetur; adeoque in illis accidentibus nulla eſt falſitas: quòd enim ſub illis non adſit panis ſubſtantia, hoc fit, non naturaliter, ſed ſupra naturæ ordinem, Deo ſcilicet miraculosè panis ſubſtantiam in Chriſti corpus convertente.

Porrò qui vident panis accidentia in Euchariſtia, vel ſunt fideles vel infideles. Si ſunt fideles, non falluntur; quia ex verbo Dei & teſtimonio Eccleſiæ ſciunt, non ſubſtantiam panis, ſed corpus Chriſti accidentibus illis ſubeſſe. Si ſunt infideles, vel quia panis in corpus Chriſti converſionem, quamvis ſibi ſufficienter propoſitam, nolunt credere, & credendo tunc ſubſtantiam panis ſub accidentibus euchariſticis latere, falluntur ex vitio ſuo, & pertinacia ſua: vel quia de hoc Euchariſtiæ myſterio nihil planè audierunt; & tunc credendo ibi adeſſe panis ſubſtantiam, falluntur ſimpliciter ex ignorantia myſterii: ſicut ſimpliciter ex ignorantia decepta fuit Magdalena, quando Chriſtum credidit eſſe hortulanum: item ſicut ſimpliciter ex ignorantia decepti fuerunt duo diſcipuli, quando euntes in vicum Emaus, Chriſtum hominem eſſe peregrinum putaverunt.

Obj. 6. Admiſſa tranſſubſtantione, multa ſequuntur abſurda. Nam 1. Ex pane fit corpus Chriſti. 2. Et ita corpus Chriſti quotidie generatur per conſecrationem. 3. Per conſecrationem à ſacerdote fit Deus homo. 4. Corpus Chriſti, quod eſt in Euchariſtia, non eſt illud, quod fuit in utero Virginis & in cruce: corpus enim, quod fuit in cruce & in utero Virginis, ex virginis carne, non ex pane factum fuit. Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. *Ad* 1. *partem probationis Reſp.* diſt. admiſſa tranſſubſtantiatione, corpus Chriſti fit ex pane ut materia componente. Neg. Ut termino à quo. Conc. At hoc abſurdum non eſt; & hoc ſenſu corpus Chriſti fieri ex pane in Euchariſtia, docuerunt Patres antiqui, ut Tertullianus, Origenes, Ambroſius, &c.

Ad 2. *part. Reſp.* neg. Nam illud ſolum generatur corpus, quod fit ex materia præexiſtente, & intrinſecè componente, At corpus Chriſti per conſecrationem non ſic fit ex pane: non enim ex pane fit per conſecrationem, ſicut ſcamnum v. g. fit ex ligno, aut vas ex auro, vel ſicut ipſum factum eſt ex carne virginis in ejus utero; ſed quomodo v. g. terra ex nihilo facta eſt. Terra autem facta eſt ex nihilo, non ut ſubjecto componente, ſed ut termino à quo: unde terra ex nihilo generata fuiſſe, abſurdiſſimè diceretur ex eo, quòd dicatur facta fuiſſe ex nihilo. Similiter in tranſſubſtantiatione, quamvis terminus à quo poſitivus ſit, in creatione verò negativus ſit tantùm, corpus Chriſti ex pane generari, non niſi abſurdiſſimè diceretur ex eo, quòd verè dici poſſit, & dicatur, ex pane fieri.

Ad 3. *part. R.* Chriſtum, Deum & hominem, ſecundùm corpus à ſacerdote fieri, non abſolutè & ſimpliciter: quod enim jam exiſtit, non poteſt abſolutè & ſimpliciter fieri; ſed ſecundùm quid, & cum addito, quatenùs corpus Chriſti, quod modo naturali exiſtit in cœlo, à ſacerdote per verba conſecratoria ponitur in novo loco, in quo non erat antea, nempe ſub accidentibus panis, qui conſecratur; ponitur, inquam, vel per actionem adductivam, ut volunt multi, vel, ut volunt alii, & quidem multò probabilius, per actionem reproductivam, ad quam Deum moraliter determinat ſacerdos per verba conſecrationis.

Ad 4 *part. R.* neg. Illud itaque corpus, quod fuit in utero Virginis, & in cruce, eſt illud idem, quod eſt in Euchariſtia ſub accidentibus panis. Ad probationem *R.* corpus quod fuit in cruce, & in utero Virginis, quodque quando Verbum incarnatum eſt, factum eſt ex carne Virginis ut materia componente, virtute conſecrationis in Euchariſtia verè fieri ex pane, non quidem ut materia componente, ſed ſolùm ut termino à quo, ut jam dictum & probatum eſt.

Obj. 7. In fidei profeſſione quæ in Concilio Romano ſub Nicolao II. fuit edita, quamque Berengarius emittere juſſus eſt, dicitur: *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter, non ſolùm ſacramento, ſed in rei veritate manibus ſacerdotum tractari, & frangi: & fidelium dentibus atteri.* Ergo ex Nicolao II. & ejus Synodo, ſubſtantia panis manet in Euchariſtia poſt conſecrationem.

Reſp. neg. conſeq. & dico, profeſſionem illam loqui de pane mutato ſubſtantialiter per verba conſecratoria. Itaque juxta profeſſionem illam, quam planè catholicam eſſe, nemo poteſt ambigere, 1. Panis virtute conſecrationis ſubſtantialiter mutatus, eſt ſacramentum, hoc eſt, corporis Chriſti realiter præſentis ſignum ſeu ſymbolum ſecundùm accidentia externa, quæ remanent; & ipſummet verum ac naturale corpus Chriſti ſecundùm internam ſubſtantiam in quam tranſiit.

2. In Euchariſtia verum ac naturale corpus Chriſti ſenſualiter manibus ſacerdotum tractatur, frangitur, & dentibus atteritur mediantibus ſpeciebus, quæ ſolæ formaliter tractantur, franguntur, & dentibus atteruntur: corpus autem Chriſti tam verè ac propriè dici poteſt manibus ſacerdotum ſenſualiter tractari, frangi, & dentibus atteri in Euchariſtia mediantibus ſpeciebus, quàm olim, cùm Chriſtus in terris degebat, verè ac propriè dicebatur tangi mediantibus veſtimentis: dicebatur autem, ut patet ex verbis ipſiuſmet Chriſti, Lucæ cap. 8. ubi ait: *Quis me tetigit? Tetigit me aliquis.* At mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur, & propter quam ita loquitur, tetigerat tantùm fimbriam veſtimenti ejus. Hinc S. Chryſoſtomus rectè potuit dicere homil. 83. in Matthæum: *Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis;* & homil. 45. in

Jo-

Joannem: *Non ſe tantùm videri permittit deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi*. Et homil. 24. in 1. Corinth. *Quod in cruce paſſus non eſt* (Chriſtus) *id in oblatione patitur propter te; & ſuſtinet frangi, ut illud impleat*. Similia habent Patres alii.

3. Senſualis corporis Chriſti contactus in Euchariſtia mediantibus panis ſpeciebus, non fit in ſacramento ſeu in ſymbolo tantùm, ſed in rei veritate, quia corpus Chriſti in Euchariſtia non tangitur mediantibus panis ſpeciebus, ut nudis & vacuis ſignis illius, ſed ut ſignis, illud realiter præſens ſub ſe tegentibus: corpus enim in Euchariſtia non tangitur à ſacerdote mediantibus ſpeciebus panis, ſicut tangitur ab eo, qui tangit effigiem vel ſtatuam Chriſti, ſed ſicut olim tangebatur ab iis, qui Chriſti inter homines degentis tangebant veſtimentum: nam effigies vel ſtatua Chriſti eſt tantùm nudum & vacuum ſignum corporis ejus, quod proinde non niſi impropriè & figuratè tangitur, cùm effigies vel ſtatua illa tangitur. At veſtimentum Chriſti corpus ejus realiter præſens ſub ſe tegebat: unde qui tangebat veſtimentum Chriſti, in vero ac proprio ſenſu tangebat corpus ejus, quanquam non immediatè tangeret illud.

ARTICULUS II.

Utrùm panis in Euchariſtia propriè convertatur in Corpus Chriſti.

NOta. Ad veram & propriam converſionem, conditiones quinque requiruntur. Prima eſt, ut aliquid deſinat eſſe: non enim poteſt aliquid in aliud converti, niſi deſinat eſſe, quod erat antea. Secunda eſt, ut aliquid eſſe incipiat: nam non poteſt unum converti in aliud, niſi illud aliud incipiat eſſe ſecundùm quod alterum convertitur in ipſum; quòd ſi unum deſineret eſſe, alterum verò eſſe non inciperet, eſſet corruptio, vel annihilatio, at non eſſet converſio. Tertia eſt, ut ſit aliqua connexio & dependentia inter deſitionem unius, & alterius inceptionem; ita ut unum deſinat, quia incipit alterum, ſeu, quod idem eſt, ita ut vi inceptionis unius, fiat alterius deſitio: alioquin non erit actio una, quæ converſio dici poſſit, ſed erunt duæ actiones totales, quarum una dicetur, & erit annihilatio, altera verò creatio. Quarta eſt, ut ſint duo termini poſitivi, quorum unus deſinit, & alter incipit: in hoc enim propriè dicta converſio ab annichilatione & creatione diſcrepat: nam in creatione terminus à quo, & in annihilatione terminus ad quem negativus eſt. Quinta denique eſt, ut aliquid utrique termino communi perſeveret, reſpectu cujus id quod incipit, ſuccedit ei quod deſinit; ut facilè probari poteſt inductione converſionum omnium verarum, ſive phyſicarum, ſive moralium.

RESPONSIO.

In Euchariſtia, virtute conſecrationis, tota ſubſtantia panis verè ac propriè convertitur in Corpus Chriſti.

Eſt de fide, Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2. & *prob.* ratione. Quia in converſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, quæ fit in Euchariſtia per conſecrationem, adſunt conditiones omnes requiſitæ ad veram & propriam converſionem. Nam 1. Subſtantia panis deſinit eſſe. 2. Corpus Chriſti de novo incipit eſſe ſub ſpeciebus panis, quæ remanent. 3. Eſt vera connexio & dependentia inter poſitionem corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & deſitionem ſubſtantiæ illius: ideò enim ſubſtantia panis deſinit eſſe, quia corpus Chriſti realiter ac ſubſtantialiter ponitur ſub ſpeciebus ejus: nam poſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus ſubſtantiæ panis, deſitionem exigit propter naturalem repugnantiam, quam habent duæ ſubſtantiæ ad hoc, ut ſubſint iiſdem accidentibus, & per eadem accidentia demonſtrentur. 4. Terminus à quo & terminus ad quem ſunt ambo poſitivi. 5. denique corpus Chriſti ponitur ſub iiſdem numero accidentibus, quibus ſubſtantia panis ſuberat. Sed

Quæres. quanam actione corpus Chriſti ponatur ſub accidentibus panis?

R. Corpus Chriſti ſub accidentibus panis ponitur per veram ac realem ſui reproductionem.

Prob. 1. Authoritate Patrum, quorum multi dicunt corpus Chriſti in Euchariſtia fieri ex pane, ut Origenes, Tertullianus, Ambroſius, &c. Nam corpus Chriſti fieri ex pane, quamvis non ut materia componente, ſed ut termino à quo tantùm, in vero ſenſu ac proprio dici non poſſe videtur, ſine reproductione ipſius corporis Chriſti, ſicut nec ſine panis deſitione. Juxta Patres igitur, in Euchariſtia corpus Chriſti fit ex pane, quia corpus Chriſti de novo accipit eſſe ſub accidentibus panis, & quia accipit eſſe ſub accidentibus panis, panis ſubſtantia deſinit eſſe.

2. Corpus Chriſti ſub accidentibus panis ponitur vel per adductionem, vel per reproductionem. Non primum: nam ſi per adductionem corpus Chriſti ponitur ſub panis accidentibus, certè quatenùs producitur novum ubi, vi cujus corpus Chriſti ſit intimè præſens accidentibus illis: at illud ubi eſt chimera, & res quælibet non eſt in loco per ubi à ſe diſtinctum, ſed per entitatem propriam, ut ſe ipſa intimè conjunctam cum loco. Ergo, &c. Quod ſic confirmatur. Corpus Chriſti non poteſt eſſe realiter præſens accidentibus panis per ubi à ſe diſtinctum, de novo productum. Ergo corpus Chriſti poni non poteſt ſub accidentibus panis per adductionem: ergo ſub illis per ſui reproductionem ponitur.

Denique ejuſdem rei exiſtentis in uno loco, non implicat reproductio in alio, & per eam facillimè expediuntur difficultates omnes, quæ videntur ſequi ex eo, quòd corpus Chriſti ſimul exiſtat in pluribus locis: cùm enim corpus reproductum ſit virtualiter multiplex, & ut exiſtit in uno loco, nullatenùs dependeat à ſe ipſo ut exiſtente in loco alio, ſequitur illud in diverſis locis poſſe eadem agere & pati, quæ agere & pati poſſunt corpora omninò diſtincta; quod intelligendum eſt, non ſolùm de actionibus tranſeuntibus, & paſſionibus ab extrinſeco illatis, ſed etiam de actionibus immanentibus: unde homo v. g. replicatus poſſet in uno loco comburi, mori, peccare, & damnari; in alio verò frigere, vivere, mereri & ſalvari ſi ſpectemus abſolutam Dei potentiam, quia abſolutè æquivaleret duobus hominibus.

Dices. Si corpus Chriſti verè reproducitur in Euchariſtia, creatur. Abſurdum conſequens, Ergo, &c. *Probabis* ſeq. maj. Illud enim creatur, quod producitur independenter ab omni ſubjecto præexiſtente, & componente, aut ſuſtentante. Atqui ſic corpus Chriſti producitur in Euchariſtia, ſi in ea reproducitur. Ergo, &c. *R.* neg. ſequel. maj. Nam ut aliquid dicatur propriè creari, requiritur ut abſolutè incipiat eſſe, & conſequenter, ut nullibi priùs exiſtat. At cùm corpus Chriſti reproducitur in Euchariſtia, non abſolutè incipit eſſe; jam enim exiſtebat in cœlo: ſicut nec corruptis ſpeciebus panis, abſolutè deſinit eſſe, quia adhuc exiſtit in cœlo: tunc igitur cùm reproducitur in Euchariſtia, tantùm incipit eſſe in aliquo loco, in quo non erat antea, ſicut deſinit tantùm eſſe in aliquo loco, in quo erat antea, quando deſinit eſſe, corruptis ſpeciebus panis. Fatendum tamen eſt reproductionem corporis Chriſti in Euchariſtia æquivalere actioni creativæ, & æqualem in reproducente virtutem agendi requirere; in quo non eſt inconveniens.

Dices iterùm. Saltem dici non poteſt, quomodo per illam corporis Chriſti reproductionem deſtruatur panis ſubſtantia. *R.* neg. & dico, panis ſubſtantiam exigitivè deſtrui per reproductionem corporis Chriſti; & reproductionem corporis Chriſti ſubſtantiæ panis deſtructionem exigere, hoc ipſo quòd per eam corpus Chriſti ſimpliciter incipit eſſe ſub accidentibus panis, ut per illa demonſtrabilis, & ab illis ex inſtitutione divina inſeparabilis.

AR-

ARTICULUS III.

Utrùm totus Chriſtus contineatur ſub utraque ſpecie ſacramenti Euchariſtiæ.

Responsio.

TOtus & integer Chriſtus continetur ſub utraque ſpecie ſacramenti Euchariſtiæ.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam Chriſtus Joan. c. 6. de Euchariſtia loquens ait: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Sed Chriſtus non manducatur, niſi quando ſub ſpecie panis ſumitur. Ergo qui ſumit ſpeciem panis conſecratam, manducat Chriſtum. Ergo Chriſtus revera eſt ſub panis ſpecie conſecrata, & non tantùm aliqua ejus pars, nempe corpus. Præterea Romanorum cap. 6. dicitur: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur.* Ergo corpus Chriſti in Euchariſtia non ſeparatur ab ejus ſanguine & anima, nec viciſſim: alioquin Chriſtus in Euchariſtia eſſet mortuus. Sub ſpecie panis igitur eſt corpus Chriſti cum ſanguine, anima, & reliquis quæ requirunt corpora viva, & quidem dependenter à verbo ut ſuppoſito; alioquin humanitas Chriſti in Euchariſtia eſſet ſuppoſitum creatum.

Prob. 2. Ex Patribus, Cyrillo ſcilicet Hieroſolymitano catecheſi myſtagogica 5. ubi ſic ait: *Accedens ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quamdam ſubjicias dextræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt.* Juxta Cyrillum igitur, qui ſpeciem panis conſecratam ſuſcipit, Chriſtum ſuſcipit; unde catecheſi 4. Chriſtophoros nominat eos, qui ſumunt Euchariſtiam.

Hieronymo, epiſt. ad Hedibiam q. 2. dicente: *Nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Jeſus, ipſe conviva & convivium, ipſe comedens, & qui comeditur.*

Ambroſio, libro de iis qui initiantur myſteriis, cap. 9. *In illo*, inquit, *ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti* (ſupple, & ubi corpus eſt Chriſti, totus eſt Chriſtus.)

Et Chryſoſtomo homil. 83. in Matthæum: *O quot modo dicunt*, inquit, *Vellem formam & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre! Ipſum igitur vides* (videndo ſcilicet ſpecies conſecratas) *ipſum tangis, ipſum comedis; veſtimenta ejus deſideras videre, ipſe vere* (in ſacramento Euchariſtiæ) *ſe ipſum tibi tradit, non ut videas ſolum, verùm etiam ut tangas, & in te habeas.*

Prob. 3. Auctoritate Conciliorum, & 1. quidem Nycæni verbis articulo 1. §. 2. relatis, quæ ut hujus Synodi verba admittunt hæretici omnes, & in quibus aſſeritur agnum Dei, qui tollit peccata mundi, realiter præſentem eſſe in ſacra menſa, poſt conſecrationem ſcilicet. 2. Conſtantienſis ſeſſ. 13. ubi dicitur: *Cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenùs dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri.* At ſi ſub ſpecie panis non ſolùm eſt corpus Chriſti, ſed etiam ejus ſanguis, eſt etiam ipſius anima ac divinitas: eadem enim eſt ratio pro omnibus. 3. Florentini in decreto Eugenii §. *Tertium*, ubi dicitur: *Totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini.* 4. denique Tridentini ſeſſ. 13. cap. 3. ubi ait: *Totus & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.* Et can. 3. ſic pronunciat: *Si quis negaverit in venerabili ſacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri: anathema ſit.*

Confirmatur Ex communi ſenſu Chriſtianorum, qui quando ſumunt Euchariſtiam ſub ſpecie panis, non credunt ſe accipere cadaver aliquod, ſed corpus vivum, & Chriſtum integrum. Sed

Nota. Sic totus & integer Chriſtus eſt ſub utraque ſpecie, hoc eſt, ſic corpus Chriſti, ſanguis, anima, & divinitas ejus ſunt ſub utraque ſpecie, ut alia ſint ex vi verborum conſecrationis, alia per concomitantiam tantùm: nam ſub ſpecie panis, vi verborum conſecrationis, continetur ſolùm corpus, ſeu materia organizata Chriſti. Ratio eſt, quia vi verborum conſecrationis id præcisè continetur ſub ſpecie panis, quod per verba illa adeſſe ſignificatur. At per verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*, præcisè ſignificatur corpus Chriſti adeſſe. Ergo, &c. Propter eandem rationem, ſub ſpecie vini, vi formæ conſecratoriæ, continetur ſolus ſanguis Chriſti: nam forma conſecratoria calicis, *Hic eſt calix Sanguinis mei*, tantùm ſignificat adeſſe ſanguinem Chriſti.

Sanguis autem Chriſti cum ejus anima & divinitate ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini corpus Chriſti cum anima & divinitate ejus, ſunt per concomitantiam tantùm; cùm enim ſanguis, anima, & divinitas non ſignificentur per verba, quibus panis conſecratur, & corpus anima, & divinitas non ſignificentur per verba, quibus conſecratur calix; ſanguis, anima, & divinitas ſub ſpecie panis, & corpus, anima, ac divinitas ſub ſpecie vini eſſe non poſſunt vi verborum, quibus conſecratio perficitur; unde ſupereſt, ut ſint per concomitantiam tantùm: ſanguis quidem & anima ſub ſpecie panis, & corpus & anima ſub ſpecie vini, propter naturalem connexionem, quam habent inter ſe partes Chriſti; divinitas verò ſub utraque ſpecie propter unionem hypoſtaticam, ſeu quia humanitas Chriſti in Euchariſtia reproducitur dependenter à verbo ut ſuppoſito.

Doctrinam hanc diſertis verbis tradit Synodus Tridentina ſeſſ. 13. cap. 3. ubi ita loquitur: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie, unà cum ipſius anima & divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum. Ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima unionem hypoſtaticam: quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub altera ſpecie, atque ſub utraque contineri.*

Nota iterùm, ſub nomine divinitatis hic comprehendi ipſum verbum, adeoque ipſum verbum eſſe ſub utraque ſpecie per concomitantiam. Et verò ſi divinitas ſic eſt ſub utraque ſpecie, à fortiori verbum ipſum, cùm humanitas verbo immediatè, divinitati verò mediatè tantùm uniatur. Imò tota Trinitas eſt in hoc ſacramento per concomitantiam, propter ſummam identitatem perſonarum divinarum in natura. Tota igitur Trinitas, facta conſecratione, incipit eſſe in Euchariſtia, non abſolutè, quia cùm ubique ſit, non poteſt abſolutè incipere eſſe alicubi, ſed novo quodam modo; ita ut ſi fieri poſſet Deum non eſſe ubique, neceſſariò tamen eſſet in ſacramento Euchariſtiæ, ſicut neceſſariò eſſet, ubicumque eſſet Chriſti humanitas.

Nota 3. In Euchariſtia ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti tantùm, & ſubſtantia vini in ſanguinem Chriſti tantùm. Ratio eſt, quia ſubſtantialis converſio, quæ fit in Euchariſtia, vi verborum fit, adeoque panis & vinum in illud tantùm convertuntur ſubſtantialiter, quod vi verborum ſub ſpeciebus ponitur per reproductionem. Sed vi verborum ſub ſpecie panis ſolum corpus, & ſub ſpecie vini ſolus ſanguis ponuntur per reproductionem. Ergo, &c. Hinc ſi Chriſtus non dixiſſet, Hoc eſt corpus meum, ſed, Hoc eſt Chriſtus; verbum quidem cœpiſſet novo quodam modo eſſe ſub ſpecie panis vi verborum, attamen panis in verbum converſus non fuiſſet, quia verbum non cœpiſſet novo illo modo eſſe ſub ſpecie panis per ſui reproductionem.

ARTICULUS IV.

Utrùm totus & integer Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini, non ſolùm poſt, ſed etiam ante diviſionem.

Responsio I.

TOtus & integer Chriſtus continetur ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini, ſacta diviſione.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Patribus, Origene ſcilicet hom. 13. in Exodum, ubi ait: *Volo vos admonere religionis veſtræ exemplis: noſtris qui divinis myſteriis intereſſe conſueſtis; quomodo cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quòd ſi circa corpus ejus conſervandum tanta utimini cautela, & meritò utimini: quomodo putatis, &c.* Et Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi myſtagogica 5. ubi ad ſacram menſam accedentes ſic adhortatur: *Sanctificatis ergo diligenter oculis, tum ſancti Corporis contactu communica. Cave autem, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas hoc tanquam ex proprio membro amiſeris. Nam ſi quis tibi ramenta aurea daret, nonne magna cum diligentia illa teneres, cavens ne quid ex illis periret, damnumque ſuſtineres? Et non multò magis & diligentiùs de hoc, quod auro gemmiſque pretioſius eſt, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis?* Ecce fideles olim, teſtante & approbante Origene, maximè ſolliciti erant, ne qua hoſtiæ particula ex eorum manibus in terram decideret, & ſi quæ per eorum incuriam decidiſſet, ſeſe magni criminis reos judicabant. Item Cyrillus Hieroſolymitanus totus eſt in adhortandis iis, qui communicaturi erant, ne vel micam hoſtiæ ſibi patiantur in terram delabi. Quare? Certè quia ut nunc, ita & olim perſuaſum & exploratum fuit in Eccleſia catholica, corpus Chriſti in omnibus hoſtiæ partibus contineri, ſaltem diviſione facta.

Prob. 2. Ex Conciliis Florentino ſcilicet in decreto Eugenii, §. *Tertium*, ubi dicitur: *Totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus.* Et Tridentino ſeſſ. 13. can. 3. quo dicitur: *Si quis negaverit in venerabili ſacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri: anathema ſit.*

Prob. 3. Ratione. Totus & integer Chriſtus manet ſub ſpeciebus panis (idem dic de ſpeciebus vini) quamdiu ſub illis manet corpus ejus. Atqui corpus Chriſti manet ſub ſpeciebus panis etiam poſt diviſionem. Ergo, &c.

Prob. min. Nam corpus Chriſti manet ſub ſpeciebus panis, quamdiu non corrumpuntur. Atqui non corrumpuntur per ſui diviſionem in particulas ſenſibiles ſcilicet; agitur enim hic de particulis ſpecierum ſenſibilibus. Ergo, &c. Præterea Chriſtus eſt in tota hoſtia conſecrata. Ergo cùm hoſtia conſecrata in fruſta dividitur, vel Chriſtus deſinit eſſe ſub omnibus fruſtis, in quæ dividitur hoſtia, vel eſt ſub omnibus; non enim eſt potior ratio pro aliquibus, quàm pro aliis, ſupponimus enim hoſtiam dividi in particulas ſenſibiles. Jam verò ſi Chriſtus eſt ſub omnibus fruſtis, in quæ dividitur hoſtia, vel totus & integer eſt in ſingulis, vel ipſe in fruſta diſcerpitur. Secundum dici non poteſt. Ergo, &c.

Responsio II.

Totus & integer Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſenſibili ſpecierum panis & vini, etiam ante diviſionem.

Eſt communis Doctorum catholicorum ſententia, paucis exceptis; & probatur: quia, ut reſponſione prima probatum eſt, totus & integer Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſenſibili ſpecierum poſt diviſionem: ergo etiam erat ante diviſionem: nam ſi non erat ante diviſionem, nec eſt poſt diviſionem: diviſio enim hoſtiæ nihil operatur circa corpus Chriſti, adeoque corpus Chriſti poſt diviſionem non eſt, ubi ante diviſionem non erat. Præterea, ſi corpus Chriſti, facta diviſione, incipit eſſe in aliqua parte, in qua non erat diviſione nondùm facta, certè incipit eſſe in illa parte per novam ſui reproductionem. Atqui nulla aſſignari poteſt cauſa hujus novæ reproductionis: & verò ſi corpus Chriſti reproducitur ſub partibus hoſtiæ ſeparatis, ſub quibus non erat ante ſeparationem; vel vi præcisè ipſius ſeparationis partium; at hoc ſine manifeſta abſurditate dici non poteſt; vel vi verborum, quibus conſecrata fuit hoſtia: at hoc etiam manifeſtè falſum eſt: nam verba illa tranſierunt. & tunc totum, quem habere poterant, effectum habuerunt, cùm prolata fuerunt à ſacerdote. Ergo, &c. Sed

Quæritur, quomodo totus & integer Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſenſibili ſpecierum, diviſione nondùm facta? Circa hoc tres ſunt ſententiæ. Prima dicit, corpus Chriſti eſſe per ſui replicationem, & ſecundùm ſingulas replicationes indiviſibiliter ſub ſingulis partibus hoſtiæ, quantumcumque vel mathematicè dividantur. Sed hæc ſententia patitur graviſſimam difficultatem: cùm enim in hoſtia partes & plures in infinitum ſint mathematicè, imò & ſecundùm hujus ſententiæ authores phyſicè aſſignabiles, ſequitur in qualibet hoſtia eſſe replicationes corporis Chriſti plures, & plures in infinitum, & numerum replicationum corporis Chriſti eſſe actu infinitum in qualibet hoſtia.

Secunda ſententia tenet corpus Chriſti exiſtere ſub ſpecie panis modo ſpirituali & indiviſibili; ita ut totus exiſtat ſub tota ſpecie, & totus ſub qualibet ejus parte, non per ſui replicationem, ſed per æquabilem ſubſtantiæ ſuæ diffuſionem. In quo fiunt duo inſignia miracula. Primum eſt, quòd partes omnes corporis Chriſti exiſtant ſimul penetrativè, & in punctum redigantur. Alterum eſt, quòd ſingulæ, licèt in punctum indiviſibiliter redactæ, per totam tamen ſpeciei panis quantitatem diffundantur ad eum modum, quo anima rationalis in ſe indiviſibilis, coextenditur toti corpori.

Hanc ſententiam ſequitur Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 7. & alii multi cum eo: ſed multa habet nobis, valdè intellectu difficilia. Et 1. quidem, quòd partes corporis Chriſti ſpolientur omni extenſione: videtur enim corpus omne eſſentialiter extenſum eſſe, ſeu corpus omne eſſentialiter habere trinam dimenſionem, quamvis non eſſentialiter habeat determinatam; ita ut poſſit Deus pro arbitrio corpus quodlibet ſub majore vel minore extenſione producere, & conſervare. 2. Quòd partes corporis Chriſti ſpoliatæ omni extenſione, nihilominùs ſeſe penetrent: duo enim corpora ſeſe penetrare dicuntur, quando ſibi ſecundùm dimenſionem trinam coextenduntur. 3. Quòd partes corporis Chriſti in punctum redactæ, nihilominùs diffundantur per totam quantitatem ſpeciei panis ſine ſui replicatione; catenùs enim per totam quantitatem ſpeciei diffunduntur, quatenùs partibus omnibus quantitatis illius intimè præſentes ſunt: at ſuppoſito quòd ſint in punctum redactæ, manifeſtè videtur impoſſibile eſſe, quòd partibus omnibus quantitatis ſpeciei præſentes fiant, niſi toties replicentur, quot quantitatis ſpeciei partes ſunt.

Præterea, ſi partes corporis Chriſti in hoſtia conſecrata omni extenſione ſpoliatæ, & in punctum redactæ ſunt, videntur eſſe inter ſe omninò confuſæ, quod videtur planè indecens. Confuſas eſſe negant hujus ſententiæ aſſertores: quia, inquiunt, quamvis partes illæ non retineant figuram, & ordinem ſitualem, retinent tamen certo ſenſu figuram organicam, & ordinem ſubſtantialem, in eo conſiſtentem, quòd habeant in ſacramento eamdem unionem ſui continuativam, quam habent in cœlo, ita ut

ſub

ſub qualibet parte ſpeciei panis caput non continuetur immediatè cum pedibus, ſed cum collo, & collum cum pectore, &c. Sed

Contra eſt: quia partes corporis Chriſti, ſpoliatæ omni extenſione ſua, retinere non poſſunt unionem continuativam; in eo enim ſtatu, unionis continuativæ prorſus incapaces ſunt: nam unio continuativa partium materiæ conſiſtit vel in ſola contiguitate, vel in ſola implicatione, vel partim in contiguitate, partim in implicatione. Ad contiguitatem autem & implicationem requiruntur ſuperficies, & ad ſuperficiem requiritur extenſio formalis. Ergo ad unionem partium materiæ continuativam formalis extenſio requiritur; adeoque partes materiæ omni extenſione carentes, incapaces videntur omnis unionis continuativæ.

Tertia ſententia docet, corpus Chriſti in hoſtia conſecrata toties replicatum eſſe, quot ibi ſunt minimæ particulæ phyſicæ. Hæc ſententia vitat inconveniens primæ, & difficultates ſecundæ; ſed aſſertores illius non ſatis explicant, quid per minimas illas particulas phyſicas intelligendum ſit, & quomodo ſub illis replicari poſſit, & replicetur totum Chriſti corpus: quæ ut explicemus, hìc methodo geometrica utimur.

Propositio I.

In hoſtia poſt conſecrationem manet panis quantitas radicalis, cui identificantur cætera panis accidentia, ut odor, ſapor, color, &c.

Propositio II.

Quantitas illa radicalis conſtat punctis phyſicis, formaliter extenſis, hoc eſt, trinam habentibus dimenſionem, indiviſibilibus, quia ſimplicia ſunt, & partibus carent, & numero finitis.

Utramque hanc propoſitionem ut aliàs à nobis in Phyſica ſufficientiſſimè probatam ſupponimus, adeoque hic earum probationi non immoramur.

Propositio III.

Punctum quodlibet phyſicum ſive materiæ, ſive quantitatis radicalis, à Deo produci & conſervari poteſt ſub extenſione minori & minori in infinitum.

Probatur. Nam punctum phyſicum ſive materiæ, ſive quantitatis radicalis non exigit eſſentialiter extenſionem, quà majorem, vel minorem habere non poſſit. Præterea, in eo extrinſecè aſſignabiles ſunt extenſiones minores & minores in infinitum, ſub quibus proinde illud à Deo produci & conſervari poſſe, perperam negaretur.

Propositio IV.

Partes corporis organizati à Deo conſervari poſſunt ſub extenſione minori & minori in infinitum cum figura & ordine ſituali.

Prob. Nam 1. puncta phyſica, ex quibus conſtant partes corporis organizati, à Deo conſervari poſſunt ſub minori & minori in infinitum extenſione (ex prop. 3.) Ergo, &c. 2. Partes corporis organizati figuram & ordinem ſitualem retinere poſſunt, quandiu extenſionem retinent, ut per ſe manifeſtum eſt. Ergo, &c.

Propositio V.

Totum & integrum corpus organizatum à Deo ſub minori & minori in infinitum extenſione conſervari poteſt cum figura & ordine ſituali omnium partium ſuarum.

Coincidit cum prop. 4.

Propositio VI.

Panis quantitas radicalis à nullo agente naturali reſolvi poteſt in puncta phyſica, ex quibus conſtat.

Prob. Nam idem dicendum eſt de quantitate radicali panis, quod de materia illius. Atqui materia panis à nullo agente naturali reſolvi poteſt in puncta phyſica, ex quibus conſtat: alioquin naturaliter poſſibilis eſſet reſolutio uſque ad materiam primam, quod communiter negant Philoſophi. Ergo, &c.

Propositio VII.

Panis quantitas radicalis, ſicut & materia illius, rectè dici poteſt conſtare moleculis ſeu minimis phyſicis, diverſæ figuræ, & magnitudinis, naturaliter indiviſibilibus, ex quibus proximè coaleſcunt, & in quæ tantùm reſolvi poſſunt ab agente naturali partes illius ſenſibiles.

Sufficienter colligitur ex prop. 6.

Propositio VIII.

Rectè dici poteſt corpus Chriſti cum figura & ordine ſituali omnium ſuarum partium, vi verborum conſecrationis reproduci ſub omnibus & ſingulis moleculis ſpeciei panis.

Prob. Nam poſſibilis eſt hæc reproductio (ex prop. 4. & 5.) & hac reproductione ſuppoſita, 1. Nulla etiam ante diviſionem in hoſtia conſecrata pars ſenſibilis deſignari poteſt, in qua non ſit totum & integrum Chriſti corpus cum figura & ordine ſituali omnium partium ſuarum, adeoque in qua non ſit abſque ulla partium confuſione totus & integer Chriſtus. 2. Corpus Chriſti in hoſtia eſt in loco tum intrinſeco, tum extrinſeco, ſicut moleculæ, quibuſcum penetrativè poſitum eſt, quia quidquid extenſum eſt, ſpatium occupat, & ſpatio ambitur; unde jam non obeſt nobis illud Auguſtini epiſt. 57. ad Dardanum: *Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt; & quia nuſquam erunt, nec erunt.*

3. Totus & integer Chriſtus eſt in tota hoſtia conſecrata, & in qualibet ejus parte ſenſibiliter deſignabili: ſicut homo v. g. toties in aula replicatus, ut eam impleret, eſſet in tota aula, & in qualibet ejus parte ſibi commenſurata, quod facilè intelligitur. 4. Vitatur proceſſus in infinitum in replicationibus corporis Chriſti contra primam ſententiam. 5. Non cogimur confugere ad miracula inintelligibilia, ad quæ confugit ſecunda ſententia.

Dices. In hac noſtra hypotheſi, corpus Chriſti modò habebit caput ſurſum, & pedes deorſum, modò pedes ſurſum, & caput deorſum, ſecundùm varios ſitus hoſtiæ. Atqui hoc eſt indecens. Ergo, &c. *Reſp.* hoc eſſe quidem indecens reſpectu noſtri, qui ſitum eum, quo caput habemus versùs terram, ad uſus humanos incommodum experimur. At non eſt indecens reſpectu beatorum, qui nullam habent dependentiam à certo loco, vel ſitu, nec tendunt versùs centrum terræ, ſicut nos: unde reſpectu illorum nihil eſt deorſum, vel ſurſum.

ARTICULUS V.

Reſolvuntur aliquot dubia circa Euchariſtiam.

Quæres 1. Utrùm & quomodo Corpus Chriſti moveri poſſit in ſacramento Euchariſtiæ?

R. 1. Corpus Chriſti verè ac propriè moveri localiter in Euchariſtia.

Prob. 1. Ex Concil. Tridentino ſeſſ. 13. cap. 5. ubi dicitur corpus Chriſti in proceſſionibus per vias & loca publica circumferri. Et cap. 6. ubi dicitur corpus Chriſti deferri ad infirmos. Sed hoc eſt moveri localiter. 2. Ratione. Quia motus localis eſt tranſitus de loco in locum per fluxum continuum. Atqui corpus Chriſti in Euchariſtia ſic de loco in locum tranſire poteſt. Ergo, &c.

Reſp. 2. Corpus Chriſti in Euchariſtia verè ac realiter moveri ab eo, qui movet ſpecies.

Prob. Nam, ut ait Tridentinum, in proceſſionibus circumfertur, & ad ægrotos defertur, quando ſcilicet ſpecies conſecratæ circumferuntur in proceſſionibus, & deferuntur ad ægrotos. Ergo verè ac realiter movetur ab iis, qui ſpecies conſecratas circumferunt in

pro-

proceſſionibus, & ad ægrotos deferunt: cùm verè ac realiter moveatur, quando circumfertur in proceſſionibus, & ad ægrotos defertur. Præterea, de fide eſt, quòd corpus Chriſti verè comedamus, quando ſpecies conſecratas comedimus. Ergo quando ſpecies conſecratas comedimus, corpus Chriſti verè movemus: cùm enim comedere, ſit cibum ex ore ad ſtomachum trajicere, comedere involvit eſſentialiter movere. Ergo corpus Chriſti verè ac realiter movetur à fidelibus, quoties ſpecies conſecratas ſumunt, & comedunt.

R. 3. Corpus Chriſti in Euchariſtia nunquam moveri localiter ſine ſpeciebus.

Prob. Quia corpus Chriſti in Euchariſtia à ſpeciebus conſecratis, donec corrumpantur vi decreti divini, inſeparabile eſt, adeoque ſine illis moveri localiter non poteſt, ſicut nec illæ ſine ipſo poſſunt localiter moveri. Præterea, corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia, moveri non poteſt, niſi mediantibus ſpeciebus, ut probabitur.

Quæres 2. Utrùm corpus Chriſti ſit in Euchariſtia cum quantitate ſua radicali?

R. Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia cum ſua quantitate radicali, ſed ſine actuali impenetrabilitate. *Prob.* 1. *pars*. Quia quantitas radicalis corpus Chriſti ab eo naturaliter inſeparabilis eſt, nec ulla afferri poteſt ratio, cur ſine illa reproducatur ſub moleculis ſpeciei panis. *Prob.* 2. *pars*. Quia corpus Chriſti ſimul eſt penetrativè cum quantitate radicali panis. Ergo alterutrum, hoc eſt, vel corpus Chriſti, vel panis quantitas radicalis caret actuali ſua impenetrabilitate: nam ſi utrumque actualem ſuam impenetrabilitatem haberet, ſeſe mutuò excluderent ab eodem loco, adeoque non eſſent ſimul penetrativè in loco eodem. Atqui in Euchariſtia panis quantitas radicalis habet actualem ſuam impenetrabilitatem: ergo corpus Chriſti ſuam non habet. *Prob.* ſubſumptum. Nam panis quantitas radicalis videtur, tangitur, & corpora alia quælibet circumſtantia, à loco in quo eſt, excludit.

At inquies. Actualis impenetrabilitas eſt effectus formalis quantitatis radicalis. Ergo ſi Chriſtus in Euchariſtia habet ſuam quantitatem radicalem, habet etiam actualem impenetrabilitatem: nam effectus formalis inſeparabilis eſt à forma, cujus eſt effectus formalis *R.* duplicem eſſe effectum formalem quantitatis radicalis, primarium ſcilicet, & ſecundarium: primarius eſt exigentia actualis impenetrabilitatis; ſecundarius verò actualis impenetrabilitas; unde exigentia actualis impenetrabilitatis, non actualis impenetrabilitas, inſeparabilis eſt à quantitate radicali, quia ſolus effectus formalis primarius inſeparabilis eſt à forma, cujus eſt effectus primarius. Ex eo igitur, quòd Chriſtus in Euchariſtia habeat quantitatem ſuam radicalem, ſequitur tantùm, ut verum eſt, quòd habeat, & neceſſariò habeat exigentiam actualis impenetrabilitatis. Privatur autem actuali ſua impenetrabilitate in Euchariſtia, quia Chriſtus voluit illud, non ſub propria ſpecie, ſed ſub aliena, nempe ſub ſpecie panis, in Euchariſtia exiſtere.

Ex eo autem, quòd corpus Chriſti in Euchariſtia careat actuali ſua impenetrabilitate, multa dubia facilè reſolvuntur. Nam quærenti 3. Utrùm corpus Chriſti in Euchariſtia ab agente extrinſeco immediatè moveatur localiter, an verò mediantibus ſpeciebus tantùm, *Reſp.* moveri tantùm mediantibus ſpeciebus; quia cùm ſolæ ſpecies actualem impenetrabilitatem habeant, ſolæ ab agente extrinſeco tangi, proindeque ſolæ impelli per ſe & immediatè poſſunt.

Quærenti 4. Utrùm corpus Chriſti, prout eſt in Euchariſtia, pati poſſit ab agentibus corporeis? *R.* neg. Quia agentia corporea extra ſe non agunt, niſi tangendo & impellendo; nec tangere & impellere poſſunt niſi corpora actualiter impenetrabilia. Corpus autem Chriſti in Euchariſtia non eſt actualiter impenetrabile.

Quæres 5. Utrùm corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit naturaliter agere in alia corpora per actionem tranſeuntem? *R.* neg. Quia, ut jam dictum eſt, unum corpus non agit in aliud, niſi tangendo, & impellendo; ad quod requiritur actualis impenetrabilitas, non ſolùm in corpore quod tangitur & impellitur, ſed etiam in corpore quod tangit & impellit. Ergo cùm corpus Chriſti in Euchariſtia careat actuali ſua impenetrabilitate, &c.

Quærenti 6. utrùm Chriſtus, prout eſt in Euchariſtia, poſſit exercere actus vitales? *R.* 1. non poſſe exercere actus ſenſuum externorum, ſeu non poſſe videre, audire, olfacere, guſtare, tangere: nam actus ſenſuum externorum ſunt actus, quibus anima percipit impreſſiones in organis externis factas, & per impreſſiones illas objecta externa à quibus factæ ſunt: unde ut actus ſenſuum externorum exerceri poſſint, requiritur, ut objecta externa poſſint ſenſibiliter afficere externa organa, ad quod ulteriùs requiritur in externis organis juſta extenſio cum actuali impenetrabilitate. Nam organa externa ab objectis externis non aliter afficiuntur, quam per impetum: unde ad affectionem ſenſibilem organi externi, requiritur ut objectum externum per ſe, vel mediante alio corpore in illud ſenſibiliter poſſit impingere, ad quod evidenter neceſſaria eſt in organo actualis impenetrabilitas cum juſta extenſione. Atque neque juſtam extenſionem, neque actualem impenetrabilitatem habent organa externa Chriſti, prout eſt in Euchariſtia.

Chriſtus igitur, prout eſt in Euchariſtia, non poteſt v.g. audire, quia in eo ſonus non poteſt afficere organum auditus; & in eo ſonus non poteſt afficere organum auditus, quia purioris aeris undulæ, in quibus ſonus conſiſtit, non poſſunt ſenſibiliter propter defectum juſtæ extenſionis, imò verò nullo modo poſſunt propter defectum actualis impenetrabilitatis, impingere in fibras organi auditus. Similiter non poteſt videre, olfacere, guſtare, quia in eo lumen, odor, & ſapor, quæ in corpuſculorum profluviis conſiſtunt, non poſſunt ſenſibiliter, imò nullatenùs poſſunt impingere in fibras organorum, quorum ſunt objecta propria, & in quibus proinde eam non poſſunt impreſſionem facere, quæ ad videndi, olfaciendi & guſtandi actum requiritur. Hinc

Reſp. 2. Chriſtum, prout eſt in Euchariſtia, exercere non poſſe ſenſus interni actus, qui ab actuali objectorum externorum influxu dependent: actus enim illi ſunt ii, quibus anima percipit impreſſiones ab objectis externis factas in organis ſenſuum externorum, & propter fibrarum continuitatem tranſmiſſas ad ſenſus interni organum. Ergo tunc anima actus hujuſmodi non exercet, quando objecta externa ſenſuum externorum organa non afficiunt; & actus illos nullatenùs exercere poteſt, quando objecta externa, ſenſuum externorum organa nullatenùs poſſunt afficere. Atqui, ut oſtenſum eſt, objecta externa nullatenùs afficere poſſunt organa ſenſuum externorum in Chriſto, prout eſt in Euchariſtia. Ergo, &c.

R. 3. Chriſtum, ut eſt in Euchariſtia, exercere poſſe omnes actus immanentes, qui ab actuali objectorum externorum concurſu independentes ſunt: unde anima Chriſti in Euchariſtia habet viſionem, & amorem beatificum. Ratio eſt, quia ad actus illos exercendos nulla diſpoſitio prærequiritur ex parte organorum corporis, adeoq; nihil eſt, quod ab illis actibus exercendis prohibere poſſit animam Chriſti, etiam pro ut eſt in Euchariſtia.

Quærenti 7. utrùm Chriſtus, ut eſt in Euchariſtia, videri poſſit oculo corporeo? *R.* non poſſe: nam illa tantùm objecta oculo corporeo videri poſſunt, quæ ſenſibiliter afficere poſſunt organum viſus; & illa tantùm afficere poſſunt organum viſus, quæ lumen reflectere & modificare poſſunt. Corpus autem Chriſti, ut eſt in Euchariſtia, lumen reflectere non poteſt: lumen enim eſt corpus ſeu ſubſtantia ſubtilis, è corpore lucido jugiter profluens, proindeque reflecti

non

non poteſt, niſi ab objecto actualem habente impenetrabilitatem, qua corpus Chriſti caret in Euchariſtia.

Quærenti 8. utrùm intellectus humanus poſſit naturaliter cognoſcere corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia? *R.* non poſſe. Ratio eſt, quia intellectus humanus non poteſt naturaliter cognoſcere objecta, extra ſe poſita, ſine perceptione aliqua ſenſitiva circa objecta illa. Nullam autem perceptionem ſenſitivam exercere poſſumus circa corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia: cùm corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia, nullum organum externum poſſit afficere.

Quæres 9. Quomodo & quando corpus Chriſti deſinat eſſe ſub ſpeciebus panis? *Reſp.* Quando moleculæ radicalis quantitatis panis deſinunt habere inter ſe eum plenum, eamque conjunctionem, quam habebant in pane, eo ipſo pereunt accidentia panis, odor ſcilicet, ſapor, color, &c. quare deſinit Deus ibi conſervare corpus Chriſti, quod in ſingulis moleculis quantitatis reproductum fuerat ad conſtituendum cum panis ſpeciebus ſenſibilibus, ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis; ſimulque loco radicalis quantitatis panis, quæ etiam deſinit eſſe, creat novam materiam cum ſua radicali quantitate, quæ convertitur in ſubſtantiam ſumentis Euchariſtiam, ex qua generantur vermes, &c.

Materia autem illa nova à Deo ut Authore naturæ ſubſtituitur ſine novo miraculo: ſicut enim, cùm primùm corpus ſufficienter organizatum & diſpoſitum eſt, Deus ſine miraculo animam rationalem creat, & in corpus infundit abſque miraculo, quia naturalis rerum ordo ab ipſo Deo ut Authore naturæ inſtitutus, hoc poſtulat: ita etiam cùm primùm per ſpecierum ſacramentalium alterationem facta eſt diſpoſitio ſufficiens ad nutritionem, vel generationem, Deus ſine miraculo novam materiam creat; cùm enim tunc ordo rerum naturalis exigat fieri nutritionem, vel generationem, conſequenter exigit, creari novam materiam, ſine qua nutritio vel generatio fieri non poteſt.

Quæres 10. Utrùm vi verborum, ſub ſpecie vini ponatur ſolus ſanguis, qui in paſſione effuſus eſt pro ſalute hominum?

Reſp. Vi verborum ſub ſpecie vini poni totum ſanguinem, quem nunc Chriſtus habet in cœlo, ſive totus in paſſione effuſus fuerit, ſive non. Ratio eſt, quia hæc verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, in quibus tota formæ eſſentia conſiſtit, totum Chriſti ſanguinem abſque ulla reſtrictione ſignificant: nec obſtant verba illa, quæ ſubſequuntur, *Qui pro vobis & pro multis effundetur:* non enim adduntur ad limitandam quantitatem ſanguinis ponendi ſub ſpecie vini, ſed ſolùm ad commendandum erga nos amorem Chriſti dantis nobis ad potandum illum ipſum ſanguinem, quem pro ſalute noſtra in paſſione ſua effudit.

Quæres 11. Utrùm ſpecies conſecratæ exiſtant ſine ſubjecto inhæſionis?

R. Radicalem quantitatem panis (idem dic de radicali quantitate vini) in Euchariſtia non habere ſubjectum cui inhæreat. Nam ſi inhæret alicui ſubjecto, vel ſubſtantiæ panis, vel corpori Chriſti. Neutrum dici poteſt. Non primum: nam ſubſtantia panis deſiit eſſe. Non etiam ſecundùm: nam corpus Chriſti in Euchariſtia habet ſuam quantitatem radicalem, quam ſuſtentat. Ergo non ſuſtentat quantitatem radicalem panis; alioquin duplicem habet quantitatem radicalem in Euchariſtia: accidens enim fit proprium ſubſtantiæ, hoc ipſo quòd illi incumbit, & ab ea ſuſtentatur.

At inquies. Eſſentiale eſt accidenti phyſico, ut ſubſtantiæ realiter inhæreat. *Reſp.* neg. Nam accidenti phyſico eſſentiale tantùm eſt, ut exigat inhærere alicui ſubſtantiæ, adeoque ut naturaliter non poſſit exiſtere ſine ſubſtantia, ipſum formaliter ſuſtentante.

At inquies iterùm. Si panis quantitas radicalis exiſtit in Euchariſtia ſine ſubjecto inhæſionis, exiſtit modo proprio ſubſtantiæ. Atqui repugnat accidens, modo proprio ſubſtantiæ exiſtere. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam modus exiſtendi ſubſtantiæ proprius in eo conſiſtit, quòd ſubſtantia naturaliter exiſtat non ſolùm independenter à ſubjecto ſuſtentante, ſed etiam independenter ab agente, actione ſua ſupplente defectum ſubjecti ſuſtentantis. At panis quantitas radicalis in Euchariſtia, exiſtit quidem ſine ſubſtantia eam ſuſtentante; at non exiſtit ſine actione Dei ſupplentis defectum ſubſtantiæ ſuſtentantis. Unde panis quantitas radicalis in Euchariſtia à Deo non conſervatur eadem actione, qua ante conſecrationem conſervabatur in ſubſtantia panis.

At inquies. Saltem reliqua panis accidentia non exiſtunt ſine ſubjecto ſuſtentante in Euchariſtia. *R.* reliqua panis accidentia non diſtingui realiter ab ejus quantitate radicali.

Quæres 12. Utrùm ſpecies conſecratæ poſſint agere & pati?

Reſp. 1. Species conſecratas poſſe agere: nam poſſunt afficere organa ſenſuum: videntur enim, tanguntur, guſtantur, &c. *R.* 2. ſpecies conſecratas pati poſſe: nam poſſunt alterari, ut calefieri, frigefieri, &c. Item poſſunt frangi, corrumpi ab externis agentibus. Ratio pro utraque reſponſione eſt, quia radicalis quantitas panis & vini in Euchariſtia actualem habet impenetrabilitatem; quod ſufficit ad hoc, ut poſſit agere in objecta externa corporea, & viciſſim objecta externa corporea in ipſam agere poſſint.

DISPUTATIO VI.

De Effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramentum Euchariſtiæ primam gratiam conferat per ſe & primariò, an ſaltem per accidens & ſecundariò.

Circa præſentem controverſiam tria docet Lutherus. 1. Remiſſionem peccatorum mortalium eſſe primarium effectum ſacramenti Euchariſtiæ. 2. Ut quis ſacramentum hoc dignè ſuſcipiat, non requiri, ut non ſit ſibi conſcius peccati mortalis, imò eum eò eſſe ad Euchariſtiam participandam aptiorem, quò plurium ac majorum mortalium ſibi conſcius eſt. Nam ſic loquitur in concione de digna præparatione ad ſacramentum Euchariſtiæ: *Optima diſpoſitio eſt, nonniſi ea, qua peſſimè es diſpoſitus, & e contrario tunc peſſimè es diſpoſitus, quando optimè es diſpoſitus.* 3. Atque ita ut quis dignè Euchariſtiam ſuſcipiat, neceſſe non eſſe, ut à peccatis juſtificetur per confeſſionem & pœnitentiam, ſed ſatis eſſe ſi fidem habeat, qua certò credat ſibi per hujus ſacramenti perceptionem omnia peccata remiſſum iri.

Luthero planè conſonat Calvinus lib. 4. inſtit. c. 16. ubi §. 42. graviſſimè reprehendit Catholicos, quòd ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem requirant in ſuſcipiente ſtatum gratiæ. *Nunc*, inquit, *judicare promptum eſt, qualis ſit hæc, quæ in papatu regnat, doctrina* (quòd ſtatus gratiæ requiratur ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ) *& à quo authore profecta ſit, quæ miſeros peccatores, & trepidatione mæſtitiaque afflictos, hujus ſacramenti conſolatione immani ſua auſteritate orbat & ſpoliat.* Tum paulò inferiùs apertè docet peccata mortalia remitti per Euchariſtiam, eamque fruſtra ſuſcipi ab eo, qui nullius mortalis reus eſt. *Ne igitur*, inquit, *in hujuſmodi præcipitium ruamus, meminerimus has ſacras epulas ægrotis eſſe pharmacum, peccatoribus ſolatium, pauperibus largitionem: quæ ſanis, juſtis, & divitibus, ſi qui reperiri poſſint, nullum afferrent operæ pretium.*

Contra Hæreſiarchas illos tenent Doctores omnes catholici, ſacramentum Euchariſtiæ non conferre per ſe & primariò remiſſionem peccatorum mortalium,

ſeu

ſeu gratiam juſtificantem, quæ dicitur & eſt prima gratia ſanctificans. Sed an ſaltem ſacramentum Euchariſtiæ in aliquo caſu mortalia peccata deleat, & gratiam juſtificantem conferat per accidens & ſecundariò, inter illos controvertitur. Negare videtur S. Bonaventura in 4. diſt. 12. p. 2. a. 1. q. 2. Affirmat verò S. Thomas 3. p. q. 79. a. 3. in O. ubi ſic ait: *Poteſt tamen hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *operari remiſſionem peccati* (mortalis) *dupliciter: uno modo, non perceptum actu, ſed voto, ſicut cùm quis primò juſtificatur à peccato. Alio modo, etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primò non fuit ſufficienter* (hoc eſt, perfectè) *contritus: ſed devotè & reverenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati*. His præſuppoſitis, ſit

RESPONSIO I.

Sacramentum Euchariſtiæ non confert per ſe & primariò gratiam juſtificantem, ſeu gratiam remiſſivam peccatorum mortalium.

Prob. 1. Ex Scriptura: Nam cap. 6. Joannis, ubi promittitur inſtitutio Euchariſtiæ, & effectus ejus inculcantur, nuſquam dicitur, vel inſinuatur, Euchariſtiam inſtituendam eſſe ad remittenda peccata mortalia, ſed ad vitam animæ conſervandam & augendam; nec dicitur, Qui manducaverit hunc panem, reſurget à peccatis, aut vivere incipiet, ſed, *Non morietur, vivet in æternum, habet vitam æternam, in me manet, & ego in illo, vivet propter me*. Ergo, &c. Quòd ſi ibidem dicitur: *Niſi manducaveritis carnem, &c. non habebitis vitam in vobis*, manifeſtè ſubintelligenda eſt vox iſta, permanentem, ut aliàs ſuo loco à nobis obſervatum eſt.

Præterea, 1. Cor. cap. 11. ſic loquitur Apoſtolus: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*. Hæc autem probatio in eo conſiſtit, quòd qui communicaturus eſt, priùs conſcientiam ſuam diligenter excutiat, & ſi poſt diligentem conſcientiæ ſuæ diſcuſſionem reum ſe mortalis alicujus peccati ſentiat, præmittat contritionem & confeſſionem perceptioni ſacramenti Euchariſtiæ, ut Tridentinum ſeſſ. 13. c. 7. probat ex conſuetudine Eccleſiæ. Unde ſic argumentor. Apoſtolus jubet, participationi Euchariſtiæ contritionem & confeſſionem præmitti ab eo, qui ſibi mortalis peccati conſcius eſt. Atqui hoc perperam juberet Apoſtolus, ſi ſacramentum Euchariſtiæ per ſe & primariò inſtitutum eſſet ad mortalium remiſſionem, ut manifeſtum eſt ex terminis: Ergo, &c.

Prob. 2. ex Patribus, & 1. quidem ex Juſtino Martyre in apologia 2. ante finem. *Alimentum hoc*, inquit, *apud nos appellatur* Euchariſtia: *quod nulli alii participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum, &* (ſpiritualem) *generationem abluto, & ita ut Chriſtus tradidit viventi*. Quibus verbis ſanctus Martyr in eo, qui Euchariſtiam ſumpturus eſt, tria prærequirit, nempe ut ſit per baptiſmum regeneratus, ut fidelis ſit, & ut immunis ſit ab omni mortali peccato. Nam qui vivit ita ut Chriſtus tradidit, nullum ſaltem mortale peccatum habet.

2. Ex S. Cypriano epiſt. 45. ubi graviter queritur de presbyteris, qui lapſos in perſecutione ad ſacram communionem admittebant, antequam idololatriæ ſcelere per juſtam pœnitentiam expiato, ſacramentaliter abſoluti fuiſſet. *Nondum*, inquit, *pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo aut clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cùm ſcriptum ſit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. In ea igitur ſententia fuit Cyprianus, ſacramentum Euchariſtiæ ab eo qui habet mortalia, nonniſi præmiſſa confeſſione & abſolutione ſacramentali, dignè ſuſcipi poſſe, adeoque ſacramentum hoc, in eo à quo ſuſcipitur, ſtatum gratiæ præſupponere. Ergo, &c.

3. Ex S. Baſilio concione 2. de baptiſmo cap. 3. in quo ex profeſſo tractat, *An tutum ſit, ſi quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, edat corpus Domini, & bibat ſanguinem ejus*. Talem autem corpus Domini edere, & ſanguinem ejus bibere non poſſe ſine gravi ſacrilegio, probat: & poſtquam recitavit hæc Scripturæ veteris verba, *Quiſquis hominum ab omni veſtro ſemine, ad ſancta, quæcumque filii Iſrael Domino ſanctificant, in immunditia ſua conſtitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie mea:* ſic ex illis diſcurrit: *Si tales minæ adverſum eos poſitæ ſunt, qui* (in lege veteri) *temerè ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur, quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium* (Euchariſtiæ) *temerarius eſt? Quantò enim majus aliquid* (Chriſtus ſcilicet templi Dominus) *is eſt templo, ſecundum Domini vocem, tantò gravius & terribilius eſt, in anima impuritate conſtitutum corpus Chriſti temerè contingere, quàm ſit accedere ad arietes, vel tauros*.

Et inferiùs ſic proſequitur: *Quòd ſi in immunditia tantùm conſtitutus ... tam terribile judicium habet* (in lege veteri,) *quanto magis, qui cum in peccato ſit, corpus Domini contingere audet, gravius ſibi accerſit judicium? Mundemus itaque nos ab omni inquinamento ... atque ita ad ſancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus: propterea, quod quiſquis ederit panem & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis ac ſanguinis Domini*.

4. Ex S. Ambroſio lib. 6. commentarii in Evangelium Lucæ, ubi ſic ait in cap. 9. *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam, priùs vocando ſanantur ... Ubique igitur myſterii ordo ſervatur, ut priùs per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſt alimonia menſæ cœleſtis exuberet*.

5. Denique ex S. Auguſtino tract. 26. in Joannem, qui hæc habet: *Aliud eſt ſacramentum, & aliud virtus ſacramenti. Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate*. Ad dignam igitur Euchariſtiæ ſumptionem requirit S. Doctor innocentiam, hoc eſt, immunitatem ab omni culpa mortali, ſeu ſtatum juſtitiæ & gratiæ; quam conditionem tam malè exigeret ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ, ſi Euchariſtia ad mortalium remiſſionem per ſe & primariò inſtituta eſſet, quàm malè requireretur ad dignam ſuſceptionem baptiſmi vel pœnitentiæ.

Prob. 3. Authoritate Conciliorum, Florentini ſcilicèt in decreto §. *Tertium*, & Tridentini ſeſſ. 13. cap. 2. Cùm enim enumerant effectus, quos per ſe producit ſacramentum Euchariſtiæ, nullam planè remiſſionis peccatorum mortalium mentionem faciunt, ut patet ex verbis utriuſque Synodi infra laudandis; imò Synodus Tridentina ſeſſ. citata can. 5. novatorum, contra quos hic pugnamus, ſententiam expreſsè damnat. *Si quis dixerit*, inquit, *vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire: anathema ſit*. Allatis hactenùs authoritatibus conſonant Liturgiæ Græcæ, in quibus diaconus, antequam Euchariſtia fidelibus diſtribuatur, clamat: *Sancta ſanctis*: & Eccleſiæ conſuetudo, de qua ſic loquitur Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*.

Prob. 4. Ratione. Euchariſtia ex inſtitutione ſua per ſe & primariò eſt cibus & potus ſacer, ut manifeſtum eſt ex verbis Chriſti Joan. cap. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Idem apertè clamat accidentia euchariſtica, quæ ſunt panis & vini ſpecies; actio, qua nobis Euchariſtia applicatur, nempe manducatio & potatio, & ipſa Euchariſtiæ inſtitutio, verbis illis contenta, *Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum ... Bibite ex hoc omnes: Hic eſt*

enim

enim ſanguis meus. Atqui cibus non datur mortuis, ſed viventibus; & cibus ex natùra ſua ordinatur ad conſervandam & roborandam vitam, non ad eam dandam, aut reddendam. Ergo Euchariſtia ex inſtitutione ſua per ſe & primariò ordinatur, non ad dandam, aut reddendam vitam animæ, delendo peccata mortalia, ſed ad animam, vita gratiæ jam viventem, reficiendam, & nutriendam.

Confirmatur 1. Sacramentum Euchariſtiæ ſpecie diverſum eſt à Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramentis: ergo finem ſive effectum primarium habet diverſum ſpecificè à fine & effectu primario ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ. Atqui ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ habent pro fine & effectu primario remiſſionem peccatorum mortalium, Baptiſmus quidem peccati originalis, & aliorum mortalium originali adjunctorum, Pœnitentia verò mortalium commiſſorum poſt Baptiſmum. Ergo remiſſio peccatorum mortalium nec eſt nec poteſt eſſe finis ſive effectus primarius ſacramenti Euchariſtiæ.

Confirmatur 2. Duo tantùm ſunt ſacramenta mortuorum, nempe Baptiſmus & Pœnitentia. Ergo Euchariſtia non eſt ſacramentum mortuorum. Ergo finis & effectus primarius Euchariſtiæ non eſt peccatorum mortalium remiſſio: nam ſi eſſet, Euchariſtia tam eſſet mortuorum ſacramentum, quàm Baptiſmus & Pœnitentia, quæ ſacramenta mortuorum dicuntur & ſunt, quia ad remittenda mortalia primariò inſtituta fuerunt.

Obj. 1. Verba illa Chriſti Matth. cap. 26. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. *R.* Chriſtum non loqui de effuſione ſanguinis, quæ fiat in Euchariſtia, ſed de effuſione ſanguinis, quæ facienda erat in ejus paſſione proximè futura: unde verborum ejus ſenſus non eſt, quòd calix ſit ab eo inſtitutus ad remittenda peccata, ſed quòd ſanguis contentus in calice, quem habebat in manibus, jamjam in paſſione ſua per Judæorum manus effundendus erat, ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis hominum.

Obj. 2. Concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Tertium*, ubi ait, hominem per Euchariſtiæ ſacramentum Chriſto incorporari. Ergo, &c. *R.* neg. conſeq. Nam Florentinum non loquitur de hominis cum Chriſto incorporatione, quæ fit per gratiam primam, qua peccata mortalia remittuntur, ſed de ea, quæ fit per gratiam ſecundam, ſeu per augmentum gratiæ, ut manifeſtum eſt ex ipſo Florentino ibidem, ubi ſe explicat: *Et quia*, inquit, *per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur*.

Obj. 3. Orationem Eccleſiæ in Miſſa, qua petitur, ut hoc Euchariſtiæ ſacramentum, *ſit fortitudo fragilium, & ablutio ſcelerum*. *R.* in oratione illa peti, ut Euchariſtia, quà ſacrificium eſt, ſit ſcelerum ablutio. *Nota*. Euchariſtia poteſt conſiderari dupliciter, & primò quidem ut eſt ſacrificium; & ſic ſumpta ad peccatorum mortalium remiſſionem valet modo infra explicando. Secundò, ut eſt ſacramentum, & ſic ſumpta, valet quidem ad remiſſionem venialium; ad præſervandum à mortalibus, & ad tollendos pravos habitus, & peccatorum præcedentium reliquias: at ad remiſſionem mortalium nullatenùs valere poteſt, cùm eorum deletionem ſemper ad dignam ſui perceptionem præſupponat, & prærequirat.

Obj. 4. Non repugnat, unum & idem ſacramentum ſimul eſſe cibum & pharmacum. Ergo poteſt Euchariſtia ex vi ſuæ inſtitutionis, eſſe non ſolùm cibus, ſed etiam pharmacum, adeoque non ſolùm juſtis, ſed etiam peccatoribus prodeſſe. *Reſp.* Euchariſtiam, etiam ut ſacramentum eſt, non ſolùm cibum, ſed etiam pharmacum eſſe, non quòd ſanet à peccatis mortalibus, ſed quia peccata venialia curat, & præſervat à mortalibus, expellitque infirmitates in anima ex mortalibus antea admiſſis & condonatis relictas.

Obj. 5. Sacramentum Euchariſtiæ ex vi ſuæ inſtitutionis continet Chriſtum, qui peccata quælibet remittere poteſt. Ergo ſacramentum hoc ex vi ſuæ inſtitutionis vim habet remittendi peccata etiam mortalia. *Reſp.* neg. conſeq. Ratio eſt, quia ſacramentum Euchariſtiæ Chriſtum non continet ſub quacumque ratione, ſed ſolùm ſub ratione cibi & potus ſpiritualis, adeoque Chriſtum continet tantùm ut ſignificativum & effectivum gratiæ nutrimentalis, ac proinde ſupponentis vitam ſpiritualem in eo qui recipit ſacramentum, quod conſequenter non habet ex vi inſtitutionis ſuæ virtutem dandi vitam animæ, ſed eam ſupponit.

Obj. 6. Si Euchariſtia non eſt per ſe & primariò inſtituta ad remittenda peccata mortalia, & ita mortalia remiſſa ſupponit, nemo audere debet ad eam accedere, quantum libet per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem conatus ſit peccata ſua expiare: nunquam enim certus eſſe poterit, ſe eſſe ſine peccato, & ſacramentum hoc non indignè ſuſcipere. *Reſp.* neg. ſequel. Itaque ut aliquis ad ſacram Synaxim licitè poſſit accedere, non requiritur, ut omninò certus ſit ſe nulla omninò mortalia habere; ſed ſatis eſt, ſi priùs, juxta præceptum Apoſtoli 1. Cor. cap. 11. probet ſe ipſum, & faciat quod in ſe eſt, ut liberetur à mortalibus, ſi quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam gerat: nam tunc vel nullum habet mortale, vel aliquod habet. Si primum, Euchariſtiam ſumit dignè, ea ſcilicet dignitate, quam Deus ab imbecillitate noſtra poſtulat, & qua contentus eſt, adeoque fructum ſacramenti recipit. Si ſecundum, ſumendo Euchariſtiam, fructum ejus non recipit quidem, ſed non peccat, quia cum bona fide, & cum mali ſtatus inculpabili ignorantia ſumit.

Responsio II.

Ne quidem per accidens & ſecundariò ſacramentum Euchariſtiæ in nullo caſu confert gratiam primam & peccatorum mortalium remiſſionem.

Prob. Nam, ut jam probatum eſt, ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum fuit per modum cibi & potus. Ergo ſicut cibus & potus corporalis vim non habent dandi vitam corporalem, ſed tantùm poſſunt eam conſervare, vel augere; ita nec ſacramentum Euchariſtiæ vim habet dandi vitam ſpiritualem, ſed tantùm illam conſervare, vel augere poteſt. Item ſicut cibus corporalis ad nihil prodeſt, ſi applicetur mortuo; ita ad nihil prodeſt Euchariſtia, niſi detur ſubjecto, jam habenti vitam ſpiritualem.

Confirmatur. Quia 1. Sacramenta eam tantùm cauſant gratiam, quam ſignificant. Atqui Euchariſtia nullo modo ſignificat gratiam primam & remiſſivam mortalium, ſed ſolùm gratiam nutrimentalem & augmentativam: ergo hanc tantùm, non illam cauſare poteſt. 2. Sententia oppoſita nullum habet firmum fundamentum in Scriptura vel traditione. Atqui ſacramentis illi tantùm effectus attribui debent, qui in Scriptura vel traditione firmum habent fundamentum. Quòd ſi quis hic Angelicum Doctorem nobis opponeret, illi nos opponeremus Seraphicum.

Obj. 1. Multi Patres dicunt, ſacramentum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum; per illud lavari & mundari animam, extingui peccata, tolli ſpurcitiam, ægrotos curari, & ablui ſcelera, &c. *R.* 1. hæc teſtimonia tam ab adverſariis, quàm à nobis explicanda eſſe, ne probare videantur id, quod intendunt Novatores, Euchariſtiam ad mortalia remittenda inſtitutam fuiſſe, adeoque ad dignam ſui ſuſceptionem non prærequirere ſtatum gratiæ in ſuſcipiente.

Dico Itaque, Patres illos vel loqui de Euchariſtia, ut eſt ſacrificium, ſub qua ratione vim habet peccatorum quorumlibet, etiam mortalium, veniam impetrandi; vel ſi loquuntur de Euchariſtia, ut eſt ſacramentum, loqui de ea reſpectu venialium, quæ tollit; aut reſpectu pravorum habituum, & pravarum diſpoſitionum, ex peccatis præcedentibus relictarum, à quibus ſanat. Euchariſtia autem, ut eſt ſacrificium, mortalium remiſſionem impetrat, auxilia congrua

impe-

Digitized by Google

impetrando peccatoribus, quibus peccatores efficaciter moventur ad contritionem perfectam, per quam de congruo merentur primam gratiam & mortalium remiſſionem. Hanc vim Euchariſtia non habet, ut eſt ſacramentum, quia ut ſacramentum, eſt animæ cibus, adeòquè ſemper in ſuſcipiente vitam ſpiritualem præ-requirit, & ſupponit.

Obj. 2. Quando Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. can. 5. ait: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire: anathema ſit;* manifeſtè videtur ſupponere unum ex effectibus ſacramenti Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum mortalium. *R.* neg. Concilium itaque can. laudato præcisè intendit damnare Lutherum & Calvinum, docentes Euchariſtiam primariò inſtitutam fuiſſe ad mortalium remiſſionem, & ſic damnare, ut intactam, & ſuæ probabilitati, ſi quam habet, relinquat ſententiam eorum, qui tenent, in aliquo caſu peccata etiam mortalia per accidens remitti poſſe per ſacramentum Euchariſtiæ. Reſponderi etiam poſſet Concilium citato canone loqui de peccatis, abſtrahendo à mortalibus & venialibus, & ſic ſolùm ſupponere, quòd peccata aliqua, nempe venialia, per ſacramentum Euchariſtiæ tolli poſſint.

Obj. 3. Sacramenta omnia conferunt gratiam non ponentibus obicem, ut definit Trident. ſeſſ. 7. can. 6. Sed qui Euchariſtiam ſumit cum bona fide, & inculpabiliter ignorans ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, maximè ſi attritus ſit formaliter, vel ſaltem virtualiter, non ponit obicem. Ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam ſtatus peccati mortalis eſt obex ad effectum Euchariſtiæ, quæ eſt ſacramentum vivorum, & tantum inſtituta eſt ad dandam gratiam nutritivam, quæ in ſubjecto in quo recipitur, præſupponit vitam ſpiritualem. Ex eo igitur quòd quis Euchariſtiam ſumit cum bona fide, & inculpabili ignorantia mali ſtatus, in quo eſt, ſequitur tantùm, quòd non formaliter, ſed ſolùm materialiter peccet contra reverentiam ſacramenti.

Dices 1. Peccator qui accedit ad baptiſmum, vel pœnitentiam cum attritione, & inchoata dilectione Dei propter ſe, recipit gratiam primam. Ergo ſimiliter recipit primam gratiam, cum attritione & inchoata Dei dilectione accedens ad Euchariſtiam. *R.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia attritio tollit obicem ad effectum baptiſmi & pœnitentiæ; obex enim ille non eſt præcisè peccatum mortale, ſed peccatum mortale non retractatum: per attritionem autem, ſi cum inchoata Dei dilectione conjuncta ſit, ſufficienter retractatur ad hoc, ut in baptiſmo, vel pœnitentia condonetur. At attritio non tollit obicem ad effectum Euchariſtiæ: nam obex ille eſt præcisè ſtatus peccati mortalis: quandiu enim homo eſt in ſtatu peccati mortalis, tamdiu caret vita ſpirituali, adeòque non magis ei prodeſſe poteſt cibus Euchariſticus, quàm cibus corporalis prodeſſe poteſt mortuo.

Dices 2. Status peccati mortalis non eſt obex ad effectum baptiſmi & pœnitentiæ: ergo nec ad effectum Euchariſtiæ. *Reſp.* Si valeret hoc argumentum, poſſet quis cum conſcientia peccati mortalis accedere ad Euchariſtiam, ſicut poteſt accedere ad baptiſmum, vel pœnitentiam; poſſet, inquam, cum ſola attritione, etiam cognita ut tali, quod eſt falſum, & contra fidem. Nego itaque conſeq. Diſparitas eſt, quia baptiſmus & pœnitentia inſtituta ſunt ad conferendam gratiam mortalium remiſſivam, ac proinde ad conferendam gratiam, quæ non ſupponit mortalia eſſe jam remiſſa: at Euchariſtia inſtituta eſt ad dandam gratiam nutritivam, adeòque ad dandam gratiam, quæ ſupponit mortalia jam eſſe remiſſa, vel, quod idem eſt, quæ ſupponit eum cui conferenda eſt, jam vita ſpirituali vivere, proindeque ab omni mortali liberum eſſe. Status igitur peccati mortalis obex eſt ad effectum Euchariſtiæ, quamvis non ad effectum baptiſmi & pœnitentiæ.

Dices 3. Baptiſmus & pœnitentia inſtituta ſunt ad dandam primam gratiam, & tamen poſſunt dare ſecundam, & re ipſa dant, cùm ab homine jam juſtificato ſuſcipiuntur. Ergo ſimiliter, licèt Euchariſtia inſtituta fuerit ad dandam ſecundam gratiam, poteſt nihilominùs dare primam, & re ipſa dat, cùm recipitur ab homine peccatore, ſed cum attritione & bona fide ad ſacramentum accedente.

Reſp. Neg. conſeq. Baptiſmus itaque & pœnitentia homini jam juſtificato gratiam conferunt, adeòque non ſolùm primam, ſed etiam ſecundam gratiam dare poſſunt & dant: quia ſacramenta quælibet ſemper conferunt gratiam non ponentibus obicem; & cùm baptizatur, vel abſolvitur homo jam juſtificatus, homo ille non ponit obicem gratiæ: obex enim gratiæ reſpectu baptiſmi & pœnitentiæ eſt peccatum mortale non retractatum: tunc autem peccatum mortale retractatum eſt, imò & condonatum.

Propter oppoſitam rationem Euchariſtia gratiam non confert homini peccatum mortale habenti, etiam attrito, & cum bona fide accedenti: quia ſacramenta gratiam non conferunt ponentibus obicem; & homo in ſtatu peccati mortalis exiſtens, quantùmvis attritus, & cum bona fide accedens ad Euchariſtiam, ponit obicem gratiæ: nam ſtatus peccati mortalis eſt obex gratiæ reſpectu Euchariſtiæ: unde Euchariſtia primam gratiam, & mortalium remiſſivam non dat, nec dare poteſt.

Præterea, baptiſmus & pœnitentia inſtituta fuerunt, non ſolùm ad dandam primam gratiam, ſed etiam ad dandam gratiam, vi cujus is qui baptizatur, vel abſolvitur, jus habet ad ſpecialia auxilia fini ſacramentorum illorum proportionata, quod jus haberi poteſt non ſolùm ex gratia prima, ſed etiam ex ſecunda: quare mirum non eſt, quòd baptiſmus & pœnitentia non ſolùm primam, ſed etiam ſecundam gratiam dare poſſint. At Euchariſtia inſtituta tantùm eſt ad conferendam gratiam nutrimentalem, quæ cùm ſemper ſupponat ſtatum gratiæ in ſuſcipiente Euchariſtiam, ſemper eſt gratia ſecunda: unde Euchariſtia nec dat, nec dare poteſt primam gratiam.

Obj. 4. Ut quis cum fructu ſumat Euchariſtiam, ſatis eſt, ſi impleat præceptum Apoſtoli: *Probet autem ſe ipſum homo.* Sed qui invincibiliter ignorat ſe eſſe in ſtatu peccati, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, Euchariſtiam ſumendo, implet præceptum illud. Ergo, &c.

Reſp. Neg. maj. Hoc enim ſufficit quidem ad hoc, ut licitè Euchariſtiam ſumat: ſi quis enim poſt diligentem ſui probationem ſumit Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis, inculpabiliter ignorat ſuam indignitatem, adeòque Euchariſtiæ ſumptio non imputatur illi ad novam culpam: at non idcircò fructum Euchariſtiæ accipit; alioquin, quod certò falſum eſt, poteſt quis per Euchariſtiam juſtificari ſine formali, vel etiam virtuali deteſtatione mortalium, quorum reus eſt, & quorum memoriam non habet. Cùm autem Apoſtolus dicit: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, permittit quidem, ei qui ſe ipſum probavit, ut accedat ad ſacramentum Euchariſtiæ; at, quod aliud eſt, non promittit omni ſic accedenti fructum hujus ſacramenti.

ARTICULUS II.

Quinam ſit effectus primarius ſacramenti Euchariſtiæ.

RESPONSIO.

PRimarius effectus ſacramenti Euchariſtiæ eſt gratia per modum nutritionis.

Prob. Auctoritate Conciliorum, Florentini ſcilicet in decr. Eugenii §. *Tertium*, ubi hæc leguntur: *Hujus ſacramenti effectus, quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum: & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramen-*

tum in ſumentibus dignè magis augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, ſacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bone, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum,

Ex Trid. ſeſſ. 13. c. 2. ubi ait: *Sumi autem voluit* (Salvator noſter) *ſacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit:* Qui manducat me, & ipſe vivet propter me: *& tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur.*

Ratio à priori eſt, quam hìc ſuggerit Tridentinum, quia ſacramentum Euchariſtiæ Chriſtus inſtituit, adeòque ſumi voluit ad modum cibi & potus ſpiritualis, ut manifeſtum eſt ex his Chriſti verbis, Joan. cap. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c.* Et ex illis, Matth. cap. 26. *Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum .... Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus, &c.* Ergo ſicut cibus materialis ad hominis vita naturali viventis nutritionem primariò ordinatur; ita Euchariſtia primariò ordinatur ad nutritionem hominis vita ſpirituali viventis,

Sic ratiocinatur S. Thomas hic qu. 79. art. 1. in O. ubi ait: *Hoc ſacramentum .... traditum per modum cibi & potus, & ideo omnem effectum* (ſupple, per ſe & primariò) *quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem* (*quòd ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat, & delectat*) *hoc totum facit hoc ſacramentum quantùm ad vitam ſpiritualem. Unde Ambroſ. dicit* ..., Iſte panis eſt vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Lib. 5. Sacr. c. 4.

Porrò gratia ſanctificans, quæ per Euchariſtiæ ſacramentum confertur, ſe habet ad modum nutritionis, non ratione entitatis præcisè; non enim eſt alterius ſpeciei, quàm gratia ſanctificans, quæ confertur in aliis ſacramentis, nec aliter animam informat; ſed ratione finis, ad quem inſtituta eſt, & auxiliorum, fini illi proportionatorum, ad quæ, ſuo loco & tempore à Deo accipienda, jus dat, & conſervat, quandiu per mortale aliquod ipſa non amittitur,

Gratia igitur ſanctificans, quam confert ſacramentum Euchariſtiæ, eſt per modum nutritionis, quia datur eo fine, ut in anima, quoad vitam ſpiritualem, ut ajunt S. Thomas & Florentinum, operetur omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam corporalem operantur, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando. Hæc omnia gratia illa præſtat per actualia auxilia, quibus in anima excitatur fervor charitatis, ſeu quibus anima ad ferventer amandum Deum excitatur. Hoc autem charitatis fervore ſpirituali, quadam ſuavitate, ac dulcedine recreamur, à malo retrahimur, ad virtutum augmentum proficimus; in bono contra peccati fomitem confortamur; detrimenta per ardorem concupiſcentiæ illata reparamus; denique cum Chriſto arctiùs unimur, unuſque cum eo ſpiritus efficimur, & in ejus naturam quodammodo tranſimus; ſicut ſolemus ciborum, quibus veſcimur, qualitates participare, eorumque ſubſtantiam intimè nobis unire, ſic, ut aliquo pacto una cum illis fiamus ſubſtantia.

Quid eſt ergo gratia per modum nutritionis? Gratia annexum habens jus ad ſpecialia auxilia, quibus quando eis non ponimus obicem, ſpecialiter excitamur ad Deum ardenter diligendum, & quibuſcum re ipſa, ſi non ea repudiamus, Deum ardenter diligimus, illique, eum ardenter diligentes, arctiùs conjungimur. Hoc dicit S. Thom. hìc q. 79. art. 1. ad 1. ubi ait: *Per hoc* (Euchariſtiæ) *ſacramentum augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita ad hoc, quod homo in ſe ipſo perfectus exiſtat per conjunctionem ad Deum.* Et ad 2. ubi ait: *Hoc ſacramentum confert gratiam ſpiritualiter cum virtute charitatis ..... Per hoc ſacramentum, quantum eſt ex ſui virtute, non ſolùm habitus gratiæ & virtutis* (charitatis) *confertur, ſed etiam excitatur ad actum: ſecundum illud* 2. *Corinth.* 5. Charitas Chriſti urget nos. *Et inde eſt, quòd ex virtute hujus ſacramenti anima ſpiritualiter reficitur per hoc, quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodam modo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ* (ad quam, ſcilicet, ardenter afficitur per ardentem amoris actum,

Hinc ſacramentum Euchariſtiæ rectè dicitur ſacramentum amoris, non ſolùm quia Chriſtus illud inſtituendo ſingulare ſui erga nos amoris teſtimonium nobis exhibuit, ſed etiam quia illud inſtituit, veluti fornacem, in qua charitatis igne ardeſcerent & inflammarentur ii, qui illud dignè ſuſciperent. Hinc jure merito exclamat Auguſtinus tract. 26. in Joan. *O ſacramentum pietatis, ò ſignum unitatis, ò vinculum charitatis!* Quia non ſolùm ſacramentum hoc unionem fidelium inter ſe & cum Chriſto ſignificat, ſed etiam efficit: ardenter enim Deum propter ſe diligentes, non poſſumus hoc ipſo non diligere proximum propter Deum. Hinc ſacramentum Euchariſtiæ efficit in anima, quoad vitam ſpiritualem, quod cibus materialis efficit in corpore quoad vitam corporalem, ut magis apparebit ex dicendis.

Quæres 1. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ ex opere operato præſervet à peccatis mortalibus? *R.* Affirmativè, & *prob.* 1. ex cap. 6. Joan. Ubi ait Chriſtus: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis* (permanentem ſcilicet:) nam perinde eſt, ac ſi Chriſtus diceret: Non perſeverabitis in ſtatu gratiæ. Unde apertè colligitur, ſacramentum Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum fuiſſe, ut medium neceſſarium ad perſeverandum in ſtatu gratiæ, adeòque ad mortalia omnia longo aliquo tempore vitanda; ex quo etiam apertè ſequitur, ſacramentum hoc vim habere à mortalibus præſervandi, & quantùm eſt ex ſe, re ipſa præſervare eos, à quibus dignè ſumitur,

Prob. 2. Ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. Ubi dicitur, hoc ſacramentum ſumi *tanquam antidotum, quo à peccatis mortalibus præſervemur.* Ratio à priori eſt, quia ſacramentum Euchariſtiæ, in iis à quibus dignè ſuſcipitur, efficit quoad vitam ſpiritualem, quod materialis cibus & potus efficiunt quoad vitam corporalem. Sed materialis cibus & potus præſervant à morte corporali. Ergo ſacramentum Euchariſtiæ eos, à quibus dignè ſuſcipitur, præſervat à morte ſpirituali, adeòque à mortalibus, quæ mortem ſpiritualem inferunt.

Confirm. Ex S. Thoma hìc quæſt. 79. art. 6. in O. Ubi ait: *Dicendum quod peccatum* (mortale ſcilic.) *eſt quædam ſpiritualis mors animæ; unde hoc modo præſervatur aliquis à peccato futuro, quo præſervatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter: uno modo, in quantùm natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva; & ſic præſervatur à morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſervatur per arma, quibus munitur corpus.* Addit S. Doctor, ſacramentum Euchariſtiæ hoc utroque modo præſervare à mortalibus, 1. quidem tanquam cibum ſpiritualem, & ſpiritualem medicinam, roborando vitam ſpiritualem hominis, per actus ſcilicet charitatis, ad quos excitat hominem per actualia auxilia, quæ intuitu illius, niſi ponatur obex, infallibiliter à Deo ſuo loco & tempore conferuntur. 2. Verò in quantùm eſt quoddam ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones; unde quà tale vim habet illos terrendi & fugandi, juxta illud ſancti Chryſoſtomi: *Ut Leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa* (in qua Euchariſtiam ſumimus) *diſcedimus, terribiles effecti diabolo.* Hom. 45 in Joan.

Quæres 2. Quomodo ſacramentum Euchariſtiæ eos, à quibus dignè ſuſcipitur, præſervet à mortalibus? *R.* Sacramentum Euchariſtiæ à mortalibus præſervare

eos,

eos, à quibus dignè ſuſcipitur, ut jam inſinuatum eſt per actualia auxilia, quibus ſuo loco & tempore moventur ad actum charitatis, ſeu ad actum diligendi Deum propter ſe ſuper omnia; qui actus incompoſſibilis eſt cum omni affectu ad mortalia; quare qui hunc actum habet, & tentationes ſuperat, & præcepta implet.

At inquies. Si ita eſt, qui vel ſemel dignè ſumpſit Euchariſtiam, nunquam poſteà peccat mortaliter, & ſic in ſtatu gratiæ uſque ad finem vitæ perſeverat infallibiliter; quod repugnat experientiæ. *R*. Qui, vel ſemel dignè ſumpſit Euchariſtiam, nunquam poſteà mortaliter peccaret, ſed in ſtatu gratiæ uſque ad mortem perſeveraret infallibiliter, ſi rectè uteretur actualibus auxiliis, quæ intuitu ſacramenti à Deo conferuntur, cùm urget tentatio, vel inſtat præceptum: ſic enim ſemper haberet actum charitatis, quo tentationem ſuperaret, & ad implendum præceptum efficaciter moveretur. At non omnis, qui dignè ſumit Euchariſtiam, rectè utitur actualibus auxiliis, quæ intuitu illius conferuntur; & cùm auxilia illa ſint ex ſe repudiabilia etiam moraliter, mirum non eſt, quòd ab aliquibus, imò & à multis repudientur, qui dignè ſumpſerunt Euchariſtiam.

Nota. Ex iis, qui dignè Euchariſtiam ſumunt, alii perſeverant in ſtatu gratiæ longo tempore, hos Euchariſtia præſervat à mortalibus; & quia illos præſervat à mortalibus, perſeverant in ſtatu gratiæ; ita ut nullus adultus perſeveret, aut etiam perſeverare poſſit in ſtatu gratiæ longo aliquo tempore ſine Euchariſtia in re, vel ſaltem in voto dignè ſuſcepta: alii verò in ſtatu gratiæ non perſeverant, & hos Euchariſtia à mortalibus non præſervat, non quòd illis deſit, ſed quia ipſi ſibi deſunt: nam ex opere operato illius, quandiu ſunt in ſtatu gratiæ, accipiunt auxilia idonea ad vitanda mortalia omnia, nec mortaliter peccant, niſi quia auxilia illa repudiant.

At inquies, Euchariſtia iis, à quibus dignè ſumitur, ſemper & infallibiliter confert omnem effectum, quem ex opere operato conferre poteſt. Ergo ſi ex opera operato poteſt præſervare à mortalibus, ſemper & infallibiliter à mortalibus præſervat eos, à quibus dignè ſuſcipitur. *Reſp*. neg. ant. Univerſaliter ſumptum: nam inter effectus quos Euchariſtia conferendi ex opere operato vim habet, alii ſunt independentes à cooperatione liberi arbitrii, quales ſunt gratia ſanctificans, & jus ad ſpecialia quædam auxilia, & hos effectus ſemper & infallibiliter confert dignè ſuſcipientibus: alii verò à cooperatione liberi arbitrii dependentes ſunt, qualis eſt præſervatio à mortalibus; & hos effectus, etiam dignè ipſam ſuſcipientibus, non ſemper & infallibiliter, niſi quantùm eſt in ſe, confert, defectu cooperationis ex parte noſtri. Dixi, niſi quantùm eſt in ſe, quia reverà omnes, à quibus ſumitur dignè, quantùm eſt in ſe, præſervat à mortalibus, cùm omnes ſufficientia ad hoc, ut mortalia vitent, auxilia ſuo loco & tempore infallibiliter accipiant ex opere operato illius.

Quæres 3. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ ex opere operato remittat venialia?

Reſp. Affirmativè, & *prob*. ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. Ubi dicitur hoc ſacramentum ſumi *tanquam antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis*; culpæ autem illæ quotidianæ ſunt peccata venialia. Ratio à priori eſt, quia, ut jam multoties dictum eſt, ſacramentum Euchariſtiæ præſtat quantùm ad vitam ſpiritualem, ea omnia, quæ cibus materialis præſtat quantùm ad vitam corporalem. Sed cibus materialis reparat vires corporis. Ergo ſacramentum Euchariſtiæ reparat vires ſpirituales animæ, reparando ſcilicet, fervorem charitatis, in quo potiſſimùm vires illæ conſiſtunt, adeòque tollendo peccata venialia, quibus fervor ille minuitur, & impeditur.

Hanc rationem ſuggerit S. Thomas hìc quæſt. 79. art. 4. in O. ubi ait: *Hoc ſacramentum habet virtutem ad remiſſionem venialium peccatorum. Nam hoc ſacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori, ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis, & ideò competit huic ſacramento, ut remittat peccata venialia. Unde & Ambroſius dicit in lib. de ſacram. quod iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Cap. 4.

Quæres 4. Quomodo ſacramentum Euchariſtiæ peccata venialia remittat?

Reſp. 1. Sacramentum Euchariſtiæ nec remittere, nec poſſe remittere per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Ratio eſt, quia gratia ſanctificans non habet repugnantiam cum peccatis venialibus; unde per illam expelli non poſſunt neque phyſicè neque moraliter. Et verò peccata venialia compatitur gratia ſanctificans ante ſuſceptionem Euchariſtiæ. Ergo etiam poſt ſuſceptionem compatitur: nam gratia ſanctificans, quæ per ſacramentum Euchariſtiæ confertur, non eſt diverſæ naturæ ab ea, quæ ante hujus ſacramenti ſuſceptionem collata fuit.

R. 2. Euchariſtiam peccata venialia remittere poſſe, & remittere per fervorem charitatis, quem cauſat per actualia auxilia, quæ dantur ex opere operato illius. Ita docet S. Thomas loco proximè citato, ubi poſt verba laudata ſic proſequitur: *Res autem hujus ſacramenti eſt charitas non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, per quod peccata venialia ſolvuntur*. Et ad 1. ubi ait: *Peccata venialia, etſi non contrariantur charitati, quantùm ad habitum* (unde non remittuntur, nec remitti poſſunt ab Euchariſtia per infuſionem charitatis habitualis) *contrariantur tamen ei, quantùm ad fervorem actus, qui excitatur per hoc ſacramentum; ratione cujus* (fervoris) *peccata venialia tolluntur*.

Igitur, juxta Doctorem Angelicum, Euchariſtia ipſam dignè ſuſcipientes liberat à venialibus, in eis per actualia auxilia excitando charitatis fervorem, qui moralem habet repugnantiam cum morali permanentia venialium admiſſorum, quorum proinde condonationem exigit, & obtinet, Deo ſcilicet, ſecundùm ejus exigentiam renunciante juri, quod habet propter illa juſto, quamvis leviter tantùm, indignandi. Ex his porrò apparet, hanc venialium remiſſionem ab Euchariſtia non fieri, niſi dependenter à libera arbitrii noſtri cooperatione, ſicut de præſervatione à mortalibus dictum eſt: unde Euchariſtia ſicut non ſemper & infallibiliter præſervat à mortalibus, ita nec ſemper & infallibiliter venialia remittit.

Quæres 5. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ peccata venialia remittat non ſolùm quoad reatum culpæ, ſed etiam quoad reatum pœnæ?

Reſp. Sacramentum Euchariſtiæ peccata venialia quoad pœnam non remittere directè, & ex opere operato, ſed indirectè tantùm, & ex quadam concomitantia.

Ita S. Thomas hìc qu. 79. art. 5. in O. ubi ait: *Si igitur* (Euchariſtia) *conſideretur ut ſacramentum, habet effectum dupliciter. Uno modo, directè ex vi ſacramenti, alio modo quaſi ex quadam concomitantia .. Ex vi quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum & ad membra ejus: ſicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem: ex cujus fervore aliquis conſequitur remiſſionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt, quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundùm modum ſuæ devotionis & fervoris.*

Ratio itaque reſponſionis eſt, quia ſacramentum Euchariſtiæ, quà ſacramentum, ſcilicet, inſtitutum tantùm fuit ad hoc, ut in iis, à quibus dignè ſumitur, eos effectus quantùm ad vitam ſpiritualem præſtet, quos materialis cibus & potus præſtant quoad vitam corporalem, ut jam ſæpè dictum eſt. Inter illos

autem effectus, quantùm ad vitam ſpiritualem, continetur remiſſio venialium quoad reatum culpæ; ſicut enim cibi materialis eſt, vires deperditas per actionem caloris naturalis reſtaurare; ita cibi ſpiritualis eſt reparare vires perditas ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia: unde ſacramentum Euchariſtiæ ex inſtitutione ſua vim habet peccata venialia quoad reatum culpæ remittendi directè, & ex opere operato per charitatis fervorem, quem excitat tanquam cauſam formalem hujus remiſſionis. At relaxatio pœnæ peccatis venialibus etiam remiſſis debitæ, inter effectus illos non continetur; adeòque fieri non poteſt directè, & ex opere operato à ſacramento Euchariſtiæ.

Prætereà, pœna temporalis, peccatis remiſſis debita, extra ſacramentum Baptiſmi nonniſi per ſatisfactionem relaxatur. Atqui Euchariſtia, ut ſacramentum, non fuit inſtituta ad ſatisfaciendum, ſed tantùm ad nutriendum ſpiritualiter, ſeu ad præſtandos tantùm effectus nutritionis ſpiritualis proprios, ut dicit S. Thomas. Ergo quà ſacramentum eſt, directè valere non poteſt ad relaxationem pœnæ temporalis. Dico, quà ſacramentum eſt; nam quà ſacrificium eſt, ad hunc effectum directè valet; quia ut ibidem ait S. Doctor, vim habet ſatisfactivam, hoc eſt, vim habet applicandi ſatisfactiones Chriſti. Supereſt igitur, ut Euchariſtia, quà ſacramentum, indirectè tantùm & conſequenter efficiat relaxationem pœnæ temporalis, in quantùm fervor charitatis, ad quem excitat, ſatisfactorius eſt ſecundùm modum & gradum intenſionis ſuæ. Quòd autem charitatis fervor vim habeat ſatisfaciendi, per accidens eſt reſpectu Euchariſtiæ, quæ, ut cibus eſt ſpiritualis, tendit in fervorem illum, quà poteſt eſſe formalis cauſa remiſſionis venialium quoad reatum culpæ, non quà ſatisfacere poteſt pro pœna temporali, quæ pro venialibus remiſſis exſolvenda ſupereſt.

Dices. Baptiſmus per ſe & directè remittit totam pœnam temporalem. Ergo & ſacramentum Euchariſtiæ. Objectionem hanc S. Thomas articulo proximè citato proponit in hunc modum: *Homo per hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *ſuſcipit in ſe effectum Paſſionis Chriſti, ſicut & per baptiſmum. Sed per baptiſmum percipit homo remiſſionem omnis pœnæ virtute Paſſionis Chriſti, qua ſufficienter ſatisfecit pro omnibus peccatis. Ergo videtur, quod per hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *homini remittatur totus reatus pœnæ*. Sic autem reſpondet: *Sacramentum Baptiſmi directè ordinatur ad remiſſionem pœnæ & culpæ, non autem Euchariſtia; quia baptiſmus datur homini quaſi commorienti Chriſto; Euchariſtia autem quaſi nutriendo & perficiendo per Chriſtum: unde non eſt ſimilis ratio*. Juxta ſanctum Doctorem igitur, Euchariſtia, quà ſacramentum eſt, ad remiſſionem pœnæ temporalis directè valere non poteſt, quia quà ſacramentum eſt, operatur tantùm per modum cibi ſpiritualis, adeòque aliud directè non poteſt, quàm ſpiritualiter nutrire, ad quod pœnæ temporalis remiſſio non pertinet.

Quæres 6. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ minuat fomitem peccati?

Reſp. Minuere quidem, ſed indirectè tantùm, & conſequenter. Ita S. Thomas hic qu. 79. art. 6. ad 3. ubi ait: *Licèt hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem* (actualem ſcilicet) *quia ſicut Auguſtinus dicit libro* 83. *quæſtionum, augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis*. Igitur quia fervor charitatis, ad quem excitat ſacramentum Euchariſtiæ, intenſionem actus concupiſcentiæ, vel impedit, vel ejus vim elidit, ſacramentum Euchariſtiæ rectè dicitur peccati fomitem indirectè & conſequenter diminuere.

Quæres 7. Utrùm glorioſa reſurrectio & immortalitas corporis ſit effectus ſacramenti Euchariſtiæ?

Reſp. Glorioſam reſurrectionem & immortalitatem corporis eſſe indirectè & conſequenter effectum ſacramenti Euchariſtiæ, quatenus ſcilicet glorioſa illa reſurrectio & immortalitas corporis connexa eſt cum perſeverantia in ſtatu gratiæ, quam directè Euchariſtia confert, quamvis impedibiliter, quia confert illam per media repudiabilia. Reſponſionem hanc exponit Suarez hìc diſputatione 64. ſect. 2. ubi addit modum alium, quo reſurrectio & immortalitas corporis poteſt eſſe ſpecialis effectus Euchariſtiæ, quatenùs *licèt ratione illius non conferatur corpori aliquod donum, quod ratione gratiæ vel gloriæ animæ non debeatur, dabitur tamen* (reſurrectio & immortalitas corporis) *proprio & ſpeciali titulo, ſcilicet, propter ſpecialem conjunctionem cum Chriſto factam per hoc ſacramentum*.

Porrò quòd reſurrectio & immortalitas corporis ſit ſpeciali aliquo modo effectus ſacramenti Euchariſtiæ, probabiliſſimè colligitur, 1. ex verbis Chriſti, Joan. cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. 2. Ex Patribus apud eumdem Suarez loco citato, ubi Ignatius Martyr Euchariſtiam vocat pharmacum immortalitatis. Et Cyrillus Alexandrinus cibum nutrientem ad immortalitatem. Et Gregorius Nyſſenus dicit, corpus noſtrum non poſſe conſequi immortalitatem, niſi corpori immortali Chriſti ſub ſpecie panis exiſtenti conjunctum fuerit. Irenæus denique lib. 4. cap. 34. corporum reſurrectionem probat ex uſu ſacramenti Euchariſtiæ: *Quomodo*, inquit, *rurſus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur?*

Quæres 8. Quo tempore vel inſtanti ſacramentum Euchariſtiæ conferat gratiam?

Reſp. Gratiam totam ſimul & inſtantaneè produci, cùm primùm ſubjecto diſpoſito ſacramentum hoc ſufficienter applicatur: nam reliqua ſacramenta operantur, ſi non adſit obex, eo inſtanti, quo primùm perfecta ſunt eſſentialiter, & applicata ſubjecto ſuo: ergo & ſacramentum Euchariſtiæ operatur, &c. tam enim eſt cauſa naturalis & neceſſaria, quàm ſacramenta alia, ac proinde tam operatur, cùm primùm & quantùm poteſt, quàm illa.

Sufficiens autem ſacramenti Euchariſtiæ applicatio in manducatione & potione poſita eſt: unde illud Chriſti, Joan. cap. 6. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Et illud eodem capite: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Manducare verò & bibere, eſt ex ore ad ſtomachum trajicere. Cùm primùm igitur aliqua ſacramenti particula ſtomachum ingreditur, ſacramentum ſufficienter applicatur, ac proinde tunc inſtantaneè producitur tota ſacramenti gratia. Dico, tota: nam præter gratiam illam, quæ in manducatione confertur, non datur alia ex opere operato poſt manducationem, quamvis ſpecies aliquandiu in ſtomacho conſerventur. Idem enim numero ſacramentum non operatur bis effectum ſuum. Non negamus tamen dari poſſe, & ſæpè dari novam gratiam ex opere operantis, quandiu ſpecies in ſtomacho durant, quatenus, ſcilicet, communicans eo tempore exercet actus meritorios, ad quos per ſacramenti præſentiam excitatur, ſi non ponit obicem per negligentiam, aut voluntariam diſtractionem, vel venialem quamlibet aliam culpam.

At inquies. Quid ſi aliquis ad ſacramentum hoc accedat indiſpoſitus, an poſteà recipiet effectum ſacramenti? *Reſp*. Si indiſpoſitus ſit primo inſtanti, quo fit manducatio, non recipit effectum ſacramenti pro illo inſtanti; ſed ſi poſteà ſeſe diſponit, dum continuatur manducatio, vel dum adhuc ſpecies incorruptæ durant in ſtomacho, effectum ſacramenti recipit, eique gratia ex opere operato confertur. Ratio eſt, quia cauſæ naturales ſeu neceſſariò operantes, quæ propter impedimentum aliquod, & ſubjecti indiſpoſitionem, effectum ſuum non habent, cùm primùm applicantur, habent illum poſteà, quando tollitur impedimentum, & ſubjecti indiſpoſitio, modò non deſit applicatio ſufficiens. At Euchariſtiæ ſacramentum habet

habet

bet ſe per modum cauſæ naturalis, ac neceſſariæ, & eſt ſufficienter applicatum, quandiu continuatur manducatio, aut potio, vel ſpecies in ſtomacho durant incorruptæ. Ergo, &c.

Hinc qui indignè communicat, non ſolùm peccat peccato ſacrilegii & indignæ communionis, quando ſumit ſpecies, ſed etiam quandiu ſpecies perſeverant integræ in ſtomacho, niſi perfectè conteratur, aut excuſetur per invincibilem ignorantiam; quia tandiu voluntariè impedit ne ſacramentum, ſufficienter applicatum, & quod nondùm effectum ſuum habuit, operetur, effectumque primarium ſortiatur, in quo eſt gravis irreverentia erga ſacramentum.

ARTICULUS III.

Quanam diſpoſitiones tam ex parte animæ, quàm ex parte corporis, requirantur ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem.

RESPONSIO I.

AD dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem requiritur, ut is qui eam ſuſcipit, baptizatus ſit.

Prob. Nam Baptiſmus eſt ſacramentum regenerationis: ſicut autem in naturalibus priùs eſt generari, quàm nutriri per cibum naturalem; ita in ſpiritualibus priùs eſt regenerari ſacramentaliter per baptiſmum, quàm nutriri ſacramentaliter per Euchariſtiam. Præterea, baptiſmus eſt janua Eccleſiæ, & dat moralem poteſtatem participandi de bonis & ſacramentis illius, ſine qua morali poteſtate nemo utiliter, imò nec ſacramentaliter participare poteſt ſacramenta illa.

RESPONSIO II.

Ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem, in eo, qui illam ſuſcipit, ſtatus gratiæ ſaltem per ſe requiritur.

Eſt de fide, & *prob.* Ex Apoſtolo 1. Corinth. c. 11. ubi ait: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quibus verbis ſignificat Apoſtolus, in communicante neceſſarium eſſe ſtatum gratiæ, ut docet Trident. ſeſſ. 13. c. 7. Ratio à priori eſt, quia Euchariſtia eſt ſacramentum vivorum, & inſtituta eſt per modum cibi, & potus ad ſpiritualem animæ refectionem, quæ ſpiritualem vitam in anima præſupponit. Ergo, &c. Dixi autem, Saltem per ſe, propter ſententiam Divi Thomæ, & aliorum, qui tenent, ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ per accidens ſufficere poſſe in adulto peccatore virtualem mortalium, quorum reus eſt, retractationem & deteſtationem propter motivum motivo charitatis inferiùs conceptam, quando ſcilicet ſic mortalia illa oblitus eſt, ut ea per diligentem conſcientiæ ſuæ diſcuſſionem in memoriam ſibi revocare non valeat. Quæ quidem ſententia nobis omninò videtur falſa, at non eſt hæretica, immò nec deſtituta omni veriſimilitudine, propter auctoritatem Angelici Doctoris.

RESPONSIO III.

Ad dignam Euchariſtiæ perceptionem in eo, qui ſibi mortalis peccati conſcius eſt, per ſe loquendo non ſufficit contritio etiam charitate perfecta, ſed requiritur confeſſio.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex verbis Apoſtoli jam laudatis: *Probet autem ſe ipſum homo, &c.* 2. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic ſit Leo Magnus epiſtol. 91. ad Theodorum Forojulienſem, ubi ait: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ex quibus verbis confeſſionem ſumptioni Euchariſtiæ jure divino poſitivo ab eo omni, qui ſibi mortalis peccati conſcius eſt, præmittendam eſſe, probari contendit Suarez hìc diſp. 66. ſect. 3. aſſert. 3.

3. Ex S. Thoma in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. q. 4. in O. *Ad confeſſionem*, inquit, *actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter: uno modo per accidens, ſcilicet, quando ad aliquid tenetur, quod non poteſt ſine peccato facere, niſi confeſſus, tunc enim confiteri tenetur: ſicut ſi debeat Euchariſtiam percipere, ad quam nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſſus accedere debet, copia ſacerdotis oblata, & neceſſitate urgente; & inde venit obligatio, qua Eccleſia omnes obligat ad ſemel in anno confitendum, quia inſtituit, ut ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha, omnes ſacram communionem accipiant.* His autem poſterioribus verbis: *Et inde venit obligatio, &c.* Apertè ſupponit, & ſignificat præceptum, quo qui mortalis peccati conſcientiam gerit, tenetur communioni confeſſionem præmittere, non ab Eccleſia, ſed à Chriſto latum fuiſſe.

4. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. ubi in verba Apoſtoli laudata ſic habet: *Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè, certè quò magis ſanctitas & divinitas cœleſtis hujus ſacramenti viro chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat... quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus* (Apoſtoli) *præceptum:* Probet ſe ipſum homo: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, &c.*

Et can. 11. ſic pronunciat: *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramentum: anathema ſit. Et ne tantum ſacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem: ſi quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

Ratio autem hujuſce præcepti imponendi fuit, quia quamvis per contritionem charitate perfectam remiſſio peccati mortalis obtineri poſſit, & obtineatur extra ſacramentum Pœnitentiæ, tamen quia perfecta contritio difficilis, eſt, minuſque certa & nota eam elicienti, jure merito præcipi potuit, & ab Eccleſia ſemper obſervatum eſt, ut medium confeſſionis, quod certius & notius eſt, adhiberetur ab iis, qui Euchariſtiam ſumpturi erant, propter tanti ſacramenti reverentiam, quod non ſolùm habet vim ſignificandi & efficiendi gratiam ſanctificantem, ſed etiam ipſum gratiæ ſanctificantis, & omnis ſanctitatis Authorem Chriſtum realiter continet.

Porrò dixi in aſſertione, per ſe loquendo, quia ſi neceſſitas communicandi urgeat, & deſit copia ſacerdotis, ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem ſufficit perfecta contritio, ut apertè docet ſanctus Thomas loco proximè laudato, & colligitur ex Tridentino canon. 11. & cap. 6. ubi poſt verba laudata ſic proſequitur: *Quod à chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia confeſſoris; quod ſi, neceſſitate urgente, ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Idem dic, ſi is, qui mortalis peccati ſibi conſcius eſt, obligationem præmittendi confeſſionem communioni ignoret invincibiliter.

Responsio IV.

Ad infuſionem gratiæ ſanctificantis in ſacramento Euchariſtiæ non requiritur in ſuſcipiente actualis devotio, ſed ſufficit, quòd ſit in ſtatu gratiæ, & humano modo, adeòque voluntariè ſuſcipiat ſacramentum.

Ita communiter ſentiunt Doctores cum S. Thoma hic q. 79. art. 8. in O. ubi ait: *Effectus hujus ſacramenti non ſolùm eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc ſacramentum per peccata venialia mente diſtractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Ratio eſt, quia ſacramentum hoc, ſicut & alia ſacramenta, ex opere operato gratiam confert non ponenti obicem. Atqui adultus baptizatus, & rationis compos, humano modo & in ſtatu gratiæ hoc ſacramentum ſuſcipiens, non ponit obicem infuſioni gratiæ, quantùmvis actuali devotione careat per voluntariam mentis evagationem venialiter malam. Ergo, &c.

Porrò licèt defectus actualis devotionis augmentum gratiæ non impediat abſolutè, & totaliter, impedit tamen illud ex parte, & facit, ut minus ſit: nam qui cum actuali devotione communicat, majorem gratiam recipit, ſacramenta enim noſtra plus, vel minùs operantur juxta majorem, vel minorem diſpoſitionem ſubjecti, à quo recipiuntur. Prætereà, ut rectè docet S. Thomas, defectus actualis devotionis impedit actualem refectionem ſpiritualis cujuſdam dulcedinis, quæ in uſu ſacramenti percipitur, & conſiſtit in ſanctis cogitationibus, & piis affectibus, atque potiſſimùm in charitatis fervore, ad quem excitat Chriſti præſentia. Hos autem effectus communicanti ſaluberrimos impedit voluntaria mentis diſtractio, quamvis venialiter tantùm mala.

Responsio V.

Ex præcepto eccleſiaſtico requiritur, ut is qui communicat, jejunus ſit.

Prob. Ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 13. ubi hæc leguntur: *Hoc præſens Concilium ..... declarat, decernit, & diffinit, quòd licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile ſacramentum* (Euchariſtiæ) *tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, à jure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo.*

Hoc autem præceptum antiquiſſimum eſſe, patet ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi de Euchariſtia loquens, ait: *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Ex Concil. Carthagin. III. can. 29. quo dicitur: *Ut ſacramenta altaris nonniſi à jejunis hominibus celebrentur.* Et ex S. Auguſtino epiſtol. 118. ad Januarium, ubi ita loquitur: *Liquidò apparet, quando primùm acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos, numquid propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod à jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti ſacramenti, in os chriſtiani prius dominicum Corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per univerſum Orbem mos iſte ſervatur.*

Objicientibus verò exemplum Chriſti, obſtruit os: nam ſic proſequitur: *Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere: namque Salvator quò vehementiùs commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet.* Juxta ſanctum Doctorem, Chriſtus voluit pridie mortis ſuæ poſt cœnam legalem Euchariſtiam inſtituere, atque ita corpus & ſanguinem ſuum cœnatis diſcipulis tradere, ut hoc pacto tantum beneficium cordibus & memoriæ diſcipulorum altiùs infigeretur, non ut exemplo ſuo fideles obligaret ad ſacramentum hoc poſt cibos alios ſemper accipiendum: nec tunc ſtatuit quo deinceps ordine ſumendum eſſet, ſed hoc Apoſtolis ſuis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſtatuendum relinquere voluit.

Denique ſanctus Doctor præceptum illud Euchariſtiam ſumendi ante omnem alium cibum, ab Apoſtolo Paulo fidelibus impoſitum fuiſſe, probat his verbis: *Cùm verò ait Apoſtolus, de hoc ſacramento loquens.* Propter quod, fratres, cùm conveniatis ad manducandum invicem expectate: ſi quis eſurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis, *ſtatim ſubtexuit:* Cætera autem cùm venero, ordinabo: *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.*

Circa præceptum hoc S. Thomas q. 80. art. 8. in O. obſervat, 1. illo non obligari infirmos periculoſè decumbentes: *Ab hac*, inquit, *generali regula* (fideles ad Euchariſtiam ante omnem alium cibum ſumendam obligante) *excipiuntur infirmi, qui ſtatim communicandi ſunt, etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine communione decedant, quia neceſſitas legem non habet.*

2. Jejunium ad Euchariſtiam prærequiſitum debere eſſe naturale: *Duplex eſt jejunium*, inquit. *Primum eſt jejunium naturæ, quod importat privationem cujuſcumque præaſſumpti per modum cibi vel potus, & tale jejunium requiritur ad hoc ſacramentum. Et ideò neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantacumque parva quantitate, licèt hoc ſacramentum accipere: nec refert utrùm aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodò ſumatur per modum cibi vel potus.*

Quia autem ad hoc, ut aliquid per modum cibi vel potus ſumatur, requiritur ut ab extrinſeco in os, & ab ore in ſtomachum trajiciatur per comeſtionem, vel potationem; ſic proſequitur ſanctus Doctor: *Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus ſacramenti: quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ* (adeòque jejunium naturale non frangunt) *& eadem ratio eſt de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur; dummodò non trajiciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſalivæ, quod vitari non poteſt.* Ad 4.

3. Ad jejunium illud naturale ſufficere, quòd nihil omninò per modum cibi, aut potus ſumatur à media nocte, ſeu à duodecima illius hora. *Cùm dicitur*, inquit, *quòd hoc ſacramentum prinſquam alii cibi, debet in os chriſtiani intrare, non eſt intelligendum abſolutè reſpectu totius temporis: alioquin qui ſemel comediſſet, vel bibiſſet, nunquam poſſet poſteà hoc ſacramentum accipere; ſed intelligendum eſt quantùm ad eundem diem. Et licèt principium diei ſecundum diverſos diverſimodè ſumatur, nam quidam à meridie, quidam ab occaſu, quidam à media nocte, quidam ab ortu ſolis diem incipiunt; Eccleſia tamen Romana diem à media nocte incipit; & ideò ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere ſacramentum: poteſt verò ſi ante mediam noctem: nec refert, utrùm poſt cibum vel potum aſſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit, quantùm ad rationem præcepti.*

Addit

Digitized by Google

Ad 5. Addit S. Doctor, referre, *quantùm ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem. Ex quibus, ſi mens multùm perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem hujus ſacramenti.*

4. Denique jejunii naturalis obligationem ceſſare in ſumptione Euchariſtiæ: ita ut quilibet ſumpta Euchariſtia, ſtatim licitè poſſit aliquid per modum cibi vel potus accipere, niſi tamen id aliunde ei prohibitum ſit; quod probat praxis Eccleſiæ: nam in Miſſa ſacerdos ſtatim poſt communionem ablutionem ſumit. Quod tunc, quia non propter corporis refe-
Ad 6. ctionem fit à ſacerdote, ſed propter ipſius ſacramenti reverentiam, non ſolùm licet, ſed etiam decet. Aliàs verò, ut advertit S. Doctor, & poſt eum Suarez, regulariter expedit, poſt communionem aliquo tempore à communi cibo & potu abſtinere, propter majorem devotionem, majoremque reverentiam ſacramenti; pro quo Suarez citat Chryſoſtomum hom. 25. in primam ad Corinthios, ubi ait: *Quid igitur jejunare oportet poſt ejus* (Euchariſtiæ) *acceptionem? Non hoc dico, nec cogo: licèt bonum ſit, non tamen compello, ſed admoneo.*

Relatis hactenùs ex S. Doctore addimus. 1. In hoc præcepto jejunii naturalis non dari parvitatem materiæ: ita, ut quantulacumque quantitas ſumpta per modum cibi vel potus, communionem ſub mortali impediat. Ita docet Suarez hìc diſp. 68. ſect. 4. ubi ait, hanc eſſe ſententiam D. Thomæ, Durandi, &c. & addit, hoc idem declarari conſuetudine Eccleſiæ, & communi conſenſu omnium fidelium. Quòd autem tale præceptum imponi potuerit ab Eccleſia ad periculum profanationis à tanto ſacramento amovendum, dubium eſſe non poteſt, cùm tanta ſit hominum ad intemperantiam & ebrietatem propenſio.

2. Non jejuno Euchariſtiam ſumere licitum eſſe in articulo mortis per modum viatici, non ſolùm quando mors ex morbo imminet, ſed etiam quando proximè imminet ex vulnere, aut veneno, aut judicis ſententia. Ita docet Suarez diſp. citata ſect. 5.

3. In eadem ægritudine Euchariſtiam ſæpiùs licitè accipi poſt cibum & potum, modò ſtatus ægritudinis varietur: *Quia ſcilicet homo priùs fuit in periculo mortis, atque illud evaſit, & aliquantulum convaluit; poſtea verò iterùm incidit in ſimile periculum: & tunc non eſt dubium, quin poſſit iterùm atque iterum toties communicare* (poſt cibum ſcilicet, & potum) *quoties talis varietas acciderit: quia illa cenſetur quaſi nova ægritudo, & novus neceſſitatis articulus.*

Ita Suarez ſectione proximè citata, ubi etiam addit, ſi perſeveret ægritudo, & mortis periculum duret aliquot, puta octo vel decem diebus poſt primam communionem ab ægroto non jejuno factam, ægrotum poſſe iterùm communicare poſt cibum & potum, ſi commodè non poſſit jejunus ſacramentum ſuſcipere. Ratio ejus eſt, quia veriſimile non eſt, Eccleſiam voluiſſe hominem, auxilio tanti ſacramenti maximè indigentem, illius ope & ſubſidio privare, præſertim cùm non ſit in ejus poteſtate morali jejunum accedere, & multa poſſint eo tempore occurrere, quæ neceſſitatem augeant, ut tentationes, & peccandi pericula. Admonet autem prudenter, hoc non eſſe extendendum extra mortis periculum.

4. Licitum eſſe ſacerdoti non jejuno ſumere Euchariſtiam in variis caſibus, ut ſi alter celebrans poſt conſecrationem deficiat, nec adſit ſacerdos jejunus, qui poſſit & velit perficere ſacrificium: item ſi poſt ſumptam ablutionem, in patena, vel corporali aliquas hoſtiæ particulas reperiat: item ſi pro ſpecie vini ſumpſit aquam, tunc enim debet vinum calici infundere, & illud conſecrare ac ſumere. Ratio eſt, quia in his caſibus Euchariſtiam ſumere ad ſacrificii perfectionem pertinet, & minùs eſt Euchariſtiam ſumi à non jejuno, quàm non perfici ſacrificium: ut ait S. Thomas hìc q. 83. art. 6. ad 2. *Ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo.* Hinc, ut ibidem obſervat S. Doctor, ſi ſacerdos poſt conſecrationem inceptam recordetur ſe aliquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominùs debet perficere ſacrificium, & ſumere ſacramentum: quòd ſi ante conſecrationem recordaretur, juxta ſanctum Doctorem ibidem, tutiorem partem ſequeretur, Miſſam inceptam relinquendo, niſi timeretur grave ſcandalum.

Quid ſi ſacerdos non jejunus celebraret ad dandum viaticum moribundo? *Reſp.* Peccaret graviter, non enim magis poteſt licitè fracto jejunio naturali celebrare in hunc finem, quam licitè poteſt in hunc finem celebrare in fermentato, aut abſque veſtibus ſacris: præceptum enim jejunii naturalis non minùs graviter obligare videtur, quàm præceptum azymi, aut ſacrarum veſtium. Atqui certiſſimum eſt, ſacerdotem neque in fermentato, neque abſque veſtibus ſacris licitè celebrare poſſe ad dandum viaticum moribundo. Ergo, &c.

Hujus reſponſionis noſtræ rationem hanc affert, Suarez diſput. 68. ſect. 5. „ Quia hoc ſacramentum ſicut majoris eſt dignitatis, ita minoris eſt neceſſitatis. Ergo in ſimili eventu major eſt habenda ratio reverentiæ debitæ ſacramento, quàm neceſſitati proximi, quia hæc non eſt neceſſitas ſimpliciter ſeu medii. Neceſſitas autem præcepti tunc non urget ex parte ſumentis, quia non eſt in poteſtate ejus ſumere, niſi ſit qui poſſit dare; neque etiam ex parte dantis, quia ſolùm tenetur dare, quando commodè poteſt cum debita exteriori reverentia, & ſervato convenienre ritu præſcripto ab Eccleſia, &c. „

ARTICULUS IV.

Solvuntur aliquot dubia circa diſpoſitiones prærequiſitas ad ſumptionem Euchariſtiæ.

Q*Uæres* 1. Utrùm pollutio nocturna impediat ab Euchariſtia eadem die ſumenda?

Reſp. Nocturna pollutio alia eſt culpabilis, alia inculpabilis: culpabilis verò alia eſt venialiter tantùm, alia mortaliter culpabilis. Pollutionem nocturnam, quæ mortaliter culpabilis eſt, à ſumptione Euchariſtiæ impedire ex neceſſitate, clarum eſt: ſic enim à ſumptione Euchariſtiæ impedit mortale quodlibet, & imprimis illud, quod cum ſpeciali corporis fœditate conjunctum eſt, Propter hanc fœditatem, & mentis perturbationem, quæ regulariter ex tali pollutione remanet, pollutus, etiamſi conteratur, & confiteatur, eadem die communicando, niſi tamen juſta aliqua adſit communicandi neceſſitas, peccabit venialiter, juxta S. Thomam hìc quæſt. 80. art. 7. ad 4. ubi ait: *Licet per contritionem & confeſſionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & diſtractio mentis, ex pollutione confecuta.* Hìc igitur difficultas ſolùm eſt de nocturna pollutione, quæ inculpabilis eſt, vel venialiter tantùm culpabilis. Circa quod

Dico 1. Nocturnam pollutionem inculpabilem, quia ſcilicet, omninò involuntaria eſt, ab Euchariſtia eodem die ſumenda per ſe non impedire, neque ex præcepto, neque ex conſilio. Ita Suarez hìc diſput. 68. ſection. 2. poſt Juſtinum Martyrem in reſponſione ad quæſtionem 21. orthodoxorum, ubi ait: *Eos qui involuntariè talia* (pollutionem nocturnam) *paſſi ſunt, à communione divinorum myſteriorum abſtinere, nequaquam æquum eſt*, &, ut nobis videtur, poſt Gregorium Magnum in reſp. ad 11. interrogationem Auguſtini Anglorum Epiſcopi, cùm ait: *Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate evenerit* (pollutio nocturna,) *omnimodò hæc illuſio non eſt timenda: quia hanc animus neſciens pertuliſſe, magis dolendus eſt, quàm feciſſe.* Et

Prob. 1. Non impedit ex præcepto: nam ſi ex præcepto impedit, vel ex naturali; at hoc non, quia tunc communicare, non eſt intrinſecè malum, alioquin

Google

ſemper eſſet malum, & ſic numquam liceret communicare eo die, quo nocturna pollutio contigiſſet, quantumvis inculpabiliter contigiſſet, quod nemo dicit: vel ex poſitivo divino aut humano; at nullum tale jus exiſtit. 2. Non impedit ex conſilio: nam poteſt homo nihilominùs illuſione illa præcisè ſpectata ſecundùm ſe, devotè ac reverenter ad ſacramentum accedere; & ſi faciat quod in ſe eſt, ut devotè ac reverenter accedat, melius eſt, eum Euchariſtiam ſumere, quàm ab ea abſtinere: unde illuſio illa præcisè ſecundùm ſe ſpectata, non magis à ſumptione Euchariſtiæ poteſt impedire, quàm ſi non fuiſſet.

Per ſe igitur nequidem ex conſilio communionem impedire poteſt nocturna pollutio inculpabilis, poteſt tamen per accidens, quatenùs nempe aliquo modo manet in ſuis effectibus, vel in memoria hominis: „ Nam, inquit, Suarez loco proximè citato, ſi ea de cauſa homo ſe ſentit ineptum ad res ſpirituales, & divinas tractandas, vel ſi magnam mentis diſtractionem, vel varias cogitationes patitur, conſultius erit abſtinere (à ſumptione Euchariſtiæ) donec præteritæ paſſionis omninò obliviſcatur. Et quia hoc frequentiùs accidit in vulgaribus hominibus, hoc (nempe quòd à communione abſtineant) illis eſt regulariter conſulendum, At verò ſi pollutio nullum hujuſmodi effectum reliquit, & homo poteſt eadem reverentia & devotione (ad ſacramentum) accedere, non aliter, quàm ſi nihil in ſomniis paſſus fuiſſet; non eſt cur communionem prætermittat, cùm nulla (prætermittendi) rationabilis cauſa intercedat.

Addit Suarez, etiam in caſu perturbationis, ortæ ex nocturna pollutione inculpabili, homini ſufficientem Euchariſtiæ ſumendæ cauſam fore occurrentem aliquam neceſſitatem, vel ſpecialem utilitatem, quamvis propter illam perturbationem cum minori devotione actuali ad ſacramentum acceſſurus ſit. „ Si occurrat, inquit, aliqua neceſſitas, vel ſpecialis utilitas, multùm juvabit, ut propter hujuſmodi paſſionem inculpabilem non ſit omittenda communio, vel ſacrificium, etiamſi interdum oporteat, cum minori actuali devotione, aut actuali aptitudine ad ſacramentum accedere: quia hæc, quæ involuntaria ſunt, ſæpè ſunt propter majus bonum permittenda.

Monet denique Suarez, per mentis perturbationem, ex nocturna pollutione inculpabili relictam, hominem nullatenùs à communione impediri debere, ſi prudenter judicet, pollutionem illam contigiſſe ex nequitia dæmonis. „ Maximè autem conferret, inquit, cauſam hujus paſſionis expendere; nam ſi ex dæmonis tentatione oriri intelligitur, multò magis eſt contemnenda: ſignum autem hujus inter alia eſſe poteſt, ſi eo præſertim die pollutio ſoleat accidere, quo habet homo propoſitum, vel conſuetudinem communicandi: intendit enim dæmon illum perturbare, & impedire; & ideò debet eum negligere, & prout potuerit, cum reverentia & devotione debita ad hoc tantum ſacramentum accedere. "

Quod confirmatur ex facto Patrum, relato à S. Thoma hic qu. 80. art. 7. in O.

Dices. Videri ſimiliter, nocturnam pollutionem, quæ culpabilis eſt tantùm venialiter, ab Euchariſtia eodem die ſumenda per ſe non impedire neque ex præcepto, neque ex conſilio; quod ex dictis pro nocturna pollutione omninò inculpabili facilè probabitur: per accidens tamen magis, quàm omninò inculpabilis, ex conſilio impedire poteſt ſumptionem Euchariſtiæ propter magnam mentis evagationem ex ea relictam, quia hæc mentis evagatio tunc aliquo modo voluntaria eſt & imputabilis; cùm è contra nullatenùs poſſit imputari, utporè prorſus involuntaria, quando ſequitur ex nocturna pollutione, quæ nequidem venialiter culpabilis fuit. Illi igitur, qui aliqua ſua veniali culpa nocturnam illuſionem paſſus fuerit, propter mentis evagationem ex ea relictam, ut ab Euchariſtia eo die ſumenda abſtineat, conſulendum erit faciliùs & ſæpiùs, quàm ei, qui nocturnam illuſionem paſſus fuerit nulla ſua culpa etiam veniali.

Dices. S. Thomas hic qu. 80. art. 7. in O. docet, nocturnam pollutionem, etiamſi omninò inculpabilis ſit, ab Euchariſtia eodem die ſumenda impedire, non quidem ex neceſſitate, ſic enim ſolum mortale peccatum impedit à ſumptione hujus ſacramenti, ut ipſe ait ad 1. ſed ex congruentia; ſic enim de omni pollutione nocturna, quæ non eſt conjuncta cum mortali loquens, ait: *Ex quadam vero congruentia impedit* (communionem) *quantùm ad duo, quorum unum ſemper accidit, ſcilicet, quadam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam ſacramenti non decet ad altare accedere .... Aliud autem eſt evagatio mentis, quæ ſequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit.*

Reſp. Congruentiam illam, de qua loquitur S. Doctor, juxta illum, nequidem ſub veniali obligare; cùm dicat illam negligi poſſe & debere, quando adeſt aliqua neceſſitas communicandi; ſic enim poſt verba laudata proſequitur: *Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem*. Nunquam autem licitè poſſet negligi congruentia illa, ſi obligaret, quamvis ſub veniali tantùm, quia nunquam licitum eſſe poteſt peccare venialiter.

Supereſt igitur, ut hic tantùm velit S. Doctor, nocturnam pollutionem, quæ non ſequitur ex culpa mortali, ab Euchariſtia eodem die ſumenda impedire ex conſilio, ita ut propter corporalem quandam fœditatem, quæ ſemper ex pollutione relinquitur, eodem illo die, quo pollutio contigit, à communione abſtinere conſultius ſit, niſi adſit aliqua neceſſitas, ſeu gravis cauſa communicandi; quod probabiliter à S. Doctore dicitur, præſertim de nocturna pollutione venialiter culpabili: tunc enim corporalis fœditas, pollutionem ſecuta, cùm aliquo modo ſit voluntaria, moralem quandam vituperabilitatem habet: ſed probabilius nobis videtur, quod ſupra tradidimus.

At inquies. Doctrinæ ſupra traditæ adverſatur Gregorius Magnus in reſponſione ad undecimam interrogationem Auguſtini. *Reſp*. Hoc eſſe falſum. Nam 1. dicit, nocturnam illuſionem omnimodò timendam non eſſe, ſi ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit, & ita loquendo, apertè ſignificat, nocturnam illuſionem, cùm inculpabilis eſt, nullo pacto per ſe impedire à ſumptione Euchariſtiæ.

2. Dicit, nocturnam illuſionem, ſecutam ex intemperantia venialiter tantùm mala, à ſumptione Euchariſtiæ non impedire, niſi dormientis mentem turpis imaginatio concuſſerit; & ita apertè ſignificat, nocturnam illuſionem, venialiter tantùm culpabilem, à ſumptione Euchariſtiæ non impedire ex conſilio, niſi per accidens propter magnam animi evagationem, ex turpi imaginatione, qua mens dormientis concuſſa fuit, relictam; quod nos quoque dicimus.

3. Addit, ſacerdoti, cui nocturna illuſio contigit ex intemperantia culpabili, quamvis venialiter tantùm conſultius fore, ſi eo die non celebret, ſed laicali communione contentus ſit, niſi adſit celebrandi neceſſitas, vel alia gravis cauſa; in quo aſſentimur S. Doctori. Verba autem ejus ſunt: *Cum verò ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum: non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii, vel Miſſarum ſolemnia celebrandi, cùm fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium, pro eo quod ſacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii, qui implere myſterium valeant, illuſio per crapulam facta, à perceptione ſacri myſterii prohibere non debet; ſed ab immolatione ſacri myſterii abſtineri, ut arbitror, humiliter debet, ſi tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concuſſerit.*

Quæres 2. Utrùm actus conjugalis ab Euchariſtia eodem die ſumenda impediat?

Reſpon-

Reſpondet S. Thomas hic q.80. art.7. ad 2. coitum conjugalem, ſi ſit ſine peccato, purà, ſi fiat cauſa prolis generandæ, vel cauſa reddendi debitum, non alia ratione impedire ſumptionem hujus ſacramenti, quàm ex quadam congruentia, propter immunditiam corporalem & mentis diſtractionem: ſi verò non amor procreandæ prolis, ſed voluptas dominatur in opere, tunc conjugem, qui ſic actum conjugalem exercuit, prohiberi debere, ne accedat ad hoc ſacramentum.

Congruentia autem illa, ex qua ait S. Doctor à ſumptione Euchariſtiæ conjuges impediri eo die, quo conjugalem coitum habuerunt, quamvis abſque peccato, nequidem ſub veniali obligat juxta S. Doctorem: nam recitatis his Hieronymi verbis: *Si panes propoſitionis ab his, qui uxores tetigerant, comedi non poterant; quantò magis ille panis, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò ante hæſere complexibus, violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus, ſed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare à carnalibus operibus debeamus*: ſic proſequitur: *Sed quia hoc ſecundum congruitatem, & non ſecundum neceſſitatem eſt intelligendum, Gregorius dicit, quod talis eſt ſuo judicio relinquendus.* At ſi is, qui conjugalem actum ſine peccato exercuit, ſuo judicio relinquitur, ut Euchariſtiam ſumat, vel ab ea ſumenda abſtineat, quia tunc ex congruitate tantùm impeditur, certè non hoc ipſo ſub veniali à ſumenda Euchariſtia tenetur abſtinere, quòd impeditur ex congruitate, ſed ea non obſtante, per ſe loquendo, poteſt abſque omni culpa communicare.

Suarez hìc diſp. 68. ſect.a. reſpondet, „ hoc (nem-
„ pe ut à communione abſtineant eo die, quo con-
„ jugalem copulam habuerunt) regulariter quidem
„ eſſe conſulendum conjugibus, tamen (quòd eo-
„ dem die communicent) intrinſecè non continere
„ venialem culpam, nec ſemper eſſe damnandum.
„ Et imprimis, quando alter conjugum operatur hunc
„ actum, non petendo, ſed reddendo debitum, ex
„ ſe multò minùs (conjugem illum à communio-
„ ne) impedire, quia tunc copula (ex parte illius
„ conjugis) non tam ex voluntate, quàm ex obliga-
„ tione juſtitiæ proceſſit: unde (ex parte illius con-
„ jugis) non ſolùm peccatum non fuit, ſed etiam ſi-
„ ne peccato non potuit excuſari. Deinde ſi (copu-
„ la) non ſit ex voluptate, ſed ex pura intentione
„ prolis, minùs etiam de ſe (à communione) im-
„ pedit: quia nullam cauſam continet, & interdùm
„ pro ratione ſtatus & circumſtantiarum, poteſt eſſe
„ non ſolùm honeſta, ſed etiam expediens.

Hanc deciſionis ſuæ partem probat Suarez auctoritate Gregorii Magni in reſponſione ad 10. interrogationem Auguſtini Anglorum Epiſcopi, ubi ait, virum, qui uxorem ſuam cognovit ex pura intentione prolis, judicio ſuo relinquendum, ut pro ratione impedimenti, aut ſpiritualis affectus, quem in ſe ſenſerit, vel communicet, vel à communione abſtineat.

Verba S. Doctoris ſunt: *Oportet itaque legitima carnis copula ut cauſa prolis ſit, non voluptatis; & carnis commixtio creandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio vitiorum. Si quis ergo ſua conjuge, non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo creandorum liberorum gratia utitur, iſte profectò de ingreſſu Eccleſiæ, ſeu de ſumendo Corporis dominici Sanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere.*

Pergit Suarez, & ſic ait: „ At verò quando copu-
„ la eſt omninò voluntaria, & ex nimia concupiſcen-
„ tia carnis, & voluptate; conſulendum eſt, ut eo
„ die quis abſtineat à communione; & regulariter erit
„ peccatum veniale ſic communicare: quia illud eſt
„ ſignum animi parùm diſpoſiti ad res divinas tra-
„ ctandas, & alioquin ex hujuſmodi actu, præſertim
„ quando procedit ex hoc affectu (voluptatis) regu-
„ lariter oritur magna diſtractio, ſeu hebetudo men-
„ tis ad res ſpirituales.

Huic doctrinæ planè conſonat Gregorius Magnus loco proximè citato, ubi poſt verba laudata ſic proſequitur: *Cum verò non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de ſua commixtione quod defleant .... Vigilanti ergo mente penſandum eſt, quòd in Sina Monte Dominus ad populum locuturus, prius eundem populum abſtinere à mulieribus præcepit. Et ſi illic, ubi Dominus per creaturam ſubditam hominibus loquebatur, tanta proviſione eſt munditia corporis requiſita, ut qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non eſſent: quantò magis, qui corpus Domini omnipotentis accipiunt, cuſtodire in ſe munditiam carnis debent, ne ipſi inæſtimabilis myſterii magnitudine prægraventur?* His præmiſſis,

Ad quæſtionem propoſitam *R. breviter*, 1. Si copula conjugalis fiat voluptatis cauſa, ab Euchariſtia eodem die ſumenda non quidem ex neceſſitate, ſed ex conſilio per ſe impedit, quia & culpabilis eſt, & per ſe magnam relinquit mentis diſtractionem, ac hebetudinem ad res ſpirituales, & magnum indicium eſt animi ad ſacramentum devotè ac reverenter ſuſcipiendum parùm diſpoſiti.

2. Si copula conjugalis fiat ex pura intentione reddendi debitum conjugi illud exigenti, conjugem, à quo ſic fit, nequidem ex conſilio per ſe impedit ab Euchariſtia eodem die ſumenda; cùm ſit actus honeſtus, utpote ex puro affectu juſtitiæ exercitus, nec per ſe cauſet mentis ad res ſpirituales hebetudinem. Idem dic, ſi copula conjugalis fiat ex pura intentione prolis: nam ſi hoc modo fiat, non ſolùm eſt inculpabilis, ſed etiam honeſta, & aliquando expediens, ut Suarez obſervat, nec magis per ſe mentis ad res ſpirituales hebetudinem affert.

3. Copula conjugalis, etiamſi fiat ex puro affectu juſtitiæ, vel ex pura intentione prolis, ab Euchariſtia eodem die ſumenda per accidens impedit ex conſilio, quoties eam notabilis diſtractio mentis ſequitur; & quia hoc regulariter contingit, regulariter, ut ſapienter monet Suarez, conjugibus conſulendum eſt, ut à communione abſtineant eo die, quo conjugalem copulam habuerunt.

Quæres 3. Utrùm conſcientia peccati venialis habitualis impediat gratiæ ſanctificantis infuſionem in ſumptione Euchariſtiæ, atque ita illicitum ſit ad hoc ſacramentum accedere cum conſcientia peccati venialis habitualis?

R. Neg. cum S. Thoma hìc q. 79. art.8. in O. ubi ait: *Peccata venialia dupliciter accipi poſſunt, uno modo prout ſunt præterita: alio modo, prout ſunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus ſacramenti. Poteſt enim contingere, quòd aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa, devotè accedat ad hoc ſacramentum, & plenariè hujus ſacramenti conſequatur effectum.* Ratio eſt, quia peccatum veniale habituale non habet repugnantiam cum gratia habituali, adeòque nec cum augmento gratiæ habitualis, ſive in ſumptione Euchariſtiæ, ſive extra illam. Ergo peccatum veniale habituale nec impedit nec impedire poteſt gratiæ ſanctificantis infuſionem in ſumptione Euchariſtiæ. Præterea, illud non poteſt impedire effectum Euchariſtiæ, ad quod tollendum Euchariſtia inſtituta eſt. Atqui Euchariſtia inſtituta fuit ad tollenda venialia habitualia, ut docet Tridentinum, ſeſſ. 13. cap.7. Ergo, &c.

Quæres 4. Utrùm ſaltem peccatum veniale actuale impediat infuſionem gratiæ ſanctificantis in ſumptione Euchariſtiæ?

R. Neg. cum S. Thoma loco proximè citato, ubi poſt verba laudata ſic proſequitur: *Peccata venialia non ex toto impediunt hujus ſacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim* (articulo primo & ſecundo quæſtionis) *quòd effectus hujus ſacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc ſacramentum per peccata venialia mente diſtractus;*

non

Digitized by Google

non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis. Ratio eſt, quia peccatum veniale, etiam actu exercitum, non habet repugnantiam cum habituali gratia, adeòque nec cum augmento illius, ſive in ſumptione Euchariſtiæ, ſive extra illam. Ergo peccatum veniale, etiam actu exercitum in ſumptione Euchariſtiæ, nec impedit nec impedire poteſt augmentum gratiæ ſanctificantis, quamvis augmentum illud tunc minus ſit propter minorem diſpoſitionem ſubjecti; quia ſacramenta majorem vel minorem gratiam conferunt, prout ſubjectum à quo ſuſcipiuntur, magis vel minùs diſpoſitum eſt.

Quæres 5. Utrùm accedere ad ſacramentum Euchariſtiæ cum peccato veniali actuali, ſit novum peccatum veniale?

Ad ſolutionem, *Nota*. Peccata venialia, quæ cum actu communicandi conjugi poſſunt, ſunt duplicis generis. Primi generis ſunt ea, quæ adverſantur reverentiæ debitæ ſacramento, & ſub veniali neceſſariæ, hoc eſt, devotioni, quam communio ex natura ſua exigit, & hæc ſunt in duplici differentia: nam alia primariò directèque adverſantur, ut voluntaria mentis evagatio, & levis negligentia excitandi ſe ad actus convenientes ſuſceptioni tanti ſacramenti, ſine quibus actibus phyſicè, vel moraliter præſentibus voluntariè communicare, indecens eſt: alia verò adverſantur indirectè tantùm & ſecundariò, quæ ſcilicet non habent ſpecialem oppoſitionem cum reverentia ſacramento debita, ſed animum ita occupant, ut non poſſit liberè vacare attentioni & devotioni, ad decentem ſacramenti ſuſceptionem neceſſariæ: tales ſunt affectus quidam leves iræ, triſtitiæ, &c.

Peccata venialia ſecundi generis ſunt ea, quæ nullam ſpecialem oppoſitionem, neque directam, neque indirectam habent cum devotione ad decentem ſacramenti ſumptionem neceſſaria & ſufficienti, quales ſunt leves quidam affectus ad jocum, ludum, &c. qui nihil aut parum impedimenti, facilèque ſuperabilis afferunt ad ſufficientem attentionem, & debitam diſpoſitionem, quæ ex natura rei ſub pœna peccati, etiam venialis tantùm, non requiritur ſumma & perfectiſſima, ſed ſolùm humanæ fragilitati & communi hominum conditioni proportionata. His præſuppoſitis,

R. 1. Accedere ad ſacramentum Euchariſtiæ cum peccato veniali primi generis, eſt novum & peculiare peccatum veniale.

Prob. Nam præter immunitatem à peccato mortali, ad quam ſub gravi tenemur, tenemur etiam ſub veniali adhibere ad communionem attentionem & devotionem, quàm actus ille ex natura ſua poſtulat, & ſine qua fit indecenter. Sed peccata illa primi generis, vel conſiſtunt in voluntaria carentia attentionis & devotionis debitæ, vel voluntariè impediunt, ne poſſit haberi. Ergo ex præcepto communicandi decenter tenemur peccata illa vitare: nam præceptum obligans ad communicandum attentè & devotè, conſequenter obligat ad vitandam diſtractionem & indevotionem, & voluntariam cauſam illius; adeòque qui cum aliquo hujuſmodi peccato communicat, facit contra præceptum communicandi, & ſic novi ac peculiaris peccati reus eſt.

R. 2. Accedere ad ſacramentum Euchariſtiæ cum peccato veniali ſecundi generis, non eſt novum peccatum veniale.

Prob. Nam peccatum hujuſmodi non impedit attentionem & devotionem, ad quam præceptum decenter communicandi obligat. Ergo, &c. *Prob. ant.* Hoc enim præceptum ad hoc ut decenter communicemus, non exigit ſummam puritatem, & ſanctitatem, nec exquiſitiſſimam diligentiam, & diſpoſitionem perfectiſſimam, alioquin ſoli homines ſanctiſſimi communicare poſſent licitè, & communio licita, moraliter impoſſibilis eſſet maximæ parti Chriſtianorum: hoc autem eſt omninò improbabile, cum ſacramentum Euchariſtiæ in gratiam hominum, & in communem hominum uſum à Chriſto inſtitutum fuerit. Dicendum igitur eſt præceptum, ad decenter communicandum obligans, exigere tantùm eam puritatem & ſanctitatem, quæ communi hominum conditioni, & humanæ fragilitati accommodata eſt, quæque proinde cum peccatis quidem venialibus primi generis, at non cum venialibus ſecundi generis incompoſſibilis eſt.

Quæres 6. Utrùm is, qui cum conſcientia peccati mortalis ad ſacramentum Euchariſtiæ accedit, mortaliter peccet, & quo peccato?

R. 1. Qui accedit ad Euchariſtiam cum peccati mortalis conſcientia, peccat mortaliter.

Prob. 1. ex Apoſtolo 1. Cor. cap. 11. ubi ait: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat,* quibus verbis Apoſtolus ſignificat, neminem cum mortalis peccati conſcientia ad ſacram Euchariſtiam accedere debere, & ſic accedendo manducare & bibere indignè, adeòque ſibi judicium manducare & bibere, & corporis & ſanguinis Domini reum eſſe. *Prob.* 2. ratione: quia qui cum peccati mortalis conſcientia ad Euchariſtiam accedit, accedit cum magna irreverentia, adeòque magnam facit injuriam Chriſto.

Confirmatur ex S. Thoma hic qu. 80. art. 4. in O. ubi ait: *Quicumque hoc ſacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto unitum, & membris ejus incorporatum; quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifeſtum eſt, quod quicumque cum peccato mortali hoc ſacramentum ſumit, falſitatem in hoc ſacramento committit: & ideo incurrit ſacrilegium, tanquam ſacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.*

R. 2. Qui accedit ad Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis, peccat peccato ſacrilegii contra virtutem religionis, quod per ſe tantò graviùs eſt, quantò quis cum graviori vel pluribus mortalibus accedit.

Prob. 1. pars. Nam 1. qui violat rem ſacram, peccat peccato ſacrilegii. Sed qui accedit ad Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis, violat hoc ſacramentum, ut dicit S. Thomas loco proximè citato. Ergo, &c. 2. Sicut reverentia, quæ exhibetur huic ſacramento, pertinet ad virtutem religionis, ita irreverentia, quæ contra illud admittitur, pertinet ad ſacrilegium, quod virtuti religionis contrariatur.

Prob. 2. pars. Nam quo quis cum graviori vel pluribus mortalibus accedit ad hoc ſacramentum, eò indigniùs accedit ad illud; & quò indigniùs ad illud accedit, eò majorem illi injuriam facit; & quo majorem illi facit injuriam, eò gravius admittit ſacrilegium. Ergo, &c. Dixi autem, per ſe: quia fieri per accidens poteſt, ut qui cum minoribus, vel paucioribus mortalibus accedit, graviùs peccet propter ſcandalum, vel aliam circumſtantiam.

Petes, Utrùm ſacrilegium, quod quis admittit, ſumendo Euchariſtiam cum conſcientia peccati mortalis, ſit maximum eorum omnium, quæ opponuntur religioni?

R. Cum S. Thoma hic q. 80. art. 5. in O. non eſſe maximum, ſed conſtituendum eſſe in tertio ordine ſeu gradu ſacrilegiorum. Pro quo *nota*. Plures ſunt ordines, ſeu gradus ſacrilegiorum. In primo ſunt ea peccata, quæ committuntur contra divinitatem, ut blaſphemia & perjurium: cùm enim divinitas cæteris rebus omnibus excellentior ſit, gravior eſt injuria, quæ illi infertur.

In ſecundo ordine ſunt ea peccata, quæ commiſſa fuerunt contra humanitatem Chriſti in propria ſpecie exiſtentem, quale fuit peccatum Judæ Chriſtum oſculantis animo ipſum prodendi Judæis; quale etiam fuit peccatum Judæorum Chriſtum occidentium.

In tertio gradu ſunt ea peccata, quæ committuntur contra humanitatem Chriſti exiſtentem ſub ſpecie aliena, puta ſub ſpecie panis: nam ſicut gravius peccatum eſt, irreverenter ſe gerere erga Chriſtum in propria ſpecie exiſtentem, quàm erga Chriſtum exiſten-

tem

rem in ſpecie aliena; ita gravius peccatum eſt, irreverenter ſe gerere erga Chriſtum exiſtentem in ſpecie aliena, adeòque irreverenter ſe gerere erga ſacramentum Euchariſtiæ, quam erga alia ſacramenta, quamvis à Chriſto inſtituta.

In hoc autem tertio gradu varia ſacrilegia, alia aliis graviora, committi poſſunt. Sic qui Euchariſtiam aut objiceret canibus manducandam, aut in lutum conculcandam projiceret, longè graviùs peccaret, quàm peccet ille, qui cum conſcientia mortalis peccati ad hoc ſacramentum accedit, ut obſervat *S.* Thomas ad 3. quia multò major eſſet irreverentia.

Petes iterùm, Utrùm ſacrilegium, quod admittit is, qui ad Euchariſtiam accedit cum peccati mortalis conſcientia, ſit minùs grave, quàm ea, quæ admittuntur contra virtutes theologicas; & gravius, quàm ea, quæ admittuntur contra alias virtutes morales.

R. Sacrilegium illud ex genere ſuo minus eſſe peccatis, quæ committuntur contra virtutes theologicas, & majus peccatis quæ committuntur contra morales alias virtutes. Ratio eſt, quia omne peccatum eò majus, vel minùs ex genere ſuo cenſetur, quò majori vel minori virtuti opponitur, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 73. art. 4. in O. Atqui virtus religionis virtutibus theologicis inferior eſt, & ſuperior aliis omnibus virtutibus moralibus. Ergo ſacrilegium illud ex genere ſuo, &c. Dico, ex genere ſuo: nam dubitare quis poſſet, num etiam ex ſua ſpecie gravius ſit v.g. homicidio, quod quidem eſt tantùm contra juſtitiam, quæ inferior eſt virtute religionis, ſed graviſſimum & irreparabile damnum infert proximo.

Petes denique, Utrùm hæreticus negans realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, graviùs peccet ſumendo Euchariſtiam, quàm fidelis peccator?

R. Affirmativè cum S. Thoma hic qu.80. art.5. ad 2. & ratio eſt ex S. Doctore, quia fidelis, qui cum peccati mortalis conſcientia ſumit Euchariſtiam, contemnit, interpretativè ſcilicet, hoc ſacramentum, non in ſe ipſo, ſed quantùm ad uſum tantùm, indignè ſcilicet accipiendo: at hæreticus negans realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, quantùm in ſe eſt, diminuit ſanctitatem hujus ſacramenti, & virtutem Chriſti operantis in hoc ſacramento, quod eſt contemnere ipſum ſacramentum in ſe ipſo.

At inquies. Quid ſi hæreticus non circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ſed circa alium articulum erret? *R.* illum adhuc graviùs peccare, cæteris paribus. Ratio eſt, quia propter ſuam hæreſim indignior eſt fideli. Ita ſentit S. Thomas loco proximè citato, ubi ait: *Peccatum infidelitatis, quod funditùs ſeparat hominem ab Eccleſiæ unitate, ſimpliciter loquendo maximè hominem ineptum reddit ad ſuſceptionem hujus ſacramenti, quod eſt ſacramentum eccleſiaſticæ unitatis. Unde & graviùs peccat infidelis accipiens hoc ſacramentum* (quamvis circa illud non erret) *quàm fidelis peccator*; quod intelligendum eſt cum hac exceptione, niſi fidelis accedat cum aliquo peccato, quod ſit gravius hæreſi, quale eſt odium Dei, & deſperatio.

ARTICULUS V.

Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ plus gratiæ conferat ſub utraque ſpecie, quàm ſub una tantùm.

RESPONSIO.

SAcramentum Euchariſtiæ tantum confert gratiæ ſub una ſpecie, quantum ſub utraque.

Ita ſentire videtur S. Thomas hic qu.80. art. 12. ad 3. ubi ait: *Poteſt autem à populo corpus ſine ſanguine ſumi. Nec exinde ſequitur aliquod detrimentum: quia ſacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit, & ſub utraque ſpecie totus Chriſtus continetur.* Ex quibus verbis ſatis communiter fit argumentum hoc: Totus Chriſtus, qui omnium gratiarum fons eſt, non minùs ſub una ſpecie, quàm ſub utraque continetur. Ergo non minùs operatur ſub una ſpecie, quàm ſub utraque. Sed hæc ratio non videtur efficax, quia Chriſtus in Euchariſtia non operatur niſi per modum ſacramenti, adeòque in tantum operatur ſub unaquaque ſpecie, in quantum ſub unaquaque ſignificat: quare ſi plus gratiæ ſignificat ſub utraque ſpecie, quàm ſub unica, plus gratiæ ſub utraque ſpecie, quàm ſub unica confert, ſive, quod idem eſt, ſi gratiam ſacramentalem ſub ſpecie panis ſignificat diverſam ab ea, quam ſignificat ſub ſpecie vini, manifeſtum eſt, illum ſub una tantùm ſpecie unam tantùm gratiam ſacramentalem, ſub utraque verò duplicem operari, & ſic illum ſub utraque ſpecie duplò majorem gratiam conferre.

Aliter igitur probanda eſt aſſertio noſtra, & ſic probatur: quia Chriſtus in Euchariſtia tantùm operatur ſub unaquaque ſpecie, quantum ſub unaquaque ſignificat. Atqui ſub unaquaque ſpecie ſeorſim ab alia tantum ſignificat, quantum ſub utraque. Ergo ſub unaquaque ſpecie ſeorſim ab alia tantum, quantum ſub utraque operatur; proindeque tantum confert gratiæ ſub una ſpecie ſeorſim ab alia, quantum ſub utraque ſimul. Tota difficultas eſt in minore, & probatur. Nam Chriſtus ſub unaquaque ſpecie ſeorſim ab alia, ut aliàs, probatum eſt, ſignificat integram refectionem ſpiritualem. Ergo nec aliud, nec plus ſub utraque ſpecie ſimul ſignificat, quàm ſub unaquaque ſeorſim ab alia; ſed unam & eandem gratiam nutrimentalem tam ſub unaquaque ſpecie ſeorſim ab alia, quàm ſub utraque ſimul ſignificat.

Confirmant aliqui ſic: Quia ſi una ſpecies ſeorſim ab alia non efficeret integram refectionem ſpiritualem, ſive, quod idem eſt, ſi plus gratiæ ſpiritualiter reficientis per utramque ſpeciem ſimul conferretur, quàm per unam tantùm; nunquam laicis communionem ſub utraque ſpecie prohibuiſſet Eccleſia: id enim prohibendo, gravem illis injuriam feciſſet, quia privaſſet illos ea parte gratiæ, quam accepiſſent communicando ſub utraque ſpecie, illoſque impediviſſet, ne integram acciperent refectionem ſpiritualem, ad quam jus habent ex inſtitutione Chriſti. At nulla fit laicis injuria, modò per alterius ſpeciei detractionem non defraudentur aliqua gratia ad ſalutem neceſſaria, ut ex Trid. intelligitur.

Solet pro ſententia noſtra afferri Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 3. ubi ait, *fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi: ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt.* At cùm Synodus non dicat abſolutè, nulla gratia, ſed, quod aliud eſt, nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudari eos, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt, videtur præſentem controverſiam noluiſſe dirimere, ſed ſcholaſticis Doctoribus agitandam relinquere voluiſſe.

*Obj.*2. Una ſpecies ab altera non dependet in operando. Ergo unaquæque per ſe effectum ſuum confert, ſive ſeorſim, ſive ſimul accipiantur. Ergo ambas ſumenti plus gratiæ confertur, quàm ſumenti unam tantùm. *R.* unam ſpeciem in operando non dependere ab alia eo ſenſu, quòd unaquæque, ſicut ſine alia ſignificare poteſt, ita ſine alia operari poteſt integram refectionem ſpiritualem: unde unaquæque, etiamſi ſola & ſine alia accipiatur, ſicut ſignificat, ita & operatur integram refectionem ſpiritualem. At cùm ambæ ſimul accipiuntur, mutuam habent inter ſe in operando dependentiam, nec una unam, & altera alteram confert partem effectus ſine concurſu concauſæ; ſed quia tunc accipiuntur per modum unius convivii, ſicut ſimul ac indiviſibiliter ſignificant, ita ſimul ac indiviſibiliter operantur unum & eundem effectum integræ refectionis ſpiritualis.

*Obj.*2. Vi verborum, ſola caro eſt ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis ſub ſpecie vini. Ergo vi verborum duæ ſpecies ſimul plus continent quàm una. Ergo vi verborum, duæ ſpecies ſimul plus operantur

quàm

quàm una. *R.* neg. 2. conſeq. Nam vis operandi, quam habet Euchariſtia, non pendet immediatè à vi verborum, ſed ab ejus ſignificatione: unde cùm duæ ſpecies ſimul non plus ſignificent, quàm una, quantùmvis plus contineant vi verborum; quantùmvis vi verborum plus contineant, non plus operantur.

Obj. 3. Ambæ ſpecies ſimul ſumptæ perfectiorem effectum ſignificant: nam ſimul ſumptæ ſignificant perfectam refectionem, quam non ſignificat una ſpecies ſola: ambæ enim ſpecies ſimul ſumptæ, ſunt integrum convivium ſpirituale, quod non eſt una ſpecies ſola: nam ſpecies panis ſola eſt, tantùm cibus ſpiritualis, & ſpecies vini ſola eſt tantùm potus ſpiritualis. Cibus autem & potus, ſi ſeorſim ſumantur, non ſunt integrum convivium, ſed tantùm pars illius. Ergo ambæ ſpecies ſimul ſumptæ perfectiorem effectum operantur.

R. neg. ant. *Ad prob. R.* unam ſpeciem ſolam tam ſignificare perfectam refectionem, quàm ambæ ſpecies ſimul ſumptæ ſignificant, & Chriſtum ſub una ſpecie ſola tam eſſe integrum convivium ſpirituale, quàm ſub ambabus ſpeciebus ſimul ſumptis, quamvis ſub una ſpecie ſola ſe habeat ſolùm per modum cibi, aut per modum potus; ſub ambabus verò ſpeciebus ſimul ſumptis, per modum cibi & potus ſimul, *Nota.* Fames & ſitis ſpiritualis ſunt unum & idem, ut aliàs oſtendimus ex S. Auguſtino: unde quod explet famem ſpiritualem, ſitim ſpiritualem extinguit; & viciſſim quod extinguit ſitim ſpiritualem, famem ſpiritualem explet. Cibus igitur ſpiritualis explendo famem ſpiritualem, ſitim ſpiritualem extinguit; & viciſſim potus ſpiritualis extinguendo ſitim ſpiritualem, famem ſpiritualem explet. Cibus igitur ſpiritualis ſeorſim à potu ſpirituali, & viciſſim potus ſpiritualis ſeorſim à cibo ſpirituali, eſt integrum convivium ſpirituale.

Chriſtus igitur non ſolùm ſub ambabus ſpeciebus ſimul ſumptis, ſed etiam ſub unaquaque, ſeorſim ſumpta ab alia, eſt integrum convivium ſpirituale, adeòque non ſolùm ſub ambabus ſpeciebus ſimul ſumptis, ſed etiam ſub unaquaque, ſeorſim ſumpta ab alia, ſignificat perfectam refectionem ſpiritualem: cum hoc tamen diſcrimine, quòd ſub ambabus ſpeciebus ſimul ſumptis perfectiùs ſignificet refectionem ſpiritualem integram, quàm ſub unaquaque ſpecie, ſeorſim ſumpta ab alia.

Dices. Ex conceſſis ambæ ſpecies ſimul ſumptæ diſtinctiùs & perfectiùs ſignificant, quàm unaquæque ſeorſim ſumpta. Ergo ambæ ſpecies ſimul ſumptæ diverſam habent ſignificationem ab ea, quam habet unaquæque ſpecies ſeorſim ſumpta. Ergo diverſam & majorem vim operandi habent. *Reſp.* ambarum ſpecierum ſimul ſumptarum ſignificationem, ab ea, quam habet unaquæque ſpecies ſeorſim ſumpta, diverſam eſſe quoad modum ſignificandi; cùm perfectiùs ac diſtinctiùs ſignificent, non verò ex parte rei ſignificatæ, cùm eamdem ſpiritualem refectionem ſignificent: unde non habent diverſam ac majorem operandi vim; quia vis operandi, quam habet ſacramentum quodlibet, non reſpondet ſignificationi ex parte modi ſignificandi, ſed ex parte rei ſignificatæ tantùm: nam ſacramenta novæ legis id efficiunt quod ſignificant, non quo modo ſignificant, ut patet in baptiſmo, qui eumdem effectum confert, ſive per unicam immerſionem, ſive per trinam detur.

Obj. 4. Per ambas ſpecies, ſi ſimul accipiantur, duplex confertur gratia. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ſi per ambas ſpecies ſimul acceptas una tantùm gratia conferretur, vel illa tota conferretur in ſumptione ſpeciei panis, vel tota in ſumptione ſpeciei vini, vel partim in ſumptione ſpeciei unius, & partim in ſumptione alterius. Atqui nihil horum dici poteſt. Non primum, aut ſecundum; nam ſi tota in ſumptione unius ſpeciei conferretur, ſpecies altera nihil efficeret: non tertium, alioquin laici, qui ſub una tantùm ſpecie communicant, fraudarentur una parte effectus ſacramenti, quod nos nolumus.

Reſp. neg. ant. objectionis. *Ad prob. Reſp.* quando quis ſub utraque ſpecie communicat, ut ſacerdos celebrans, tunc totam gratiam ſanctificantem, quæ ex opere operato ſacramenti confertur, conferri, ſi communicans ſit diſpoſitus, in ſumptione hoſtiæ, cùm nulla ſit cauſa dilationis: ita ut tamen non vi ſolius hoſtiæ, ſed vi utriuſque ſpeciei ſimul conferatur. Nec dic ſpeciem calicis operari non poſſe antequam accipiatur: nam tunc non poteſt quidem operari phyſicè, quod non requiritur, ſed poteſt operari moraliter, quod ſufficit; imò ambæ ſpecies non phyſicè, ſed moraliter tantùm operantur, determinando Deum ad infundendam gratiam non ponenti obicem. Quando igitur quis communicat ſub utraque ſpecie, eo inſtanti quo hoſtia ſtomachum ingreditur, Deus gratiam ſanctificantem infundit intuitu utriuſque ſpeciei: unde ſpecies calicis, cum ſumitur, nihil de novo efficit, quia bis effectum ſuum conferre non poteſt.

R. 2. Cum Bellarmino lib. 4. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 23. dici poſſe, in caſu communionis ſub utraque ſpecie, Euchariſtiam ſub ſpecie panis gratiam non conferre, niſi tota ſumptio Euchariſtiæ abſoluta ſit; tunc autem non cenſetur abſoluta ſumptio, niſi cùm utraque ſpecies ſumpta eſt: unde tunc Euchariſtia ſub ſpecie panis non confert gratiam, niſi cùm ſumpta eſt altera ſpecies, quacum poſt ejus ſumptionem re ipſa confert gratiam eandem, quam contuliſſet ſola, ſi ſola ſumpta fuiſſet.

At inquies. Quid ſi ſacerdos celebrans, ſumpta ſpecie panis, moreretur ante ſumptionem alterius ſpeciei? *R.* Sacerdos ille à Deo, mortem ejus proximè futuram præſciente, ſtatim poſt hoſtiæ ſumptionem acciperet eandem gratiam, quam, ſumpta utraque ſpecie, accepiſſet, ſi diutiùs vixiſſet, & quam, juxta ſecundam reſponſionem, nonniſi ſumpta utraque ſpecie accepturus erat, ſi diutiùs victurus fuiſſet.

Igitur in caſu communionis ſub utraque ſpecie, vel poſt unius, vel nonniſi poſt utriuſque ſpeciei ſumptionem gratia infunditur; potuit enim Chriſtus indifferenter alterutrum velle: utrùm autem voluerit, certò definire non poſſumus. Si primum voluit, ſpecies calicis, antequam ſumatur; ſi verò ſecundum, ſpecies panis, poſtquam ſumpta eſt, moraliter concurrit ad infuſionem gratiæ; & ita ſive ante, ſive tantùm poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei infundatur gratia, perinde gratia effectus eſt utriuſque ſpeciei, & perinde Deus ad infundendam gratiam moraliter determinatur per utramque ſpeciem.

Dices. Si per ambas ſpecies ea tantùm confertur gratia, quæ perinde conferretur per unam ſolam, fruſtra aut ſaltem inutiliter ſumitur utraque ſpecies à ſacerdote celebrante. *R.* cum Bellarmino cap. proximè citato, hoc eſſe falſum: „ Nam, ut ait hic Auctor, non eſt inutile id, quod facit aliquid, licèt etiam ſine eo id fieri potuiſſet; quod probat ex miraculis Chriſti. Dominus, inquit, aliquando ſola voluntate operabatur miracula, ut cùm aquam in vinum convertit; aliquando voluntate, verbo, & contactu, ut cùm excitavit puellam mortuam; aliquando voluntate, verbo, contactu, & alio inſtrumento, ut ſputo, ut cùm cæcum illuminavit. In his omnibus nihil erat inutile & ſuperfluum, quia omnia operabantur, & tamen non erant omnia neceſſaria, neque majorem effectum producebant omnia ſimul, quàm unum, aut duo tantùm: non enim meliùs revixit puella, quàm Lazarus, etiamſi illam & voce appellavit, & manu apprehendit, Lazarum autem ſolùm vocavit. „

Addit ibidem Bellarminus, ſacerdotes utramque ſpeciem non inutiliter ſumere, non ſolùm quia utraque ſpecies operatur, ſed etiam quia utriuſque ſpeciei ſumptio, licèt non ſit neceſſaria ex parte ſumentis, eſt tamen neceſſaria ex parte ſacramenti. „ Nam, inquit, quia ſacramentum ſub duplici ſpecie inſtitutum eſt, utraque ſpecies neceſſariò ab aliquibus ſumenda eſt: ſed non neceſſariò ab omnibus. Sed maximè omnium neceſſaria eſt utriuſque ſpeciei ſumptio ob ſacrificii perfectionem. „

Obj. 5.

Obj. 5. Euchariſtia ſub ſpecie vini conferendæ gratiæ inſtrumentum eſt diſtinctum ab Euchariſtia ſub ſpecie panis. Ergo diverſam ac diſtinctam gratiam operatur; adeòque quando Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſumitur, ſpecies vini diverſam ac diſtinctam gratiam ſuperaddit gratiæ, quam confert ſpecies panis, & ſic plus gratiæ confertur ſub utraque ſpecie, quàm ſub una ſola. *R.* Euchariſtiam ſub ſpecie vini gratiæ conferendæ inſtrumentum eſſe materialiter, non formaliter diſtinctum ab Euchariſtia ſub ſpecie panis. Unde nego conſequentiam.

Itaque Euchariſtia ſub ſpecie vini inſtrumentum eſt conferendæ gratiæ, materialiter diſtinctum ab Euchariſtia ſub ſpecie panis, quia in Euchariſtia ſub ſpecie panis inſtrumentum conferendæ gratiæ eſt ſolùm corpus Chriſti, non autem ſanguis, vel anima ejus; & in Euchariſtia ſub ſpecie vini inſtrumentum conferendæ gratiæ eſt ſolus ſangnis Chriſti, non autem corpus, vel anima ipſius, Sed corpus Chriſti & ſanguis ejus ſunt res diſtinctæ, ac diverſæ, Ergo, &c. At corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis ejus ſub ſpecie vini non ſunt duo inſtrumenta conferendæ gratiæ formaliter diſtincta & diverſa: inſtrumenta enim formaliter differunt per diverſam virtutem operandi. At corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis ejus ſub ſpecie vini non habent diverſam virtutem operandi, ſed una & eadem in illis eſt, ſicut eadem erat in verbis Chriſti, & in contactu, vel etiam in luto, & ſputo, quando cæços illnminabat.

Sicut igitur idem planè effectus ſequebatur ex Chriſti verbis ſolis, & ea verbis, ac conctatu, & ex verbis, contactu & luto; ita idem effectus gratiæ, ſequitur ea ſumptione ſolius corporis Chriſti ſub ſpecie panis, vel ex ſumptionem ſolius ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini, qui ea ſumptione corporis Chriſti ſub ſpecie panis, ſimul & ex ſumptione ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini. Falſum igitur eſt, quòd Euchariſtia ſub ſpecie vini gratiam operetur diſtinctam & diverſam ab ea gratia, quam operatur ſub ſpecie panis.

Obi. 6. Alius eſt effectus cibi materialis, & alius effectus materialis potus. Atqui Euchariſtia ſub ſpecie panis eſt cibus ſpiritualis, & ſub ſpecie vini eſt ſpiritualis potus. Ergo alius eſt effectus Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, & alius Euchariſtiæ ſub ſpecie vini. *R.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia fames & ſitis corporalis ſunt diverſæ corporis affectiones; unde aliud eſt explere famem corporalem, & aliud ſitim corporalem extinguere, & ita alius eſt effectus cibi materialis, & alius effectus materialis potus. At in ſpiritualibus, ut jam dictum eſt, fames & ſitis ſunt una & eadem animæ affectio, unde in ſpiritualibus explere famem, & ſitim extinguere, ſunt unum & idem, atque ita cibi ſpiritualis & ſpiritualis potus unus & idem eſt effectus.

Obj. 7. Patres ſanguini Chriſti, qui ex calice ſumitur peculiarem effectum attribuunt: nam ſic loquitur Ambroſius lib. 5. de ſacramentis cap. 3. *Quotieſcumque bibis, remiſſionem accipis peccatorum, & inebriaris in ſpiritu.* Et Cyprianus epiſt. 17. ad Cornelium; *Quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* Ergo ſecundùm Patres, ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini habet effectum aliquem, quem non habet corpus Chriſti ſub ſpecie panis.

R. Neg. conſeq. Nam effectum illum peculiarem, quem ſanguini Chriſti ſub ſpecie vini attribuunt Patres, non negant convenire corpori Chriſti ſub ſpecie panis, imò verò convenire aſſerunt: nam Ambroſius ſic ait lib. 4. de ſacr. cap. 5. *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum, & non morietur in æternum.* Et Cyprianus in eadem epiſtola: *Nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes &, nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis muniamus, ut cùm ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus.*

Obj. 8. Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ concedens illi communionem ſub utraque ſpecie, dicit ſe ei concedere ad majus augmentum gratiæ. *R.* vel Clemens hic ut Doctor privatus, ſequitur ſententiam noſtræ oppoſitam, quam multi Doctores ſequuntur, & quæ non caret probabilitate etiam intrinſeca; vel potiùs loquitur de augmento gratiæ obtinendo ex opere operantis, propter majorem devotionem, quacum ſupponit Regem communicaturum eſſe ſub utraque ſpecie; cùm minorem habiturus eſſet, ſi ſub una tantùm ſpecie communicaret.

DISPUTATIO VII.

De Miniſtro, ſubjecto, & uſu Sacramenti Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter Sacramenti Euchariſtiæ.

IMmaniter hìc errat Lutherus, dicendo chriſtianum omnem ex baptiſmo ſuo poteſtatem habere conficiendi Euchariſtiam, quamvis nemo hoc ſibi officium extra caſum neceſſitatis aſſumere debeat, niſi ad id deputatus, quia nimia confuſio eſſet ſi unuſquiſque ſacramenta conficere vellet. Hujuſce autem erroris Lutheri duo principia ſunt, Lutheranis & Calviniſtis communia, quorum primum eſt, quod ſacramenta non operentur, niſi excitando fidem: unde evidenter ſequitur, nullam miniſtri qualitatem requiri ad valorem ſacramentorum: verba enim ſacramentalia & ſigna, à quocumque exhibeantur, excitare poſſunt fidem: nam ſive dicantur ab ordinato, ſive à non ordinato, ſive ab homine, ſive à dæmone, idem ſignificant, & ſignificando animum audientium eodem modo movent. Hinc Lutherus in libro de miſſa privata & unctione ſacerdotum, veritus non eſt aſſerere, verum fore ſacramentum, etiamſi conficeretur à diabolo. Alterum principium eſt, quòd per miniſtrorum ordinationem nullus imprimatur character, nec detur nova aliqua poteſtas ſpiritualis, ſed tantùm detur uſus ſeu officium, ex quo principio evidenter ſequitur, nullam ordinationem vel electionem miniſtrorum requiri, ut fiat verum Euchariſtiæ ſacramentum, ſed ſolùm ut ordo & diſciplina ſervetur: quare mirum eſt hic à Luthero diſſentire Calvinum, docendo non ſolùm Euchariſtiam, ſed etiam baptiſmum nullum eſſe, ſi ab alio, quàm à publico miniſtro, conficiatur. Sed contra Lutherum ſit

RESPONSIO I.

Solus ſacerdos, ſeu ſolus is, qui ſacerdotali ordinatione conſecratus eſt, validè poteſt Euchariſtiam conſecrare.

Eſt de fide, *prob.* 1. Ex verbis Chriſti Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis poteſtatem concedebat, & præceptum imponebat faciendi id, quod faciebat ipſe, hoc eſt, Euchariſtiam conſecrandi, ſumendi, & aliis diſtribuendi. Hæc autem verba ad ſolos Apoſtolos, & eorum in ſacerdotio ſucceſſores dirigi, ſemper intellexit Eccleſia.

Prob. 2. Ex Patribus, quos longo ordine citat Bellarminus lib. 4. de ſacramento Euchariſtiæ cap. 16. Pro omnibus hic ſit S. Hieronymus, qui ſic habet epiſt. 1. ad Heliodorum: *Abſit, ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos chriſtiani ſumus, &c.* Et in epiſt. 85. ad Evagrium, in quemdam, qui diaconos presbyteris anteponebat, invehitur his verbis: *Audio quemdam*

in

Digitized by Google

in tantam erupiſſe vecordiam, ut diaconos presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret: nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe presbyteros, quos & Epiſcopos: quis patiatur menſarum & viduarum miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur? Quibus verbis apertiſſimè docet ſolos ſacerdotes poteſtatem habere conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, adeòque diaconus ſacerdotibus longè inferiores eſſe. Quòd ſi nequidem diaconi Euchariſtiam validè conficere poſſunt, multò minùs poſſunt clerici inferiores, & laici.

*Prob.*3. Auctoritate Conciliorum generalium, & 1. quidem Concilii Nycæni can.18. quo dicitur: *Pervenit ad ſanctam Synodum, quòd in nonnullis locis & civitatibus diaconi dant presbyteris Euchariſtiam, quod nec canon, neque conſuetudo tradidit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, his qui offerunt, dent corpus Chriſti.* Hic Synodus, quòd diaconi poteſtatem non habeant conſecrandi Euchariſtiam, ut rem apud fideles omnes exploratiſſimam affert.

2. Concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. c.1. ubi dicitur: *Hoc utique ſacramentum* (Euchariſtiæ) *nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui fuerit rite ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus.* 3. Concilii Florentini in decreto Eugenii §. *Tertium*, ubi legitur: *Sacerdos in perſona Chriſti loquens, hoc conficit* (Euchariſtiæ) *ſacramentum.*

4. Denique Concilii Tridentini, 1. ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ait: *Celebrato veteri paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit paſcha* (Chriſtus) *ſe ipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum.* 2. ſeſſ.23. ſic loquitur cap.1. *Sacrificium & ſacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in novo teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione catholica Eccleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile & externum ſacerdotium, in quod vetus tranſlatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem ejus . . . ſacræ litteræ oſtendunt, & catholica Eccleſiæ traditio ſemper docuit.* Et cap.4. *Quod ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè novi teſtamenti ſacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quàm eccleſiaſticam hierarchiam, quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata, confundere.*

Confirmatur ex unanimi conſenſu catholicorum omnium Doctorum, pro quibus omnibus unus hic ſufficiet Doctor Angelicus qu.82.art.1. in O. *Dicendum*, inquit, *quod hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *eſt tantæ dignitatis, quòd non conficitur niſi in perſona Chriſti. Quicumque autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur à Chriſto poteſtas ſumendi hoc ſacramentum; ita ſacerdoti; cùm ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentum conſecrandi in perſona Chriſti: per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino:* Hoc facite in meam commemorationem. *Et ideò dicendum eſt, quod proprium eſt ſacerdotum conficere hoc ſacramentum.*

Responsio II.

Solus ſacerdos, ſeu ſolus is, qui ſacerdotali ordinatione conſecratus eſt, ordinariam habet poteſtatem diſpenſandi ſacramentum Euchariſtiæ.

Ita S. Thomas hic q.82. art.3. in O. ubi ſic loquitur: *Dicendum, quòd ad ſacerdotem pertinet diſpenſatio corporis Chriſti, propter tria. Primo quidem, quia ipſe conſecrat in perſona Chriſti: Ipſe autem Chriſtus ſicut conſecravit corpus ſuum in cœna, ita & aliis ſumendum dedit. Unde ſicut ad ſacerdotem pertinet conſecratio corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secundò, quia ſacerdos conſtituitur medius inter Deum & populum: unde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona, ſanctificata divinitus, populo tradere, &c.* Sic itaque argumentor ex S. Thoma. Illi ſoli jure divino competit poteſtas ordinaria diſpenſandi Euchariſtiam, qui ſolus poteſt illam validè conſecrare. Atqui ſolus ſacerdos, ut probatum eſt, poteſt validè conſecrare Euchariſtiam. Ergo jure divino ſoli ſacerdoti competit poteſtas ordinaria illam diſpenſandi. Item ordinaria Euchariſtiæ diſpenſatio ad eum ſolum pertinet, qui medius eſt inter Deum & populum. Atqui talis eſt ſolus ſacerdos: ſicut enim illius dona populi Deo offerre, ita & illius eſt, dona, in altari ab eo verbis conſecratoriis ſanctificata, populo tradere. Ergo, &c.

Confirmatur aſſertio noſtra. Si aliquos alios, præter ſacerdotes, pertinet ordinaria diſpenſatio Euchariſtiæ, maximè ad diaconos. Atqui falſum eſt, quòd ordinaria Euchariſtiæ diſpenſatio ad diaconos pertineat, ut *prob.* 1. ex auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui lib.8. cap.28. ſic loquitur de diacono: *Non baptizat, non offert* (ſacrificium:) *oblatione verò ab Epiſcopo, aut presbytero facta, ipſe diaconus dat populo, non tanquam ſacerdos* (ordinaria poteſtate) *ſed tanquam qui miniſtrat presbytero* (hoc eſt, ſed ſolùm ex commiſſione presbyteri.)

2. Ex Conc. Arelatenſi II. can. 15. quo dicitur: *In ſecretario diacono inter presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti, præſente presbytero, tradere non præſumat,* (ſupple, niſi ab eo juſſus, & in caſu neceſſitatis,) Nam can.38. Concilii Carth. IV. dicitur: *Ut diaconus, præſente presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti, populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* An. 452. An. 398.

Nunquam igitur in veteri Eccleſia, ſaltem Occidentali, extra caſum neceſſitatis, & in caſu neceſſitatis nunquam niſi ex commiſſione presbyteri præſentis, diaconi ſolemniter diſpenſarunt corpus Chriſti fidelibus, ut patet ex canonibus modò laudatis, & adhuc confirmari poteſt ex lib. de divinis officiis, qui Alcuino tribuitur, & in quo in capite jejunii legitur: *Si neceſſitas evenerit, & presbyter non fuerit præſens, diaconus ſuſcipiat pœnitentem, ac det ſanctam communionem.* Unde Synodus Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. ait: *In ſacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut laici à ſacerdotibus communione acciperent: ſacerdotes autem celebrantes, ſeipſos communicarent; qui mos tanquam ex traditione Apoſtolicâ deſcendens, jure ac meritò retineri debet.*

Dixi autem 1. ſaltem Occidentali: quia quòd olim in Orientali Eccleſia diaconi, etiam extra caſum neceſſitatis, corpus Chriſti fidelibus ſolemniter diſpenſarint, præſente Epiſcopo, vel presbytero, quamvis nonniſi ex eorum commiſſione, colligi poteſt ex verbis ſupra relatis ex auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui non fuit Clemens Romanus, ſed græcus homo, & in libris illis eccleſiaſticam Orientalium diſciplinam, ſuo tempore vigentem deſcripſit. Videtur etiam colligi poſſe ex Nycæno Concilio can. 18. quo diaconis prohibet tantùm, ne in poſterum presbyteris, quibus inferiores ſunt, ſactam communionem porrigant: nam ſi porrigebant presbyteris, à fortiori clericis aliis inferioribus, & laicis, quod tamen ſilentio prætermittit Synodus, nec in illis reprehendit.

Dixi 2. Corpus Chriſti: nam etiam in Occidentali Eccleſia diaconi iis in locis, in quibus communio ſub utraque ſpecie concedebatur, diaconi, presbytero corpus Chriſti porrigente, ſanguinem porrigebant ex calice, ut patet ex S. Thoma q.82. art.3. ad 1. ubi ait: *Diaconus quaſi propinquus ordini ſacerdotali, aliquid participat de ejus officio; ut ſcilicet diſpenſet ſanguinem, non autem corpus, niſi in neceſſitate, jubente Epiſcopo, vel presbytero.* Quare autem diaconis extra caſum neceſſitatis ſola diſpenſatio ſanguinis committeretur, duplicem ſubjicit rationem congruentem. *Primo quidem*, inquit, *quia ſanguis Chriſti continetur*

tur

tur in vaſe : unde non oportet quòd tangatur à diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti. Secundò, quia ſanguis deſignat redemptionem à Chriſto in populum derivatam : unde & ſanguini admiſcetur aqua, quæ ſignificat populum, & quia diaconi ſunt inter ſacerdotem & populum, magis convenit diaconibus diſpenſatio ſanguinis (ſupple, quàm diſpenſatio corporis .)

Quæres, Utrùm aliquando etiam per clericos diaconis inferiores, laicis, diſpenſata fuerit Euchariſtia?

R. In veteri Eccleſia aliquando in caſu neceſſitatis Euchariſtiam ad ægrotos delatam fuiſſe, 1. per Acolythos, ut probatur ex martyrologiis, in quibus legitur de S. Tharſitio Acolytho & Martyre, quòd eùm Pagani eum reperiſſent deferentem ſacramenta corporis Domini, cœperunt diſquirere quid gereret ; & quod gerebat prodere nolentem, tandiu fuſtibus & lapidibus obruerunt, donec animam exhalaret . 2. Per laicos, ut probatur ex Euſebio, lib.6. hiſtoriæ eccleſiaſticæ , cap.44. ubi narratur presbyterum à Serapione quodam in extremis poſito vocatum , & morbo impeditum , exiguam Euchariſtiæ partem tradidiſſe puero , ad Serapionem deferendam , jubendo ut in aqua intinctam ei in os inſtillaret ; puerum autem bucellam intinxiſſe, & in os Serapionis infudiſſe.

Quæres iterùm , Utrùm in Eccleſia veteri , eodem quo nunc modo , fidelibus Euchariſtia adminiſtrata fuerit ? *R.* In veteri Eccleſia ſacerdotes Euchariſtiam adminiſtrabant , non eam ori inſerendo, ſed tradendo in manus eorum , qui communicaturi erant , quod jam aliàs probatum eſt ex Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi 5. myſtagogica, & nunc adhuc probatur ex Theodoreto lib.5. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.18. in quo S. Ambroſius ſic Theodoſium Magnum propter cædem juſſu illius Theſſalonicæ factam alloquitur : *Quomodo manus extenſurus es* (ad excipiendam à ſacerdote hoſtiam) *injuſte cæſorum ſanguine adhuc ſtillantes? Quomodo ſacroſanctum Domini corpus ejuſmodi manibus excepturus es?* Sed

Obiter nota 1. Fideles manu concava exceptam hoſtiam ori admovebant, & ita ſe ipſi communicabant. Patet ex Baſilio epiſt. ad Cæſariam Patriciam, ubi hæc ſcribit : *Sacerdos particulam tradit ; detinet autem eam cum omni libertate is , qui accepit , & ſic ori admovet propria manu.* 2. Hoc viros inter & mulieres diſcrimen fuiſſe, quòd viri nuda manu, mulieres verò manu linteolo obvoluta panem conſecratum exciperent, patet ex S. Auguſtino ſerm.252.de tempore, ubi ait : *Omnes viri quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas ; & omnes mulieres nitida exhibent linteamina , ubi corpus Chriſti accipiant ... Quomodo viri lavant aqua manus ſuas*, (quia manu nuda hoſtiam excepturi ſunt) *ſic eleemoſynis lavent conſcientias ſuas . Similiter & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Chriſti accipiant ; ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeant , ut cum bona conſcientia Chriſti ſacramenta ſuſcipiant .*

ARTICULUS II.

Utrùm infantibus Euchariſtia aliquando diſpenſata fuerit, & an illis ſit neceſſaria.

Responsio. I.

PRioribus Eccleſiæ ſæculis Euchariſtia ſub ſpecie vini tradita fuit infantibus.

Prob. ex S. Cypriano lib. de lapſis, in quo ſic loquitur: *Præſente ac teſte me ipſo, accipite quid evenerit ... Relictam* (à parentibus puellam) *nutrix detulit ad magiſtratus : illi ei apud idolum, quò populus confluebat , quod carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum , quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat , tradiderunt ... Ignoratione* (poſtea) *obreptum eſt , ut ſacrificantibus nobis, eam ſecum mater inferret ... Ubi verò ſolemnibus adimpletis , calicem diaconus offerre præſentibus cœpit , & accipientibus cæteris, locus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divina majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen diaconus, & reluctanti licèt de ſacramento calicis infudit : tunc ſequitur ſingultus & vomitus, &c.*

Hunc porrò morem in Eccleſia Latina adhuc obtinuiſſe ſæculo ſeptimo , patet ex lib. ſacramentorum Gregorii Magni, ubi in Sabbato ſancto de infantibus dicitur : *Qui etiam non prohibentur lactari ante ſacram communionem , ſi neceſſe fuerit .* Item ſæculo octavo & nono , ut patet ex Ordine Romano , in quo dicitur : *Illud autem parvulis providendum eſt , ne poſtquam baptizati fuerint , nullum cibum accipiant , neque lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent , &c.* Sed poſtea ſenſim abolitum fuiſſe, ita ut poſt undecimi ſæculi initia à paucis retineretur, colligimus ex Hugone à S. Victore libro 1. de ſacramentis cap.20. ubi ait : *Pueris recens natis idem ſacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum digito ſacerdotis : quia tales naturaliter ſugere poſſunt ..... Si ſine periculo fieri poteſt , juxta primariam Eccleſiæ inſtitutionem, ſacramentum Euchariſtiæ in ſpecie ſanguinis eſt tradendum pueris. Unde ignorantia presbyterorum adhuc formam retinens , ſed non rem , dat eis loco ſanguinis vinum ... Si autem in reſervando ſanguinem Chriſti* (ad pueros communicandos) *vel in miniſtrando pueris immineat periculum : potius ſuperſedendum videtur .*

Denique morem illum communicandi infantes penitùs ceſſaſſe in Eccleſia Latina longè ante tempora S. Thomæ, colligitur ex eo, quod habet hìc qu. 80. a.9. ad 3. *Eadem*, inquit , *ratio eſt de pueris recenter natis , & de amentibus , qui nunquam habuerunt uſum rationis ; unde talibus non ſunt ſacra myſteria danda : quamvis quidam Græci contrarium faciant .* Dixi, in Eccleſia Latina: nam in Eccleſia Græca mos ille communicandi infantes perdurat , ut *prob.* 1. ex Euchologio , in quo infantium communio præſcribitur . 2. Ex Arcudio lib. de ſacramento Euchariſtiæ cap.40. ubi ait : *Communicare pueros, & infantes , quod Græci faciunt , antiquum valdè eſt , atque id veteres in uſu habebant.*

Responsio II.

Sumptio Euchariſtiæ infantibus ad ſalutem neceſſaria non eſt , neque neceſſitate medii , neque neceſſitate præcepti.

Prob. Et 1. quidem quòd non ſit neceſſaria neceſſitate præcepti, ex eo manifeſtum eſt , quòd infantes nullius præcepti capaces ſint . 2. Quod non ſit neceſſaria neceſſitate medii , contra recentiores Græcos , Simeonem ſcilicet Theſſalonicenſem lib. de ſacramentis , Nicolaum Cabaſilam in prima oratione de vita in Chriſto, Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum in 2. apologia ſuæ cenſuræ cap. de chryſmate , &c.

Prob. ex Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. quo dicitur : *Eadem ſancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes , nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem : ſiquidem per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati , adeptam jam filiorum Dei gratiam , in illa ætate amittere non poſſunt: neque ideò tamen damnanda eſt antiquitas , ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit . Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certè nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe , ſine controverſia credendum eſt .* Quòd igitur infantibus neceſſaria non ſit ad ſalutem Euchariſtiæ ſumptio , de fide , & evidenti ratione probatur , quia poſt baptiſmum ante adultam ætatem ex hac vita decedentes , decedunt antequam acceptam regenerationis gratiam amittere potuerint , adeòque non poſſunt non ſalvari.

Quare S. Thomas poſt verba proximè laudata ſic proſequitur : *Nec tamen per hoc* (quòd Euchariſtiam non accipiunt infantes) *aliquod detrimentum vitæ* (ſpiritualis) *patiuntur , propter hoc quod Dominus dicit Joan.6.* Niſi manducaveritis carnem Filii hominis,

& bi-

& biberitis ejus ſanguinem, noo habebitis vitam io vobis: *Quia, ſicut Auguſtinus ſcribis Boniſacio, tunc unuſquiſque fidelium corporis & ſanguinis Domini particeps fit, ſcilicet ſpiritualiter, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur.*

Quæres 1. Utrùm Euchariſtia infantibus, quibus dabatur, conferebat gratiam?

R. Affirmativè: nam ſacramenta omnia novæ legis, ut docet Tridentinum, conferunt gratiam non ponentibus obicem. Sed infantes poſt baptiſmum Euchariſtiam accipientes, non ponebant obicem augmento gratiæ; cùm tunc eſſent in ſtatu gratiæ, Ergo, &c.

At inquies. Si ita eſt, cur Eccleſia Latina laudabilem infantes communicandi conſuetudinem hactenùs non retinuit? Ad hanc quæſtionem reſpondet Arcudius lib. de Euchariſtia cap. 40. io hunc modum: „ Io Primitiva Eccleſia, quando minor erat fidelium numerus; faciliùs poterant vitari incommoda, quibus illa conſuetudo expoſita eſt; quare ex ſuperabundanti utilitas major, & augmentum gratiæ parvulis procurabatur. Poſtmodùm verò creſcente numero fidelium, & refrigeſcente charitate, cùm minori cura ac diligentia ſacramenta adminiſtrarentur, magis ad decentiam, & reverentiam ſacramenti expedire & conducere viſum eſt, ſi parvulis ante uſum rationis ſacramentum denegaretur, quàm ſi aliquali utilitati eorum provideretur. His adde, Eccleſiam non teneri providere parvulis, niſi media ad ſalutem neceſſaria: parvulis autem Euchariſtia ad ſalutem neceſſaria non eſt.

Quæres 2. Utrùm adultis baptizatis, uſum rationis non habentibus, ſacramentum Euchariſtiæ diſpenſari debeat?

Huic quæſtioni S. Thomas hìc q. 80. art. 9. in O. ſic reſpondet: *Aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem uſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui malè videt; & quia tales poſſunt aliquam devotionem hujus ſacramenti concipere, non eſt eis hoc ſacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter uſum rationis: aut igitur nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic à nativitate permanſerunt, & ſic talibus non eſt hoc ſacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præceſſit hujus ſacramenti devotio: aut non ſemper caruerunt uſu rationis; & tunc ſi priùs, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus ſacramenti, debet eis in articulo mortis hoc ſacramentum exhiberi, niſi fortè timeatur periculum vomitus, vel expuitionis.*

Quæres 3. Utrùm ſacramentum Euchariſtiæ Energumenis ſemper diſpenſatum fuerit, & nunc diſpenſari debeat?

R. Prioribus ſæculis io Orientali Eccleſia Euchariſtiam Energumenis extra mortis articulum denegatam fuiſſe: nam nequidem tunc permittebantur orare cum fidelibus, ut *prob.* 1, ex lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolic. c. 7. ubi dicitur: *Dicat diaconus: Exite Energumeni. Ac poſt egreſſum eorum dicat: Orate, qui baptiſmum petitis, omnes fideles intentè pro eis oremus, ut Dominus faciat eos dignos, &c.* 2. Ex canone Apoſtolico 78. quo dicitur: *Si quis dæmonem habeat, clericus non efficitur: ſed neque cum fidelibus preces fundito.* 3. Ex ſancto Chryſoſtomo hom. 3. de incomprehenſibili natura Dei, ubi ſic ait: *Cùm eos* (dæmoniacos) *unà cum fratribus orare non liceat.*

Idem porrò circa Energumenos in Occidentali Eccleſia factitatum fuiſſe ante quintum ſæculum, colligi poſſe videtur ex Concilio Eliberitano, dicente,
An. 305. can. 29. *Energumenos qui ab erratico ſpiritu exagitur, hujus nomen neque ad altare, cum oblatione, recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Et can. 37. *Eos qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet; ſi fideles fuerint, dandam eſſe communionem.*

Dixi, ante ſæculum quintum: nam anno 441. Concilium Arauſicanum I. Energumenis baptizatis, & ritè diſpoſitis communionem Euchariſticam extra mortis articulum concedit can. 14. quo ait: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonii, quo infeſtantur; vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatione.* Quod hìc circa Energumenos ſtatuit, poſtmodùm io Eccleſia retentum eſt, & nunc retinetur, ut illis, etiamſi de vita non periclitentur, cùm mentis ſuæ compotes ſunt, & debitè diſpoſiti, Euchariſtia detur: unde S. Thomas hìc quæſt. 80. art. 9. ad 2. ait: *De baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, eſt eadem ratio, & de aliis amentibus.* Pro quo ibidem citat Caſſianum, apud quem Serenus Abbas collatione 7. cap. 30. de Energumenis ſic loquitur: *Communionem eis ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam, quin imò, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impartiri eam debere cenſebant.* Ex quibus verbis apertè colligitur, etiam io Orientali Eccleſia prioribus ſæculis Euchariſtiæ participationem Energumenis extra articulum mortis denegatam non fuiſſe ab omnibus.

ARTICULUS III.

Utrùm communio ſit jure divino præcepta.

RESPONSIO.

COmmunio jure divino præcepta eſt.

Prob. 1. ex verbis illis Chriſti Joan. cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam ſive Chriſtus per hæc verba comminetur mortem ſpiritualem non communicantibus, ſive denunciet vitam ſpiritualem aliter conſervari non poſſe; ſenſus uterque gravem inducit obligationem: quilibet enim adultus, ratione utens, media omnia, quæ ad vitam animæ habendam vel conſervandam neceſſaria ſunt, & ſunt in ejus poteſtate, adhibere ſub gravi tenetur jure divino.

2. Ex illis aliis Chriſti verbis Lucæ cap. 22. & 1. Corinthiorum cap. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*; nam hæc verba continent præceptum aliquando ſumendi Euchariſtiam, & à Chriſto diriguntur, non ſolùm ad ſacerdotes, ſed etiam ad laicos, ut patet ex Apoſtolo loco citato, ubi potiſſimùm agit de laicorum communione, & ex Concilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. ubi ad verba laudata alludens ait: *Ergo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris, velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum; & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad judicandum mundum veniat.*

At inquies, Synodus dubium relinquit, utrùm à Chriſto præcepta ſit ipſa Euchariſtiæ ſumptio in memoriam ipſius, & Paſſionis ejus, an verò præcepta tantùm ſit memoria ipſius & Paſſionis ejus in Euchariſtiæ ſumptione, ſi fiat, ita ut tamen liberum nobis reliquerit ſumere, vel non ſumere Euchariſtiam. *R.* neg. Nam Synodus manifeſtè loquitur de commemoratione Chriſti & Paſſionis ejus, non quæ diſtincta ſit à confectione & ſumptione Euchariſtiæ, ſed quæ eſt ipſiſſima Euchariſtiæ confectio & ſumptio: unde verborum Synodi ſenſus eſt, quòd Chriſtus præceperit, ut Euchariſtiam ſumamus, & ipſa ſumptione memoriam ejus recolamus, ejuſque mortem annunciemus. Certè ſi Chriſtus, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, non præcepit, ut ſumamus Euchariſtiam, ſed ſolùm ut ſumendo intendamus memoriam ejus recolere, ejuſque mortem annunciare, nobis, ut ſumamus, vel non ſumamus, liberum relinquendo, talis præceptio videtur parum Chriſto digna; & peccat, qui-

quicumque communicando non actu meminit Paſſionis Chriſti; quod eſt proculdubio falſum.

Quæres 1. Quoſnam obliget, vel non obliget præceptum divinum communicandi?

R. 1. Hoc præceptum nullo modo pertinere ad adultos, qui nunquam uſum rationis habuerunt. Nam 1. ſunt incapaces omnis præcepti. 2. Tales Eccleſia univerſa arcet omninò à communione. Manifeſtum autem eſt Eccleſiam univerſam in re tam gravi, & ad fidem pertinente, errare non poſſe. 3. Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 4. docet, *Parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Idem autem eſt de adultis qui nunquam rationis uſum habent.

R. 2. Hoc præcepto obligari adultos omnes rationis uſum habentes, etiam eos, qui non ſunt baptizati, non quidem ita ut Euchariſtiam ſumant ante baptiſmum; ſed ita ut idcircò baptiſmum ſuſcipere teneantur, ut communicare poſſint, ſic ut contra facientes, non ſolùm contra præceptum baptiſmi, ſed etiam contra communionis præceptum peccent. Ratio eſt, quia præceptum communionis generaliter latum eſt, & præcepta divina generaliter lata omnes capaces obligant. Atqui adulti omnes habentes uſum rationis, etiamſi baptizati nondùm ſint, capaces ſunt præcepti communionis; nam poſſunt illud implere, ſi baptizari velint.

At inquies. Tales non obligantur ad confeſſionem. Ergo nec ad communionem. *R.* neg. conſeq. Itaque tales non obligantur ad confeſſionem, quia præceptum confeſſionis eos tantùm obligat, qui poſt baptiſmum in mortalia relapſi ſunt: unde hujus præcepti capaces non ſunt, qui nondùm ſunt baptizati; ſed nec tenentur reddere ſe capaces illius: nam tenentur quidem baptiſmum ſuſcipere, at non tenentur poſt baptiſmum peccare mortaliter; & quamdiu non peccant mortaliter, baptiſmo ſuſcepto, incapaces ſunt præcepti confeſſionis. Aliud autem eſt de præcepto communionis: omnes enim adulti ratione utentes, vel ſunt proximè capaces communionis, vel poſſunt & tenentur ſeſe proximè capaces efficere.

Quæres 2. Quandonam obliget præceptum divinum communionis?

R. 1. Hoc præceptum obligare in articulo mortis. Nam 1. Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum eſt ut viaticum ſalutis: Ergo tunc maximè ſumi debet, cùm de hac vita exeundum eſt. 2. Res quælibet præcepta, maximè præcepta eſt pro eo tempore, pro quo uſus ejus maximè neceſſarius eſt ad finem præcepti aſſequendum. Atqui uſus Euchariſtiæ ad aſſequendum finem præcepti communionis maximè neceſſarius eſt in mortis articulo: tunc enim maximè tenetur ſeſe Deo & Chriſto conjungere, atque contra ſalutis ſuæ hoſtes ſeſe defendere; adeòque tunc maximè indiget gratia ipſum cum Deo & Chriſto conjungente, & contra ſalutis hoſtes corroborante, qualis eſt gratia illa, quam dignè ſuſcipientibus confert Euchariſtiæ ſacramentum.

R. 2. Hoc præceptum obligare etiam ad communicandum aliquoties in vita. Ratio eſt, quia ſacramentum Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum eſt ad modum cibi animam nutrientis & reficientis. Ergo voluntas Chriſti fuit, ut ſicut cibus materialis ſæpiùs in vita ſumitur ad reſtaurandas vires corporales ita, & ad reſtaurandas vires animæ ſpirituales ſæpiùs in vita ſumatur cibus euchariſticus. Tempus autem implendi hanc præcepti divini obligationem prudenti judicio determinandum eſſet, niſi determinaſſet Eccleſia ipſa pro poteſtate ad id illi à Chriſto conceſſa. Ex hac autem Eccleſiæ determinatione liquet, contra præceptum divinum communionis non peccare eum, qui communionem ultra annum non differt.

Quæres, 3. Utrùm per communionem ſacrilegam ſatisfiat præcepto divino de ſumenda Euchariſtia?

R. Negativè. Nam quando legiſlator declarat finem, quem præcepto intendit, & propter quem rem præcipit, tunc non ſolùm res præcepta, ſed etiam finis cadit ſub præceptum, atque ita ſubditus præcepto non ſatisfacit, ſi ſic rem præceptam exequatur, ut finem præcepti deſtruat. Sed Chriſtus præcipiendo ſumptionem Euchariſtiæ, declaravit finem quem intendit, & propter quem Euchariſtiæ ſumptionem præcepit: nam Joan. c. 6. declaravit carnem ſuam eſſe ſpiritualem cibum animæ, *Caro mea verè eſt cibus*; & ab omnibus manducandam eſſe ad ſpiritualem vitam animæ conſervandam: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis ..., non habebitis vitam in vobis*. Quod confirmat Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. cùm ait: *Sumi autem voluit* (Chriſtus) *ſacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, &c.* Ergo non ſolùm Euchariſtiæ ſumptio, ſed etiam finis, propter quem à Chriſto præcepta eſt, cadit ſub præceptum Chriſti, adeòque præcepto Chriſti non ſatisfacit, qui ſic Euchariſtiam ſumit, ut finem à Chriſto intentum deſtruat. Atqui finem à Chriſto intentum deſtruit, qui ſacrilegè communicat. Ergo, &c.

Confirmatur. Quando legiſlator non ſolùm rem aliquam præcepit, ſed etiam modum, quo debet fieri, ſubditus præcepto non ſatisfacit, ſi rem præceptam exequitur alio prorsùs modo, quàm præcepta ſit. Sed Chriſtus præcepit, non ſolùm ut ſumeretur Euchariſtia, ſed etiam ut ſumeretur tali modo, hoc eſt, in ſtatu gratiæ; præcepit enim ut ſumeretur tanquam ſpiritualis cibus, qui in ſumente ſpiritualem vitam prærequirit; ſicut cibus corporalis prærequirit vitam corporalem. Ergo qui Euchariſtiam ſumit in ſtatu peccati mortalis, non ſatisfacit præcepto à Chriſto de ſumenda Euchariſtia impoſito. Ergo, &c. Hinc præceptum poſitivum Chriſti de ſumenda Euchariſtia, eſt virtualiter & implicitè negativum, quia eſt præceptum de ſumenda Euchariſtia in ſtatu gratiæ, & in ordine ad nutriendam & conſervandam vitam ſpiritualem; in quo involvitur prohibitio communicandi in ſtatu peccati mortalis.

Dices. Modus actionis præceptæ non cadit ſub præceptum. Sed quòd Euchariſtia ſumatur in ſtatu gratiæ, pertinet ad modum actionis. Ergo, &c. *R.* modum actionis cadere ſub præceptum, quoties in præcepto exprimitur, vel neceſſarius eſt ad obtinendum finem præcepti.

Dices. Qui baptiſmum validè ſuſcipit, ſed cum fictione impediente infuſionem gratiæ, præcepto divino de ſuſceptione baptiſmi ſatisfacit, & tamen baptiſmum non ſuſcipit eo modo, quo debet ſuſcipi, nec conſequitur finem, propter quem Chriſtus illum inſtituit. Ergo ſimiliter, &c.

R. Eum, qui baptiſmum validè ſuſcipit cum fictione impediente infuſionem gratiæ, eo ſenſu præcepto divino de ſuſcipiendo baptiſmo ſatisfacere, quòd non teneatur iterum baptizari, quia baptiſmus validè ſuſceptus, quantumvis indignè ſuſcipiatur, characterem imprimit, adeoque initerabilis eſt; at ſimul contra illud graviter peccat: hæc enim Chriſti verba Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, quatenus ad adultos non baptizatos pertinent, non ſolùm baptiſmi ſuſceptionem, ſed etiam modum, quo ſuſcipi debet, præcipiunt: unde ſi baptiſmus validè quidem, ſed indignè ſuſceptus, characterem non imprimeret, & ſic iterabilis eſſet, adultus, in ea, ſed indignè baptiſmum ſuſcipiens, tam ad ſatisfaciendum præcepto divino baptiſmi teneretur iterùm baptizari, quàm adultus, qui ſacrilegè communicat, urgente præcepto divino communionis, ut huic præcepto ſatisfaciat, tenetur iterùm dignè communicare.

ARTICULUS IV.

Utrùm communio ſit etiam jure Eccleſiaſtico præcepta.

RESPONSIO.

PRæter præceptum divinum aliquando communicandi, datur præceptum Eccleſiaſticum, obligans ad communicandum ſingulis annis in Paſchate.

Prob. Ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. in quo præceptum illud latum eſt can. 21. quo dicitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: niſi forte de conſilio proprii ſacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum.* Quod præceptum ſub gravi obligare patet ex verbis immediatè ſubſequentibus: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura.*

Prob. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 9. quo dicitur: *Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ: anathema ſit.* Sed

Nota 1. Diſcretionis anni in ordine ad communionem faciendam tunc cenſentur incipere, quando fidelis uſum rationis habet ſufficientem ad hoc, ut cum debita reverentia, Euchariſtiam poſſit ſuſcipere. Hoc autem citiùs in aliis, & in aliis ſeriùs accidit: unde aſſignari non poteſt annus determinatus, quo communicandi obligatio pro omnibus adultis incipiat: quare in praxi, parochi, vel confeſſarii prudentis judicio ſtandum eſt.

Nota 2. Tempus paſchale comprehendit dies quindecim, à Dominica ſcilicet Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè. Intra tempus autem illud paſchalis communio fieri debet, & quidem in propria parochia, & de manu proprii parochi, vel alterius ab eo deputati. Hìc porrò excipiuntur ſacerdotes, qui præcepto eccleſiaſtico ſatisfaciunt, ubicumque celebrent; item vagabundi & peregrini, qui cùm nullius parochiæ ſint, in quocumque templo communicent, ſatisfaciunt.

Nota 3. Eccleſia præcepto ſuo communionis præſcribit duo. 1. Ut quilibet fidelis ſemel communicet in anno. 2. Ut communicet in Paſchate: unde qui intra tempus paſchale annuæ communionis præceptum non implevit, tenetur poſtea, quamprimùm moraliter poteſt, communicare in propria parochia: licèt enim reſpectu illius ceſſaverit ſecunda obligatio, communicandi ſcilicet in Paſchate, quia facta eſt ei impoſſibilis hujuſce obligationis impletio; obligatio prior, communicandi ſcilicet ſaltem ſemel ſingulis annis, quam principaliter intendit Eccleſia, adhuc permanet, cùm adhuc poſſit impleri. Hìc tamen ſupponunt talem ante tempus paſchale non communicaſſe in propria parochia, quia ſi communicavit, manet liber; præceptum enim eccleſiaſticum quoad ſubſtantiam, & loci circumſtantiam implevit, temporis autem circumſtantia in ejus poteſtate non eſt amplius,

Nota 4. Eccleſia pro communione annua tempus paſchale determinavit, non ſolùm propter ſolemnitatem, ſed etiam ne communio nimiùm differatur: unde videtur eum, qui prævidet, ſe communicandi opportunitatem non habiturum tempore paſchali, nec brevi poſtea, teneri ad tempus illud præveniendum: ita ut, etiamſi præveniat ex intentione præcepto, quantùm poteſt, ſatisfaciendi, adhuc nihilominùs teneatur communicare, ſi poſtea communicandi opportunitas tempore paſchali occurrat, quia nimirùm in caſu propoſito præceptum eccleſiaſticum communionis, tempus paſchale præveniendo, implet quidem quoad ſubſtantiam, & quoad circumſtantiam loci, ſi communicet in propria parochia, at non implet quoad temporis circumſtantiam. Quare ut præceptum quoad illam impleat, tenetur iterum communicare, occurrente poſtea præter ſpem opportunitate communicandi in Paſchate.

Quæres, Utrùm per communionem ſacrilegam ſatisfiat præcepto eccleſiaſtico de communione annua?

R. Neg. & *prob.* 1. auctoritate Innocentii XI. à quo damnata eſt hæc propoſitio, *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Addi poteſt auctoritas Alexandri VII. qui propoſitionem iſtam damnavit, *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ:* nam ſi per ſacrilegam confeſſionem non ſatisfit præcepto eccleſiaſtico de annua confeſſione, evidens eſt, per ſacrilegam communionem non ſatisfieri præcepto eccleſiaſtico de communione annua.

Prob. 2. Ratione. Nam 1. præceptum eccleſiaſticum de ſumenda Euchariſtia in Paſchate, eſt determinatio præcepti divini obligantis ad dignam & fructuoſam ſumptionem Euchariſtiæ aliquando faciendam: unde præceptum eccleſiaſticum eſt de Euchariſtia in Paſchate ſumenda non qualicumque modo, ſed dignè & fructuosè. 2. Eccleſia præcipit modum ſumendi Euchariſtiam incompoſſibilem cum ſacrilega communione; præcipit enim ut Euchariſtia reverenter ſuſcipiatur: qui autem ſacrilegè ſuſcipit Euchariſtiam, profectò non eam reverenter ſuſcipit. 3. denique Eccleſia præcipiens ſuſceptionem Euchariſtiæ, pro fine proximo ſpiritualem animæ refectionem intendit, quod ſatis declarat in Tridentino ſeſſ. 13. c. 8. ubi Synodus omnes & ſingulos qui chriſtiano nomine cenſentur, admonet, ut *ſacra myſteria corporis* (Chriſti Domini noſtri) *& ſanguinis ejus fidei conſtantia & firmitate, & animi devotione ac pietate & cultu credant, & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint; & is verè eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis, &c.*

Dices 1. Eccleſia non poteſt præcipere rem internam. Sed ſtatus gratiæ eſt quid merè internum. Ergo, &c. 2. Qui jejunat ex prava intentione, nihilominùs ſatisfacit præcepto eccleſiaſtico, quo jejunium præcipitur. 3. Qui ſacrilegè Euchariſtiam recipit, verè illam recipit. Sed Eccleſia nihil præcipit aliud, quàm ut Euchariſtia recipiatur.

R. ad 1. Eccleſiam poſſe præcipere rem merè internam, ſi neceſſaria ſit ad hoc, ut actus externus, quem præcipit, tali modo fiat, & utiliter ad finem, quem intendit. *R. ad* 2. Per jejunium cum prava intentione factum ſatisfieri præcepto jejunii, quia vitiatur quidem jejunium per pravam intentionem, at per eam non impeditur finis præcepti jejunii; nam hic finis eſt maceratio corporis, quam non impedit prava intentio. Per ſacrilegam verò communionem impeditur finis proximus, quem intendit Eccleſia, cùm præcipit annuam communionem. *R. ad* 3. eum qui ſacrilegè communicat, recipere ſacramentum Euchariſtiæ, ſed non recipere eo modo, quem requirit finis intentus ab Eccleſia; recipit enim modo finem illum evertente.

ARTICULUS V.

De frequenti Communione.

§. I.

Quis olim in Eccleſia fuerit uſus circa ſumptionem Euchariſtiæ.

1. IN exordio Eccleſiæ fideles omnes quotidie ſumebant Euchariſtiam, ut Interpretes omnes intelligunt ex actorum c. 2. ubi dicitur: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus:* communicationem enim fractionis panis interpretantur Euchariſtiæ ſumptionem, eamque, ſicut & doctrinam ac orationem, quotidianam fuiſſe intelligunt.

2. In Orientali Eccleſia fideles omnes ſæculo ſecundo, octavo quoque die Euchariſtiam ſumebant, teſte Juſtino Martyre in apologia 2. pro Chriſtianis, paulò ante finem, ubi hæc ſcribit: *Solis, qui dicitur, die omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit .... & Præpoſitus quantum pro virili ſua poteſt, preces & gratiarum actiones fundit* (hoc eſt, Euchariſtiam conſecrat) *& populus fauſtè*

accla-

Google

acclamat dicens : Amen. (Ad verba conſecratoria, alta voce prolata à celebrante) *& diſtributio communicatioque fit eorum, in quibus ſunt gratiæ acta, cuique præſenti, abſentibus autem per diaconos mittitur.*

3. In Africana Eccleſia fideles omnes ſæculo tertio quotidie communicare ſolitos, ſatis apertè teſtatur Cyprianus Martyr in lib. de oratione dominica, ubi hæc Chriſti verba, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, interpretans, ſic ait : *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.* Hanc autem quotidianæ communionis conſuetudinem in Eccleſia illa uſque ad Auguſtini tempora perſeveraſſe, probat teſtimonium ejuſdem Auguſtini lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 12. ubi ad verba Chriſti modò laudata hæc habet : *Panis quotidianus, aut pro iis omnibus dictus eſt, quæ hujus vitæ neceſſitatem ſuſtentant ... aut pro ſacramento corporis Chriſti, quod quotidie accipimus, &c.*

4. Similiter ſingulis diebus fideles quarto ſæculo in Romana Eccleſia Euchariſtiam ſumpſiſſe, ſcribit ſanctus Hieronymus in epiſt. 50. ad Pammachium, ubi ait : *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant.* Idem de eadem Eccleſia Romana, & Hiſpaniarum Eccleſiis teſtatur in epiſt. 28. ad Lucinum, *De ſabbato*, inquit, *quod quæris, utrum jejunandum ſit, & de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia, & Hiſpania obſervare perhibentur, &c.* Eodem ſæculo in Cæſareenſi Eccleſia fideles quater tantùm in hebdomada, niſi feſtivus dies occurreret, communicare ſolitos, ſcribit S. Baſilius in epiſt. ad Cæſariam Patriciam, *Quater*, inquit, *nos ſingulis ſeptimanis communicamus ; dominico die, feria 4. in paraſceve, & ſabbato, ſed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicujus memoria celebretur.* Longè verò rariùs Orientales ad ſacram Synaxim accedere jam cœperant, ut manifeſtum eſt ex S. Chryſoſtomo homilia 61. ad populum Antiochenum, ubi in hunc modum de Antiochenorum negligentia queritur: *O conſuetudinem, ò præſumptionem, ſacrificium fruſtra quotidianum, incaſſum aſſiſtimus altari, nullus qui communicetur.* Imò jam apud eos invaluerat conſuetudo ſemel tantùm in anno communicandi, teſte S. Ambroſio lib. 5. de ſacramentis cap. 4. ubi ad ſæpe communicandum adhortans, ait : *Cur poſt annum illum* (panem conſecratum) *ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt?*

Ex dictis obiter obſerva, decretum illud, quod Fabiano Papæ apud Gratianum diſt. 2. de conſecratione attribuitur, quod incipit, *Et ſi non frequentiùs*, quoque præcipitur, ut laici homines ter communicent, in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini, ſuppoſititium eſſe : nam ſi tempore Hieronymi ſæculo quarto ad finem vergente, laici quotidie communicabant in Eccleſia Romana, quantò magis tempore Fabiani Papæ, hoc eſt, ante medium ſæculi tertii ; adeòque neceſſe non fuit, ut laici tunc temporis præcepto cogerentur ad ter in anno communicandum. Quòd autem hìc dicitur de præfato decreto, à fortiori dici debet de eo, quod ibidem Sotero, qui poſt medium ſecundi ſæculi Eccleſiam regebat, attribuitur, & quo præcipitur fidelibus omnibus, ut in Cœna Domini communicent.

§. II.

Quid de quotidiana communione ſenſerint ſancti Patres.

SAnctus Hieronymus epiſt. 50. ad Pammachium aſſerit quidem, ſe nec reprehendere, nec probare conſuetudinem quotidie communicandi ; ſed eos tantùm improbat, qui communicant eodem die, & conjugalem copulam habuerunt : *Scio*, inquit, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant : quod nec reprehendo, nec probo ; unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet ; ſed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant.* Et epiſt. 28. ad Lucinium, laudat Euchariſtiæ quotidianam ſumptionem, dummodò dignè fiat. *Atque utinam*, inquit, *omni tempore jejunare poſſimus .... Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri & pungente conſcientia ſemper accipere!*

Sanctus Ambroſius ſic loquitur lib. 4. de ſacramentis cap. 6. *Quotieſcumque accipimus* (ſanguinem Chriſti) *mortem Domini annunciamus : ſi mortem Domini annunciamus, annunciamus remiſſionem peccatorum. Si quotieſcumque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur ; qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* Et lib. 5. cap. 4. *Si quotidianus eſt panis* (euchariſticus) *cur poſt annum illum ſumis ..? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere ; qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere ... Ergo tu audis, quid quotieſcumque offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, elevatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum : & panem iſtum vitæ non quotidianum aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit ; vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus ; medicina eſt cœleſte & venerabile ſacramentum ... Quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt, ſi tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit.*

Sanctus Baſilius in ep. 289. ad Cæſariam Patriciam hæc ſcribit : *Singulis certè diebus communicare, & participem eſſe ſancti corporis & ſanguinis Chriſti, bonum & fructuoſum eſt ; cùm dixerit ipſe perſpicuis verbis:* Qui comederit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, vitam habet æternam. *Jam vero quis dubitat, quin vitæ frequentiùs participare non ſit aliud omninò, quam frequenter vivere.*

Sanctus Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini, verba Ambroſii 2. loco laudata exſcribit. Sed epiſt. 118. ad Januarium, ex duobus, quorum unus cenſet, *non quotidie accipiendam Euchariſtiam*, ſed eligendos dies, *quibus puriùs homo continentiùſque vivit, quò ad tantum ſacramentum digniùs accedat :* alius contra putat, *quod ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo judicetur* (& ab altaris ad pœnitentiam publicam agendam removendus, quod auctoritate Antiſtitis fieri debet) *non ſe debet à quotidiana medicina dominici corporis ſeparare.* Ex illis, inquam, duobus neutrum alteri præfert, ſed utrumque ex æquo laudat, & judicio ſuo permittit. *Rectiùs*, inquit, *inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Chriſti pace permaneant. Faciat autem unuſquiſque, quid ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt.*

Hanc ſuam reſponſionem exemplo Zachæi & Centurionis confirmat ; nam ſic proſequitur : *Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum, alter dicit*, Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. *Ambo Salvatorem honorificantes, diverſo & quaſi contrario modo : ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti.* Addit etiam exemplum mannæ : *Valet etiam*, inquit, *ad hanc ſimilitudinem, quòd in primo populo unicuique manna, ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore cujuſque Chriſtiani, ſacramentum illud quomodo ſumatur æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolùm non vult cibus ille, ſicut manna* (nolebat) *faſtidium.*

Gennadius Maſſilienſis in lib. de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 53. ſic ait : *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo : omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit : nam*

habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari.

Laudatis Patribus addere juvat SS. Thomam & Bonaventuram. S. Thomas hìc q. 80. art. 10. in O. ad quæſtionem hanc, utrùm liceat quotidie Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipere, ſic reſpondet: *Circa uſum hujus ſacramenti duo poſſunt conſiderari; unum quidem ex parte ipſius ſacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideò utile eſt quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat .... Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc ſacramentum accedat: & ideò ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat ... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc ſacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum.*

Et in 4. diſt. 12. q. 3. art. 1. ad q. 2. reſpondet his verbis: *Dicendum quod in hoc ſacramento duo requiruntur ex parte recipientis, ſcilicet deſiderium conjunctionis ad Chriſtum, quod facit amor, & reverentia ſacramenti, quæ ad donum timoris pertinet. Primum autem incitat ad frequentationem hujus ſacramenti quotidianam, ſed ſecundum retrahit: unde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret, ex quotidiana ſumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: ſi autem ſentiret, per quotidianam frequentiam reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, ut cum majore reverentia & devotione poſtmodum accederet. Unde quantum ad hoc unuſquiſque relinquendus eſt judicio ſuo.*

Sanctus Bonaventura in 4. diſt. 12. parte 2. art. 2. queſt. 2. ſimiliter aſſerit: *Quod ſi quis ſemper eſſet paratus, ſemper utile eſſet hoc ſacramentum recipere, ut ſcilicet haberet habitaculum mundum, & ſpiritualiter comederet hunc cibum cum honore & devotione .... Si ergo quæritur, utrum expediat frequentare alicui, dicendum quod ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitivæ* (hoc eſt, cum innocentia morum ardentem habere charitatem) *laudandum eſt quotidie communicare: ſi autem in ſtatum Eccleſiæ finalis, utpote frigidum & taràum, laudandum eſt quod raro. Si autem medio modo, medio modo debet ſe habere, & aliquando debet ceſſare, ut addiſcat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore: quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor, & tunc ſecundum illam partem, ſecundum quam videtur ſe melius proficere, ad illam magis declinet; quod homo ſolùm experientia diſcit.*

§. III.

Quid circa communionis frequentiam tenendum videatur.

Responsio I.

GEneratim loquendo, conſultiùs eſt frequentiùs communicare, quàm rariùs, magiſque eſt in frequentiam, quàm in raritatem inclinandum, conſiderando actum ipſum abſolutè, ſeu in ſuo genere.

Ita in terminis Suarez hic diſp. 69. ſect. 4. ubi ait hanc eſſe communem Theologorum ſententiam, & manifeſtè probatur, 1. Ex praxi veteris Eccleſiæ. 2. Ex Patribus ſupra laudatis. 3. Ex præſentis Eccleſiæ ſenſu, quem habemus ex Tridentina Synodo ſeſſ. 13. cap. 8. ubi dicitur: *Paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli, qui chriſtiano nomine cenſentur .... hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis ejus* (Chriſti) *fidei conſtantia & firmitate, & animi devotione ac pietate & cultu credant & venerentur. ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.* Et ſeſſ. 22. cap. 6. ubi hæc leguntur: *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior proveniret.*

Hujus aſſertionis præcipua ex eodem Suarez ratio videtur eſſe: „ quia ſi propter aliquid eſt interdùm probanda abſtinentia hujus cibi, maximè propter conſervandam, vel concipiendam reverentiam ſeu devotionem, ſed ad hoc ipſum non minùs juvat ipſe frequens uſus, ſi prudenter fiat, & mediocri diligentia adhibita: nam & bona conſuetudo juvat ad ſimiles actus meliùs exercendos, & efficacia etiam ſacramentorum multùm confert. Ergo, ſimpliciter & generatim loquendo, favendum eſt potiùs frequentiæ, quàm dilationi. „

Responsio II.

Videtur tamen, raró eſſe alicui conſulendum, ut ordinaria conſuetudine frequentiùs, quàm octavo quoque die communicet.

Ita ibidem in terminis Suarez, qui addit, ita ſentire prudentes viros in hac materia expertos, & communem uſum Eccleſiæ non parùm favere. „ Ratio autem eſt, inquit, quia hoc modo & ſufficienter ſubvenitur fructui animarum, & ratio etiam habetur reverentiæ debitæ ſacramento: nam regulariter loquendo, tot ſunt humanæ vitæ negotia & impedimenta, quæ & animum diſtrahunt, & tempus occupant, ut non poſſint homines frequentiùs accedere cum debita diſpoſitione, nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par eſſet. Hoc tamen ſemel in hebdomada præſtare, regulariter non eſt difficile: imò hinc ſæpe evenit, ut una communio facta opportuno tempore, cum majori fiat fructu, quàm plures ſine debita præparatione, & gratiarum actione. „

Responsio III.

Communio octavo quoque die regulariter facienda, prudenter conſuli poteſt, & re ipſa commenda eſt iis, qui exiſtentes in ſtatu gratiæ, depoſito omni affectu non ſolùm ad mortalia, ſed etiam ad venialia, magnum habent deſiderium communicandi.

Hæc reſponſio eſt planè ad mentem Tridentini, & Patrum ſupra laudatorum, eamque diſertis verbis tradit Gennadius, cum ait: *Omnibus dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Et poſt Gennadium S. Franciſcus Saleſius cap. 20. partis 2. aurei ſui operis, quem Introductionem ad vitam devotam inſcripſit. Confirmari poteſt à fortiori, 1. Ex eo, quòd S. Auguſtinus epiſt. 118. hominem ad communionem quotidianam immunitatem à mortalibus ſufficere exiſtimantem, & ex deſiderio proficiendi quotidie communicantem, judicio ſuo relinquit, & laudat, nec poſtponit ei, qui cenſet eligendos eſſe dies, quibus puriùs homo continentiùſque vivit, quò ad tantum ſacramentum digniùs accedat. 2. Ex eo, quòd Bonaventura loco ſupra citato, ei qui cum morum innocentia ardentem habet charitatem, quotidianam communionem concedit: ardens enim communionis deſiderium, ſignum eſt ardentis charitatis, nec poteſt non eſſe magna morum innocentia in eo, qui omnem affectum etiam ad venialia depoſuit.

Hanc tamen regulam intellige ſecluſis impedimentis, quæ vel ex vitæ ſtatu, vel ex variis occupationibus, vel ex eorum, quibus convivendum eſt, malitia occurrere poſſunt, & propter quæ quis etiam cum præfatis diſpoſitionibus prudenter abſtinebit à communione octavo quoque die regulariter facienda. De quo conſule S. Franciſcus Saleſium loco ſupra citato.

At inquies. Quid ſi quis cum innocentia morum & deſiderio communionis non mediocri, aliquem adhuc retineat affectum ad venialia? *Reſp.* Prudentis erit confeſſarii, tali conſulere, vel non conſulere, ut octavo quoque die regulariter communicet, prout

venia-

venialia, ad quæ adhuc affectus eſt, illum non impedient, vel impedient, ne accedat cum magna reverentia, & ea præparatione, quæ requiritur ad hoc, ut non illi propter communionum frequentiam vileſcat ſacramentum. Prudenter etiam poterit confeſſarius periculum facere; & ſi advertat in pœnitente, poſt communiones aliquot octavo quoque die factas, profectus ſpiritualis deſiderium augeri, nec minui ſacramenti reverentiam, poterit eum deinceps ſuo judicio relinquere; quod videtur omninò eſſe ad mentem S. Thomæ & S. Bonaventuræ locis ſupra citatis.

At inquies. Quidni etiam quotidiana communio prudenter conſuli poſſit alicui hoc ipſo, quòd omnis etiam ad venialia affectus expers eſt, & ardens habet communionis deſiderium? *R.* Præter hæc, ad quotidianam communionem Franciſcus Saleſius loco citato exigit animum ab omni fermè propenſione mala etiam involuntaria liberum, quæ puritas haberi non poteſt ſine ardentiſſima charitate, quæ paucorum eſt. Sed quia tamen non deſunt, qui cum auxilio gratiæ eximium illum perfectionis gradum attigerunt; non deſunt, quibus prudenter conſuli poſſit communio quotidiana, ſecluſis tamen impedimentis, quibus ea conſilio impediri poteſt; quod relinquitur prudentis Confeſſarii.

ARTICULUS VI.

De Communione ſub utraque ſpecie.

Controverſia de communione ſub utraque ſpecie circa annum 1412. in Bohemia exorta eſt auctoribus Petro Dreſdenſi & Jacobello Miſnenſi, qui tunc docere cœperunt communionem ſub utraque ſpecie laicis jure divino neceſſariam eſſe, adeòque Eccleſiam laicis communionem ſub unica ſpecie præcipere non potuiſſe. Hic itaque quæritur, 1. utrùm laici jure divino teneantur communicare ſub utraque ſpecie. 2. Utrùm Eccleſia laicis communionem ſub una ſpecie præcipere potuerit. 3. Utrum juſtam habuerit cauſam præcipiendi. Quibus quæſtionibus ut ſatisfiat, ſit

Responsio I.

Laici non tenentur jure divino communicare ſub utraque ſpecie. Eſt de fide, & *prob.* ſequentibus paragraphis.

§. I.

Probatur reſponſio auctoritate Scripturarum.

Joannis cap.6. Chriſtus ait verſu 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Verſu 58. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Et verſu 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Unde ſic argumentor. Chriſtus promittit gratiam ſanctificantem ſuſcipientibus Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis. Ergo manifeſtè falſum eſt, quòd laici communicantes, jure divino teneantur communicare ſub utraque ſpecie. Ant. patet ex textibus laudatis. *Prob.* conſeq. Nam ſi laici, quoties communicant, jure divino tenentur communicare ſub utraque ſpecie, communicantes ſub unica, peccant graviter contra jus divinum, adeòque ſacrilegè communicant. Atqui manifeſtè falſum eſt, quòd laicus communicans ſub unica ſpecie, peccet graviter contra jus divinum, & ſacrilegè communicet: alioquin Chriſtus gratiam ſanctificantem promittit indignè communicantibus, quod eſt evidenter falſum, & abſurdiſſimum. Ergo, &c.

Obj.1. Chriſtus eodem cap. 6. Joannis dicit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo, &c. *R.* vim præcepti, quod Chriſtus verbis laudatis exprimit, non in modo ſumendi, ſed in re ipſa, quæ ſumitur, conſiſtere; hoc eſt, præceptum hoc obligare tantùm ad ſumendum corpus & ſanguinem Chriſti. At corpus & ſanguis Chriſti; tam verè ſub unica ſpecie, quàm ſub utraque ſumuntur: Chriſtus enim ſub qualibet ſpecie totus eſt. Igitur qui ſacramentum ſub una tantùm ſpecie recipiunt, ſatisfaciunt præcepto Chriſti.

Obj.2. Illud Chriſti apud Matthæum cap.26. *Bibite ex hoc omnes.* *R.* hæc verba ſolis Apoſtolis, qui cum Chriſto in ultima cœna diſcumbebant, dicta fuiſſe, ut patet 1. ex Marco dicente cap. 14. *Et biberunt ex eo omnes.* Illud igitur, *omnes*, ad ſolos Apoſtolos pertinet. 2. Ex contextu apud Matthæum: ibi enim legitur: *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes; hic eſt enim ſanguis meus, &c.* Chriſtus igitur illis dixit: *Bibite ex hoc omnes*, quibus dedit calicem; ſed ſolis Apoſtolis calicem dedit. Dixit autem Chriſtus: *Bibite ex hoc omnes*, ut à primis tantùm relinqueretur, quod reliquis ſufficeret.

Obj. 3. Illud Chriſti Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba non ſolùm ad ſacerdotes, ſed etiam ad laicos pertinent; adeòque præceptum quod illis exprimitur, non ſolùm ſacerdotes ſed etiam laicos obligat. *R.* verba illa apud Lucam poni tantùm poſt datum ſacramentum ſub ſpecie panis, & non repeti poſt datum calicem conſecratum, ac proinde ex illis nihil inferri poſſe pro communione ſub utraque ſpecie.

At inquies. Verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, 1. Corinth. cap. 11. bis poni, ſemel poſt panis conſecrationem, & ſemel poſt conſecrationem calicis. *Reſp.* ita eſſe; ſed poſt conſecrationem panis, ponuntur abſolutè: nam abſolutè dicitur poſt conſecrationem panis, *Hoc facite in meam commemorationem.* At poſt conſecrationem calicis ponuntur cum conditione; dicitur enim, *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*, ut oſtendatur ſumptionem calicis non eſſe præceptam omnibus.

Illud igitur Chriſti, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad ſacerdotes & ad laicos pertinet quidem, ſed non eodem modo: ſacerdotibus enim præcipitur, ut aliquando conficiant Euchariſtiam; & quotieſcumque conficiunt, illam ſub utraque ſpecie ſumant: laicis verò ſolùm præcipitur: ut aliquando communicent ſub ſpecie panis; nec obſtat Apoſtolus, cùm cap. citato ait: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Nam verbis illis Apoſtoli non præcipitur, ut fideles omnes Euchariſtiam ſumant ſub utraque ſpecie, ſed ſolùm præſcribitur modus, quem debent adhibere, ut Euchariſtiam ſub utraque ſpecie dignè & utiliter accipiant.

§. II.

Probatur reſponſio ex praxi veteris Eccleſiæ.

Veterem Eccleſiam in re tanti momenti nec erraſſe, nec errare potuiſſe, non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud heterodoxos exploratum eſt. Atqui in Eccleſia veteri fideles laici ſæpe communicarunt ſub una tantùm ſpecie, & 1. quidem Apoſtolorum tempore, ut patet ex Actorum cap.2. ubi de laicis fidelibus dicitur: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Hic autem agitur de Euchariſtia; non enim ſenſus eſt, Erant perſeverantes in prandiis & conviviis corporalibus, ut fatentur heterodoxi. Lucas igitur loquens de fidelium laicorum communione, meminit ſolius ſpeciei panis: nonniſi quia, aut omnes, aut ſaltem plerique communicabant ſub ſola panis ſpecie, vel quia non ordinariè, ſed ſolùm identidem ſub vini ſpecie communicabant. Ergo, &c.

Tertio & quarto ſæculo fideles Euchariſtiam ſub ſpecie panis in domos ſuas deferebant, ut ſe ipſos communicarent; adeòque fideles tertio & quarto ſæculo ſaltem privatim & extra Eccleſiam ſub una tantùm

ſpecie ſæpe communicabant. Pro tertio ſæculo teſtis eſt Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. ubi ait: *Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes?* Certè illud, quod fideles ante omnem cibum guſtabant, aliud eſſe non poterat, quàm panis conſecratus. Teſtis etiam eſt S. Cyprianus lib. de lapſis, ubi narrat, quòd *cùm quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.*

Pro quarto ſæculo teſtem habemus S. Hieronymum, epiſt. 30. ad Pammachium, ubi ait: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo ... ſed ipſorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant*, ſupple, domi, ut patet ex ſubſequentibus; nam ſic proſequitur: *Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.*

Habemus etiam Baſilium epiſtola ad Cæſariam Patriciam, ubi poſtquam eos, qui temporibus perſecutionum panem conſecratum in ædes ſuas deferebant, & ſe ipſi privatim communicabant, defendit in hunc modum: *Quoniam verò per tempora illa perſecutionum cogebantur homines neceſſario, ſacerdote vel miniſtro non præſente, propriis manibus percipere communionem, non eſt niſi ſupervacuum, ut demonſtrem, illam ipſam rem non eſſe graviter & iniquè ferendam: eò quod inveterata conſuetudo hoc ipſum re ipſa confirmatum dederat*: ſic proſequitur: *Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monaſticam inſtituunt, ubi copia non ſuppetit ſacerdotis, cum habeant domi communionem, de ſuis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum unuſquiſque etiam de plebe ut plurimùm habet domi ſuæ communionem.*

Nec dic S. Doctorem loqui de Euchariſtia ſub utraque ſpecie. Nam quòd de ſola ſpecie panis loquatur, patet ex eo quod paulò poſt ſubjicit: *Nam & in Eccleſia ipſa ſacerdos partem aliquam in manus tradit, & illam apprehendit, qui percipit, cum omni libera poteſtate, atque ita ſuis propriis manibus, eamdem ſuo ori admotam ingerit.* Sola autem ſpecies panis in manus tradebatur fidelibus laicis: ſpeciem verò vini bibebant ex calice, quem ſacerdos vel diaconus tenebat, ut patet ex Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi myſtagogica 5. ubi poſtquam dixit ab iis qui communicaturi ſunt, corpus Chriſti ſub panis ſpecie, manu concava ſuſcipi, poſt pauca ſic pergit: *Tum verò poſt communionem corporis Chriſti, accede & ad calicem ſanguinis illius, non extendens manus, ſed pronus adorationis in modum & venerationis, dicens: Amen.* Adde fideles laicos domi non habuiſſe vas conſecratum, in quo vinum conſecratum ſervare poſſint, ut probatur ex apologia 2. S. Athanaſii, in qua hæc leguntur: *Myſticum poculum, quod impium eum reddit, qui id ultrò frangit, nuſquam niſi apud legitimos Eccleſiæ præſides invenias: hic enim unus uſus eſt calicis, & præter eum alius nullus.*

3. Sæculo quinto Romæ Manichæi, ut laterent, ſumebant cum Catholicis panem eucharisticum, nunquam tamen calicem ſumebant, ut teſtatur S. Leo, ſerm. 4. de quadrageſima. *Cùm*, inquit, *ad tegendam infidelitatem ſuam, noſtris audeant* (Manichæi) *intereſſe myſteriis, ita in ſacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant: ore indigno corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omninò declinant.* Romæ igitur liberum erat ſub una tantùm, vel ſub utraque ſpecie in Eccleſia communicare: nam ſi ſub utraque ſpecie communicandum fuiſſet, Manichæi ſumendo ſolam ſpeciem panis, latere non potuiſſent, ſed ſeſe prodidiſſent, vini ſpeciem non ſumendo. Adde quòd, quia putabant vinum eſſe fel draconis, nunquam communicabant ſub ſpecie vini, & tamen à nullo ſcriptore veteri hoc eorum erroribus acceuſum eſt.

4. Ægrotis ut plurimùm communio dabatur ſub una tantùm ſpecie, nempe ſub ſpecie panis, ut patet ex epiſtola Dionyſii Alexandrini apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccl. c. 44. in qua legitur, presbyterum, cùm morbo detineretur, puero dediſſe particulam Euchariſtiæ, ut eam deferret ad ſenem quemdam Serapionem nomine, qui morti proximus decumbebat, & juſſiſſe ut illam priùs vino madefaceret, quàm ſeni porrigeret. 2. Ex vita S. Ambroſii & S. Baſilii: nam Paulinus presbyter in vita S. Ambroſii narrat, eo animam agente, Honoratum Vercellenſem Epiſcopum, ter cœlitùs admonitum, accurriſſe, illique obtuliſſe corpus Domini, *Quo accepto, ubi glutivit, emiſit ſpiritum.* Et in vita S. Baſilii Amphilochius hæc ſcribit: *Circa horam nonam magnus Pater noſter Baſilius ad Miſſæ miniſterium ſtetit in templo cum electis clericis .... iterumque cum eis panem* (conſecratum) *ſumens, dimiſit eos ....& in lecto recumbens .... reddidit Domino ſpiritum.*

5. Feria ſexta majoris hebdomadæ, ſicut nunc non fit, ita nec prioribus ſæculis fiebat conſecratio, ſed ſacerdos, ſicut nunc communicat ita tunc comunicabat ſub ſola panis ſpecie, ſumendo hoſtiam pridie conſecratam. Primum probatur ex Innocentio I. epiſt. 1. cap. 4. ubi ait: *Conſtat Apoſtolos biduo iſto* (hoc eſt, die, quo Chriſtus occiſus, & ſequenti, quo fuit in ſepulchro) *& in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato; ut traditio Eccleſia habeat, iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari.* Et ex Amalario lib. 1. de eccleſiaſticis officiis c. 15. ubi ait: *Interrogavi Romanum Archidiaconum & ille reſpondit .... qui juxta ordinem libelli* (in quo legerat Amalarius, ſacerdotem celebrantem die Paraſceves vinum conſecrare debere) *per commixtionem panis & vini conſecrat vinum, non obſervat traditionem Eccleſiæ.*

Secundum patet ex lib. ſacramentorum S. Gregorii, in quo in officio feriæ ſextæ majoris hebdomadæ hæc leguntur: *Presbyteri verò duo priores, mox ut ſalutaverint, intrant in ſacrarium, vel ubi poſitum fuerit corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes illud in patena, & ſubdiaconus tenet ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit unus presbyteri patenam, & alter calicem, & deferunt ſuper altare nudatum ..... Deſcendit Pontifex ante altare, & dicit: Oremus ... Cum dixerit*, Amen, *ſumit de ſancta, & ponit in calicem, nihil dicens. Et communicant omnes cum ſilentio, & expleta ſunt univerſa.*

Obj. 1. Fideles laici in veteri Eccleſia ſub utraque ſpecie communicarunt, ut teſtis eſt pro ſecundo ſæculo Juſtinus Martyr in apologia 2. Pro tertio Origenes homilia 16. in Numeros; Tertullianus lib. de reſurrectione, & Cyprianus epiſt. 17. Pro quarto Ambroſius libro de iis qui myſteriis initiantur c. 9. & Hieronym. in c. 2. Malachiæ. Pro quinto Auguſtinus libro quæſtionum in Leviticum quæſtione 57. & in ſermone de ſacramentis apud Bedam in cap. 10. 1. Corinthiorum, &c. *R.* ex Patribus laudatis revera haberi, quòd fideles laici in priſca Eccleſia ſub utraque ſpecie communicaverint: at non dicunt Patres, quod nunquam niſi ſub utraque ſpecie communicaverint; & quòd quandoque communicaverint ſub una tantùm ſpecie, nempe ſub ſpecie panis, ſatis ſuperque demonſtratum eſt; quod nobis ſufficit.

Obj. 2. Gelaſium Papam cap. *Comperimus*, 12. de conſecratione diſt. 2. quo dicitur: *Comperimus autem, quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant; qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.*

Ad hoc Gloſſa reſpondet ſic: *Erant quidam ſacerdotes, qui ordine debito conſecrabant corpus & ſanguinem Chriſti; corpus ſumebant, ſed à ſanguine abſtinebant: de quo miratur Gelaſius, & dicit, ſe neſcire qua ſuperſtitione hoc faciebant, & præcipit, ut aut ambo ſacramenta, ſicut conſecrant, accipiant; aut ab utriuſ-*

que

Digitized by Google

quæ ceſſent: quia in ſacrificante unum ſine altero accipere ſacrilegium eſt.

Alteram ſolutionem affert Bellarminus, lib. 4. de Euchariſtia, cap. 26. „ Gelaſium ſcilicet reprehendere illos dumtaxat, qui ex errore Manichæorum à „ calice abſtinebant, quales erant tum ipſi Mani- „ chæi, tum Priſcillianiſtæ; iſti enim ideò à calice „ abſtinebant, tum quia abhorrebant à vino, tum „ quia exiſtimabant Chriſtum non habuiſſe verum „ ſanguinem; quare Gelaſius non damnat eos, qui „ juſta de cauſa à calice ſe abſtinent, ſed qui ex „ ſuperſtitione, ut verba ipſius indicant, iſti enim „ magno ſacrilegio ſacramentum dividebant, quia „ ſolvebant Jeſum opinione ſua; & ideò rectè jube- „ bantur, aut integra ſacramenta, & quidem ſub „ utraque ſpecie ſumere in ſignum correcti erroris, „ aut ſimpliciter à ſacramento arceri.

§. III.

Probatur reſponſio authoritate Conciliorum generalium.

CONcilium Conſtantienſe ſeſſ. 13. ſic loquitur: *Sicut hæc conſuetudo ad vitandum aliqua pericola & ſcandala, eſt rationabiliter introducta, quòd, licèt in primitiva Eccleſia hujuſmodi ſacramentum reciperetur a fidelibus ſub utraque ſpecie, poſtea à conficientibus ſub utraque, & à laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur, cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenùs dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Unde cùm hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſimè obſervata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libitu mutare: quapropter dicere, quod hanc conſuetudinem aut legem obſervare, ſit ſacrilegum, aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt, &c.* At ſi communio ſub utraque ſpecie fidelibus omnibus jure divino præcepta eſſet, conſuetudo communicandi ſub una tantùm ſpecie irrationabiliter introducta fuiſſet ab Eccleſia & ſanctis Patribus; nec erroneum eſſet, ſed verum, & fidei conſonum, dicere quòd conſuetudinem hanc obſervare illicitum ſit & ſacrilegum, atque ita hoc aſſerentes immeritò tanquam hæretici arcerentur. Ergo, &c.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. can. 1. ſic pronunciat: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere: anathema ſit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos atque etiam clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe: anathema ſit.* At ſi jure divino fidelibus omnibus præcepta eſſet communio ſub utraque ſpecie, nullis juſtis cauſis & rationibus adduci potuiſſet Eccleſia, ut laicos & clericos non conficientes communicaret ſub panis tantummodò ſpecie, & ſic eos communicando graviter erraſſet. Ergo, &c.

Objicies. Euchariſtia inſtituta eſt ad modum convivii ſpiritualis, adeòque ut ad modum convivii ſpiritualis ſumeretur à fidelibus omnibus. Atqui ad convivium ſpirituale requiruntur cibus cum potu ſpirituali. Ergo Euchariſtia inſtituta eſt, ut ſumeretur ſub utraque ſpecie, & non ſub una dumtaxat; adeòque vel non ſumenda eſt, vel ſumenda eſt ſub utraque ſpecie. *R.* neg. min. Nam unaquæque ſpecies ſeorſim ab alia eſt integrum convivium ſpirituale, ut manifeſtum eſt ex dictis alìàs: unde qui ſumit Euchariſtiam ſub ſpecie panis tantùm, vel ſub ſpecie vini tantùm, tam ſumit illam ad modum integri convivii ſpiritualis, quàm qui ſumit eam ſub utraque ſpecie. Adde, quòd qui Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie, putà ſub ſpecie panis recipit, non ſolùm totum & integrum Chriſtum recipit, ſed etiam tantùm gratiæ, quantùm ille qui recipit Euchariſtiam ſub ſpeciebus panis & vini, ut ſuo loco probatum eſt.

RESPONSIO II.

Eccleſia præcipere potuit, & juſtis de cauſis præcepit fidelibus laicis communionem ſub unica ſpecie, nempe ſub ſpecie panis.

Prima pars eſt de fide, & probatur. Quia Eccleſia ordinare poteſt & præſcribere ea, quæ non pertinent ad ſubſtantiam ſacramentorum, nec ſunt jure divino ordinata. Atqui ritus communicandi ſub una, vel ſub utraque ſpecie non eſt de ſubſtantia Euchariſtiæ; nam uſus ſacramenti in re permanenti conſiſtentis, non eſt de ejus ſubſtantia: Euchariſtiæ autem in re permanenti conſiſtit; nec jure divino ordinatus eſt, ut conſtat ex probationibus primæ reſponſionis. Ergo, &c. Tota difficultas eſt in majore, &

Prob. 1. Ex Apoſtolo 1. Corinthiorum cap. 11. ubi cùm loquitur de ritu ſumendi Euchariſtiam, ſic ait: *Cætera autem cùm venero, diſponam* (hoc eſt, conſtituam ac ſigillatim præſcribam cætera, quæ ad dignam & honeſtam Euchariſtiæ ſumptionem ſpectant.) 2. Ex S. Auguſtino epiſt. 118. ubi poteſtatem illam in Eccleſia manifeſtè agnoſcit, cùm ait, ideò Chriſtum non præcepiſſe, *quo deinceps ordine* (Euchariſtia) *ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum.* 3. Ex praxi Eccleſiæ, quæ poteſtatem illam circa ritum adminiſtrandi vel ſumendi ſacramenta exercuit: nam, ut ait Auguſtinus loco proximè citato, præſcripſit, ut Euchariſtia ante omnem cibum ſumeretur. Item aliquando juſſit baptizari homines trina merſione, cùm poſtulavit juſta cauſa, & aliquando juſta cauſa ritum contrarium poſtulante, juſſit eos una merſione baptizari.

4. Ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 21. cap. 2. ubi hæc leguntur: *Præterea declarat* (Synodus) *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cùm ait:* Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; *atque ipſum quidem hac poteſtate uſum eſſe, ſatis conſtat, cum in multis aliis, tum in hoc ipſo ſacramento, cùm ordinatis nonnullis circa ejus uſum:* Cætera, *inquit*, cùm venero, diſponam.

Secunda pars eſt etiam de fide, & *prob.* ex Tridentino: nam poſt verba proximè laudata ſic proſequitur: *Quare agnoſcens ſancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione ſacramentorum auctoritatem, licèt ab initio chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis, latiſſimè jam mutata illa conſuetudine, gravibus & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Huic autem doctrinæ contradicentes anathematizat can. 2. quem ſupra exſcripſimus.

Præcipuam porrò rationem, qua Eccleſia juſtè ac rationabiliter adduci potuit ad præcipiendam laicis communionem ſub una tantùm ſpecie, habemus ex S. Thoma hîc qu. 80. art. 12. in O. ubi ait: *Ex parte ſumentium requiritur ſumma reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti myſterii. Quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſumptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia crevit multitudo populi chriſtiani, in qua continentur ſenes & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus ſacramenti adhibeant: ideò providè in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à ſacerdote ſumatur.* Ex quibus verbis habemus conſuetudinem communicandi laicos ſub ſola panis ſpecie introductam potiſſimùm fuiſſe ad vitandam irreverentiam & profanationes tanti ſacramenti,

quæ in tanta fidelium multitudine vix evitari poſſent, omnes ſub utraque ſpecie communicando; quæ ratio vel ſola ſufficientiſſima fuit ad hoc, ut conſuetudo illa à Conciliis generalibus Conſtantienſi ſcilicet & Tridentino, confirmaretur, ſic ut poſtmodùm vim legis obtineret, & fideles omnes, ſolis ſacerdotibus ſacrum facientibus exceptis, ſub gravi obligaret.

Objicies. Fideles laici jus habent ad ſumendum totum & integrum Chriſtum, ad integrum convivium ſpirituale. Ergo jus habent ad communionem ſub utraque ſpecie. *R.* neg. conſeq. fideles laici ſub una tantùm ſpecie communicantes, ſumunt totum & integrum Chriſtum, & habent integrum convivium ſpirituale. *At inquies*. Saltem defraudantur ea parte gratiæ, quam acciperent, ſumendo etiam ſpeciem alteram, *R.* 1. fideles laicos ſub una tantummodo ſpecie communicantes, nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudari, quod fide certum eſt. 2. Imò tantum gratiæ recipere, quantum ſi ſub utraque ſpecie communicarent.

Quæres obiter, Utrum præceptum eccleſiaſticum communicandi ſub ſola ſpecie panis, Græcos obliget? *R.* neg. Unde Grecorum presbyteri populo licitè diſtribuunt Euchariſtiam ſub utraque ſpecie. Sed inter illos errant aliqui, temerè opinantes communionem ſub utraque ſpecie omnibus etiam laicis jure divino neceſſariam eſſe; inter quos eminet Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in apilogo cenſuræ ſuæ cum Lutheranis, inter abuſus, ut ille loquitur, Eccleſiæ Romanæ hunc primum enumerat, non dare ſpeciem utramque laicis communicantibus.

DISPUTATIO VIII.

De Sacrificio Miſſæ.

ARTICULUS I.

Quid ſit Sacrificium.

RESPONSIO.

SAcrificium propriè dictum eſt, oblatio facta Deo rei alicujus ſenſibilis, quam per actionem ſenſibilem aliquo modo deſtruimus, ad proteſtandum Deum eſſe ſupremum auctorem noſtri eſſe, ac ſupremum dominum vitæ & necis, cui proinde debemus totum noſtrum eſſe, ejuſque deſtructionem, ſi illam exigat.

Dicitur, 1. Oblatio facta Deo: ſacrificium enim eſt latriæ cultus ſoli Deo debitus, ut docet Scriptura Exodi cap. 22. ubi dicitur: *Qui immolat diis, occidetur præterquam Domino ſoli*. Et hoc ipſo naturali lumine agnoverunt gentes omnes, ut obſervat S. Auguſtinus lib. 10. de civ. cap. 4. *Quis vero*, inquit, *ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* Unde S. Doctor lib. 1. contra adverſarium legis cap. 18. ſic loquitur: *Dæmon ſibi ſacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret. Falſus enim Deus ſic ſe vult honorari ab iis, quos decipit, quomodo verus Deus honoratur ab iis, quibus conſulit. Et maximè ſacrificium eſt, quod præcipuè debetur Deo: nam obſequia cætera, quæ divinitati exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbia faſtu homines arrogare. Rariſſimi autem commemorantur, qui ſibi ut ſacrificaretur, cum regia poteſtate poſſent, auſi fuerunt impetrare. Quicumque tamen auſi ſunt, per hoc ſe deos haberi voluerunt.*

Dicitur 2. Rei ſenſibilis, animatæ ſcilicet, vel inanimatæ, rationalis, vel irrationalis: omnia enim, quæ aut in Scriptura, aut uſu gentium ſacrificia propriè dicuntur, conſiſtunt in oblatione alicujus materiæ ſenſibilis. Præterea, ſacrificium debet humano & publico uſui eſſe accommodatum, & quod requiritur, ut ſit in materia ſenſibili.

Dicitur 3. Per actionem ſenſibilem: quia ſacrificium eſt actus externus religionis, ut probatur inductiona ſacrificiorum, quæ hactenùs inſtituta, aut facta fuerunt: nullum enim hactenùs extitit, quod non fuerit oblatum actione ſenſibili. Præterea, natura hominum non minùs exigit, ut actus ſacrificandi ſenſibilis ſit, quàm exigit, ut ſenſibilis ſit res, quæ ſacrificatur. Denique per ſacrificium honor ſenſibilis exhibetur Deo. Ergo neceſſariò ſit per actionem ſenſibilem.

Dicitur 4. Quam aliquo modo deſtruimus: quia ut res oblata dicatur ſacrificari, debet aliquo modo deſtrui. Patet ex omnibus veterum, ſive gentilium, ſive Judæorum ſacrificiis, in quibus aut animalia occidebantur, aut fruges ex toto vel ex parte torrebantur, aut liquores fundebantur, aut res odoriferæ cremabantur. Et ratio eſt, quia ſacrificando intendunt homines ſignificare, ſeſe Deo debere totum ſuum eſſe, & illius deſtructionem, ſi eam poſtulet; ad quod requiritur, ut res oblata aliquo modo deſtruatur.

Dicu, aliquo modo: ad ſacrificium enim neceſſe non eſt, ut res oblata annihiletur, aut phyſicè corrumpatur immediatè per actionem ſacrificandi; ſed ſatis eſt, ſi res oblata corrumpatur moraliter, hoc eſt, ſi per actionem ſacrificandi ponatur in ſtatu deteriori, & inepto ad ſuos uſus naturales, atque ad interitum ſeu phyſicam corruptionem tendente, ut patet in liquoribus, qui fundebantur in libationibus, non enim ſtatim & immediatè per effuſionem corrumpebantur phyſicè, ſed ſolùm ponebantur in deteriori ſtatu, ad eorum uſus naturales inepto, & tendente ad corruptionem phyſicam, quæ brevi poſtea fiebat per reſolutionem partium.

Dicitur denique 5. Ad proteſtandum Deum eſſe, &c. Nam in ſacrificio res oblata aliquo modo deſtrui debet ad honorandum Deum modo ipſi proprio, eique ſoli debito; eatenùs autem ſic per hanc rei oblatæ deſtructionem Deus honorari poteſt, & honoratur, quatenùs fieri poteſt, & fit ex intentione proteſtandi, dignum eſſe Deum, in cujus honorem & cultum totum noſtrum eſſe, cujus ſupremus author eſt ac dominus, conſumatur, & deſtruatur, ſi ipſe id à nobis exigat. Quia autem id non exigit, ſed è contra prohibet; pro noſtro eſſe, quod deſtruere nobis non licet, eſſe alterius rei offerimus, & deſtruimus, ut hac oblatione & deſtructiona ſignificemus, nos noſtrum eſſe pariter oblaturos & deſtructuros, ſi liceret, & oporteret. Hæc porrò proteſtatio & ſignificatio Deo digniſſima eſt, eique maximè honorifica, ac præterea lumini naturali ita conformis, ut ab omnibus ubicumque gentibus aſſumpta fuerit, ad Deum verum, vel putativum, ſupremo cultu venerandum.

Obj. 1. Ad ſacrificium non requiritur deſtructio rei oblatæ, ſed ſatis eſt, ſi res oblata producatur, ut patet ex panibus de ſimila, ex panibus propoſitionis, & ex frixo in ſartagine, quorum coctioni ſacerdotes non minùs, quàm occiſioni animalium vacabant. Patet etiam ex ſacrificio thuris & incenſi, in quo ſacrificabatur, non id quod deſtruebatur, nempe thus & incenſum, ſed id quod ex re deſtructa naſcebatur, nempe ſuffitus. Ergo, &c.

R. Neg. ant. Sacrificium enim non ſolùm eo tendit, ut ſignificet Deum eſſe principium noſtri eſſe, ſed etiam ut proteſtemur nos illi noſtri eſſe deſtructionem debere, ſi id poſtulet; quod facere non poſſumus per rei alicujus productionem, aut per actionem rei oblatæ aliter immutativam, quàm per deſtructionem illius. Ad exemplum panum de ſimila, panum propoſitionis, & frixi in ſartagine, *R.* quòd non tantùm coquerentur à ſacerdotibus, ſed etiam quòd aliqua illorum pars in honorem Dei igne combureretur, reliquo in uſum ſacerdotum cedente; neque enim totum ſacrificium ſemper conſumebatur in Dei honorem, ſed cenſebatur totum conſumi, aliqua ejus parte in cultum Dei deſtructa.

Porrò idem dicendum eſt de ſacrificio Melchiſedechi, aliquid ſcilicet panis igni traditum fuiſſe, & aliquid

Digitized by Google

aliquid vini effuſum; de reliquo verò Abrahamum cum ſociis comediſſe & potaſſe. Nec obeſt, quòd Scriptura harum actionum non meminerit; non enim omnia ſcripta ſunt, & fortaſsè ſcriptor ſacer credidit, quòd ad ſacrificium aliqua rei oblatæ deſtructio requiratur, rem eſſe adeò notam omnibus, ut id exprimere minimè neceſſarium eſſe judicaverit.

Ad exemplum ſacrificii thuris & incenſi, *Reſp.* rem propriè oblatam & ſacrificatam, eam fuiſſe, quæ deſtruebatur, non eam quæ ex deſtructa naſcebatur, quamvis eſſet fortaſsè nobilior; adeòque rem propriè oblatam & ſacrificatam, non ſuffitum, ſed thus & incenſum fuiſſe.

At inquies. Quando in ſacrificando res ſic corrumpitur, ut ex illa naſcatur nobilior & gratior, quæ Deo offeratur, tunc res producta rei oblatæ & ſacrificatæ rationem habet.

Reſp. Id verum non eſſe, niſi quando res illa nobilior, quæ ex aliis producitur, ſimul per actionem ſacrificantis aliquo modo deſtruitur, ut accidit in ſacrificio Miſſæ, in quo per conſecrationem ſic ex pane & vino fiunt corpus & ſanguis Chriſti, ut ſimul aliquo modo deſtruantur: unde in ſacrificio Miſſæ, non panis & vinum, quæ deſtruuntur, ſed corpus & ſanguis Chriſti rationem habent rei oblatæ & ſacrificatæ,

Dices. Immò ad ſacrificium non requiritur actio, qua res producitur, aut deſtruitur, ſed ſufficit actio, quà res attollitur ad proteſtandam Dei eminentiam ſupra res omnes, vel alio quodam modo res ad Dei cultum immutatur: nam v. gr. Levit. cap. 23, panes primitiarum & duo agni perinde ſacrificati dicuntur, atque alia ſacrificata, quorum ibi fit mentio; & tamen poſtquam à ſacerdote elevati erant coram Domino, cedebant in uſum ſacerdotum, neque ibi alia circa illa immutatio præſcribitur. Idem eſt de oblatione hirci viventis, quem Levitici cap. 16. ſacerdos non aliter offerebat, quàm poſita utraque manu ſuper caput ejus, confitendo peccata filiorum Iſrael; tum peccata illa capiti ejus imprecans, illum in deſertum emittebat. Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. *Ad* 1. *prob. Reſp.* Aliquid de panibus primitiarum igne combuſtum fuiſſe, duoſque agnos non ſolùm elevatos fuiſſe coram Domino, ſed etiam in ejus honorem mactatos; quanquam neutrum expreſſum ſit loco citato, quia exprimi neceſſe non fuit.

Ad 2. *prob. Reſp.* Hircum viventem, de quo loquitur Moyſes cap. 16. Levit. non fuiſſe integrum ſacrificium, ſed tantùm partem illius: ibi enim jubet Moyſes, ut offerantur duo hirci pro peccato populi, quorum unus mactetur, & poſtea extra caſtra totus igni comburatur; alter verò per hominem ad id paratum emittatur in deſertum.

Dices iterum. Si ad ſacrificium requiritur actio aliqua ſenſibilis, qua res oblata aliquo modo deſtruatur à ſacrificante; ad hoc ut Chriſtus ſeipſum in cruce ſacrificaret, ſatis non fuit, quòd ultrò ſe tormentis ſubjiceret, & tortoribus offerret, atque ſibi vitam eripi permitteret; ſed neceſſe fuit, ut actione aliqua ſenſibili ad mortem ſuam activè concurreret. *Reſp.* Ita eſſe, videturque Chriſtus hoc feciſſe, cùm capite ſenſibiliter inclinato in ſignum ſubjectionis & humiliationis, emiſit ſpiritum; emiſit, inquam, vi propria, non verò permittendo tantùm, ut à tortoribus ſibi per tormenta eriperetur, juxta illud, quod dicit cap. 10. Joan. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à me ipſo*.

At inquies. Pariter igitur martyres, qui morti ſuæ ex ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu poſitivè cooperati ſunt, ut fecit Sancta Apollonia cum aliquibus aliis, qui ſe in ignem, vel aquam conjecerunt, verè ſe ipſos ſacrificaſſent, ſi deſtructionem ſui intendiſſent ad proteſtandum ſe Deo debere totum ſuum eſſe, eumque dignum eſſe, ut in ejus honorem illud eſſe deſtruatur.

Reſp. Ita eſt; ſed niſi eos excuſaſſet invincibilis ignorantia, tunc graviter peccaſſent, quia ſcilicet, Deus conſtituit, ne ullum aliud ſacrificium in lege nova præter Euchariſticum fiat: Chriſtus enim hoc unum ſacrificium pro lege nova inſtituendo, excluſit alia omnia: unde in hypotheſi facta, Martyres illi fuiſſent nominetenùs Martyres, nec ex Spiritus Sancti, ſed ex proprio inſtinctu morti ſuæ poſitivè cooperati fuiſſent.

Obj. 2. Bonum opus quodlibet, ſaltem ſi fiat ex motivo charitatis, & ex deſiderio uniendi ſe Deo, eſt ſacrificium propriè dictum. Ergo allata definitio ſacrificii vitioſa eſt. *Reſp.* neg. ant. Quod adverſatur primò Scripturæ ſacræ: nam Oſeæ cap. 6. dicitur: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*. Et lib. 1. Regum cap. 15. *Melior eſt obedientia, quàm victimæ*. Quibus locis ſacrificium propriè dictum manifeſtè opponitur aliis operibus bonis, quibus ſcilicet non deſtruitur res aliqua ſenſibilis in honorem Dei. Secundò, communi ſenſui nationum omnium, quæ per ſacrificium propriè ſumptum ſemper intellexerunt actionem ſenſibilem, qua res aliqua animata, vel inanimata, ad ſupremum Deo cultum exhibendum aliquo ſaltem modo deſtruitur.

Adde, unicum eſſe in lege nova ſacrificium, Euchariſtiæ ſcilicet, ut docent Patres, pro quibus omnibus ſit Auguſtinus, qui lib. 8. de Civit. cap. 27. loquens de rudioribus quibuſdam Chriſtianis, qui cibos in Martyrum memorias deferebant, ſic ait: *Quicumque id faciunt, quas* (epulas) *cum appoſuerint, orant, & auferunt ut veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem iſta eſſe ſacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur, ſacrificium Chriſtianorum*. Et lib. 1. contra adverſarium legis, cap. 20. ſic loquitur: *Hæc quippe Eccleſia* (Chriſti) *eſt Iſrael ſecundum ſpiritum, à quo diſtinguitur ille Iſrael ſecundum carnem, qui ſerviebat in umbris ſacrificiorum, quibus ſignificabatur ſingulare ſacrificium, quod nunc offert Iſrael ſecundùm ſpiritum*.

Itaque cùm S. Doctor lib. 10. de Civit. cap. 6. dicit: *Verum ſacrificium eſt omne opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet, ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus*, „ non definit ſacrificium in genere, ut rectè obſervat Bellarminus lib. 1. de Miſſa c. 2. nec ſacrificium propriè dictum, ſed ſolum ſacrificium, quod præcipuè eſt internum, & opponitur ſacrificiis legalibus, & merè externis. Et vocat ſacrificium verum ratione dignitatis, & ratione effectus, non ratione formæ, & eſſentiæ ſacrificii propriè dicti. Non enim vult dicere ſacrificia interna eſſe magis propriè dicta ſacrificia, quàm externa, ſed eſſe præſtantiora, & Deo gratiora, & facilius Deum placare. „

Reſponſionem hanc confirmat Bellarminus ex his Chriſti verbis, Joan. cap. 15. *Ego ſum vitis vera*. „ Nec enim, inquit, Dominus eo loco ſignificare volebat, ſe magis propriè eſſe vitem, quod attinet ad formam & eſſentiam vitis, quàm ſit illa quæ plantatur in vineis: ſed ſolùm eſſe vitem nobiliorem, & effectus excellentiores producere. „ Sed ad eorum omnium, quæ ad ſacrificium propriè dictum pertinent, pleniorem intelligentiam.

Nota 1. Verba illa aſſertionis noſtræ, Oblatio facta per actionem ſenſibilem, intranſitivè accipienda ſunt, hoc eſt, accipienda ſunt pro uno & eodem, quod ſimul eſt oblatio, actio ſenſibilis, & deſtructio rei oblatæ & ſacrificatæ.

Nota 2. Actus ſacrificandi talis eſſe debet, ut fiat modo decenti, pio, venerabundo, & idoneo ad hoc, ut per illum exteriùs oſtendamus, nos velle exhibere, & exhibere re ipſa Deo ſupremum latriæ cultum: unde non quælibet actio ſenſibilis, qua res aliqua ſenſibilis deſtruitur, poteſt eſſe ſacrificium; talis eſt v. g. abſciſſio arboris.

Nota 3. Sacrificium eſt ſignum ex inſtituto. 1. Eſt ſignum; nam ordinatur ad ſignificandum, Deum eſſe ſupre-

ſupremum authorem, ac dominum noſtri eſſe, &c. 2. Eſt ſignum ex inſtituto: licèt enim ex ſe maximè proportionatum ſit ad ſignificandum, Deum eſſe ſupremum authorem ac dominum noſtri eſſe, &c. hoc tamen non ſignificaret ſe ſolo ſine inſtitutione, vel intentione noſtra.

Nota 4. Ad rationem ſacrificii non requiritur, ut ſit inſtitutum authoritate publica, ut patet ex ſacrificiis Caini & Abelis, Geneſ. cap. 4. quæ aliqua authoritate publica inſtituta fuiſſe, nulla ſufficienti ratione probari poteſt. Sacrificium itaque vel authoritate publica inſtituitur, vel privata. Si primum, ſignum eſt publicum & commune. Si ſecundum, ſignum eſt privatum, & ſacrificantis proprium, & nihilominùs verum ac propriè dictum ſacrificium.

Nota 5. Generatim loquendo, neceſſe non eſt, ut ſacrificium ſit ab ipſo Deo inſtitutum: actus enim ſacrificandi tam eſt de jure naturali, quàm actus orandi, & actus adorandi; & homo, ſpectato ſolo jure naturali, poteſt per actionem ſenſibilem religioſam, à ſe ad hunc finem inſtitutam, laudabiliter proteſtari ſupremum Dei dominium ſupra ſe, eique ſupremum latriæ cultum exhibere.

Dixi. Spectato ſolo jure naturali: quia in lege veteri præter ſacrificia à Deo inſtituta, nulla alia fuerunt, aut potuerunt eſſe legitima ſacrificia. Item in lege nova, præter ſacrificium Miſſæ à Chriſto inſtitutum, nullum aliud eſt, aut eſſe poteſt ſacrificium legitimum. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd Deus aliqua ſacrificia inſtituit, cenſetur omnia alia excluſiſſe, ſibique reſervaſſe modum, quo vellet ſibi ſupremum latriæ cultum exhiberi ab hominibus. Hinc Eccleſia non magis poteſtatem habet novum inſtituendi ſacrificium præter ſacrificium Miſſæ, quàm inſtituendi novum ſacramentum; quanquam ſacramenti, qualia ſunt ſacramenta noſtra, inſtitutio difficilior eſt, quàm inſtitutio ſacrificii: vis enim ſignificandi, & efficiendi gratiam, ſola virtute divina alligari poteſt rebus ſenſibilibus: at vis ſignificandi & proteſtandi ſupremum Dei in res omnes dominium, rebus ſenſibilibus alligare, virtutem humanam non excedit.

Porrò cùm dicimus, ſacrificii inſtitutionem non ſuperare vires humanas, exceptum volumus ſacrificium Miſſæ; non enim ab alio inſtitui potuit, quàm à Deo ut cauſa principali: nam mirabilis illa panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem converſio, qua perficitur, eſt opus proprium omnipotentiæ Dei, qui ſolus potuit vim ſive phyſicam ſive moralem efficiendi talem converſionem tribuere verbis conſecratoriis, aut alteri actioni ſenſibili.

Nota 6. Similiter de ratione ſacrificii, generaliter loquendo, non eſt, ut offeratur à miniſtro ad id deputato, & ſacerdote ſtrictè dicto: nam homo quilibet naturaliter habet jus ſacrificandi, ita ut, ſecluſo jure divino id prohibente, licitè & laudabiliter ſacrificaret, etiamſi ſolus & extra omnium aliorum hominum ſocietatem viveret; nec ad id muneris ab ulla communitate ſpecialiter deputatus eſſet. Item de ratione ſacrificii propriè dicti non eſt, ut offeratur ſuper altari: nam per ſe loquendo, poteſt quis ſine altari rem aliquam ſenſibilem offerre Deo, illam piè ac religioſè deſtruendo, ad proteſtandum, Deum eſſe ſupremum authorem, ac dominum ſui eſſe, &c. Patet ex Chriſto, qui ſe Patri obtulit, & propriè ſacrificavit in cruce, quæ non erat altare, ſed patibulum, & inſtrumentum ſupplicii reorum.

Nota 7. Sacrificium, quantùm eſt ex ſe, fieri poteſt abſque verbis, & à fortiori cum verbis populo ignotis. Ratio eſt, quia Deus, cui ſoli fit ſacrificium, cogitationes intelligit, ſive exteriùs verbis exprimantur, ſive non; nec minùs intelligit linguam vulgo ignotam, putà latinam, vel græcam, quàm vulgarem. Ex his apparet, quare ſacerdotes in veteri lege nunquam jubentur uti verbis inter ſacrificandum; & quòd in Euchariſtiæ ſacrificio verba neceſſaria ſint, hoc provenire ex libera inſtitutione Chriſti, qui voluit, per verba panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum ſenſibiliter converti.

Nota 8. Sacrificium non ſolùm ſumitur pro actu ſacrificandi, ſed etiam pro ejus objecto, hoc eſt, pro re ſenſibili, quæ ſacrificatur. Sacrificium autem ſic ſumptum definiri poteſt, Res ſenſibilis, per aliquam ſui deſtructionem oblata Deo, ad proteſtandum eum eſſe rerum omnium authorem, cui totum noſtrum eſſe debemus, ejuſque deſtructionem, ſi eam exigat.

Nota denique 9. Sacrificium dividi multipliciter. Nam 1. dividitur ratione ſtatus ſeu temporis, in ſacrificium legis Naturæ, ſacrificium legis Moſaicæ, & ſacrificium legis Evangelicæ.

2. Ratione materiæ, in victimam ſeu hoſtiam, immolationem, & libamen. Nam ſi ſacrificabatur animal, vocabatur victima ſeu hoſtia; ſi ſacrificabatur res inanimata ſolida, vocabatur immolatio; denique ſi ſacrificabatur res inanimata liquida, vocabatur libamen.

3. Ratione formæ, in holocauſtum, hoſtiam pro peccato, & hoſtiam pacificam. In holocauſto, tota res oblata comburebatur, ita, ut ex ea nihil prorſus in uſum hominum cederet. Hoſtia pro peccato partim comburebatur, partim cedebat in uſum ſacerdotum, qui ex ea veſcebantur in atrio templi. Hoſtia pacifica partim comburebatur, partim verò tum à ſacerdotibus, tum ab iis qui obtulerant, comedebatur.

4. Denique ratione finis, in latreuticum, propitiatorium, euchariſticum, & impetratorium. Latreuticum eſt illud, quod tantùm fit ad honorandum Deum; tale erat holocauſtum. Propitiatorium eſt illud, quod fit pro peccatorum remiſſione obtinenda; & in lege veteri vocabatur Hoſtia pro peccato. Euchariſticum eſt illud, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: impetratorium verò illud, quod fit pro beneficiis impetrandis: utrumque autem Hoſtia pacifica vocabatur in lege veteri. Quare hæc diviſio à præcedenti in re nil differt.

ARTICULUS II.

Utrùm in Miſſa offeratur verum ac propriè dictum ſacrificium.

NOta. Miſſa, ſic dicta, ſecundùm probabiliſſimam ſententiam, à miſſione ſeu dimiſſione populi, accipitur quinque modis. 1. Pro miſſione ſeu dimiſſione catechumenorum, quæ fiebat ante offertorium; vel fidelium, quæ fit poſt integram divini officii celebrationem. 2. Pro divino officio lectionum, precum, & aliorum id genus, quod in Eccleſia celebratur ante dimiſſionem catechumenorum. 3. Pro illa parte liturgiæ, quæ eſt ab offertorio uſque ad finem, quæ propriè Miſſa fidelium dicitur. 4. Pro collectis ſeu precibus, quæ dicuntur in liturgia. 5. Denique pro tota celebratione divini officii, in quo conſecratur Euchariſtia, & ſimul comprehendit Miſſam catechumenorum & fidelium. Hoc ultimo modo hìc Miſſam accipimus.

Nota iterùm. Verum ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri negat Lutherus, qui in formula Miſſæ, quam pro Eccleſia Vvitembergenſi edidit an. 1523. ubi admiſſis iis, quæ in divini officii celebratione ab initio uſque ad Symbolum incluſivè dicuntur, ita pergit: *Sequitur tota illa abominatio, cui ſervire coactum eſt, quidquid in Miſſa præceſſit: unde & Offertorium vocatur, & abhinc omnia ferè ſonant ac olent oblationes*. Et inferiùs: *Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem ſonant cum univerſo canone, retineamus quæ pura & ſancta ſunt*. In confeſſione ſua, quam anno 1528. edidit, dicit ſe Miſſam habere ſupra omnes abominationes, & nihil magis dolere, quàm quòd per annos quindecim Miſſas more Catholicorum celebraverit. Et in lib. de Miſſa privata, quem edidit anno 1534. confiteri auſus eſt, ſe à Diabolo edoctum & perſuaſum, quòd Miſſa ſit ſumma abominatio, idque non per ſomnum, ſed palam dum vigilaret.

Luthe-

Luthero conſentit Calvinus lib. 4. inſtitut. c. 18. ubi contra Miſſam, quam Papalem vocat, blaſphemat in hunc modum: *Peſtilentiſſimo* (Diabolus) *errore totum penè Orbem obcæcavit, ut crederet Miſſam ſacrificium & oblationem eſſe ad impetrandam peccatorum remiſſionem .... Congredi me hic lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus antichriſtus, ac ejus propheta, totum Orbem imbuerunt, nempe Miſſam eſſe opus, quo ſacerdos, qui Chriſtum offert, & alii qui in oblatione participant, Deum promerentur; vel expiatoriam eſſe victimam, qua ſibi Deum reconcilient*. Unde in formula ſacramentorum miniſtrandorum, quam pro Eccleſia Genevenſi concinnavit, nullam planè oblationis mentionem facit.

Contra Lutherum & Calvinum Doctores omnes catholici tenent in Miſſa offerri Deo, & ſacrificari verè, ac propriè corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie viſibili panis & vini; quod & à Tridentina Synodo ſeſs. 22. definitum eſt, quodque ſequentibus paragraphis, quanta fieri poterit brevitate, demonſtrabitur.

§. I.

Verum, ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri, probatur ex veteri Scriptura.

MAlachiæ cap. 1. dicitur: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. Atqui propheta per oblationem illam mundam, intelligit ſacrificium Euchariſtiæ. Ergo, &c.

Prob. ſubſumptum ex Patribus. 1. Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone de ſacrificio Euchariſtiæ locum hunc apertè interpretatur: nam iiſdem illis verbis recitatis, ſic proſequitur: *De noſtris verò gentium, quæ in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt, pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tum locutus prædixit* (Deus per Malachiam) *nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem prophanare*.

2. S. Irenæus lib. 4. cap. 32. ſic loquitur: *Eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens*: Hoc eſt Corpus meum. *Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo teſtamento, de quo in duodecim prophetis Malachias ſic præſignavit*: Non eſt mihi voluntas in vobis, &c.

S. Chryſoſtomus comment. in Pſalm. 95. ſic ait: *Eccleſia, quæ ubique Chriſtum in ſe circumfert ... à nullo prohibetur loco: ſed in omni loco ſunt altaria* (in quibus ſcil. Chriſtus immolatur.) *Hæc prædixit Deus per prophetam ...... Non eſt mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, &c. Vide quam luculenter, quamque dilucidè myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta hoſtia*.

S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate cap. 35. hæc habet: *Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum jam cernimus propagatam, Judæis apertiſſimè dicit ex perſona Dei*. Non eſt mihi voluntas in vobis, &c. Ab ortu enim ſolis, &c. *Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videamus offerri: ſacrificium autem Judæorum .... ceſſaſſe negare non poſſunt*.

S. denique Damaſc. lib. 4. orthod. fidei cap. 14. eodem modo intelligit verba Malachiæ: *Panem hunc* (euchariſticum) *panes propoſitionis adumbrabant*, inquit, *hoc videlicet illud eſt purum & incruentum ſacrificium, quod Dominus à ſolis ortu uſque ad occaſum oblatum iri per prophetam prædixit. Corpus ac ſanguis Chriſti eſt, ad animæ & corporis noſtri incolumitatem tendens, &c.*

Laudatis Patribus conſonat Tridentina Synodus, ſeſs. 22. cap. 1. ubi agens de Miſſæ ſacrificio, ſic ait: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit*.

§. II.

Verum ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri, probatur ex Scriptura nova.

EX Matthæi cap. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. ubi Euchariſtiæ inſtitutio refertur, ſic argumentatur Bellarminus lib. 1. de Miſſa c. 12.
Chriſtus in ultima cœna ſe ipſum ſub ſpecie pa- „
nis & vini Deo Patri obtulit, & idipſum juſſit „
fieri ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, uſque „
ad mundi conſummationem. Sed hoc eſt ſacrifi- „
cium verè, ac propriè dictum obtuliſſe, & offe- „
rendum inſtituiſſe. Ergo celebratio Euchariſtiæ eſt „
ſacrificium propriè dictum. „

Minor per ſe clara eſt; & ita tota difficultas eſt in majore, quam demonſtramus authoritate Patrum, nempe Irenæi lib. 4. cap. 32. ubi ait, Chriſtum inſtituendo Euchariſtiam, *novi teſtamenti novam docuiſſe oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo, offert Deo*.

Cypriani epiſt. 68. ad Cæcilium: *Quis magis*, inquit, *ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt, panem & vinum, ſuum ſcil. corpus & ſanguinem*.

Ambroſii enarratione in pſalmum 38. *Jam diſceſſit*, inquit, *umbra noctis & caliginis Judæorum, dies appropinquavit Eccleſiæ ...... Vidimus principem ſacerdotum* (Chriſtum) *ad nos venientem, vidimus & audivimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum: ſequamur, ut poſſumus, ſacerdotes, ut offeramus pro populo ſacrificium* (quod ipſe in ultima cœna obtulit.) *Et ſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio: quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur, imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo* (conſecratorius) *ſanctificat ſacrificium quod offertur*.

Gregorii Nyſſeni orat. 1. in Chriſti reſurrectionem: *Qui*, inquit, *poteſtate ſua cuncta diſponit .... non Pilati ſententiam expectat ......, ſed conſilio ſuo antevertit, & arcano ſacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, ſe ipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimam immolat, ſacerdos ſimul exiſtens & agnus Dei ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præſtitit? Cum corpus ſuum diſcipulis congregatis edendum, & ſanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declaravit agni ſacrificium jam eſſe perfectum: nam victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit. Quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum diſcipulis exhibuit, jam arcana, & non aſpectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipſius myſterium peragentis poteſtati collibuerat*.

Chryſoſtomi homil. 24. in 1. Corinth. *Chriſtus*, inquit, *ſuam noſtri oſtendit curam, & ardentem in nos charitatem ..... Et pro cæde brutorum ſe ipſum juſſit offerri*. Et hom. 2. in 2. Timoth. ſic ait: *Volo quiddam adjicere planè mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Quid vero iſtud eſt? Sacra ipſa oblatio, ſive illam Petrus, ſive illam Paulus, ſive cujuſvis meriti ſacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamque ſacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet iſta, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciant; ita & oblatio eadem eſt*.

Augu-

Auguſtini concione 2. in Pſalmum 33. ubi dicit: *Ipſe* (Chriſtus) *de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech* (hoc eſt, ſub ſpecie panis & vini. Et lib. 3. contra Donatiſtas cap. 19. *Ipſe Dominus etiam quos mundavit à lepra, ad eadem ſacramenta miſit, ut offerrent pro ſe ſacrificium ſacerdotibus, quia nondum eis ſucceſſerat ſacrificium, quod ipſe poſt in Eccleſia voluit celebrari, &c.* Et lib. 17. de Civitat. cap. 20. *Quid credibilius dicere intelligitur* (Salomon) *quam quod ad participationem menſæ hujus pertinet, quam ſacerdos ipſe mediator teſtamenti novi* (Chriſtus) *exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, propter quod etiam vocem illam in Pſalmo trigeſimo nono ejuſdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoſcimus:* Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi: *quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur.*

Laudatis Patribus conſonat Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ait: *In cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud, ſemel in cruce peragendum, repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem, *uti ſemper catholica Eccleſia intellexit & docuit.*

§. III.

Verùm ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri, probatur ex praxi veteris Eccleſiæ.

IN Eccleſia veteri verum ac propriè dictum ſacrificium offerebatur. Atqui ſacrificium illud, aliud noo fuit quàm ſacrificium Euchariſtiæ. Ergo ſacrificium Euchariſtiæ eſt verum ac propriè dictum ſacrificium. Minor patet ex eo, quòd nullum aliud ſacrificium aſſignari poſſit, quod oblatum fuerit à veteri Eccleſia. Prætereà, Patres ſacrificium illud, quod tunc offerebatur, diſertis verbis aſſerunt & inculcant, fuiſſe ſacrificium corporis & ſanguinis Domini ſub ſpecie panis & vini. Major verò, quamvis non minùs conſtet.

Prob. 1. Ex eo quòd in veteri Eccleſia fuerint altaria & ſacerdotes, ut manifeſtum eſt ex ſcriptis Patrum veterum, & veteribus liturgiis, Jacobi ſcilic. Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, &c. Atqui altaria oon eriguntur, niſi ad offerenda ſacrificia propriè dicta, ut confitentur ipſi novatores; & ſacrificia propriè dicta offerre, proprium ſacerdotum munus eſt, ut docet Apoſtolus Hebræorum cap. 5. *Omnis*, inquit, *pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Et cap. 8. *Omnis pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur.* Ergo, &c.

Prob. 2. *maj.* Authoritate Patrum, qui quod ſuis oculis viderunt, & ipſimet fecerunt, ſcripto mandarunt. Sic autem loquitur S. Ambroſius in Pſalmum 38. *Etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur.* Et S. Auguſtin. lib. [illegible] Fauſtum Manichæum cap. 18. ſic [illegible] *chriſtiani, peracti ejuſdem ſacri*[illegible]*moriam celebrant ſacroſancta o*[illegible]*tione corporis & ſanguinis* [illegible] Trinit. c. 14.

Quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm ſine ulla contagione carnalis concupiſcentiæ, caro nata in utero & ex utero virginali? Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificii noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri?

Chryſoſtomi luculentiſſimum teſtimonium habemus homilia 17. in epiſt. ad Hebræos: *Quid vero*, inquit, *nos non quotidie offerimus? Offerimus quidem, ſed ejus* (Chriſti) *mortem revocamus in memoriam ..... eumdem enim ſemper offerimus: non nunc quidem alium, ſed ſemper eumdem. Quamobrem unum eſt ſacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed unus ubique Chriſtus: qui & hic eſt plenus, & illic plenus, unum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, unum eſt corpus, & non multa corpora; ita etiam unum eſt ſacrificium. Pontifex noſter ille eſt, qui illam obtulit hoſtiam, quæ nos mundat; illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi.*

Confirmatur. Ex confeſſione adverſariorum, qui, vel expreſsè, vel æquivalenter fateri coguntur, evidentia rei, totam antiquitatem ſibi contrariam eſſe, Nam 1. Lutherus in libro de Captivitat. Babylonica cap. 1. poſtquam timidè dixit, fortaſsè à Patribus ſacrificium vocari, non ipſam Euchariſtiam, ſed preces, quæ in Miſſa recitantur, advertens ſolutionem hanc inſufficientem eſſe, intrepidè Patres recuſat, Nam ſic loquitur: *Si nihil habetur, quod dicatur*, (& quo ſatisfiat Patrum authoritati) *tutius eſt omnia negare, quàm Miſſam ſacrificium eſſe concedere*, In libro contra Regem Angliæ ſic ait: *Ultimo dicta Patrum inducit Rex pro miſſario ſacrificio, & videt meam ſtultitiam, quòd ſolus velim ſapere præ omnibus. Hoc eſt, quod dixi, Thomiſticos aſinos habere nihil quod producant, niſi multitudinem hominum, & uſum antiquum.* Et in lib. de Miſſa privata hæc ſcribit: *Hic non moramur, ſi clamitent Papiſtæ, Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis cauſis curamus: ſcimus enim ipſos prophetas lapſos eſſe, adeòque Apoſtolos. Verbo Chriſti judicamus Eccleſiam, Apoſtolos, adeòque ipſos Angelos.*

2. Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 18. §. 10. reſpondet, Patres Euchariſtiam eo tantùm ſenſu intellexiſſe ſacrificium eſſe, quòd ſit memoriale ſacrificii crucis: *Si de approbando ſacrificii commento*, inquit, *quale in Miſſa confinxerunt Papiſtæ, agitur, ejuſmodi ſacrilegio veteres nequaquam patrocinari* (reſpondemus) *Utuntur quidem illi ſacrificii vocabulo: verùm ſimul exponunt, ſe aliud nihil intelligere, quàm memoriam veri illius & unici ſacrificii, quod in cruce peregit Chriſtus.* Sed in hac reſponſione parum confidens, & ſic loquendo mentiri ſe ſentiens, §. 11. fatetur, Patres vocibus uſos eſſe, quibus verum, ac propriè dictum ſacrificium ſignificatur, eoſque reprehendit, quòd in modo actionis ad ſacrificii rationem acceſſerint; quod eſt noo obſcurè confiteri Patres ipſi cootrarios eſſe.

Verba ejus ſunt: *Quia veteres quoque illos video, aliò hanc memoriam detorſiſſe, quàm inſtitutioni Domini conveniebat* (*quod neſcio quam repetitæ, aut ſaltem renovatæ immolationis faciem eorum cœna præſeferebat*) *nihil tutius piis pectoribus fuerit, quàm in pura ſimplicique Dei ordinatione acquieſcere: cujus etiam ideo vocatur cœna, quoniam ſola hic ejus authoritas vigere debet.* Et §. 12. apertè Patrum & Eccleſiæ authoritatem contemnit: *Quò ſublimius eſt*, inquit, *ac ſanctius myſterium, eò religioſius ac majore reverentia tractari convenit. Ergo nihil tutius, quàm ut ablegata omni humani ſenſus audacia, in eo ſolo, quod Scriptura tradit, hæreamus. Et certè ſi cogitamus Domini, non hominum, cœnam eſſe, non eſt cur ulla hominum authoritate, vel annorum præſcriptione, patiamur nos ab illa, vel latum unguem dimoveri.* Quare autem Calvinus hic ad ſolam Scripturam, ſpiritu hæretico intellectam, recurrit, & veteris Eccleſiæ, ac Patrum omnium authoritatem con-

Google

contemnit? Certè quia & à veteri Eccleſia, & à Patribus omnibus ſeſe damnari ſenſit.

Luthero & Calvino addimus Kemnitium in ſecunda parte examiois, ubi ita ſcribit pag. 782. *Negari non poteſt, veteres, quando loquuntur de celebratione cœnæ Dominicæ, uſurpare vocabula ſacrificii, immolationis, oblationis, hoſtiæ, victimæ; item uti verbis, offerre, ſacrificare, immolare.* Et pag. 788. *Sed excipiunt, non illa tantum pietatis exercitia* (nempe eleemoſynas, preces, gratiarum actiones, verbi Dei prædicationem, actus fidei, ſpei, & dilectionis, &c. quæ in Miſſa fiebant) *ſed ipſam actionem cœnæ dominicæ, & quidem ipſum corpus & Sanguinem in cœna à veteribus vocari ſacrificium, oblationem, hoſtiam, victimam: ego verò non nego hæc.* Denique poſt allatas ſolutiones, quibus Patrum, adeòque & veteris Eccleſiæ teſtimonium, aut eludere, aut in alienum ſenſum detorquere conatus eſt, & quarum inutilitatem ipſe vidit, cum Luthero & Calvioq valę dicit Patribus: *Neque*, inquit, *veterum qualeſcumque ſententiæ, ſed Scriptura canonica regula eſt, & norma fidei, & judicii, in hac controverſia.*

Dices. Idem fuit veteris Eccleſiæ, ac Patrum circa Miſſæ ſacrificium ſenſus. Sed cùm Patres dicunt, in Miſſa ſacrificium offerri, loquuntur, vel de eleemoſyna, quæ in Miſſa fiebat, & quæ eſt quoddam genus ſacrificii; vel de precibus, quæ fiebant in celebratiooe cœnæ; nam preces ſunt quædam ſacrificia: vel de gratiarum actione, ad quam in cœnæ celebratione excitantur homines ex conſideratione beneficiorum Dei; gratias enim agere pertinet ad ſacrificium laudis: vel de prædicatione & anountiatione mortis Chriſti, quæ celebrationi cœnæ adjungi ſolebat: vel de variis pietatis actibus, ut fidei, ſpei, charitatis, qui in cœna Domioj exercentur: tales enim actus B. Petrus ſpirituales hoſtias vocat: vel denique de oblatione fidelium, qui io actione cœnæ ſe ipſi, hoc eſt, corpus & animam ſuam Deo voveot & cooſecrant; Paulus enim exhibitionem corporis ad obſequium Dei vocat hoſtiam Deo placentem.

Reſp. Hæc omnia, quæ inutiliter congeruntur à Kemoitio, eſſe ſacrificia quædam ſpiritualia, & impropriè dicta. At Patres cùm loquuntur de ſacrificio Miſſæ, loquuntur de ſacrificio, quod offerebatur ſuper altari, ut patet ex Optato Milevitano libro 6. contra Parmenianum: *Quid eſt*, inquit, *tam ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere?* Et inferiùs: *Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia, ſanctè, ut arbitrabamini, obtuliſtis?* Item loquuotur de ſacrificio, quod offerre non permittebantur mulieres, ut patet ex Tertulliano libro de virginibus velandis c. 9. *Non*, ioquit, *permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre.* Item loquuntur de ſacrificio, cujus offercodi poteſtas ſolis ſacerdotibus ad id ſpecialiter conſecratis competit, ut patet ex Concilio Nicæno can. 18. ubi dicitur, nequidem diaconos offerendi poteſtatem habere. Denique loquuntur de ſacrificio, quod expreſsè dicunt eſſe ipſum corpus & ſanguinem Chriſti. Non ergo loquuntur de ſacrificiis illis ſpiritualibus & impropriè dictis, quæ & ſine altari, & à fidelibus omnibus licitè offerebantur, & offeruntur.

Dices iterum. Patres actiooem cœnæ vocant ſacrificium, quia conſecratio & diſtributio Euchariſtiæ eſt quædam actio ſacra. *Reſp.* Hoc eſſe falſiſſimum. Nam primò, ſi actio cœnæ vocari poſſet ſacrificium ex hoc præcisè, quòd eſt actio ſacra, omnis actio ſacra ſacrificium vocari poſſet; & ita qui confert baptiſmum, rectè dicitur ſacrificare; collatio enim baptiſmi eſt actio ſacra. At quòd baptiſmi collatio ſit ſacrificium, & quòd is qui baptizat, ſacrificet, res eſt inaudita, & contra communem ſenſum gentium omoium.

2. Dato quòd quævis actio ſacra ſacrificium vocari poſſit ob ſimilitudinem vocabulorum, quia ſacrificare ſonat ſacrum facere, non tamen quælibet actio ſacra, oblatio dici poteſt: non enim quicumque actionem ſacram exercet, continuò offert aliquid Deo, ut patet in eo, qui confert baptiſmum. At Patres diſertè aſſerunt in cœna offerri Deo corpus & ſanguinem Domini, & idcircò cœnam eſſe ſacrificium. Ergo ſecundùm Patres, actio cœnæ ſacrificium eſt, non quia præcisè eſt actio ſacra, ordinata ad ſpiritualem fidelium refectionem, ſed quia eſt oblatio corporis & ſanguinis Domini, facta Deo ad proteſtandam ſummam ejus excellentiam.

3. Denique Patres Miſſæ ſacrificium conſtituunt in re permanenti, nempe io corpore & ſanguine Domini, quæ offeruntur ſub ſpeciebus panis & vini: falsò igitur & perperam dicitur, illos nomine ſacrificii, cùm de ſacrificio Miſſæ loquuntur, aliud non intelligere, quàm actionem ſacram. Quòd autem Miſſæ ſacrificium conſtituant in corpore & ſanguioe Domini, quæ offeruntur, &c. manifeſtum eſt ex eorum textibus. Sic Chryſoſtomus dicit homil. 24. in 1. Corinth. *Chriſtus ...., pro cæde brutorum ſeipſum juſſit offerri.* Et homil. 17. in epiſt. ad Hebr. *Eumdem* (Chriſtum) *ſemper offerimus: non nunc quidem alium, ſed ſemper eumdem.* Sic etiam Auguſtinus lib. 2. qu. Evangel. qu. 3. reddens rationem, cur Chriſtus juſſerit leproſo mundato, ut oſtenderet ſe ſacerdoti, & offerret munus pro emundatione ſua, ſicut præceperat Moyſes, dicit: *Ideò juſſiſſe intelligi poteſt, quia nondum eſſe cœperat ſacrificium ſanctum ſanctorum, quod corpus ejus eſt.* Et lib. 4. de Trinitate cap. 14. *Quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificii noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri.* Idem habet concione 2. io Pſalm. 33. & lib. 17. de Civitat. cap. 20. de verbis ſupra relatis.

Dices 3. Cœna Domini vocatur à Patribus ſacrificium, oblatio, immolatio, non quòd re vera ſit ſacrificium, ſed quia eſt commemoratio quædam, & repræſentatio veri ſacrificii, nempe mortis Chriſti; & eodem modo Chriſtum dicunt in cœna immolari, non quòd reverà in ſe propriè immoletur, ſed quia immolatur in ſacramento, hoc eſt, in imagioe & ſimilitudine. Quod probatur ex eo quòd Patres ſæpè dicunt, Chriſtum ſemel tantùm verè immolatum fuiſſe, & Euchariſtiam eſſe repræſentationem illius immolationis. Ergo, &c.

Reſp. Neg. ant. *Ad prob. Reſp.* Patres, cùm dicunt Chriſtum ſemel tantùm immolatum fuiſſe, & immolationis illius memoriam, ac ſimilitudinem eſſe ſacrificium Miſſæ, loquuntur de immolatione Chriſti cruenta, & in propria ſpecie facta in cruce, quæ re vera ſemel tantùm verè, ac propriè peracta eſt, & nunc nonniſi impropriè & repræſentativè peragi poteſt: nam, ut ait Apoſtolus Rom. cap. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel.* At Patres dicendo Miſſæ ſacrificium eſſe commemorationem ſeu repræſentationem ſacrificii in cruce oblati, non negant illud eſſe verum ac propriè dictum ſacrificium; ut

Prob. Nam 1. Sicut ſacrificia veteris legis repræſentabant ſacrificium crucis futurum, & nihilominus erant vera ac propriè dicta ſacrificia; ita ſacrificium Miſſæ nihilominùs verum ac propriè dictum ſacrificium eſt, quamvis illud idem ſacrificium jam præteritum repræſentet; quod apertè agnoſcit S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. ubi ait: *Hebræi in victimis pecorum quas offerebant Deo multis, & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit* (in cruce;) *unde jam Chriſtiani peracti ejuſdem ſacrificii memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.*

2. Si ſacrificium Miſſæ non eſſet in ſe verè ac propriè ſacrificium, ſed tantùm commemoratio & repræſentatio ſacrificii in cruce peracti, nec dici poſſet, nec eſſet oblatio facta Deo, & in celebratione Miſſæ nihil Deo offerretur: manifeſtum enim eſt, eum qui repræſentat tantum oblationem olim Deo

Digitized by Google

nihil de novo offerre Deo. At Patres ſacrificium Miſſæ vocant oblationem, quæ Deo fit, & dicunt offerri Deo corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie panis & vini, quoties cœna celebratur, ut patet ex textibus à nobis jam laudatis. Ergo, &c.

3. Patres apertiſſimè dicunt, per ſacrificium quod in Miſſa offertur Deo, Deo ſupremum latriæ cultum exhiberi, ſeu Deo cultum exhiberi illi ſoli debitum, quique etiam Sanctis exhiberi licitè non poteſt. Atqui per ſacrificium illud, quod ab Eccleſia nunc toto terrarum Orbe offertur Deo, Deo non exhiberetur ſupremus latriæ cultus, ſi non eſſet in ſe verè, ac propriè dictum ſacrificium: hæc enim prærogativa eſt ſolius veri, ac propriè dicti ſacrificii; quod per ſe manifeſtum eſt omni intelligenti, quid veri ac propriè dicti ſacrificii nomine intelligatur. Ergo, &c.

Pro majoris prob. Hic unus nobis ſufficiat Auguſtinus lib. 8. de Civit. cap. ultimo, ubi hæc habet: *Nec tamen nos Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus; quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei ......, Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus* (Miſſæ,) *Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo* (& Deo dicatur, Offero tibi ....) *Non iſta* (nempe dapes à chriſtianis in Martyrum memorias delatas) *eſſe ſacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur, ſacrificium chriſtianorum .... Non conſtituimus ſacerdotes, nec offerimus ſacrificia Martyribus noſtris; quia incongruum, indebitum, illicitum eſt, atque uni Deo tantummodò debitum.*

Juxta S. Doctorem igitur, templa, altaria, & ſacerdotes conſtituuntur, non Martyribus, ſed ſoli Deo, quia templa, altaria, & ſacerdotes ordinantur ad offerenda ſacrificia; adeòque templa, altaria & ſacerdotes conſtitui poſſunt ei ſoli, cui ſoli debentur ſacrificia; ſoli autem Deo debentur ſacrificia; quare? Certè quia per ſacrificia exhibetur cultus, qui ſoli Deo debetur. Quis autem ille cultus eſt, qui debetur ſoli Deo? Certè ſummus latriæ cultus, quo ſcilicet, proteſtamur eum, cui ſacrificamus, eſſe ſupremum Authorem ac Dominum rerum omnium, cui proinde debemus totum noſtrum eſſe, ejuſque deſtructionem, ſi eam exigat. Hinc Eccleſia Miſſæ ſacrificium, non Martyribus, ſed ſoli Deo offert: nullus enim fidelium audivit aliquando ſacerdotem, quamvis ad altare, ſuper ſanctum corpus Martyris conſtructum celebrantem, dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane. Eccleſia autem non offert Martyribus ſacrificium Miſſæ, quia ſacrificium Miſſæ eſt verum ac propriè dictum ſacrificium; atque ita illud offerendo Martyribus, illis ſummum latriæ cultum exhiberet, quod incongruum, indebitum, illicitum eſt, & uni Deo tantummodò debitum. Uni igitur Deo Eccleſia offert Miſſæ ſacrificium, & uni Deo ſacerdos, celebrans etiam apud memorias Martyrum, dicit in precibus: Offero tibi ſacrificium; quia uni Deo ſummus latriæ cultus debetur, & hic cultus exhibetur per Miſſæ ſacrificium ei, cui offertur.

4. Patres de Miſſæ ſacrificio loquentes, de eo dicunt, quæ ſoli verò ac propriè dicto ſacrificio, nullatenùs verò imagini & ſimilitudini ſacrificii, aliàs peracti, convenire poſſunt; ut patet. 1. Ex Euſebio lib. 1. demonſtr. Evang. cap. ultimo, ubi relata Malachiæ prophetia ſic proſequitur: *Sacrificamus igitur Deo altiſſimo ſacrificium laudis: ſacrificamus Deo plenum, & horrorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium, ſacrificamus novo more, ſecundùm novum teſtamentum, hoſtiam mundam.*

2. Ex Cyrillo Hieroſol. catech. myſt. 5. *Poſtquam*, inquit, *confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum ...... maximum eſſe credentes pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii.*

3. Ex S. Ambroſio lib. 1. in Lucam cap. 1. ubi ait: *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus ... Non enim dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur.* Non dicit Chriſtum immolari in ſimilitudine, vel imagine, ſed, quod aliud eſt, ſimpliciter dicit Chriſtum immolari in actione cœnæ. Eodem modo loquitur enarratione in Pſalm. 38. *Etſi nunc*, inquit, *Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur.*

4. Ex S. Chryſoſtomo hom. in Pſalm. 95. *Vide*, inquit, *quàm luculenter, quàmque dilucidè* (Malachias) *myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta hoſtia.*

5. Ex S. Auguſtino lib. 10. de Civitat. *Hujus veri ſacrificii multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.* Et lib. de ſpiritu & littera cap. 11. *In ipſo veriſſimo*, inquit, *& in ſingulari ſacrificio Domino Deo noſtro agere gratias admonemur.*

6. Denique ex Damaſceno lib. 4. orth. fidei c. 14. ubi ait: *Hoc videlicet illud eſt, purum & incruentum ſacrificium, quod Dominus à ſolis ortu uſque ad occaſum oblatum iri per prophetam prædixit: corpus ac ſanguis Chriſti eſt, &c.* Ex dictis hactenùs, manifeſtum eſt Patres ſenſiſſe, Miſſæ ſacrificium non ſolùm ſacrificii in cruce oblati imaginem & commemorationem, ſed etiam in ſe verum ac propriè dictum ſacrificium eſſe.

At inquies. Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 12. littera G. ad hanc quæſtionem: *Si quod gerit ſacerdos,* (in celebratione Miſſæ) *propriè dicatur ſacrificium, vel immolatio; & ſi Chriſtus quotidie immolatur, vel ſemel tantùm immolatus ſit?* ſic reſpondet: *Dici poteſt, illud quod offertur & conſecratur à ſacerdote, vocari ſacrificium & oblationem, quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificii, & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis, & ſemel Chriſtus mortuus in cruce eſt, ibique immolatus eſt in ſemetipſo: quotidie autem immolatur in ſacramento, quia in ſacramento recordatio fit illius, quod factum eſt ſemel.*

Magiſtri mentem aptè exponit Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 15. ubi ait: „ Cùm quærit (Longobardus) an quod ſacerdos gerit, ſit dicendum ſacrificium & immolatio, accipit nomen ſacrificii & immolationis pro occiſione, ac ſi apertiùs quæſiviſſet, an quod gerit ſacerdos, ſit dicenda Chriſti occiſio? Reſpondet autem rectiſſimè, Chriſtum ſemel tantùm verè immolatum, ideſt, occiſum fuiſſe; nunc autem non propriè immolari, id eſt, occidi, ſed ſolùm in ſacramento & repræſentatione. An autem ſit, quod ſacerdos gerit, ſacrificium propriè dictum, ſed incruentum, Longobardus non quærit, ſed præſupponit, ut omnibus notum ex ipſa celebratione quotidiana ſacrificii. „ Hujus expoſitionis à Bellarmino allatæ bonitas Manifeſta eſt ex contextu magiſtri.

Pro nobis igitur contra novatores habemus Eccleſiam veterem, quam ultrò fatentur veram Chriſti Eccleſiam. Quòd autem vera Chriſti Eccleſia in re tanti momenti erraverit, putando ſe habere verum, ac propriè dictum ſacrificium, cum tantùm haberet imaginem & ſimilitudinem veri ſacrificii, & ita quòd Chriſtus ſponſam ſuam in re tanti momenti deſeruerit, manifeſtè repugnat ipſi Chriſto, dicenti Matth. cap. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam;* & cap. ultim. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Sed ut invictum argumentum, quod ex authoritate Eccleſiæ ducitur, totum robur ſuum obtineat, ſit

§. IV.

§. IV.

Verùm ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa efferri, probatur ex perpetua & conſtanti traditione Eccleſiæ.

SÆculo decimo-ſexto, quo tempore Lutherus & Calvinus bellum indixerunt Eccleſiæ, totus Orbis chriſtianus tenebat, in Miſſa offerri verum ac propriè dictum ſacrificium, ut fatetur Lutherus variis in locis. Nam in lib. de captivit. Babylonica cap. 1. ſic ait: *Miſſa creditur paſſim eſſe ſacrificium, quod offertur Deo Accedunt his dicta ſanctorum Patrum, tot exempla, tantuſque uſus per Orbem conſtanter obſervatus.* Et infrà: *Nec moveas, quia totus Orbis contrarium & ſenſum, & uſum habet.* Et in epiſtola dedicatoria libri de abroganda Miſſa ſcribit: *Magnum eſt certè tot ſæculorum conſuetudini, tanta multitudinis ſenſui, tantorumque authoritati reluctari.*

Idem agnoſcit Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 18. §. 1. ubi dicit: *Peſtilentiſſimo errore* (Satan) *totum penè Orbem obcæcavit, ut crederet Miſſam ſacrificium & oblationem eſſe ad impetrandam peccatorum remiſſionem.* Et paulò inferiùs: *Congredi me hic lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichriſtus, ac ejus prophetæ, totum Orbem imbuerunt, nempe Miſſam eſſe opus, quo ſacerdos, qui Chriſtum offert, & alii qui in oblatione participant, Deum promerentur.* At hanc perpetuam ac conſtantem totius Orbis Chriſtiani traditionem fuiſſe, vel neceſſe eſt confiteri adverſarios; vel nobis oſtendere debent, quo tempore, quo loco, quo authore, quibus contradicentibus, cœperit hæc opinio: neque enim Calvinus ſatisfacere unquam videbitur ſapientibus, generatim & abſque ulla probatione aſſerendo, Antichriſtum cum ſuis prophetis hac opinione totum Orbem imbuiſſe. Quo autem tempore, quo loco, &c. credi cœperit in Miſſa offerri verum ac propriè dictum ſacrificium, nec oſtenderunt hactenùs adverſarii, nec oſtendere poterunt unquam.

Præterea, quòd verum ac propriè dictum ſacrificium offeratur in Miſſa, perpetuam ac conſtantem fuiſſe totius Orbis chriſtiani traditionem, *probatur* 1. De Eccleſia Latina, ex libro Sacramentorum Gregorii Magni, ex quo conſtat, eamdem tunc fuiſſe liturgiam, quæ nunc eſt, & in qua tunc ſacerdos celebrans dicebat, ſicut nunc dicit: *Te igitur, clementiſſime Pater, &c. ſupplices rogamus & petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata: imprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, &c. qui tibi offerunt hoc ſacrificium, &c. Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, &c. quæſumus Domine, ut placatus accipias, &c. Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, benedictam, &c. facere digneris, &c. Offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis ac datis, hoſtiam puram, &c.*

Nec dici poteſt, liturgiam hanc à Gregorio Magno fabricatam fuiſſe, & tunc primùm in Eccleſiam Latinam irrepſiſſe; hoc enim falſum eſſe patet ex liturgia Græco-Latina beati Petri, in qua ſacerdos dicit: *Hoſtiam tibi, Domine, deſtinatam in oblationem ſanctifica, &c.* Item: *Te igitur, benigniſſime pater, &c. ſupplices rogamus & deprecamur, ut accepta habeas & benedicas hæc dona, hanc oblationem, hanc ſanctam hoſtiam irreprehenſam.* Item: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cuncti populi tui, quam tibi offerimus, quæſumus Domine, benignè ſuſcipe, &c.* Item: *Tua ex tuis offerimus venerandæ majeſtati tuæ de donis tuis & chariſmatis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ, &c.* Ex quibus apparet liturgiam hanc nihil aut parùm à Gregoriana differre.

Præterea, quòd Eccleſiæ latinæ idem fuerit ſenſus prioribus ſæculis, & ab exordio, teſtis eſt Cyprianus epiſtola 68. *Utique*, inquit, *ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum, ac plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Et Irenæus lib. 4. cap. 34. *Igitur*, inquit, *Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in univerſo Mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei.* Ex quo textu liquet, quod obiter notamus, tempore Irenæi, non ſolùm in Eccleſia Latina, ſed etiam in univerſo Mundo oblationem Deo factam fuiſſe in Miſſa, illamque pro verò, ac propriè dicto ſacrificio indubitanter habitam fuiſſe.

Prob. 2. De Eccleſia Græca pro ſæculo decimo-ſexto, ex Hieremia Conſtantinopolitano Patriarcha, in cenſura ad Confeſſionem Auguſtanam cap. 15. Pro ſæculo decimo-quarto ex Nicolao Cabaſila in expoſitione liturgiæ cap. 32. *Neceſſe eſt*, inquit, *omnia quæ de Deo creduntur, conſervari, & nihil omnino excidere. Quænam autem ea ſunt? Sacrificium hoc non eſſe imaginem & figuram ſacrificii, ſed verum ſacrificium, non eſſe panem id, quod ſacrificatur, ſed ipſum Chriſti corpus, &c.*

Pro ſæculo octavo ex S. Germano Patriarcha Conſtantinopolitano in libro de contemplatione rerum eccleſiaſticarum, ubi ita loquitur: *Sancta menſa eſt vice loci ſepulturæ, in quo poſitus eſt Chriſtus; in qua proponitur verus & cæleſtis panis, quod eſt myſticum & incruentum ſacrificium: qui mactatus, carnem ſuam & ſanguinem in cibum & potum vitæ æternæ propoſuit fidelibus.* Et paulò inferiùs: *In quo altari victimam ſe Chriſtus obtulit Deo & Patri per oblationem corporis ſui ... offerens & oblatus, in myſticum & incruentum ſacrificium, & rationalem hoſtiam fidelibus immolatus, per quam participes efficimur vitæ æternæ & immortalis.* Et multò inferiùs: *Agnoſcite igitur omnes ſacerdotes, qui ſacro altari aſſidetis, & incruentam victimam ſacrificatis, quod vivas paſſiones Chriſti annuncietis.*

Pro ſæculo ſeptimo ex Maximo Martyre in expoſitione liturgiæ: *Quæ autem*, inquit, *in myſtici ſacrificii fine à toto fit populo, &c.* Pro ſæculo quinto ex Chryſoſtomo in liturgia, in qua ſic orat ſacerdos: *Dignare, ut à me peccatore & indigno ſervo tuo hæc dona offerantur: tu enim es, qui offers, & offereris, &c.* Et inferiùs diaconus dicit: Stemus honeſtè, ſtemus cum timore, attendamus ſanctam oblationem in pace offerre.

Pro ſæculo quarto ex Baſilio in liturgia, in qua ſacerdos orat in hunc modum: *Suſcipe nos ad ſanctum tuum altare accedentes ..... ut ſimus digni tibi offerre hoc rationale & incruentum ſacrificium, &c.* Et inferiùs dicit diaconus: *Stemus honeſtè, &c.* ut ſupra in liturgia Chryſoſtomi. Et ex Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi myſtagogica 5. ubi ait: *Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace.*

Pro ſæculo tertio ex S. Hyppolito Martyre, qui Arabiæ Metropolitanus fuit antequam ad Portuenſem Epiſcopatum promoveretur. Hic in oratione de conſummatione Mundi ſic loquitur: *Lugebunt etiam Eccleſiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus; ſed Eccleſiarum ædes ſacræ tugurii inſtar erunt, pretioſumque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, &c.* Et inferiùs: *Venite Pontifices* (loquentem Chriſtum inducit) *qui purè mihi ſacrificium die nocteque obtuliſtis, ac pretioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie.*

Pro prioribus denique, ex Jacobi liturgia, in qua ſacerdos dicit: *Admitte nos accedentes ad ſanctum tuum altare ...... ut digni ſimus, qui offeramus tibi munera & ſacrificium pro nobis .... ut tibi cum omni metu, ac pura conſcientia hoc ſacrificium ſpirituale atque incruentum offeramus.* Et inferiùs: *Veneramur ac tremimus, cùm ad tuum ſanctum altare nobis accedendum eſt, & offerendum hoc ſacrificium verendum & incruentum pro noſtris peccatis.* Et ex presbyteris

Digitized by Google

teris ac diaconis Achajæ in paſſione S. Andreæ Apoſtoli, in qua ſcribunt S. Apoſtolum Ægeæ proconſuli dixiſſe: *Ego immaculatum agnum in altari offero, cujus carnes poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus qui immolatus eſt, integer perſeverat & vivus.*

Igitur quòd in Miſſa verum, ac propriè dictum ſacrificium offeratur, perpetuò & conſtanter in univerſa Chriſti Eccleſia creditum eſt. Atqui quòd perpetuò & conſtanter in univerſa Chriſti Eccleſia creditum eſt, hoc Eccleſiæ Chriſti traditum eſt ab Apoſtolis. Ergo Eccleſiæ Chriſti ab Apoſtolis traditum eſt, quòd in Miſſa offeratur verum ac propriè dictum ſacrificium, ſeu quòd Euchariſtia, quæ in Miſſa conſecratur, non ſolùm imago ſit & ſimilitudo cruenti ſacrificii in cruce peracti, ſed etiam ipſa ſit in ſe verè ac propriè ſacrificium incruentum.

§. V.

Verum ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri, ratione probatur.

VEra religio ſubſiſtere non poteſt ſine propriè dicto ſacrificio, quod ab hominibus, qui in ea ſunt, frequentari poſſit, quandiu ipſa durat. Ergo, vel religio chriſtiana non eſt vera religio, vel habet propriè dictum ſacrificium, quod à Chriſtianis frequentari poteſt, & poterit, quandiu ipſa durabit. Sed religionem chriſtianam eſſe veram religionem, evidens eſt non ſolùm evidentia credibilitatis maxima, ſed etiam evidentia ſimplici, ut ſuo loco demonſtratum eſt, nec diffitentur ii, contra quos hic pugnamus. Ergo religio chriſtiana habet propriè dictum ſacrificium, quod à Chriſtianis frequentari poteſt, &c. Atqui nullum tale habet, ſublata Miſſa. Ergo Miſſa eſt propriè dictum ſacrificium.

Tota difficultas eſt in antecedente, quod ſic demonſtratur. De ratione veræ religionis eſt, ut exhibeat Deo cultum ipſi proprium, & ipſi ſoli debitum: nam de ratione veræ religionis eſt, ut Deum ſummè colat. Non autem ſummè coleret Deum, ſi ei cultum ipſi proprium non exhiberet; imò verò nequidem Deum coleret, ſed potiùs illum ignominia afficeret: ſic, ut ait Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 20. „ Inter homines ſi quis Regi non tribue„ ret titulum honoris, qui ſolis convenit regibus „ (ipſiſque proprius eſt) majeſtatem videl. etiamſi „ conſervaret omnes inferiores titulos, non modò „ regem non honorare, ſed etiam contumelia affice„ re judicaretur. " Atqui cultus Dei proprius, & qui ei ſoli debetur, conſiſtit in ſolo ſacrificio propriè dicto: nam alia omnia honoris genera, quæ illi poſſunt exhiberi, ſunt illi aliquo modo communia cum creaturis, ut facili inductione oſtendi poteſt. Ergo ſine propriè dicto ſacrificio vera religio ſubſiſtere non poteſt, ipſamque neceſſe eſt habere propriè dictum ſacrificium, quod ab hominibus, qui in illa ſunt, frequentari poſſit, quandiu duratura eſt; quod erat probandum.

At inquies. Inde nihil ſequitur pro Miſſæ ſacrificio: nam ſublata Miſſa, adhuc religio chriſtiana habet ſacrificium verè & propriè dictum, nempe ſacrificium crucis. *Reſp.* Cum Bellarmino cap. proximè citato, ſacrificium crucis fuiſſe quidem veriſſimum ſacrificium, ſed tale non eſſe, quale requiritur ad conſtituendam & conſervandam religionem illam, quam in terris Chriſtus eſſe voluit uſque ad conſummationem mundi; adeòque ſi nullum aliud habeamus ſacrificium, planè ſequi, ut nullam habeamus religionem; ut

Prob. Nam 1. Sacrificium crucis non eſt proprium chriſtianæ religionis, ſed commune veris religionibus omnibus, quæ ab initio mundi fuerunt: quotquot enim juſti fuerunt in lege naturæ & Moſaica, juſti fuerunt per participationem hujus ſacrificii. Non igitur chriſtiana religio ab antiquis religionibus per ſacrificium crucis diſtingui poteſt.

2. Sacrificium crucis ſemel oblatum eſt, ac deinde deſiit eſſe, neque poſteà manſit niſi per efficaciam & effectus ſuos: imò verò nunquam fuit tempore religionis chriſtianæ; nam propriè cœpit chriſtiana religio poſt mortem Chriſti. Atqui ſacrificium proprium alicujus religionis debet ipſam perpetuò comitari, cùm ſine illo ſubſiſtere non poſſit.

3. Quævis religio requirit ſacrificium externum, ac viſibile, ad quod homines illius religionis peragendum conveniant, & quod ab ipſis frequentari poſſit. At primò ſacrificium crucis non eſt viſibile reſpectu Chriſtianorum; non enim oculis, ſed ſola fide cernitur; nec ad illud convenire poſſunt Chriſtiani. Secundò, etiamſi viſibile eſſet, & à Chriſtianis cerneretur, minimè frequentari poſſet; non enim fas eſſet, ut Chriſtum toties interficerent Chriſtiani.

4. Denique, ſacrificium religionis chriſtianæ proprium debet eſſe ritus quidam à Chriſto inſtitutus, & Chriſtianis præceptus, pertinens ad cultum, qui latria dicitur: nam inſtituere ſacrificium alicujus religionis proprium, illius eſt, qui religionem illam inſtituit. At ſacrificium crucis; ſeu occiſio Chriſti. 1. Non eſt ritus ab ipſo Chriſto inſtitutus, & Chriſtianis præceptus: neque enim Chriſtus occiſionem ſuam inſtituit, ut cæremoniam à Chriſtianis frequentandam, aut Chriſtianis præcepit, ut ipſum occiderent. 2. Multò minùs dici poteſt pertinere ad cultum, qui latria dicitur: nam occidere Chriſtum non eſt actus, quo Deus colitur, ſed ſummum ſacrilegium, quo Deus ſummè offenditur: unde Judæi Chriſtum occidendo, ſummum ſacrilegium admiſerunt, quo Deum ſummè offenderunt.

Sacrificium igitur crucis nec eſt nec poteſt eſſe ſacrificium religionis chriſtianæ, quæ proinde caret omni ſacrificio, ſi tollatur Miſſæ ſacrificium; unde eo ſublato deſinit eſſe vera religio. At religio chriſtiana eſt vera religio. Ergo Miſſa eſt verum ac propriè dictum ſacrificium, ſacrificium ſcilicet corporis & ſanguinis Domini ſub ſpecie panis & vini, quod ritus eſt ab ipſo Domino in ultima cœna inſtitutus; & Chriſtianis præceptus; ad quod peragendum convenire poſſunt Chriſtiani; quod frequentari poterit uſque ad mundi conſummationem; quod ad cultum, qui latria dicitur, pertinet; per illud enim ipſummet Chriſtum ſacrificando, modo excellentiſſimo exhibemus Deo cultum, ſoli Enti ſupremo, & rerum omnium Auctori ac Domino debitum; quod denique commemorativum eſt ſacrificii in cruce ſemel peracti, cujus eſt perfectiſſima quædam imago, ac ſimilitudo.

Hoc dicit S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Longè*, inquit, *minoris peccati eſt, ebrium redire à martyribus, quàm vel jejunum ſacrificare martyribus. Sacrificare martyribus dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis martyrum: quod frequentiſſimè facimus, illo duntaxat ritu, quo ſibi ſacrificari novi teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, qui latria dicitur, & uni Deo debetur .... Hujus ſacrificii caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur; in paſſione Chriſti, per ipſam veritatem reddebatur, poſt aſcenſum Chriſti per ſacramentum memoriæ celebratur.* Sed

Sic adhuc argumentor. Cum Bellarmino lib. 1. de Miſſa cap. 21. Lex Moſaica habuit ſacrificia propriè dicta. Ergo etiam habet lex Evangelica. Ant. extra controverſiam eſt.

Prob. Conſeq. Nam ſi lex Moſaica habuit ſacrificia propriè dicta, & non habuit lex Evangelica, Deus in lege Moſaica longè magis honorabatur, quàm in Evangelica honoretur. Falſum conſeq. Ergo, &c. Min. patet. Nam ſi Deus in lege Evangelica minus honoretur, quàm honoratus fuit in Moſaica, Chriſtus Patris ſui non gloriam, ut dixit, ſed ignominiam procuravit. *Prob.* ſequel. maj. Nam ſacrificium propriè dictum eſt ſummus latriæ cultus. Ergo ſi ſacrificia propriè dicta fuerunt in lege Moſaica, & non ſunt in Evangelica; ſummus latriæ cul-

tus

tus in lege Moſaica Deo exhibitus fuit, & in Evangelica non exhibetur. Ergo, &c.

Præterea, cauſæ, cur Judæi ſacrificia externa & propriè dicta habuerint, omnes etiam in Chriſtianis inveniuntur: nam Judæi habuerunt ſacrificia externa & viſibilia, quia conſtituebant externam & viſibilem Eccleſiam. Atqui ſimiliter Chriſtiani externam & viſibilem Eccleſiam conſtituunt. Item Judæi habuerunt ſacrificia propriè dicta, ut ſæpe repræſentarent & commemorarent Chriſti mortem, quia eam præſentem intueri non poterant. Atqui ſimiliter Chriſtiani mortem Chriſti præſentem intueri nequeunt. Ergo indigent ſacrificio propriè dicto, quo mortem illam jugiter repræſentent & commemorent. Item Judæi habuerunt ſacrificia propriè dicta, ut Deum honore ſummo, & illi ſoli debito colerent. Atqui ſimiliter Chriſtiani Deum honore ſummo & illi ſoli debito colere tenentur. Item Judæi habuerunt ſacrificia, ut Deum placarent, ab eo beneficia impetrarent, & pro impetratis gratias agerent. Atqui iiſdem de cauſis Chriſtiani ſacrificio indigent; imò cùm plura à Deo beneficia accipiant, quàm *Judæi*, magis quàm Judæi ad ſacrificandum obligantur.

Adde, quòd re ipſa Chriſtiani omnia alia genera honoris & cultus retinent, quibus Deum colebant Judæi, adorationem ſcilicet, invocationem, nuncupationem votorum, hymnos, pſalmos, cantica, dies feſtos, jejunia, &c. Prorſus igitur incredibile eſt, imò & manifeſtè falſum, quòd Chriſtus, ſolum illud genus honoris, quod eſt Dei proprium, Chriſtianis prohibuerit, poſtquam omnia alia permiſit, præſertim cùm Chriſtus nihil procuraverit ardentiùs, quàm Patris ſui gloriam & honorem.

At inquies. Cultus internus nobilior eſt externo. Sed Chriſtiani Deo præſtant cultum internum. Ergo non indigent ſacrificio, quo cultum externum Deo exhibeant. *R.* cum Bellarmino, cultum quidem internum nobiliorem eſſe externo ſolo, at internum cum externo conjunctum, ſeu internum cum externa illius proteſtatione, meliorem eſſe ac nobiliorem interno ſolo. Sacrificium autem propriè dictum ſignum eſt & proteſtatio ſummi cultus interni: unde Chriſtiani ſacrificio propriè dicto indigent; ut cultum Deo, meliorem ac nobiliorem exhibeant.

§. VI.

Verum ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri, probatur denique ex Chriſti ſacerdotio.

CHriſtus munere proprio ſacerdotis fungitur viſibiliter in Eccleſia. Ergo Chriſtus viſibiliter ſacrificat in Eccleſia: nam munus proprium ſacerdotis eſt offerre ſacrificia, ut jam probatum eſt, & agnoſcunt ipſimet novatores: unde volunt, Chriſtum Eccleſiæ ſuæ, non ſacerdotes, ſed tantùm verbi & ſacramentorum miniſtros dediſſe. Ergo Chriſtus viſibiliter ſacrificat in Eccleſia per ſacerdotes in perſona ipſius ſacrificantes viſibiliter; hoc enim per ſe ipſum jam præſtare non poteſt. Ergo ſacerdotes in perſona Chriſti viſibiliter ſacrificant in Eccleſia. Atqui tunc, aut nunquam, viſibiliter ſacrificant in perſona Chriſti, cùm in perſona Chriſti conſecrant Euchariſtiam; hoc enim unum faciunt in perſona Chriſti ſacerdotes; & in aliis omnibus, ſive orent pro populo, aut illum benedicant, ſive alia ſacramenta conficiant, agunt in ſua, non in Chriſti perſona. Ergo conſecratio Euchariſtiæ eſt verum ac propriè dictum ſacrificium.

Totum hoc argumentum confirmetur his Pſalmi 109. verbis: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech:* quæ verba, ſecundùm Patres & Interpretes omnes, ad Chriſtum ut hominem pertinent. Eorum autem ſenſus eſt: Deus Pater tibi Chriſto ut homini cum jurejurando promiſit, uſque ad mundi conſummationem duraturum in Eccleſia ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, nec promiſſionem revocabit aliquando.

Chriſtus igitur ut homo, à Deo Patre conſtitutus eſt, ut eſſet in Eccleſia ſacerdos uſque ad conſummationem mundi; adeoque à Deo Patre conſtitutus eſt, ut in Eccleſia viſibiliter ſacrificaret uſque ad conſummationem mundi: nam ut ait Apoſtolus Hebræorum cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis:* conſtitutus autem eſt, ut eſſet in Eccleſia ſacerdos uſque ad conſummationem mundi, non ſecundùm ordinem ſeu ritum Aaronis qui victimas offerebat, ſed ſecundùm ordinem ſeu ritum Melchiſedech, qui non victimas, ſed panem & vinum obtulit; quia conſtitutus eſt, ut in Eccleſia uſque ad conſummationem mundi per ſacerdotes, perſonam ejus induentes, ſub ſpecie panis & vini corpus & ſanguinem ſuum offeret per verba conſecratoria, ab illis in ipſius perſona prolata.

Hunc porrò Scripturæ laudatæ ſenſum eſſe, docent Patres, ut Theodoretus in Pſalmum 109. ubi Scripturam illam interpretans, ſic ait: *Sacerdos autem nunc eſt Chriſtus ... non ipſe aliquid offerens, ſed vocatur caput eorum, qui offerunt, quandoquidem ejus corpus Eccleſiam vocat; & propterea* (non per ſe quidem, ſed per ſacerdotes) *ſacerdotio fungitur, ut homo; recipit autem ea, quæ offeruntur, ut Deus: offert autem Eccleſia* (per ſacerdotes in ejus perſona agentes) *corporis ejus & ſanguinis ſymbola*) hoc eſt, corpus & ſanguinem ejus ſub ſpeciebus panis & vini, ſub quibus ſunt imago & repræſentatio ſui ipſorum, ut fuerunt in cruce, ut aliàs explicatum eſt.)

S. Auguſtinus ſerm. 4. de Sanctis: *Quid reverentius,* inquit, *quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech? rectè ſub altario juſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur .... Nemo meliùs præter Martyres meruit ibi requieſcere, ubi & hoſtia & Chriſtus eſt & ſacerdos.*

Oecumenius in commentario capitis 5. epiſtolæ ad Hebr. ubi ad hæc verba, *Tu es ſacerdos, &c.* ſic loquitur: *Significat ſermo, quod licèt Chriſtus non obtulerit incruentam hoſtiam* (in cruce,) *nam ſuum ipſius corpus obtulit; attamen qui ab ipſo fungentur ſacerdotio, quorum Deus Pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerent: nam hoc ſignificat* in æternum. *Neque enim de ea, quæ ſemel à Deo facta eſt oblatio* (cruenta) *& hoſtia* (in cruce) *dixiſſet* in æternum; *ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur: qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit hujuſmodi ſacrificii.*

Theophilactus enarratione in caput idem epiſtolæ ad Hebræos, exponens eadem illa verba, *Tu es ſacerdos, &c.* hæc ſcribit: *De Chriſto itaque etiam dictum eſt, quod ait,* Tu es ſacerdos in æternum .. *Solus enim ille pane & vino ſacrificium conſecravit, perinde ac Melchiſedech. Qui verò dixit* in æternum? ... *Quia quæ in ſingulos dies fit, & futura eſt in perpetuum oblatio per Dei miniſtros, ipſam habet Pontificem & Sacerdotem Dominum, atque adeò ipſam hoſtiam, qui ſe ipſum pro nobis ſanctificat, & frangitur, & diſtribuitur, &c.*

Anſelmus denique in commentario ejuſdem epiſtolæ, eadem verba, *Tu es ſacerdos, &c.* ſic exponit: Tu es ſacerdos, *id eſt, ſacra dans per te & per tuos:* in æternum, *id eſt, quamdiu durabit hoc ſæculum, quia non tranſibit ſacerdotium Chriſti, ut aliud ſuccedat, ſicut tranſivit Leviticum. Sacerdos es, & hoc* ſecundùm ordinem Melchiſedech: *quia ſicut ille panem & vinum obtulit Abrahæ revertenti à cæde regum, ſic tu in figura panis & vini dabis corpus & ſanguinem tuum victoribus vitiorum ... Hac auctoritate manifeſtatur, quod eum Deus Pater ſacerdotem & Pontificem conſtituit.* Hìc tamen cum grano ſalis intelligendus eſt ſecundùm mentem omnium alio-

rem Patrum, quibus eum planè conſenſiſſe, pro certo ſtatui debet.

Poſtquam verum ac propriè dictum ſacrificium in Miſſa offerri, ſatis ſuperque demonſtravimus, unum ſupereſt nobis, ut cum Trid. Synodo ſeſſ. 22. can. 1. dicamus: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum ac proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit.*

§. VII.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Euchariſtia eſt ſacramentum, & teſtamentum Chriſti. Ergo non eſt ſacrificium. *R.* neg. conſeq. Euchariſtia igitur eſt ſacramentum, teſtamentum, & ſacrificium ſub diverſis reſpectibus; nam eſt ſacramentum, quatenùs ſignum eſt ſenſibile gratiæ nutrimentalis, quæ Euchariſtiam dignè ſuſcipientibus confertur. Eſt teſtamentum, quatenùs inſtrumentum eſt, quo applicantur nobis promiſſiones nobis à Deo factæ. Eſt denique ſacrificium, quatenùs in ea Chriſtus, ſecundùm corpus & ſanguinem ſuum, ſub ſpecie panis & vini poſitus eſt in ſtatu deteriori, ad uſus naturales incepto, & ad interitum tendente, ut infra dicetur, & explicabitur.

Obj. 2. In iis Scripturæ locis, in quibus refertur inſtitutio Euchariſtiæ, Chriſtus non dicitur in ultima cœna ſacrificaſſe, Euchariſtiam inſtituendo & conſecrando. Ergo tunc non ſacrificavit, adeoque nec ſacerdotes nunc ſacrificant, cùm conſecrant Euchariſtiam. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Evangeliſtæ non referunt multa, quæ tamen à Chriſto in ultima cœna geſta fuiſſe, nemo revocat in dubium. Sic non dicunt, Chriſtum in ultima cœna immolaſſe agnum paſchalem, eumque cum lactucis agreſtibus, accinctis renibus, & cum baculo in manu comediſſe; imò nequidem expreſsè aſſerunt, agnum paſchalem comediſſe: quis autem idcircò dubitat, quòd Chriſtus agnum paſchalem immolaverit, vel ſaltem quòd à ſacerdotibus in templo immolatum cum diſcipulis comederit, & quidem eo ritu, quem lex præſcribebat? Item Evangeliſtæ non ſcripſerunt, Chriſtum in calice, quem calicem ſanguinis ſui nominavit, vinum aqua temperatum poſuiſſe, imò nequidem ſcripſerunt, in eo poſuiſſe vinum, & tamen quòd Chriſtus in illo calice vinum aqua temperatum poſuerit, inficiatur nemo.

Multa igitur Chriſtus in ultima cœna fecit, quæ ab Evangeliſtis non narrantur; & non narrantur, quia Evangeliſtæ brevitati ſtudebant, & ea à Chriſto facta fuiſſe, ex circumſtantiis facilè intelligi poterat. Quòd autem Chriſtus in ultima cœna ſacrificaverit, ac ſeipſum verè ac propriè Deo Patri obtulerit ſub ſpecie panis & vini,

Habemus 1. ex Patribus, pro quibus omnibus unus hic Cyprianus epiſt. 68. *Qui*, inquit, *magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui* (in ultima cœna) *ſacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.* Et paulò inferiùs ſic habet: *Ut ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit ante imago ſacrificii* (aliquando à Chriſto offerendi per inſtitutionem Euchariſtiæ) *in pane & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit* (quando ſcilicet Euchariſtiam inſtituit, & corpus ac ſanguinem ſuum, ſub ſpecie panis & vini immolavit.)

Habemus 2. ex ipſa Euchariſtiæ inſtitutione, quam Evangeliſtæ referunt: manifeſtum enim eſt, Chriſtum Euchariſtiam conſecrando ſacrificaſſe, hoc ipſo quòd ad proteſtandam ſupremam Patris ſui excellentiam, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis & vini reproduxit per actionem moraliter deſtructivam utriuſque.

Obj. 3. Chriſtus ſacerdos eſt in æternum. Ergo nulli debent Chriſto ſubſtitui ſucceſſores in ſacerdotio. Ergo nulli ſunt modò ſacerdotes in terris, proindeque nec ſacrificia. *Reſp.* conc. ant. cum prima conſequentia, neg. ſecundam conſequentiam. Quamvis enim Chriſtus ſit ſacerdos in æternum, & ita illi nulli debeant ſubſtitui in ſacerdotio ſucceſſores, poſſunt nihilominùs eſſe alii multi in terris ſacerdotes, qui miniſtri ſint & vicarii Chriſti in ſacerdotio, per quos nunc viſibiliter & humano modo ſacrificet in terris, cùm hoc ipſe per ſe non ampliùs præſtet, nec præſtare poſſit: imò verò hoc exigit æternum Chriſti ſacerdotium: Chriſtus enim catenùs ſacerdos eſt in æternum, ut ſupra oſtenſum eſt, quatenùs in terris viſibiliter & humano modo per miniſtros & vicarios ſuos ſacrificaturus eſt uſque ad mundi conſummationem.

Dices. Apoſtolus ad Hebræos cap. 7. excludit multiplicationem ſacerdotum in novo teſtamento. *Reſp.* Apoſtolum excludere multiplicationem ſacerdotum ejusdem dignitatis ac poteſtatis cum Chriſto, non autem ſacerdotum inferiorum, qui Chriſti miniſtri ac vicarii ſint & dicantur. Itaque in novo teſtamento nullus Chriſto ſuccedit in eadem dignitate & poteſtate, quia Chriſtus ſemper vivit, juxta illod Apoſtoli: *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur;* ipſo tamen vivente, multi alii ſacerdotes inferiores ordinantur, qui ſint ejus vicarii & miniſtri; ſicut in teſtamento veteri, vivente Aarone, multi erant inferiores ſacerdotes; licèt nemo ei in dignitate & poteſtate ſucceſſiſſet, ſi nunquam mortuus fuiſſet, nec Eleazarus ei in dignitate & poteſtate ſucceſſerit, niſi quia mortuus eſt.

Dices, Multiplicatio ſacerdotum etiam inferiorum, repugnat unitati ſacerdotii Chriſti. *R.* Hoc eſſe falſum: nam unitati ſacerdotii Chriſti repugnat ſola multiplicatio ſacerdotum ejuſdem dignitatis & poteſtatis; ſic unitati magiſterii & doctoratus Chriſti repugnat ſola multiplicatio magiſtrorum & doctorum ejuſdem dignitatis & poteſtatis, non multiplicatio magiſtrorum & doctorum inferiorum.

Obj. 4. Sacrificium crucis vim habet infinitam & æternam ad ſanctificandum, & remittenda peccata. Ergo non indigemus alio ſacrificio. *Reſp.* ex antecedente ſequi tantùm, quòd non indigeamus alio ſacrificio crucis, aut ejuſdem ſacrificii crucis repetitione; hoc eſt, ut aut alius Chriſtus pro nobis moriatur, aut idem Chriſtus moriatur ſæpiùs: at hoc non obſtante, adhuc indigemus alio ſacrificio incruento, 1. Ad conſtituendam religionem noſtram, quia ſine ſacrificio externo vera religio ſubſiſtere non poteſt. 2. Ad exhibendum Deo ſupremum latriæ cultum, eique ſoli debitum; hic enim cultus per ſolum verum ac propriè dictum ſacrificium exhiberi poteſt. 3. Ad commemorandum ſacrificium crucis: nam ſi populus Judaicus habuit ſacrificia, quibus ſacrificium crucis futurum repræſentaret, quare populus Chriſtianus non habebit ſacrificium, quo repræſentet ſacrificium crucis præteritum? 4. Ut fructus ſacrificii crucis nobis applicentur. Pro quo

Nota. Sacrificio crucis pretium redemptionis noſtræ Chriſtus Deo Patri perſolvit, & homines omnes ſacrificio crucis redempti ſunt quantùm ad ſufficientiam pretii pro omnibus à Chriſto perſoluti; ſupereſt, ut pretium illud ſingulis applicetur per media ad hunc finem à Deo inſtituta, quæ plura & varia ſunt; ut ſic homines faciliùs, ſuaviùs, & pleniùs crucis fructus conſequantur: unum autem ex mediis illis, & quidem efficaciſſimum, eſt incruentum Miſſæ ſacrificium, quod perperam negant Novatores.

Dices. Apoſtolus Hebr. cap. 9. excludit iterationem oblationis Chriſti. *R.* Apoſtolum excludere iterationem oblationis cruentæ, quæ in cruce facta eſt, non iterationem oblationis incruentæ, quæ conſiſtit in Miſſæ ſacrificio. Verba Apoſtoli ſunt: *Non enim in manufacta ſancta Jeſus introivit, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, neque ut ſæpe offerat ſemetipſum* (modo

cruento, & ſanguinem ſuum in cruce fundendo) *quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam* (in cruce oblatam) *apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt* (& mortuus in cruce) *ad multorum* (id eſt, omnium; nam omnes ſunt multi) *exhaurienda peccata* (quantùm ad ſufficientiam ſatisfactionis, poſtea in particulari applicandæ per media ad id à Deo inſtituta; quibus mediis non fit injuria cruci, nec virtus ejus evacuatur, ſed è contra oſtenditur, dum per ea applicatur hominibus.

Nota. Ad remiſſionem peccatorum duo requiruntur, pretium ſcilicet remiſſionis, ſeu ſatisfactio juſta, ac divinæ juſtitiæ debita, & hujus pretii applicatio hominibus in particulari facta. Quantùm ad primum, peccata omnia per ſacrificium crucis remiſſa fuerunt; Chriſtus enim per ſacrificium crucis ſatisfactionem pro peccatis omnibus ſufficiensiſſimam Deo Patri exhibuit. Quantùm verò ad ſecundum, nondùm facta eſt remiſſio omnium peccatorum; adhuc enim ſunt, & uſque ad mundi finem erunt, quibus applicandum ſit pretium remiſſionis, à Chriſto in cruce perſolutum, & ſimpliciter remittenda ſint peccata per hanc applicationem, quæ quotidie fit, & uſque ad finem mundi fiet per ſacrificium Miſſæ, per ſacramenta, & alia media, quæ Deus inſtituit. Ex his porrò intelligitur, quid velit Apoſtolus Hebr. cap. 10. cùm ait, *Una oblatione* (facta in cruce) *conſummavit in æternum ſanctificatos.*

Obj. 5. Ad verum & propriè dictum ſacrificium requiritur occiſio hoſtiæ. Ergo ſi Chriſtus verè ac proprie ſacrificatur in Miſſa, innumeris in locis quotidie crudeliter occiditur. *R.* in ſacrificio rei viventis occiſionem requiri, quando in forma rei viventis & in propria ſpecie ſacrificatur, ut cùm offeruntur agni, vituli, aves, &c. quorum deſtructio in morte conſiſtit, quique proinde occidi debent, ut verè ac propriè ſacrificentur. At cùm ſacrificatur res inanimata, aut res vivens in aliena ſpecie & in forma rei inanimatæ, ad hoc ut verè ac propriè ſacrificari dicatur, non requiritur occiſio, ſed ſufficit moralis deſtructio rei, ut patet in ſacrificiis panis, vini, thuris, aut aliorum hujuſmodi, quæ olim ſacrificabantur, quarenùs in honorem Dei moraliter deſtruebantur, per actionem, qua ponebantur in ſtatu deteriori ad uſus naturales & humanos inutili, & tendente ad corruptionem phyſicam. In Miſſa autem offertur quidem Chriſtus, qui eſt res vivens, ſed offertur in forma rei inanimatæ, & in ſpecie aliena, panis ſcilicet & vini: unde ad hoc ut Miſſa ſit verum ac propriè dictum ſacrificium, non requiritur, ut occidatur Chriſtus, ſed ſufficit, ut moraliter deſtruatur ſecundùm corpus & ſanguinem.

Obj. 6. Si in Miſſa eſt verum ac proprie dictum ſacrificium, Miſſa eſt novum teſtamentum, diſtinctum ab eo quod Chriſtus inſtituit in cœna ultima, & novam promittit remiſſionem peccatorum. *R.* Miſſam non eſſe novum teſtamentum, ſed teſtamenti illius, quod Chriſtus inſtituit repetitionem; nec novam remiſſionem peccatorum promittere, ſed pretium remiſſionis, quod nobis per ſacrificium crucis acquiſitum eſt, nobis applicare.

Obj. 7. In nova Scriptura miniſtri eccleſiaſtici non vocantur ſacerdotes. Ergo revera tales non ſunt, proindeque nec eſt in Eccleſia ſacrificium propriè dictum. *Reſp.* neg. conſeq. Quare autem miniſtri eccleſiaſtici ſacerdotes non vocentur in novo teſtamento, hanc veram rationem reddit Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 17. „ Quia tempore Apoſtolorum adhuc vigebat ſacerdotium Judaicum, & ſacrificia cruenta offerebantur in templo Hieroſolymitano, Apoſtoli, Domino inſpirante, non utebantur nominibus ſacerdotii, ſacrificii, templi, altaris, & ſimilium rerum, ut faciliùs diſtinguerent chriſtiana ſacra à judaicis, & ne putarentur, ſi iiſdem uterentur vocibus, eoſdem illos ritus innovare, aut confirmare. Sed paulò poſt everſo templo Hieroſolymitano, ceſſantibus omninò ſacrificiis Hebræorum, liberè cœperunt antiquiſſimi Patres uti nominibus templi, altaris, ſacerdotis, & ſacrificii, ut res ipſa poſtulabat. „

Obj. 8. Minutius Fœlix in dialogo, qui inſcribitur Octavius, inducit Cæcilium ethnicum ita loquentem cum Octavio chriſtiano: *Cur nullas aras habent* (Chriſtiani) *nulla templa, nulla ſimulachra? Reſp.* cum Bellarmino lib. citato cap. 16. ita loquentem induci Cæcilium ethnicum, quia temporibus illis duplici de cauſa diligentiſſimè cavebant Chriſtiani, ne ulli ethnici ſacris noſtris intereſſent. Primò, quia ad tanta myſteria intuenda non erant idonei. Secundò, ob metum perſecutorum, propter quam cauſam Chriſtiani frequenter in cryptis, & cavernis, vel certè in privatis domibus rem divinam furtim facere cogebantur: unde vulgò ab ethnicis exiſtimabantur planè Athei, eò quòd nullis diis palam ſacrificare cernerentur. Quòd autem non ſolùm tempore Minutii Fœlicis, qui fuit æqualis Cypriani, ſed etiam multò ante, Chriſtiani altaria habuerint, manifeſtum eſt ex Tertulliano & Cypriano.

ARTICULUS III.

In quo conſiſtat materia ſacrificii Miſſæ.

RESPONSIO.

Materia ſacrificii Miſſæ, ſeu res oblata & ſacrificata in Miſſæ ſacrificio, eſt Chriſtus ipſe, non quidem in propria ſpecie, ſed prout exiſtit ſub ſpeciebus panis & vini.

Prob. 1. Auctoritate Patrum, qui hoc diſertis verbis affirmant, & quorum textus articulo ſuperiore multis paragraphis retulimus. 2. Auctoritate Concilii Tridentini ſeſſ. 22. Nam cap. 1. dicit Chriſtum *corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtuliſſe: ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidiſſe, & eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepiſſe per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* Tum ſic proſequitur: *Nam celebrato veteri paſcha ... novum inſtituit paſcha ſe ipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, &c.*

Et initio capitis 2. ſic ait: *Et quoniam in divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit, docet ſancta Synodus, &c.* Et inferiùs: *Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.* Docet igitur diſertis verbis Synodus in Miſſæ ſacrificio rem oblatam & ſacrificatam, ſeu hoſtiam, eſſe Chriſtum ipſum, & quidem ut nobis videtur ſolum.

Dixi autem, non in propria ſpecie, ſed prout exiſtit ſub ſpeciebus panis & vini: nam Chriſtus ſecundùm propriam ſpeciem, & prout eſt in cœlo, non ſacrificatur, quia ut talis non attingitur nec immutatur per actionem ſacrificandi, ſeu per Euchariſtiæ conſecrationem; ſed ſacrificatur, prout exiſtit ſub ſpeciebus Euchariſticis, quia ut talis attingitur, & immutatur per actionem ſacrificandi, quantùm requiritur ad verum & propriè dictum ſacrificium: immutatur autem per actionem ſacrificandi, quantùm ad verè ac propriè dictum ſacrificium requiritur, non præcisè quia vi verborum immolatur myſticè per myſticam corporis & ſanguinis ejus ſeparationem, talis enim

immutatio ad veram & propriam ſacrificii rationem non ſufficit; ſed quia ponitur ſub ſpeciebus panis & vini in ſtatu deteriori ſecundùm corpus & ſanguinem ſuum, utpote inepto ad uſus naturales & humanos corporis & ſanguinis, & tendente ad deſtructionem: unde ſic ſub ſpeciebus panis & vini vi verborum ſecundùm corpus & ſanguinem reproducitur, ut ſimul ſecundùm utrumque moraliter corrumpatur, quod ſufficit ad verum ac proprium ſacrificium. Sed ad horum pleniorem intelligentiam,

Obſerva duo. Primum eſt: in conſecratione Euchariſtiæ vi verborum corpus Chriſti ſolum directè ſub ſpecie panis, & ſanguis ejus ſolus directè ſub ſpecie vini reproducitur, & hoc quidem ad repræſentandam realem ſeparationem utriuſque, factam in cruce, & mortem inde ſecutam: unde in Euchariſtia corpus & ſanguis Chriſti ſub diverſis ſpeciebus quantùm eſt ex vi verborum ſeparatim poſita, repræſentant realem ſeparationem, quæ utriuſque in cruce facta eſt: unde corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia ſeparantur myſticè, & ſic in Euchariſtia Chriſtus & quidem cruentè immolatur, non in re, ſed myſticè, vel, ut loquitur Magiſter, in ſacramento, hoc eſt, in imagine & repræſentatione. Hinc myſtica immolatio Chriſti in Euchariſtia non dicit realem aliquam deſtructionem, quæ fiat de novo, ſed tantùm meram repræſentationem & imaginem realis deſtructionis, quæ in cruce facta eſt, atque ita non eſt ſacrificium, ſed ſolùm ſacrificii imago & repræſentatio.

Secundùm eſt: Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis ejus ſub ſpecie vini reproducuntur cum ſola extenſione minimi phyſici, ac proinde ſine extenſione connaturali, & neceſſaria ad uſus naturales & humanos corporis & ſanguinis: præterea reproducuntur ad modum cibi & potus ordinatorum ad conſumptionem, & ea lege, ut corruptis ſpeciebus, ibi deſinant conſervari & eſſe. Hinc corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis reproducuntur in ſtatu deteriori, inutili ad functiones naturales corporis & ſanguinis, & tendente ad interitum: hinc corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſtis moraliter deſtruuntur, & corrumpuntur. Chriſtus igitur in Euchariſtia ſecundùm aliquid ſui moraliter deſtructus & corruptus eſt; quod ſine controverſia ad verum & proprium ſacrificium ſufficit.

Ex dictis porrò facilè colligitur excellentia ſacrificii novæ legis; nihil enim nobilius in ſacrificium offerri Deo poteſt, quàm Chriſtus ipſe; nihil aptius & efficacius ad omnem ſacrificii finem conſequendum: hinc in lege nova unicum eſt illud ſacrificium, quia una ſua perfectione comprehendit omnia ſacrificiorum genera, omnia abundè ſupplet, omnibus ſimul ſumptis prævalet, nec ſolùm poteſt id, quod poſſunt omnia ſimul ſumpta, ſed etiam multò plus, quàm poſſunt.

Obj. 1. Panis & vinum ſunt pars rei oblatæ in ſacrificio Miſſæ. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. Nam ſi panis & vinum eſſent pars rei oblatæ in ſacrificio Miſſæ, falſum eſſet quòd Tridentinum dicit, unam & eamdem eſſe hoſtiam, quæ in cruce oblata fuit, & offertur in Miſſæ ſacrificio, ſola offerendi ratione diverſa. Panis igitur & vinum ad ſacrificium Miſſæ pertinent, non tanquam materia illius intrinſeca, ſed tanquam res oblata, ſeu tanquam materia ex qua tranſeunte & deſtructa fit materia intrinſeca ſacrificii; ſeu res illa, quæ Deo offertur per moralem ſui deſtructionem.

Obj. 2. In Miſſa duo ſunt ſacrificia, quorum unum ordinatur ad alterum, unde unum moraliter ſacrificium conſtituunt. Primum eſt ſacrificium panis & vini, quod fit per oblationem, quæ vulgò Offertorium dicitur. Secundum eſt corporis & ſanguinis Domini ſacrificium, quod poſtea conſecratione peragitur. *R.* hanc doctrinam repugnare Patribus & Concilio Tridentino, affirmantibus unicum eſſe in Eccleſia & ſingulare ſacrificium, cujus hoſtia alia non ſit, quàm ipſe Chriſtus.

Præterea, omne ſacrificium novæ legis à Chriſto inſtitutum fuit, ſicut & ſacramenta omnia. At oblatio illa, quæ in offertorio fit, non fuit inſtituta à Chriſto, ſed ab Eccleſia, ſicut & aliæ cœremoniæ omnes ac præparationes ad ſacrificium euchariſticum. Ergo falſum eſt, quòd oblatio illa quæ fit in offertorio, ſit novæ legis ſacrificium. Quod

Probatur adhuc ſic. Ad verum & proprium ſacrificium requiritur realis aliqua deſtructio rei oblatæ: ſed in Offertorio non fit ulla deſtructio panis & vini; nam ſolis verbis offeruntur, ſi tamen offeruntur. Dico, ſi tamen offeruntur: nam revera non offerri facilè oſtenditur. Sacerdos in offertorio dicit: *Suſcipe ſancte Pater, hanc immaculatam hoſtiam, quam ego indignus ſervus tuus offero tibi Deo meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offenſionibus, &c.* At profectò immaculata illa hoſtia, pro peccatis expiandis oblata, non eſt panis, ſed Chriſti corpus: unde ſacerdos in offertorio orat Deum, ut accepret hoſtiam, à ſe ex pane illo, quem præ manibus habet, modò conficiendam & offerendam.

Itaque cùm ſacerdos dicit: *Suſcipe ſancte Pater, &c.* perinde eſt, ac ſi diceret: Suſcipe ſancte Pater, immaculatam hoſtiam, quam ego indignus ſervus tuus ex hoc pane modò confecturus ſum, & tibi ſacrificaturus pro innumerabilibus peccatis, &c. Hanc autem cœremoniam & precationem Eccleſia inſtituit ad ſacrandum panem, ut poſtea majori cum decentia poſſit conſecrari, & ex eo per tranſubſtantiationem effici corpus Chriſti. Sacerdos igitur in offertorio propriè nihil offert, ſed ſolùm pani & vino tribuit conſecrationem quamdam & ſanctitatem moralem in ordine ad ſacrificium Euchariſtiæ decentiùs peragendum.

Dices. Patres ſæpe affirmant in Miſſa panem & vinum offerri, & Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech. *R.* Patres nomine panis & vini intelligere corpus & ſanguinem Chriſti, poſita, vel ponenda ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia. Patet ex Cypriano epiſt. 68. *Quis*, inquit, *magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem* (quantùm ad ſpeciem externam) *quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem*. Sæpe etiam pro eo panem & vinum offerri, intelligunt, panem & vinum adhiberi ad ſacrificium Euchariſtiæ ſeu panem & vinum conſecrari.

Obj. 3. Species ſacramentales ad ſacrificium Euchariſtiæ pertinent, tanquam pars intrinſeca rei oblatæ; nec res oblata eſt ſolus Chriſtus undè ſumptus, ſed Chriſtus ſimul cum ſpeciebus, ſeu, quod idem eſt, ſacramentale compoſitum ex Chriſto & ſpeciebus panis & vini. *R.* neg. Nam ſi ſpecies ſacramentales ad ſacrificium Euchariſtiæ pertinerent, ut pars intrinſeca rei oblatæ, non eſſet eadem omninò hoſtia in Euchariſtia, quæ fuit in cruce, ſola offerendi ratione diverſa: Chriſtus enim in cruce nequidem partialiter ſpecies ſacramentales obtulit, ſed ſe ipſum ſolum. Species igitur ſacramentales ad ſacrificium Euchariſtiæ pertinent, non ut pars rei, quæ offertur, ſed ut id, ſub quo offertur, & per quod viſibile & ſenſibile efficitur.

Probabis tamen propoſitionem. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. Chriſtus inſtituit ſacrificium viſibile. Ergo, &c. *R.* Chriſtus inſtituit ſacrificium, quod eſſet viſibile, non ſecundùm ſe intrinſecè, & quoad rem oblatam, præcisè ſumptam, ſed extrinſecè quoad accidentia, ſub quibus res ſeu materia ſacrificii deberet offerri, & ſine quibus fieri non poſſet conſecratio, adeoque nec oblatio; cùm conſecratio & oblatio ſint una & eadem actio, quæ ut corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini reproductiva eſt; ſeu ut panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti remanentibus ſpeciebus utriuſque, tranſmutativa eſt, dicitur & eſt conſecratio; & ut corporis & ſanguinis Chriſti, prout ſub ſpeciebus panis & vini exiſtunt, moraliter eſt deſtructiva, dicitur & eſt oblatio, ſeu actio ſacrificandi.

Dices

Dices 1. Euchariſtia ut eſt ſacramentum, includit intrinſecè ſpecies. Ergo etiam includit, ut eſt ſacrificium. *Reſp.* neg. conſeq. Alia enim eſt ratio ſacramenti, & alia ſacrificii, & plus Euchariſtia quoad eſſentiam conſiderata, dicit, ut ſacramentum eſt, quàm ut eſt ſacrificium: nam ut ſacramentum eſt, eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile refectionis ſpiritualis, quod ſignum dicit intrinſecè, præter corpus & ſanguinem Chriſti, ſpecies panis & vini; ſpecies enim panis & vini cum corpore & ſanguine Chriſti, ſimul & indiviſibiliter refectionem ſpiritualem ſignificant: unde Euchariſtia ut ſacramentum eſt, dicit intrinſecè & eſſentialiter non ſolùm corpus & ſanguinem Chriſti, ſed etiam ſpecies panis & vini. At Euchariſtia ut ſacrificium eſt, ſumptum ſcilicet materialiter, intrinſecè & eſſentialiter eſt tantùm res oblata, quæ eſt ſolus Chriſtus, ſecundùm corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini exiſtens in ſtatu deteriori, & tendente ad interitum. Hinc conſecratio, ut eſt effectiva ſacramenti, terminatur ad ſacramentale compoſitum ex corpore Chriſti, ejus ſanguine, & ſpeciebus panis & vini; & ut eſt ſacrificativa, terminatur ad ſolum corpus & ſanguinem Chriſti, ut oblata, & moraliter deſtructa ſub ſpeciebus panis & vini.

Dices 2. Canone, *Hoc eſt*, 48. de conſecratione diſt. 2. ſic dicitur: *Hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Jeſu Chriſti carne & ſanguine.*

R. Sacros canones, qui ad fidei dogmata explicanda pertinent, non plus habere auctoritatis, quàm habeant hi, ex quibus deprompti ſunt. Canon autem laudatus eſt Lanfranci ex proprio ſenſu loquentis, quem & Patribus articulo ſuperiore laudatis & Synodo Tridentinæ jure merito poſtponimus.

Obj. 4. Chriſtus inſtituit & obtulit Euchariſtiæ ſacrificium, tanquam ſummus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. Ergo panem & vinum aliquo modo obtulit. *R.* neg. conſeq. Nam Chriſtus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, non quia aliquo modo obtulit & ſacrificavit panem & vinum, ſed quia ſub ſpeciebus panis & vini obtulit & ſacrificavit id, cujus figura fuit ſacrificium Melchiſedecis in panè & vino: Melchiſedech enim, ut docent Patres, ſacrificio ſuo præfiguravit Chriſtum offerendum & ſacrificandum ſecundum corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini.

Dices. Per formam conſecrationis panis & vinum etiam phyſicè, & quidem ex inſtitutione Chriſti, deſtruuntur. Ergo vel ſunt ſacrificium à Chriſto inſtitutum, vel ſaltem pars illius. *Reſp.* neg. conſeq. Ratio negandi eſt, quia phyſica illa panis & vini deſtructio ex inſtitutione Chriſti non fit ad proteſtandam ſupremam Dei excellentiam, ſed ſolùm fit, ut corpus & ſanguis Chriſti ponantur ſub ſpeciebus utriuſque, ac per moralem ſui deſtructionem offerantur Deo ad proteſtandam ſupremam ejus excellentiam.

ARTICULUS IV.

In quo conſiſtat forma ſacrificii Euchariſtiæ, ſeu quænam ſit in ſacrificio Euchariſtiæ actio ſacrificandi.

RESPONSIO.

IN ſacrificio Miſſæ actio ſacrificandi adæquatè conſiſtit in conſecratione.

Prob. Nam 1. actio ſacrificandi in ſacrificio Miſſæ conſiſtit in actu, quem ſacerdotes exercent in perſona Chriſt. Atqui conſecratio talis eſt, & ſola talis eſt. Ergo, &c. Major patet ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. ubi dicitur. Chriſtum in ſacrificio Miſſæ eſſe hoſtiam & offerentem miniſterio ſacerdotum, in ejus ſcilicet perſona offerentium. Verba Synodi ſunt: *Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.* Minor etiam patet: nam cùm ſacerdotes aſſertivè dicunt: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei*, in quorum verborum aſſertiva prolatione conſecratio conſiſtit, maniſeſtè loquuntur in perſona Chriſti. Cæteras verò actiones, quæ præeunt, vel ſequuntur, ſacerdotes exequuntur in perſona propria, tanquam Eccleſiæ miniſtri, ut facili inductione oſtendi poteſt.

2. Conſecratio, ſecluſa omni alia actione, habet quidquid requiritur ad efficiendum Miſſæ ſacrificium. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ſacrificium Miſſæ 1. eſt in ſe verum ac proprium ſacrificium. 2. Eſt imago & repræſentatio ſacrificii cruenti in cruce peracti, ut patet ex Tridentino ſeſſ. 22. capite 1. ubi ait: *In cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud, ſemel in cruce peragendum, repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur . . . corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Atqui ad hæc duo, ſecluſa omninò alia actione, ſufficit conſecratio. Ergo, &c.

Prob. min. Nam 1. Per conſecrationem corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ponuntur modo moraliter illorum deſtructivo; ſic ut per illam ita ſub ſpeciebus panis & vini reproducantur, ut ſimul corrumpantur moraliter, quod ad veram & propriam rationem ſacrificii ſufficit. 2. Per conſecrationem ſolum corpus directè ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis directè ſub ſpecie vini reproducitur, quod ſufficit ad myſticam utriuſque ſeparationem, ſeu ad repræſentandam realem utriuſque in cruce factam ſeparationem, & mortem ex ea ſecutam. Ergo, &c.

Confirmatur reſponſio. Quia 1. nulla actionum, quæ conſecrationem præcedunt, eſt actio ſacrificandi; nulla enim ex illis immutativa eſt corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, ſub quibus ante conſecrationem non ſunt corpus & ſanguis Chriſti.

2. Nulla actionum, quæ conſecrationem ſubſequuntur uſque ad ſacerdotis communionem excluſivè, eſt actio ſacrificandi; nulla enim harum actionum fit à ſacerdote in perſona Chriſti, ut probatum eſt. Item nulla harum actionum fuit facta à Chriſto: nam Chriſtus nec panem conſecratum poſuit ſuper altare, ſed illum diſcipulis ſtatim porrexit; nec elevavit; nec orationes illas, quas ſacerdos recitat, ipſe recitavit; nec panem conſecratum in tres partes fregit, ſed ante conſecrationem in tot diviſit partes, quot erant tunc communicaturi. At ſacerdotes ſacrificant eadem in ſpecie actione, qua Chriſtus ipſe ſacrificavit in ultima cœna. Item nulla harum actionum inſtituta fuit à Chriſto, ſed omnes ab Eccleſia inſtitutæ fuerunt. At actio ſacrificandi in Euchariſtia à Chriſto fuit inſtituta. Denique nulla harum actionum eſt realis ac ſubſtantialis immutatio rei oblatæ. At actio ſacrificandi eſt eſſentialiter rei oblatæ immutatio realis ac ſubſtantialis.

3. Denique, conſumptio quæ fit à ſacerdote, ſe ipſum communicante, non eſt actio ſacrificandi. Nam 1. Si conſumptio Euchariſtiæ eſt actio ſacrificandi, laici communicando ſacrificant, quod eſt abſurdum. 2. Si conſumptio Euchariſtiæ eſt de eſſentia ſacrificii, non eſt magis certum, quòd Chriſtus ſacrificaverit in ultima cœna, quàm certum eſt quòd Euchariſtiam ſumpſerit. Atqui ſaltem non eſt omninò certum, quòd Chriſtus in ultima cœna ſumpſerit Euchariſtiam. Ergo non eſt omninò certum, quòd in ultima cœna ſacrificaverit, quod eſt contra fidem. 3. Actio ſacrificandi eſt actio ſacerdotis, qua ſacerdos eſt, & ad quam exercendam, vi ſuæ ordinationis immediatè accipit poteſtatem directam: ſed in ſua conſecratione ſacerdos non accepit directam poteſtatem ſumendi Euchariſtiam; jam enim antea

illam accepit per baptiſmum. Ergo, &c. 4. denique, actio ſacrificandi fit in perſona Chriſti, ut demonſtratum eſt. At conſumptio Euchariſtiæ a ſacerdote non fit in perſona Chriſti, ſed in propria perſona. Ergo actio ſacrificandi in Miſſæ ſacrificio adæquatè in ſola conſecratione conſiſtit.

Obj. 1. Actio ſacrificandi conſiſtit in actione occulta & inviſibili, per quam vi conſecrationis corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini reproducuntur. *Reſp.* neg. Nam actio ſacrificandi debet eſſe actio ſenſibilis; eſt enim actus externus religionis. Ergo immediata reproductio corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, facta moraliter per conſecrationem, & phyſicè per divinam potentiam, nec eſt nec poteſt eſſe actio ſacrificandi in Miſſæ ſacrificio.

Obj. 2. Res oblata ſeu materia ſacrificii debet in omni ſacrificio oblationi præexiſtere. Ergo prius eſt corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini per conſecrationem panis, quàm ſub ſpeciebus illis offerri. Ergo corpus & ſanguis Chriſti in ſacrificio Miſſæ non offeruntur per conſecrationem, ſed per aliquam aliam actionem ſubſequentem.

R. neg. maj. univerſaliter ſumptam: falſa enim eſt de re oblata, quæ fit per actionem, quæ ſimul eſt productio & deſtructio ſacrificativa illius: nam talis res oblata ſeu materia ſacrificii fit per actionem, qua offertur, ſeu, quod idem eſt, fit & offertur una & eadem realiter actione: unde neceſſe non eſt, ut præexiſtat oblationi, ſeu actioni qua offertur; imò debet non præexiſtere. Hujuſmodi autem eſt res oblata in ſacrificio Euchariſtiæ: corpus enim & ſanguis Chriſti moraliter deſtruuntur ſub ſpeciebus panis & vini eadem illa actione, qua ſub illis reproducuntur, quatenùs ſub ſpeciebus panis & vini reproducuntur modo inepto ad uſus naturales corporis & ſanguinis, & ordinato ad conſumptionem aut deſtructionem illorum, prout ſunt ſub illis ſpeciebus: una igitur actione in ſacrificio Euchariſtiæ res oblata fit, & offertur, una actione producitur, & moraliter deſtruitur ad proteſtandam ſupremam Dei excellentiam, qui modus proteſtandi ſupremam excellentiam Dei præſtantiſſimus eſt.

Dices. In die Paraſceves non fit conſecratio, & tamen fit ſacrificium Euchariſtiæ: nam ſacerdoti dicenti more ſolito, *Orate fratres*, populus reſpondet, *Suſcipiat Dominus hoc ſacrificium de manibus tuis*, *&c.* Item Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. diſtinguit oblationem à conſecratione; nam dicit: *Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio poteſtatem* (à Domino Salvatore noſtro) *traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi & retinendi.* Item Concilium Trullanum can. 52. jubet ſacrum ea præſanctificatis, ſeu ea præconſecratis fieri omnibus diebus quadrageſimæ, exceptis ſabbato, die dominica, & feſto Annunciationis. Item S. Thomas hic q. 83. a. 2. ad 2. dicit, in die paraſceves corpus Chriſti pridiè conſecratum à ſacerdote ſumi, ne Eccleſia eo die careat fructu paſſionis. Ergo ſacerdos ſumendo corpus Chriſti ſacrificat; alioquin ipſi ſoli prodeſt communio.

R. ad 1. Cùm populus dicit, *Suſcipiat Dominus*, *&c.* ſacrificium ſumitur, non pro actione ſacrificandi, ſed pro re ſacrificata. *Reſp. ad* 2. Concilium Tridentinum loco citato oblationem diſtinguit à conſecratione, non ut realiter, ſed ut ratione tantùm diverſam, quod rectè facit: nam offerre & conſecrare non ſunt idem formaliter: ſacerdos enim conſecrat, ponendo directè ſolum corpus ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini, ſeu, quod idem eſt, conſecrat convertendo panem in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem ejus; at ſacrificat, ſeu offert, ponendo corpus ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini modo moraliter utriuſque deſtructivo. Formaliter igitur & logicè conſecrare & ſacrificare duo ſunt: at realiter ſunt unum & idem, quia una & eadem actione duo illa præſtat ſacerdos; quæ actio cum fundamento in re modò præciſè conſecratio, modò præciſè oblatio nominatur.

R. ad 3. Concilium Trullanum per ſacrum ſeu per liturgiam ſactam, intelligere ſacrificium Miſſæ quoad ceremonias ab Eccleſia inſtitutas, ſeu de officio divino, in quo fiunt omnia, quæ fiunt in Miſſæ ſacrificio, exceptis iis, quæ ad conſecrationem & oblationem pertinent. *Ad 4. denique R. S.* Thomam intelligere, quòd in die Paraſceves, in qua ſacerdos ſumit hoſtiam pridiè conſecratam, Eccleſia fructu paſſionis non careat, quamvis Euchariſtia ea die nec conſecretur, nec offeratur, quia ſacerdos tanquam perſona publica, & nomine Eccleſiæ, communicat, atque pro ipſa tota orat, & communionem ſuam eò refert, ut proſit toti Eccleſiæ, quæ per eum quodam modo tota communicat.

Obj. 3. Sacrificium Euchariſtiæ conſiſtit ex parte in conſumptione, quæ poſt conſecrationem fit à ſacerdote. Ergo non conſiſtit adæquatè in ſola conſecratione. *R.* neg. ant. cujus falſitas ſupra demonſtrata eſt. *Probabis tamen.* 1. Sacrificium Euchariſtiæ dicitur conſummari, quando à ſacerdote conſumitur. 2. Omnis actio ſacrificandi, in deſtructione, vel conſumptione rei oblatæ conſiſtit, & præter conſumptionem, quæ fit à ſacerdote, nulla alia eſt rei oblatæ deſtructio vel conſumptio in Euchariſtiæ ſacrificio. 3. Si conſumptio, quæ fit à ſacerdote celebrante, non eſt de eſſentia ſacrificii, quare tam ſtrictè ad conſumptionem illam obligatur ſacerdos celebrans? 4. In canone *Relatum* 11. de conſecratione diſt. 2. dicitur: *Quale erit illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* 5. Si ſacrificium Euchariſtiæ ſola conſecratione perficeretur, tunc ſtatim effectum ſuum haberet ex opere operato. Falſum conſ. Nam poſt conſecrationem fit commemoratio pro defunctis. 6. Sacrificium Euchariſtiæ eſt holocauſtum perfectiſſimum. At de ratione holocauſti eſt, ut totum conſumatur in honorem Dei. Ergo comeſtio, per quam in ſacrificio Euchariſtiæ hoſtia conſumitur, eſt de eſſentia hujus ſacrificii.

Ad 1. prob. R. Sacrificium Euchariſtiæ conſummari dicitur, quando conſumitur à ſacerdote; non quia per conſumptionem illam eſſentialiter perficitur in ratione ſacrificii, ſed quia omnem finem ſuum ac uſum ſic conſequitur: non enim ſolùm eſt ſacrificium, ſed etiam ſacramentum à Chriſto inſtitutum ad hoc, ut ſumatur, & per ſui ſumptionem, animam ſumentis ſpiritualiter reficiat.

Ad 2. prob. R. in conſecratione Euchariſtiæ eſſe moralem corporis & ſanguinis Chriſti, prout ſpeciebus ſubſunt, deſtructionem, ad verum ac propriè dictum ſacrificium ſufficientem, utpote quæ ad minimum tanta eſt, quanta olim erat in libationibus vini, olei, aliorumque liquorum, qui verè ac propriè ſacrificari dicebantur.

Ad 3. prob. R. ſtrictiſſimam illam obligationem, qua ſacerdos celebrans tenetur communicare, oriri non ex eo quòd communio à ſacerdote celebrante facta, ſit de ſubſtantiali integritate ſacrificii, ſed quia vel Chriſtus, vel ſaltem Eccleſia ſub gravi vult, ut in omni caſu poſſibili, ſacerdos qui ſacrificat, participet de ſacrificio.

Ad 4. prob. R. canonem illum, qui eſt quintus Concilii Toletani XII. non aliud velle, quàm ſacrificium illud tale non fore, quale debet eſſe, hoc eſt, non fore licitum ac legitimum, utpote contra inſtitutionem Chriſti, vel certè contra Eccleſiæ ordinationem celebratum: quia nimirùm vel Chriſtus ipſe, vel ſaltem Eccleſia, ſub gravi ſtatuit, ut ſacrificium Euchariſtiæ ſemper ſumeretur nomine populi à ſacerdote offerente. Porrò in canone laudato manifeſtè ſupponitur totam oblationem in conſecratione conſiſtere, ut patet ex his verbis: *Quaſi non ſit toties illi vero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti immolatio facta conſtiterit.* Et ex his aliis: *Ergo modis omnibus eſt tenendum, ut quotieſcumque ſacrificans corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri*

in

in altario immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. Ecce Concilium verbis laudatis apertè diſtinguit in ſacrificio Miſſæ immolationem à communione ſacerdotis, à quo ſacta eſt immolatio, quam communioni præire apertè ſignificat.

Ad 5. prob. R. neg. min. Itaque ſacrificium Euchariſtiæ ſtatim poſt conſecrationem confert effectum illum, quem conferre poteſt ex opere operato. Sacerdos autem nihilominùs orat poſt conſecrationem pro vivis & mortuis, quia optat ut illis ſacrificium proſit non ſolùm ex opere operato, ſed etiam ex opere operantis.

Ad 6. denique prob. R. Ad veram & propriam rationem holocauſti ſufficere, quòd tota victima Deo offeratur penitùs, ita ut nihil illius cedere poſſit in uſus prophanos, ſive victima totaliter conſumatur, ſive non. At in Euchariſtiæ ſacrificio victima totaliter & integrè per conſecrationem Deo offertur; & ita offertur, ut nihil illius in uſus profanos cedere poſſit: unde Chriſtus in Euchariſtia eſt verè ac propriè holocauſtum, quamvis Deo offeratur per moralem tantùm deſtructionem ſui ſecundùm corpus & ſanguinem.

Obj. 4. Si actio ſacrificandi in conſecratione conſiſtit, ſaltem conſiſtit in ea, quatenùs eſt myſticè ſeparativa corporis Chriſti ab ejus ſanguine. *Reſp.* hoc eſſe falſum: actio enim ſacrificandi debet eſſe actio realiter immutativa rei oblatæ, eam ſcilicet vel phyſicè, vel ſaltem moraliter deſtruendo, ſaltem ſecundùm aliquid ſui. Unde ubi non eſt actio verè deſtructiva rei oblatæ, ſed tantùm repræſentativa deſtructionis factæ in cruce, ibi non eſt verum ac proprium ſacrificium, ſed tantùm repræſentatio & imago ſacrificii in cruce peracti. Quare ſi celebratio Euchariſtiæ eatenùs tantùm eſſet ſacrificium, quatenùs repræſentat ſeparationem corporis & ſanguinis Chriſti factam in cruce, non eſſet verum ac proprium ſacrificium, ſed ſolùm eſſet repræſentatio & imago ſacrificii in cruce peracti. Hinc conſecratio non ſolùm eſt actio ſeparativa myſticè corporis & ſanguinis Chriſti, ſed etiam eſt actio vero aliquo modo deſtructiva utriuſq; quà autem myſticè ſeparativa eſt corporis & ſanguinis Chriſti, eſt tantùm actio repræſentativa ſacrificii crucis, ſeu realis ſeparationis factæ in cruce, & mortis inde ſecutæ: at ut aliquo vero modo deſtructiva eſt corporis & ſanguinis, prout ſunt ſub ſpeciebus, eſt actio verè ac propriè ſacrificativa, ac per eam verum ac proprium ſacrificium incruentum peragitur.

At inquies. Ad actionem verè ac propriè ſacrificativam, ſatis eſt quòd ſit ſeparatio ſanguinis à corpore, & Chriſti occiſio, quantùm eſt ex vi verborum. *R.* hoc eſſe falſum: nam ſeparari ſanguinem à corpore, quantùm eſt ex vi verborum tantùm, nihil aliud eſt quàm ſanguinem à corpore re ipſa ſeparatum iri, niſi hoc Deus impediret: unde ita ſanguinem à corpore ſeparari, & Chriſtum occidi, quantùm eſt ex vi verborum tantùm, nullam realem dicit immutationem & deſtructionem rei oblatæ: quare ſeparatio ſanguinis à corpore, & Chriſti occiſio, quantùm eſt ex vi verborum tantùm, nec eſt, nec poteſt eſſe actio verè ac propriè ſacrificativa.

Itaque ſicut in ſacrificiis veteris legis actio ſacrificandi erat actio ſenſibilis, qua ſacerdos victimam occidebat, aut aliam rem oblatam deſtruebat realiter; ita in lege nova actio ſacrificandi eſt actio ſenſibilis, qua ſacerdos profert verba conſecrationis, & proferendo per ea moraliter conſtituit directè ſolum corpus ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini, modo utriuſque moraliter deſtructivo: unde non ſolùm myſticè ſeparat ſanguinem à corpore, ſed etiam utrumque deſtruit moraliter, ſicque non ſolùm myſticè occidit Chriſtum, ſed etiam moraliter corrumpit ſecundùm aliquid ſui; quare proferendo verba conſecrationis duo præſtat; nam verè ac propriè ſacrificat incruentè, & cruentum crucis ſacrificium aptiſſimè repræſentat.

ARTICULUS V.

Quale ſit ſacrificium Miſſæ.

SEnſus quæſtionis eſt, utrùm Miſſæ ſacrificium ſit honorarium & Euchariſticum tantùm, an etiam propitiatorium & impetratorium. Pro quo, *Nota*, quod jam aliàs obſervatum eſt. Quatuor ſunt ſacrificiorum genera. Primum in Scriptura holocauſtum vocatur, & honorarium dici poteſt, quia finis ejus eſt ſolus cultus & honor Dei. Secundum in Scriptura vocatur ſacrificium pro peccato, & appellatur etiam propitiatorium, cujus finis eſt non ſolùm colere Deum, ſed etiam iratum propitiare, & ab eo peccatorum remiſſionem obtinere. Tertium eſt euchariſticum, quod offertur ad gratias pro accepto beneficio agendas. Quartum denique impetratorium nominatur, quia offertur ad beneficium aliquod ſive ſpirituale, ſive temporale impetrandum.

Euchariſtiam eſſe ſacrificium (quamvis tamen latè ac impropriè dictum) honorarium, & euchariſticum, facilè concedunt Lutherani & Calviniſtæ, quatenùs ſcilicet Euchariſtiæ diſpenſatio & manducatio fiunt ad honorem Dei, & in gratiarum actionem pro accepto paſſionis dominicæ beneficio. At Euchariſtiam ſacrificium eſſe propitiatorium & impetratorium, & aliis quàm ſumentibus prodeſſe poſſe, negant pertinaciter, ne cogantur fateri Euchariſtiam eſſe ſacrificium verè ac propriè dictum. Sed contra illos ſit

Responsio I.

Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam Luc. cap. 22. Chriſtus ait: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo:* unde ſic argumentor. Sacrificium Miſſæ eſt inſtrumentum, quo applicantur nobis promiſſiones novi teſtamenti: nam idcircò novum teſtamentum appellatur à Chriſto. Atqui inter novi teſtamenti promiſſiones una eſt de peccatorum remiſſione, ut patet ex Hebr. cap. 8. ubi Apoſtolus hæc refert Hieremiæ verba: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda teſtamentum novum ... Hoc eſt teſtamentum, quòd diſponam domui Iſrael poſt dies illos ... Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.* Ergo ſacrificium Miſſæ eſt inſtrumentum, quo nobis peccata remittuntur.

Præterea, Hebr. cap. 5. ſic loquitur Apoſtolus: *Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Unde ſic argumentor. Sacerdotes ad id potiſſimùm conſtituuntur, ut offerant ſacrificia pro peccatis. Atqui Chriſtus in Eccleſia ſua conſtituit ſacerdotes. Ergo conſtituit illos, ut ſacrificium, quod ipſe inſtituit, pro peccatis offerrent; ideoque ſacrificium illud valet ad peccata purganda; alioquin pro illorum purgatione fruſtra offerretur.

Prob. 2. Authoritate antiquorum Patrum, Jacobi ſcilicet in liturgia, in qua ſic orat ſacerdos: *Domine, qui ... nobis ... conceſſiſti, ut confidentes accederemus ad ſanctum altare tuum, & offerremus tibi verendum hoc & incruentum ſacrificium pro noſtris peccatis, & ignorantiis populi.*

Origenis homil. 13. in Leviticum, in qua ait: *Si redeas ad illum panem, qui de cœlo deſcendit, & dat huic mundo vitam; illum panem propoſitionis, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ejus: & ſi reſpicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus.* Hoc facite in meam commemorationem; *invenies, quod iſta eſt commemoratio ſola, quæ propitium facit hominibus Deum.*

Cyrilli Hieroſolymitani catech. myſtag. 5. in qua ſcribit: *Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus, &c.* Et inferius: *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, ut & no-*

Digitized by Google

bis, & illis (defunctis) *eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus.*

Ambroſii lib. 1. officiorum cap. 48. *Ante*, ioquit, *agnus offerebatur, offerebatur vitulus; nunc Chriſtus offertur, ſed offertur, quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſo quaſi ſacerdos, ut peccata noſtra dimittat.*

Baſilii in liturgia, in qua ſacerdos orans dicit: *Da Domine, ut & pro noſtris peccatis, & populi ignorantiis acceptum ſit ſacrificium noſtrum, & gratum coram te.*

Hieronymi in comment. cap. 1. epiſt. ad Titum, ubi ait: *Si autem laicis imperatur, ut propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas*, corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini?

Chryſoſtomi in liturgia in qua orat ſacerdos: *Gratias agimus tibi, Deus virtutum, qui dignatus es nos etiam nunc ſancte tuo altari ſiſtere, & ad miſerationes tuas pro peccatis noſtris, & populi ignorantiis providere.* Et lib. 6. de ſacerdotio, ubi de ſacerdote loquens ſic ait: *Eum qui pro civitate tota; quid dico civitate? imò verè pro univerſo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modò, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat; qualem quaſo eſſe oportet?*

Auguſtini denique queſt, 57. ſuper Leviticum, *Sed cum Dominus dicat*, inquit, Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; *quid ſibi vult, quod ſanguine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur* (in lege veteri) *tantopere populus* (Judaicus) *prohibetur, ſi illis ſacrificiis unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum: à cujus tamen ſacrificii ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?*

Prob. 3. Authoritate Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 2. ubi dicitur: *Et quoniam in divino hoc ſacrificio* (Euchariſtiæ) *quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit; docet ſancta Synodus, ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.*

Et can. 3. ſic pronunciat Synodus: *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.*

Confirmatur, Ex confeſſione hæreticorum. Hæretici fatentur, imò contendunt, Euchariſtiam à Chriſto inſtitutam fuiſſe ad remittenda peccata. Ergo vim remittendi peccata habet, vel ut eſt ſacrificium, vel ut eſt ſacramentum. Atqui Euchariſtia, ut eſt ſacramentum, vim non habet remittendi peccata: ut enim ſacramentum eſt, inſtituta fuit, non ad peccatorum remiſſionem, ſed ad ſpiritualem animæ jam vita ſpirituali viventis, adeoque ab omni culpa mortali immunis refectionem & nutritionem, ut ſuo loco demonſtratum eſt. Ergo ſupereſt, ut Euchariſtia peccata remittendi vim habet, ut eſt ſacrificium.

Confirmatur iterum. In lege naturæ & Moſaica fuerunt ſacrificia propitiatoria, ut patet pro lege Moſaica ex cap. 4. Levitici, ubi varia ſacrificia pro peccato recenſentur; & pro lege naturæ ex Job cap. 1. ubi dicitur, pro ſingulis liberis ſuis holocauſta obtuliſſe ad expianda eorum peccata; & ex cap. ult. ubi amici Job jubentur offerre holocauſtum pro peccato ſuo, & additur, Deum illis placatum fuiſſe. Ergo etiam ſacrificium Miſſæ eſt propitiatorium.

Prob. conſeq. Nam 1. Sacrificia illa legis naturæ & Moſaicæ, quæ expiatoria erant, erant figuræ ſacrificii Miſſæ. Ergo vel ſacrificium Miſſæ expiatorium eſt, vel certè, quod dici oon poteſt, vetera illa ſacrificia falſum præfigurabant, & ad falſum præfigurandum inſtituta à Deo fuerant. *Prob. ant.* ex Patribus, Chryſoſtomo ſcilicet comment. in pſal. 95. in quo ſic loquitur: *Eſt igitur hoſtia pura, prima quidem myſtica menſa, cœleſte ſummeque venerandum ſacrificium ... Poſtea quàm lex in veteri teſtamento multas habuit hoſtias, aliam pro peccatis, aliam, &c. omnino magnus erat & modo carens numerus ſacrificiorum in lege: quæ omnia nova gratia ſuperveniens, uno complectitur ſacrificio, unam ac veram ſtatuens hoſtiam.*

Et ex Auguſtino lib. 17. de civ. cap. 20. ubi ad hæc verba, *Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet*, ſic ait: *Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipſe mediator teſtamenti novi exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus aliis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, propter quod etiam vocem illam in pſalmo trigeſimo nono ejuſdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoſcimus:* Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi: *quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur.*

2. Sacrificium Miſſæ tam eſt verè ac propriè ſacrificium, quàm fuerunt vetera illa ſacrificia, ut ſupra demonſtratum eſt; & tam ſacrificium crucis repræſentat, imò verò multò expreſſiùs repræſentat, quàm illa repræſentarunt. Denique hoſtiam Deo longè gratiorem continet, quàm illa continuerint. Ergo nulla ratio eſſe poteſt, cur ſacramenta vetera propitiatoria fuerint, & ſacrificium Miſſæ non ſit propitiatorium. Et verò ſi quæ ratio eſt, cur Miſſæ ſacrificium expiatorium non ſit, certè quia impeditur per ſacrificium crucis. Atqui hoc dici non poteſt: nam ſi crucis ſacrificium non impedivit vetera ſacramenta, ne ſuo modo propitiatoria eſſent, multò minùs impedit ſacrificium Miſſæ, ne ſit propitiatorium; & ſi ſacrificium Miſſæ impediret quominùs propitiatorium eſſet, impediviſſet etiam vetera ſacramenta, quominùs fuiſſent ſuo modo propitiatoria: ſicut enim vim ſuam habebit uſque ad finem mundi, ita & habuit à mundi exordio. Ergo, &c.

At inquies. Sacrificia vetera non fuerunt expiatoria. Ergo ex veteribus ſacramentis nihil concludi poteſt pro ſacrificio Miſſæ, quantumvis ſupponatur, & concedatur, per illa ſacramenta præfiguratum fuiſſe. *Reſp.* Sacramenta vetera non fuiſſe quidem expiatoria eo ſenſu, quòd valuerint ad expianda peccata quoad reatum culpæ, & vim habuerint homines juſtificandi ex opere operato: nam, ut ait Apoſtolus Hebr. cap. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* At, quod nobis ſufficit, propitiatoria fuerunt eo ſenſu, quòd valuerint ad tollendas immunditias legales, & ad propitiandum Deum quoad reatum pœnæ temporalis, atque etiam quoad reatum culpæ ex opere operantis, ſeu offerentium fide formatæ, cujus erant proteſtationes.

At inquies. Saltem ſacrificium Miſſæ non eſt alio & perfectiori modo propitiatorium, quàm fuerunt vetera illa ſacramenta, quibus præfigurabatur. *Reſp.* Vetera illa ſacrificia non ſolùm ſacrificium Miſſæ, ſed etiam ſacrificium crucis præfiguraſſe: num inde concludi poteſt, ſacrificium crucis non alio & perfectiori modo propitiatorium eſſe, quàm fuerint vetera illa ſacrificia? Itaque cùm vetera illa ſacrificia umbræ tantùm fuerint ſacrificii crucis & ſacrificii Miſſæ,

Miſſæ, ſacrificium crucis & ſacrificium Miſſæ alio & perfectiori modo propitiatoria eſſe, quàm vetera illa ſacrificia fuerint, neceſſe eſt.

At inquies. Sacrificium crucis fuit ſufficientiſſimè propitiatorium. Ergo præter illud non eſt aliud ſacrificium propitiatorium in lege nova. *Reſp.* diſt. conſ. Ergo præter illud non eſt aliud in lege nova ſacrificium, quod ſit propitiatorium in eodem ſenſu, C. conſeq. In alio & tamen vero ac proprio ſenſu, N. conſeq. *Nota.* Sacrificium crucis perfectiſſimè propitiatorium fuit eo ſenſu, quòd pretium exhibuerit ſufficientiſſimum ad placandum Deum, & ad remiſſionem peccatorum omnium, tam quoad reatum pœnæ, quàm quoad reatum culpæ: at ſupereſt, ut pretium illud in particulari applicetur per media ad hunc finem à Deo inſtituta, quorum unum ac præcipuum eſt Miſſæ ſacrificium, quod proinde verè ac propriè propitiatorium eſt, quamvis non eodem ſenſu, quo ſacrificium crucis, ſed alio & diverſo.

Responsio II.

Sacrificium Miſſæ eſt etiam impetratorium.

Sequitur evidenter ex 1. reſp. Nam, ut rectè diſcurrit Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 3. „ Si oblatio Euchariſtiæ pro peccatis dimittendis valet, certè pro aliis etiam neceſſitatibus, quæ ex peccato ortæ ſunt, valere debet. Et ſi Deus hoc ſacrificio placatus, in gratiam cum inimicis ſuis redit, quantò facilius ob idem ſacrificium adducetur, ut amicis & reconciliatis bona temporalia tribuat, ſi id eis utile fuerit. Sed

Prob. adhuc 1. Quia in lege veteri non ſolùm erant ſacrificia pro peccato & delicto, & pro gratiarum actione, ſed etiam pro beneficiis impetrandis, ut patet ex cap. 7. Levitici, & ex lib. 2. Regum cap. ult. ubi David pro peſte ſedanda offert holocauſta & pacifica, & exauditur. *Ædificavit*, inquit ſacer hiſtoricus, *ibi David altare Domino, & obtulit holocauſta & pacifica: & propitiatus eſt Dominus terræ, & prohibita eſt plaga ab Iſrael.* Et ex lib. 2. Machab. cap. 3. ubi narratur, quòd Onias ſummus ſacerdos obtulit pro ſalute Heliodori hoſtiam ſalutarem, & Dominus Heliodoro vitam donavit. Atqui ſacrificia illa, quæ in veteri lege pro beneficiis impetrandis offerebantur, ſicut & alia quæ offerebantur pro peccato & delicto, erant umbræ & figuræ ſacrificii noſtri Euchariſtici, ut docent Chryſoſtomus comment. in Pſal. 95. & Auguſtinus lib. 17. de civ. cap. 20. & lib. 1. contra adverſarium legis cap. 20. verbis jam relatis. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, cujus teſtes ſunt, 1. Omnes antiquæ liturgiæ, Jacobi ſcilicet, Baſilii, Chryſoſtomi, &c. in quibus oratur pro pace, pro fructuum ubertate, pro ſalute infirmorum, &c. 2. Patres, ut Tertullianus in libro ad Scapulam cap. 2. ubi ait: *Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris.* Et Cyrillus Hieroſolimitanus catech. myſtag. 5. *Poſtquam*, inquit, *confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis & afflictis, & in ſumma, pro iis omnibus, qui egent auxilio.* Manifeſtum autem eſt, pro iis offerri ſacrificium, pro quibus inter ſacrificandum oratur. Ergo, &c. Accedit authoritas Concilii Tridentini ſeſſ. 22. can. 3. anathematizantis eos, qui negant, ſacrificium Miſſæ pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere.

ARTICULUS VI.

Quinam ſint, aut poſſint eſſe offerentes in Miſſæ ſacrificio.

Responsio I.

Chriſtus eſt principalis offerens in ſacrificio Miſſæ. Patet ex dictis a. 2. §. penult. & *prob. adhuc breviter.* 1. Ex Scriptura, quæ pſal. 109. Chriſtum vocat Sacerdotem æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; quia, ut Patres interpretantur, uſque ad mundi conſummationem miniſterio ſacerdotum corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini ſacrificaturus eſt.

2. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic ſufficit Ambroſius in pſal. 38. ubi ait: *Ipſe* (Chriſtus) *offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur, Imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur.* Cum Auguſtino lib. 10. de civ. cap. 20. ubi de Chriſto ſic loquitur: *Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio.*

3. Ex Conciliis, Lateranenſi ſcilicet IV. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, in quo dicitur: *Una eſt fidelium univerſalis Eccleſia .... in qua idem ipſe ſacerdos, & ſacrificium Jeſus Chriſtus.* Et Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. ubi hæc habet: *Una eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.* Hinc ſic ait cap. 1. *Et hæc quidem munda illa oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt*; quia nimirùm principalis offerens, ut ait Apoſtolus Hebr. cap. 7. *Sanctus* eſt, *innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Unde Miſſæ ſacrificium, ut eſt à principali offerente, ſemper puriſſimum eſt ac ſanctiſſimum: quamobrem ſemper Deo Patri ſummè placet, non ſolùm ratione rei oblatæ, ſed etiam ratione principalis offerentis.

4. Denique ratione: quia Deus voluit, ſibi in lege nova offerri ſacrificium, quod ſibi ſemper placeret, adeoque ſemper mundum ac purum eſſet, juxta illud Malachiæ cap. 1. *In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Atqui ad hoc ut ſacrificium purum ſit, non ſufficit ut res oblata pura ſit, ſed præterea requiritur, ut ſaltem principalis offerens ſit purus, quia ſacrificium propriè conſiſtit, non in re quæ offertur, ſed in actione qua offertur res illa. Ergo Deus voluit, adeoque oportuit, ut in ſacrificio legis gratiæ ſaltem principalis offerens ſemper purus eſſet. Adde, quòd cùm res oblata in ſacrificio legis gratiæ ſit dignitatis infinitæ, ac puriſſima, non debet principaliter offerri, niſi à perſona quæ ſemper Deo grata, pura, ac ſancta ſit. Talis autem eſt ſolus Chriſtus. Ergo, &c.

At inquies. Quomodo Chriſtus poteſt eſſe principalis offerens in ſacrificio Miſſæ; cùm loco diſtet, nec per ſe influat in actionem ſacrificandi? *R.* Chriſtum verè ac propriè principaliter offerre, hoc ipſo quòd ſacerdos in perſona ipſius, & tanquam legatus ejus ipſum repræſentans, ſacrificat, ſeu per verba conſecrationis ponit corpus & ſanguinem ejus ſub ſpeciebus panis & vini, modo illorum moraliter deſtructivo, ipſo præſertim ſciente, vidente, conſentiente, & actu interno proprio moralem corporis ac ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini deſtructionem ad cultum & honorem Dei, ſeu ad proteſtandam ſupremam Dei excellentiam ordinante.

Responsio II.

Soli ſacerdotes offerunt ſacrificium Miſſæ, tanquam proprii miniſtri illius: ita ut actio ſacrificandi non à quolibet fideli, ſed à ſolis ſacerdotibus phyſicè & immediatè exerceri poſſit.

Prob. 1. Ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Sextum*, ubi hæc ſacerdotalis ordinationis forma eſſe dicitur: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis.* Ergo nemo in Eccleſia ſine

ſine ſacerdotali ordinatione poteſtatem habet offerendi ſacrificium Miſſæ; adeoque poteſtatem hanc habent ſoli ſacerdotes.

2. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. ubi doeer, Chriſtum in ultima cœna Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut corpus & ſanguinem ejus ſub ſpeciebus panis & vini offerrent, præcepiſſe per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Et can. 2. anathematizat eum, qui dixerit, *illis verbis*, Hoc facite in meam commemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes; aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique ſacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum*. Et ſeſſ. 23. ſic ait: *Cùm in novo teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione catholica Eccleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile & externum ſacerdotium, in quod vetus translatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, &c. ſacra littara oſtendunt, & catholica Eccleſia traditio ſemper docuit*. Ex quibus locis apparet, offerendi poteſtatem, ſicut & oblationem, penes ſolos ſacerdotes eſſe.

3. Ratione. Nam ſacrificium Miſſæ eſt aliquid ſupernaturale, non enim fieri poteſt ſine panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatione, quæ vires omnes naturæ ſuperat. Ergo ab iis tantùm fieri poteſt, qui ad id muneris poteſtatem ſupernaturalem habent. Atqui poteſtatem hanc habent ſoli ſacerdotes. Et 1. quidem quòd habeant, & illam accipiant in ordinatione ſua, patet ex ordinationis formula. 2. Quòd ſoli habent, probatur. Quia ſi qui alii, præter eos, qui ordinationem ſacerdotalem acceperunt, habent poteſtatem illam, vel habent ex ſe, aut hominum commiſſione & deputatione; vel habent ex conceſſione Chriſti. Neutrum dici poteſt. Non primum; cùm poteſtas illa ſit ſupernaturalis. Non etiam ſecundum; cùm Chriſtus poteſtatem illam ſolis Apoſtolis, & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus conceſſerit.

Denique ſic argumentor. Soli ſacerdotes poſſunt conſecrare Euchariſtiam, ut ſuo loco probatum eſt. Ergo ſoli poſſunt offerre ſacrificium Miſſæ. *Prob. conſeq*. Nam una & eadem realiter actione offertur Miſſæ ſacrificium, & conſecratur Euchariſtia, ut ſuo loco oſtenſum eſt.

Raſponſſo III.

Sacrificium Miſſæ validè offerri poteſt à ſacerdotibus omnibus, ſive boni ſint, ſive non; ſive ſint ab Eccleſia tolerati, ſive non, ſed præciſi.

Prob. aſſertio, 1. De malis ſacerdotibus: nam poteſtas offerendi Miſſæ ſacrificium, eſt poteſtas Ordinis. Atqui poteſtas Ordinis per nullum mortale peccatum tolli poteſt: nam vel eſt ipſe character ſacerdotalis, qui indelebilis eſt, vel ſaltem ab eo ex inſtitutione Chriſti omninò inſeparabilis eſt. Ergo poteſtas offerendi ſacrificium Miſſæ per nullum mortale peccatum tollitur.

At inquies. Poteſtas ſacrificandi non tollitur quidem per peccatum mortale, at per illud ligatur. *R*. diſt. Per illud ligatur, ne exerceatur licitè. C. Ne validè exerceatur, N. Ut enim poteſtas ſacrificandi validè exerceatur, ſatis eſt, quòd ſacerdos velit eam exercere, & applicet omnia neceſſaria, quorum neutrum impediri poteſt per mortale peccatum, etiamſi illud ſit hæreſis.

Prob. aſſertio, 2. De ſacerdotibus ab Eccleſia præciſis. Nam 1. per nullam Eccleſiæ prohibitionem tolli poteſt poteſtas ſacrificandi; cùm hæc poteſtas ſit poteſtas Ordinis, quæ confertur per impreſſionem characteris ſacerdotalis, qui indelebilis eſt. 2. Per nullam Eccleſiæ prohibitionem impediri poteſt validus uſus poteſtatis ſacrificandi: nam hæc poteſtaa eſt tantùm poteſtas Ordinis, nec ad actum ſuum requirit juriſdictionem. Atqui Eccleſia nulla ſua prohibitione impedire poteſt validum exercitium poteſtatis, quæ eſt poteſtas Ordinis tantùm, non verò poteſtas Ordinis ſimul & juriſdictionis: non enim impedire poteſt, ne poteſtas illa validum ſuum effectum habeat, ſi ex debita intentione, forma & materia adhibeatur. Ergo, &c. Hic igitur idem eſt de ſacrificatione, ac de conſecratione, quam Eccleſia nulla ſua prohibitione impedire poteſt. Unde

Sic adhuc breviter argumentor. Conſecratio, facta à ſacerdote quantumlibet præciſo, valida eſt. Ergo ſimiliter ſacrificium, oblatum à ſacerdote quantumlibet præciſo, verum eſt ſacrificium. Antecedens eſt de fide; *Prob. conſeq*. Quia actio ſacrificandi eſt ipſa actio conſecrandi, quatenùs per eam ponuntur corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini modo illorum moraliter deſtructivo, quo modo corpus & ſanguis Chriſti neceſſariò ponuntur ſub ſpeciebus panis & vini, quoties ſub illis ponuntur per panis & vini converſionem.

At inquies. Quid ergo facit prohibitio Eccleſiæ? *R*. Facit, 1. ne ſacerdos præciſus licitè poſſit ſacrificium offerre. Facit 2. ne ſacerdos præciſus, in offerendo ſacrificio agere poſſit ut miniſter Eccleſiæ, hoc autem faciendo nec impedit, nec impedire poteſt, ne ſacerdos præciſus validè ſacrificet; quia ad hoc ut ſacerdos validè ſacrificet, neceſſe non eſt, ut agat ut miniſter Eccleſiæ, ſed ſufficit quòd agat ut miniſter Chriſti, & in ejus perſona proferat verba conſecratoria cum debita intentione, ad quod poteſtatem habet ratione characteris ſacerdotalis, quem nec delet, nec delere poteſt Eccleſiæ prohibitio; quæ proinde nec facit, nec facere poteſt, ne ſacerdos præciſus validè offerat; ſed ſolùm facere poteſt, & facit, ne offerat nomine Eccleſiæ, ex cujus commiſſione ſacerdotes habent, ut ejus nomine offerant; adeoque ab ea privari poſſunt hoc munere, & re ipſa privantur per cenſuras, ſicut & privantur miniſterio, ſeu morali poteſtate peragendi ea, quæ in Miſſæ ſacrificio ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ. Pro quo

Nota. In ſacrificio Miſſæ aliquid eſt ex inſtitutione Chriſti, nempe ſubſtantia ſacrificii, ſeu actus ſacrificandi, quem in conſecratione adæquatè conſiſtere, ſuo loco probatum eſt; & aliquid ex inſtitutione Eccleſiæ, nempe orationes, & aliæ cœremoniæ, quæ fiunt ante & poſt conſecrationem. Quantùm ad id quod eſt ex inſtitutione Chriſti, ſacerdos agit in perſona Chriſti, & tanquam legatus ipſum repræſentans, ac miniſter ejus: unde quantùm ad id quod eſt ex inſtitutione Chriſti, non ſe habet Eccleſia ad ſacerdotem ut principale offerens ad miniſteriale, ſed ut populus ad miniſtrum datum à Deo: unde non poteſt illum privare poteſtate peragendi id, quod eſt ex inſtitutione Chriſti, hoc eſt, poteſtate offerendi ſeu ſacrificandi, quotieſcumque voluerit, ſed ſolùm poteſt nolle cum eo concurrere, & per illum offerre.

Quantùm verò ad ea quæ ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, Eccleſia habet ſe ad ſacerdotem, ut agens principale ad miniſteriale, & in eis ſacerdos propriè ſe habet ut miniſter Eccleſiæ, ex cujus commiſſione, & cujus nomine operatur: unde morali poteſtate ea exequendi omninò privari poteſt ab Eccleſia; ita ut nullatenùs cenſeri poſſit ea exequi nomine Eccleſiæ, & ut miniſter ejus; ut fit per cenſuras eccleſiaſticas.

Rxſponaio IV.

Alii etiam fideles poſſunt eſſe offerentes in ſacrificio Miſſæ.

Prob. Nam re vera populus, qui Miſſam audit, non quidem per ſe, & ut principium phyſicum ac immediatum actionis ſacrificandi, hoc enim ſoli ſacerdoti competit, ut probatum eſt; ſed ut ſacerdoti celebranti aſſiſtens, & ſacrificio conſentiens, vera aliqua ac ſpeciali ratione dici poteſt offerens, ut oſtenditur, 1. Ex S. Leone epiſt. 81. ad Dioſcorum, in qua ſcribit: *Neceſſe eſt ut quædam pars populi ſua devotione privetur, ſi unius tantùm Miſſæ more ſervato,*

ſacri-

Google

ſacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte convenerint. Juxta S. Leonem igitur, populus qui Miſſam audit, verè cum ſacerdote celebrante, noo quidem per ſe immediatè, ſed per ipſum ſacerdotem offert ſacrificium.

2. Ex noſtro canone, io quo ſacerdos celebrans ſic orat: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum ... & omnium circumſtantium .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium, &c. Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtra, ſed & cuncta familia tua, quaſumus Domine, ut placatus accipias, &c. Unde & memores, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta ... offerimus præclara majeſtati tuæ de tuis donis ac datis, hoſtiam puram, &c.* Populus igitur aſſiſtens ſacrificio, eique conſentiens, illud offert per ſacerdotem celebrantem. Quod

Confirmatur, Quia ſacrificium, cùm ſit cultus publicus ac ſolemnis totius populi, debet eſſe omnibus commune, & cùm Deo ſacrificare, eique ſacrificando ſupremum cultum exhibere, quodam modo naturale ſit omnibus hominibus, neceſſe eſt ut in omni lege poſſint omoes ſacrificium offerre, vel per ſe, vel per ſacerdotes. Ergo oportuit, ut in lege gratiæ noo ſolùm ſacerdotes, ſed etiam reliqui fideles poſſeot offerre ſacrificium, non quidem per ſe immediate, exercendo actum ſacrificandi, ſed per ipſos ſacerdotes, quibus ſolis data eſt poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, adeoque moraliter deſtruendi corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini: ſicut io lege veteri, ut patet ex pluribus Scripturæ locis, populus Judaicus offerre poterat, & offerebat ſacrificia, noo per ſe immediatè exercendo actum ſacrificandi, ſed per manus ſacerdotum, quibus ſolis victimas, excepto ſolo agno Paſchali, mactare, liquores libarè, &c. licebat.

Porrò ſi ii, qui Miſſæ ſacrificio aſſiſtunt, verè dici poſſunt offerentes, à fortiori dici poſſunt ii, qui ſacerdoti miniſtrant, vel aſſiſtunt ſacrificio, quod procurarunt dando ſtipendium ſacerdoti. Ratio ulterior pro omnibus eſt, quia io moralibus actio eos omnes denominat, qui ei aliquo modo cooperantur; & eò magis denominat, quò magis ei cooperantur. Qui ergo aliquo modo cooperantur externæ oblationi, quam facit ſacerdos celebrans, ab ea denominantur offerentes, & eò magis denominantur offerentes, quò magis cooperantur.

RESPONSIO V.

Univerſa Eccleſia eſt verè offerens in omnibus ſacrificiis, quæ fiunt à ſacerdoribus noo præciſis.

Prob. 1. Ex S. Irenæo lib. 4. cap. 34. ubi ait: *Igitur Eccleſia oblatio, quam Dominus docuit offerri in univerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum*. 2. Ex S. Auguſtino lib. 10. de civ. cap. 20. ubi ait: *Cujus rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſia ſacrificium, cum ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tam ipſa per ipſum, quam ipſe per ipſam ſuetus offerri*. 3. Ratione: quia Eccleſia eſt corpus myſticum, cujus ſacerdotes omnes noo præciſi membra ſunt, & quidem ſpecialiter deputata ad offerendum ejus nomioe ſacrificium. Ergo ſicut corpus naturale, putà humanum, verè dicitur eſſe videns per oculum, & tangens per manum; ita Eccleſia verè dicitur offerens per ſacerdotes quoslibet noo præciſos, quoties ſacrificium Miſſæ celebrant, præſertim cùm ſacerdotes omnes, non præciſi, celebrando agant ut miniſtri publici, publica authoritate, & quaſi communi conſenſu deputati ad offerendum ſacrificium, & offerendo exhibendum Deo cultum ſupremum nomine totius corporis.

ARTICULUS VII.

Pro quibus Miſſæ ſacrificium offerri poſſit.

HIc ſacrificium Miſſæ offerri pro aliquo, eſt alicui fructum hujus ſacrificii ſpeciali intentione applicare. Cùm autem Miſſæ ſacrificium non ſolùm euchariſticum ſit & latreuticum, ſeu honorarium, ſed etiam propitiatorium, & impetratorium, 1. poteſt pro aliquo offerri: nam quà propitiatorium & impetratorium eſt, dicit neceſſariò habitudinem ad aliquem, pro quo offeratur: qui enim vult aliquid impetrare, alicui impetrare vult; & qui vult Deum propitiare, alicui propitiare vult.

2. Sacerdos illud pro ſe ipſo offerre poteſt & debet, cùm impetratione aut propitiatiooe indiget, juxta dictum Apoſtoli Hebr. cap. 5. *Propterea* (ſacerdos) *debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis*. Eadem ratione offerentes cæteri, ſacerdote inferiores, poſſunt & debent pro ſe offerre, quia etiam indigent, & poſſunt pro ſe per ſacrificium, cui devotè aſſiſtunt, impetrare, vel Deum ſibi propitiare.

3. Sacerdos non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro aliis offerre poteſt, ut prob. 1. Ex S. Thoma hic queſt. 79. art. 7. in O. ubi ait de Euchariſtiæ ſacramento: *Aliis, qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificii, in quantum pro ſalute eorum offertur*. Pro quo citat canonem noſtrum, in quo ſacerdos dicit: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe quiſque omnibus, pro ſalute animarum ſuarum, &c.* 2. Ex communi uſu & ſenſu Eccleſiæ, in qua ſacerdotes noo ſolùm pro ſe, ſed etiam pro aliis ſacrificium offerunt. 3. Ex ipſo munere ſacerdotali: nam, ut dicit Apoſtolus Hebr. cap. 5. *Omnis pontifex conſtituitur, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis* (ſupple, non tantùm ſuis, ſed etiam aliorum) ut patet ex ſubſequentibus.

4. Ratione: quia ſacerdos non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro aliis orare poteſt. Ergo oon ſolùm quando pro ſe, ſed etiam quando pro aliis orat, poteſt orationi ſacrificium adjungere, ut faciliùs impetret. Similiter poteſt ſacerdos pro aliis ſatisfactionem ſuam offerre, & ſic pro illis ſatisfacere: Ergo à fortiori ſatisfactionis fructum, ex ſacrificio provenientem, aliis applicare poteſt.

5. Noo ſolùm ſacerdos, ſed etiam quilibet alius offerens, ſacerdote inferior, poteſt pro aliis offerre ſacrificium, eo ſcilicet modo, quo ad ipſum ſpectat, & ab eo offerri poteſt: nam quilibet pro alio poteſt orare & impetrare, & ad hunc fioem opera pietatis facere: ergo poteſt etiam ad hunc finem offerre ſacrificium. Similiter unuſquiſque poteſt pro alio ſatisfacere, ei applicando ſatisfactiooem ſuam: ergo poteſt etiam alteri ſacrificium, quod cum & per ſacerdotem offert, applicare quoad fructum ſatisfactioois; quod eſt pro illo offerre ſacrificium. Sed jam quæritur, pro quibus offerri poſſit Miſſæ ſacrificium? Quam controverſiam in plures paragraphos partimur.

§. I.

Utrùm ſacrificium Miſſæ poſſit offerri pro omnibus hominibus nunc viventibus.

NOta. Ex hominibus viatoribus, & nunc viventibus, alii ſunt fideles, alii verò infideles. Fideles alii ſunt baptizati, alii catechumeni. Item alii ſunt adulti, alii infantes. Item alii ſunt juſti, alii peccatores, & inter hos alii ſunt ab Eccleſia tolerati, alii ab ea quodam modo ſeparati & excommunicati. Similiter infideles alii ſunt ſubjecti juriſdictiooi Eccleſiæ, cujus proinde cenſuris ligantur, quales ſuot Apoſtatæ à fide, quam profeſſi ſunt in baptiſmo; alii verò Eccleſiæ juriſdictioni nullo modo ſubjecti ſunt, adeoque nec ligantur ceoſuris ejus, quales ſunt Judæi, &

alii

Google

alii omnes non baptizati. De his omnibus reſolvenda eſt controverſia. Pro quo ſit

Responsio I.

Quodlibet Miſſæ ſacrificium, quà impetratorium eſt, offerri poteſt & debet pro membris omnibus militantis Eccleſiæ, hoc eſt, pro omnibus baptizatis viventibus, qui nec per infidelitatem, nec per excommunicationem ſunt ab Eccleſia ejuſque communicatione ſeparati.

Ita Suarez hic diſp. 78. ſect. 2. ubi ait, eſſe communem Authorum omnium concluſionem, & probatur ex uſu & verbis Eccleſiæ, in ordine Miſſæ, quo ſacerdos in offertorio ſic orat: *Suſcipe, ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hoſtiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi ... pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis atque defunctis: ut mihi & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam.* Et inferiùs miniſter ſic orat: *Suſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis ad laudem & gloriam nominis ſui, ad utilitatem quoque noſtram, totiuſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.* Et in canone ſacerdos dicit: *Supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas ... hæc ſancta ſacrificia illibata, in primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta & catholica.*

Ratio autem ex parte ſacrificii eſt, quia eſt veluti commune bonum totius Eccleſiæ: ex parte ſacerdotis eſt officium ejus, vi cujus mediator eſt & interceſſor apud Deum pro univerſa Eccleſia, cujus miniſter eſt, ac legatus in offerendo: ex parte denique Eccleſiæ eſt ejus inſtitutio; nam ex ritu Miſſæ apertè colligitur, ab Eccleſia inſtitutum eſſe, ut ſacrificium pro univerſa Eccleſia offeratur.

Dixi in reſponſione, quà impetratorium: nam quod ſacerdotes, quotieſcunque celebrant, fidelibus ſingulis & omnibus ſacrificium, quà ſatisfactorium eſt ex opere operato, applicare debeant, nec ex jure divino, nec ex eccleſiaſtico probari poteſt: neutrum enim tale jus extat, & ex ritu Miſſæ aliud non habetur, quàm quòd ſacerdos ſacrificans orare debeat pro omnibus & ſingulis fidelibus, adeoque pro omnibus & ſingulis fidelibus ſacrificium quà impetratorium eſt, offerre. Præterea, ſi ſacerdos ſacrificium, quà ſatisfactorium eſt ex opere operato, offerre teneretur pro membris omnibus Eccleſiæ, cùm fructus ſatisfactionis ex opere operato ſacrificii proveniens, finitus ſit, vix aliquid ſupereſſet ex eò, quod alicui in particulari applicare poſſet ſacerdos, quod eſt contra communem ſenſum fidelium, qui ſacerdotibus ſtipendium largiuntur, ut fructum ſatisfactionis, qui ex opere operato ſacrificii provenit, pro ſe, vel pro aliis puta defunctis, conſequantur.

Dices. Infantes baptizati ſunt membra Eccleſiæ, & tamen non poteſt pro eis ſacrificium offerri, quia non ſunt capaces alicujus fructus illius. Item peccatores ſunt de numero fidelium, & tamen indigni ſunt, ut pro eis offeratur. Item Concilium Eliberitanum can. 29. prohibet, ne offeratur pro energumenis, ſeu vexatis à dæmone. Ergo falſum eſt quòd ſacrificium Miſſæ offerri poſſit & debeat pro omnibus membris Eccleſiæ.

Reſp. ad 1. infantes eſſe quidem incapaces fructus provenientis ex opere operato ſacrificii, quia eo non indigent; at capaces ſunt fructus impetrationis, quod ſufficit ad hoc ut ſacrificium, non quidem ut ſatisfactorium, ſed ut impetratorium, pro illis offerri poſſit & debeat.

Ad 2. *Reſp.* fideles in ſtatu peccati mortalis exiſtentes, nihilominùs eſſe membra Eccleſiæ, & impetrationis capaces eſſe; unde pro eis ſacrificium, ut impetratorium eſt, offerri poteſt & debet, ut à Deo benè diſponantur, & convertantur. *Ad* 3. *Reſp.* canonem Eliberitanum non eſſe in uſu, & quidem jure merito: nam vexari à dæmone non eſt culpa, ſed pœna, qua non ablata capaces ſunt, ſi ſunt juſti, etiam fructus ſatisfactionis ex opere operato ſacrificii provenientis. Et ſi ſunt in ſtatu peccati, capaces ſunt & impetrationis; poteſt enim eis impetrari à Deo, ut à dæmonis vexatione liberentur; & remiſſionis mortalium, mediatè provenientis ex opere operato ſacrificii, ut infra explicabitur.

At inquies, Quid ſi ſacerdos fidelem aliquem à generali oblatione excludat? *Reſp.* peccare graviter contra præceptum charitatis: licèt enim ex charitate non teneamur orare pro ſingulis in particulari, tenemur tamen neminem excludere à communibus orationibus. Præterea, ſacerdos ille agit contra inſtitutionem & intentionem Eccleſiæ, cujus miniſter ac legatus eſt in offerendo ſacrificio. Porrò fidelis ille, quem ſacerdos à generali oblatione excludet, privabitur quidem fructu ſacrificii, qui poſſet ei provenire ex privata interceſſione ſacerdotis: at non privabitur fructu, qui poteſt ei provenire ex parte Eccleſiæ offerentis per ſacerdotem ut miniſtrum & legatum ſuum.

Responsio II.

Sacrificium Miſſæ, quà impetratorium eſt, poteſt offerri pro catechumenis credentibus, nondùm baptizatis.

Prob. Nam ſacrificium Miſſæ ſaltem ut impetratorium eſt, poteſt offerri pro illis, pro quibus ſacerdos nomine Eccleſiæ orat ad altare: nam hoc ſacrificium cum omni legitima oratione conjungi poteſt ad illam juvandam, & augendam impetrandi efficaciam. Atqui ſacerdos nomine Eccleſiæ orat ad altare pro catechumenis nondùm regeneratis; orat, inquam, in die Paraſceves; quam conſuetudinem ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam eſſe diſertis verbis aſſerit Gennadius lib. de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 30. ubi ait: *Obſecrationum quoque ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo, atque in omni catholica Eccleſia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi: cùm enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur .... ut catechumenis ad regenerationis ſacramenta productis, cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur.* Ergo, &c.

Secundò, pro illis offerri poteſt ſacrificium, pro quibus ſacerdos ut miniſter & legatus Eccleſiæ, inter ſacrificandum orat; nam revera pro talibus offert. Atqui in liturgia Baſilii & Chryſoſtomi ſacerdos nomine Eccleſiæ inter ſacrificandum orat pro catechumenis in hunc modum: *Domine Deus noſter ..., reſpice ad ſervos tuos catechumenos ... fac eos membra ſancta tuæ Eccleſiæ, & dignare eos lavacro regenerationis, remiſſione peccatorum & indumento incorruptionis.* Ergo, &c. Porrò in reſponſione dictum eſt, Quà impetratorium eſt: nam probabilius eſt catechumenos, etiam fideles & juſtos, quandiu non baptizantur, incapaces eſſe fructus provenientis ex opere operato ſacrificii: unde pro illis offerri non poteſt ſacrificium, ut propitiatorium eſt ex opere operato, & idcircò in liturgia Baſilii & Chryſoſtomi pro illis offertur tantùm quà impetratorium eſt, ut dignè baptiſmum ſuſcipiant, & per dignam baptiſmi ſuſceptionem regenerentur & juſtificentur. Propter eandem rationem Concilium Bracarenſe II. anno 563. celebratum, can. 17. prohibet, ne catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, oblationis commemoratio, & pſallendi officium impendatur, quia nimirùm ſacrificium Miſſæ animabus purgatorii prodeſſe tantùm poteſt, quà ſatisfactorium eſt, & iis tantùm ſic prodeſſe poteſt, qui fuerunt baptizati.

Responsio III.

Sacrificium Miſſæ ut impetratorium eſt, poteſt offerri pro infidelibus quibuſcunque, qui excommunicati non ſunt ab Eccleſia.

Prob. 1. Ex uſu veteris legis, in qua pro gentilibus offerebantur ſacrificia. Ergo idem etiam nunc licet: noſtrum enim ſacrificium de ſe magis ſufficiens eſt, magiſque univerſale, quàm veteris legis

ſacri-

Digitized by Google

ſacrificia fuerint. Antecedens patet ex libro 1. Mach. cap. 12. in quo Judæi ſcribentes ad Spartiatas in epiſtola ſua dicunt: *Nos ergo in omni tempore ſine intermiſſione in diebus ſolemnibus, & cæteris quibus oportet, memores ſumus veſtri in ſacrificiis, quæ offerimus*. Et ex lib. 2. cap. 3. ubi dicitur ſummum ſacerdotem pro Heliodoro ſacrificium obtuliſſe. *Conſiderans autem ſummus ſacerdos* (inquit ſcriptor ſacer) *ne forte Rex ſuſpicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum conſummatam, obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem*. 2. Ex praxi veteris Eccleſiæ, cujus teſtis eſt Tertullianus in libro ad Scapulam cap. 2. ubi ait: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris*; tunc autem temporis Imperator erat ethnicus: imò & ex praxi præſentis Eccleſiæ, ut patet ex ordine Miſſæ, ubi ſacerdos calicem offerens dicit: *Offerimus tibi Domine, calicem ſalutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, pro noſtra & totius mundi ſalute cum odore ſuavitatis aſcendat*.

3. Quia ſacrificium crucis oblatum fuit pro omnibus, etiam pro infidelibus, ut ſuo loco probatur, Ergo & pro omnibus, etiam pro infidelibus ſacrificium Miſſæ, quantùm eſt ex ſe, offerri poteſt: ſicut enim ſacrificium crucis univerſale fuit quoad ſufficientiam, ita & Miſſæ ſacrificium debuit eſſe ſuo modo univerſale quoad efficaciam, ſeu ad applicandum fructum crucis, ſaltem per modum impetrationis, Ergo ſacrificium Miſſæ offerri poteſt non ſolùm pro fidelibus, ſed etiam pro infidelibus, pro quibus nulla eſt prohibitio; ut nulla eſt pro iis infidelibus, qui excommunicati non ſunt. Ergo, &c.

4. Denique, quia pro iis, ſecluſa cenſura eccleſiaſtica, ſacrificium Miſſæ offerri poteſt, pro quibus orat univerſa Eccleſia. Atqui juxta præceptum Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 2. univerſa Eccleſia orat pro infidelibus; de qua praxi auctor librorum de vocatione gentium ſic loquitur lib. 1. cap. 4. *Quam legem ſupplicationis* (ab Apoſtolo præſcriptam) *ita omnium ſacerdotum, & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi ſit, in qua hujuſmodi orationes non celebrentur à populis chriſtianis. Supplicat ergo ubique Eccleſia Deo non ſolùm pro ſanctis, & in Chriſto jam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus, qui Chriſtum in membris ipſius perſequuntur, pro Judæis ... ut relictis erroribus ſuis convertantur ad Deum, &c.* Similia habet Gennadius loco ſupra citato.

Quidni ergo pariter ſacrificium Miſſæ pro illis infidelibus, qui excommunicati non ſunt ab Eccleſia, offerri poſſit & offeratur, *Ut relictis erroribus ſuis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis*, ut loquitur auctor librorum de vocat. gent. Certè ad hunc finem offerre pro infidelibus, nec eſt intrinſecè malum, ſed è contra planè conſonum charitati, ex qua diligendi ſunt; nec eſt prohibitum à Chriſto, qui pro illis mortuus eſt, adeoque optat, illis fructum mortis ſuæ applicari; nec denique prohibitum ab Eccleſia, imò nequidem prohiberi potuit; cùm infideles illi, de quibus hic agitur, ſubjecti non ſint ejus juriſdictioni.

Porrò duplici modo offerri poteſt ſacrificium Miſſæ pro infidelibus. 1. Indirectè, ut cùm offertur pro augmento Eccleſiæ: nam non aliter augetur Eccleſia, quàm per infidelium converſionem. 2. Directè, ſi offeratur pro bono ipſorum infidelium, vel ſpirituali, vel temporali, ſive in communi, ſive in particulari pro hac aut illa natione, pro hac aut illa perſona. Primum modum non ſolùm licitum, ſed etiam uſitatum eſſe, patet ex Miſſali Romano, in quo Miſſam habemus pro extirpando ſchiſmate. Secundum pariter modum reſpectu infidelium, qui excommunicati non ſunt, ſatis ſuperque oſtendimus eſſe licitum non ſolùm in communi, quod minorem habet difficultatem, ſed etiam in particulari, non tantùm pro hac aut illa natione, ſed etiam pro hac aut illa perſona, pro cujus tamen bono temporali nunquam offerendum eſt, niſi cum ordine ad ejus converſionem, vel ad Eccleſiæ & fidelium utilitatem.

Objicies Sanctum Auguſtinum, lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. dicentem: *Quis offerat corpus Chriſti, niſi pro eis qui membra ſunt Chriſti?* Atqui infideles non baptizati, quamvis non excommunicati ſint, non ſunt membra Chriſti. Ergo, &c. *Reſp.* infideles illos non eſſe quidem actu membra Chriſti, ſed poſſe eſſe: poſſunt enim converti ad fidem, & baptizari. Auguſtinus autem loco citato loquitur de iis, qui nec actu, nec potentia membra Chriſti ſunt. Hanc reſponſionem S. Thomas in 4. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. ad 4. ſuggerit, ubi ad verba Auguſtini laudata ſic ait: *Et quod in contrarium dicitur, quod non offertur niſi pro membris Chriſti, intelligendum eſt pro membris Chriſti, quando offertur pro aliquibus ut ſint membra*. Hanc porrò eſſe S. Auguſtini mentem, manifeſtum eſt ex eo, quòd ſic loquatur contra quemdam aſſerentem, pro parvulis ſine baptiſmo mortuis, *oblationes aſſiduas, & offerenda ſanctorum ſacrificia ſacerdotum*; contra quem rectè dicit S. Doctor, Miſſæ ſacrificium offerri non poſſe pro parvulis illis, quia nec ſunt, nec ampliùs poſſunt eſſe membra Chriſti, cùm ſint extra ſtatum viæ, & in ſtatu damnationis æternæ: *Quis enim*, inquit, *offerat corpus Chriſti, niſi pro eis qui membra ſunt Chriſti* (ſupple aut actu, aut ſaltem potentia.)

Responsio IV.

Miſſæ ſacrificium publica oblatione, ſeu à ſacerdote ut publicam miniſtri Eccleſiæ perſonam agente, offerri licitè non poteſt pro iis, qui excommunicati, majori ſcilicet excommunicatione ſunt, ſive fideles ſint, ſive apoſtatæ.

Prob. Nam hoc ab Eccleſia graviter prohibitum eſt, & eſt unus ex effectibus majoris excommunicationis, ut patet ex capite *A nobis* 28. & cap. *Sacris* 38. extra de ſententia excommunicationis, ubi dicitur, excommunicato decedenti in excommunicatione, quantumcunque contritus deceſſerit, non eſſe communicandum ante abſolutionem, nec pro eo orandum, licèt coram Deo abſolutus ſit.

Dixi, publica oblatione: nam ſacerdos in *Memento* pro excommunicatis orare poteſt privata oratione & intentione, quia hoc nulla lege eccleſiaſtica prohibitum eſt. Hoc apertè ſignificat S. Thomas in 4. diſt. 18. q. 2. a. 1. q. 1. ad 2. ubi ait: *Eccleſia per excommunicationis ſententiam ſeparat excommunicatos ab univerſitate fidelium, pro quibus ſuffragia facit: unde ſuffragia Eccleſiæ eis non proſunt, quæ pro tota Eccleſia fiunt; nec ex perſona Eccleſiæ oratio pro eis inter membra Eccleſiæ fieri poteſt, quamvis aliqua perſona privata poſſit ad ejus converſionem aliquod ſuffragium per intentionem dirigere*.

§. II.

Utrùm Miſſæ ſacrificium offerri poſſit pro damnatis?

Responsio.

Sacrificium Miſſæ pro damnatis offerri non poteſt. Ita Doctores omnes catholici, & *prob.* 1. Pro illis Miſſæ ſacrificium offerri non poteſt, quibus non poteſt prodeſſe. Atqui prodeſſe non poteſt damnatis. Ergo, &c. Major per ſe patet. Minor non minùs videtur certa. Et verò, ſi damnatis ſacrificium prodeſſe poteſt, vel ex juſtitia; at hoc non, ut per ſe manifeſtum eſt; vel ex miſericordia; at hoc non, damnati enim non ſunt ampliùs in ſtatu miſericordiæ, ſed rigoroſæ vindictæ, ut ait S. Bernardus.

Prob. Tamen adhuc auctoritate ſancti Auguſtini in enchyridio cap. 110. ubi defunctorum triplicem ordinem diſtinguit. In primo ſunt valdè boni, ſeu beati. In ſecundo ſunt valdè mali, nempe damnati, ſub quorum nomine comprehenduntur infantes ſi-

ne

Digitized by Google

ne baptiſmo morientes. In tertio denique ordine ſunt ii, qui in purgatorio exiſtunt, qui quidem non ſunt mali, ſed potiùs boni ſimpliciter, non tamen ita boni ſunt, ut ſint immunes ab omni reatu pœnæ. Primis ſacrificium Miſſæ prodeſſe non poteſt, quia propitiatione non indigent. Secundis prodeſſe non poteſt, quia nec corrigi poſſunt, nec capaces ſunt propitiationis; nam in inferno nulla eſt redemptio: at prodeſſe poteſt iis, qui ſunt in purgatorio, quia nec tam boni ſunt, ut propitiatione non indigeant, nec tam mali, ut non poſſit Deus illis propitiari.

Verba ſancti Doctoris ſunt: *Neque negandum eſt defunctorum* (in ſtatu gratiæ, ſed cum reatu pœnæ temporalis) *animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſyna in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt* (perſervando in gratia uſque in finem,) *Eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, ut ei non proſint iſta poſt mortem* (qui modus eorum eſt, qui cum reatu pœnæ temporalis tantùm ex hac vita decedunt.) *Eſt verò talis in bono, ut iſta non requirat,* (quales ſunt beati.) *Et eſt rurſus talis in malo, ut nec his valeat, cùm hac vita tranſierit, adiuvari,* (quales ſunt damnati) .... *Cùm ergo ſacrificia ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis* (nempe beatis) *gratiarum actiones ſunt: pro non valdè malis* (hoc eſt pro exiſtentibus in purgatorio, qui eatenùs mali dici poſſunt, quatenùs adhuc pœnæ temporalis rei ſunt) *propitiationes ſunt: pro valdè malis* (damnatis ſcilicet) *etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum* (in ſtatu peccati) *qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt.*

Prob. 2. Pro illis ſacrificium Miſſæ offerri non poteſt, pro quibus non oratur in Eccleſia, nec orari poteſt. Atqui nec oratur in Eccleſia, nec orari poteſt pro damnatis. Ergo, &c. *Prob. min.* ex S. Gregorio lib. 34. moralium cap. 16. ubi ait: *Quomodo pro illis* (inimicis) *tunc orabitur* (quando ſunt in ſtatu damnationis, ac proinde) *quando jam nullatenùs poſſunt ad juſtitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non oretur pro diabolo angeliſque ejus æterno ſupplicio deputatis. Quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non orent ſancti homines pro hominibus infidelibus impiiſque defunctis, qui de eis utique, quos æterno deputatos ſupplicio jam noverunt, ante illum judicis juſti conſpectum orationis ſuæ meritum caſſari refugiunt.*

Confirmatur. Quia ſi ſacrificium Miſſæ offerri poteſt pro damnatis, certè ad impetrandam illis aliquam pœnæ remiſſionem. Atqui nulla pœnæ remiſſio impetrari poteſt damnatis. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ſi per unum Miſſæ ſacrificium damnato impetrari poſſet aliqua pœnæ remiſſio, multiplicatis ſacrificiis, poſſet tandem liberari à tota pœna: nam qua ratione per unum ſacrificium tolleretur certa pars pœnæ, per alterum tolleretur æqualis pars, atque ita deinceps; cùm omnia æqualem habeant efficaciam, ſicque tandem, multiplicatis ſacrificiis, abſumeretur tota pœna, quæ ex parte ſubjecti, ſeu intenſionis, finita eſt. Atqui conſeq. repugnat æternitati, ac perpetuitati ſtatus damnatorum. Ergo, &c.

Obj. 1. Gloſſam in cap. *Tempus* 23. cap. 13. q. 2. dicentem: *Hic Auguſtinus diſtinguit quatuor genera hominum, ſcilicet bonos, & valdè malos, mediocriter bonos, & mediocriter malos. Pro valdè bonis non eſt orandum: injuriam enim facit martyri, qui orat pro martyre ... Item nec valdè malis proſunt, ſed mediocriter bonis proſunt, ut citiùs liberentur ab igne purgatorii. Mediocriter malis proſunt ad hoc, ut minùs puniantur, nunquam tamen liberabuntur; & ſecundùm hoc etiam patet, quòd oratione ſpeciali oramus pro illis, qui deceſſerunt in mortali, dummodo non ſint ſummè mali.*

R. Sententiam hujus Gloſſæ falſam, abſurdam, & ab omnibus Scholaſticis rejectam eſſe, & quidem jure merito: nam, ut jam obſervatum eſt, ſi orationes, & alia pietatis opera fidelium, damnatis, quos hæc Gloſſa mediocriter malos vocat, prodeſſe poſſent ad remiſſionem pœnæ, poſſent tandem damnati illi liberari à tota pœna, multiplicatis orationibus & aliis pietatis operibus, puta eleemoſynis fidelium, quod certè veritati catholicæ repugnat. Nec Gloſſam juvat, quod ait, pœnas defunctorum vivorum ſuffragiis, etiam æqualibus, non tolli per partes æquales, ſed per proportionales tantùm, & ſic ſuffragiis quantumcumque multiplicatis non tolli omninò, ſed ſemper aliquid de pœna remanere: nam hoc fictitium eſt, arbitrarium, & nulla probabili ratione nixum: & verò quidni per æqualia ſuffragia æqualis pœna tolleretur?

At inquies. Innocentius III. cap. *Cùm Marthæ* 6. extra de celebratione Miſſarum, Gloſſæ citatæ apertè favet, cùm ait: *Utrum in hoc articulo locum habeat illa diſtinctio, qua docetur, quòd defunctorum alii ſunt valdè boni, alii ſunt valdè mali, alii mediocriter boni, alii mediocriter mali: unde ſuffragia, quæ fiunt à fidelibus in Eccleſia pro valdè bonis, actiones ſunt gratiarum: pro valdè malis, conſolationes vivorum, expiationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua diſcretio inveſtiget. Reſp.* pro Gloſſæ ſententia nihil concludi poſſe ex Innocentio. Nam 1. de illa quadrimembri diviſione, quam proponit, nihil affirmat, ſed illam committit aliorum diſcretioni, ut inveſtigent, quid de illa ſentiendum ſit. Patet ex poſtremis ejus verbis.

2. Neque affirmat, neque ex verbis ejus colligi poteſt, per mediocriter malos intelligi debere damnatos aliquos; & aliunde abſurdum videtur, mediocriter malos dicere eos, qui jam ſunt in eo ſtatu, in quo habent, & æternùm habituri ſunt odio Deum, nihilque boni operari poſſunt, aut unquam poterunt. Suppoſita igitur præfata diviſione, hoc utrumque, *Alii mediocriter boni, alii mediocriter mali*, intelligendum de defunctorum animabus, quæ ſunt in purgatorio, & quarum aliæ capaces ſunt expiationis omnimodæ, aliæ propitiationis tantùm, hoc eſt, quarum aliæ à purgatorio facilè poſſunt liberari, aliæ verò nonniſi difficillimè, ſed quibus tamen Miſſæ ſacrificium, & alia pietatis opera, pro illis à juſtis viventibus facta, ad pœnarum mitigationem valere poſſunt.

Itaque in præfata diviſione valdè boni ſunt, qui ex hac vita decedunt abſque omni reatu culpæ & pœnæ, vel certè qui jam purgati, nullum ampliùs pœnæ temporalis reatum habent, adeoque fruuntur cœleſti beatitudine. Valdè mali ſunt illi omnes, qui decedunt in ſtatu peccati mortalis, adeoque detruduntur in infernum, æternis ignibus cruciandi. Mediocriter boni ſunt, qui in hac vita ſanctè vixerunt, & levem tantùm pœnæ temporalis reatum habent; unde à purgatorio facilè liberantur per ſacrificium noſtrum. Denique mediocriter mali ſunt ii, qui poſtquam in hac vita impiè vixerunt, tandem convertuntur, & Deo reconciliantur, ſed decedunt cum magno reatu pœnæ temporalis, quibus proinde ſacrificium noſtrum ratò ad integram expiationem, frequentiùs verò ad propitiationem, hoc eſt, ad pœnarum mitigationem valere ſolet.

Ex his intelligitur illud Auguſtini lib. & cap. ſupra laudatis, quod verbis citatis ſubjicit: *Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio* (ſi nimirùm levem reatum pœnæ habet) *aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio* (ſi nimirùm habent magnum pœnæ temporalis reatum) nomine enim damnationis hic S. Doctor non damnationem æternam, ſed præcisè punitionem & ſupplicium intelligit, ut obſervat S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. quæſt. 1. ad 2. *Dicendum*, inquit verba ſancti Auguſtini interpretans, *quod damnatio in verbis illis largè accipitur pro quacumque punitione, ut ſic includat & pœnam purgatorii, quæ quandoque totaliter*

per

Google

per ſuffragia expiatur quandoque autem non, ſed diminuitur.

At inquies. Sanctus Auguſtinus in enchyridio cap. 112. permittit opinari damnatorum pœnas poſſe mitigari, aut ad tempus aliquod ſuſpendi, dummodò non dicatur poſſe finiri. *Fruſtra*, inquit, *nonnulli, imò quàm plurimi, æternam damnatorum pœnam, & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos, humano miſerantur affectu, atque ita futurum non eſſe credunt: non quidem Scripturis adverſando divinis, ſed pro ſuo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo ſententiam, quæ putant in eis terribilius eſſe dicta, quàm verius.* Tales autem ut à ſententia ſua deterreat, tanquam contraria Scripturæ dicenti, *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam*, ſic proſequitur: *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenùs mitigari. R.* Sanctum Doctorem hic nil aliud velle, quàm ſententiam illam, quæ aſſerit pœnas damnatorum mitigari aliquatenùs poſſe, non eſſe tam apertè falſam, & hæreticam, quàm eſt illa altera, quæ affirmat poſſe finiri.

Obj. 2. Pœna pro venialibus debita poteſt in inferno finiri per ſatiſpaſſionem. Ergo ſacrificium Miſſæ damnatis prodeſſe poteſt ad remiſſionem hujuſmodi pœnæ temporalis. *Reſp.* neg. conſeq. Quamvis enim demus aliquam temporalem pœnam damnatorum finiri poſſe per rigoroſam ſolutionem & ſatiſpaſſionem, non inde ſequitur, pœnam illam poſſe etiam remitti per ſacrificium noſtrum. Ratio eſt, quia tempus viæ à Deo determinatum eſt, ut in eo fieri poſſit applicatio pœnarum Chriſti in remiſſionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis vel venialibus vel mortalibus remiſſis. Unde hæc applicatio fieri non poteſt pro illis, qui ſunt omninò extra viæ ſtatum, ut ſunt damnati; ſunt enim in termino damnationis æternæ. Propter oppoſitam autem rationem fieri poteſt pro animabus in purgatorio exiſtentibus, quæ nondùm ſunt in termino beatitudinis, & ad eam tendunt adhuc; unde non omninò ſunt extra viam. Pro quo ſit

§. III.

Utrùm Miſſa ſacrificium offerri poſſit pro animabus in purgatorio exiſtentibus?

Responsio.

Sacrificium Miſſæ ſaltem quà impetratorium eſt, offerri poteſt pro animabus in purgatorio degentibus.

Ita Doctores omnes catholici cum S. Thoma in 4. diſt. 45. & eſt de fide contra Lutheranos & Calviniſtas, & *prob.* 1. ex lib. 2. Machabæorum cap. 12. ubi hæc leguntur: *Facta collatione* (Judas) *duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religiosè de reſurrectione cogitans . . . Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur* (hoc eſt, ut à reatu pœnæ temporalis pro peccatis condonatis debitæ liberentur.) At 1. Si ſacrificia veteris legis, quæ fuerunt umbræ & figuræ noſtri ſacrificii, offerri potuerunt pro defunctis, quidni etiam ſacrificium noſtrum poſſit? Et verò ſi veteris legis ſacrificia defunctis prodeſſe potuerunt, quantò magis poteſt noſtrum ſacrificium? 2. Si ſancta & ſalubris eſt cogitatio orare pro defunctis, ut à pœna temporali in purgatorio luenda liberentur, non poteſt non eſſe ſancta & ſalubris cogitatio, pro illis ad eundem finem offerri ſacrificium, quod per ſe & ex natura ſua hoc habet, ſicut & alia pietatis opera in Deo facta, ut orationis, ſi ei adjungatur, efficaciam augere poſſit.

Prob. 2. Ex praxi veteris Eccleſiæ, in qua ſacrificium pro defunctis offerri ſolitum fuiſſe, teſtantur Patres antiqui, ut Tertullianus in libro de corona militis cap. 3. ubi ait: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus.* Quòd autem loquatur de oblatione per ſacerdotem facienda, adeoque de ſacrificio Miſſæ, patet ex lib. de exhortatione caſtitatis cap. 11. *Jam*, inquit, *repete apud Deum pro cujus* (uxoris defunctæ) *ſpiritus poſtules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot uxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per ſacerdotem.*

Cyprianus epiſt. 27. ubi hæc ſcribit: *Epiſcopi anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter providentes, cenſuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros ſuos levitas voluit avocare.*

Cyrillus Hieroſolymitanus in catecheſi myſtagogica 5. *Cum* inquit, *hoc ſacrificium offerimus, pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii.*

Ambroſius in epiſt. 8. ad Fauſtinum, ubi ad eum ſic ſcribit: *Non tam deplorandam* (germanam tuam defunctam) *quàm proſequendam orationibus reor, nec mœſtificandam lachrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror.*

Et Auguſtinus libro de cura pro mortuis gerenda, in epilogo ſic loquitur: *Quæ cùm ita ſint, non exiſtimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, niſi quod pro eis ſive altaris, ſive orationum, ſive eleemoſynarum ſacrificiis ſolemniter ſupplicamus.* Et ſermone 34. de verbis Apoſtoli: *Hoc* inquit, *à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur.*

Prob. 3. Auctoritate Patrum, aſſerentium conſuetudinem offerendi ſacrificium Miſſæ pro defunctis, ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum fuiſſe; Gregorii ſcilicet Nyſſeni apud Damaſcenum in oratione de fidelibus defunctis ita loquentis: *Nihil inconſultè atque incaſſum à Chriſti præconibus & diſcipulis proditum eſt, & in omnibus Dei Eccleſiis obtinuit: verùm id utile ac Deo gratum eſt, nempe ut in divino ac ſplendidiſſimo ſacro eorum, qui è vita in recta fide diſceſſerunt, memoriam agamus.*

Chryſoſtomi homilia 69. ad populum: *Non temerè*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam; cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur ſacrificium, quomodò Deum non exorabimus, pro his deprecantes?* Iſidori lib. 1. de officiis eccleſiaſticis cap. 18. ubi ait: *Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro iis orari, quia per totum hoc orbem cuſtoditur, credimus quòd ab ipſis Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim ubique catholica tenet Eccleſia, quæ niſi crederet fidelibus defunctis* (quoad reatum pœnæ temporalis) *dimitti peccata* (jam quoad reatum culpæ dimiſſa,) *non pro eorum ſpiritibus vel eleemoſynam faceret, vel Deo ſacrificium offerret.*

Et ſancti Damaſceni in oratione de fidelibus defunctis, ubi ait: *Verbi diſcipuli atque conſpectores, à quibus orbis univerſus captus eſt, illi, inquam, Salvatoris diſcipuli ac divini Apoſtoli, ut in tremendis ac puris vitamque afferentibus myſteriis, eorum qui cum fide diem vitæ extremum clauſiſſent, memoria fieret, inſtituerunt. Quod etiam firmè atque conſtanter, ac ſine ulla controverſia, Catholica & Apoſtolica Eccleſia ab extremis finibus ad extremos uſque fines, ab eo tempore* (Apoſtolorum) *ad hunc uſque diem ſemper retinuit, ac tantiſper, dum mundus hic erit, retinebit.*

Prob.

An. 397. *Prob.* 4. Authoritate Conciliorum, Carthaginenſis II. can. 29 quo dicitur, pomeridiano tempore defunctorum commendationem ſolis orationibus faciendam eſſe, ſi illi, à quibus fieri debet, jam ſunt pranſi, atque ita non poſſunt eo die jejuni Miſſæ ſacrificium offerre. Ergo pomeridiano tempore defunctorum commendatio fiebat non ſolùm orationibus, ſed etiam oblatione ſacrificii, quando ii, à quibus erat facienda, nondùm erant pranſi, & ſic adhuc Miſſam celebrare poterant jejuni.

An. 398. Carthaginenſis IV. can. 79. quo præcipitur, ut *pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi ſubveniri eis non poſſit* (per abſolutionem ſcilicet ſacramentalem, & Euchariſtiæ diſpenſationem) *memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur*, hoc eſt, non ſolùm pro illis orationes fiant, ſed etiam iterùm atque iterùm pro illis offeratur Miſſæ ſacrificium.

An. 813. Cabilonenſis II. can. 39. in quo ſic loquuntur Patres: *Viſum nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolemnitatibus pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur: ſicut enim nulla dies excipitur, qua non pro quibuslibet neceſſitatibus Dominus deprecetur, ita nimirùm nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolemnibus fundantur. Antiquitùs hunc modum igitur ſancta Eccleſia tenet, ut & in Miſſarum ſolemnitatibus, & in aliis precibus, Domino ſpiritus quieſcentium commendet.*

Et Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 2. ubi ait: *Non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apoſtolorum traditionem offertur* (Miſſæ ſacrificium.) Et can. 3. anathematizat eos qui dicunt, *non pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus* (ſacrificium Miſſæ) *offerri debere.*

Prob. 5. Ex eo, quòd ſententia negans Miſſæ ſacrificium ritè offerri pro defunctis exiſtentibus in purgatorio, in veteri Eccleſia publicè rejecta fuerit ut hæretica in Aerio, ut teſtantur S. Epiphanius in Anacephaleoſi, & S. Auguſtinus in libro de hæreſibus §. 53. ubi de Aerio ſic ſcribit: *Doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla, dicens: orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta, &c.*

Prob. denique 6. Ratione. Quia pro illis offerri poteſt ſacrificium Miſſæ, quibus prodeſſe poteſt, & pro quibus aliunde nullo jure prohibitum eſt offerri. Atqui primò nullo jure prohibetur offerri ſacrificium Miſſæ pro defunctis in Chriſto nondùm ad plenum purgatis. Secundò, quòd illis prodeſſe poſſit, docent magno conſenſu Patres, pro quibus omnibus ſit hic unus Auguſtinus, qui ſic loquitur in enchyridio cap. 110. *Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur.* Et ſermone 34. de verbis Apoſtoli: *Orationibus ſancta Eccleſia, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt.* Quod aliis pluribus locis inculcat.

§. IV.

Utrùm ſacrificium Miſſæ offerri poſſit pro Sanctis?

NOta, 1. Eccleſia in ſacrificio Miſſæ non orat pro Sanctis. *Ad ipſam menſam* (Euchariſticam, inquit Auguſtinus tractatu 84. in Joannem) *non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus.* Ratio eſt, quia ſacrificium Miſſæ neque ad culpæ vel pœnæ remiſſionem, neque ad gratiæ vel gloriæ eſſentialis augmentum Sanctis prodeſſe poteſt; nullum enim jam culpæ vel pœnæ reatum habent, & ſunt in termino, in quo gratia & gloria eſſentialis creſcere non poſſunt: unde cùm in noſtra liturgia petit ſacerdos, ut oblatio Sanctis proſit ad gloriam, non pro illis orat, ſed pro ſe & aliis fidelibus petit à Deo gratiam ita ſanctè ac devotè offerendi ſacrificium, ut Sanctis inde coram hominibus accedat gloria.

2. In Eccleſia Miſſæ ſacrificium non offertur Sanctis: unde Sanctis nec templa, nec altaria eriguntur, ut expreſsè docet S. Auguſtinus lib. 8. de civ. cap. 27. *Nec tamen nos*, inquit, *eiſdem Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei... Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit.*

Porrò cùm dicimus, nec templa, nec altaria erigi ſanctis, intelligimus, ea illis non erigi, ut illis ſacrificetur: non enim negamus, aliquo ſenſu templa & altaria ſanctis erigi, quatenùs eriguntur in memoriam eorum, ſeu ut in memoriam eorum ſoli Deo ſacrificetur: unde templa memorias ſanctorum appellat Auguſtinus: nam libro proximè citato cap. 26. ſic ait: *Dolor dæmonum per eum loquebantur, qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum Martyrum memorias imminere mœrebant.* Vocat etiam Sanctorum Baſilicas, ut patet ex lib. 1. de civ. cap. 1. *Teſtantur hoc*, inquit, *Martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum.* Et ex lib. de cura pro mortuis cap. 1. ubi ait: *Ut in beatiſſimi Felicis confeſſoris Baſilica poneretur.*

3. Itaque quando in Eccleſia Miſſæ celebrantur pro Sanctis, celebrantur tantum ad agendas Deo gratias pro illorum victoriis, & ad obtinendum illorum apud Deum patrocinium; quo pacto pro illis celebrando, honoramus illos, & honorando inducimus ad hoc, ut in cœlo noſtri memores ſint, ac pro nobis orent. *Et quamvis*, inquit Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 3. *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit; unde nec ſacerdos dicere ſolet: Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule; ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

Tridentino conſonat Auguſtinus, qui ſolùm addit, ſic commemorari Sanctos, & honorari, ut ad eorum imitationem accendamur: Nam ſic habet lib. 8. de civ. cap. 27. *Cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cœleſti honore ſociavit: ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.* Et lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Populus chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum conſtituamus altaria ... quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit: ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante poſſumus.* His præſuppoſitis, quæritur utrùm in ſacrificio Miſſæ Sancti rectè nominentur & invocentur eo modo, quo ſolent invocari ab Eccleſia Catholica. Pro quo ſit

Responsio I.

In ſacrificio Miſſæ rectè nominantur & honorantur Sancti.

Prob. 1. Ex praxi veteris Eccleſiæ, quæ Sanctos in Miſſæ ſacrificio ſemper nominavit, ut *prob.* 1. Ex liturgiis Petri, Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, Gregorii, &c. 2. Ex S. Cypriano epiſtol. 33. in qua jubet, *dies eorum* (qui martyrio coronantur) *quibus excedunt annotare, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum* celebrari poſſint. 3. Ex S. Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi myſtagog. 5. ubi ait, cùm ſacrificium Miſſæ offertur, mentionem fieri primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum. 4. Ex S. Epiphanio hæreſi 75. §. 7. ubi hæc habet: *Juſtorum pariter & peccatorum* (in ſacrificio Miſſæ) *mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis à Domino miſericordiam imploremus: juſtorum autem, & Patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum ..:... ut Dominum Jeſum Chriſtum ſingulari quodam honore proſequentes, ab cæterorum hominum ordine ſegregemus, &c.* Et ex S. Auguſtino in lib. de ſancta Virginitate, cap. 45. ubi ait: *Perhibet præclariſſimum teſtimonium Eccleſiaſtica authoritas, in quo fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris ſacramenta recitentur.*

Prob. 2. Ratione manifeſta. In Miſſæ ſacrificio tam rectè pro beneficiis à Deo in nos, vel fratres noſtros collatis agi poſſunt gratiæ, quàm poteſt Deo ſupplicari pro beneficiis impetrandis. Atqui beneficium ſingulare eſt, quòd Deus Sanctis, qui ſunt fratres noſtri, eam contulerit gratiam, qua mundum & diabolum ſuperaverunt, ac poſteà illos æterna gloria coronaverit. Ergo rectè ſacrificium Miſſæ offerre poſſumus ad agendas Deo gratias pro victoria & remuneratione Sanctorum, adeòque Sanctos ipſos cum honore in ſacrificio ipſo nominare.

Responsio II.

In ſacrificio Miſſæ rectè invocantur Sancti eo modo quo ſolent invocari in Eccleſia catholica.

Nota. Tribus modis Sancti poſſunt invocari in ſacrificio Miſſæ. Primò ſcilicet, per ipſam oblationem, ita ut eis oblatio offeratur: nam oblatio tacita quædam eſt & efficaciſſima invocatio. Secundò, per orationem ad eos directam, ut cùm dicimus: *Sancte Petre, ora pro nobis.* Tertiò denique, per orationes ad Deum directas, ut cùm à Deo petimus, ut intercedentibus Sanctis nos adjuvet. Primo modo, nec invocat, nec invocare poteſt Sanctos Eccleſia in ſacrificio Miſſæ: ſic enim invocare Sanctos, eſſet peccatum idololatriæ, quia ſic exhiberetur illis ſummus latriæ cultus Dei proprius, eique ſoli debitus. Secundo modo licitè invocari poſſunt Sancti etiam in Miſſæ ſacrificio; ſic tamen non invocantur, niſi obiter in una vel altera Miſſa, in verſiculis poſt lectionem, adeòque ſic non invocantur niſi in Miſſa catechumenorum: in Miſſa verò fidelium, quæ ab offertorio incipit, nunquam niſi indirectè invocantur. Quòd autem hoc tertio modo rectè invocentur.

Prob. 1. Ex Liturgiis: nam ſacerdos in liturgia Petri ſic orat: *Communicantes, & memoriam venerantes ..... imprimis ſanctæ, glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ .... ſed & beatorum tuorum Apoſtolorum & Martyrum Petri, Pauli, &c. quorum interceſſione, ac precibus concede, ut in omnibus tua protectione muniamur.*

In liturgia Baſilii ſacerdos ſic orat: *Sancti Joannis prophetæ, præcurſoris & Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum .... & omnium ſanctorum tuorum, quorum ſupplicationibus, viſita nos Deus.* In liturgia Chryſoſtomi: *Chriſtus verus Deus noſter, interceſſionibus omni ex parte ſanctæ .... Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ .... & omnium ſanctorum, miſereatur noſtri, ut bonus Deus, clemens & benignus.* Et in liturgia Gregorii, ut in noſtra: *Communicantes, & memoriam venerantes imprimis glorioſæ & ſemper Virginis Mariæ, &c. & omnium ſanctorum tuorum: quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.*

His adde Cyrillum Hieroſolymit. catecheſi citata, ubi ait: *Cùm hoc ſacrificium offerimus, poſtea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.*

Prob. 2. Ratione. Quia Sancti pro nobis orare poſſunt in cœlo, & re ipſa pro nobis orant, ut fides docet, & ſuo loco probatur. Ergo etiam inter ſacrificandum poſſumus à Deo petere, ut faciat illos pro nobis orare, & pro nobis orantes exaudire dignetur: nam ſi Deus voluit, Sanctorum orationes unum eſſe ex ſalutis noſtræ mediis, certè poſſumus ab eo petere, ut per illud medium nos adjuvet: ſicut poſſumus ab eo petere, ut juſtos, qui nunc vivunt, ad orandum pro nobis excitet, & orantes exaudiat, quando quidem voluit, juſtorum qui nunc vivunt, orationes unum eſſe ex mediis noſtræ ſalutis.

Obj. S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. cap. 10. dicit quidem, Sanctos à ſacerdote nominari in ſacrificio Miſſæ; at negat illos ab eo invocari. *Reſp.* Sanctum Auguſtinum, cùm hic negat ſanctos à ſacerdote invocari, loqui de invocatione, quæ fit per oblationem, ſeu per ipſam ſacrificationem, quæ re vera eſt efficaciſſima quædam, quamvis tacita, invocatio: cùm enim dixit: *Non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur;* dicti rationem reddens, ſic continuò proſequitur: *Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum* (hoc eſt, quamvis ſacrificet in templo, in eorum memoriam conſtructo.)

Porrò totus noſter eſt S. Doctor loco citato, ubi ait: *Nos Martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum & noſtro, ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur: non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur: Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum: quia Dei ſacerdos eſt, non illorum.*

Sic autem differit S. Auguſtinus contra Ethnicos, qui dæmones invocabant per ſacrificia, quæ illis offerebant: *Illi*, inquit proximè ante verba laudata, *talibus diis ſuis & templa ædificaverunt, & ſtatuerunt aras, & ſacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt.* Non ergo negat S. Doctor, Sanctos in ſacrificio Miſſæ invocari eo modo, quo ab Eccleſia catholica invocantur; imò verò apertè agnoſcit ſic invocari, cùm ait, eos nominari: nam, ut ipſe dicit, tract. 84. in Joan. *Ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt* (& in Purgatorio degunt) *ut etiam pro eis oremus; ſed magis ut orent ipſi pro nobis.*

Obj. iterùm. Chriſtus inſtituendo ſacrificium Euchariſtiæ, non dixit, Hoc facite in commemorationem Sanctorum, ſed, Hoc facite in meam commemorationem. Ergo Sanctorum commemoratio repugnat inſtitutioni ſacrificii Euchariſtiæ. *Reſp.* Chriſtum non dixiſſe, Hoc facite, non in Sanctorum, ſed in mei commemorationem, vel, Hoc facite in mei ſolius commemorationem. Dicendo autem tantùm, Hoc facite in meam commemoratione, nullo pacto excluſit commemorationem Sanctorum, qualis fit ab Eccleſia, & qualem non excluſiſſet, etiamſi dixiſſet, Hoc facite in mei ſolios commemorationem: non enim de qualicumque commemoratione loquebatur, ſed de ea tantùm, qua ſacrificium in cruce peractum repræſentatur: unde dicendo, Hoc facite in mei ſolius commemorationem; excluſiſſet dumtaxat Sanctorum commemorationem, qua eorum paſſio

Digitized by Google

& mors repræſentaretur ; quo genere commemorationis Eccleſia nec facit, nec facere poteſt memoriam ſanctorum in Miſſa ; cùm Miſſæ ſacrificium ſolius Chriſti paſſionem & mortem repræſentet. Sed eſt alia Sanctorum commemoratio, quæ fieri poteſt in Miſſa, & quam facimus, eos nominando, ut de eorum victoriis gratias agamus Deo, & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, dum eorum memoriam agimus in terris.

ARTICULUS VIII.

De effectibus & valore ſacrificii Miſſæ.

§. I.

Quos effectus ſacrificium Miſſæ habeat, aut habere poſſit.

Responsio I.

Remiſſio peccatorum, tam mortalium quàm venialium, eſt effectus ſacrificii Miſſæ, ut propitiatorium eſt.

Eſt de fide, & *prob.* ex Tridentino ſeſſ. 22. c. 2. ubi ait: *Docet ſancta Synodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe .... hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.*

Responsio II.

Remiſſio pœnæ temporalis, pro peccatis condonatis debitæ, eſt etiam effectus ſacrificii Miſſæ, ut eſt propitiatorium.

Eſt etiam de fide, & *prob.* ex Tridentino, quod cap. citato ſic loquitur: *Quare* (ſacrificium Miſſæ) *non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apoſtolorum traditionem offertur.* Et can. 3. anathematizat eos, qui dicunt, ſacrificium Miſſæ *ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus offerri debere.* Synodum autem de pœnis & ſatisfactionibus temporalibus, quæ pro peccatis condonatis debentur, loqui, manifeſtum eſt ex eo, quòd 1. reatus pœnæ æternæ ſemper remittatur cum reatu culpæ. 2. Defunctis in ſtatu gratiæ alia non ſuperſit pœna in Purgatorio luenda, quàm temporalis.

Responsio III.

Utrumque hunc effectum ſacrificium Miſſæ ex opere operato confert, ſed non eodem modo.

Prob. 1. *pars.* Nam ſacrificium Miſſæ rectè dicitur, ex opere operato producere effectus illos, quos producit independenter à fide, probitate, & merito ſacerdotis offerentis. Atqui ſacrificium Miſſæ præfatos effectus ſic producit. Ergo, &c.

Prob. min. Nam in ſacrificio Miſſæ Chriſtus non ſolùm eſt res oblata, ſed etiam principalis offerens. Ergo ſacrificium Miſſæ independenter à fide, probitate, & merito ſacerdotis offerentis, vim habet movendi Deum, adeòque & ipſum movet ad condonanda peccata, & ad remittendam pœnam temporalem, pro peccatis condonatis debitam. Hanc doctrinam inſinuat Tridentinum, cùm ait, ſeſſ. 22. c. 1. *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt.*

Prob. 2. *pars.* Nam ſacrificium Miſſæ remiſſionem pœnæ temporalis, peccatis condonatis debitæ, ſi non ſit obex ex parte illius pro quo offertur, immediatè & infallibiliter operatur, plus aut minùs de pœna relaxando, juxta majorem aut minorem devotionem illius pro quo offertur, ut docet S. Thomas hic q. 79. artic. 5. in O. ubi ait: *Quamvis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna; tamen fit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.*

Remiſſionem verò peccatorum, ſaltem mortalium. 1. Operatur mediatè tantùm, mediante ſcilicet actuali gratiæ auxilio, quo peccator excitatur ad actum contritionis perfectæ, qua extra ſacramentum Pœnitentiæ, non tamen abſque voto illius, juſtificatur. 2. Operatur tantùm fallibiliter: nam gratia actualis, quæ intuitu illius confertur, & qua peccator excitatur ad pœnitentiam, repudiari poteſt, nec ſemper eſt congrua; unde non ſemper obtinet conſenſum ſalutarem, ad quem data eſt; atque ita fit, ut peccata non remittantur peccatoribus omnibus, pro quibus ſacrificium oblatum eſt, & quibus, utpotè non ponentibus obicem, intuitu illius collata eſt actualis gratia, ad perfectam contritionem eliciendam idonea. Quando autem intuitu ſacrificii gratia congrua datur peccatori, quod ex ſolo divino beneplacito dependet, tunc peccatorum remiſſio mediatè fit ex opere operato ſacrificii, immediatè ex opere operantis ipſius peccatoris, gratiæ conſentientis, & ex viribus ejus actum contritionis perfectæ elicientis.

Dixi autem. Saltem mortalium: quià quantùm ſpectat ad venialium remiſſionem, multi docent, illam Miſſæ ſacrificium immediatè cauſare in eo pro quo offertur, & qui nullum ad venialia actualem, aut habitualem affectum habet: quod non caret probabilitate, & utcumque ſuaderi poteſt ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ait, ſacrificium Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum fuiſſe, ut per illud, ſacrificii in cruce peracti *ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur*, nulla contritionis facta mentione, quam tamen facit cap. 2. cùm eidem Euchariſtiæ ſacrificio mortalia remittendi virtutem attribuit.

Responsio IV.

Sacrificium Miſſæ, ut impetratorium eſt, poteſt habere eos omnes effectus, quos pro ſe, vel pro aliis offerens prudenter à Deo poteſt petere.

Prob. Nam ſacrificium Miſſæ eſt oblatio gratiſſima Patri æterno, qui non ſiſtit in perſona ſacerdotis, ſed in illo conſiderat perſonam Chriſti, quem repræſentat: ergo eſt oblatio ex ſe apta & ſufficiens ad movendum Patrem æternum, ab eoque impetranda ea omnia beneficia, quæ pro ſe, vel pro aliis prudenter petit ſacerdos, aut quilibet alius per ſacerdotem offerens. Non eſt tamen infallibilis impetratio hujus ſacrificii, quia non ſemper acceptatur ad id concedendum, ad quod impetrandum offertur.

§. II.

Quanta ſit virtus, quam habet ſacrificium Miſſæ ad remittendam ex opere operato pœnam temporalem, pro peccatis condonatis debitam.

Responsio I.

Virtus illa quoad intenſionem effectus, eſt infinita in actu primo, finita verò in actu ſecundo.

Prob. 1. *pars.* Nam virtus illa commenſuratur Chriſti, ut principalis offerentis dignitati, in qua fundatur, & quæ eſt ſimpliciter infinita: ergo apta eſt, ac ſufficiens ad movendum Deum, ut intuitu ſatisfactionum Chriſti remittat pœnas temporales majores, ac majores in infinitum: ita ut nulla poſſit ſupereſſe tanta pœna temporalis, pro peccatis condonatis exolvenda, ad quam intuitu ſatisfactionum Chriſti remittendam una ſacrificii Euchariſtici oblatio Deum movere apta non ſit ac ſufficiens. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars.* Nam ſi virtus illa quoad intenſionem effectus eſſet infinita in actu ſecundo, per unum ſacrificium quantacumque pœna temporalis ex opere operato remitteretur infallibiliter, atque ita pro eodem

Digitized by Google

dem ſubjecto fruſtrà offerrentur plura ſacrificia; quod eſt contra communem ſenſum fidelium omnium. Virtus igitur illa nùnquam movet Deum, niſi ad remittendam pœnam limitatam & determinatam juxta majorem, vel minorem devotionem ſubjecti, pro quo offertur ſacrificium.

Ratio autem à priori eſt voluntas Chriſti, qui voluit ſatisfactiones ſuas per hoc ſacrificium, non indefinitè, ſed limitatè applicari ad pœnæ temporalis, pro peccatis condonatis debitæ, remiſſionem. Voluiſſe autem videtur, *tum*, ut ait Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 4. *ut hoc modo frequentaretur hoc ſanctum ſacrificium, ſine quo religio conſiſtere non poteſt; tum etiam quia id requirebat ordo divinæ providentiæ. Quæ eſt etiam cauſa, cur Chriſtus aſſiduè interpellat pro nobis in cœlo, cùm tamen videatur, unica interpellatione potuiſſe omnia ſtatim impetrare; & ſimiliter cur pretium infinitum, quod in cruce acquiſivit, quo totus mundus continuò ſalvari potuiſſet, nonniſi quibuſdam, & in certa menſura applicari voluerit* (abſolutè ſcilicet & efficaciter.)

Responsio II.

Virtus illa pariter quoad extenſionem effectus eſt infinita in actu primo, & finita in actu ſecundo.

Prob. 1. pars. Nam cùm virtus illa, ut dictum eſt, fundetur in dignitate Chriſti, ut principalis offerentis, eique commenſuretur, apta eſt ac ſufficiens ad movendum Deum, ut intuitu ſatisfactionum Chriſti pœnam temporalem eandem, & quantamlibet remittat pluribus, ac pluribus in infinitum ſubjectis: ita ut unum ſacrificium, oblatum pro pluribus in infinitum ſubjectis, tam ex ſe aptum ſit prodeſſe ſingulis, quàm uni prodeſſe poteſt, cùm pro uno tantùm offertur.

Prob. 2. pars. Quia virtus illa ſicut quoad intenſionem, ita, & quoad extenſionem effectus, agit & movet Deum limitatè tantùm; alioquin per unum ſacrificium ſatisfieret pro fidelibus omnibus, tam vivis, quàm defunctis, ſi pro omnibus offerretur. Item ſacerdos, juſto ſtipendio à pluribus accepto, non teneretur ad offerenda plura ſacrificia, & unicum pro omnibus offerendo ſacrificium, ſatisfaceret. Item ſacerdos, accepto ſtipendio ad offerendum ſacrificium pro defuncto aliquo, non teneretur pro illo offerre primariò, imò primariam ſuam intentionem ad illum reſtringendo, imprudenter faceret, quia ſic abſque ullo illius emolumento, alios defunctos in Purgatorio degentes, privaret eo fructu, quem ex ſacrificio perciperent, ſi pro illis æquè primariò offerretur. Hæc autem omnia falſa ſunt & abſurda.

Itaque quando pro pluribus ſacrificium offertur, totus effectus remiſſionis pœnæ temporalis, qui finitus eſt, & quem totum unus percepiſſet, ſi pro eo ſolo oblatum fuiſſet ſacrificium, in plures illos dividitur: unde quò plures ſunt, pro quibus fit oblatio, eò minus pœnæ ſingulis remittitur. Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui, ut jam dictum eſt, ad ſervandum providentiæ ordinem, & ad multiplicanda ſacrificia, in illiſque procurandis fidelium devotionem acuendam, voluit ſatisfactiones ſuas per hoc ſacrificium limitatè tantùm non ſolùm quoad intenſionem, ſed etiam quoad extenſionem applicari. Sed

Nota obiter. Non eodem modo ratiocinandum eſſe de offerentium multitudine, ac de multitudine eorum, pro quibus ſacerdos offert: quando enim ſacerdos offert pro pluribus, unica eſt oblatio, cui reſpondet unus remiſſionis effectus in plures dividendus, & ex quo proinde eò minùs ſinguli accipiunt, quo plures ſunt, in quos dividendus eſt. At cùm fideles ſacrificio interſunt, & ſimul offerunt cum ſacerdote, tunc multiplicatis offerentibus, non ideircò ſinguli offerentium minorem ex illo ſacrificio fructum percipiunt, quia multiplicatis offerentibus, multiplicantur oblationes, & tot ſunt oblationes, quot ſunt offerentes, qui proinde ſinguli ex ſua quiſque oblatione eum percipiunt remiſſionis fructum, quem percepiſſent, ſi interfuiſſent ſoli, & ita ſoli cum ſacerdote obtuliſſent.

§. III.

Quanta ſit virtus impetrandi, quam Miſſa ſacrificium habet à Chriſto, ut principali offerente.

Responsio.

Virtus illa eſt infinita in actu primo, ſed finita in actu ſecundo.

Prob. 1. pars. Nam cùm virtus illa fundetur in dignitate Chriſti, eique commenſuretur, nullum eſſe poteſt tantum beneficium, ad quod impetrandum valere non poſſit; neque tot ſunt, quin plura, aut tot ſunt homines, quin pro pluribus impetrare apta ſit. Et verò cùm dignitas Chriſti principalis offerentis ſit infinita ſimpliciter, perperam ac ſine fundamento virtus illa ad determinatam aliquam beneficii magnitudinem, aut beneficiorum & hominum multitudinem reſtringeretur.

Prob. 2. pars. Quia virtus illa finitè tantùm movet Deum: nam ſi moveret illum infinitè ad dandum id quod petitur, ſemper per unum ſacrificium impetraretur id quod peteretur, & ſic pro eodem beneficio certius impetrando fruſtra offerentur plura ſacrificia; imò fruſtrà offerrentur plura ſacrificia pro impetrandis pluribus beneficiis; unum enim planè ſufficeret. Sed hæc ſunt falſa. Virtus tamen illa dici poteſt, in actu ſecundo infinita ſyncategorematicè, quia eo magis movet Deum ad concedendum id pro quo ſacrificium offertur, quò major eſt devotio offerentis: unde cùm devotio offerentis poſſit in infinitum creſcere, poteſt quoque virtus illa in actu ſecundo creſcere in infinitum.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui propter rationes jam allatas, ſicut voluit per hoc ſacrificium ſatisfactiones ſuas limitatè tantùm applicari ad tollendas pœnas temporales, pro peccatis condonatis debitas, ita & voluit per illud merita ſua limitatè tantùm applicari ad impetrandum: unde virtus impetrandi, etiam illa quam habet Miſſæ ſacrificium à Chriſto ut principali offerente, eò minor eſt in actu ſecundo, quò plura ſunt beneficia, quæ petuntur, aut quò plures ſunt perſonæ, pro quibus petuntur. Hinc fideles, ut beneficium aliquod certiùs impetrent per Miſſæ ſacrificium, curant ut primariò offeratur ad beneficium illud ſibi impetrandum; & ſacerdos, qui ſtipendium accipit, tenetur ſacrificium primariò offerre ad impetrandum id quod intendit is, qui ſtipendium dat.

Adverte. Non eodem modo ratiocinandum eſſe de multitudine eorum, pro quibus offert ſacerdos, ut aliquid eis impetret; ac de multitudine eorum, qui cum ſacerdote offerunt, ut aliquid ſibi vel aliis impetrent: nam cùm ſacerdos pro multis offert, unica eſt oblatio; quare mirum non eſt, quòd tanto eò minor ſit in actu ſecundo virtus impetrandi, quò plures ſunt, pro quibus ſacerdos poſtulat. At cùm multi cum ſacerdote offerunt, multæ ſunt oblationes, & totidem ſunt oblationes, quot ſunt offerentes: unde virtus impetrandi tantùm ſingulis offerentibus, & pro ſe, vel pro aliis poſtulantibus, valet in actu ſecundo ad impetrandum, quantùm valeret, ſi ſoli offerrent, ac pro ſe, vel pro aliis poſtularent. Sed

Obj. contra 1. partem aſſertionis. In ſacrificio Miſſæ Chriſtus non eſt principalis offerens, niſi per denominationem extrinſecam in ipſum reſultantem ex ſacerdote eum repræſentante, & in ejus perſona offerente. Ergo virtus impetrandi, quam habet Miſſæ ſacrificium à Chriſto, ut principali offerente, non eſt tanta in actu primo, quanta eſſet, ſi Chriſtus per ſe ipſum immediatè offerret; adeòque nequidem in actu primo infinita eſt. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Chriſtus per ſacerdotem in ejus perſona offerentem repræſentatus, ſecundùm moralem æſtimationem tam

eſt verè, ac propriè offerens in ſacrificio Miſſæ, quàm ſi per ſe ipſum immediatè offerret; quod planè ſufficit ad hoc, ut valor ſacrificii ad impetrandum tantus ſit in actu primo, quantus eſſet, ſi Chriſtus per ſe ipſum offerret; & quòd hoc vel illo modo offerat, eſt quid planè materiale in ordine ad impetrationem.

Dico. In ordine ad impetrationem: aliud enim eſt de merito & ſatisfactione, quia ad utrumque ex natura rei requiritur actus propria voluntate, ac libertate elicitus ab eo qui meretur, & ſatisfacit: unde Chriſtus nec meretur, nec ſatisfacit per Miſſæ ſacrificium, non ſolùm quia non eſt ampliùs in ſtatu merendi & ſacrificandi, verùm etiam & potiſſimùm, quia non propria voluntate & libertate, ſed voluntate & libertate privata ſacerdotis offert hoc ſacrificium. Hinc apparet diſcrimen quod eſt inter ſacrificium crucis, quod Chriſtus obtulit propria voluntate & libertate, & ſacrificium Euchariſtiæ, quod Chriſtus offert voluntate & libertate ſacerdotis ipſum repræſentantis, & in ipſius perſona ſacrificantis: nam ſacrificium crucis fuit meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium; ſacrificium verò Euchariſtiæ, ut eſt à Chriſto, nec meritorium eſt, nec ſatisfactorium, niſi impropriè, quatenùs vim habet ſatisfactionem crucis ſubjecto pro quo offertur applicandi, & applicando tollendi pœnam aliquam temporalem, debitam pro peccatis condonatis.

§. IV.

Utrum Miſſa ſacrificium aliunde quàm à Chriſto ut principali offerente, vim aliquam impetrandi habeat.

Responsio I.

Oblatio hujus ſacrificii non ſemper vim habet impetrandi, quatenùs eſt à ſacerdote ut proximo offerente.

Prob. Nam ut oblatio hujus ſacrificii habeat vim impetrandi, debet eſſe Deo grata; & ad hoc, ut ſit Deo grata, non ſufficit, quòd res quæ offertur, ſit ei gratiſſima, ſed præterea requiritur, ut perſona offerens placeat ei, adeòque ut perſona offerens ſit in ſtatu gratiæ. Ergo ut oblatio hujus ſacrificii vim habeat impetrandi, quatenùs eſt à ſacerdote, ut proximo offerente, requiritur, ut ſacerdos, cùm offert, ſit in ſtatu gratiæ; adeòque quoties contingit, ſacerdotem qui offert, eſſe in ſtatu peccati, toties hujus ſacrificii oblatio nullam impetrandi vim habet, quatenùs eſt à ſacerdote ut proximo offerente.

Responsio II.

Oblatio hujus ſacrificii ſemper habet vim aliquam impetrandi, quatenùs eſt ab Eccleſia ut offerente per ſacerdotem tanquam miniſtrum publicum, ſive ſacerdos ſit in ſtatu gratiæ, ſive non ſit.

Prob. Nam Eccleſia ſemper eſt ſancta, adeòque ſemper eſt grata Deo. Ergo oblatio hujus ſacrificii, quatenùs eſt ab Eccleſia ut offerente, &c. ſemper vim aliquam habet impetrandi; ſicut ſemper habet vim impetrandi, quatenùs eſt à Chriſto ut principali offerente, quia ſub hoc reſpectu ſemper eſt Deo grata, & ſub hoc reſpectu ſemper eſt Deo grata, quia Chriſtus ſemper eſt ſanctus, adeòque & ſemper Deo gratus.

Responsio III.

Oblatio hujus ſacrificii, quatenùs eſt à ſacerdote ut proximo offerente, vim aliquam habet impetrandi, quando ſacerdos, qui offert, eſt in ſtatu gratiæ.

Prob. Nam ſacerdos in ſtatu gratiæ exiſtens, placet Deo, adeòque oblatio hujus ſacrificii, quatenùs eſt ab illo, Deo grata eſt. Atqui oblatio hujus ſacrificii hoc ipſo, quòd Deo grata eſt, vim aliquam habet impetrandi. Ergo, &c. Propter eandem rationem oblatio aliquam etiam impetrandi vim habet, quatenùs eſt à privatis, cum ſacerdote cui ſacrificanti aſſiſtunt, offerentibus, & in ſtatu gratiæ exiſtentibus, ſive etiam ſacerdos ſit in ſtatu gratiæ, ſive non.

Responsio IV.

Vis impetrandi, quam habet oblatio hujus ſacrificii, quatenùs eſt ab Eccleſia, ut offerente per ſacerdotem, aliquando major eſt, & aliquando minor.

Prob. Quia ſanctitas Eccleſiæ aliquando major eſt, & aliquando minor, adeòque Eccleſia aliquando magis, & aliquando minùs eſt grata Deo. Ergo oblatio hujus ſacrificii, quatenùs eſt ab Eccleſia, aliquando magis, & aliquando minùs Deo grata eſt, ac proinde aliquando majorem, & aliquando minorem habet vim Deum movendi ad concedendum id, quod nomine Eccleſiæ, & ut miniſter publicus, poſtulat ſacerdos. Propter eandem rationem vis impetrandi, quam habet oblatio hujus ſacrificii, quatenùs eſt à ſacerdote ut proximo offerente, vel à privatis cum ſacerdote offerentibus, modò major eſt, modò minor: nam inter bonos ſacerdotes, idem dic de privatis, qui ſacro adſunt, & cum ſacerdote offerunt, alii aliis ſunt meliores, atque alii aliis gratiores Deo.

§. V.

Quænam requirantur conditiones, ut quis percipiat fructum ex opere operato ſacrificii provenientem.

Responsio I.

Ut quis obtineat remiſſionem pœnæ temporalis, ſtatus gratiæ non requiritur ex parte ſacerdotis, qui pro illo offert ſacrificium.

Prob. Nam effectus ex opere operato ſacrificii proveniens, ſicut & ſacramenti cujuſlibet, independens eſt à bonitate miniſtri. Atqui remiſſio pœnæ temporalis eſt effectus proveniens ex opere operato ſacrificii, ut patet ex dictis §. 1. & pluribus locis docet S. Thomas. Ergo, &c. Dixi autem, ex parte ſacerdotis: nam ex parte illius, qui remiſſionem illam obtinere vult, ſtatus gratiæ requiritur: ut enim, ait, Suarez hìc diſput. 79. ſect. 10. remiſſio pœnæ temporalis, peccatis antea condonatis debitæ, eſt beneficium amici, nec eſt ulla ratio, ob quam ad inimicum extendi debeat: quandiu autem quis eſt in ſtatu peccati mortalis, tandiu eſt inimicus Dei.

Responsio II.

Ut quis obtineat remiſſionem pœnæ temporalis, non requiritur, ut ſacerdos pro illo ſacrificium offerens, intendat remiſſionem illam, ſed ſolùm ut ante conſecrationem, vel ſaltem in ipſa conſecratione velit pro illo offerre.

Prob. Nam, verbi gratia, ad hoc, ut is qui baptizatur, conſequatur remiſſionem peccati originalis, neceſſe non eſt, ut miniſter baptiſmi intendat hanc remiſſionem, ſed ex parte ipſius ſufficit, quòd velit baptizare, & ad hoc materiam ac formam debitam adhibeat, quia remiſſio peccati originalis eſt effectus ex opere operato baptiſmi. Ergo pariter, ut quis conſequatur remiſſionem pœnæ temporalis per ſacrificium, neceſſe non eſt, ut ſacerdos offerens intendat hanc remiſſionem; ſed ex parte ipſius ſatis eſt, quòd pro illo velit offerre, & offerat, quia remiſſio pœnæ temporalis eſt effectus ex opere operato ſacrificii.

Confirmatur. Nam Chriſtus ſicut promiſſione ſua remiſſionem peccati originalis adnexuit baptiſmo validè collato, ita promiſſione ſua remiſſionem pœnæ temporalis ſacrificio adnexuit pro illis, pro quibus offerretur. Ergo ſicut hoc ipſo, quòd quis validè baptizatur, non poteſt non conſequi ſtatim, vi promiſſionis Chriſti, remiſſionem peccati originalis, niſi ponat obicem: ita hoc ipſo, quòd ſacrificium pro aliquo offertur, non poteſt is, niſi ponat obicem,

non

non conſequi ſtatim vi promiſſionis Chriſti, remiſſionem pœnæ temporalis.

Ad hoc igitur, ut quis conſequatur remiſſionem pœnæ temporalis, ſufficit ex parte ſacerdotis, ut ſacerdos intendat pro illo offerre. Circa quod *Nota*. 1. Neceſſe non eſſe, ut hanc intentionem ſacerdos actu habeat, cùm Miſſam celebrat, ſed ſatis eſſe, quòd paulò ante eam habuerit, nec retractarit; ita ut ſecundùm moralem æſtimationem cenſeri poſſit præſens. 2. Neceſſe non eſſe, ut intentio illa ſit explicita, & implicitam ſufficere: ſic v. gr. ſatis erit, ſi ſacerdos velit pro iis offerre, pro quibus, vel ex ſuperiorum præſcripto, vel aliunde tenetur; quanquam curare debet, ut quantum in ſe eſt, ſemper habeat explicitam intentionem.

Reſponſio III.

Ut quis conſequatur remiſſionem pœnæ temporalis, ex parte ipſius non ſufficit ſtatus gratiæ, ſed præterea requiritur, ut ſit baptizatus, & viator.

Dico itaque 1. requiri, ut ſit baptizatus; quod probatur. 1. Ex S. Chryſoſtomo hom. 3. in epiſt. ad Philip. ubi docet, pro iis tantùm, qui cum baptiſmo defuncti ſunt, ſacrificium offerri, illiſque ſolis prodeſſe poſſe: *Non fruſtra*, inquit, *hæc ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, ut in venerandis atque horrificis myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt. Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo univerſus populus ſtat manibus paſſis, ac cœtus ſacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens ſacrificium, quomodo Deum non placabimus pro iſtis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide* (per baptiſmi ſuſceptionem proteſtata) *deceſſerunt. Catechumeni verò* (etiam in ſtatu gratiæ defuncti) *neque hac dignantur conſolatione, ſed omni auxilio ſunt deſtituti, uno excepto. Quale verò hoc? Licet pauperibus pro ipſis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis.*

2. Ex praxi Eccleſiæ: nam in canone noſtro ſacerdos orat pro iis tantùm defunctis, qui baptizati fuerunt: *Memento*, inquit, *famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei* (hoc eſt, cum baptiſmo, qui ſignum fidei ſolet appellari, quia per illum, qui eum ſuſcipiunt, fidem ſuam profitentur.) At ſi ſacrificium defunctis in ſtatu gratiæ, ſed ſine baptiſmo, prodeſſe poſſet ad remiſſionem pœnæ temporalis obtinendam, quare non etiam pro illis oraret ſacerdos inter ſacrificandum? Jam verò ſi defuncti in ſtatu gratiæ, ſed ſine baptiſmo, non ſunt capaces remiſſionis pœnæ temporalis, ex opere operato ſacrificii provenientis, profectò nec illius capaces ſunt viventes, nondùm baptizati, quantùmvis in ſtatu gratiæ eſſe ſupponantur.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui ſolis baptizatis ex opere operato prodeſſe voluit Euchariſtiam, quà ſacrificium eſt, ſicut ſolis baptizatis ex opere operato prodeſſe voluit illam, quà ſacramentum eſt. Hanc autem Chriſti voluntatem ſatis probat Eccleſiæ praxis, ex traditione Apoſtolica deſcendens, ut docet Chryſoſtomus. Præterea, nulla ratione, vel auctoritate oſtendi poteſt, quòd Chriſtus Euchariſtiam pluribus ex opere operato prodeſſe voluerit, quà ſacrificium, quàm quà ſacramentum eſt. At quòd Euchariſtia, quà ſacramentum eſt, aliis, quàm baptizatis, ex opere operato prodeſſe non poſſit, res eſt explorata.

Dico 2. requiri, ut ſit etiam viator: nam ſi is, pro quo ſacrificium offertur, eſt in termino beatitudinis, nulla remiſſione indiget; & ſi eſt in termino damnationis æternæ, incapax eſt omnis remiſſionis: debet igitur eſſe in ſtatu, in quo tenditur, vel tendi poteſt ad beatitudinem; in hoc autem ſtatu cenſentur eſſe non ſolùm ii, qui in terris, ſed etiam ii, qui in Purgatorio degunt: nam qui degunt in Purgatorio, nondùm ſunt in termino, ſed ad eum tendunt, non quidem merendo, vel ſatisfaciendo, ſed ſatiſpatiendo, ſeu pœnam pro peccatis condonatis debitam exolvendo. Nulla verò ratio eſt, tales excludendi ab effectu remiſſionis pœnæ temporalis ex opere operato ſacrificii proveniente, & quem proinde ii, pro quibus ſacrificium offertur, obtinent infallibiliter, cùm capaces illius ſunt, nec ponunt obicem.

Reſponſio IV.

Ut peccator ex opere operato ſacrificii recipiat actualem gratiam, quacum perfectè conteri poſſit, & conſequenter mortalium remiſſionem conſequi, requiritur tantùm ex parte ſacerdotis, ut intendat pro illo offerre, & ex parte ipſius, ut ſit baptizatus, nec contrariam actualis gratiæ receptioni voluntatem gerat.

Facilè intelligi poteſt ex dictis hactenùs, & adhuc breviter probatur. 1. Itaque ex parte ſacerdotis requiritur tantùm intentio offerendi pro illo peccatore: nam ex parte ſacerdotis neque requiritur ſtatus gratiæ, quia effectus ex opere operato non pendet ex bonitate miniſtri; neque requiritur, ut intendat effectum collationis gratiæ actualis, quia effectus ex opere operato ſacrificii ſolam illius applicationem requirit ex parte offerentis; ſicut effectus ex opere operato baptiſmi ſolam illius collationem requirit ex parte baptizantis.

2. Ex parte peccatoris, pro quo ſacrificium offertur, requiritur tantùm, ut ſit baptizatus, nec contrariam, &c. Nam ſi baptizatus eſt, capax eſt omnis effectus ex opere operato Euchariſtiæ, & quà ſacrificium, & quà ſacramentum eſt; nec ponit obicem collationi actualis gratiæ, hoc ipſo quòd contrariam illius receptioni voluntatem non habet. Atqui effectus ex opere operato ſubjecto capaci, nec obicem ponenti, cui ſacrificium, vel ſacramentum applicatur, vi promiſſionis Chriſti confertur infallibiliter. Ergo, &c. Sed

Quæres 1. Quid requiratur ad hoc ut alicui beneficium aliquod ſive ſpirituale, ſive temporale impetretur per ſacrificium?

Reſp. 1. Ex parte ſacerdotis requiri & ſufficere, ut ex ſpeciali intentione impetrandi illud beneficium offerat ſacrificium. 1. Requiritur, ut ex ſpeciali, &c. ſacrificium enim non poteſt eſſe actu impetratorium alicujus beneficii in particulari, niſi in particulari applicetur ad illud obtinendum. 2. Sufficit, ut ex ſpeciali intentione, &c. Nam ſi quid aliud ex parte ſacerdotis requiritur, certè ſtatus gratiæ. At hoc non, quia ſive ſacerdos, cùm offert, ſit in ſtatu gratiæ, ſive non, ſacrificium ſemper habet magnam vim impetrandi, quatenùs eſt à Chriſto ut principali offerente, & in hoc ſenſu Miſſa ſacerdotis mali dicitur tantùm valere, quantùm valet Miſſa boni ſacerdotis; quæ tamen ſemper præferenda eſt, quia vim impetrandi ſaltem extenſivè majorem habet, & impetratoria eſt non ſolùm vi ſacrificii, ſed etiam vi orationis, cui ſacrificium adjungitur.

Reſp. 2. Ex parte illius, cui beneficium impetrandum eſt, requiri & ſufficere, ut non habeat voluntatem contrariam collationi beneficii. 1. Requiritur, ut non habeat voluntatem contrariam, &c. quia per hanc voluntatem poneret obicem collationi beneficii. 2. Sufficit, ut non habeat, &c. Nam ſi quid aliud requiritur, vel ſtatus gratiæ, vel ſaltem baptiſmus. Neutrum dici poteſt: nam & fidelibus peccatoribus, & infidelibus prodeſſe poteſt ſacrificium, quà impetratorium eſt: & verò ſi poteſt illis prodeſſe oratio ſola, quantò magis poteſt, conjuncta cum ſacrificio.

Quæres 2. Utrùm impetratio ſacrificii ſit infallibilis?

Reſp. Non eſſe: Nam ſi eſſet infallibilis, certè vi promiſſionis Chriſti. At talis promiſſionis neque in Scriptura, neque in traditione extat veſtigium aliquod: unde gratis & abſque omni fundamento aſſereretur.

Dices. Promiſſio illa extat in his Chriſti verbis, Matth. c. 7. *Petite, & dabitur vobis*. R. His verbis à

Chriſto promiſſionem factam eſſe, non ſacrificio, ſed orationi habenti conditiones omnes requiſitas. Itaque oratio, cui adjungitur ſacrificium, vel habet omnes conditiones requiſitas, vel non. Si primum, impetratio eſt infallibilis vi orationis, non vi ſacrificii. Si ſecundum, impetratio neque vi orationis, neque vi ſacrificii infallibilis eſt.

Dices iterùm. Impetratio ſacrificii infallibilis eſt vi principalis offerentis: Chriſtus enim infallibiliter impetrat, quod petit. *Reſp.* Neg. propoſitionem. Nam ſacrificium vi principalis offerentis habet quidem vim impetrandi infinitam in actu primo, at finitam tantùm habet in actu ſecundo, adeòque & infallibilem, ſecluſa promiſſione, quæ re ipſa nulla eſt. Prætereà, falſum ſupponitur, nempe quòd Chriſtus, ut principalis offerens, petat id, ad quod impetrandum ſacerdos applicat ſacrificium. Nam ſacerdos offert quidem in perſona Chriſti, unde Chriſtus eſt principalis offerens per ſacerdotem: at ſacerdos, non in perſona Chriſti, ſed in perſona propria applicat oblationem ad id, quod vult impetrare, unde non Chriſtus per ſacerdotem, ſed ſacerdos per Chriſtum oblatum & offerentem, petit id, quod impetrare intendit. Sed

Dato quòd etiam tunc Chriſtus aliquo modo per ſacerdotem petat id, ad quod obtinendum ſacerdos applicat ſacrificium; ad propoſitionis negatæ probationem. *Reſp.* diſt. Chriſtus infallibiliter impetrat, quod petit ex voluntate abſoluta & efficaci illud obtinendi, Concedo. Ex voluntate tantùm inefficaci & conditionata, Nego. Hoc autem ad ſummum ſecundo modo, non primo, Chriſtus ut principalis offerens, per ſacerdotem petit id, ad quod obtinendum ſacrificium applicat ſacerdos.

At inquies. Chriſtus in cœlo ſemper novo ac proprio actu voluntatis ſuæ ſacrificium applicat ad id, ad quod in terris applicatur à ſacerdote. *Reſp.* Hoc eſſe valdè incertum. Quòd ſi ſemper id facit, non ſemper facit ex voluntate abſoluta & efficaci impetrandi id, quod petit.

ARTICULUS ULTIMUS.

De moralibus ad ſacrificium Miſſæ pertinentibus.

§. I.

Utrùm ſacerdotes teneantur aliquando ſacrificium offerre.

Duplex eſt ſententia. Prima eſt S. Bonaventuræ & aliorum, qui tenent, ſacerdotes, curam animarum non habentes, poſſe omninò abſtinere ab oblatione ſacrificii, ſecluſo ſuperiorum præcepto. Verba S. Bonaventuræ in 4. diſt. 12. part. 2. art. 2. quæſt. 1. in O. ſunt: *Sacramentum hoc non eſt de neceſſitate, quantùm eſt de ſua inſtitutione: ſed ſi eſt, hoc eſt ex aſſumpto officio, quod ſcilicet neceſſarium eſt exequi, ut cùm ſacerdos vivit de altari; ut parochianis proſit, debet ſervire altari: ſi autem non vivat de altari, ſed in libertate ſua remaneat, non tenetur magis, quàm alius homo ex debito.*

Secunda ſententia, quam ut ſaltem longè probabiliorem amplectimur, & quam tenet cum aliis pluribus S. Thomas hìc quæſt. 82. art. 10. in O. docet, ſacerdotes, etiamſi curam animarum non habeant, licitè non poſſe omninò abſtinere à conſecratione Euchariſtiæ, ſed ſub gravi eſſe obligatos ad offerendum aliquoties in anno. Verba S. Doctoris ſunt: *Quidam dixerunt, quod ſacerdos poteſt omninò à conſecratione licitè abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare populo, & ſacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cùm fuerit opportunum... Opportunitas autem ſacrificium offerendi non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus ſacramenti ſacrificium offertur: unde ſacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omninò à celebratione ceſſare.* Sed

Prætereà, probatur hæc ſententia. 1. Ex Ambroſio, apud S. Thomam art. citato in *Sed contra*, ſic loquente: *Grave eſt, quod ad menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; ſed gravius eſt, ſi dum peccata metuimus, etiam ſacrificium non reddamus.* Quæ verba ut Ambroſii etiam refert, & ſibi objicit Sanctus Bonaventura loco ſupra citato.

2. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. c. 1. ubi ait: *Corpus & ſanguinem ſuum* (Chriſtus) *ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem.*

At inquies. Præceptum hoc, de quo loquitur Synodus, pertinet ad Eccleſiam in communi, aut ad parochos, qui curam animarum habent, non autem ad ſingulos & ſimplices ſacerdotes. *Reſp.* Hoc perperam dies: cùm enim Synodus dicit: *Eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus*, manifeſtè videtur loqui de omnibus indiſcriminatim ſacerdotibus.

Sacerdos igitur quilibet ad identidem offerendum tenetur præcepto poſitivo divino; præcepto ſcilicet lato à Chriſto per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*. Adde, teneri etiam præcepto naturali, ut manifeſtè ſentit S. Thomas art. citat. Ratio eſt, quia nunquam uti poteſtate offerendi liberè ſuſcepta, res eſt per ſe & intrinſecè inordinata.

At inquies. Non eſt malum, ſacerdotem ſimplicem nunquam uti poteſtate adminiſtrandi ſacramenta. Ergo nec malum eſt, eum nunquam uti poteſtate offerendi. *Reſp.* Neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia, ut ait S. Thomas art. cit. ad 1. & poſt eum Suarez hìc diſp. 80. ſect. 1. Sacramenta ordinantur ad uſum fidelium; ſacrificium verò ut offeratur Deo: unde ad ſacramenta miniſtranda ſolùm tenentur ii, qui curam animarum ſuſcipiunt; at verò ad offerendum tenentur omnes, hoc ipſo quòd ordinem liberè ſuſceperunt; cùm actus offerendi non requirat animarum curam, nec juriſdictionem in fideles, & offerendi poteſtas detur ad actum, cujus proinde perpetua, aut etiam diuturna omiſſio per ſe & intrinſecè turpis eſt & inhoneſta. Hinc, ut obſervat Suarez ſectione citata, ſacerdotes, etiamſi curam animarum non habeant, vix poſſunt diutiùs abſtinere à ſacrificio ſine magno ſcandalo, & ut minimum exiſtimatur communiter, hujuſmodi diuturnam ſacrificii omiſſionem ſignum eſſe pravæ conſcientiæ, & perditæ vitæ.

At inquies. Sacerdos exiſtens in ſtatu peccati, vel etiam excommunicatus, non tenetur ad offerendum: nullus enim tenetur facere, quod facere ſibi non licet; alioquin perplexus eſſet. Ergo nec alii ſacerdotes tenentur offerre: alioquin ſacerdos peccator, vel etiam excommunicatus ex ſua culpa, commodum reportaret. Ad hanc inſtantiam ſic reſpondet S. Thomas art. cit. ad 2. *Sacerdos peccator, ſi per ſententiam Eccleſiæ ſit executione ordinis privatus, vel ſimpliciter, vel ad tempus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum, & ideo obligatio* (offerendi) *tollitur. Hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus magis, quàm in emolumentum. Si verò non ſit privatus poteſtate celebrandi, non ſolvitur* (offerendi) *obligatio; nec tamen perplexus eſt: quia poteſt de peccato pœnitere, & celebrare.*

At inquies. Poteſtatem Ordinis non tollit ſubſequens infirmitas, & tamen quandoque à celebratione impedit. Ergo videtur, non oriri obligationem celebrandi ex ſuſcepto ordine. Ad hanc inſtantiam reſpondet S. Thomas art. cit. ad 3. *Dicendum quod debilitas vel ægritudo ſuperveniens ordini ſacerdotali, ordinem non tollit; executionem tamen ordinis tollit quantùm ad conſecrationem Euchariſtiæ. Quandoq;*

quidem

Google

quidem propter impoſſibilitatem executionis ; ſicut ſi (ſacerdos) *privetur oculis, aut digitis, aut uſu linguæ ; quandoque autem propter periculum, ſicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis. Quandoque propter abominationem, ſicut patet de leproſo, qui non debet publicè celebrare : poteſt tamen Miſſam dicere occultè, niſi lepra adeò invaluerit, quòd per corroſionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.*

§. II.

Quoties in anno offerre teneantur, vel poſſint ſacerdotes.

1. SIngulr ſacerdotes per ſe loquendo non tcoentur offerre quotidiè, ut communiter tenent Doctores. Et ratio eſt, quia ſi ſacerdotes tenentur quotidiè offerre, vel jure divino, vel eccleſiaſtico tenentur. Neutrum dier poteſt ; nam tale jus divinum, vel eccleſiaſticum nullibi eatat. Præterea, multi ſacerdotes pii ac timorati interdùm aliquo, vel etiam aliquibus diebus ſacrificium intermittunt : imò etiam hoc aliqui conſulunt ob majorem ſacrificii reverentiam. Hoc porrò non ſolùm de ſimplici ſacerdote verom eſt, ſed etiam de parocho : ſicut enim ſacerdos ſimplea non tenetut ex vi ſuſcepti ordinis quotidiè offerre, ita nee parochus ex vi parochialis beneficii ; nam ſuæ obligationi ſatisfacere poteſt, curando, ut in ſua parochia pet alium ſacerdotem fiat ſacrificium. Quod ſi ſolus ſit, nee alium habear ſacerdotem, per quem ſacrificium offerte poſſit, cogi non poteſt ad offerendum quotidiè, quia eſſet nimis rigida & oneroſa obligatio : quamvis teneatur frequenter id præſtare, imò & regulariter non omittere abſque aliqua cauſa, ut docet Suarez diſp. cit. ſect. 2.

2. Per ſe loquendo, & ſecluſa ſpecialr prohibitione Eccleſiæ, non ſolùm eſt licitum ſacerdoti quotidiè offerre, verùm etiam ex ſe melius eſt, magiſque conſulendum. Ita docet, Suarez ſect. proximè citata, ubi ait propoſitionem hanc eſſe certam & communem Theologorum, eamque probat veterum Patrum auctoritate & praxi. Tum ſic argumentatur : Quotidiè ſacrificare, non eſt ex natura ſua malum, ſed bonum, neque aliquo jure poſitivo prohibitum, adeòque licitum eſt. Præterea, id cedit in cultum Dei, quem illi perpetuò debemus, & eſt conſcotaneum dignitati hujus ſacrificii : eſt etiam valdè utile fidelibus, qui hujus ſacrificii fructu multùm indigent. Denique munus ſacrificandi non eſt privatum, ſed publicum, nec prodeſt ſoli ſacrificanti, ſed toti Eccleſiæ, adeòque dummodò indignus non ſit, & moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis ſit imperfectus, non debet ab hoc ſacro munere ceſſare.

His ſapienter ſubjicit hic Auctor : „ Per hoc tamen non intendimus negare, quominùs ex reverentia & timore, aliquo die interdùm hoc munus „ intermittere, poſſit eſſe & bonum & utile, & alicui fortaſsè conſulendum, juxta diverſas perſonarum conditiones, & varias Spiritus ſancti diviſiones gratiarum.

3. Quoties præcisè in anno celebrare teneatur ſacerdos, definiri nôn poteſt. Sanctus Thomas artic. citato in O. docet, ſingulos ſacerdotes teneri ad celebrandum in præcipuis feſtis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt. Alii verò docent, ſacerdotes obligationi ſuæ ſatisfacere, ſi ter, vel quater in anno celebrent ; quod probant ea capite *Dolentes* 9. extra de celebratione Miſſarum, in quo Innocentius III. queritur de aliquibus ſacerdotibus, quòd *Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno*. Sed hæc probatio non ſatis videtur efficax, quare ſtandum videtur S. Thomæ ſententiæ.

§. III.

Utrùm aliquibus anni diebus celebrare illicitum ſit jure eccleſiaſtico.

DE tribus tantùm diebus dubitari poteſt, nempe de feria quinta in Cœna Domini, de die Paraſceves, & de Sabbato ſancto : nam de reliquis omnibus nullam ab Eccleſia factam eſſe prohibitionem, certum eſt. Quantùm ad feriam quintam in Cœna Domini, ſunt, inquit Suarez hìc diſput. 80. ſect. 2. qui exiſtiment, eo die non licere ſingulis ſacerdotibus Miſſam dicere, ſed ſolùm eſſe in ſingulis Eccleſiis Miſſam ſolemnem ab Eccleſiæ Rectore, vel qui ejus locum teneat, dicendam, in qua alii ſacerdotes cum laicis communicent.

Relatis autem hujus ſententiæ momentis, ſic proſequitur Suarez : „ Hæc tamen fundamenta debilia valdè ſunt ad affirmandum præceptum ſeu prohibitionem, ſine expreſſo jure, & contra communem ſententiam, quæ mihi quidem certa videtur, nimirùm per ſe loquendo, ideſt, ſecluſo ſcandalo .... licitum eſſe cuivis ſacerdoti eo die ſacrificare, quamvis prudens conſilium ſit, ſecretò & abſque concurſu populi .... id facere. Ita tenet Soto, &c. & probatur, quia circa hoc nulla eſt ſcripta lex expreſsè prohibens, ut conſtat : neque etiam eſt conſuetudo, quæ vim legis habeat ; quia licèt multi ſacerdotes eo die non ſacrificent, tamen alii plures docti, pii, ac timorati ſacrificant ſine ullo ſcropulo. Ut autem conſuetudo obliget, oportet, ut ſit omnium, & non tantùm aliquorum, &c. „

Quantùm ad diem Paraſceves, certum eſt jure eccleſiaſtico prohibitum eſſe ſacerdotibus omnibus, eo die ſacrificium offerre. Patet ex cap. *Sabbato* 13. de conſecratione diſt. 3. in quo ſic Innocentius I. loquitur : *Non dubium eſt, in tantùm eos* (Apoſtolos) *jejunaſſe biduo memorato* (feria ſexta majoris hebdomadæ, & Sabbato ſancto) *ut traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo ſacramenta penitùs non celebrari*. Hujus prohibitionis rationem reddens S. Thomas hìc qu. 83. art. 2. ad 2. ait, in illo die Paraſceves paſſionem Domini ab Eccleſia recoli, prout realiter peracta eſt, & ideò non repræſentari myſticè per conſecrationem Euchariſtiæ.

Quantùm denique ad diem Sabbati ſancti, libenter amplectimur ſententiam eorum, qui docent eſſe peccatum grave in illo Sabbato aliam Miſſam dicere præter unam publicam & ſolemnem in ſingulis Eccleſiis. Ratio eſt, quia jus antiquum, quo ſacerdotibus omnibus prohibitum erat, ne ſacrificium offerrent illo die, nec contrario jure abrogatum eſt, nec conſuetudine, niſi quoad publicum officium tantùm ; adeòque quoad reliqua vim ſuam retinet, cùm à jure antiquo recedere non liceat, niſi quatenùs, vel alio jure, vel conſuetudine abrogatum eſt.

Confirmatur. Quia, ut obſervat Suarez ſectione proximè citata, in Miſſa illius diei nullus ponitur introitus pro Miſſis privatis, quod ſignum eſt ſupponi non eſſe dicendas ; non enim ſine introitu dicendæ ſunt : unde in vigilia Pentecoſtes, quæ ſolemne officium habet, officio Sabbati ſancti ſimile, habetur in Miſſali peculiaris introitus pro Miſſis privatis, quia eo die dici poſſunt. Ergo à contrario, quia in Sabbato ſancto Miſſæ privatæ non poſſunt dici, pro illis peculiarem introitum non habet Miſſale.

§. IV.

Utrùm aliquando liceat pluries ſacrificium offerre.

1. CErtum eſt communi & ordinario jure, non licere ſacerdotibus, niſi ſemel tantùm in die ſacrificium offerre, ut probatur ex capite *Sufficit* 53. de conſecratione diſtinction. 1. in quo Alexander II. ſic loquitur : *Sufficit ſacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum*

§. VI.

An non liceat celebrare niſi in loco ſacro.

1. ORdinario & communi jure non poteſt licitè ſacerdos ſacrificium offerre extra Eccleſiam, ſeu locum ſacrum, ad hoc ſpecialiter deputatum. Ita docet S. Thomas hìc quæſt. 83. art. 3. ad 1. & cum eo Doctores omnes; & probatur, 1. Ex pluribus capitulis de conſecratione, diſt. 1. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ, ubi ait: *Ne patiantur* (Ordinarii) *privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Ratio autem hujus præcepti eſt, quia ita Eccleſia judicavit expedire, tum ad debitam reverentiam hujus ſacrificii, ut cum debito honore tractetur, tum ad majorem fidelium devotionem.

2. Hoc præceptum graviter obligare, atque adeò tranſgreſſionem ejus eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, probatur, 1. Ex cap. *Nullus* 15. de conſecratione diſt. 1. quo ſacerdotibus cum interminatione depoſitionis prohibetur, ne celebrent in loco non ſacro. *Nullus presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe ſacerdotii.* 2. Ex cap. *Sicut* 11. eadem diſt. quod manifeſtè loquitur de celebratione Miſſæ in loco ſacro facienda, ut re gravi, nec ſine maxima neceſſitate prætermittenda: ſic enim habet: *Nec in aliis, quàm Domino ſacratis locis, id eſt, in tabernaculis divinis precibus à Pontificibus delibutis, Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet, niſi ſumma coegerit neceſſitas.*

3. Secundùm antiqua jura, ut patet ex capitulo *Sicut*, & capitulo *Nullus* modò citatis, ad offerendum ſacrificium requirebatur Eccleſia ab Epiſcopo conſecrata. Nunc verò, quia & rara & difficilis eſt Eccleſiarum conſecratio, uſus obtinuit, ut ad offerendum ſacrificium ſufficiat jure ordinario & communi Eccleſia benedicta, quæ ſi Summi Pontificis, vel Epiſcopi authoritate fundata ſit ad miniſtranda ſacramenta, eiſdem privilegiis gaudet, quibus Eccleſia conſecrata, ut notat Gloſſa in caput ultimum de conſecratione Eccleſiæ vel altaris, & in caput *Eccleſia* 9. de immunitate Eccleſiarum, quo dicitur: *Eccleſia, in qua divina myſteria celebrantur, licèt adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur, quia obſequiis divinis dedicata, nullius eſt temerariis auſibus prophananda.*

4. Ab hoc ordinario & communi jure ſunt aliquæ exceptiones. Prima eſt in caſu neceſſitatis, in quo licitum eſt Miſſam dicere extra Eccleſiam & oratorium, imò & extra domum, in quocumque terræ loco decente. Patet ex capite *Conſecrationem* 1. de conſecratione diſt. 1. in quo dicitur: *Miſſarum celebrationes non alibi quàm in ſacratis Domino locis abſque magna neceſſitate fieri debere liquet, &c.* Ex cap. *Sicut* 11. eadem diſt. in quo dicitur: *Satius ergo eſt Miſſam non cantare, aut non audire, quam in illis locis ubi fieri non oportet, niſi pro ſumma contingat neceſſitate, quoniam neceſſitas legem non habet.* Et ex capite *Concedimus* 30. eadem diſt. in quo dicitur: *In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio ſeu in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Miſſarum ſolemnia celebrari concedimus.* Jus capitulis illis contentum, probatum & receptum eſt conſuetudine, authoritatem quæ capitulis illis deeſt, ſupplente, & per ſe rationi conſentaneum eſt, quia neceſſitas legem non habet, præſertim cum ſimul poſſit ſervari reverentia debita ſacrificio. Porrò rectè monent Doctores, etiamſi adſit neceſſitas, non omittendam eſſe Epiſcopi licentiam, ſi commodè peti poteſt; & ſi talis neceſſitas prævisa fuerit, rationem poſtulare ut Epiſcopi licentia præveniatur pro eventu hujuſmodi futuro.

At inquies. Cap. ultimo de privilegiis in ſexto, Epiſcopis ſpeciale conceditur privilegium, ut in itinere poſſint extra Eccleſiam celebrare cum altari portatili. Ergo falſum eſt, quòd hoc omnibus liceat jure ordinario. *R.* privilegium Epiſcoporum eſſe, ut in itinere extra Eccleſiam celebrare poſſint, propter ſolam commoditatem, & ſine neceſſitate, quando & ubi voluerint; quod aliis non conceditur, ſed ſolùm pro caſu neceſſitatis, ut ſi in multis diebus itineris non occurrat Eccleſia, aut locus alius ad celebrandum idoneus. Ita Suarez hìc diſp. 81. ſect. 3.

Secunda exceptio eſſe poteſt ex aliquo privilegio. Sic Honorius III. cap. *In his* 30. Prædicatoribus & Minoribus concedit, *ut ubicumque fuerint, ſine parochialis juris præjudicio, cum altari valeant viatico celebrare.* Sed hoc privilegium revocatum eſt à Concilio Trid. ſeſſ. 22. in decreto obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ. Sic etiam poſt Concilium Tridentinum, Societati noſtræ conceſſum eſt, ut presbyteri ejus in miſſionibus, ubique gentium poſſent uti altari portatili.

Tertia exceptio eſſe poteſt ex licentia Epiſcopi. Poterat autem Epiſcopus ante Tridentinum Concilium, ſacrificandi extra Eccleſiam in domo privata, ſeu oratorio nec conſecrato nec benedicto, facultatem etiam abſque omni neceſſitate concedere, ſive deſignando locum aliquem, ut in eo poſſet ſacrificari, aut permanenter, aut pro una tantùm vel altera vice; ſive concedendo ſacerdoti ſibi ſubdito, ut ſibi locum ad ſacrificandum intra propriam diœceſim eligere poſſet. Patet ex capite *Miſſarum* 12. de conſecratione diſt. 1. quo dicitur: *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus.* Et ex capite *Hic ergo* 14. eadem diſt. in quo dicitur: *In aliis locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in his, in quibus Epiſcopus proprius juſſerit, aut ab Epiſcopo ... conſecrata fuerint.* Nunc verò poſt Tridentinum, propter hæc illius verba jam ſuprà laudata, *Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut regularibus quibuſcunque peragi;* Miſſam etiam in loco honeſto & benè præparato, ſed non deputato ad divinum tantùm cultum, & poſtea in communes uſus convertendo, celebrandi facultatem concedere Epiſcopus aut omninò non poteſt, ut volunt aliqui, aut, quod verius eſt, poteſt tantùm in caſu neceſſitatis; Synodus enim loco laudato, non de caſu etiam neceſſitatis, ſed de communi modo celebrandi loquitur.

§. VII.

Utrùm liceat celebrare in Eccleſia violata.

1. SEx modis Eccleſiam violari contingit. 1. Per homicidium voluntarium & injurioſum. Patet ex cap. *Propoſuiſti* 4. extra de conſecratione Eccleſiæ, in quo ſermo eſt de homicidio, quod per contentiones & rixas accidit. Hinc per homicidium caſuale Eccleſia non violatur, ſicut nec per homicidium factum ex amentia, aut ſecutum ex pura defenſione.

2. Violatur Eccleſia per injurioſam ſanguinis effuſionem. Patet ex cap. finali *Si Eccleſia* extra de conſecratione Eccleſiæ: unde Eccleſia non violatur per effuſionem ſanguinis caſualem, aut naturalem, aut medicinalem, aut quæ eſt in propriam defenſionem.

3. Violatur Eccleſia per humani ſeminis effuſionem notabilem & publicam. Ex eod. cap. *Si Eccleſia*.

4. Violatur Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur fidelis excommunicatus. Arguitur ex cap. *Conſuluiſti* 7. de conſecratione Eccleſiæ, in quo quidem capite ſermo tantùm eſt de cœmeteriis; ſed eadem eſt, vel etiam major ratio de Eccleſia. Porrò poſt decretum Concilii Conſtantienſis, neceſſarium eſt, ut fidelis ille qui in

Google

Eccleſia ſepelitur, ſit nominatim excommunicatus, aut manifeſtus clerici percuſſor; quia hos tantùm poſt decretum illud tenemur vitare, & ſic etiam hos tantùm tenemur non ſepelire in loco ſacro.

5. Violatur Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur paganus aliquis, ſeu infidelis. Patet ex cap. *Eccleſiam* 27. de conſecratione diſt.1. Nomine autem pagani & infidelis, comprehenduntur etiam pueri ſine Baptiſmo mortui, ſunt enim ſaltem negativè infideles.

6. Denique violatur Eccleſia, quando comburuntur ejus parietes, vel ita deſtruuntur, ut eam integrè readificari oporteat: tunc enim iterùm conſecrari debet, quia conſecratio perditur, deſtructa re in qua fundatur. Quòd ſi non ſimul ruant parietes, ſed paulatim & ſucceſſivè deſtruantur, ac reparentur, non perditur conſecratio, quia ſemper cenſetur idem numero templum manere; quod intelligendum eſt, dummodò pars non conſecrata quæ additur, non ſit major: nam ſi major ſit, tunc id quod eſt majus, cenſetur ad ſe trahere id quod eſt minus, & ſic nova conſecratione opus eſt: ſecùs verò eſt, ſi ruat tectum, & parietes maneant integri, quia tunc non amittitur conſecratio, utpotè quæ verſatur potiſſimùm circa parietes, in quibus linitio & cruces fiunt. Ex ea capite *Eccleſiis* 20. de conſecratione diſt. 1. & cap. *Ligneis* 6. extra de conſecratione Eccleſiæ, colligit Suarez hìc diſp.81. ſect.4. ubi rectè obſervat, caſum hunc non propriè pertinere ad pollutionem Eccleſiæ conſecratæ, ſed ad deſtructionem ipſius conſecrationis: unde in hoc caſu Eccleſia quæ inſtaurata eſt, non reconciliatur, ſed iterùm conſecratur.

2. Per ſe loquendo, & ex ſuo genere, mortale peccatum eſt, celebrare in Eccleſia violata, antequam reconcilietur. Ita ſentiunt Doctores omnes; & ratio eſt, quia, ut argumentatur Suarez ſect. proximè citata, hæc Eccleſiæ pollutio nihil aliud eſt, quàm cenſura quædam, ſeu prohibitio, jure eccleſiaſtico introducta, ut nec ſacrum, nec alia divina officia fiant in hujuſmodi Eccleſia, quando aliquod ex prædictis delictis, ſeu impedimentis intervenit, ut conſtat ex citatis decretis. Hoc autem præceptum eſt juſtum & grave, pertinetque ad reverentiam Eccleſiarum: ergo obligat ſub mortali. Poteſt tamen Epiſcopus in eo diſpenſare in caſu neceſſitatis: nam ſi poteſt in caſu neceſſitatis dare facultatem celebrandi in loco nec conſecrato, nec benedicto, quidni etiam poſſet, propter eandem cauſam, dare facultatem celebrandi in loco nondùm reconciliato?

3. Is tamen, qui ſine legitima diſpenſatione celebrat in Eccleſia violata, quamvis peccet mortaliter, non incurrit irregularitatem, quia de pœna hujuſmodi nihil eſt expreſſum in jure, ut expreſsè declaratum eſt in cap. *Is qui* 18. de ſententia excommunicationis in 6. in quo ſic loquitur Pontifex: *Is qui in Eccleſia, ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta vel qui præſentibus majori excommunicatione nodatis, ſcienter celebrare præſumit; licet in hoc temerariò agat, irregularitatis tamen (cùm id non ſit expreſſum in jure) laqueum non incurrit.*

Dices. Qui celebrat in loco interdicto, fit irregularis. Sed Eccleſia violata eſt interdicta. Ergo, &c. *R.* Eccleſiam violatam, non eſſe propriè interdictam, ut patet ex cap. citato, in quo poſt verba jam laudata, ſic proſequitur Bonifacius: *Is vero qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto, niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut à jure ſit conceſſum eidem, irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari.*

At inquies. Qui in Eccleſia violata celebrat, ſaltem eſt ipſo jure ſuſpenſus, ex cap. *Epiſcoporum* 8. de privilegiis in 6. *R.* hoc eſſe falſum; nam cap. citato pœna ſuſpenſionis iis tantùm imponitur, qui celebrant in loco interdicto: at Eccleſia violata non eſt propriè interdicta, ut oſtenſum eſt. Quare qui ſemel, aut etiam ſæpiùs, in loco violato celebrat, neque immediatè, neque mediatè fit irregularis.

4. Si celebrante ſacerdote, violatur Eccleſia, vel ſacerdos jam inchoavit canonem, vel nondum inchoavit. Si primum, ſacerdos Miſſam abſolvere debet abſque ulla interruptione, quia jam cenſetur ſacrificium quaſi ſubſtantialiter inchoatum; unde interrumpi non debet propter impedimentum loci, jure tantùm Eccleſiaſtico ſuperveniens. Si ſecundum, ſacerdos ceſſare debet, donec reconciliata ſit Eccleſia. Jam verò Eccleſia quæ violatur, vel eſt tantùm benedicta, vel etiam conſecrata eſt. Si primum, ſacerdos ipſe, qui celebrat, poteſt Eccleſiam per aſperſionem aquæ benedictæ, & alias breves ac faciles cæremonias, prout habentur in cæremoniali Eccleſiaſtico, ſtatim reconciliare, juxta cap. finale *Si Eccleſia* extra de conſecratione Eccleſiæ, juncta gloſſa in litt. C. Si ſecundum, ſacerdos veſtes ſacras exuere debet, & ſacrificium omittere; quia Eccleſia conſecrata, ſi violetur, reconciliari non poteſt per ſimplicem ſacerdotem, ſed ſolùm à proprio Epiſcopo, vel ab Epiſcopo alio de ipſius licentia: ſicut enim ſolus Pontifex ſacerdoti ſimplici Eccleſiæ conſecrationem poteſt committere, ita & ſolus poteſt ei committere Eccleſiæ conſecratæ, quæ violata eſt, reconciliationem, ex cap. *Aqua* 9. extra de conſecr. Eccl.

Nota. Eccleſiæ, quæ tantùm benedicta eſt, reconciliatio fit per aquam exorcizatam, cap. finali *Si Eccleſia* jam citato: hæc autem aqua exorcizari poteſt à ſimplici ſacerdote: Eccleſiæ verò conſecratæ reconciliatio fit per aquam cum vino & cinere benedictam ab Epiſcopo, ex cap. *Propoſuiſti* 4. eod. tit.

§. VIII.

Utrùm requiratur altare, ad hoc ut poſſit licitè offerri ſacrificium.

AD offerendum Miſſæ ſacrificium omninò neceſſarium eſt altare; quod ex communi ratione ſacrificii ſatis conſtat: nam ad offerendum omne ſacrificium propriè dictum, altare requiritur. Sed ſacrificium Miſſæ eſt verum ac propriè dictum ſacrificium. Ergo ad illud ritè offerendum requiritur altare; quod duplex eſſe poteſt, fixum ſcilicet, & portatile. Sive autem fixum ſit, ſive portatile, debet primò eſſe lapideum, ut patet ex cap. *Altaria* 31. de conſecratione diſt. 1.

Hæc autem conſuetudo utendi altari lapideo, in Eccleſia antiquiſſima eſt; quam multi exiſtimant, ut obſervat Suarez hìc diſp. 81. ſect.5. à temporibus Sylveſtri Pontificis incœpiſſe: cùm antea fideles, quia propter tyrannorum perſecutiones vix habere poterant certa loca, in quibus ſacrificarent, & ita caverent, cryptis, & aliis locis occultis, prout poterant, ſacrificium offerebant, altaribus ligneis uterentur, quæ de loco in locum facilè transferri poterant: ſed poſteà pace per Conſtantinum Imperatorem, ad fidem Chriſti converſum, Eccleſiæ conceſſa, ſtatutum eſt, atque in univerſa Eccleſia receptum, ut altare lapideum ſit; ſic tamen ut antiquiſſimum altare ligneum, quo Apoſtoli & Pontifices prioribus temporibus uſi fuerant, propter eorum reverentiam, juſſu Sylveſtri conſervatum ſit, ut in eo certis temporibus ſacrificium offerat ſolus Pontifex.

2. Altare debet eſſe conſecratum. Patet ex cap. *Altaria* 32. de conſecratione, diſt. 1. quo dicitur: *Altaria placuit non ſolùm unctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari.* Quibus verbis exprimuntur requiſita ad conſecrationem altaris: primum eſt chriſmatis unctio ſecundùm verò benedictio, partim aſperſione aquæ benedictæ, partim ſigno crucis, partim orationibus & ritibus, quæ in Pontificali traduntur, facienda ab Epiſcopo: hanc enim altaris conſecrationem nullus alius præter Epiſcopum poteſt efficere ordinaria poteſtate, ut patet ex cap. *Nullus presbyter* 25. de conſecratione, diſt. 1. Dixi, Ordinaria poteſtate: poteſtatem enim conſecrandi altaria ſimplici ſacerdoti concedere poteſt, non quidem Epiſcopus, ſed Summus Pontifex, qui tamen hoc non facit ordinariè.

Hæc

Hæc altaris conſecratio tandiu durat, quandiu integer manet lapis conſecratus. Quòd ſi frangatur, amittit conſecrationem, quando fractio notabilis eſt, ita ut in neutra parte lapidis confracti calix & hoſtia collocari poſſint. Quòd ſi altera confracti lapidis pars maneat in quantitate ſufficiente ad hoc, ut calicem cum hoſtia commodè contineat, manebit conſecrata, quia hæc conſecratio non requirit in materia conſecrata certam figuram, ſed ſolùm ſufficientem magnitudinem ad capiendum pedem calicis cum hoſtia, ſeu patena.

Quæri ſolet, utrùm de hujus conſecrationis eſſentia ſit, ut in altari ſeu lapide conſecrato Sanctorum reliquiæ ponantur. Ad hanc quæſtionem Suarez ſect. citata reſpondet, exiſtimare ſe reliquias non eſſe de eſſentia hujus conſecrationis; quod ex uſu probat, & addit, ex capite *Placuit* 26. de conſect. diſt. 1. ad ſummum probari, olim reliquias ex præcepto in altari ponendas fuiſſe; quod præceptum jam ceſſavit, vel quia ceſſavit ratio, & occaſio ejus, quæ fuit ad reſiſtendum hæreticis, honorem ſanctorum reliquiis debitum oppugnantibus; vel quia in tanta templorum & altarium multitudine jam id commodè ſervari non poteſt.

3. Denique, altaris conſecrati neceſſitas tanta eſt, ut abſque mortali peccato ſacrificium offerri non poſſit in altari non conſecrato in quo Epiſcopus nullo pacto poteſt diſpenſare, ut ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine conſtat; & diſpenſaſſe aliquandò Summus Pontifex non legitur, quamvis ex gravi cauſa poſſet, cùm hoc ſit jus eccleſiaſticum.

§. IX.

De reliquis ad licitè ſacrificandum requiſitis.

PRæter altare lapideum & conſecratum, requiritur, ut rebus ſeu ornamentis aliquibus ſit præparatum: neceſſarium enim eſt, ut ſuper illud extendatur linteum aliquod, quo ſuperior ejus pars ſeu ſuperficies operiatur. Præterea, neceſſaria eſt palla linea ſuper quam immediatè extendatur corporale; ita ut ante corporale ad minus duæ pallæ ſuper altare extenſæ ſint, vel una ſaltem plicata, quæ proinde duabus æquivalet. Hæ autem pallæ ex materia linea eſſe debent, ut ex pluribus juribus colligitur; neceſſe tamen non eſt, ut ſint benedictæ, quia hoc neque jure aliquo præcipitur, neque conſuetudine obſervatur.

2. Præter pallas non benedictas requiritur corporale benedictum, quod lineum eſſe debet, & ab Epiſcopo conſecratum, ut patet ex cap. *Conſulto* 46. de conſecratione diſt. 1. quo dicitur; *Conſulto omnium ſtatuimus, ut ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut tincto quiſquam celebrare præſumat; ſed in puro linteo ab Epiſcopo conſecrato, terreno ſcilicet lino procreato atque contexto, &c.* Cùm autem hæc conſecratio fiat per ſimplicem benedictionem ſine unctione chriſmatis, interdum committitur ſimplicibus ſacerdotibus, & multi religionum ſuperiores in hoc habent ſpeciale privilegium. Porrò durat hæc benedictio, quandiu corporale manet integrum, & amittitur per ruptionem ſeu diviſionem, modò tamen notabilis ſit, ſicut de altari dictum eſt.

Sine hujuſmodi corporali Miſſam dicere, eſſe mortale peccatum ex genere ſuo docent Auctores; quia hæc Eccleſiæ conſuetudo valdè gravis eſt, multùmque pertinet ad ſacramenti reverentiam. Quod multò certius eſt in corporali, quàm in aliis pallis non benedictis, in quibus unam tantùm adhibere, inquit „ Suarez hìc diſp. 81. ſect. 6. & alteram omittere ob „ neceſſitatem, ſecluſo contemptu aut ſcandalo, for- „ taſſe non eſſet peccatum mortale, quia res neque „ eſt tam conſtans, neque tam gravis. Utramque „ verò omittere, grave peccatum eſſet, quia eſt con- „ tra univerſalem & indubitatam conſuetudinem Ec- „ cleſiæ, & eſt major indecentia & irreverentia.

Præter corporale, quod ſuper altare extenditur, & calici ac hoſtiæ ſubſternitur, eſt & aliud quod imponitur calici, & in rubricis palla dicitur. Hæc autem palla, ſicut & corporale, debet eſſe linea & benedicta, ſaltem quoad interiorem partem, quæ calicem tangit, exterior enim poteſt eſſe ſerica, vel auro aut argento elaborata.

Requiritur 3. ad ſacrificium, ut in altari ſit lumen, ſeu lucerna aliqua ardens, ſine qua Miſſam dicere, eſſe peccatum mortale docent Auctores omnes; pro quo afferunt caput *Litteras* finale extra de celebratione Miſſarum, in quo inter exceſſus cujuſdam presbyteri recenſetur, quòd ſine igne ſacrificium offerret. Conſuetudo autem Eccleſiæ eſt, ut candela accenſa ſit cerea, quod ſervandum eſt; ſed una in rigore præcepti ſufficit, quamvis minùs deceat, unde communiter duæ ſaltem adhibentur, & adhibendæ ſunt: quòd ſi plures addantur, pertinebunt ad majorem ornatum & reverentiam. Cavendum tantùm eſt, ne certus aliquis candelarum numerus ex ſuperſtitioſo aliquo cultu adhibeatur, ut admonet Concilium Trid. ſeſſ. 22. in decreto obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ.

4. Auctores omnes requirunt, ut in altari ſit liber Miſſalis, qui ſufficienter contineat ea, quæ in Miſſa dicenda ſunt, ſaltem integrum canonem. Ita autem ſentiunt, quia liber hujuſmodi videtur eſſe inſtrumentum neceſſarium ad Miſſam dicendam juxta ritum, quem ſervat Eccleſia. Quamvis autem hæc neceſſitas aliquando poſſit ſuppleri memoria ſacerdotis Miſſam dicentis, non eſt tamen recedendum à communi ſententia in re morali, quam confirmat uſus Eccleſiæ. Præterea, memoria facilè labi poteſt, & ideò non debet ſacerdos exponere ſe periculo aliquid omittendi, præſertim ex canone; nam præceptum eſt illum integrè dicendi, quod præceptum non ita obligat in aliis orationibus, vel lectionibus, quæ in Miſſa dicuntur: unde magis requiritur, ut liber Miſſalis ſaltem canonem contineat. Ita Suarez ſect. citata.

5. Requiritur, ut altare ſaltem ornatum ſit cruce, de quo nihil habet decretum Gratiani, ſed ſolùm in regulis Miſſalis, & in cœremoniis ac ritibus Miſſæ, vel præcipitur, vel ſupponitur crucem eſſe in altari: atque ita ſervare communiter omnes timoratos, ac ſui muneris ſtudioſos ſacerdotes, obſervat Suarez ead. ſect. ubi addit non exiſtimare ſe, quòd hæc obligatio ſit peccati mortalis, ne multiplicentur præcepta, quæ non ſatis conſtant, & quia res non videtur adeò gravis, ſecluſo contemptu, adeòque videri non alio modo obligare, quàm obligant aliæ cœremoniæ vel ritus Miſſæ.

6. Sacrificium offerri non poteſt ſine calice & patena, ad hoc ſacrum miniſterium deputatis, ut patet ex cap. *Vaſa* 44. de conſecratione diſt. 1. in quo dicitur olim calicem & patenam primùm lignea, poſtea vitrea, demùm argentea fuiſſe. Nunc debent eſſe argentea vel aurea, ſic, ut etiam propter paupertatem Eccleſiarum quandoque ſint ſtannea, quod rarum eſt. Quantùm ad formam phyſicam ſeu figuram vaſorum attinet, ſervanda eſt Eccleſiæ conſuetudo, juxta quam patena ſolet eſſe orbicularis: forma verò ſpiritualis ſeu eccleſiaſtica conſiſtit in conſecratione Epiſcopali, quæ fit per unctionem chriſmatis, & ſpecialem benedictionem, prout habetur in Pontificali: unde horum vaſorum benedictio committi non poteſt ſaltem ordinariè ſimplici ſacerdoti: licèt enim benedictiones ſimplices ſimplici ſacerdoti committi ſoleant, non tamen illæ, quæ fiunt cum unctione chriſmatis, quæ ſicut ſanctiores eſſe cenſentur, ita etiam magis propriæ Epiſcoporum ſunt. Hæc autem conſecratio tandiu durat, quandiu vaſa manent integra; & amittitur, ſi notabiliter dividantur, ſeu frangantur, ita ut eam formam & quantitatem amittant, quæ ad convenientem eorum uſum neceſſaria eſt: ſecùs verò, ſi ſolùm amittatur deauratio, niſi tamen vaſa illa iterùm deaurentur, tunc enim conſecrationem amittunt, & iterùm conſecrari debent. Vide Suarem hìc diſp. 81. ſect. 7.

7. Requiruntur veſtes, quarum præcipuæ ſunt ſex,

pro

Digitized by Google

pro ſacerdotibus ſacrificantibus inſtitutæ, videlicet amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola ſeu orarium, & caſula ſeu planeta. Horum veſtimentorum forma duplex diſtinguitur, una artificialis, & altera moralis ſeu ſacra. Prior conſiſtit in figura, de qua nihil aliud hìc dicendum eſt, niſi in hoc ſervandam omninò eſſe Eccleſiaſticam formam, quæ ſi notabiliter varietur vel deſtruatur, non erunt veſtimenta ſacerdotalis. Poſterior forma eſt benedictio, quæ in prædictis ſex veſtimentis ex inſtitutione Eccleſiæ neceſſaria eſt, ut patet ex cap. *Veſtimenta* 42. de conſecratione diſt. 1. quo dicitur: *Veſtimenta eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe & honeſta, quibus aliis in uſibus non debent frui, quàm in eccleſiaſticis & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi à ſacratis hominibus.*

Ad hujus benedictionis eſſentiam pertinet, ut fiat juxta Eccleſiæ ritum, qui habetur in Pontificali, & fiat à legitimo miniſtro, qui eſt Epiſcopus, vel ſimplex ſacerdos, privilegium habens, cùm fiat ſine unctione chriſmatis. Hæc benedictio tandiu durat, quandiu veſtimenta manent integra, & amittitur, cùm ita diſſolvuntur, ut figuram amittant, vel ad uſum ſacrum inepta fiant. Hinc v.g. ſi albæ manica omninò ſeparetur, amittitur benedictio; unde licèt poſtea aſſuatur, iterùm alba benedicenda eſt: ſecùs verò, ſi antequam figura, vel forma deſtruatur, paulatim reficiatur veſtis ipſa; tunc enim ſemper eadem manere cenſetur, & tota manere benedicta, quamvis addatur pars aliqua non benedicta, quia tunc acceſſorium ſequitur principale.

Sex veſtimenta ſupra enumerata, ſimpliciter neceſſaria eſſe neceſſitate præcepti eccleſiaſtici ad offerendum ſacrificium, ita ut ſi non ſolùm omnia, ſed eorum aliquod omittatur voluntariè, peccatum mortale ſit, Doctores omnes unanimiter ſentire, diſertis verbis aſſerit Suarez hìc diſp. 82. ſect. 3. ubi addit hujus præcepti fundamentum maximè ſumendum eſſe ab univerſali conſuetudine, & obſervantia Eccleſiæ, quæ ritum hunc obſervat tanquam neceſſarium, & ad reverentiam hujus ſacramenti maximè pertinentem.

Porrò præcepti hujus tranſgreſſio à mortali excuſari non poteſt ex materiæ levitate; cùm Auctores omnes doceant, omiſſionem cujuſcumque veſtis ex ſex prædictis, ſufficientem eſſe mortalis peccati materiam, nec poſſit eſſe materia minor, quàm ſit unius veſtis, putà amictus aut manipuli omiſſio. At ex alio capite, tranſgreſſio illa excuſari poteſt à mortali, vel etiam omninò à ratione culpæ. Nam 1. Si una veſtis, aut etiam plures omittantur ex oblivione merè naturali, omiſſio illa nullo modo culpabilis eſt, quia eſt omninò involuntaria. 2. Si veſtis aliqua omittatur ex negligentia levi, negligentia illa à mortali excuſabit, ſed non à veniali. Quòd ſi verò negligentia craſſa ſit & ſupina, non excuſabit à mortale.

§. X.

De Miſſæ ſtipendio.

QUæres 1. Utrùm ſacerdos ſtipendium pro Miſſa accipere poſſit? *R.* accipere poſſe, non quidem per modum pretii, hoc enim eſſet ſimoniacum; ſed per modum ſuſtentationis: nam æquum eſt, ut qui miniſtrat altari, de altari vivat, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. cap. 9. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant?*

Quæres 2. Quantùm ſacerdos pro ſacrificio offerendo exigere poſſit? *R.* non licere ſacerdoti plus exigere, quam lege vel conſuetudine taxatum ſit; aut, ubi nulla taxatio eſt, ſupra id quod prudentum judicio ſufficit ad bonam partem honeſtæ ſuſtentationis unius diei. Poteſt tamen ſacerdos, ſi velit, minore ſtipendio contentus eſſe, niſi tamen hoc ei ſit prohibitum.

Quæres 3. Utrùm ſacerdotes divites ſtipendium pro Miſſa accipere poſſint? *R.* 1. ſacerdotem, licèt habeat proprium patrimonium, ſeu bona temporalia, quibus ſufficienter ſuſtentari poteſt, poſſe nihilominùs abſque injuſtitia ſtipendium pro Miſſa accipere. Ratio eſt, quia ſacerdoti miniſtranti alimentum ex juſtitia debetur, & per accidens eſt, quòd ſit temporaliter dives. *R.* 2. ſacerdotem ſimiliter, etiamſi beneficium habeat eccleſiaſticum, quo poteſt ſufficienter ali, modò ratione illius ad Miſſas ſpeciali intentione dicendas non obligetur, ſtipendia Miſſarum accipere poſſe ſine injuſtitia, propter eandem rationem; ita tamen, ut quod addendum eſt, tantumdem ex redditibus eccleſiaſticis teneatur refundere in uſus pios, vel in pauperes, quia tantumdem ei ex redditibus eccleſiaſticis ſuperfluit.

Quæres 4. Utrùm parochi ſtipendium pro Miſſis accipere poſſint? *R.* Cum parochi non teneantur pro ovibus ſuis quotidiè offerre, pro illis diebus, quibus non obligantur, tam ab extraneis, quàm à propriis ovibus ſtipendium pro ſacrificio accipere poſſunt. Ratio eſt, quia quantùm ad illos dies parochi tam habent jus ſuum integrum ad accipiendum ſtipendium, quàm ſi beneficium non haberent. Aliis autem diebus, quibus ad Miſſam pro ſubditis dicendam obligantur, non poſſunt accipere novum ſtipendium, quia ſic duplicatum haberent, quod eſt contra juſtitiam: unde ſi pro illis diebus ſtipendium accipiant, ad reſtitutionem tenentur. Ex his intelligitur, quid ſit reſpondendum pro iis, qui beneficia ſimplicia habent, directè inſtituta ad eum finem, ut Miſſæ dicantur pro defunctis.

Quæres 5. Utrùm ſacerdos, qui à pluribus diverſa ſtipendia, ut pro illis offerat, accipit, ſatisfaciat, unicum pro omnibus ſacrificium offerendo? *R.* non ſatisfacere, & omnibus injuriam facere, & teneri ad reſtitutionem: cùm enim fructus ſacrificii ſit finitus, eò minor eſt pro ſingulis, pro quibus æquè primariò offertur, quò plures ſunt, quia quò plures ſunt, eò plures in partes æquales dividitur, adeòque eo minor ex eo pars ſingulis obvenit. Meritò igitur hoc fieri prohibuit ſacra Congregatio Conc. Trid. decreto ea de re edito ſub interminatione divini judicii, & obligatione reſtitutionis. Item meritò damnata eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unicum offerre, neque eſt contra fidelitatem, &c.*

Quæres 6. Utrùm liceat plura exigua ſtipendia pro pluribus ſacrificiis accepta reducere ad unum juſtum ſtipendium, & unicum ſacrificium pro omnibus offerre? *R.* id prohibitum eſſe à ſacra Congregatione Concilii Tridentini. Ratio prohibitionis eſt, quia ſacerdos acceptando ſtipendium, quamvis juſto minus, voluntariè contrahit obligationem ſacrificium primariò offerendi pro eo, qui in eum finem obtulit ſtipendium illud. Quod non impedit, ut obiter obſervare juvat, ne Epiſcopi reformare poſſint fundationes aliquas, in quibus ſtipendium, quod olim juſtum erat, longè juſto inferiùs redditum eſt ſucceſſu temporis.

Quæres 7. Utrùm poſſit licitè ſacerdos plura ſtipendia pro Miſſis accipere, & poſtea aliis diſtribuere, aliqua ſibi parte retenta, juſtum tamen adhuc ſtipendium aliis tribuendo? *R.* id etiam prohibitum eſſe ab eadem ſacra Congregatione. Ratio eſt, quia lucrum quod faceret ſacerdos ille, eſſet injuſtum: nam nec à vero domino donata illi eſſet ea ſtipendii pars, quam ſibi retineret, nec dominium illius ſibi acquireret ob ſuſceptum ſacrificandi onus, ſiquidem onus illud rejiceret in alios, quibus proinde tota ſtipendia deberentur.

Quæres 8. Utrùm ſacerdos, qui accepto ad ſacrificium offerendum ſtipendio, fructum tamen principalem applicat alteri, aut dirigit intentionem primariam ad alterum, peccet graviter? *R.* affirmativè. Ratio eſt, quia gravem facit injuriam ei, à quo ſtipendium accepit.

Google

Quæres 9. Utrùm peccet graviter, qui cùm ex juſtitia teneatur pro aliquo ſacrificium offerre, illud diu differt? *R.* affirmativè; quia gravem facit injuriam ei, pro quo ſacrificium offerre tenetur ex juſtitia, magno illum fructu privando; multò magis peccabit, ſi planè omittat ſacrificium, quo caſu ad ſtipendii reſtitutionem tenebitur. Ex quo apparet illicitum eſſe ſacerdoti tot accipere ſtipendia, ut non poſſit niſi poſt tempus diuturnum pro omnibus ſatisfacere, quo caſu tenetur curare, ut per alios ex parte ſatisfiat, eis dando ſtipendium, quod in eum finem accepit. Ratio eſt, quia longa illa dilatio graviter injurioſa eſſet iis, qui dant ſtipendium, niſi tamen ultrò in dilationem illam conſentirent.

Quæres 10. Utrùm licitè poſſit ſacerdos anticipatè offerre Miſſæ ſacrificia pro iis qui poſtea ſtipendia offerent, & ſtipendia illa retinere, applicando Miſſas jam dictas cum tali intentione? *R.* negativè, quia in ſacerdotis poteſtate non eſt, fructum ſacrificii ſuſpendere, ut illud poſtea, quibus voluerit, applicet: unde praxis hujuſmodi à ſacra Congregatione Concilii Tridentini meritò proſcripta eſt, tanquam pluribus nominibus periculoſa, fidelium ſcandalis & offenſionibus obnoxia, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimiùm abhorrens.

§. XI.

De obligatione dicendi omnia quæ in Miſſali præſcribuntur.

QUæres 1. Utrùm ſacerdos teneatur nihil omittere eorum, quæ in Miſſali præſcripta ſunt?

R. Ad id teneri ſacerdotem præcepto eccleſiaſtico: nam præcepto eccleſiaſtico tenetur ſacerdos ad ſervandum integrum Miſſæ ritum, prout in Miſſali ſtatutus eſt, ac definitus, ut probatur ex verbis Pii V. in principio Miſſalis: *Mandantes*, inquit, *et diſtrictè omnibus, &c. illis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes, ut cæteris omnibus rationibus & ritibus, ex aliis Miſſalibus quantumvis vetuſtis hactenus obſervari conſuetis in poſterum penitus omiſſis, ac planè rejectis, Miſſam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Miſſale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant.*

Quæres 2. Utrùm hoc præceptum ſit grave? *R.* affirmativè. Ratio eſt, quia verſatur in re gravi, ad debitum cultum divinum, & ordinatam tanti miniſterii executionem pertinente. Ejus tamen tranſgreſſio poteſt eſſe venialiter tantùm mala propter levem negligentiam, quando ſacerdos tantùm non adhibet diligentiam debitam, & ex levitate materiæ, ſi nimirùm id quod omittitur, leve ſit; imò & poteſt eſſe omninò inculpabilis propter naturalem oblivionem, quia tunc eſt omninò involuntaria. Mortaliter autem mala eſt, quoties ſcienter, aut ex craſſa negligentia omittitur pars aliqua notabilis, & ſimpliciter neceſſaria ad uſitatam Miſſæ integritatem; ita ut ea omiſſa, actio ſacra ſeu Miſſa cenſeatur notabiliter mutilata: erit igitur mala mortaliter, ſi omittatur Epiſtola v. g. aut Evangelium, &c.

Dixi, ſimpliciter neceſſaria, &c. quia aliquæ partes ſunt etiam notabiles, quæ ad uſitatam Miſſæ integritatem non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ut v. gr. ſymbolum; quarum partium omiſſio faciliùs excuſari poteſt à mortali, quia per eam Miſſa propriè non mutilatur. *Nota*. Miſſa eſt unum quoddam corpus heterogeneum, ex membris ſeu partibus variis, miro ac religioſo artificio diſpoſitis ac connexis, conſtans. Harum autem partium aliæ ſunt, ſine quibus nunquam eſt, aliæ verò, quas certis tantùm diebus habet: unde non hæ, ſed tantùm illæ ad ejus integritatem cenſentur ſimpliciter neceſſariæ, atque ita non per harum, ſed per illarum omiſſionem propriè mutilari cenſetur; quam ob cauſam illarum omiſſio faciliùs poteſt eſſe graviter culpabilis.

At inquies. Saltem in canone levitas materiæ locum habere non poteſt. *R.* ita cenſere nonnullos, qui volunt, vel minimum verbum omittere in canone, eſſe peccatum mortale, ſi omiſſio fiat ex culpabili negligentia. Sed hæc ſententia videtur improbabilis: quamvis enim verba quæ ad canonem pertinent, ſub ſtrictiorem obligationem cadere videantur, quia & propinquiora ſunt ſacrificio, & antiquiori ac ſacratiori lege ſunt ſancita juxta communiorem ſenſum Eccleſiæ, non eſt tamen cur negetur hîc ex levitate materiæ veniale peccatum intercedere poſſe, ut ſi v. g. unum vel aliud nomen alicujus Sancti omittatur, vel ſi in tempore paſchali omittantur ea quæ interponi debent in oratione, *Communicantes*, aut in oratione, *Hanc igitur oblationem*. Ita Suarez.

Quæres 3. Utrùm quando quis ex oblivione naturali omittit aliquid in Miſſa, v. g. *Gloria in excelſis*, aut *Credo*, & poſtquam progreſſus eſt aliquantulum, recordatur ſe omiſiſſe, debeat repetere quæ omiſit?

R. Regulariter neceſſarium non eſſe; quia, ut ait Suarez hîc quæſt. 83. ſect. 3. „ moraliter id non poteſt fieri commodè; & omnia quæ in Miſſa dicuntur, „ ita ſunt ordinata, ut variato ordine & extra propria „ loca conſtituta, non rectè cohæreant. “ Hæc autem reſponſio ſupponit ea quæ omittuntur non eſſe de ſubſtantia ſacrificii: quoties enim ſunt hujuſmodi, toties repeti debent.

Quæres 4. Utrùm ſacerdos teneatur non addere ex propria devotione novas preces, aut alia verba, præter ea, quæ juxta ritum Eccleſiæ præſcripta ſunt?

R. Ad id teneri præcepto eccleſiaſtico, ut patet 1. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, ubi ſacerdotibus prohibetur, *Ne ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint*. 2. Ex Pio V. in principio Miſſalis, ubi poſt verba ſuperiùs laudata, ſic proſequitur: *Neque in Miſſa celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Miſſali continentur, addere vel recitare præſumant*. Ex his apparet, jure novo correctum eſſe antiquum, quod extat in Concilio Carthaginenſi tertio can. 23. & in Concilio Milevitano ſecundo can. 12.

At inquies. Quid ſi ſacerdos celebrans, non publicè, ſed ſecretè hanc additionem faciat? *R.* ſacerdotem peccare tunc, ſi aliquid intendat addere officio Miſſæ. Quod ſi ut privata perſona, ob privatam aliquam ſuam devotionem orationem aliquam ſecretè recitet, non peccabit quidem directè contra præfatum præceptum, ſed malè & imprudenter faciet, miniſterium ſacrum privata prece ab illo diſtincta interrumpendo. Ita Suarez ſect. cit.

§. XII.

De obligatione ſervandi omnes Miſſæ cæremonias, quæ in actione conſiſtunt.

QUæres 1. Utrùm ſacerdos ex præcepto eccleſiaſtico teneatur ſervare omnes Miſſæ cæremonias in actione conſiſtentes, & in Miſſali præſcriptas.

R. Affirmativè. Nam ab Eccleſia latum eſt præceptum ſervandi ritum ab ipſa inſtitutum in celebratione Miſſæ, non ſolùm quoad verba, ſed etiam quoad actiones, ut patet ex Concilio Tridentino, & Pio Quinto, verbis paragrapho ſuperiore citatis. Hujus autem præcepti ratio eſt, quia ritum in Miſſali præſcriptum ſervari non ſolùm quoad verba, ſed etiam quoad actiones, planè expedit ad hoc, ut in tam gravi miniſterio omnia fiant ordinatè, & ut vitentur ſuperſtitiones.

Quæres 2. Quotuplici modo præceptum hoc violari poſſit?

R. Poſſe violari dupliciter, nempe vel ſolùm omittendo, vel etiam addendo novos ritus & cæremonias, præter eas, quæ ab Eccleſia approbatæ ſunt.

Google

Patet ex verbis Pii Quinti paragrapho ſuperiore laudatis.

Quæres 3. Quandonam ſacerdos graviter peccet omittendo cæremonias aliquas ex iis, quæ in Miſſali præſcribuntur?

R. Peccare graviter, ſi omiſſio ſit alicujus cæremoniæ gravioris, & ſpecialem ſignificationem continentis, ut ſi ſacerdos omittat mixtionem aquæ & vini, fractionem hoſtiæ, vel mixtionem illius cum ſanguine, ſigna omnia vel plura, quæ ſuper oblata fiunt, &c. Ita Suarez hic diſp. 84. ſect. 2. Quòd ſi omiſſio ſolùm ſit in aliqua re ad convenientem modum agendi pertinente, regulariter non erit mortale peccatum. Ita Suarez loco citato.

Quæres 4. Quandonam ſacerdos graviter peccet addendo cæremoniam aliquam, præter eas quæ ab Eccleſia ſunt approbatæ?

Ad hanc quæſtionem reſpondet Suarez ſectione citata, additionem hujuſmodi, ſi revera fiat animo immutandi vel addendi novum ritum, pertinentem ad novum modum cultus vel adorationis, qui non eſt in uſu Eccleſiæ, vel ad ſpecialem ſignificationem myſticam ab Eccleſia non ſtatutam regulariter loquendo ſemper fore peccatum grave, quia eſt materia gravis ſuperſtitionis, eò quòd ſit in publico & graviſſimo miniſterio eccleſiaſtico. Quòd ſi additio hujuſmodi non fiat animo inducendi novum omninò ritum, ſed ex peculiari devotione ſacerdos faciat actionem aliquam ex ſe bonam & religioſam, non tamen in ritu Miſſæ contentam, non erit peccatum mortale, quia ſine dubio materia levis eſt; indiſcretè tamen faciet ſacerdos, & venialiter peccabit; niſi excuſetur ob inculpabilem ignorantiam.

§. XIII.

De Miſſa audienda.

QUæres 1. Utrùm in Eccleſia ſit præceptum fidelibus impoſitum audiendi Miſſam certis diebus, quos appellamus dies feſtos?

Reſp. Affirmativè, probatur 1. ex multis decretis, quæ extant diſtinctione prima de conſecratione, nempe ex capite *Miſſas* 64. cap. *Cùm ad celebrandas* 65. cap. *Omnes fideles* 62. 2. Ex uſu Eccleſiæ, cujus inter prima rudimenta fidei præceptum hoc inter eccleſiaſtica tertio loco numeratur. 3. Ex communi Doctorum omnium conſenſu. Ratio congrua eſt, quia dies feſti ad cultum divinum deputati ſunt: unde ſicut Eccleſia diebus illis prohibet aliquid ad hoc, ut homines expediti eſſe poſſint ad vacandum rebus divinis, ita etiam potuit & debuit poſitivè præcipere aliquid, quo iiſdem diebus Deum fideles colerent: nihil autem accommodatius præcipere potuit fidelibus, quàm ut aſſiſterent Miſſæ, in qua cultus exterior ſupremus Deo exhibetur.

Quæres 2. Utrùm præceptum hoc gravem inducat obligationem, ita ut illud tranſgredi, etiam uno tantùm die, pro quo obligat, ſine ulla legitima cauſa excuſante, mortale peccatum ſit?

Reſp. Hujus præcepti tranſgreſſionem, etiamſi non fiat ex contemptu, ſed ex mera voluntate, aut negligentia, vel ex affectu ad aliam actionem, propter quam voluntariè Miſſa non audiatur, eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, quia materia ex genere ſuo gravis eſt, cùm pertineat ad cultum divinum.

Dixi, eſſe peccatum mortale ex genere ſuo: nam ex accidenti poteſt eſſe peccatum veniale tantùm, vel etiam nullum. 1. enim ſi exigua tantùm Miſſæ pars omittatur, peccatum erit tantùm veniale, propter materiæ levitatem. Idem dic, ſi tota Miſſa, vel magna illius pars omittatur ex ignorantia vel negligentia levi tantùm. Quòd ſi ex naturali & prorsùs inculpabili inadvertentia Miſſa non audiatur, nullum erit peccatum.

Quæres 3. Ad quid obliget hoc præceptum?

Reſp. Hoc præceptum obligare fideles ad audiendam totam Miſſam à principio uſque ad finem, ut conſtat ex Miſſa catechumenorum, & Miſſa fidelium.

Ita ſentiunt Doctores omnes, & probatur, 1. Ex cap. *Omnes fideles* 62. de conſecratione diſt. 1. quo dicitur: *Omnes fideles qui conveniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, & Scripturas Apoſtolorum & Evangelium audiant. Qui autem non perſeverant in oratione, uſquedum Miſſa peragatur ... velut inquietudines Eccleſiæ commoventes convenit communione privari.* 2. Ex capite *Miſſas* 64. ead. diſt. quo dicitur: *Miſſas* (Miſſam ſcilicet catechumenorum & Miſſam fidelium) *die dominico ſæcularibus, totas audire ſpeciali ordine præcipimus; ita ut ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat. Quòd ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.*

Fideles igitur ſine culpa non poſſunt voluntariè etiam minimam aliquam Miſſæ partem omittere, niſi tamen legitimam excuſationem habeant. Porrò culpa quæ in omiſſione partis alicujus Miſſæ committi poteſt, non ſemper æqualis eſt, ſed gravior aut levior juxta quantitatem partis quæ omittitur: unde mortalis eſt, ſi pars quæ omittitur, eſt gravis; eſt verò venialis, ſi pars quæ omittitur, levis eſt, in quo conveniunt Doctores omnes, & inter eos controverſia ſolùm eſt de parte, cujus omiſſio ad mortale peccatum ſufficit, vel quam omittendo peccabitur venialiter tantùm. Pro materia venialis peccati aliqui deſignant introitum Miſſæ cum his quæ ſubſequuntur uſque ad Epiſtolam excluſivè, ſed alii hoc extendunt uſque ad Evangelium excluſivè.

At inquies. Quid ſi quis à principio Miſſam audiat, & uſque ad communionem aſſiſtat, omittat verò reliquum? Reſpondet Suarez diſp. 88. ſect. 2. venialiter tantùm peccaturum eſſe, quia pars illa, quam omittet, non eſt notabilis.

At inquies. Quid ſi quis ſtatim poſt benedictionem ſacerdotis, non audito divi Joannis Evangelio diſcedat? *Reſp.* Videri quod peccet venialiter. Ratio eſt, quia videtur Evangelium divi Joannis, vel quodcumque aliud, quod ſacerdos recitat poſt benedictionem, non pertinere ad Miſſæ integritatem.

At inquies. Quid ſi quis, qui Miſſæ inſervit, per Eccleſiam diſcurrat, vel ad ſacellum accedat, ut afferat vinum, thus, aut ſimilia ad Miſſam neceſſaria? *Reſp.* Cenſeri non poſſe partem ullam Miſſæ omittere, ſed cenſeri debere toti aſſiſtere, quia toti inſervit, & ad hoc ſemper intendit. Itaque nequidem venialiter peccare cenſendus eſt, modò tamen bona fide procedat, & diligentiam adhibeat, ne plus æquo & ſine neceſſitate abſit, aut in ſacello, vel aliis locis immoretur. Quòd ſi ex occaſione aliqua magnam Miſſæ partem omittere neceſſe eſſet, ut ſi deeſſet vinum, & extra Eccleſiam quærendum eſſet, tunc miniſter aliam, ſi poſſet, Miſſam audire teneretur: quòd ſi non poſſet, ratione juſti & debiti miniſterii excuſaretur. Ita Suarez ſectione citata.

Quæres 4. Ad quid teneatur is, qui aliquam Miſſæ partem omiſit?

Reſp. 1. Si levem tantùm partem omiſit, etiamſi illam omiſerit culpabiliter, non tenetur aliam Miſſam audire. Ratio eſt, præceptum implevit quoad ſubſtantiam. 2. Si verò omiſit partem notabilem, etiamſi illam inculpabiliter omiſerit, tenetur, ſi poteſt, aliam Miſſam integram audire. Ratio eſt, quia nequidem quoad ſubſtantiam præceptum implevit.

At inquies. Quid ſi in alia Miſſa audiat eam tantùm partem, quam omiſit in altera? *Reſp.* Plurimorum ſententiam eſſe, quòd ſatisfaciat. Sed hæc ſententia ab aliis Doctoribus meritò improbatur, Primò enim ad præcepti ſubſtantiam omninò perti-

pere

nere videtur, quòd tota Miſſa fidelium ab oblatione uſque ad conſumptionem audiatur continuè, & per modum unius ſacrificii, ut audiens Miſſam debito modo ſuas partes exhibeat ad integrè offerendum ſacrificium per ſacerdotem eo modo, quo poteſt. Secundò, quia præceptum, obligando ad audiendam integram Miſſam, obligat ad audiendas illius partes non disjunctas, & quovis modo aggregatas, ſed unitas, & debito ordine conjunctas; hoc enim modo, & non alio ſunt una Miſſa integra.

Quæres 5. Quas perſonas obliget hoc præceptum?

Reſp. Præceptum hoc obligat fideles omnes adultos, baptizatos, cujuſcumque conditionis vel ſtatus ſint. Eſt certa & communis. Itaque 1. Hoc præceptum non obligat infideles, tum quia generaliter per ſe & directè non obligantur legibus eccleſiaſticis: tum etiam quia cùm Eccleſiæ membra non ſint, non ſunt propriè capaces ſacrificii Euchariſtiæ, & neque poſſunt illud offerre, neque poteſt pro illis offerri quoad fructum ex opere operato; unde nec permittuntur ei intereſſe. 2. Hoc præcepto non tenentur catechumeni propter eaſdem rationes: nam nec ſunt in ſtatu, in quo obligentur eccleſiaſticis legibus; nec admittuntur ad proprium Miſſæ ſacrificium, ſed ſolùm ad Miſſam catechumenorum uſque ad offertorium. 3. Hoc præcepto non obligantur, nec obligari poſſunt ii, qui rationis uſum non habent, tum quia generaliter incapaces ſunt præcepti cujuſlibet; tum quia actum præcepto, de quo agitur, præſcriptum, exercere non poſſunt.

Soli igitur fideles baptizati, rationis uſum habentes, tenentur huic præcepto. Quòd autem teneantur, cujuſcumque conditionis vel ſtatus ſint, docent Summiſtæ omnes, & declarat conſuetudo Eccleſiæ. Præterea, ex juribus citatis manifeſtum eſt laicos hoc præcepto obligari: at ſi laici obligantur, quantò magis clerici tam regulares quàm ſæculares; cùm ratione ſtatus, ad divinum cultum obligentur maximè?

Quæres 6. Quo ætatis anno fideles hoc præcepto obligari incipiant?

Reſp. Circa hoc nihil eſſe in jure præſcriptum, ſed hanc regulam generalem eſſe, quod incipiant obligari, cùm ſic jam ratione utuntur, ut ſufficienter poſſint diſcernere inter bonum & malum, & peccati mortalis capaces ſint; tunc enim jam ſunt capaces naturalis obligationis colendi Deum, atque ita obligationis, quam imponit lex eccleſiaſtica audiendi Miſſam. Porrò quo præciſè ætatis anno pueri incipiant eſſe in hoc ſtatu, generali regula definiri non poteſt, adeòque & debet relinqui prudenti judicio & curæ parentum, Parochorum & Confeſſorum, illudque ſolùm obſervandum eſt in hujus præcepti executione, illud ſervandum eſſe, quamprimùm diſcretionis & uſus rationis apparent ſigna probabilis.

Quæres 7. Quando vel quibus diebus obliget præceptum.

Reſp. 1. Hoc præceptum obligat ad Miſſam audiendam omnibus diebus dominicis. Patet ex cap. *Miſſas* de conſecratione diſt. 1. jam citato. Patet etiam ex perpetuo & conſtanti uſu Eccleſiæ, nam propter Domini reſurrectionem, quæ hac die facta eſt, hæc dies ſemper in Eccleſia celebris fuit, & ad divinum cultum ſpecialiter deputata, ſicut & ad uſum ſacrificii & ſacramenti Euchariſtiæ. 2. Hoc præceptum ad audiendam Miſſam etiam obligat omnibus diebus feſtivis. Patet ex communi ſenſu & conſuetudine Eccleſiæ, & apertè colligitur ex cap. *Si quis* 35. cap. *Et hoc* 52. cap. *Omnes fideles* 62. cap. *Qui die* 66. de conſecratione diſt. 1. & ex cap. *Ut dominicis* 2. extra de parochiis, quo dicitur: *Ut dominicis vel feſtivis diebus presbyteri antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto presbytero*, (hoc eſt, ut explicat Gloſſa, ſine juſta cauſa à propria parochia abeſt) *ibi velit Miſſam audire: quem ſi invenerint, ſtatim ab Eccleſia abjiciant*. Ratio denique eſt, quia etiam dies feſtivi ad divinum cultum deputati ſunt, eoſque fideles omnes ſanctificare tenentur ſpecialiter; cujus ſanctificationis pars præcipua in celebratione vel auditione Miſſæ conſiſtit: unde quotieſcumque in Eccleſia dies aliquis tanquam feſtivus à fidelibus omnibus obſervari præcipitur, hoc ipſo intelligitur determinari tempus illud, ut in eo Miſſæ præceptum obliget.

Quæres 8. Quibus actibus, quave attentione debeat hoc præceptum impleri.

Reſp. Ad implendum hoc præceptum requiritur, 1. Corporalis præſentia, vi cujus is, qui Miſſæ vult aſſiſtere, poſſit, quantùm in ipſo eſt, audire & videre, ſeu percipere aliquo modo miniſterium ſacerdotis: idcircò templum ſeu locum, in quo Miſſa celebratur, adire neceſſe eſt. Ita Doctores communiter, & ſatis declarat ipſa vox, audire.

Requiritur 2. Ut cum voluntate audiendi Miſſam non conjungatur voluntas contraria præcepto, cui nullo modo obediret, qui cum tali voluntate Miſſam audiret: unde qui talem voluntatem haberet ſine ſpe & propoſito audiendi Miſſam aliam, graviter peccaret, quia ſimpliciter nollet implere præceptum. At non requiritur, ut cum voluntate audiendi Miſſam conjungatur voluntas præceptum implendi: unde qui ſummo manè ex devotione Miſſam audit, putans non eſſe diem feſtum, etiamſi poſtea id reſciat, non tenetur ad Miſſam aliam audiendam, ſed ſatis eſt, ſi judicet ſe ſatisfeciſſe præcepto.

Requiritur 3. Attentio religioſa, & pertinens ad cultum Dei: nam auditio Miſſæ præcipitur, ut actus religioſus, & ad cultum divinum pertinens. Triplex autem eſt hujuſmodi attentio. Prima & infima eſt, cùm quis ad ea quæ ſacerdos dicit, vel facit, ſolùm attendit ut ad rem quandam ſacram, non ultra progrediendo, nec diſtinctè intelligendo. Secunda & melior eſt ea, qua quis attendit ad ea, quæ verbis vel factis ſacerdotis ſignificantur. Hujus attentionis multi incapaces ſunt, quia multi nec verborum ſenſum, nec actionum ſignificationem percipere poſſunt. Tertia & optima attentio, maximèque conſulenda ac procuranda, eſt ad Deum. Sub hac attentione includitur omnis interior reverentia & cultus, omnis oratio ac petitio. Itaque qui voluntariè diſtrahitur, ſi per levem tantùm Miſſæ partem, peccat venialiter, quia peccat contra integritatem præcepti, perinde ac ſi partem illam omitteret; ſi verò per notabilem & gravem, ſine ſpe & propoſito aliam Miſſam audiendi, peccat mortaliter, quia peccat contra præcepti ſubſtantiam, perinde ac ſi partem illam omitteret; unde tenetur aliam, ſi poteſt, Miſſam audire, quia nequidem quoad ſubſtantiam præceptum implet.

Quæres 9. Quibus modis excuſari poſſit aliquis ab audienda Miſſa eo die quo præcepta eſt.

Reſp. Multiplex poteſt eſſe excuſatio legitima. Prima eſt impedimentum canonicum, cùm quis excommunicatus eſt majore excommunicatione, vel interdictus ſpeciali aut generali interdicto: huic enim ab Eccleſia prohibitum eſt divinis officiis etiam feſtis diebus intereſſe. Talis igitur non peccabit Miſſam non audiendo, præſertim ſi moralem adhibuit diligentiam, ut à cenſura abſolveretur. Secunda eſt impotentia phyſica, ut ſi quis detineatur in carcere; item ſi deſit ſacerdos, qui celebret; item ſi quis ita ægrotet, ut è lecto non poſſit ſurgere; item ſi quis non poſſit juſtè egredi è loco, in quo Miſſam audire non poteſt, &c.

Tertia eſt impotentia moralis, quæ non conſiſtit in indiviſibili, nec uno tantùm, ſed plurimis modis poteſt accidere. Regulam tamen generalem hanc cum aliis Doctoribus aſſignat Suarez diſput. cit. ſect. 6. tunc cenſeri moralem adeſſe impotentiam,

tiam,

tiam, quando ſine gravi difficultate, vel labore, aut jactura boni alicujus notabilis, vel morali periculo illud amittendi, Miſſa audiri non poteſt. Cujus ratio eſt, quia præceptum hoc cum hac moderatione latum eſt & receptum, ut intelligitur ex communi Doctorum interpretatione, & ex communi conſuetudine.

Quarta eſt ratione officii, vel juſtæ obedientiæ. Sic excuſantur milites v.g. qui caſtrum, vel portas civitatis cuſtodiunt, aut vigilias faciunt, ſi muneri ſuo deeſſe non poſſunt ſine gravi periculo aliquo. Quinta eſt conſuetudo ex aliqua rationabili cauſa introducta, & à paſtoribus Eccleſiæ tolerata. Hoc pacto excuſantur mulieres, quæ poſt partum per dies aliquos abſtinent ab ingreſſu Eccleſiæ, etiamſi planè convaluerint. Sexta eſt ex titulo charitatis. Sic excuſatur qui Miſſam omittit propter ægrotum cui inſervit, ne illum ſolum & abſque neceſſario miniſterio relinquat; quod intelligendum eſt, quando utrumque fieri non poteſt, & grave infirmi detrimentum timetur probabiliter, ſi relinquatur ſolus. Septima denique ſumitur ex parte ſacerdotis, quando ſcilicet nominatim excommunicatus eſt: tunc enim perinde res ſe habet ac ſi deeſſet copia miniſtri. Dixi quando nominatim, &c. Quia poſt Concilium Conſtantienſe nemo à Miſſa audienda excuſatur propter iniquitatem ſacerdotis, quantumlibet publicam, niſi nominatim ſit ab Eccleſia præciſus & excommunicatus.

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS.

DE PŒNITENTIA.

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Pœnitentia ſit Sacramentum propriè dictum.

RESPONSIO.

Ritus ille externus, in quo pœnitens cum dolore peccata ſua confitetur ſacerdoti, & à ſacerdote abſolvitur, ſatisfactione aliqua pro peccatis injuncta, eſt Sacramentum propriè dictum novæ Legis, à Chriſto permanenter inſtitutum ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex Script. Nam Joan. cap. 20. dicitur: *Hoc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. In quæ verba ſic diſcurrit Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*. Chriſtus igitur dedit ſacerdotibus poteſtatem remittendi peccata poſt baptiſmum commiſſa. At profectò non dedit poteſtatem hanc niſi ut exercendam ritu externo, quo cognoſcant homines ſibi remitti peccata, & exercendam in eos qui peccata deteſtarentur & confiterentur, atque ita vellent abſolvi: non enim poteſt nec debet abſolvi, niſi volens, & cauſa cognita, Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic ſufficiat S. Cyprianus ſerm. de lapſis, ubi ait: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes, apud Dominum grata eſt*. Accedit authoritas Conciliorum, Florentini ſcilicet in decreto §. *Quartum*, ubi inter ſacramenta novæ legis numeratur Pœnitentia, & Tridentini ſeſſ. 7. can. 1. & ſeſſ. 14. can. 1. quo dicitur: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè & propriè ſacramentum, pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum: anathema ſit.*

Ratio à priori eſt Chriſti voluntas. Ratio autem congrua eſt magna in hominibus etiam baptizatis proclivitas ad peccandum: unde conveniens fuit bonitati divinæ, & infinitis Chriſti meritis, ut non ſolùm pro peccatis ante baptiſmum, ſed etiam pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis remedium provideretur; & ſic non ſolùm baptiſmus, ſed etiam Pœnitentiæ ſacramentum ad remittenda peccata inſtitueretur. Hanc rationem ſuggerit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1.

Objicies 1. Verba illa Apoſtoli ad Hebræos cap. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati .... guſtaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*. Et iſta ejuſdem eadem epiſtola c. 10. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. *Reſp. ad primum locum*, in eo Apoſtolum loqui, non de ſacramento Pœnitentiæ, ſed de Baptiſmo, & dicere eos qui poſt baptiſmum ſuſceptum peccant graviter, non poſſe iterùm juſtificari per iterationem baptiſmi, quia nimirùm baptiſmus ſemel validè collatus, non poteſt validè iterari. *R. ad* 2. Apoſtolum loqui de iis qui voluntariè à Chriſto & Eccleſia deficiunt, quos nunquam aut ferè nunquam contingit reſipiſcere, & Deo reconciliari, ut experientia docet.

Obj. 2. Apoſtoli non prædicaverunt pœnitentiam quæ eſſet ſacramentum. Nego. *Probabis*. Eam tantùm pœnitentiam prædicarunt, quam prænuntiarunt Prophetæ. Sed Prophetæ non prænuntiarunt ſacramentum Pœnitentiæ. Ergo, &c. *R.* Apoſtolos prædicaſſe ea omnia, quæ Prophetæ prænuntiarunt vel explicitè vel implicitè Prophetæ autem prænuntiarunt ſaltem implicitè ſacramenta omnia novæ legis, eo ipſo quòd prænuntiarunt venturum Legiſlatorem, & inſtitutorem Eccleſiæ Chriſtum.

Obj. 3. Ad ſacramentum requiritur cum verbis elementum aliquod à miniſtro adhibitum, juxta illud Auguſtini, *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*. Sed in ritu illo externo quem dicimus, eſſe ſacramentum Pœnitentiæ, non adhibetur elementum aliquod. Ergo, &c. neg. maj. univerſaliter ſumptam. Nam ad ſacramentum novæ legis, præter verba requiritur tantùm ſignum aliquod cujus ſacramentalis ſignificatio magis determinetur per verba, ſive ſit res aliqua externa à miniſtro adhibita, ſive non. Dictum autem Auguſtini intelligendum eſt de Baptiſmo. Vide S. Thomam 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. ubi convenientiſſimam affert rationem, cur Chriſtus voluerit, rem corporalem pro materia adhiberi potiùs in Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema unctione, quàm in ſacramento Pœnitentiæ.

Obj. 4. Sacramentum Pœnitentiæ eſt inventum humanum, & derogat meritis Chriſti. *R.* neg. utrumque. Nam 1. hæretici non poſſunt oſtendere, quo tempore cœperit uſus ſacramenti Pœnitentiæ in Eccleſia: unde valet hic regula à S. Auguſtino tradita lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, ab Apoſtolica authoritate traditum eſſe rectiſſimè creditur*. 2. Sacramentum Pœnitentiæ applicat nobis merita Chriſti, non eis derogat.

Ob. 5. Verba illa Scripturæ, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* quibus doctrina noſtra nititur, loquuntur non de judiciaria poteſtate remittendi peccata, ſed de authoritate prædicandi verbum Dei, quo excitatur fides, per quam juſtificatio apprehenditur. *R.* hanc ineptiſſimam ſectariorum interpretationem univerſorum Patrum interpretationi contrariam eſſe, & jure meritò damnatam à Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 1. & can. 3. quo dicitur: *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata, in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: detorſerit autem contra inſtitutionem hujus ſacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium: anathema ſit.*

Obj. 6. Sicut Pater miſit Filium, ita Filius miſit Apoſtolos ad peccata remittenda. Sed Filius remiſit peccata ſine ſacramentis. Ergo, &c. *R.* Chriſtum miſiſſe Apoſtolos ad peccata remittenda, ſed non eodem planè modo, quo ipſe per ſe remiſerat: conveniens enim fuit, ut beneficia divina aliter à Domino, & aliter à miniſtris diſpenſarentur.

Google

ARTICULUS II.

Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ ſit aliud à ſacramento Baptiſmi.

Responsio.

SAcramentum Pœnitentiæ diverſum eſt à ſacramento Baptiſmi.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Authoritate Patrum, qui ſacramentum Pœnitentiæ à ſacramento Baptiſmi apertè diſtinguunt. Pro omnibus ſit Auguſtinus, lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 16. ubi ait: *Si à cathecumeno factum eſt* (homicidium) *baptiſmate abluitur: ſi à baptizato, pœnitentia & reconciliatione ſanatur.*

2. Authoritate Conciliorum, Florentini ſcilicet in decreto §. *Primum*, ubi ait: *Primum omnium ſacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt.* Et infra: *Quartum ſacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, &c.* Et Tridentini, ſeſſ. 14. cap. 2. & can. 2. quo dicitur: *Si quis ſacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ ſacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo ſacramenta diſtincta non ſint, atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari: anathema ſit.*

3. Ratione, ex eodem Tridentino cap. citato: Quia 1. materia & forma, quibus ſacramentum perficitur, aliæ ſunt in Baptiſmo, & aliæ in Pœnitentia. 2. In Pœnitentia miniſter eſt judex, non in Baptiſmo. 3. Alius eſt Baptiſmi, & alius Pœnitentiæ fructus: nam per Baptiſmum plenam & integram peccatorum remiſſionem conſequimur, ad quam integritatem & plenitudinem, per ſacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris laboribus & fletibus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus. Adde quòd in ſacramento Pœnitentiæ miniſter eſt ſolus ſacerdos, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10. at in cauſa neceſſitatis, non ſolùm ſacerdos, ſed etiam laicus, vel mulier, non modò validè, ſed etiam licitè baptizat, ut conſtat ex Florentino in decreto §. *Primum*.

Obj. Sacramentum Pœnitentiæ diſtinctum à ſacramento Baptiſmi, inutile eſt. Ergo, &c. Nego ant. *Probabis*, Marci cap. ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* *R.* hæc verba intelligenda eſſe cum hac conditione, Modò gratiam per baptiſmum acceptam non amittat, peccando mortaliter poſt Baptiſmum.

Dices. Scriptura & Patres Baptiſmum Chriſti vocant ſacramentum Pœnitentiæ. *R.* 1. In Scriptura Baptiſmum Chriſti nunquam vocari ſacramentum Pœnitentiæ. 2. Si quando ita vocatur à Patribus, ideò vocari, quia in adultis requiritur regulariter pœnitentia aliqua, ſeu contritio, ad hoc ut in baptiſmo juſtificentur.

Dices iterum. Baptiſmus per peccatum mortale non deletur, & conſequenter tota vita utilis eſſe poteſt ad delenda peccata, ſi ad memoriam revocetur. *R.* in baptiſmo tria poſſe diſtingui: ritum externum, in quo conſiſtit baptiſmus; caracterem, & gratiam regenerantem. Primò autem, ritus externus non manet, conſiſtit enim in ablutione & prolatione verborum, quæ ſtatim tranſeunt. 2. Character ſemper manet etiam in peccante mortaliter. 3. Gratia regenerans, per quodlibet peccatum mortale amittitur, nec recuperatur niſi per ſacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto ſuſceptum, ut ſuo loco probabitur.

Quæres, Quandonam inſtitutum fuerit ſacramentum Pœnitentiæ?

R. A Chriſto inſtitutum fuiſſe præcipuè poſt reſurrectionem ipſius, ut docet Tridentinum, ſeſſ. 14. c. 1. ubi ait: *Dominus autem ſacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, &c.* Porrò dicitur, *præcipuè*, quia Chriſtus ante mortem jam quaſi inchoatè inſtituerat ſacramentum Pœnitentiæ, promittendo Apoſtolis judiciariam poteſtatem, cap. 18. ubi ait: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

ARTICULUS III.

Quænam ſit materia & forma ſacramenti Pœnitentiæ.

Responsio I.

MAteria remota ſacramenti Pœnitentiæ ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa, vel in ipſo baptiſmo, dum eſſentialiter perficitur.

Prob. Nam ſacramentum Pœnitentiæ verſatur circa peccata, ut remittenda, & conſequenter peccata bene dicuntur materia remota, vel, ſi vis, quod idem eſt, materia circa quam ſacramenti Pœnitentiæ. Dixi autem, 1. Peccata poſt baptiſmum commiſſa; quia nec pro originali, nec pro actualibus ante baptiſmum commiſſis inſtitutum fuit ſacramentum Pœnitentiæ, ut docet ſenſus & praxis Eccleſiæ, quæ talium peccatorum confeſſionem nunquam admiſit; & Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 2. & can. 1. quo dicitur, ſacramentum Pœnitentiæ *pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum.* Dixi 2. Vel in ipſo baptiſmo, dum eſſentialiter perficitur: nam ſuo loco oſtenſum eſt, idem de peccato in inſtanti perfectionis baptiſmi commiſſo ſentiendum eſſe, quod de peccato commiſſo poſt baptiſmum. Sed ad pleniorem reſponſionis intellectum,

Obſerva 1. Omnia peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, excepta impœnitentia finali, eſſe materiam principalem ac neceſſariam ſacramenti Pœnitentiæ: principalem quidem, quia ſacramentum Pœnitentiæ ad ea remittenda principaliter inſtitutum eſt, ut manifeſtè colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. Neceſſariam vero, quia tenemur ea confiteri, ut docet Trid. ſeſſ. 14. locis proximè laudatis; nec remittuntur ſine ſacramento Pœnitentiæ, vel in re vel in voto ſuſcepto, ut oſtendetur. Dixi, Excepta impœnitentia finali: nam peccatum actuale, in quo moritur peccator, non poteſt ſubjici ſacramento Pœnitentiæ.

Obſerva 2. Omnia peccata venialia poſt baptiſmum commiſſa, eſſe materiam ſufficientem, ſed non neceſſariam ſacramenti Pœnitentiæ: ſufficientem quidem; nam poſſumus ea confiteri, & qui habet tantùm venialia, poteſt abſolvi: at non neceſſariam; nam non tenemur confiteri venialia, & poſſumus eorum remiſſionem obtinere ſine ſacramento Pœnitentiæ, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. ubi ita loquitur: *Venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.*

Obſerva 3. Omnia peccata, tum mortalia tum venialia, poſt baptiſmum commiſſa, & jam ſemel per confeſſionem remiſſa, eſſe adhuc materiam ſufficientem ſacramenti Pœnitentiæ, ut docet communis piorum & doctorum hominum uſus, ab Eccleſia non reprehenſus. Ratio eſt, quia eadem peccata poſſumus ſæpiùs confiteri, & ſæpiùs poſſunt à Deo per ſacerdotes remitti.

Dices. Forma ſacramentalis non poteſt ſæpiùs pronuntiari ſuper eandem materiam. *R.* hanc propoſitionem falſam eſſe, ſi intelligatur de materia remota; nam v. g. poſſunt plures eadem numero aqua ſucceſſivè baptizari.

Responsio II.

Materia proxima ſacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio.

Prob. 1. Ex Florentino in decreto §. *Quartum*, ubi dicitur: *Quartum ſacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis, ſecundum arbitrium ſacerdotis, quæ & quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam.* 2. Ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. ubi ait: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio & ſatisfactio; qui quatenùs in pœnitente ad integritatem ſacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Obj. Concilia non dicunt actus pœnitentis eſſe materiam, ſed eſſe quaſi materiam ſacramenti. *R.* ita loqui Concilia, non quòd actus pœnitentis non ſint verè & propriè materia ſacramenti Pœnitentiæ, ſed quia non ſunt res aliqua ſolida, permanens, & tractabilis, qualis in multis aliis ſacramentis adhibetur: unde maximè diſtant à phyſica perfectione materiæ rerum naturalium, quacum aliqualem habent ſimilitudinem, & idcircò acceperunt nomen materiæ.

Confirmatur hæc reſponſio. 1. Quia ex Tridentino, actus pœnitentis pertinent ad integritatem ſacramenti pœnitentiæ. Ergo vel ut forma, vel ut materia pertinent. Non primum, ergo ſecundum. 2. Ex eodem, eadem ſeſſ. eodem cap. 3. actus pœnitentis ſunt partes ſacramenti pœnitentiæ. *Hæc*, inquit, *de partibus & effectu hujus ſacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententiam damnat*, &c. At non ſunt partes formales, ergo materiales.

Responsio III.

Forma ſacramenti pœnitentiæ conſiſtit in his verbis, vel æquivalentibus: *Ego te abſolvo à peccatis*, &c.

Prob. 1. Ex Florentino in decreto §. *Quartum*, ubi dicitur: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cùm dicit, Ego te abſolvo à peccatis*, &c. 2. Ex Tridentino ſeſſ. 14. ubi legitur: *Docet prætereà ſancta Synodus, ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo, &c. Quibus quidem, de Eccleſiæ ſanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria.* Sed

Obſerva, 1. Formam hujus ſacramenti ita verbalem eſſe, ut ad eam nec Scriptura, nec nutus ſufficere poſſint, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi. Hujus rei ratio à priori eſt, voluntas Chriſti. 2. Verba eſſentialia huic formæ eſſe iſta, *Abſolvo te*, aut æquivalentia: nam ſufficienter ſignificant effectum ſacramenti. Qui tamen hæc verba, *A peccatis tuis*, ſcienter omitteret, peccaret graviter, propter periculum nullitatis ſacramenti: multi enim volunt hæc verba, *à peccatis tuis*, eſſe eſſentialia. Sed de forma ſacramenti Pœnitentiæ infra ſuo loco fuſiùs.

ARTICULUS IV.

Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ ex actibus pœnitentis & forma abſolutionis intrinſecè componatur.

Responsio.

Sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinſecè ex actibus pœnitentis, & forma abſolutionis.

Prob. Nam 1. forma abſolutionis eſt intrinſeca huic ſacramento: ſi quid enim intrinſecum eſt ſacramento pœnitentiæ, maximè id in quo vis ejus præcipuè ſita eſt. Sed ex Tridentino, vis ſacramenti Pœnitentiæ præcipuè ſita eſt in forma abſolutionis. Ergo, &c. 2. Actus pœnitentis ſunt etiam intrinſeci huic ſacramento: nam illud eſt intrinſecum ſacramento Pœnitentiæ, quod pertinet ad ejus integritatem, & eſt pars illius. Sed ex Tridentino, actus pœnitentis pertinent ad integritatem ſacramenti Pœnitentiæ, & ſunt partes illius. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia illud omne ingreditur compoſitionem ſacramenti, quod Chriſtus aſſumpſit ad ſignificandum & producendum effectum illius. Sed Chriſtus ad ſignificandum & cauſandum effectum ſacramenti Pœnitentiæ, præter verba abſolutionis, aſſumpſit actus pœnitentis, ut manifeſtum videtur ex Tridentino, dum ait, 1. actus pœnitentis pertinere ad integritatem ſacramenti Pœnitentiæ. 2. Actus pœnitentis eſſe partes hujus ſacramenti. 3. Vim hujus ſacramenti præcipuè ſitam eſſe in forma abſolutionis: nam dicendo, *præcipuè*, apertè videtur ſignificare vim ſacramenti ex parte conſiſtere in alio, nempe in pœnitentis actibus. Sed ad pleniorem concluſionis intellectum,

Nota 1. In compoſitione ſacramenti Pœnitentiæ, verba abſolutionis habere ſe ut formam, & actus pœnitentis ut materiam, ſicut docent Florentinum & Tridentinum, quia in ſacramento quolibet, illud ſe habet tanquam materia, quod minùs expreſsè ſignificat, & eſt ab alio determinabile ad ſignificandum effectum ſacramenti. Illud verò ſe habet tanquam forma, quod magis expreſsè ſignificat, & alias ſacramenti partes determinat ad ſignificandum. At actus pœnitentis minùs expreſsè ſignificant effectum ſacramenti Pœnitentiæ; verba verò abſolutionis magis expreſsè ſignificant effectum illum, & ad eum ſignificandum determinant actus pœnitentis. Sacramentum igitur Pœnitentiæ componitur intrinſecè ex verbis abſolutionis tanquam forma, & actibus pœnitentis tanquam materia.

Nota 2. Satisfactionem non eodem modo pertinere ad ſacramentum Pœnitentiæ, quo pertinent contritio & confeſſio: nam contritio & confeſſio ſunt partes eſſentiales, ſatisfactio verò pars integralis tantùm: ſublata enim contritione, vel confeſſione, tollitur ſacramentum Pœnitentiæ, & neque culpæ neque pœnæ fit ulla remiſſio. At ſublata ſatisfactione tantùm, ſacramentum Pœnitentiæ ſubſiſtit, licèt non integrum, & tunc fit remiſſio omnis culpæ, ſaltem mortalis, licèt non omnis pœnæ. Itaque ſacramentum Pœnitentiæ poteſt ſumi dupliciter; eſſentialiter ſcilicet, & integrè. Sumptum eſſentialiter, eſt ſignum efficax remiſſionis culpæ, & aggregatum ex contritione, confeſſione, & forma abſolutionis. Sumptum integrè, eſt ſignum efficax remiſſionis culpæ & pœnæ, conſiſtitque in aggregato ex contritione, confeſſione, ſatisfactione, forma abſolutionis, & injunctione ſatisfactionis. Horum omnium ratio à priori eſt voluntas Chriſti.

Obj. 1. Si ſacramentum pœnitentiæ componitur ex actibus pœnitentis, pœnitens eſt partialis miniſter hujus ſacramenti. Falſum conſeq. Nam ſolus ſacerdos habet poteſtatem clavium. Ergo, &c. *R.* neg. ſequelam majoris. Nam ille non eſt miniſter ſacramenti, qui præcisè ſubminiſtrat materiam, ſed qui materiam elevat ad eſſe ſacramentale. At ſolus ſacerdos per poteſtatem clavium elevat actus pœnitentis ad eſſe ſacramentale. Ergo ſolus ſacerdos eſt miniſter ſacramenti Pœnitentiæ.

Nota. Actus pœnitentis poſſunt ſpectari dupliciter. 1. Prout præcisè procedunt à pœnitente, ſeipſum ad effectus ſacramenti comparante. 2. Prout à ſacerdote per poteſtatem clavium elevantur ad ſignificationem ſacramentalem. Hoc ſecundo modo ſunt partes ſacramenti; non primo, niſi aptitudinaliter: unde ſicut non ille eſt cauſa domus, qui miniſtrat lapides & ligna, ſed qui lapides & ligna conſtruit; ita cauſa ſacramenti

non eſt dicendus pœnitens, qui miniſtrat actus ſuos; ſed ſacerdos, qui per poteſtatem clavium, aſſumit actus pœnitentis ad componendum unà cum abſolutionis forma integrum ſacramentum.

Obj. 2. Contritio non eſt ſenſibilis. Ergo non poteſt eſſe pars ſacramenti Pœnitentiæ. *R.* Contritionem non eſſe ſenſibilem per ſe, ſed eſſe per humilem pœnitentis confeſſionem, quod ſufficit ut ſit pars ſacramenti Pœnitentiæ; ſicut ut Corpus Chriſti ſit pars Euchariſtiæ, ſatis eſt ut ſit ſenſibile per ſpeciem panis.

Obj. 3. Effectus ſacramenti Pœnitentiæ poteſt eſſe ſine ſatisfactione. Ergo ſatisfactio non eſt pars hujus ſacramenti. *R.* Effectum principalem ſacramenti Pœnitentiæ, nempè remiſſionem culpæ, poſſe eſſe, & eſſe ſine ſatisfactione: unde ſequitur ſatisfactionem non eſſe partem eſſentialem ſacramenti pœnitentiæ. At non omnis effectus ſacramenti pœnitentiæ poteſt eſſe ſine ſatisfactione: nam remiſſio pœnæ temporalis peccato debitæ, eſt etiam effectus ſacramenti pœnitentiæ, quem ex opere operato cauſat, poſita ſatisfactione; non poſita, non cauſat, defectu ſignificationis: unde ſequitur ſacramentum pœnitentiæ non eſſe integrum ſine ſatisfactione, & ſatisfactionem eſſe partem integralem ſacramenti pœnitentiæ.

Dices. Pars materialis ſacramenti debet præmitti formæ. At ſatisfactio non ſemper præmittitur abſolutioni. Ergo, &c. *R.* diſt. maj. Pars eſſentialis, C. maj. Integralis tantùm, Neg. maj.

Obj. 4. Si ſatisfactio eſt pars materialis ſacramenti Pœnitentiæ, injunctio ſatisfactionis, facta à ſacerdote, erit pars formæ ejuſdem ſacramenti. Falſum conſeq. Nam alioquin hæc verba, *Ego te abſolvo*, non erunt tota forma, quod eſt contra Florentinum & Tridentinum, quæ dum dicunt formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſe verba ſacerdotis, *Ego te abſolvo*, aſſignant formam adæquatam, vel valdè diminuta eſt eorum doctrina.

Reſp. Sicut ſatisfactio eſt partialis materia ſacramenti Pœnitentiæ, non eſſentialis, ſed integralis; ita injunctio ſatisfactionis facta à ſacerdote, eſt pars formæ ejuſdem ſacramenti, non eſſentialis, nam forma illa conſiſtit eſſentialiter in ſola abſolutione; ſed integralis, quod planè conſonat Florentino & Tridentino: nam cùm affirmant materiam ſacramenti Pœnitentiæ eſſe contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, apertè ſignificant abſolutionem non debere eſſe gratuitam, ſed cum ea injungendam eſſe ſalutarem pœnitentiam.

Nota. Sententia quam in ſacramento Pœnitentiæ ſacerdos profert, ut judex à Chriſto delegatus, & quæ eſt forma hujus ſacramenti, ſumi poteſt dupliciter; eſſentialiter ſcilicet, & integraliter. Sumpta eſſentialiter, conſiſtit in abſolutione: ſumpta verò integraliter conſiſtit in injunctione ſatisfactionis.

Obj. 5. contra id quod diximus, ſatisfactionem non eſſe partem eſſentialem, ſed integralem tantùm. Sacramentum Pœnitentiæ ex inſtitutione Chriſti eſt judicium partim reconciliativum, partim vindicativum. Ergo non poteſt eſſe ſine aliqua pœna, & conſequenter ſatisfactio eſt pars illius eſſentialis, & non integralis tantùm. *R.* ſacramentum Pœnitentiæ ex inſtitutione Chriſti eſſe primariò & eſſentialiter judicium reconciliativum; ſecundariò verò & integraliter judicium vindicativum: unde ex inſtitutione Chriſti poteſt eſſe ſimpliciter ſine ſatisfactione, ſic tamen ut ſine ea non poſſit eſſe integrum; & ita ex inſtitutione Chriſti ſatisfactio non eſt pars eſſentialis, ſed integralis tantùm ſacramenti Pœnitentiæ.

Dices. Sacerdotes tenentur ſatisfactionem injungere, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. Ergo ſatisfactio eſt eſſentialis ſacramento. *Reſp.* neg. conſeq. Tenentur enim ſacerdotes ſatisfactionem injungere, non quia ſacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe ſine ſatisfactione, ſed quia ſine ea non poteſt eſſe integrum.

Dices iterùm. In antiqua Eccleſia non concedebatur abſolutio niſi poſt impletam ſatisfactionem à ſacerdote injunctam. Non niſi quia ſatisfactio eſt pars eſſentialis ſacramenti. *R.* Dato, vel etiam conceſſo, eſſe quòd extra articulum mortis, in antiqua Eccleſia non concederetur abſolutio ante impletam pœnitentiam; at conſtitutis in articulo mortis ante impletam pœnitentiam abſolutio dabatur; ex quo manifeſtum eſt, etiam tunc ſatisfactionem habitam eſſe pro parte integrali tantùm.

Dices 3. Patres dicunt pœnitentiam peccata purgare, æterna ſupplicia expungere, &c. Ergo ex Patribus ſatisfactio concurrit ad remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, & non tantùm ad remiſſionem pœnæ temporalis. Ergo ex Patribus ſatisfactio tam eſt eſſentialis, quàm contritio, & confeſſio. *R.* Patres loqui de pœnitentia quæ ante abſolutionem peragebatur, & ſe habebat non ſolùm per modum ſatisfactionis, ſed etiam per modum diſpoſitionis ad juſtificationem, tum ratione bonorum operum, tum ratione contritionis, quam includebat. At hìc agitur de pœnitentia quæ à ſacerdote injungitur, & poſt datam abſolutionem impletur, quæque habet præcisè rationem ſatisfactionis, ab aliis ſacramenti partibus diſtinctæ. Pœnitentiam ſic ſumptam dicimus eſſe partem integralem, non eſſentialem ſacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS V.

Utrùm impoſitio manuum neceſſaria ſit ad ſacramentum Pœnitentiæ.

RESPONSIO I.

IMpoſitio manuum non eſt neceſſaria ad ſacramentum Pœnitentiæ neceſſitate ſacramenti.

Ita S. Thomas q. 84. a. 4. in O. & *prob.* 1. Ex ſenſu Eccleſiæ, in qua licèt olim in uſu fuerit, & nunc ſit impoſitio manuum, nunquam tamen ejuſmodi impoſitio habita eſt pro ſimpliciter neceſſaria in adminiſtratione hujus ſacramenti. 2. Ex Florentino & Tridentino, quæ nullam faciunt mentionem impoſitionis manuum, dum enumerant ea, quæ ad ſacramentum Pœnitentiæ requiruntur. 3. Ex S. Thoma. *Impoſitio manuum*, inquit, *in ſacramentis Eccleſiæ fit ad deſignandum aliquem copioſum gratiæ effectum… & ideo manus impoſitio fit in ſacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus ſancti …. Sacramentum autem Pœnitentiæ non ordinatur ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed ad remiſſionem peccatorum*, &c. Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, ſatis nota ex uſu Eccleſiæ, & doctrina Conciliorum.

Obj. 1. Scriptura multis locis meminit impoſitionis manuum. *R.* locis illis non agi de ſacramento Pœnitentiæ, ſed vel de ſanitate per miraculum reſtituenda, vel de benedictione, quam Chriſtus parvulis impertiebatur, vel denique de ſacramento Confirmationis, aut Ordinis.

Obj. 2. S. Auguſtinus ſacramentum Pœnitentiæ vocat manuum impoſitionem. *R.* inde ſequi tantùm, quòd Auguſtini ætate ſacramentum Pœnitentiæ non adminiſtraretur ſine manuum impoſitione, quod ultrò concedimus.

Obj. 3. Concilium Carthaginenſe quartum can. 78. ſic loquitur: *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum acceperint Euchariſtiæ, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint*. *R.* hoc canone ſtatutum fuiſſe, ut pœnitentes publici, qui nondum impleta pœnitentia, à ſacerdote ob periculum mortis privatim abſolvebantur, ſi convaleſcerent poſtea, abſolvendæ pœnitentiæ gratia ad ſtatum pœnitentium redirent, in cujus tertio gradu Epiſcopus & Clerus pœnitentium capiti manus imponebant.

RESPONSIO II.

Impoſitio manuum non eſt neceſſaria ad ſacramentum Pœnitentiæ neceſſitate præcepti.

Prob. Quia nullum de imponendis manibus in ſacramento Pœnitentiæ extat præceptum, latum vel à Chri-

Google

Chriſto, vel ab Eccleſia. Tamen in praxi habenda eſt ratio conſuetudinis loci, & vitanda omnis occaſio ſcandali, ac irreverentia ſacramenti.

Obj. 1. Hæc opinio eſt Vvicleffi. *R.* neg. Nam Vvicleffus irridebat impoſitionem manuum; nos verò tantùm dicimus non eſſe neceſſariam in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ.

Obj. 2. Concilium Carthaginenſe quartum præcipit ſacerdotibus, ut pœnitentibus manus imponant in ſacramento Pœnitentiæ: nam ſic loquitur: *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à ſacerdotibus imponantur*. Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad probationem R.* Concilium hoc canone non agere de ſacramento Pœnitentiæ, ſed de cœremonia imponendi manus publicè pœnitentibus, exiſtentibus in tertio gradu pœnitentiæ; quæ cœremonia tunc erat in uſu & in præcepto: nam publicè pœnitentes, qui erant in tertio gradu, ſingulis diebus jejunii accedebant ad Eccleſiam, & proſternebantur coram Epiſcopo, qui manus illis imponebat ſine abſolutione ſacramentali, & pro illis orabat.

ARTICULUS VI.

Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ ſit medium ad ſalutem neceſſarium.

Responsio.

Sacramentum Pœnitentiæ adultis mortaliter peccantibus poſt baptiſmum, vel in ipſo inſtanti baptiſmi eſſentialiter perfecti, eſt medium ad ſalutem neceſſarium in re, vel in voto.

Prob. Remiſſio peccati mortalis commiſſi poſt baptiſmum, vel in ipſo inſtanti baptiſmi eſſentialiter perfecti, neceſſaria eſt ad ſalutem, juxta illud Apocal. cap. 21. *Non intrabit in eam* (civitatem cœleſtem) *aliquod coinquinatum*. Sed talis remiſſio non fit ſine ſacramento Pœnitentiæ in re, vel ſaltem in voto. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. Ex Joan. cap. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus *verbis tam perſpicuis*, inquit Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 1. *poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*. At ſacerdos non habet poteſtatem retinendi peccata poſt baptiſmum commiſſa, hoc eſt, non remittendo faciendi, ut etiam non ſint remiſſa in cœlo, ſi ad peccatorum illorum remiſſionem neceſſarium non eſt ullo modo ſacramentum Pœnitentiæ, ut per ſe clarum eſt.

2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios. Pro omnibus ſit Auguſtinus lib. 50. homil. 49. ubi ait: *Nemo ſibi dicat: Occultè ago; apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus verba Chriſti? promittimus vobis quod ille negat.* Quibus verbis manifeſtè docet S. Auguſtinus ad peccatorum remiſſionem opus eſſe ſacramento Pœnitentiæ iis, qui poſt baptiſmum mortaliter peccant.

3. Ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. in fine, ubi de ſacramento Pœnitentiæ dicitur: *Eſt autem hoc ſacramentum lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondùm regeneratis ipſe baptiſmus.* At baptiſmus ita neceſſarius eſt nondùm regeneratis, ut ſine eo, aut ejus voto, peccatum originale, & alia actualia ante baptiſmum commiſſa, non remittantur. Ergo ſacramentum Pœnitentiæ ita lapſis poſt baptiſmum neceſſarium eſt, ut ſine eo, aut ejus voto, non remittantur mortalia poſt baptiſmum commiſſa. Idem autem dicendum eſt de peccatis in ipſo inſtanti baptiſmi eſſentialiter perfecti commiſſis, ac de commiſſis poſt baptiſmum. Ergo, &c.

Porrò in reſponſione dixi, 1. Adultis: nam parvulis ante adultam ætatem morientibus non eſt neceſſarium ſacramentum Pœnitentiæ, neque in re, neque in voto, cujus capaces non ſunt; ſed ſufficit illis, & neceſſarius eſt baptiſmus in re, extra caſum martyrii.

Dixi 2. Adultis peccantibus poſt baptiſmum, vel in ipſo inſtanti baptiſmi eſſentialiter perfecti: nam peccata ante baptiſmum commiſſa, non ſunt obnoxia ſacramento Pœnitentiæ. *Cum*, inquit Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 2. *Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus: quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis qui foris ſunt judicare?* Poteſt igitur adultus, peccans ante baptiſmum, juſtificari ſine ſacramento Pœnitentiæ; poteſt etiam antequam acceptam juſtificationis gratiam amittat, è vita decedere, adeòque poteſt ſalvari ſine ſacramento Pœnitentiæ ſive in re, ſive in voto.

Dixi 3. Peccantibus mortaliter: nam ut docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. licèt venialia utiliter confiteamur, veréque de illis ſacramentaliter abſolvamur, tamen non tenemur ea confiteri, poſſumuſque citra culpam ea in confeſſione reticere, & eorum multis aliis modis remiſſionem conſequi. Unde adultus per baptiſmum juſtificatus, ſi poſtea venialiter tantùm peccet, ſalvari poterit ſine ſacramento Pœnitentiæ ſive in re, ſive in voto; quia ſine ſacramento Pœnitentiæ & ejus voto, remiſſionem venialium obtinere poterit.

Dixi 4. Neceſſarium in re, vel in voto: nam remiſſio peccati mortalis poſt baptiſmum commiſſi obtineri poteſt per contritionem charitate perfectam, ſine ſacramento Pœnitentiæ in re ſuſcepto, ſed non ſine illius voto, ut definitur à Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 4. Sed ad pleniorem hujus rei intelligentiam,

Obſerva 1. Votum ſacramenti Pœnitentiæ eſt propoſitum, vel, ſi vis, promiſſio ſuſcipiendi ſuo tempore hoc ſacramentum; quod propoſitum virtualiter ſaltem & implicitè includitur in actu contritionis perfectæ, quem elicit adultus mortaliter lapſus poſt baptiſmum: ſicut propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum ſuo tempore, virtualiter ſaltem & implicitè includitur in actu contritionis perfectæ, quem elicit adultus mortaliter lapſus ante baptiſmum.

Obſerva 2. Adultus mortaliter lapſus poſt baptiſmum, ſi elicit actum contritionis perfectæ, juſtificatur per votum ſacramenti Pœnitentiæ ante realem ejus ſuſceptionem, quatenùs contritio tale votum virtualiter ſaltem & implicitè includens, acceptatur ad juſtificationem pro ſacramento Pœnitentiæ, cum onere tamen illud poſtea ſuo tempore ſuſcipiendi; ſicut in emptione acceptatur chyrographum pro pretio, cum onere tamen illud poſtea ſuo tempore perſolvendi. Unde ſicut in emptione chyrographum vicem agit pretii abſentis, cujus ſuo tempore perſolvendi promiſſionem continet; ita in juſtificatione contritio ſubit vicem abſentis ſacramenti Pœnitentiæ, cujus ſuo tempore ſuſcipiendi propoſitum includit: & ſicut in emptione emptor per chyrographum, quod ex conſenſu venditoris ſubſtituit pretio, ſuſcipit in ſe ſpecialem obligationem illius poſtea ſuo tempore perſolvendi, ſine qua in rei ſuæ alienationem non conſentiret venditor; ita in juſtificatione adultus, qui poſt baptiſmum mortaliter lapſus eſt, per contritionem, quam Deo ita pro miſericorditer ſua volente, ſubſtituit ſacramento Pœnitentiæ, ſuſcipit in ſe ſpecialem obligationem illius poſtea ſuo tempore recipiendi, & quidem tanquam medii per ſe ad juſtificationem neceſſarii, ſine qua ſpeciali obligatione, Deus in juſtificationem peccatoris non conſentiret.

Obſerva 3. Itaque ſacramentum Pœnitentiæ eſt medium ad remiſſionem peccati mortalis poſt baptiſmum commiſſi neceſſarium in re, vel in voto, quia talis remiſſio non fit ſine ſacramento Pœnitentiæ in re ſuſcepto, vel ſine aliquo actu votum ejus includente, & vicem ejus agente in negotio juſtificationis, quæ tunc non confertur niſi cum onere & ſpeciali

obligatione ſuſcipiendi poſtea ſacramentum Pœnitentiæ pro iiſdem illis peccatis, quæ tunc condonantur, tanquam medium per ſe neceſſarium ex inſtitutione Chriſti ad talem condonationem.

Obſerva 4. Ex dictis patet, horum verborum, *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt*, ſenſum eſſe: Quorum non remiſeritis peccata, vel non remittentur omninò; vel ſi remittentur per actum aliquem, votum ſacramenti Pœnitentiæ includentem, hoc non fiet per actum illum, niſi ut vicarium ſacramenti ſuo tempore ſuſcipiendi pro iiſdem illis peccatis, quæ tunc remittentur, ac proinde cum onere in juſtificatis extra ſacramentum, ſiſtendi ſe ad tribunal veſtrum, & à vobis obtinendi abſolutionem, ac veluti per vos verificandi remiſſionem à me priùs conceſſam. Ex quibus manifeſtum eſt ſacramentum Pœnitentiæ ex inſtitutione Chriſti eſſe unicum medium per ſe, & primarium ad remiſſionem peccati mortalis à baptizato commiſſi; ſic tamen ut ſit etiam aliud medium per accidens, & ſecundarium, quod ſubire poteſt vicem medii illius per ſe, & primarii, & loco illius remittere peccatum ſub onere illud poſtea ſuo tempore contra idem peccatum adhibendi.

Obj. 1. Innocentius III. in Concilio Lateranenſi can. *Omnis utriuſque ſexus*, primùm induxit neceſſitatem confeſſionis. *R.* hoc negando. Nam Innocentius tantùm correxit pravam aliquorum conſuetudinem, qui ultra annum, aut etiam plures annos, confeſſionem & communionem differebant; & gravioribus pœnis ſanxit, ne quis ultra annum impoſterum differret confeſſionem & communionem. Quo facto Innocentius non tam novam de annua confeſſione legem tulit, quàm antiquam renovavit: nam in priſca Eccleſia debuiſſe fideles in Paſchate confiteri, teſtatur Chryſoſtomus hom. 30. in Geneſim, his verbis: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maximè & jejunii curſus intendendus, & magis continuanda ſunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confeſſio.*

Obj. 2. Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus abrogavit confeſſionem, & Nectarii exemplum poſtea ſecutæ ſunt omnes Orientales Eccleſiæ. *R.* Nectarium, & cum eo Orientales Eccleſias abrogaſſe confeſſionem publicam, non privatam. Pro quo

Obſerva 1. Ex occaſione hæreſis Novatianorum, qui cum lapſis in perſecutione Decii communicare nolebant, & Eccleſiam nimiæ erga graves peccatores indulgentiæ accuſabant, Epiſcopi catholici ſtatuerunt, ut qui publicè lapſi eſſent poſt baptiſmum, non priùs ad Euchariſtiam accederent, quàm peccata publicè in cœtu Eccleſiæ confeſſi eſſent, & pœnitentiam publicam egiſſent.

Obſerva 2. Ad hunc finem Epiſcopi presbyterum Pœnitentiarium conſtituerunt, qui pœnitentiæ publicæ præeſſet, & ad quem tenerentur accedere, non omnes fideles qui peccaſſent, ſed ii tantùm qui publicè lapſi eſſent, & à quibus conſequenter pœnitentia publica agenda eſſet. Horum itaque presbyter pœnitentiarius peccata omnia privatim audiebat; quæ occulta erant, ſecreta habebat; publica verò ad ejus arbitrium palàm in cœtu fidelium confitebantur, & pœnitentiam publicam peragebant.

Obſerva 3. Hinc in publicè lapſis & publicè pœnitentibus duplex erat confeſſio; una privata, & altera publica. Privata ordinabatur ad abſolutionem ſacramentalem, & erat pars eſſentialis ſacramenti Pœnitentiæ; publica ordinabatur ad erubeſcentiam & confuſionem, & dici poterat pars ſatisfactionis, proindeque erat pars integralis tantùm ſacramenti Pœnitentiæ. Nam, ut rectè notat Bellarminus, hæc publica confeſſio non erat ad hoc inſtituta, ut per eam ſacerdos cognoſceret peccata pœnitentis, ſed tantùm ut pœnitens, publica illa confuſione accepta, partem pœnæ quæ peccatis ejus debebatur, lueret; quod eſt diligenter advertendum.

Obſerva 4. Tempore Nectarii, Conſtantinopoli nobilis quædam mulier privatim apud presbyterum pœnitentiarium confeſſa, & ab eo juſſa diutiùs in Eccleſia permanere orandi cauſa, flagitium cum diacono perpetravit: poſtea verò cùm peccata publica palàm in Eccleſiæ cœtu confiteretur, ex indiſcreta devotione, & abſque presbyteri pœnitentiarii mandato, ſcelus cum diacono occultè in Eccleſia admiſſum propalavit, unde magna populi offenſio, & Ordinis clericalis infamia ſecuta eſt. Quapropter Nectarius, ut tumultum populi ſedaret, abrogavit presbyterum pœnitentiarium, pœnitentiam publicam, & confeſſionem publicam, intacta confeſſione privata, & ſalvo Pœnitentiæ ſacramento, quod eſſe poterat etiam integrum ſine confeſſione illa publica, cujus loco potuit & poteſt imponi alia ſatisfactio ad integritatem & perfectionem ſacramenti ſufficiens.

Dices. Socrates & Sozomenus ſcribunt à Nectario permiſſum fuiſſe ut unuſquiſque ſecundùm conſcientiam ſuam ad ſacra myſteria participanda ageret. *R.* ſenſum non eſſe, quòd Nectarius fidelibus permiſerit, ut ſine confeſſione etiam privata, & abſolutione ſacerdotis, ad Euchariſtiam promiſcuè accederent; ſed quòd fideles ab obligatione adeundi publicum Eccleſiæ tribunal abſolverit, & conceſſerit ut pro libito ſacræ menſæ participes fierent, ſi ſe ſine peccato mortali eſſe judicarent; ſin autem unum è presbyteris eligerent, apud quem privatim peccata ſua confiterentur, ut nunc fit. Quod confirmatur vel maximè ex eo quòd in Eccleſia Græca poſt tempora Nectarii, ſemper manſerit uſus confeſſionis privatæ, & tamen nullibi catat ab ullo Epiſcopo vel Concilio revocatum eſſe quod Nectarius fecerat. Ergo ſignum eſt confeſſionem privatam à Nectario abrogatam non fuiſſe. Socr. l. 5 hiſt. eccl. c. 19. Sozom. l. 7. hiſt. eccl. c. 16.

Obj. 3. S. Chryſoſtomus Nectarii ſucceſſor, paſſim confeſſionem, quæ fit hominibus, carpit & dehortatur. *R.* Chryſoſtomum dehortari confeſſionem publicam à Nectario abrogatam, non confeſſionem privatam. Dehortatur enim tantùm confeſſionem, quæ fiebat præſentibus teſtibus, in theatro, in publico, coram conſervis, qui exprobrarent, notarent, irriderent. Hæc autem in confeſſionem publicam, non in privatam cadunt.

Dices. S. Chryſoſtomus confeſſioni quæ fit hominibus, opponit confeſſionem quæ fit ſoli Deo, in anima, cogitatione, non lingua. Ergo excludit omnem confeſſionem, quæ fit hominibus, ſive publicam, ſive privatam, Conſeq. patet. Ant. prob. ex homil. 2. in pſalm. 50. ubi ſic loquitur S. Doctor: *Peccata tua dicito, ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere quæ peccaſti, dicito quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis conſervo tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curat ea*: *R.* S. Chryſoſtomum opponere confeſſionem, quæ fit ſoli Deo, in anima, &c. non confeſſioni privatæ, quæ fit ſacerdoti in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, & eſt pars eſſentialis ſacramenti; ſed confeſſioni publicæ, quæ fiebat in cœtu fidelium ad confuſionem, & erat tantùm pars quædam ſatisfactionis, neceſſaria ante abrogationem neceſſitate præcepti eccleſiaſtici tantùm, non neceſſitate ſacramenti & præcepti divini, ſicut confeſſio privata.

Bonitas reſponſionis patet ex ipſo textu laudato: nam ex eo manifeſtum eſt Chryſoſtomum opponere confeſſionem, quæ fit in anima, & ſoli Deo, confeſſioni, ex qua exprobratio ſequi ſolebat. Talis autem erat confeſſio publica: nam non deerant, qui publicè confitentes notarent, & irriderent; non verò confeſſio privata, quæ fit ſine teſtibus, & ſacerdoti, qui arctiſſimo ad ſilentium vinculo tenetur. Senſus itaque verborum ſupra objectorum hic eſt: ſatisfacias pro peccatis, quæ privatim alicui ſacerdoti confeſſus es, & ſatisfaciendo deleas ea quoad reatum pœnæ, neceſſe non eſt ut ea publicè in conſervorum tuorum cœtu confitearis; ſed ſatis eſt, ut ea ſæpiùs cum dolore & lacrymis confitearis Deo, adjunctis jejuniis, precibus, eleemoſynis, aliiſque piis ac laborioſis operibus.

AR-

ARTICULUS VII.

Utrùm ſacramentum Pœnitentiæ poſſit iterari.

RESPONSIO I.

SAcramentum Pœnitentiæ iterari poteſt circa nova peccata, in quæ baptizatus labitur poſt ſuſceptum Pœnitentiæ ſacramentum.

Ita S. Thomas q.84. art. 10. in O, & *prob.* 1. ex Scriptura. Nam Chriſtus, Joan. cap.20. generaliter dicit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; & ita nullum in hac vita quoad peccati remiſſionem miſericordiæ ſuæ terminum præſcribit. Præterea, Petro quærenti quoties fratri peccanti & veniam petenti ignoſceret, num uſque ſepties? Matth. cap.18. reſpondet: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*; hoc eſt, abſque fine, ut Patres interpretantur.

Prob. 2. Ex Conciliis, nempe ex Concilio Lateranenſi cap. *Omnis utriuſque*, ubi præcipitur fidelibus adultis, ut ſingulis annis ſemel ſaltem peccata ſua confiteantur. Ex ex Conc. Trid. ſeſſ.14. can.1. ubi definitur, *Pœnitentiam eſſe verè & propriè ſacramentum, pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum.*

Obj. S. Ambroſius lib.2. de pœnit. cap.10. reprehendit eos qui ſæpiùs agendam pœnitentiam putant. *R.* S. Ambroſium intelligendum eſſe de pœnitentia publica & ſolemni, quæ ſemel tantùm in vita concedebatur. Ita S. Thomas ad 2. eod. art.

RESPONSIO II.

Sacramentum Pœnitentiæ iterari etiam poteſt circa peccata aliàs jam deteſtata, confeſſa, & remiſſa.

Prob. 1. Ex communi Scholaſticorum conſenſu. 2. Ex uſo piorum & doctorum fidelium, non reprehenſo ab Eccleſia, imò tacitè ſaltem ab ea approbato, & expreſsè à Benedicto II. extravagante 1. *de privilegiis*, ubi dicit, eadem peccata iteratò confiteri ſalubre eſſe. Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui poteſtatem ſacramentalem remittendi peccata noluit reſtringere ad unum actum remiſſionis circa eadem numero peccata, ut ſatis conſtat ex uſo fidelium, & Benedicto II. Ita autem convenientiſſimè ſtatuit Chriſtus: nam de iiſdem peccatis poſſumus ſæpiùs dolere, eadem peccata poſſunt ſæpiùs accuſari, ſæpiùſque pœnis ac ſatisfactionibus vindicari; eadem offenſa poteſt ſæpiùs condonari, & eadem cauſa ſæpiùs in judicio examinari, ac juridicè definiri; & hæc omnia convenientiſſimè. Ergo, &c.

Obj. Forma abſolutionis non poteſt verè proferri circa eadem numero peccata jam confeſſa & remiſſa. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam pœnitens non eſt ampliùs illis ligatus, ac proinde non poteſt ampliùs ab illis abſolvi, ſicque non poteſt dici, *Abſolvo te à peccatis*. Ergo, &c. *R.* 1. hoc argumentum pugnare contra confeſſionem peccati mortalis priùs per contritionem remiſſi, quod tamen confitendum eſſe certum eſt, ex Trident. ſeſſ.14. cap.4. ubi definitur, peccatum mortale baptizati non remitti per contritionem charitate perfectam ſine voto ſacramenti Pœnitentiæ; quod etiam definitur ſeſſ.6. cap.14.

R. 2. Hoc argumentum pugnare etiam contra diſtinctam confeſſionem peccatorum mortalium, quæ in priori confeſſione declarata non fuerunt propter oblivionem, vel impotentiam phyſicam aut moralem, & tamen indirectè remiſſa ſunt per ſacramentum Pœnitentiæ; certum nihilominùs eſt ejuſmodi peccata poſtea diſtinctè confitenda eſſe, ſi poſſint; & apertè colligitur ex Trident. ſeſſ.14. cap.5. ubi dicitur, *Chriſtum è terris aſcenſurum ad cœlos, ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquiſſe, tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint. R.* itaque 3. neg. ant. *Ad probationem antecedentis*, nego pœnitentem non poſſe ampliùs abſolvi à peccatis jam confeſſis & remiſſis. Pro quo

Nota. Duplex eſt abſolutio, ſeu remiſſio peccati; una ſimplex & prima, qua peccatum moraliter exiſtens, & nondùm remiſſum, extinguitur; altera, quæ eſt abſolutio ſecundùm quid, & non prima; quæ non eſt peccati extinctio, ſed peccati jam extincti & remiſſi nova condonatio, & quaſi ſimplicis ac primæ condonationis confirmatio. Dico autem, pœnitentem poſſe de peccatis jam confeſſis & remiſſis abſolvi, non quidem abſolutione ſimplici & prima, ſed abſolutione ſecundùm quid & non prima: poteſt enim eadem culpa ſæpius condonari, & ſimplex ac prima condonatio confirmari, ut docet experientia in humanis. Unde forma abſolutionis prolata circa eadem peccata jam confeſſa & remiſſa, non poteſt quidem verificari primo ſenſu, at poteſt ſecundo, quod ſufficit; ſatis enim eſt ut alterutro ſenſu verificetur pro conditione pœnitentis.

Dices 1. Nova illa condonatio peccati jam extincti & condonati, eſſet inutilis. Ergo, &c. *R.* neg. ant. Nam per eam magis remittitur peccatum jam remiſſum; nova gratia ſanctificans confertur; uberiora dantur gratiæ auxilia ad vitanda in poſterum peccata; denique ſi quid ex priori confeſſione ſuperſit pœnæ temporalis in purgatorio luendæ, quod regulariter fit, eò quòd regulariter non imponatur ſatisfactio in una confeſſione, quæ ſufficiat ad extinguendum totum debitum pœnæ temporalis; pœnitens ſæpiùs confitendo eadem peccata, & ſatisfactiones à ſacerdote injunctas implendo, poterit tandem à toto debito pœnæ temporalis liberari.

Dices 2. Peccatum per ſacramentum Pœnitentiæ ſemel ſuſceptum ita remittitur, ut non poſſit ampliùs & magis remitti. *R.* non poſſe ampliùs & magis remitti ex parte objecti; nam totaliter & omninò remittitur quoad culpam, ita ut nihil illius quoad reatum culpæ ampliùs perſeveret moraliter: at poteſt ampliùs & magis remitti ex parte cauſæ remittentis; remitti, inquam, per plures condonationes primæ & ſimplici condonationi æquivalentes; ita ut ad peccatum revocandum, eique moralem perſeverantiam reſtituendam per retractationem remiſſionis, eò majori opus eſſet retractatione, quo plures eſſent condonationes totales: nam una tantùm revocata, maneret alia ſufficiens ad totalem peccati extinctionem.

Dices 3. Ut judex poſſit ferre ſententiam circa rem aliquam, opus eſt ut jus habeat in illam. Atqui ſacerdos non habet jus circa peccata jam remiſſa; non enim eſt jus ad nihil: peccata autem abolita nihil ſunt. Ergo, &c. *R.* ut judex ferre poſſit juridicam ſententiam prioris jam latæ confirmativam, ſatis eſſe ut habuerit jus circa rem, de qua ferenda eſt ſententia, & habeat præſentem juriſdictionem circa perſonam petentem, ut priorem ſententiam ratam habeat, & magis ac magis confirmet.

Dices 4. Peccata per Baptiſmum remiſſa non poſſunt iterùm remitti per baptiſmi repetitionem. Ergo nec peccata per ſacramentum Pœnitentiæ remiſſa, iterùm remitti poſſunt per repetitionem hujus ſacramenti. *R.* neg. conſeq. Ratio diſparitatis petitur ab inſtitutione Chriſti, qui voluit Baptiſmum ſemel validè collatum iterari non poſſe; ſacramentum verò Pœnitentiæ iterari poſſe etiam circa eadem numero peccata.

Nota. Chriſtus inſtituit Baptiſmum per modum generationis ſpiritualis, reſpondentis generationi corporali: unde ſicut ſemel generamur corporaliter, ita ſemel voluit nos ſpiritualiter generari. At ſacramentum Pœnitentiæ inſtituit ad modum judicii, quod ſæpiùs in eadem cauſa exerceri poteſt.

DISPUTATIO II.

De remiſſione peccatorum mortalium.

ARTICULUS I.

Utrùm omnia peccata mortalia remitti poſſint per ſacramentum pœnitentiæ.

RESPONSIO.

SAcramentum Pœnitentiæ valet ad delenda quæcumque peccata illi ritè ſubjecta.

Eſt de fide. *Prob.* 1. Ex Scriptura, Nam Chriſtus Joan. cap. 20. dixit abſolutè, & ſine ulla limitatione; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et priùs Matth. cap. 18. generaliter dixerat: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* 2. Ex Concilio Lateran. cap. *Firmiter*, ubi dicitur, quemlibet poſt baptiſmum peccantem mortaliter, per veram pœnitentiam ſemper poſſe reparari. 3. Ex Tridentino, ſeſſ. 14. can. 1. ubi definitur ſacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuiſſe pro fidelibus Deo reconciliandis, quoties in peccata poſt baptiſmum labuntur. 4. Ex perpetua & generali conſuetudine Eccleſiæ, quæ ſemper quoſcumque pœnitentes, quibuſcumque oneratos peccatis, ad ſacramentum Pœnitentiæ admiſit. 5. Denique, ut ait S. Thomas qu. 86. art. 1. in O. ſi aliquod peccatum non poſſet remitti per hoc ſacramentum, *hoc derogare virtuti paſſionis Chriſti, per quam pœnitentia operatur, ſicut & cætera ſacramenta*. Dixi autem, Peccata illi ritè ſubjecta. Pro quo

Obſerva 1. Peccata ante baptiſmum commiſſa non poſſunt ſubjici ſacramento Pœnitentiæ: nam hoc ſacramentum inſtitutum eſt ad modum judicii, à ſacerdotibus tanquam judicibus à Chriſto delegatis circa perſonas juriſdictioni Eccleſiæ ſubjectas, & peccata à perſonis juriſdictioni Eccleſiæ ſubjectis admiſſa exercendi, ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. & 4. can. 1. unde peccata ante baptiſmum admiſſa, non poſſunt remitti per ſacramentum pœnitentiæ.

Obſerva 2. Peccatum impœnitentiæ finalis etiam à baptizato admiſſum, non poteſt ritè ſubjici ſacramento Pœnitentiæ; nam peccatum impœnitentiæ finalis eſt illud, quod in inſtanti mortis actu exiſtit, ſive ſit voluntaria privatio pœnitentiæ, ſive aliquod aliud peccatum. At peccatum inſtanti mortis actu exiſtens non poteſt ritè ſubjici ſacramento Pœnitentiæ: nam ſi poteſt, vel in ipſo mortis inſtanti, vel poſt mortem. Non ſecundum: nam poſt mortem non eſt locus ſacramento Pœnitentiæ. Non etiam primum; nam non poteſt ritè ſubjici ſacramento Pœnitentiæ, niſi peccatum jam præteritum, de quo pœnitens conteritur, abjecta omni voluntate peccandi. Non poteſt igitur peccatum impœnitentiæ finalis remitti per ſacramentum Pœnitentiæ.

Obſerva 3. Omnia alia peccata, ea ſcilicet, quæ ante extremum vitæ committuntur poſt baptiſmum, vel in ipſo inſtanti quo baptiſmus abſolvitur, poſſunt ritè ſubjici ſacramento Pœnitentiæ: nam committuntur à perſonis Eccleſiæ ſubjectis, & pœnitens cum adjutorio gratiæ poteſt ea ritè confiteri. Valet igitur ſacramentum Pœnitentiæ ad remittenda omnia peccata mortalia, quæ ante extremum vitæ committuntur poſt baptiſmum, vel in ipſo inſtanti quo perficitur baptiſmus.

Obj. 1. Chriſtus Marc. cap. 3. dicit, peccatum in Spiritum ſanctum nunquam remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. *R.* Per illud peccatum in Spiritum ſanctum, intelligendum eſſe peccatum eorum, qui agnitam fidei veritatem, malitioſè impugnant, & miracula quibus confirmatur, dæmonibus attribuunt, contemnuntque omnia quæ ad eorum ſalutem fiunt à Deo: quod peccatum difficillimè & rariſſiméque dimittitur. Quod autem nonniſi difficillimè & rariſſimè fit, vulgò dicitur nunquam fieri. Vide S. Thomam ad 3.

Obj. 2. Joannes epiſt. 1. cap. 5. dicit: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*, quia nimirùm remitti non poteſt. *R.* per illud peccatum ad mortem, intelligi ab Apoſtolo impœnitentiam finalem, vel peccatum in Spiritum ſanctum, pro quo non audet conſulere, ut oremus cum fiducia converſionem ejus à quo admittitur, obtinendi.

Obj. 3. Aliqui peccatores etiam baptizati ita indurantur, & à Deo deſeruntur, ut converti non poſſint ampliùs. *R.* peccata talium, ſi qui ſunt, poſſe, quantùm eſt de ſe, ritè ſubjici ſacramento Pœnitentiæ, ac proinde ſacramentum Pœnitentiæ ad illorum remiſſionem valere poſſe. Quòd ſi ob carentiam gratiæ v.g. non poſſint ſacramento Pœnitentiæ ritè ſubjici, hoc eſt per accidens, nec obeſt doctrinæ à nobis traditæ; nobis enim ſufficit quòd nullum ſit peccatum in hac vita, de quo homo cum auxilio gratiæ non poſſit conteri. Nullum autem tale eſt; quia, ut ait S. Thomas loco citato, hominis quandiu viator eſt, liberum arbitrium flexibile eſt & ad bonum, & ad malum, & per divinæ gratiæ virtutem moveri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum.

ARTICULUS II.

Utrùm per ſacramentum Pœnitentiæ poſſit remitti unum peccatum mortale abſque alio.

RESPONSIO.

NOn poteſt de potentia ordinaria, & ſecundùm legem à Deo ſtatutam remitti per ſacramentum Pœnitentiæ unum peccatum mortale, ſine alio exiſtente in eodem ſubjecto.

Ita S. Thomas q. 86. a. 3. in O. *Prob.* Quia in ſacramento Pœnitentiæ peccata mortalia remittuntur per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Sed ſecundùm legem à Deo ſtatutam, gratia ſanctificans non poteſt eſſe cum peccato mortali. Et verò ſecundùm legem à Deo ſtatutam, qui habet gratiam ſanctificantem, eſt filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ: qui verò habet peccatum mortale, eſt ſervus diaboli, & reus æternæ damnationis. Ergo ſecundùm legem à Deo ſtatutam, gratia ſanctificans ſtare non poteſt cum peccato mortali.

Dixi autem in reſponſione, de potentia ordinaria: nam abſolutè poteſt remitti unum peccatum mortale per ſacramentum Pœnitentiæ, ſine alio in eodem ſubjecto exiſtente; Deus enim abſolutè poteſt condonare unum peccatum mortale ſine alio; ſicut inter homines poteſt una gravis offenſa condonari ſine alia. Sed contra hoc,

Dices 1. Deus non poteſt condonare peccata mortalia ſine infuſione gratiæ ſanctificantis. Sed gratia ſanctificans ne quidem abſolutè ſtare poteſt cum peccato mortali. Ergo, &c. *R.* 1. neg. mag. Nam Deus poteſt abſolutè condonare peccata mortalia, præciſè renuntiando juri quod habet ad indignandum peccatori: unde cùm abſolutè ſaltem poſſit renuntiare juri quod habet ad indignandum propter unum peccatum, retinendo jus quod habet ad indignandum propter aliud, ſunt enim jura diſtincta & ſeparabilia; poteſt abſolutè ſaltem condonare unum peccatum, non condonato alio.

R. 2. neg. min. Nam gratia ſanctificans non habet omnimodam repugnantiam cum peccato mortali, ſed tantùm moralem ex natura rei, quatenùs eſt excellens quædam naturæ divinæ participatio, nata facere hominem gratum Deo, filium Dei adoptivum, & regni cœleſtis hæredem, unde non bene convenit cum peccato mortali, & ejus remiſſionem in ſubjecto, cui infunditur, exigit, ad eamque Deum allicit. Moralis autem illa repugnantia gratiæ cum peccato abſolutè ſuperari poteſt ſua indecentia repugnante bonitati divinæ, & rectitudini divinæ voluntatis.

Dices 2. Qui haberet peccatum mortale ſimul & gratiam, eſſet ſimul juſtus & injuſtus, gratus Deo, & odio-

Digitized by Google

& odioſus, hæres vitæ æternæ, & dignus æterno ſupplicio. *Reſp.* neg. Nam eſſet ſimpliciter injuſtus, Deo odioſus, & æterno ſupplicio dignus. Ratio à priori eſt, quia ſine remiſſione omnium peccatorum mortalium, gratia ſanctificans non facit hominem juſtum, Deo gratum, & hæredem vitæ æternæ. Sed de hoc, ubi de juſtificatione.

Dices 3. Dimidia mortalium remiſſio eſſet contra perfectionem miſericordiæ divinæ. *Reſp.* Eſſet contra perfectionem miſericordiæ divinæ, qualem nunc Deus exercet erga peccatores, non miſericordiæ poſſibilis, & ſufficienter perfectæ, omnique imperfectione poſitiva carentis, qualis eſt miſericordia, quam Deus nunc exercet in remiſſione venialium, quorum unum ſine alio condonat abſque ulla imperfectione poſitiva.

Dices 4. Ex Deuteronomio cap. 32. *Dei perfecta ſunt opera.* *R.* Non eſſe perfecta eo ſenſu, quòd in eis non ſit negatio ullius perfectionis etiam non debitæ, ſed quòd non habeant ullam vituperabilem imperfectionem, ullumve defectum contra debitum. At ſi Deus remitteret unum mortale ſine alio, talis remiſſio non haberet ullam vituperabilem imperfectionem, ſed è contra eſſet opus magnæ miſericordiæ, peccatorum numerum, & pœnam illis debitam minuentis.

Dixi in probatione, peccata mortalia remitti in ſacramento Pœnitentiæ per infuſionem gratiæ ſanctificantis: nam ſacramentum Pœnitentiæ non delet peccatum mortale immediatè, ſed mediante gratia ſanctificante, tanquam cauſa formali remiſſionis peccati. Igitur ſacramentum Pœnitentiæ remittit peccatum mortale, cauſando gratiam ſanctificantem, ſecundùm cujus exigentiam, & quaſi allicientiam, Deus renuntiat juri quod habet ad indignandum adversùs peccatorem propter peccatum mortale, qua renuntiatione peccatum extinguitur, & moralis ejus permanentia tollitur: peccatum enim jam ſe habet in ordine ad juſtum Dei odium fundandum, ac ſi nunquam fuiſſet, jamque Deus non poteſt magis odiſſe hominem propter peccatum admiſſum, quàm ſi illud nunquam admiſiſſet.

ARTICULUS III.

Utrùm remiſſo peccato mortalis per ſacramentum Pœnitentiæ, remittatur etiam reatus pœna.

Responsio I.

Quotieſcumque per ſacramentum Pœnitentiæ remittitur peccatum mortale quoad reatum culpæ, remittitur etiam quoad reatum pœnæ æternæ.

Eſt de fide. *Prob.* 1. Authoritate Scripturæ: nam ex Apoſtolo ad Roman. cap. 8. verſ. 1. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*, hoc eſt, neque peccatum mortale, quod eſt cauſa damnationis, neque ipſa damnatio. Sed quibus remittitur culpa peccati mortalis per ſacramentum Pœnitentiæ, ii ſunt in Chriſto Jeſu per gratiam juſtificationis. Ergo, &c. 2. Authoritate Tridentini, ſeſſ. 6. cap. 14. ubi expreſſè dicitur, pœnam æternam ſacramento Pœnitentiæ, vel ejus voto, unà cum culpa remitti. 3. Ratione. Ex eodem Tridentino, eadem ſeſſione cap. 7. nunquam remittitur peccatum mortale ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, qua homo renovatur interiùs, & fit amicus Dei, filius ejus adoptivus, & hæres vitæ æternæ. Sed qui talis eſt, non eſt obnoxius pœnæ æternæ. Ergo, &c.

Responsio II.

Remiſſa culpa peccati mortalis per ſacramentum Pœnitentiæ, non ſemper remittitur tota pœna, ſed regulariter manet reatus alicujus pœnæ temporalis.

Eſt de fide. *Prob.* 1. Ex conſtanti & perpetuo uſu Eccleſiæ, quæ ſemper peccatoribus in ſacramento Pœnitentiæ ſatisfactiones aliquas impoſuit, ut teſtantur antiqui Patres. 2. Ex Trident. ſeſſ. 6. c. 14. ubi dicitur iis qui juſtificantur per ſacramentum Pœnitentiæ, neceſſariam eſſe *ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſacramenti voto una cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacra Litteræ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis qui gratiæ Dei quam acceperunt ingrati, Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti.*

Ratio à priori eſt ordinatio Dei, nobis per uſum & definitionem Eccleſiæ cognita; Dei, inquam, ordinatio, quæ ſicut pœnam æternam cum culpa ſemper remittit; ita & poſſet, ſi vellet, omnem pœnam ſemper remittere. Aliter tamen ſtatuit, & quidem convenientiſſimè, præſertim pro ſacramento Pœnitentiæ, tum propter majorem ingratitudinem eorum qui peccant graviter poſt baptiſmum, tum ad frænandam peccati licentiam; quæ ſanè major eſſet, ſi tam faciliè omnis pœna remitteretur, ut rectè notat Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. *Sanè*, inquit, *& divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum S. contriſtare non formidaverint; & divinam clementiam decet, nec ita nobis abſque ulla ſatisfactione, peccata dimittantur; ut occaſione accepta peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, &c.*

Obj. Nunquam remittitur culpa, quin ſimul remittatur omnis pœna. Ergo ſi remittitur culpa in ſacramento Pœnitentiæ, omnis etiam pœna remittitur. *R.* neg. ant. Quod eſt 1. contra Scripturam. Nam ex lib. 2. Reg. cap. 12. ita Davidi peccatum adulterii & homicidii remiſſum fuit, ut tamen propter illud peccatum punitus fuerit morte filii ex adulterio nati, aliiſque pœnis graviſſimis. Dicenti enim Davidi: *Peccavi Domino*, reſpondet Nathan: *Dominus tranſtulit peccatum tuum ...... verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc: filius qui natus eſt tibi, morte morietur, &c.* 2. Contra Patres. Pro omnibus unus ſit Auguſtinus in Pſal. 50. *Veritatem dilexiſti, ideſt, impunita peccata eorum etiam quibus ignoſcis, non reliquiſti ..... Sic prærogaſti miſericordiam, ut ſervares & veritatem. Ignoſcis confitenti, ignoſcis, ſed ſe ipſum punienti, ita ſervatur miſericordia & veritas: miſericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.* 3. Contra Trid. ſeſſ. 6. can. 30. ubi Concilium anathematizat eum, qui dixerit, *poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatorum pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit.* Et ſeſſ. 14. can. 12. anathematizatur qui dixerit, *talem pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo.*

Dices 1. Chriſtus abundè ſatisfecit pro nobis. *Reſp.* Chriſtum abundè ſatisfeciſſe pro nobis in actu primo, hoc eſt, pretium pro peccatorum noſtrorum redemptione ſufficientiſſimum Patri obtuliſſe. At pretium illud non applicatur nobis ſine menſura, nec eodem ſemper modo, ſed ſecundùm voluntatem Chriſti, & ordinationem Patris. Chriſtus autem non voluit illud pretium ita nobis applicari per ſacramentum Pœnitentiæ, vel votum ejus, ut cum reatu culpæ ſemper remitteretur reatus omnis pœnæ, ut conſtat ex Patribus, ex praxi Eccleſiæ, & definitione Tridentini.

Dices 2. Ex Apoſtolo Rom. cap. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui* ſunt in Chriſto Jeſu. *Reſp.* Pœnam temporalem propter peccatum remiſſum exolvendam, non poſſe dici damnationem, cùm ſit relicta ad ſalutem, nimirùm ut ea conſideratione homines à pec-

cato revocentur, & quaſi fræno quodam, coerceantur cautioreſque, ac vigilantiores in futurum pœnitentes fiant, ſicut dicit Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.

Dices 3. Ex Ezechiele cap. 33. Si impius ,.. *egeris pœnitentiam à peccato ſuo ..,...,, vita vivet, & non morietur : omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei.* *Reſp.* Tali, peccata quæ fecit, non imputatum iri ad mortem æternam, nec impeditura eſſe quominùs reconcilietur Deo, & in cœlum admittatur. Neceſſe tamen non eſt, imò nec expedit hanc reconciliationem ſemper fieri ſine aliqua ſatisfactione, ut ſatis probatum eſt ex Concilio Tridentino.

Dices 4. Si cum reatu culpæ non remittatur tota pœna, remiſſio peccati erit imperfecta, *Reſp.* Tunc remiſſionem peccati eſſe imperfectam, non poſitivè, ſed negativè in ratione remiſſionis, hoc eſt minùs perfectam in ratione remiſſionis. Dico, in ratione remiſſionis : nam aliundè perfectius eſt, non ſemper remitti omnem pœnam cum culpa, quia hoc juſtitiæ & providentiæ divinæ convenientius eſt, ut ſatis intelligitur ex dictis ſupra.

Dices 5. Chriſtus remittens peccata Magdalenæ & Paralytico, nullam illis impoſuit pœnitentiam. *R.* 1. Inde non ſequi quòd nulla pœna temporalis ab eis exolvenda remanſerit. *R.* 2. Fortaſsè Chriſtum, cum per ſe ipſum peccata remiſit, omnem quoque pœnam remiſiſſe, ad majorem excellentiæ ſuæ & manſuetudinis commendationem : at hoc privilegium noluit ad omnem peccatorum remiſſionem extendere.

Dices 6. Si ſacramentum Pœnitentiæ habet vim remittendi pœnam æternam, à fortiori habet vim remittendi pœnam temporalem : nam hoc faciliùs eſt, *Reſp.* Sacramentum Pœnitentiæ habere vim remittendi pœnam æternam ex inſtitutione Chriſti : Chriſti autem inſtitutio eſt, ut regulariter non remittatur pœna æterna, ſine commutatione in pœnam temporalem. Dixi regulariter, quia interdùm contingere poteſt, ut quis accedat ad ſacramentum Pœnitentiæ cum vehementi adeò dolore, ut valeat ad remittendam omnem pœnam. Præterea, minus eſt pœnam æternam remitti, non remiſſa pœna temporali, quàm utramque condonari : unde ex eo quòd ſacramentum Pœnitentiæ poſſit primum, non ſequitur quòd poſſit etiam ſecundum.

Dices 7. Sublata cauſa tollitur effectus. Sed peccatum eſt cauſa pœnæ. Ergo ſublato peccato per remiſſionem, tollitur etiam omnis pœna. *Reſp.* Majorem univerſaliter ſumptam eſſe falſam. Itaque peccato quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ remiſſo, poteſt manere obligatio ad pœnam temporalem propter illud idem peccatum; ad hoc enim ſatis eſt, ut jure poſſit pœna æterna non remitti ſimpliciter & abſolutè, ſed cum commutatione in pœnam temporalem. Vide S. Thomam quæſt. 86. art. 4.

DISPUTATIO III.

De remiſſione peccatorum venialium.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm & quomodo remittantur venialia per ſacramentum Pœnitentiæ.

Responsio.

Sacramentum Pœnitentiæ habet vim remittendi ex opere operato peccata venialia ipſi ritè ſubjecta.

Prob. 1. Ex piorum hominum uſu, qui peccata venialia confitentur, ad obtinendam illorum veniam vi ſacramenti; quem uſum approbat Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. 2. Ex Trident. loco citato, ubi ait, *peccata venialia rectè & utiliter in confeſſione dici.* Dixi autem, ipſi ritè ſubjecta : nam ſicut ſacramentum Pœnitentiæ non valet ad remittenda peccata mortalia, niſi ea quæ ipſi ritè ſubjiciuntur, ita nec valet ad remittenda venialia, &c. Hinc 1. ſacramentum Pœnitentiæ non habet vim remittendi venialia ante baptiſmum commiſſa, quia non poſſunt ipſi ſubjici. 2. Non habet vim remittendi venialia, de quibus pœnitens non eſt contritus : nam ſine contritione non poſſunt ritè ſubjici ſacramento Pœnitentiæ, nec pœnitens abſolvi à peccatis, de quibus non conteritur, neque explicitè, neque implicitè : formalis enim contritio ex inſtitutione Chriſti eſt diſpoſitio eſſentialiter requiſita ex parte pœnitentis ad remiſſionem peccati in ſacramento Pœnitentiæ, ut docet Tridentinum. Itaque, ut venialia poſt baptiſmum, vel in ipſo inſtanti perfectionis baptiſmi commiſſa remittantur in ſacramento Pœnitentiæ, requiritur contritio voluntatem peccandi excludens, hoc eſt, deteſtatio & dolor de illis abſolutus & efficax, cum propoſito abſoluto & efficaci illa non admittendi de cætero.

Obj. Si ita eſt, venialia non poſſunt remitti in ſacramento Pœnitentiæ. *Reſp.* Negando. *Prob.* Non poſſumus habere propoſitum efficax non peccandi venialiter : nam ſecluſo ſpeciali Dei privilegio, non poſſumus ducere vitam præſentem ſine venialibus, ut docet Scriptura pluribus locis, & colligitur ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 23. Ipſaque demonſtrat experientia. Ergo, &c. *Reſp.* Neg. ant. Quod ex allata probatione non ſequitur. Sed ad plenam hujus difficultatis reſolutionem,

Nota. Propoſitum abſtinendi à venialibus poteſt eſſe duplex; propoſitum ſcilicet generale abſtinendi ab omnibus venialibus, ut propoſitum nunquam offendendi Deum ; & propoſitum particulare, abſtinendi ab aliqua ſpecie venialium, ut propoſitum abſtinendi à mendacio, ab exiguis furtis, à levibus detractationibus, &c. Rursùs propoſitum generale abſtinendi ab omnibus venialibus, poteſt ſpectari dupliciter, nempe reſpectu ſingulorum venialium ſeorſim, & reſpectu totius collectionis, ſeu omnium ſimul ſumptorum, & omninò vitandorum. Hoc poſito.

Dico 1. Poſſumus habere propoſitum particulare vitandi venialia, abſolutum & efficax, ſaltem circa aliquas ſpecies venialium, quæ nimirùm faciliùs vitari poſſunt, & à quibus non ſolum diſtributivè, ſed etiam collectivè ſumptis, abſtinere poſſibile eſt etiam moraliter. Hoc autem propoſitum ſufficit, ut venialia illa remittantur in ſacramento Pœnitentiæ : cùm enim unum veniale remitti poſſit ſine alio, ut aliqua venialia remittantur per ſacramentum Pœnitentiæ, ſufficit confeſſio de illis ſolis, cum attritione de illis ex motivo ipſis proprio, & ſpeciali propoſito ab illis cavendi in poſterum, ſic ut tunc verè remittantur, quamvis pœnitens habeat affectum ad aliquid aliud venialiter malum. Aliud autem eſt de mortalibus : nam cùm unum mortale nunquam remittatur ſine alio, & nullum remittatur mortale ſine actu voluntatis cum ipſo incompoſſibili; ad hoc ut peccata mortalia remittantur per ſacramentum Pœnitentiæ, contritio pœnitentis debet neceſſariò eſſe de omnibus mortalibus, quorum pœnitens reus eſt, & ejus propoſitum non peccandi de cætero debet neceſſariò extendi ad illa omnia, & ab illis omnibus efficaciter voluntatem abſtrahere.

Dico 2. Propoſitum generale vitandi omnia venialia, poteſt eſſe abſolutum & efficax. 1. Circa ſingula ſeorſim vitanda ; nam ſic eſt de objecto moraliter poſſibili : poſſunt enim etiam moraliter vitari omnia venialia diſtributivè, licèt nunquam contingat nec contingere poſſit moraliter, ut omnia collectivè vitentur longo tempore. 2. Circa omnia collectivè vitanda : quamvis enim moraliter impoſſibile ſit, & nunquam contingat ſine ſpeciali privilegio pauciſſimis conceſſo, ut tota collectio venialium vitetur, & nunquam peccetur venialiter, poſſum tamen cum auxilio gratiæ habere deteſtationem omnium venialium de ſe incompatibilem cum omni affectu peccandi venialiter, quandiu durat, ac proindè deteſtationem omnium venialium collectivè de ſe abſolutam & efficacem;

Digitized by Google

eacem; ſicque poſſum cum auxilio gratiæ habere propoſitum abſtinendi à venialibus, de ſe incompatibile cum omni affectu peccandi venialiter, quandiu durat, ac proinde propoſitum de ſe abſolutum & efficax nunquam peccandi venialiter; quamvis hoc propoſitum poſtea mutaturus ſim pro mea fragilitate, & venialiter peccaturus, quæ fragilitas verè mihi diſplicet. Ad hoc autem adhuc meliùs intelligendum.

Nota. Aliud eſt propoſitum de ſe abſolutum & efficax nunquam peccandi venialiter, & aliud propoſitum immobile nunquam peccandi venialiter. Propoſitum de ſe abſolutum & efficax nunquam peccandi venialiter, eſt propoſitum de ſe incompatibile cum omni affectu peccandi venialiter, quandiu durat, ita ut ſi ſemper duraret, nunquam peccaretur venialiter. Propoſitum immobile nunquam peccandi venialiter, eſt propoſitum à voluntate nunquam deſerendum.

Ex eo autem quòd moraliter impoſſibile ſit, & nunquam contingat, ut tota collectio venialium vitetur, ſequitur, quidem non poſſe haberi propoſitum immobile nunquam peccandi venialiter, quia non poteſt haberi propoſitum nunquam peccandi venialiter, quod voluntas aliquando pro ſua fragilitate non deſerat, ſuppoſita illa morali impoſſibilitate vitandi totam venialium collectionem. At nihilominùs poteſt haberi propoſitum de ſe abſolutum, & efficax nunquam peccandi venialiter, quia non obſtante morali impoſſibilitate vitandi omnia venialia collectivè, poteſt cum auxilio gratiæ haberi propoſitum de ſe incompoſſibile cum omni affectu venialiter peccandi, quandiu durat, ita ut ſi ſemper duraret, tota venialium collectio vitaretur.

Ad venialium autem omnium remiſſionem in ſacramento Pœnitentiæ, ſufficit ſaltem propoſitum generale de ſe abſolutum, & efficax circa omnia venialia collectivè, quamvis à voluntate poſteà morali neceſſitate deſerendum: neque dici poteſt requiri propoſitum immobile, quod ne quidem neceſſarium eſt ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento Pœnitentiæ, ſive extra illud. Porrò dixi, Sufficit ſaltem, &c. quia ſufficere propoſitum abſolutum & efficax circa omnia venialia diſtributivè, docet S. Thomas qu. 87. art. 1. ad 1. ubi ait: *Ad pœnitentiam peccatorum venialium, requiritur, quòd homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus; quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur*.

Obj. iterùm. Si ad remiſſionem venialium in ſacramento Pœnitentiæ non requiritur contritio, requiritur ſaltem attritio. *Reſp*. Concedendo. *Dices*. Si ita eſt, nunquam venialia primò remittuntur homini juſto in ſacramento Pœnitentiæ, quod eſt contra ſenſum fidelium, qui cùm venialia confitentur, putant ſe veniam illorum primam obtinere per abſolutionem ſacerdotis. *Reſp*. neg. ſeq. *Probabis*. In homine juſto, ad remiſſionem venialium extra ſacramentum ſufficit attritio, & conſequenter ſi ſacramentum Pœnitentiæ, ad remiſſionem venialium requirit attritionem in pœnitente, ſemper ſupponit venialia remiſſa in homine juſto, & ſic in homine juſto nunquam primò remittit venialia.

Reſp. In homine juſto minorem attritionem ſufficere ad remittenda venialia in ſacramento Pœnitentiæ, quàm cùm remittuntur extra ſacramentum ex opere operantis. Nam in ſacramento quælibet attritio hominis juſti, quantumvis remiſſa, ſufficit ad remiſſionem venialium, quorum eſt deteſtatio efficax; ita ut ſi ſit omnium deteſtatio, omnia remittantur vi ſacramenti. At verò extra ſacramentum, quævis attritio hominis juſti, etiamſi ſit efficax omnium deteſtatio, non ſufficit ad tollenda omnia venialia.

Ratio eſt, quia Deus in remittendis venialibus extra ſacramentum, & ex opere operantis, ſervat quandam proportionem æqualitatis inter attritionem & remiſſionem, unde ſi attritio non habet eam æſtimabilitatem, ut ſit proportionata remiſſioni centum venialium, quorum reus eſt homo juſtus, ſed tantùm decem venialium remiſſioni proportionata eſt, remittentur tantùm decem venialia, & attritio illa erit decies exercenda, ut vi illius centum venialia ex opere operantis remittantur.

Dices. Quævis contritio charitate perfecta peccatoris, ſufficit pro omnibus mortalibus ex opere operantis. Ergo etiam ſufficere debet pro omnibus venialibus quælibet attritio univerſalis hominis juſti. *R*. neg. conſ. Ratio diſparitatis eſt, quia Deus peccatori perfectè contrito mortalia quoad culpam & pœnam æternam remittit ex pura miſericordia, nec ullam inter actum pœnitentis, & mortalium remiſſionem ſervando proportionem æqualitatis, quæ omninò impoſſibilis eſt: peccator enim nihil facere poteſt, quod ſit aliquo modo æquale mortalium condonationi. At verò venialia non remittit Deus homini juſto ex pura miſericordia, ſed ſervata quadam juſtitiæ æqualitate, & proportione inter attritionem, & remiſſionem; quæ aliqualis proportio poſſibilis eſt, & rectè à Deo exigitur, ad juſtos à venialibus magis deterrendos.

Dices iterùm. Si Deus ſervat æqualitatem juſtitiæ inter attritionem, & remiſſionem venialium in homine juſto, tunc non ſit vera remiſſio, ſed eſt mera ſolutio. *Reſp*. Deum non ſervare perfectam æqualitatem, ſed aliqualem tantùm, & imperfectam, quæ non tollit rationem remiſſionis. Adde quòd attritionem illam, qua juſtus venialium condonationem conſequitur, poſſet Deus, ſi vellet, pluribus titulis exigere, & nihilominùs offenſam retinere.

Dices 3. Attritio univerſalis hominis juſti non magis opponitur uni veniali, quàm alteri: tendit enim univerſaliter in omnia ex motivo aliquo generali, & ſic æqualiter omnia deteſtatur. Ergo, vel omnia tollit, vel nullum tollit, nam non eſt ratio cur unum potiùs tollat, quàm alterum. *Reſp*. Conceſſo antec. nego conſeq. Ratio negandi eſt, quia attritio non tollit phyſicè venialia, ſed moraliter, movendo ſcilicet Deum ad remiſſionem. Cùm autem Deus in tali remiſſione rationem habeat juſtitiæ, & cujuſdam æqualitatis, non omnia ſemper venialia remittuntur propter attritionem etiam univerſalem, ſed remittitur tantùm, quantùm proportionatum eſt æſtimabilitati attritionis. Nec obeſt quòd attritio ſit univerſalis, & ita æqualiter ſe habeat ad omnia venialia, neque ſit ratio ex parte attritionis, cur unum potiùs remittatur quàm aliud: Deus enim cujus eſt impertiri beneficium remiſſionis intuitu attritionis, eligit ex venialibus, quæ remittat ſecundùm proportionem attritionis.

Quæres. Utrùm alia ſacramenta habeant etiam vim remittendi venialia ex opere operato? *Reſp*. Affirmativè. Nam 1. baptiſmus hanc vim habet circa venialia, quæ ante ipſius ſuſceptionem commiſſa fuerunt, ut probatur ex Trident. ſeſſ. 5. can. 7. ubi dicitur baptiſmus, in eo qui regeneratur, tollere quidquid habet veram & propriam rationem peccati: ſed venialia habent veram & propriam rationem peccati. 2. Euchariſtiam vim habere remittendi venialia, probatur etiam ex Trident. ſeſſ. 17. cap. 2. ubi dicitur Euchariſtia eſſe *antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis*, hoc eſt venialibus. 3. Tridentinum ſeſſ. 14. can. 2. de Extrema-unctione, definit hoc ſacramentum remittere peccata; quod præcipuè intelligendum eſt de venialibus. Eandem etiam vim habere alia ſacramenta, probabiliùs eſt ex Div. Thoma quæſt. 87. art. 3. in O. Sed

Obſerva. Sacramenta ſe ipſis immediatè determinant Deum ad remiſſionem venialium, non mediante gratia ſanctificante, quam cauſant. Ratio eſt, quia gratia ſanctificans non habet moralem incompatibilitatem cum venialibus, ſicut habet cum mortalibus.

Obſerva iterùm. Nunquam ſacramenta remittunt venialia, ſine aliquo actu pœnitentis cum illis incompatibili: nam ad remiſſionem venialium per ſacramenta, requiritur deteſtatio, vel formalis, ut in ſacramento Pœnitentiæ, vel ſaltem virtualis, ut in reliquis ſacramentis. Deteſtatio autem venialium virtualis, eſt actus aliquis incompatibilis cum affectu ad venialia, & vi cujus homo ea formaliter deteſtaretur,

Google

retur, ſi tunc menti occurrerent. Sed contra neceſſitatem talis actus.

Obj. Si ad remiſſionem venialium in ſacramentis requiritur actus pœnitentiæ formalis, aut virtualis, illis oppoſitus, adultus baptizatus, ſine tali actu circa venialia, non conſequetur remiſſionem venialium vi baptiſmi, neque quoad culpam, neque quoad pœnam. *Reſp.* Ita eſſe; ſed quid inde? Nam baptiſmus, cùm actu ſuſcipitur, habet vim non ſolùm mortalia, ſed etiam venialia ante ejus ſuſceptionem commiſſa, remittendi quoad culpam, & quoad omnem pœnam, modò non ſit obex: unde ſi quis baptizetur ſine attritione venialium, tunc non obtinet remiſſionem venialium, neque quoad culpam, neque quoad pœnam, quia ponit obicem negativum; quem ſi poſteà removeat, ponendo aliquem actum pium cum venialibus incompoſſibilem, remiſſionem venialium, & quoad culpam, & quoad omnem pœnam conſequetur vi baptiſmi. Quòd ſi poneret obicem poſitivum, peccando venialiter in inſtanti quo baptiſmus abſolvitur, peccatum illud veniale non poſſet remitti vi baptiſmi; ſed per ſacramentum Pœnitentiæ, vel aliud medium, delendum eſſet.

Obj. iterùm. Si venialia non poſſunt remitti per ſacramenta, ſine attritione formali, vel virtuali, non poſſunt etiam remitti per martyrium. Falſum conſeq. Ergo, &c. Nego min. *Probatis.* Si venialia non remittuntur in martyrio ſine attritione ipſis oppoſita, martyr carens tali attritione, non conſequetur remiſſionem venialium vi martyrii. *Reſp.* Hunc martyrem non conſecuturum remiſſionem venialium ante mortem; ſed in inſtanti, quo primùm anima erit ſeparata à corpore, eliciet actum attritionis, vel potiùs contritionis omnibus venialibus oppoſitum, & ſic ſtatim poſt mortem, ſublato obice, remittentur ei omnia venialia, & quoad culpam, & quoad omnem pœnam vi martyrii. Unde nunquam orandum eſt pro martyre, ut Deus illi remittat pœnas peccatorum venialium, cum quibus deceſſit.

At inquies. Quid ſi martyr conſummaret martyrium cum obice poſitivo, hoc eſt cum actu venialiter malo? Certè non poſſet peccatum hoc ei remitti quoad culpam, & quoad omnem pœnam vi martyrii poſt mortem, quantumcumque illud deteſtaretur poſt mortem. *R.* Non eſſe timendum ne martyr conſummet martyrium cum actu venialiter malo: nam martyrium conſummatur in inſtanti morali mortis, hoc eſt, in inſtanti, in quo homo privatur uſu facultatum omnium, ac proinde ceſſat ab omni actu libero, ſive bono ſive malo, & quod proximè ſubſequitur ſeparatio corporis & animæ. Nullum ergo veniale eſt, quod remitti non poſſit vi martyrii, ſive ante, ſive poſt mortem.

ARTICULUS II.

Utrùm Sacramentalia vim habeant remittendi venialia ex opere operato.

OBſerva. Sacramentalia ſunt res aliquæ, vel actiones ſacræ, quibus vis remittendi venialia communiter attribui ſolet, & comprehenduntur hoc verſu:

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans, id eſt, oratio dominica, vel alia oratio in loco ſacro. Tinctus, id eſt, aqua benedicta. Edens, hoc eſt, panis benedictus. Confeſſus, id eſt, confeſſio generalis, quæ continetur his verbis: *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* Ad quam revocatur tunſio pectoris. Dans, hoc eſt, eleemoſyna. Benedicens, hoc eſt, Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati benedictio; ad quam revocatur unctio ſacra extra ſacramentum Confirmationis, Ordinis, & Extremæ unctionis.

RESPONSIO.

Sacramentalia non habent vim remittendi venialia ex opere operato.

Prob. Quia ſi ſacramentalia habent vim remittendi venialia ex opere operato, eo ipſo quòd adhibentur, remittunt venialia infallibiliter quibuſcumque non ponentibus obicem. Sed hoc dici non poteſt; nam ſi eo ipſo quòd adhibentur, &c. Hoc habent, vel ea natura ſua, vel ex inſtitutione Eccleſiæ, vel ex inſtitutione Dei. Atqui nihil horum dici poteſt. Non primum, ut per ſe manifeſtum eſt; Non ſecundum; nam ſolius Dei eſt diſponere de jure ſuo, & offenſas ſuas, vel retinere, vel remittere per ſe immediatè, aut media à ſe ad hoc inſtituta. Non denique tertium; quia talis inſtitutio divina, ſi datur, extat in Scriptura, vel in traditione. Atqui neque ex Scriptura, neque ex traditione ſufficienter probari poteſt. Ergo, &c.

Obj. 1. De oratione facta in loco ſacro lib. 3. Regum cap. 8. dicitur, quòd Deus propter eam propitiaturus ſit peccatis orantium. *Reſp.* Hæc verba, & alia ſimilia dici univerſaliter tam de mortalibus, quàm de venialibus, nec ſignificare inſtitutionem divinam, qualem volunt adverſarii, ſed tantùm vim quandam, eamque fallibilem, impetrandi per orationem media neceſſaria ad peccatorum remiſſionem, quæ media faciliùs obtinentur pro venialibus, quàm pro mortalibus, & in loco ſacro, quàm in non ſacro; non tamen ſemper & infallibiliter vi orationis etiam in loco ſacro factæ obtinentur.

Obj. 2. Can. *Aquam*, de conſecrat. diſt. 3. aqua benedicta dicitur ſanctificare, mundare, purificare. *Reſp.* Canonem illum, qui ut ſuppoſititius poſſet rejici, vel loqui de ſanctificatione quadam morali, qualis olim conferebatur per cæremonias legales, & qualis etiam conferunt nunc rebus inanimatis, ut templis, vaſis, &c. vel loqui de ſanctificatione propria per gratiam habitualem, aut de mundatione à peccatis venialibus; & tunc tantùm velle quòd aqua benedicta propter Eccleſiæ orationem & ſuffragium quod applicat, valeat ad impetranda media ad veram ſanctitatem, aut ad remiſſionem venialium; quæ tamen media non ſemper & infallibiliter obtinentur, quia non ſemper & infallibiliter exaudiuntur preces Eccleſiæ, ut experientia conſtat.

Obj. 3. Pro pane benedicto, Can. *Cum omne crimen*, de conſecrat. diſt. 2. Pro confeſſione generali, tunſione pectoris, & eleemoſyna, Can. *Tres ſunt*, Can. *Medicina*, Can. *Medicamentum*, & Can. *Quamobrem*, de pœnitentia diſt. 1. *R.* 1. Can. *Cum omne crimen*, totum eſſe de Euchariſtia conſecranda & miniſtranda, ſicque non eſſe ad rem. *Reſp.* 2. Can. *Tres ſunt*, Can. *Medicina*, *&c.* loqui tantùm de efficacia, quam habent confeſſio generalis, tunſio pectoris, & eleemoſyna ex opere operantis tam circa mortalia, quàm circa venialia.

Obj. 4. Sacramentalia habere vim remittendi venialia ex opere operato, eſt communis fidelium ſenſus, & Eccleſiæ traditio. *Reſp.* Hoc negando. Nam contrarium tenent ex antiquioribus Divus Thomas, S. Bonaventura, Alenſis, Richardus, Durandus, &c. quos ſenſum fidelium, & Eccleſiæ traditionem ignoraſſe nemo prudens dixerit.

Obj. 5. Eccleſia accepit à Chriſto poteſtatem inſtituendi ſigna ſenſibilia, quæ ex opere operato tollerent peccata venialia. *Reſp.* Talis poteſtatis conceſſionem neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex uſu Eccleſiæ probari poſſe.

ARTICULUS III.

De remiſſione peccatorum venialium ex opere operantis, & an poſt hanc vitam remittantur, & quomodo.

Responsio I.

Venialia cum mortali conjuncta non poſſunt remitti poſt hanc vitam, neque remittuntur in hac vita ex opere operantis, ſine actu contritionis virtualis, vel formalis.

Prob. 1. *pars*. Quia ſecundùm legem Dei ordinariam, de qua nunc loquimur, venialia cum mortali conjuncta non poſſunt ſine illo remitti, ut infrà oſtendetur. Sed mortalia poſt hanc vitam non remittuntur: nam, qui moriuntur in ſtatu peccati mortalis, damnantur in æternum, ut fide certum eſt. Ergo, &c.

Prob. 2. *pars*. Quia, ut jam dictum eſt, ſecundùm legem Dei ordinariam, venialia cum mortali conjuncta, ſine illo nunquam remittuntur. Sed peccatum mortale in hac vita non remittitur ſine actu contritionis formalis, aut ſaltem virtualis, ut infrà oſtendetur ſuo loco. Ergo, &c.

Responsio II.

Venialia ſola, qualia in homine juſto reperiuntur, non poſſunt remitti in hac vita ex opere operantis, ſine aliquo actu pœnitentis venialibus commiſſis oppoſito, & cum illis incompoſſibili. Ita D. Thomas quæſt. 87. art. 1. in O.

Prob. Quia ſapientiæ & juſtitiæ divinæ planè convenit, ut quæ propria voluntate malè commiſimus, nobis non remittantur, niſi ea priùs retractemus, & de illis formaliter, vel ſaltem virtualiter doleamus. Unde rectiſſimè creditur à Deo ordinatum eſſe, ut non ſolùm mortalia, ſed etiam venialia nunquam condonentur ſine formali, aut ſaltem virtuali ipſorum deteſtatione. Ergo, &c. Hic autem actus pœnitentis ad remiſſionem venialium neceſſarius, eſt actus ſupernaturalis, & per ſe primò ex inſtitutione divina formalis dolor, ac deteſtatio abſoluta, & efficax peccati: poſſunt tamen ſufficere actus alii æquivalentes, & dolorem illum, ac deteſtationem virtualiter continentes, ſecundùm ea quæ infra dicentur de peccato mortali.

Responsio III.

Ut venialia homini juſto remittantur in hac vita ex opere operantis, ſufficientiſſimus eſt actus contritionis formalis, vel virtualis, venialibus illis oppoſitæ.

Prob. Quia, ut ſuo loco oſtendetur, actus, quo formaliter, vel virtualiter ex charitatis motivo dolemus de peccatis mortalibus, eſt diſpoſitio per ſe ſufficiens ex opere operantis ad remittenda peccata mortalia. Ergo à fortiori actus, &c.

Responsio IV.

Ut venialia homini juſto remittantur in hac vita ex opere operantis, probabilius eſt etiam ſufficere actum attritionis formalis, aut virtualis, abſolutè & efficaciter venialibus illis oppoſitæ.

Prob. Quia gratia habitualis, quam habet homo juſtus, dat magnum valorem attritioni, & attritio efficaciter mutat voluntatem, avertitque ab omni affectu ad venialia, quorum eſt deteſtatio. Ergo omninò veriſimile eſt attritionem in homine juſto ſatis eſſe ad delenda ex opere operantis venialia, quæ ſunt leves tantùm offenſæ Dei, & ſæpè imperfectè tantùm voluntariæ.

Obj. Peccatum veniale verè diſplicet Deo, & charitati repugnat. Ergo ut remittatur ex opere operantis, requiritur actus quo pœnitens deteſtetur illud, quà Deo diſplicet, & charitati adverſum eſt. Item remiſſio venialium eſt conſummatio benevolentiæ divinæ. Ergo ex parte noſtra requirit converſionem ad Deum non minorem, quàm peccatum mortale. *Reſp. ad* 1. Negando conſeq. Quia veniale leviter tantùm diſplicet Deo, & charitati adverſatur. *Reſp. ad* 2. Neg. etiam conſeq. Quia minùs requiritur ad augendam amicitiam jam initam cum homine juſto, quàm ad eam inchoandam cum peccatore Deo graviter exoſo.

Responsio V.

Venialia non conjuncta cum mortalibus, poſſunt remitti poſt hanc vitam. Ita Div. Thomas quæſt. 7. de malo art. 11.

Prob. Quia 1. multi quotidiè in ſtatu gratiæ decedunt cum venialibus. 2. Propter venialia illa non damnantur, nec privantur in æternum regno cœleſti, cujus ſunt hæredes per gratiam ſanctificantem quacum deceſſerunt. 3. Nunquam tamen gloriam ſibi debitam conſequentur, quandiu rei erunt peccatorum venialium. Ergo neceſſe eſt ut liberentur à venialibus, quibuſcum mortui ſunt. Sed non poſſunt ab illis liberari, niſi per remiſſionem divinam. Ergo neceſſe eſt venialia, quibuſcum mortui ſunt, iis à Deo remitti. Ergo venialia poſt hanc vitam juſtis remitti poſſunt, & remittuntur.

Responsio VI.

Venialia, quibuſcum juſtus decedit, remittuntur ei in primo non eſſe vitæ, vel ſaltem paulò poſt in Purgatorio, cùm anima ſtatum ſuum advertens, & per gratiam prævenientem adjuta, ſe diſponit ad remiſſionem venialium per convenientem illorum deteſtationem, hoc eſt, per contritionem, vel attritionem, qualis & quanta requiritur, ut in hac vita venialia remittantur ex opere operantis.

Prob. Nam 1. non poteſt aſſignari aliud tempus, quo venialia poſt hanc vitam convenienter remittantur. 2. Dici non poteſt, quòd venialia poſt hanc vitam remittantur ſine convenienti eorum deteſtatione: nam Scripturæ & Concilia, quæ ad peccatorum actualium remiſſionem generatim requirunt converſionem aliquam ad Deum peccatis illis oppoſitam, non debent reſtringi ad ſtatum hujus vitæ. Et ſanctus Thomas quæſt. & art. citatis in O. ſic ait: *Venialia remittuntur poſt hanc vitam, quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, ſcilicet, per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commiſſis.* Quæſt. 7. de malo ar. 11.

Obj. 1. Non poteſt aliquis decedere cum ſolis venialibus; nam eo ipſo quod vult ſic mori, contemnit ſalutem ſuam, & ita peccat mortaliter.

Reſp. Neg. Poteſt enim aliquis habens tantùm venialia, mori cum ignorantia, vel inadvertentia inculpabili quòd habeat venialia, aut bona fide exiſtimans ſe de illis ſufficienter contritum, vel attritum, cùm tamen non ſit. Item poteſt aliquis habens tantùm venialia præveniri morte repentina, vel morbo aliquo quo privetur uſu rationis, & ita mori antequam poſſit de venialibus conteri vel atteri. Denique moribundus habens venialia, & advertens ſe habere, male dicitur contemnere ſalutem, eo quòd non doleat de illis; quia non cenſetur contemnere ſalutem, qui non adhibet medium ſalutis non neceſſarium hic & nunc, quia poſtea adhiberi poteſt.

Obj. 2. Ad remiſſionem venialium poſt hanc vitam ſufficit gratia finalis, ſeu gratia ſanctificans, quacum juſtus decedit: nam gratia finalis ſic corroborat animam contra peccata venialia, ut non poſſit ampliùs peccare venialiter. Ergo non requiritur actus contritionis, vel attritionis, &c. *Reſp.* Neg. ant. propter rationem ſupra datam. *Ad prob. Reſp.* 1. Aliud eſſe corroborare animam contra venialia in futurum, & aliud delere venialia aliàs admiſſa, ad quod neceſſaria eſt conveniens illorum deteſtatio, ut probatum eſt. *Reſp.* 2. Animam ſeparatam, & nondum Deo fruentem,

tem, non corroborati contra venialia in futurum per gratiam finalem, ſed per ſpecialem Dei providentiam, qua præſervatur à peccatis tum mortalibus, tum venialibus, donec per viſionem intuitivam Dei, & amorem beatificum, fiat impeccabilis ab intrinſeco.

Obj. 3. Peccata venialia remittuntur in Purgatorio condigna ſolutione pœnæ, ſeu rigida ſatis paſſione, per quam injuria Deo facta reparatur, & ceſſat. Ergo non remittuntur per actum, quo anima illa deteſtatur. *Reſp.* diſt. ant. Remittuntur, &c. quoad reatum pœnæ, C. ant. Quoad reatum culpæ, N. ant.

Nota. Cùm peccatur venialiter, naſcitur Deo jus duplex, nempe jus leviter indignandi, cui reſpondet reatus culpæ, & jus puniendi, cui reſpondet reatus pœnæ, quæ duo jura diſtincta ſunt, & mutuò ſeparabilia. In Purgatorio autem primum jus & cum eo reatus culpæ extinguitur per liberalem condonationem, ſuppoſita tamen convenienti deteſtatione venialium quæ condonantur. Secundum verò jus, & cum eo reatus pœnæ non extinguitur niſi condigna ſolutione, & rigida ſatis-paſſione, Deo ita volente.

Dices. Non poteſt reatus pœnæ extingui per ſatis-paſſionem, quin ſimul & indiviſibiliter extinguatur reatus culpæ. Ergo peccata remittuntur in Purgatorio per ſatis-paſſionem, non ſolùm quoad reatum pœnæ, ſed etiam quoad reatum culpæ. *Reſp.* Neg. ant. Nam v. gr: probabilius eſt damnatos ſatis-pati pro venialibus, quibuſcum deceſſerunt, & ita venialia in inferno extingui quoad reatum pœnæ per ſatis-paſſionem, & tamen ſemper manent quoad reatum culpæ: ſemper enim Deus retinet illa in ordine ad indignationem.

Itaque extinguitur reatus pœnæ per ſatis paſſionem quia poſita condigna ſolutione pœnæ extinguitur jus puniendi: at non idcircò extinguitur reatus culpæ, quia extincto jure puniendi, poteſt manere jus indignandi, & tandiu manet, donec vel liberaliter à perſona offenſa condonetur, vel ab offenſore obſequia æqualia offenſæ exhibeantur, & à perſona offenſa liberaliter acceptentur, ſi perſona offenſa eſt Deus: nam etiamſi creatura exhiberet Deo obſequia æqualia offenſæ, poſſet adhuc manere jus indignandi propter offenſam, quia Deus, ut ſupremus Dominus, poſſet obſequia illa exigere & acceptare multis aliis titulis, & interea manere rationabiliter inſenſus creaturæ, à qua offenſus eſt. Similiter è converſo poteſt tolli reatus culpæ, manente reatu pœnæ, quia poteſt extingui jus indignandi, vel per liberalem remiſſionem, vel per condignam ſatisfactionem acceptatam, manente reatu pœnæ, donec pœna debita tota perſolvatur, vel liberaliter relaxetur.

ARTICULUS IV.

Utrùm peccatum veniale remitti poſſit ſine gratiæ infuſione, vel ſine aliquo beneficio gratiæ.

RESPONSIO I.

SEcundùm legem & potentiam ordinariam, peccatum veniale nunquam remittitur ſine gratia ſanctificante; ita ut nullus peccati venialis remiſſionem conſequatur, niſi jam ſit juſtus, vel tunc juſtificetur.

Prob. Quia peccatum veniale, quod remittitur, vel eſt ſolum, ut eſt in homine juſto, vel eſt conjunctum cum peccato mortali, ut eſt in homine peccatore. Si veniale quod remittitur, eſt ſolum, non remittitur ſine gratia: nam homo juſtus cui remittitur, habet gratiam. Si veniale, quod remittitur, eſt conjunctum cum mortali, certè non remittitur per ſolam attritionem: nam attritio hominis exiſtentis in peccato mortali, non valet ſola ad remiſſionem peccati venialis; non valet, inquam, neque ex juſtitia; opus enim peccatoris non poteſt habere eam proportionem æqualitatis cum remiſſione venialium, quæ ſufficiat, ut illi talis remiſſio debeatur ex juſtitia, etiam accedente promiſſione divina: neque ex miſericordia & liberalitate divina; nullum enim in Scriptura vel traditione divina extat fundamentum hujus miſericordiæ & liberalitatis, cujus aliunde peccator eſt planè indignus.

Supereſt igitur, ut ſi remittitur veniale conjunctum cum mortali, remittatur per contritionem perfectam, vel formalem, vel virtualem, aut per legitimum uſum ſacramenti ad remiſſionem peccatorum inſtituti. Atqui ſecundùm legem ordinariam, non poteſt eſſe contritio perfecta formalis, vel virtualis, aut legitimus uſus ſacramenti ad peccatorum remiſſionem inſtituti, ſine infuſione gratiæ. Ergo ſecundùm legem ordinariam, veniale conjunctum cum mortali non remittitur ſine gratia. Dixi autem, ſecundùm legem ordinariam; quia abſolutè remitti poteſt veniale ſine gratia: remiſſio enim peccati venialis, & infuſio aut conſervatio gratiæ ſunt beneficia diſtincta, & mutuò ſeparabilia, & ſic unum ſine alio eſſe poteſt ſaltem abſolutè.

RESPONSIO II.

Secundùm legem ordinariam, venialia remitti poſſunt ſine infuſione gratiæ. Ita S. Thomas q. 87. a. 2.

Prob. Nam quando venialia remittuntur poſt hanc vitam, remittuntur ſine infuſione gratiæ: alioquin poſt hanc vitam poſſet augeri gratia & gloria eſſentialis, quod eſt falſum. Præterea, ſi venialia ſola remittuntur propter ſolam attritionem, ut probabilius eſt, & ſoli actus charitatis, vel eliciti, vel imperati merentur augmentum gratiæ, etiam venialia in hac vita ſæpè remittuntur hominibus juſtis ſine infuſione gratiæ.

RESPONSIO III.

Secundùm legem ordinariam, venialia nunquam remittuntur ſine aliquo beneficio gratiæ. Ita S. Thomas quæſt. 87. art. 4. in O.

Prob. Quia Deus ad remittendum peccatum veniale non exigit perfectam æqualitatem inter actum pœnitentis, propter quem fit remiſſio, & ipſam remiſſionem; nec contritio vel attritio, propter quam remittitur peccatum veniale, habet talem æſtimabilitatem, ut cenſeatur æqualis offenſæ; & quamvis haberet, adhuc eſſet aliquod gratiæ beneficium in remittenda offenſa, quia contritionem vel attritionem illam poſſet Deus exigere & acceptare multis aliis titulis, & contritio vel attritio illa eſſet à Deo ut cauſa principali, liberaliter, & miſericorditer excitante & adjuvante voluntatem per gratiam excitantem & cooperantem.

RESPONSIO IV.

Imò nequidem abſolutè venialia remitti poſſunt ſine aliquo gratiæ beneficio.

Prob. Quia poteſt quidem creatura Deo grata per eximios & ſupernaturales actus virtutum, à gratia ſanctificante ſignificatos, exhibere Deo condignam ſatisfactionem pro peccato veniali, quod eſt offenſa levis, & plerumque ex fragilitate, ac difficilè evitabilis. At 1. ſtatum gratiæ non habet ſine magno Dei beneficio. 2. Eximios illos & ſupernaturales actus virtutum non elicit ſine adjutorio gratiæ efficacis, quæ ſemper gratuitò & liberaliter donatur. 3. Eoſdem illos actus in ſatisfactionem exhibitos poſſet Deus, ut ſupremus Dominus, exigere, & acceptare aliis titulis totalibus, & ſufficientibus, manendo ſemper rationabiliter inſenſus propter peccatum veniale.

Obj. contra 3. *reſp.* Deus non poteſt non remittere peccatum veniale homini juſto habenti contritionem, vel attritionem veniali oppoſitam. *Reſp.* diſt. Non poteſt, &c. quia promiſit, & hoc ſibi debet, C. Propter condignitatem, & æqualitatem contritionis, vel attritionis ad remiſſionem venialis, & quia hoc debet homini juſto, N. Promiſſio autem remiſſionis non tollit rationem remiſſionis, nec impedit ne remiſſio ſit gratuita & liberalis.

AR-

ARTICULUS V.

Utrùm veniale poſſit remitti ei, cui non eſt remiſſum mortale, & an unum veniale poſſit remitti ſine alio veniali.

Responsio I.

PEccatum veniale conjunctum cum mortali, non poteſt remitti de lege ordinaria, niſi ſimul mortale remittatur. Ita S. Thomas qu. 87. art. 4. in O.

Prob. Quia veniale conjunctum cum mortali, non poteſt, ſecundùm legem ordinariam, remitti ſine contritione perfecta formali, vel virtuali, aut legitimo uſu ſacramenti ad remiſſionem peccatorum inſtituti, ut jam probatum eſt. Sed non poteſt eſſe ſecundùm legem ordinariam contritio perfecta formalis, vel virtualis, aut legitimus uſus ſacramenti ad remiſſionem peccatorum inſtituti, ſine infuſione gratiæ, & non poteſt, ſecundùm legem ordinariam, eſſe infuſio, quin remittantur omnia mortalia ſubjecto, cui gratia infunditur. Ergo peccatum veniale conjunctum cum mortali non poteſt, &c.

Dixi autem, de lege ordinaria: veniale enim abſolutè remitti poteſt ſine mortali, cui conjunctum eſt: nam ſi mortale poteſt abſolutè remitti ſine alio mortali, poteſt à fortiori veniale, &c. Aliter tamen ſtatuit Deus, & quidem convenienter: nam remiſſio venialis eſt veluti quædam conſummatio amicitiæ, & reconciliationis: unde convenienter ſupponit, aut ſaltem habet conjunctam amicitiam, & depoſitionem omnis odii.

Obj. Si peccatum veniale conjunctum mortali, non remittitur ſine illo ſecundùm legem ordinariam, peccatum veniale conjunctum originali non remittitur ſine illo: nam peccatum originale eſt mortale; atque ita ſi quis moriatur cum peccato originali, & aliquo veniali, nondùm commiſſo ullo mortali, nunquam conſequetur remiſſionem venialis, ſicut nunquam conſequetur remiſſionem originalis; proindeque torquebitur in æternum pœna ſenſus propter illud veniale.

Reſp. breviter. Talem peccatorem punitum iri pœna ſenſus, ſecundùm menſuram venialis a ſe commiſſi, quæ pœna non erit æterna, ſed temporalis, & tandem exhaurietur per ſatis-paſſionem, licèt in æternum manſurus ſit reatus culpæ, Deo in æternum retinente illud veniale in ordine ad indignandum peccatori propter illud.

Responsio II.

Secundùm legem ordinariam, unum veniale poteſt remitti ſine alio veniali.

Prob. Nam remiſſio unius venialis non habet neceſſariam connexionem cum remiſſione aliorum, neque ratione diſpoſitionis, quæ poteſt eſſe de uno, & non de alio: poſſum enim conteri vel atteri de uno, & non de alio: & quamvis diſpoſitio eſſet de omnibus, poſſet non habere vim proportionatam remiſſioni omnium: neque ratione Dei remittentis; poteſt enim unum veniale remittere ſine alio, cùm poſſit remittere jus quod habet ad indignandum propter unum veniale, retinendo jus quod habet ad indignandum propter aliud: neque ratione medii, quod uni poteſt applicari, & non alteri; poſſum enim atteri & confiteri ſacramentaliter de uno, & non de altero: neque ratione gratiæ habitualis, quæ non eſt incompatibilis cum peccatis venialibus, nec excludit illa, ſicut nec excluditur ab illis: neque ratione alicujus alterius formæ; nam alia talis forma nulla poteſt aſſignari. Ergo, ſecundùm legem ordinariam, &c.

DISPUTATIO IV.

De reditu peccatorum, & meritorum reviviſcentia.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm peccata remiſſa redeant per peccatum ſubſequens.

OBſerva 1. Peccatum remiſſum poteſt dici redire duobus modis. 1. Propriè & ſimpliciter. 2. Impropriè & ſecundùm quid. Redit propriè & ſimpliciter, ſi redit idem numero, & ſecundùm ſe. Redit impropriè & ſecundùm quid, ſi non redit in ſe, ſed in alio ſimili, vel æquivalenti, vel aliquatenùs participante ipſius malitiam, vel denique in quo virtualiter aliquo modo continetur.

Obſerva 2. Peccatum remiſſum poteſt dici redire ſecundùm ſe duobus modis. 1. Quoad modum eſſendi phyſicum, ita ut illud idem numero peccatum aliàs commiſſum, & phyſicè præteritum, & poſteà condonatum, incipiat de novo exiſtere phyſicè, & tam phyſicè exiſtere, quàm cùm primò commiſſum fuit. 2. Quoad modum eſſendi moralem, ita ut idem numero peccatum quod deſierat exiſtere non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter in ordine ad certos effectus propter remiſſionem, de novo incipiat exiſtere moraliter in ordine ad effectus illos præſtandos, perinde ac ſi nunquam fuiſſet remiſſum.

Obſerva 3. Peccatum remiſſum poteſt dici redire ſecundùm ſe quoad modum eſſendi moralem, vel quantùm ad reatum culpæ, ita ut Deus reſcindat factam à ſe condonationem juris, quod habebat ad indignandum propter illud peccatum, & rurſus peccatum illud in memoria retineat in ordine ad odium abominationis, ſi ſit peccatum mortale, aut ad levem indignationem, ſi ſit veniale: vel quantùm ad reatum pœnæ, ita ut Deus reſcindat factam à ſe condonationem juris, quod habebat ad puniendum peccatorem propter illud peccatum, & rurſùs peccatum illud in memoria retineat in ordine ad exigendam à peccatore pœnam, aut æternam, ſi ſit peccatum mortale, aut temporalem, ſi ſit veniale: vel denique quantùm ad utrumque reatum, ita ut Deus reſcindat factam à ſe condonationem utriuſque juris, quod habebat ad indignandum & puniendum propter illud peccatum, & rurſus, &c.

Responsio I.

Peccata remiſſa non redeunt per peccatum ſubſequens ſecundùm modum eſſendi phyſicum.

Eſt manifeſta: nam peccata remiſſa non poſſunt redire ſecundùm modum eſſendi phyſicum, quin phyſicè reproducantur. At homo de novo peccans non reproducit phyſicè peccata aliàs à ſe commiſſa, & à Deo remiſſa. Ergo, &c.

Responsio II.

Peccata remiſſa quoad reatum culpæ, non redeunt per ſubſequens peccatum, ſecundùm modum eſſendi moralem, quoad reatum illum.

Ita ſanctus Thomas quæſt. 88. art. 1. in O. & *prob.* Quia remiſſio peccati quoad reatum culpæ, prout nunc fit, eſt abſoluta, ſine ulla conditione, vel ſuſpenſione, aut dependentia à peccato futuro: Deus enim jus, quod habet ad indignandum peccatori propter peccatum, condonat abſolutè ſine ulla conditione, vel ſuſpenſione, aut dependentia à peccato futuro. Ergo peccatum remiſſum quoad reatum culpæ, non poteſt redire moraliter quoad reatum illum per peccatum ſubſequens. Conſeq. eſt manifeſta: nam peccatum quoad reatum culpæ remiſſum, non poteſt redire moraliter quoad reatum illum per peccatum

Digitized by Google

ſubſequens, niſi per peccatum ſubſequens reſcindi poſſit remiſſio illius peccati quoad reatum culpæ. Non poteſt autem, ſi facta ſit abſolutè, & independenter à peccato ſubſequente.

Ant. verò manifeſtè colligitur ex his verbis Joan. cap. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* Et ex illis, Matth. cap. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quibus verbis remiſſio peccatorum abſoluta & independens à peccatis futuris, promittitur iis qui in ſacramento Pœnitentiæ juſtificantur: unde ſacerdos in hoc ſacramento abſolvit pœnitentem, nulla appoſita conditione futuri. Igitur peccatorum remiſſio, quæ fit in ſacramento Pœnitentiæ, fit abſolutè: non eſt autem minùs abſoluta, cùm fit extra uſum hujus ſacramenti. Eò pertinent Scripturæ loca, quibus dicitur peccata in juſtificatione ſicut nivem dealbari, exinaniri, aboleri, projici in profundum maris, &c. Quibus apertè inſinuatur remiſſio peccatorum non ſolùm vera, ſed etiam abſoluta, & ab omni conditione futuri independens, quò pertinet etiam illud, Rom. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei.*

Responsio III.

Peccata quoad reatum pœnæ remiſſa non redeunt per ſubſequens peccatum, ſecundùm modum eſſendi moralem quoad reatum illum.

Ita S. Thomas eodem loco, & *prob.* Quia remiſſio peccati ſecundùm reatum pœnæ, prout nunc fit, ſive pœna remittatur integrè, ut fit in baptiſmo, ſive non remittatur integrè, ſed in aliam minorem commutetur, ut fit regulariter extra baptiſmum; nam extra baptiſmum regulariter pœna temporalis æternæ ſubſtituitur; remiſſio, inquam, peccati quoad reatum pœnæ, prout nunc fit, eſt abſoluta, ſine conditione, vel ſuſpenſione, aut dependentia à peccato futuro, ſicut remiſſio culpæ: Deus enim non remittit totam pœnam, aut in minorem commutat, appoſita hac clauſula. Si non iterùm homo peccaverit, vel donec iterùm peccaverit; ſed abſolutè & ſimpliciter: unde illud Gelaſii cap. ultim. de pœnitentia diſt. 4. *Divina clementia remiſſa peccata in ultionem ulterius venire non patitur.* Ergo peccatum quoad reatum pœnæ remiſſum, non poteſt redire moraliter quoad reatum illum, per peccatum ſubſequens.

Conſeq. Patet: non poteſt enim peccatum illud ſic redire per peccatum ſubſequens, niſi per illud reſcindi poſſit remiſſio pœnæ, ac proinde niſi remiſſio pœnæ facta fuerit cum conditione & dependentia ab illo, & ea lege, ut ſi iterùm peccet is cui facta eſt, nulla cenſeatur, & totum jus puniendi reviviſcat. Quod fieri potuit, ſed tamen factum non eſt, Deo pro ſua benigniſſima miſericordia aliter ſtatuente.

Dices. Poteſt aliquis poſt peccatum mortale commiſſum, & dimiſſum, rurſus peccare æquè graviter. Sed in hac hypotheſi redibit reatus pœnæ ejuſdem: nam homo ille erit de novo reus ejuſdem pœnæ damni & ſenſus. Ergo, &c. *R.* diſt. min. Redibit reatus pœnæ ejuſdem materialiter, Con. min. Ejuſdem formaliter, N. min. *Nota.* Pœna poteſt ſpectari dupliciter, materialiter ſcilic. & formaliter. Pœna materialiter eſt incommodum aliquod, ſive poſitivum, ſive privativum. Pœna formaliter eſt incommodum illud ſumptum reſpectivè ad peccatum, propter quod infligitur, vel debitum illius incurritur. Itaque in facta hypotheſi redit eadem pœna materialiter, quatenùs peccator pœnam damni & ſenſus tantam incurrit, quantam priùs incurrerat, & Deus dimiſerat. At non redit eadem pœna formaliter, quia hanc pœnam non incurrit propter peccatum priùs commiſſum & dimiſſum, ſed propter peccatum quod recèns commiſit, & quod æqualis gravitatis eſt cum priori. Unde in hypotheſi facta peccatum priùs commiſſum, & quoad reatum pœnæ dimiſſum, non redit propriè & ſimpliciter quoad reatum illum, ſed tantùm impropriè & ſecundùm quid, ut facilè intelligetur ex modo dicendis.

Responsio IV.

Peccata remiſſa non redeunt propriè & ſimpliciter, ſed redeunt impropriè, & ſecundùm quid per peccatum ſubſequens.

1. Pars ſequitur ex dictis: nam ſi peccata ſemel remiſſa redeunt propriè & ſimpliciter, vel redeunt ſecundùm modum eſſendi phyſicum, vel ſecundùm modum eſſendi moralem. Neutrum dici poteſt, ut patet ex reſp. 1. 2. & 3. Secunda pars prob. Nam peccata remiſſa ſæpè redeunt per peccatum ſubſequens in ſimili offenſione Dei, in ſimili privatione gratiæ, & reatu pœnæ æternæ, ut cùm quis poſt peccata mortalia remiſſa, rurſùs peccat mortaliter. At illud redit impropriè & ſecundùm quid, quod redit in ſimili, ſeu cui præterito ſuccedit aliquid ſimile; & patet in febri, quam dicimus redire, cùm quis à febri ſanatus, poſteà in ſimilem morbum reincidit. Ergo, &c.

Prætereà, peccatum ſubſequens virtualiter continet reatum prioris ſecundùm quid, quatenùs ex remiſſione prioris contrahit gravitatem aliquam; nam beneficium remiſſionis obligat nos ex gratitudine ad non peccandum ampliùs: unde peccatum ſubſequens remiſſionem, habet malitiam ingratitudinis. Ita ſanctus Thomas eod. loco, & art. 2. in O. Sed

Obſerva 1. Peccatum ſubſequens remiſſionem, ſemper habet ingratitudinem materialem: nam ut ſit ingratitudo materialis, ſufficit ut aliquid fiat contra debitum gratitudinis. At peccatum quod admittitur poſt beneficium remiſſionis, fit contra debitum gratitudinis, nam beneficio accepto, gratitudo obligat nos ad non faciendum aliquid, quod benefactori diſpliceat. Ergo peccatum quod admittitur poſt beneficium remiſſionis, habet ingratitudinem materialem; non tamen fortaſsè ſemper habet ingratitudinem formalem: nam ingratitudo formalis eſt ingratitudo imputabilis. At peccatum ſubſequens remiſſionem, non ſemper habet ingratitudinem imputabilem, ſuppoſito quòd aliquando fieri poſſit, & fiat cum inculpabili inadvertentia quòd ſit contra debitum gratitudinis, & ita fiat ſine libertate neceſſaria ad imputabilitatem ingratitudinis. Sed pro formali ingratitudine.

Obſerva 2. Duplex eſt ingratitudo formalis; una indirecta & interpretativa; altera verò directa & expreſſa. Ingratitudo indirecta eſt, cùm quis poſt beneficium remiſſionis rurſùs peccat, præciſè advertens, aut potens advertere id diſplicere benefactori: tunc enim non directè, ſed indirectè tantùm & interpretativè vult agere contra debitum gratitudinis: unde ſi peccat graviter, non formaliter & expreſsè, ſed virtualiter tantùm contemnit beneficium remiſſionis, & benefactorem. Ingratitudo directa eſt, cùm quis poſt beneficium remiſſionis rurſùs peccat, non ſolùm ſciens id diſplicere benefactori, ſed etiam ut diſpliceat, & oſtendat ſe parvi facere beneficium & benefactorem: tunc enim directè & expreſsè vult agere contra debitum gratitudinis, & formaliter, ac expreſsè contemnit beneficium & benefactorem. Hæc ingratitudo graviſſima eſt & diabolica, eſſeque peccatum ſpeciale nemo ambigit. De ingratitudine verò indirecta eſt aliqua controverſia. Pro quo

Obſerva 3. Longè probabilius eſt ingratitudinem etiam indirectam eſſe peccatum ſpeciale: nam ubicumque agitur contra debitum ſpeciale & proprium alicujus virtutis, ibi reperitur malitia propria, & ratio ſpecialis peccati virtuti illi oppoſita. At cùm quis peccat poſt beneficium remiſſionis, agit contra debitum proprium & ſpeciale gratitudinis; nam ea lege propria gratitudinis tenemur ad non offendendum benefactorem, qui beneficio ſuo obligat nos ad non reddendum ei malum pro bono. Ergo peccatum, quod poſt beneficium remiſſionis admittitur, habet malitiam propriam & ſpecialem, oppoſitam gratitudini; ac proinde eſt peccatum proprium & ſpeciale ingratitudinis, ſive is qui peccat, directè intendat offendere benefactorem, ſive intendat indirectè tantùm, & interpretativè. Hæc autem circumſtantia ingratitudi-

nis,

nis, ſi ſit graviſſima & extraordinaria, aperienda eſt in confeſſione, dicendo ſe graviter peccaſſe poſt plurima & graviſſima peccata remiſſa, vel poſt maxima & frequentiſſima beneficia: alioqui ſufficienter nota prudenti ſacerdoti cenſenda eſt. Sed

Obſerva 4. Ingratitudo peccantis poſt remiſſionem non ſemper facit, ut omnia peccata remiſſa æquivalenter redeant, ita ut ſemper peccatum poſt remiſſionem commiſſum habeat tantùm malitiæ, quantùm omnia remiſſa: neque enim neceſſe eſt ut tanta ſit ingratitudo peccantis poſt remiſſionem, quantùm fuit beneficium remiſſionis; ſed ſolùm eò major eſt proportionaliter ingratitudo, & major culpa ex parte ingratitudinis, quò majus fuit beneficium remiſſionis, cæteris paribus. Eò autem majus fuit remiſſionis beneficium, quò plura & majora peccata remiſſa fuerunt; atque ita quò plura & majora peccata remiſſa fuerunt, eò major eſt proportionaliter ingratitudo, & culpa ex parte ingratitudinis, cæteris paribus, ut docet S. Thomas a. 3. in O.

Obſerva denique 5. Remiſſio peccatorum non eſt ſola tota cauſa, cur ille qui peccat ſit ingratus, & graviùs peccet, quà ingratus: nam cætera etiam beneficia obligant nos ad non offendendum benefactorem, ut creatio, conſervatio, redemptio, præſervatio à peccatis, ſeu beneficium innocentiæ, &c. Sed ut probes peccata remiſſa redire propriè & ſimpliciter per peccatum ſubſequens,

Obj. Matth. cap. 18. Dominus ſervo nequam omne debitum dimittit, & tamen poſtea audita ejus crudelitate in conſervum, illud revocat, quod idem Deus dicitur nobis eſſe facturus, niſi invicem offenſas remiſerimus. *R.* cum Suare, Vaſque, &c. poſt Chryſoſtomum, & alios antiquiores interpretes, in parabolis evangelicis intentionem Chriſti, non exactam ſimilitudinem ſpectandam eſſe. Chriſtus autem intendit tantùm oſtendere Deum ſeverè acturum cum immiſericordibus, ſicut Rex ille, de quo loquitur in parabola, ſeverè egit cum ſervo immiſericorde, ſicèt non eodem planè modo, ſi ſupponatur Rex ille idem numero debitum abſolutè remiſſum revocaſſe; quod jure facere non potuit.

Obj. 2. Lib. 3. Regum cap. 17. Deus dicitur, data occaſione, recordari peccatorum, ea ſcilicet puniendo, quæ jam remiſſa erant. *Reſp.* 1. Scripturam loqui de peccatis non omninò remiſſis, quatenus ſupereſt adhuc pœna aliqua pro illis ſolvenda, quam dum Deus cunctatur repetere, videtur peccatorum oblivíſci; ſed tandem novis peccatis, vel aliqua alia occaſione provocatus, peccata illa cum recentibus graviter punit.

Obj. 3. Auguſtinus, Beda, & alii videntur docere peccata dimiſſa redire per peccatum ſubſequens. *R.* 1. intelligendos eſſe de reditu ſumpto impropriè & ſecundùm quid, modo ſupra explicato, ut docet S. Thomas a. 1. ad 1. & 2.

ARTICULUS II.

Utrùm merita per peccatum ſubſequens mortificata, peccato remiſſo reviviſcant.

OBſerva 1. Varia hic opera diſtinguenda ſunt, nempe opera viva, mortificata, & mortua. Opera viva ſunt ea quæ fiunt ab homine exiſtente in ſtatu gratiæ, & tribuunt illi jus ad gloriam. Mortificata, ſunt ea quæ facta in ſtatu gratiæ, tribuerunt homini jus ad gloriam, ſed poſtea per peccatum mortale ſupervenіens impediuntur ne effectum ſuum habeant, & jus illud tribuant homini exiſtenti in peccato mortali. Mortua duplicia ſunt; alia enim ſunt mortua effectivè, alia verò mortua formaliter. Mortua formaliter, ſunt opera bona & ſupernaturalia, quæ fiunt ab homine peccatore, cui proinde non tribuunt jus ad gloriam. Mortua effectivè, ſeu mortifera, ſunt opera graviter mala, quæ mortem ſpiritualem animæ inferunt, inducendo privationem gratiæ ſanctificantis.

Obſerva 2. Opera mortua effectivè, donec aboleantur per condonationem, aut condignam ſatisfactionem acceptatam, reddunt hominem peccatorem damnationi æternæ obnoxium. Opera mortua formaliter nec debitum pœnæ æternæ inducunt, ut volunt Lutherani; nec unquam jus tribuunt ad gloriam, ſive poſtea peccator juſtificetur, ſive non: cùm enim fiant extra ſtatum gratiæ, non habent, nec habere poſſunt eam cum gloria proportionem, quæ neceſſaria eſt ad meritum de condigno. Opera viva, quamdiu viva ſunt, hoc eſt, quandiu perſeverat ſtatus gratiæ in quo fiunt, tribuunt homini jus ad gloriam, & vim habent expeditam perducendi ad vitam æternam. Quòd ſi homo poſtea peccet mortaliter, tunc deſinunt jus ad gloriam illi tribuere, & vis, quam habebant, perducendi ad vitam æternam, ſaltem impeditur & ſuſpenditur: tunc enim homo per peccatum fit gravi odio Dei obnoxius, & reus damnationis æternæ, proindeque incapax juris ad gloriam, ac vitæ æternæ exſors. Unde opera viva per peccatum mortale ſubſequens ſaltem mortificantur. Sed quæritur an non per illud planè extinguantur, & eo remiſſo reviviſcant? Pro quo ſit

RESPONSIO I.

Opera viva per peccatum mortale ſubſequens non extinguuntur, ſed eo remiſſo reviviſcunt.

Ita S. Thomas q. 89. a. 5. in O. & *prob.* Quia Deus bona opera in ſtatu gratiæ facta acceptat ad gloriam ſuo tempore tribuendam, modò is, cujus ſunt opera, decedat in gratia. Ergo quandiu vivit is, cujus ſunt opera, & ita poteſt in gratia decedere, tandiu poteſt per illa conſequi gloriam ſuo tempore. Ergo opera illa tandiu vim retinent perducendi ad gloriam ſuo tempore, quandiu is, cujus ſunt, vivit, & ita poteſt in gratia decedere. Ergo vis, quam habent opera illa, perducendi ad gloriam ſuo tempore, non aboletur per ſubſequens peccatum, (excepto peccato finali, quod hic ſemper exceptum volumus) ſed tantùm mortificatur, hoc eſt, tantùm impeditur & ſuſpenditur, quatenùs ei, cujus ſunt, præcisè deſinunt tribuere jus ad gloriam propter impedimentum peccati ſubſequentis. Ergo vis, quam habent opera illa perducendi ad gloriam ſuo tempore, peccato ſubſequenti remiſſo, reviviſcit, hoc eſt, incipit eſſe efficax & expedita, & homini, cujus ſunt opera, jus ad gloriam operibus reſpondentem reſtituitur: nam vis, quam habent opera illa perducendi ad gloriam ſuo tempore, non poteſt impediri & ſuſpendi per peccatum mortale ſubſequens, niſi quandiu perſeverat moraliter in ordine ad gravem Dei indignationem, & dignitatem pœnæ æternæ. Conſequentiæ illæ omnes claræ ſunt. Tota ergo difficultas eſt in ant. Et

Prob. manifeſtè ex Trid. ſeſſ. 6. can. 32. ubi dicitur: *Si quis dixerit hominis juſtificati opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema ſit.* Ergo ut quis gloriam conſequatur per merita, duo tantùm requiruntur, nempe opera ſupernaturalia in ſtatu gratiæ facta, & ut in gratia decedat. Ergo Deus bona opera in ſtatu gratiæ facta, acceptat ad gloriam ſuo tempore tribuendam, modò is, cujus ſunt opera, decedat in gratia.

Obj. 1. Si homo poſt bona opera in ſtatu gratiæ facta, peccet mortaliter, amittit omne jus ad gloriam, quod habebat ab illis operibus. Ergo opera ipſa abolentur & extinguuntur penitùs. *Reſp.* neg. conſ. Licèt enim opera deſinant tribuere jus ad gloriam propter impedimentum peccati ſubſequentis, manent tamen in acceptatione Dei in ordine ad gloriam pro illis ſuo tempore retribuendam, & vim, quamvis impeditam & ſuſpenſam, dandi jus ad gloriam, & ad eam ſuo tempore perducendi retinent quandiu homo vivit, & poteſt à peccato reſurgere, atque in gratia mori.

Ratio à priori eſt, quia, ut dictum & probatum eſt, Deus acceptat bona opera in ſtatu gratiæ facta, ad gloriam ſuo tempore tribuendam, ſub ſola conditione deceſſus in gratia. Unde bona opera in ſtatu gratiæ facta, tunc ſolùm abolentur, & extinguuntur penitùs, cùm homo peccat mortaliter, & in peccato moritur.

Obj. 2. Peccata remiſſa non reviviſcunt per peccatum ſubſequens. Ergo nec merita mortificata reviviſcunt per pœnitentiam ſubſequentem. *R.* neg. conſeq. ratio diſparitatis eſt, quia peccata remiſſa, ſunt penitus abolita: Deus enim peccata remittit, renuntiando abſolutè & ſimpliciter juri quod habet ad indignandum propter illa. Unde poſt remiſſionem, quidquid accidat, peccata non poſſunt magis fundare juſtam Dei indignationem, quàm ſi nunquam fuiſſent commiſſa; nec magis poteſt Deus propter peccatum ſubſequens habere illorum rationem in ordine ad indignandum, quàm ſi nunquam fuiſſent. At merita mortificata non ſunt abolita: manent enim in acceptatione Dei in ordine ad gloriam pro illis ſuo tempore retribuendam, quandiu is, cujus ſunt, poteſt decedere in gratia, & ita quandiu is, cujus ſunt, poteſt decedere in gratia, retinent vim perducendi ad gloriam ſuo tempore, quamvis impeditam & ſuſpenſam propter peccatum ſubſequens: unde poſſunt reviviſcere, & reviviſcunt, remiſſo peccato: tunc enim, ſublato impedimento, rurſus vim habent expeditam, & homini jus ad gloriam ſuo tempore tribuendam reſtituunt.

Ita S. Thomas ad 1. ubi ait: *Opera peccati per pœnitentiam abolentur ſecundum ſe: ita ſcilicet quod ex eis ulterius Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur. Sed opera in charitate facta non abolentur à Deo, in cujus acceptatione remanent: ſed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis; & ideo remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte ſua illud quod opera merebantur.*

Obj. 3. Conc. Trid. requirit perſeverantiam in gratia uſque in finem, tanquam conditionem neceſſariam ad conſequendam gloriam per pia opera in ſtatu gratiæ facta: nam ſic loquitur ſeſſ. 6. can. 26. *Si quis dixerit juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo, uſque in finem perſeveraverint: anathema ſit.* Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad prob. R.* aliud eſſe dicere juſtos debere pro bonis operibus in Deo factis expectare retributionem æternam, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint; aliud verò dicere juſtos non debere pro bonis operibus in Deo factis expectare retributionem æternam, niſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint. Primum aſſerit Synodus, non alterum. Imò eadem ſeſſ. can. 32. ad conſequendam goloriam per bona opera facta in ſtatu gratiæ, ſufficere ſimplicem in gratia deceſſum manifeſtè ſignificatur. *Nota.* Ex Conc. Trident. duplex eſt modus conſequendi gratiam per bona opera in ſtatu gratiæ facta, nempe perſeverantia uſque in finem, & ſimplex in gratia deceſſus.

Obj. 4. Si merita per peccatum ſubſequens mortificata, reviviſcunt, remiſſo peccato, vel ex miſericordia, vel ex juſtitia reviviſcunt. Neutrum dici poteſt. Ergo, &c. *R.* reviviſcere partim ex miſericordia, partim ex juſtitia: nam miſericordia eſt 1. quòd Deus peccatorem excitet ad pœnitentiam, ſine qua merita mortificata non reviviſcerent. 2. Quòd Deus peccatorem pœnitentem juſtificet: gratis enim juſtificat pœnitentem, qui ſine juſtificationis gratia jus ad gloriam propter merita præcedentia non recuperaret. 3. Quòd Deus ad gloriam ſuo tempore tribuendam propter bona opera in ſtatu gratiæ facta non requirat perſeverantiam in illo ſtatu uſque in finem. At ſuppoſito quòd Deus ad gloriam ſuo tempore tribuendam propter bona opera in ſtatu gratiæ facta, contentus fuerit ſimplici deceſſu in gratia, homini pœnitenti & juſtificato idem jus ad gloriam tribuunt, quod ante peccatum tribuerant, & eandem perducendi ad gloriam ſuo tempore vim habent, quam ante peccatum habebant, tamque homini juſtificato debetur gloria propter illa, quàm ſi è ſtatu gratiæ nunquam excidiſſet, & in hoc ſenſu merita mortificata reviviſcunt ex juſtitia, peccato gratis remiſſo ei, cujus ſunt merita.

Responsio II.

Opera viva, per peccatum mortale ſubſequens mortificata, reviviſcunt quoad totum præmium eſſentiale proprium.

Prob. Nam præmium eſſentiale proprium meritorum eſt certus & determinatus gloriæ gradus, ad quem à Deo acceptantur. At merita acceptantur ad certum illum & determinatum gloriæ gradum ſub conditione ſimplicis in gratia deceſſus. Ergo merita acceptantur ad præmium eſſentiale proprium ſub conditione ſimplicis in gratia deceſſus. Ergo vim ad præmium eſſentiale propriam retinent, quandiu is, cujus ſunt, poteſt decedere in gratia. Ergo vis illa non abolетur, nec minuitur per peccatum ſubſequens, à quo is cujus ſunt, poteſt reſurgere. Ergo peccato per remiſſionem ſublato, vis illa tota reviviſcit, & non ex parte tantùm; proindeque merita reviviſcunt ad totum præmium eſſentiale proprium.

Obj. Si ita eſt, qui à peccato mortali reſurgit per contritionem etiam valdè remiſſam, habiturus eſt majus præmium eſſentiale proprium, quàm ſi non peccaſſet: nam non ſolùm habiturus eſt præmium eſſentiale reſpondens contritioni per quam reſurgit, ſed etiam præmium eſſentiale reſpondens prioribus meritis. Atqui hoc eſt abſurdum; nam alioqui melius erit peccare, & à peccato reſurgere, quàm ab utroque abſtinere. *Reſp.* neg. min. & ejus prob. Nam qui reſurgit à peccato per contritionem etiam valdè remiſſam, majus præmium eſſentiale habiturus eſt, non quia peccavit, ſed quia antequam peccaret, bona opera exercuit; & poſtquam peccavit, pœnitentiam egit.

Responsio III.

Peccato, per quod mortificabantur merita, remiſſo, ſtatim reſtituitur tota gratia ſanctificans meritis illis reſpondens.

Prob. Nam tunc merita ſtatim reſtituunt homini, cujus ſunt, jus ad totum præmium eſſentiale proprium, ut probatum eſt. Ergo etiam ſtatim ei reſtituunt jus ad totam gratiam ſanctificantem præmio illi reſpondentem: hæc enim duo jura ſecundùm legem ordinariam ſunt inſeparabilia. Ergo ſtatim reſtituitur tota gratia ſanctificans præmio illi reſpondens. Ergo, quod idem eſt, &c.

Obj. 1. Tota juſtificatio gratuita eſt. Ergo tota gratia, quæ in juſtificatione confertur, gratis datur. Ergo in juſtificatione nulla confertur gratia propter præcedentia merita: nam hæc gratia non daretur gratuitò, ſed ex juſtitia.

Reſp. concedendo ant. Nam hìc intelligitur, nomine juſtificationis, translatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ: hæc autem translatio tota gratuita eſt. Unde diſtinguo 1. conſeq. Ergo tota gratia, quæ in juſtificatione confertur, & per quam homo à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ transfertur, gratis datur, C. conſeq. Et per quam homo à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ non transfertur, ſed translatus ſupponitur, N. conſeq. 1. & 2. Nam gratia, quæ in juſtificatione confertur intuitu præcedentium meritorum, non transfert hominem à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, ſed translatum ſupponit. Unde nihil vetat hanc gratiam etiam in ipſa juſtificatione conferri, & ſimul ex juſtitia conferri.

Nota. In juſtificatione hominis, qui poſt bona opera in ſtatu gratiæ facta, mortaliter lapſus eſt, duplex gratia infunditur, una intuitu contritionis, & aliorum actuum, quibus pœnitens ſe ad juſtificationem diſponit; per hanc gratiam homo juſtificatur formaliter, & à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ transfertur;

alte-

altera verò intuitu præcedentium meritorum, per quam homo non juſtificatur, ſed juſtificatus ſupponitur, & magis juſtus efficitur. Prima priùs natura infunditur, quàm infundatur ſecunda, & ita homo per primam priùs natura juſtus efficitur, quàm ſecundam accipiat, & per eam juſtior efficiatur; ambas tamen in eodem inſtanti reali recipit. Prima datur gratis, & homini juſtificando: ſecunda datur ex juſtitia, & homini juſto; ita in eodem inſtanti reali eidem homini diverſi gradus gratiæ ex diverſis titulis infunduntur.

Obj. 2. Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. docet infundi in juſtificatione gratiam proportionatam diſpoſitioni pœnitentis. Sed diſpoſitio pœnitentis modò magis, modò minùs intenſa eſt, & quandoque valdè remiſſa. Ergo ſaltem non reſtituitur ſemper tota gratia meritis prioribus reſpondens, præſertim quando eſt multùm intenſa. *Reſp.* Concilium loqui de gratia, quæ infunditur intuitu contritionis, & aliorum actuum, quibus homo ad juſtificationem diſponitur, non verò de gratia per peccatum ſubſequens amiſſa, ad quam contritio & alii actus pœnitentis non ſe habent per modum diſpoſitionis, ſed per modum removentis prohibens, peccatum ſcilicet, quo per remiſſionem ſublato, jus ad totam illam gratiam reviviſcit, & ſic tota reſtituitur propter præcedentia merita, quæ moraliter remanent in acceptatione Dei, & per peccati remiſſionem reviviſcentia, habent ſufficienter rationem diſpoſitionis reſpectu illius gratiæ.

Responsio IV.

Peccato, per quod mortificabantur merita, remiſſo, virtutes omnes ſupernaturales, & quidem ſecundùm omnes gradus meritis illis reſpondentes, ſtatim reſtituuntur.

Prob. Nam virtutes ſupernaturales ſunt comites individuæ gratiæ ſanctificantis. Sed peccato, per quod mortificabantur merita, remiſſo, ſtatim tota gratia meritis illis reſpondens reſtituitur. Ergo ſtatim etiam reſtituuntur virtutes omnes ſupernaturales, & quidem, &c.

Dices. Qui poſt bona opera in ſtatu gratiæ facta, peccat mortaliter, indignus eſt ut ei reſtituantur gratia & virtutes meritis prioribus reſpondentes. *R.* eſſe indignum, quandiu eſt in ſtatu peccati: at peccato condonato, dignus eſt, quanquam hæc dignitas ſupponit multiplicem miſericordiam.

Dices iterùm. Virtutes naturales non reſtituuntur. Ergo nec ſupernaturales. *Reſp.* magnam eſſe diſparitatem: nam virtutes naturales non recuperantur, niſi per actus proportionatos, ſicut non amittuntur, niſi per actus oppoſitos, à quibus phyſicè deſtruuntur, juxta conditionem habituum naturalium, quales illæ ſunt. At virtutes ſupernaturales, ſicut recedente gratia ſanctificante recedunt, ita redeunte redeunt, propter connexionem quam habent cum illa ſaltem ex ordinatione divina, ſecundùm quam virtutes illæ deſtruuntur, ſi deſtruitur gratia ſanctificans; & infunduntur, ſi infunditur.

DISPUTATIO V.

De Contritione.

ARTICULUS I.

Quid ſit contritio, & an ſit actus virtutis generalis, vel ſpecialis.

Responsio I.

Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

Eſt contra Lutheranos, docentes contritionem nihil aliud eſſe, quàm terrorem quemdam conceptum ex conſideratione peccatorum, & ſuppliciorum quæ lex divina comminatur. Sed contra illos

Prob. reſp. 1. Ex Conc. Florent. in decreto §. *Quartum*, ubi ſic habetur: *Quartum ſacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* 2. Ex Triden. ſeſſ. 14. cap. 4. *Contritio*, inquit, *quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.*

Responsio II.

Tres actus enumerati, nempe dolor, deteſtatio, & propoſitum, formale ſcilicet, ſunt partes eſſentiales contritionis.

Prob. Et 1. quidem, quòd dolor & deteſtatio ſint partes eſſentiales contritionis, manifeſtum videtur ex Trid. loco citato, ubi dolor & deteſtatio dicuntur in recto de contritione: nihil enim in recto dici poteſt de re aliqua, quod non ſit ipſa res. Præterea, cùm dolor & deteſtatio æquè in recto dicantur à Synodo de contritione, vel uterque actus eſſentialis eſt contritioni, vel neuter. At abſurdum eſt dicere quòd neuter actus ſit eſſentialis contritioni. Ergo dicendum eſt utrumque eſſe eſſentialem.

2. Quòd propoſitum non peccandi de cætero ſit etiam pars eſſentialis contritionis, in quo eſt major difficultas, oſtenditur hoc argumento. Contritio definitur à Trident. *Dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Sed definitur per partes eſſentiales; alioquin diceret dolorem & deteſtationem non eſſe eſſentiales contritioni. Ergo non ſolùm dolor & deteſtatio, ſed etiam propoſitum eſt pars eſſentialis contritionis. Sed contra hanc probationem,

Dices 1. Concilium loquitur tantùm de propoſito virtuali. Sed contra eſt; quia 1. Pari jure deberet loqui de dolore & deteſtatione virtuali. 2. Si loquitur tantum de propoſito virtuali, verba illa, *Cum propoſito non peccandi de cætero*, ſunt ſuperflua: nam dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, quales requiruntur ad contritionem, ſunt virtuale propoſitum non peccandi de cætero. 3. Concilium requirit ſimpliciter propoſitum non peccandi de cætero. At propoſitum virtuale non eſt propoſitum, ſed tantùm aliquid habens virtutem propoſiti; ſicut dolor virtualis non eſt dolor, ſed tantùm aliquid habens virtutem doloris.

Dices 2. Propoſitum non peccandi de cætero ponitur tantùm in obliquo in definitione contritionis. *Reſp.* poni quidem in obliquo, ſed grammaticaliter tantùm; quod patet ex eo quòd eodem capite de contritione affirmetur eodem planè modo, quo dolor & deteſtatio: nam ſic legitur: *Declarat igitur ſancta Synodus hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.*

Dices 3. Dolor & deteſtatio de peccato commiſſo ſufficiunt ad juſtificationem, ſine propoſito formali non peccandi de cætero. Ergo propoſitum hoc non eſt de eſſentia contritionis, ſine qua peccator non poteſt juſtificari. *R.* neg. ant. quod ſine ſufficienti fundamento aſſeritur. Et verò Deus ad juſtificationem peccatoris potuit exigere propoſitum formale non peccandi de cætero; & quòd non exigat, probari non poteſt: imò quòd exigat manifeſtum videtur ex Trid. Poſtquam enim Synodus contritionem definiit dolorem & deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, ſic ſtatim proſequitur: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Et paulò inferiùs: *Declarat igitur ſancta Synodus hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, &c.*

Probabis tamen ant. negatum. 1. Dolor & deteſtatio de peccato commiſſo includunt virtuale propoſitum non peccandi de cætero. Ergo ſufficiunt ad juſtificationem ſine propoſito formali. 2. Quandoque abſolvendus eſt pœnitens qui ſigna doloris oſtendit,

licèt nullo ſigno oſtendat ſe proponere meliorem vitam in futurum. 3. Scriptura vim juſtificandi tribuit dolori, nulla mentione facta propoſiti, imò docet multos juſtificatos fuiſſe ſine propoſito formali, ſic ait Davidem juſtificatum fuiſſe, ubi primùm dixit ore & corde: *Peccavi Domino*. 4. Secundùm nos, fieri poſſet, ut qui verè dolens de peccatis, eaque verè deteſtans, etiam propter Deum ſummè dilectum, non juſtificaretur, ſi nimirùm non cogitaret de propoſito eliciendo; & ſi moreretur ante propoſitum, damnaretur; quod eſt abſurdum.

Reſp. ad 1. neg. conſeq. quæ non magis valet, quàm iſta: Propoſitum formale non peccandi de cætero includit virtualem dolorem & deteſtationem de peccato commiſſo. Ergo ſufficit ad juſtificationem ſine formali dolore & deteſtatione. *Reſp. ad* 2. tunc ſigna doloris eſſe etiam ſufficienter ſigna propoſiti, quod tunc prudenter præſumitur, ſicut & ipſe dolor. Unde abſolvendus eſt pœnitens. *Reſp. ad* 3. Scripturam ſæpe etiam vim juſtificandi tribuere fidei, timori, eleemoſinæ, &c. nulla mentione facta doloris, & tamen non juſtificant ſine dolore. Itaque Scriptura multis rebus tribuit vim juſtificandi, non quòd poſſint ſolæ juſtificare, ſed quòd ad eam ſuo modo conferant, & reipſa perducant, ſi cætera adſint. Ad id autem quod additur, Scripturam docere multos ſine propoſito formali juſtificatos fuiſſe, *R.* falſum eſſe. Ad exemplum Davidis, dico eum habuiſſe non ſolùm dolorem & deteſtationem de peccato commiſſo, ſed etiam propoſitum non peccandi de cætero: quod ſufficienter ſignificavit, dicendo, *Peccavi Domino*.

Reſp. denique ad 4. nihil ſimile timendum eſſe; nam non poteſt quis verè dolere, & deteſtari peccata commiſſa, quin ſimul cogitet de propoſito vitæ melioris, tum propter naturalem connexionem illorum actuum, tum quia gratia, ſine qua non poteſt eſſe contritio ad juſtificationem ſufficiens, non ſolùm ad dolorem & deteſtationem, ſed etiam ad propoſitum excitat. Ad id autem quod additur, damnatum iri eum qui moreretur ante melioris vitæ propoſitum, etiamſi doleret de peccatis propter Deum ſummè dilectum. *Reſp.* hunc caſum nunquam eſſe futurum.

Porrò hanc noſtram de propoſito formali ſententiam tenet Bellarminus, qui pro ea citat S. Thomam, Scotum, Durandum, Albertum, & alios recentiores. S. Thomas quæſt. 87. art. 1. in c. ſic habet: *Pertinet ad rationem veræ pœnitentiæ, quod non ſolùm homo doleat de peccato præterito, ſed etiam proponat cavere de futuro*. Itaque contritio, ſeu actus primus pœnitentis non eſt actus ſimplex, ſed compoſitus ex pluribus, nempe dolore deteſtatione, & propoſito, quorum ſi vel unus abſit, non eſt contritio, quæ primum inter pœnitentis actus locum tenet, & ſine qua, qui mortaliter lapſus eſt, juſtificationis gratiam conſequi non poteſt, ut infra videbitur.

Responsio III.

Contritio eſt actus veræ virtutis.

Prob. ex Scriptura; nam Act. cap. 20. pœnitentia aliis virtutibus annumeratur: ibi enim dicitur: *Teſtificans Judæis, atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Et Luc. cap. 13. legitur: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. At Scriptura, nomine pœnitentiæ intelligit contritionem. Ratio eſt, quia poſtquam aliquis peccavit, honeſtum eſt, & rationi omninò conſentaneum, ut doleat de peccato commiſſo, illudque deteſtetur, & proponat non peccare in poſterum. Accedit authoritas S. Thomæ in ſuppl. q. 5. a. 2. in O. ubi ait: *Contritio importat aliquam rectitudinem voluntatis, & propter hoc, eſt actus virtutis, illius ſcilicet cujus eſt peccatum præteritum deteſtari & deſtruere, ſcilicet pœnitentia*.

Obj. 1. Contritio eſt triſtitia de peccato commiſſo. Sed triſtitia non eſt virtus; eſt enim potiùs paſſio. Ergo, &c. *R.* contritionem eſſe triſtitiam voluntatis, non appetitus ſenſitivi; unde non eſt paſſio, ſed virtus. *Nota*. Duplex eſt triſtitia, una in appetitu ſenſitivo, & eſt paſſio; altera verò eſt in voluntate, & eſt virtus, cùm eſt ex electione, & ſecundùm rationem. Talis autem eſt contritio. V. S. Thomam ad 1.

Obj. 2. Verecundia non eſt virtus, quia eſt de turpi facto. Sed contritio eſt etiam de turpi facto. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Itaque verecundia non eſt virtus, non quia eſt de turpi facto, ſed quia non eſt ex electione, nec ex motivo honeſto.

Dices. Ut actus aliquis ſit virtus, debet eſſe bonus ex objecto. Sed actus, qui verſatur circa turpe factum, non poteſt eſſe bonus ex objecto. Ergo actus aliquis non eſt virtus, eo ipſo quòd eſt de turpi facto. *R.* neg. min. Nam actus bonus eſt ex objecto, qui bonus eſt ex ordine ad objectum. Bonus eſt ex ordine ad objectum, qui tendit in objectum, quodcumque illud ſit, modo conſentaneo rectæ rationi. Ergo actus bonus eſt ex objecto, quodcumque illud ſit, qui tendit in illud modo rectæ rationi conſentaneo. Sed actus aliquis poteſt verſari circa turpe factum modo conſentaneo rectæ rationi, v. g. deteſtando illud. Ergo talis actus poteſt eſſe bonus ex objecto.

Obj. 3. Stultum eſt dolere de peccato commiſſo; nam quod commiſſum eſt, non poteſt non eſſe commiſſum. Ergo, &c. *R.* ſtultum eſſe dolere de peccato commiſſo, ut non fuerit commiſſum. At peccator contritus non ſic dolet de peccato commiſſo, & vult non peccaſſe, non actu abſoluto, ſed actu inefficaci & conditionato ex parte objecti, ſi poſſibile eſſet non peccaſſe: nec vi contritionis conatur non peccaſſe, ſed tantùm ita affectus eſt, ut non peccaret, ſi eſſet in iis circumſtantiis in quibus peccavit; faceretque peccatum commiſſum non fuiſſe commiſſum, ſi hoc fieri poſſet.

Obj. 4. Nulla virtus præſupponit eſſentialiter peccatum in ſubjecto ſuo. Sed contritio præſupponit eſſentialiter peccatum in ſubjecto ſuo. Ergo, &c. *R.* neg. maj. univerſaliter ſumptam. Nam poteſt dari virtus, quæ peccatum præſupponat eſſentialiter in ſubjecto alieno, ut actus juſtitiæ vindicativæ. Ergo poteſt etiam, &c.

Responsio IV.

Si contritio præciſè ſumatur, abſtrahendo à motivo propter quod poteſt elici, non eſt actus virtutis ſpecialis, ſed poteſt pertinere ad quamlibet virtutem.

Prob. Nam poteſt elici ex motivo proprio cujuslibet virtutis, ut charitatis, temperantiæ, caſtitatis, &c. Sicut enim quælibet virtus ſubjectum ſuum ad proſequendum bonum aliquod ſpeciale ex motivo ſibi proprio, rectè diſponit, ita & rectè diſponit ad deteſtandum malum bono illi oppoſitum ex motivo ſibi proprio, & ex eodem motivo dolendum de eo commiſſo, ut facili inductione oſtendi poteſt. Ergo, &c.

Responsio V.

Contritio ſumpta prout verſatur circa peccatum commiſſum, quà injurioſum Deo, eſt actus virtutis ſpecialis, & ab omnibus aliis virtutibus diverſæ, quæ ut diſtinguatur ab aliis, rectè Pœnitentia nominatur.

Prob. Nam ille actus eſt actus virtutis ſpecialis, qui eſt ex motivo ſpeciali, & à motivis omnium aliarum virtutum notabiliter diverſo; actus enim ſpecificatur ex motivo, ſicut & habitus ipſe, ad quem pertinet actus. Sed contritio quæ verſatur circa peccatum commiſſum, quà injurioſum Deo, eſt ex motivo ſpeciali, & à motivis omnium aliarum virtutum notabiliter diverſo, ut oſtendi poteſt inductione. Ergo eſt actus virtutis ſpecialis, & ab omnibus aliis virtutibus diverſæ; ipſeque habitus, ad quem pertinet, eſt virtus ſpecialis, & ab omnibus aliis virtutibus diverſa; cùm habeat objectum ſpeciale, nempe peccatum, quà injurioſum Deo, ac proinde actus ſpeciales, & ſpecialem difficultatem. Unde proprio nomine donari

debuit, & rectè virtus Pœnitentia dicitur: cùm ita commodatè ad naturam propriam aliter vocitari nun poſſit. Sed contra hunc pœnitentiæ habitum,

Obj. 1. Si datur virtus ſpecialis pœnitentiæ, vel eſt virtus thelogica, vel moralis. Neutrum dici poteſt. Ergo, &c. *R.* neg. min. & dico eſſe virtutem moralem, non theologicam, quia non habet Deum neque pro objecto materiali, neque pro formali.

Dices 1. Si eſt virtus moralis, vel eſt juſtitia, vel religio, vel aliqua alia virtus. Nihil horum dici poteſt. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. & dico eſſe juſtitiam ſpecialem. 1. Eſt juſtitia; nam verſatur circa juſtum & injuſtum, quà tale: peccatum enim deteſtatur, quia injuſtum eſt, & vult compenſationem pro injuria Deo illata debitam, quia juſta eſt. 2. Eſt juſtitia ſpecialis, nempe illa quæ eſt hominis ad Deum, & quæ longè diverſa eſt ab ea quæ eſt hominis ad hominem: jus enim divinum longè diverſum eſt à jure humano, & altioris ordinis.

Nec dic non poſſe dari juſtitiam ſtrictè dictam inter Deum & hominem: nam ſi ita eſt, virtus pœnitentiæ erit tantùm juſtitia latè ſumpta, & ſpecies juſtitiæ poteſtativa tantùm. Quòd ſi, ut multi ſentiunt, & quod ſuo loco examinabitur, datur juſtitia propriè dicta inter Deum & hominem, virtus pœnitentiæ erit juſtitia ſtrictè dicta, & ſpecies juſtitiæ ſubjectiva: unde hæc difficultas non pertinet ad præſens inſtitutum noſtrum.

Dices 2. Si eſt juſtitia, vel eſt juſtitia infuſa, vel acquiſita. Neutrum dici poteſt. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. & dico duplicem eſſe virtutem pœnitentiæ, unam infuſam, & alteram acquiſitam. Acquiſita habet pro objecto adæquato peccatum commiſſum, ut injurioſum Deo, & emendandum per compenſationem ex juſtitia debitam. Unde actus ejus ſunt dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, & voluntate emendandi injuriam Deo factam, ſeu, quod idem eſt, deſtruendi per juſtam compenſationem injuriam Deo factam, ex quorum actuum frequentatione generatur, & generatus in ſimiles actus inclinat. Virtus verò ſupernaturalis pœnitentiæ, ut videtur, nihil aliud eſt, quàm habitus juſtitiæ ſupernaturalis hominis ad Deum inadæquatè ſumptus, quatenùs ſcilicet præcisè valet ad prædictos actus.

Nota. Supernaturalis juſtitia hominis ad Deum adæquatè ſumpta complectitur in objecto ſuo illud omne quod reſpectu Dei juſtum eſt vel injuſtum, quà tale, hoc eſt, peccatum commiſſum & committendum, alienum & proprium, actuale & originale, quà injurioſum Deo, cum omni opere bono Deo debito, quà debito. Quòd ſi hæc ſupernaturalis juſtitia inadæquatè ſumitur, quatenùs præcisè valet ad dolendum de peccato voluntate propria commiſſo, illudque deteſtandum, quà Deo injurioſum eſt, cum propoſito non peccandi, & emendationis, dicitur & eſt ſupernaturalis virtus pœnitentiæ.

Dices 3. Virtus pœnitentiæ eſt obedientia. Ergo non eſt juſtitia. *Reſp.* neg. ant. Nam obedientia verſatur circa peccatum, ut eſt contra reverentiam Deo tanquam ſuperiori debitam: virtus verò pœnitentiæ verſatur circa peccatum, ut eſt contra jus Dei illud prohibentis.

Obj. 2. Virtus pœnitentiæ debet poſſe verſari circa omnia omninò peccata. Sed habitus ille, qui deteſtatur peccatum, ut injurioſum Deo, non poteſt verſari circa omnia peccata: nam ratio injuriæ non reperitur in omnibus peccatis. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. *Ad prob. Reſp.* etiam negando. Nam omnibus peccatis ineſt ſaltem injuria materialis, quia omnia peccata ſunt contra jus Dei ea prohibentis. Quod ſufficit ut habitus, de quo agitur, verſetur circa omnia peccata ſub motivo proprio: nam juſtitia, qualis eſt hic habitus, averſatur & compenſat non ſolùm injurias formales, ſed etiam materiales, ſeu omnes omninò injurias, ſive fiant ſcienter & liberè, ſive non.

Addo, omnibus peccatis ineſſe injuriam formalem: omnis enim peccans formaliter & imputabiliter, aut advertit, aut ſaltem advertere debet, actione ſua violari jus Dei ut legiſlatoris.

ARTICULUS II.

Utrùm contritio ſit neceſſaria neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum mortalium.

Responsio I.

Contritio neceſſaria eſt neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum mortalium propria voluntate commiſſorum.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Lucæ cap. 13. dicitur: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Quibus verbis importatur non ſolùm neceſſitas præcepti, ſed etiam neceſſitas medii: nam, ut rectè notat Suarez, quando conditio non ſupponit ſuppoſitum gratum, ſed indicat id ſine quo gratia non obtinetur, manifeſtè continet neceſſitatem medii, & non tantùm præcepti.

2. Ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. ubi ait: *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui ſacramenti Baptiſmi ablui petiviſſent, ut perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur.* Et cap. 4. ſic loquitur: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Quibus locis Synodus loquitur de neceſſitate medii, ut ipſa verba manifeſtè ſignificant.

3. Ex Patribus, pro quibus omnibus ſit S. Auguſtinus epiſt. ad Vincentium: *Ne quenquam putes*, inquit, *ab errore ad veritatem, vel à quocumque ſeu magno, ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire.* Ratio à priori eſt voluntas Dei, nobis nota per Scripturam, Patres, & Concilia. Ratio congrua eſt, quia æquum eſt, ut qui graviter Deum offendit, & ita inimicus ejus effectus eſt, non redeat cum eo in gratiam, niſi priùs deteſtatus fuerit peccata, & de illis doluerit, atque peccandi voluntatem abjecerit. Accedit authoritas S. Thomæ q. 86. a. 2. in O. ubi ait: *Requiritur ad remiſſionem divinæ offenſæ, quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis* (ad bonum commutabile) *& propoſito emendæ ... & ideò impoſſibile eſt, quòd peccatum* (cujus habetur conſcientia) *alicui remittatur ſine pœnitentia, ſecundùm quòd eſt virtus.*

Obj. 1. Scriptura & Patres æquè tribuunt charitati, orationi, & eleemoſynæ remiſſionem peccatorum mortalium, ac pœnitentiæ. Sed illa non ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum mortalium. Ergo nec pœnitentia. *R.* neg. maj. Nam tribuunt charitati, tanquam vicario contritionis; orationi verò & eleemoſynæ, tanquam mediis idoneis, non tamen abſolutè neceſſariis, ad impetranda gratiæ auxilia ad contritionem neceſſaria; aut contritioni tribuunt tanquam medio per ſe neceſſario; ita ut ſine contritione, aut voto ejus peccata mortalia propria voluntate commiſſa, nunquam remittantur.

Obj. 2. Patres aliqui videntur docere contritionem neceſſariam non eſſe ad remiſſionem peccatorum mortalium. *R.* intelligendos eſſe de contritione vehementi & ſenſibili.

Dices. Saltem contritio non eſt neceſſaria ad remiſſionem mortalium in baptiſmo, ſed ſatis eſt, ut adultus qui baptizatur, depoſuerit omnem affectum ad peccatum. *R.* hoc eſſe contra Scripturam Act. cap. 2. ubi dicitur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrùm.* Et contra Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi declaratur, contritionem eſſe diſpoſitionem prærequiſitam ad remiſſionem peccatorum in baptiſmo.

Dices. Author commentarii in S. Paulum, qui S. Ambroſio attribuitur, interpretans verba illa Rom.

cap. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei*, dicit ad juſtificationem in baptiſmo requiri ſolam fidei profeſſionem. *R.* audiendum non eſſe pſeudo-ambroſium illum, qui in ſuis commentariis non ſemel graviter labitur: & verò ideò dicit, peccata perſonalia ſine contritione condonari in baptiſmo, quia ibi gratìs condonantur. Quaſi verò contritio peccatoris impedire poſſit, ne planè gratuita ſit peccatorum remiſſio.

Ex dictis collige, contritionem neceſſariam eſſe etiam neceſſitate præcepti omni adulto, poſtquam peccavit mortaliter: nam licèt non quæcumque neceſſaria ſint neceſſitate præcepti, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate medii; omnia tamen quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, & in poteſtate noſtra ſunt, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti; homo enim graviter tenetur adhibere media, ſine quibus ſalvari non poteſt.

Responsio II.

Peccator tamen per ſolum actum charitatis, quo diligit Deum ſuper omnia propter ſe, poteſt conſequi remiſſionem peccatorum mortalium.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam Proverb. cap. 8. dicitur: *Ego diligentes me diligo.* 2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit Auguſtinus, qui tract. 9. in epiſt. Joannis ſic ait: *Timor medicamentum: charitas ſanitas.* Et adhuc ibidem, *Diligendo amici facti ſumus ... anima noſtra fœda eſt per iniquitatem; amando Deum, pulcra efficitur.* 3. Ex Pio V. & Gregorio XIII. à quibus damnantur multæ propoſitiones Baii, in quibus aſſeritur actum charitatis poſſe eſſe ſine remiſſione peccatorum. Ratio à priori eſt voluntas Dei, de qua ſatis conſtat ex Scriptura, Patribus, & Pontificum decretis. Ratio congrua eſt, quia actus charitatis eſt perfecta cordis ad Deum converſio, & ejuſdem dignitatis cum contritione perfecta cujus votum includit.

Accedit S. Thomas quæſt. 87. a. 1. in O. ubi ait, quantùm ad peccata oblita, poſt diligentem inquiſitionem, ſufficere virtualem diſplicentiam, hoc eſt, actum, quo peccator ſic afficitur erga Deum, ut propter ipſum doleret de peccatis, eaque deteſtaretur cum propoſito emendationis, ſi tunc ei occurrerent. Talis actus alius non eſt, quàm actus charitatis, apud S. Doctorem.

Obj. 1. Si mortalia remitti poſſunt per ſolum actum charitatis, contritio non erit ad id neceſſaria neceſſitate medii. *Reſp.* mortalia remitti poſſe per ſolum actum charitatis, ſed non ſine voto contritionis, quod includit, nec ſine obligatione eliciendi poſtea ſuo tempore contritionem de iiſdem illis mortalibus, ſi memoriæ occurrant; contritionem, inquam, tanquam medium per ſe neceſſarium ex inſtitutione Dei ad remiſſionem illorum mortalium, quæ proinde remittuntur ab actu charitatis, tanquam vicario contritionis, & nomine ac vice illius. Hoc autem ſufficit, ut contritio ſit neceſſaria neceſſitate medii ad remiſſionem mortalium: illud enim neceſſarium eſt neceſſitate medii ad remiſſionem mortalium, ſine quo in re, vel in voto mortalia non remittuntur.

Dices. Actus charitatis gratìs dicitur includere votum contritionis. *R.* neg. Nam peccator per actum charitatis diligit Deum ſuper omnia, & conſequenter non poſſet in ſenſu compoſito hujus actus non deteſtari peccata, de iiſque dolere cum propoſito non peccandi, ſi tunc memoriæ occurrerent: igitur tunc habet virtuale ſaltem propoſitum contritionis, ut docet S. Thomas.

Obj. 2. Votum contritionis nunquam ſufficit ad remiſſionem mortalium. Ergo mortalia non poſſunt remitti per ſolum actum charitatis. Neg. ant. *Probabis.* 1. Trident. multis locis expreſsè docet contritionem neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad remiſſionem mortalium, & nullibi ait votum ejus ſufficere. 2. Ita fides requiritur ad juſtificationem, ut nunquam votum ejus ſufficiat. Ergo, &c. 3. Votum contritionis non ſufficit ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ, imò nec in Baptiſmo. Ergo nec ſufficit in ullo caſu.

R. ad 1. non quidem ex Trid. haberi, quòd votum contritionis aliquando ſufficiat ad remiſſionem mortalium, ſed id aliunde ſufficienter colligi, nempe ex Scriptura, Patribus, & Pontificum decretis. Adde, Tridentino planè ſufficere, ſi dicatur peccatorem non poſſe juſtificari ſine contritione in re, cùm peccatorum recordatur; aut contritionis voto, contento in actu charitatis, cùm adhibita morali diligentia peccatorum recordari non poteſt: hoc ipſo enim contritio eſt medium ad juſtificationem neceſſarium.

Reſp. ad 2. diſparitatem eſſe, 1. Quia nihil habetur in Scriptura, neque in Patribus, aut in Conciliis, vel Pontificum decretis, unde colligere poſſimus votum fidei aliquando ſufficere ad juſtificationem. 2. Quia fides eſt prima radix juſtificationis, nec poteſt dari alius actus ſupernaturalis prior, qui votum ejus contineat.

Reſp. ad 3. 1. votum contritionis non poſſe ſufficere ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ, quia formalis contritio eſt pars eſſentialis hujus ſacramenti, ſine qua proinde non poteſt eſſe, nec mortalia remittere. 2. Votum contritionis non ſufficere ad remiſſionem mortalium in baptiſmo, quia licèt baptiſmus poſſit eſſe ſine contritione formali, tamen ad effectum illum baptiſmi, qui in remiſſione mortalium conſiſtit, contritio formalis eſt diſpoſitio & conditio neceſſariò prærequiſita ex inſtitutione divina, ut conſtat ex Scriptura, Patribus, Conciliis, & ſenſu univerſæ Eccleſiæ. Sed quid inde? Nam ſatis etiam colligimus ex Scriptura & Patribus, votum contritionis ſufficere ad mortalium remiſſionem extra uſum ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Obj. 3. Si ita eſt, hæreticus poterit juſtificari, licèt permaneat in ſua hæreſi, ſi nimirùm eliciat actum charitatis, nullo modo cogitans de ſua hæreſi, nec proinde illam retractans. *R.* neg. ſeq. Nam hæreticus non poteſt elicere actum charitatis, quin priùs ſaltem natura eliciat actum veræ fidei ſupernaturalis, quo implicitè ſaltem credat omnia revelata, & ita diſponetur, ut etiam explicitè crederet, ſi tunc omnia diſtinctè ei proponerentur, ut arguitur ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & 8. ubi dicitur, fidem, qua ſcilicet explicitè vel implicitè creduntur omnia à Deo revelata, eſſe fundamentum omnis juſtificationis. Ergo virtualiter retractabit ſuam hæreſim per actum fidei, prius ſaltem natura, quàm eliciat actum charitatis, imò & per hunc actum charitatis virtualiter quoque retractabit eandem illam ſuam hæreſim, ut facilè intelligitur.

Obj. 4. Non poteſt dici quandonam fiat remiſſio mortalium per ſolum actum charitatis, cum voto contritionis. *R.* cum S. Thoma q. 87. a. 1. in O. fieri, cum peccator, qui actum charitatis elicit, ita mortalium oblitus eſt, ut poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem, non poſſit ea in memoriam revocare. Nam vel tunc fit mortalium remiſſio, vel nunquam fit, ut per ſe patet. Addit Suarez, mortalia remitti etiam per ſolum actum charitatis cum voto contritionis, eo caſu, quo peccator eliciens actum charitatis, nullo modo cogitat de peccatis à ſe admiſſis, propter actualem inconſiderationem naturalem & inculpabilem: quia, inquit, in moralibus actualis inconſideratio inculpabilis pro eo inſtanti pro quo eſt, habet eandem vim ad excuſandum, quam habet oblivio.

Puto hunc caſum non poſſe moraliter contingere; quia, ut rectè ait Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 9. *Qui conſcientiam peccati mortalis gerunt, nihil prius cogitant, cum convertuntur ad Deum* (quod maximè facimus eliciendo actum charitatis) *quàm peccata ſua: tunc enim maximè conſcientiæ ſtimulus ſentitur, cùm is placere incipit, quem peccando offendimus, & cujus gratiam deſideramus.* Peccator autem actu advertens ad mortalia ſua, cùm elicit actum charitatis, non poteſt tunc non elicere actum contritionis perfectæ, ſive tunc præceptum contritionis urgeat, ſive non, & ita tunc non per actum

cha-

Digitized by Google

charitatis, ſed per contritionem perfectam ab actu charitatis imperatam, mortalium ſuorum veniam conſequitur. Quòd ſi uno & eodem realiter actu diligit Deum propter ſe, & propter Deum ſic dilectum conteritur, veniam conſequitur per hunc actum, ut eſt contritio.

ARTICULUS III.

Utrùm contritio debeat eſſe ſenſibilis & univerſalis, ut valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento Pœnitentiæ, ſive extra illud.

Responsio I.

UT contritio valeat ad remiſſionem mortalium ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, non eſt neceſſe, ut dolor ſit ſenſibilis, ſive partis ſenſitivæ, ſed ſufficit dolor mentis, & voluntatis.

Prob. Nam Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. definit contritionem, dolorem animi. Animus autem, non partem ſenſitivam, ſed mentem ſignificat. Florentinum verò cùm dicit primam partem actuum pœnitentis eſſe cordis contritionem, nomine cordis intelligit etiam mentem, quæ cordis acceptio pro mente uſitatiſſima eſt in Scripturis, & in communi modo loquendi.

Responsio II.

Ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe eſt, ut dolor (idem dic de deteſtatione) ſit virtualiter ſaltem univerſalis circa omnia mortalia admiſſa.

Prob. Nam ſecundùm legem ordinariam, unum mortale non remittitur ſine alio, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum. Ergo ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, debet valere ad remiſſionem omnium. Sed non poteſt valere ad remiſſionem omnium mortalium, niſi virtualiter ſaltem & implicitè ad omnia ſe extendat, ut per ſe patet. Ergo ut valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, debet eſſe ſaltem virtualiter univerſalis circa omnia mortalia admiſſa.

Talis autem erit contritio, quoties peccator dolebit de mortalibus, quorum conſcientiam gerit, propter rationem aliquam, aliis oblitis, quorum reus eſt, communem, & dolebit propter rationem illam, ſecundùm quod tam ad oblita, quàm ad non oblita extenditur; tunc enim etiam de oblitis dolebit virtualiter, quatenùs ita tunc erit affectus, ut non poſſet non dolere formaliter de illis, ſi memoriæ occurrerent: ſicque dolebit tunc de oblitis, quantùm poteſt in ſenſu compoſito eorum oblivionis: unde & hoc ſufficit ut contritio valeat ad remiſſionem tam oblitorum mortalium, quàm non oblitorum.

Quæres 1. Utrùm ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe ſit ut dolor diſtinctè cadat in ſingula mortalia?

Obſerva. Voluntas poteſt verſari circa mortalia duobus modis. 1. Confusè, ſub aliqua ratione omnibus communi, v. g. ſub ratione offenſæ divinæ, ſub ratione cauſæ pœnarum & gehennæ, &c. quarum rationum quælibet univerſaliter ſumpta, omnia mortalia comprehendit, quia communis eſt omnibus. 2. Diſtinctè, quod adhuc fieri poteſt duobus modis. 1. Diverſis actibus, quorum unus unum mortale, alius verò aliud mortale attingat ſecundùm propriam cujusque differentiam. 2. Uno & eodem actu, qui in diverſa peccata ſecundùm propriam cujuſque rationem tendat expreſsè. Hac explicatione ſuppoſita,

Reſp. Neceſſe non eſſe ut dolor diſtinctè cadat in ſingula mortalia. Idem intellige de deteſtatione. Nam neque Scriptura iis locis, quibus venia pœnitentibus promittitur, neque Florentinum aut Tridentinum, ubi de contritione ad juſtificationem neceſſaria agunt, aut alibi, vel leviſſimè inſinuas ad remiſſionem mortalium neceſſarium eſſe, ut voluntas diſtinctè verſetur circa ſingula: ſed Scriptura ad remiſſionem mortalium extra ſacramentum, requirit ſolùm ut impius pœnitentiam agat, & ex toto corde ad Deum convertatur; Concilia verò, ad remiſſionem mortalium in ſacramento tantùm requirunt, ut peccator doleat de mortalibus admiſſis, eaque deteſtetur, cum propoſito non peccandi de cætero; ad quod non requiritur ut voluntas circa ſingula mortalia diſtinctè verſetur, ſed ſatis eſt, ſi ſub una ratione communi omnia comprehendat: tunc enim nullum erit, quod non verè deteſtetur, & de quo non verè doleat.

Præterea, non eſt credibile Deum ad remiſſionem mortalium velle ut voluntas aut uno & eodem actu omnia mortalia expreſsè attingat ſecundùm propriam cujuſque differentiam, hoc enim impoſſibile eſſet moraliter, quoties plurima eſſent peccata, & maximè inter ſe diverſa; aut ſingulis actibus in ſingula ſecundùm propriam cujuſque rationem tendat: nam hoc eſſet impoſſibile moribundo, qui plurima, & diverſa mortalia admiſiſſet, & intra breviſſimum aliquod temporis intervallum è vita exceſſurus eſſet.

Obj. Confeſſio debet eſſe diſtinctè & expreſsè de ſingulis peccatis. Ergo & dolor. *Reſp.* neg. conſeq. Nam eſt diſpar ratio pro confeſſione, quia per eam peccata debent innoteſcere judici, & ita per eam diſtinctè & expreſsè exponenda ſunt mortalia, quorum habetur memoria. Nihil autem ſimile afferri poteſt pro dolore, ſicut nec pro ſatisfactione: unde ſatisfactio non debet eſſe diſtincta pro ſingulis peccatis, neque pro omnibus recogitatis ſecundùm propriam ſpeciem, & numerum, ſed confusè pro peccatis admiſſis. Semper tamen in ſacramento Pœnitentiæ ſatisfactio & dolor ſunt aliquo modo diſtinctè de ſingulis peccatis vi Confeſſionis, cui connectuntur, & à qua extenduntur ad ſingula peccata, diſtinctè per eam ſacerdoti propoſita: ſicut juramentum, quo confirmantur aliquot articuli ante vel poſt ipſum diſtinctè expoſiti, eſt aliquo modo diſtinctè de ſingulis, vi expoſitionis, per quam extenditur ad ſingulos diſtinctè ante vel poſt ipſum expoſitos.

Quæres 2. An, ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe ſit ut propoſitum ſit univerſale ſaltem virtualiter, non ſolùm circa mortalia commiſſa, ſed etiam circa quælibet alia quæ poſſent committi?

R. Affirmativè: nam a Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. contritio ad remiſſionem mortalium neceſſaria non definitur, dolor & deteſtatio de peccatis commiſſis, cum propoſito abſtinendi ab iiſdem in poſterum; ſed definitur, dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, uno vel pluribus, cum propoſito non peccandi de cætero, hoc eſt, cum propoſito nunquam peccandi. Et eodem capite, ad hoc ut attritio utilis ſit ad juſtificationem in ſacramento conſequendam, requiritur ut voluntatem peccandi, hoc eſt, affectum omnem ad peccatum mortale quodlibet excludat, quod proinde à fortiori requiritur ut contritio valeat ad juſtificationem extra ſacramentum. Ergo ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium ſive in ſacramento ſive extra, requiritur propoſitum nunquam peccandi, propoſitum excludens omnem affectum ad peccatum mortale quodlibet.

Porrò ut tale ſit propoſitum, neceſſe eſt ut ſe virtualiter ſaltem & implicitè extendat ad omnia omninò mortalia, quæ committi poſſunt, ut per ſe patet. Propoſitum autem virtualiter & implicitè extendet ſe ad omnia omninò mortalia, ſi pœnitens proponat non ampliùs admittere mortalia à ſe admiſſa, vel in genere non ampliùs peccare mortaliter; proponat, inquam, ex motivo omnibus omninò mortalibus communi, & univerſaliter ſumpto, prout ad omnia omninò mortalia extenditur.

Quæres 3. An ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe ſit, ut propoſitum cadat diſtinctè in omnia mortalia, quæ committi poſſunt?

R. negativè. Nam 1. neceſſe non eſt, ut dolor cadat

diſtinctè in ſingula mortalia commiſſa. Ergo nec neceſſe eſt, &c. 2. Impoſſibile eſt ut propoſitum diſtinctè cadat in omnia mortalia, quæ poſſunt committi. 3. Sufficit propoſitum nunquam peccandi, propoſitum excludens omnem affectum ad peccatum mortale quodlibet, ut conſtat ex Trident. Sed ut propoſitum ſit tale, ſufficit, ſi confusè tendat in omnia mortalia, attingendo ea ſub aliqua ratione omnibus communi, & in hanc rationem ſecundùm totam ejus amplitudinem feratur.

ARTICULUS IV.

Utrùm contritio debeat eſſe ſuper omnia, ut valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra.

Responsio I.

UT contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe non eſt, ut peccatorum commiſſorum deteſtatio (idem dic de dolore) ſit ſuper omnia intenſivè.

Prob. Quia deteſtari peccatum ſuper omnia intenſivè, eſt deteſtari illud intenſiùs, quàm quidvis aliud. Atqui ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra, neceſſe non eſt ut pœnitens deteſtetur peccata commiſſa, & de eis doleat intenſiùs; quàm de quovis alio: talis enim neceſſitas probari non poteſt, neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, aut Patribus. Ergo, &c.

Responsio II.

Ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe eſt ut peccatorum commiſſorum deteſtatio (idem dic de dolore) ſit æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt.

Prob. Quia deteſtari peccatum æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt, eſt ita deteſtari peccatum, ut paratus ſit is, qui deteſtatur, ſubire potiùs quodlibet aliud malum quod non ſit peccatum, quàm illud admittere. Atqui ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe eſt ut pœnitens ita deteſtetur peccata à ſe admiſſa, ut paratus ſit potiùs ſubire malum aliud quodlibet, quod non ſit peccatum, quàm illa iterùm admittere: debet enim ita deteſtari peccata à ſe commiſſa, ut ſimul habeat propoſitum ea nunquam poſtea admittendi, incompoſſibile cum omni affectu ad illa pro quocumque caſu poſſibili; quia debet voluntatem ſuam ab illis perfectè avertere, Deo id meritò exigente, ut peccatori reconcilietur. Ergo, &c.

Obſerv. Dictum eſt in reſp. Super omnia alia deteſtabilia, quæ non ſunt peccata: nam pœnitens non tenetur, nec poteſt ordinatè deteſtari peccata à ſe commiſſa, ſive intenſivè ſive æſtimativè ſuper omnia alia peccata, & paratus eſſe potiùs admittere quælibet alia peccata, quàm ea, quæ jam commiſit: inter alia enim peccata poſſibilia, plura & plura in infinitum ſunt, quæ in gravitate ſuperant peccata à pœnitente commiſſa, ac proinde quæ tum intenſivè, tum æſtimativè deteſtabiliora ſunt, quàm peccata à pœnitente commiſſa: ſicut inter ipſa peccata à pœnitente commiſſa alia aliis deteſtabiliora ſunt, quia alia aliis ſunt graviora. Unde pœnitens non deteſtatur æqualiter peccata à ſe commiſſa, ſed una magis æſtimativè deteſtatur quàm alia: cùm enim contritio, de qua loquimur, ſit eſſentialiter ordinata, & ita eſſentialiter tendat ordinatè in objecta ſua, inter peccata à pœnitente admiſſa magis æſtimativè tendit in ea quæ graviora ſunt, & ita pœnitentem diſponit, ut ſi per impoſſibile, ex peccatis admiſſis neceſſe eſſet unum rurſus admittere, eligeret illud quod minùs grave eſt.

Obſerva iterùm. Cùm dicitur, quòd deteſtatio peccatorum commiſſorum debeat eſſe æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ non ſint peccatum, hoc intelligendum eſt cum aliqua reſtrictione, nempe de iis malis quorum perpeſſio ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, non verò metaphyſicè tantùm, aut ex hypotheſi procedente ex conſcientia erronea, neceſſaria eſſe poteſt ad vitandum peccatum mortale: hoc enim planè ſufficit ad hoc, ut contritio dicatur ſimpliciter excludere voluntatem peccandi, in ſenſu concilii Tridentini. Ex his collige, neceſſe non eſſe, ut pœnitens ita doleat de peccatis commiſſis, eaque deteſtetur, ut paratus ſit vi contritionis, potiùs ſubire pœnas inferni, quàm peccare mortaliter: quia ſubire pœnas inferni ad vitandum peccatum mortale, neceſſarium eſſe non poteſt ſecundùm rei veritatem, & ordinem à Deo ſtatutum, ſed tantùm in ſuppoſitione aliqua procedente ex conſcientia erronea, ut ſi quis exiſtens in peccato mortali, & ex errore putans ſe ab eo liberari non poſſe ſine abſolutione ſacerdotis, cujus copiam non habet, ſit in neceſſitate moriendi vel peccandi mortaliter, quia nimirùm ei intentatur mors, niſi in peccatum mortale conſentiat.

Responsio III.

Ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, neceſſe non eſt ut deteſtatio de peccatis commiſſis (idem dic de dolore) ſit æſtimativè formaliter & expreſſè ſuper omnia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt; ſed ſatis eſt, ſi ſit virtualiter, & implicitè.

Prob. Nam deteſtari peccatum formaliter & expreſſè ſuper alia deteſtabilia, eſt deteſtari peccatum ſuper alia deteſtabilia, comparando illud diſtinctè & ſingillatim cum deteſtabilibus. Atqui ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium ſive in ſacramento, ſive extra, neceſſe non eſt, ut pœnitens deteſtetur peccata commiſſa ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt, comparando illa diſtinctè & ſingillatim cum illis omnibus deteſtabilibus: quia 1. Obligatio talis comparationis non habet fundamentum. 2. Talis comparatio eſt moraliter impoſſibilis. 3. Talis comparatio eſſet plurimis periculoſa, quorum voluntas expreſſa illa comparatione cum aliquibus deteſtabilibus vehementer percelleretur, vixque poſſet peccata, illis expreſsè cogitatis abominari efficaciter. Ergo ſatis eſt ſi pœnitens deteſtetur peccata commiſſa æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt, virtualiter & implicitè non cogitando diſtinctè & ſingillatim de illis deteſtabilibus.

Hoc autem præſtabit, quoties efficaciter deteſtabitur peccata commiſſa ſecundùm rationem aliquam qua deteſtabiliora ſunt omnibus aliis deteſtabilibus, quæ non ſunt peccatum; & rationem illam amplectetur ſecundùm totam ejus dignitatem & amplitudinem: tunc enim verè paratus erit pati malum quodlibet, ad vitandum peccatum mortale neceſſarium, ſupple ſemper, ſecundùm rei veritatem, &c. potiùs quàm reiterare peccata commiſſa.

Responsio IV.

Ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, requiritur etiam propoſitum omnia omninò mortalia vitandi, quod ſit æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quorum acceptatio ad non peccandum mortaliter neceſſaria eſſe poteſt ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum.

Prob. Nam ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra, requiritur propoſitum nunquam peccandi. Atqui tale conferi non poteſt habere propoſitum, niſi qui ſaltem abhorret efficaciter ab omni peccato mortali committendo pro quocumque caſu poſſibili, ſecundùm rei veritatem, & ordinem à Deo ſtatutum, ita ut vi ſui propoſiti paratus ſit, præ peccato mortali quolibet, pati quodvis aliud malum, quod ſecundùm rei veritatem,

&c.

&c. neceſſarium eſſe poteſt ad vitandum mortale peccatum. Ergo, &c.

Propoſitum autem non debet eſſe æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia formaliter & expreſsè, hoc enim eſt impoſſibile; ſed ſatis eſt, ſi ſit virtualiter & implicitè. Ad quod requiritur & ſufficit, ut pœnitens peccata commiſſa deteſtetur ſecundùm rationem omnibus peccatis communem, qua peccata omnia deteſtabiliora ſunt omnibus aliis deteſtabilibus, & rationem illam efficaciter attingat ſecundùm totam ejus dignitatem & amplitudinem; vel ſi peccata commiſſa deteſtatur ſecundùm rationem ipſis propriam, & non communem aliis, ut poteſt, præter dolorem & deteſtationem peccatorum commiſſorum propter rationem illam particularem, requiritur tertius aliquis actus, quo voluntas in omnia omninò mortalia feratur ſecundùm rationem aliquam, qua mortalia omnia deteſtabiliora ſunt omnibus aliis deteſtabilibus; feratur, inquam, abſolutè & efficaciter, ſic ut præ mortali quolibet malit quodlibet aliud deteſtabile.

Ex dictis apparet, ad hoc ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, requiri ut ſit abſolutè & ſimpliciter ſupernaturalis: nam ad remiſſionem mortalium requiritur ut pœnitens doleat de mortalibus commiſſis, eaque deteſtetur æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia quæ peccatum non ſunt: imò requiritur ut ab omnibus omninò mortalibus abhorreat æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, &c. ſic ut paratus ſit pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, &c. pati potiùs malum quodlibet, quàm peccare mortaliter. Sed hoc abſolutè & ſimpliciter ſuperat vires naturæ, per culpam origiginalem debilitatas; imò ſuperat abſolutè & ſimpliciter vires naturæ ſibi relictæ, ita ut nequeat eò pertingere natura, in quocumque ſtatu vel hypotheſi ſupponatur, ſine auxilio indebito, quo elevetur, corroboretur, & adjuvetur.

Igitur ad remiſſionem mortalium requiritur contritio abſolutè & ſimpliciter ſuperans vires naturæ, ad quam proinde habendam homini abſolutè & ſimpliciter neceſſarium eſt adjutorium interioris gratiæ, voluntatem ejus elevantis, corroborantis, & adjuvantis. Hinc illud Jerem. cap. 31. *Converte me, Domine, & convertar ... Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam*. Hinc Trident. ſeſſ. 6. can. 3. ait: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Idem ſentiunt SS. Patres, & imprimis S. Auguſtinus in libris contra Pelagianos. Idem etiam docet Concilium Arauſicanum can. 4. & aliis pluribus. Sed ut mentem noſtram circa ſupernaturalitatem actuum noſtrorum intelligas,

Obſerva. Actus voluntatis (idem dic de actu intellectus) eſt vitalis quædam tendentia in aliquod objectum, ſive hæc tendentia ſuperaddat voluntati entitatem, ſive non. Hæc autem tendentia vel naturalis eſt, vel ſupernaturalis. Naturalis eſt, ſi poteſt eſſe à voluntate cum ſolis naturæ viribus, & concurſu generali Dei: ſupernaturalis verò, ſi non poteſt eſſe a voluntate ſine auxilio aliquo indebito. Hæc ſubdividitur in ſupernaturalem ſecundùm quid, & ſupernaturalem ſimpliciter. Supernaturalis ſecundùm quid eſt ea, quæ non poteſt eſſe à voluntate quoad modum aliquem accidentalem, ſine auxilio indebito, putà quoad modum aliquem facilitatis, intenſionis, durationis, &c. Supernaturalis ſimpliciter eſt ea, quæ ſine auxilio indebito non poteſt eſſe quoad modum aliquem eſſentialem & ſpecificum, & ita ſimpliciter ſine auxilio indebito non poteſt eſſe à voluntate. Utraque iterùm ſubdividi poteſt in ſupernaturalem abſolutè, & ſupernaturalem hypotheticè. Supernaturalis abſolutè eſt ea quæ ſuperat vires naturæ, in quacumque hypotheſi vel ſtatu natura conſtituatur. Supernaturalis verò ex hypotheſi eſt ea, quæ naturæ vires ſuperat, ſi natura ſupponatur in tali ſtatu conſtituta, puta in ſtatu, in quo nunc eſt poſt lapſum Adami.

Itaque actus aliquis voluntatis eſt abſolutè vel hypotheticè ſupernaturalis ſecundùm quid, prout vires naturæ ſecundùm modum aliquem accidentalem ſuperat; vel ex hypotheſi aliqua, vel independenter ab omni hypotheſi: eſt verò abſolutè vel hypotheticè ſupernaturalis ſimpliciter, prout vel ex aliqua hypotheſi, vel independenter ab omni hypotheſi, vires naturæ ſuperat ſecundùm modum aliquem eſſentialem & ſpecificum; qui modus nihil aliud eſt, quàm excellens quædam talitas tendentiæ, ad quam natura ſolis ſuis viribus pertingere non poteſt vel abſolutè, vel hypotheticè. De hac talitate loquuntur Patres & Concilia, dum dicunt hominem non poſſe ſaltem ſecundum præſentem ſtatum naturæ lapſæ credere, ſperare, diligere, aut pœnitere ſicut oportet ad ſalutem, ſine adjutorio divino, & præveniente Spiritus ſancti inſpiratione. Hanc talitatem habet contritio ad juſtificationem neceſſaria, in eoque conſiſtit, quòd contritio ſit non ſolùm de mortalibus commiſſis, ſed etiam quantùm ad propoſitum, de quibuslibet aliis æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm, &c.

ARTICULUS V.

Utrùm contritio debeat eſſe intenſa, vel durare certo tempore, ut valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramenta Pœnitentiæ, ſive extra illud.

Responsio I.

UT contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra illud, non debet eſſe ſummè intenſa.

Prob. Nam ſi ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, requiritur contritio intenſivè ſumma, vel requiritur intenſivè ſumma abſolutè, vel intenſivè ſumma reſpectivè tantùm, qualis ſcilicet haberi poteſt hic & nunc cum præſenti auxilio gratiæ. Neutrum dici poteſt. Non primum; nam contritio intenſivè ſumma abſolutè, impoſſibilis eſt: nulla enim poteſt eſſe tam intenſa, ut non poſſit adhuc abſolutè eſſe intenſior. Non etiam ſecundum; nullum enim eſt ſufficiens fundamentum illud aſſerendi.

Obj. 1. Qui non habet contritionem intenſivè ſummam, non deteſtatur peccatum ſuper omnia. Ergo non habet contritionem ſufficientem ad juſtificationem. *Reſp.* eum, qui non habet contritionem intenſivè ſummam, non deteſtari peccatum ſuper omnia intenſivè: ſed ad juſtificationem neceſſarium non eſt deteſtari peccatum ſuper omnia intenſivè, & ſatis eſt quoad hoc, ſi pœnitens deteſtetur illud æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt: tunc enim pœnitens perfectè à peccato avertitur: unde pœnitens juſtificabitur, ſi cætera ad juſtificationem requiſita non deſint.

Obj. 2. Scripturæ ad juſtificationem requirunt ut peccator convertatur ad Deum ex toto corde, & tota tribulatione animæ. Ergo requirunt contritionem intenſivè ſummam. *Reſp.* Scripturas ad juſtificationem requirere ut peccator ad Deum convertatur ex toto corde, non totalitate intenſionis, ſed totalitate æſtimationis & appretiationis, ad quod non requiritur ut deteſtetur peccatum ſummo conatu, ſed ut illud ſub ea ratione ſub qua deteſtabilius eſt omni alio deteſtabili, quod non eſt peccatum, efficaciter ſecundùm totam motivi dignitatem & amplitudinem deteſtetur.

Re-

Responſio II.

Ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, non debet habere certos gradus intenſionis.

Prob. Nam 1. Scriptura, quæ ad juſtificationem exigit veram contritionem, nullibi neque explicitè, neque implicitè requirit certam intenſionem in contritione. 2. Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. dicit contritionem reconciliare hominem Deo, antequam ſacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiat, modò ſit charitate perfecta, hoc eſt, modò ſit ex motivo charitatis. At hoc non poſſet ſimpliciter dicere, ſi in contritione requireretur certa intenſio ad juſtificationem. 3. Pius V. & Gregor. XIII. damnarunt hanc Baii propoſitionem: *Charitas perfecta, & ſincera ... poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Quæ tamen vera eſt, ſi ad remiſſionem mortalium neceſſarii ſunt certi gradus intenſionis in charitate, vel contritione ex motivo charitatis elicita. 4. Patres ad juſtificationem requirunt præcisè veram charitatem, vel contritionem, non charitatem vel contritionem certo modo intenſam: nam v. g. Author ſermonum de operibus cardinalibus Chriſti ſic ait ſerm. de cœna Domini: *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia.* Sed de hoc adhuc infra fuſiùs, & accuratiùs.

Obj. Non eſt ſufficienter diſpoſitus ad remiſſionem mortalium, qui dolet de peccatis remiſſè tantùm. Ergo requiritur certa intenſio. *Reſp.* diſt. ant. Qui dolet remiſſè quoad æſtimationem, hoc eſt, qui non dolet de peccatis æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ non ſunt peccatum, C. ant. Qui dolet remiſſè quoad intenſionem tantùm, N. ant. & conſeq.

Dices. Non poteſt dolor eſſe remiſſus quoad intenſionem, quin etiam ſit remiſſus quoad æſtimationem, *Reſp.* neg. Poteſt enim eſſe æſtimatio ſine intenſione, ſicut & intenſione ſine æſtimatio. Sic communiter amor matris erga filium adhuc parvulum intenſivè magnus eſt, & parvus æſtimativè. E contra amor ejuſdem erga alium filium jam factum adoleſcentem, magnus eſt æſtimativè, & parvus intenſivè; nam filium grandiorem præfert alteri adhuc infanti, quem tamen intenſiùs amat.

Similiter quandoque dolor de peccato eſt magnus intenſivè, & parvus æſtimativè, ut cùm quis dolet vehementer de peccato propter incommodum aliquod temporale; qui dolor naturalis eſt, ac proinde æſtimativè parvus, nec voluntatem peccati excludens pro quocumque caſu: quandoque verò magnus eſt æſtimativè, & parvus intenſivè; ut cùm quis ita dolet de peccato, ut verè paratus ſit pati malum quodlibet aliud, potius quàm illud iterùm admittere, quamvis non verietur circa peccatum cum vehementi applicatione, & niſu potentiæ.

Itaque dolor de peccato poteſt eſſe magnus intenſivè, & parvus æſtimativè, quia poteſt pœnitens cum vehementi conatu potentiæ dolere de peccato, ſub ea ratione ſub qua minùs deteſtabile eſt, quàm pleraque alia mala. E contra dolor de peccato poteſt eſſe magnus, imò ſummus æſtimativè, & parvus intenſive, quia poteſt pœnitens ſine vehementi conatu potentiæ, efficaciter de peccato ſecundùm eam rationem, qua deteſtabilius eſt omnibus aliis deteſtabilibus, quæ non ſunt peccatum, dolere, & quidem quantùm dignum eſt illud motivum, ſic dolere de peccato æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, &c.

Responſio III.

Ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum, non debet durare certo aliquo tempore.

Prob. Nam 1. Scriptura nullibi ad juſtificationem requirit certam contritionis durationem; imò docet quovis momento hominem juſtificari poſſe, ſi modò ritè diſpoſitus ſit, Ezech. cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*; ubi, *in quacumque die*, idem ſignificat ac in quocumque momento, ſecundùm Interpretes. 2. Apertè nobiſcum ſentiunt Patres, ut Author ſerm. de cœna Domini, verbis ſupra laudatis. S. Chryſoſtomus in epiſt. 1. ad Theodotum, ubi ait: *Non ad temporis rationem, ſed juxta affectum animæ ſolet dijudicari pœnitentia.* S. Leo in epiſt. 91. ad Theodorum: *Nullas patitur*, inquit, *veniæ moras vera converſio: dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum converſus ingemueris, ſalvus eris.* Et S. Celeſtinus in epiſt. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ, cap. 2. ubi ait: *Vera ad Deum converſio in ultimis poſitorum, mente potiùs æſtimanda eſt, quàm tempore.*

Quòd ſi ad juſtificationem non requiritur ut contritio duret certo aliquo tempore, multò minùs requiritur ut duret toto vitæ tempore, actu, vel etiam habitu; ita ut vi illius pœnitens nunquam poſtea peccet mortaliter: alioquin reincidentia in peccatum eſſet ſemper ſignum inſufficientiæ contritionis, quod eſt certò falſum; & ad juſtificationem neceſſarium eſſet propoſitum immobile non peccandi, quod ſuperat conditionem hujus vitæ mortalis. Requiritur ergo tantùm contritio talis, ut omnem affectum ad mortale quodlibet efficaciter excludat, quandiu eſt in voluntate.

Obſerva. Expedit tamen, ut pœnitens mortalia ſingula amariſſimè diutiſſimè defleat, totiſque nitatur viribus, ut contritio non ſolùm ſumma ſit æſtimativè, ſed etiam intenſivè magna. *Quod prob.* 1. Exemplo ſanctorum, ut Davidis, & Magdalenæ, qui ut teſtantur Scripturæ, peccata ſua amarè defleverunt. 2. Adhortationibus SS. Patrum apud Bellarminum, & alios. 3. Ratione, quia periculum eſt, ne homo dum parùm curat ſe ad vehementem contritionem excitare, contritione æſtimativè ſumma careat.

ARTICULUS VI.

Quotuplex ſit Contritio.

Responſio.

Contritio dividitur in contritionem perfectam, & contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur. Ita Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. & expl. Contritio perfecta eſt animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe. Unde contritio perfecta duplicem habet reſpectum, unum ad peccatum, quod deteſtatur ut malum Dei, & alterum ad ipſum Deum, quem diligit, ſeu cui bene vult ſuper omnia propter ſe, hoc eſt, propter aliquam, vel aliquas, aut omnes perfectiones ipſi intrinſecas. Hinc contritio perfecta dicitur à Trid. in ſenſu intranſitivo, contritio charitate perfecta, non præcisè quia nata eſt elici à charitate habituali, aut habet totam perfectionem charitatis actualis, cujuſque votum continet, ſed quia ipſa ex parte eſt actualis charitas: nam uno & eodem actu contritionis perfectæ ſimul & indiviſibiliter deteſtor peccatum propter Deum, & Deum ipſum diligo propter ſe: ſimul enim & indiviſibiliter uno & eodem actu contritionis perfectæ, peccatum deteſtor æſtimativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quia diſplicet Deo, & ſic peccatum deteſtor, quia Deum ipſum amo æſtimativè ſuper omnia propter ſe.

Contritio imperfecta, ut communiter à Scholaſticis nunc accipitur, ſeu attritio, eſt animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, vel ex metu pœnarum & gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel denique ex quocumque alio motivo diverſo à motivo contritionis perfectæ: unde attritio non eſt nata elici à charitate habituali, ſed ab aliis virtutibus inferioribus, nec eſt charitas actualis, aut æqualis perfectionis cum charitate actuali, in quo jam differt à contritione perfecta. Sed

Obſerva

Obſerva 1. Contritio perfecta & attritio conveniunt, 1. In eo quòd utraque eſt actus virtutis: nam utraque eſt ex motivo honeſto, & rectæ rationi conſentaneo. 2. In eo quòd utraque eſt animi dolor & deteſtatio non de pœna peccati, nec de peccato originali vel alieno, aut proprio poſſibili, vel futuro, ſed de peccato proprio propria voluntate commiſſo: nam contritio perfecta, & imperfecta ſunt actus pœnitendi; pœnitere autem propriè tantùm dicitur de peccatis voluntate propria commiſſis. 3. In eo quòd utraque includat propoſitum formale non peccandi de cætero, ut ſequitur ex dictis art. 1. Quod enim convenit generi, convenit & ſpeciebus.

Obſerva 2. Contritio perfecta & attritio differunt præcipuè, 1. in eo quòd contritio perfecta extra uſum ſacramenti juſtificet peccatorem, ut infra oſtendetur; attritio verò non juſtificet, ut etiam probabitur. 2. In eo quòd contritio perfecta ſit ſemper univerſalis ſaltem virtualiter circa peccata commiſſa, & ſemper includat propoſitum abſolutum & efficax non peccandi de cætero ſaltem mortaliter; attritio verò non ſit ſemper univerſalis circa omnia peccata commiſſa, nec ſemper includat propoſitum nunquam peccandi de cætero. Sic cum aliquis poſt multa mortalia admiſſa ſpecie diverſa, conteritur de furto v. g. propter ſpecialem ejus turpitudinem, certè nec explicitè nec implicitè conteritur de omnibus mortalibus admiſſis, neque explicitè aut implicitè proponit nunquam peccare de cætero. Unde non omnis attritio etiam cum ſacramento ſufficit ad juſtificationem.

3. In objecto formali: nam contritionis perfectæ objectum formale eſt in peccato, quòd diſpliceat Deo ſummè dilecto propter ſe, ſeu quòd ſit offenſa, ac proinde malum quoddam Dei ſummè amabilis, & ſummè amari propter ſe. Unde contritio perfecta pertinet ad habitum charitatis. Attritionis verò objectum formale eſt in peccato aliqua alia ratio pertinens ad aliquam aliam virtutem inferiorem, putà quia eſt cauſa pœnarum & gehennæ, vel quà eſt injurioſum Deo, vel quà præcisè turpe & inhoneſtum eſt, &c. Unde contritio perfecta & attritio differunt eſſentialiter & ſpecificè ſub genere contritionis latiùs ſumptæ, prout præſcindit à perfecta & imperfecta, & ut ſumitur ac definitur à Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Actus enim habentes motiva notabiliter diverſa, ſunt eſſentialiter & ſpecificè diverſi. Hinc

Impoſſibile eſt attritionem fieri contritionem perfectam propriè loquendo: cùm enim attritio & contritio perfecta differant eſſentialiter, ut attritio converteretur in contritionem perfectam, deberet mutari eſſentialiter, quod fieri non poteſt; cùm eſſentiæ rerum ſint immutabiles. Non eſt autem attendendum ad nomina contritionis & attritionis, quæ, ſi vim vocis ſpectes, potiùs differentiam accidentalem in intenſione ſignificant, quàm differentiam ſpecificam: nam contritio ſic dicitur, quaſi propter vehementiam doloris cor peccatoris conterens & comminuens; attritio verò, quaſi propter dolorem minùs vehementem non conterens nec comminuens cor peccatoris, ſed atterens tantùm, & conquaſſans. At eſſentia virtutum non ex nominibus, ſed ex motivis inveſtiganda eſt, nec nominibus ſpecificantur virtutes, ſed rationibus, ſub quibus tendunt in objecta materialia.

ARTICULUS VII.

Utrùm contritio concepta ex motivo charitatis, hoc eſt, propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, cum voto ſacramenti, ſemper juſtificet pœnitentem ante realem ſacramenti ſuſceptionem.

NEgant Recentiores nonnulli, contra quos hoc articulo pugnabimus. Charitatem autem, qua Deus ſuper omnia propter ſe diligitur, diſtinguunt duplicem, unam intenſam, & alteram remiſſam. Solam intenſam eſſe charitatem perfectam, remiſſam verò charitatem tantùm imperfectam & inchoatam eſſe volunt. Hinc contritionem, qua quis dolet de peccatis ſuis propter Deum dilectum propter ſe ſuper omnia, duplicem diſtinguunt, unam perfectam, & alteram imperfectam. Perfecta eſt ea, qua quis dolet de peccatis ſuis propter Deum intensè; imperfecta verò, qua quis dolet de peccatis ſuis propter Deum remiſsè dilectum ſuper omnia propter ſe. Primam fatentur cum voto ſacramenti ſemper juſtificare pœnitentem ante realem ſacramenti ſuſceptionem, ſecundam verò non ſemper, ſed ſolùm in caſu neceſſitatis.

Igitur juxta hoſce Recentiores, qui de peccatis à ſe admiſſis dolet propter Deum propter ſe dilectum ſuper omnia, vel intensè diligit Deum, vel remiſsè tantùm diligit. Si primum, ſtatim etiam extra caſum neceſſitatis peccatorum veniam conſequitur, quamvis non actu recipiat ſacramentum. Si ſecundum, niſi ſacramentum reipſa ſuſcipiat, peccatorum remiſſionem non obtinet extra neceſſitatis caſum. Sed

Contra hanc doctrinam cum communiſſima Doctorum ſententia dicimus, contritionem omnem, quæ propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum concipitur, cum voto ſacramenti ſemper juſtificare pœnitentem ante realem ſacramenti ſuſceptionem; & probamus ſequentibus paragraphis.

§. I.

Probatur aſſertio noſtra authoritate Scripturæ.

ET 1. quidem ex iis locis, quibus veræ ad Deum converſioni promittitur peccatorum remiſſio. Dicitur Deut. cap. 4. *Cùm quæſieris Dominum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et lib. 3. Reg. cap. 8. *Si reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & tota anima ſua ... propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum.* Et Ezech. c. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas ... Facite vobis cor novum ... Revertimini, & vivite.* Et ejuſd. cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.*

Unde *ſic argumentor breviter.* Iis locis, & aliis ſimilibus, gratia juſtificationis promittitur omnibus peccatoribus, qui ſincerè ad Deum convertuntur toto corde, & in tota tribulatione animæ ſuæ. Sed qui dolet de peccatis ſuis, quia Deum propter ſe ſuper omnia diligit, ſincerè convertitur ad Deum toto corde, & in tota tribulatione animæ ſuæ: nam peccata ſua, & quidem ut ſunt offenſa Dei, quem cum ſumma appretiatione diligit, deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt, & quorum toleratio, ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum (quod ſemper ſupplendum erit) neceſſaria eſſe poteſt ad vitandam offenſionem divinam. Ergo, &c.

2. Ex iis locis, in quibus amicitia divina promittitur charitati. Nam dicitur Proverb. cap. 8. *Ego diligentes me diligo.* Et 1. Petri cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et 1. Joan. cap. 3. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres* (eadem ſcilicet illa charitate, qua diligimus Deum.) Et ejuſd. epiſt. cap. 4. *Omnis qui diligit* (fratrem ſuum ex charitate, qua Deus ipſe diligitur) *ex Deo natus eſt* (quia Deum ipſum diligit amore charitatis.)

Unde *ſic argumentor.* Hiſce locis, & aliis ſimilibus, vis juſtificandi attribuitur veræ ac ſimpliciter dictæ charitati. Ergo vis juſtificandi ineſt omni contritioni, quæ eſt vera ac ſimpliciter dicta charitas. Atqui omnis contritio, qua pœnitens de peccatis ſuis dolet propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum, eſt vera ac ſimpliciter dicta charitas: nam vera ac ſimpliciter dicta charitas eſt præcisè actus, quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur; & omni contritione, qua pœnitens de peccatis ſuis dolet propter Deum ſuper, &c. Deus propter ſe ſuper omnia diligitur à pœnitente.

Quòd.

Digitized by Google

Quòd ſi quis nolit, Deum formaliter diligi actu illo contritionis, quo pœnitens de peccatis ſuis dolet propter Deum ſuper, &c. & velit actum illum contritionis ſiſtere in peccatis, ut ſunt offenſa Dei, *R.* ſaltem, quod nobis ſufficit, tunc pœnitentem alio actu formaliter diligere Deum: non enim poteſt pœnitens de peccatis ſuis dolere propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, vel etiam, ſi vis, non poteſt pœnitens ſuper omnia dolere de peccatis ſuis, ut ſunt offenſa Dei, quin aut eodem illo actu quo dolet de peccatis ſuis, aut alio natura priori Deum formaliter diligat propter ſe ſuper omnia: unde ſequitur contritionem, qua pœnitens dolet, &c. vel eſſe formaliter veram ac ſimpliciter dictam charitatem, vel ſaltem, quod ſatis eſt, ſemper conjunctam eſſe cum actu veræ ac ſimpliciter dictæ charitatis natura priùs exiſtente, & ipſam imperante.

Dices contra 1. prob. Promiſſio illa veræ ad Deum converſionis facta, pertinet ad legem Moſaicam, non ad Evangelicam, in qua Chriſtus inſtituit ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ ad peccatorum mortalium remiſſionem; quæ tamen fruſtra inſtituiſſet, ſi ante realem eorum ſuſceptionem peccata mortalia remitterentur per converſionem peccatoris ad Deum.

R. Gratis omninò, & abſque omni fundamento, legem Evangelicam excludi ab illa promiſſione, nec Chriſtum, inſtituendo ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, vim imminuiſſe contritionis, qua peccator à creatura avertitur, & convertitur ad Deum ex toto corde; ſed ſolùm voluiſſe, ut deinceps contritio illa in remittendis mortalibus, ſacramentorum illorum, quorum in ſe votum continet, vices ageret vi voti illius, cujus potiſſimùm intuitu mortalia remitterentur, nec ſine onere, & ſpeciali ac directa obligatione ſacramenta illa ſuo tempore ſuſcipiendi pro iiſdem illis mortalibus, licèt jam remiſſis.

Porrò ex eo quòd ſemper, & ſine reali ſuſceptione ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ, mortalia remittantur per contritionem illam, qua peccator avertitur à creatura, & convertitur ad Deum ex toto corde, ſeu per contritionem illam, qua peccator ſuper omnia deteſtatur peccata ſua ex motivo charitatis; malè concluditur ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ fruſtra fuiſſe à Chriſto inſtituta: nam præter contritionem illam, quæ contritio perfecta dicitur, eſt alia inferior qua peccator ſuper omnia deteſtatur peccata ſua ex motivo inferiore charitatis, & quæ ſi conjuncta ſit cum aliquali amore Dei propter ſe, atque adeò cum aliquali deteſtatione peccati, ut eſt offenſa Dei, ſufficit in ſacramento, nunquam verò extra ſacramentum, ac proinde quacum peccator juſtificatur, ſi ſacramentum recipiat; ſi non recipiat, in nullo caſu juſtificatur.

Dices. Saltem promiſſio facta non eſt contritionis remiſſæ, qua peccator peccata ſua deteſtatur propter Deum remiſsè tantùm dilectum propter ſe ſuper omnia. Nego *Probabis.* Promiſſio facta eſt ſoli contritioni, qua peccator ad Deum convertitur ex toto corde, & in tota tribulatione animæ ſuæ. Atqui peccator non ſic ad Deum convertitur per contritionem remiſſam, qua remiſsè tantùm, quamvis ſuper omnia, deteſtatur peccata ſua propter Deum, &c. tunc enim tantùm peccator dici poteſt ad Deum converti ex toto corde, & in tota tribulatione animæ ſuæ, cùm vehementer peccata ſua deteſtatur ſuper omnia propter Deum intensè dilectum propter ſe ſuper omnia. Ergo, &c.

R. Neg. min. & ejus prob. Nam ad hoc ut aliquis dicatur Deum diligere ex toto corde, ſufficit ſi diligat illum propter ſe ſuper omnia, ita ut illum rebus omnibus præferat. Similiter, ut dicatur ad Deum converti ex toto corde, ſatis eſt ſi propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum doleat de peccatis ſuis, ut ſunt offenſa Dei, eaque deteſtetur ſuper omnia alia deteſtabilia. Ratio eſt, quia illud, ex toto corde, ſolùm requirit appretiationem maximam: unde dicimur velle ex toto corde id, quod cum maxima appretiatione volumus. Quod autem volumus ſuper omnia alia volibilia, volumus illud cum maxima appretiatione; pluris enim illud non ſolùm judicativè, ſed etiam affectivè facimus, quàm omnia alia volibilia: unde quod volumus ſuper omnia alia volibilia, illud dicimur velle ex toto corde, ſive etiam vehementer illud velimus, ſive non: nam quod ex toto corde volumus, cum vel ſine vehementia velle poſſumus, & re ipſa modò cum, modò ſine vehementia volumus; & ex duobus, qui idem volunt ex toto corde, unus vult vehementer, alter non, uterque tamen ex toto corde, quia uterque cum appretiatione maxima.

Dices. Ex hoc textu, *Ego diligentes me diligo*, nihil effici poteſt pro ſententia noſtra: poteſt enim homo diligi à Deo, & nihilominùs manere in ſtatu peccati, ut patet ex Apoſtolo Joanne, qui ait epiſt. 1. cap. 4. *Cum adhuc inimici eſſemus, ipſe prior dilexit nos.* Præterea, licèt Deus diligat hominem à quo ſuper omnia diligitur, non tamen ei ſtatim confert omnia ſua dona, adeoque nec gratiam juſtificationis, quæ primum inter dona illa locum obtinet, ut docet Bellarminus lib. 1. de juſtificatione cap. 13. ubi ait: *Deus prior diligit nos, & diligendo facit juſtos, ſed paulatim, & per certa media. Quos enim diligit, primùm vocat ad fidem, tum ſpem, & timorem, & dilectionem inchoatam inſpirat, poſtremò juſtificat, & perfectam charitatem infundit.*

R. Verbis illis, *Ego diligentes me diligo*, clarè exprimi mutuum benevolentiæ amorem Deum inter & hominem, à quo diligitur propter ſe ſuper omnia (nam ſimpliciter diligere Deum in ſenſu Scripturarum, eſt eum propter ſe ſuper omnia amare; & hæc vox, Dilectio Dei, ſicut & iſta, Charitas, in Scripturis ſignificat amorem Dei ſuper omnia propter ſe.) Mutuus autem amor benevolentiæ eſt amicitia. Ergo verbis illis, *Ego diligentes me diligo*, clarè exprimitur amicitia Dei ad hominem, à quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur. Ergo ſtatim atque homo Deum ſuper omnia propter ſe diligit, efficitur amicus Dei, adeoque ſtatim mortalium remiſſionem conſequitur.

Confirmatur. Deus hominem, à quo ſuper omnia propter ſe diligitur, diligit ex textu laudato. Ergo Deus hominem, à quo ſuper omnia amatur amore benevolentiæ, redamat amore benevolentiæ: nam dilectio amorem benevolentiæ ſignificat. Ergo datur mutuus amor benevolentiæ Deum inter & hominem, à quo Deus ſuper omnia amatur amore benevolentiæ. Ergo exiſtit vera amicitia Deum inter & hominem, à quo Deus, &c. Nam mutuus amor benevolentiæ inter Deum & hominem, ſicut inter duos homines, eſt amicitia, cum hoc tantùm diſcrimine, quòd homo redamans hominem à quo amatur, redamando non efficiat dignum amore, quo eum redamat, ſed dignum inveniat; Deus verò hominem à quo amatur, redamans, non inveniat dignum amore, quo eum redamat, ſed dignum efficiat redamando: Deus enim illum redamando, illum, remiſſis omnibus mortalibus, interiùs renovat & ſanctificat per infuſionem gratiæ & donorum, quibus dignus efficitur amore illo, quo redamatur à Deo.

Ad locum Joannis Apoſtoli, in quo non extant hæc verba, *Cum adhuc inimici eſſemus*, *R.* Deum quidem diligere nos antequam eum diligamus: nunquam enim eum diligeremus, niſi nobis ipſe priùs ex pura miſericordia bene vellet, movendo nos efficaciter ad dilectionem ſui. At dilectio illa, qua nos diligit Deus, antequam eum diligamus, alia eſt à dilectione qua diligit nos, cùm jam eum propter ſe ſuper omnia diligimus: hæc enim dilectio eſt amor amicitiæ, quo amans ſibi complacet in eo quem amat, à quo amatur, & quem invenit, vel effecit dignum amari.

Malè igitur dicitur Deus, eos à quibus ſuper omnia propter ſe diligitur (ſupple, niſi tamen ſic ab eis intensè diligatur) ita diligere, ut non ſtatim eis gratiam juſtificationis conferat. Ad quod probandum perperam adducitur Bellarminus, qui loco citato, per dilectionem Dei inchoatam intelligit, non eam, qua remiſsè Deus ſuper omnia diligitur propter ſe, ſed

eam,

eam, qua diligitur quidem propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia, quia nondùm rebus omnibus præfertur, ut manifeſtum eſt ex lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 7. & per charitatem perfectam intelligit eam omnem Dei dilectionem, qua propter ſe diligitur ſuper omnia, ut patet ex eodem cap. & ex lib. 2. de pœnit. cap. 13.

Dices. Scriptura iis in locis, in quibus amicitia divina promittitur charitati, loquitur tantùm de actu, quo Deus non ſolùm ſuper omnia, ſed etiam intensè diligitur propter ſe. *R.* neg. Nam Scriptura loquitur de charitate ſimpliciter, & ſine addito, adeoque de omni actu, qui eſt verè ac ſimpliciter charitas. Atqui omnis actus, quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur, eſt verè ac ſimpliciter charitas: habet enim totam eſſentiam charitatis. Ergo Scriptura iis in locis, in quibus amicitia divina promittitur charitati, loquitur de omni actu, quo Deus ſuper omnia diligitur propter ſe.

At inquies. Scriptura loquitur de charitate perfecta. Sed actus, quo Deus ſuper omnia propter ſe diligitur remiſsè tantùm, non eſt charitas perfecta, ſed imperfecta tantùm, & inchoata. Ergo, &c. *R.* 1. neg. min. Nam illud dici debet & eſt charitas perfecta, quod eſt completum in eſſe charitatis, quod habet totam eſſentiam charitatis. Atqui omnis actus, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia, completus eſt in eſſe charitatis, habet totam eſſentiam charitatis; tota enim eſſentia charitatis conſiſtit in eo, quòd Deus propter ſe diligatur cum ſumma appretiatione. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia charitas perfecta ſic dicitur, per oppoſitionem ad charitatem imperfectam & inchoatam tantùm. Charitas autem imperfecta & inchoata tantùm, eſt omnis & ſolus actus, quo Deus propter ſe, ſed non cum ſumma appretiatione diligitur; & actum, quo Deus propter ſe diligitur cum ſumma appretiatione, ſi non ſit intenſus, dici charitatem imperfectam, & inchoatam tantùm, intolerabile eſt, & ante non multos annos in Scholis inauditum. Charitas igitur perfecta eſt præcisè actus diligens Deum propter ſe cum ſumma appretiatione. Actus igitur Deum remiſsè diligens propter ſe, ſed cum ſumma appretiatione, eſt charitas perfecta; quamvis eſſet charitas perfectior, ſi diligeret intensè; ſicut eſſet charitas perfectiſſima, ſi non ſolùm cum ſumma appretiatione, ſed etiam cum intenſione ſumma diligeret.

R. 2. diſt. maj. Scriptura loquitur de charitate perfecta appretiativè, C. maj. De charitate perfecta non ſolum appretiativè, ſed etiam intenſivè, N. maj. Charitas perfecta appretiativè, eſt ea quæ Deum præfert rebus omnibus: perfecta verò non ſolùm appretiativè, ſed etiam intenſivè, eſt ea quæ non tantum Deum præfert rebus omnibus, ſed etiam ad eum cum majori ardore afficitur, quàm ad ullam rem creatam. Prima habet ſummam appretiationem, ſecunda verò cum appretiatione ſumma ſummam intenſionem, non quidem abſolutam, ſed relativam.

Dico autem Scripturam loqui præcisè de charitate perfecta appretiativè, ſive ſit etiam perfecta intenſivè, ſive non: loquitur enim de charitate ſimpliciter, & ſine addito, adeoque de eo omni, quod eſt verè ac ſimpliciter charitas. Hoc ipſo autem quòd charitas eſt appretiativè perfecta, eſt verè ac ſimpliciter charitas, ſive ſit etiam intenſivè perfecta, ſive non, quia hoc ipſo quòd ſummam habet appretiationem, habet totam eſſentiam charitatis: actus enim intenſio non eſt de ejus eſſentia; cùm idem ſpecie actus poſſit eſſe intenſus vel remiſſus, & ex duobus actibus ejuſdem ſpeciei, adeoque ejuſdem eſſentiæ, unus ſit intenſus, & alter remiſſus. Locis igitur citatis Scriptura loquitur de omni actu, quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur, ſive etiam intensè diligatur, ſive non.

Dices. Locis citatis amicitia divina promittitur ſoli charitati habenti certos gradus intenſionis. *R.* 1. quærendo ab adverſariis, quare non potiùs dicant promitti ſoli charitati habenti ſummam intenſionem ſaltem relativam? nam Scriptura non magis loquitur de certis gradibus intenſionis, quàm de ſumma intenſione relativa, *R.* 2. neg. Nam locis citatis, & aliis ſimilibus, ut jam inculcatum eſt, amicitia divina promittitur charitati ſimpliciter & ſine addito, ac proinde charitati, quæ eſt verè ac ſimpliciter charitas. Charitas autem eſt verè ac ſimpliciter charitas ſine certis gradibus intenſionis; cùm tot vel tot gradus intenſionis ſint omninò accidentales charitati.

Confirmatur. Locis citatis, & aliis ſimilibus, amicitia divina promittitur præcisè charitati. Atqui charitas remiſſa tam verè ac propriè charitas eſt, quàm charitas intenſa. Ergo locis citatis, & aliis ſimilibus, amicitia divina tam promittitur charitati remiſſæ, quàm intenſæ, adeoque tam promittitur non habenti certos intenſionis gradus, quàm habenti.

Dices. Locis citatis amicitia divina promittitur charitati, quæ præcipitur Deut. cap. 6. his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Atqui his verbis præcipitur charitas intenſa. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam his verbis præcipitur præcisè actus charitatis, ſeu dilectio Dei propter ſe appretiativè maxima: per illud enim, *Ex toto corde*, ſignificatur tantùm appretiatio ſumma; & qui Deum cum ſumma appretiatione diligit, diligit illum ex toto corde. Et verò ſi illud, *Ex toto corde*, in loco proximè citato non ſolùm appretiationem, ſed etiam intenſionem ſignificat, ſicut ſignificat ſummam appretiationem, ita & ſignificat intenſionem ſummam, non quidem abſolutam, quæ impoſſibilis eſt, ſed relativam; atque ita qui urgente præcepto charitatis, diligit Deum propter ſe cum ſumma appretiatione, niſi etiam cum ſumma intenſione relativa diligat, præceptum non implet, & peccat mortaliter; quod certo certiùs falſum eſt.

Dices denique: Locis citatis amicitia divina promittitur charitati, ſed cum hoc inter intenſam & remiſſam diſcrimine, quòd intenſæ pro omni caſu, remiſſæ verò tantùm pro caſu neceſſitatis extra ſacramentum promittatur. *R.* Nullum in tota Scriptura hujus diſcriminis veſtigium exiſtere. Locis verò citatis, & aliis ſimilibus, ut jam toties obſervatum eſt, amicitia divina promittitur charitati ſimpliciter. Ergo promittitur indiſcriminatim omni charitati, quæ verè ac propriè charitas eſt. Atqui charitas remiſſa tam verè ac propriè charitas eſt, quàm charitas intenſa. Ergo pro nullo caſu amicitia divina promittitur charitati intenſæ, pro quo non promittatur charitati remiſſæ.

§. II.

Probatur aſſertio noſtra authoritate Patrum.

SAnctus Ambroſius ep. 7. ad Simplicianum ſic loquitur: *Libertas liberum facit hominibus, charitas amicum Deo*. Et Apologia 1. David cap. ult. *Remiſſionem meruit iniquitatis, & texit charitate*. Et S. Leo ep. 91. *Nullas* (apud Deum) *patitur veniæ moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris*. Et S. Petrus Chryſologus ſerm. 94. *Abſolvi vis, ama. Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid pejus? Et tamen Petrus amore ſolo valuit hoc delere*. Et S. Fulgentius lib. 1. de remiſſione peccatorum cap. 12. *Quia ingemuit David ex toto corde converſus, continuò ſalvus factus eſt, atque ita in eo completum eſt, quod per Prophetam præcipitur: Si converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris*.

S. Auguſtinus idem luculenter docet pluribus locis, ut lib. 15. de Trinitate, ubi poſtquam cap. 17. hæc recitavit Apoſtoli verba, *Dilectio Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, &c. ſic ſtatim proſequitur cap. 18. *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius. Solum eſt quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*. Et Tract. 5. in epiſt. Joan. ubi ſic ait: *Videat ſi habeat charitatem, & tunc dicat: Natus ſum ex Deo*. Inferius; *Dilectio ergo ſola diſcernit inter filios*

Dei

Dei & filios diaboli … Non diſcernuntur filii Dei à filiis diaboli, niſi à charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo: qui non, non ſunt nati ex Deo. Et adhuc inferiùs: *Redeat unuſquiſque ad cor ſuum. Si ibi invenerit charitatem fraternam* (ſeu charitatem, qua proximus diligitur propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum) *ſecurus ſit, quia tranſiit à morte ad vitam, jam in dextera eſt.*

Ecce Patres disertè docent, peccatorum remiſſionem ſine mora ſubſequi veram converſionem, qua ſcilicet peccator ad Deum ex toto corde convertitur: ſic autem convertitur ad Deum, hoc ipſo quòd Deum propter ſe diligit ſuper omnia, & propter Deum ſic dilectum, de peccatis ſuis, ut ſunt offenſa divina, dolet, eaque deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia.

Item Patres expreſsè aſſerunt de charitate ſimpliciter & ſine addito, ac proinde de omni charitate, quæ verè ac propriè charitas eſt, qualis eſt non ſolùm intenſa, ſed etiam remiſſa charitas, ſeu actus quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur; aſſerunt, inquam, quòd tollat peccata; quòd transferat de morte ad vitam; quòd diſcernat filios Dei ac regni æterni, à filiis diaboli; quòd qui eam habent, nati ſint ex Deo, ea ſcilicet nativitate, qua ſimus filii adoptivi Dei, & quæ in tranſlatione à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ conſiſtit. Quod autem hic de charitate dicitur, neceſſariò intelligitur de contritione appretiativè ſumma, concepta ex motivo charitatis.

Patribus citatis addi poteſt S. Bernardus ſerm. 3. de reſurrectione, ubi ſic loquitur: *Quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæviet, niſi in propriam voluntatem?* Ergo ceſſante propria voluntate, ceſſat homo eſſe odioſus Deo, & reus æternæ damnationis. Atqui propria voluntas ceſſat adveniente charitate etiam remiſſa: nam propria voluntas, ut intelligit S. Bernardus, eſt amor ſui, quo homo ſe ipſum præfert Deo; & charitas, etiam remiſſa, eſt amor Dei, quo homo Deum præfert rebus omnibus, adeoque & ſibi. Ergo adveniente charitate etiam remiſſa, deſinit homo eſſe odioſus Deo, & reus damnationis æternæ, Deo ſcilicet ei peccata condonante, eumque interiùs renovante & ſanctificante per infuſionem gratiæ & donorum, quibus homo redditur gratus Deo, &c.

Dices. S. Ambroſius in apolog. 1. David, cap. 7. extremo hæc habet verba: *Dilexit multum, ut nimia charitate tegere quemvis poſſet errorem.* R. S. Doctorem non aliud velle his verbis exprimere, quàm id, quod revera contigit, nempe quòd David pœnitens Deum propter ſe non ſolùm ſuper omnia, ſed etiam vehementer diligebat, & propter Deum ſic dilectum non ſolùm ſuper omnia, ſed etiam vehementer de peccatis ſuis dolebat, cùm ait: *Peccavi Domino.* Vel certè non ad remiſſionem peccatorum, ſed ad pleniorem injuriæ divinæ reparationem, vehementiam charitatis & contritionis neceſſariam eſſe ſignificat Ambroſius: nam tantò pleniùs peccator, quantùm in ſe eſt, injuriam Deo factam reparat, quantò vehementiùs Deum propter ſe ſuper omnia diligit, & ita quantò vehementiùs propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, de peccatis ſuis dolet, eaque deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia.

Dices. Certum eſt Auguſtinum, & alios Patres hic citatos, intelligi non poſſe de qualibet charitate: nam impii aliquando charitatem habent, quacum non juſtificantur, eam ſcilicet, qua Deus verè quidem diligitur propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia diligitur. Ergo certum eſt intelligendos eſſe de aliqua tantùm charitate. Ergo intelligendi ſunt de ſola illa charitate, qua Deus non ſolùm ſuper omnia, ſed etiam intenſè diligitur propter ſe.

R. 1. Hoc miſerabile effugium reſolvendo ſic. Patres citati intelligi non poſſunt de charitate, qua Deus nondùm ſuper omnia diligitur. Ergo intelligi debent de ſola charitate, qua Deus intenſè diligitur ſuper omnia. At quis non videt hujus conſequentiæ abſurditatem? Nam præter charitatem, ſi tamen charitas dici poteſt, qua nondùm ſuper omnia diligitur Deus, & eam qua Deus ſuper omnia diligitur intenſè, eſt alia, qua quamvis remiſsè, diligitur ſuper omnia. Quare ergo Patres citati de hac quoque intelligi non poſſunt? Quis non exſibilet dicentem: Patres citati intelligi non poſſunt de charitate, qua Deus non diligitur ſuper omnia. Ergo nec intelligi poſſunt de charitate, qua Deus remiſsè diligitur ſuper omnia. Vel: Patres intelligi non poſſunt de inchoatione charitatis. Ergo nec de ipſa charitate, ſi remiſſa ſit. Vel: Patres non poſſunt intelligi de ea charitate, quæ non eſt charitas niſi ſecundùm quid, & cum addito deſtruente veram ac propriam rationem charitatis. Ergo nec de ea charitate, quæ eſt charitas ſimpliciter, quæ eſt verè ac propriè charitas, niſi ſit intenſa.

Reſp. itaque 2. Patres non poſſe intelligi de actu, quo peccatores etiam priùs tempore, quàm juſtificentur, diligunt Deum propter ſe, ſed non ſuper omnia; quia loquuntur de charitate ſimpliciter & ſine addito, ac proinde de actu, qui verè ac propriè charitas eſt. Actus autem, quo Deus propter ſe diligitur, ſed non ſuper omnia, non eſt charitas ſimpliciter, ſed cum addito deſtruente; inchoata, non eſt charitas, ſed initium quoddam, quædam inchoatio charitatis. At verò intelligi poſſunt & debent de omni actu, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia, quia omnis hujuſmodi actus eſt charitas ſimpliciter, & ſine addito deſtruente veram & propriam rationem charitatis; vera enim ac propria ratio charitatis tota conſiſtit in eo quòd ſit dilectio Dei propter ſe appretiativè ſumma.

Confirmatur, Quia Patres vim juſtificandi attribuunt charitati præcisè ac ſimpliciter. Ergo attribuunt omni actui, qui verè ac propriè charitas eſt. Atqui omnis actus, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia, eſt verè ac propriè charitas; habet enim veram ac propriam rationem charitatis. Ergo Patres vim juſtificandi attribuunt omni actui, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia. Ergo tam attribuunt actui, quo remiſsè, quàm actui, quo intenſè Deus propter ſe ſuper omnia diligitur.

At inquies, Charitas remiſſa eſt tantùm charitas cum addito deſtruente. Ergo non eſt verè ac propriè charitas. R. diſt. ant. Eſt tantùm charitas cum addito deſtruente perfectionem accidentalem charitatis ut ſic, C. ant. Eſt tantùm charitas cum addito deſtruente veram ac propriam rationem charitatis, N. ant. & conſeq. Certè charitas intenſa, quantumvis intenſa ſit, non eſt ſpecificè diverſa à charitate remiſſa. Ergo charitas remiſſa non eſt charitas cum addito deſtruente veram ac propriam rationem charitatis, adeoque remiſſa tam verè ac propriè charitas eſt, quàm intenſa.

Dices denique. Patres de omni quidem charitate, quæ verè ac propriè charitas eſt, intelligendi ſunt, ſed cum aliqua diſtinctione, videlicet de intenſa pro omni caſu, de remiſſa verò pro caſu neceſſitatis tantùm extra ſacramentum. R. hoc perperam dici: nam Patres charitati, quæ verè ac propriè charitas eſt, juſtificandi per modum ſcilicet diſpoſitionis proximæ vim attribuunt ſimpliciter, nulla reſtrictione adhibita, nulla diſtinctione facta inter charitatem intenſam & remiſſam. Ergo omni charitati, quæ verè ac propriè charitas eſt, adeoque tam remiſſæ, quàm intenſæ, juſtificandi vim attribuunt pro omni caſu extra ſacramentum.

§. III.

Probatur aſſertio noſtra authoritate Summorum Pontificum.

Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc Baii propoſitionem, inter damnatas 31. *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Hæc propoſitio damnata eſt in ſenſu Authoris. At 1.

non

non habitualem, ſed actualem charitatem intelligit, ut patet ex his verbis, *Quæ eſt ex corde puro:* nam charitas habitualis non eſt ex corde, ſed in corde, nec producitur à corde, ſed cordi à Deo per Spiritum ſanctum infunditur, ut dicit Apoſtolus. 2. Nomine charitatis perfectæ præciſè intelligit dilectionem Dei propter ſe ſummam appretiativè: nam charitatem perfectam vocat per oppoſitionem ad charitatem inchoatam, quam habent impii ante juſtificationem, & eſt actus, quo Deum propter ſe diligere incipiunt, hoc eſt, actus quo Deum propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia diligunt. Patet ea ejus apologia, in qua ait, ſe non de charitate perfecta locutum fuiſſe, ſed tantùm de initio charitatis, quod in catechumenis & pœnitentibus ante remiſſionem peccatorum reperitur.

Item hanc damnarunt inter damnatas 32. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* At non ſolùm intenſa, ſed etiam remiſſa charitas eſt plenitudo legis: hoc ipſo enim quòd quis verè Deum propter ſe ſuper omnia diligit, implet legem: nam 1. actu ſatisfit primo & maximo mandato legis, 2. Ejuſdem legis omnia alia præcepta ſervat in præparatione animi; cùm actu habeat virtuale ſaltem propoſitum abſolutum & efficax illa omnia exequendi eo tempore, quo urgebit illorum obligatio, quia habet amorem Dei cum omni affectu ad peccatum grave, ſeu cum qualibet gravi tranſgreſſione legis prorſus incompoſſibilem.

Item hanc damnarunt inter damnatas 33. *Catechumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in baptiſmi lavacro demùm percipitur.* At nomine charitatis ſimpliciter & ſine addito tam venit remiſſa, quàm intenſa charitas.

Item hanc damnarunt inter damnatas 70. *Homo exiſtens in peccato mortali poteſt habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.* At charitas remiſſa tam eſt vera charitas, quàm charitas intenſa: ſicut homo indoctus tam eſt verus homo, quàm homo doctus: ſicut enim doctrina non pertinet ad veram ac propriam rationem hominis, ita nec intenſio pertinet ad veram ac propriam rationem charitatis. Præterea, vera charitas & charitas perfecta ſunt duo ſynonyma apud Baium, ut patet ex ſupra dictis.

Item hanc damnarunt inter damnatas 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione ſacramenti.* At quòd per charitatem perfectam Baius præciſè intellexerit actum, quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur, ſupra oſtenſum eſt. Præterea, ut patet ex propoſitione 31. per charitatem perfectam intelligit eam, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, quod tantam tam remiſſæ, quàm intenſæ charitati convenit.

Dices. Hæ propoſitiones loquuntur de charitate perfecta non ſolùm appretiativè, ſed etiam intenſivè. *Reſp.* hoc gratis dici, & abſque omni fundamento: loquuntur enim de charitate completa in eſſe charitatis: nam quid eſt charitas perfecta ſimpliciter, niſi charitas in eſſe charitatis completa? At hoc ipſo charitas eſt completa in eſſe charitatis, quòd eſt perfecta ſeu ſumma appretiativè: hoc ipſo enim eſt verè ac propriè charitas. Ergo loquuntur præciſè de charitate appretiativè perfecta, ſeu de actu, quo Deus propter ſe diligitur cum ſumma appretiatione.

Probabis tamen. Charitas appretiativè tantùm perfecta, eſt charitas imperfecta. *R.* neg. Nam charitas imperfecta ſimpliciter, eſt ea, quæ non eſt completa in eſſe charitatis, & quæ proinde eſt tantùm charitas inchoata; quæ non eſt charitas, ſed tantùm inchoatio charitatis. Dicere autem, quòd charitas appretiativè tantum perfecta, adeoque quod dilectio Dei propter ſe ſumma appretiativè, niſi etiam certos gradus intenſionis habeat, tantùm ſit inchoatio charitatis, intolerabiliter falſum & abſurdum eſt. Sed

Contra allatum effugium ſic adhuc argumentor. In omnibus illis propoſitionibus eadem planè doctrina continetur. Ergo in omnibus illis propoſitionibus charitas perfecta, charitas ſimpliciter, vera charitas, eandem planè ſignificationem habent. Ergo quod eſt charitas ſimpliciter, quod eſt vera charitas, eſt charitas perfecta in illis propoſitionibus. atqui charitas appretiativè ſumma, etiamſi remiſſa ſit, eſt charitas ſimpliciter, eſt vera charitas; habet enim totam eſſentiam charitatis. Ergo charitas appretiativè ſumma, etiamſi remiſſa ſit, eſt charitas perfecta in illis propoſitionibus, ſeu, quod idem eſt, in illis propoſitionibus nomine charitatis perfectæ intelligitur omnis charitas appretiativè ſumma; intelligitur omnis actus, quo Deus propter ſe ſuper omnia diligitur. Quod

Confirmo ex eo quod jam ſupra attigi de apologia Baii, ubi loquens de eo loco libri, à ſe de charitate conſcripti, unde denunciator ejus trigeſimam primam propoſitionem extraxerat, ſic ait: *Hoc dici adversùs eos, qui in catechumenis & pœnitentibus ante remiſſionem peccatorum, contra Concilium Tridentinum nullum omninò charitatis initium agnoſcunt.* Et addit: *Quanta potui diligentia oſtendere conatus ſum bonum animi motum, qui ante remiſſionem peccatorum à Chriſti dono in peccatoribus reperitur, etiam in Scripturis ſacris nomine dilectionis ſeu charitatis intelligi. Hoc etiam docet Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. ubi loquendo de imperfecta boni cupiditate, ait: Quid enim eſt boni cupiditas, niſi charitas?*

Itaque ſi Baio credimus, denunciator ejus de charitate perfecta intelligere voluit, quod ipſe tantùm intellexerat de charitate inchoata, ſeu de initio charitatis. Baius, ſi ei fidem habere volumus, tantùm dixerat, aut dicere voluerat catechumenos & pœnitentes etiam priùs tempore, quàm Deo reconcilientur, inchoatam habere charitatem; ſed denunciator ejus ei pro charitate tantùm inchoata charitatem perfectam, ut eum accuſare poſſet, per calumniam ſuppoſuit.

De ſuo delatore non queritur Baius, quòd ei pro charitate remiſſa ſuppoſuerit intenſam, quòd pro charitate perfecta tantùm appretiativè, ſuppoſuerit non ſolùm appretiativè, ſed etiam intenſivè perfectam; at, quod longè aliud eſt, de eo queritur, quòd ipſi ſuppoſuerit charitatem pro initio charitatis, pro charitate inchoata charitatem perfectam, hoc eſt, completam in eſſe charitatis, actum quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia, pro actu quo Deus propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia diligitur, quique proinde, cùm non habeat totum eſſe charitatis, quod in affectiva Dei propter ſe appretiatione ſumma conſiſtit, non eſt charitas, ſed tantùm inchoatio charitatis, non eſt charitas perfecta, ſed tantùm inchoata; ſicut corpus organizatum, nondùm animatum anima rationali, quia nondùm habet totum eſſe hominis, non eſt homo, ſed tantùm inchoatio hominis, non eſt homo perfectus, ſed inchoatus tantùm.

Pro certo itaque ſtatuendum videtur, in prædictis propoſitionibus agi præciſè de dilectionis actu, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia, adeoque propter ſe rebus omnibus præfertur. Quærant igitur adverſarii noſtri aliquod aliud effugium, quo prædictarum propoſitionum factam à Summis Pontificibus, & receptam ab univerſa Eccleſia, quæ Pii V. & Gregorii XIII. conſtitutiones contra Baium editas, nemine reclamante ſuſcepit, damnationem vitare poſſint, docendo ſtatum peccati & reatum damnationis æternæ manere in catechumeno & baptizato pœnitente ante realem ſacramenti receptionem & extra caſum neceſſitatis cum dilectionis actu, quo Deus propter ſe ſuper omnia, ſed remiſſè diligitur.

Placet hìc ſubjicere judicium doctrinale Facultatis Theologicæ Pariſienſis, anno 1560. editum de hac propoſitione: *Per contritionem, non adhibito reali-*

ter

Digitized by Google

ter ſacramento Baptiſmi vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra caſum martyrii & neceſſitatis. Hanc autem propoſitionem, præmiſſo ſufficienti examine, hac cenſura notavit: *Hæc propoſitio eſt hæretica.* Atqui hæc propoſitio continet doctrinam adverſariorum. Ergo doctrina adverſariorum damnata fuit ut, hæretica à Facultate Theologica Pariſienſi.

Dices. In propoſitione illa ſubintelligenda ſunt hæc verba intercalaria, Perfectam non ſolum appretiativè, ſed etiam intenſivè. *Reſp.* Niſi quidem ſubintelligantur, adverſarii noſtri apertè damnantur ut hæretici à Facultate Pariſienſi: ſed quæro rationem probabilem ea ſubintelligendi. Quidni enim dicatur in præfata propoſitione, nomine contritionis intelligi omnem dolorem de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, appretiativè ſummum ex motivo charitatis, omnem dolorem ac deteſtationem de peccatis commiſſis propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe; nam in præfata propoſitione generaliter accipitur nomen contritionis, ut contradiſtinctæ ab omni attritione. Ergo hoc nomine comprehenditur omnis dolor de peccatis, qui non eſt attritio, Atqui nullus dolor de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, appretiativè ſummus ex motivo charitatis, eſt attritio, Ergo in præfata propoſitione nomine contritionis comprehenditur omnis dolor de peccatis ut ſunt offenſa Dei, appretiativè ſummus ex motivo charitatis.

§. IV.

Probatur aſſertio noſtra authoritate Concilii Tridentini.

CONc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ſic loquitur: *Etſi contritionem hanc aliquando perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quàm hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, &c.* aliquando, inquit Synodus, contingit contritionem eſſe charitate perfectam, & tunc hominem ante realem ſacramenti ſuſceptionem Deo reconciliat. Ecce hæc duo, contritionem eſſe charitatem perfectam, & eam Deo reconciliare hominem ante realem ſacramenti ſuſceptionem, ut ab invicem inſeparabilia conjungit. Atqui contritio charitate perfecta eſt, quoties concipitur ex motivo charitatis cum ſumma appretiatione, ſive ſit etiam vehemens, ſive non. Ergo ex Conc. Trid. omnis contritio concepta ex motivo charitatis cum ſumma appretiatione, ſive, quod idem eſt, omnis contritio, concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſemper & infallibiliter cum voto ſacramenti hominem reconciliat Deo, antequam actu ſacramentum ſuſcipiatur.

Dices. Contritionis perfectio, de qua Concilium Tridentinum loquitur, ſumi debet à gradibus intenſionis, quos debet includere, non autem ex eo quòd ſit Dei amor ſuper omnia. *Reſp.* hoc eſſe falſum. Nam 1. Synodus non dicit, Intenſa charitate perfectam, ſed ſimpliciter dicit, charitate perfectam. Ergo ut contritio ſit perfecta in ſenſu Synodi, non requiritur ut ſit intenſa, ſed ſufficit quòd ſit Dei amor ſuper omnia: hoc ipſo enim quòd eſt amor Dei ſuper omnia, eſt verè ac propriè charitas, adeoque charitate perfecta.

2. Si contritionis perfectionem Synodus repeteret à gradibus intenſionis, certè cùm diſtinguit contritionem perfectam ab imperfecta, diſtingueret per majorem intenſionem. Atqui non diſtinguit per majorem intenſionem, ſed per diverſitatem motivi: nam poſt verba laudata, paucis interjectis, ſic proſequitur: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſiderationе, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, &c.* Quare ergo, juxta Synodum, contritio imperfecta attritio dicitur, non verò contritio ſimpliciter, quaſi cor atterens tantùm, non conterens, cùm è contra contritio perfecta ſoleat dici contritio ſimpliciter, quaſi cor conterens, & non atterens tantùm? Quia contritio imperfecta non ex conſideratione offenſionis Dei propter ſe amari ſuper omnia, non ex charitate, hoc eſt, non ex amore Dei propter ſe appretiativè ſummo concipitur, ſed concipitur communiter vel ex turpitudinis peccati conſideratione, &c.

Quid eſt ergo, juxta Synodum, contritio imperfecta, ſeu contritio non perfecta charitate? nam contritio imperfecta ſimpliciter, & contritio non perfecta charitate, unum & idem ſunt juxta Synodum; cùm juxta Synodum, contritio imperfecta ſimpliciter, & contritio perfecta charitate immediatè inter ſe opponatur, & immediatè dividant contritionem generice ſumptam; quid eſt, inquam, juxta Synodum, contritio imperfecta, ſeu non perfecta charitate? Contritio remiſſa? Contritio non habens certos gradus intenſionis? Nil minùs. Quid eſt ergo? Contritio, quæ non concipitur ex charitate, ſed ex aliquo alio motivo diverſo & inferiore, vel ſi ex aliquo amore Dei propter ſe concipitur, non concipitur ex amore Dei propter ſe ſuper omnia, adeoque non concipitur ex charitate: Charitas enim eſt amor Dei propter ſe ſuper omnia. Manifeſtum igitur eſt, quòd juxta Synodum, contritionem eſſe perfectam charitate, idem ſit, ac contritionem conceptam eſſe ex charitate, ſeu ex amore Dei propter ſe ſuper omnia; & juxta Synodum, contritionem charitate perfectam habet is, qui dolet de peccatis ſuis, ut ſunt offenſa Dei, eaque deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia, quia Deum amat propter ſe ſuper omnia. Hinc

Exploditur frigidum illud adverſariorum argumentum. His Concilii verbis, *Contritio charitate perfecta*, idem ſubeſt ſenſus ac iſtis aliis, *Intellectus ſcientia perfectus*. At iſta non ſignificant intellectum per quamcumque ſcientiam eſſe perfectum, ſed tantùm per ſcientiam eminentem. Ergo neque verba Concilii ſignificant contritionem per quamcumque charitatem, quæ ſit ſuper omnia, ſed per charitatem eximiam, ſeu quæ plures intenſionis gradus complectatur, perfectam.

Reſp. Ex dictis ſatis ſuperque conſtat, horum verborum, *Contritio charitate perfecta*, eundem ſenſum eſſe ac iſtorum, Contritio concepta ex charitate ſeu ex amore Dei ſuper omnia propter ſe. Contritionem autem conceptam ex charitate Synodus vocat contritionem charitate perfectam, quia charitas eſt omnium motivorum, ex quibus homo conteri poteſt, excellentiſſimum, proindeque contritionem, quæ ex ipſa concipitur, conſtituit ſupremam ſpeciem contritionis, quæ contritio perfecta dicitur propter excellentiam motivi ſui, & ut contradiſtinguatur ab omni alia contritione, ex motivo inferiori concepta, cui tantùm præſtat, quantùm in ratione motivi amor Dei ſuper omnia propter ſe excellit omnibus aliis motivis inferioribus.

Amplius. Contritionem eſſe charitate perfectam, eſt, contritionem per charitatem eſſe conſtitutam in eſſe contritionis perfectæ. Contritionem eſſe conſtitutam in eſſe contritionis perfectæ per charitatem, eſt contritionem per charitatem eſſe conſtitutam in eſſe ſupremæ ac proinde excellentiſſimæ ſpeciei contritionis. Ad hoc autem ut contritio in eſſe ſupremæ ſpeciei contritionis per charitatem conſtituatur, quid requiritur? Charitas intenſa? Minimè. Requiritur & ſufficit, ut charitas ſit omnium motivorum, ex quibus homo conteri poteſt, excellentiſſimum; hoc ipſo enim contritio concepta ex amore Dei ſuper omnia propter ſe, non poteſt non eſſe ſuprema & excellentiſſima ſpecies contritionis. Ex dictis apparet falſitas argumenti ſupra propoſiti, in quo contritio cum intellectu, & charitas cum ſcientia ſatis imperitè comparantur.

Dices. Veteres Scholaſtici diſtinxerunt contritionem perfectam ab imperfecta penes gradus intenſionis, ut patet ex S. Thoma in 4. diſt. 7. q. 2. a. 5. & ex Sylveſtro Prieras in Summa, v. *Contritio*. *Reſp.* 1. neg. S. Thomam & Sylveſtrum ita ſentire locis citatis; & dico eos contritionem perfectam ab imperfecta, quæ ex amore Dei propter ſe, ſicut perfecta, concipi-

cipitur, diſtinguere penes gradus, non intenſionis, ſed appretiationis, illaſque in eo diſcernere, quòd hæc non ſit, illa verò ſit appretiativè ſumma; nec ampliùs volunt, niſi quòd contritio non poſſit eſſe ſumma appretiativè ſine aliquo potentiæ conatu, adeòque ſine aliqua intenſione; quod non negamus, ſed è contra, ut veriſſimum libentiſſimè amplectimur.

Dicimus itaque hominem ſine aliquo potentiæ conatu non poſſe Deum propter ſe amare cum ſumma appretiatione, & ita ſine aliquo potentiæ conatu non poſſe de peccatis conteri propter Deum propter ſe cum ſumma appretiatione amatum: unde charitas remiſſa & contritio remiſſa non ſic dicuntur, quòd careant omni intenſione, hoc enim eſſe non poteſt; ſed quia non habent eos intenſionis gradus, qui requiruntur ad hoc ut vehementes ſint & acres, ſed quibus non indigent, ut cum voto ſacramenti ſemper & infallibiliter juſtificent peccatorem.

Reſp. 2. Quidquid veteres Scholaſtici ſenſerint de diſcrimine contritionis perfectæ & imperfectæ, nobis abundè ſufficit, contritionem perfectam ab imperfecta, quod manifeſtum eſt, à Concilio Tridens. non per majorem intenſionem, ſed per motivorum diverſitatem diſtingui: hoc enim ſuppoſito, clarum eſt, contritionem juxta Synodum, in eſſe contritionis perfectæ conſtitui per excellentiam motivi, adeòque eam omnem contritionem eſſe ſimpliciter contritionem perfectam, quæ verè concipitur ex amore Dei propter ſe ſuper omnia; cùm amor Dei propter ſe ſuper omnia ſit motivum excellentiſſimum, & longè excellentius omnibus aliis motivis, ex quibus homo conteri poteſt; quanquam quantò intenſior eſt amor Dei propter ſe ſuper omnia, ex quo concipitur contritio, tantò excellentior ſit contritio perfecta, atque ita inter contritiones perfectas una ſit excellentior, quàm altera, quia una ex intenſiore Dei amore propter ſe ſuper omnia concipitur, quàm altera.

Porrò noſter eſt S. Thomas loco proximè citato, ut patebit ex ſequenti paragrapho.

§. V.

Probatur aſſertio noſtra authoritate S. Thomæ.

SAnctus Thomas in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. art. 5. tertio loco proponit hanc difficultatem: *Videtur quòd contritio parva non ſufficiat ad deletionem magnorum peccatorum, quia contritio eſt medicina peccati: ſed corporalis medicina, quæ ſanat morbum corporalem minorem, non ſufficit ad ſanandum majorem, Ergo minima contritio non ſufficit ad delendum maxima peccata.* Hoc porrò toto articulo S. Doctor ſumit contritionem, ut opponitur omni attritioni, adeòque ut concipitur ex amore Dei propter ſe ſuper omnia. Jam verò ut hanc difficultatem ſolvat, ait ne diſtinguendam eſſe duplicem contritionem, unam ſcilicet remiſſam, & alteram intenſam ſeu vehementem, & hanc quidem vim habere delendi quælibet peccata in omni caſu ante realem ſusceptionem ſacramenti; illam verò non habere niſi in caſu neceſſitatis? Nil minùs. Quid ergo?

Audiamus illum: *Ad tertiam quæſtionem*, inquit, *dicendum quod contritio, ut ſæpè dictum eſt, habet duplicem dolorem: unum rationis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi, & hic poteſt eſſe adeò parvus, quòd non ſufficiat ad rationem contritionis, ut ſi minùs diſpliceret ei peccatum, quàm debeat diſplicere ſeparatio à fine, ſicut etiam amor poteſt eſſe ita remiſſus, quòd non ſufficiat ad rationem charitatis. Alium dolorem habet in ſenſu...... Sic ergo dicendum, quòd quantumcumque parvus ſit dolor, dummodò ad contritionis rationem ſufficiat, omnem culpam delet.*

Adverto. Non dicit S. Doctor, quòd dolor parvus ſeu remiſſus non poſſit habere rationem contritionis (ſupple ſemper, perfectæ; nam de perfecta loquitur, ut jam obſervatum eſt), ſed, quòd longè aliud eſt, quòd dolor poſſit ita parvus eſſe ſeu remiſſus, ut non pertingat ad rationem contritionis. Similiter non dicit, quòd amor Dei propter ſe parvus ſeu remiſſus, non poſſit habere rationem charitatis; ſed, quod longè aliud eſt, quòd amor Dei propter ſe poſſit eſſe ita parvus ſeu remiſſus, ut non pertingat ad rationem charitatis. Sic autem loquendo S. Doctor manifeſtè ſupponit & ſignificat, quòd dolor remiſſus poſſit habere rationem contritionis, hoc eſt, quòd dolor remiſſus poſſit eſſe vera contritio. Similiter manifeſtè ſupponit & ſignificat, quòd remiſſus amor Dei propter ſe poſſit habere rationem charitatis, hoc eſt, quòd poſſit eſſe vera charitas.

Igitur, juxta S. Doctorem, intenſio ſeu vehementia non eſt de ratione contritionis perfectæ, ſicut nec de ratione charitatis. Igitur, juxta S. Doctorem, ad rationem contritionis perfectæ, ſicut & ad rationem charitatis, præter excellentiam motivi requiritur tantùm appretiatio excellentiæ motivi proportionata, adeòque requiritur tantùm appretiatio maxima. Juxta S. Doctorem, contritio perfecta eſt dolor ex amore Dei propter ſe conceptus cum appretiatione maxima, ſicut charitas eſt amor Dei propter ſe appretiativè maximus. Quia autem nullus actus appretiationem maximam habere poteſt ſine conatu aliquo potentiæ, poteſt dolor ex amore Dei propter ſe conceptus, ita remiſſus eſſe, ut non pertingat ad eſſe contritionis perfectæ, quia poteſt ita remiſſus eſſe, ut non pertingat ad appretiationem maximam; ſicut quia amor Dei propter ſe poteſt ita eſſe remiſſus, ut non pertingat ad appretiationem maximam, poteſt ita eſſe remiſſus, ut non pertingat ad eſſe charitatis. Ex his

Intelligitur hæc S. Doctoris concluſio, generaliter & abſque omni reſtrictione poſita, qua adverſariorum doctrina conteritur: *Sic ergo dicendum, quòd quantumcumque parvus ſit dolor, dummodò ad contritionis rationem ſufficiat, omnem culpam delet.* Senſus enim illius eſt: Dolor quantùmvis remiſſus, omnem culpam delet, ſemper ſcilicet, & infallibiliter, dummodò ſit conceptus ex amore Dei propter ſe, & appretiativè maximus, adeòque dummodò ſit ex amore Dei propter ſe appretiativè maximo conceptus. Quod

Prob. Juxta mentem S. Doctoris, hoc argumento: Omnis contritio perfecta ſemper & infallibiliter omnem culpam delet. Atqui dolor quantumlibet remiſſus, dummodò conceptus ſit ex amore Dei propter ſe appretiativè maximo, eſt contritio perfecta. Ergo dolor quantumlibet remiſſus, dummodò conceptus ſit ex amore Dei propter ſe appretiativè maximo, omnem culpam delet ſemper & infallibiliter.

Porrò objicienti, contritionem eſſe medicinam peccati, ac proinde ad delenda magna peccata non poſſe ſufficere parvam ſeu remiſſam contritionem, ſed neceſſariò ſequiri magnam ſeu vehementem, reſpondet S. Doctor: *Medicinæ ſpirituales habent efficaciam infinitam ex virtute infinita, quæ in eis operatur: & ideò illa medicina quæ ſufficit ad curationem parvi peccati ſufficit etiam ad curationem magni, ſicut patet de Baptiſmo, quo & magna & parva ſolvuntur: & ſimiliter eſt de contritione, dummodò ad rationem contritionis pertingat* (hoc eſt, dummodò ſit appretiativè ſumma propter Deum cum ſumma appretiatione dilectum propter ſe. Virtus autem illa infinita, quæ in contritione operatur, vel eſt potentia divina infundens gratiam ſanctificantem, ad deletionem peccatorum quorumlibet ſufficientem per modum cauſæ formalis; vel ſunt Chriſti merita, quorum intuitu miſericors Deus homini contritionem habenti peccata quælibet etiam graviſſima condonat.

§. VI.

Probatur aſſertio noſtra ratione duplici.

PRima ratio. Nemo niſi juſtus rectè vivit, & legem implet. Atqui homo habens charitatem remiſſam rectè vivit, & legem implet. Ergo homo ha-

bena charitatem remiſſam, juſtus eſt, adeòque ſtatus peccati & reatus damnationis æternæ ſtare non poſſunt cum charitate remiſſa. Quare malè dicitur peccator, qui conteritur tantùm ea charitate remiſſa, antequam actu ſacramentum ſuſcipiat, non juſtificari extra caſum neceſſitatis. Conſequentia patet.

Prob. 1. *major*, Ex S. Auguſtino, id diſertè aſſerente pluribus locis; ut enarratione in Pſalm. 110. ubi ait: *Juſtitiam homo non operatur, niſi juſtificatus*. Et libro de ſpir. & litt. cap. 26. ubi ait: *Sic intelligendum eſt*, Factores legis juſtificabuntur, *ut ſciamus eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, ſed factores legis juſtificatio præcedat*. Et lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 3. *Cum itaque*, inquit, *non vivant bene homines, niſi effecti filii Dei, quid eſt quod iſte* (Julianus) *libero arbitrio vult bene vivendi tribuere poteſtatem?*

Prob. 2. *min.* 1. Ex Apoſtolo Rom. cap. 13. ubi ait: *Plenitudo legis eſt dilectio*. Ex quibus verbis ſic ratiocinatur Auguſtinus lib. de fide & operibus c. 14. *Ubi autem hæc fidelis charitas operatur, ſine dubio bene vivitur: plenitudo enim legis charitas*. 2. Ex S. Thoma 3. part. quæſt. 70. art. 4. in O. ubi ſic loquitur: *Minima gratia* (ſanctificans) *poteſt* (per actum charitatis ſibi proportionatum) *reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti*. 3. Ratione evidenti, quam ſuggerit ſanctus Thomas. Quia per charitatem, quantumcumque remiſſa ſit, homo Deum amat propter ſe ſuper omnia, & conſequenter neceſſariò neceſſitate conſequenti offenſionem omnem divinam gravem odit efficaciter ſuper omnia alia mala, quorum perpeſſio neceſſaria eſſe poteſt ad vitandum grave peccatum. Atqui homo in ſenſu compoſito hujus odii non poteſt graviter offendere Deum, adeòque legem divinam tranſgredi non poteſt in re gravi. Ergo homo cum charitate quamvis remiſſa, rectè vivit, & legem implet.

Dices 1. Contra prob. min. Apoſtolus loco citato loquitur de dilectione perfecta.

Reſp. Apoſtolus loquitur de dilectione perfecta ſeu completa in ratione charitatis; loquitur de dilectione, quacum incompoſſibilis eſt gravis omnis tranſgreſſio legis, ac proinde de dilectione, qua Deus non utcumque, ſed ſuper omnia diligitur propter ſe; quæque ſola verè, ac propriè charitas eſt. Charitas autem remiſſa tam verè ac propriè charitas eſt, quàm charitas intenſa: nam remiſſa tam eſt ſummè appretiativa Dei propter ſe, quàm intenſa: unde manifeſtum eſt Apoſtolum tam loqui de charitate remiſſa, quàm de intenſa.

At inquies. Apoſtolus non loquitur de charitate inchoata. Atqui charitas remiſſa eſt tantùm charitas inchoata. Ergo, &c. *Reſp.* Minorem eſſe enormiter falſam: nam quomodo charitas illa dici poteſt inchoata tantùm charitas, quæ perfecta eſt, & completa in ratione charitatis, & ſolùm caret perfectione aliqua accidentali? Talis autem eſt charitas remiſſa. Nam 1. habet totam eſſentiam charitatis; cùm eſſentia charitatis adæquatè conſiſtat in eo quòd ſit amor Dei propter ſe ſuper omnia. 2. Et ita intenſio, qua caret, eſt aliquid accidentarium, & quod totum eſt extra charitatis eſſentiam: unde charitas intenſa & remiſſa ſunt ejuſdem ſpeciei, & accidentaliter tantùm inter ſe differunt.

Quid eſt ergo charitas inchoata? Actus, ut jam ſæpè dictum eſt, quo Deus propter ſe diligitur, ſed nondum ſuper omnia: unde hic actus non eſt charitas ſimpliciter, ſed tantùm cum addito, inchoata, deſtruente rationem charitatis. Quia autem non eſt incompoſſibilis cum omni gravi tranſgreſſione legis, nec ſatisfacit primo & maximo illius mandato, de eo dici non poteſt, quòd ſit plenitudo legis, nec de eo loquitur Apoſtolus.

At inquies. Auguſtinus loco citato interpretatur Apoſtolum de charitate intenſa. *Reſp.* Hoc eſſe falſum: nam Auguſtinus ſimpliciter dicit, plenitudinem legis eſſe charitatem. Nomen autem, ſicut & ratio charitatis, tam propriè convenit charitati remiſſæ, quàm intenſæ. Ergo Auguſtinus loco citato tam de remiſſa, quàm de intenſa charitate loquitur. Loquitur præcisè de charitate. Ergo loquitur de omni charitate, quæ propriè charitas eſt. Atqui charitas remiſſa tam propriè charitas eſt, quàm charitas intenſa. Ergo, &c.

At inquies. Apoſtolum loqui tantùm de charitate intenſa, innuit Auguſtinus tract. 5. in Joan. ubi ait: *Numquid mox ut naſcitur charitas jam prorſus perfecta eſt? Ut perficiatur naſcitur; cùm fuerit nata nutritur; cùm fuerit nutrita roboratur; cùm fuerit roborata perficitur; cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*.

Reſp. S. Auguſtinus hic non loquitur de perfectione eſſentiali, qua charitas in ſuo eſſe conſtituitur; hanc enim perfectionem non poteſt non habere charitas, ſtatim atque naſcitur; ſed de perfectione accidentali, qua charitas in ſuo eſſe conſtituta & completa, augetur & intenditur. Loquitur S. Auguſtinus de eximio quodam amoris ardore, vi cujus amans dicit cum Apoſtolo: *Mihi vivere Chriſtus eſt, &c.* Et ad quem charitas, non ſtatim atque Deus ſuper omnia propter ſe diligitur, ſed ſolùm progreſſu temporis multoties iterata, pertingit ſaltem regulariter. Apoſtolus autem, cùm ait, plenitudinem legis eſſe dilectionem, non intelligit ſolam dilectionem, quæ eximium illum ardorem habet; alioquin, quòd certò falſum eſt, nemo niſi eximiè ſanctus rectè vivit, & legem implet, atque ita nemo niſi eximiè ſanctus ſalvatur.

Dices 2. Sanct. Thomas loco citato intelligit non actualem, ſed habitualem charitatem, quæ idem eſt cum gratia ſanctificante. *Reſp.* 1. Falſum eſt, quòd in doctrina S. Thomæ charitas habitualis ſit idem cum gratia ſanctificante: nam juxta S. Doctorem, charitas habitualis eſt potentia ſupernaturalis, ſuperaddita realiter gratiæ ſanctificanti, ut cuidam naturæ ſupernaturali.

2. Loquitur manifeſtè S. Thomas non de habituali, ſed de actuali charitate: nam gratia ſanctificans (de ea enim loquitur S. Doctor) non poteſt reſiſtere concupiſcentiæ per ſe ipſam immediatè, ſed ſolùm mediante actu ſibi proportionato: unde ſi minima gratia ſanctificans poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, certè non poteſt reſiſtere, niſi per actum ſibi proportionatum. Poſtea autem probat S. Doctor, ex eo quòd minima charitas ſit actus minimæ gratiæ ſanctificanti proportionatus, & plus diligat Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.

3. Sed eſto quòd S. Thomas loquatur de charitate habituali, certè ſi minima charitas habitualis plus diligit Deum, &c. plus diligit per actum ſibi proportionatum. Ergo juxta S. Thomam, per minimum actum charitatis, plus diligitur Deus, quàm per cupiditatem millia auri & argenti. Ergo, juxta S. Thomam, cum minimo actu charitatis homo rectè vivit, & legem implet. Juxta S. Thomam igitur, plenitudo legis eſt non ſolùm intenſa & vehemens, ſed etiam remiſſa charitas; quod etiam evidenter oſtendit ratio, quam ſuggerit S. Doctor. Quomodo ergo vitare poſſunt adverſarii damnationem hujus propoſitionis: *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum?*

Secunda ratio. Secundùm adverſarios, contritio, concepta ex charitate remiſſa, peccatorem Deo reconciliat in caſu neceſſitatis, ſine reali ſuſceptione ſacramenti. Ergo ſemper & in quocumque alio caſu reconciliat.

Prob. conſeq. Non eſt potior ratio pro caſu neceſſitatis, quàm pro quocumque alio caſu. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ſi eſt potior ratio, ſe tenet, vel ex parte ipſius contritionis, vel ex parte circumſtantiæ neceſſitatis, vel ex parte Dei. Nihil horum dici poteſt. Ergo, &c.

Prob.

Prob. min. Primum dici non poteſt: nam contritio illa per ſe vim ad movendum Deum majorem non habet in caſu neceſſitatis, quàm in quocumque alio caſu. Non etiam ſecundum: nam circumſtantia neceſſitatis non auget æſtimabilitatem contritionis. Non denique tertium; nam perperam dicitur Deus nolle contrito ex charitate remiſſa peccata condonare ſine reali ſuſceptione ſacramenti extra caſum neceſſitatis, hoc enim neque ex Scriptura, neque ex traditione probari poteſt, ut patebit ex ſolutione objectionum.

§. VII.

Solvuntur objectiones petita ex Scriptura.

OBj. 1. Chriſtus Luc. cap. 7. loquens de Magdalena ſic ait; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo Magdalenæ non ante remiſſa fuerunt peccata, quàm ardenti charitate flagraret, & ex ardenti charitate de peccatis à ſe commiſſis doleret.

Reſp. Malè ſupponi, quòd tunc primùm Magdalenæ peccata fuerint condonata, cum Chriſtus dixit: *Remittuntur ei peccata, &c.* Vel dicendum eſt, quod tamen negant adverſarii, non ſemper remitti peccata pœnitenti, ſtatim atque ardenti charitate flagrat, & ex ardenti charitate conteritur; Chriſtus enim loco citato non ait: *Quoniam diligit*, ſed, *Quoniam dilexit multum.* Magdalena igitur jam charitate ardenti flagrarat, antequam Chriſtus diceret: *Remittuntur ei, &c.* Adeòque ſi tunc primùm ei peccata condonata ſunt, cùm verba illa à Chriſto prolata fuere, aliquandiu cum ardenti charitate manſit in ſtatu peccati & reatu damnationis æternæ, quod certe Bajanum eſt.

Itaque Magdalenæ jam condonata erant peccata, quando Chriſtus dixit: *Remittuntur ei, &c.* & per hæc verba, ut rectè docet Bellarminus lib. 2. de pœnitent. cap. 14. Chriſtus nihil aliud ſignificavit, niſi, *magnam dilectionem cauſam fuiſſe magnæ indulgentia:* Chriſtus enim Magdalenæ, quia Deum amavit ardentiſſimè, & ex amore illo ardentiſſimo de peccatis doluit, remiſit peccata omnia, non ſolùm quoad reatum culpæ, ſed etiam quoad reatum omnis pœnæ. Quam remiſſionem, inviſibiliter priùs factam intùs, exteriùs, ac viſibiliter ratam habet & confirmat inferiùs eodem loco, cùm ait: *Remittuntur tibi peccata.*

Nec obeſt nobis Auguſtinus, cùm hom. 23. inter quinquaginta, de Magdalena loquens, ait: *Acceſſit ad Dominum immunda, ut rediret munda; acceſſit agra, ut rediret ſana.* Et inferiùs: *Nam quare fecit illa omnia, niſi ut ſibi dimitterentur peccata?* Nam Auguſtino ſatisfit, ſi dicatur Magdalena ad Dominum acceſſiſſe cum charitate tantùm inchoata, qua Deum propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia diligebat, nec priùs Deum ſuper omnia dilexiſſe, quam advolveretur ad pedes Domini. Itaque Deus Magdalenam ad juſtificationis gratiam præparavit eo modo, quo ſolet ad eam peccatores præſertim graves præparare; illis, ut ait Synodus Arauſicana can. ult. primùm inſpirando aliqualem ſui dilectionem, ſeu initium aliquod charitatis, quo fideliter requirant medicum, a quo ſanari poſſint. Magdalena ad Dominum acceſſit immunda & ægra, quia tantùm cum initio charitatis, & quidem vehementi (poteſt enim vehemens eſſe charitatis initium) acceſſit; ſed advoluta ad pedes Domini, aſpirante abundantiore gratia, Deum ſuper omnia propter ſe diligere cœpit, & ſic Deum diligendo, ſtatim peccatorum remiſſionem adepta eſt, atque ita rediit munda & ſana.

Obj. 2. Paulus ex amore Dei propter ſe ſuper om-
Act. 9. nia dilecti, peccata ſua deteſtatus eſt, cùm dixit: *Domine, quid me vis facere?* Aut certè intra triduum illud, quo in oratione perſeveravit, & tamen poſt illud triduum juſtificatus habitus non eſt ab Anania,
Act. 22. quippe qui dixit ei: *Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.*

Reſp. Dici non poſſe, quòd Ananias Paulum poſitivè habuerit ut nondùm juſtificatum: nam ſi habuit, vel quia credidit Paulum etiam cum ardentiſſima charitate juſtificari non potuiſſe ſine reali ſuſceptione Baptiſmi; at hoc gratis diceretur, nec dicent ii, contra quos hic pugnamus; vel quia credidit neminem extra ſacramentum juſtificari poſſe ſine charitate certos intenſionis gradus habente, & aliunde notat Paulum eatenus nonniſi remiſſam charitatem habuiſſe, & ita eum ex remiſſa tantùm charitate peccata ſua deteſtatum eſſe. At hoc unde noſce poterat? Quare ergo dixit Paulo: *Baptizare, & ablue peccata tua?* Quia certus non erat quòd jam juſtificatus eſſet; cùm certus non eſſet, quòd jam Deum ſuper omnia propter ſe diligeret; & ſciebat eum, ſuppoſito quòd jam eſſet juſtificatus, non fuiſſe juſtificatum niſi cum onere & ſpeciali obligatione ſuſcipiendi baptiſmum pro peccatis ſibi condonatis, quorum proinde pondere tandiu quaſi premendus erat, quandiu non baptizaretur.

§. VIII.

Solvuntur objectiones petita ex S. Auguſtino.

PLura S. Doctoris loca nobis opponi poſſunt ab adverſariis, quibus ex ordine ſatisfaciendum eſt. Primus eſt tract. 13. in Joan. ubi hæc leguntur verba: *Ne quis arrogans, eò quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari baptiſmo Domini* (Dominus baptizari voluit baptiſmo Joannis-Bapt.) *quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat: non illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum. Quomodo non caruit populus Iſrael populo Ægyptiorum, niſi cum veniſſet ad mare rubrum: ſic preſſuris peccatorum nemo caret, niſi cum ad fontem baptiſmi pervenerit.*

Reſp. 1. Sanctus Auguſtinus non loquitur de catechumeno proficiente in charitate: alioquin catechumenus etiam cum ardentiſſima charitate, ſeu cum ardentiſſimo amore Dei propter ſe ſuper omnia, ſine reali ſuſceptione ſacramenti juſtificari non poſſet, juxta S. Doctorem; quod ab ejus mente alieniſſimum eſt, & damnatum fuit in Bajo, nec adverſarii concedunt. Supereſt igitur, ut S. Auguſtinus loquatur de catechumeno proficiente in aliquo genere perfectionis charitate inferioris, putà, in fide, & morum honeſtate.

2. Loquitur de catechumeno, qui commodè poteſt baptiſmum ſuſcipere, nec juſtam aliquam dilationis cauſam habet, adeòque baptiſmum dedignatur, & interpretativè contemnit. De tali autem verè dicitur, quòd portet ſarcinam iniquitatis ſuæ, nec illi dimittatur, niſi cùm venerit ad baptiſmum: catechumenus enim ante realem baptiſmi ſuſceptionem juſtificari non poteſt ſine perfecta ſeu appretiativè maxima cordis ad Deum converſione, & voto baptiſmi. Catechumenus autem qui baptiſmum dedignatur, nec habet illius votum, quod eſt deſiderium efficax illum ſuſcipiendi, nec ad Deum converſus eſt ſaltem perfectè, & cum appretiatione maxima: nam, ut dicit S. Auguſtinus lib. 4. de bapt. cap. 25. *Converſio cordis* (perfecta ſcilicet, & appretiativè ſumma) *poteſt quidem ineſſe, non percepto baptiſmo, ſed contempto non poteſt: neque enim ullo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum* (niſi fortaſsè inchoata & imperfecta ſimpliciter, adeòque ad juſtificationem inſufficiens extra ſacramentum) *cùm Dei ſacramentum contemnitur.*

3. Ex dictis facilè intelligitur mens S. Doctoris, cùm ait: *Preſſuris peccatorum nemo caret, &c.* Senſus igitur illius eſt: Nullus unquam adultus non baptizatus juſtificatur, cùm adeſt opportunitas ſuſcipiendi baptiſmum, ſine juſta cauſa dilationis, quandiu differt baptiſmi ſuſceptionem; quia tunc quandiu differt, tandiu Dei ſacramentum dedignatur, & interpretativè contemnit, atque ita tandiu caret voto ſacramenti, & perfecta cordis ad Deum converſione,

ſine quibus nemini unquam adulto non baptizato juſtificationis gratia confertur.

Secundus locus eſt lib. 1. de ſymbolo ad catechum. ſub finem, ubi ſic ait S. Auguſtinus: *Deus non dimittit peccata, niſi baptizatis. Ipſa peccata, quæ primum dimittit, nonniſi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur. Peccata, quæ poſtea orantibus dimittuntur (nam quomodo dicunt* Pater noſter, *qui nondum nati ſunt?) & pœnitentibus, quibus dimittit, baptizatis dimittit. Catechumeni quandiu ſunt, ſuper illos ſunt peccata eorum.*

R. Adverſarii tam urgentur hoc textu, quàm nos urgemur; & niſi intelligatur cum aliqua exceptione, continet errorem in fide, nempe quòd nullus adultus non baptizatus poſſit juſtificari ſine reali ſuſceptione baptiſmi, quod eſt contra fidem, ut patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. Adverſarii textum illum intelligunt cum exceptione caſus, in quo catechumenus ardenter Deum amat ſuper omnia propter ſe: nos intelligendum eſſe contendimus pro omni caſu, in quo catechumenus Deum propter ſe ſuper omnia diligit, quia talis ad Deum ex toto corde convertitur, & habet votum ſacramenti.

Itaque cùm Auguſtinus ait: *Deus non dimittit peccata, niſi baptizatis, &c.* Loquitur de eo, quod ordinariè fit: cùm enim catechumeni ordinariè Deum propter ſe ſuper omnia non diligant, niſi poſt ſuſceptum baptiſmum, ordinariè fit, ut illis nonniſi cùm actu baptiſmum ſuſcipiunt, dimittantur peccata. Itaque catechumeni quandiu ſunt, regulariter loquendo, ſuper illos ſunt peccata eorum, quia regulariter loquendo, catechumeni quandiu ſunt, Deum inchoatè tantùm diligunt, & ita nondùm diligunt Deum ſuper omnia, ſicque nondùm ad Deum ex toto corde convertuntur, quia de peccatis ſuis nondùm dolent, & ea deteſtantur, ut ſunt offenſa Dei ſuper omnia propter ſe dilecti.

Tertius locus eſt lib. 4. de baptiſmo cap. 21. *Nec ego*, inquit Auguſtinus, *dubito catechumenum catholicum divina charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere, ſed etiam in ipſa intus catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus ...., Sicut autem bono catechumeno baptiſmus deeſt ad capeſſendum regnum cœlorum, ſic malo baptizato vera converſio ....., Namque ne ſecura eſſet juſtitia catechumeni, dictum eſt,* Niſi quis renatus fuerit .... *Rurſus, ne percepto baptiſmo, ſecura eſſet iniquitas baptizatorum, dictum eſt,* Niſi abundaverit juſtitia veſtra ..... *Alterum ſine altero parum eſt, utrumque perficit illius poſſeſſionis hæredem.* Ergo, juxta S. Doctorem, catechumenus etiam charitate remiſſa flagrans, adeòque ex charitate remiſſa ad Deum converſus, ad remiſſionem peccatorum indiget baptiſmo in re ſuſcepto.

Reſp. 1. S. Doctorem tam loqui de catechumeno habente charitatem intenſam, quàm de habente remiſſam: nam ſi habens charitatem remiſſam, dici poteſt flagrare charitate, quantò magis flagrare charitate dici poteſt is, qui habet charitatem intenſam. Unde velle hìc S. Doctorem ſolùm intelligi de catechumeno, qui remiſſam tantùm charitatem habet, & purè arbitrarium eſt & abſurdum. Hic igitur S. Doctor neceſſariò intelligendus eſt de omni catechumeno, qui veram habet charitatem, ſive intenſam habeat, ſive remiſſam tantùm.

Reſp. 2. Neg. conſeq. Non enim dicit S. Auguſtinus, catechumeno charitatem habenti deeſſe baptiſmum ad obtinendam peccatorum remiſſionem, ſed, quod aliud eſt, dicit deeſſe ad capeſſendum regnum cœlorum. Catechumenus autem, charitatem habens, ad capeſſendum regnum cœlorum indiget baptiſmo, non quia caret remiſſione peccatorum, ſed quia remiſſionem peccatorum, quam habet, non accepit, niſi cum onere & obligatione baptiſmi ſine vituperabili mora ſuſcipiendi: unde ſi poſtquam per contritionem ex charitate conceptam cum voto baptiſmi juſtificatus eſt, à baptiſmo recipiendo nulla neceſſitate excludatur, nec tamen illum recipiat, ubi primùm illius recipiendi adeſt opportunitas ſine juſta cauſa dilationis, reus erit mortalis peccati, & ita è ſtatu juſtitiæ priùs acceptæ excidens, moriensque damnabitur, non quia nunquam peccatorum remiſſionem habuit, ſed quia poſt acceptam peccatorum remiſſionem noluit aut neglexit recipere baptiſmum, & ſic contempti baptiſmi reus effectus eſt, juxta illud S. Doctoris eodem loco: *Cornelius ſi etiam Spiritu ſancto jam accepto baptizari noluiſſet, contempti tanti ſacramenti reus fieret.* Vide Bellarminum lib. 2. de pœnit. cap. 14.

Ex dictis facilè intelligitur mens Auguſtini, cùm ait: *Alterum ſine altero* (hoc eſt, cordis ad Deum converſio ſine baptiſmo, & viciſſim baptiſmus ſine cordis ad Deum converſione) *parum eſt; utrumque* (cordis, ſcilicet, ad Deum converſio, & baptiſmus in re ſuſceptus) *perficit illius poſſeſſionis hæredem:* ſic enim loquitur S. Doctor, non quòd ſicut baptiſmus in re ſuſceptus, ſine cordis ad Deum converſione non juſtificat catechumenum, ita nec catechumenum ſine baptiſmo in re ſuſcepto juſtificet cordis ad Deum converſio, etiamſi perfecta ſit, ſeu ex vera charitate facta; hæc enim non eſt Auguſtini mens, ſed error Baji, hanc Auguſtino mentem affingentis; ſed quia nemo regnum cœlorum capeſſere poteſt, niſi juſtificetur, & in accepta juſtificationis gratia uſque in finem perſeveret: unde malus baptizatus ſine vera cordis ad Deum converſione, nec bonus catechumenus ſine baptiſmo in re ſuſcepto, regnum cœlorum capeſſet: quia nec malus baptizatus juſtificari poteſt ſine vera cordis ad Deum converſione; nec catechumenus, ante realem baptiſmi ſuſceptionem per cordis ad Deum converſionem perfectam juſtificatus, in accepta juſtificationis gratia perſeverare poteſt ſine baptiſmo in re ſuſcepto; cùm enim, ut ſupponit S. Doctor, nulla neceſſitate excludatur à ſuſceptione baptiſmi, baptiſmum omittendo, contempti tanti ſacramenti reus efficitur, & hoc ipſo, amiſſa juſtificationis gratia, reus efficitur damnationis æternæ.

Simon Magus baptizatus eſt, nec tamen ſalutem æternam conſecutus eſt, quia nemo ſine juſtificationis gratia ſalvari poteſt; & defuit illi vera cordis ad Deum converſio, ſine qua nullus adultus poteſt juſtificationis gratiam conſequi. Baptiſmus igitur in re ſuſceptus parum eſt ſine vera cordis ad Deum converſione. Cornelius Centurio ante baptiſmum in re ſuſceptum, per cordis ad Deum converſionem perfectam, quam habuit, juſtificationis gratiam conſecutus eſt, ut dicit S. Doctor cap. 24. *In Cornelio*, inquit, *præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritus ſancti, & acceſſit ſacramentum regenerationis in lavachro baptiſmi*, nec tamen conſecutus eſſet ſalutem æternam ſine baptiſmo in re ſuſcepto, quia nemo ſine perſeverantia in accepta juſtificationis gratia ſalvari poteſt; & ſine baptiſmo in re ſuſcepto, illi defuiſſet hæc perſeverantia. Nam ut dicit S. Doctor: *Cornelius ſi etiam Spiritu ſancto jam accepto baptizari noluiſſet, contempti tanti ſacramenti reus fieret.* Cordis igitur ad Deum converſio etiam perfecta, ſine baptiſmo in re ſuſcepto parum eſt in catechumeno, quem nulla, ſcilicet, neceſſitas excludit à ſuſceptione baptiſmi, ſine qua proinde in ſtatu juſtitiæ non poteſt perſeverare, adeòque nec regnum cœlorum capeſſere.

Quartus locus eſt eod. lib. cap. 22. ubi ait S. Auguſtinus: *Invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt ...., Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili ſacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus,* Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, *in illo latrone* (cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo) *declaratum eſt: ſed tunc impletur inviſibiliter, cum myſterium baptiſmi, non contemptus religionis, ſed*

artic-

articulus neceſſitatis excludit. Ergo juxta S. Doctorem, cordis ad Deum converſio, facta ex charitate remiſſa, baptiſmum non ſupplet, niſi in articulo neceſſitatis excludentis baptiſmi ſuſceptionem.

Reſp. 1. S. Doctor perperam intelligitur de ſola cordis ad Deum converſione facta ex charitate remiſſa: loquitur enim etiam de converſione, qualis fuit in latrone, cui in cruce pendenti dictum eſt: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Hunc autem latronem tunc intenſam charitatem habuiſſe, & ex intenſa charitate de peccatis ſuis vehementer doluiſſe, dubitare quis poteſt? Loquitur ergo ſanct. Doctor de omni cordis ad Deum converſione facta ex charitate, ſive ſit ea charitate intenſa, ſive ſit ex remiſſa tantùm.

Reſp. 2. diſt. conſeq. Ergo, juxta S. Doctorem, cordis ad Deum converſio, &c. nonniſi in articulo neceſſitatis, &c. ſupplet baptiſmum quantùm ad remiſſionem peccatorum, & juſtificantis gratiæ collationem, Neg. conſeq. Nam diſertè aſſerit ſanctus Doctor, Cornelium Centurionem, antequam actu baptiſmum ſuſciperet, in dono Spiritus ſancti ſpiritaliter ſanctificatum fuiſſe; cùm tamen non verſaretur in articulo neceſſitatis baptiſmi ſuſceptionem excludentis. Supplet baptiſmum quantùm ad realem ipſius ſuſceptionem, C. conſeq.

Quid ergo dicit ſanctus Doctor? Deſiderium efficax baptiſmi, in perfecta cordis ad Deum converſione incluſum, ad hoc ſufficere, ut non baptizatus, per cordis ad Deum converſionem perfectam, ſeu per contritionem ea charitate conceptam juſtificatus, in articulo neceſſitatis baptiſmum excludentis, ſine ſuſceptione baptiſmi perſeveret in ſtatu gratiæ, atque adeò, quamvis non ſuſcepto baptiſmo moriatur, capeſſat regnum cælorum. Ratio S. Doctoris eſt, quia ſalis reus eſſe non poteſt contempti baptiſmi, quandoquidem efficaciter deſiderat illum recipere, illumque reciperet, niſi ab illius ſuſceptione neceſſitas eum excluderet.

At inquies. S. Auguſtinus eodem libro cap. 23. diſertè aſſerit, per cordis converſionem ad Deum, nonniſi in articulo neceſſitatis, &c. ſuppleri baptiſmum quantùm ad ſanctificationem. *Reſp.* S. Auguſtinum per hanc ſanctificationem non eam intelligere, de qua agitur, & qua homo interiùs renovatur, ut loquitur Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & fit ex injuſto juſtus, ex inimico amicus, &c. Sanctificationem enim intelligit, quæ tam in malis, quàm in bonis baptizatis reperitur. Verba S. Doctoris ſunt: *Quid autem valeat, & quid agat in homine corporaliter adhibita ſanctificatio ſacramenti, ſine qua tamen ille latro non fuit, quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, ſed non accipiendæ neceſſitas affuit, difficile eſt dicere ..... Verum quia per ſe ipſa conſideranda eſt, excepta ſalute hominis cui perficiendæ adhibetur, ſatis indicat, quòd & in malis, & in eis qui ſæculo verbis, non factis renunciant, ipſa integra eſt, cùm illi niſi corrigantur, ſalutem habere non poſſint.*

Loquitur ergo de ſanctificatione, quàm accipiunt, cùm baptizantur, etiam mali, & ii qui ſæculo verbis, non factis renunciant, quæque in talibus, licèt non poſſint niſi pravitate ſua correcta ſalvari, tam integra eſt, quàm in bonis, qui non verbis ſolùm, ſed etiam factis renunciant ſæculo. Non ergo loquitur de ſanctificatione, qua homo fit juſtus, amicus Dei, & hæres regni cœleſtis. Supereſt ergo ut intelligatur de ſpeciali quadam conſecratione, quæ baptizatis omnibus, ſive boni, ſive mali ſint, communis eſt: nam licèt non omnes qui baptizari volunt, per baptiſmum juſtificentur, omnibus tamen imprimitur character, quo, velint, nolint, ſpecialiter conſecrantur Deo, ſeu, quod idem eſt, quo ſpecialiter cultui divino mancipantur.

Quid itaque vult S. Doctor loco citato? In articulo neceſſitatis, &c. perfectam cordis ad Deum converſionem ſupplere baptiſmum, & characterem, qui per baptiſmum imprimitur, quantùm ad ſpecialem illam conſecrationem, quatenùs in articulo neceſſitatis, &c. non baptizatus ad Deum ex toto corde converſus, per votum & deſiderium efficax ſacramenti, quod habet, ſe ipſe, quantùm in ſe eſt, Deo conſecrat ea ſpeciali conſecratione, quam per characterem efficit baptiſmus, cùm in re ſuſcipitur: unde apud Deum, apud quem voluntas pro facto reputatur, perinde acceptus eſt ad regnum cœleſte capeſſendum, ac ſi re ipſa baptiſmum ſuſcepiſſet, & ſpeciali illa conſecratione, quam character baptiſmalis efficit, cultui divino mancipatus eſſet.

Itaque juxta S. Auguſtinum, 1. perfecta cordis ad Deum converſio (perfecta autem eſt, quoties homo ad Deum ex amore ipſius propter ipſum appretiativè ſummo convertitur) extra articulum neceſſitatis baptiſmum excludentis, baptiſmum ſupplet quantùm ad collationem gratiæ juſtificantis; quia etiam extra articulum illum priùs tempore juſtificat, quàm actu ſuſcipiatur baptiſmus: at non ſupplet baptiſmum quantùm ad realem ejus ſuſceptionem; quia non juſtificat ſine onere & obligatione baptiſmum ſuſcipiendi, à qua obligatione hominem ſola neceſſitas, qua baptiſmus excluditur, excuſare poteſt: unde nec ſupplet baptiſmum quantùm ad baptiſmalem conſecrationem: onus enim & obligatio ſuſcipiendi baptiſmum eſt ſimul ac indiviſibiliter onus & obligatio ſuſcipiendi ſpecialem illam conſecrationem, quam baptiſmus confert per characterem quem imprimit, & qui nunquam ſine ipſo imprimitur.

2. In articulo neceſſitatis baptiſmum excludentis, perfecta cordis ad Deum converſio ſupplet baptiſmum non ſolùm quantùm ad collationem gratiæ juſtificantis, ſed etiam quantùm ad realem ipſius baptiſmi ſuſceptionem, adeòque & moralem ſanctificationem, quæ nonniſi per baptiſmum in re ſuſceptum confertur: quia in articulo illo non ſolùm juſtificat, ſed etiam per votum ſacramenti, quod includit, locum tenet apud Deum ipſius baptiſmi, qui non ſuſcipitur inculpabiliter, & moralis illius ſanctificationis, cujus carentia, baptiſmo inculpabiliter non ſuſcepto, inculpabilis eſt. Hinc

Juxta S. Doctorem, in articulo neceſſitatis baptiſmum excludentis, ſalus adulti non baptizati ſola cordis ad Deum converſione perficitur, ſicut ſolo baptiſmo perficitur ſalus parvuli ante adultam ætatem morientis: *Sicut autem*, inquit S. Doctor, *in latrone* (cui dictum eſt, Hodie mecum eris in Paradiſo) *quia per neceſſitatem corporaliter baptiſmus defuit, perfecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritualiter affuit: ſic & cùm ipſa præſto eſt* (baptiſmalis conſecratio) *ſi per neceſſitatem deſit quod latroni affuit* (ut contingit in parvulo ante adultam ætatem moriente) *perficitur ſalus*. At extra articulum neceſſitatis, &c. non perficitur ſalus ſola, quamvis perfecta cordis ad Deum converſione, ſicut nec ſolo baptiſmo: non quòd perfecta cordis ad Deum converſio non juſtificet ſemper & infallibiliter antequam baptiſmus actu ſuſcipiatur, ſed quia juſtificat cum onere ſuſcipiendi baptiſmum, & cum tali onere juſtificatus ſalvari non poteſt extra articulum neceſſitatis, &c. ſine baptiſmo in re ſuſcepto: unde extra articulum, &c. ut ait S. Doctor, neutrum ſine altero, ſed utrumque perficit regni cœleſtis hæredem.

Quintus locus eſt lib. 9. Confeſſ. cap. 4. *Gaudens*, inquit, *in fide laudavi nomen tuum, & ea fides me ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptiſmum tuum remiſſa nondùm erant*. Atqui cùm ſic loquebatur Auguſtinus, jam remiſſa charitate flagrabat. Ergo, &c.

Reſp. 1. Quærendo ab adverſariis, unde habeant quòd tunc Auguſtinus remiſſa tantùm, & non intenſa charitate flagrarit? Imò verò ex iis, quæ hoc capite ſuperiùs de ſe narrat, facilè conjicitur, eum tunc intenſa charitate flagraſſe? Certè diceres, adverſarios pro anſeribus tantùm ſcribere. Sed

R. 2. Cum Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 14. Auguſtinum ante baptiſmum ſecurum non fuiſſe de peccatorum ſuorum remiſſione, non quia credebat, habenti remiſſam tantùm charitatem peccata non remitti ſine ſacramento: hoc enim ſeriò dici non poteſt;

ſed quia certus non erat habere ſe veram charitatem & contritionem ex vera charitate conceptam, nec fecerat totum quod poterat ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Cum autem dicebat, *peccata ſibi nondùm remiſſa fuiſſe*, ita loquebatur, quia ita exiſtimabat, nec aliter, ut erat priùs ac humilis, exiſtimare poterat; inde tamen hoc verum fuiſſe non ſequitur: ſicut cùm viri eximiè ſancti dicunt ſe eſſe magnos peccatores, non *propterea* verum eſt, ſed falſum eos tales eſſe, nec tamen mentiuntur, quia loquuntur ſecundùm conſcientiam ſuam; & dicunt de ſe quod de ſe ſentiunt.

§. IX.

Solvuntur objectiones petita ex aliis Patribus, & Concilio Tridentino.

OBj. 1. S. Cyprianus in ſua ad Caldonium epiſtola ſic loquitur: *Rectè ſenſiſti circa impertiendam fratribus noſtris pacem, quam ſibi vera pœnitentia & dominica confeſſionis gloria reddiderunt. Cum ergo abluerint omne delictum, & maculam primam, aſſiſtente ſibi Domino, poſteriore virtute deleverint, jacere ultra ſub diabolo quaſi proſtrati non debent.* Tales autem remiſſa ſaltem charitate flagrabant, & tamen eos adhuc fuiſſe in ſtatu peccati, & abſolutione ſacramentali indiguiſſe, apertè ſignificat S. Martyr. Ergo, &c.

Reſp. Mirum eſt talia nobis opponi. Nam 1. agitur hic de pœnitentibus, qui certa intenſæ charitatis & vehementis contritionis ſigna dederant, adeòque perperam ſupponitur Cyprianus exiſtimaſſe, illos remiſſam tantùm habuiſſe charitatem, & remiſsè tantùm de peccatis ſuis doluiſſe propter Deum. 2. Nomine pacis hìc præcisè intelligitur reconciliatio cum Eccleſia, & abſolutio ab excommunicatione, cujus vinculo peccator etiam poſtquam cum Deo per contritionem charitate perfectam reconciliatus eſt, obſtrictus tenetur, & jure communicandi cum fidelibus, & Euchariſtiam participandi privatus manet, donec abſolvatur. 3. Loquitur Cyprianus de pœnitentibus, quos credebat omne delictum abluiſſe, & pacem jam ſibi in Dei ſcilicet foro vera pœnitentia & glorioſa confeſſione reddidiſſe, & quos proinde credebat jam cum Deo reconciliatos: unde non dicit, eos adhuc eſſe proſtratos; ſed, quod aliud eſt, ſolùm dicit eos eſſe quaſi proſtratos ſub diabolo, quia adhuc, quamvis cum Deo reconciliati, ſubjacebant excommunicatione, & à fidelium communione & participatione Euchariſtiæ arciti.

Idem Cyprianus ad Cornelium de pace lapſis danda ſcribens epiſt. 17. ſic ait: *Quomodo poteſt ad confeſſionem nominis Chriſti paratus aut idoneus inveniri, qui non priùs pace accepta, receperit Spiritum Patris, qui corroborans ſervos ſuos, ipſe loquitur & confitetur in nobis? Tum deinde ſi* (is qui antea lapſus erat) *relictis omnibus rebus ſuis fugerit, & in latebris atque ſolitudine conſtitutus in latrones fortè incurrerit, aut in febribus, aut in languore deceſſerit, nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia ſua dereliquit, & contempta domo, parentibus, ac liberis, ſequi Dominum maluit, ſine pace & communione decedat? Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis adſcribetur in die judicii, quod Paſtores creditas & commiſſas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare?*

Reſp. Hic textus non magis ad rem pertinet, quàm præcedens. Quid ergo ſcribit ad Cornelium Cyprianus? Se, quoniam nova eaque graviſſima inſtat perſecutio, cum collegis ſuis judicaſſe, eos, qui in ſuperiore perſecutione lapſi, pœnitentiæ publicæ ſeſe ſubmiſerant, eaque cum magno animi fervore eatenus defuncti erant, abſolvendos à vinculo excommunicationis, & reſtituendos in communionem fidelium, non quòd judicaret eos ſine ſacramento Pœnitentiæ Deo reconciliari non poſſe cum remiſſa charitate, de hoc enim nihil prorsùs in tota epiſtola, vel leviter indicat; ſed quia tandiu ab Euchariſtiæ ſumptione arcendi erant, quandiu manerent ligati excommunicatione, & à fidelium conſortio ſeparati, & cenſebat eos ad novam, quæ imminebat, pugnam muniendos & armandos eſſe participatione Corporis & Sanguinis Chriſti.

Neceſſitate cogente, inquit, *cenſuimus, eis qui* (poſt lapſum) *de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet, armari & inſtrui oportere .... Nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt: nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt; ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis & Corporis Chriſti muniamus: & cùm ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?*

Lapſis igitur excommunicatis, ſed pœnitentiam publicam à primo lapſus ſui die fideliter agentibus, cenſebat reddendam eſſe pacem, ſeu fidelium communicationem. Quamobrem? Ut jure hujus communicationis ſacramenti dominici participes effici poſſent, & participes effecti, ſicque Corpore & Sanguine Domini muniti, & quaſi ſaginati, idonei eſſent ad prælium. Exiſtimabat ſcilicet S. Martyr, pœnitentes illos, quantumvis Deo per veram pœnitentiam reconciliatos, niſi Euchariſtiæ ſumptione ante pugnam armarentur, idoneos eſſe non poſſe ad vincendos fidei hoſtes, & martyrium fortiter ſubeundum. Unde ſic ait inferiùs: *Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit.*

Obj. 2. S. Chryſoſtomus hom. 7. in 2. epiſt. ad Timotheum, ſoli charitati intenſæ vim attribuit delendi peccata ante realem ſacramenti ſuſceptionem: *Sicut ignis*, inquit, *ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit; ita & charitatis fervor, quocumque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit. Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala. Reſp.* 1. Sanctus Chryſoſtomus hoc loco non agit de remiſſione peccatorum, & juſtificatione peccatoris, ſed de morum emendatione.

2. Dicit fervorem charitatis, non ut intenſam charitatem præ remiſſa ſignificet, ſed quia charitatem comparat igni materiali: unde perinde eſt, ac ſi diceret: Sicut ignis materialis cùm ſylvam, &c. ita charitas per modum ignis cujuſdam ſpiritalis, omnia vitia perimit atque perrumpit. Quia autem hoc non ſolùm intenſæ, ſed etiam remiſſæ charitati convenit; homo enim, ut demonſtratum eſt, rectè vivit, & legem implet cum charitate remiſſa; ſimpliciter ſubjicit S. Doctor: *Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala.*

Obj. 3. Concilium Trident. ſeſſ. 13. can. 11. ſic ait: *Ne tantum ſacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem.* At quare Synodus declararet, Euchariſtiæ ſumptioni confeſſionem ſacramentalem neceſſariò præmittendam eſſe ab iis, qui mortalis peccati conſcientiam gerunt, & copiam habent Confeſſoris, quantumcumque ſe contritos exiſtiment, ſi cenſeret peccatorem Deo reconciliari ſemper & infallibiliter per contritionem ex charitate remiſſa conceptam?

R. 1. Non ſatis conſultè nobis opponi Tridentinum loco citato: hìc enim locus tam pertinet ad eos, qui exiſti-

Digitized by Google

exiſtimant ſe contritos intensè, quàm ad eos qui exiſtimant ſe contritos remiſsè: nam Concilium dicit ſimpliciter: *Quantumcumque ſe contritos exiſtiment*. Et verò ſi canon Concilii ſolùm peteret eos, qui exiſtimant ſe contritos remiſsè tantùm; qui exiſtimant ſe intensè contritos, poſſent adhuc, etiam habita copia Confeſſoris, impunè cum conſcientia peccati mortalis, Euchariſtiam, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, ſumere, quod nemo ſanè dixerit. Hinc

Retorqueo ſic argumentum. Synodus ſtatuit & declarat, ſumptioni Euchariſtiæ confeſſionem ſacramentalem neceſſario præmittendam eſſe ab iis, qui mortalis peccati conſcientiam gerunt, & Confeſſoris copiam habent, quantumcumque ſe etiam intensè contritos exiſtiment. Ergo Synodus cenſet, per contritionem ex intenſa charitate conceptam pœnitentem non ſemper & infallibiliter Deo reconciliari ante realem ſacramenti ſuſceptionem. Hæc autem concluſio etiam ſecundùm adverſarios falſa eſt, & contraria doctrinæ, quam tradit Synodus ſeſſ. 14. cap. 4. Non valet igitur conſequentia hujus argumenti. Ergo nec valet conſequentia argumenti ſuperioris.

Reſp. 2. Synodus itaque canone citato ſtatuit & declarat, &c. quia diligere Deum propter ſe ſuper omnia, adeòque conteri de peccatis propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum, res maximè ardua eſt peccatori: unde facilè contingeret, multos, qui mortalis peccati conſcientiam gerunt, ſibi blandientes, falsò & mala fide exiſtimare ſe contritos, perfectè, ſcilicet, ſeu propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, atque ita ad ſacram menſam accedentes, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, Euchariſtiam indignè, & ideò in mortem & condemnationem ſuam ſumere. Quare ut tantùm malum vitetur, Synodus ſapienter ſtatuit, ab omnibus, qui mortalis peccati conſcii ſibi ſunt, & Confeſſoris copiam habent, communioni præmittendum eſſe Pœnitentiæ ſacramentum, in quo, ut oſtendetur, ſufficit initium charitatis, cum attritione appretiativè ſumma, concepta ex motivo diverſo à motivo charitatis, & quo proinde peccator faciliùs tangi poteſt efficaciter, putà ex metu gehennæ: unde fit, ut peccatoris reconciliatio cum Deo longè facilior ſit in ſacramento Pœnitentiæ, quàm extra illud.

At inquies. Synodus canone citato directè & formaliter declarat, ab impiis etiam contritis communioni præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. *R.* Hoc eſſe falſum: nam non dicit Synodus: *Etiamſi contriti ſint*, ſed, *Quantumcumque ſe contritos exiſtiment*. Aliud autem eſt, declarare communionis præmittendam confeſſionem ſacramentalem ab impiis, quantumcumque ſe contritos exiſtiment; & aliud, declarare communioni præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem ab impiis etiam contritis.

Synodus igitur canone citato indirectè tantùm, & conſequenter declarat, ab impiis etiam perfectè contritis, ſi copiam habeant Confeſſoris, communioni præmittendam, &c. quatenùs hoc ipſo, quòd ii qui mortalis peccati conſcientiam gerunt, & Confeſſoris copiam habent, tenentur, quantumcumque ſe contritos exiſtiment, præmittere communioni confeſſionem ſacramentalem; tenentur, etiamſi ſint re ipſa perfectè contriti, adeòque per contritionem ſuam cum Deo reconciliati: unde ad ſacram menſam, non præmiſſa confeſſione ſacramentali accedentes, contra præceptum confeſſionis peccabunt graviter, atque ita cum novi mortalis peccati reatu Euchariſtiam ſumentes, indignè & ſacrilegè ſument.

At inquies. Synodus declarando, ab impiis etiam contritis communioni præmittendam confeſſionem ſacramentalem, ſi copiam habeant confeſſoris, hoc declarat, quia contritio etiam perfecta, non ſemper, ſed aliquando tantùm juſtificat extra ſacramentum.

Reſp. Neg. Ratio eſt, quia non directè & formaliter, ſed indirectè tantùm & conſequenter declarat, declarando, ſcilicet, ab iis qui mortalis peccati conſcientiam gerunt, quantumcumque ſe contritos exiſtiment, præmittendam, &c. Sic autem declarando, ab impiis etiam contritis, &c. hoc non declarat, quia contritio ex charitate concepta, aliquando tantùm juſtificat extra ſacramentum; ſed, quod longè aliud eſt, quia periculum eſt, quantumcumque ſe contritos exiſtiment, ne non ſint verè contriti propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, atque ita periculum eſt, ne non ſint verè contriti ſicut oportet, ut eis juſtificationis gratia conferatur extra ſacramentum.

Dices. Quòd per contritionem ex charitate remiſſa conceptam Deo non reconcilietur ordinariè peccator, antequam actu ſuſcipiat ſacramentum, probat doctrina Concilii: nam docet 1. ſeſſ. 6. cap. 8. Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, juſtificationis gratiam promereri. 2. Eadem ſeſſ. cap. 7. Chriſtum unicam eſſe cauſam meritoriam juſtificationis impii. 3. Eodem cap. baptiſmum eſſe juſtificationis impii cauſam inſtrumentalem. Et ſeſſ. 14. cap. 1. idem aſſerit de ſacramento Pœnitentiæ pro iis, qui poſt baptiſmum in mortale labuntur.

Reſp. 1. Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, meretur, ſtrictè, ſcilicet, & de condigno, juſtificationis gratiam: unde contritio à peccatore concepta ex charitate remiſſa, ſicut & concepta ex charitate etiam intenſiſſima, nunquam ſtrictè, & de condigno meretur gratiam juſtificationis; at nihilominùs illam ſemper, & infallibiliter obtinet, ſtatim à Deo gratis, & ex pura miſericordia ſemper & infallibiliter peccatorem de peccatis ſuis ex amore Dei propter ſe ſuper omnia contritum, ſtatim juſtificante, intuitu meritorum Chriſti, qui proinde dicitur à Synodo, & eſt cauſa meritoria omnis juſtificationis.

2. Ex eo quòd Baptiſmus & ſacramentum Pœnitentiæ à Chriſto inſtituta fuerint, ut eſſent cauſæ inſtrumentales juſtificationis, ſequitur tantùm, ut docet ipſa Synodus ſeſſ. 6. cap. 4. & ſeſſ. 14. cap. 4. quòd nec impius non baptizatus, ſine baptiſmo, aut ejus voto, nec impius baptizatus ſine ſacramento Pœnitentiæ, vel ejus voto juſtificari poſſit: unde non aliud ulteriùs ſequitur, quàm quòd impii non baptizati juſtificatio, contritioni ſine voto baptiſmi, & ſimiliter juſtificatio impii baptizati, contritioni ſine voto ſacramenti Pœnitentiæ, quod includit, non ſit adſcribenda, quotieſcumque, ſcilicet, contingit, impium, ſive baptizatum, ſive non baptizatum de peccatis ſuis conteri propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſicque juſtificari ante realem ſuſceptionem ſacramenti.

Addo 3. quod per ſe manifeſtum eſt, quòd proinde advertere deberent adverſarii, ex doctrina Concilii nihil opponi poſſe contra contritionem ex charitate remiſſa conceptam, quod non pari jure opponatur contra contritionem conceptam ex charitate intenſa & vehementi, & quod adeò ipſi non debeant ſolvere: cùm doceant contritionem hanc ſemper & infallibiliter juſtificare, antequam ſacramentum à pœnitente actu ſuſcipiatur.

§. X.

Solvitur objectio petita ex Catechiſmo Romano.

OBj. Catechiſmus Romanus titul. de ſacramento Pœnitentiæ hæc habet verba: *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri: quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, ac intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe fuit, ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret. Quod quidem admirabili conſilio effecit, cum claves regni cœleſtis Eccleſiæ tradidit, &c.*

Reſp. 1. Immeritò nobis hujus Catechiſmi authoritatem opponi ab adverſariis; cùm tam eis, quàm nobis, imò plus eis quàm nobis contradicat. 1. Adverſariis contradicit hoc loco, qui nobis objicitur: nam adverſarii fatentur, contritione remiſſa aliquando peccata deleri ſine ſacramento, & Catechiſmus abſolutè dicit, ad hoc ut ſola contritione peccata deleantur, illam adeò vehementem, acrem, ac incenſam eſſe oportere, ut cum ſcelerum magnitudine æquari & conferri poſſit, quod eſt æquivalenter dicere, ſola contritione, ſi remiſſa ſit, nunquam peccata deleri.

At inquies. Cùm Catechiſmus ait, contritionem adeò vehementem, acrem, ac incenſam eſſe oportere, &c. hoc dicit pro caſibus ordinariis, non pro extraordinariis. *Reſp.* Hoc gratis & arbitrariè dici: nam Catechiſmus abſolutè loquitur: *Ut concedamus*, inquit, *contritione peccata deleri; quis ignorat eam adeò vehementem*, &c. Certè ſic loquendo, tam abſolutè, & pro omni caſu loquitur, quàm ſi diceret: Ut concedamus contritione peccata deleri; quis ignorat eam appretiativè maximam eſſe oportere, & conceptam propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe. Prætereà, neque hic neque alibi vel leviter inſinuat diſtinctionem illam caſuum ordinariorum à caſibus extraordinariis, & primum invenimus Bajum qui hac diſtinctione uſus fuerit.

2. Catechiſmus verbis proximè ſubſequentibus, quibus nobis conſentit, apertè contradicit adverſariis: nam ſic proſequitur: *Etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & conſtanter affirmandum eſt: Si quis ita animo affectus ſit, ut peccata admiſſa doleat, ſimulque in poſterum non peccare conſtituat: etſi ejuſmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam* (ſine reali ſcilicet ſuſceptione ſacramenti) *ſatis eſſe poſſit: ei tamen, cùm peccata ſacerdoti ritè confeſſus fuerit, vi clavium ſcelera omnia remitti ac condonari*.

Ecce Catechiſmus disertè aſſerit, in ſacramento Pœnitentiæ pœnitenti ritè confeſſo condonari peccata, licèt non afficiatur ejuſmodi dolore, qui ſufficere poſſit extra ſacramentum ad impetrandam veniam peccatorum. Ergo juxta Catechiſmum, ad impetrandam veniam peccatorum non requiritur in ſacramento Pœnitentiæ ejuſmodi dolor, qui extra ſacramentum Pœnitentiæ ſufficere poſſit, & hoc *ex fidei catholicæ doctrina*, &c. Atqui adverſarii aſſerunt requiri in ſacramento Pœnitentiæ dolorem, qui extra illud ſacramentum poſſit ſufficere ad impetrandam veniam peccatorum. Ergo, &c.

At inquies. Dolorem, quem requirunt in ſacramento, dicunt, extra ſacramentum ſufficere poſſe non in caſibus ordinariis, ſed in extraordinariis tantùm. Catechiſmus autem cùm ait, in ſacramento ſufficere dolorem ejuſmodi, qui extra ſacramentum non poſſit ſufficere, hoc intelligit non de caſibus extraordinariis, ſed tantùm de ordinariis. *Reſp.* Hoc gratis omninò & arbitrariè dici, & planè alienum eſſe à ſenſu Catechiſmi. Quid dicit Catechiſmus? Pœnitentem, ſi ſacramentum ſuſcipiat, juſtificatum iri cum dolore, quocum non juſtificabitur, ſi non ſuſcipiat ſacramentum. Cùm autem hoc ſimpliciter & abſolutè dicat, non poteſt non intelligi pro omni caſu, præſertim cùm in toto contextu nihil ſit, quod cogat ad eum aliter intelligendum.

Faciamus hypotheſim. Titius morti proximus, de peccatis ſuis dolet, ſimulque in poſterum non peccare conſtituit. Si copiam habeat confeſſoris, à quo abſolvatur, juſtificabitur cum dolore, quocum non juſtificabitur, ſi confeſſoris, à quo abſolvatur, copiam non habeat. Hic eſt germanus ſenſus Catechiſmi, hoc, juxta Catechiſmum, *ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & conſtanter affirmandum eſt*. Hoc tamen non credunt nec affirmant adverſarii, ſed contradictorium; Titium, ſcilicet, in caſu propoſito, etiamſi ritè confiteatur & abſolvatur, non juſtificatum iri cum dolore, quocum tunc non juſtificaretur, non habita copia confeſſoris, cui confiteri & à quo abſolvi poſſet, ut patebit ex infra dicendis.

Reſp. 2. Catechiſmum ſuperiùs doctrinam noſtram tradere. Superiùs enim dicit veram contritionem ſtatim, adeòque antequam actu ſuſcipiatur ſacramentum, impetrare veniam peccatorum: *Ex quo*, inquit, *licet cognoſcere veræ contritionis eam vim eſſe, ut ejus beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Domino impetremus*. At antea dixerat ad veram contritionem non requiri intenſionem, ſeu vehementiam: nam ſic locutus erat: *Quamquam ſi id minus nobis conſequi liceat, ut perfecta ſit* (hoc eſt, ut patet ex antecedentibus, non ſolùm appretiativè maxima propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſed etiam vehementiſſima) *vera tamen & efficax contritio eſſe poteſt: ſæpè enim uſu venit, ut quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, magis quàm ſpiritualia, nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris ſenſum capiunt*. Ex his autem

Argumentor breviter ſic. Ex Catechiſ. vera contritio ante actualem ſacramenti ſuſceptionem impetrat veniam peccatorum. Atqui ex eodem contritio remiſſa, ſed concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, eſt vera contritio: nam ex eodem ad veram contritionem non requiritur intenſio, adeòque ſufficit appretiatio maxima. Ergo ex Catechiſ. contritio remiſſa, ſed concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ac proinde appretiativè maxima, ante realem ſacramenti ſuſceptionem impetrat veniam peccatorum. Porrò fruſtrà hic adverſarii confugerent ad diſtinctionem caſuum ordinariorum & extraordinariorum: nam qui ſimpliciter dicit, veræ contritioni vim ineſſe veniam peccatorum omnium ſtatim impetrandi, dicit eam ſemper veniam peccatorum omnium impetrare, eo ipſo inſtanti, quo primùm exiſtit.

Reſp. 3. Loco, qui nobis objicitur, opponendo alium, in quo expreſſè ait idem Catechiſmus, contritionem, etiamſi non ſit vehemens, veram & efficacem contritionem eſſe poſſe, adeòque vim habere ſtatim delictorum omnium veniam impetrandi: unde apparet locum illum, qui nobis perperam objicitur ab adverſariis, benigna interpretatione indigere, & mentem potiùs, ac ſcopum authoris ſpectandam eſſe, quàm verba, quæ manifeſtam exagerationem continent.

Hæc igitur videtur eſſe mens authoris & ſcopus, ut commendet clementiam Chriſti in inſtituendo ſacramento Pœnitentiæ, in quo pœnitens, qui peccata ſua dolet, ſimulque in poſterum non peccare conſtituit, & ſacerdoti ritè confitetur, vi clavium veniam ſcelerum omnium impetrat, licèt non ſit contritus propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, atque ita careat ea contritione, ſine qua nemo juſtificari poteſt extra ſacramentum. Quæ contritio nunquam eſt ſine aliqua intenſione, imò nec ſine notabili in magnis peccatoribus ſolet, aut etiam moraliter poteſt eſſe; & cùm ſit appretiativè ſumma ex motivo omnium excellentiſſimo, conferri poteſt cum ſcelerum magnitudine, & difficillima eſt peccatoribus, iis præſertim, qui in vitiorum cœno diu volutati ſunt, & à longa peccandi conſuetudine quaſi captivi detinentur.

Porrò quæ hactenùs dicta ſunt contra eos, qui negant peccatorem ordinariè Deo reconciliari per contritionem ex charitate remiſſa conceptam, à fortiori maxima ſaltem ex parte valent contra alios, qui id negant de contritione concepta ex intenſa, & vehementi charitate: unde bis refellendis immorari ſuperfluum eſſet. Supereſt igitur, ut reſpondeamus aliquibus objectionibus, quæ his cum illis communes eſſe poſſunt.

§. XI.

Solvuntur Objectiones reliquæ.

OBj. 1. Sacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſt neceſſitate medii ad remiſſionem mortalium à baptiſmo commiſſorum. Ergo remitti non poſſunt per ſolam contritionem ex charitate conceptam. *R.* ſacramentum Pœnitentiæ eatenùs neceſſarium eſſe neceſſitate medii ad remiſſionem mortalium à baptizato commiſſorum, quatenùs mortalia à baptizato commiſſa non poſſunt remitti ſine illo in re ſuſcepto, aut illius voto, cum ſpeciali ac directa obligatione illud poſtea ſuſcipiendi pro iiſdem illis peccatis, quæ baptizato remittuntur per actum aliquem vices ejus agentem. Unde diſt. conſeq. Ergo mortalia à baptizato commiſſa per ſolam contritionem ex charitate conceptam, remitti non poſſunt ſine voto ſacramenti Pœnitentiæ, C. conſeq. cum voto ſacramenti Pœnitentiæ, & ſpeciali ac directa obligatione illud poſtea ſuſcipiendi pro iiſdem illis peccatis, quæ per contritionem tanquam illius vicariam remittuntur, N. conſeq.

Dices. Si ita eſt, impius baptizatus juſtificari poteſt ſine miniſterio ſacerdotis, & ita falſum eſt dictum illud Patrum, *Sententia Petri præcedit ſententiam Cœli*. *R.* Ex dictis ſequi tantùm, quòd impius baptizatus juſtificari poſſit ſine actuali miniſterio ſacerdotis, cum voto & ſpeciali obligatione ſubjiciendi ſe poſtea huic miniſterio pro iiſdem illis peccatis, quæ ei per gratiam juſtificationis condonantur. Illius autem dicti Patrum, *Sententia Petri, &c.* ſenſus eſt, Quoties pœnitens in ſacramento pœnitentiæ abſolvitur, non abſolvitur à Deo, niſi quia abſolvitur à ſacerdote.

Dices. Si contritio ex charitate concepta, ſemper & infallibiliter juſtificat impium baptizatum; ab impio baptizato, qui contritionem habet ex charitate conceptam, inutile eſt ſacramentum Pœnitentiæ ſuſcipi. *R.* neg. & dico & inutile & neceſſarium eſſe. Eſt utile: nam 1. ſuſcipiens ſacramentum, quantùmvis ſe contritum propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum exiſtimet, ſecurior redditur de accepta peccatorum remiſſione, quæ longè faciliùs in ſacramento quàm extra ſacramentum obtinetur. 2. Homini jam per contritionem ex charitate conceptam juſtificatio confert novam gratiam ſanctificantem, & tribuentem jus ad certa actualis gratiæ auxilia, quibuſcum homo faciliùs poteſt in poſterum vitare mortalia, & vitando perſeverare in ſtatu juſtitiæ. 3. Sacramentum Pœnitentiæ non solùm tollit reatus culpæ & pœnæ æternæ, ſed etiam ſaltem ex parte reatum pœnæ temporalis, quæ impio perfectè contrito, adeòque juſtificato ante realem ſacramenti ſuceptionem, luenda ſupereſt ordinariè.

Multùm igitur utile eſt, hominem, qui ante realem ſacramenti ſuſceptionem per contritionem ex charitate conceptam juſtificatus eſt, ipſum poſtea ſacramentum ſuſcipere, ſed & neceſſarium eſt; quandoquidem homo ille juſtificatus non eſt per actum contritionis perfectæ ſine voto ſacramenti, & ſpeciali ac directa obligatione illud poſtea recipiendi, & clavibus ſubjiciendi eadem illa peccata, quorum jam impetravit veniam.

Dices. Si impius baptizatus per contritionem ex charitate conceptam juſtificatur, antequam actu ſuſcipiat ſacramentum Pœnitentiæ, cùm poſtea ſuſcipiet, in eo falſa erit abſolutionis forma. *R.* neg. Nam 1. poteſt quis eandem offenſam pluries condonare, magis ac magis renunciando juri quod propter illam habuit ad indignandum offenſori, novoque titulo obligando ſe ad non habendam ampliùs rationem illius in ordine ad indignationem: unde fit, ut jam non uno, ſed pluribus titulis injuſta ſit indignatio. 2. Forma abſolutionis non determinatè ſignificat primam peccatorum remiſſionem, ſed indifferenter primam, vel ſecundam, aut tertiam, &c. pro ſubjecti capacitate. Itaque cùm homo jam per contritionem perfectam juſtificatus, ſuſcipit ſacramentum Pœnitentiæ, & à ſacerdote abſolvitur, tunc forma abſolutionis non primam peccatorum remiſſionem ſignificat, ſed ſecundam. Ergo, &c.

Obj. 2. S. Auguſtinus epiſt. 180. ad Honoratum dicit, *magnum exitium ſequi eos, qui de hoc ſæculo exeunt vel non regenerati, vel ligati*. *R.* S. Doctorem ſic loqui, non quòd contritio charitate perfecta non juſtificet ſemper & infallibiliter, antequam ſacramentum actu ſuſcipiatur, ſed quia regulariter catechumeni ante baptiſmum, & baptizati, qui gratiam regenerationis per aliquod mortale amiſerunt, ante ſacramentum pœnitentiæ in re ſuſceptum, Deum inchoatè tantùm diligunt propter ſe, ſeu nondùm diligunt Deum propter ſe ſuper omnia, quod apertè Tridentinum inſinuat de catechumenis ſeſſ. 6. cap. 6. ubi de illis ait: *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*. Et de baptizatis ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait; *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe* (in baptizatis peccatoribus) *contingat*. *Nota*. Non dicit, Etſi ſæpe, etſi plerumque; ſed, *Etſi aliquando*. Quod autem aliquando, tantùm contingit, non contingit regulariter.

Regulariter itaque neque catechumeni ante baptiſmum, neque baptizati peccatores ante ſacramentum Pœnitentiæ in re ſuſceptum, diligunt Deum propter ſe ſuper omnia: unde regulariter neque hi ante ſacramentum Pœnitentiæ, neque illi ante baptiſmum in re ſuſceptum, contritionem charitate perfectam habent. Regulariter igitur magnum exitium ſequitur eos, qui de hoc ſæculo exeunt vel non regenerati, vel ligati, quia defectu perfectæ contritionis morientes in ſtatu peccati, damnantur. Illorum autem ſortem deplorat S. Doctor, quia vel omnes, aut ſaltem ex eis multis vel regenerati, vel abſoluti, de hoc ſæculo exeuntes ſalvarentur, quia attriti partim ex inchoato amore Dei propter ſe, partim ex alio motivo inferiore, ſed cùm appretiatione maxima, & ſic peccata ſua ſuper omnia alia deteſtabilia deteſtantes, dolorem haberent in utroque ſacramento ſufficientem ad veniam peccatorum impetrandam; atque ita ante mortem regenerati, vel abſoluti juſtificarentur, & in ſtatu juſtitiæ de hoc ſæculo exirent.

Dices. Item Auguſtinus lib. 12. de civ. cap. 9. dicit bonam voluntatem eſſe charitatem. *Et iſtam* (bonam voluntatem) *quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Unde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore nunquam ſanctos angelos fuiſſe credendum eſt*. Et lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. c. 9. ſimiliter dicit boni cupiditatem eſſe charitatem. *Quid eſt*, inquit, *boni cupiditas niſi charitas?* Atqui cathecumeni priùs etiam tempore; quàm remittantur eis peccata, habent bonam voluntatem, & boni cupiditatem. Ergo priùs etiam tempore, quàm eis remittantur, peccata habent charitatem; proindeque charitas eſſe poteſt ſine remiſſione peccatorum.

R. Catechumenos priùs tempore; quàm peccata eis remittantur, habere tantùm initium bonæ illius voluntatis, de qua loquitur Auguſtinus loco citato, & alibi, & quæ, ut ait Bellarminus lib. 2. de pœn. cap. 14. *non eſt quæcumque bona voluntas, ſed illa quæ datur nobis per Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater quæque diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum inhabitantem, & quæ ſola perducit ad vitam æternam*: unde bona illa voluntas, de qua loquitur Auguſtinus loco citato & aliis ſimilibus, eſt dilectio Dei propter ſe appretiativè ſumma, ſine qua nemo rectè vivit, & legem implet. Vide Bellarm.

Item catechumeni priùs tempore quàm eis remittantur peccata, perfectam boni cupiditatem, quàm charitatem eſſe dicit Auguſtinus, non habent, ſed inchoatam tantùm & imperfectam, qua Deum nondùm ſuper omnia diligunt propter ſe. Hanc autem

io-

Google

inchoatam tantùm boni cupiditatem & dilectionem ſui Deus catechumenis priùs tempore quàm eis peccata remittantur, inſpirat, ut fideliter requirant baptiſmum, & poſt baptiſmum quæ ſunt ipſi placita implere poſſint (per charitatem ſcilicet, & perfectam boni cupiditatem, quam, cùm baptizantur, diffundit in cordibus eorum per inhabitantem Spiritum) ut dicit Synodus Arauſicana can. ult. Vide Bellarm. loco citato.

Dices. Idem Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 26. ait, ſine charitate nullum bonum opus imputari, imò nec rectè bonum opus vocari. Et epiſt. 143. ad Julianam viduam, dicit una charitate in nobis adimpleri, ſi quid divinæ legis & admonitionis implemus. Atqui catechumeni priùs tempore quàm remittantur eis peccata, exercent bona aliqua opera, & aliquid divinæ legis implent. Ergo charitatem habent priùs tempore, &c.

R. Cum Bellarm. loco citato, ſecundùm Auguſtinum, ſine charitate nullum bonum opus imputari ad vitam æternam, imò nec rectè vocari bonum opus, quia bonum opus vocari vult illud tantùm, quod eſt meritorium vitæ æternæ. Item ſecundùm eundem, una charitate impleri in nobis, ſi quid divinæ legis implemus ſicut oportet, ut per illud mereamur augmentum gratiæ & gloriæ. Catechumeni autem ante peccatorum remiſſionem nihil faciunt, quod vitæ æternæ meritorium ſit.

Obj. 3. Concilium Milevitanum, cap. 4. definit, charitatem neceſſariam eſſe ad non peccandum. Sed catechumenis ante remiſſionem peccatorum convenit non peccare. Ergo & convenit habere charitatem. *R*. cum Bellarm. eod. loco, Concilium per non peccare idem intelligere, ac vitare omnia mortalia, & ſervare omnia præcepta. Catechumeni autem ante remiſſionem peccatorum non poſſunt longo aliquo tempore vitare omnia mortalia, quamvis ad vitanda ſingula ſufficienter adjuventur, & ita nullum ſit, quod non poſſint & non teneantur vitare.

ARTICULUS VIII.

Utrùm requiratur contritio perfecta in ſacramento Pœnitentiæ.

NOta. Quòd in Sacramento Pœnitentiæ non ſufficiat contritio virtualis, incluſa in actu charitatis, aut in alio pio motu excludente affectum ad peccatum, ſed requiratur formalis contritio, quæ eſt animi dolor ac deteſtatio de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero, manifeſtum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. & 4. Item, quòd formalis hæc contritio in ſacramento requiſita, debeat eſſe ſaltem virtualiter univerſalis circa mortalia omnia admiſſa, & de illis appretiativè ſuper alia omnia deteſtabilia, quæ non ſunt peccatum, atque etiam excludere omnem peccandi voluntatem pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, conſtat ex dictis Art. 3. & 4. Sed

Quæritur, Utrùm hæc contritio formalis debeat eſſe ſuper omnia ex motivo charitatis ſeu propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe? Affirmant recentiores nonnulli, contra quos Art. 7. diſputavimus, quique, ut ibidem obſervatum eſt, diſtinguunt duplicem contritionem ſuper omnia ex motivo charitatis; unam ſcilicet remiſſam, qua remiſſè dolemus de peccatis ſuper omnia propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe in gradu remiſſo; & alteram intenſam, qua intenſè dolemus de peccatis ſuper omnia propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe in gradu intenſo. Intenſam autem fatentur habere vim juſtificandi infallibiliter extra ſacramentum in omni caſu: remiſſam verò contendunt nonniſi in certis caſibus extra ſacramentum juſtificare. Hanc itaque, non illam in ſacramento Pœnitentiæ requirunt. Sed contra illos ſit

RESPONSIO.

In ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem mortalium non requiritur contritio de peccatis propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſive in gradu intenſo, ſive in remiſſo tantùm.

Prob. 1. Si ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ requiritur contritio de peccatis propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe (ſupple ſemper, ſaltem in gradu remiſſo) ſacramentum Pœnitentiæ ſemper ſupponit reconciliationem peccatoris cum Deo, & nunquam eam facit. Abſurdum conſ. Ergo, &c.

Minorem admittunt adverſarii, & videtur planè certa. Nam 1. ut docet Tridentin. ſeſſ. 14. can. 1. ſacramentum Pœnitentiæ eſt ſacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum. At abſurdum eſt quòd ſacramentum pro fidelibus Deo reconciliandis inſtitutum, nunquam fideles mortaliter lapſos Deo reconciliet etiamſi ab illis ſuſcipiatur. 2. Ut ait S. Thomas hic q. 80. art. 4. ad 2. ſacramentum Pœnitentiæ eſt quaſi medicina, quæ datur ad tollendam febrem peccati. At abſurdum eſt quòd ſacramentum inſtitutum per modum medicinæ ad tollendam febrem peccati, nunquam tollat hanc febrem cùm ſuſcipitur, ſed ſemper ſublatam ſupponat. Ergo, &c.

Major verò facilè probatur. Nam omnis contritio concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſemper & infallibiliter delet mortalia ante realem ſacramenti ſuſceptionem, ut videtur Art. 7. demonſtratum. Nec juvat adverſarios diſtinctio contritionis in remiſſam & intenſam; & quod dicunt, ſolam intenſam habere vim mortalia remittendi infallibiliter extra ſacramentum, ſatis ſuperque art. citato oſtenſum eſt, repugnare ſacræ Scripturæ, Patribus, & Tridentino, neque fundatur in ulla ratione, quæ ſit alicujus momenti. Ergo ſi contritio concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſaltem in gradu remiſſo, requiritur in ſacramento Pœnitentiæ, hoc ſacramentum ſemper ſupponit primam remiſſionem mortalium, proindeque reconciliationem peccatoris cum Deo.

At inquit recentior. Actus quo Deus diligitur etiam ſuper omnia propter ſe, ſed in gradu remiſſo, non eſt charitas perfecta, ſed inchoata tantùm, & conſequenter contritio concepta propter Deum etiam ſuper omnia dilectum propter ſe, ſed in gradu remiſſo, non eſt perfecta, ſed imperfecta tantùm & inchoata contritio. Ergo non habet vim ſemper juſtificandi extra ſacramentum, & ſolùm juſtificat in articulo neceſſitatis.

R. Contra hanc doctrinam, jam ſuperiore articulo pro merito exploſam, 1. ſine manifeſta abſurditate, illum inchoatè tantùm Deum diligere dici non poſſe, qui eum ſic diligit & quidem propter ſe, ut eum rebus omnibus abſolutè præferat, & paratus ſit potius malum quodlibet pati, & quodlibet bono carere, quàm eum offendere graviter. Sed Deum ita diligit, qui eum diligit ſuper omnia, ſeu cum ſumma appretiatione, quamvis in gradu remiſſo tantùm diligat. Ergo, &c.

2. Si actus quo quis diligit Deum ſuper omnia propter ſe in gradu remiſſo, eſt tantùm inchoata charitas, actus quoque quo quis aſſentitur ſuper omnia rebus à revelatis propter primam veritatem revelantem, ſed aſſentitur in gradu remiſſo, eſt tantùm fides inchoata, atque ita qui ſic aſſentitur rebus à Deo revelatis, eſt tantùm inchoatè fidelis, quod eſt inauditum & abſurdiſſimum.

3. Sicut actus quo quis aſſentitur ſuper omnia rebus à Deo revelatis propter primam veritatem revelantem, quamvis in gradu remiſſo aſſentiatur, eſt fides perfecta; & qui habet actum illum, eſt verè ac perfectè fidelis, quia actus ille habet totam perfectionem eſſentialem fidei Chriſtianæ; ita actus quo quis diligit Deum ſuper omnia propter ſe in gradu

remiſ-

remiſſo, eſt vera & perfecta charitas, quia habet totam perfectionem eſſentialem charitatis, proindeque non poteſt magis dici charitas inchoata, eò quòd non habeat intenſionem, quàm homo dici poteſt inchoatus homo, quia caret perfectione aliqua accidentali naturæ humanæ.

4. Itaque ille tantùm actus eſt inchoata charitas, quo Deus diligitur propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia: ſicut ille tantùm actus eſt inchoata fides chriſtiana, quo quis aſſentitur verè, nondùm tamen ſuper omnia, rebus à Deo revelatis propter primam veritatem revelantem. Charitas igitur remiſſa eſt charitas perfecta, vera charitas, charitas ſimpliciter, ortotè completa in eſſe charitatis; quamvis charitas intenſa ſit charitas perfectior, accidentaliter ſcilicet, non eſſentialiter. Ex his autem

Sic argumentor breviter. Contritio concepta propter Deum ſuper omnia propter ſe etiam in gradu remiſſo dilectum, eſt contritio charitate perfecta, cùm ſit contritio concepta ex vera & perfecta charitate. Atqui contritio charitate perfecta, ut manifeſtè docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. peccatorem Deo reconciliat ſtatim, & antequàm actu ſuſcipiat ſacramentum. Ergo, &c.

Prob. 2. Reſp. Si requiritur in ſacramento Pœnitentiæ contritio concepta propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum, ad valorem hujus ſacramenti requiritur diſpoſitio, qua ordinariè carent pœnitentes. Conſ. admitti non poteſt rationabiliter. Ergo, &c. Minor patet: nam ſi ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ requiritur diſpoſitio, qua ordinariè carent pœnitentes, ordinariè ſacramentum hoc nullum eſt, & pœnitentes omnes regulariter loquendo invalidè abſolvuntur; quod certè credibile non eſt, nec rationabiliter dici poteſt.

Prob. erga ſequela majoris. Nam pœnitentes ante realem ſacramenti Pœnitentiæ ſuſceptionem ordinariè carent contritione illa, quæ concipitur propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe. Ergo ſi requiritur, &c. Conſeq. patet. *Prob. ant.* ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait: *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, &c.* hoc eſt, Etſi aliquando contingat contritionem hanc à pœnitentibus, antequàm ſacramentum actu ſuſcipiant, concipi ex amore Dei propter ſe ſuper omnia: nam ut ſuo loco demonſtratum eſt, per contritionem charitate perfectam Synodus intelligit contritionem conceptam ex amore Dei propter ſe ſuper omnia. Sed qui ſimpliciter dicit aliquando contingere, hoc ipſo æquivalenter dicit, vel certè manifeſtè ſupponit, rarò adeòque. Ergo ex Conc. Trid. pœnitentes ante realem ſacramenti ſuſceptionem ordinariè carent, &c.

Tridentino planè conſonat Auguſtinus epiſt. 180. ad Honoratum, ubi ait, magnum exitium ſequi eos, qui de hoc ſæculo exeunt vel non regenerati, vel ligati: hoc enim verum eſſe non poteſt, niſi quia peccatores, vel nunquam, quod non poteſt dici, vel ſaltem ordinariè, ſine actuali ſuſceptione ſacramenti non juſtificantur etiam in articulo neceſſitatis. Quare autem catechumeni ante baptiſmum, & baptizati peccatores ante ſacramentum Pœnitentiæ in re ſuſceptum, ordinariè non juſtificantur? Certè quia ordinariè carent contritione illa, quæ ex amore Dei propter ſe ſuper omnia concipitur, quæque ſola etiam in articulo neceſſitatis vim habet reconciliandi Deo peccatorem extra ſacramentum. Ergo, &c.

Ratio eſt, quia peccatores tam baptizati quàm non baptizati, quando convertuntur ad Deum, ordinariè eum nonniſi inchoatè diligunt, hoc eſt, ſic diligunt propter ſe, ut tamen nondùm ſuper omnia diligant ante realem ſacramenti ſuſceptionem. Ordinariè igitur tam peccatores baptizati, quàm catechumeni Deum propter ſe non diligunt ſuper omnia, ſeu cum appretiatione ſumma, niſi poſtquam hi in baptiſmo, illi verò in ſacramento pœnitentiæ juſtificationis gratiam acceperunt, & charitas à Deo per Spiritum ſanctum diffuſa eſt in cordibus eorum.

Prob. 3. Reſp. Si requiritur in ſacramento pœnitentiæ contritio concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſaltem in gradu remiſſo, ſalus morientium non poteſt ita dependere ab abſolutione ſacerdotis, ut propter ejus defectum damnentur. Atqui ſalus morientium ita dependere poteſt ab abſolutione ſacerdotis, ut damnentur propter ejus defectum. Ergo, &c. Seq. majoris evidens eſt: nam vel moribundus habet contritionem illam, vel non habet. Si non habet, damnabitur etiam cum abſolutione ſacerdotis. Si habet ſalvabitur ſine abſolutione ſacerdotis, cujus ſcilicet copiam non habet: certum enim eſt, ut docent ipſimet adverſarii, contritionem, quæ propter Deum ſuper omnia propter ſe in gradu remiſſo dilectum concipitur, habere vim juſtificandi infallibiliter ſine ſacramento, in caſu neceſſitatis.

Prob. ergo minor. Nam 1. ita ſenſit Cœleſtinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis cap. 2. ubi ait ſacerdotem nolentem abſolvere moribundum, morienti mortem, æternam ſcilicet, addere, ejus; animam ſua crudelitate occidere, &c. *Agnovimus*, inquit, *pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri .... Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate .... occidere ..' Salutem homini adimit quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegarit.* Quæ omnia manifeſtè falſa ſunt, ſi peccator perire non poteſt propter defectum abſolutionis ſacramentalis.

2. Ita ſenſit Auguſtinus epiſt. 180. ad Honoratum Epiſcopum, ubi Epiſcopos ad non deſerendum gregem ſuum ob metum perſecutionis, adhortatur his verbis: *An non cogitamus, ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati*. At certè perperam dicit Auguſtinus, magnum exitium ſequi eos qui de iſto ſæculo, &c. ſi nemo damnari poteſt præcisè ob defectum baptiſmi, vel ſacramenti pœnitentiæ.

3. Ita ſenſit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. ubi dicitur, piè admodùm in Eccleſiæ Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio caſuum in articulo mortis, ne occaſione hujus reſervationis pereat aliquis; hoc eſt, ne quis propter hanc reſervationem moriens, non abſolutus damnetur qui abſolutus ſalvaretur. *Hanc delictorum reſervationem*, inquit Synodus, *conſonum eſt divinæ authoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint*. At quid neceſſe fuit reſervationem illam tolli pro articulo mortis, ſi contingere non poteſt ut qui in aliqua reſervata inciderunt, damnentur, ex eo præcisè quòd ſacerdotem non habuerint, à quo ante mortem abſolvantur?

4. Ita ſemper ſenſit Eccleſia Dei, quæ ſemper voluit, teſte Tridentino, quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis in articulo mortis abſolvi poſſe ab omnibus ſacerdotibus approbatis, quamvis ſine poteſtate in caſus reſervatos. 5. denique ita ſentiunt fideles omnes, qui ſibi & ſuis tanta cum ſollicitudines in mortis periculo ſacerdotem procurant, à quo abſolvantur, metuuntque ſaluti eorum, quibus vel enixè id petentibus, & dantibus ſigna doloris, ſacerdos opportunè non adſuit, qui eos abſolveret. Certè ſi nullus moribundus perit unquàm, quia ante mortem abſolutus non eſt, nulla prorsùs ratio eſt ſaluti eorum qui abſque ſacramentali abſolutione decedunt metuendi, eò quòd abſoluti non fuerunt; & gratis tanta ſollicitudo, ad procurandam moribundis ſacramentalem abſolutionem adhibetur.

Portò ad tertiam hujus minoris probationem reſpondet recentior, à Patribus Tridentinis proviſum fuiſſe, ne ulla eſſet caſuum reſervatio, ubi urgeret

arti-

articulus neceſſitatis, quia non eſt de ſide, quòd attritio capere amoris Dei ſuper omnia propter ſe etiam in gradu remiſſo, aut quòd amor ſpei cum attritione ſervili, ſit inſufficiens ad juſtificationem impii in ſacramento Pœnitentiæ; unde cùm poſſit contingere, ut quis in articulo mortis de peccatis ſuis doleat tantùm ex timore pœnarum, aut ex motivo amoris concupiſcentiæ, apud aliquos ſaltem Scholaſticos dubium eſt, an non is ſit ſufficienter diſpoſitus ad conſequendam juſtificationis gratiam in pœnitentiæ ſacramento. Adde pleroſque authores dubitare, an contritio qua de peccatis remiſsè dolemus propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe in gradu remiſſo, ſine ſacramento ſufficiat ad peccatoris juſtificationem in articulo mortis, etiam cùm abeſt omnis ſacerdos, à quo poſſit abſolvi.

Ad hoc frivolum effugium *Reſp.* Patres Tridentinos non dicere, Ne fortè hac ipſa occaſione aliquis pereat; ſed ſimpliciter, Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat. Unde apparet Trid. Patribus perſuaſum fuiſſe, quòd contingere poſſit & contingat aliquos ob defectum abſolutionis perire in æternum, moriendo ſcilicet cum diſpoſitionibus, quæ in ſacramento, non extrà, pro ullo caſu, ad juſtificationem peccatoris ſufficiunt; adeòque perſuaſum fuiſſe Tridentinis Patribus, dolorem aliquem in pœnitente ad ejus juſtificationem ſufficere cum abſolutione ſacerdotis, qui nunquam, nequidem in mortis articulo, ſufficit ſine ſacerdotis abſolutione. Tridentinorum igitur Patrum, & perpetuo ac conſtanti univerſæ Chriſti Eccleſiæ ſenſui apertè repugnat iis, qui ad valorem ſacramenti pœnitentiæ requirunt in pœnitente contritionem conceptam propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſaltem in gradu remiſſo; quam contritionem fatentur vim habere peccatorem extra ſacramentum Deo reconciliandi in caſu neceſſitatis, qualis eſt mortis articulus, abſente omni ſacerdote à quo poſſit abſolvi pœnitens.

Nec juvat recentiorem ſupra citatum, quod addit, pleroſque authores dubitare an contritio, qua de peccatis remiſsè dolemus propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe in gradu remiſſo, ſine ſacramento ſufficiat ad peccatoris juſtificationem in articulo mortis, etiam cùm abeſt omnis ſacerdos, à quo poſſit abſolvi: nam nullum alicujus nominis authorem orthodoxum de hoc dubitare hactenùs in Schola auditum eſt. Præterea, authores illos citare debuiſſe, & tamen ne vel unum citat. Quare? Quia nec vel unum citare potuit. Certè ne quidem Bajum (quem ei haud ægrè concederemus) potuit allegare, ut patet ex ejus propoſitione 71. in qua fatetur, contritionem cum charitate perfecta & voto ſacramenti conjunctam, in caſu neceſſitatis ſufficere ad juſtificationem peccatoris: Bajus enim per charitatem perfectam, ut ſuo loco oſtenſum eſt, intellexit omnem actum, quo Deus ſuper omnia propter ſe diligitur. Multò minùs allegare potuit Eſtium, & alios recentiores, qui ſententiam ejus ſecuti ſunt. Ubi ſunt igitur plerique illi authores, qui de ſalute hominis contriti propter Deum, verè ſed remiſsè ſuper omnia, adeòque cum ſumma appretiatione dilectum propter ſe, dubitarunt, eò quòd ſine abſolutione ſacramentali deceſſerit, quia copiam non habuit ſacerdotis, à quo abſolveretur? Sed ea allegatis authoritatibus ſic adhuc

Confirm. reſp. Celeſtinus Papa, Auguſtinus, & Tridentin. cum univerſa Chriſti Eccleſia, manifeſtè ſupponunt accidere poſſe, ut morientes, non accepta priùs ſacramentali abſolutione pereant, qui abſoluti ſalvarentur; & ſic pereant ob ſolum defectum abſolutionis. Ergo manifeſtè ſupponunt accidere poſſe, ut pœnitentes habeant contritionem, quæ ita ſufficit in ſacramento ad remiſſionem mortalium, ut ſine illo in nullo caſu ſufficiat. Atqui talis contritio diverſa eſt ab ea, quæ concipitur propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe etiam in gradu remiſſo tantùm. Ergo manifeſtè ſupponunt non requiri in ſacramento pœnitentiæ contritionem conceptam propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe etiam in gradu remiſſo tantùm, & aliam ſufficere quæ ſit ex motivo inferiori concepta, non tamen ut infra probabitur, ſine aliquali dilectione Dei propter ſe, hoc eſt, non ſine actu, quo pœnitens peccata ſua ſuper omnia alia deteſtabilia deteſtans, putà ex metu gehennæ, Deum propter ſe diligere incipit, ut infra explicabitur.

ARTICULUS IX.

Solvuntur objectiones.

OBj.1. Nemo juſtificari poteſt ſive in ſacramento, ſive extrà, ſine aliqua dilectione Dei ſuper omnia propter ſe. Ergo requiritur in ſacramento pœnitentiæ contritio concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſaltem in gradu remiſſo. Nego ant. *Probabis.* Nam 1. dicitur 1. epiſt. Joan. cap.3. *Qui non diligit, manet in morte.* 2. Epiſt. 1. ad Cor. cap. ult. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* 3. Joelis cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.*

R. ad 1. ibi agi de charitate fraterna, & tò *Non diligit*, ſumi contrariè, ut certum eſt ex contextu. Senſus itaque eſt: Qui odit fratrem ſuum, non eſt in ſtatu gratiæ. *R. ad* 2. tò *Non amat*, ſumi etiam contrariè, & ſenſum eſſe: Si quis odit, ſi quis aſpernatur, ſi quis negat Chriſtum eſſe Meſſiam, ſit anathema. *R. ad* 3. Prophetam loqui de converſione peccatoris ad Deum, neceſſaria ad juſtificationem, non in ſacramento, ſed extra ſacramentum; quæ converſio reverà conſiſtit in actu, quo peccator peccata ſua ſuper omnia alia deteſtabilia deteſtatur propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, ſive in gradu intenſo, ſive in remiſſo tantùm.

Obj. 2. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. definit catechumenum non poſſe juſtificari in baptiſmo ſine dilectione Dei ſuper omnia in gradu remiſſo: enumerans enim diſpoſitiones juſtificationi in baptiſmo conſequendæ prærequiſitas, fide, ſpe & timore recenſitis, ſic proſequitur: *Illumque* (Deum) *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Atqui non requiritur minor diſpoſitio in baptizato, ut juſtificetur in ſacramento pœnitentiæ, quàm in catechumeno ut juſtificetur in ſacramento baptiſmi. Ergo, &c.

R. Ex Tridentino loco laudato colligi tantùm poſſe, ad juſtificationem in baptiſmo conſequendam requiri in catechumeno inchoatam dilectionem Dei propter ſe. At actus, quo Deus diligitur ſuper omnia propter ſe, etiam in gradu remiſſo tantùm, non eſt inchoata Dei dilectio, ſed dilectio perfecta, ſeu dilectio completa in aſſe charitatis, cùm habeat totam charitatis eſſentiam. Tantùm igitur à Tridentino definitum eſt, catechumenos juſtificari non poſſe in baptiſmo ſine aliquali dilectione Dei propter ſe, ſive actu aliquo, quo Deum propter ſe diligere incipiant, ſive actu quo Deum diligant propter ſe, licèt nondùm ſuper omnia. Unde nego majorem.

Obj. 3. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. ad juſtificationem requirit in pœnitente vitæ veteris odium. Atqui odium illud includit dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe. Ergo, &c. Nego min. *Probabis.* Nemo poteſt odiſſe peccatum, niſi Deum diligat. Ergo, &c. *R.* neg. ant. vel, ſi vis, diſt. Nemo poteſt odiſſe peccatum ut malum Dei, quin Deum diligat, C. ant. Sub alia ratione, N. ant. Nam v. gr. poſſum odiſſe peccatum, quia turpe eſt, vel quia eſt cauſa gehennæ, licèt tunc nullo actu diligam Deum.

At inquies. Nemo poteſt odiſſe peccatum, niſi amet bonum oppoſitum. Sed bonum oppoſitum peccato eſt Deus. Ergo, &c. *R. diſt.* maj. Nemo poteſt odiſſe peccatum, niſi amet bonum oppoſitum contrariè, Tranſeat maj. Niſi amet bonum quocumque modo oppoſitum, N. maj. At Deus non eſt bonum

pec-

Digitized by Google

peccato oppoſitum contrariè, ſed honeſtas morum. Unde ea majore ſequitur tantùm, non poſſe odio haberi peccatum, niſi ametur morum honeſtas, quod tamen non videtur univerſaliter verum: nam v. g. poſſum odiſſe peccatum ut cauſam gehennæ, ſeu ut malum meum, vel ut malum Dei, nequidem cogitando de morum honeſtate.

Obj. 4. Tridentinum eodem loco ad juſtificationem requirit propoſitum non peccandi de cætero. Atqui tale propoſitum includit dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe. Ergo, &c. Nego min. *Probabis*. Nemo poteſt habere propoſitum non peccandi de cætero, quin efficaciter ſtatuat ſervare omnia præcepta, quorum omnium primum & maximum eſt, *Diliges Dominum Deum tuum*. Atqui proponere diligere Deum, eſt eum actu diligere. Ergo, &c. *R.* 1. diſt. maj. Nemo poteſt habere propoſitum non peccandi de cætero, quin efficaciter ſtatuat virtualiter & implicitè ſervare omnia mandata, C. maj. Quin efficaciter ſtatuat formaliter & explicitè, N. maj. At ſtatuere virtualiter & implicitè ſervare omnia mandata, & conſequenter diligere Deum, cùm præceptum diligendi urgebit, non eſt actu diligere Deum.

2. Dato quòd nemo poſſit habere propoſitum non peccandi de cætero, quin formaliter & explicitè ſtatuat ſervare mandata, ſic diſt. maj. Quin formaliter & explicitè ſtatuat ſervare omnia mandata confuſè cognita, C. maj. Diſtinctè cognita, N. maj. At qui formaliter ſtatuit ſervare omnia mandata confuſè tantùm cognita, non diligit Deum actu. Denique dato etiam quòd nemo poſſit habere propoſitum non peccandi de cætero, niſi formaliter ſtatuat ſervare omnia præcepta etiam diſtinctè cognita, adhuc nego min. Nam v. gr. qui ex metu pœnarum & gehennæ ſtatuit diligere Deum ſuo tempore, quando ſcilicet ad id obligabitur, non diligit Deum actu.

Obj. 5. Tridentinum requirit in ſacramento Pœnitentiæ contritionem, quæ fuit quovis tempore neceſſaria ad impetrandam veniam peccatorum. Nam ſeſſ. 14. cap. 3. requirit in ſacramento Pœnitentiæ contritionem, quam deſcribit cap. 4. & contritionem illam eodem illo cap. 4. dicit quovis tempore neceſſariam fuiſſe ad impetrandam veniam peccatorum. *Fuit autem*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*. Atqui contritio illa, quæ fuit quovis tempore neceſſaria ad impetrandam veniam peccatorum, includit dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe: nemini enim unquam, ſive in lege naturæ, ſive in Moſaica, juſtificationis gratia contigit, quin eum peccatorum pœnituerit propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe. Ergo, &c.

R. 1. neg. min. ad ſenſum Concilii. Nam contritio quæ fuit quovis tempore neceſſaria ad remiſſionem mortalium ad ſenſum Concilii, ſeu contritio, quam Concilium dicit quovis tempore neceſſariam fuiſſe ad remiſſionem mortalium, eſt præcisè animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero; ſicut contritio, quæ requiritur in ſacramento ad ſenſum Concilii, ſeu contritio, quam Concilium requirit in ſacramento, eſt præcisè animi dolor, &c. Poſtquàm enim cap. 3. dixit Concilium, tres actus pœnitentis, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem eſſe materiam ſacramenti, ſic caput quartum exorditur: *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*. Vides contritionem hactenùs ſumi à Concilio genericè, & abſtrahendo à ſpeciebus, in quas eam inferiùs ex profeſſo diſtribuit. Hinc

R. diſt. maj. Tridentinum requirit in ſacramento contritionem, quæ fuit quovis, &c. ſumptam inadæquatè, & ſecundùm prædicata generica tantùm, C. maj. Sumptam adæquatè, & tam ſecundùm prædicata ſpecifica, quàm ſecundùm generica, N. maj. Nam cùm Tridentinum dicit contritionem eſſe partem ſacramenti Pœnitentiæ, & quovis tempore neceſſariam fuiſſe ad impetrandam peccatorum veniam, nomine contritionis præcisè intelligit animi dolorem ac deteſtationem de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero; adeòque contritionem ſumit ſecundùm prædicata generica tantùm, quo modo ſumpta contritio præcindit ab omni motivo ex quo poteſt concipi.

Obj. 6. Sola contritio concepta propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, eſt materia ſacramenti ex Tridentino. Ergo, &c. Nego ant. *Probabis*, Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3. ubi dicit materiam ſacramenti eſſe actus pœnitentis, contritionem ſcilicet, confeſſionem & ſatisfactionem, nomine contritionis intelligit dolorem conceptum propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe. Ergo, &c. Neg. ant. Nam ibi ſumit contritionem genericè, & nomine contritionis intelligit præcisè dolorem animi, ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

Probabis tamen antecedens negatum. Analogum ſimpliciter prolatum ſumi tantùm debet pro præcipuo analogato. At contritio eſt analoga dolori concepto propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, & dolori concepto ex motivo inferiori, & Concilium dicit ſimpliciter cap. 3. contritionem eſſe materiam ſacramenti. Ergo nomine contritionis ibi intelligit dolorem conceptum propter Deum, &c. qui dolor eſt præcipuum analogatum contritionis. *R.* negando contritionem eſſe analogam dolori concepto propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, & dolori concepto ex motivo inferiori: utrique enim tam univoca eſt, quàm animal homini & bruto.

At inques. Eſto contritio ſit genus univocum, & uterque dolor ſit ſpecies propriè dicta contritionis; ſaltem dolor propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, eſt præcipua ſpecies. Atqui genus ſimpliciter prolatum ſemper ſumitur pro præcipua ſpecie. Sic v. g. nomen panis ſimpliciter prolatum, ſignificat ſolum panem triticeum. Ergo contritio ſimpliciter prolata debet tantùm intelligi de dolore propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe. *R.* neg. min. Nam v. g. cùm dicitur: Animal eſt principium ſentiendi, animal ſimpliciter profertur, nec tamen ſupponit pro præcipua ſpecie, excluſis aliis imperfectioribus. *Ad prob. R.* à particulari non valere conſequens ad univerſale; & quod communis uſus obtinuit pro vocabulo panis, non obtinuit ſimiliter pro aliis nominibus genericis, ut quoties ſimpliciter dicuntur, ſupponant tantùm pro præcipua ſpecie.

Obj. ultimo. Adultus non juſtificatur per martyrium, ſine remiſſa ſaltem dilectione Dei ſuper omnia propter ſe. Ergo nec per ſacramentum Pœnitentiæ: nam ſacramentum Pœnitentiæ ſe habet reſpectu conferendæ primæ gratiæ, ſicut ſe habet martyrium. *R.* Suppoſito, quod judicamus eſſe verius, quòd martyrium nullum habeat effectum in adulto peccatore, ſine actu, quo Deum diligat ſuper omnia propter ſe, martyrium ſupponit ſemper primam gratiam, & nunquam eam confert; quod dici non poteſt de ſacramento Pœnitentiæ, quod eſt ſacramentum mortuorum, & à Chriſto inſtitutum ad reconciliandos Deo fideles poſt baptiſmum mortaliter lapſos, & conſequenter ad conferendam primam gratiam: Unde in ſuppoſitione facta non valet à martyrio ad ſacramentum Pœnitentiæ ex inſtitutione divina, ſed nec valet ex natura rei, ut per ſe clarum eſt.

Porrò contra quos hìc diſputamus, hallucinantur graviter, dum putant ſententiæ ſuæ aliquo modo patrocinari Alexandrum VII. in decreto edito 5. Maji anno 1667. in quo dicitur: *Hoc præſenti decreto* (SS. D. D. noſter Alexander Papa VII.) *in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, latæ ſententiæ, &c. præcipit cunctis & ſingulis fidelibus, quocumque gradu, &c. ut ſi deinceps de materia attritionis præfata ſcribent, vel libros aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis*

modo

modo Pœnitentes aut Scholares, ceteroſve erudient, non audeant alicujus theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur: ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum.

Vides hic agi de ſententia aſſerente neceſſitatem aliqualis tantùm dilectionis Dei, adeòque Pontificem nullatenùs ſubvenire ſententiæ aſſerenti neceſſitatem dilectionis, qua Deus ſuper omnia propter ſe diligitur ſaltem in gradu remiſſo: talis enim dilectio Dei eſt appretiativè maxima. Dilectio autem Dei appretiativè maxima nec eſt, nec dici poteſt tantùm aliqualis dilectio Dei, ut per ſe manifeſtum eſt. Et verò quomodo aliqualis tantùm amor Dei dici poſſet amor ille, quo quis Deum propter ſe diligit ſic, ut eum rebus omnibus præferat, & paratus ſit potiùs malum quodlibet pati, & quolibet bono carere, quàm eum offendere ſaltem graviter. Quænam igitur Dei dilectio dici poteſt & debet aliqualis dilectio Dei? Ea omnis & ſola, qua Deus verè propter ſe diligitur, ſed nondùm ſuper omnia, quia nondùm rebus omnibus anteponitur: Unde talis dilectio Dei non meretur nomen charitatis, ut ait Bellarminus; non eſt ſimpliciter charitas, ſed initium, inchoatio charitatis, charitas inchoata.

ARTICULUS X.

Utrùm attritio ex metu gehennæ concepta, bona ſit & utilis.

RESPONSIO.

ATtritio ex ſolo metu gehennæ concepta, hoc eſt, attritio qua pœnitens præcisè dolet de peccatis admiſſis, & ab admittendis abſtinere proponit, ad vitandam damnationem æternam quam timet; eſt bona & utilis.

Prob. Nam metus gehennæ bonus eſt & utilis. Ergo attritio ex ſolo metu gehennæ concepta, eſt etiam bona & utilis. Conſeq. eſt evidens: nam ſi bonum & utile eſt metuere gehennam, bonum quoque & utile eſt dolere de peccatis admiſſis, & ab admittendis abſtinere velle præcisè ad vitandam gehennam, quam metuis.

Prob. ergo ant. 1. Ex Scriptura Matth. cap. 10. ubi Chriſtus ad hunc timorem nos adhortatur: *Timete eum*, inquit, *qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam*. 2. Ex Patribus apud Bellarminum, lib. 2. de pœnitentia, cap. 17. Pro omnibus ſit Auguſtinus, qui tract. 9. in epiſt. Joan. ſic habet: *Stimulat timor, ſed noli timere; intrat charitas, quæ ſanat quod vulnerat timor: timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit ..... Opus eſt ergo ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas ſanitas.* Et in Pſal. 127. ſic ait: *Ille timor nondum caſtus, præſentiam Domini & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor: utilis eſt.* 3. Ratione: nam rectæ rationi omninò conſentaneum eſt, ſummum ac ſempiternum malum, qualis eſt gehenna, metuere, illudque vitare velle.

Obj. 1. Attritio ex ſolo metu gehennæ concepta, 1. non eſt voluntarius dolor, ſed extortus & violentus. 2. Non eſt verus dolor, ſed ſimulatus: illud enim ſolùm ſincerum eſt, quod fit ex charitate: unde quod non fit ex charitate, vanum eſt & frivolum, ex Apoſtolo 1. Cor. cap. 13.

R. ad primum neg. Nam licèt dolor de peccatis ex metu gehennæ non ſit tam liber & voluntarius, quàm ille qui oritur ex amore Dei vel juſtitiæ, tamen ſimpliciter liber eſt & voluntarius: qui enim dolet de peccatis ex metu gehennæ, id facit ex propria deliberatione & electione: unde Tridentinum hæreticos attritionem ex metu gehennæ conceptam, violentam & extortam eſſe aſſerentes, meritò damnat ſeſſ. 14. cap. 4. & can. 5.

R. ad ſecundum, etiam neg. Poteſt enim homo verè & ſincerè timere pœnam æternam ut talem, & ex vero illo ac ſincero timore pœnæ æternæ, verè ac ſincerè dolere de peccatis admiſſis, & ab admittendis abſtinere velle, ne pœnam illam æternam incurrat. Porrò ineptum eſt quod dicitur, illud ſolum verum & ſincerum eſſe, quod fit ex charitate, ſive actualis ſive habitualis charitas intelligatur: nec Apoſtolus loco laudato dicit vanum ac frivolum eſſe id quod non fit ex charitate, ſed ſolùm hominem ſine charitate habituali non eſſe amicum Dei, nulloque opere, quantumcumque excellens illud ſit, ſine charitate habituali facto, aut etiamſi cum habituali charitate fiat, à charitate actuali non imperato, ad æternam beatitudinem perducendum eſſe. Et verò actus fidei, quo peccator ad juſtificationis gratiam ſe præparat, non fit ex charitate, cùm ad eam præcquiratur, & tamen non eſt aliquid ſimulatum aut frivolum.

Inſtabis. Non poteſt homo ſincerè odiſſe peccatum niſi ex amore juſtitiæ: nam non poteſt homo ſincerè odiſſe malum aliquod, niſi ex amore boni contrarii: amor enim eſt prior odio, & omne odium fundatur in aliquo amore. *R.* diſt. Non poteſt homo ſincerè odiſſe peccatum propter ſe, ſeu propter propriam turpitudinem, niſi ex amore juſtitiæ & honeſtatis oppoſitæ, Eſto. Dico Eſto, quia multi hoc negant. Non poteſt propter aliud, N. Igitur, eſto quòd amor ſemper præcat odio, & omne odium fundetur in aliquo amore, ſicque homo non poſſit odiſſe malum, niſi priùs ſaltem natura amet bonum aliquod; non eſt tamen neceſſe, ut priùs amet bonum contrarium, niſi fortè cùm odit malum propter ſe, hoc eſt, propter propriam ejus diſconvenientiam: nam ſi odit malum propter aliud, ſatis eſt ſi illud aliud diligat, propter quod malum odit. Sic ſi odi cibum ſuavem propter ſe, fortè neceſſe eſt, ut priùs amem cibum amarum, qui cibo ſuavi contrariè opponitur: at ſi oderim cibum ſuavem non propter ſe, ſed propter aliud, putà propter ſanitatem, cui nocet, ſatis eſt ſi priùs diligam ſanitatem. Similiter ut odio habeam peccatum propter propriam turpitudinem, fortè prius neceſſe eſt, ut amem honeſtatem ei contrariè oppoſitam: at ut odio habeam peccatum propter aliud, putà ad vitandam miſeriam æternam, ſatis eſt ſi velim non eſſe miſer, ſed beatus; vel, ſi vis, ſatis eſt ſi oderim miſeriam æternam, quia amo eſſe beatus.

Obj. 2. Qui dolet de peccatis ex ſolo metu gehennæ, magis odit gehennam quàm peccatum, juxta illud, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Sed hoc eſt inordinatum. Ergo, &c. *R.* eum qui dolet de peccatis ex ſolo metu gehennæ, magis odiſſe gehennam, quàm peccatum, hoc ſenſu quòd quantum eſt, ex vi ſui actus, gehennam primò & propter ſe, peccatum verò propter gehennam deteſtetur, non eo ſenſu quòd per actum ſuum comparet malum gehennæ cum malo peccati, & minoris faciat malum peccati, quàm malum gehennæ: nullam enim ejuſmodi comparationem facit, quæ vitioſa eſſet & inordinata.

Ad axioma allatum *Reſp.* ex eo quòd peccatum odio habeatur propter gehennam, ſequi quòd pœnitens magis deteſtetur gehennam natura priùs, quàm peccatum, & independenter à peccato, non viciſſim: non verò hoc ſenſu, quòd magis appretiativè deteſtetur gehennam, quàm peccatum: quando enim majus malum odio habemus propter minus, non idcircò minus malum pluris facimus, quàm majus: ſicut quando majus bonum propter minus amamus, non idcircò minus bonum pluris facimus, quàm bonum majus.

Dices. Qui dolet de peccatis ex ſolo metu gehennæ, magis movetur à malo gehennæ, quàm à malo peccati: non niſi quia pluris æſtimat malum gehennæ,

gehennæ,

hennæ, quàm malum peccati. Ergo, &c. *R.* neg. min. Itaque magis movetur à malo gehennæ, quàm à malo peccati, quia ſumma & ſempiterna miſeria, qualis eſt gehenna, majorem vim habet percellendi animum hominis vitiorum ſordibus aſſueti, quàm peccati fœditas. Unde, ut docet Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 6. Deus ſolet à pœnarum metu incipere, dum impium ad pœnitentiam adducit, &, ut rectè Auguſtinus, tract. 9. in epiſt. Joan. ait: *Si nullus* (eſt) *timor, non eſt quà intret charitas ... Timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit ut introduceret charitatem.*

Dices. Qui dolet de peccatis ex ſolo metu gehennæ, ordinat majus bonum ad minus, nempe vitationem peccati ad vitationem gehennæ. Sed hoc eſt inordinatum. Ergo, &c. *R.* ordinare majus bonum ad minus, non deſtruendo majus bonum propter minus, aut præferendo minus bonum majori, ſed præcisè amplectendo majus bonum ex motivo minoris, in quo nulla eſt inordinatio; nam quando operamur circa bonum, non tenemur ſemper illud amare, quantùm amabile eſt, vel illud ordinare ad aliquid majus, aut ſaltem æquale, vel illud velle propter rationem intrinſecam boni, quam habet; ſed poſſumus velle illud propter rationem ipſi extrinſecam, licèt minor ſit.

Similiter non tenemur ſemper culpam odiſſe propter ſe, vel propter ſummam rationem, qua odibilis eſt, aut illam ſemper odiſſe propter aliquid majus vel æquale; ſed poſſumus illam deteſtari propter rationem aliquam extrinſecam, licèt minor ſit: hoc enim fieri poteſt ſine ulla vitioſa comparatione, vel excluſione; & fit quoties aliquis atteritur de peccatis præcisè ex metu gehennæ: nam motivum gehennæ non præfert aliis majoribus, qualis eſt ratio offenſæ divinæ, injuriæ, inobedientiæ, nec motiva excludit ſive formaliter ſive virtualiter, ſed ab illis præſcindit. *Nota obiter.* Hic agitur de attritione concepta ex ſolo metu gehennæ, ly ſolo ſumpto præciſivè, non excluſivè, vel comparativè.

Obj. 3. Attritio ex ſolo metu gehennæ concepta fundatur in amore proprio. Sed amor proprius vitioſus eſt. Ergo, &c. *R.* non omnem amorem proprium, ſeu amorem noſtri, vitioſum eſſe: alius enim bonus eſt, quo quis ſeipſum ordinatè amat, qualis eſt ille, quo ſibi vult bene eſſe per vitationem gehennæ; alius verò malus, quo quis ſe ipſum amat inordinatè, qualis eſt ille, quo ſibi vult bonum aliquod lege divina prohibitum. Hic amor dicitur cupiditas, & communiter, præ alio amore noſtri ordinaro, amor proprius; hæc enim vox communiter in malam partem accipitur, ad ſignificandum amorem noſtri, qui inordinatus eſt. Sed ut adhuc meliùs intelligas, nihil vitioſum eſſe in attritione concepta ex ſolo metu gehennæ.

Nota. Tria tantùm ſunt in eo, qui habet ejuſmodi attritionem, nempe voluntas vitandi gehennam, deteſtatio peccati, cum dolore & propoſito abſtinendi impoſterum à peccato, & ordinatio hujus deteſtationis ad vitandam gehennam. At nihil horum vitioſum eſt: nam voluntas vitandi gehennam, ſicut & voluntas aſſequendi beatitudinem, fundatur in ordinato amore ſui, & eſt rationi omninò conſentanea. Deteſtatio verò peccati cum dolore & propoſito non peccandi impoſterum, eſt medium ex natura rei aptiſſimum ad vitandam gehennam, ac proinde per ſe ordinabile ad hunc finem: ſicut Incarnatio, quia eſt medium ex natura rei aptiſſimum ad procurandam ſalutem hominum, eſt ad hunc finem per ſe ordinabilis, quamvis ſit bonum longè præſtantius hominum ſalute.

Obj. 4. Timor ſervilis malus eſt. Sed attritio quæ concipitur ex ſolo metu gehennæ, concipitur ex timore ſervili. Ergo, &c. *Probabis maj.* Nam 1. eo ipſo quòd timor ſervilis eſt, non poteſt non eſſe malus. 2. Timor mundanus malus eſt: ergo & timor ſervilis. 3. Timor ſervilis opponitur charitati, à qua foras mittitur. 4. denique, amor mercenarius, quo Deus amatur tantùm propter bona temporalia, eſt vitioſus. Ergo & timor ſervilis.

Reſp. Timorem ſerviliter ſervilem eſſe malum, non timorem ſervilem ſimpliciter. Attritio autem, de qua hìc agitur, concipitur ex timore gehennæ ſimpliciter ſervili, non ex ſervili ſerviliter: unde bona eſt, non mala.

Nota. Timor gehennæ ſervilis eſt, cùm quis ſolam gehennam timet propter ſe: ita ut ſi peccatum deteſtetur, illud deteſtetur tantùm propter gehennam; ſive deteſtetur illud, non quia eſt offenſivum Dei, ſed quia inductivum eſt gehennæ. Servilis dicitur, quia proprium ſervorum eſt, ſolam pœnam metuere propter ſe, atque ita odiſſe culpam, non quà offenſio Domini eſt, ſed tantùm quà cauſa eſt pœnarum à Domino infligendarum.

Gehennæ timor ſervilis poteſt eſſe duplex, nempe ſerviliter ſervilis, & ſervilis ſimpliciter. Serviliter ſervilis eſt, cùm quis ſolam gehennam timet propter ſe, tanquam malum principale, ut loquitur Thomas, hoc eſt, tanquam ſummum malum: ita ut gehennam timeat ſuper omnia alia mala, etiam ea quæ ſunt offenſiva Dei, ſeu etiam ea quæ peccatum ſunt. Unde hic timor malus, imò peſſimus eſt: oritur enim ex inordinato amore proprio; per eum homo conſtituit finem ſuum ultimum in ſeipſo, & per eum ſic afficitur, ut vi illius mallet Deum offendere, quàm gehennam, ſeu pœnam æternam ſenſus incurrere. Sed de hoc timore non agitur hìc, nec ex eo dici poteſt concipi attritio, de qua diſputamus, quippè quæ, ut ait Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 4. verum Dei donum eſt, & impulſus Spiritus ſancti, *non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.*

Gehennæ timor ſervilis eſt ſimpliciter, cùm quis ſolam quidem gehennam timet propter ſe, ſed non timet eam tanquam malum principale: unde eam non timet ſuper ea quæ ſunt peccatum; atque ita pro nullo caſu pluris facit vi timoris ſui vitationem gehennæ, quàm Dei offenſionem, & ſic vi timoris ſui, pro nullo caſu paratus eſt, potiùs Deum offendere, quàm incurrere gehennam.

Hìc timor malus non eſt: nam ſi malus eſt, vel quia eſt timor gehennæ. At hoc non: Deus enim gehennam comminatur peccatoribus, & comminatur, ut timeatur. Vel quia eſt timor gehennæ propter ſe. At hoc non: nam gehenna eſt maxima hominis miſeria; & ſicut eſt maximè odibilis propter ſe, ita & propter ſe maximè formidabilis eſt. Vel quia non eſt conjunctus cum alio timore, quo timeatur offenſio divina qua talis, ſeu quo timeatur peccatum, quia eſt offenſa Dei. At hoc non: nam non eſt cum eo incompoſſibilis, quandoquidem cum eo reperitur in incipientibus in via perfectionis, imò & in perfectis; atque adeò quòd cum eo non ſit conjunctus, ipſi non imputandum eſt, ſed ejus ſubjecto, carenti omni affectu charitatis, ſeu nondùm diligenti Deum propter ſe. Vel denique, quia poteſt eſſe cum affectu ad peccatum. At hoc non: nam ſi quando eſt cum aliquo affectu ad peccatum, non eſt illius cauſa: non enim inducit ad illum, ſed potiùs ab illo deterret: quare pravus ille affectus non ipſi imputandus eſt, ſed ejus ſubjecto, non ſatis efficaciter timenti gehennam. Denique non magis valet hoc: Timor ſimpliciter ſervilis poteſt eſſe cum affectu ad aliquod peccatum: ergo malus eſt; quàm iſtud: Actus fidei, ſpei, miſericordiæ, & aliarum virtutum moralium poſſunt eſſe cum affectu ad aliquod peccatum mortale: ergo mali ſunt. Sed

Obſerva. Timor gehennæ ſimpliciter ſervilis poteſt eſſe vel non eſſe appretiativè maximus. Eſt appretiativè maximus, cùm per eum timetur gehenna ſuper omnia alia mala, quæ peccatum non ſunt, & quorum toleratio ad vitandam offenſionem divinam neceſſaria eſſe poteſt ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, & tunc ſufficit ad deponendum omnem affectum ad peccatum pro quocum-

que

Digitized by Google

que caſu, &c. ſed pro aliquibus tantùm, pluribus vel paucioribus, prout major eſt vel minor appretiativè; non idcircò tamen malus dici poteſt, ſed ſolùm minùs bonus, minùs efficax. Hinc

Attritio quæ ex metu ſimpliciter ſervili concipitur, duplex eſt: una ſcilicet quæ concipitur ex timore appretiativè maximo, & altera quæ concipitur ex timore non maximo appretiativè. Prima, quamvis remiſſa ſit, excludit omnem voluntatem peccandi in ſenſu Concilii Tridentini: Secunda verò non excludit, quantùmvis intenſa ſit & vehemens: eſt tamen bona, cùm voluntatem peccandi excludat pro aliquibus caſibus, pluribus vel paucioribus, pro majori vel minori appretiatione timoris, ex quo concipitur: ſed prima melior eſt, quia peccandi voluntatem excludit pro omni caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & cùm per eam attritus non peccare de cætero proponat ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem motivi, quod eſt de gehenna ut vitanda. Attritionem hanc Tridentinum laudat, ut verum Dei donum, & impulſum Spiritus ſancti, docetque eam, ſi cum ſpe veniæ conjuncta ſit, ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam peccatorem diſponere. Ex dictis

Iterùm nego majorem, intellectam de timore ſimpliciter ſervili. *Ad primam probationem* patet reſponſio ex dictis quibus additur ſimpliciter ſervilitatem non eſſe intrinſecam timori gehennæ, ſed extrinſecam timor enim gehennæ, ſimpliciter ſervilis, ſervilis non eſt ratione ſui, ſed ratione ſubjecti, in quo eſt, & cui deeſt charitas adeòque & timor offenſionis divinæ propter ſe: unde conſequens eſt, ut ſubjectum illud ſolam gehennam propter ſe, offenſionem verò divinam nonniſi propter gehennam timeat, quamobrem timor gehennæ, quem habet, denominatur ſervilis denominatione extrinſeca, petita ab abſentia alteriùs timoris, quo offenſio divina timeatur propter ſe; quæ abſentia non timorem gehennæ, ſed ſubjectum ejus intrinſecè ſuo modo afficit, proindeque ſubjectum ejus, non ipſum vitiat. Timor igitur gehennæ ſimpliciter ſervilis, nec eſt nec poteſt eſſe malus propter ſervilitatem.

Ad 2. prob. R. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia timor mundanus eſt is, quo quis plus timet creaturas quàm Creatorem, vel quod eodem redit, quo quis plus timet offenſionem hominum, aut pœnas ab eis infligendas, quàm offenſionem Dei: unde homo, vi timoris mundani, paratus eſt potiùs Deum offendere; quàm offendere homines, aut pœnas, quas minantur, incurrere. At per timorem gehennæ ſimpliciter ſervilem non plus timetur gehenna, quàm offenſio divina, ſed ſolùm per eum, & quidem cùm appretiativè maximus eſt, timetur gehenna ſuper omnia alia mala quæ peccatum non ſunt: unde per eum homo non inducitur ad peccatum, ſed è contra per eum à peccato retrahitur.

Ad 3. prob. R. diſt. ant. Timor ſimpliciter ſervilis opponitur charitati ſecundùm ſubſtantiam, N. ant. Secundùm ſervilitatem ipſi planè extrinſecam, C. ant. & neg. conſeq. *Ad prob. R.* pariter diſt. Timor ſimpliciter ſervilis à charitate foràs mittitur quantùm ad ſubſtantiam, N. Quantùm ad ſervilitatem, quæ ipſi omninò extrinſeca eſt, C.

Subſtantia timoris ſimpliciter ſervilis conſiſtit in eo quòd timeatur gehenna propter ſe, & offenſio divina propter gehennam: unde nullo modo opponitur charitati, nec ab ea adveniente foras mittitur: bonum enim eſt timere gehennam propter ſe, & offenſionem divinam propter gehennam; & perfecti, in quibus charitas non ſolùm maxima eſt appretiativè, ſed etiam intenſivè magna, identidem etiam vehementiſſimè timent offenſionem divinam propter gehennam, quam vehementiſſimè timent propter ſe. Servilitas timoris ſimpliciter ſervilis, conſiſtit in eo quòd non etiam propter ſe timeatur offenſio divina: unde hæc ſervilitas non quidem poſitivè, ſed privativè opponitur charitati, & ab ea adveniente foràs mittitur: qui enim incipit diligere Deum propter ſe, incipit timere peccatum, quia eſt offenſa Dei; cùm antea illud tantùm timeret, quia inducit reatum damnationis æternæ.

Ad 4. prob. R. Amorem mercenarium eſſe eum, quo quis ita Deum diligit propter bona temporalia, ut Deum non diligeret, ſi non eſſent ejuſmodi bona, quæ ab eo ſperare poſſet, quomodo ethnici deos ſuos ſolent diligere: Unde qui amore illo diligit Deum, eum diligit propter bona temporalia, quæ ut finem ſuum ultimum diligit & propter ſe ipſum, ut finem ſuum ultimum cui: unde amor ille eſt actus hominis in ſe ipſo ultimatè ſiſtentis, omnia ad ſe ipſum ultimatè referentis, & in bonis temporalibus, poſthabito ſummo bono, beatitudinem ſuam conſtituentis. Quamobrem amor mercenarius, qui peſſimus & inordinatiſſimus eſt, comparandus eſt cum timore ſerviliter ſervili, quo timetur gehenna ſuper omnia alia mala, etiam quæ peccata ſunt, & quo proinde homo, in ſe ultimatè ſiſtens, ſe ipſum anteponit Deo; non verò timori ſimpliciter ſervili, quo gehenna tantùm timetur ſuper ea omnia mala quæ non ſunt peccatum, & quo proinde gehenna ordinatè timetur, atque ſubjectum diſponitur ad deteſtandam offenſam Dei pro omni caſu poſſibili ſecundùm, &c. quamvis non ut eſt offenſa Dei, ſed tantùm ut eſt inductiva reatus gehennæ, præſcindendo ab alio digniore motivo.

ARTICULUS XI.

Utrùm attritio concepta ex metu gehennæ, ſufficiat in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem mortalium.

§. I.

Concilium Tridentinum non definiit ſeſſ. 14. cap. 4. attritionem ex ſolo metu gehennæ conceptam, voluntatem peccandi excludentem cum ſpe veniæ, ſufficere ad mortalium remiſſionem in ſacramento Pœnitentiæ.

Probatur. Nam 1. teſte Palavicino lib. 12. hiſt. Conc. Trident. cap. 10. in decreto. Ut primùm delineatum fuit, ſic legebatur: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem nominant ... ſtatuit hæc ſancta Synodus & declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem ... verùm etiam ſufficere ad ſacramenti hujus conſtitutionem, &c.* Quæ poſtrema verba expuncta fuerunt, monente Tuderano Antiſtite, circa ſufficientiam attritionis in ſacramento Pœnitentiæ variare Authorum catholicorum ſententias; & iſta eorum loco ſuppoſita: *Ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Paruit ergo conſilio Tudertani Antiſtitis Synodus, & noluit definire attritionem ſufficere in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem mortalium.

2. Si dicendum eſt Concilium definiviſſe, attritionem ex metu gehennæ conceptam ſufficere cum ſacramento ad remiſſionem mortalium; maximè propter illa verba, *Et quamvis ſine ſacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eam ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. At hoc non: nam Concilium dicit diſponere, non verò dicit ſufficere, & aliud eſt diſponere, aliud ſufficere.

At inques, Concilium dicit diſponere proximè. Ergo dicit etiam ſufficere. *R.* Admiſſo antecedente neg. conſ. Nam aliud etiam eſt diſponere proximè, & aliud ſufficere etiam in ea ratione, in qua aliquid diſponit: & poteſt attritio concepta ex metu gehennæ, eſſe diſpoſitio proxima ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ; quamvis non ſit diſpoſitio adæquata etiam in linea contritionis. Exempli cauſa, ſupponamus attritionem conceptam ex metu gehennæ, ad remiſſionem mortalium in ſacramento ſufficere, cum dilectione inchoata Dei propter ſe, & ſine illa non ſufficere; clarum eſt attritio-

nem

nem ex metu gehennæ præcisè, eſſe diſpoſitionem proximam ad remiſſionem mortalium in ſacramento, ſed partialem tantùm etiam in ratione contritionis; & diſpoſitionem proximam adæquatam in ratione contritionis, eſſe attritionem conceptam ex metu gehennæ, & ex inchoata dilectione Dei propter ſe, ſeu contritionem totalem, reſultantem ex attritione concepta ex metu gehennæ, & attritione concepta ex inchoata dilectione Dei propter ſe.

3. Igitur omninò dicendum videtur, Concilium voluiſſe tantùm damnare novatores improbantes attritionem ex metu gehennæ conceptam, ut inhoneſtam; & contra illos definire, attritionem illam, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, donum Dei eſſe, & pœnitentem ad Dei gratiam in ſacramento impetrandam diſponere etiam proximè, ſive etiam adæquatè diſponat in ratione contritionis, ſive non; quod Synodus Doctorum catholicorum diſputationi relinquit, proindeque hæreticos falsò calumniari ſcriptores catholicos, quaſi tradiderint ſacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre, docendo ſcilicet pœnitentem cum attritione ad ſacramentum accedentem, juſtificationis gratiam accipere.

Confirmari poteſt aſſertio ex Ruardo Tappero Lovanienſis Academiæ Cancellario, & Melchiore Cano, qui docent, hic quidem parte quinta de pœnitentia, ille verò tom. 1. art. 5. verum eſſe quòd attritio ex ſolo metu gehennæ concepta, ſufficiat in ſacramento, ſed hoc non eſſe certum & indubitatum. At quòd tales viri, qui interfuerunt ſeſſioni 14. Concilii Tridentini, adeòque & concinnando decreto, quo adverſarii contendunt definitam fuiſſe attritionis ſufficientiam, hujus decreti ſenſum non attigerint, aut definitionem, qua ſententiæ, quam tuebantur, veritas adſtruitur, contempſerint, eſt prorsùs incredibile. His addimus Dominicum-Sotum, qui paucis poſt finitum Concilium annis commentarios in 4. ſententiarum edidit, & ait diſt. 18. q. 3. a. 2. doctrinam de ſufficientia attritionis veram eſſe, ſed novam, neç auſurum ſe abſolvere eum, qui diceret ſe non pœnitere propter Deum.

Obj. Concilium ſeſſ. 14. cap. 3. definit attritionem ex metu gehennæ conceptam, eſſe partem materialem ſacramenti Pœnitentiæ. Ergo & definit ſufficere in ſacramento Pœnitentiæ. Nego ant. *Probabis*. Concilium cap. 3. generatim dicit contritionem eſſe partem materialem ſacramenti Pœnitentiæ; & cap. 4. dividit illam in charitatem perfectam & imperfectam. *Quæ*, inquit, *attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*. Ergo Concilium cap. 3. nomine contritionis, tam intelligit attritionem ex metu gehennæ conceptam, quàm contritionem charitate perfectam. Ergo, &c. *R.* Concilium cap. 3. ſumere terminum univerſalem contritionis in ſuppoſitione particulari; & ita cùm Synodus dicit, contritionem eſſe partem materialem ſacramenti Pœnitentiæ, ſenſus eſt, aliquam contritionem eſſe partem; & ratio eſt, quia contingens eſt contritioni, quòd ſit pars materialis ſacramenti Pœnitentiæ. Quando autem prædicatum contingens dicitur de termino univerſali, propoſitio particularis eſt, & terminus univerſalis ſumitur particulariter.

At inquies. Quod convenit generi, neceſſariò convenit ſpeciebus. Sed ex Concilio convenit contritioni eſſe partem materialem ſaceamenti Pœnitentiæ. Ergo, &c. *R.* convenire ſpeciebus omnibus id quod convenit generi univerſaliter ſumpto, non verò quòd convenit generi particulariter ſumpto tantùm; vel, ſi vis, *R.* convenire ſpeciebus omnibus id, quod convenit generi ab intrinſeco & eſſentialiter, non verò quod convenit generi contingenter tantùm & ab extrinſeco. At eſſe partem materialem ſacramenti Pœnitentiæ, contritioni convenit contingenter tantùm & ab extrinſeco, nempe ab inſtitutione Chriſti, quem voluiſſe ut quælibet contritio eſſe pars materialis ſacramenti Pœnitentiæ, à Tridentino capite laudato definitum non eſt. Porrò quod dictum eſt hactenùs de attritione concepta ex metu gehennæ, intelligi debet de attritione ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex quolibet alio motivo concepta, ut per ſe clarum eſt.

§. II.

Ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ, requiritur aliqua dilectio Dei propter ſe, & ſufficit ea, qua Deus verè, nondùm tamen ſuper omnia propter ſe diligitur, & quæ ideò dicitur charitas inchoata.

Prob. 1. pars 1. Ex Conc. Trid. *ſeſſ. 6. c. 6.* ubi inter actus, quibus catechumenus ad juſtificationis gratiam in baptiſmo conſequendam diſponitur, recenſet actum, quo catechumenus Deum diligere incipit tanquam omnis juſtitiæ fontem. Unde ſic argumentor. Non minor requiritur in peccatore diſpoſitio ad ejus juſtificationem in ſacramento Pœnitentiæ, quàm in Baptiſmo. Atqui ad juſtificationem peccatoris in baptiſmo requiritur actus, quo Deum incipiat diligere ut fontem omnis juſtitiæ, quo actu Deus propter ſe verè diligitur, quamvis nondùm ſuper omnia. Ergo à fortiori requiritur idem actus in peccatore, ad hoc ut juſtificetur in ſacramento Pœnitentiæ.

Dices. Non omnes actus à Tridentino enumerati loco citato, neceſſarii ſunt ad juſtificationem catechumeni in baptiſmo. *R.* Ita eſt: at aliqui ſunt neceſſarii; & negare talem eſſe actum de quo agitur, videtur intolerabile: quaſi verò nimis durum ſit obligari peccatorem ad aliqualem dilectionem Dei propter ſe, ut juſtificationis gratiam conſequatur, hoc eſt, ut fiat amicus Dei, & filius ejus adoptivus, &c.

Prob. 1. pars 2. Quia ad omnem juſtificationem requiritur vera & propriè dicta converſio ad Deum: id enim exigunt Scripturæ & Patres, dum nos hortantur ad ſalutarem pœnitentiam, & petendam à Deo veniam. Atqui vera & propriè dicta converſio ad Deum conſiſtit in ſola dilectione Dei propter ſe. Et verò ſi in aliquo alio conſiſtere dicitur, ex his Scripturæ verbis, *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, & aliis ſimilibus, probari non poteſt ad juſtificationem extra ſacramentum requiri contritionem conceptam ex dilectione Dei propter ſe. Ergo ad omnem juſtificationem requiritur aliqua dilectio Dei propter ſe.

Dices. Qui ex metu gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati peccatum deteſtatur, & proponit nunquam peccare de cætero, eo ipſo convertitur ad Deum. *R.* neg. Nam propriè & ſtrictè loquendo avertitur à creatura, non verò convertitur ad Deum.

Dices. Talis attritio continet propoſitum diligendi Deum propter ſe. *R.* inde ſequi, quòd contineat propoſitum converſionis ad Deum, non quòd contineat ipſam converſionem ad Deum.

Dices. Qui præcisè dolet de peccato, quia eſt contra reverentiam Deo ut ſuperiori debitam, ille convertitur ad Deum, quem tamen tunc non diligit. *R.* neg. Nam tunc propriè & ſtrictè loquendo convertitur ad bonum morale & honeſtum, non ad ipſum Deum, quia bonum morale & honeſtum amat, non ipſum Deum.

Confirmatur 1. pars. Nam 1. in omni juſtificatione homo non ſolùm impetrat veniam peccatorum, ſed etiam aſſumitur in amicum Dei, & filium ejus adoptivum, ac hæredem. At non eſt conveniens hoc fieri ſine aliquo actu, quo peccator Deum à ſe graviter offenſum diligat propter ſe.

2. Ad hoc ut is qui alterum offendit, ſeſe convenienter ad gratiam ejus recuperandam comparet, videtur requiri ex natura rei, ut doleat de offenſa alterius quà tali, quod non poteſt eſſe ſine aliqua dilectione alterius propter ſe. Ergo omninò dicendus eſt Deus hanc diſpoſitionem a peccatore ſemper exigere, ut ei reconcilietur, niſi ſpecialiter quoad hoc cum peccatore diſpenſarit, inſtituendo ſacramentum Pœni-

Pœnitentiæ; quod dici non poteſt cum ſufficienti fundamento.

3. Homo peccando avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam per inordinatum amorem creaturæ, quàm amat propter aliquam ejus bonitatem veram vel apparentem. Ergo planè congruum eſt, ut peccati veniam conſequatur, niſi avertat ſe à creatura, & convertat ad Deum, ipſum diligendo propter aliquam ejus perfectionem.

4. Denique, ad omnem juſtificationem requiritur in pœnitente ſpes veniæ. At pœnitens non poteſt ſperare à Deo veniam peccatorum, quæ deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia, quin ſimul amet Deum ut tanti beneficii authorem; vel ſaltem ita tunc propendet ad ſic amandum Deum, ut non poſſit non amare, niſi expreſsè nolit, imò & conetur in oppoſitum. Quidni ergo dicetur Deus exigere amorem illum, qui neceſſitate quadam conjunctus eſt cum ſpe veniæ, quàm exigit tamque convenienter poteſt requiri per modum diſpoſitionis ad juſtificationem. His ſuppoſitis,

Jam facilè *oſtenditur 2. pars*. Nam ſuppoſito quòd aliqua dilectio Dei propter ſe requiratur ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ; vel ſufficit inchoata dilectio, vel requiritur perfecta. Atqui non requiri perfectam, ſeu illam qua Deus ſuper omnia diligitur, accuratè ſuo loco oſtenſum eſt. Ergo ſufficit inchoata, qua ſcilicet Deus verè propter ſe diligitur, nondùm tamen ſuper omnia.

Obj. Non poteſt dici quænam ſit inchoata illa dilectio qua peccator incipit diligere Deum propter ſe, & quam requirimus ad juſtificationem in ſacramento. *R.* neg. & dico poſt Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. eſſe regulariter actum, quo pœnitens incipit diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, hoc eſt, tanquam benigniſſimum veniæ & gratiæ largitorem: nam, ut rectè ait Synodus loco laudato, homo peccatorem ſe eſſe intelligens, regulariter à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutitur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem erigitur, fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, ſicque illum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit.

Dices. Hic amor non eſt amor Dei propter ſe: nam 1. eſt à gratitudine, non à charitate. 2. Habet pro motivo beneficium creatum gratiæ juſtificantis, non perfectionem aliquam divinam. 3. Etſi habet perfectionem aliquam divinam pro motivo, non habet illam pro motivo ut bonam Deo, ſed ut bonam nobis. 4. Et ita ad ſummum eſt amor ſupernaturalis concupiſcentiæ, non amor charitatis. 5. Omnis amor Dei propter ſe eſt charitas. Sed omnis charitas diligit Deum ſuper omnia. 6. Hic amor Dei fundatur in amore proprio, & eſt amor intereſſatus.

R. Neg. inſtantiam. *Ad 1. prob. R.* hunc amorem impetrari à gratitudine; & in homine peccatore, ſeſe ad juſtificationem præparante, elici à voluntate, adjuta auxilio interioris gratiæ eam prævenientis, excitantis & corroborantis, & concurſu ſupernaturali ſupplente defectum habitus.

Ad 2. prob. R. Hunc amorem habere pro motivo excitativo & extrinſeco beneficium creatum gratiæ juſtificantis miſericordiam verò ac beneficentiam divinam pro motivo intrinſeco, quatenus per beneficium gratiæ juſtificantis, quod ſperat, excitatur peccator ad conſiderationem miſericordiæ divinæ, & ad illam ſic afficitur, ut propter illam bene velis Deo; & ita ex occaſione veniæ & gratiæ quam ſperat, Deum diligat propter ſe.

Ad 3. prob. R. Hunc amorem habere pro motivo intrinſeco perfectionem divinam, nempe miſericordiam, non ſolùm ut bonam nobis, ſed etiam ut bonam Deo quem perficit, & amabilem reddit.

Ad 4. prob. R. Magnum eſſe diſcrimen inter hunc amorem, & amorem ſupernaturalem concupiſcentiæ: nam per amorem, quo diligo Deum ut veniæ & gratiæ largitorem, bene volo Deo, quia benignus & miſericors, eſt bene volo Deo propter perfectionem aliquam, qua ſecundùm ſe amabilis eſt: unde hic amor eſt amor Dei propter ſe & ſecundùm ſe, eſt amor benevolentiæ: At per amorem ſupernaturalem concupiſcentiæ, quo nimirùm diligo Deum ut ſummum bonum meum, non bene volo Deo, ſed mihi, cui volo Deum ut ſummæ beatitudinis objectum: unde hic amor dicitur amor concupiſcentiæ, & inferior eſt altero, cæteris paribus, pertinetque ad habitum ſpei, non ad habitum charitatis.

Ad 5. prob. R. Charitatem aliam eſſe perfectam, aliam verò inchoatam tantùm. Charitas perfecta, eſt ea, quæ diligit Deum propter ſe ſuper omnia, & dicitur ac eſt charitas ſimpliciter. Charitas inchoata tantùm, eſt ea, quæ diligit quidem Deum propter ſe, non tamen diligit ſuper omnia, & dicitur ac eſt tantùm charitas ſecundùm quid; & cum addito diminuente, imò & deſtruente, inchoata: unde ſequitur amorem de quo agitur, eſſe tantum charitatem ſecundùm quid, & cum addito diminuente, imò & deſtruente eſſentiam charitatis; non eſt charitas, ſed tantùm initium & inchoatio charitatis.

Ad 6. denique prob. R. Hunc amorem eatenùs fundari in amore proprio, quatenùs peccator non diligit Deum ut beneficum & miſericordem, niſi ex occaſione veniæ & gratiæ, quas amat ut ſibi bonas, & ſic amat quia ſe ipſum amat & ſibi bene vult eſſe: unde amor quo peccator incipit diligere Deum ut beneficum & miſericordem, non eſt intereſſatus formaliter, ſed tantùm præſuppoſitivè.

Dices. Dilectio, quæ non eſt ſuper omnia, non excludit omnem voluntatem peccandi, ſeu non eſt incompoſſibilis cum omni omninò affectu ad peccatum. Ergo inutilis eſt ad remiſſionem mortalium, etiam in ſacramento Pœnitentiæ obtinendam & conſequenter non requiritur. *R.* neg. conſ. Nam ex antecedente ſequitur tantùm, quòd ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ, præter attritionem conceptam ex dilectione illa qua Deus diligitur propter ſe, ſed non ſuper omnia requiratur alia concepta ex alio motivo, & excludens omnem peccandi voluntatem, quod verum eſt.

Dices. Imò dilectio illa qua Deus diligitur propter ſe, ſed non ſuper omnia, vitioſa eſt. Ergo, &c. *R.* neg. Nam dilectio illa eſt ſine ulla vitioſa comparatione, vel excluſione, & ſolùm nondùm amat Deum, quantùm amabilis eſt, in quo quidem eſt aliquis defectus, non tamen imputabilis eſt ad culpam, nec actus propter illum eſt moraliter malus: non enim teneor quolibet actu amare adæquatè objectum quod amo, & quantùm amabile eſt: imò actus, non obſtante hoc defectu, habet honeſtatem & laudabilitatem moralem nam diligere Deum, & magni eum facere propter ſe, licèt eum nondùm tanti facias, quantùm dignus eſt, honeſtum & laudabile moraliter; modò tanti facias & non pluris, ſine excluſione vel comparatione Deo injurioſa, quod ſemper ſupponitur.

Dices. Actus quo Deus diligitur propter ſe, & non tamen ſuper omnia, chimæra eſt: non enim poteſt quis verè ſincerè diligere Deum propter ſe, quin eum ſuper omnia diligat. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. & ejus prob. Quamvis enim Deus per bonitatem increatam præſtet bonis omnibus creatis poſſibilibus, & ita propter bonitatem increatam dignus ſit anteponi bonis omnibus creatis poſſibilibus, poſſum tamen verè & ſincerè diligere Deum propter bonitatem increatam, & tamen non eum diligere ſuper omnia bona creata poſſibilia quia poſſum verè & ſincerè amplecti motivum aliquod, licèt non amplectar illud ſecundùm totam ejus dignitatem & amplitudinem: & ita poſſum verè & ſincerè diligere Deum propter bonitatem increatam, licèt non diligam illum ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem bonitatis increatæ in ratione motivi.

Dices. Dilectio illa Dei propter ſe, ſed non ſuper omnia, novum figmentum eſt; vel certè ſi dantur hujuſmodi actus, ſunt merè naturales, adeòque Pelagianum eſt aſſerere, per illos peccatorem diſponi ad

juſti-

juſtificationis gratiam ſive in baptiſmo, ſive in ſacramento Pœnitentiæ recipiendam. *R.* neg. hoc utrumque. Itaque dilectionem illam, qua Deus propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia diligitur, non ex ſolis naturæ viribus, quæ ſolæ ad id non valent, ſed ex viribus gratiæ naturam excitantis & corroborantis, non finximus, ſed accepimua à Bellarmino, quo duce minimè timendum nobis eſt, ne cadamus in foveam.

1. Igitur Bellarminus, in Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, ac imprimis Auguſtini lectione verſatiſſimus, atque ejuſdem Auguſtini accuratiſſimus interpres, diſtinguit duplicem dilectionem Dei: unam perſectam, qua Deus propter ſe ſuper omnia diligitur; & alteram imperſectam, qua Deua diligitur propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia: nam ſic loquitur, lib.6. de grat. & lib. arb. cap.7. *Dilectio Dei ... alia eſt perfecta, quoniam eſt dilectio Dei ſuper omnia, qua videlicet Deum rebus omnibus anteponit; alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, ſed nondùm illum rebus cæteris præfert.*

2. Ibidem docet non ſolùm perſectam, ſed etiam imperſectam dilectionem ex ſolis naturæ viribus haberi non poſſe, & eſſe donum Dei: nam ſic ait: *Non poſſe Deum* (exiſtimamus) *ſine ope ipſius diligi ... neque perfectè, neque imperfectè ullo modo: atque hanc non dubitamus ſententiam eſſe ſancti Auguſtini, imo etiam Scripturarum & Conciliorum, quidquid aliqui minus conſideratè in hac parte ſcripſerint.* Et inferiùs: *Dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen charitatis, neque implet legem, neque conveniunt illi encomia, quæ paſſim tribuuntur in divinis litteris charitati: tamen ex iiſdem locis* (Scripturæ) *convincitur imperfecta illa dilectio donum eſſe Dei, & ex ſolis naturæ viribus haberi non poſſe.*

Porrò dicit dilectionem imperſectam non mereri nomen charitatis, quia charitas ſimpliciter actus eſt, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia, & toto corde: unde ſupereſt, ut dilectio illa imperſecta, qua Deus diligitur quidem propter ſe, at nondum toto corde & ſuper omnia diligitur, ſit initium charitatis, inchoatio charitatis, charitas inchoata, ut docet nos ipſe Bellarminus: ſic enim poſt verba proximè laudata proſequitur: *Nam cujus rei perfectio eſt à Deo, ab illo eſt etiam inchoatio. Et ſicut initium fidei ſupra probatum eſt eſſe à Deo, quia fides eſt à Deo; ita quoque initium charitatis tribuendum eſt Deo, quia charitas ipſa eſt à Deo.* Et inferiùs ſic ait: *Ut intelligamus non ſolùm perfectam charitatem eſſe donum Dei, ſed etiam imperfectam & ichoatam, &c.*

3. Pro hac charitate inchoata, & ejus ſupernaturalitate citat ibidem S. Auguſtinum, lib. 2. ad Boniſ. c. 9. ubi ait: *Nec initium ejus* (charitatis) *ex nobis, & perfectio ejus ex Deo, ſed ſi charitas ex Deo eſt, tota nobis ex Deo eſt.* Et lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. ubi dicit S. Doctor: *Et quis iſtam quamvis parvam dare cœperat charitatem, niſi qui præparat voluntatem?* Et cap. 18. ubi S. Doctor ait: *Sine ſuo fructu prorſùs admoneretur* (liberum arbitrium) *niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.*

4. De eàdem inchoata charitate, lib. 1. de juſtificatione, cap. 14. intelligit canonem ultimam Concilii Arauſicani II. quo dicitur: *Deus fidem & amorem ſui priùs inſpirat, ut ſacramenta baptiſmi fideliter requiramus, & poſt baptiſmum, quæ ipſi ſunt placita implere poſſimus.* Unde ad mentem hujus Synodi hæc paulò inferiùs ſubjicit: *Quos diligit* (Deus) *primùm vocat ad fidem; tum ſpem, & timorem, & dilectionem inchoatam inſpirat, poſtremò juſtificat, & perfectam charitatem infundit* (quacum tota lex impleri poteſt, & ſine qua, cum charitate ſcilicet inchoata tantùm, non poteſt. Nam ſic eadem Synodi verba intelligit, lib. 2. de pœnit. cap. 14. *Concilium,* inquit, *Arauſicanum apertè diſtinguit amorem illum imperfectum, quem habent homines ante remiſſionem peccatorum* (hoc eſt, qui non ſolùm natura, ſed etiam tempore peccatorum remiſſionem præcedit) *à vera charitate, per quam ſervantur omnia mandata, quæ cum reatu peccatorum mortalium eſſe non poteſt* (adeòque priùs tantùm natura exiſtit, quàm illa remittantur.)

5. De eadem inchoata charitate loco proximè citato intelligit Concilium Tridentinum, cùm ait ſeſſ. 6. cap. 6. *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt:* nam ſic loquitur: *Si autem per inchoatam dilectionem Dei, ut Concilium Tridentinum loquitur ſeſſ. 6. cap. 6. paulatim diſponuntur ad gratiam, &c.* Et inferiùs: *Pœnitentes dum diligere incipiunt, ſimul vivere incipiunt, perfectè victuri, quando perfectè diligent.* Et inferiùs: *Concilium Tridentinum clariſſimè diſtinguit* (ſeſſ. 6. cap. 6.) *imperfectum illum amorem* (quem habent homines ante remiſſionem peccatorum) *à charitate, quam cap. 7. dicit, cum remiſſione peccatorum ſimul infundi.*

6. Per eandem illam charitatem inchoatam diſponi peccatorem ad juſtificationem, docet lib. 6. de gr. & lib. arb. cap. 7. ubi ait: *Vides amorem Dei quendam imperfectum non eſſe ex natura, ſed à Deo inſpirari, & per eum perduci hominem ad juſtificationis gratiam, & perfectam charitatem, per quam omnia mandata ſervantur; quod idem expreſsè clariùs Tridentinum Concilium* (quàm concilium Arauſicanum can. ult.) *Nam ſeſſione ſexta capite ſexto dicit, hominem à Deo motum & excitatum, atque eodem Domino adjuvante, incipere diligere Deum, &c.* Et lib. 1. de juſtificatione, cap. 13. ubi ait: *Quarta diſpoſitio* (ad juſtificationem) *dilectio eſt: ſtatim enim ac incipit aliquis ſperare ab alio beneficium, incipit etiam eundem diligere ut benefactorem, atque authorem ejus boni, quod ſperat. Itaque qui ſperat à Deo juſtificationem, incipit eum diligere, ut Concilium Tridentinum loquitur, ut juſtitiæ fontem.*

Ex his porrò ſatis apparet, doctrinam noſtram de inchoata dilectione Dei propter ſe, & attritione, quæ ex tali dilectione concipitur, fundatiſſimam eſſe in Conciliis & Auguſtino.

Hic obiter obſerva, Bajum in prop. 31. 32. & 70. errasse, attribuendo charitati perſectæ, ſeu dilectioni Dei propter ſe ſuper omnia, quæ conveniunt charitati inchoatæ, ſeu charitatis initio, quo Deus propter ſe diligitur, ſed nondùm ſuper omnia: nam charitas inchoata nec ad ſervandam totam legem, nec ad juſtificationem peccatoris extra ſacramentum ſufficere poteſt: unde poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum, & cum reatu damnationis æternæ.

Imò verò, quod etiam hìc obſervatur non inutiliter, charitas inchoata poteſt non ſolùm eſſe cum ſtatu peccati, ſed etiam cum actuali peccato mortali, putà eo, quod committitur ex quadam animi perturbatione, & timore nimio. Patet ex Petro, qui verè Chriſtum etiam ut Deum diligebat propter ſe, eo ipſo tempore, quo eum exteriùs negabat. *Quia,* inquit Bellarminus lib. 2. de pœnit. cap. 14. *non peccavit Petrus ex odio Chriſti, ſed ex timore mortis ... ideo manſit dilectio, ſed non ſuper omnia: dilexit enim Petrus ſemper Chriſtum, ſed in illo timore* (quo perculſus eſt) *magis ſe, quàm Chriſtum dilexit.* Sic autem loquitur Bellarmin. poſt S. Leonem ſerm. 9. de paſſione Domini, ubi ſic alloquitur Petrum: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem adverſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit* (dilectionis) *affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis.* Hinc ad juſtificationem peccatoris etiam in ſacramento contenti non ſumus attritione concepta tantùm ex imperſecta illa dilectione, qua Deus diligitur propter ſe, ſed nondùm ſuper omnia.

§. III.

Ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ ſufficit attritio, qua peccator de paccatis ſuis dolet, eaque deteſtatur cum propoſito non peccandi de cætero, ſimul propter Deum dilectum propter ſe, quamvis nondùm ſuper omnia, & propter gehennam, quam timore appretiativè maximo & ordinato timet.

Prob. Nam 1. ad remiſſionem mortalium in ſa-

cramento Pœnitentiæ non requiritur contritio charitate perfecta, ut probatum eſt. Ergo ſufficit attritio illa, qua peccator dolet de peccato ut eſt offenſa Dei aliqualiter dilecti propter ſe, illudque pro motivo aliud deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt, cum propoſito voluntatem peccandi excludente pro omni ſcilicet caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum. Quid enim ampliùs requiras? Ergo, &c.

2. *Ad* remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ ſufficit contritio aliqua, quæ in nullo caſo, etiam extremæ neceſſitatis, ſufficiens eſt ſine ſacramento, ut ſuo loco demonſtratum eſt. Ergo ad remiſſionem mortalium in ſacramento Pœnitentiæ ſufficit attritio, de qua loquimur: nam ſi non ſufficit, vel quia non deteſtatur peccata ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ non ſunt peccatum; at hoc eſt falſum: vel quia non deteſtatur peccata ex motivo honeſto; at hoc eſt falſum: honeſtum enim eſt deteſtari peccata propter gehennam, cujus reatum inducunt: vel quia non excludit voluntatem omnem peccandi in poſterum; at hoc eſt falſum; cùm deteſtetur peccata ſuper omnia alia, &c. Vel quia nullo modo deteſtatur peccata propter Deum; at hoc eſt falſum; cùm deteſtetur peccata non ſolùm ut ſunt cauſa gehennæ, ſed etiam ut ſunt offenſa & mala Dei, quem pœnitens inchoatè diligit propter ſe.

Dices. Non ſufficit, quia non deteſtatur peccata propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum. At hæc ratio manifeſtè nulla eſt: quamvis enim attritio, de qua loquimur, non ſic deteſtetur peccata, alioquin non eſſet attritio, ſed contritio perfecta; tamen vel hoc non obſtat, quominùs ſufficiat in ſacramento ad remiſſionem mortalium, vel quòd ad remiſſionem mortalium in ſacramento ſufficiat contritio aliqua, quæ extra ſacramentum non ſufficit pro ullo caſu, verum non eſt; cùm omnis dolor de peccatis propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum, ad mortalium remiſſionem ſine ſacramento ſufficiat ſaltem in caſu neceſſitatis. Ad mortalium autem remiſſionem in ſacramento ſufficere contritionem aliquam, quæ in nullo planè caſu ſine ſacramento ſufficere poteſt, ex Celeſtino Papa, Auguſtino, Concilio Tridentino, & perpetuo univerſæ Eccleſiæ ſenſu probatum eſt articulo 8.

3. Denique, attritio ex metu gehennæ concepta, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, diſponit proximè ad impetrandam peccatorum veniam in ſacramento Pœnitentiæ, ut videtur definitum à Tridentino. Ergo vel ſic ſufficit, ut nihil ampliùs requiratur in linea contritionis: vel ſi in hac linea aliquid ampliùs requiritur, non poteſt eſſe niſi dolor propter Deum, inchoatè dilectum propter ſe: quid enim aliud eſſet; Dolor; inquis, propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum, ſaltem in gradu remiſſo? Sed contra eſt: quia hic dolor ad juſtificationem peccatoris ſufficit ſine ſacramento, ſaltem in caſu neceſſitatis: ergo non requiritur in ſacramento; cùm in eo ſufficere poſſit dolor, qui in nullo caſu ſine illo ſufficit, ut dictum eſt.

Porrò quod diximus de ſufficientia vel neceſſitate attritionis propter Deum inchoatè dilectum propter ſe, cum attritione concepta ex metu gehennæ, dictum intelligi volumus pro ſufficientia vel neceſſitate ejuſdem attritionis, non ſolùm cum attritione concepta ex conſideratione turpitudinis peccati, hoc eſt, propter malitiam peccati, non philoſophicam, ſed theologicam, quæ in peccati repugnantia cum lege divina conſiſtit; ſed etiam cum qualibet alia attritione ſupernaturali, qua pœnitens abſolutè & efficaciter deteſtatur peccatum ſecundùm rationem aliquam, diverſam à motivo charitatis, & communem omnibus peccatis, ſub qua ratione peccatum deteſtabilius eſt omni alio deteſtabili, quod non eſt peccatum, & cujus perpeſſio neceſſaria eſſe poteſt ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, ad vitandum peccatum.

Talis eſſet attritio, qua pœnitens abſolutè & efficaciter deteſtaretur peccatum, quia eſt contra jus Dei ut legiſlatoris, vel quia eſt contra reverentiam Deo ut ſuperiori debitam. Nam eadem eſt ratio pro omnibus attritionibus, quæ cum auxilio gratiæ concipiuntur propter rationem aliquam, diverſam à motivo charitatis, ſed peccatis omnibus communem, quam ſic amplectitur pœnitens, ut ejus attritio omnem peccandi voluntatem excludat.

Obj. Secundùm doctrinam hactenùs à nobis traditam, contingere poteſt, ut adultus aliquis poſt longam vitam ſalvetur, quamvis nunquam in toto vitæ decurſu Deum propter ſe ſuper omnia dilexerit, & ita quamvis in toto vitæ decurſu, primo & maximo legis mandato nunquam ſatisfecerit; quod probabis faciendo hanc hypotheſim. Catechumenus N. quamvis ætate provectus, nullum unquam actum perfectæ charitatis elicuit; inchoatè tamen diligit Deum propter ſe, & propter Deum ſic dilectum, ac ſimul propter gehennam, quam ſuper omnia alia mala, quæ peccatum non ſunt, deteſtatur, dolet de peccatis propria voluntate commiſſis. In articulo mortis baptizatur, & inſtanti baptiſmum proximè ſubſequenti moritur. Certè ſecundùm doctrinam noſtram, ſalvatur: nam moritur juſtificatus ſecundùm nos, & ſecundùm rei veritatem ſalvantur omnes ii, qui moriuntur juſtificati.

Reſp. Cùm adultus omnis ad actum charitatis perfectæ teneatur in articulo mortis, vel catechumenus in caſu propoſito conatur actum perfectæ charitatis elicere, vel non conatur. Si non conatur, niſi eum excuſet probabilis ignorantia juris, quæ ſupponi tamen non poteſt in catechumeno ſufficienter inſtructo, peccat mortaliter in ipſa ſuſceptione baptiſmi, & malè ſupponitur ex metu gehennæ conceptam habere attritionem, quæ omnem peccandi voluntatem excludat: quare non juſtificatur per baptiſmum, quem ſuſcipit, adeòque moritur in ſtatu peccati, & damnatur. Si verò conatur, vel reipſa elicit actum illum, vel non elicit. Si primum, non ſalvatur ſine actu, quo Deus ſuper omnia propter ſe diligitur. Si ſecundum, ita tamen ut bona fide exiſtimet ſe actum illum habere, excuſat eum probabilis ignorantia facti; unde cùm tunc præcepti charitatis tranſgreſſio ſit tantùm materialis, illum impedire non poteſt, quominùs regeneretur per baptiſmum, eoque ſuſcepto ſtatim moriens ſalvetur; nec tamen ſalvatur ſine aliquo Dei amore propter ſe, & habituali propenſione ad diligendum Deum propter ſe ſuper omnia, vi cujus propenſionis verè ac propriè dicitur & eſt amicus Dei.

At inquies. Quid ſi catechumenus ille non ſit in articulo mortis poſitus, & aliquandiu poſt ſuſceptum baptiſmum victurus ſit? *Reſp*. Cùm omnis adultus peccator, poſtquam per ſuſceptionem alicujus ſacramenti cum Deo reconciliatus eſt, teneatur ſine vituperabili mora Deum propter ſe ſuper omnia diligere, omniaque ſua & ſe ipſum referre ad finem ultimum, propter ſe ſuper omnia dilectum; vel catechumenus ille poſt ſuſceptum baptiſmum, in quo regeneratus eſt ſpiritualiter, ſine vituperabili mora elicit actum charitatis perfectæ, vel non elicit. Si elicit, non ſalvabitur ſine dilectione Dei propter ſe ſuper omnia. Si non elicit, ſed voluntariè omittit, peccat mortaliter contra præceptum charitatis, & ita gratiam regenerationis in baptiſmo acceptam amittit, atque in hoc ſtatu moriens damnatur.

Dixi autem, Et voluntariè omittit: nam catechumenus tam in ſecundo caſu, quàm in primo, à formali tranſgreſſione præcepti charitatis excuſaretur per probabilem ignorantiam juris vel facti. Ex dictis porrò apparet, quid reſponderemus in ſimilibus caſibus de baptizato peccatore pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiente, propoſitis. Secundùm doctrinam igitur à nobis traditam, ſecluſa probabili ignorantia juris & facti, unicus caſus eſt, in quo adultus peccator ſine

actu

Digitized by Google

actu charitatis perfectæ, quamvis non ſine aliquo charitatis initio, ſalvari poteſt; ſi nempe cum inchoata dilectione Dei propter ſe, & attritione ex metu gehennæ, aut alio ſimili motivo diverſo à motivo charitatis concepta, & omnem peccandi voluntatem excludente cum ſpe veniæ, extra mortis articulum baptizatus, vel abſolutus, non multò poſt improviſo aliquo eventu de medio tollatur ante gravem alicujus alterius præcepti tranſgreſſionem; quod non eſt inconveniens: nam adulto peccatori habenti copiam ſacramenti, baptiſmi ſcilicet, ſi nondùm eſt baptizatus; vel pœnitentiæ, ſi jam baptizatus eſt, actus charitatis neceſſarius non eſt ad ſalutem neceſſitate medii (quandoquidem illi ad hoc ut virtute ſacramenti juſtificetur, ſufficit inchoata dilectio Dei propter ſe, cum ſpe veniæ, & attritione excludente omnem peccandi voluntatem) ſed tantùm neceſſitate præcepti, quod non obligat pro ſemper, cùm ſit poſitivum, nec minùs propter probabilem ignorantiam juris vel facti, excuſationem admittit, quàm quælibet alia præcepta. Vide Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thomæ diſp. 15. ſect. 4. dob. 2.

Non ergo de medio tollimus obligationem vel neceſſitatem diligendi Deum propter ſe, ut calumnioſè clamitant rerum novarum ſtudioſi. Nam ſecundùm nos, 1. nullus adultus peccator juſtificari poteſt extra ſacramentum, ſine dilectione Dei propter ſe ſuper omnia. 2. Nequidem in ſacramento poteſt juſtificari ſine dilectione Dei propter ſe ſaltem inchoata. 3. Omnis adultus, poſtquam uſum rationis adeptus eſt, tenetur actum charitatis perfectæ ſine vituperabili mora elicere. Ratio eſt, quia tenetur ſine vituperabili mora convertere ſe ad finem ſuum ultimum, ad eumque omnia ſua & ſe ipſum referre, quod præſtare non poteſt ſine actu perfectæ charitatis. 4. Ad idem tenetur, quoties per ſuſceptionem ſacramenti juſtificatus eſt: nam ſi tenetur in principio vitæ moralis ſine vituperabili mora ſe ſuaque omnia ordinare ad finem ſuum ultimum propter ſe dilectum, à fortiori tenetur in principio vitæ ſpiritualis, quam vel per regenerationem ſpiritualem in baptiſmo, vel ſpiritualem ſuſcitationem in ſacramento pœnitentiæ accipit.

5. Similiter ad actum charitatis perfectæ tenetur adultus quilibet, ſive peccator, ſive juſtus, in articulo mortis: tunc enim maximè, vel nunquam, homo rationis compos, ad finem ſuum ultimum ſeſe perfectè actu convertere, & ſe ac ſua omnia ad eum ordinare debet. 6. Denique, ad eundem perfectæ charitatis actum identidem in vitæ decurſo exercendum tenetur adultus omnis, quia adultus omnis tenetur, identidem in vitæ decurſu ſe, & ſua omnia referre ad Deum, quod facere non poteſt ſine perfectæ charitatis actu, quo Deum, ſibi aliiſque rebus omnibus præferat, in eoque, ut fine ſuo ultimo propter ſe amato, quieſcat. Si quando autem contingit adultum peccatorem, qui nullum unquam perfectæ charitatis actum elicuit, in ſacramento juſtificari, & ante culpabilem præcepti charitatis vel alterius præcepti graviter obligantis tranſgreſſionem, poſt ſuſceptionem ſacramenti admiſſam, mori, adeòque ſalvari, & vitam æternam accipere titulo hæreditatis, hoc debet præſentibus Chriſti meritis, & virtuti ſacramenti, cui Chriſtus vim tribuit primam gratiam conferendi, proindeque peccatorem juſtificandi ſine actu charitatis perfectæ, quem ſi in peccatore prærequireret, nunquam conferret primam gratiam, ſed ſemper ſupponeret collatam.

§. IV.

Proponuntur objectiones contra attritionem ex metu gehennæ conceptam, & ſolvuntur.

OBj. 1. Attritio concepta ex metu gehennæ, nec excludit, nec poteſt excludere voluntatem peccandi. Ergo ad remiſſionem mortalium ſufficere non poteſt in ſacramento, etiam cum attritione illa, qua peccator dolet de peccatis propter Deum inchoatè dilectum propter ſe. *R.* neg. ant. Cùm enim Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 4. definit, attritionem ex metu gehennæ conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, manifeſtè ſupponit eam poſſe excludere, imò ſæpe excludere peccandi voluntatem; & verò re ipſa excludit, quoties concipitur ex metu gehennæ appretiativè maximo modò explicato, tunc enim propter gehennam vitandam concipitur ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem hujus motivi. Unde

1. Peccator, qui ſic atteritur, deteſtatur ſaltem virtualiter omnia mortalia, quia ad omnia mortalia motivum extenditur; cùm omnia mortalia inducant reatum gehennæ. 2. Deteſtatur omnia mortalia appretiativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ non ſunt peccatum, quia gehenna eſt malum malis omnibus aliis, quæ peccatum non ſunt, deteſtabilius, adeòque dignum, ut ipſum, & propter ipſum mortalia omnia deteſtemur appretiativè ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ non ſunt peccatum. 3. Et ita quia mortalium deteſtationi commenſuratur propoſitum vitandi mortalia, peccator ſic attritus non poteſt non habere propoſitum vitandi mortale quodlibet pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatum, quocum propoſito ſtare non poteſt voluntas peccandi pro ullo caſu poſſibili ſecundùm, &c.

Dices 1. Si attritio, concepta ex metu gehennæ, aliquando excludit voluntatem peccandi, maximè cùm is, qui atteritur, vult abſolutè & efficaciter vitare gehennam. Atqui hoc dici non poteſt: nam poteſt quis velle abſolutè & efficaciter finem, & tamen nondùm aſſumere media ad aſſequendum finem neceſſaria, & ita poteſt quis velle abſolutè & efficaciter vitare gehennam, & tamen nondùm omnem affectum ad peccatum deponere; quamvis hoc ſit ad vitandam gehennam neceſſarium. Ergo, &c.

R. neg. maj. Nam poteſt quis velle abſolutè & efficaciter vitare gehennam, & tamen nondùm atteri ex metu gehennæ, & à fortiori nondùm atteri quantùm oportet, ut attritio omnem peccandi voluntatem excludat. Itaque tunc tantùm attritio ex metu gehennæ concepta, excludit omnem peccandi voluntatem, cùm quis volens abſolutè & efficaciter gehennam vitare, de peccatis à ſe admiſſis re ipſa dolet ex metu gehennæ, & dolet ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem motivi, adeòque re ipſa abſolutè & efficaciter deteſtatur mortale quodlibet; ac proponit ab omni mortali abſtinere pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, &c.

Dices 2. Qui atteritur ex metu gehennæ, etiam ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem hujus motivi, habet formaliter, vel ſaltem virtualiter hunc actum: Vellem peccare, ſi nullum eſſet gehennæ periculum: nam re ipſa ita affectus eſt, ut ſi nullum eſſet gehennæ periculum, peccare vellet, & peccaret. Ergo nulla attritio ex metu gehennæ concepta, excludit omnem voluntatem peccandi.

R. neg. ant. & prob. ejus. Nam qui atteritur ex metu gehennæ appretiativè maximo & ordinato, adeòque ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem motivi, quod eſt gehenna ut vitanda, habet propoſitum abſolutum & efficax nunquam peccandi, ac proinde propoſitum planè incompoſſibile cum omni peccato actuali, qualis eſt omnis non ſolùm voluntas, ſed etiam velleitas peccandi, ſeu qualis eſt omnis non ſolùm voluntas abſoluta peccandi, ſed etiam voluntas peccandi conditionata ex parte objecti, quæ eſt re vera actualis affectus ad peccatum, ut committendum ſub aliqua conditione; adeòque ipſa actuale peccatum eſt. Hic autem actus, Vellem peccare, ſi nullum, &c. eſt peccandi voluntas non quidem abſoluta, ſed conditionata ex parte objecti; quod ſufficit, ut ſit peccatum actuale: unde neque formaliter, neque virtualiter eſt, aut eſſe poteſt in eo, qui atteritur ex metu gehennæ ſecundùm totam dignitatem, &c.

At inquies. Qui atteritur ex metu gehennæ etiam appretiativè maximo, non deteſtaretur peccatum, ſi nullum eſſet periculum gehennæ. Ergo habet ſaltem virtualiter hunc actum, vellem peccare, ſi nullum, &c. *R*. 1. Qui atteritur ex metu gehennæ, non quidem deteſtaretur peccatum propter gehennam, ſi nullum illius eſſet periculum; at poſſet illud deteſtari, & fortaſſe deteſtaretur etiam ſuper omnia propter aliud motivum, quod tunc menti ejus occurreret, & à quo, aſpirante Dei gratia efficaciter moveretur ad deteſtanda peccata. Quare ergo tam aſſeveranter dicitur, non eſſe deteſtaturus peccatum, ſi gehennæ nullum eſſet periculum.

R. 2. Eſto ant. nego conſeq. Nam ex antecedente ſequitur ad ſummum, quòd is, qui atteritur ex metu gehennæ, ita ſit habitualiter affectus, ut peccare vellet, ſi gehenna non eſſet metuenda: at non idcircò habet ſive formaliter ſive virtualiter hunc actum, Vellem peccare, ſi gehenna, &c. ſicut is qui conteritur propter Deum ſuper omnia propter ſe dilectum, quantùmvis ſupponatur ita affectus habitualiter, ut peccatum non deteſtaretur, ſi Deum non diligeret propter ſe ſuper omnia, propterea dici non poteſt habere ſive formaliter ſive virtualiter hunc actum, Vellem peccare, ſi non diligerem Deum ſuper omnia propter ſe; vel, ſi Deus non eſſet propter ſe ſuper omnia diligendus: ſicut etiam is, qui ita habitualiter affectus eſt, ut peccare vellet, ſi eſſet in tali occaſione peccandi, propterea dici non poteſt, habere vel formaliter vel virtualiter hunc actum, Peccare vellem, ſi eſſem in tali occaſione peccandi.

Ratio horum omnium eſt, quia quod non eſt in re, ſed ſolùm eſſet, ſi poneretur aliqua conditio, nullo pacto dici poteſt eſſe in affectu agentis, cùm agens de conditione illa non cogitat, aut ſi de ea cogitat, apud ſe non ſtatuit, quid ea ſubſiſtente vellet vel non vellet, faceret vel non faceret. Jam verò qui ex inſtinctu Spiritus ſancti atteritur ex metu gehennæ appretiativè maximo, verè ac ſincerè propter gehennam de peccatis à ſe admiſſis dolet, eaque deteſtatur ſuper omnia alia deteſtabilia, quæ peccatum non ſunt, cum propoſito nunquam peccandi de cætero, non excludendo alia motiva peccatis omnibus communia, propter quæ peccata ſua deteſtari poſſet, & omnem peccandi affectum deponere & excludere, nec cogitando de hypotheſi, in qua gehenna metuenda non eſſet, ac proinde nec apud ſe ſtatuendo quid in illa vellet aut non vellet, faceret aut non faceret: unde propter gehennam quam timet, abjicit omnem voluntatem peccandi; quamvis fortè vellet peccare, & peccaret, ſi gehenna non eſſet metuenda. Prodeſt autem ei apud Deum voluntas peccandi, quàm habet, nec obeſt ei peccandi voluntas, quam haberet: Deus enim non imputat malum, quod non eſt, etſi eſſet; & è contra computat bonum, quod eſt, etſi non eſſet, poſita aliqua conditione.

Dices 3. Si quis habuiſſet hunc actum, Mallem peccare mortaliter, quam ſubire gehennam, certè peccaſſet mortaliter; nec poſtea de hoc peccato dolere, illudque retractare poſſe per attritionem ex metu gehennæ conceptam etiam cum appretiatione maxima. Ergo attritio ex metu gehennæ concepta, etiam appretiativè maxima, non opponitur omni peccato mortali, nec proinde omnem peccandi voluntatem poteſt excludere. *R*. neg. ſecundam partem ant. Talis enim doleret de omni peccato à ſe admiſſo, quòd eſſet cauſa gehennæ; & omne peccatum à ſe admiſſum, quod eſſet cauſa gehennæ; retractaret per attritionem ſuam, quæ eſſet appretiativè maxima, & per quam proinde in gehennam ut vitandam ferretur ſecundùm totam dignitatem & amplitudinem illius in ratione talis motivi: doleret igitur etiam de actu illo, quo maluiſſet peccare mortaliter, quàm ſubire gehennam, illumque verè deteſtaretur, ac retractaret, utpote ad vitandam gehennam inutilem, ſed contra reatum illius inducentem.

Porrò ad hoc ut actum illum etiam formaliter & expreſsè retractaret, non eſſet neceſſe, ut diceret: Mallem ſubire gehennam, quàm peccare mortaliter; ſed eſſet ſatis, ſi diceret: Pœnitet me, quòd habuerim voluntatem potiùs peccandi mortaliter, quàm ſubeundi gehennam; vellemque non habuiſſe talem voluntatem, cùm ad vitandam gehennam mihi prodeſſe non potuerit, ſed è contra propter illam gehennæ reatum incurrerim. Quia autem neceſſe non eſſet, ut actum illum retractaret formaliter & expreſsè, ſed ſufficeret, ſi retractaret virtualiter implicitè, neceſſe non eſſet, ut expreſsè diceret: Pœnitet me, &c. ſed ſufficeret, ſi diceret virtualiter, quod faceret hoc ipſo, quòd propter gehennam cum appretiatione maxima deteſtatam, abſolutè & efficaciter deteſtaretur omnia mortalia à ſe admiſſa, & proponeret non peccare de cætero.

Dices 4. Qui atteritur ex metu gehennæ, vult abſolutè & efficaciter vitare gehennam. Ergo vi attritionis ſuæ non eſt paratus potiùs pati gehennam, quàm peccare mortaliter. Ergo attritio ex metu gehennæ concepta non excludit omnem peccandi voluntatem. *R*. diſt. 2. conſ. Contritio concepta ex metu gehennæ, non excludit omnem voluntatem peccandi pro quocumque caſu poſſibili ex conſcientia erronea, vel de potentia extraordinaria, C. conſeq. nam fieri poteſt ex conſcientia erronea, vel potentia abſolutâ, ut electio gehennæ ſit medium neceſſarium ad vitandum peccatum, pro quo caſu attritio, quæ ex metu gehennæ concipitur, peccandi voluntatem excludere non poteſt: homo enim ad hoc ut gehennam ſubire malit, quàm peccare, diſponi non poteſt per actum, quo peccatum deteſtatur præciſè, ut vitet gehennam, quàm abſolutè & efficaciter vult vitare. Attritio concepta ex metu gehennæ, non excludit omnem voluntatem peccandi, pro omni caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, N. conſeq. nam pro nullo caſu ſecundùm rei veritatem, &c. ad non peccandum neceſſaria eſſe poteſt gehennæ electio; ſed è contra in omni caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, &c. non peccare neceſſarium eſt ad vitandam gehennam.

Porrò ad hoc ut attritio omnem peccandi voluntatem excludat, quantùm requirit Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 4. atque ita prodeſſe poſſit ad remiſſionem mortalium in ſacramento, ſatis eſt, ſi omnem peccandi voluntatem excludat pro quocumque caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, & circa caſus alios merè præciſivè ſeſe habeat attritus, nihil circa illos apud ſe ſtatuendo; quod etiam ſufficit in contritione perfecta, ut proſit ſive in ſacramento, ſive etiam extra ſacramentum.

Nota, Vera charitas, quam Scripturæ commendant, & quæ in viatoribus requiritur, ac ſufficit, ut ſint grati Deo, amici ejus, ejus filii adoptivi, & hæredes vitæ æternæ; eſt actus, quo Deus propter ſe diligitur ſuper omnia bona, quorum amiſſio, & ſuper carentiam omnium malorum, quorum perpeſſio ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum neceſſaria eſſe poteſt ad vitandam Dei offenſam: ita ut qui ſic Deum diligit, ſe malit carere quolibet bono, quo frui poſſumus in hac vita, & perpeti malum quodlibet, quod in hac vita tolerari poteſt, quàm Deum offendere, eique diſplicere ſaltem graviter. Hic

Ad contritionem charitate perfectam requiritur & ſufficit, ut pœnitens doleat de peccatis ſuis, eaque deteſtetur ut ſunt offenſa Dei, quem propter ſe diligit, ita ut paratus ſit potiùs carere omni bono, quo in hac vita frui poſſumus, & pati omne malum, quod poteſt in hac vita tolerari, quàm mortalia à ſe admiſſa iterùm admittere, aut alia quælibet perpetrare; ſicque propter Deum, quem propter ſe diligit, omnem peccandi voluntatem abjiciat pro omni caſu poſſibili ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum. Quare neceſſe non eſt, ut pœnitens vi contritionis ſuæ mallet ſubire gehennam, quàm peccare, eo caſu quoad vitandum peccatum gehennam eligere neceſ-

ſarium

ſatium foret : quia talis caſus ſecundùm rei veritatem, & ordinem rerum à Deo ſtatutum, nunquam poteſt contingere : quod ſi poteſt contingere ex ſuppoſitione conſcientiæ erroneæ, vel de potentia extraordinaria, ſatis eſt, ſi pœnitens circa caſum illum hoc alterutro modo poſſibilem habeat ſe merè præciſivè.

Dices 5. Qui atteritur ex metu gehennæ, paratus eſt ad peccandum pro eo caſu, quo ex conſcientia erronea judicaret vel peccandum eſſe, vel ſubeundam gehennam. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. tam enim appretiativè deteſtatur peccatum, quàm gehennam : unde pro illo caſu non eſt magis paratus ad peccandum, ut vitet gehennam, quàm ad eligendam gehennam, ut vitet peccatum : neutrum igitur eligeret vi actus quem habet, ſed eo depoſito, per alium ſeſe ad alterutrum aſſumendum determinaret ; circa quem eventum ſatis eſt, ſi ſe merè præciſivè habeat, ut re vera ſe habet ; cùm de eo non cogitet, adeòque circa eum nihil apud ſe ſtatuat ; nec actualem affectum aliquem habeat, vi cujus in unam partem magis propendeat, quàm in alteram.

Obj. 2. Qui facit, vel omittit aliquid ex metu pœnæ, quam efficaciter vult vitare, voluntariè invitus eſt, & retinet affectum ad oppoſitum. Ergo qui atteritur ex metu gehennæ, quantùmvis efficaciter velit eam vitare, voluntariè invitus eſt, & retinet affectum ad peccatum. *Reſp.* diſt. ant. Qui facit vel omittit, &c. voluntariè invitus eſt, &c. ſi ad vitandam pœnam quam timet, & quam efficaciter vult vitare, neceſſaria non eſt depoſitio omnis affectus ad oppoſitum, C. ant. Hinc quia pœnæ, quæ facientibus vel omittentibus aliquod opus externum, infliguntur ab hominibus, vitari poſſunt, retento affectu ad oppoſitum ; qui facit, aut omittit aliquid ex metu ejuſmodi pœnarum, quas vitare vult efficaciter, voluntariè invitus eſt, & affectum ad oppoſitum retinet. Si ad vitandam pœnam, quam timet, & quam efficaciter vult vitare neceſſaria eſt depoſitio omnis affectus ad oppoſitum, N. ant. & conſeq. omnem enim affectum ad peccatum deponi neceſſe eſt ad vitandam gehennam.

Itaque qui efficaciter vult vitare gehennam quam timet, & quia efficaciter vult, hìc & nunc de peccatis à ſe admiſſis dolet, eaque deteſtatur, ac proponit non peccare de cætero ; omnem peccandi voluntatem hìc & nunc deponit, atque ita nullum prorſus ad peccata à ſe admiſſa, aut alia quælibet retinet affectum, vi cujus voluntariè invitus, & inviiè attritus dici poſſit : ſi enim hìc & nunc non deponeret omnem peccandi voluntatem, hoc ipſo convinceretur non atteri ex efficaci voluntate vitandi gehennam, quod eſt contra ſuppoſitionem.

Dices. S. Auguſtinus pluribus locis diſertè docet, voluntatem peccandi excludi non poſſe per timorem gehennæ, & eum qui timorem habet gehennæ, tandiu retinere voluntatem peccandi, quandiu non habet amorem juſtitiæ. Sit unus locus pro omnibus. Epiſt. 144. ad Anaſtaſium ſic loquitur Sanct. Doctor : *Inaniter putat ſe victorem peccati, qui pœnæ timore non peccat : quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur, ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideò non facit, quia impunè non poteſt fieri .... Inimicus juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat : amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet : tunc enim verè timebit peccare : nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennam odit. Ipſe eſt timor Domini caſtus, permanens uſque in ſeculum ſeculi .... Tantùm porrò quiſque peccatum odit, quantùm juſtitiam diligit ; quod non poterit lege terrente per litteram, ſed Spiritu ſanante per gratiam.*

Reſp. Sanct. Auguſtinum perperam nobis opponi ; nam hoc loco, & aliis ſimilibus, quæ ab adverſariis allegantur, non loquitur de iis, qui ex ſolo metu gehennæ atteruntur eo modo, quem Tridentinum intelligit ſeſſ. 14. cap. 4. hoc eſt, de iis, qui cum adjutorio interioris gratiæ, eos excitantis & corroborantis, metuentes gehennam ſuper omnia alia mala, quæ peccatum non ſunt, ex abſoluta & efficaci voluntate eam vitandi, dolent de peccatis ſuis, illaque ſuper omnia deteſtantur, ac ſimul efficaciter proponunt nunquam peccare de cætero ; quod propoſitum eſt evidenter incompoſſibile cum omni affectu actuali ad peccatum : unde qui ſic propter ſolam gehennam atteruntur, nullam prorſus peccandi voluntatem retinent, aut etiam retinere poſſunt cum attritione ſua.

Loquitur ergo Sanct. Doctor de iis tantùm, qui opus præceptum faciunt, vel prohibitum omittunt ex ſolo metu gehennæ, in quibus ait regulariter manere voluntatem peccandi, quandiu non amant juſtitiam ; quia quandiu juſtitiam non amant, regulariter opus præceptum faciunt, vel prohibitum omittunt inviti, & cum affectu ad oppoſitum : regulariter enim ii, qui aguntur ſolo metu gehennæ, dum legem exteriùs implent, faciendo opus præceptum, vel prohibitum omittendo, interiùs legi præcipienti vel prohibenti, quam non amant, voluntariè reluctantur, & vellent, eam non eſſe. At tales gehennam, quam timent, vitare non volunt niſi diminutè, & quantùm ſufficit ad externam legis impletionem : quòd ſi vellent plenè & efficaciter, ut velle poſſent cum interioris gratiæ eos corroborantis & adjuvantis auxilio, legi ſe non ſolùm exteriùs, ſed etiam interiùs & ex animo ſubmitterent ; & ita depoſito omni libero ad peccatum affectu, legem implerent lubentes, vel certè cum involuntaria tantùm circa legem diſplicentia, quæ peccatum non eſt, & quam etiam compatitur amor juſtitiæ.

At inquies. Juxta S. Doctorem, tantùm quiſque peccatum odit, quantùm juſtitiam diligit. Ergo nemo peccatum odit, niſi juſtitiam diligat. *R.* S. Auguſtinum loqui tolùm de eo, quod regulariter fit : poteſt enim quis peccatum etiam odiſſe propter gehennam, quam timet : nam ſicut gehenna verè odibilis eſt propter ſe, ita & peccatum verè odibile eſt propter gehennam, cujus reatum inducit ; & verò identidem ſub hac præcisè ratione odio habetur ab iis, qui juſtitiam diligunt ; quidni & poſſet etiam ab iis qui nondùm diligunt juſtitiam, ſub hac præcisè ratione odio haberi ?

Præterea, quòd homo nondùm diligens juſtitiam, verè peccatum odiſſe, omnem peccandi voluntatem abjicere, & legem ſine pravo ad oppoſitum affectu implere poſſit ex ſolo metu gehennæ, ſatis apertè docet S. Auguſtinus, ſerm. 13. de verbis Apoſtoli, ubi ait : *Timor eſt ſervus charitatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ.* Poteſt igitur, juxta S. Doctorem, timor pœnæ expellere diabolum è corde hominis nondùm juſtitiam diligentis. At quomodo ? Certè movendo efficaciter hominem ad odium peccati. Item juxta S. Doctorem, poteſt homo, nondùm juſtitiam diligens, opus præceptum rectè facere, adeòque ſine pravo ad oppoſitum affectu, legi ſatisfacere ex ſolo metu pœnæ ; cùm ad ſic faciendum opus præceptum, hominem qui nondùm juſtitiam diligit, S. Doctor adhortetur.

Digitized by Google

DISPUTATIO VI.

De Confeſſione.

ARTICULUS I.

De Erroribus circa Confeſſionem.

„ PRimi, inquit Bellarminus lib. 3. de pœnit. c. 1. „ qui confeſſionem ſuſtulerunt, veteres illi hæ„ retici cenſendi ſunt, qui poteſtatem abſolvendi ſu„ ſtulerunt, Montaniſtæ videlicet, & Novatiani.... „ neque enim ulla neceſſitas confeſſionis eſt, ſi nul„ la ſequitur abſolutio. " Bellarminum Recentior quidam corrigere aggreditur, & aſſerit ex ipſo Bellarmini argumento contrarium evinci; confeſſionem ſcilicet ab hæreticis illis ſublatam non fuiſſe. 1. Quia Montaniſtæ & Novatiani docuerunt non omnia peccata eſſe irremiſſibilia, ſed aliqua etiam mortalia per claves Eccleſiæ remitti poſſe. 2. Apud montaniſtas & Novatianos, lapſis in peccata, quæ apud eos dicebantur irremiſſibilia, pœnitentiam publicam imponebant Epiſcopi, licèt ea peracta, nunquam impenderent abſolutionem. Pœnitentiam autem illam Epiſcopi non imponebant lapſis, niſi priùs peccata irremiſſibilia confeſſis.

Ad hanc Recentioris cenſuram, qua ſaltem ex parte petitur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. ubi ait: *Novatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit, atque condemnavit*; R. 1. pro Bellarmino, illum aſſerere tantùm, quòd Montaniſtæ & Novatiani ſuſtulerint neceſſitatem confeſſionis, quod veriſſimum eſt, ſuppoſito quòd hæretici illi omnem ſuſtulerint poteſtatem remittendi peccata per ſacramentum pœnitentiæ. Pro quo,

R. 2. Novatianos omnem abſtuliſſe poteſtatem remittendi peccata per ſacramentum pœnitentiæ. Quod probatur teſtimonio veterum, Philaſtrii ſcilicet lib. de hæt. num. 34. ubi de Novatianis ait, quòd vanam doctrinam conati ſint ſeminare, dicentes, *non eſſe fideli poſt baptiſmum locum aliquem pœnitentiæ*. Paciani, epiſt. 3. ad Sympronianum Novatianum, ubi eum ſic objicientem inducit. *Sed pœnitenti, inquiet, peccata dimittis; cùm tantum in baptiſmate tibi liceat relaxare peccatum*. Auguſtini, lib. de hær. num. 38. *Cathari*, inquit, *qui ſe ipſos iſto nomine quaſi propter munditiam ſuperbiſſimè atque odioſiſſimè nominant ... pœnitentiam denegant*. Theodoreti lib. 3. hær. fab. in Novato. *Ejus*, inquit, *ſucceſſores :.. pœnitentiam à ſuo conventu arcent penitùs*.. Et Sozomeni lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 16. ubi ait, Novatianos nullam rationem habere pœnitentiæ.

At inquiet. Quòd Novatiani abſtulerint tantùm poteſtatem abſolvendi à gravioribus peccatis, diſertè teſtatur S. Ambroſius, lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Sed ajunt*, inquit, *ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem author veſtri erroris Novatianus ait, qui nemini pœnitentiam dandam putavit .... In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda à vobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini .... ita nec Novatianus probatur, qui veniam interclufit omnibus; nec vos ejus diſcipuli, imitatores ejuſdem & condemnatores, qui ibi minuitis ſtudiis pœnitentiæ, ubi augeri oportet*.

R. Ex hoc textu haberi tantùm, quòd ex Novatianis aliqui tempore Ambroſii, quod obſervat Bellarminus, lib. 1. de pœnit. cap. 9. aliquid remitterent de rigore authoris ſui. Dico, aliquid: nam alii ejuſdem ſectæ homines, & quidem, ut ex allatis modò teſtimoniis facilè intelligitur, numero longè plures, totum Novatiani rigorem eodem illo tempore retinebant, & omnem à quibuſcumque peccatis fideles abſolvendi poteſtatem negabant, contra quos diſputat idem Ambroſius eodem lib. 1. de pœnit cap. 5. ubi ſic eos urget: *Cùm fructum omnem auferitis pœnitentiæ, quid aliud dicitis, niſi hoc? Nemo de vulneratis noſtrum ingrediatur hoſpitium, nemo ſanetur in noſtra Eccleſia: apud nos non curantur ægroti, ſani ſumus, medicum non habemus neceſſarium, &c.*

Et cap. 6. ubi ſic loquitur: *Tu* (Chriſte) *dicis Petro excuſanti, ne ei pedes lavares: niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo iſti poſſunt conſortium tecum habere, qui claves regni non ſuſcipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? .... Etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cùm Petro dictum ſit: Tibi dabo claves regni cœlorum, &c.*

Et cap. 7. *Cur baptizatis*, inquit, *ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum ſacerdotes vindicent? Unum in utroque miniſterium eſt.*

Præterea, etiamſi contra teſtimonia ſuperiùs allegata concederemus Novatianos omnes tempore Ambroſii ſolùm negaſſe poteſtatem abſolvendi baptizatos à gravioribus criminibus, concilio Tridentino & & Bellarmino ſufficeret, quòd antiquiores Novatiani cum authore ſuo, nulla minorum mortalium à majoribus diſtinctione facta, poteſtatem remittendi peccata baptizatorum à Chriſto Eccleſiæ datam eſſe negaverint. Diſertis autem verbis Ambroſius hunc errorem attribuit Novatiano, à quo diſcipulos ejus in re tanti momenti ſtatim diſſenſiſſe, veriſimile non eſt, & contrarium evincunt teſtimonia Philaſtrii, Paciani, &c.

Quantùm attinet ad Montaniſtas, manifeſtum eſt ex Tertulliano, lib. de pudicitia, cap. 2. quòd diſtinxerint peccata in remiſſibilia & irremiſſibilia, hoc eſt, in ea quæ ab Eccleſia remitti poterant, & ea quorum remiſſionem à ſolo Deo expectandam eſſe ſentiebant. At ſimul volebant, omnia penè peccata gravia eſſe irremiſſibilia, ut teſtatur S. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam adverſùs Montanum, ubi de Montaniſtis ſic ait: *Illi ad omne penè delictum Eccleſiæ obſerant fores: nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem*: unde ſequitur Montaniſtas, ſi non omninò, ſaltem maxima ex parte neceſſitatem confeſſionis ſuſtuliſſe: quin imò illos ipſum confeſſionis uſum abrogaſſe, ſatis apertè dicit idem Hieronymus eodem loco paulò inferiùs, ubi ſic proſequitur: *Rigidi autem ſunt, non quo & ipſi pejora non peccent: ſed hoc inter nos & illos intereſt, quod illi erubeſcunt confiteri peccata, quaſi juſti; nos dum pœnitentiam agimus* (adeòque & peccata noſtra confitemur) *faciliùs veniam promeremur*. Perperam igitur citatus Recentior, eruditionis oſtentandæ gratia, negotium Bellarmino faceſſit.

Apud Audianos, quorum hæreſis ſæculo quarto exorta eſt, exigebatur quidem confeſſio, ſed nec ſincera & integra exigebatur, nec confeſſis imponebatur aliqua ſatisfactio, ut refert Theodoretus, lib. 4. hær. fabularum. *Jubent*, inquit, *unumquemque ... quæ à ſe peccata ſunt confiteri. Deinde confeſſis donant remiſſionem, non tempus ad pœnitentiam, ut jubent leges Eccleſiæ, præſcribentes, ſed ſua poteſtate condonantes. Scientes autem* (qui jubentur confiteri peccata ſua) *id quod agitur, ludum eſſe, vera quidem peccata celant, quædam autem parva, & ridicula dicunt, quæ etiam dicere vereretur aliquis, niſi eadem, quâ ipſi, amentia laboraret.*

Sæculo decimo quarto confeſſionem inſectatus eſt Joannes Vvicleffus, cujus in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 15. recitatæ ſunt hæ propoſitiones: *Confeſſio vocalis facta ſacerdoti, introducta per Innocentium, non eſt tam neceſſaria homini, ut diffinit, &c. Grave eſt & infundabile presbyterum audire confeſſionem populi, modo quo Latini utuntur. Introduxit* (diabolus) *confeſſionem privatam & infundabilem*. Ex quibus apparet à Vvicleffo, quem ſecutus eſt Joannes Huſſ, confeſſionem auricularem peccatorum in ſpecie reprobatam fuiſſe, ut inventum humanum, imò & diabolicum.

Sæcu-

Sæculo decimo-ſexto Eraſmus in annotationibus ad epiſt. S. Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & aliis in locis docuit, ſecretam peccatorum confeſſionem nec à Chriſto inſtitutam eſſe, nec fuiſſe uſitatam in veteri Eccleſia, in qua publicam tantùm ob publica crimina peractam fuiſſe contendit. Eraſmo conſenſit Rhenanus in annotationibus ad lib. Tertulliani de pœnitentia, ubi ait, confeſſioni publicæ ſecretam ſingulorum peccatorum confeſſionem, quæ ſacerdoti fit cum maximo pœnitentium fructu, ſucceſſiſſe: unde ſequitur confeſſionem ſecretam nec fuiſſe ſemper in uſu, nec eſſe inſtitutam jure divino.

Eodem ſæculo Lutherus in libro de captivit. Babylon. cap. de pœnitentia, aſſerit quidem confeſſionem ſecretam utilem eſſe, vel potiùs neceſſariam: ſed addit, 1. quòd probari non poſſit ea Scriptura. 2. Quòd neceſſarium non ſit omnia confiteri ſacerdotibus; nam v. g. ſi quis coram fratre, quem læſit, culpam ſuam agnoſcat, & veniam petat, juxta Lutherum, non tenetur peccatum illud confiteri ſacerdoti. 3. Quòd omnes peccatorum circumſtantias conſultum ſit prætermittere.

Articulo, inter eos quos Leo X. damnavit, octavo, ſic loquitur: *Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia; quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas. Unde in primitiva Eccleſia ſolùm manifeſta mortalia confitebantur.* Quibus verbis docet, 1. peccata venialia non eſſe confitenda. 2. Nec confitenda eſſe omnia mortalia, ſed ea tantùm, quæ talia eſſe evidenter cognoſcuntur: unde ſequitur, juxta Lutherum, peccata dubia confitenda non eſſe.

Articulo nono ſic ait: *Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quòd miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.* Quibus verbis apertè ſignificat, nequidem neceſſarium eſſe, ut pœnitens omnia, quorum ſibi conſcius eſt, mortalia confiteatur. Quam doctrinam Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. damnat his verbis: *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt: qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponunt: ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

At inquies. Lutherus in brevi quem edidit Catechiſmo, docuit, teneri unumquemque peccata etiam occulta confiteri non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram ejus miniſtro.

Reſp. At non docuit, teneri unumquemque occulta omnia, quorum ſibi conſcius eſt, confiteri. Prætereà, in articulis ſmalchaldicis, editis an. 1537. in Articulo de confeſſione ait, peccatorum enumerationem liberam eſſe debere, ut quiſque illa, quæ voluerit, enumeret. Lutherus igitur aliquot tantùm occultorum peccatorum declarationem exegit, in quo non ei conſentiunt diſcipuli ejus Kemnitius, Brentius, & alii, qui confeſſione generali contenti ſunt.

Calvinus denique lib. 3. inſtit. cap. 4. §. 7. de confeſſione, ſic loquitur: *Mirer qua fronte auſint contendere, confeſſionem, de qua loquuntur, juris eſſe divini: cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum fatemur; ſed quem facilè evincere poſſumus olim fuiſſe liberum.* Et §. 19. *Nihil mirum, ſi auricularem iſtam confeſſionem, rem adeò peſtilentem, totque nominibus Eccleſiæ noxiam damnamus, ac ſublatam è medio cupimus.* Attamen §. 12. illam admittit pro eo caſu, quo quis *ita privatim angitur & afflictatur peccatorum ſenſu, ut ſe explicare niſi alieno adjutorio nequeat*: modò tamen adhibeatur ea moderatio, *ut non ab omnibus exigatur, ſed iis tantùm commendetur, qui ea ſe opus habere intelligent*, & ut *ne hi ipſi, qui illa utuntur pro ſua neceſſitate, ad enumeranda omnia peccata, vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur: ſed quoad intereſſe ſua putabunt, ut ſolidum conſolationis fructum referant.*

Quæres. Utrùm Vualdenſes confeſſionem auricularem rejecerint?

Reſp. Non rejeciſſe, ut probatur ex Reinero, qui in libro adversùs illos conſcripto, eorum circa ſacramentum Pœnitentiæ errores enumerat his verbis: *De ſacramento Pœnitentiæ dicunt, quòd nullus poſſit abſolvi à malo ſacerdote. Item quod bonus laicus poteſtatem habeat abſolvendi. Item quòd ipſi per manus impoſitionem peccata dimittant, & dent Spiritum S. Item quòd confitendum ſit potiùs bono laico, quàm malo ſacerdoti. Item quòd non gravis pœnitentia ſit imponenda .... Item publicas pœnitentias, ut catenas, reprobant, maximè in fœminis. Item quòd generalis confeſſio non ſit ſingulis annis facienda.* Notandum tamen eſt, Vualdenſium reliquias tandem aliquando poſt exortam Calviniſtarum hæreſim confeſſionem auricularem repudiaſſe; & anno 1536. opera Farelli apud Genevenſes pſeudo miniſtri, Calviniana omnia dogmata amplexos eſſe, poſtquam anno 1530. Bucero & Oecolampadio, à quibus ſollicitabantur, ſtrenuè reſtiterant.

ARTICULUS II.

Utrùm in Eccleſia veteri confeſſio auricularis fuerit in uſu.

Responſio.

Confeſſio auricularis fuit in uſu in veteri Eccleſia.

Prob. Et 1. quidem, pro tertio ſæculo teſtem habemus Origenem hom. 2. in Pſalm. 37. *Vide ergo*, inquit, *quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare interinſecus. Fortaſſis enim ſicut ii, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis graviter & moleſte imminentia, ſi vomuerint, relevantur: etiam hi qui peccaverunt, ſiquidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs medicum, cui debeas cauſam langueris exponere; qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam: ut ita demùm, ſi quid ille dixerit ..... ſi quid conſilii dederit, facias, & ſequaris, ſi intellexerit, & præviderit, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medico illius conſilio procurandum eſt.*

Ex hoc loco apertiſſimè colligimus, tempore Origenis occultorum peccatorum confeſſionem privatim factam fuiſſe ſacerdotibus, & à pœnitentibus non ex neceſſitate, ſed ex devotione ea tantùm ex peccatis privatim confeſſis, publicè declarata fuiſſe, quæ ſacerdos, excepta pœnitentium confeſſione privata, publicè declarari judicabat expedire ad majorem pœnitentium utilitatem, & reliquorum fidelium ædificationem.

Origeni adjungimus Cyprianum Martyrem in ſerm. de lapſis, in quo ſic loquitur: *Quantò & fide majore & timore meliore ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur.* Ecce, Cypriano teſte, non deerant, qui quamvis ſola cogitatione idololatriam commiſiſſent, vel Chri-

ſtum

Digitized by Google

ſtum abnegaſſent, nihilominùs peccatum ſuum dolenter & ſimpliciter confitebantur ſacerdotibus, ſcientes, aliter ſe Deum, quem nil occultum latere poteſt, quemque graviter offenderant, placare, eique reconciliari non poſſe. Hæc autem confeſſio peccati purè interni non fuit publica, ſed privata & ſecreta confeſſio: nunquam enim occultorum criminum confeſſio publica ad peccatoris cum Deo reconciliationem neceſſaria fuit; neque unquam occultorum criminum reos ad publicam confeſſionem obligavit, aut etiam obligare potuit Eccleſia.

Pro quarto ſæculo plurimos teſtes habemus, quorum duo vel tres nobis hîc ſufficient. Primus eſt S. Athanaſius, qui ſerm. in illud: *Profecti in pagum, qui ex adverſo eſt, invenietis pullum alligatum, &c.* ſic ait: *Nos ipſos examinemus, num ſoluta ſunt noſtra vincula, ut in melius proficiamus. Quod ſi nondum ſoluta ſint vincula, tradas teipſum diſcipulis Jeſu: adſunt enim qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam à Salvatore acceperunt. Quæcumque enim ligaveritis, inquit, in terra, erunt, &c.* Quibus verbis Athanaſius adhortatur ad confeſſionem peccatorum, non publicam, ſed privatam: non enim adhortatur ad confitendum in theatro, vel coram plebe, ſed ſacerdotibus, qui pœnitentes ſibi confeſſos abſolvendi poteſtatem acceperunt à Chriſto.

Secundus eſt Paulinus in vita S. Ambroſii, ubi de illo hoc narrat: *Quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet; ita flebat, ut illum flere compelleret; videbatur ſibi etiam cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Solebat igitur Ambroſius privatim excipere confeſſiones ſubditorum ſuorum, nec eos ad crimina, quæ confeſſi erant, utpotè occulta, publicè prodenda adigebat.

Tertius eſt S. Hieronymus in commentar. cap. 10. Eccleſiaſtis, in quo ſic loquitur: *Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit: ſi tacuerit qui percuſſus eſt, ſi non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri, & magiſtro voluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* Quibus verbis eleganter commendat S. Doctor occultorum criminum confeſſionem ſecretam, ut medium ad ſpiritualem, quæ per mortale peccatum amiſſa eſt, animæ ſanitatem reparandam neceſſarium; quod medium aliquando in Eccleſia neglectum eſſe, impunè dici non poteſt.

Pro ſæculo quinto afferimus 1. S. Chryſoſtomum homil. 30. in cap. 10. Geneſ. *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maximè & jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum confeſſio.* Teſte igitur Chryſoſtomo, tenebantur fideles tempore Paſchalis diligentem ac puram peccatorum confeſſionem facere, hoc eſt, omnia & ſingula mortalia, quorum ſibi poſt diligens examen conſcii erant, confiteri, non publicè, non enim fideles adhortatur ad publicam confeſſionem, quam è contra dehortatur pluribus locis; ſed privatim ſacerdoti, qui poteſtatem haberet abſolvendi.

Homil. 33. in Joan. dilertis verbis hortatur ad confeſſionem occultorum mortalium: *In peccatis, quæ commiſimus, confitendis, neminem vereamur; Deum dumtaxat, ut decet, formidemus, qui & nunc opera noſtra* (quantumlibet occulta) *videt, & tunc quos in præſentia non pœnitet, damnabit ..... Vos hortor, dilectiſſimi, ut etſi nemo opera noſtra videat, ſinguli ſuam conſcientiam ingrediantur, & judicem ſibi rationem conſtituant* (en diligens examen confeſſioni præmittendum) *errata ſua in medium adducant* (en peccatorum, etiam eorum quæ ſoli Deo nota ſunt, declaratio ſacerdoti facienda) *niſi velint in die illa horrenda univerſo Orbi ea manifeſtè patere.* Dici autem non poteſt Chryſoſtomus hîc hortari ad confeſſionem publicam; tum quia hortatur ad confeſſionem occultorum peccatorum, tum quia publicam ab eo confeſſionem probatam non eſſe nemo neſcit.

2. S. Auguſtinum enarr. in Pſal. 66. *Si non confeſſus lates*, inquit, *non confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo eſſe non potes occultus? Damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus..... Ergo triſtis eſto antequam confitearis: confeſſus exulta, jam ſanaberis. Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat: adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat ..... Tu agnoſce medici manum, & confitere, exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies, &c.* Hîc autem manifeſtè loquitur S. Doctor de confeſſione peccatorum occultorum, ut patet ex his verbis: *Si non confeſſus lates.* 2. De confeſſione privatim facta ſacerdoti, ut patet ex his verbis: *Adhibet medicus fomenta verborum.* 3. De confeſſione omnium & ſingulorum mortalium, quæ memoriæ occurrunt, ut patet ex his verbis: *Exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies.* Juxta S. Doctorem igitur, baptizato peccatori ad ſalutem medium neceſſarium eſt omnium & ſingulorum mortalium, quæ memoriæ occurrunt, quantumvis occulta ſint, confeſſio, quam tamen ab omnibus fuiſſe neglectam, quis crediderit?

3. S. Leonem epiſt. 80. ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, &c. ubi graviter reprehendit Epiſcopos aliquos, qui pœnitentes ad occulta peccata, quæ privatim confeſſi erant, publicè ex ſcripto recitanda cogebant; & hoc in poſterum fieri, graviter prohibet, jubetque confeſſarios ſecretorum peccatorum confeſſione ſecreta contentos eſſe: *Sufficit enim*, inquit, *illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

4. Denique Sozomenum lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 16. ubi hæc habet: *Cum in nullo penitùs peccare, divinioris cujuſdam naturæ ſit, & humana præſtantioris, pœnitentibus vero, etiamſi ſæpiùs deliquerint, veniam dare Deus præceperit; cumque in petenda venia neceſſario confiteri oporteat: grave ac moleſtum ab initio jure merito viſum eſt ſacerdotibus, tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua vulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vita integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt: ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, abſolvebat confitentes, à ſe ipſis pœnas criminum exacturos. Verùm Novatianis quidem, qui nullam rationem habent pœnitentiæ, nihil hac re opus fuit. Apud reliquas autem ſectas hic mos etiamnum perſeverat. Et in Occidentalibus Eccleſiis, ac præcipuè in Eccleſia Romana ſtudioſè obſervatur.*

Hoc loco Sozomenus agnoſcit, confeſſionem neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad reconciliationem adultorum graviter lapſorum poſt baptiſmum, & aliqua obſervat. Et 1. quidem, pœnitentes ad omnia ſua indiſcriminatim delicta publicè confitenda adactos nunquam fuiſſe. 2. In unaquaque particulari Eccleſia, tam in Oriente, quàm in Occidente, poſt exortam, ſcilicet, Novatianorum hæreſim, ut conſtat ex Socrate lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 19. conſtitutum fuiſſe presbyterum pœnitentiarium, virum prudentem, & ſecreti tenacem, qui pœnitentiæ publicæ præeſſet, ſolusque à gravioribus ſeu reſervatis criminibus abſolvendi poteſtatem obtineret. 3. Eos, qui ſe graviorum ſeu reſervatorum criminum reos ſentiebant, ad presbyterum illum adventaſſe, eique omnia ſua delicta privatim confeſſos, ad ejus arbitrium pœnitentiam publicam egiſſe, & publica ſua crimina coram fidelium adſtantium multitudine declaraſſe. 4. Morem hunc conſtituendi hujuſmodi presbyterum in ſingulis Eccleſiis, perſe-

Digitized by Google

perſeveraſſe in Occidente, poſtquam in Eccleſia Conſtantinopolitana abolitus fuerat à Nectario, cujus exemplum reliquæ omnes Orientales Eccleſiæ jam ſequebantur eo tempore, quo ſcribebat Sozomenus, hoc eſt, circa annum 440.

Pro ſæculo ſexto habemus 1. S. Cæſarium Arelatenſem homil. 17. *Vos*, inquit, *frequenter admonui, fratres chariſſimi, iterum atque iterum admoneo & conteſtor, ut qui ſe cognoſcit de litore conſcientia tempeſtate libidinis in pelago luxuria fuiſſe jactatum, & caſtitatis incurriſſe naufragium, peccatorum confeſſionem, velut tabulam fracta navis, velociter apprehendat, ut per ipſam de abyſſo, ac profundo luxuriæ poſſit evadere, & ad portum pœnitentia pervenire.*

2. Sanctum Joannem Climacum in ſcala Paradiſi gradu 4. *Majores*, inquit, *noſtri ..... ſanctam obedientiam confeſſionem eſſe judicarunt, ſine qua nemo, vitiis obnoxius, ad Dei conſpectum admittetur ...... Primum omnium optimo Judici noſtro præterita vita peccata aperiamus, idque vel ſoli; vel ſi imperet ille, omnibus. Oſtenſa quippe & in publicum prolata vulnera facilè curabuntur, neque recrudeſcent ampliùs.*

3. Gregorium Magnum homil. 26. in Evangelia, in qua ſic loquitur: *Omnis peccator dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, idest, culpam confiteatur peccator. Venientem foras ſolvant diſcipuli: ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Hic Gregorius de peccatorum etiam ſecretorum confeſſione, adeòque de confeſſione ſecreta loquitur; ſicut & ſæculo ſeptimo Iſidorus libro de contemptu mundi, ubi ait: *Dum datur tibi licentia pœnite .... prius quam mors præveniat, prius quàm inferaus te recipiat .... Ubi nulla datur licentia correctionis, ubi nullus eſt recurſus ad confeſſionem .... habeas confeſſionem, habeto fiduciam; confeſſio ſanat, confeſſor veniam invenit.* Et inferiùs ſic pergit: *Vitia cordis tui revela, pravas cogitationes illico manifeſta ...... peccatum enim proditum cito curatur.*

Octavo ſæculo, Beda expoſitione in cap. 5. epiſt. Jacobi, ubi ait: *Si ergo infirmi in peccatis ſint, & hæc presbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis. Neque enim ſine confeſſione emendationis, peccata queunt dimitti.* Et paulò inferiùs: *Porrò gravioris lepræ immunditiam, juxta legem, ſacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore juſſerit, purificari curemus.*

Nono ſæculo Rabanus Moguntinus lib. 7. in Eccleſiaſticum cap. 7. *Qui tranſgreditur menſuram in concupiſcentiis carnis*, inquit, *& aggravatur ejus delictis, neceſſe eſt, ut per confeſſionem peccatorum, fœditatem evomat, & ſic per jejunium & caſtigationem corporis, ad ſtatum priſtina ſanitatis redeat.*

Eodem ſæculo habemus tria Concilia, nempe Turonenſe III. celebratum anno 813. can. 22. quo dicitur: *Epiſcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant, ut juxta modum peccati abſtinentia indicatur, &c.* Cabilonen. II. eodem anno habitum, can. 32. quo dicitur: *Quidam dum confitentur peccata ſua ſacerdotibus, non pleaè id faciunt .... Solerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriuſque plena ſit confeſſio; ſcilicet, ut ea confiteantur, quæ per corpus geſta ſunt, & ea quibus in ſola cogitatione delinquitur, &c.* Et Vvormatienſe anno 868. celebratum, can. 25. quo dicitur: *Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum, ſacerdotis arbitrio pœnitentia decernuntur. Debet itaque ſacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, &c.*

Idem docet ſæculo decimo Radulphus Flaviacenſis lib. 3. in Leviticum cap. 7. ubi ait: *Quod in poteſtate habes* (peccator) *faciat: ſimilam offerat, & mala quæ apud ſe celabat, per confeſſionem ſacerdoti prodat ..... Dignum eſt ut qui peccatorum ſuorum confeſſionem facis, conſummet eam: omnia quæ ad memoriam revocare poteſt, Domino* (hoc eſt, ſacerdoti Domini vices agenti) *pandens, non alia prodeas, alia abſcondens.*

Sæculo undecimo, Petrus Damianus in ſermon. de S. Andræa: *Quartus*, inquit, *gradus eſt confeſſio oris. Hæc purè facienda eſt, quia non eſt pars peccatorum dicenda, & altera retinenda; neque levia confitenda, & gravia diffitenda.* Et S. Anſelmus enarrat. in cap. 17. Luc. ubi ait: *Quos at intuitu clementia vidit* (Chriſtus) *dixit:* Ite, oſtendite vos ſacerdotibus, *idest, per humilem oris confeſſionem, ſacerdotibus veraciter manifeſtate omnes interioris lepræ veſtræ maculas, ut mundari poſſitis ... Peccatores licet gravi criminum lepra ſint fœdati, euntes tamen ad confitendum, purgantur in ipſa confeſſione propter pœnitentiam, quam acturi ſunt.*

Denique ſæculo duodecimo, S. Bernardus in ſerm. ad Milites Templi cap. 12. ſic loquitur: *Verbum in corde peccatoris operatur ſalutiferam contritionem: verbum verò in ore noxiam tollit confuſionem, ne impediat neceſſariam confeſſionem.* Et inferiùs: *Quamobrem miniſtros verbi ſacerdotes cautè neceſſe eſt ad utrumque vigilare ſollicitos, quò videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris, & contritionis inſtigant, quatenus eos nequaquam à verbo confeſſionis exterreant: ſic corda aperiant, ut ora non obſtruant: ſed nec abſolvant etiam compunctum, niſi viderint & confeſſum.* Initio capitis dixerat, ſub hac voce Bethphage contineri *confeſſionis ſacramentum, & ſacerdotalis miniſterii myſterium.*

Porrò præter Scriptores Eccleſiaſticos pro ſæculo tertio, quarto, &c. hactenùs allegatos, afferre poſſemus pro primo ſæculo Lucam in Actis Apoſtolorum, cap. 19. ubi hæc leguntur: *Multi credentium* (baptizatorum) *veniebant* (ad Paulum) *confitentes, & annunciantes* (ei) *actus ſuos* (peccata ſua.) *Multi autem ex eis, qui erant curioſa ſectati, contulerunt libros* (jubente Paulo, cui annunciarant actus ſuos) *& combuſſerunt coram omnibus.* Nec audiendi ſunt Novatores, cùm ajunt Lucam loqui tantùm de confeſſione generali, qua Epheſii agnoſcebant ſe eſſe peccatores; vel ſi loquitur de confeſſione peccatorum in ſpecie, non de omnium, ſed de aliquorum tantùm peccatorum confeſſione intelligendum eſſe. Nam 1. qui generaliter tantùm confitetur ſe eſſe peccatorem, non poteſt propriè dici, annunciare peccata ſua. 2. Qui ſimpliciter dicitur annunciare peccata ſua, non aliqua tantùm, ſed omnia annunciare dicitur phraſi Scripturæ, quæ quotieſcumque de peccatis loquitur abſolutè, de omnibus loquitur, ut Lucæ cap. 7. ubi Chriſtus ait mulieri: *Remittuntur tibi peccata.* Actor. cap. 22. ubi Ananias dicit Saulo: *Ablue peccata tua, &c.*

Pro ſecundo ſæculo à pluribus citatur S. Irenæus multis locis, quorum maximè expreſſus videtur eſſe lib. 3. cap. 4. ubi ſic loquitur S. Martyr: *Cerdon .... ſæpè in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, ſic conſummavit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologeſim faciens, &c.* Circa quem textum Bellarm. lib. 3. de pœnit. c. 6. Obſervat, nomen exomologeſis apud veteres Eccleſiaſticos Scriptores aliquando confeſſionem cum contritione & ſatisfactione & aliquando ſolam confeſſionem ſignificare, nunquam verò contritionem & ſatisfactionem ſine confeſſione; quo ſuppoſito, manifeſtum eſt S. Irenæum loqui de confeſſione occultorum criminum, & de Cerdone referre, quòd non ſemel ab hæreſi ſua, poſtquam latenter eam docuerat, reſipiſcens, crimen il-

lud

lud ſuum, quamvis occultum, non ſemel in Eccleſia, ad quam veniebat, confeſſus ſit. Sed

Videtur, apud veteres nomeo exomologeſis interdùm ſignificare, non peccatorum confeſſionem factam ſacerdoti, ſed alios actus externos, ut fletum, ſuſpiria, gemitus, proſtrationes, & alias corporis afflictationes, quibus quis proteſtabatur, ſe ex animo dolere, quòd Deum offendiſſet. Probatur ex Irenæo ipſo lib. 1. cap. 9. ubi de uxore cujuſdam diaconi, quam ſententia & corpore corruperat Marcus quidam hæreticus, hæc refert: *Cum magno labore fratres eam convertiſſent, omne tempus in exomologeſi conſummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam paſſa eſt ab hoc mago, corruptelam.* Ex Tertullian. lib. de pœnit. cap. 12. ubi de Nabuchodonoſore ſic ait: *Diu pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſquallore exomologeſim operatus.* Ex Cypriano libro de lapſis, ubi ait de Daniele: *In ſacco & cinere volutatur, exomologeſim faciens dolenter, & dicens: Domine Deus magnus, &c.* Et ex Concilio Laodiceno can. 2. quo dicitur: *Eos qui in diverſis delictis peccarunt, & in oratione exomologeſeos, & pœnitentia fortiter perſeverant, & ſe à malis perfectè convertunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miſerationes & bonitatem offerri communioni* (placet.)

Ex hoc canone obiter *nota*. Olim peccatores publici, graviorum criminum rei, qui cum Deo & Eccleſia reconciliari volebant, 1. diu in limine templi proſtrati, cum ſuſpiriis & gemitibus ſeſe peccatores miſerrimos agnoſcebant, & proteſtabantur ſe delictorum ſuorum ſincerè pœnitentes eſſe, atque paratos ad ſubeundam omnem pœnam illis debitam. 2. Admittebantur ad confeſſionem ſacramentalem, & imponebatur illis pœnitentia delictis proportionata. 3. Impleta pœnitentia, abſolvebantur, & reconciliabantur Eccleſiæ, atque ad ſacram ſynaxim accedere permittebantur. Igitur juxta ſenſum citati canonis, publici pœnitentes antequam ad confeſſionem ſacramentalem admitterentur, diu exomologeſim faciebant, & exomologeſim faciebant, proſternendo ſe coram fidelibus ad Eccleſiam venientibus, & dando varia ſigna externa doloris interni & ſinceræ converſionis, quibus tandem permotus Epiſcopus illos ad peccata ſacramentaliter confitenda, & canonicam pœnitentiam agendam admittebat.

Locus itaque Irenæi pro ſecundo ſæculo allegatus, eludi facilè poteſt. Sed *ſic argumentor*. Confeſſio peccatorum in ſpecie etiam occultorum facta ſacerdoti, initio tertii ſæculi erat in uſu. Ergo fuerat etiam duobus prioribus ſæculis. Ant. Patet ex verbis Origenis, quæ ſupra recitavimus.

Conſequ. Probatur, quia non poteſt à tempore Apoſtolorum ad Origenem uſque aſſignari Concilium aliquod generale, vel Pontifex aliquis, à quo inſtituta & præcepta fuerit confeſſio peccatorum in ſpecie ſacerdoti facienda. Prætereà, Origenes de confeſſione illa loquitur, tanquam medio ad mortalium poſt baptiſmum admiſſorum remiſſionem neceſſario. Tale autem medium non ab Eccleſia, ſed à ſolo Chriſto inſtitui potuit. Ex dictis hactenùs hoc articulo apparet, quàm impudenter, vel imperitè dixerint Novatores aliqui, confeſſionem peccatorum in ſpecie, qualis in Eccleſia frequentatur, ſæculo decimo-tertio primùm inſtitutam, & præceptam fuiſſe ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi can. *Omnis utriuſque ſexus.*

ARTICULUS III.

Quo jure præcepta ſit peccatorum confeſſio.

RESPONSIO I.

Confeſſio peccatorum in ſpecie, præcepta eſt jure divino.

Prob. 1. Authoritate Patrum, ſcilicet, Origenis, Cypriani, Athanaſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, &c. locis articulo ſuperiore relatis.

2. Ex Trid. ſeſſ. 14. can. 6. quo dicitur: *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum: anathema ſit.* Ex can. 7. quo dicitur: *Si quis dixerit, in ſacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, &c. anathema ſit..*

3. Ratione theologica. Nam ſententia ferri non poteſt, cauſa non cognita. Ergo confeſſio peccatorum in ſpecie neceſſaria eſt, & præcepta eodem jure, quo ſacerdotes conſtituti ſunt judices, ſine quorum ſententia, mortalia poſt baptiſmum commiſſa, non remittuntur. Atqui ſacerdotes jure divino conſtituti ſunt judices, ſine quorum, &c. Ergo confeſſio peccatorum in ſpecie, neceſſaria eſt, & præcepta jure divino.

Veritatem antecedentis diffiteri non audent novatores, & ſolùm negant, ſacerdotes à Chriſto conſtitutos eſſe judices ad ferendum judicium de mortalibus poſt baptiſmum commiſſis. Patet ex Melancthone in apol. confeſſ. Auguſtanæ art. de confeſſ. Calvino lib. 3. inſtit. cap. 4. §. 18. & Kemnitio in 2. part. exam. c. 5. de pœnit. Verba Calvini ſunt: *Quod contendunt, non poſſe fieri judicium, niſi cauſa cognita, in promptu eſt ſolutio, temerè hoc ſibi arrogare, qui ſunt à ſe ipſis judices creati ... Jactant ſibi ligandi & ſolvendi munus eſſe mandatum, ac ſi quædam eſſet juriſdictio quæſtioni adjuncta: porrò hoc jus Apoſtolis fuiſſe incognitum, tota eorum doctrina clamat.*

Conſequens evidenter ſequitur ex ant. Tota ergo difficultas eſt in ſubſumpto, & *probatur* ex verbis Chriſti, Joan. cap. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, hoc eſt: Et quibus nolueritis remittere, non eis remittentur. Manifeſtum enim eſt, retinere peccata, reſpectu illius qui poteſtatem habet ea remittendi, nihil aliud eſſe, quàm ea nolle remittere. Eodem pertinent hæc alia Chriſti verba, Matth. cap. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo;* quibus verbis Chriſtus promittit id, quod per ſuperiora concedit. Sicut igitur vi horum verborum: *Quæcumque ſolveritis, &c. quorum remiſeritis peccata, &c.* per ſententiam à ſacerdotibus prolatam peccata remittuntur fidelibus poſt baptiſmum lapſis; ita vi iſtorum: *Quæcumque alligaveritis, &c. quorum retinueritis, &c.* Peccata, non remittuntur fidelibus poſt baptiſmum lapſis, ſine ſententia à ſacerdotibus prolata. Chriſtus igitur ſacerdotes conſtituit judices, quorum ſententia remitterentur, & ſine quorum ſententia non remitterentur peccata poſt baptiſmum commiſſa.

Novatoribus autem verba Chriſti laudata protervè interpretantibus de poteſtate prædicandi Verbum Dei, & Evangelium annunciandi, oppoꝛimus verborum evidentiam, & Patrum omnium, ac totius veteris Eccleſiæ authoritatem: nam, ut ait Tridentinum, Seſſ. 14. c. *verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit; & Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit, atque condemnavit.*

Chriſtum igitur confeſſionem peccatorum in ſpecie, ut medium mortaliter poſt baptiſmum lapſis ad reconciliationem cum Deo neceſſarium inſtituiſſe habemus ex his verbis: *Quæcumque alligaveritis peccata,*

cata, &c. Quod apertè ſupponebat S. Auguſtinus, cùm ajebat homil. 49. ex 50. *Nemo ſibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago* (adeòque ad meam cum Deo reconciliationem neceſſe non eſt ut peccata mea ſacerdoti confitear:) *Ergo ſine cauſa datum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium Dei? fruſtramus verba Chriſti?* Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: Si peccatorum, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt, quantùmvis occulta ſint, confeſſio neceſſaria non eſt ad eorum remiſſionem, fruſtrà Chriſtus dixit: *Quæcumque ſolveritis, &c. quorum remiſeritis, &c.* Fruſtrà Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem remittendi & retinendi peccata poſt baptiſmum commiſſa; cùm hæc poteſtas exerceri non poſſit, incognita cauſa.

Eodem planè modò diſcurrit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. *Ex inſtitutione*, inquit, *ſacramenti pœnitentiæ jam explicata* (& his potiſſimùm contenta Chriſti verbis: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, &c.*) *univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides & judices, ad quos mortalia omnia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quo, pro poteſtate clavium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient. Conſtat enim ſacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.*

Responsio II.

Confeſſio peccatorum in ſpecie, eſt etiam jure eccleſiaſtico præcepta & neceſſaria, quantùm ad determinationem temporis.

Prob. 1. Ex Conc. Later. IV. can. 21. quo dicitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere.* 2. Ex Trid. ſeſſ. 14. can. 8. quo dicitur: *Si quis dixerit confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno .... anathema ſit.*

Additum eſt in reſponſione, quoad determinationem temporis, quo ſcilicet, facienda eſt hæc confeſſio: *Neque enim*, ut ait Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. *per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur, &c.*

Quæres. Utrùm pueri ſibi alicujus mortalis peccati conſcii, comprehendantur can. *Omnis utriuſque ſexus?*

Reſp. Affirmativè. Nam hoc canone ſine ulla exceptione jubentur omnes qui ad annos diſcretionis pervenerunt, peccata ſua confiteri. Atqui pueri qui mortalis peccati conſcii ſibi ſunt, pervenerunt ad annos diſcretionis; cùm ad eam pervenerint ætatem, in qua diſcernere poſſunt inter bonum & malum. Ergo, &c. Quamvis autem pueri obligentur ad confeſſionem annuam, ſtatim atque ad ætatem adultam pervenerunt, non idcircò ſimiliter tenentur communicare in Paſchate: ſed laudabilis Eccleſiæ conſuetudo, fundata in Concilio Lateranenſi, canone citato, obtinuit, ut ad communionem non admittantur, niſi poſtquam ſufficienter inſtructi, eam attigerunt ætatis maturitatem, qua indigent, ut cum reverentia & devotione ſacramentum ſuſcipiant; quod parentum & paſtoris judicio relinquitur æſtimandum.

Quæres iterum. An jure communi certa pœna ſtatuta ſit omittentibus confeſſionem annuam?

Reſp. Nullam eſſe ſtatutam, quæ ipſo facto incurratur: cùm enim Concilium Lateranenſe can. *Omnis utriuſque*, ſic poſt verba citata proſequitur: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura*; ſolùm præſcribit pœnam quam Prælati debent infligere non confitentibus, & ad quam conſequenter requiritur ſententia judicis poſt juridicam probationem. *Nota obiter*, ab hac pœna eximi pueros, etiamſi ad confeſſionem annuam obligentur. Patet ex cap. 1. & 2. extra de delictis puerorum. Cap. 2. dicitur: *In pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges ducunt ſeveriùs puniendum.* Sed ad majorem canonis *Omnis utriuſque* intelligentiam, ſit

---

ARTICULUS III.

Quinam jure eccleſiaſtico obligentur ad confeſſionem annuam.

Responsio.

Soli & omnes baptizati, uſum diſcretionis habentes, & ſibi conſcii peccati mortalis poſt baptiſmum commiſſi, ac nondùm ſacramento pœnitentiæ ritè ſubjecti, jure eccleſiaſtico tenentur ad confeſſionem annuam.

Patet ex can. *Omnis utriuſque ſexus*, & ampliùs declaratur. Itaque dixi, 1. Soli baptizati: nam adulti non baptizati non tenentur confiteri peccata ante baptiſmum commiſſa, quia non ſunt materia ſacramenti pœnitentiæ, neque ei ſubjici poſſunt ſive ante, ſive poſt ſuſceptionem baptiſmi. *At inquies.* Adulti non baptizati obligantur præcepto communionis: ergo & præcepto confeſſionis. *Reſp.* neg. conſeq. Nam tenentur præcepto communionis, quia licèt non ſint communionis capaces, tenentur tamen ſeſe capaces illius reddere, & baptiſmum ſibi procurare, ut communicare poſſint: at non tenentur præcepto confeſſionis, quia nec ſunt capaces confeſſionis ante baptiſmum, quantùmvis habeant mortalia, nec tenentur ſe capaces illius efficere: nam tenentur quidem ſibi procurare baptiſmum; at baptiſmo ſuſcepto, non tenentur peccare, & illi tantùm confeſſionis capaces ſunt, qui peccant poſt baptiſmum.

Dixi 2. Omnes baptizati: nam ſi quis non teneretur præcepto confeſſionis annuæ, certè Pontifex Maximus. At hoc dici non poteſt: princeps enim legibus ſuis obligatur quoad vim directivam, licèt non quoad vim coactivam, quando ratio ſervandæ legis in eo & ſubditis ejus eadem eſt; obligatur, inquam, ſaltem mediatè & occaſionaliter, in quantùm ſaltem ex occaſione legis à ſe latæ, ad actum præceptum obligatur per legem naturalem, quæ poſtulat, ut caput membris conformetur in iis, quæ capiti & membris communia ſunt.

Dixi 3. Uſum diſcretionis habentes: nam baptizati, ſed infantes, vel amentes, vel nondùm habentes uſum rationis, non habent peccata mortalia, quæ ſunt materia remota ſacramenti pœnitentiæ, nec poſſunt exhibere actus, qui ſunt ejus materia proxima.

Dixi 4. Et ſibi conſcii peccati mortalis: nam qui habent tantùm venialia, non tenentur jure divino ea confiteri, ut Trident. docet ſeſſ. 14. cap. 5. *Venialia*, inquit, *quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem, in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* Ergo non tenentur præcepto confeſſionis annuæ: nam Eccleſia præcepto confeſſionis annuæ ſolùm determinavit tempus, quo tenemur confeſſionem

jure

jure divino neceſſariam facere, ut declarat Tridentinum loco proximè laudato, ubi ſic ait: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis* (ſupple à Chriſto latum) *ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent* (ſupple & alicujus mortalis conſcientiam gererent) *impleretur*. Ergo Eccleſia præcepto confeſſionis annuæ eos tantùm obligavit, qui habent mortalia, cùm ii tantùm jure divino teneantur confiteri.

Dices. Eccleſia, can. *Omnis utriuſque ſexus fidelis*, non ſolùm iis qui lethalia, ſed etiam iis qui tantùm venialia habent, præcepit confeſſionem. Ergo, &c. *Prob.* ant. Nam hæc vox, *Omnis*, quâ utitur canon, omnes omninò fideles complectitur. *Reſp.* neg. ant. Et dico Eccleſiam can. citato confeſſionem præcipere iis tantùm, qui habent mortalia. *Ad prob. Reſp.* Cùm canon ait: *Omnis utriuſque ſexus, &c.* Hæc vox *Omnis*, non magis comprehendit etiam fideles illos, qui tantùm habent venialia, quàm cùm ſubjicitur, *Omnia ſua ſolus peccata confiteatur*, hæc vox *Omnia*, comprehendit etiam venialia, & non tantùm mortalia. At quòd non tantùm mortalia, ſed etiam venialia comprehendat hæc vox *Omnia*, certo certiùs falſum eſt: alioquin fidelis aliquis in confeſſione annua lethalia omnia ritè confitens, ſed vel unum veniale voluntariè omittens, ſacrilegium admitteret, & nulla eſſet ejus confeſſio; quod non eſt hactenùs auditum.

Inſtabis. Si Eccleſia can. *Omnis utriuſque ſexus*, ad confeſſionem annuam non obligat etiam eos, qui habent tantùm venialia, fruſtrà hoc canone, præſcribit pœnam à prælatis imponendam iis, qui non confitentur: quilibet enim non confeſſus, facilè evadet, aſſerendo ſe nonniſi venialia habuiſſe. *R.* Neg. inſt. *Ad prob. R.* etiam neg. Nam qui ne ſemel quidem intra annum integrum confitetur, jure merito non carere mortalibus, adeòque jure merito reus violati præcepti de confeſſione ſemel in anno facienda præſumitur; quod ſufficit ad hoc ut ei pœna à Lateranenſi præſcripta imponatur, modò conſtet de omiſſione confeſſionis, & juridicè probetur.

Porrò fidelis quilibet, etiamſi pluries in anno confiteatur, & habere ſe tantùm venialia prudenter exiſtimet, debet in Paſchate ante communionem, vel confiteri, vel ſiſtere ſe paſtori, ſi id paſtor exigat, eique declarare ſe non eſſe ſibi conſcium mortalium. Ratio eſt quia paſtori conſtare debet talem non indigere confeſſione, & ad communionem admitti poſſe. Illud autem de ſe affirmanti paſtor poteſt & debet credere, niſi juſtas habeat rationes ſuſpicandi contrarium.

Inſtabis iterùm. Eccleſia nunc præcipere poteſt omnibus fidelibus, quod olim præcepit monachis. Atqui olim præcepit monachis, ut confiterentur, licèt ſibi tantùm venialium conſcii eſſent, ut patet ex regula Chrodegangi Epiſcopi Metenſis, in qua dicitur: *Monachi in unoquoque ſabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate, Epiſcopo, aut Priori ſuo*. Ergo Eccleſia nunc præcipere poteſt fidelibus omnibus, ut confiteantur, quamvis nonniſi venialia habeant.

R. 1. Probandum eſſe, quòd verba regulæ Chrodegangi citata contineant verum præceptum, ſeu mandatum obligans in conſcientia, & ſub pœna peccati: quot enim ſunt Religiones, in quibus Religioſi debent ſecundùm regulam confiteri octavo quoque die, ad quod tamen non tenentur in conſcientia? 2. Dato quòd verba citata contineant præceptum ſtrictè dictum, obligarent monachos, etiam habentes tantùm venialia, ad confitendum octavo quoque die, num idcircò potuit Eccleſia, aut poteſt nunc fideles omnes, ad octavo quoque die confitendum obligare? 3. Quòd Eccleſia fideles obligare poſſit ad ea omnia, ad quæ obligari poſſunt ii, qui vitam religioſam profitentur, & falſum eſt, & dictu abſurdum. 4. Denique, dato quòd Eccleſia potuerit, ad confeſſionem obligare fideles, venialia tantùm habentes, ex eo non ſequitur, quòd re ipſa obligarit. Et verò ſi obligavit, certè per can. *Omnis utriuſque ſexus*. At hoc falſum eſſe, ſupra demonſtratum eſt.

Dixi 5. Poſt baptiſmum commiſſi, & nondùm ſacramento pœnitentiæ ritè ſubjecti. Nam, ut jam dictum eſt, mortalia ante baptiſmum commiſſa, non ſunt materia ſacramenti pœnitentiæ; & qui mortalia poſt baptiſmum commiſſa, ſemel ritè ſacramento pœnitentiæ ſubjecit, non tenetur ea iterùm ſubjicere, ut declaravit Benedictus II. extrav. 1. de privilegiis, ubi ſic ait: *Cæterum licet de neceſſitate non ſit iterùm eadem confiteri peccata* (ſupple jam ritè clavibus ſubjecta.) *Sed*

Nota 1. Præter obligationem confitendi ſemel in anno, jam explicatam, quilibet adultus baptizatus, ſibi mortalis peccati conſcius, jure divino tenetur confiteri in articulo mortis: nam ſi obligatur jure divino ad confitendum, ut re vera obligatur, maximè in articulo mortis conſtitutus, ut per ſe manifeſtum eſt. Eodem jure obligatur etiam, quoties morale periculum eſt, ne ſi confeſſionem omittat, nunquam poſſit poſteà in vita confiteri: quare non confitens, peccat graviter contra jus divinum, quia morali periculo exponit ſe nunquam præceptum divinum implendi.

At inquies. Quid ſi adultus ille, niſi ſtatim confiteatur, incurrat morale periculum aliquod mortale obliviſcendi, & ita nunquam illud confitendi; num pariter jure divino ſtatim confiteri tenetur? *Reſp.* negativè. Ratio eſt, quia non exponit ſe periculo non implendi præceptum divinum confitendi: hoc enim præceptum non obligat ad confitenda omnia mortalia in rigore mathematico, ſed ſolùm ad confitenda omnia, quæ poſt diligentem inquiſitionem memoriæ occurrent, quando tempus erit confitendi. Propter eamdem rationem, præceptum divinum non obligat, ad ſcribenda mortalia commiſſa, ne memoria excidant.

Nota 2. Extra articulum mortis, & morale periculum nunquam poſteà implendi præceptum divinum confeſſionis, fidelis peccator non videtur jure divino teneri ad confitendum pluries, quàm ſemel in anno. Ita ſentit Bonaventura diſt. 17. part. 2. art. 2. quæſt. 2. in O. ubi ſic ait: *Aliter cenſendum eſt de religioſo, aliter de laico: nam religioſo totum tempus vitæ eſt tempus pœnitentiæ, & ideo habita copia ſacerdotis, ſi peccavit mortaliter, credo quod tenetur ſine mora confiteri, & ad ipſum recurrere..... laicus verò rationabiliter poteſt expectare tempus quadrageſimale, quod eſt tempus pœnitentiæ, &c.* Ratio ulterior eſt, quia ſi peccator tenetur jure divino confiteri ſæpiùs in anno, præceptum Eccleſiæ præcipientis ut fideles ſemel in anno confiteantur, ſcandalo eſſet fidelibus, quibus utpotè ſibi perſuadentibus in rigore ſufficere id quod Eccleſia præcipit, occaſionem daret tranſgrediendi præceptum divinum. Porrò ſi quis experiretur nullum aliud medium, præter confeſſionem, ſufficere ſibi ad vitanda mortalia, ſolumque medium frequentis confeſſionis ſibi prodeſſe, per accidens ob reincidentiæ periculum teneretur ad remedium confeſſionis ſæpiùs in anno confugere.

Quæres 1. Utrùm is, qui habet peccatum mortale, quod nondùm confeſſus eſt, teneatur communioni præmittere confeſſionem, quantùmvis ſibi videatur contritus?

Reſp. Affirmativè, & probatur ex Apoſtolo 1. Cor. c. 11. ubi ait: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*. In quæ verba ſic diſcurrit Trident. ſeſſ. 13. c. 7. *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus* (Apoſtoli) *præceptum*. Probet ſe ipſum homo: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*. Excipe tamen caſum, quo quis non habet copiam confeſſarii, nec com-

Digitized by Google

communionem differre poteſt abſque ſcandalo, aut alia juſta de cauſa: poteſt enim Euchariſtiam ſumere, præmiſſo actu contritionis, ut colligitur ex Trident. eodem loco.

At inquies. Quid ſi aliquis per oblivionem inculpabilem, aut aliam juſtam ob cauſam omiſit in confeſſione aliquod mortale; teneturne iterùm confiteri ante communionem, ſi peccati meminerit, & confiteri poſſit, ſine incommodo excuſante? *Reſp.* ſententiam affirmantem eſſe valdè communem, ad quam accedit Eccleſiæ, ſaltem à tempore Concilii Tridentini, uſus. Uſus autem, in iis præſertim rebus, in quibus frequentiſſimus eſt, eſt optimus legum interpres. Sententia tamen negans valdè probabilis eſt ab intrinſeco: præceptum enim de confeſſione communioni præmittenda eo tantùm fine latum eſt, ut per medium certiùs procuretur remiſſio mortalium, antequam ad Euchariſtiam accedatur, ut colligitur ex Trid. ſeſſ. 13. can. 11. ubi dicitur: *Et nè tantum ſacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem*. Sed remiſſio mortalium in caſu propoſito jam habetur certiſſimè: nam inculpabiliter omiſſa remittuntur cum aliis, quæ in confeſſione declarantur, ut indubitatum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. *Reliqua*, inquit, *peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine*. Ergo præceptum de confeſſione Communioni præmittenda, non obligat hominem in caſu propoſito.

Quæres 2. Utrùm hoc præceptum de confeſſione præmittenda communioni, pertineat non ſolùm ad laicos, ſed & ad ſacerdotes, etiam eos, quibus ex officio incumbit celebrare?

Reſp. Affirmativè, & patet ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 7. ubi poſt verba ſuperiùs laudata, ſic continuò proſequitur: *Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia ſacerdotis. Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur*. Hæc porrò verba, *quamprimùm confiteatur*, non continent merum conſilium, ut aliqui aſſerunt temerè, & contra expreſſam verborum ſignificationem, ſed præceptum eccleſiaſticum, tunc primùm latum ab Eccleſia, ut ſacerdotes, præſertim rurales, in quærendo ſibi ante celebrationem confeſſario, redderet ſolliciriores.

Hoc autem præceptum pertinet, 1. non ad laicos, ſed ad ſacerdotes. 2. Ad ſacerdotes, non laico more communicantes, ſed celebrantes. Patet utrumque ex verbis Synodi. 3. Ad ſacerdotes celebrantes, ſive celebrent ex urgente aliqua neceſſitate, ſive non, ſed ex malitia celebrent: cùm enim ait Synodus: *Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos, &c.* illud, *neceſſitate urgente*, non addit, ut excipiat caſum, quo ſacerdos ſine neceſſitate celebraret: ſed ut caſum exprimat, de quo magis dubitari poſſet. 4. Ad ſacerdotes, qui non præmiſſa confeſſione celebrant, & inter celebrandum recordantur ante communionem ſe reos eſſe alicujus peccati mortalis: tales enim celebrant ſine confeſſione prævia ad communionem, quod ſufficit ad hoc, ut teneantur præcepto de confeſſione quamprimùm facienda poſt celebrationem, ut patet ex contextu. Hoc porrò, *quamprimùm*, moraliter ſumendum eſt: ita ut primam confitendi, quam moraliter poteſt habere, opportunitatem arripiat ſacerdos.

Quæres 3. Quid excuſet à præcepto confeſſionis, tum divino, tum eccleſiaſtico, ſuo tempore implendo?

Reſp. 1. Excuſat impoſſibilitas phyſica: nam Deus & Eccleſia non jubent impoſſibilia. 2. Excuſat notabile incommodum, quod ab extrinſeco, & præter ſacramenti pœnitentiæ inſtitutionem prudenter timetur; ut ſi prudenter timetur, ne à confeſſario, cujus unius copia eſt, peccatum reveletur. At non excuſat incommodum etiam notabile, quod ex ipſa confeſſione oritur, ut quòd pœnitens ſit infamandus apud confeſſarium, qui eum credit eſſe ſanctum; quòd valdè erubeſcat confiteri.

Ratio eſt, quia tale incommodum confeſſioni intrinſecum eſt, unde Deus & Eccleſia, præcipiendo confeſſionem, cenſentur præcipere, ut incommodum illud ſubeatur; ſeu confeſſionem præcipere non obſtante illo incommodo: ſecùs de alio, quod extrinſecum eſt confeſſioni, & accidentarium: unde Deus & Eccleſia cenſentur nolle obligare pro caſu hujus incommodi.

Quæres 4. Utrùm præcepto confeſſionis teneatur is, qui non poteſt confiteri niſi per interpretem?

Reſpondet Toletus negativè, lib. 3. Inſtructionis ſacerdotum cap. 6. ubi ſic ait: *Quamvis iſta ſit vera confeſſio* (per interpretem) *tamen nullus obligatur ad ſic confitendum: non enim tenetur revelare alteri ſuam confeſſionem*. Toleto ſatis communiter conſentiunt Scholaſtici; & ratio ulterior eſſe poteſt, quia qui nonniſi per interpretem confiteri poteſt, 1. non obligatur præcepto eccleſiaſtico, ut clarum videtur ex canon. *Omnis utriuſque ſexus*, ubi expreſsè habetur, quòd omnis fidelis teneatur ſolus confiteri peccata ſua. 2. Non etiam obligatur præcepto divino: quia cùm Eccleſia præcepto ſuo tantùm determinet tempus, quo præceptum divinum implendum eſt, per particulam illam, *Solus*, quam addit, apertè videtur ſignificare, vel ſupponere, eos tantùm obligari præcepto divino, qui per ſe & ſine tertio confiteri poſſunt. Aliqui tamen, ut Melchior Cano relect. de pœnit. part. 5. excipiunt articulum mortis, in quo cenſent hominem teneri ad confitendum per interpretem, ſi alio modo nequeat. Putant alii tunc ſufficere, ſi quis non poteſt confiteri niſi per interpretem, ut nutibus ſignificet ſacerdoti, ſe reum eſſe, & velle abſolvi; quo facto, ſacerdos poteſt & debet eum abſolvere.

Quæres 5. Utrùm teneatur præcepto confeſſionis, qui non poteſt niſi ſcripto confiteri?

Reſpondet Toletus eodem loco negativè: *Eſt*, inquit, *vera confeſſio* (quæ fit ſcripto) *quamvis nec ad hanc teneatur pœnitens, quia ex ſe eſt publica: nam quod ſcripto mandatur, ex ſe permanens eſt*. Toleto aſſentiuntur plurimi, quibus tamen ſuffragari non poſſumus: videtur enim nobis præcepto divino & eccleſiaſtico obligari ad confeſſionem, qui non poteſt niſi ſcripto confiteri, niſi morale periculum ſit, ne confeſſio ſcripta veniat in manus alterius quàm confeſſarii, quod periculum facilè caveri poteſt. Quando autem ſic juſta de cauſa fit confeſſio, debet legi à ſacerdote coram pœnitente, qui ante, vel poſt lectionem, ſigno aliquo ſignificet ſe reum eſſe peccatorum illorum, & velle ab illis abſolvi.

Quæres 6. Utrùm præcepto eccleſiaſtico confeſſionis ſatisfaciat is, qui confitetur invalidè?

Reſp. Non ſatisfacere, quantumvis confiteatur cum reverentia & devotione externa. Ratio eſt, quia Eccleſia præcepto ſuo confeſſionis annuæ, tantùm determinat tempus, quo implendum eſt præceptum divinum confitendi; adeòque non ſatisfit præcepto eccleſiaſtico, niſi ſatisfiat divino. Atqui non ſatisfit præcepto divino per confeſſionem invalidam. Ergo, &c.

At inquies. Quid ſi quis validè confiteatur, ſed per oblivionem, vel aliam juſtam ob cauſam omittat aliquod mortale?

Reſp. Talem ſatisfacere præcepto eccleſiaſtico confeſſionis annuæ. Ratio eſt quia talis ſatisfacit præcepto divino; & qui ſatisfacit præcepto divino, ſatisfacit etiam eccleſiaſtico. Suppono tamen eum confiteri aliquod mortale nondùm clavibus ſubjectum: nam ſi confiteatur tantùm venialia, quia non habet plura mortalia, ſed ſolùm illud, quod inculpabiliter omit-

Digitized by Google

omittit, non ſatisfacit præcepto eccleſiaſtico, quia non ſatisfacit divino, quod eſt tantùm de mortalibus, quæ clavibus nondùm ritè ſubjecta fuerunt: unde præcepto tum eccleſiaſtico tum divino tenetur, eodem anno confiteri peccatum mortale inculpabiliter omiſſum, ſi redeat in memoriam, vel ceſſet cauſa, ob quam inculpabiliter omiſſum eſt. Ex occaſione data.

Nota obiter. Qui ſemel aut ſæpiùs in anno venialia confeſſus eſſet, & poſteà eodem anno incideret in aliquod mortale, præcepto eccleſiaſtico & divino obligaretur ad confitendum. Ratio eſt, quia per venialium confeſſionem etiam ſæpiùs iteratam, non implevit præceptum divinum, quo, ut jam dictum eſt, tantùm præcipitur confeſſio mortalium; adeòque nec implevit præceptum eccleſiaſticum: qui verò legitimè & validè mortalia commiſſa confeſſus eſt, etiamſi poſteà eodem anno in mortalia reincidat, non tenetur præcepto eccleſiaſtico confeſſionis annuæ, quia nec tenetur præcepto divino, cui ſatisfecit.

Quæres 7. Utrùm præcepto confeſſionis annuæ ſatisfaciat, qui legitimè & validè mortalia confitetur, quocumque anni tempore confiteatur?

Reſp. Affirmativè. Ratio eſt, quia hoc præcepto non ſtatuitur certum tempus, quo confiteri oporteat, ſed tantùm ut omnis fidelis ſemel confiteatur ſingulis annis. Præterea, mos confitendi in quadrageſima, qui jam ſervatur in univerſa Eccleſia, nondùm inductus eſt ex animo obligandi, & ita nondùm vim legis obtinet, ut colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi dicit, confeſſionem annuam præceptam eſſe, morem verò confitendi in quadrageſima ſolùm probat & laudat: *Jam*, inquit, *in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo & maximè acceptabili tempore quadrageſima .... quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum*. Qui tamen antea confiteretur, & poſteà mortale aliquod admitteret, teneretur iterùm confiteri propter communionem paſchalem, ad quam tenetur. Excipe particulares aliquas eccleſias, in quibus à Conciliis provincialibus videtur confeſſio annua per canonem *Omnis utriuſque ſexus* præcepta, determinata eſſe ad tempus Paſchale.

Quæres 8. Ad quid teneatur is, qui omiſit ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter confiteri toto uno anno?

Prob. 1. Tenetur confiteri prima die anni ſequentis, ſi poteſt, aut prima data opportunitate: quòd ſi non confiteatur, peccat deinceps & continenter, donec confiteatur; tamdiu enim tranſgreditur præceptum, quo anno ſuperiore ad confitendum obligabatur, & cujus obligatio non expirat, ſed magis creſcit, quandiu in caſu propoſito differtur confeſſio: nam præcepto confeſſionis annuæ prohibetur, ne confeſſio differatur ultra annum à Kalendis Januarii ad Decembrem, vel à Paſchate ad Paſcha computatum; adeòque præcepto illo eò gravius prohibetur dilatio confeſſionis, quò longiori tempore ultra annum differtur confeſſio. 2. Si poſt confeſſionem peccet mortaliter eodem anno, tenetur iterùm eodem anno confiteri. Ratio eſt, quia confitendo ſatisfacit obligationi anni ſuperioris, non obligationi anni præſentis.

ARTICULUS V.

Utrùm confeſſio neceſſariò debeat fieri voce, ſecretò, ſine mala intentione, & ſine mendacio.

RESPONSIO I.

NOn eſt de eſſentia ſacramenti pœnitentiæ, ut confeſſio fiat voce, ſeu per oris locutionem.

Prob. 1. Ex uſu quotidiano Eccleſiæ: nam quotidie muti admittuntur ad confeſſionem. 2. Ex S. Leone epiſt. 91. ubi aſſerit, peccatores, converſionem ad mortem uſque differentes, abſolvendos eſſe, etiam voce deſtitutos, modò per nutus confiteantur: *Talium*, inquit, *neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo ab eis vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere comprobentur*. Immò ſtatuit, ut abſolvantur, etiamſi nequidem per nutus confiteri poſſint, modò alii in eorum præſentia teſtentur, eos confeſſionem petiviſſe: ſic enim proſequitur: *Quòd ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur*. 3. Ex Concil. Arauſicano I. can. 12. quo dicitur: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu*. 4. Ex Rituali Romano juſſu Pauli V. edito, ubi idem ſtatuitur his verbis, titul. de ſacrament. pœnitent. *Quòd ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur (ſacerdos) quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt*. Hoc autem Rituale approbavit Paulus V. & toti Eccleſiæ propoſuit, tanquam continens *receptos & approbatos Eccleſiæ ritus, ſuo ordine digeſtos*, hortans omnes, ut tanquam Eccleſiæ filii, obſervent illud, utpotè *Romanæ Eccleſiæ omnium matris & magiſtræ authoritate conſtitutum*.

Confirmatur: Ex Suarez tom. 4. in 3. part. S. Thomæ diſput. 21. ſect. 3. Quia primò ex verbis inſtitutionis habemus tantùm, neceſſarium eſſe, ut pœnitens aperiat judici cauſam ſuam: unde inferri non poteſt neceſſarium eſſe, ut hæc notitia detur per humanum ſermonem, neque Eccleſia hoc ſic interpretata eſt. Ergo, &c. 2. Sacramentum pœnitentiæ à Chriſto inſtitutum eſt, ut remedium maximè neceſſarium ad ſalutem peccatorum. Ergo ejus eſſentia limitari non debuit ad ſignum illud, quod ſæpiſſimè deeſt in articulo neceſſitatis; ne multi hoc ſacramento cum magno ſuo damno & animæ periculo carerent. Hujuſmodi autem ſignum eſt vox humana, qua non ſolùm muti, ſed etiam ægrotantes ſæpè numero deſtituuntur. De eſſentia itaque ſacramenti pœnitentiæ ea tantùm eſt confeſſio, quæ vera eſt pœnitentis accuſatio, qua pœnitens, quantùm hìc & nunc poteſt, omnia ſua peccata exponit ſacerdoti; quæ accuſatio per nutus haberi poteſt, aut aliquid ſimile, præſertim quando pœnitens non poteſt loqui.

Obj. Concilium Florent. in decr. Eugenii §. *Quartum*, dicit ſecundam partem materialem ſacramenti pœnitentiæ eſſe oris confeſſionem.

Reſp. Cum Suarez loco citato, ita loqui Florent. non quòd tantùm ore fieri poſſit confeſſio ad ſacramentum ſufficiens, ſed quia frequentiùs ita fit. Sic tertia pars materialis ejuſdem ſacramenti ſolet appellari operis ſatisfactio, non quòd pœnitens ſolis operibus ſatisfaciat, ſed quia frequentiùs ſatisfacit per opera, ut ſunt orationes, jejunia, eleemoſynæ, &c. Trident. autem ſeſſ. 14. c. 3. ad vitandam omnem æquivocationem, conſultò abſtinuit ab hac voce, *oris*, & abſolutè definiit, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe partes materiales ſacramenti pœnitentiæ.

Addit Suarez eodem loco, nullum extare præceptum, ſive divinum, ſive humanum ſcriptum, quo præcipiatur, ut confeſſio fiat ore; Attamen propter communem Eccleſiæ conſuetudinem hunc confitendi modum tenendum eſſe: ita ut confeſſio aliter, nutibus, ſcilicet, vel ſcripto, non fiat ſine culpa gravi ex genere ſuo, à qua tamen excuſare poteſt cauſa aliqua rationabilis.

Ras-

Responsio II.

Non eſt de eſſentia ſacramenti pœnitentiæ, ut confeſſio fiat ſecretò.

Prob. Ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi loquens de ſacramentali confeſſione, dicit, Chriſtum non prohibuiſſe confeſſionem publicam, ſi pœnitens voluntariè eam ex rationabili aliqua cauſa velit facere. *Cæterùm*, inquit, *quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum ſacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit quin aliquis, in vindictam ſuorum ſcelerum & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen, &c.* Ergo Chriſtus non inſtituit confeſſionem ſecretam, ut neceſſariam & eſſentialem ſacramento pœnitentiæ: nam ſi inſtituiſſet, hoc ipſo publicam confeſſionem prohibuiſſet: manifeſtum enim eſt, Chriſtum non potuiſſe modum aliquem confeſſionis inſtituere, tanquam eſſentialem & neceſſarium, quin hoc ipſo prohiberet oppoſitum. Ratio à priori eſt, quia Chriſtus ſolùm voluit, ut pœnitens ſacerdoti peccata ſua declararet, quod æquè fieri poteſt per confeſſionem publicam, ac per ſecretam.

Obj. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. dicit confeſſionem ſecretam non eſſe alienam à divino mandato, nec inventum humanum. Et Lateranenſe can. *Omnis utriuſque ſexus*, ſtatuit ut omnis fidelis ſemel in anno ſolus, adeoque ſecretò, confiteatur ſacerdoti. *Reſp.* cum Suare, diſp. citata ſect. 2. 1. Trid. non aliud velle, quàm confeſſionem ſecretam non eſſe contrariam præcepto divino, ſed illi conſentaneam; quia modus confitendi ſecretò, per ſe loquendo, convenientior eſt, & aptior ad tollendas omnes difficultates & ſcandala: imò verò illam aliquo modo ducere originem ab inſtitutione Chriſti, quatenùs Chriſtus indeterminatè inſtituit & præcepit confeſſionem: unde ſequitur, vi inſtitutionis Chriſti, confeſſionem ſecretam vel publicam eſſe faciendam. 2. Later. hanc vocem ſolus, addidiſſe, non ut modus confitendi ſecretò præſcribatur, ſed ne alius exigatur. Later. igitur non præcipit confeſſionem ſecretam, ſed ſolùm ea contentum eſt. Addit rectè Suarez, quòd propter Eccleſiæ conſuetudinem, culpa non vacaret is, qui ſine rationabili cauſa publicè vellet confiteri ſacramentaliter.

Responsio III.

Poteſt confeſſio eſſe valida, & ſufficiens ad ſacramentum pœnitentiæ, etiamſi conjuncta ſit cum aliquo pruritu vanæ gloriæ, vel alio ſimili effectu venialiter malo.

Prob. Nam ut confeſſio ſit valida, & ſufficiat ad ſacramentum pœnitentiæ, ſatis eſt, ſi omnia peccata, quæ declaranda ſunt, ritè declarentur cum vera, & qualis eſſe debet, de peccatis illis contritione. Atqui hæc duo eſſe poſſunt cum affectu venialiter malo. Ergo, &c. *At inquies*. Affectus de ſe tantùm venialiter malus, ſi cum ſacramentali confeſſione conjungatur, hoc ipſo ſit malus graviter: eſt enim gravis irreverentia erga ſacramentum. *R.* hoc dici gratis.

Responsio IV.

Mendacium in materia confeſſionis commiſſum, quandoque peccatum mortale eſt, & tunc confeſſionem reddit invalidam; quandoquè veniale tantùm, & tunc valida eſt confeſſio, ac ſufficiens ad ſacramentum.

Ad prob. nota. Poteſt aliquis in re ad confeſſionem pertinente mentiri quinque modis. 1. Negando ſe feciſſe aliquod veniale, quod fecit, 2. Negando ſe feciſſe aliquod mortale, quod fecit, ſed quod non tenetur hic & nunc confiteri, quia vel jam illud ſubjecit clavibus, vel non tenetur illud hic & nunc ſubjicere, eò quòd habeat juſtam cauſam illud reticendi hic & nunc. 3. Negando ſe feciſſe aliquod mortale, quod tamen fecit, & quod tenetur hic & nunc confiteri. 4. Confitendo aliquod veniale, quod non fecit. 5. Denique, confitendo aliquod mortale, quod non fecit. Supponimus autem eum qui in materia confeſſionis mentitur, hoc facere ſcienter, vel ex ignorantia culpabili: hic enim de mendacio formali loquimur, non de materiali tantùm. Jam

Prob. Reſp. 1. Qui confitetur aliquod veniale, quod non fecit, vel ſimul aliquod aliud, ſive veniale, ſive mortale, quod fecit, confitetur, vel non. Si primum, venialiter tantùm peccat, quia peccat tantùm in materia levi, nec neceſſaria ſacramento: unde nec confeſſario, nec ipſi ſacramento gravem injuriam facit. Si ſecundum, peccat mortaliter, quia nullam dat materiam abſolutionis, adeoque ſacramentum irritum eſt. 2. Qui confitetur aliquod mortale, quod non fecit, peccat mortaliter. Ratio eſt quia confeſſarium decipit in materia gravi & neceſſaria, ejuſque judicium pervertit: confeſſarius enim in re tam gravi errans, non poteſt hic & nunc prudens ferre judicium. 3. Qui negat ſe feciſſe aliquod mortale, quod tamen fecit, & quod tenetur hic & nunc confiteri, peccat mortaliter, propter rationem modò allatam. 4. Qui primo vel ſecundo modo mentitur, venialiter tantùm peccat, modò tamen aliundè ſufficientem abſolutionis materiam ſubminiſtret. Ratio eſt, quia nullam injuriam facit confeſſario, cui interroganti non tenetur fateri peccatum illud, de quo interrogat; nec falſificat formam ſacramenti, aut impedit, ne confeſſarius judicium de ipſo, quale eſſe debet hic & nunc, ferat.

Obſerva obiter, eum qui facit confeſſionem generalem, & ſimul declarat aliqua mortalia, quæ nondùm confeſſus eſt, ſeu quæ admiſit poſt ultimam confeſſionem, teneri ad dicendum hæc peccata fuiſſe poſt ultimam confeſſionem commiſſa; & ſi interrogatus hoc neget, reum eſſe mortalis mendacii. Ratio eſt, quia in re gravi & neceſſaria decipit confeſſarium, qui exiſtimat mortalia illa jam fuiſſe declarata & remiſſa, nec eſſe materiam neceſſariam ſacramenti: unde non poteſt prudenter judicare, quam pœnam pro illis imponi conveniat: alia enim pœna mortalibus remiſſis, & alia non remiſſis ſacramentaliter, imponenda eſt.

Responsio V.

Ut confeſſio ſit valida & ſufficiens ad ſacramentum requiritur ut fiat in præſentia ſacerdotis.

Prob. Authoritate Clementis VIII. qui hanc propoſitionem, *Licet per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eo abſente abſolutionem obtinere*, damnavit ut falſam, ſcandaloſam, & temerariam, quoad utramque partem conjunctim & diviſim: nam interpretatio hujus decreti, facta à quodam Theologo, quaſi in eo damnata non eſſet utraque diviſim pars propoſitionis, reprobata fuit in Officio ſanctæ Inquiſitionis ſub ipſo Clemente, & poſtea à Paulo V. anno 1605. Ratio à priori eſt, quia, ut notat Vaſquez tom. 4. in 3. p. S. Thom. quæſt. 91. a. 4. dub. 1. ſenſus hujus formæ, *Ego te abſolvo*, ex Chriſti inſtitutione requirit præſentiam pœnitentis, actu ſcilicet ſiſtentis ſe ſacerdoti, & ſe ipſum accuſantis per ſe, vel per alium. Hæc autem Chriſti inſtitutio patet, 1. ex declaratione Clementis VIII. 2. Ex communi Eccleſiæ ſenſu, quo perſuaſus Clemens oppoſitam ſententiam condemnavit, non modò ut falſam & ſcandaloſam, ſed etiam ut temerariam.

ARTICULUS VI.

Utrùm ad valorem confeſſionis ſacramentalis, requiratur ut ſit integra.

Responsio I.

INtegritas eſſentialis eſt Confeſſioni ſacramentali, ita ut nulla ſit confeſſio, ſi ſit diminuta culpabiliter.

Prob. Ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi hæc leguntur: *Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt. Qui verò ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat.* Quibus verbis Synodus manifeſtè declarat confeſſionem invalidam eſſe, & inſufficientem ad Sacramentum, ſi in ea mortale aliquod culpabiliter omittatur.

Dixi, culpabiliter diminuta: nam confeſſio valida eſt, ſi ſit diminuta inculpabiliter, ut prob. ex eod. cap. ubi inferiùs ſic proſequitur Synodus: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine.* Quibus verbis Synodus apertè docet valere confeſſionem, & ad ſacramentum ſufficere, etiamſi mortalia aliqua omittantur per oblivionem inculpabilem. De quavis autem alia impotentia, ſive phyſica, ſive morali, omnia mortalia confitendi eadem eſt ratio, ac de oblivione, ut tenent Doctores omnes.

RESPONSIO II.

Ut confeſſio ſit valida, requiritur ut pœnitens confiteatur omnia & ſingula mortalia, quorum ſibi conſcius eſt poſt diligens examen, & quæ nondùm debitè confeſſus eſt, niſi tamen legitima cauſa excuſet.

Prob. 1. Ex Patribus. Inſtar omnium ſit Chryſoſtomus homil. 20. in Geneſim, ubi ait: *Attamen qui hæc fecit, ſi voluerit, ut decet, uti conſcientiæ adjumento, & ad confeſſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere ulcus, quod curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emundabit: confeſſio enim peccatorum abolitio etiam eſt.* Pondera hæc verba, *Dicere cum diligentia*: quid enim aliud eſt peccata ſua dicere cum diligentia, quàm omnia & ſingula dicere, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt?

2. Ex Conc. Flor. in decreto Eugenii §. *Quartum*, in quo dicitur: *Secunda* (pars) *eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet* (ſupple poſt diligentem inquiſitionem) *ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter.*

3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi hæc habet: *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſus duo ultima Decalogi præcepta, commiſſa.* Et can. 7. quo dicitur: *Si quis dixerit in ſacramento pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum, neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, &c. anathema ſit.*

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui ut ait Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. *ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur,* (quantum moraliter poteſt fieri) *in quæ Chriſti fideles ceciderint; quò pro poteſtate clavium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient.* Pœnitens autem omnia mortalia ſua crimina non defert, quantùm moraliter poteſt, ad ſacerdotes, niſi confiteatur omnia & ſingula, quorum cum diligenti examine meminiſſe poteſt.

Dixi autem, 1. Omnia & ſingula mortalia, hoc eſt, omnia mortalia & quoad ſpeciem, & quoad numerum. Dixi 2. Quorum ſibi conſcius eſt poſt diligens examen: nam ſi facto diligenti examine, alicujus mortalis non meminit, ſicque illud propter oblivionem omittat, nihilominùs confeſſio erit valida. Nam ut ait Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. *conſtat nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.*

Dixi 3. Et quæ nondùm debitè confeſſus eſt: nam v. g. ſi mortale confeſſus eſt ut veniale, quia bona fide putavit eſſe veniale, ſi poſtea advertat mortale fuiſſe, tenetur illud ut mortale confiteri, quia in æſtimatione prudenti nondùm illud confeſſus eſt. Dixi denique 4. Niſi tamen aliqua cauſa legitima excuſet: nam variis ex cauſis fieri poteſt, ut confeſſio ſit valida, & ad ſacramentum ſufficiens, quamvis pœnitens non confiteatur omnia mortalia, quorum poſt diligens examen ſibi conſcius eſt; ut ſi inchoata confeſſione, ſenſibus deſtituatur. Sed de hoc infra. Ex his ſit

COROLLARIUM.

Integritas formalis, non verò materialis, eſſentialis eſt confeſſioni ſacramentali, & ad ejus valorem neceſſaria.

Prob. Nam integritas materialis eſt, cùm pœnitens confitetur omnia omninò mortalia & quoad ſpeciem, & quoad numerum, quæ poſt baptiſmum commiſit, & quæ nondùm ritè confeſſus eſt; integritas verò formalis eſt, quando pœnitens confitetur omnia & ſingula mortalia, quorum ſibi conſcius eſt poſt diligentem ſui diſcuſſionem, vel ſaltem confitetur omnia, quæ tenetur hic & nunc confiteri; ita ut nullum omittat ſine legitima excuſatione. Atqui, ut patet ex dictis, confeſſio valida eſt, & ad ſacramentum ſufficiens, modò pœnitens confiteatur omnia & ſingula mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem meminit, ita ut nullum ſine legitima cauſa reticeat, ut patet ex ſupra dictis. Ergo, &c. Sed

Obſerva, pro ſequenti articulo duplices eſſe circumſtantias peccatorum: aliæ enim ſunt, quæ mutant ſpeciem; ut ſi quis furetur in loco ſacro rem, ibi velut in azilo depoſitam; nam circumſtantia loci furtum conſtituit in genere ſacrilegii: aliæ verò non mutant ſpeciem, ſed tantùm intra ſpeciem eandem augent, vel minuunt peccatum; ut ſi quis furetur centum nummos; nam circumſtantia quantitatis ſpeciem peccati non mutat, ſed tantùm auget furtum intra ſpeciem furti. Porrò utræque circumſtantiæ, tam mutantes ſpeciem, quàm aggravantes, adhuc ſunt duplices: aliæ enim mutant ſpeciem, vel aggravant mortaliter; aliæ verò venialiter tantùm. Denique circumſtantiæ, quæ mortaliter aggravant, ſunt in duplici differentia: nam aliæ peccatum de veniali efficiunt mortale; ſic v. g. furari aſſem diviti, veniale eſt, at furari centum, mortale: aliæ verò peccatum mortale efficiunt majus duplo, triplo, &c. ſic v. g. ſi furari centum aſſes, eſt peccatum mortale, furari ducentos, eſt mortaliter gravius duplo, & ita furtum eſt mortale duplex æquivalenter. His præſuppoſitis, ſit

---

ARTICULUS VII.

Utrùm ad valorem Confeſſionis ſacramentalis neceſſarium ſit, ut declarentur circumſtantiæ peccatorum.

RESPONSIO I.

AD valorem confeſſionis ſacramentalis requiritur, ut circumſtantiæ, peccati ſpeciem mutantes, ſingillatim declarentur.

Ita Doctores omnes catholici, & eſt de fide, & *prob. breviter* ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. in quo hæc leguntur: *Colligitur præterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant: quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint,*

poſſint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Et can. 7. anathematizatur *qui dixerit, in ſacramento Pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri . , . circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant.* Ex verbia porrò Trid. laudaris apparet, Florentinum in decreto, §. *Quartum*, cùm ſit ad conſeſſionem, validam ſcilicet & ſufficientem ad ſacramentum, pertinere *ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter*, ad valorem confeſſionis tequirere declarationem circumſtantiarum ſaltem illarum, quæ mutant ſpeciem peccati. Sed

Nota, reſponſionem intelligendam eſſe, 1. de circumſtantiis ſpeciem mutantibus mortaliter: nam de mutantibus venialiter tantùm, eadem eſt ratio ac de aliis venialibus, de quibus Trid. cap. cit. docet, citra culpam in confeſſione taceri poſſe.

2. De circumſtantiis quæ motant ſpeciem moralem, non verò phyſicam tantùm. Ratio eſt, quia in foro pœnitentiæ non curatur mutatio phyſica, ſed moralis; nec confeſſarius judicare debet de ſpeciebus entis, ſed de moribus: unde ſpecies phyſicæ non ſunt aperiendæ in confeſſione, niſi quatenùs ſpectant ad explicandas ſpecies morales, & earum mutationes: quare v. g. ſi quis gladio alterum occidit, neceſſe non eſt, ut dicat ſe alterum occidiſſe gladio: nam quod gladio occiderit potiùs quàm ſclopeto, hoc non mutat ſpeciem moralem peccati, ſed phyſicam tantùm; facit enim actionem occidentis eſſe phyſicè diverſam, ſed non conſtituit eam in alio genete vitii: at ſi quis furetur rem in loco ſacro tanquam in azilo depoſitam, tenetur exprimere circumſtantiam loci, quia mutat ſpeciem moralem peccati, conſtituendo illud in genere ſacrilegii.

3. De circumſtantiis admiſſis ſcienter, vel ex ignorantia graviter culpabili; alioquin non mutant peccati ſpeciem ſaltem graviter & mortaliter: unde ad illas exprimendas non magis tenetur pœnitens, quàm ad exprimenda venialia, aut ea quæ ſunt tantùm peccata materialiter.

4. Denique de circumſtantiis, quæ aliunde non ſunt ſatis notæ confeſſario: ſic v. g. ſacerdos confeſſario notus, ſi apud ipſum ſe accuſet de peccato contra caſtitatem, non tenetur exprimere circumſtantiam voti, quam confeſſarius ſatis intelligit per confeſſionem peccati contra caſtitatem admiſſi.

RESPONSIO II.

Ad valorem confeſſionis ſacramentalis requiritur etiam ut declarentur circumſtantiæ mortaliter aggravantes, ſive de venialia mutent peccatum in mortale, ſive non mutent, ſed mortale mortaliter gravius efficiant.

Prima pars, nempe quòd declarandæ ſint circumſtantiæ, quæ de veniali mortale efficiunt, eſt extra controverſiam, & tenent eam Scholaſtici omnes. Et ratio manifeſta eſt, quia pœnitens reticendo circumſtantiam, propter quam peccatum, quod confitetur, mortale eſt, & ſine qua eſſet tantùm veniale, non confitetur peccatum mortale, quà mortale eſt. Atqui pœnitens mortalia omnia, quà mortalia, & quoad ſpeciem & quoad numerum confiteri debet: clarum enim eſt, ea aliter non innoteſcere confeſſario, nec aliter fieri poſſe, ut de illorum gravitate rectè cenſeat, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitenti injungat confeſſarius.

Secunda pars, nempe quòd etiam declarandæ ſint circumſtantiæ, quæ mortale mortaliter aggravant, controvertitur inter inſignes ſcholæ Doctores, S. Thomam ſcilicet, S. Bonaventuram, Durandum, &c. qui negant, & Altiſiodorenſem, Alenſem, Marſilium, Suarem, &c. qui affirmant; cum quibus

Prob. 1. Ex veteris Eccleſiæ ſenſu, quem colligimus ex cap. *Non debet* 30. q. 1. quo, Epiſcopo, qui cum muliere ſibi confeſſa fornicatus eſt, quindecim annorum, & presbytero, qui idem crimen admiſit, annorum duodecim pœnitentia imponitur, atque inſuper jubetur deponi presbyter, ſi delictum ejus *in conſcientiam populi devenerit:* ex quo apparet hoc capite agi de delictis etiam occultis, quibus, quamvis ſint ejuſdem ſpeciei, præſcribitur diverſa pœnitentia propter diverſam gravitatem, ortam ex diverſa perſonarum circumſtantia, quam proinde in confeſſione declarandam fuiſſe, caput citatum manifeſtè ſupponit. Accedit Concilium Vvormatienſe can. 25. quo dicitur: *Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum, ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque ſacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingillatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum . . ., examinare, manifeſteque cognoſcere.* Tenentur ergo pœnitentes, juxta Vvorm. Conc. originem, & modum culparum ſuarum, adeoque circumſtantias aggravantes ſacerdoti declarare, cùm juxta idem Conc. ſacerdos teneatur eas examinare, manifeſteque cognoſcere, ad hoc ſcilicet, ut pœnitentiam convenientem pœnitenti poſſit injungere. An. 868.

Prob. 2. Ex Conc. Flor. loco ſupra citato, ubi cùm dicitur, peccatorem debere omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteri integraliter, to *integraliter*, manifeſtè cadit in mortalia ſingillatim ſumpta. At quomodo peccator dici poteſt confiteri integraliter mortale aliquod, cujus circumſtantiam mortaliter ipſum aggravantem ſupprimit? Sic v. g. qui una & eadem actione furatus eſt mille aureos, quomodo dici poteſt confiteri integraliter peccatum ſuum, ſi tantùm dicat, Peccavi mortaliter in materia furti, vel, furatus ſum aliquot aureos, aut etiam, furatus ſum plures aureos?

Prob. 3. Ex doctrina Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. tradita: nam ibi requiritur ea confeſſio, ex qua ſacerdos *de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Atqui talis non poteſt eſſe confeſſio, niſi declarentur circumſtantiæ, mortalia mortaliter aggravantes, ut per ſe manifeſtum videtur. Certè juxta Trident. ſacerdotes non poſſunt rectè cenſere de gravitate criminum, & pro eis debitam pœnam imponere, niſi declarentur circumſtantiæ ſpeciem mutantes mortaliter, At ſæpe fit, ut circumſtantia mortale mortaliter aggravans, magis augeat peccati malitiam, quàm circumſtantia mortaliter mutans ſpeciem: nam v. g. furtum mille aureorum eſt peccatum gravius, quàm furtum unius aurei in loco ſacro factum, quamvis propter circumſtantiam loci ſacri, hoc furtum ſit etiam in ſpecie ſacrilegii. Ergo ſæpe ſacerdos multò minus poteſt rectè cenſere de gravitate criminum, & pro illis debitam pœnam imponere, niſi circumſtantiæ mortaliter aggravantes declarentur.

Confirm. 1. Ex communi uſu fidelium timoratorum, qui ſolent confiteri non modò circumſtantias mutantes ſpeciem, ſed etiam eas quæ aggravant notabiliter, ſeque malè confiteri has circumſtantias notabiliter aggravantes reticendo judicarent. 2. Quia mortale reſervari poteſt propter circumſtantiam mortaliter aggravantem: nam v. g. reſervari poteſt furtum, ſi certa quantitas ſurripiatur, putà furtum mille aureorum. Ergo circumſtantia mortaliter aggravans eſt materia neceſſaria confeſſionis: nam ſi non eſſet, mortale non poſſet reſervari propter illam: ideò enim venialia reſervari non poſſunt, propriè loquendo, quia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis. Ergo circumſtantia mortaliter aggravans neceſſariò exprimenda eſt in confeſſione. 3. denique ſi circumſtantiæ mortale mortaliter aggravantes confitendæ non ſunt, qui per annum integrum ſine ulla interruptione perſeveraſſet in voluntate alterum occidendi, ſatisfaceret dicendo, Volui alterum occidere. Item qui alterum modo valdè crudeli occidiſſet, v. g. vivum comburendo, ſatisfaceret dicendo, occidi hominem; item qui una vice mille aureos ſurripuiſſet, ſatisfaceret dicendo, peccavi mortaliter in materia furti. Sed hæc aliaque ſimilia videntur planè abſurda & falſa. Ergo, &c.

Obj. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens quænam circumſtantiæ explicandæ ſint in confeſſione, ſolùm meminit earum, quæ mutant ſpeciem. Ergo vel doctrina Concilii diminuta eſt, vel aliæ circumſtantiæ, quæ tantùm mortaliter aggravant mortale, & ſpeciem non mutant, non ſunt neceſſariò explicandæ.

Reſp. Concilium noluiſſe expreſsè definire quæſtionem inter Doctores catholicos controverſam: attamen omnino favet ſententiæ noſtræ, dum ait confitendas eſſe circumſtantias ſpeciem mutantes, ut ſacerdos rectè cenſere poſſit de gravitate criminum, & ſatisfactionem convenientem pœnitenti injungere: hæc enim ratio æquè valet, imò ſæpe magis urget pro circumſtantiis, intra eandem ſpeciem mortalia mortaliter aggravantibus: nam ſæpe harum circumſtantiarum declaratio ad rectè cenſendum de gravitate criminum, & ſatisfactione injungenda, magis neceſſaria eſt, quàm declaratio circumſtantiarum ſpeciem mutantium, aut etiam numeri peccatorum.

Obj. 2. Chriſtus ſolùm inſtituit, ut mortalia explicarentur quoad ſpeciem & numerum: unde oportet quidem explicari circumſtantias ſpeciem mutantes, quia moraliter conſtituunt peccata ſpecie diverſa; at neceſſe non eſt explicari circumſtantias mortaliter aggravantes, quia non addunt novum peccatum.

Reſp. neg. obj. Chriſtus itaque inſtituit, ut mortalia explicarentur eo modo, qui ſufficeret ad rectè cenſendum de gravitate criminum, & pœnitentia imponenda. Ad hoc autem non ſufficit, quòd mortalia explicentur quoad ſpeciem & numerum, niſi etiam explicentur quoad circumſtantias mortaliter aggravantes, quæ ſæpe magis variant judicium prudens confeſſarii, quàm ſpecies & numerus.

Obj. 3. Declaratio circumſtantiarum illarum, quæ mortaliter aggravant intra eamdem ſpeciem, moraliter impoſſibilis eſt rudioribus, qui diſcernere non poſſunt, quandonam circumſtantiæ notabiliter aggravent.

Reſp. neg. Nam circumſtantia notabiliter aggravans, vel eſt circumſtantia durationis, vel quantitatis damni illati, vel modi quo peccatum admiſſum eſt, vel denique intenſionis. At quiſque, etiamſi rudis ſit, facilè poteſt diſcernere, an diu perſeveraverit in mala voluntate; an modo valdè perverſo malam voluntatem executus ſit, aut exequi voluerit; an quantitatem valdè notabilem furatus ſit, aut damnum valdè notabile intulerit. Quòd verò attinet ad intenſionem actus, neceſſe non eſt, ut declarentur gradus ejus, qui non modo à rudibus, ſed etiam à doctis diſcerni nequeunt. Sed cùm notabiliter major eſt, quàm ſit ordinariè, hoc ſatis innoteſcit ex effectu, vel modo quo effectus poſitus eſt; unde ſufficienter exprimitur, declarando effectum, vel modum quo poſitus eſt effectus, nec opus eſt alia diſcretione.

Obj. 4. Si circumſtantiæ notabiliter aggravantes declarandæ ſunt, debent etiam declarari circumſtantiæ minuentes.

R. Ita eſſe, ſi notabiliter minuant, vel efficiendo ne ſit mortale, quod eſſet alioqui mortale, vel efficiendo ne mortaliter gravius ſit, quod alioquin eſſet gravius mortaliter, modò tamen hæ circumſtantiæ confeſſario ſufficienter non innoteſcant ex modo contuendi, aut ordinariè committendi talia peccata. Ratio eſt, quia hæ circumſtantiæ tam variant judicium confeſſarii, quàm circumſtantiæ aggravantes, adeoque tam neceſſaria eſt earum declaratio ad hoc ut confeſſarius rectè cenſeat de qualitate delictorum, & ſatisfactione injungenda. Porrò quod hic dicitur de circumſtantiis minuentibus intra eandem ſpeciem, intelligi debet propter ſimilem rationem, de circumſtantiis minuentibus, variando ſpeciem.

Quæres 1. utrùm in confeſſione exprimendus ſit actus externus?

R. affirm. Ratio eſt, quia actus externus conſtituit cum actu interno unum actum totalem, unumque peccatum. Adde quòd ſæpe actus externus cenſuris & variis obligationibus obnoxius eſt, quibus non ſubjacet actus internus: unde etiam oritur obligatio confitendi actum externum.

Quæres 2. utrùm etiam declarandus ſit effectus, qui ex actu externo ſecutus eſt? Aliquis v. g. propinavit venenum alteri, ex quo mors ſubſecuta eſt: an ſatisfaciat, dicendo præcisè: Propinavi venenum alteri?

Reſp. declarandum etiam eſſe effectum, ſi eodem tempore, vel ſtatim poſt, ex actu externo ſequatur: nam tunc facit unum moraliter cum actu externo, ex quo ſequitur: imò effectus declarandus eſt, etiamſi non ſequatur ex actu externo, niſi aliquandiu poſt, & cùm ampliùs liberum non eſt illum impedire. Ratio eſt, quia talis effectus, cùm ſequatur ex actu externo liberè poſito, ſufficienter ei, qui actum externum poſuit, liber eſt, ut illi ad culpam imputetur. Præterea, declaratio talis effectus ſæpe neceſſaria eſt, ut confeſſarius cognoſcat, utrùm pœnitens contraxerit aliquam cenſuram, vel irregularitatem, vel obligationem reſtituendi, &c.

Quæres 3. quid ſentiendum ſit de actu realiter unico, ſed virtualiter multiplici ſecundùm malitiam, propter diverſas perſonas, in quas ſimul tendit: ut ſi quis uno ictu plures occidit, una narratione plures infamavit, &c.

Reſp. tunc exprimendum eſſe numerum perſonarum, reſpectu quarum, malitia actus eſt multiplex virtualiter: nam alioquin ſacerdos non poterit rectè cenſere de gravitate criminis, &c.

Quæres 4. ad quid teneatur, qui aliquandiu, v. g. per menſem, habitualiter perſeveraverit in mala aliqua voluntate, v. g. occidendi?

Reſp. teneri ad exprimendum, quantùm poteſt moraliter, numerum actuum malorum, intra tempus illud iteratorum; nec ſatisfacere, ſi tantùm dicat: Habitualiter perſeveravi per menſem in voluntate occidendi. Interrogandus eſt igitur pœnitens, an ſingulis hebdomadis, diebus, horis, & quoties malam illam voluntatem habuerit.

Quæres 5. quid facere debeat pœnitens, quando poſt diligens examen, non poteſt determinare, quoties præcisè peccaverit?

Reſp. teneri ad exprimendum numerum peccatorum ſuorum cum aliqua latitudine, quæ proximè ad rei veritatem accedat, dicendo, v. g. Hoc feci ſepties, plùs, minùs. Quòd ſi tamen, propter lapſuum multitudinem, vel nimiam confeſſionis dilationem, aut aliquam aliam cauſam, ne quidem poteſt peccatorum numerum ſic exprimere, ſacerdos ab eo quærat, à quo tempore talem habuerit peccandi conſuetudinem, & quoties per diem, vel hebdomadam, vel menſem ſolitus fuerit tale peccatum committere, ut hoc pacto numerus peccatorum innoteſcat, quantùm fieri poteſt moraliter.

ARTICULUS VIII.

Utrùm pœnitens poſſit, & debeat manifeſtare confeſſario peccatum complicis, quando id neceſſarium eſt, ut peccatum ſuum integrè confiteatur.

1. CErtum eſt, pœnitentem, ſi non poteſt peccatum ſuum integrè confiteri, niſi manifeſtando peccatum complicis, teneri, ſi poteſt ſine gravi incommodo, adire confeſſarium, cui ignotus ſit complex, quia tunc adeundo confeſſarium, cui complex notus eſt, vel manifeſtabit peccatum complicis, vel non. Si primum, ſine neceſſitate infamabit proximum. Si ſecundum, peccatum ſuum non confitebitur integrè ſine juſta cauſa, ſeu ſine cauſa ipſum excuſante ab integritate confeſſionis.

2. Certum eſt, pœnitentem, ſi confiteatur ſacerdoti, cui complex ignotus eſt, teneri ad manifeſtandum peccatum complicis, ſi non poteſt aliter peccatum ſuum integrè confiteri: tunc enim nihil eſt, quod ipſum excuſare poſſit ab integri-

tate

tate confeſſionis; nam ſi quando excuſari poteſt ab integritate confeſſionis, certè quia integrè confitendo, & ad hoc complicis peccatum manifeſtando, complicem infamaret. Atqui ſi confiteatur ſacerdoti, cui complex ignotus eſt, non infamat complicem, peccatum ejus manifeſtando. Ergo, &c.

3. Certum eſt, pœnitentem, qui non poteſt integrè confiteri peccatum ſuum, niſi manifeſtando peccatum complicis, nec habet copiam confeſſarii, cui complex ignotus ſit, ſi nulla ad confitendum neceſſitate urgeatur, teneri ad confeſſionem differendam, & expectandum alium confeſſarium, cui complex ſit ignotus. Ratio eſt, quia ex charitate & juſtitia tenetur pœnitens, famæ complicis parcere, quantùm commodè poteſt, nec ipſum lædere ſine neceſſitate, vel alia gravi & rationabili cauſa: nam ſi ex manifeſtatione delicti complicis, facta confeſſario, cui notus eſt, magna aliqua utilitas vel ipſius pœnitentis, vel complicis, vel alicujus tertiæ perſonæ, vel communitatis ſperaretur, pœnitens, licèt non urgeretur neceſſitate confitendi, poſſet manifeſtare delictum complicis, atque ita confeſſario, cui notus eſt complex, confiteri.

Imò verò ſi ex reticentia delicti complicis graviſſima aliqua incommoda imminerent vel ipſi pœnitenti, vel tertiæ perſonæ, vel alicui communitati, pœnitens teneretur crimen complicis aut confeſſario, cui notus eſt, aperire, ſive extra confeſſionem, ſive in confeſſione, cum licentia utendi ea notitia, quantùm opus eſt ad afferendum malo remedium; aut alteri, qui poſſet remedium afferre. Quòd ſi pœnitens nollet dare confeſſario licentiam utendi ea notitia, quantùm opus eſt, &c. aut audire alterum, qui poſſet malo mederi, eique complicem detegere, deberet confeſſarius ei abſolutionem denegare, tanquam indiſpoſito, & recuſanti ſatisfacere obligationi gravi juris naturalis.

Porrò debet confeſſarius magnam adhibere cautionem, ne uſum ſacramenti reddat odioſum, ne uſus licentiæ ſibi à pœnitente datæ pariat ſcandalum, ne ſine fructu aliquid ſuſcipiat, atque imprimis ne decipiatur à pœnitente: neque enim inſolitum eſt, ut à falſis pœnitentibus falſa crimina aliis impingantur. Caveat igitur confeſſarius, ne cuilibet contra quemlibet faciles nimiùm aures præbeat.

4. Si tantùm adſit confeſſarius, cui complex notus eſt, & urgeat obligatio confitendi, pœnitens poteſt, & debet declarare peccatum complicis, ut peccatum ſuum integrè confiteatur, etiam ſecluſa omni alia cauſa, propter quam neceſſe ſit, vel expediat complicem manifeſtari. Ratio eſt, quia pœnitens ex inſtitutione & præcepto Chriſti, peccatum ſuum integrè confiteri tenetur, etiam cum propria infamia apud confeſſarium ſubeunda. Ergo à fortiori ad id tenetur cum infamia complicis ſecutura apud eundem confeſſarium: plus enim ex natura rei requiritur, ut quis obligetur ad ſeipſum infamandum, manifeſtando crimen ſuum, quàm ut obligetur ad infamandum alterum manifeſtando crimen illius.

Igitur ex eo quòd inſtitutio Chriſti pœnitentem obliget ad integrè confitendum, cum detrimento propriæ famæ apud confeſſarium, cui notus eſt, ſive illi ex neceſſitate confiteatur, quia urgetur præcepto confitendi, & non habet copiam alterius confeſſarii, cui ignotus ſit; ſive non, quia tantùm ex devotione confitetur; vel alterius confeſſarii, cui notus non eſt, copiam habet; rectè infertur, pœnitentem ex eadem Chriſti inſtitutione obligari ad confitendum integrè cum detrimento famæ complicis apud confeſſarium, cui notus eſt; quanquam, ut jam dictum eſt, ex charitate & juſtitia teneatur confeſſarium, cui ignotus eſt complex, adire, ſi poteſt, & cùm non poteſt, expectare, niſi urgeat præceptum confeſſionis, vel adſit aliqua alia neceſſitas confitendi, vel gravis aliqua & rationabilis cauſa complicem confeſſario, cui notus eſt, manifeſtandi.

At inquies. Si pœnitens prudenter timeret, ne revelando crimen complicis confeſſario, cui notus eſt, complex incurreret grave aliquod malum ab infamatione diſtinctum, puta ne complex exhæredaretur à confeſſario, poſſet & deberet etiam eo caſu, quo urget præceptum confeſſionis, & tantùm adeſt confeſſarius, cui complex notus eſt, celare crimen complicis. Ergo ſimiliter poteſt & debet celare crimen complicis, ad vitandam ejus infamationem. *Reſp.* neg. conſeq. Pœnitens enim, qui confeſſario, cui notus eſt, confitetur, crimen ſuum celare non poteſt ad vitandam propriam infamiam, quamvis celare illud poſſet, ſi ex revelatione illius prudenter ſibi timeret grave aliquod malum à propria infamia diſtinctum. Ergo à fortiori, &c.

At inquies. Præcepto naturali prohibitum eſt, ne infametur proximus. Ergo præcepto naturali prohibitum eſt, ne occultum complicis crimen manifeſtetur confeſſario, cui notus eſt complex. Ergo præceptum confeſſionis nec obligat, nec obligare poteſt ad occultum complicis crimen manifeſtandum confeſſario, cui notus eſt complex: nam præceptum poſitivum etiam divinum, nec obligat, nec obligare poteſt contra præceptum naturale. Ergo cùm tantùm adeſt confeſſarius, cui complex notus eſt, quantumlibet præceptum confeſſionis urgeat, pœnitens nec debet, nec poteſt manifeſtare crimen complicis, licèt non poſſit, niſi manifeſtando crimen complicis, integrè confiteri.

Reſp. Præcepto naturali prohibitum tantùm eſſe, ne infametur proximus cum intentione & ſine rationabili cauſa ipſum infamandi. Unde pœnitens licitè non poteſt occultum complicis crimen manifeſtare confeſſario, cui notus eſt complex. 1. Si hoc neceſſarium non eſt, ut integrè confiteatur. 2. Si nulla neceſſitate urgetur ad confitendum, & ita tunc tenetur differre confeſſionem, ſi non habet copiam confeſſarii, cui complex ignotus ſit. 3. Si neceſſitate aliqua ipſum urgente ad confitendum, poteſt ſine gravi incommodo adire confeſſarium alium, qui complicem non norit, & tunc confeſſarium hunc tenetur adire. At ſi tantùm adeſt confeſſarius, qui novit complicem, & urget præceptum confeſſionis, nec poteſt pœnitens integrè confiteri, niſi manifeſtando occultum crimen complicis, atque ita complicem apud confeſſarium infamando; tunc pœnitens juſtam & rationabilem cauſam habet infamandi complicem apud confeſſarium; cùm tunc non poſſit aliter ſervare confeſſionis integritatem, à qua ſicut non excuſatur, quia ſe ipſum infamaturus eſt apud confeſſarium crimen ſuum declarando, ita nec, & multò minus excuſatur, quia apud eundem infamaturus eſt complicem, manifeſtando crimen ejus.

At inquies. Quid ſi pœnitens vim intulit complici, putà ſorori? *Reſp.* Tunc quidem gravior eſt obligatio quærendi confeſſarium, cui ignotus ſit complex, quia tunc tenetur pœnitens magis providere famæ complicis propter illatam ei injuriam. At ſi tantùm adeſt confeſſarius, cui nota eſt ſoror, & urget præceptum confeſſionis, pœnitens poteſt & debet declarare confeſſario occultum ſtuprum ſorori per vim illatum, cùm non poſſit aliter confiteri integrè crimen ſuum: nam ſi pœnitens tenetur, ut re vera tenetur, occultum ſuum vitium, quamvis ſine peccato proprio contractum, putà vitium natalium, confeſſario, cui notus eſt, manifeſtare, quando id ad confeſſionis integritatem neceſſarium eſt, à fortiori tenetur, propter eandem integritatem ſervandam, confeſſario, cui notus eſt complex, detegere occultum vitium complicis, ſive ipſi imputabile ſit, ſive non.

Quæres, utrùm pariter pœnitens poſſit & debeat occultum crimen non complicis revelare confeſſario, cui notus eſt non complex, quando non poteſt aliter integrè confiteri.

R. Affirmativè, ſi tantùm adſit confeſſarius, qui norit non complicem, & aliqua confitendi neceſſitas urgeat pœnitentem. Ratio patet ex dictis.

Si quis itaque ſororem v.g. non conjugatam, & gravidam occiderit, urgente confeſſionis præcepto, poteſt & debet confiteri ſe gravidam ſororem occidiſſe, quamvis confiteatur ſacerdoti, qui novit ſororem, & ſcit eſſe ſolutam. Quòd ſi copiam habere poſſet confeſſarii, cui nota non eſſet ſoror, graviter obligaretur ad eum adeundum: nam ſi pœnitens tenetur parcere, quantùm poteſt, famæ complicis, à fortiori tenetur famam non complicis curare; unde etiam non complicis crimen (idem dic de crimine complicis) non poteſt confeſſario manifeſtare, niſi quantùm præciſè neceſſarium eſt, ut crimen ſuum integrè confiteatur; & ſi plus à pœnitente exigeret confeſſarius, curioſè ipſum interrogando, peccaret, pœnitentemque ad peccandum induceret.

ARTICULUS IX.

Utrùm & quomodo peccata dubia ſint confitenda.

1. Qui poſt diligens examen, penè certò judicat ſe peccaſſe mortaliter, tenetur confiteri, licèt ſuperſit ei aliqua formido oppoſiti; tunc enim homo tenetur confiteri, cùm non niſi imprudenter judicaret ſe non peccaſſe mortaliter. Atqui cùm penè certus eſt ſe peccaſſe mortaliter, non niſi imprudentiſſimè judicaret ſe non ſic peccaſſe. Ergo, &c. E contra qui poſt diligens examen penè certus eſt ſe non peccaſſe mortaliter, non tenetur confiteri, quamvis aliquam habeat formidinem oppoſiti: talis enim non niſi imprudenter judicaret, ſe peccaſſe mortaliter.

2. Cui poſt diligens examen veriſimilius eſt ſe peccaſſe mortaliter, veriſimilitudine notabiliter excedente veriſimilitudinem oppoſiti, tenetur confiteri: talis enim prudenter judicare non poteſt, ſe non peccaſſe mortaliter. E contra ſi veriſimilitudo major notabiliter ſit pro non peccato, & propter illam determinatè judicet ſe non peccaſſe mortaliter, non tenetur confiteri, quia ſe non peccaſſe mortaliter, prudenter judicat. Confirmatur utrumque, quia in moribus major notabiliter veriſimilitudo æquivalet certitudini morali, quæ non niſi raro haberi poteſt in rebus moralibus.

3. Cui poſt diligens examen notabiliter veriſimile eſt, ſe peccaſſe mortaliter, ſine veriſimilitudine in oppoſitum, tenetur confiteri. Ratio eſt, quia poteſt prudenter judicare, ſe peccaſſe mortaliter, & non niſi imprudenter judicaret, ſe non peccaſſe mortaliter. Propter oppoſitam rationem non tenetur confiteri, ſi notabilis veriſimilitudo ſtet pro non exiſtentia, ſine veriſimilitudine pro exiſtentia peccati mortalis.

4. Cui poſt diligens examen veriſimile eſt, quòd peccaverit, cum æquali aut ferè æquali veriſimilitudine quòd non peccaverit mortaliter, tenetur confiteri. Ratio eſt, quia prudenter non poteſt potiùs unam partem determinatè judicare, quàm alteram, adeoque prudenter non poteſt judicare, ſe non peccaſſe mortaliter. At qui non poteſt prudenter judicare, ſe non peccaſſe mortaliter, tenetur confiteri: nam non confitendo, quantùm in ſe eſt, exponeret ſe morali periculo tranſgrediendi præceptum confeſſionis.

5. Qui certus eſt, ſe peccaſſe mortaliter, ſed dubius eſt, utrùm peccatum illud confeſſus fuerit, an non, ita ut neutram partem poſſit determinatè judicare; tenetur confiteri, quia dubius eſt, utrùm certæ obligationi ſatisfecit; & ſi non confiteatur in tali dubio, cenſetur velle interpretativè tranſgreſſionem, vel, ſi vis, non velle quantùm debet, obſervationem præcepti confeſſionis.

6. Qui certus eſt ſe peccaſſe, ſed dubius eſt, ſitne peccatum illud mortale, an veniale tantùm, ita ut neutrum poſſit judicare determinatè; tenetur confiteri. Ratio eſt, quia peccatum illud non confitendo, quantùm in ſe eſt, exponeret ſe morali periculo non confitendi integrè, & ſic non vellet ſufficienter integritatem confeſſionis, nec obſervationem legis, integritatem illam præcipientis.

7. Qui poſt diligens examen dubius eſt, an certum aliquod peccatum commiſerit, quod ſcit eſſe mortale, tenetur illud confiteri: nam quantùm in ſe eſt, exponit ſe morali periculo non faciendi confeſſionem integram, nec ſufficienter vult integritatem confeſſionis, ſi peccatum illud non confiteatur.

Obj. 1. Tridentinum, cùm tradit materiam confeſſionis, non meminit peccatorum dubiorum. 2. Nemo ſine cauſa damnari debet, & ſicut nemo debet alium damnare ſine cauſa, ita nec ſe ipſum. 3. Non debet imponi gravis obligatio ſine ſufficienti ratione. 4. Homo, quandiu dubius eſt, utrùm peccaverit mortaliter, necne, manet in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. 5. Qui dubitat, utrùm votum emiſerit, an non, non tenetur illud implere. Ergo ſimiliter, &c.

R. ad 1. neg. Nam Tridentinum docet, pœnitentem teneri ad confitenda omnia mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habet. Sed homo in caſu propoſito conſcientiam habet, licèt dubiam tantùm, & non certam, mortalis peccati. Ergo juxta Trid. homo in caſu propoſito tenetur confiteri peccatum illud, non quidem ut peccatum certum, ſed ut dubium, ſecundùm conſcientiam ſcilicet, quam de illo habet. Addo Tridentinum noluiſſe, hìc expreſſè definire, quod erat inter Doctores catholicos controverſum.

R. ad 2. neminem hìc damnari, nec ad hoc pœnitentem cogi, ut ſe ipſum damnet; ſed ſolùm obligari ad peccatum, cujus conſcientiam dubiam habet, confitendum ut dubium, ut de illo tanquam dubio ſententiam ferat ſacerdos.

R. ad 3. in caſu propoſito ſufficientiſſimam eſſe cauſam obligandi pœnitentem ad confitendum peccatum; cùm niſi illud confiteatur, quantùm in ſe eſt, exponat ſe morali periculo non confitendi integrè.

R. ad 4. hominem, quandiu dubitat, utrùm mortaliter peccaverit, an non, tandiu eſſe tantùm in dubia poſſeſſione innocentiæ ſuæ: repugnat enim hominem ſimul eſſe dubium, utrùm mortaliter peccaverit, an non, & certum de innocentia ſua. Qui autem eſt in dubia tantùm poſſeſſione innocentiæ ſuæ, ſicut tenetur conteri, ita tenetur confiteri, ne ſe exponat morali periculo non faciendi confeſſionem integram.

R. ad 5. Qui dubitat, utrùm voverit, an non, ſi non poteſt deponere dubium, prudenter judicando determinatè, ſe non voviſſe, tenetur votum implere, ne ſe morali periculo exponat violandi promiſſionem factam Deo. Ergo ſimiliter, &c.

8. Pœnitens tenetur peccata dubia confiteri ut dubia, ſicut tenetur certa confiteri ut certa: nam ſicut certa confitendo ut dubia, minueret malitiam ſuam; ita & eam augeret, dubia confitendo ut certa, quorum neutrum licet, quia utroque modo pœnitens deciperet confeſſarium, qui in neutro caſu rectè cenſere poſſet de peccatis ejus, & ejus ſtatu. Quòd ſi pœnitens peccatum, quod ut dubium confeſſus eſt, poſtea cognoſcat eſſe certum, debebit illud iterùm confiteri ut certum. Ratio eſt, quia peccatum ſuum antea confitendo ut dubium, non ſatisfecit præcepto divino, obligandi ad mortalia omnia commiſſa poſt baptiſmum, ſacerdotibus deferenda eo modo, quo rectè cenſere poſſint de gravitate illorum, & ſatisfactione pro illis injungenda: longè enim aliter ſacerdos de mortali dubio, quàm de mortali certo, debet judicare, & longè aliam pro mortali certo, quàm pro mortali dubio ſatisfactionem injungere. Sed

Nota. Quæ dicta ſunt hactenùs de peccatis dubiis, non ſpectant eos, qui verè ſcrupuloſi ſunt: nam juxta communem Doctorum ſententiam, tenentur ea tantùm confiteri peccata, quæ certò ſciunt ſe commiſiſſe, mortalia eſſe, & nondùm eſſe confeſſa.

Digitized by Google

feſſa. Ratio eſt, quia alioquin perpetuò hærerent in ſcrupulis, & animi cruciatibus, nec procurare integritatem confeſſionis tenentur cum tanto ſuo damno. Præterea, cùm non ſoleant dubitare, quando re ipſa peccarunt, hoc ipſo quòd dubitant, utrùm peccarint, an non, prudenter judicare poſſunt ſe non peccaſſe. Porrò nonnulli ita ſcrupuloſi ſunt, ut propter ſcrupulos tantùm non in amentiam incidant, qui propterea non tenentur confiteri niſi peccata evidentia, & de quibus poſſint jurare.

Nota iterùm: Si pœnitens confiteatur tantùm peccata dubia, ſecundùm aliquos non poteſt abſolvi extra caſum neceſſitatis, quia abſolutio exponeretur periculo nullitatis, quod extra caſum neceſſitatis non licet: quare aiunt confeſſarium, antequam pœnitentem illum abſolvat, ab eo exigere debere, ut confiteatur peccatum aliquod certum, ſive veniale, ſive mortale, jam aliàs confeſſum. Alii contra cenſent, pœnitentem illum etiam extra caſum neceſſitatis abſolvi poſſe ſub conditione; quia tenemur confiteri mortalia dubia: ergo ſunt materia ſufficiens abſolutionis ſaltem conditionatæ: licèt enim dubia tantùm mortalia habeamus, nec venialia, ſive jam confeſſa, ſive non, nec mortalia, jam ritè confeſſa, iterùm confiteri tenemur. In praxi tamen pœnitenti ſuadendum eſt, ut certum aliquod peccatum vel veniale, vel mortale jam confeſſum confiteatur, & pœnitens ipſe hoc ſponte ſua facere debet, ut ſibi hoc pacto meliùs proſpiciat, ſacramentum & ejus effectum certum reddendo.

ARTICULUS X.

Quænam cauſæ excuſent ab integritate confeſſionis.

AB integritate confeſſionis excuſat, 1. Oblivio inculpabilis, quando ſcilicet pœnitens, adhibita ſufficienti diligentia, ut peccata omnia à ſe admiſſa in memoriam revocet, alicujus peccati non meminit. Patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. Quanta autem diligentia adhibenda ſit, ut oblivio cenſeatur inculpabilis, non poteſt pro omnibus certa definiri regula. Solùm in genere dici poteſt, unumquemque pro ſuo ſtatu & conditione teneri ad eam diligentiam adhibendam, quam homines ejuſdem ſtatus & conditionis, prudentes ſcilicet, vel etiam prudentiores, adhibere ſolent in rebus magni momenti diſcutiendis.

At inquies. Quid ſi confeſſarius advertat, pœnitentem non adhibuiſſe talem diligentiam? *R.* Confeſſarius tunc debet inauditum dimittere pœnitentem, niſi velit ipſe ſupplere defectum ejus, quod fieri, cùm poteſt, charitas & prudentia chriſtiana non rarò poſtulant, præſertim reſpectu rudiorum.

At inquies. Quid ſi pœnitens ex oblivione culpabili omittat mortale aliquod? *Reſp.* Vel oblivio culpabilis eſt venialiter tantùm, vel culpabilis eſt mortaliter. Si primum, pœnitens peccat venialiter tantùm contra integritatem confeſſionis, & validum eſt ſacramentum, modò adſint alia omnia ad ejus valorem requiſita. Si ſecundùm, pœnitens peccat mortaliter contra confeſſionis integritatem, & ſacramentum nullum eſt.

2. Impotentia, quando ſcilicet pœnitens vel non poteſt inchoatam confeſſionem perficere, vel eſt in periculo moriendi ante abſolutionem, niſi mox detur. Idem dic, 1. de caſu, quo pœnitens omnia ſua peccata declarare non poteſt ſine nimia defatigatione, ex infirmitate gravi proveniente: poteſt enim tunc abſolvi pœnitens, auditis aliquot peccatis, reliqua, quàm primum fieri poterit, declaraturus. 2. De caſu, quo naufragium imminet, vel inſtat conflictus cum hoſte, aut hoſtis ex improviſo locum aliquem invadit: tunc enim poſſunt omnes ſimul abſolvi, poſtquam omnes ſimul aliqua ſua peccata declararunt, vel ſi nolunt publicè confiteri, poſtquam omnes ſimul generaliter declararunt ſe peccaſſe, ac dolere, & velle abſolvi. Ratio eſt, quia juſtè præſumitur Chriſtus non aliud exigere, quàm ut confiteamur, ut poſſumus, & ita præfatos caſus non minus excuſare ab integritate confeſſionis, quàm oblivionem inculpabilem.

3. Secundùm communem Doctorum ſententiam, nocumentum grave, ſive proprium, ſive alienum, quod prudenter præſumitur ſecuturum ex declaratione peccati, ut ſi prudenter præſumatur, confeſſarium revelaturum eſſe peccatum cum pœnitentis infamia, vel inductum iri ad peccandum, vel exhæredaturum eſſe pœnitentem, aut alium, &c. tenetur tamen pœnitens tunc quærere alium confeſſarium; & ſi alterius confeſſarii copiam non habeat, confeſſionem differre, niſi aliqua confitendi neceſſitate urgeatur. Ratio aſſertionis eſt, quia præcepta poſitiva, etiam divina, non cenſentur obligare cum tanto diſpendio, quod ſcilicet extrinſecum eſt rei præceptæ, nec ex ea per ſe & immediatè, ſed ſolùm per accidens ſequitur. Dico, Quod extrinſecum eſt, &c. hic enim excipi debet infamatio pœnitentis, vel alterius, quæ oritur ex confeſſione ſoli ſacerdoti integrè facta: nam cum ea per ſe & immediatè connexa eſt, & ea non obſtante, Chriſtus præcepit integritatem confeſſionis.

4. Sigillum confeſſionis, ſine cujus violatione non poteſt ſacerdos, qui confitetur, declarare peccatum ſuum, quia illud declarare non poteſt, niſi declaret peccatum alterius ſibi antea confeſſi. Ratio eſt, quia ex inſtitutione & præcepto Chriſti, neceſſitas ſervandi ſigillum major eſt, quàm neceſſitas confitendi integrè: Chriſtus enim voluit, ut in nullo caſu ſigillum licitè violari poſſit, nec ullam ob cauſam confeſſarius ſine conſenſu pœnitentis poſſit uti notitia per confeſſionem accepta circa peccata, & alia omnia, quæ cadunt ſub ſigillo.

5. Secundùm Doctores aliquos, reſervatio caſuum: dicunt enim propter illam ſuperiores poſſe, auditis ſolis reſervatis, abſolvere ſacramentaliter pœnitentem, & reliqua non reſervata ad inferiorem ſacerdotem remittere. At hoc verum non eſt, niſi pœnitens ſit in vera neceſſitate abſolutionis, ita ut ſine aliquo ejus notabili damno differri non poſſit; & ſuperior ob grave aliquod impedimentum non poſſit omnia ejus peccata audire, atque aut omninò non poſſit alteri dare poteſtatem abſolvendi à reſervatis, aut juſta de cauſa judicet, hanc poteſtatem non eſſe dandam alteri.

6. Secundùm alios, magnus pœnitentium concurſus, ita ut nequeant omnes audiri integrè: tunc enim, inquiunt, ne multi à confeſſione excludantur, auditis præcipuis aliquot peccatis, poteſt ſacerdos pœnitentem abſolvere, reliqua confeſſionis parte in aliud tempus rejecta. Sed hoc eſt falſum & abſurdum, indeque multa & gravia orirentur incommoda: facilè enim & pœnitentes & confeſſarii tanta licentia abuterentur. Debent igitur confeſſarii in magno illo pœnitentium concurſu, qui diebus ſolemnioribus fieri ſolet, curare diligenter, ne nimia feſtinatione abſolutionem temerè præcipitent.

Nota. Qui ex legitima cauſa mortale aliquod omiſit in confeſſione, quamvis ab illo abſolutus fuerit indirectè, & per concomitantiam aliorum, quæ ſine illo non potuerunt remitti, tenetur illud declarare in ſequenti confeſſione, ceſſante cauſa, ob quam illud omiſit; cùm Chriſtus voluerit, mortalia omnia, poſt baptiſmum commiſſa, ſubjici judicio ſacerdotum. Qui verò ſine cauſa legitima mortale aliquod omittit in confeſſione: cùm faciat confeſſionem nullam & invalidam, non ſolùm illud, quod omittit, ſed etiam alia omnia mortalia, quæ confitetur, tenetur iterùm ſingillatim confiteri, perinde ac ſi ea nunquam confeſſus eſſet, niſi tamen confiteatur eidem ſacerdoti, qui ſatis meminerit jam confeſſorum: tunc enim ſatis erit, ſi dicat ſe de illis abſolvi velle, & alia nondùm confeſſa declaret.

ARTICULUS X.

Utrum abſolvendus ſit moribundus, qui tantùm potuit dare ſigna generalia doloris,

Responsio I.

MOribundus, qui præſente ſacerdote dat ſigna generalia, quibus oſtendit ſe peccaſſe, ac de eo dolere, & velle abſolvi, abſolvendus eſt, quamvis nullum in particulari peccatum declarare poſſit, quia ſubitò privatur uſu ſenſuum.

Prob. 1. Ex S. Leone epiſt. 91. ex Conc. Arauſicano I. can. 12. & ex Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito, quorum verba ſupra relata ſunt art. 4. reſp. 1. *Prob.* 2. ratione; quia moribundus ille verè, quantùm poteſt, confitetur ſacerdoti, & ſacerdos ex ejus confeſſione intelligit eum peccaſſe; dolere quòd peccaverit, & velle abſolvi. Deus autem eam tantùm à nobis exigit confeſſionem in caſu neceſſitatis, quæ tunc nobis poſſibilis eſt. Sufficientem igitur ad valorem ſacramenti ſubminiſtrat materiam moribundus ille, adeoque poteſt & debet ſacerdos eum abſolvere,

Obj. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. requirit confeſſionem ſufficientem ad hoc, ut ſacerdos poſſit rectè cenſere de peccatis pœnitentis, & de pœna pro eis imponenda. Atqui talis non eſt confeſſio moribundi in caſu propoſito. Ergo, &c. *Reſp.* Concilium loqui cum tacita exceptione caſus propoſiti, & aliorum, in quibus impotentia phyſica, vel moralis, excuſat ab integritate confeſſionis, ut patet ex eo, quòd eodem loco disertè aſſerat, oblivionem inculpabilem mortalium non impedire valorem ſacramenti; unde pœnitens plurimorum & graviſſimorum mortalium reus, confiteretur validè, quamvis unum tantùm mortale confiteretur, quia unius tantùm poſt diligentem ſui diſcuſſionem meminiſſet: quare ritè contritus validè abſolveretur.

Dices. Ad eſſentiam ſacramenti requiritur confeſſio talis, ut ſacerdos ex ea prudenter judicare poſſit de ſtatu pœnitentis. At confeſſio moribundi in caſu propoſito non eſt talis, ut ex ea ſacerdos poſſit, &c. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. Nam per confeſſionem moribundi confuſam cognoſcit ſacerdos moribundum habere unum vel plura peccata (quamvis non cognoſcat ea diſtinctè ſecundùm rationem ſpecificam, numerum, & circumſtantias;) dolere de peccatis, & velle abſolvi, ſeque ſubjicere arbitrio judicis; quod ſufficit, ut ſacerdos poſſit aliquatenus prudenter judicare de ſtatu moribundi; licèt de eo prudentiùs judicare poſſet, ſi peccatorum illius diſtinctiorem haberet notitiam; ſed hoc ad valorem ſacramenti non requiritur in caſu propoſito,

Obj. iterum. Confuſa moribundi confeſſio nullam novam dat notitiam confeſſario, quia antea jam notat confuſè moribundum reum eſſe alicujus, vel aliquorum peccatorum. *R.* neg. Nam per confuſam illam confeſſionem confeſſarius cognoſcit, moribundum illum ſe ipſum accuſare, quantùm poteſt: de peccatis dolere, velle abſolvi, & ſeſe ſubjicere judicis arbitrio, quorum nihil antea cognoſcebat. Preterea, per confuſam illam confeſſionem, confeſſarius moribundum unum vel plura peccata habere cognoſcit ut judex, & in foro conſcientiæ; quod antea non ſic cognoſcebat: unde antea non poterat moribundum abſolvere, & jam poteſt poſt confuſam illius confeſſionem.

Obj. 3. Dici non poteſt, quid in confeſſione moribundi directè remittatur in caſu propoſito. Ergo, &c. *R.* neg. ant. & dico directè remitti omnia mortalia moribundi, conſiderata ſecundùm genus, ſeu prout conveniunt in ratione offenſæ divinæ, ſub qua ratione omnia declarantur a moribundo; quamvis nulla directè remittantur ſumpta ſecundùm ſpeciem ſuam, quia nulla ſecundùm ſuam ſpeciem ſumpta confitetur moribundus: unde ſi poſtea poſſit, tenetur omnia & ſingula diſtinctè confiteri.

Dices. Moribundus in caſu propoſito nullum peccatum particulare confitetur: ergo a nullo abſolvi poteſt: nam abſolutio verſari debet circa peccata particularia. *R.* moribundum nullum quidem particulare peccatum in caſu propoſito confiteri diſtinctè, & quantùm ad ſpeciem; at omnia particularia, quæ habet, confiteri confuſè, & quantùm ad genus; quod in caſu propoſito, in quo confitetur eo modo, quo poteſt, ſufficit ad hoc, ut ab omnibus abſolvatur: directè quidem, ſi conſiderentur ſecundùm genus; & indirectè ſi ſecundùm ſpeciem ſpectentur. Quia autem ſecundùm ſpeciem ſpectata, indirectè tantùm remittuntur peccata moribundi, manet, ut jam dictum eſt, obligatio ea poſteà diſtinctè confitendi, ſi fieri poſſit,

Responsio II.

Si moribundus abſente ſacerdote, det ſigna pœnitentiæ, & petat confeſſarium, & ſacerdote adveniente, nullum ampliùs ſignum doloris poſſit oſtendere, eò quòd jam ſit omni uſu ſenſuum privatus, poteſt & debet ſacramentaliter abſolvi, modò præſentes teſtentur ipſum dediſſe ſigna pœnitentiæ, & confeſſarium petiviſſe.

Prob. 1. Authoritate Conciliorum, Carthaginenſis ſcilicet IV. can. 78. in quo dicitur: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum; & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu ſacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.* Hic autem per to *pœnitentiam accipere*, intelligitur abſolvi ſacramentaliter; ſicut per to *pœnitentiam dare*, intelligitur ſacramentaliter abſolvere. Quòd ſi quis vellet per to *pœnitentiam accipere*, idem intelligi, ac per to accenſeri, & per to *pœnitentiam dare*, idem intelligi, ac per to accenſere pœnitentiam ordini; certè, quod nobis ſufficere, dicendum eſſet per to *reconciliari per manus impoſitionem*, vel ſignificari, vel comprehendi abſolutionem ſacramentalem: quod enim aliquando in Eccleſia peccatori obnoxio pœnitentiæ publicæ & confitenti, data fuerit Euchariſtia, præmiſſa ſola abſolutione ab excommunicatione, prorſus incredibile eſt.

Dixi, Peccatori obnoxio, &c. Nam canon citatus omninò videtur loqui, non de quocumque peccatore, ſed de habente majora crimina, pro quibus olim agenda erat pœnitentia publica, & propter quæ qui ea admiſerant, à ſacra menſa arcebantur, donec pœnitentiam publicam egiſſent, qua peracta, per cæremoniam eccleſiaſticam, ad id inſtitutam, reconciliabantur Eccleſiæ, & ad communionem Euchariſticam admittebantur. At quod hoc canone præſcribitur pro pœnitente majora crimina habente, à fortiori, quantùm ad abſolutionis ſacramentalis & Euchariſtiæ traditionem, intelligi poteſt & debet de peccatore habente minora crimina, aut non obnoxia pœnitentiæ publicæ.

Prob. 2. Ex Concilio Arauſicano I. can. 12. quo dicitur: *Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt,* (hoc eſt, prout jam eſt, vel nondùm eſt baptizatus) *baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum* (ſaltem præſentium) *verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Hic autem, *pœnitentiam accipere*, manifeſtè videtur eſſe idem ac abſolvi ſacramentaliter: ſicut enim hic, *baptizari*, ſignificat ſacramenti ſuſceptionem, ita & *accipere pœnitentiam*, ſacramenti ſuſceptionem ſignificat; cùm hæc duo, *baptizari, & pœnitentiam accipere*, comparentur inter ſe. Ergo, &c.

Prob. 3. Ex S. Leone epiſt. 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, ubi agens de gravibus peccatoribus converſionem ſuam uſque ad finem vitæ ſuæ differentibus, ſic loquitur: *Quod ſi aliqua vi agri-*

tu-

Digitized by Google

tudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pænitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur. Hic autem S. Leo vel per beneficium reconciliationis non intelligit abſolutionem à cenſuris; vel ſi dicitur intelligere, neceſſariò dicendus eſt per beneficium pœnitentiæ intelligere abſolutionem ſacramentalem: nam hic manifeſtè vult pœnitenti in caſu propoſito eam dari indulgentiam, quam nemo niſi in hac vita obtinere poteſt. Peccator autem ſacramentaliter abſolvi non poteſt, niſi quamdiu vivit; cùm à cenſuris abſolvi etiam poſt mortem poſſit. Porrò quòd hic manifeſtè velit pœnitenti, &c. demonſtrari poteſt ex contextu: cùm enim ait, pœnitenti in caſu propoſito concedendum eſſe beneficium pœnitentiæ & reconciliationis, loquitur de ea indulgentia, de qua ſuperiùs hæc habet: *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, à munere præſentis indulgentiæ exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit.* Item loquitur de ea indulgentia, qua ante mortem non obtenta, peccator damnatur: nam ſic ſtatim proſequitur: *Nec neceſſe eſt nos eorum, qui ſic obierint, merita actuſque diſcutere; cùm Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod ſacerdotale miniſterium implere non potuit, ſua juſtitia reſervaverit; ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic error omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat.* Peccator autem attritus damnari quidem poteſt ob abſolutionis ſacramentalis defectum, at non poteſt ob defectum abſolutionis à cenſuris.

Vult igitur S. Leo loco ſupra citato, etiam graviſſimis peccatoribus in caſu propoſito abſolutionem ſacramentalem concedi, quæ proinde à fortiori concedi poteſt & debet in caſu eodem aliis, qui minora habent peccata, vel occulta, pro quibus olim pœnitentia publica non imponebatur.

Prob. 4. Ex Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito, tit. de ſacram. pœn. ubi hæc præſcribuntur: *Quòd ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægroto deſiciat, nutibus & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios* (ſaltem præſentes) *oſtenderit, abſolvendus eſt.*

Prob. denique 5. Ratione. Nam moribundus in caſu propoſito, cùm exteriùs ſignificat dolere ſe de peccatis, & velle confiteri, atque in hunc finem petit confeſſarium, incipit confiteri generatim & confuſè, eo ferè modo, quo is, qui confitetur per interpretem, ei ſua peccata declarat, ut ea deinde exponat ſacerdoti. Cùm itaque poſtquam ſacerdos advenit, qui præſentes ſunt, ei exponunt pœnitentiam & deſiderium moribundi; tanquam interpretes moribundi, peccata ipſius generatim & confuſè exponunt, & ſic moribundus per illos tanquam interpretes ſuos, ſacerdoti jam præſenti generatim & confuſè confitetur, & ſufficientem abſolutionis materiam ſubminiſtrat.

Obj. Hæc doctrina repugnat decreto Clementis VIII. edito die 20. Junii anno 1602. quo propoſitionem hanc, *Licet per litteras aut internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere;* damnavit ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam, præcepitque, ne unquam deinceps tanquam in aliquo caſu probabilis defendatur: hoc enim præcepto ſignificavit Pontifex, confeſſionem factam ſacerdoti abſenti, & abſolutionem abſenti pœnitenti datam, nullas eſſe jure divino: nam alioquin poſſent & deberent adhiberi ſaltem in caſu extremæ neceſſitatis, nec ulla authoritate humana prohiberi poſſent in tanta neceſſitate, cum periculo ſalutis æternæ proximi, qui in caſu noſtro, in quo pœnitens non dat doloris ſigna ſacerdoti præſenti, ſed tantùm hoc illi ſignificat per internuntium, per internuntium confitetur abſenti ſacerdoti. Ergo talis confeſſio jure divino nulla eſt.

Reſp. neg. object. Nam moribundus non confitetur ſacerdoti, quando nomine moribundi internuntius vocat ſacerdotem; nam ſic re vera moribundus confiteretur ſacerdoti omninò abſenti; ſed cùm poſtquam ſacerdos advenit, internuntius, aut alius, qui moribundum audivit, declarat eum ſignificaſſe, ſe dolere de peccatis, & velle confiteri: quare in caſu propoſito moribundus ſacramentaliter confitetur ſacerdoti præſenti per internuntium, vel alium, tanquam interpretem; unde aſſertio noſtra decreto Clementis VIII. minimè repugnat.

Dices. Quantumlibet internuntius, vel alius in præſentia ſacerdotis & moribundi teſtetur moribundum petiviſſe confeſſionem, dici non poteſt moribundus confiteri ſacerdoti præſenti, hoc ipſo quòd confeſſionem petivit in abſentia ſacerdotis: nam ad hoc ut confeſſio, quæ per interpretem fit, dicatur propriè fieri ſacerdoti præſenti, ſatis non eſt, ſi ſacerdos ſit præſens, quando interpres loquitur, ſed præterea requiritur, ut etiam adſit quando pœnitens loquitur interpreti. Ratio eſt, quia confeſſio pœnitentis non eſt ſolius interpretis locutio, ſed conflatur ex locutione pœnitentis ad interpretem, & interpretis ad ſacerdotem. Ergo, &c.

Reſp. Probari quidem quòd confeſſio moribundi, ſenſuum uſu deſtituti, non fiat ſacerdoti omninò præſenti, etiam cùm internuntius in præſentia utriuſque, ſacerdotis ſcilicet & moribundi, declarat moribundum petiviſſe confeſſarium; at non probari, quòd non fiat præſenti, ſeu quòd nullatenùs fiat præſenti. *Nota* In caſu propoſito, moribundi confeſſio inchoatur, quando ſignificat internuntio ſe velle confiteri; & abſolvitur per internuntium, velut per interpretem, quando poſt ſacerdotis adventum internuntius in præſentia ſacerdotis & moribundi declarat moribundum ſignificaſſe, ſe velle confiteri. Moribundus igitur in caſu propoſito, per internuntium, ut per interpretem, confitetur ſacerdoti ex parte præſenti: non igitur confitetur ſacerdoti omninò abſenti. Clemens autem VIII. in decreto manifeſtè loquitur tantùm de confeſſione ſacerdoti omninò abſenti facta; unde qui diceret verè ſacramentalem fore confeſſionem eo caſu, quo quis confiteri volens, peccata ſua ante adventum ſacerdotis declararet interpreti, ac deinde interpres peccata ſibi declarata, ſacerdoti jam præſenti exponeret in præſentia pœnitentis, non contradiceret decreto Clementis VIII.

Quæres, utrùm ſimiliter moribundus uſu ſenſuum deſtitutus, qui antea ſignificavit ſe velle confiteri, abſolvi poſſit, etiam ſi nemo ſit qui confeſſario in præſentia moribundi teſtetur, eum ſignificaſſe, velle ſe confiteri: ita ut ſufficiat, ſi confeſſarius, cùm vocaretur, hoc ab internuntio didicerit.

R. Saltem probabilius eſſe, quòd moribundus in caſu propoſito abſolvi non poſſit, & *Prob.* 1. Ex conc. Carthaginenſi IV. & Leone Magno locis ſupra citatis, ubi ad hoc ut moribundus, privatus uſu ſenſuum, poſſit abſolvi, videntur ut conditionem neceſſariam exigere, quòd aliquis in præſentia ſacerdotis & moribundi, declaret moribundum confeſſionem petiviſſe. 2. Ex decreto Clementis VIII. Nam ſi moribundus in caſu propoſito poteſt abſolvi, ſaltem probabile eſt confeſſionem, ſacerdoti omninò abſenti factam, licere & valere in aliquo caſu; quod manifeſtè videtur contradicere præfato decreto. 3. Ratione; quia ut ait Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. Chriſtus voluit eos, qui ſe poſt baptiſmum aliquo crimine contaminaſſent, ante tribunal ſacramenti pœnitentiæ ſiſti tanquam reos. Ergo ex inſtitutione Chriſti, ad validam abſolutionem requiritur, ut pœnitens ſiſtatur coram ſacerdote ut judice, & perſonaliter compareat in foro pœnitentiæ, ibique ſe ipſum accuſet, vel per ſe, ſi poteſt, vel ſaltem per

alium,

alium, ſi non poteſt per ſe. Atqui moribundus, ſenſuum uſu privatus, cenſeri non poteſt perſonaliter comparere in foro pœnitentiæ, ibique ſe ipſum accuſare per alium, niſi poſtquam in abſentia ſacerdotis velle ſe confiteri declaravit, aliquis qui eum audivit, in præſentia ipſius & ſacerdotis teſtetur eum declaraſſe velle ſe confiteri.

Obj. Concil. Arauſicanum I. & Rituale Pauli V. locis ſupra citatis, ad abſolutionem ſacramentalem moribundi, ſenſuum uſu deſtituti, requirunt tantùm, ut aliquis præciſè teſtetur confeſſario, moribundum ſignificaſſe, ſe velle confiteri, ſive teſtetur in præſentiâ moribundi, ſive non.

Reſp. neg. & dico, 1. Concilium Arauſicanum intelligi debere juxta doctrinam S. Leonis, cujus tempore celebratum eſt. 2. Rituale Pauli V. intelligendum eſſe ſecundùm decretum Clementis VIII. nam hoc Rituale non adverſari decreto Clementis, Cardinales ſanctæ Inquiſitionis præſente ipſo Paulo V. declararunt die 2. Decembris anno 1621.

Porrò quia multi & graves authores docent moribundum in caſu propoſito abſolvi poſſe, hoc eſt, etiam ſi nemo ſit, qui confeſſario teſtetur in præſentia moribundi ipſum petiviſſe confeſſionem, ſed tantùm id confeſſario, antequam adveniret, innotuerit per aliquem; nec improbabiliter reſpondeant iis, quæ à nobis contra eorum ſententiam afferuntur; poteſt & debet confeſſarius in praxi ſe conformare eorum ſententiæ. Ratio eſt, quia in tanta neceſſitate charitas obligat, ut proximo ſubveniatur probabili remedio, tam neceſſario: attamen ii, ad quos ſpectat, tenentur, quantum in ſe eſt, procurare, ut in præſentia moribundi & confeſſarii declaretur moribundum ſignificaſſe, ſe dolere de peccatis, & velle confiteri; ad hoc autem tenentur propter majorem probabilitatem ſententiæ noſtræ, & conſequenter propter probabile periculum nullitatis abſolutionis, ſi contingat moribundum aliter abſolvi. Sed

Quæres, utrùm confeſſarius conformans ſe in praxi ſententiæ adverſariorum, teneatur expreſsè addere conditionem, & abſolvendo dicere, Ego te abſolvo, ſi es capax?

R. neg. Quia ad ferendam ſententiam ſine expreſſa conditione, ſatis eſt, ſi feratur ex opinione probabili: quòd ſi dubium eſſet, utrùm ſigna à moribundo eſſent ſufficienter exhibita, vel an eſſent ſigna pœnitentis & volentis abſolvi, an potiùs ſigna dolentis, vi morbi naturaliter edita; tunc confeſſarius moribundum non poſſet abſolvere ſine expreſſa conditione, & deberet dicere: Ego te abſolvo, ſi es capax: hoc enim poſtulat reverentia ſacramenti, & morale periculum nullitatis abſolutionis.

ARTICULUS XII.

Utrùm moribundus, qui nulla ſigna dedit ſive ante ſive poſt adventum ſacerdotis, abſolvi poſſit, ſaltem ſub conditione.

Responsio I.

NOn licet etiam ſub conditione abſolvere moribundum, ſenſuum uſu privatum, qui nulla omninò dedit ſigna, quibus ſignificaret dolere ſe de peccatis, & velle confiteri, quantumvis conſtet, ipſum catholicè vixiſſe, nec privatum fuiſſe uſu ſenſuum, dum verſaretur in actuali delicto gravi, aut ſtatim poſt.

Ita ſatis communiter Doctores; & *prob.* 1. ex epiſt. S. Leonis ad Theodorum Forojulienſem, ex Conc. Arauſicano I. can. 12. ex Conc. Carthaginenſi IV. can. 76. & ex Rituali Pauli V. verbis articulo ſuperiore laudatis. Dum enim ſtatuunt, moribundum ſenſibus deſtitutum abſolvi debere, addunt, modò per ſe vel per alios ſigna pœnitentiæ dederit. At hoc profectò non facerent, ſi verè probabile eſſet, valere abſolutionem, datam moribundo ſine exhibitis ab eo ſignis, quibus dolere ſe de peccatis, & velle confiteri declaraverit. Imò Rituale Pauli V. expreſsè prohibet, ne abſolutio detur ei, qui nulla pœnitentiæ ſigna dederit: nam hæc habet titulo citato; *Videat autem diligenter ſacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt qui nulla dant ſigna doloris.*

Prob. 2. ratione. Quia ſine confeſſione ſacramentali nullum eſt pœnitentiæ ſacramentum: ſacramentalis enim confeſſio eſt eſſentialis pars hujus ſacramenti; nec magis ſacramentum hoc ſine confeſſione ſacramentali poteſt ſubſiſtere, quàm ſine dolore. Atqui in caſu propoſito nulla eſt confeſſio ſacramentalis: ſacramentalis enim confeſſio eſt accuſatio ſui, ordinata ad abſolutionem ſacramentalem; nec dici poteſt, quòd vita chriſtianè ante acta, ſit moribundo in caſu propoſito actualis accuſatio ſui ad abſolutionem ſacramentalem ordinata. Ergo, &c.

Obj. 1. Vita chriſtianè acta, ſufficit ad dandam moribundo Extremam-unctionem. Ergo ſufficit etiam ad dandam abſolutionem. *Reſp.* neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia abſque eo quòd moribundus det ullum ſignum externum pœnitentiæ, habentur tota materia & forma Extremæ-unctionis; & ad validam hujus ſacramenti ſuſceptionem ex parte moribundi ſufficit habitualis voluntas illud ſuſcipiendi, cujus voluntatis ſignum ſufficiens eſt vita chriſtianè ante acta. At ſine aliquo ſigno externo, quo moribundus declaret ſe dolere de peccatis, & velle confiteri, haberi non poteſt tota eſſentialis materia ſacramenti pœnitentiæ: hæc enim materia ex parte conſiſtit in confeſſione ſacramentali, quæ eſt actualis accuſatio ſui, ordinata ad abſolutionem ſacramentalem. Non poteſt autem moribundus ullo modo dici ſe ipſum in ordine ad abſolutionem ſacramentalem accuſare, ſi nullum planè ſignum externum pœnitentiæ exhibeat.

Obj. 2. Qui ſubito morbo corripiuntur, regulariter antequam ſenſibus omninò deſtituantur, poſſunt interius dolere de peccatis, & iſtius doloris ſignum aliquod externum edidiſſe, licèt id non fuerit animadverſum. *R.* 1. Contrarium ſæpe accidit, 2. Eo caſu, quo id accidere ſupponitur, id ad dandam abſolutionem non ſufficit: nam ad hoc ut moribundus poſſit abſolvi, requiritur ut dolor illius aliquo modo ſacerdoti innoteſcat, ſeu ut dolorem ſuum & confitendi voluntatem, vel per ſe, ſi poteſt, vel per alium, ſi non poteſt per ſe, ſacerdoti ſignificet; alioquin nullo planè modo dici poteſt confiteri ſacerdoti.

Dices. Sacerdos talem abſolvendo ſub conditione, nullam facit injuriam ſacramento. *Reſp.* neg. & dico, injuriam in eo conſiſtere, quòd ſacerdos formam abſolutionis pronuntiabit ſine probabili judicio, quòd ſit valitura; cùm nulla moribundi confeſſio præceſſerit, adeoque fruſtra pronuntiabit formam abſolutionis.

Obj. 3. S. Auguſtinum lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. ultimo, ubi ſic loquitur: *Ego non ſolum alios catechumenos, verùm etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina conſortia, cum ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto . . . Qua autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit, nec ipſos enim ex hac vita, ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.*

Reſp. Ex iis, qui in noſtra ſententia ſunt, alii reſpondent ſanctum Doctorem inſtituere comparationem baptiſmi, non cum reconciliatione ſacramentali, qua peccata remittuntur, ſed cum cæremoniali reconciliatione, qua olim pœnitentes publici, pœnitentia publica peracta, Eccleſiæ communioni reſtituebantur: unde ſecundùm illos, ſanctus Doctor dicit tantùm, reconciliationem cum Eccleſia con-

concedendam eſſe pœnitenri publico, qui inopinato morbo, vel caſu opprimitur; quia ſcilicet præſumitur in eo perſeveraſſe hujus recoociliationis deſiderium: ex quo nihil inſerri poteſt pro ſacramentali abſolutione, tali moribundo impertienda.

Secundùm alios verò, ſanctus Auguſtinus baptiſmi comparationem inſtituir cum ſacramentali reconciliatione, qua remittuntur peccara: at hoc non juvat adverſarios noſtros: loquitur enim ſanctus Auguſtinus de pœuitente publico, hoc eſt, de homine qui peccata ſua apud ſacerdorem confeſſus, quotidie io ordine ad abſolutionem ſacramentalem obtinendam publica dabat ſigna pœnitentiæ: quare mirum non eſt, quòd S. Doctor velit, illum inopinato morbo vel caſu oppreſſum, ſacramentaliter abſolvi, quamvis hic & nunc nullum externum exhibeat ſignum doloris & pœnitentiæ. Porrò qui ſententiam noſtræ oppoſitam probabilem judicant, poſſunt & debent in praxi illi ſe conformare, & moribundum, qui chriſtianè vixit, abſolvere, etiamſi nullum dederit ſignum doloris & pœnitentiæ.

DISPUTATIO VII.

De Satisfactione.

ARTICULUS I.

Utrùm homo poſſit ſatisfacere pro pœna temporali, quæ reatu culpæ remiſſo, luenda ſupereſt.

REmiſſo, reatu culpæ, reatum pœnæ temporalis regulariter remanere, ſuo loco probavimus contra Novarores ſæculi decimi-ſexti, hæreticè contendentes, culpæ reatu remiſſo, nullum unquam pœnæ temporalis in altera vita luendæ reatum ſupereſſe: unde negant Purgatorium, & ſuffragia ac indulgentias pro mortuis; & quamvis agnoſcere cogantur, jejunia, eleemoſinas eſſe opera laborioſa, & Deo accepta, nullo pacto adduci poſſunt, ut fateantur, ejuſmodi opera ſatisfactoria eſſe, & pœnarum pro peccatis condonatis debitarum compenſatoria; imò ne ipſum quidem ſatisfactionis nomen ferre poteſt Lutherus. Sed contra illos ſit

RESPONSIO.

Homo poteſt ſatisfacere Deo pro pœna temporali, quæ reatu culpæ remiſſo luenda ſupereſt.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura: nam Lucæ cap. 3. Joannes Bapriſta ad turbas ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* At Joannes per fructus dignos pœnitentiæ intelligebat opera pro pœnis temporalibus ſatisfactoria, ut apertè colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi de Chriſto ita loquitur: *In quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.*

Prob. 2. ex Patribus, quorum omnium adinſtar ſit Tertullianus lib. de pœn. cap. 7. ubi ait: *Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes, habes cui ſatisfacias, & quidem volentem.* S. Cyprianus epiſt. 18. ad Cornelium, ubi hæc habet adverſus eos, qui volebant lapſos ſtatim reconciliari: *Intercedunt, ne exoretur precibus & ſatisfactionibus Chriſtus ... ne Deo indignanti ſatisfiat ... datur opera, ne ſatisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.*

Et ſanctus Auguſtinus in Enchiridio cap. 70. *In melius*, inquit, *eſt vita mutanda per eleemoſynas, de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodam modo, ut ea ſemper liceat impunè committere; nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miſerando debeat jam peccata ſua, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.* Et hom. 50. cap. 15. ubi ita loquitur: *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.*

Prob. 3. Ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 9. quo dicitur: *Docet præterea (Synodus) tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus.*

Et can. 13. ſic pronunciat Concilium: *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à ſacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam: anathema ſit.*

Obj. 1. Ezechielem cap. 33. ubi Deum ita loquentem inducit: *Impietas impii non nocebit ei, quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua. Reſp.* impietatem impii poſt converſionem non ei nocere, quantùm ad amicitiam Dei recuperandam, & ſalutem æternam conſequendam: at quòd ei aliquo modo noceat quantùm ad pœnam temporalem luendam, patet v. g. exemplo Davidis, qui poſt converſionem temporaliter à Deo, & quidem ſeveriſſimè caſtigatus eſt.

Obj. 2. Chriſtus Joannis cap. 8. mulierem adulteram abſolvens, dixit tantùm: *Vade, & noli ampliùs peccare;* nec aliam ſatisfactionem ab illa exegit. *R.* 1. Certum non eſt, quòd Chriſtus mulierem adulteram abſolverit à peccatis; & dici poteſt, Chriſtum illam liberaſſe tantùm à ſupplicio lapidationis; nec verba illa, *Nec ego te condemnabo, vade, & noli ampliùs peccare*, aliud videntur ſignificare. 2. Dato quòd mulierem illam à peccatis abſolverit, nulla ſatisfactione impoſita, Chriſtus qui Dominus erat, potuit pro ſuo jure, mulieri cum reatu culpæ, omnem pœnæ reatum condonare. Sed quid inde?

Obj. 3. Remiſſio peccatorum gratuita eſt, non ſolùm quoad reatum culpæ, ſed etiam quoad reatum omnis pœnæ. Ergo nullus eſt ſatisfactioni locus. *R.* 1. Remiſſio peccatorum quoad reatum culpæ gratuita eſt, quia ut docet Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Unde cùm juſtificamur, Deus gratis reatum culpæ & pœnæ æternæ nobis condonat, & gratis nos ad amicitiam ſuam recipit. 2. Remiſſio peccatorum etiam quoad reatum pœnæ temporalis, quæ reatu culpæ condonato remanet, eſt gratuita, quantumlibet pro ea ſatisfaciamus, quia ſine gratia Dei pro ea non ſatisfacimus: opera enim laborioſa & pia, quibus pro pœna illa ſatisfacimus, à nobis exerceri non poſſunt ſine auxilio gratiæ prævenientis nos, & excitantis atque corroborantis.

At inquies. Secundùm nos, remiſſio pœnæ temporalis, qua culpa remiſſa remanet, debetur ſatisfactionibus noſtris. Ergo ſecundùm nos, gratuita non eſt remiſſio pœnæ, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Itaque pœnæ temporalis remiſſio, & debetur ſatisfactionibus noſtris, ut patebit ex infra dicendis, & ſimul gratuita eſt, quatenùs gratia, quæ liberaliter & miſericorditer à Deo datur, neceſſaria nobis eſt ad exhibendam ſatisfactionem, cui debetur illa remiſſio: ſicut vita æterna ſimul debetur operibus in Chriſto factis ab homine juſtificato, & nihilominùs gratuita eſt, quatenùs opera illa in Chriſto non exercet homo juſtificatus, niſi dependenter à gratia, ipſi liberaliter & miſericorditer donata, qua prævenitur, excitatur, & corroboratur, ſicut ei congruit ut, &c.

Obj. 4. Iſaias c. 53. loquens de Chriſto ſic ait: *Poſuit Deus in iniquitatem omnium noſtrum, & livore ejus ſanati ſumus.* Et Petrus ep. 1. c. 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. R.* his

locis,

locis, & aliis ſimilibus doceri tantùm, quòd mors Chriſti fuerit pretium ſufficiens ad omnia totius mundi peccata redimenda; at pretium hoc iis tantùm prodeſt, quibus modo aliquo applicatur, pro qua applicatione multa divinitùs inſtrumenta inſtituta ſunt, quorum unum, ad pœnam temporalem, quæ culpa remiſſa ſupereſt, expiandam, ſatisfactionem eſſe contendimus, & probavimus ex Scriptura Patribus, & Trid. Conc.

Obj. 5. Si Deus operibus propitiari poteſt, & propitiandus eſt, Chriſtus non eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Conſequens repugnat fidei. Ergo, &c. *R.* diſt. ſequelam maj. Si Deus, &c. Chriſtus non eſt propitiatio pro peccatis noſtris, ſine cooperatione noſtra, Conc. ſequel. maj. Cum cooperatione noſtra, Neg. ſeq. maj. Chriſtus igitur eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non quia, ut volunt Novatores, peccata, quantùm ad reatum culpæ & omnis pœnæ nobis propter Chriſtum condonantur independenter ab operibus noſtris, ſed quia opera, quibus remiſſionem reatus culpæ & pœnæ æternæ meremur de congruo, & ea quibus pœnam temporalem, quæ remiſſo reatu culpæ & pœnæ æternæ remanet, redimimus; à nobis fiunt ex auxilio gratiæ, propter Chriſtum miſericorditer donatæ, nec vim aliquam habent, aut habere poſſunt, niſi à Chriſto offerantur Patri, & propter ipſum à Patre acceptentur. Unde Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. loquens de operibus, quibus ſatisfacimus pro pœna temporali remanente poſt remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ, ſic ait: *Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, &c.*

ARTICULUS II.

Utrùm homo poſſit Deo ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, quæ remiſſo reatu culpæ ſolvenda ſupereſt.

RESPONSIO.

HOmo poteſt Deo ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, quæ remanet poſt remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ.

Prob. 1. Authoritate Pii V. & Gregorii XIII. qui hanc Baii propoſitionem num. 77. damnarunt: *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam.*

Prob. 2. Ex Trident. Nam ex hac Synodo, homo ſatisfacit ſimpliciter pro pœna temporali per opera pia & laborioſa: ergo ſatisfacit de condigno. *Prob.* conſeq. Nam ſi ſatisfaceret ſolùm de congruo, non ſatisfaceret ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, & cum addito deſtruente rationem ſatisfactionis; ſicut qui meretur ſolùm de congruo, non meretur ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, & cum addito deſtruente rationem propriam meriti. Quare ſicut Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. negat ſimpliciter, pœnitentem mereri gratiam juſtificationis, quamvis mereatur illam de congruo per actum contritionis perfectæ; ita conſequenter negaret ſimpliciter, juſtificatum ſatisfacere pro pœna temporali, ſi pro illa per pia & laborioſa opera ſatisfaceret tantùm de congruo.

Prob. 3. Ratione. Nam homo, ſi adſint conditiones ad id requiſitæ, de quibus infra, efficere poteſt opera, quæ ſint valoris in æſtimatione prudenti æqualis cum pœna temporali, quæ culpa remiſſa remanet; cùm poſſit efficere opera, quæ ſint valoris in æſtimatione morali equalis cum æterna beatitudine; nam pœna temporalis, quæ poſt culpæ remiſſionem remanet, longè minorem habet æſtimabilitatem quàm beatitudo æterna. *Breviter*, homo poteſt mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ. Ergo à fortiori poteſt ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, &c.

Objicies. Saltem homo non poteſt ſatisfacere de condigno pro pœnis alterius vitæ, quæ luendæ ſunt in purgatorio pro peccatis remiſſis. *R.* neg. Quamvis enim pœnæ alterius vitæ, hujus vitæ pœnas phyſicè excedant, nihilominus pœnæ hujus vitæ ſufficientem habere poſſunt proportionem cum pœnis alterius, ad hoc ut pro illis condignè ſatisfaciant: nam ad hoc ſufficit inter has & illas moralis æqualitas, in eo poſita quòd dignum ſit apud juſtum judicem, ut ſi talis pœna hujus vitæ à tali homine voluntariè ſuſcipiatur, aliam pœnam non exigat. Hanc autem moralem æqualitatem cum alterius vitæ pœnis habere poſſunt pœnæ hujus vitæ, quia habere poſſunt dignitatem & æſtimabilitatem moralem, quæ ad moralem illam æqualitatem ſufficiat. Quod

Confirm. Nam licèt gloria æterna phyſicè excedat bona juſtorum opera, hæc tamen opera habere poſſunt proportionem cum illa ſufficientem ad illam de condigno merendam, quia ad hoc ſufficit moralis æqualitas inter gloriam & bona opera, & ad hanc moralem æqualitatem ſufficit dignitas & æſtimabilitas moralis, quam bona opera juſtorum in Deo facta, habent præcipuè ex dignitate perſonæ illa facientis, orta ex gratia ſanctificante, vi cujus operum illorum æſtimabilitatis dignum eſt, ut ab excellentiſſimo & munificentiſſimo remuneratore tali præmio recompenſentur.

Dices. Imò nequidem homo ſatiſfacere poteſt per pia & laborioſa opera pro pœnis temporalibus hujus vitæ, ut patet exemplo Davidis, qui per jejunia & preces redimere non potuit mortem filii ex adulterio nati. *Reſp.* hominem re ipſa quandoque, ut probat allatum exemplum, non ſatisfacere pro pœnis temporalibus hujus vitæ per pia & laborioſa opera, non ob defectum ſufficientis proportionis in operibus illis ad ſatisfaciendum etiam de condigno pro pœnis hujuſmodi, ſed ob defectum acceptationis ex parte Dei: quandoque enim Deus pia & laborioſa juſtorum opera non acceptat in compenſationem pœnarum, quas ſtatuit pro peccatis infligere in hac vita; at ſemper acceptat in compenſationem pœnarum temporalium in altera vita perſolvendarum. Unde juſtus per pia & laborioſa opera in Deo facta ſemper ſatisfacit pro pœnis alterius vitæ in purgatorio luendis.

Nota obiter. Juſtus per eundem actum ſimul meretur augmentum gratiæ & gloriæ, & ſatisfacit pro pœna temporali remanente poſt remiſſionem reatus culpæ: nam bonum & laborioſum opus juſti in Deo factum, habet ſimul vim meritoriam de condigno gloriæ, & vim ſatisfactoriam de condigno pro pœna temporali, quarum neutra alterius activitatem impedit aut minuit: ſicut cùm juſtus, ex affectu placendi Deo, orat pro alio, oratio ejus ſimul habet vim meritoriam de condigno gloriæ, & vim impetratoriam beneficii pro altero, quarum neutra officit alteri; ita ut juſtus per ſuam orationem neque plus neque minus mereatur, ſive alteri beneficium impetret, ſive non.

ARTICULUS III.

Quænam ſint conditiones requiſitæ ad ſatisfaciendum de condigno.

RESPONSIO I.

AD ſatisfaciendum de condigno requiritur in ſatiſfaciente ſtatus gratiæ.

Prob. 1. Ex Triden. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi ſic ait; Omnis

Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes, &c. Ex quibus verbis colligimus, 1. priùs eſſe nos vivere in Chriſto, vita ſcilicet ſpirituali, per gratiam ſanctificantem, quàm in eo mereri, aut ſatisfacere. 2. Nos in Chriſto ſatisfacere, ſicut in eo meremur. Meremur autem in eo, quatenùs ei debemus & gratiam actualem, ſine qua opera ſalutaria non facimus, & gratiam ſanctificantem, ſine qua opera noſtra bona non habent moralem æqualitatem cum gloria æterna, & acceptationem divinam, ſine qua operibus noſtris bonis gloria æterna non debetur tanquam merces. Igitur ſatisfacimus in Chriſto, quatenùs Chriſto debemus & gratiam actualem, ſine qua non facimus opera pia & laborioſa, & gratiam ſanctificantem, ſine qua opera pia & laborioſa, à nobis facta, non habent moralem æqualitatem cum pœnis temporalibus, in altera vita perſolvendis, & acceptationem divinam, ſine qua remiſſio pœnæ temporalis in altera vita perſolvendæ, non debetur piis & laborioſis operibus noſtris. Ergo ad ſatisfaciendum de condigno requiritur in ſatisfaciente gratia ſanctificans.

Objicies. Homo exiſtens in ſtatu peccati mortalis poteſt ſatisfacere de condigno pro pœna temporali debita pro peccatis remiſſis. Nego. *Probabis.* Pœna illa finita eſt. Ergo compenſari poteſt per pœnam æqualem, ſuſceptam ab homine, etiam exiſtente in ſtatu peccati mortalis. *Reſp.* pœnam temporalem, debitam pro peccatis remiſſis, & in altera vita luendam, finitam quidem eſſe, ſed pœnas hujus vitæ, quantæcumque ſupponantur, per ſe ac nudè ſpectatas, cum pœna illa comparabiles non eſſe, nec eam cum illa habere poſſe proportionem, quæ ad ſatisfactionem requiritur: quare neceſſaria eſt gratia ſanctificans, quæ perſonæ ſatisfacienti conferat dignitatem, à qua ſatisfactio, quæ in hac vita Deo exhibetur, habeat moralem æſtimabilitatem, vi cujus in æſtimatione prudenti, æqualis cenſeatur pœnæ in altera vita luendæ.

Responsio II.

Ad ſatisfaciendum de condigno, requiritur ut opus quo ſatisfit, ſit honeſtum & pœnale.

Prob. 1. Requiritur, ut opus honeſtum ſit: nam opus ſatisfactorium de condigno tale eſt; ut eo poſito, dignum ſit apud juſtum judicem, ut propter illud non infligat pœnam peccato debitam: at profectò opus malum, vel indifferens non poteſt eſſe hujuſmodi. 2. Requiritur, ut opus ſit pœnale: nam opus ſatisfactorium eſt actus juſtitiæ vindicativæ, qua homo in ſe vindicat & punit injuriam Deo factam per peccatum. Atqui vindicta fit per pœnam. Ergo, &c.

Objicies, Opus honeſtum ab homine juſto factum, licèt non ſit pœnale, meretur vitam æternam: ergo meretur etiam remiſſionem pœnæ temporalis: cùm majus ſit vitam æternam mereri, quàm mereri remiſſionem pœnæ temporalis. *Reſp.* 1. neg. ant. quod eſt de ſubjecto non ſupponente: nam omne opus honeſtum, eſt etiam pœnale & laborioſum; cùm nullum ſit, quod non adverſetur alicui bono delectabili, vel utili, aut aliquod non afferat malum. Unde Trid. ſeſſ. 14. can. 13. docet, *pro peccatis quoad pœnam temporalem, Deo per Chriſti merita ſatisfieri, pœnis ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus.* Hinc omne opus meritorium ſatisfactorium eſt, ſicut & omne opus ſatisfactorium meritorium eſt, Hinc facilè intelligitur, quomodo charitas v. g. & contritio perfecta ſint actus non ſolùm meritorii, ſed etiam ſatisfactorii, quia non tantùm honeſti ſunt, ſed etiam difficiles.

Reſp. 2. Permiſſo antecedente, neg. conſeq. Plus enim eſt mereri vitam æternam ſimul & remiſſionem pœnæ temporalis, quàm ſolùm mereri vitam æternam: unde ex eo quòd opus honeſtum ab homine juſto factum, vitam æternam mereatur, quamvis non ſit pœnale, malè infertur illud mereri etiam remiſſionem pœnæ temporalis. Et verò ſi datur tale opus, tota vis ejus meritoria exhauritur circa gratiam & gloriam merendam, & per gratiam & gloriam adæquatè præmiatur: quare præter gratiam & gloriam nihil meretur, & præter gratiam & gloriam nihil ei à Deo retribuitur; alioquin præmiatur ultra condignum.

Dices. Homines bene affecti parvam aut nullam difficultatem experiuntur in exercendis piis & honeſtis operibus. Ergo falſum eſt, quòd omne opus honeſtum ſit laborioſum.

R. neg. conſeq. Nam quòd homines bene affecti parvam aut nullam difficultatem experiantur in exercendis piis operibus, hoc non oritur ex ipſis operibus, nam ſecundùm ſe laborioſa ſunt & pœnalia; ſed ea charitate & devotione voluntatis, ac virtutibus acquiſitis: unde in hominibus bene affectis, vis ſatisfactoria bonorum operum non eſt minor quàm in aliis, qui aliter affecti ſunt; imò regulariter major eſt, eò quòd regulariter exerceant laudabiliùs, quamvis faciliùs, pia opera ſecundùm ſe laborioſa: nam pœna, quæ laudabiliùs, quamvis faciliùs, ſuſcipitur, majorem habet valorem & laudabilitatem. Adde, homines bene affectos ſæpe magnam in certis piis operibus exercendis experiri difficultatem, licèt parvam aut nullam experiri videantur, eò quòd illa opera, cum ferventi charitate, & magno propter charitatis fervorem gaudio exerceant.

Responsio III.

Ad ſatisfaciendum de condigno requiritur acceptatio ex parte Dei, ſeu voluntas & promiſſio remittendi pœnam temporalem intuitu talis operis.

Prob. ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi dum ait, nos in Chriſto ſatisfacere, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui per illum à patre acceptantur, manifeſtè ſupponit, acceptationem Dei ad condignè ſatisfaciendum neceſſariam eſſe. Ratio eſt, quia quantamcumque pia juſti opera proportionem habeant ad merendam de condigno gloriam æternam, & ad ſatisfaciendum de condigno pro pœna temporali, multis tamen aliis titulis exigi poſſent à Deo, ac proinde non merentur re ipſa gloriam æternam, nec ſatisfaciunt pro pœna temporali, niſi accedat acceptatio & promiſſio divina. Hinc animæ, quæ ſunt in purgatorio, non ſatisfaciunt, ſed, quod aliud eſt, ſatiſpatiuntur tantùm, quamvis plurimos actus exerceant, tam aptos ad ſatisfaciendum de condigno, quàm qui à nobis exercentur in hac vita; ſicut nec de condigno merentur gloriam æternam, quamvis exerceant opera ad illam de condigno merendam maximè idonea. Ratio pro utroque eſt, quia opera earum neque ad ſatisfaciendum, neque ad merendum acceptantur à Deo.

Objicies. Qui quod debet perſolvit, non eget ulla acceptatione, ut ejus debitum remittatur. Sed verè perſolvimus per pia & laborioſa opera, quæ exercemus in ſtatu gratiæ. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam niſi Deus acceptet opera illa ad ſolutionis effectum, nullo pacto per ea ſolvimus; quamvis enim propter gratiam ſanctificantem, qua informantur, moralem habeant æqualitatem cum pœnis, quæ debentur pro peccatis remiſſis, nihilominùs ut re ipſa per ea ſolvamus, acceptatio divina neceſſaria eſt, quia Deus poteſt multis aliis titulis ea exigere. Adde 1. opera illa non eſſe ejuſdem rationis cum pœnis, quæ pro peccatis remiſſis debentur. At qui vult ſolvere in alia ratione, indiget acceptatione creditoris, ut patet in eo, qui debet triticum, & vult ſolvere vinum, etiam æqualis valoris. 2. Judicem non teneri, pœna quam reus ſibi ipſe imponit, contentum eſſe, ſed poſſe nihilominùs reum mulctare pœnis, vel à ſe, vel à lege ſtatutis. Ergo, &c.

Obſerva 1. Ad ſatisfaciendum neceſſe non eſt, ut opus pium & laborioſum fiat ex formali intentione ſatisfaciendi, ſed ſatis eſt, ſi fiat ex intentione placendi Deo: ſicut ad merendum ſufficit vo-

luntas

luntas placendi Deo; nec neceſſarium eſt, ut actio procedat ex formali voluntate merendi. Et verò intentio placendi Deo longè melior eſt, quàm intentio ſatisfaciendi: unde conveniens non eſſet, hominem carere fructu ſatisfactionis, eò quod opus pium & laborioſum non ex intentione ſatisfaciendi, ſed ex intentione placendi Deo opus pium & laborioſum exerceat.

Obſerva 2. Homo juſtus ſatisfacit de condigno non ſolùm per opera ſupererogationis, ſed etiam per opera præcepta: ſicut tam per opera præcepta, quàm per opera ſupererogationis meretur augmentum gratiæ & gloriæ, ut docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. Et verò opera præcepta non ideò quòd præcepta ſunt, deſinunt eſſe honeſta & pœnalia: ſunt igitur ad ſatisfaciendum idonea, & ad hunc finem acceptari à Deo, apertè colligitur ex eo, quòd remiſſio pœnæ temporalis, piis & laborioſis operibus promiſſa ſit generaliter.

Obſerva 3. Ad ſatisfaciendum pro pœna temporali multùm valent, 1. actus interni, ſive conjuncti ſint cum actibus externis, ſive non, quia ſunt optimi, maximè liberi, & homini in hac vita laborioſi, ut patet ex actu charitatis, ex contritione perfecta, & ex attentione mentali, in qua orationis perfectio & difficultas maxima conſiſtit. 2. Actus externi, qui ab internis honeſtis procedunt: nam in actibus externis, ab internis honeſtis aliquo modo procedentibus, reperitur pœna, ab actibus internis diſtincta, & voluntariè ſuſcepta. Hinc actus externus vim ſatisfaciendi addit actui interno, quia addit pœnam diſtinctam ab ea, quam habet internus, & ita pœna major eſt in actu interno & externo ſimul, quàm in ſolo interno; quamvis actus externus vim merendi non augeat, quia non auget bonitatem moralem actus interni; atque ita bonitas moralis, major non eſt in actu interno & externo ſimul, quàm in ſolo interno, ut docent communiter Scholaſtici.

Obſerva 4. Sic poſſumus de condigno ſatisfacere Deo, ut nequeamus ei ſatisfacere ex rigore juſtitiæ: nam ut rectè notat Bellarminus lib. 4. de pœn. cap. 7. ſatisfactio ex rigore juſtitiæ requirit, ut ſatisfiat ex propriis & ad æqualitatem, nulla præcedente aut intercedente gratia illius, cui ſatisfactio debetur. At ſine gratia Dei, eaque multiplici, non poſſumus ei ſatisfacere ex propriis & ad æqualitatem: ad hoc enim requirit, 1. ut nobis gratis condonet mortalia, pœnam æternam mortalibus debitam commutet in temporalem, & nobis infundat ſanctificantem gratiam, per quam opera noſtra dignificantur in ordine ad merendum & ſatisfaciendum. 2. Ut auxilia actualia congrua nobis impertiat, ſine quibus exercere non poſſumus opera ad ſatisfaciendum idonea. 3. denique, ut opera illa, quæ verè dona illius ſunt, & quæ ſibi tanquam ſua vindicare poſſet, vellit noſtra eſſe, & ad effectum ſatisfactionis acceptet, eaque ſibi donari patiatur ad compenſandam pœnam temporalem, debitam pro peccatis remiſſis.

ARTICULUS IV.

Utrùm ſacerdos pœnitenti, quem abſolvit, debeat imponere ſatisfactionem aliquam, & quam debeat.

NOta. Duplex eſt ſatisfactio, una ſacramentalis, & altera non ſacramentalis. Sacramentalis eſt actio injuncta à ſacerdote, pertinens ad integritatem ſacramenti Pœnitentiæ, qua in hoc ſacramento aliquam pro peccatis compenſationem Deo retribuimus. Non ſacramentalis eſt actio non injuncta à ſacerdote, nec ad ſacramenti Pœnitentiæ conſtitutionem aliquo modo pertinens, qua Deo pro peccatis extra hoc ſacramentum retribuimus compenſationem aliquam. De hac hactenus actum eſt. De altera deinceps agemus.

RESPONSIO I.

Sacerdos per ſe loquendo tenetur ſatisfactionem imponere pœnitenti, quem abſolvit.

Prob. 1. Ex uſu & praxi Eccleſiæ: nam in Eccleſia ſemper impoſita fuit pœnitentibus aliqua ſatisfactio in ſacramento Pœnitentiæ. Hoc autem non eſſet ita conſtanter factum, ſi ad illud non tenerentur confeſſarii. 2. Ex Patribus, pro quibus omnibus ſit S. Gregorius lib. 3. expoſit. in 1. Regum cap. 5. ubi explanans cap. 7. hæc habet: *Quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demùm idonea eſt, cùm ſacerdotis fuerit judicio imperata, cùm ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis.* 3. Ex Conciliis infra laudandis. Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui ut docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. convenientiſſimè noluit in ſacramento Pœnitentiæ peccata dimitti ſine aliqua ſatisfactione.

Verba Concilii ſunt. *Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint; & divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ; procul dubio enim magnoperè à peccatis revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.*

Dixi autem in reſponſione, per ſe loquendo: nam quandoque ſacerdos abſolvere poteſt & debet, nulla ſatisfactione injuncta, ut cùm pœnitens, inter confitendum uſu ſenſuum privatur, ut patet ex praxi Eccleſiæ, & ex Concilio Carthaginenſi IV. can. 76. ex Concilio Arauſicano I. can. 12. ex S. Leonis epiſt. 91. verbis ſupra laudatis.

Objicies. Evangelium jubet peccata gratis remitti, nulla ſatisfactione impoſita. *R.* hoc eſſe falſum, ut prob. ex cap. 18. Matth. ubi Chriſtus Apoſtolis dicendo: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*, eos & eorum ſucceſſores hominum peccatorum judices conſtituit, ut illos non tantùm à culpis abſolverent, ſed etiam convenientibus pœnis ligarent: poteſtas enim ligandi, quam verbis laudatis confert Chriſtus, ut rectè obſervat Bellarminus lib. 4. de pœnit. cap. 13. non ſolùm eſt poteſtas retinendi peccata impœnitentibus, ſed etiam ad ea omnia vincula ſe extendit, quæ neceſſaria vel utilia ſunt ad ſalutem hominum renatorum, ac nominatim ad vinculum ſatisfactionis: nam Chriſti verba generalia ſunt, neque noſtrum eſt ea reſtringere, & ita ſemper ea intellexit Eccleſia; cùm nullum unquam tempus fuerit, quo lapſi in ea ſine ſatisfactione recepti fuerint. Hinc

Synodus Trid. ſeſſ. 14. can. 15. ſic adversùs Novatores pronunciat: *Si quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea ſacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti, &c. anathema ſit.* Chriſtus igitur poteſtatem dedit ſacerdotibus, ligandi pœnitentes poſt baptiſmum lapſos, convenientes eis ſatisfactiones injungendo. At procul dubio hanc poteſtatem dando, ſimul obligationem ea utendi impoſuit. Hæc autem obligatio gravis eſt, non ſolùm cùm pœnitens habet mortalia, ſed etiam cùm habet venialia tantùm. Nam ſi confeſſarius pœnitentem etiam venialia tantùm confitentem abſolvat, nulla ſatisfactione injuncta, voluntariè privat ſacramentum inte-

integritate & complemento ſibi debito quod, gravem irreverentiam videtur continere.

R e s p o n s i o II.

Confeſſarius tenetur proportionatam peccatis ſatiſfactionem injungere, conſiderata gravitate peccatorum, & facultate pœnitentium.

Prob. 1. Ex praxi Eccleſiæ, in qua majores pœnæ pro majoribus criminibus, minores verò pro minoribus ſemper impoſitæ fuerunt. 2. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic ſufficit Gregorius Magnus verbis proximè laudatis, ubi manifeſtè ſupponit, ſacerdotem teneri ad injungendam ſatisfactionem pro modo criminum, quæ pœnitens confitetur.

3. Ex veteribus Conciliis. Nam Laodicenum can. 2. vult confitentibus pœnitentiæ tempus pro delictorum proportione dari. Idem præſcribit Concilium Carthaginenſe III. can. 31. Turonenſe III. an. 813. ſic loquitur can. 22. *Epiſcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant.* Idem ferè quoad ſenſum habet Cabilonenſe II. eodem anno can. 38. & Moguntinum I. ſub Rabano anno 847. can. 31. ſic ait; *Modus tempuſque pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum Canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per eccleſiaſticam conſuetudinem, imponi debet à ſacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quoſdam & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt pulvillos ſecundum propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas.*

4. Ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi hæc leguntur: *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere.* Ratio à priori eſt, quia ſacerdos ex inſtitutione Chriſti judex eſt, & veluti arbiter inter Deum & hominem, proindeque tenetur ad ſervandam æquitatem & proportionatam pro peccatis ſatisfactionem injungere, ſpectatis omnibus circumſtantiis: nam ſi graviſſimam pœnam imponeret pro leviſſima culpa, injuriam faceret peccatori; & è contra injuriam faceret Deo, ſi pro graviſſima culpa pœnam imponeret leviſſimam.

Porrò hæc obligatio imponendi proportionatam peccatis pœnitentiam, ſpectatis omnibus circumſtantiis, gravis eſt, ut apertum eſt ex Trid. loco proximè citato, ubi ſic proſequitur: *Ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Peccat igitur graviter ſacerdos leviſſima quædam opera injungendo pro graviſſimis delictis.

Quæres 1. quid ſacerdos facere debeat, ut ſatisfaciat tam gravi obligationi?

An. 868. *Reſp.* cum Concilio Vvormacienſi canone 25. *Pœnitentibus*, inquit, *ſecundùm differentiam peccatorum, ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque ſacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemituſque delinquentium diligenter examinare, manifeſteque cognoſcere, temporum etiam & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere, ut etiam pro conſideratione locorum, ætatum, vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuſcujuſque delinquentis, à ſacris regulis oculos non deflectat.*

Debet igitur ſacerdos attendere, 1. ad qualitatem criminum, hoc eſt, ad ſpeciem, numerum, & circumſtantias tum ſpeciem mutantes, tum notabiliter aggravantes: nam per ſe loquendo, pro majoribus vel pluribus delictis pœna major imponi debet. 2. Ad facultatem pœnitentium, hoc eſt, ad conditionem, ſexum, ætatem, valetudinem, convictum, &c. niſi etiam hæc omnia maturè perpendantur, genus & quantitas ſatisfactionis prudenter præſcribi non poſſunt. 3. Ad hoc quòd ſatisfactio, quam injungit, *non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem*, ut ait Trid. loco proximè citato. Dixi, *ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum*, pro quo audi Rituale Romanum tit. de ſacram. Pœnitentiæ. *Curet* (confeſſarius) *quantùm fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia; rariùs autem, vel ſeriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat, communicent.*

Quæres 2. utrùm aliquando minui poſſit quantitas ſatisfactionis pro peccatis debitæ?

Reſp. minui poſſe, 1. Ratione indulgentiarum, quando conceduntur: nam per eas ſatisfactionis debitum minuitur; quando quidem conceduntur eo fine, ut ſint loco ſatisfactionis, quæ deberetur pro peccatis admiſſis. 2. Ratione vehementis doloris, qui ex lacrymis & gemitibus pœnitentis apparet, ut conſtat ex uſu veteris Eccleſiæ, & can. 25. Concilii Vvormatienſis proximè citato. 3. Ratione præſentis infirmitatis corporalis, ut ſi pœnitens ſit morti proximus: tunc enim leviſſima pœnitentia debet imponi: quòd ſi tamen ſpes eſſet convaliturum eſſe pœnitentem, ſatisfactio conveniens poſt convaleſcentiam implenda injungi deberet.

4. Ratione fragilitatis & ſpiritualis infirmitatis pœnitentis: nam ita communiter ſentiunt Doctores catholici cum S. Thoma in ſupplemento q. 18. art. 4. in O. ubi hæc habet; *Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem ſufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita ſacerdos divino inſtinctu motus, non ſemper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ deſperet, & à pœnitentia totaliter recedat.* Sic tamen fragilitatis & ſpiritualis infirmitatis pœnitentis ratio haberi debet à ſacerdote, ut non conniveat peccatis, nec cum pœnitentibus indulgentiùs agat, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, ne alienorum peccatorum particeps efficiatur, ut Trid. loquitur.

Quæres 3. utrùm pro pœnitentia injungi poſſint opera aliunde præcepta?

Reſp. communiter Doctores, non eſſe facilè injungenda ejuſmodi opera pro pœnitentia, addo non poſſe: nam confeſſarius tenetur injungere ſalutarem & convenientem pœnitentiam, quæ ſit non ſolùm ad novæ vitæ cuſtodiam, ſed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam & caſtigationem, ut docet Trid. At quomodo ſacerdos dici poterit talem pœnitentiam injungere, ſi injungat opera, ad quæ implenda teneretur pœnitens, etiamſi non confiteretur, imò etiam ſi non peccaſſet; Quare videtur confeſſarius peccare graviter, ſi pro gravibus peccatis imperet tantùm opera aliunde præcepta, quantumvis ea ſe laborioſa ſint, & ſatisfactoria.

Quæres 4. utrùm debeat imponi pœnitentia publica?

Reſp. 1. Non debet imponi pro peccatis occultis. Ratio eſt, quia talis pœnitentia eſſet improportionata, & contra uſum Eccleſiæ: nunquam enim in Eccleſia pro peccatis occultis pœnitentia publica licitè imperata fuit.

Reſp. 2. Publica pœnitentia imponenda eſt pro peccatis publicis & gravibus. Nam ita ſtatuit Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de reformatione. *Apoſtolus monet*, inquit, *publicè peccantes, palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio, ad rectam*

revo-

revocet vitam. Idem ante Tridentinum ſtatuerat Moguntinum I. cap. 31, jam citato, in quo ſic loquitur: *Diſcretio ſervanda eſt inter pœnitentes, qui publicè & qui abſconsè pœnitere debeant; nam qui publicè peccat, oportet ut publica mulctetur pœnitentia*. Poteſt autem Epiſcopus, ut habet Trident. loco proximè citato, pœnitentiam publicam in ſecretam commutare, quando ita magis expedire judicaverit: quare pœnitentia publica non debet imponi inconſulto Epiſcopo.

ARTICULUS V.

Utrùm pœnitens teneatur acceptare ſatisfactionem ſibi à confeſſario injunctam, & acceptatam implere.

Responsio.

Pœnitens per ſe loquendo tenetur ſatisfactionem ſibi à confeſſario injunctam acceptare, & acceptatam implere.

Prob. Nam ſacerdotes acceperunt à Chriſto poteſtatem ligandi. Atqui hæc poteſtas eſt poteſtas injungendi convenientem pro peccatis ſatisfactionem, ut interpretatur Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi poſtquam dixit debere ſacerdotes Domini ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, &c. hanc reddit rationem; *Nam claves ſacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*. Ergo pœnitentes acceptare tenentur convenientem pro peccatis ſatisfactionem, quando injungitur à ſacerdotibus, & acceptatam implere: nam poteſtas in judice & ſuperiore ad injungendum, dum exercetur, arguit eſſentialiter in reo, & in inferiore obligationem ad obſequendum, tanquam ſuum correlativum. Imò ſacerdotes non ſolum habent poteſtatem, ſed etiam obligationem imponendi ſatisfactionem convenientem pro peccatis, à quibus abſolvunt. Atqui manifeſtum eſt, hanc obligationem eſſe non poſſe in ſacerdotibus, ſine obligatione in pœnitentibus acceptandi & implendi convenientem pro peccatis ſatisfactionem. Dixi autem, per ſe loquendo: quia clave, ut aiunt, errante, hoc eſt, ſi confeſſarius imponat pœnitentiam irrationabilem ob gravitatem vel diuturnitatem, non tenetur pœnitens eam acceptare.

Objicies. Peccator non tenetur Deo ſatisfacere in hac vita pro pœna temporali, peccatis jam remiſſis adhuc debita, nec tenetur redimere pœnas purgatorii per ſatisfactionem ſacramentalem, ſed poteſt velle pati pœnas illas in altera vita, & ibi Deo ſatisfacere. Ergo non tenetur acceptare, &c.

Reſp. neg. ant. & dico peccatorem, 1. teneri ex juſtitia erga Deum ad ei ſatisfaciendum in hac vita pro injuriis, quas illi peccando fecit. 2. Teneri ex ordinato amore ſui ad pœnas alterius vitæ, quæ graviſſimæ ſunt, redimendas ſatisfactionibus hujus vitæ, quæ longè ſunt leviores.

Præterea, permiſſo antecedente, neganda eſt conſeq. quia poſtquam pœnitens ſubmiſit ſe judicio ſacramentali, tenetur quoque legitimæ judicis ſententiæ ſeſe ſubmittere, & conſequenter pœnitentiam à judice impoſitam implere. Hæc autem obligatio gravis eſt; ita ut pœnitens peccet mortaliter, ſi voluntariè omittat rationabilem pœnitentiam, ſive impoſita fuerit pro mortalibus, quod eſt extra controverſiam, ſive etiam, ut nobis videtur, impoſita fuerit pro venialibus tantùm, propter gravem irreverentiam erga ſacramentum, quod voluntariè privat ſuo complemento ſubſtantiali. Porrò ſi exiguam tantùm ſuæ pœnitentiæ partem omittat pœnitens, venialiter tantùm peccat.

Quæres 1. utrùm pœnitentia à confeſſario impoſita, poſſit in aliam commutari?

Reſp. 1. pœnitentia à confeſſario impoſita non poteſt ab ipſo pœnitente propria authoritate commutari in aliam æqualem, vel etiam meliorem. Ratio eſt, quia reus non poteſt mutare ſententiam judicis, nec inferior præceptum ſuperioris. Confeſſarius autem reſpectu pœnitentis locum judicis & ſuperioris obtinet.

R. 2. Pœnitentia à confeſſario impoſita, ab ipſo confeſſario qui impoſuit, in aliam mutari poteſt, modò ſubſit juſta commutandi cauſa, & ſufficientem habeat memoriam prioris confeſſionis: nam ſicut potuit imponere, ita & poteſt commutare in caſu propoſito: hoc enim utrumque poteſtas clavium ex æquo complectitur.

R. 3. Pœnitentia à confeſſario impoſita, poteſt commutari à quolibet alio confeſſario habente juriſdictionem in peccata, propter quæ pœnitentia fuit impoſita; commutari, inquam, in aliam convenientem & ſalutarem, modò adſit juſta cauſa commutandi, & pœnitens declaret illi peccata, propter quæ pœnitentia, cujus commutatio petitur, impoſita fuit. Ratio eſt, quia judex poteſt idem, quod poteſt alter in eodem tribunali, in quo vices ejus agit: quare cum prior confeſſarius, qui pœnitentiam impoſuit, poſſit illam commutare in aliam, idem omninò poteſt confeſſarius alter, qui legitimam habet authoritatem in peccata, pro quibus impoſita fuit pœnitentia; tunc enim confeſſarius alter eſt veluti ſucceſſor prioris in eodem tribunali.

Dixi 1. Modò adſit juſta cauſa commutandi: nam propter reverentiam Sacramento debitam, pœnitentia commutari non debet in aliam etiam convenientem & ſalutarem, ſine gravi cauſa commutandi. Quæ ratio æquè valet pro ipſo confeſſario, qui pœnitentiam impoſuit.

Dixi 2. Modò pœnitens declaret ei peccata, pro quibus injuncta fuit pœnitentia. Ratio eſt, quia pœnitentiæ commutatio eſt actus judicialis, qui nonniſi, cauſa priùs diſtinctè cognita, poteſt juſtè & prudenter exerceri. Præterea, quomodo confeſſarius alter pœnitentiam impoſitam poterit commutare in aliam convenientem & ſalutarem, niſi declarentur ei peccata, pro quibus fuit impoſita?

Nota. Confeſſarius, qui pœnitentiam impoſuit, poteſt eam in aliam commutare, non iterata peccatorum abſolutione, ſaltem ſi hæc commutatio fiat non diu poſt priorem confeſſionem & abſolutionem; nam hæc commutatio ſic facta, cum abſolutione priùs data efficit unum & idem moraliter judicium totale & integrum, ac proinde unum cum ea ſacramentum. At confeſſarius alter pœnitentiam à priore confeſſario impoſitam commutare non poteſt ſine nova peccatorum abſolutione: non enim exercere poteſt ligandi poteſtatem in foro pœnitentiæ, quin judicium exerceat in hoc foro; nec poteſt in hoc foro judicium exercere, quin ſacramentum integrum conficiat: expedit autem, ut confeſſarius alter novam peccatorum abſolutionem impertiens, & novam pœnitentiam loco prioris injungens, relinquat aliquid implendum ex priori pœnitentia, ne prius ſacramentum ſua integritate careat.

Quæres 2. quandonam pœnitens implere debeat pœnitentiam ſibi à confeſſario injunctam?

R. Si confeſſarius non præſcribat tempus, intra quod implenda ſit pœnitentia, pœnitens debet quamprimùm poteſt, illam implere. Quòd ſi confeſſarius præſcribat tempus, intra quod pœnitentia implenda ſit, pœnitens debet illam intra tempus illud implere, & ſi non impleat, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, tenetur eam implere quamprimùm poteſt; neque enim ab onere eam implendi liberatus eſt. Quòd ſi non implevit ex gravi negligentia, non eſt de novo abſolvendus, donec impleverit; niſi tamen adſit gravis aliqua ipſum abſolvendi neceſſitas. Ratio, eſt quia morale periculum eſt, ne & pœnitentiam illam, quam nondùm implevit, & aliam quæ de novo imponetur, & ſimili negligentia omittat.

Quæres 3. utrùm aliquando pœnitens obligari poſſit ad implendam pœnitentiam, antequam abſolvatur?

R. poſ-

Digitized by Google

Reſp. Poſſe in duplici caſu. 1. Quando verum adeſt periculum, ne accepta abſolutione omittat pœnitentiam impoſitam. Tale autem periculum adeſſe, prudenter judicabitur, ſi pœnitentias in prioribus confeſſionibus impoſitas omiſerit ex gravi negligentia. 2. Quando abſolutio differtur ob juſtam cauſam, putà ob inveteratam peccandi conſuetudinem, in quibus omnibus prudentia confeſſario neceſſaria eſt.

Dices. Saltem pœnitens, cui pœnitentia ante abſolutionem implenda injungitur, poterit adire alterum confeſſarium, & ab eo abſolvi ſine dilatione.

Reſp. neg. Nam ubi pœnitens ſe voluntariè ſubmiſit judicio ſacramentali, poteſt confeſſarius juſta de cauſa abſolutionem peccatorum in aliud tempus differe, eamque ſibi reſervare, & pœnitentiam intereà implendam imperare: habet enim ſacerdos poteſtatem ligandi, ac proinde pœnitens tenetur ei in his omnibus obſequi, niſi tamen clavis errer: nam clave errante poterit alter confeſſarius, prout ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, aliter ſtatuere.

At inquies. Erroneum eſt aſſerere abſolutionem differendam eſſe, donec pœnitens injunctam ſibi pœnitentiam impleverit. *Reſp.* Erroneum eſt aſſerere abſolutionem per ſe & in omni caſu differendam eſſe, donec pœnitens peregerit pœnitentiam ſibi impoſitam: hoc enim eſt, & ſemper fuit praxi Eccleſiæ contrarium.

Quæres 4. Quem effectum habeat pœnitentia, quando à pœnitente impletur?

Reſp. Pœnitentiam, dum à pœnitente impletur ex pio motu, & in ordine ad abſolutionem, tollere ex opere operato aliquid reatus pœnæ temporalis, ſive pœnitens ſit in ſtatu gratiæ, ſive non. Dixi 1. aliquid reatus, &c. Nam pœnitentia non ſemper tollit totum reatum pœnæ temporalis, ſed ſolùm ex illo reatu plus vel minùs tollit, prout plus vel minùs pœnalitatis habet, cæteris paribus. Dixi 2. Sive pœnitens ſit in ſtatu gratiæ, ſive non: nam ut pœnitentia tollat ex opere operato reatum pœnæ temporalis, non requiritur in pœnitente ſtatus gratiæ, ſicut nec requiritur ad hoc, ut dolor, confeſſio, & abſolutio, reatum culpæ tollant ex opere operato.

ARTICULUS VI.

Utrùm ſatisfactio debeat neceſſariò impleri ante abſolutionem ſacramentalem, ita ut abſolutio non poſſit aliter validè obtineri.

RESPONSIO.

NOn eſt ex inſtitutione Chriſti neceſſarium, ut ſatisfactio à ſacerdote impoſita impleatur à pœnitente ante abſolutionem.

Prob. 1. Authoritate Summor. Pontificum. Nam 1. Sixtus IV. damnavit hanc Petri Oxonienſis propoſitionem, *quòd non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peracta priùs pœnitentia eis injuncta.* 2. Alexander VIII. hanc quoque propoſitionem damnavit: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit, non politia aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei id ipſum aliquo modo dictante.*

Prob. 2. Ex praxi antiquæ Eccleſiæ, in qua pœnitentes publici, ſi poſt inceptam pœnitentiam in grave mortis periculum inciderent, abſolvebantur, nondùm peracta ſatisfactione; item in qua graves peccatores qui ad mortem uſque converſionem differebant, nihilominùs abſolvebantur, ſi vellent confiteri; immò abſolvebantur, etiamſi ante adventum confeſſarii ſenſibus deſtituerentur, & ſic confiteri non poſſent, modò circumſtantes eos confeſſarium petiviſſe teſtarentur.

Prob. 3. Ex uſu recentioris Eccleſiæ, quæ à pluribus ſæculis, ut fatentur adverſarii, ſervare deſiit morem non abſolvendi peccatores, niſi poſt impletam pœnitentiam. Eccleſiam autem à tot ſæculis in modo adminiſtrandi Pœnitentiæ ſacramentum errare, dici non poteſt ſine magna temeritate, imò nec ſine errore non manifeſto. Et verò cap. *Ad abolendam* extra de hæreticis, quicumque *aliter ſentire, aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat* de ſacramentis, vinculo perpetui anathematis innodantur.

Obj. 1. Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium c. 7. hæc habet: *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacbrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem.*

Reſp. Innocentius verbis laudatis docet tantùm, quid tunc temporis juxta modum ab Eccleſia præſcriptum & obſervatum, quandiu duravit ritus pœnitentiæ publicæ, circa pœnitentes publicos fieri deberet. At non dicit ita neceſſariò faciendum eſſe, ſecundùm inſtitutionem Chriſti: immò ibidem apertè ſupponit & ſentit, validam eſſe abſolutionem datam ante pœnitentiam: ſic enim poſt verba laudata proſequitur: *Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſcha relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.* Illud porrò, *ante tempus Paſcha*, dictum eſt propter conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, in qua qui pœnitentiam publicam agebant, ſive ex neceſſitate pro gravioribus criminibus, ſive ex devotione pro levioribus, abſolvebantur ſeria quinta majoris hebdomadæ, poſt totam quadrageſimam, in pœnitentiæ operibus tranſactam, ut teſtatur ibidem Innocentius his verbis: *De pœnitentibus verò, qui ſive in gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romana Eccleſia conſuetudo demonſtrat.*

Obj. 2. S. Leo epiſt. 91. ſic loquitur: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Reſp. Hic ſanctus Leo ſolùm affirmat, ſacerdotes à Chriſto accepiſſe poteſtatem imponendi pœnitentiam confitentibus, & eoſdem poſt pœnitentiam impletam abſolvendi. At non dicit ex neceſſitate ſacramenti ſatisfactionem abſolutioni præmitti debere; imò eadem epiſtola apertè docet valere abſolutionem datam ante peractam ſatisfactionem: hæc enim habet inferiùs: *His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire.*

Obj. 3. Eccleſia adeò parvi fecit abſolutiones datas ante peractam convenientem ſatisfactionem, ut per trecentos & ampliùs annos noluerit ad ſacramentum Pœnitentiæ admittere peccatores, qui illud tantùm peterent in articulo mortis, poſt vitam integram in vitiis & peccatis exactam, ut conſtare videtur ex Cypriano epiſt. 52. ad Antonianum, & ex Concil. Arelatenſi I. can. 22.

Reſp. neg. objectionem: Nam Innocentius I. epiſtol. 3. ad Exuperium cap. 2. teſtatur, ejuſmodi peccatoribus primis illis Eccleſiæ temporibus, in articulo mortis denegatam tantùm fuiſſe Euchariſtiam, non abſolutionem ſacramentalem; nam ſic ait: *De iis* (qui poſt baptiſmum omni tempora incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt) *obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt: nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur.*

Ad 1. *prob. Reſp.* Ex epiſtola Cypriani laudata haberi tantùm, quòd S. Martyr cum collegis ſuis ſtatuerit, ut ad ſacramentum Pœnitentiæ non admitterentur,

rentur, qui idolis in perſecutione ſacrificaverant, ſi illud tantùm peterent in periculo mortis, & quidem non quia putabat invalidam fore, ſi daretur ante peractam congruam ſatisfactionem, ut malè ſupponitur ab adverſariis, ſed quia putabat juſtè præſumi talium converſionem ſinceram non eſſe: nam ſic loquitur: *Pœnitentiam non agentes* (qui idolis ſacrificaverunt) *nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Valere autem abſolutionem, quamvis in extremis datam, modò peccator verè ſit pœnitens, ſatis apertè docet S. Cyprianus lib. contra Demetrian. ubi ſub finem hæc habet: *In iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt, patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licèt exitu & vitæ temporalis occaſu pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis ejus implores: venia confitenti datur, & credenti indulgentia ſalutaris de divina pietate conceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur.*

Ad 2. prob. Reſp. Concilium Arelatenſe can. citato, 1. loqui tantùm de apoſtatis, ſeu de iis, qui ad ethnicos deficiunt, nec niſi in mortis periculo pœnitentiam & reconciliationem petunt. 2. Talibus communionem tantùm denegare: *De his*, inquit, *qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, nequidem pœnitentiam agere quærunt, & poſteà infirmitate correpti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Concilium igitur apoſtatis in vitæ periculo pœnitentiam expoſcentibus, non abſolutionem ſacramentalem, ſed tantùm Euchariſtiam denegat: unde duriorem Præſulum Africanorum diſciplinam videtur hoc canone temperare voluiſſe.

Porrò paucis poſt Concil. Arelatenſe annis, Nicænum Oecumenicum can. 13. ſtatuit, ut omnibus indiſcriminatim peccatoribus pœnitentibus abſolutio ſacramentalis concederetur in articulo mortis: *De his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur è corpore, ultimò & maximè neceſſariò viatico minimè privetur.* Illud autem ultimum & maximè neceſſarium viaticum, de quo loquitur Synodus, fuit ſaltem abſolutio ſacramentalis: immò ex eo, quod Synodus ait: *Etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur*, apertè ſignificat, nemini unquam in exitu vitæ pœnitentiam petenti, ſacramentalem abſolutionem in Orientali Eccleſia denegatam fuiſſe.

Quantùm verò ad Euchariſtiam attinet, Nicænum non eam indiſcriminatim concedit gravibus omnibus peccatoribus, ſub exitu vitæ pœnitentibus, ſed Epiſcopo determinandum relinquit, quibus concedenda ſit, & quibus non; nam ſic canone citato loquitur: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis Euchariſtiæ gratiam tribui, Epiſcopus poſtquam probaverit, ex oblatione dare debebit.* Unde intelligitur, initio quarti ſæculi non omnibus in exitu tantùm vitæ pœnitentibus conceſſam fuiſſe Euchariſtiam, quamvis illis ſacramentalis abſolutio concederetur. At non multò poſt Nicæni Concilii tempora in Eccleſia mos ſenſim invaluit, non ſolùm abſolutionem ſacramentalem, ſed etiam Euchariſtiam dandi peccatoribus omnibus, qui poſt vitam in vitiis tranſactam convertebantur in extremo fine vitæ ſuæ, ut docet nos Innocentius I. epiſt. 3. ad Exuper. cap. 2. *Poſteaquam*, inquit, *Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis ..... Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur.*

Obj. 4. In antiqua Eccleſia cùm aliquis à gravi morbo, in quo fuerat abſolutus, convaleſcebat, redigebatur in ordinem pœnitentium, nec ullum diſcrimen ponebatur inter eum, & reliquos pœnitentes, qui peccatorum remiſſionem nondùm obtinuerant, ſed æquè ad crimina ſua lachrymis, aliiſque modis expianda obligabatur, diuque manebat privatus Euchariſtiæ participatione, donec publicè & in facie Eccleſiæ unà cum aliis pœnitentibus reconciliaretur per impoſitionem manuum Epiſcopi.

Reſp. Graves & publici peccatores, qui in articulo mortis abſoluti fuerant, ſi poſteà convaleſcerent, ad ſtatum pœnitentium redigebantur, non quòd Eccleſia nihili faceret abſolutionem eis datam, aut exiſtimaret eos non fuiſſe validè abſolutos à reatu culpæ & pœnæ æternæ, ſed quia adhuc illis onus incumbebat ſatisfaciendi pro pœna temporali per opera laborioſa pœnitentiæ, à qua pœna non fuerant liberati. Falſum autem eſt, quòd inter illos & alios pœnitentes publicos, qui nondùm remiſſionem peccatorum acceperant, nullum poneretur diſcrimen: illos enim ſi cum abſolutione ſacramentali Euchariſtiam recepiſſent, Concilium Carthaginenſe IV. can. 78. redigit tantùm ad tertium pœnitentiæ gradum, qui proſtratorum erat; Nicænum verò can. citato, ad quartum gradum, qui erat oratione communicantium cum reliquis fidelibus ſine participatione Euchariſtiæ: *Quod ſi*, inquit Synodus, *deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur.*

Obj. 5. Saltem vetus Eccleſia dubitavit de validitate abſolutionis moribundis datæ ante convenientem ſatisfactionem peractam, ut probatur ex Auguſtino, ſerm. 57. de temp. *Parum eſt*, inquit, *peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit: ad emendanda enim crimina, vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari, ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic petierit, mereatur abſolvi ...... Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipſa moriatur.*

Reſp. S. Auguſtinum hoc loco & aliis ſimilibus non dubitare de validitate abſolutionis moribundis datæ ante pœnitentiam peractam, modò verè, & ſicut oportet, doleant de peccatis ſuis, ut liquet ex ſermone 66. de tempore, ubi ait: *Pœnitentia vera non annorum numero cenſetur, ſed amaritudine animi .... pœnitentia, quamvis ſit exigui temporis, ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud judicem juſtum Deum, qui cordis ſecreta conſiderat: non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum ſinceritatis pœnitentis penſat.* Itaque ſanctus Auguſtinus loco qui objicitur, dubitat tantùm de virtute & ſufficientia doloris eorum, qui in extremis ſolùm petunt confeſſionem, quia rarò contingit eos, qui poſt vitam in vitiis exactam, ſub exitu tantùm vitæ ſuæ confeſſionem petunt, petere cum vero & ſufficienti dolore de peccatis.

DISPUTATIO VIII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

SUperiore ſæculo ad finem vergente, formam ſacramenti Pœnitentiæ deprecativam eſſe poſſe, imò & duodecim prioribus ſæculis fuiſſe, contra torrentem Doctorum aſſerere veriti non ſunt nonnulli,

docent

ducem ſecuti Morinum, qui in commentario hiſtorico de diſciplina in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ lib. 8. multis capitibus novitatem hanc probare & ſtabilire nervis omnibus contendit; ſed & eò uſque formas deprecativas deperit, ut velit abſolutionis formam in Concilio Florentino primùm, deinde in Tridentino traditam, ſimpliciter deprecativam eſſe, non obſtantibus his verbis: *Ego te abſolvo*, quæ dicit eſſe tantùm acceſſoria; in quo tamen deſeritur à quodam exſcriptore ſuo, utpotè cautiore, & rerum theologicarum peritiore,

---

ARTICULUS PRIMUS.

Forma ſacramenti Pœnitentiæ nec fuit, nec potuit eſſe unquam deprecativa.

§. I.

Probatur aſſertio noſtra authoritate S. Thomæ.

SAnctus Thomas, qui circa annum 1250. floruit, opuſculo 22. diſputat contra Neotericum quemdam, qui formam ſacramenti Pœnitentiæ non indicativam, ſed deprecativam eſſe ſcripſerat. Sic autem caput primum exorditur S. Doctor: *Perlecto libello à vobis exhibito, inveni aſſertionem cujuſdam valdè temerariam, dicentis quod ſacerdos abſolvendo uti non debeat hac forma:* Ego te abſolvo; *quod quidem præſumptuoſum judico*. At ſi vera eſt opinio quam hic impugnamus, quo jure tam gravi cenſura S. Thomas notat ſententiam adverſarii? E contrà verò, ſi univerſa Eccleſia per duodecim priora ſæcula in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ, non indicativa, ſed deprecativa forma uſa eſt, ipſe Angelicus Doctor temerarius & præſumptuoſus eſt, cùm velut temerariam, & præſumptuoſam traducit ſententiam, quæ docet in ſacramento Pœnitentiæ eam formam eſſe adhibendam, quam univerſa Eccleſia per duodecim ſæcula adhibuit, quæ docet in adminiſtratione Sacramenti retinendam eſſe praxim & doctrinam univerſæ Eccleſiæ, tot ſæculorum uſu conſecratam; denique quæ docet adhibendam eſſe in adminiſtratione Sacramenti eam formam, qua Apoſtoli ipſi uſi ſunt, & quam Eccleſiæ tradiderunt. Etenim ſi univerſa Eccleſia ab inſtitutione ſua per ſæcula duodecim uſa eſt forma deprecativa, dubitari non poteſt, quin Apoſtoli eadem forma uſi ſint, & Eccleſiam ut ea uteretur docuerint: unde ſi Eccleſia per duodecim, &c. S. Thomas ſententiam adverſarii temerariam, ac præſumptuoſam vocando, non tam adverſarium ejuſque doctrinam ferit, quàm univerſam Eccleſiam & ipſos Apoſtolos, eorumque praxim & doctrinam; atque ita Eccleſiæ, & Apoſtolorum, à quibus fundata eſt, obtrectator, & ſectator novitatis eſſe convincitur.

Dico, ſectator novitatis: nam ſi Eccleſia prioribus ſæculis duodecim uſa eſt forma deprecativa, certè eo tempore quo S. Thomas opuſculum ſuum conſcripſit, nova fuit ſententia affirmans adhibendam eſſe formam indicativam, antiqua verò ſententia negans, & tam antiqua quàm ipſa Eccleſia: unde non hæc, ſed illa ſententia cenſura notanda fuit tanquam nova, & praxi ac doctrinæ Apoſtolorum contraria, ſicque non hanc, ſed illam ſententiam velut temerariam & præſumptuoſam proſcribi oportuit.

Dicent fortaſsè adverſarii, factum illud duodecim priorum ſæculorum à S. Thoma ignoratum eſſe: ſed contra eſt manifeſtè, quia tam inſigne, & tanti momenti factum, ſuppoſito quòd extiterit, fugere non potuit tantum Doctorem, qui extremo, ut ita loquar, digito ſæculum duodecimum attingebat. Quaſi verò tam unanimis, tam conſtantis, tam diuturni univerſæ Eccleſiæ uſus intra triginta, vel quadraginta annos recordatio ita ex omnium mortalium animis exciderit, ut poſt illud tempus talem uſum extitiſſe ne leviter quidem ſuſpicarentur homines in rebus omnibus ad religionem pertinentibus doctiſſimi, & traditionum, tum Apoſtolicarum, tum eccleſiaſticarum peritiſſimi. Quaſi verò Doctor Angelicus parùm ſollicitus fuerit de inveſtigandis apoſtolicis, & eccleſiaſticis traditionibus, de addiſcenda praxi, & doctrina Apoſtolorum & Eccleſiæ circa ſacramentorum adminiſtrationem, & parùm verſatus in ſcriptis Patrum, aut parùm in illis intelligens; ita ut, aut non legerit ea, quæ ſe legiſſe, aut in eis non viderit, quæ ſe vidiſſe prædicant recentiores aliqui, in omnibus tamen Angelico Doctore maximo intervallo inferiores. Sed

Audiamus S. Doctorem: *Quod quidem*, inquit, *præſumptuoſum judico, quia repugnat evangelicis dictis. Dicit enim Dominus Petro, Matth. cap. 16.* Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, *quod ad uſum clavium pertinere oſtenditur: nam præmiſerat:* Et tibi dabo claves regni cœlorum, *& poſt quaſi uſum clavium exponens dicit:* Et quodcumque ſolveris. *Patet ergo ex dictis Salvatoris, quòd habens claves abſolvit. Præſumptuoſum eſt ergo, ne dicam erroneum, ut ſacerdos dicere non poſſit,* Ego abſolvo te, *quem Dominus abſolvere conſitetur.* Et inferiùs: *Poteſt ergo*, inquit, *habens claves, ex tradita ſibi poteſtate dicere:* Ego te abſolvo. *Non ſolum autem hoc convenienter dicere poteſt, ſed & neceſſarium eſſe videtur: Sacramenta enim novæ legis efficiunt quod figurant; figurant autem ſeu ſignificant & ex materia & ex forma verborum.*

Et adhuc inferiùs: *In ſacramento autem Pœnitentiæ*, inquit, *verba Scripturæ, quæ maximè ſunt ſectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, ſed magis verbo indicativo utitur. Non enim dicit:* Quæcumque petieris eſſe ſolvenda, erunt ſoluta, *ſed,* Quæcumque ſolveris, erunt ſoluta: *Si ergo illa tantùm dicuntur eſſe ſoluta, quæ habens claves ſolverit, qui autem petit aliquid eſſe ſolvendum non ſolvit, miror qua temeritate aliquis aſſerat eſſe ſolutum quem habens claves non ſignificat ſe ſolvere, ſed ſolum rogat eſſe ſolvendum.*

En S. Doctor ſententiam affirmantem utendum eſſe forma deprecativa, non indicativa, temerariam & præſumptuoſam oſtendit, dum ſtatuendo, 1. Formam deprecativam contrariam eſſe verbis Scripturæ, quibus datur, vel, ſi vis, promittitur poteſtas clavium, ſeu poteſtas conficiendi ſacramentum Pœnitentiæ. 2. Ex iiſdem Scripturæ verbis colligi non ſolùm convenientiam, ſed etiam neceſſitatem formæ indicativæ; ita ut ad validam ſacramenti adminiſtrationem formam indicativam non requiri, & deprecativam ſufficere, ſaltem temerarium, ac præſumptuoſum ſit aſſerere, ſano ſentiret, num talia ſcriberet Doctor maximè catholicus, ſi verum eſſet, quòd univerſa Eccleſia per duodecim priora ſæcula formam deprecativam adhibuiſſet? Certè ſi verum eſt, cùm tale factum S. Doctorem latuiſſe planè incredibile ſit, dicendus eſt ipſe ſciens & volens, ſaltem temerè & præſumptuosè verba Scripturæ interpretatus contra traditionem apoſtolicam exploratiſſimam, & ſenſum univerſæ Eccleſiæ, plurimorum ſæculorum decurſu declaratum, atque confirmatum. Item dicendus eſt per intolerabilem exceſſum indirectè ſaltem ipſos Apoſtolos & univerſam Eccleſiam temeritatis ac præſumptionis arguiſſe, immò & ſenſiſſe quòd in Eccleſia univerſa per duodecim ſæcula ſacramentum Pœnitentiæ invalidè fuerit adminiſtratum, quæ ſanè omnia fidem omnem ſuperant.

Præter rationem petitam ex verbis Scripturæ, quibus poteſtas clavium promittitur, aliam affert ad oſtendendam cenſuræ ſuæ æquitatem S. Doctor; nam ſic loquitur: *Ad hoc etiam eſt communis conſuetudo tali forma utentium, cui aliquem contrariari non parva præſumptionis eſt*. Ex his autem verbis apparet eo tempore, quo opuſculum ſuum conſcribebat ſanctus Thomas, univerſæ Eccleſiæ in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ conſuetudinem fuiſſe utendi forma indicativa: nam unius vel aliquarum tantùm Eccleſiarum conſuetudini contrariari minimè

præſumptuoſum eſſet. Atqui hoc eſſet omninò incredibile, immò evidenter falſum, ſi verum eſſet, quòd Eccleſia univerſa duodecim prioribus ſæculis uſa eſſet forma deprecativa: nam quo miraculo fieri potuiſſet, ut praxis univerſæ Eccleſiæ in re graviſſimi momenti, qualis eſt ſacramenti adminiſtratio, per ſæcula duodecim uſitata, intra triginta vel quadraginta annos ab omnibus Eccleſiis particularibus proſcripta & reprobata reperiretur, ſine decreto Pontificis, ſine definitione alicujus Concilii generalis, nullo reclamante, vel contradicente, atque ita proſcripta & reprobata reperiretur, & qui poſt triginta, vel quadraginta annos auderet dicere, hanc praxim retinendam eſſe, & formam deprecativam ſufficere, temerarius, ac præſumptuoſus cenſeretur, communique univerſæ Eccleſiæ praxi contrarius.

Quis impunè dicet, omnes Eccleſias particulares ſine ulla conſpiratione uſum ab Apoſtolis acceptum, & in univerſa Eccleſia per ſæcola duodecim frequentatum, intra modicum tempus deſeruiſſe, & tam antiqui moris loco novum ſubſtituiſſe in re attinente ad eſſentiam & validam adminiſtrationem alicujus ſacramenti; & quod diligenter obſervandum eſt, id feciſſe ſine aliqua urgente cauſa? Nam ſi Eccleſia duodecim prioribus ſæculis forma deprecativa uſa eſt, & ita ex traditione apoſtolica & uſu Eccleſiæ certò certiùs eſt formam deprecativam ſufficere, quæ potuit eſſe urgens cauſa formam deprecativam in indicativam commutandi?

Dicentne cauſam illam fuiſſe hæreſim aliquam profligandam? Aſſignent ergo hæreſim illam, quam Eccleſia profligare non potuerit, niſi formam Sacramenti ab Apoſtolis acceptam, & poſt tot ſæcula conſtantiſſimè retentam abjiceret, ejuſque loco novam ſubſtitueret. Synodus Tridentina ſeſſ. 21. c. 2. duas affert cauſas, propter quas Eccleſias poteſt aliquid mutare in ritibus accidentalibus adminiſtrationi ſacramentorum, ſalva eorum ſubſtantia: populorum ſcilicet utilitatem, & ipſorum ſacramentorum venerationem. At obſecro, quæ populorum utilitas, quæ major ipſius ſacramenti veneratio ſperari potuit ex mutatione formæ deprecativæ in indicativam?

Dicentne id ſine ſpeciali aliqua & urgente cauſa factum eſſe? Abſit, ut levitatis & inconſtantiæ notam inuramus ſponſæ Chriſti. Abſit, ut dicamus illam potuiſſe ritum ab Apoſtolis acceptum, & duodecim ſæculorum uſu confirmatum, abſque graviſſima aliqua cauſa abjicere.

De adverſario ſuo S. Doctor cap. 5. opuſculi ſui ſic loquitur: *Addit etiam objiciendo, quod vix 30. anni ſunt, quod omnes hac ſola forma utebantur*, abſolutionem, & remiſſionem, &c. *Sed quomodo de omnibus poteſt teſtimonium perhibere, qui omnes non vidit? Sed certum eſt, quod jam ſunt mille ducenti anni & ampliùs, quòd dictum eſt Petro.* Quodcumque ſolveris, &c. En adverſarius S. Thomæ pro aſſertione ſua allegat praxim Eccleſiæ in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ, nec tamen ait, Eccleſiam ab inſtitutione ſua eò uſque temporis uſam eſſe forma deprecativa, ſed, quod aliud eſt, præcisè aſſerit, ſacerdotes omnes forma deprecativa uſos eſſe ante annos 30. hoc eſt, ſæculo duodecimo exeunte, vel ineunte decimo-tertio.

Ad hoc autem quid S. Doctor? Num confitetur rem ita ſe habere, ſed nova conſuetudine inducta, vel nova lege lata ab Eccleſia, nova forma, nempe indicativa, opus eſſe? Minimè. Ridet confidentiam hominis, qui temerè ut verum & certum adducit, quod verum eſſe nec ſcit, nec ſcire potuit, & abſque fundamento omnibus Eccleſiæ catholicæ ſacerdotibus, qui ante annos 30. fuerunt, uſum certiſſimæ inſtitutioni Chriſti repugnantem inconſideratè attribuit: perinde enim eſt, ac ſi diceret S. Doctor: Quòd ſacerdotes, qui ante annos 30. fuerunt, forma deprecativa uterentur, falſum eſt, ſaltem planè incertum eſt, nec probari poteſt; cum è contra certiſſimum ſit, mille ducentos & ampliùs annos eſſe, quòd Petro dictum eſt. *Quodcumque ſolveris, &c.* Et conſequenter quòd Petro dictum eſt, formam indicativam, non deprecativam, adhibendam eſſe in ſacramento Pœnitentiæ.

Ex his licèt conjicere, quid S. Thomas reſponſurus fuiſſet adverſario, ſi depoſita omni verecundia, poſitivè affirmaſſet, univerſam Eccleſiam ab inſtitutione ſua per ſæcula duodecim uſam eſſe forma deprecativa. Falſum eſt, dixiſſet S. Doctor; probare non potes: aut non eſt ita, ut dicis, aut Chriſtus non dixit Petro: *Quodcumque ſolveris, &c.* Attamen certiſſimum eſt, Chriſtum Petro dixiſſe: *Quodcumque, &c.* Deſine ergo ex locis aliquibus Scripturæ, Patrum, Sacramentariorum, &c. pravè intellectis, pravè augurari, & univerſam Eccleſiam ab inſtitutione ſua per ſæcula plurima contrariam facere inſtitutioni Chriſti.

§. II.

Probatur aſſertio noſtra ex his verbis, Quodcumque ſolveris, &c. *juxta interpretationem Sancti Thomæ, opuſcul. 22.*

NUnquam univerſa Eccleſia in ſacramento Pœnitentiæ uſa eſt ea forma quæ repugnat verbis Chriſti, quibus conceditur, vel ſaltem promittitur ſacerdotibus poteſtas exercenda in tribunali pœnitentiæ circa peccata. Sed talis eſt forma deprecativa. Ergo nunquam univerſa Eccleſia, &c. Major evidenter nititur principio fidei, nempè quòd non poſſit Eccleſia univerſa errare circa ſacramentorum adminiſtrationem.

Prob. itaque minor. Verba illa quibus promittitur ſacerdotibus poteſtas exercenda in tribunali pœnitentiæ circa peccata, ſunt hæc: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis.* Atqui his verbis manifeſtè repugnat forma deprecativa: nam ſi non repugnat, cum Chriſtus dixit: *Quodcumque ſolveris, &c.* perinde ſunt, ac ſi diceret, Quodcumque petieris ut ſolvatur, &c. quibus reſpondet forma deprecativa. Evidenter autem aliud eſt dicere: *Quodcumque ſolveris, &c.* & aliud dicere, Quodcumque petieris ut ſolvatur, &c. Ergo, &c.

Certè ſi Chriſtus dixiſſet, Quodcumque petieris, ut ſolvatur, poſſet, immò & deberet adhiberi forma deprecativa, & tunc forma deprecativa neceſſaria eſſet non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate ſacramenti. Ergo cùm dixerit: *Quodcumque ſolveris, &c.* poteſt & debet adhiberi forma indicativa; & forma indicativa non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate ſacramenti neceſſaria eſt; nam ſicut his verbis, Quodcumque petieris, &c. reſponderet forma deprecativa, ita manifeſtè forma indicativa reſpondet iſtis: *Quodcumque ſolveris, &c.*

Confirmatur. Nunquam univerſa Eccleſia in ſacramento Pœnitentiæ uſa eſt ea forma, per quam ſacerdotes exercere non poſſunt poteſtatem ſibi traditam pro tribunali pœnitentiæ circa peccata. Atqui talis eſt forma deprecativa. Ergo nunquam, &c. *Prob. min.* Poteſtas ſacerdotibus tradita pro tribunali pœnitentiæ circa peccata, eſt poteſtas abſolvendi à peccatis. Sed hæc poteſtas exerceri non poteſt per formam deprecativam: in tantùm enim poteſtatem abſolvendi à peccatis exercet ſacerdos, in quantùm pro poteſtate ſibi tradita re ipſa abſolvit à peccatis. Per formam autem deprecativam, quantumcumque ſupponatur efficax ex opere operato, ſacerdos nunquam à peccatis abſolvet, ſed ſolùm petet & impetrabit à Deo abſolutionem à peccatis: ita ut ſolus Deus à peccatis abſoluturus ſit, & nullo modo ipſe ſacerdos nequidem miniſterialiter & inſtrumentaliter: nam propriè loquendo abſolvere à peccatis, & præcisè impetrare etiam infallibiliter à Deo abſolutionem à peccatis, ſunt duo planè diſparata.

Dices. Sacerdos poteſt per formam deprecativam impetrare infallibiliter gratiam remiſſivam peccatorum. Ergo poteſt per formam deprecativam abſolvere à pec-

Digitized by Google

à peccato. *Reſp.* 1. diſt. ant. Sacerdos poteſt per formam deprecativam, &c. in ſacramento Pœnitentiæ, Neg. ant. Nam in hoc ſacramento ſacerdos nihil poteſt niſi abſolvendo propriè, & per ſolam formam indicativam poteſt propriè abſolvere. In alio ſacramento, ut in ſacramento Extremæ unctionis, in quo ſacerdos non fungitur munere judicis, nec abſolvit, Conc. ant.

Reſp. 2. Impetrare infallibiliter gratiam remiſſivam peccatorum, & abſolvere à peccatis, minimè convertuntur inter ſe: ſacerdos enim in ſacramento Extremæ unctionis impetrat infallibiliter gratiam remiſſivam peccatorum, & tamen hoc ſacramentum conferendo, non abſolvit à peccatis. Item ſacerdos in ſacramento Baptiſmi, ſecundùm adverſarios, confert infallibiliter per modum impetrationis gratiam remiſſivam peccati originalis, & aliorum actualium ante baptiſmum admiſſorum, & tamen baptizando non abſolvit à peccatis, nec omninò poteſt abſolvere; nam poteſtas abſolvendi non poteſt exerceri ſine juriſdictione, & ſacerdos juriſdictionem non habet in peccata ante baptiſmum admiſſa.

Manifeſtè igitur aliud eſt, gratiam peccatorum remiſſivam impetrare infallibiliter etiam ex opere operato, & aliud abſolvere à peccatis; atque modus conferendi gratiam peccatorum remiſſivam per abſolutionem, diverſus eſt à modo conferendi gratiam peccatorum remiſſivam per orationem externam, etiam independenter à ſanctitate miniſtri operantem infallibiliter. Unde cùm ſacerdos in ſacramento Pœnitentiæ non poſſit conferre gratiam peccatorum remiſſivam niſi abſolvendo à peccatis, & cum per orationem à peccatis abſolvere repugnet, non poteſt per orationem conferre gratiam peccatorum remiſſivam in ſacramento Pœnitentiæ.

Dices. Per hæc Chriſti verba: *Quodcumque ſolveris, erit ſolutum & in cælis*, tam promittitur poteſtas abſolvendi à cenſuris, quàm poteſtas abſolvendi à peccatis. Sed poteſtas abſolvendi à cenſuris exerceri poteſt per verba deprecativa. Ergo & poteſtas abſolvendi à peccatis.

Reſp. Neg. conſeq. Nam ita per eadem Chriſti verba dantur vel promittuntur poteſtas abſolvendi à cenſuris, & poteſtas abſolvendi à peccatis, ut tamen una ſit omninò diverſa ab alia: poteſtas enim abſolvendi à cenſuris non eſt poteſtas ſacramentalis, ſeu poteſtas exercenda per adminiſtrationem alicujus ſacramenti; unde ad validum hujus poteſtatis exercitium non requiruntur abſolutè verba, ſed ſufficere poſſunt alia ſigna à verbis diſtincta, & præcisè requiritur, ut quocumque modo ſufficienter ſignificetur exteriùs intentio abſolvendi à cenſuris: quare cùm verba deprecativa ſufficere poſſint ad hanc intentionem exteriùs ſignificandam, manifeſtum eſt poteſtatem abſolvendi à cenſuris validè exerceri poſſe per verba deprecativa.

Poteſtas verò abſolvendi à peccatis eſt poteſtas ſacramentalis, ſeu poteſtas exercenda per adminiſtrationem alicujus ſacramenti, nempe ſacramenti Pœnitentiæ. Quare poteſtas abſolvendi à peccatis non exercetur validè, niſi per ſacramentum Pœnitentiæ validè collatum. Sacramentum autem Pœnitentiæ validè conferri non poteſt ſine expreſsè ſignificantibus effectum illius primarium, adeòque ſine verbis expreſsè ſignificantibus remiſſionem peccatorum, factam ab ipſo ſacerdote, ut ſuperiore reſpectu pœnitentis, & auctoritate divina jus illi dicente. At remiſſio peccatorum, ut facta ab ipſo ſacerdote, &c. non poteſt expreſsè ſignificari, niſi vel per verba indicativa, ut cùm ſacerdos dicit, *Ego te abſolvo*, vel per imperativa indicativis æquivalentia, ut ſi ſacerdos dicat, *Abſolutus eſto*. Quandiu enim ſacerdos adhibebit tantùm verba deprecativa, poterit quidem ſignificare peccata remitti à Deo, at nunquam expreſsè ſignificabit, à ſe ut ſuperiore reſpectu pœnitentis, & auctoritate divina jus illi dicente remitti, ut patet ex ſacramento Extremæ unctionis. Poteſtas igitur abſolvendi à peccatis validè exerceri non poteſt per verba deprecativa, ſed tantùm per indicativa; adde, ſi vis, quod ſemper poteſt ſuppleri, vel imperativa indicativis æquivalentia.

Ex dictis apparet diſparitas, & adhuc declaratur ampliùs. Poteſtas abſolvendi à cenſuris validè exerceri poteſt per verba deprecativa, quia ad validum ejus exercitium non requiritur, ut ſacerdos exteriùs per verba exprimat uſum ſeu effectum illius, adeòque non requiritur, ut ſacerdos exteriùs per verba exprimat abſolutionem à cenſuris, ut à ſe datam, ſed ſufficit, ſi exteriùs exprimat efficacem intentionem abſolvendi à cenſuris, quod facere poteſt per verba deprecativa, vel etiam ſine verbis per aliquod aliud ſignum externum. At verò ad valorem poteſtatis abſolvendi à peccatis per exercitium requiritur, ut ſacerdos exteriùs per verba expreſsè ſignificet, ſe uti hac poteſtate, adeòque exteriùs per verba expreſsè ſignificet, abſolutionem à peccatis à ſe dari. Quod

Ampliùs declaratur hoc argumento. Poteſtas abſolvendi à peccatis exercetur validè, quatenùs effectum ſuum operatur per ſacramentum, per quod exercetur, ſeu, quod idem eſt, quatenùs ſacramentum, per quod exercetur, operatur effectum illius. Ergo in tantùm poteſtas abſolvendi à peccatis validè exercetur, in quantùm ſacramentum, per quod exercetur, ſignificat effectum illius; cùm in tantùm operentur ſacramenta, in quantùm ſignificant. Ergò in tantùm poteſtas abſolvendi à peccatis validè exercetur, in quantùm ſacramentum Pœnitentiæ ſignificat peccatorum remiſſionem, factam à ſacerdote ut ſuperiore reſpectu pœnitentis, & auctoritate divina jus illud dicente; cùm poteſtatis abſolvendi à peccatis effectus ſit peccatorum remiſſio facta ab ipſo ſacerdote ut ſuperiore, &c.

Doctrinam hactenus expoſitam compendioſè tradit ſanctus Thomas cap. 2. opuſculi citati in reſp. ad 1. ubi ſic ait: *Alia ratio eſt de abſolutione ab excommunicatione, quæ non eſt ſacramentalis, ſed magis judiciaria, juriſdictionem conſequens; & aliud de abſolutione à peccatis in ſacramento Pœnitentiæ, quæ conſequitur poteſtatem clavium, & eſt ſacramentalis. In illa enim* (abſolutione ab excommunicatione) *verba habent efficaciam ab intentione dicentis; unde non refert quibuſcumque verbis* (is qui ab excommunicatione abſolvit) *utatur ad exprimendam ſuam intentionem: in ſacramentis autem verba habent efficaciam ex inſtitutione divina, unde tenenda ſunt verba determinata, conſonantia divinæ inſtitutioni. Inſtitutioni autem dicentis*, Quodcumque ſolveris, &c. *iſta verba conveniunt*, Ego te abſolvo, *ſicut inſtitutioni dicentis*, Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c. *conveniunt iſta verba*, Ego te baptizo, &c. *Sicut ergo iſta tenenda ſunt in baptiſmo*, Ego te baptizo, *ita in pœnitentia*, Ego te abſolvo.

Itaque juxta S. Doctorem, magnum diſcrimen eſt inter abſolutionem à cenſuris, & abſolutionem à peccatis: hæc enim ſacramentalis eſt, ſeu fit per ſacramentum, illa verò non: unde forma, quâ fit abſolutio à peccatis, à Chriſto inſtituta eſt; ſecùs forma, quâ fit abſolutio à cenſuris: quare verba, ex quibus hæc conſtituitur, pendent ab eo qui à cenſuris abſolvit: at verba ex quibus illa conſtituitur, non ab eo qui abſolvit à peccatis, ſed à Chriſti inſtitutione dependent. Hinc abſolvens à cenſuris poteſt quibus voluerit verbis abſolvere, modò ſufficienter intentionem ſuam abſolvendi exprimat: at verò abſolvens à peccatis non poteſt abſolvere niſi verbis conſonantibus divinæ inſtitutioni: talia autem ſunt ſola verba indicativa, ut patet ex his verbis: *Quodcumque ſolveris, &c.* quibus, juxta S. Doctorem, continetur inſtitutio poteſtatis clavium, ſeu poteſtatis abſolvendi à peccatis, quæ non exercetur niſi per ſacramentum Pœnitentiæ: tam enim ex his verbis Chriſtus intelligitur pro forma hujus ſacramenti inſtituiſſe hæc verba, *Ego te abſolvo*, quàm ex aliis, *Euntes docete, &c.* intelligitur inſtituiſſe pro forma baptiſmi, verba iſta, *Ego te baptizo, &c.*

Porrò quare juxta S. Doctorem, ex his verbis: *Quodcumque ſolveris*, *&c.* intelligitur Chriſtus inſtituiſſe verba indicativa pro forma ſacramenti Pœnitentiæ, per quod exercetur poteſtas clavium? Certè quia ex his verbis: *Quodcumque ſolveris*, *&c.* Juxta S. Doctorem, Chriſtus intelligitur inſtituiſſe hoc ſacramentum per modum judicii, & ſacerdotes conſtituiſſe judicea in foro pœnitentiæ: unde manifeſtè ſequitur ſacramenti Pœnitentiæ effectum eſſe abſolutionem à peccatis, factam à ſacerdote tanquam judice, ſeu authoritate divina jus dicente pœnitenti; qui effectus, ut fit, per formam ſacramentalem debet exprimi, nec exprimi poteſt niſi per formam indicativam: ex quo evidenter ſequitur formam indicativam pro ſacramento Pœnitentiæ eſſe à Chriſto inſtitutam.

§. III.

Probatur aſſertio noſtra ex cap. 1. 5. & 6. ſeſſ. 14. Concilii Tridentini.

SYnodus ſeſſ. 14. cap. 1. ſic loquitur: *Dominus autem ſacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens*, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: *Quo tam inſigni facto & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Itaque de fide eſt ſacerdotibus à Chriſto traditam eſſe poteſtatem verè, ac propriè remittendi peccata per ſacramentum Pœnitentiæ, & hoc ſacramentum à Chriſto inſtitutum fuiſſe, ut per illud ſacerdotes verè, ac propriè remittant peccata, proindeque cùm natura & eſſentia ſacramentorum novæ legis tota pendeat ab inſtitutione Chriſti, eam eſſe naturam & eſſentiam ſacramenti Pœnitentiæ, ut per illud ſacerdotes verè, ac propriè remittant peccata: ex quibus evidenter ſequitur, formam deprecativam repugnare inſtitutioni Chriſti, & eſſentiæ ſacramenti Pœnitentiæ. Nam

Supponamus (quod tamen propter præſentem Chriſti inſtitutionem chimericum eſt) ſupponamus, inquam, ſacerdotem per formam deprecativam ſupra pœnitentem ritè contritum, & confeſſum prolatam impetrare infallibiliter, & ex opere operato gratiam peccatorum remiſſivam, tunc quidem ſacerdos faciet ſacramentum, at non faciet ſacramentum, quod à Chriſto inſtitutum eſt: faciet ſacramentum, ſed natura, & eſſentia diverſum à ſacramento Pœnitentiæ; tunc enim ſacerdos non magis verè, ac propriè remittet peccata, quàm verè, ac propriè remittat, cùm ſacramentum Extremæ unctionis confert ægroto, in quo tamen ſacramento per formam deprecativam infallibiliter, & ex opere operato gratiam remiſſivam peccatorum impetrat.

Ratio à priori eſt, quia in tantùm ſacerdos verè, ac propriè remittit peccata per ſacramentum, in quantùm facit ſignum practicum remiſſionis peccatorum à ſe factæ; ſacramenta enim in tantùm operantur, in quantùm ſignificant. At in ſuppoſitione facta ſacerdos ſolùm faceret ſignum practicum remiſſionis peccatorum à Deo factæ; ſicut conferendo ſacramentum Extremæ-unctionis, ſolùm facit ſignum practicum remiſſionis peccatorum factæ à Deo. Ergo in ſuppoſitione facta ſacerdos non remitteret peccata verè ac propriè per ſacramentum illud quod faceret. Ergo non faceret ſacramentum à Chriſto inſtitutum: nam ſacramentum à Chriſto inſtitutum illud eſt, per quod ſacerdos pœnitenti ritè contrito & confeſſo peccata verè ac propriè remittit.

Urgeo. Sacerdos quando confert ſacramentum Extremæ-unctionis, non remittit peccata, ſed ſolus Deus remittit. Quare? Certè quia miniſter non operatur per ſacramentum, niſi quod per ſacramentum ſignificat; & ſacerdos per ſacramentum Extremæ-unctionis ſolùm ſignificat peccata remitti à Deo. Quare autem ſacerdos per ſacramentum Extremæ-unctionis ſolùm ſignificat peccata remitti à Deo? Certè quia utitur forma deprecativa, quia dicit: *Indulgeat tibi Deus*, *&c.* Quòd ſi uteretur forma indicativa, & diceret: Indulgeo tibi, &c. ſignificaret ſe peccata remittere, quamquam non ſignificaret à ſe tanquam judice, & ſententiam pronunciante remitti. Pariter ergo ſacerdos per ſacramentum, quod in ſuppoſitione facta conferret, non remitteret peccata, quia non ſignificaret ſe remittere, ſed ſolùm ſignificaret remitti à Deo, & ſolùm ſignificaret remitti à Deo, quia uteretur forma deprecativa. Igitur quia uteretur forma deprecativa, non faceret ſacramentum Pœnitentiæ, ſed aliud ab eo natura & eſſentia diverſum.

Denique *ſic argumentor* ex laudatis Synodi verbis. Ea eſt inſtitutio Chriſti, & natura ſacramenti Pœnitentiæ, ut ſacerdos per illud verè, ac propriè remittat peccata. Ergo ea eſt inſtitutio Chriſti, & natura ſacramenti Pœnitentiæ, ut ſacerdos per illud ſignificet, ſe peccata remittere, quod facere non poteſt per formam deprecativam. Ergo forma deprecativa repugnat inſtitutioni Chriſti, & naturæ ſacramenti Pœnitentiæ. Ergo nunquam univerſa Eccleſia uſa eſt forma deprecativa in adminiſtratione hujus ſacramenti; cùm nec uſa ſit, nec uti potuerit unquam forma repugnante inſtitutioni Chriſti in ſacramentorum adminiſtratione.

2. Ejuſdem ſeſſion. cap. 5. ſic ait Synodus: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cœlos, ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides & judices.* Et cap. 6. *Quamvis autem abſolutio ſacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt nudum miniſterium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed adinſtar actus judicialis, quo ab ipſo* (ſacerdote) *velut à judice ſententia pronunciatur.* Ex quibus apparet, eam eſſe inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ, ut adminiſtretur à ſacerdote tanquam judice, ſeu, ut adminiſtretur à ſacerdote ut judicium exercente, & ſententiam pronunciante. Unde

Sic argumentor. Ea eſt inſtitutio ſacramenti Pœnitentiæ, ut adminiſtretur à ſacerdote, ut judicium exercente, & ſententiam pronunciante. Ergo ea eſt inſtitutio ſacramenti Pœnitentiæ, ut operetur per modum judicii à ſacerdote exerciti. Ergo ea eſt inſtitutio ſacramenti Pœnitentiæ, ut fiat per verba, quibus ſacerdos ſignificet, ſe judicium exercere, & ſententiam pronunciare: in tantùm enim & eo modo ſacramenta operantur, in quantùm, & quomodo ſignificant. Ergo contra inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ eſt, quòd fiat per verba deprecativa: nam per verba deprecativa ſacerdos ſignificare non poteſt, ſe judicium exercere, & pronunciare ſententiam.

Sic v. g: hæc verba: *Miſereatur tui*, *&c.* Etiam ex intentione faciendi ſacramentum, proferendo, ſacerdos nunquam ſignificabit, ſe judicis perſonam agere, & ſententiam pronunciare, quantumcumque id velit per ea ſignificare: nam ſignificabit tantum ſe vices agere mediatoris ſeu patroni ad Deum pro pœnitente, ut per ſe manifeſtum videtur: ſicut & manifeſtè videtur, ad hoc ut ſacerdos ſe præſidem ac judicem agere ſignificet, etiam ex natura rei requiri verba indicativa, aut ſaltem imperativa indicativis æquivalentia. Ergo, vel nunquam Eccleſia univerſa in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ uſa eſt forma deprecativa, vel ſi aliquando uſa eſt, aliquando erravit circa inſtitutionem & naturam ſacramenti Pœnitentiæ, quod eſt contra fidem.

Dices. Abſolutio ab excommunicatione tam eſt adinſtar actus judicialis, quo ab abſolvente tanquam judice ſententia pronunciatur, quàm abſolutio à peccatis. Ergo tam abſolutio à peccatis fieri poteſt per verba deprecativa, quàm abſolutio ab excommunicatione, quam per verba deprecativa fieri poſſe, ſupra conceſſum eſt.

Reſp. Abſolutionem ab excommunicatione fieri

poſſe

poſſe dupliciter. 1. Per modum actus judicialis, quo ab abſolvente ſententia profertur, & tunc nec fit, nec fieri poteſt ſine verbis indicativis, aut imperativis, quæ indicativis æquivalent: unde hoc modo non fit, niſi abſolvens dicat, Abſolvo te, vel, Abſolutus eſto, &c. 2. Per modum conceſſionis cujuſdam, ut rectè docet Ægidius Coninck diſp. 14. de excom. dub. 16. qua conceditur reo facultas jam cum aliis communicandi, & tunc ſufficiunt quælibet verba, immò & quælibet ſigna à verbis diſtincta, quæ internam abſolvendi voluntatem ſufficienter exprimunt, & ad reum, qui abſolvendus eſt, ſufficienter dirigunt: aliud enim ad hujuſce conceſſionis valorem nec ex natura rei, nec ex Chriſti inſtitutione, nec ex præſcripto Eccleſiæ requiritur.

At verò ea vi inſtitutionis Chriſti, abſolutio à peccatis eſt eſſentialiter adinſtar actus judicialis, quo à ſacerdote tanquam judice ſententia pronunciatur, adeòque ex vi inſtitutionis Chriſti nunquam fit, aut fieri poteſt, niſi per verba indicativa, aut ſaltem imperativa, indicativis æquivalentia; cùm aliter ſacerdos nullatenùs ſignificare poſſit, ſe judicium exercere, & ſententiam pronunciare, ut ſatis ſuperque oſtenſum eſt. Sed

Ut præſens effugium in perpetuum occludatur adverſatiis, ſic breviter argumentor. Non magis valet hoc enthimema: Abſolutio à cenſura fieri poteſt per verba deprecativa, ut docent Scholaſtici: ergo & poteſt abſolutio à peccatis; quàm iſtud: Abſolutio à cenſura fieri poteſt ſine verbis, ſeu per ſignum aliquod externum, à verbis diſtinctum, ut docent Scholaſtici: ergo & poteſt abſolutio à peccatis. Atqui hoc ſecundum conſequens eſt certò falſum, imò & fidei contrarium. Ergo, &c.

§. IV.

Probatur aſſertio noſtra ex capite ſecundo ſeſſ. 21. Concilii Tridentini.

TRidentinum loco citato ſic loquitur: *Præterea declarat* (Synodus) *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Ex quibus verbis apparet, omnem mutationem ſubſtantialem in ſacramentis ſuperare poteſtatem Eccleſiæ à Chriſto conceſſam, & hanc poteſtatem exerceri tantùm poſſe circa ea, quæ ſacramentis accidentaria ſunt. Quo ſuppoſito,

Sic argumentor. Si Eccleſia aliquando, &c, ut volunt adverſarii, per plura ſæcula validè adminiſtravit ſacramentum Pœnitentiæ per formam deprecativam; cùm nunc hoc ſacramentum validè adminiſtretur per ſolam formam indicativam, ita ut preces quæ de more ſanctæ Eccleſiæ formæ indicativæ adjunguntur, & quibus continetur forma illa deprecativa, quæ ſecundùm adverſarios olim ſacramentum Pœnitentiæ conſtituit, nequaquàm ſpectent ad eſſentiam formæ nunc conſtituentis ſacramentum; fatendum eſt mutationem ſubſtantialem in ſacramento Pœnitentiæ ab Eccleſia factam eſſe. Conſequens evidenter repugnat doctrinæ fidei. Ergo, &c. Minor patet ex verbis Tridentini citatis.

Prob. ſequela majoris. Nam ſuppoſita majore, forma deprecativa in indicativam mutata eſt ab Eccleſia, ſic ut forma deprecativa de valida effecta ſit invalida authoritate Eccleſiæ. Atqui hæc mutatio ſubſtantialis eſt. Ergo, &c.

Prob. min. Mutatio formæ in aliam ſubſtantialiter diverſam, eſt ſubſtantialis mutatio: ſicut mutatio formæ in aliam accidentaliter tantùm diverſam, eſt tantùm mutatio accidentalis. Atqui reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ (quod ſemper hîc ſubintellectum volumus) cùm mutatur forma deprecativa in indicativam, una forma mutatur in aliam ſubſtantialiter diverſam: nam reſpectu hujus ſacramenti forma deprecativa & indicativa ſunt inter ſe ſubſtantialiter diverſæ, ut

Prob. Illæ formulæ ſunt inter ſe ſubſtantialiter diverſæ, quæ ſignificationem habent notabiliter, ac proinde & ſubſtantialiter diverſam. Atqui forma deprecativa & indicativa habent ſignificationem notabiliter diverſam reſpectu hujus ſacramenti. Ergo, &c. Major patet. Nam ſubſtantia formularum non in vocibus materialiter ſumptis conſiſtit, ſed in vocibus ſumptis formaliter, hoc eſt, in vocum ſignificatione; non in ſyllabis, ex quibus conſtat; & conſequenter formularum illarum ſubſtantia diverſa eſſe cenſenda eſt, quarum ſignificatio diverſa eſt notabiliter & ſubſtantialiter.

Prob. itaque minor. Nam ſacerdos per hanc formulam, *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, quæ indicativa eſt, ſignificat ſe ſuperiorem, præſidem, & judicem agere, judicium exercere, ſententiam pronuntiare, pœnitentem à peccatis verè ac propriè abſolvere. At nihil horum ſignificat per iſtam v. g. formulam, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus abſolvat te*, quæ deprecativa eſt, & qua expreſſior inter deprecativas alia nulla afferri poteſt: nam etiamſi ſacerdos diceret, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus per me abſolvat te, &c.* Hoc dicèndo præcisè peteret & ſignificaret ſe petere à Deo, ut ratam haberet ſententiam, quam ipſe jam protuliſſet, aut jamjam prolaturus eſſet per verba alia: unde per hanc formulam non magis quàm per priorem ſignificaret ſe præſidis & judicis perſonam agere, judicium exercere, &c. Manifeſtum igitur eſt, reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ, formam deprecativam & indicativam inter ſe notabiliter & ſubſtantialiter differre quantùm ad ſignificationem. Quod tamen adhuc

Confirmo, 1. Ex S. Thoma. Nam ſi forma deprecativa, & indicativa non eſſent inter ſe quantùm ad ſignificationem notabiliter diverſæ reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ, quomodo in mentem venire potuiſſet Angelico Doctori, quòd forma deprecativa planè repugnet, & ſola indicativa congruat verbis Chriſti: *Quodcumque ſolveris, &c.* & conſequenter quòd forma deprecativa planè repugnet, & ſola indicativa congruat inſtitutioni & naturæ ſacramenti Pœnitentiæ.

2. Ex Alexandro Alenſi in 4. part. ſum. quæſt. 21. memb. 1. ubi ſic loquitur: *Alii dicunt aliter, quod habens clavem, per poteſtatem clavis mediator eſt Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Unde per ipſum peccator aſcendit ad Deum, & ſic eſt ſacerdos os peccatoris, ſive loquens de peccatore: & per ipſum deſcendit Deus ad hominem, & ſic eſt ſacerdos os Dei, è quòd ſeparat pretioſum à vili: ſecundum quod aſcendit, habet ſe per modum inferioris & ſupplicantis: ſecundum quod deſcendit, per modum ſuperioris & judicantis. Secundum primum modum, poteſt gratiam impetrare, & ad hoc eſt idoneus. Secundum ſecundum modum, poteſt Eccleſia reconciliare, & ideò in ſignum hujus in forma abſolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum, &c.*

Hiſce verbis nihil ad propoſitum noſtrum aptius dici potuit. Juxta Alexandrum itaque, cùm ſacerdos profert formulam deprecatoriam, fungitur munere mediatoris hominis ad Deum, eſt os peccatoris, habet ſe per modum inferioris, & ſupplicantis, & per ipſum peccator aſcendit ad Deum: cùm verò formam indicativam profert, fungitur munere mediatoris Dei ad hominem, eſt os Dei, ſe habet per modum ſuperioris & judicantis, & per ipſum deſcendit Deus ad hominem. Quæ omnia vera ſunt, & evidenter oſtendunt formam deprecativam ab indicativa, quantùm ad ſignificationem, maximè diſcrepare.

3. Ex ipſo Morino lib. 8. de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ cap. 19. n. 7. ubi poſtquam oſtendit Orientales nationes, hanc noſtram formulam, *Ego te abſolvo*, non poſſe commodè reddere, niſi per iſtam in ſua lingua, *Ego ſum abſolvens te*, ſic de utraque formula loquitur: Fateor equidem eundem

eſſe utriuſque effectum, eundemque intendere utriuſque partis rationes, ſed longè diſpar eſt ſignificandi ratio. Indicativus enim diſporicus eſt, & *αὐθεντίαν* ſonat. Ideò Græci & antiqui Grammatici Latini hunc modum vocant *ὁριστικὸν*, definitivum, deciſivum; quia, inquit Theodorus Gaza, per eum demonſtrantes, affirmantes, definimus. Sed loquendi modus per participium, multò eſt modeſtior, humilior, depreſſior,

At ſi inter has duas formulas; *Ego abſolvo te*, *Ego ſum abſolvens te*, longè diſpar eſt ratio ſignificandi, juxta Morinum, quomodo negare poſſunt Morini ſectatores, maximam & ſubſtantialem in ratione ſignificandi diſparitatem eſſe inter iſtas: *Ego abſolvo te? Dominus abſolvat te?* Si modus indicativus, & quidem juxta Morini mentem ſolus, diſporicus eſt, & autentiam ſonat, ſolus definitivus, & deciſivus eſt; certè per ſolam formam indicativam, nequaquam verò per deprecativam, ſacerdos ſignificat ſe cum authoritate loqui, ſe præſidem & judicem agere, ſe judicium exercere, & ſententiam pronuntiare. Ex quo manifeſtè arguitur notabilis, & ſubſtantialis in ſignificando diverſitas inter formam indicativam & deprecativam.

Pro certo igitur ſtatuendum eſt, formam deprecativam, & indicativam quoad ſignificationem, præſertim reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ, inter ſe ſubſtantialiter differre; atque ita Eccleſiam mutando formam deprecativam, duodecim prioribus ſæculis uſitatam, in formam indicativam mutaſſe formam ſacramenti Pœnitentiæ prioribus ſæculis uſitatam, & in aliam ſubſtantialiter diverſam, proindeque aut ſacramentum Pœnitentiæ, quale nunc habemus, eſſe ſubſtantialiter diverſum ab eo quod fuit prioribus ſæculis, aut potiùs nunc ab annis ferè quingentis in Eccleſia nullum eſſe Pœnitentiæ ſacramentum; quorum neutrum ab homine catholico aſſeri poteſt. Merum igitur commentum eſt, quod dicunt adverſarii, in univerſa Eccleſia prioribus ſæculis ſacramentum Pœnitentiæ per formam deprecativam adminiſtratum fuiſſe.

Dices 1. Scholaſtici non pauci docent aliquorum ſacramentorum materiam & formam à Chriſto generaliter tantùm fuiſſe inſtitutas, & ſpecialem illarum determinationem ab eo commiſſam eſſe Eccleſiæ.

Reſp. Quid inde? Nam 1. hoc nullus docet de ſacramento Pœnitentiæ. Et verò quis, inquam, inter catholicos docuit, actus pœnitentiæ eſſe quaſi materiam hujus ſacramenti ex determinatione Eccleſiæ. 2. Longè aliud eſt, Eccleſiæ datam eſſe poteſtatem determinandi formam aliquorum ſacramentorum, convenientem tamen inſtitutioni Chriſti, & idoneam ad ſignificandum effectum primarium illorum ſacramentorum; & aliud, Eccleſiam poſſe pro arbitrio modò unam, modò aliam formam ſubſtantialiter diverſam adhibere in adminiſtrandis aliquibus ſacramentis. Primum docent Scholaſtici indicati, & quidem ferè omnes de ſolo ſacramento Ordinis: Secundum verò nullus ex illis docet, & contra fidei principia aſſereretur: nam ſic Eccleſiæ adſcriberetur poteſtas mutandi ſubſtantiam ſacramentorum, quia forma ſubſtantialiter diverſa facere ſignum, & conſequenter ſacramentum ſubſtantialiter diverſum.

Nota. Inter ſacramentum Ordinis, (cujus materiam & formam Scholaſtici non pauci docent generaliter tantùm à Chriſto inſtitutas fuiſſe, utriuſque determinatione Eccleſiæ relicta, ſtatuendo præcisè ut actio aliqua externa, & verba adhiberentur, quibus ſufficienter exprimeretur poteſtas in ordinatione conferenda) & ſacramentum Pœnitentiæ magnum diſcrimen eſt; hoc enim fides docet à Chriſto inſtitutum fuiſſe ad modum judicii à ſacerdote exercendi, adeòque inſtituiſſe abſolutionis formam ad modum actus judicialis, quo ſententia à ſacerdote tanquam judice pronuntiatur: unde manifeſtè ſequitur ex inſtitutione Chriſti ad validam hujus ſacramenti adminiſtrationem neceſſaria eſſe verba indicativa, aut ſaltem imperativa, indicativis æquivalentia, ſine quibus abſolutionis forma exprimi non poteſt admodum actus judicialis, quo, &c. atque ita ad ſummum optionem inter verba indicativa, vel imperativa, Eccleſiæ à Chriſto relictam eſſe reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ.

Dices 2. In multis ſacramentis, nempe in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, forma Græcorum differt ſubſtantialiter à forma Latinorum. *Reſp.* Hoc eſſe falſum: nam in Baptiſmo forma Græcorum à forma Latinorum differt ſolùm grammaticaliter, nempe ut paſſivum ab activo: Græci dicunt, *Baptizatur N. ſervus*, *&c.* & Latini, *Ego te baptizo*, *&c.* In Ordine verò, & Confirmatione differt ſolùm accidentaliter, nempe ut minùs explicitum à magis explicito, ut patet ex dictis ſuis locis.

At inquies. Saltem in ſacramento Pœnitentiæ forma Græcorum diverſa eſt ſubſtantialiter à forma Latinorum. *Reſp.* Hoc eſſe falſum, & negat ipſe Morinus, qui cùm velit formam hujus ſacramenti apud Græcos deprecativam eſſe; ut conſequenter loquatur, contendit talem etiam nunc eſſe apud Latinos. Sed de hoc infra.

Dices 3. Aliquando ſacramentum Extremæ-unctionis collatum fuit per formam indicativam, & nunc confertur per deprecativam. Atqui reſpectu ſacramenti Extremæ unctionis, forma indicativa & deprecativa ſubſtantialiter inter ſe differunt. Ergo, &c.

Reſp. 1. Nunquam in univerſa Eccleſia ſacramentum Extremæ-unctionis collatum fuiſſe per formam indicativam, ſed ad ſummum fuiſſe in aliquibus tantùm Eccleſiis particularibus. Ex praxi autem aliquarum tantùm Eccleſiarum particularium, cùm in materia fidei errare poſſint, colligi non poteſt quid poſſit, vel non poſſit Eccleſia univerſalis circa ſacramenta.

2. Dico, dato: nam ſuo loco oſtendetur, à nulla unquam Eccleſia cum forma indicativa Extremam unctionem adminiſtratam fuiſſe; dato, inquam, quòd aliquæ particulares Eccleſiæ re ipſa adhibuerint formam indicativam in adminiſtratione Extremæ-unctionis, ne adhibendo erraverint circa inſtitutionem Chriſti, ſed ſic Extremæ unctionis ſacramentum validè contulerint, dico, reſpectu hujus ſacramenti, formam indicativam, & deprecativam non eſſe ſubſtantialiter diverſas, ſed accidentaliter tantùm, & grammaticaliter; cùm in ſuppoſitione facta eundem planè ſenſum habeant relatè ad inſtitutionem Chriſti, ad validam hujus ſacramenti adminiſtratione requirentis præcisè verba exprimentia collationem gratiæ per modum ſpiritualis olei ægrorum confortantis, & vulnera peccatorum quæ ſuperſunt curantis; ad quem effectum ſufficienter exprimendum in ſuppoſitione facta, verba indicativa & deprecativa ſecundùm Chriſti inſtitutionem indifferenter idonea ſunt.

Nota. Chriſtus aliquo modo verba deprecativa inſtituit pro forma ſacramenti Extremæ unctionis: nam univerſa Eccleſia, quæ circa inſtitutionem Chriſti errare non poteſt, hoc ſacramentum adminiſtrat per verba deprecativa; unde ſic dico: Vel Chriſtus pro forma hujus ſacramenti determinat in ſpecie verba deprecativa, vel formam hujus ſacramenti in genere tantùm inſtituit, præcisè requirendo verba ſufficienter expreſſiva collationis gratiæ per modum ſpiritualis olei, &c. Si primum, forma indicativa repugnat inſtitutioni Chriſti, atque ita particulares Eccleſiæ quæ aliquando Extremam-unctionem adminiſtrarunt per formam indicativam, circa ſubſtantiam hujus ſacramenti errarunt, illudque invalidè adminiſtrarunt aliquando. Si ſecundum, vel per verba indicativa ſufficienter ſecundùm inſtitutionem Chriſti exprimi poteſt effectus Extremæ-unctionis, ſeu collatio gratiæ per modum ſpiritualis olei, &c. vel non poteſt. Si non poteſt, etiam ex hypotheſi quòd Chriſtus formam Extremæ-unctionis in genere tantùm inſtituerit, adhuc nullum eſt hoc ſacramentum, per verba indicativa collatum: ſi verò poteſt, hoc ſacramentum indifferenter quidem poteſt validè conferri per verba indicativa, vel deprecativa; ſed manifeſtum eſt in hac ſuppoſitione, indi-

cativa

Digitized by Google

cativa à deprecativis non niſi accidentaliter differre relatè ad hoc ſacramentum; adeòque Eccleſiam in hujus ſacramenti adminiſtratione, aliquando verba indicativa, aliquando deprecativa adhibere potuiſſe ſine ſubſtantiali unius formæ in aliam mutatione.

Porrò longè aliud eſt de ſacramento Pœnitentiæ, quod Chriſtus inſtituit per modum judicii, cujus effectus primarius eſt abſolutio à peccatis, quam abſolutionem verba deprecativa ad ſummum exprimere poſſunt ut factam à Deo; cùm indicativa eam ut à ſacerdote ipſo factam exprimant, tanquam judice ſententiam pronunciante: unde verba deprecativa & indicativa reſpectu hujus ſacramenti ſubſtantialiter inter ſe differunt quantùm ad ſignificationem: quam ob rem non poſſet Eccleſia in hujus ſacramenti adminiſtratione aliquando formam deprecativam, & aliquando indicativam adhibere ſine mutatione ſubſtantiali unius formæ in aliam. Et verò quòd aliquando abſolutio à peccatis fieret adinſtar actus judicialis, quo ſacerdos ipſe tanquam judex ſententiam pronuntiaret, & aliquando non ſic fieret, non eſſet ſine diverſitate ſubſtantiali.

Dices denique 4. Probatio aſſertionis noſtræ hoc paragrapho allata, ſupponit ut verum & indubitatum, quod falſum eſt, videlicet ſacramenti Pœnitentiæ formam nunc eſſe indicativam; cùm tamen verè nunc deprecativa ſit, ſicut olim fuit. *R.* neg. quòd in allata probatione ſaltum aliquid tanquam verum ſuppoſuerimus. Et verò quòd forma ſacramenti Pœnitentiæ nunc indicativa ſit, ſicut & ſemper fuiſſe contendimus, diſertis verbis pronuntiat Conc. Trid. cùm ait ſeſſ. 14. cap. 3. *Docet præterea ſancta Synodus, ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo, &c.* Unde quòd nunc ſacramentum Pœnitentiæ non niſi per formam indicativam validè conferri poſſit, tam certum & indubitatum eſt, quàm certum eſt ac indubitatum, Synodum œcumenicam circa hujus ſacramenti inſtitutionem & ſubſtantiam errare non potuiſſe.

At inquies cum Morino, cujus doctrinam hæc inſtantia continet, ab eo traditam lib. 8. de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ cap. 18. num. 8. Concilium Tridentinum, quod antea fecerat Florentinum in decreto Eugenii, formam ſacramenti Pœnitentiæ ponit in his verbis; *Abſolvo te*, non ſimpliciter, ſed addita abbreviatione *&c.* Sub abbreviatione autem illa *&c.* potiſſimùm intelligit, invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis contentam his verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quæ deprecativa ſunt, & ad validam ſacramenti collationem neceſſaria: unde in forma ſacramenti Pœnitentiæ, qualis nunc ex præſcripto Concilii adhibetur, duo ſunt diſtinguenda: principale ſcilicet, quod in his verbis, *In nomine Patris, &c.* & acceſſorium, quod in iſtis, *Ego te abſolvo*, conſiſtit. Quare cùm acceſſorium principalis naturam ſequatur, non contra, dicendum hujus ſacramenti formam qualis adhibetur nunc, quantùmvis verba aliqua indicativa habeat, eſſe ſimpliciter deprecativam.

Reſp. 1. Mirari ſatis non poſſumus, citatum authorem tot & tantas abſurditates paucis verbis congerere potuiſſe & maluiſſe, quàm deſerere novitatem ſuam circa naturam & eſſentiam ſacramenti Pœnitentiæ. Nam 1. Falſum eſt, quòd hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, &c.* quæ profert ſacerdos cùm abſolvit, ſint deprecativa; neque enim ſacerdos ea proferendo orat, ſed ſolùm ſignificat ſe authoritate divina abſolvere, ut patet ex forma integra, *Ego te abſolvo in nomine, &c.*

2. Quod ſine his verbis, *In nomine Patris, & Filii, &c.* ſacramentum Pœnitentiæ non poſſit validè conferri, perperàm & abſque omni fundamento ſufficienti aſſerit Morinus, cui hac in re adverſantur Doctores omnes Scholaſtici, uno fortaſſè aut altero excepto, quorum tamen doctrina toto cœlo diſtat à doctrina Morini. 3. Quòd in hac forma, *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, hæc verba, *Ego te abſolvo*, per modum acceſſorii, iſta verò, *in nomine Patris, &c.* per modum principalis ſeſe habeant, exquiſitæ abſurditatis eſt.

Et verò quid abſonum magis, imò & generali Synodo contumelioſius dici poteſt, quàm quòd cùm ex profeſſo fideles docet, in quo poſita ſit forma alicujus ſacramenti, id tantùm, quod acceſſorium eſt, diſertis verbis, quod verò principale, ſolùm oſcitanter & ſub abbreviatione *&c.* exprimat? Quantò magis, ſi vellet Morinus generali Concilio reverentiam & obedientiam debitam exhibere, dicere debuit, Concilium quod principale eſt in forma ſacramenti Pœnitentiæ, his verbis, *Ego te abſolvo*, & reliqua, quæ addi ſolent, & acceſſoria tantùm ſunt, & accidentaria, ſub abbreviatione *&c.* ſufficienter expreſſiſſe?

Præterea, ea verba eſſentialia ſunt formæ ſacramentali, ſine quibus forma ſacramentalis non exprimeret effectum ſacramenti. Atqui ſine his verbis, *Ego te abſolvo*, aut æquivalentibus, forma ſacramenti Pœnitentiæ non exprimeret effectum illius. Ergo hæc verba, *Ego te abſolvo*, eſſentialia ſunt formæ ſacramenti Pœnitentiæ. Atqui verba, quæ formæ ſacramentali eſſentialia ſunt, dici acceſſoria ineptiſſimum eſt. Ergo, &c.

Imò ea tantùm verba eſſentialia ſunt formæ ſacramentali, quæ requiruntur & ſufficiunt ad exprimendum effectum ſacramenti, in quo non requiritur ex inſtitutione Chriſti expreſſio cauſæ principalis gratiæ, nempe ſanctiſſimæ Trinitatis. Atqui hæc verba, *Ego te abſolvo*, requiruntur & ſufficiunt ad exprimendum effectum ſacramenti Pœnitentiæ: nam ſine illis, aut æquivalentibus, non exprimitur, & cum illis ſolis exprimitur ſufficienter: neque dici poteſt, quòd in hoc ſacramento ex inſtitutione Chriſti requiratur expreſſio cauſæ principalis gratiæ. Ergo hæc verba, *Ego te abſolvo*, ſola ſunt eſſentialia formæ ſacramenti Pœnitentiæ: quomodo ergo acceſſoria dici poſſunt?

At inquies. Expreſſio cauſæ principalis gratiæ neceſſaria eſt in baptiſmo. *Reſp.* Quid inde? Ex eo enim quòd aliquid ſecundùm inſtitutionem Chriſti requiratur ad valorem baptiſmi, non ſtatim ſequitur, quòd ſecundùm eandem inſtitutionem requiratur etiam ad valorem aliorum ſacramentorum; & ſpecialis pro ſacramento Baptiſmi, quod eſt janua aliorum ſacramentorum, & per quod ſimus chriſtiani, ratio fuit Chriſto ad validam ejus collationem requirendi expreſſam mentionem primi articuli fidei chriſtianæ.

Itaque quòd hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, &c.* ſecundùm inſtitutionem Chriſti ad validam baptiſmi adminiſtrationem requirantur, habemus ex Doctorum omnium catholicorum conſenſu, & ex perpetua ac conſtanti traditione Eccleſiæ, & manifeſtè colligitur ex verbis Chriſti dicentis Matthæi cap. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti;* quod dici non poteſt de ſacramento Pœnitentiæ: nam Chriſtus hoc ſacramentum inſtituendo, non dixit, *Quorum remiſeritis peccata in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſed ſimpliciter, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et quòd hæc verba, *In nomine Patris, &c.* in hoc ſacramento neceſſaria ſint ex inſtitutione divina, nullus ante Morinum docuit; imò quòd neceſſaria non ſint, unanimis eſt Scholaſticorum ſententia, excepto uno Durando, cujus doctrina in hac re planè diverſa eſt à doctrina Morini, ut

Oſtenditur obiter. Nam lib. 4. diſt. 22. q. 2. in O. primò aſſerit verba illa, *Abſolvo te*, eſſe de eſſentia formæ ſacramenti. *Cujus ratio eſt*, inquit, *quia illa verba per ſe pertinent ad formam ſacramenti, quæ directè ſignificant ejus effectum: ſed præmiſſa verba directè ſignificant effectum ſacramenti Pœnitentiæ .... cùm effectus ſacramenti Pœnitentiæ ſit remiſſio peccatorum.* 2. Addit tantùm, dici poſſe probabiliter, quòd prædictis verbis oportet aliquid addere antecedentar

denter vel conſequenter, quod pertineat ad invocationem divini nominis. Ratio autem ejus eſt, non quòd oporteat formam ſacramenti pœnitentiæ eſſe deprecativam, ſed *quia in omni ſacramento, in cujus forma exprimitur actus miniſtri, debet fieri aliqua expreſſio principalis agentis*. Unde concludit, hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, &c.* in forma ſacramenti Pœnitentiæ neceſſaria eſſe, non abſolutè, ſemper dicendo, Abſolvo te in nomine Patris, &c. ſed ſolùm ſub disjunctione, dicendo vel, Abſolvo te in nomine Patris, &c. vel, Abſolvo te in nomine Chriſti, vel denique, Abſolvo te authoritate Dei, aut, Abſolvo te authoritate Chriſti. Sed

Quantùm à Morini opinione abhorruerit Durandus, ex ejus ad primam objectionem quæſtione citata propoſitam reſponſione collige. Objicit ſibi Durandus formam ſacramenti Pœnitentiæ in his verbis, Abſolvo te, conſiſtere non poſſe, quia indicativa ſunt, & forma illa neceſſariò conſtat verbis optativis & ſupplicativis, ut probatur ex Leone Magno dicente, quòd indulgentia Dei niſi precibus ſacerdotis obtineri nequit. Ad hanc autem objectionem ſic reſpondet: *Dicendum eſt, quòd verbum Leonis Papæ intelligendum eſt non de forma abſolutionis, quæ eſt indicativa, ſed de verbis deprecativis, quæ ſacerdos præmittit, ne propter aliquam indiſpoſitionem pœnitentis, effectus ſacramenti impediatur; illa enim ſunt ſupplicatoria, ut cùm præmittitur*, Miſereatur tui, &c. Solus igitur Morinus, *Væ ſoli*.

Præterea, ſi verum eſt, quod dicit Morinus, verba, Ego te abſolvo, ſe habere tantùm per modum acceſſorii, ſunt extra totam eſſentiam formæ ſacramenti Pœnitentiæ, cujus proinde formæ eſſentia adæquatè conſiſtit in iſtis, *In nomine Patris, &c.* quæ tamen ſine prioribus nullo pacto ſignificant effectum ſacramenti; & quamvis ſacerdos diceret tantùm, modò cum intentione abſolvendi diceret, *In nomine Patris, &c.* nihilominùs faceret ſacramentum, & verè abſolveret. Atqui hæc duo dicta abſurdiſſima ſunt, imò & doctrinæ catholicæ manifeſtè repugnant. Ergo, &c.

Denique quæro à Morino, quare formam deprecativam ſacramenti Pœnitentiæ potiùs conſtituat in his verbis, *In nomine Patris, &c.* quæ non niſi violenter dici poſſunt deprecativa, nec per ſe apta ſunt ad ſignificandum effectum ſacramenti; potiùs, inquam, conſtituat in his verbis, *In nomine Patris, &c.* quàm in precibus, *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, quæ adjunguntur: nam & veræ preces ſunt, & longè aptiores ad effectum ſacramenti ſignificandum, adeòque ad conſtituendam formam deprecativam ſacramenti.

At inquies. Obeſt Tridentinum, à quo dicitur, preces illas laudabiliter tantùm adjungi, nec ſpectare ad eſſentiam formæ ſacramenti. *R.* Quid inde? Cùm enim Morinus doceat, materias ac formas ſacramentorum eſſe immutabiles, & eaſdem ubique locorum & apud gentes omnes; & velit formam ſacramenti Pœnitentiæ prioribus ſæculis in Occidentali Eccleſia conſtitiſſe, & etiam nunc in Orientali conſiſtere in precibus illis, vel aliis tantùm materialiter, ſeu quoad ſyllabas tantùm diverſis; debuit conſequenter ex affectu veritatis Tridentinum corrigere, & nihilominùs formam hujus ſacramenti in illis precibus conſtituere. At non Tridentinum à Morino, ſed Morinum à Tridentino corrigi oportet, adeòque ab omnibus catholicis explodi Morini commentum, quòd ſcilicet prioribus ſæculis forma ſacramenti Pœnitentiæ conſtiterit in precibus, quibus ſacerdos in ſacramenti adminiſtratione Deum orabat, ut pœnitentem à peccatis abſolveret. Pro quo

Sic adhuc breviter argumentor ex ipſo adverſario. Morino lib.8. de adm. ſacrament. pœn. cap.18. num.2. formæ ſacramentorum ſunt immutabiles: ſic enim ait, *Nulla mihi cauſa neceſſaria ſubeſſe videtur, ob quam ab hoc vulgato axiomate recedamus, ſcilicet immutabiles eſſe ſacramentorum materias & formas*. Ergo vel nunquam forma ſacramenti Pœnitentiæ conſtitit in precibus, quibus ſacerdos orat Deum, ut pœnitentem à peccatis abſolvat; vel etiam nunc conſiſtit. Non ſecundum, ut certum eſt ex Tridentino. Ergo primum. Hactenùs præcipuè contra Morinum, nunc præcipuè contra alium ejus exſcriptorem, qui Tridentinum magis reveritus, formam hujus ſacramenti eſſentialiter indicativam eſſe fatetur, ſit

§. V.

Probatur aſſertio noſtra ex cap.3. ſeſſ.14. Concilii Tridentini.

CONc. Trid. ſeſſ.14. cap.3. ſic loquitur: *Docet præterea ſancta Synodus, ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe*, Ego te abſolvo, &c. *quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*. Concilium autem proculdubio loquitur de precibus, quas habet Rituale Romanum in ſacramento Pœnitentiæ, ac proinde de precibus, quæ ſi non quantùm ad verba, ſaltem quantùm ad ſenſum, ſunt eædem illæ, in quibus adverſarii volunt, olim in Eccleſia (ſupple ſemper Latina) conſtitiſſe formam ſacramenti Pœnitentiæ. Hoc ſuppoſito,

Argumentor. Cùm Synodus de precibus, quæ nunc adjunguntur his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* ait illas laudabiliter adjungi de more Eccleſiæ, manifeſtè ſignificat, illas non eſſe de inſtitutione divina, ſed de eccleſiaſtica tantùm, & idcircò non ſpectare ad eſſentiam formæ ſacramenti Pœnitentiæ, nec ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem neceſſarias eſſe. Atqui evidens eſt, id quod à Synodo dicitur de precibus, quæ nunc adjunguntur his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* dicendum pariter eſſe de precibus illis, quæ in antiquis Sacramentariis, Ritualibus, &c. inveniuntur, & in quibus adverſarii volunt, duodecim prioribus ſæculis conſtitiſſe formam ſacramenti Pœnitentiæ: nam eædem planè ſunt ſaltem quoad ſenſum. Ergo preces illæ, quæ in antiquis, &c. non erant de inſtitutione divina, ſed de eccleſiaſtica tantùm: & ſicut de fide eſt, quòd preces, quæ nunc adjunguntur his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* non ex inſtitutione Chriſti, ſed tantùm ex inſtitutione Eccleſiæ recitentur in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, & quòd nequaquam ſpectent ad eſſentiam formæ hujus ſacramenti, nec ad hujus ſacramenti adminiſtrationem neceſſariæ ſint; ita de fide eſt, quòd preces illæ, quæ in antiquis, &c. olim in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ ex inſtitutione Eccleſiæ tantùm, non ex inſtitutione Chriſti recitarentur, ſi tamen recitabantur, & quòd nequaquam ſpectarent ad eſſentiam formæ hujus ſacramenti, nec ad hujus ſacramenti adminiſtrationem neceſſariæ eſſent.

Præterea, cùm Synodus ſimpliciter dicit, formam ſacramenti Pœnitentiæ in his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* conſiſtere, & addit preces, quæ illis adjunguntur, de more Eccleſiæ illis adjungi, manifeſtè diſtinguit id, quod eſt inſtitutionis divinæ, ab eo quod eſt tantùm inſtitutionis eccleſiaſticæ in adminiſtratione hujus ſacramenti. Juxta Synodum igitur, Chriſtus inſtituit hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* Eccleſia verò preces, quæ illis laudabiliter adjunguntur. Unde ſic

Arguo 1. Eccleſia in adminiſtratione omnium ſacramentorum ſemper retinuit inſtitutionem Chriſti. Ergo in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, ſemper adhibuit hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* ut formam hujus ſacramenti à Chriſto inſtitutam; nec unquam preces illis adjunxit, niſi ut ſacramentum cum majori ſolemnitate & decentia, atque ſuſcipientium utilitate adminiſtraretur.

2. Si

2. Si per duodecim priora ſæcula, ut volunt adverſarii, Eccleſia non per hæc verba indicativa, *Ego te abſolvo*, *&c.* ſed per formam purè deprecativam ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtravit, Eccleſia per duodecim priora ſæcula erravit circa ſubſtantiam ſacramenti Pœnitentiæ, illudque invalidè adminiſtravit. Conſ. enormiter falſum eſt, imò & hæreticum. Ergo, &c.

At inquies. Cùm Synodus dicit, formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* neceſſariò ſubintelligitur, vel aliis æquivalentibus. *R.* ita eſſe; ſed ſub hac additione comprehendi non poſſunt verba modo deprecativo effectum ſacramenti exprimentia. Nam ſi pro forma ſacramenti Pœnitentiæ Chriſtus indifferenter inſtituit verba modo indicativo vel deprecativo effectum ſacramenti exprimentia, 1. perperam Synodus rationem formæ ſacramenti potiùs attribuit his verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* quàm precibus, quæ illis adjunguntur: nam ſi effectus ſacramenti ſufficienter exprimi poteſt modo deprecativo ſecundùm inſtitutionem Chriſti, tam ſecundùm inſtitutionem Chriſti ſufficienter exprimitur per preces illas, quam per hæc verba, *Ego te abſolvo*, *&c.* atque ita tam precibus illis, quàm his verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* ſecundùm inſtitutionem Chriſti convenit ratio formæ ſacramenti.

2. Et ſic perperam Synodus dicit preces illas nequaquam ſpectare ad eſſentiam formæ, eaſque non ex neceſſitate ſacramenti, ſed tantùm ex conſuetudine Eccleſiæ recitari; quia hæc verba, *Ego te abſolvo*, *&c.* non magis ad eſſentiam formæ ſpectant ſecundùm inſtitutionem Chriſti, adeòque nec potiori jure dici poſſunt adhiberi ex neceſſitate ſacramenti.

3. Quoties ſacramentum adminiſtratur extra caſum neceſſitatis, pluties repetitur integra ſacramenti forma: nam recitantur quatuor orationes cum his verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* & ſingulæ illæ orationes completè ſignificant effectum ſacramenti, & ita ſingulæ integram formam conſtituunt. Atquòd in una ſacramenti adminiſtratione quinquies forma proferatur, dictu ſatis ludicrum eſt.

4. Ubi primùm ſacerdos cum intentione faciendi ſacramentum recitavit primam orationem, quæ incipit, *Miſereatur tui*, *&c.* velit, nolit Eccleſia, ſacramentum perfectum eſt: tunc enim adſunt omnia ſecundùm inſtitutionem Chriſti ad eſſentiam ſacramenti requiſita: atque ita ſacramentum perfectum eſt, antequam à miniſtro proferantur hæc verba, *Ego te abſolvo*, *&c.* & tamen Synodus formam, qua perficitur, & ſine qua non perficitur ſacramentum, docet poſitam eſſe in his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.*

Ex his porro abſurditatibus, vel potiùs erroribus liquet, non niſi contra veritatem, & Concilii œcumenici doctrinam doceri poſſe, quòd Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ indifferenter inſtituerit verba modo indicativo vel deprecativo effectum ſacramenti exprimentia. Ergo ſecundùm rei veritatem, & Concilii œcumenici doctrinam, dicendum eſt, quòd Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ determinatè inſtituerit verba indicativa, ſeu modo indicativo exprimentia effectum ſacramenti. Ergo nunquam validè adminiſtrari potuit ſacramentum Pœnitentiæ per formam deprecativam. Ergo ſi Eccleſia per duodecim priora ſæcula, &c.

Confirmatur ex confeſſione adverſariorum, qui fatentur nunc ſacramentum Pœnitentiæ invalidè adminiſtrari per formam deprecativam, nec poſſe adminiſtrari validè, niſi per formam indicativam, quod fide certum eſt, ſaltem poſt Concilium Tridentinum. Ergo manifeſtè falſum eſt, quòd Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ indifferenter inſtituerit verba indicativè vel deprecativè effectum ſacramenti exprimentia: nam ſi indifferenter inſtituiſſet, ſacerdos nunc adminiſtrando hoc ſacramentum per formam deprecativam, peccaret quidem graviter, ſuppoſito præcepto eccleſiaſtico prohibente uſum talis formæ; at nihilominùs validè adminiſtraret, quia velit, nolit Eccleſia, adhiberet omnia ſecundùm inſtitutionem Chriſti ad eſſe hujus ſacramenti requiſita. Ergo manifeſtum eſt, quòd Chriſtus determinatè inſtituerit verba indicativa pro forma ſacramenti Pœnitentiæ. Ergo, &c.

At, inquit recentior. „Eccleſia poteſt præſcribere certas conditiones, quibus non obſervatis nullum ſit ſacramentum, quamvis omnes partes ſecundùm ſubſtantiam ſemper adhibeantur; quod principium, inquit, habere locum, præſertim in ſacramento Pœnitentiæ, non diffitebitur, qui adverterit ipſum eſſentialiter includere actum judicialem ex parte miniſtri. Conſtat autem in judiciis, quæ forum redolent, certas poſſe ſtatui leges, quibus abrogatur, quod volebat antea. “ Quare quamvis antiquitùs valuerit in Eccleſia Latina abſolutio verbis deprecativis prolata, potuit poſtea non valere, & reverà valere deſiit, & tandem cœpit neceſſaria eſſe formula indicativa ex præſcripto Eccleſiæ.

Ad hanc miſerabilem & abſurdam evaſionem, cauſidico magis, quàm theologo convenientem, *R.* falſiſſimum eſſe quòd Eccleſia poſſit apponere conditiones, quibus non ſervatis ſacramentum nullum ſit, etiamſi ſubſtantialia omnia ponantur ſecundùm inſtitutionem Chriſti: nam v. g. falſiſſimum eſt, quòd Eccleſia apponere poſſit conditionem aliquam, quâ non ſervata, nullus ſit baptiſmus, etiamſi miniſter ſuper infantem infundat aquam naturalem, & ſimul dicat, *Ego te baptizo*, *&c.* cum intentione faciendi ſacramentum. Prohibet Eccleſia ne privatim conferatur baptiſmus extra caſum neceſſitatis; olim præceperat, ut certis tantùm diebus baptiſmus ſolemniter conferretur; inſtitutioni baptiſmi, qualis à Chriſto facta eſt, addit certam ſolemnitatem ſeu certas cœremonias. An aliquid horum poteſt, aut potuit eſſe conditio, qua non ſervata, non ſit, aut non fuerit validus baptiſmus, omnibus ſubſtantialibus ſecundùm inſtitutionem Chriſti poſitis? Nugæ.

At inquies. Sacramentum Pœnitentiæ includit actum judicialem ex parte miniſtri. *R.* Quid inde? Actus ille judicialis eſt forma abſolutionis à Chriſto inſtituta. Poteſtne Eccleſia apponere conditionem aliquam, qua non ſervata, nullum ſit ſacramentum, etiamſi adſint omnia ex parte pœnitentis requiſita, & ſacerdos juriſdictionem habens, formulam abſolutionis à Chriſto inſtitutam proferat cum intentione faciendi id, quod Chriſtus inſtituit? Certè ſacramentum validum eſſe, & ſacramentum exiſtere, ſunt unum & idem. At non poteſt non exiſtere ſacramentum, hoc ipſo quòd ſervatur inſtitutio Chriſti: nam quid eſt ſacramentum? Ritus exterous à Chriſto inſtitutus, & ſecundùm inſtitutionem Chriſti exercitus. Hoc præſuppoſito,

Sic dico. Chriſtus vel determinatè inſtituit formulam (ſupple ſemper abſolutionis) indicativam, vel determinatè inſtituit formulam deprecativam, vel denique indifferenter inſtituit formulam deprecativam, aut indicativam. Si primum, nunquam valuit formula deprecativa, quod negant adverſarii. Si ſecundum, nequidem nunc valet formula indicativa, quod eſt hæreticum. Supereſt ergo, ut tertium aſſumant adverſarii, quod adhuc demonſtratur ex eo, quòd manifeſtum eſt ex Trid. formulam indicativam eſſe inſtitutionis divinæ, adeòque à Chriſto vel primo modo, quod jugulat adverſarios, vel ſaltem tertio modo inſtitutam fuiſſe. Hoc præſuppoſito,

Sic arguo. Ergo ſicut forma indicativa non potuit non valere ſemper vi inſtitutionis Chriſti, quantùmvis ſupponatur Eccleſia prioribus ſæculis præſcripſiſſe uſum formæ deprecativæ; ita non poterit non valere ſemper vi inſtitutionis Chriſti forma deprecativa, quantùmvis nunc Eccleſia præcipiat uſum formæ indicativæ: nam ſuppoſito tertio modo inſtitutionis, forma deprecativa tam participat inſtitutionem divinam, quàm forma indicativa; atque ita

mini-

miniſter tam ſervat etiam nunc inſtitutionem Chriſti, proferendo formam deprecativam, quàm ſervat proferendo formam indicativam. Ergo manifeſtè Synodus errat loco citato: quòd cùm dici non poſſit ſine hæreſi, neceſſariò redeundum eſt ad primum modum inſtitutionis, adeòque dicendum, formam indicativam à Chriſto determinatè inſtitutam fuiſſe; unde quod adverſarii de forma deprecativa aſſerunt pro duodecim prioribus ſæculis, merum commentum eſt, ab omni homine theologo explodendum.

At inquis. Conſtat in judiciis, quæ forum redolent, certas poſſe ſtatui leges, quibus abrogetur id, quod valebat antea. *R.* Sed ad quid hoc juvat adverſarium? Nam poteſt quidem Eccleſia ſtatuere leges, quibus abrogetur id, quod antea valebat vi inſtitutionis Eccleſiaſticæ: at nequaquam poteſt ſtatuere leges, quibus abrogetur id, quod antea valebat vi inſtitutionis divinæ; alioquin Eccleſia inſtitutionem divinam abrogare poteſt: nam abrogare ea, quæ valent vi inſtitutionis divinæ, & abrogare inſtitutionem divinam, unum & idem ſunt. At ſi quando valuit forma deprecativa, certè valuit vi inſtitutionis Chriſti. Ergo ſi quando voluit forma deprecativa, Eccleſia legem ſtatuere non potuit, qua abrogaretur. Ergo ſi quando veluit forma deprecativa, valet etiam nunc, & nunc ſacerdos juriſdictionem habens, tam poteſt validè abſolvere per formam deprecativam, quàm per indicativam, quòd manifeſtè Tridentino repugnat. Ergo manifeſtè falſum eſt, quòd aliquando valuerit formula abſolutionis deprecativa. Ergo manifeſtè falſum eſt, quòd Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ indifferenter inſtituerit formam abſolutionis indicativam, vel deprecativam. Quod

Confirmatur, & illuſtratur exemplo baptiſmi. Olim cùm in univerſa Eccleſia, ſeu cùm tam in Occidentali, quàm in Orientali Eccleſia mos obtinebat baptizandi per immerſionem nihilominùs valebat, aut valuiſſet baptiſmus per infuſionem. Nunc, verò, quamvis jam à longo tempore in Eccleſia Latina mos obtineat baptizandi per infuſionem, nihilominùs valere baptiſmus per immerſionem. Olim Eccleſia juſtas & graves ob cauſas aliquando præcepit trinam immerſionem, aliquando verò prohibuit, & unicam præſcripſit: nihilominùs tamen valebat baptiſmum per unicam immerſionem, cùm trina erat in præcepto, & viciſſim cùm unica erat in præcepto, baptiſmus valebat per trinam. Ratio horum omnium eſt, quia in baptiſmo adminiſtrando ſervas inſtitutionem Chriſti, ſive per immerſionem, ſive per infuſionem baptizes, item ſive baptizes per trinam immerſionem, ſive per unicam; & ſervas inſtitutionem Chriſti, quia Chriſtus pro materia proxima baptiſmi indifferenter inſtituit aquæ lotionem per modum infuſionis, vel immerſionis tam unicæ, quàm trinæ.

Similiter igitur ſi Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ indifferenter inſtituit abſolutionem deprecativam vel indicativam, tam valuit ſemper abſolutio indicativa, quàm valuit deprecativa, & viciſſim tam valebit ſemper abſolutio deprecativa, quàm valebit indicativa. Ratio convincens, eſt quia ſuppoſita illa indifferenti inſtitutione Chriſti, velit, nolit Eccleſia, Chriſti inſtitutionem ſervas, ſive formulam abſolutionis deprecativam adhibeas, ſive indicativam.

Nec juvat dicere, olim abſolutionem deprecativam præceptam fuiſſe ab Eccleſia, nunc verò ab ea præcipi indicativam. Nam 1. utrumque falſum eſt: indicativa enim abſolutio ſemper fuit neceſſaria neceſſitate præcepti, ſicut ſemper fuit neceſſaria neceſſitate ſacramenti, nec fuit præcepta aut præcipitur ab Eccleſia, ſed à Chriſto. 2. Utroque permiſſo, & ſuppoſito quòd Chriſtus indifferenter inſtituerit abſolutionem deprecativam, vel indicativam, non magis præceptio abſolutionis deprecativæ valorem indicativæ olim impedivit, nec magis præceptio abſolutionis indicativæ valorem deprecativæ nunc impedit, quàm olim præceptio trinæ immerſionis ad valorem unicæ & præceptio unicæ immerſionis valorem trinæ impediverit.

Dicet fortaſsè aliquis Chriſtum pro forma ſacramenti Pœnitentiæ in genere tantùm inſtituiſſe verba effectum ſacramenti ſufficienter exprimentia, horum verborum determinationem relinquendo Eccleſiæ. Sed vanum hoc effugium facilè exploditur: cùm enim, ut docent ipſimet adverſarii, ſacramentum Pœnitentiæ ex inſtitutione Chriſti includat actum judicialem ex parte miniſtri neceſſariò ex inſtitutione Chriſti requirit ex parte miniſtri verba effectum ejus ſufficienter exprimentia per modum actus judicialis; nec minùs inſtituiſſe dici poteſt Chriſtus, quam verba effectum ſacramenti ſufficienter exprimentia per modum actus judicialis, adeòque generica illa inſtitutio Chriſti neceſſariò complectitur 1. verba indicativa; cùm clarum ſit, verba indicativa ſufficienter effectum ſacramenti exprimere poſſe per modum actus judicialis. 2. Verba deprecativa, ſuppoſito, ut volunt adverſarii, quòd idem poſſint, quod verba indicativa.

Itaque cùm dicitur, quòd Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ in genere tantùm inſtituerit verba effectum ſacramenti ſufficienter exprimentia, perinde eſt ac ſi dicatur, pro forma ſacramenti Pœnitentiæ indifferenter inſtituiſſe verba indicativa vel deprecativa, dato, ut volunt adverſarii, quod deprecativa tam poſſint per modum actus judicialis effectum ſacramenti exprimere, quàm poſſunt indicativa: ſicut ſi dicatur, quòd Chriſtus pro materia proxima baptiſmi in genere tantùm inſtituerit veram ac propriè dictam lotionem corporis, perinde eſt, ac ſi dicatur, pro materia proxima baptiſmi indifferenter inſtituiſſe immerſionem vel infuſionem, quia utrique pariter convenit ratio veræ ac propriè dictæ lotionis, adeòque utramque neceſſariò complectitur generica Chriſti inſtitutio.

Quare ſicut Eccleſia circa materiam proximam baptiſmi nihil aliud poteſt, quàm præcipere uſum immerſionis, relicta infuſione, aut contra; ſic tamen ut quidquid præcipiat Eccleſia, ſemper valeat baptiſmus, ſive per immerſionem, ſive per infuſionem baptizes; ita pariter ſupponendo quòd Chriſtus pro materia ſacramenti Pœnitentiæ in genere tantùm inſtituerit verba effectum ſacramenti ſufficienter exprimentia per modum actus judicialis, & quòd verba deprecativa tam poſſint hoc modo effectum ſacramenti exprimere, quàm poſſunt indicativa, nihil aliud poteſt Eccleſia, quàm præcipere uſum formæ indicativæ, relicta deprecativa, aut contra; ſic tamen ut ſemper ſacramentum valeat, ſive per formam indicativam ſive per deprecativam abſolvas. Ex his

Sic breviter argumentor. Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ vel in ſpecie inſtituit verba indicativa, vel in ſpecie inſtituit verba deprecativa, vel denique tantùm in genere inſtituit verba effectum ſacramenti ſufficienter exprimentia per modum actus judicialis. Si ſecundum, ſacramentum nunquam validè adminiſtrari poteſt per formam indicativam, quod eſt falſum & hæreticum, nec aſſerunt adverſarii. Si tertium, Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ indifferenter inſtituit verba deprecativa vel indicativa, dato, ut volunt adverſarii, quòd deprecativa idem poſſint, quod indicativa; atque ita etiam nunc tam valet ſacramentum per formam deprecativam, quàm per indicativam, quod apertè adverſatur doctrinæ Concilii Tridentini, imò & doctrinæ adverſariorum. Ergo reverà Chriſtus pro forma ſacramenti Pœnitentiæ in ſpecie inſtituit verba indicativa, quod doctrinæ Concilii Tridentini planè conſentaneum eſt. Ergo chimera eſt, quod docent adverſarii, veterem Eccleſiam ſacramentum Pœnitentiæ per formulam abſolutionis deprecativam adminiſtraſſe.

Dices. Contractum clandeſtinum, poſtquam valuerat per quindecim ſæcula ad conſtituendum vel ſaltem efficiendum ſacramentum Matrimonii, potuit Eccleſia irritare, & irritavit; ita ut jam in locis, in qui-

quibus Tridentinum receptum eſt, neque conſtituere, neque efficere poſſit ſacramentum. Quidni ergo pariter formam deprecativam, poſtquam per ſæcula duodecim valuerat ad conſtituendum ſacramentum Pœnitentiæ, abrogare potuit Eccleſia, eique formam indicativam ſubſtituere, quam aliquando, cùm judicabit expedire, ſi volet, abrogabit, ut formam deprecativam reſtituat in integrum?

Reſp. 1. Retorquendo exemplum. Eccleſia nunquam efficere potuit, aut poterit, ne contractus legitimus ſufficiat ad conſtituendum vel ſaltem efficiendum ſacramentum, quia Chriſtus in genere contractum legitimum evexit ad eſſe ſacramenti, vel ſaltem ad eſſe cauſæ efficientis illius. Ergo pariter Eccleſia nunquam efficere potuit, aut poterit, ne verba, effectus ſacramenti Pœnitentiæ ſufficienter expreſſiva per modum actus judicialis, ſufficiant ad conſtituendum hoc ſacramentum: cùm Chriſtus ſaltem in genere ad eſſe ſacramenti hujus evexerit verba effectus illius ſufficienter expreſſiva per modum actus judicialis.

Reſp. 2. Dando diſparitatem. Itaque Eccleſia efficere potuit, ne contractus clandeſtinus valeret ampliùs ad conſtituendum, vel efficiendum ſacramentum Matrimonii, quia efficere potuit, ut de legitimo fieret illegitimus, addita certa ſolemnitate, tanquam ſubſtantiali contractui matrimoniali, & ad conſtitutivum vel. cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii, contractum legitimum requirit inſtitutio Chriſti. At ſuppoſito quòd verba aliqua effectum alicujus ſacramenti ſufficienter exprimere poſſint, ne id poſſint, efficere nunquam potuit, aut poterit Eccleſia; atque ita ſuppoſito quòd tam verba deprecativa, quàm indicativa, apta ſint ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ exprimendum modo judiciali, velit, nolit Eccleſia, id ſemper & potuerunt & poterunt, & conſequenter, ſuppoſito quòd Chriſtus pro ſacramento Pœnitentiæ in genere tantùm inſtituerit verba apta ad effectum illius modo judiciali exprimendum, velit, nolit Eccleſia, ſemper ſervabitur inſtitutio Chriſti in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, adeòque ſacramentum Pœnitentiæ ſemper validè adminiſtrabitur, etiamſi abſolutio detur modo deprecativo. Ergo in doctrina adverſariorum Eccleſia nunquam potuit, aut poterit abrogare formulam abſolutionis deprecativam, nec magis id potuit, aut poterit, quàm potuit aut poterit abrogare inſtitutionem Chriſti. Ex his

Sic adhuc argumentor breviter. Si ſacramentum pœnitentiæ olim validè adminiſtrari potuit per formam deprecativam, nunc etiam poteſt. Atqui ſacramentum Pœnitentiæ nunc non poteſt validè adminiſtrari per formam deprecativam, ſed ſolùm poteſt per formam indicativam. Ergo nunquam potuit validè adminiſtrari per formam deprecativam, adeòque Eccleſia, quæ in adminiſtratione ſacramentorum errare non poteſt, nunquam tentavit adminiſtrare ſacramentum Pœnitentiæ per formam deprecativam. Sed

§. VI.

Confirmatur aſſertio noſtra ex eodem Tridentini loco.

1. CUm Tridentinum dicit, *de more Eccleſiæ*, loquitur de conſtanti & perpetua Eccleſiæ conſuetudine: nam Eccleſia in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ ſemper adhibuit preces, quod negare non poſſunt adverſarii; cùm in hiſce precibus ipſam abſolutionis formulam conſtituant pro duodecim prioribus ſæculis. Ergo Synodus loco citato dicit, his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, in quibus forma ſacramenti poſita eſt, ex perpetua & conſtanti Eccleſiæ conſuetudine laudabiliter adjungi preces; quod perinde eſt, ac ſi diceret, nunc his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, laudabiliter, non neceſſariò, adjungi, ſicut ſemper adjunctæ fuerunt laudabiliter, non neceſſariò, preces illæ, quibus ſacerdos orat Deum, ut abſolvat pœnitentem, & quæ nequaquam ſpectant ad eſſentiam ipſius formæ, adeòque ad ſacramenti adminiſtrationem minimè neceſſariæ ſunt, aut fuerunt unquam.

2. Manifeſtè Synodus loco citato exponit inſtitutionem Chriſti circa ſacramentum Pœnitentiæ: unde ſicut cùm inferiùs ait: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti pœnitentis actus, nempe contritio, &c.* reverà exponit id, quod Chriſtus inſtituit pro materia vel quaſi materia hujus ſacramenti: ita pariter cùm ſuperiùs ait, *Docet præterea ſancta Synodus ſacramenti Pœnitentiæ formam, &c.* exponit id, quod reverà pro hujus ſacramenti forma Chriſtus inſtituit: & cùm addit, *Quibus de Eccleſiæ ſanctæ more preces, &c.* diſtinguit id, quod eſt inſtitutionis eccleſiaſticæ, ab eo, quod eſt divinæ inſtitutionis in hujus ſacramenti adminiſtratione.

3. Si verum eſt, quod dicunt adverſarii, univerſam Eccleſiam forma deprecativa uſam eſſe duodecim prioribus ſæculis in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, doctrina à Tridentino tradita hoc cap. 3. ſeſſ. 14. tota contraria eſt doctrinæ & conſuetudini retentæ ab univerſa Eccleſia duodecim prioribus ſæculis. Et verò, ſi verum eſt quod dicunt adverſarii, Concilium generale tunc temporis congregatum ad exponendam ſacramentorum inſtitutionem a Chriſto factam, proculdubio duxiſſet, formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in precibus, quibus Deum orat ſacerdos, ut à peccatis pœnitentem abſolvat; in his precibus eſſentiam formæ conſiſtere, & ſine illis ſacramentum validè adminiſtrari non poſſe.

Certè ſi Tridentinum ſæculo 16. propter univerſæ Eccleſiæ praxim adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ per verba indicativa, à tribus ad ſummum ſæculis receptam, verè dicere potuit, & dixit, formam hujus ſacramenti poſitam eſſe in his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* & preces, quæ de Eccleſiæ more adjunguntur, nequaquam ſpectare ad eſſentiam formæ, neque ad validam ſacramenti adminiſtrationem neceſſarias eſſe; quantò magis Concilium aliud œcumenicum ſæculo v. g. duodecimo, propter conſuetudinem adminiſtrandi hoc ſacramentum per verba deprecativa, per priora ſæcula undecim in univerſa Eccleſia conſtantiſſimè ſervatam, verè dicere potuiſſet, & dixiſſet, formam hujus ſacramenti poſitam eſſe in precibus, quibus ſacerdos orat Deum, ut pœnitentem abſolvat à peccatis, & hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* quæ juxta Morinum jam ſæculo 11. cœperant in aliquibus Eccleſiis particularibus adjungi precibus, quibus ſacerdos abſolvebat, ad eſſentiam formæ nequaquam ſpectare, neque neceſſaria eſſe ad validam adminiſtrationem ſacramenti.

Manifeſtè igitur in hypotheſi adverſariorum ſicut præſentis Eccleſiæ praxis circa ſacramentum Pœnitentiæ à quadringentis ſaltem annis contraria eſt veteri Eccleſiæ circa idem ſacramentum praxi per mille & ducentos continuatæ: ita præſentis Eccleſiæ doctrina circa ſacramentum Pœnitentiæ à quadringentis ſaltem annis contraria eſt veteri Eccleſiæ circa idem ſacramentum doctrinæ per mille & ducentos annos retentæ. *Adverte.* In hypotheſi adverſariorum forma ſacramenti Pœnitentiæ per 1200. annos fuit deprecativa; jam verò à 400. annis eſt indicativa. Preces, quibus ſacerdos orat Deum, ut pœnitentem à peccatis abſolvat, per 1200. annos ſpectàrunt ad eſſentiam formæ, imò totam formæ eſſentiam conſtituerunt; jam verò à 400. annis nequaquam ſpectant, & omninò accidentariæ ſunt formæ. E contra hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* quæ per 1200. annos nequaquam ſpectarunt ad eſſentiam formæ, nunc à 400. annis ſpectant, imò totam formæ eſſentiam conſtituunt. Poteſtne major excogitari contrarietas? Sed ex dictis,

Ulteriùs apparet, ex hypotheſi adverſariorum neceſſariò ſequi, quòd Eccleſia univerſa vel per 1200. annos erraverit, vel nunc à 400. annis erret circa eſſentiam ſacramenti Pœnitentiæ: cum enim prorſus invariabilis ſit inſtitutio divina, eſſentia ſacramentorum ſemper fuit & erit eadem, & ita ſemper fuit &

erit

erit eſſentia formarum ſacramentalium. Ergo preces, quibus ſacerdos orat Deum, ut abſolvat pœnitentem à peccatis, vel nunquam ſpectarunt ad eſſentiam formæ ſacramenti Pœnitentiæ, vel etiam nunc ſpectant. Si primum, per 1200. annos erravit. Si ſecundum, nunc à 400. annis errat univerſa Eccleſia circa eſſentiam formæ Pœnitentiæ. Item hæc miniſtri verba, *Ego te abſolvo*, &c. vel nunc non ſpectant ad eſſentiam formæ ſacramenti Pœnitentiæ, vel ſemper ſpectarunt. Si primum, errat nunc; ſi ſecundùm, in adverſariorum hypotheſi olim erravit Eccleſia circa eſſentiam formæ ſacramenti Pœnitentiæ.

Amplius. Chriſtus pro ſacramento Pœnitentiæ vel inſtituit in ſpecie formam indicativam, vel inſtituit in ſpecie formam deprecativam, vel indifferenter inſtituit formam indicativam aut deprecativam; vel denique in genere tantùm inſtituit formam, præcisè exigendo verba effectus ſacramenti ſufficienter expreſſiva per modum actus judicialis, quo ſententia pronuncietur à ſacerdote tanquam judice. Si primum, per 1200. annos erravit Eccleſia in ſuppoſitione adverſariorum. Si ſecundùm, nunc errat Eccleſia cum Florentino & Tridentino. Si tertium, nunc ſaltem errat Eccleſia cum Tridentino, putando ſacerdotem non abſolvere ſine his verbis, *Ego te abſolvo*, &c. quantùmvis cum intentione faciendi ſacramentum proferat preces, quibus petit à Deo, ut abſolvat pœnitentem. Si quartum, vel ſola verba indicativa, vel tam deprecativa, quàm indicativa, ſufficiunt ſecundùm Chriſti inſtitutionem, ad effectum ſacramenti exprimendum modo judiciali. Si primum, in ſuppoſitione adverſariorum malè ſenſit Eccleſia per 1200. annos. Si ſecundùm, nunc malè ſentit Eccleſia cum Tridentino, totam formæ eſſentiam in verbis indicativis ſeu enunciativis conſtituendo, quamvis tota ſervetur eſſentiæ forma, etiamſi adhibeantur tantùm verba deprecativa.

En quò pertinet hypotheſis adverſariorum, en quò præcipitat novarum opinionum pruritus. Quòd ſi è contra dicatur, ut re ipſa magno conſenſu dicunt Doctores Theologi, & apertè ſignificat Tridentinum cap. citato, Chriſtum pro ſacramento Pœnitentiæ determinatè inſtituiſſe formam indicativam ſeu enunciativam, & in adminiſtratione ſacramenti hujus Eccleſiam ſemper uſam eſſe tali forma, cui ſemper laudabiliter adjunxerit preces aliquas, *Ne*, ut ait S. Thomas 3. p. q. 84. a. 3. ad 1. *impediatur effectus ſacramenti ex parte pœnitentis*; plana ſunt omnia, & praxis ac doctrina veteris Eccleſiæ omninò conſonat cum praxi ac doctrina præſentis, quantùm ad ſubſtantialia omnia ſacramenti. Sed

Demus tantiſper adverſariis, quòd in eorum ſuppoſitione nulla, aut nonniſi apparens ſit veterem inter & præſentem Eccleſiam contrarietas in doctrina circa inſtitutionem naturam ſacramenti Pœnitentiæ: num in Concilio Tridentino aliquis ex viris doctiſſimis, qui tunc aderant, cùm decretum de ſacramento Pœnitentiæ editum eſt, conſuetudinem illam adminiſtrandi hoc ſacramentum per formam deprecativam, tot ſæculis retentam, oppoſuit? Num aliquis monuit, aliquam ſaltem in decreto faciendam eſſe mentionem formæ illius deprecativæ, ejuſque legitimæ in formam indicativam mutationis? Nemo.

Dices. Opus non fuit, opponere conſuetudinem, jam à multis ſæculis abrogatam, aut mentionem fieri mutationis, jam à multis ſæculis in tota Eccleſia receptæ. *R.* Imò verò, ſi vera eſt adverſariorum ſuppoſitio, maximi Eccleſiæ intererat, meminiſſe talis mutationis, & declarare quo pacto per talem mutationem factum ſit, ut preces, quæ his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, &c. præmittuntur, & quibus ſacerdos petit à Deo, ut pœnitentem abſolvat, deſierint hactenùs ſpectare eſſentiam formæ, poſtquam ea totam per 1200. annos conſtituerant; atque eſſentia formæ, nihilominùs eadem omninò manent, cœperit tota conſiſtere in his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, &c. poſtquam ad eam per 1200. annos nequaquam ſpectarant: hoc, inquam, maximi intererat Eccleſiæ, ne quid aliquando contra inſtitutionem Chriſti, & ſacramentorum ſubſtantiam molita eſſe, veteres uſus ſuos reprobare, & in doctrina ſua ſibi non conſtare videretur.

Magni etiam intererat ipſius Synodi, ne ipſa ſibi contraria fuiſſe diceretur aliquando ab hæreticis, ex una parte perpetuò profitendo, ſe veteris Eccleſiæ veſtigiis fideliter inſiſtere, & definitiones ac decreta ſua in traditionibus apoſtolicis, veteris Eccleſiæ doctrina, & unanimi Patrum conſenſu fundare; ex altera verò damnando doctrinam & praxim univerſæ Eccleſiæ, acceptam ab Apoſtolis, à SS. Patribus ſuſceptam, & ſanctiſſimè ac conſtantiſſimè per 1200. annos retentam in re tanti momenti, qualis eſt valida ſacramenti adminiſtratio. Sed

Quàm in removenda omni inter ſe & veterem Eccleſiam diſſidii ſuſpicione ſollicita fuerit Synodus, diſce ex ſeſſ. 21. ubi tantam cautionem adhibet in imponendo præcepto communicandi ſub unica ſpecie, vel potiùs in confirmando eo, quod olim à Conſtantienſi Concilio impoſitum fuerat. Nam cap. 1. declarat, laicos nullo præcepto divino obligari ad communicandum ſub utraque ſpecie, & declarationem ſuam judicio & conſuetudine Eccleſiæ confirmat, accurate que probat ex ipſa Scriptura, ad quam provocabant Novatores.

Deinde cap. 2. ex verbis & praxi Apoſtoli oſtendit, *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*, & conſequenter in Eccleſia ſemper fuiſſe poteſtatem modò concedendi, modò prohibendi ex legitima cauſa communionem ſub utraque ſpecie, cùm hoc utrumque fieri potuerit, ſalva ſacramenti ſubſtantia.

Denique ſic tandem pronunciat: *Quare agnoſcens ſancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione ſacramentorum auctoritatem, licèt ab initio chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimè jam mutata illa conſuetudine, gravibus & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate mutare non licet.* Quibus verbis disertè profitetur Synodus, ſe non confirmare præceptum communicandi ſub altera tantùm ſpecie laicis impoſitum, niſi quia latum erat legitima auctoritate, nec niſi ob graves & juſtas cauſas, & poſtquam conſuetudo communicandi ſub utraque ſpecie, in ipſis Eccleſiæ primordiis uſitata, progreſſu temporis latiſſimè mutata fuerat.

Dices. Hoc à Synodo fieri neceſſe fuit, ad compeſcendos clamores Novatorum de communione ſub una tantùm ſpecie conquerentium, atque ad Chriſti inſtitutionem, & uſum primitivæ Eccleſiæ provocantium. *R.* abſolutè ad id ſufficere potuiſſe anathema: neque enim ſuperior cum inferior in arenam deſcendere, aut rationes inire tenetur. Hoc igitur Synodus fecit potiſſimùm, ut ſuum exequeretur propoſitum, oſtendendi ſcilicet, Eccleſiam pro rerum, temporum, & locorum neceſſitate, aliquid in uſibus ſuis mutare, nunquam tamen à Chriſti & Apoſtolorum doctrina deflectere.

Illud porrò idem propoſitum exequendi gratia in materia æqualis, imò longè majoris momenti (cùm enim de forma aliqua ſacramenti decernitur, de ſubſtantia ſacramenti decernitur) non minorem procuIdubio, imò majorem diligentiam ac ſollicitudinem adhibuiſſet Synodus, in omni inconſtantiæ ac defectionis ſuſpicione removenda ab Eccleſia circa formam ſacramenti Pœnitentiæ, ſi verum eſſet, Eccleſiam, poſtquam per ſæcula duodecim uſa eſſet forma deprecativa, huic tandem repudiatæ indicativam ſubrogaſſe, ſic ut preces, quæ totam formæ hujus ſa-

cramenti eſſentiam per ſæcula duodecim conſtituerint, jam ad eam nequaquam ſpectent; quod planè videtur, ſine formæ, adeòque & ſacramenti mutatione ſubſtantiali eſſe non poſſe.

Dices fortaſſe, factum illud formæ deprecativæ, per priora duodecim ſæcula uſitatæ, & poſtea in indicativam mutatæ, ignoratum fuiſſe in Conc. Trid. *R.* Et hoc eſt, quod volumus: unde ſic arguimus. Vel falſum eſt, quòd forma deprecativa aliquando ab univerſa Eccleſia in ſacramento Pœnitentiæ adhibita, & poſtea in indicativam mutata fuerit; vel, quod ſuperat omnem fidem, tam inſignis metamorphoſis, tam ſingularis (neque enim exemplum habet) ab ipſis ſuis incunabulis oblivioni tradita, per quadringentos & ampliùs annos in Eccleſia Dei prorſus ignorata fuit; ita ut ne levis quidem illius ſuſpicio ſubierit in mentem ullius Doctoris catholici, aut etiam hæretici, ex iis, qui ante ſæculum decimum-ſeptimum rebellarunt adversùs Eccleſiam, quique in hoc erant intenti maximè, ut præſentem Eccleſiam veteri diſſimilem eſſe oſtenderent: donec ſæculo decimo-ſeptimo penè jam ſeneſcente, veritas in alto puteo latens hauriretur à duobus vel tribus hominibus, nempe à Dallæo Calviniſta, Launoio, & Morino, qui indigeſtæ eruditionis farcina glorioſus, omnes indiſcriminatim Scholaſticos, velut antiquitatis penitùs ignaros, homines otioſos, & ſterili ratiocinio contentos, traducit; & cui obiter reſpondemus, in Conc. Trid. adfuiſſe magno numero Doctores Scholaſticos, ipſi & judicio, & ingenii perſpicacia, & eruditione longè ſuperiores.

§. VII.

Confirmatur denique aſſertio noſtra ratione.

SI abſolutionis formula deprecativa fuit duodecim prioribus ſæculis, cùm nunc ſit indicativa, ut agnoſcunt ii, contra quos hìc diſputamus, neceſſe eſt formulam deprecativam poſt duodecimum ſæculum abrogatam, & indicativam ei ſubrogatam fuiſſe certo anno, ab auctoritate legitima, & gravem, imò graviſſimam aliquam ob cauſam. Atqui adverſarii non dicunt, nec dicere poſſunt, quo anno facta ſit hæc formulæ deprecativæ abrogatio; à quo vel Summo Pontifice, vel Concilio generali (id enim tentare non potuit Concilium particulare;) quà denique rationabili de cauſa. Fingant, ſi poſſunt, aliquam hujuſmodi cauſam, quà rationabiliter moveri potuerit Eccleſia ad talem abrogationem: quòd enim Eccleſia formulam abſolutionis, ab Apoſtolis acceptam, & duodecim ſæculorum uſu confirmatam, abrogare voluerit abſque urgentiſſima cauſa, non credet niſi hoſtis Eccleſiæ.

Olim aliquando trina immerſio propter Sabellianos, aliquando unica propter Arianos præſcripta fuit, & uſitata in Eccleſia. Oſtendant nobis adverſarii novam aliquam hæreſim, vel ſaltem periculoſam aliquam Doctorum catholicorum controverſiam, poſt ſæculum duodecimum exortam, ob quam oportuerit formam abſolutionis deprecativam abrogari. Prætereà quærimus, ubi extet lex eccleſiaſtica, qua facta eſt illa formæ deprecativæ abrogatio. Habentne manuſcriptum codicem aliquem, in quo recondita pateat?

Amplius. Si verum eſt, quod dicunt adverſarii, formam abſolutionis deprecativam, poſtquam valuerat duodecim prioribus ſæculis, ab Eccleſia abrogatam fuiſſe, & indicativam ejus loco ſubſtitutam, hoc factum eſt ante medium ſæculum decimum-tertium, quo tempore, vel non multò poſt, teſte S. Thoma in opuſc. 22. Eccleſia utebatur forma indicativa, ſine qua validum eſſe non poſſe ſacramentum, communiter tenebant Magiſtri in Academia Pariſienſi; adeòque decretum hujus abrogationis & ſubſtitutionis, jam nec à longo tempore excuſum, non ignoraſſet, quando contra formæ deprecativæ patronum ſcribebat, illudque proculdubio, cùm Scripturam non poſſet, adverſario opponere non neglexiſſet. At talis decreti nullum extat veſtigium in citato opuſculo, ſed S. Doctor contra adverſarium recurrit ad Scripturam, qua tamen minimè probari poſſet id, quod intendit, ſi forma indicativa deprecativæ prævaleret ſola auctoritate Eccleſiæ.

Et verò ſi forma deprecativa tam convenit inſtitutioni Chriſti, quàm indicativa, & quòd ſacramentum valeat per formam indicativam, non per deprecativam, vel contra, provenire poteſt à ſola auctoritate Eccleſiæ, quid pro forma indicativa contra deprecativam efficere potuiſſet S. Doctor ex verbis Chriſti, *Quodcumque ſolveris*, *&c.* quibus judicabat poteſtatem clavium datam eſſe ſacerdotibus? Recurrendo igitur ad Scripturam, in qua contendit formam indicativam determinatè à Chriſto inſtitutam fuiſſe pro ſacramento Pœnitentiæ, manifeſtè ſupponit & ſignificat, formam indicativam ad valorem hujus ſacramenti, eo tempore quo ſcribebat, neceſſariam fuiſſe propter inſtitutionem Chriſti, non propter decretum, quo Eccleſia formam deprecativam abrogaſſet, eique indicativam ſubſtituiſſet. Nullum igitur hujuſmodi decretum ab Eccleſia latum fuerat, vel ſi quod latum fuerat, illud ut inutile & nullius momenti, quod nefas eſt dicere, contempſit & prætermiſit S. Doctor.

Dices fortaſſe, non lege aliqua eccleſiaſtica, lata vel à Summo Pontifice, vel à Concilio generali, ſed contraria conſuetudine, ab Eccleſiis particularibus ſenſim recepta, abſolutionem deprecativam abolitam, & indicativam ejus loco ſubſtitutam eſſe. *R.* Hoc utrumque dici poſſet, ſi poſt duodecimum ſæculum preces, quibus petit ſacerdos à Deo, ut Pœnitenti remittat peccata, & quibus adverſarii formam ſacramenti Pœnitentiæ conſtituunt pro duodecim prioribus ſæculis, Eccleſiæ in adminiſtratione hujus ſacramenti omninò ſuppreſſiſſent, ut adhiberent tantùm verba indicativa. At Eccleſiæ preces illas poſt duodecimum ſæculum retinuerunt, & nunc retinent, eaſque perrexerunt adjungere, & adjungunt verbis indicativis, *Ego te abſolvo*, *&c.* Quomodo ergo dici poteſt abſolutio deprecativa per conſuetudinem inductam poſt ſæculum duodecimum abolita eſſe; cùm ſacerdotes hactenùs à ſæculo duodecimo cum intentione faciendi ſacramentum recitarint preces, quibus oratur Deus ut à peccatis pœnitentem abſolvat, & quas recitando, ſecundùm adverſarios, per duodecim priora ſæcula ſacerdotes ſacramentum adminiſtrarunt, & pœnitentes ritè confeſſos abſolverunt?

Quid ante ſæculum decimum-tertium habuerunt preces illæ, vi cujus poterat ſacerdos per illas abſolvere, & quo carentes nunc, nunc ad hunc effectum inutiles ſunt? Dices fortaſsè, precibus illis poſt ſæculum duodecimum adjuncta fuiſſe verba indicativa, *Ego te abſolvo*, *&c.* Sed 1. hoc eſt falſum: nam ſacramentum Pœnitentiæ nunquam validè adminiſtratum fuit ſine his verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* 2. Quid inde? Nam dato, quòd hæc additio facta ſit poſt ſæculum duodecimum, quid detraxit precibus illis? Ea enim non obſtante, preces illæ tam pertinent nunc ad inſtitutionem divinam, quàm pertinebant ante ſæculum decimum tertium, ſi revera pertinebant, tam ſignificare poſſunt, & tam ſignificant nunc effectum ſacramenti, quàm ſignificare potuerunt, & ſignificarunt ante ſæculum decimum-tertium, ſi re ipſa ſignificare potuerunt, & ſignificarunt; tam fiunt nunc intentione faciendi ſacramentum, quàm fiebant ante ſæculum decimum-tertium; atque inſuper præmittuntur verbis indicativis, *Ego te abſolvo*, *&c.* quæ proinde illarum actionem impedire non poſſunt.

Nulla igitur conſuetudo poſt ſæculum duodecimum inducta eſt, qua tacitè, ſed nec aliqua lata eſt lex, qua expreſsè abolita fuerit abſolutio deprecativa, conſiſtens in precibus, quibus ſacerdos, cùm ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrat, petit à Deo, ut pœnitentem abſolvat, eique condonet peccata. Ergo vel

pre-

preces illæ nunquam revera fuerunt abſolutio ſacramentalis, vel etiam nunc ſunt. Atqui dicere quòd nunc ſint abſolutio ſacramentalis, & falſum & hæreticum eſt; cum de fide ſit, illas nequaquam ſpectare ad eſſentiam formæ ſacramenti Pœnitentiæ, & hanc formam adæquatè conſiſtere in his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* Ergo mera novitas eſt, quod dicunt adverſarii, abſolutionem ſacramentalem prioribus Eccleſiæ ſæculis deprecativam fuiſſe, & poſitam in precibus, quibus ſacerdos adminiſtrando ſacramentum Pœnitentiæ, Deum orabat, ut pœnitenti peccata remitteret.

At inquies. Saltem his non urgetur Morinus, qui lib. 8. de adm. ſacram. Pœn. cap. 18. num. 8. docet, etiam nunc formam ſacramenti Pœnitentiæ deprecativam eſſe. *R.* 1. Quantis abſurditatibus loco citato implicet ſe Morinus, §. 4. oſtenſum eſt. 2. Ejuſdem cap. 8. nondum cogitans de iis, quæ ſcripturus erat cap. 18. disertè fatetur, formam deprecativam, duodecim prioribus ſæculis, ut vult uſitatam, tandem contraria conſuetudine abolitam fuiſſe, & indicativam in ejus locum ſucceſſiſſe. *Inveteraſcente autem*, inquit, *illa conſuetudine* (addendi precibus formulam indicativam (*Doctores celebres & multi definierunt abſolutionem deprecativo modo datam non valere. Mea quidem ſententia rectè: non enim tantùm Concilia aut Pontificum decreta leges abſolvendis peccatoribus praſcribere poſſunt, quarum prævaricatio irritam facit abſolutionem, ſed etiam id poteſt conſuetudo, Pontifice non improbante, ſecundum reſponſa prudentum legitime inducta.*

Juxta Morinum igitur, abſolutio ſacramentalis per duodecim priora ſæcula conſtitit in precibus, quibus Deum orabat ſacerdos, ut pœnitentem abſolveret; & poſt duodecimum ſæculum deſiit in illis conſiſtere, ita ut non valeret, & nunc non valeat, niſi detur per hæc verba indicativa, *Ego te abſolvo*, *&c.* non quidem propter legem aliquam latam à Concilio vel Pontifice, ſed propter conſuetudinem ſecundùm reſponſa prudentum legitimè inductam de addendis precibus, quibus ſacerdos Deum orat, &c. hac indicativa formula, *Ego te abſolvo*, *&c.*

His itaque, quæ dicta ſunt, urgetur, imò opprimitur Morinus: nam quomodò per novam illam conſuetudinem, quam de cerebro ſuo depromit hic auctor preces illæ, quibus ſacerdos in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ petit à Deo, ut pœnitentem abſolvat, deſinere potuerunt eſſe forma hujus ſacramenti? cùm earum uſus per novam illam conſuetudinem ſublatus non fuerit, ſed ſacerdotes perrexerint illas recitare cum intentione faciendi ſacramentum, illaſque præmittere verbis indicativis, *Ego te abſolvo*, *&c.* quæ proinde illarum effectum ſacramentalem non magis impediunt, aut impedire poſſunt, quàm ſi non proferrentur. Vide quæ ſuperiùs in hanc rem jam dicta ſunt.

Præterea, 1. falſum eſt, quod dicit Morinus, Concilia vel Pontifices leges ferre poſſe, quibus non ſervatis, abſolutio ſit irrita, etiamſi, quod pro Morino ſupplendum eſt, à ſacerdote juriſdictionem habente cum intentione faciendi ſacramentum, detur per verba inſtitutioni Chriſti ſufficientia, ut demonſtratum eſt §. 5. Quod autem non poteſt lex, id nulla poteſt conſuetudo, quantumcumque legitimè inducta ſupponatur. Atqui juxta Morinum, verba deprecativa ad validam abſolutionem ſufficiunt ſecundùm inſtitutionem Chriſti. Ergo in doctrina Morini, abſolutio data per verba deprecativa, ſicut non potuit irritari per legem latam à Concilio, vel à Summo Pontifice, ita nec potuit per novam conſuetudinem, quamtumvis ſupponatur legitimè inducta, & à Pontifice non improbata.

2. Quomodò abſolutio modo deprecativo data, valere deſiit per novam conſuetudinem, poſt ſæculum duodecimum inductam, ſi verum eſt, ut verum eſſe agnoſcit, & probat Morinus cap. 18. formas ſacramentorum eſſe immutabiles? Nam ſi ſunt immutabiles, ut revera ſunt, tales ſunt jure divino: at ſi tales ſunt jure divino, quomodò jure humano potuit forma ſacramenti Pœnitentiæ deprecativa mutari in indicativam, ita ut abſolutio, modo deprecativo data, nunc irrita ſit, & preces illæ, quibus, juxta Morinum, per duodecim priora ſæcula validè collata eſt, & in quibus proinde toto illo tempore conſtitit forma ſacramenti, nunc ad hujus formæ eſſentiam nequaquam ſpectent, ſed ei planè ſint extraneæ.

Dices. Formæ ſacramentorum non ſunt immutabiles grammaticaliter, ſeu quoad verba, & verborum conſtructionem, ſed tantùm immutabiles ſunt ſecundùm ſubſtantiam, quæ in earum ſenſu ſeu ſignificatione ſunt poſita. *R.* Ita eſt, & ſic diſcurro. Vel idem eſt ſenſus formæ deprecativæ & indicativæ reſpectu ſacramenti Pœnitentiæ, vel diverſus. Utrumvis dicat Morinus, captus eſt: nam ſi idem ſenſus eſt utriuſque formæ, ſive modum deprecativum adhibeas, ſervas totam eſſentiam formæ, & ita ex parte formæ nihil deeſt, aut deeſſe poteſt ad validam ſacramenti adminiſtrationem requiſitum. Quare in hac ſuppoſitione, ſicut per duodecim priora ſæcula non magis valuit, aut valere potuit abſolutio data modo deprecativo, quàm data modo indicativo; ita nunc magis valet, aut valere poteſt abſolutio data modo indicativo, quàm data modo deprecativo.

Quòd ſi ſenſus formarum illarum non eſt idem, ſed diverſus, ut revera diverſus eſt, non potuit forma deprecativa mutari in indicativam ſine mutatione ſubſtantiali; & ſi forma deprecativa re ipſa mutata eſt in indicativam, mutata eſt in formam ſubſtantialiter diverſam, cùm mutata ſit in formam diverſam quoad ſenſum & ſignificationem; adeòque formæ ſacramentorum non ſolùm grammaticaliter, ſeu quoad verba & verborum conſtructionem, ſed etiam eſſentialiter, ſeu quoad ſenſum & ſignificationem mutabiles ſunt, quod eſt contra Morinum, & rei veritatem, imò & contra fidem; cùm de fide ſit, ſacramenta mutari non poſſe ſubſtantialiter.

Porrò cùm manifeſtum ſit, formam deprecativam & indicativam planè diverſas eſſe quoad ſignificationem relatè ad ſacramentum Pœnitentiæ, manifeſtè apparet falſitas & abſurditas ſyſtematis Morini de forma deprecativa, duodecim prioribus ſæculis uſitata, & poſt ſæculum duodecimum per novam conſuetudinem legitimè inductam mutata in formam indicativam. Jam verò ſi uſus formæ indicativæ nec incœpit, nec incipere potuit poſt ſæculum duodecimum, non magis potuit poſt undecimum, aut decimum, &c. aſcendendo uſque ad primum Eccleſiæ ſæculum; eadem enim eſt ratio pro omnibus: unde evidens eſt, uſum formæ indicativæ cœpiſſe cum ipſa Eccleſia; atque ita quòd aliquando Eccleſia in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ uſa ſit forma deprecativa, eamque poſtea in indicativam mutarit, chymeram eſſe, natam ſuperiore ſæculo.

3. Cùm dicit Morinus, ingraveſcente illa, ad quam confugit, conſuetudine, Doctores celebres & multos definiviſſe, abſolutionem modo deprecativo datam non valere; inſinuat, & lectori perſuadere vult, Doctores illos nova illa conſuetudine permotos fuiſſe, in eaque ſuam de neceſſitatem formæ indicativæ, & inſufficientia deprecativæ doctrinam fundaſſe, quod à veritate alieniſſimum eſt: nullus enim talis conſuetudinis meminit, aut certè nullum, qui meminerit, proferre potuit Morinus; ſed omnes, qui poſt ſæculum duodecimum, & ante Morini tempora ſcripſerunt, & aſſerunt formam ſacramenti Pœnitentiæ indicativam eſſe, non deprecativam, aſſertionem ſuam fundant in verbis Chriſti, ut aliquorum ex illis inductione juvat hic oſtendere.

1. S. Thomas ſæculo decimo-tertio in opuſculo 22. cap. 1. ait, *non eſſe formam in ſacramento Pœnitentiæ, Abſolutionem & remiſſionem tribuat tibi omnipotens Deus, ſed, Ego te abſolvo: quia in ſacramento Pœnitentiæ verba Scripturæ, quæ maximè ſunt ſectanda, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione; ſed magis verbo indicativo utitur. Non enim dicit: Quæcumque petieris eſſe ſolvenda, erunt ſoluta*

luta, ſed, Quacumque ſolveris, erunt ſoluta. Et 3. p. q. 84. a. 3. in Sed contra, ſic argumentatur: *Sicut Dominus diſcipulis, Matth. ult.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos: *ita dixit Petro Matth. 16.* Quodcumque ſolveris ſuper terram. *Sed ſacerdos auctoritate illorum verborum Chriſti fretus, dicit: Ego te baptizo. Ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc ſacramento* (Pœnitentiæ) *Ego te abſolvo.*

2. Durandus ſæculo decimo-quarto lib. 4. diſt. 22. q. 2. ut probet hæc verba, *Ego te abſolvo*, eſſe de forma ſacramenti Pœnitentiæ, in Sed contra, ad verbum exſcribit argumentum S. Thomæ modò relatum, & in O. ex natura ſacramenti, adeòque ex Chriſti inſtitutione rationem petit. *Ratio eſt*, inquit, *quia illa verba per ſe pertinent ad formam ſacramenti, quæ directè ſignificant ejus effectum. Sed præmiſſa verba directè ſignificant, &c.*

3. Eodem ſæculo, Gerſon. in opuſc. de forma abſolutionis ſic incipit: *Forma abſolutionis à peccatis ſufficiens & neceſſaria eſt, Ego abſolvo te.* Et in calce reddens rationem, quare hæc verba, *In nomine Patris, &c.* non ſint neceſſariò addenda, ſic ait: *Quia tamen hoc,* (ut dicatur, *In nomine Patris, &c.*) *non eſt determinatum ex verbis Chriſti, Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. ſicut in baptiſmo; talis appoſitio ibi* (in ſacramento Pœnitentiæ) *& non in baptiſmo, relinquitur arbitrio ſacerdotis.* Sic autem loquendo, manifeſtè ſubintelligit, è contra dicendum eſſe, *Ego abſolvo te*, quia hoc ex verbis Chriſti determinatum eſt.

4. Gabriel Biel ſæculo decimo-quinto in 4. diſt. 14. quæſt. 2. ſic ait: *Forma abſolutionis hæc eſt, Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, & ſumitur ex verbis Chriſti Matthæi 16. ad Petrum*, Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. *Abſolutiones autem in publico factæ, ſcilicet,* Miſereatur tui, &c. *vel*, Indulgentiam & remiſſionem, &c. *non ſunt ſacramentales, ſed orationes ordinatæ ad remiſſionem peccatorum venialium. Et ergo in ſacramentali abſolutione non ſufficeret eas dicere: quia presbyter non per eas ſignificat fieri abſolutionem, ſed petit ut fiat.*

5. Dominicus Sotus ſæculo decimo-ſexto in 4. diſt. 14. art. 3. §. *Eſt nihilominus*, ſic loquitur: *Licèt Chriſtus formaliter non expreſſerit hanc formam* (Ego te abſolvo) *ſicut illam, Hoc eſt Corpus meum, tamen ex illo verbo ad Petrum*, Quodcumque ſolveris, &c. *ſufficientiſſimè colligitur, quare in hymno ejuſdem Apoſtoli canit Eccleſia: Et peccati vincula reſolvo tibi poteſtate tradita. Qui autem deprecatione ſolum utitur, non abſolvit, ſed abſolutionem petit à Deo.*

6. Bellarminus ſæculo decimo-ſeptimo lib. 1. de pœnit. cap. 16. hæc habet: *Si de ſententia verborum ſermo ſit, nemo catholicorum negat, verba eſſe determinata, atque ex divinis litteris deprompta. Quod idem cernimus in baptiſmo .... Quare quemadmodum ex eo quod Dominus ait Matth. ult.* Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *colligit Eccleſia formam illam, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ... ſic etiam ex eo quòd idem Dominus ait Matth. 16.* Quodcumque ſolveris, erit ſolutum, *& Joan. 20.* Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; *colligit Eccleſia formam illam, Ego te abſolvo à peccatis tuis.*

En habemus Doctores celebres & multos poſt ſæculum duodecimum, neceſſitatem formæ indicativæ à verbis Chriſti, quibus ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutio continetur, vel promittitur, repetentes; & ne vel unum ante tempora Morini invenimus, qui eam repetat à nova aliqua conſuetudine poſt ſæculum duodecimum inducta, aut cujus mentem talis conſuetudinis ut poſt ſæculum duodecimum inductæ ſuſpicio vel leviſſima ſubierit; quare vanum hoc Morini effugium, & conſuetudinem hanc, ut purum illius figmentum jure merito exploſimus. Sed ut reſpondeamus ad ea quæ pro ſuo ſyſtemate allegat Morinus lib. 8. de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ pluribus capitibus, ſit

ARTICULUS II.

Solvuntur ea, quæ proponit Morinus cap. 8.

NUm. 4. affert verba Jacobi Apoſtoli cap. 5. ubi ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Ergo ſacerdotes, inquit Morinus, orationibus ſuis peccata remittunt ſibi confitentibus. Hanc autem conſequentiam confirmandi gratia ſic proſequitur: *Hoc inſuper demonſtratur eodem prorſus argumento, quo idem de Extrema unctione demonſtrari poteſt, eadem enim videtur conſequentia: quapropter ſi ex hoc loco demonſtratur deprecatoriam formulam in Extrema-unctione valere, eadem ratione idem de confeſſione demonſtrabitur.*

Ad hæc R. 1. Apoſtolum quidem his verbis, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, loqui de ſacramentali confeſſione, minimè verò de oratione ſacramentali, ſeu de oratione, quæ ſit forma ſacramentalis, in iſtis, *Et orate pro invicem, ut ſalvemini:* non enim loquitur de oratione impetrante ex opere operato, ſed tantùm de oratione impetrante ex opere operantis, & dependente à certis conditionibus, quæ ad effectum ſacramentalem non requiruntur, quales ſunt ſanctitas orantis, orandi aſſiduitas, fervor, &c. Patet ex ſubſequentibus: *Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Elias erat homo ſimilis nobis paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex, &c.*

R. 2. Conſequentiam Morini eſſe contradictoriè oppoſitam doctrinæ Concilii Tridentini, ſeſſ. 14. cap. 3. Nam ſi ſacerdotes orationibus ſuis remittunt peccata ſibi confitentibus, forma ſacramenti Pœnitentiæ conſiſtit in illis orationibus, quas recitant ſacerdotes, cùm hoc ſacramentum adminiſtrant, quod eſt contradictorium Concilio aſſerenti loco citato, orationes illas nequaquam ſpectare ad eſſentiam formæ, neque ad ſacramenti adminiſtrationem neceſſarias eſſe. Præterea, ſi ſacerdotes orationibus ſuis remittunt peccata ſibi confitentibus, non remittunt per hæc verba, *Ego te abſolvo*, jam enim per orationes, his verbis præmiſſas, remiſſa ſunt. Hoc autem contradictorium eſt Concilio aſſerenti ibidem, formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo, &c.*

R. 3. Graviſſimè hallucinari Morinum, dum hæc verba, *Confitemini ergo alterutrum, &c.* æquiparat ſuperioribus, *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio, &c.* Nam 1. fide certum eſt, quòd in iſtis agatur de ſacramento Extremæ unctionis; at non eſt ita certum, quòd in illis, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, agatur de confeſſione ſacramentali.

2. Cùm Apoſtolus dicit, *Et orent ſuper eum*, loquitur de oratione impetrante infallibiliter ex opere operato; loquitur enim de oratione, cui gratiæ promiſſio abſolutè annexa eſt, ut manifeſtum eſt ex verbis ſubſequentibus: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* At cùm dicit, *Et orate pro invicem ut ſalvemini*, loquitur de oratione impetrante ex opere operantis, ut demonſtratum eſt. Quare cùm dicit, *Et orent ſuper eum*, loquitur de oratione ſacramentali, ſeu de oratione, quæ forma ſacramentalis eſt; ſecùs verò, cùm dicit, *Et orate pro invicem, ut ſalvemini.* Quod ampliùs declaratur ex eo, quòd hìc tantùm agatur de beneficio temporali obtinendo: nam, ut obſervat Bellarminus, lib. 3. de pœnit. cap. 4. verbum *ἰαθῆτε*, quod redditur per to *ſalvemini*, ad ſanitatem corporis propriè refertur: unde Apoſtolus, orationis aſſiduæ à juſto factæ efficaciam probare volens, ponit exemplum in effectu merè temporali ab Elia ferventi oratione impetrato.

Denique (quod de fide eſt) his verbis, *Infirmatur quis, &c.* continetur, & promulgatur inſtitutio ſacramenti Extremæ-unctionis, *illiſque Apoſtolus*, inquit

Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. de Extr. unct. *ut ex apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris ſacramenti*. Unde ex his verbis, *Infirmatur, quis &c.* intelligere potuit, & rectè intellexit Eccleſia, hujus ſacramenti materiam in oleo benedicto ab Epiſcopo, & formam in hac oratione, *Per iſtam unctionem, &c.* conſiſtere, ut loco citato Tridentinum obſervat. At inſtitutio ſacramenti Pœnitentiæ non continetur in verbis iſtis, *Confitemini ergo, &c.* nec de materia forma ſacramenti hujus per illas deſignandis cogitavit Apoſtolus: unde ex illis nihil pro hujus ſacramenti materia & forma poteſt concludi.

Enormiter igitur hallucinatur adverſarius, dum contendit formam deprecativam tam ex verbis iſtis, *Confitemini ergo, &c.* demonſtrari pro ſacramento Pœnitentiæ, quàm ex ſuperioribus, *Infirmatur quis, &c.* demonſtraratur pro ſacramento Extremæ unctionis. Porrò ſicut formam ſacramenti Extremæ unctionis inveſtigari oportuit, & re ipſa Eccleſia inveſtigavit in his verbis, *Infirmatur quis, &c.* quia continent inſtitutionem hujus ſacramenti; ita in verbis iſtis Joan. cap. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, quia continent inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ, hujus ſacramenti formam inveſtigari oportuit, & re ipſa inveſtigavit Eccleſia. Hinc

Sicut formam ſacramenti Extremæ unctionis in hac oratione, *Per iſtam unctionem, &c.* quia Jacobus, cùm ait, *Et orent ſuper eum, &c.* loquitur de oratione, cui promiſſio gratiæ abſolutè annexa eſt, conſiſtere ſemper intellexit Eccleſia; ita ſemper intellexit formam ſacramenti Pœnitentiæ in his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* poſitam eſſe: quia cùm Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis, &c.* hoc ſacramentum inſtituit per modum judicii, adeòque & forma ejus per modum actus judicialis, quo ſententia pronunciaretur à ſacerdote tanquam judice, ut luculenter docet Tridentinum ſeſſ. 14.

Sequentibus numeris explicat eruditionem ſuam Morinus; & 1. quidem affert hiſtoriam cujuſdam adoleſcentis, relatam ab Euſebio lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 23. Hic autem adoleſcens, quem Joannes Apoſtolus commendaverat cuidam Epiſcopo inſtituendum, cùm poſtea ad vomitum rediiſſet, prædonum dux factus eſt; ſed eum Apoſtolus quæſitum, & denuò converſum, ac facti pœnitentem, *ad Eccleſiam reducit, crebris item precibus Deum pro illo invocat, nec prius inde deceſſit, quàm illum Eccleſiæ reſtituiſſet*. Quid hoc ad rem? *Dices*. Apoſtolus dicitur Deum crebris precibus invocaſſe pro illo adoleſcente. *Reſp.* Quid, inde? Apoſtolus crebris precibus petiit à Deo pro illo adoleſcente gratiam veræ converſionis, poſteà confeſſum abſolvit, abſolutum Eccleſiæ reſtituit.

2. Affert Clementum Romanum, qui loquens de peccatore publico pœnitente, ſic ait lib. 2. conſtit c. 18. *Eum qui luxit, recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante & manu impoſita, ſine eum in Eccleſia eſſe*. Et cap. 41. *Hunc per manus impoſitionem, utpote factum mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus, in antiqua paſcua reſtitue, eritque ei loco lavacri manuum impoſitio*. *R.* Quid inde pro forma deprecativa? Nam ſi hæc verba, *Cuncta Eccleſia pro eo deprecante*, & iſta, *Cunctis pro eo deprecantibus*, ſignificant formam ſacramenti Pœnitentiæ, hæc formam ſupra pœnitentem non ab Epiſcopo ſolo, ſed etiam ab omnibus, qui aderant, ſacerdotibus, & clericis minoribus, imò laicis proferebatur; quod eſt abſurdiſſimum.

Dices. Locis citatis per manuum impoſitionem intelligitur ſacramento Pœnitentiæ. At manuum impoſitio non fiebat ſine precibus. Ergo tunc ſacramentum Pœnitentiæ non adminiſtrabatur ſine precibus. *R.* 1. neg. maj. & dico, locis citatis per manuum impoſitionem intelligi cœremoniam eccleſiaſticam, qua pœnitens, qui ob grave aliquod crimen publicum abſciſſus fuerat, poſt actam pœnitentiam, & ſacramentalem abſolutionem ab aliquo ſacerdote privatim acceptam, ab Epiſcopo publicè admittebatur in fidelium communionem, & participationem Euchariſtiæ. Suadent hoc hæc verba, *Utpote factum mundum pœnitendo*, hoc eſt, ut poſt actam pœnitentiam à peccatorum ſordibus per ſacerdotalem abſolutionem emundatum. Nec obſunt iſta, *Eritque ei loco lavacri manuum impoſitio:* non enim hic in omnibus baptiſmo æquiparatur impoſitio manuum, imò nec æquiparari poſſet, etiamſi per eam intelligeretur ſacramentum Pœnitentiæ. Senſus itaque eſt: pœnitens poſt reconciliatoriam illam manuum impoſitionem tam erit in Eccleſia, & jus habebit participandi Euchariſtiam, quàm catechumenus poſt baptiſmum.

R. 2. Permiſſa majore, conc. min. & conſeq. Sed quid inde pro forma deprecativa? Aliud enim eſt, quod non advertit Morinus, ſacramentum Pœnitentiæ non adminiſtrari ſine precibus, & aliud adminiſtrari precibus, tanquam forma, qua pœnitens abſolvitur: nunc enim non adminiſtratur ſine precibus; & tamen, ut docet Tridentinum, preces illæ nequaquam ſpectant ad eſſentiam formæ ejus, nec ad validam ejus adminiſtrationem neceſſariæ ſunt: unde in caſu neceſſitatis licitè omittuntur, ut dicitur in Rituali Romano. Veriſſimum igitur eſt, quòd nunquam extra caſum neceſſitatis ſacramentum Pœnitentiæ ſine precibus adminiſtratum fuerit: unde Tridentinum dicit, his miniſtri verbis, *Ego te abſolvo, &c.* laudabiliter adjungi preces de Eccleſiæ ſanctæ more, conſtanti ſcilicet & perpetuo: at quòd precibus illis tanquam forma aliquando collatum fuerit, nec probat, nec probare poteſt adverſarius.

3. Affert Tertullianum lib. de pudicitia cap. 2. *Cauſas pœnitentiæ*, inquit Tertullianus, *delicta condicimus. Hæc dividimus in duo exitus. Alia erunt remiſſibilia, alia irremiſſibilia ... De iſta differentia jam & quaſdam præmiſimus altercationes ſcripturarum, hinc retinentium, hinc dimittentium delicta, ſed & Joannes docebit: Si quis ſcit fratrem ſuum delinquere delictum non ad mortem, poſtulabit & dabitur vita ei: quia non ad mortem delinquit, hoc erit remiſſibile. Eſt delictum ad mortem: non pro illo dico ut quis poſtulet, hoc erit remiſſibile. Ita ubi eſt poſtulationis, illic etiam remiſſionis, ubi nec poſtulationis, ibi æquè nec remiſſionis. Secundum hanc differentiam delictorum pœnitentiæ quoque conditio diſcriminatur. Alia erit, quæ veniam conſequi poſſit, in delicto ſcilicet remiſſibili. Alia quæ conſequi nullo modo poſſit, in delicto ſcilicet irremiſſibili.*

His autem verbis hæc ſubjicit adverſarius; *Illic* (Tertulliano) *ſicut & catholicis, oratio pro peccato, illiuſque venia & remiſſio, unum & idem erant. Non licet pro peccato rogare, hoc eſt, non licet peccatum remittere*. *R.* Morinum gratis & abſque omni fundamento ſenſum hunc attribuere Tertulliano: nam ad vim argumenti, quo Tertullianus, factus Montaniſta, utitur contra catholicos, nequaquam requiritur, ut rogare pro peccato, & peccatum remittere, ſint unum & idem: ſupponendo enim, quòd Tertullianus cum catholicis in ea fuerit ſententia, ſacramentum ſcilicet Pœnitentiæ validè non adminiſtrari, niſi per hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* & per hæc verba adminiſtratum fuiſſe tunc temporis, non ſolum apud catholicos, ſed etiam apud Montaniſtas, adhuc æquè potuit, ſuppoſito adulterino ſenſu, quem Scripturæ attribuebat, dicere: *Ubi eſt poſtulationis, illic etiam remiſſionis; ubi nec poſtulationis, ibi æquè nec remiſſionis*: hoc eſt, ubi locus eſt poſtulationi, ibi & locus eſt remiſſioni; ubi verò locus non eſt poſtulationi, ibi nec locus eſt remiſſioni.

Nota. Tertullianus Montaniſta, ut probaret non omnia baptizatorum peccata remiſſibilia eſſe, ſed aliqua eſſe irremiſſibilia, diſtinguebat delicta, poſt baptiſmum commiſſa, in ea quæ non ſunt ad mortem, & ea quæ ſunt ad mortem, aſſerebatque non pro his, ſed pro illis tantùm orare, à Deo permiſſum eſſe Eccleſiæ, in qua ſacramentum Pœnitentiæ non adminiſtratur ſine orationibus, quas ſacerdos abſolutioni præ-

Digitized by Google

præmittit; & allegabat epiſt. 1. Joan. c. 5. ubi dicitur: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.*

Sic itaque argumentabatur. Sunt aliqua baptizatorum delicta, pro quibus Eccleſia non permittitur orare. Ergo ſunt aliqua delicta baptizatorum irremiſſibilia. Antecedens probabat ea Scriptura, conſequens verò ex praxi Eccleſiæ, in qua abſolutio ſacramentalis non impendebatur pœnitentibus, niſi præmiſſis orationibus pro remiſſione delictorum illorum, à quibus pœnitentes abſolvebantur: unde colligebat Eccleſiam in ſacramento Pœnitentiæ ab illis delictis abſolvere non poſſe, pro quibus non permittebatur orare.

Certè ſi verum eſſet, quod ait Tertullianus, quòd Eccleſia non permittatur orare pro omnibus baptizatorum delictis, ſed pro aliquibus tantùm, verùm quoquè eſſet, quòd non omnia baptizatorum delicta, ſed aliqua tantùm poſſit remittere: nam quare non permitteretur orare pro aliquibus delictis, à quibus poteſt abſolvere; cùm longè plus ſit poſſe abſolvere, quàm poſſe orare; nec fingi poſſit ratio, ob quam ſapienter prohiberi potuerit, ne oret pro delictis, à quibus abſolvendi poteſtatem à Deo accepit, præſertim cùm poteſtatem hanc convenientiſſimè ac decentiſſimè exerceat, præmittendo preces, quibus Deum orat pro pœnitentibus? Verum igitur eſſet, quòd aliqua tantùm baptizatorum delicta, & non omnia, remitti poſſint per ſacramentum Pœnitentiæ, quocumque modo, hoc eſt, ſive per formam deprecativam, ſive per indicativam adminiſtretur; atque ita ſupponendo uſum ſolius formæ indicativæ, evidenter valeret argumentum Tertulliani: Eccleſia nequidem permittitur orare pro gravioribus quibuſdam baptizatorum delictis, qualia ſunt adulterium, ſimplex fornicatio, & idololatria: Ergo multò minùs poteſt ea remittere per ſacramentum Pœnitentiæ.

Ex verbis igitur Tertulliani, quæ integra retulimus, quò mens ejus meliùs intelligeretur, malè concludit Morinus, Tertulliani tempore ſacramentum Pœnitentiæ per formam deprecativam adminiſtratum fuiſſe. Sed audiamus illum ea Tertulliano differentem. *Ratio eſt*, inquit, *quòd omnis remiſſio eccleſiaſtica per orationem fieri ſolebat, ejuſdem libri* (de pudicitia) *c. 19. enumeratis* (Tertullianus) *peccatis quæ judicabat remiſſibilia infert: Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Chriſtum. Deinde irremiſſibilibus enumeratis, addit: Horum ultra exorator non erit Chriſtus; quia ex utraque ſententia* (catholicorum ſcilicet & montaniſtarum) *horum jam exorator fuerat in baptiſmo. Alludit* (Tertullianus) *ad Eccleſiæ conſuetudinem, quia remiſſio peccatorum per orationem Epiſcopi & cleri concedebatur. Hoc autem opus Chriſto Eccleſiæ Capiti tribuebatur.* Ad hæc

R. 1. Satis ſuperque oſtenſum eſſe, quòd Tertulliani ratiocinium nullo pacto fundetur in uſu formæ deprecativæ, adeòque rationem illam, quam affert Morinus, meritò explodi ut purè arbitrariam, & ab eo gratis confictam.

2. Morinum nomine remiſſionis eccleſiaſticæ malè comprehendere abſolutionem à peccatis: cùm enim ſit ſacramentalis, & ita non fiat ab Eccleſia, niſi ut cauſa inſtrumentali, dici non poteſt remiſſio eccleſiaſtica. Facilè autem concedimus, remiſſiones eccleſiaſticas, quales ſunt quælibet abſolutiones à cenſuris, fieri poſſe per orationem, & olim non modò per formam indicativam, ſed etiam per deprecativam factas fuiſſe.

3. Perperam Morinum vim facere in hoc modo loquendi: *Horum erit venia per exoratorem Patris Chriſtum; Horum ultra exorator non erit Chriſtus:* nam ut hic agnoſcit Morinus ipſe, & hæc vox, *ultra*, apertè ſignificat, juxta Tertullianum, in baptiſmo, peccatorum quæ per illum condonantur, venia eſt per exoratorem Chriſtum, & tandem tempore Tertulliani baptizans ſacramentum conferebat per formam indicativam, & dicebat: *Ego te baptizo in nomine, &c.* Ergo ſimiliter, juxta eundem, in ſacramento Pœnitentiæ, peccatorum quæ per illud remittuntur, venia eſt per exoratorem Chriſtum, quantumlibet ſupponantur ſacerdotes ſacramentum hoc nunquam adminiſtraſſe niſi per verba indicativa, *Ego te abſolvo, &c.*

At inquies. Quomodo Chriſtus in vero ſenſu dici poteſt exorare veniam peccatorum in baptiſmo & pœnitentia, ſi hæc ſacramenta non conferuntur per orationem? *R.* Quamvis hæc ſacramenta conferantur per verba indicativa, *Ego te baptizo, &c. Ego te abſolvo, &c.* nihilominùs Chriſtus verè dicitur exorare veniam peccatorum, quæ per illa condonantur, quia Chriſtus, cùm ſacramenta illa inſtituit, oravit Deum Patrem, ut per ea omnibus, qui illa ſuſciperent, nec obicem ponerent, gratiam peccatorum remiſſivam infundere dignaretur. Quæ Chriſti oratio exauditur, & ſortitur effectum ſuum, cùm ſacramenta illa conferuntur non ponentibus obicem; toties enim intuitu ſacramentorum illorum à Deo Patre gratia peccatorum remiſſiva ſuſcipientibus infunditur. Sed ad majorem noſtræ reſponſionis intelligentiam,

Nota. Sacramenta noſtra habent quidem efficaciam in actu primo à dignitate Chriſti, præciſo aut etiam ſublato quocumque alio: hoc enim ipſo, quòd à Chriſto, ut cauſa principali, per miniſtros ut cauſas inſtrumentales conferuntur, ſunt moraliter actiones illius, & hoc ipſo, quòd ſunt moraliter actiones illius, idonea ſunt ad hoc, ut Deum Patrem moveant ad dandam gratiam ſuſcipientibus ſine obice. At non habent efficaciam in actu ſecundo, niſi ſuppoſita Dei Patris promiſſione de danda gratia ipſorum intuitu: non enim re ipſa ad gratiam ſuſcipientibus ſine obice dandam movent Deum Patrem, niſi volentem ipſorum intuitu dare gratiam, & Deus Pater volt ipſorum intuitu dare gratiam, quia promiſit ſe daturum. Chriſtus autem oravit, ut hanc à Deo Patre promiſſionem obtineret, & orando obtinuit. Chriſtus igitur oratione ſua obtinuit, ut ſacramenta, quæ inſtituit, haberent efficaciam in actu ſecundo, ſive, quod idem eſt, ut per ſacramenta, quæ inſtituit, Deus Pater ſemper & infallibiliter ad dandam gratiam non indignè ſuſcipientibus promoveretur: adeòque verè dicitur exorator gratiæ peccatorum remiſſivæ, quæ à Deo Patre datur intuitu ſacramentorum, quæ per formam indicativam adminiſtrantur, nec aliter poſſunt validè adminiſtrari.

Porrò quia ſecundùm Montaniſtas Chriſtus oravit pro quibuslibet etiam graviſſimis delictis, ut in baptiſmo condonarentur, ſecundùm Montaniſtas, Chriſtus quorumlibet etiam graviſſimorum delictorum exorator eſt in baptiſmo. Secundùm eoſdem, Chriſtus non oravit pro graviſſimis delictis, ſed pro aliis levioribus tantùm, ut remitterentur in ſacramento Pœnitentiæ: unde ſecundùm eoſdem, Chriſtus non eſt in ſacramento Pœnitentiæ exorator graviſſimorum, ſed tantùm leviorum delictorum. At quia ſecundùm catholicos & rei veritatem, oravit Chriſtus pro quibuſcumque delictis, ut tam in ſacramento Pœnitentiæ, quàm in Baptiſmo remitterentur, ſecundùm catholicos & rei veritatem, quorumlibet delictorum veniæ exorator eſt non ſolùm in baptiſmo, ſed etiam in ſacramento Pœnitentiæ.

R. Denique hanc Morini propoſitionem, *Alludit ad Eccleſiæ conſuetudinem, quia remiſſio peccatorum per orationem Epiſcopi & cleri concedebatur*, continere manifeſtum errorem in fide, & intolerabilem: nam ſi olim remiſſio peccatorum per orationem Epiſcopi & cleri concedebatur, olim ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrabatur ab Epiſcopo & clero, hoc eſt, ab Epiſcopo, presbyteris, diaconis, &c. qui aderant, tanquam miniſtris partialibus, ex quibus unus totalis coaleſcebat, quo nihil craſſius, verbo ſit venia, dici poteſt, & eſt à fide orthodoxa alieniſſimum: quòd enim aliquando plures fuerint miniſtri partiales ſacramenti Pœnitentiæ, ita ut idem pœnitens à pluribus ſimul abſolveretur, aſſerere craſſiſſimum eſt; & quòd diaconus v. g. ſive ſolus, ſive conjunctim cum Epiſcopo vel presbytero poſſit pœnitentem à peccatis abſolvere, hæreticum eſt; cùm de fide ſit, Chriſtum ſolis ſacerdotibus dixiſſe. *Quorum remiſeritis peccata, &c.*

Porrò tam graviter labitur Morinus conſequenter: cùm enim omni modo velit, formam deprecativam prioribus Eccleſiæ ſæculis impingere, & veteres, quoaeiiat, Clemens, vel alius ſub nomine Clementis, Tertullianus, Pacianus & Cyprianus loquantur de orationibus, quæ ab Epiſcopo & clero fiebant communiter ſupra pœnitentes, ut aliquid ex illis pro forma deprecativa efficere poſſet, dicere opportuit, olim in Eccleſia per orationem Epiſcopi & cleri peccatorum remiſſionem conceſſam fuiſſe pœnitentibus. Hoc autem dici poſſe ſalva fide, autumare facilè potuit Morinus, cùm non eſſet Theologus, ut ipſemet modeſtè confitetur. Sed ex occaſione data,

Sic contra illum argomenter breviter. Patres citati hoc cap. 8. quod refutamus, loquuntur de precibus, quæ fiebant communiter ab Epiſcopo & clero ſupra pœnitentes. Ergo vel non loquuntur de forma ſacramentali, vel olim in Eccleſia ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtabatur ab Epiſcopo & clero conjunctim. Secundum dici non poteſt ſine manifeſta abſurditate, & falſitate. Ergo Patres illi non loquuntur de forma ſacramentali, adeòque perperam illos Morinus facit formæ deprecativæ patronos. Ex his patet reſponſio ad verba Tertulliani, quæ Morinus addit in lib. de pœn. cap. 10.

Pacianum denique velut Tertulliani interpretem Morinus adducit, in ſua ad pœnitentiam parænesi dicentem: *Qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſia lachrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur*, *R.* 1. Hæc verba, *Chriſti precibus abſolvitur*, obſcura ſunt, adeòque nihil ex illis pro ſua ſententia efficere potuit adverſarius. 2. Preces Chriſti, quibus dicitur pœnitens abſolvi à precibus, quas Eccleſia, ſeu quas Epiſcopus cum clero fundebat ſuper pœnitentes, & quibus ait adverſarius olim conceſſam fuiſſe peccatorum remiſſionem, diſtinguit Pacianus; quod etiam apertiſſimè facit epiſt. 1. ad Sympronianum in fine, ubi ſic ait: *Scio frater .... magno pondere, magnoque libramine, poſt multos gemitus effuſionemque lachrymarum, poſt totius Eccleſia preces, ita veniam vera pœnitentia non negari*. Quare hæc verba, *Chriſti precibus abſolvitur*, Morino prorſus inutilia ſunt.

3. Juxta Pacianum, tam in baptiſmo impium juſtificari precibus Chriſti, quàm in ſacramento Pœnitentiæ, & tamen in Eccleſia Latina ſemper dictum eſt, *Ego te baptizo*. 4. Hoc, *Chriſti precibus abſolvitur*, à Paciano dici ſine præjudicio poteſtatis abſolvendi, ſacerdotibus à Chriſto conceſſæ, quam poteſtatem Pacianus epiſt. 1. & 3. luculenter defendit contra Novatianos.

5. Igitur juxta Pacianum, pœnitens Chriſti precibus abſolvitur in ſacramento Pœnitentiæ, non quòd ſacerdos non abſolvat verè ac propriè pœnitentem, aut quòd per orationem, ſeu per formam deprecativam tempore Paciani abſolveret, ſe vel quia, ut ſupra dictum eſt ad Tertullianum, Chriſtus oravit, & ratione ſua obtinuit, ut intuitu ſacramentorum, quæ inſtituit, ſemper & infallibiliter daretur gratia ſuſcipientibus ſine obice; vel quia ſacerdote ſententiam abſolutionis pronutiante, Chriſtus Deum Patrem orat, & ei paſſionis ac mortis ſuæ meritum offert pro pœnitente, ſecundùm illud Joannia epiſt. 1. cap. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum*. Et illud ipſius Paciani epiſt. 3. *Unde pro peccatoribus paſſum putas Chriſtum, niſi quod perdere noluit, quidquid ipſe formavit? Unde illum putas, hodieque, interpellare pro miſeris, niſi quod, &c.*

At inquit Morinus. Pacianus in ead. paræn. adhortatur eos, qui peccarunt, ut deprecentur exoratricem Eccleſiam. At nun ſic vocat Eccleſiam, niſi quia nobis precibus ſuis exorat veniam peccatorum. Item in epiſt. 3. dicit: *Jam Eccleſiæ preces humilibus non negandas, jam manus ſacerdotum miſerandis fratribus exhibendas*. *R. ad* 1. Eccleſiam nobis precibus ſuis exorare veniam peccatorum, non abſolvendo nos à peccatis per preces illas, ſed nobis obtinendo gratias congruas, ut vel ante ſuſceptionem ſacramenti cum voto ipſius juſtificemur per contritionem charitate perfecta, vel ſaltem cum ſufficientibus diſpoſitionibus ad ſacerdotem accedentes, ab eo abſolvamur ritè confeſſi. *R. ad* 2. Pacianum loqui de precibus, quas ſupra pœnitentes, quandiu erant in ordine proſtratorum, fundebant ſacerdotes, manus illi imponendo. Sed omnia confundit Morinus.

ARTICULUS III.

Solvuntur ea quæ proponit adverſarius cap. 9.

NUm. 1. affert Ambroſium lib. 1. de pœnitentia cap. 8. ſed perperam: ibi enim S. Doctor non loquitur de oratione impetrante ex opere operato, qualis debet eſſe omnis oratio, ut ſit forma ſacramentalis, ſed de oratione impetrante tantùm ex opere operantis; nec aliud intendit, quàm Novatianos refellere, qui negabant Eccleſiam orare poſſe pro gravibus peccatoribus. Pro quo,

Nota. Novatiani eodem, quo Montaniſtæ, contra Catholicos pugnabant argumento: Eccleſia non poteſt orare pro gravibus peccatoribus: ergo nec poteſt illos abſolvere non enim poteſt abſolvere à peccatis, quæ Deus non vult remittere. Ant. autem, quod à catholicis negabatur, probabant ex lib. 1. Reg. cap. 2. ubi dicitur, ſecundùm Ambroſianam lectionem: *Si peccaverit homo in hominem orabont pro eo ad Dominum: ſi autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo?*

Ad hunc textum cap. citato duo reſpondet S. Ambroſius. Et 1. quidem ſic: *Non ſcriptum eſt? Nullus orabit pro eo, ſed, Quis orabit pro eo? hoc eſt, quis ille ſit, qui in tali cauſa orare poſſit, quæritur, non excluditur?* 2. ſic, *Quis orabit pro eo? hoc eſt, Singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum, quia quo major culpa, eo majora ſunt quærenda ſuffragia. Non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo, ſed Moyſes rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverunt .... Meritò ergo ſcriptum eſt: Quis orabit pro eo, hoc eſt: Talis qualis Moyſes .. talis qualis Hieremias*. Sed quid inde pro forma deprecativa? Nam neque textus loquitur de oratione impetrante ex opere operato, neque de ea reſpondet Ambroſius, vel, quod hæreticum eſt, & ab ejus mente alieniſſimum, requirit ſanctitatem in miniſtro ad validam gravium peccatorum abſolutionem.

Num. 3. Citat eundem Ambroſium eod. lib. cap. ult. ubi ait; *Satis eſt ad remiſſionem peccati obſecratio, quæ fit à pluribus*. Et lib. 2. cap. ult. ubi dicit: *Fleat pro te Mater Eccleſia, & culpam tuam lachrymis lavet, videat te Chriſtus mœrentem ... amat ut pro uno multi rogent*. Et l. 3. de Spiritu ſancto c. 19. ubi hæc habet: *Cum ipſe Dominus dixerit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt; ecce quia per Spiritum ſanctum peccata donantur. Homines autem in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine peccata dimittuntur. Iſti rogant, divinitas donat: humanum enim obſequium, ſed munificentia ſuperna eſt poteſtatis*.

Ad 1. & 2. textum *R.* 1. Morinum, cùm formam ſuam deprecativam ponit in oratione, quæ ſuper eodem pœnitente fiebat à pluribus, conſtantem eſſe in tenendo ſuo errore de remiſſionem peccatorum olim conceſſa ab Epiſcopo & clero conjunctim. *R.* 2. Ambroſium loqui de orationibus, quæ in decurſu pœnitentiæ ab Epiſcopo & clero fundebantur ſuper capita proſtratorum, antequam impertiretur eis abſolutio ſacramentalis, quam proinde cum orationibus illis malè confundit Morinus. Nunquam à pluribus ſimul idem pœnitens abſolutus eſt ſacramentaliter, adeòque nunquam oratio, à pluribus facta ſuper eodem pœnitente, fuit abſolutio ſacramentalis.

At inquies. Quid ergo ſibi vult Ambroſius, cùm ait obſecrationem, quæ fit à pluribus, ſatis eſſe ad remiſſionem peccatorum? *R.* Ambroſium cap. citato oſten-

oſtendere, non quæ ſit forma ſacramenti Pœnitentiæ, ſed *quibus indulgentia, quibus ſeveritas exhibenda*; & ſenſum ejus eſſe, non quòd per obſecrationem, quæ fit à pluribus, abſolvatur pœnitens, ſed quòd poſt obſecrationem à pluribus pro eo factam, poſſit & debeat abſolvi: unde ſic proſequitur S. Doctor: *Moralis magiſter* (Paulus) *& noſtræ fragilitatis conſcius, & pietatis divinæ interpres, vult donari peccatum, vult conſolationem adhiberi, ne triſtitia pœnitentem tædio longæ dilationis abſorbeat.* Ex hoc vel uno intellige, quanta ſit Morini infœlicitas in aſſequenda Patrum ſententia.

Ad 3. textum *R.* 1. Cùm Ambroſius ait: *Neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine peccata dimittuntur*, non obſcurè innuit hanc abſolutionis formulam, *Abſolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, & ad eam apertè videtur alludere. 2. Cùm dicit, *Iſti rogant, Divinitas donat*, verum dicit: ſemper enim ſacerdotes in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, formulæ ſacramentali, *Ego te abſolvo, &c.* adjunxerunt preces, quibus petebant à Deo, ut pœnitentem abſolveret. 3. Ambroſius non dicit, Iſti rogant tantùm; ſed ſimpliciter, Iſti rogant; quo modo loquendi minimè excluditur uſus formulæ indicativæ: inde nunc verè poſſumus dicere, *Iſti rogant, Divinitas donat*, ſcilicet inſtanti, quo iſti poſtquam rogarunt, cum intentione faciendi ſacramentum, ſententiam abſolutionis pronunciant, & dicunt, *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine, &c.*

Confirmatur reſponſio ex verbis ſubſequentibus: ſic enim proſequitur S. Doctor: *In baptiſmo quoque peccata donari non eſt ambiguum. In baptiſmo autem operatio Patris, & Filii & Spiritus ſancti eſt.* 1. autem dum ait, in baptiſmo operationem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti eſſe, proculdubio alludit ad formam indicativam baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Ergo ſimiliter cùm ante dixit, in ſacramento Pœnitentiæ peccata dimitti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, alluſit ad formam indicativam hujus ſacramenti, *Ego te abſolvo in nomine Patris, &c.*

2. Dum ait, in baptiſmo peccata donari, ſicut donantur in ſacramento Pœnitentiæ, illud, *Iſti rogant, Divinitas donat*, tam baptiſmum adminiſtrantibus, quàm adminiſtrantibus ſacramentum Pœnitentiæ, convenire ſignificat, & tamen tunc temporis baptiſmus adminiſtrabatur per hæc verba, *Ego te baptizo, &c.* Ergo ex eo, quòd de ſacerdotibus ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrantibus dicat, *Iſti rogant, Divinitas donat*, malè concluderetur, ſacerdotes tunc temporis ſacramentum illud non adminiſtraſſe per hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.*

At inquies. Loco citato Ambroſius ſacerdotibus ſubtrahit omnem poteſtatem abſolvendi à peccatis, adeòque non eis relinquit, niſi nudum miniſterium orandi, & petendi à Deo, ut pœnitentem abſolvat: quare cùm dicit, *Iſti rogant, Divinitas donat*, perinde eſt, ac ſi diceret, Iſti tantùm rogant, ut Divinitas abſolvat pœnitentem, &c. *R.* Abſit, ut tanto Doctori tantum errorem impingamus, contrà manifeſtum, quod ipſe agnoſcit, teſtimonium Scripturæ aſſerentis, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Itaque non aliud vult S. Doctor, quàm Deum eſſe cauſam principalem, ſacerdotem verò cauſam inſtrumentalem tantùm remiſſionis peccatorum in ſacramento Pœnitentiæ. & Deum ut cauſam principalem in ſacramento Pœnitentiæ per ſacerdotem ut inſtrumentum ſuum, pœnitentem à peccatis abſolvere; adeòque cùm inſtrumentum operetur in virtute cauſæ principalis, ſacerdotem non propria, ſed Dei, non humana, ſed divina, auctoritate à peccatis abſolvere pœnitentem.

Affert num. 6. Morinus Auguſtinum lib. 3. de bapt. cap. 18. probantem ex verbis Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* per orationes ſanctorum ſpiritualium peccata dimitti in Eccleſia. Et lib. 5. cap. 20. ſic diſſerentem, *Sic ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem ſacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen fiunt, & valent etiam per homicidas.*

Num. 10. affert eundem Auguſtinum ſic loquentem lib. 15. de Trin. cap. 26. *Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? Imò quantus Deus eſt, qui dat Deum? neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum, Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Et inferiùs: *Nos autem accipere quid hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, effundere autem ſuper alios non utique poſſumus, ſed ut hoc fiat, Deum à quo hoc efficitur, ſuper eos invocamus.*

R. S. Auguſtinum ſic locutum eſſe, idem dic de Hieronymo, quem citat adverſarius num. 4. non quòd aliquando ſacramenta omnia forma deprecativa conſtiterint, ſed 1. quia nulla unquam facta fuerunt ſine precibus, quæ præmitterentur eorum confectioni. 2. ut liquet ex 3. loco, ne miniſtris ſacramentorum aliam quàm inſtrumentalem & miniſterialem, reſpectu infuſionis gratiæ, vel remiſſionis peccatorum, aut alteriùs cujuſcumque effectus ſupernaturalis attribuere videretur poteſtatem. 3. Quia ſupponit, ſacramentorum miniſtros cum affectu deprecativo ſacramenta miniſtrare, Itaque ſecundùm Auguſtini mentem, ſacerdos in ſacramento Pœnitentiæ remittit peccata per orationem, & Deus ſacerdotem ſupra pœnitentis caput deprecantem exaudit, quia ſacerdos præces ſupra pœnitentem fundit, quibus orat Deum, ut pœnitenti peccata condonet per ſacramentum à ſe conferendum, & eo deinde cùm orantis affectu ſententiam abſolutionis pronunciante per hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* Deus re ipſa condonat peccata pœnitenti diſpoſito.

Similiter ſecundùm eundem, in ſacramento Confirmationis Epiſcopus orat, Deus verò dat Spiritum ſanctum, & Epiſcopum ſuper oleum deprecantem exaudit, quia Epiſcopus orat Deum ut confirmandis Spiritum ſanctum dare dignetur, & eo deinde cum ſupplicis affectu manum imponente, ſeu frontem inungente, & dicente, *Ego te ſigno, &c.* Deus re ipſa dat Spiritum ſanctum non ponentibus obicem. Item ſecundùm eundem, Deus ſacerdotem ſuper Euchariſtiam deprecantem exaudit, quia ſacerdos, cùm Miſſam celebrat, orat ſuper panem & vinum, quæ conſecraturus eſt, & eo deinde cum ſupplici affectu dicente, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt calix Sanguinis mei*, panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti virtute divina convertitur.

Nota. Nunquam ſacerdotes conſecrarunt, vel conſecrare potuerunt, niſi per hæc verba indicativa ſeu enunciativa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, & tamen phraſi Auguſtiniana ſacerdos deprecando conſecrat, ſive fit Euchariſtiæ conſecratio, quia Deus ſacerdotem deprecantem ſuper panem & vinum exaudit, panem ſcilicet in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti convertendo. Ergo quantùmvis ſupponamus, Epiſcopos nunquam confirmaſſe, vel confirmare potuiſſe, niſi per hæc verba indicativa ſeu enunciativa, *Confirmo te, &c.* adhuc phraſi Auguſtiniana Epiſcopus confirmat orando, confirmat deprecando ſuper oleum, & qui confirmantur, accipiunt Spiritum ſanctum, quia Deus Epiſcopum ſuper oleum deprecantem exaudit.

Similiter quantùmvis ſupponamus, ſacerdotes nunquam abſolviſſe, aut abſolvere potuiſſe, niſi per hæc verba indicativa ſeu enunciativa, *Ego te abſolvo, &c.* adhuc phraſi Auguſtiniana ſacerdos abſolvit per orationem, & pœnitens in ſacramento Pœnitentiæ juſtificatur, quia Deus ſacerdotem ſuper caput pœnitentis deprecantem exaudit. Sic denique ſacerdos phraſi Auguſtiniana baptizat deprecando, & qui baptizatur, regenerationis gratia donatur, quia Deus ſacerdotem ſuper aquam deprecantem exaudit, quantùmvis ſuppo-

namus, baptiſmum nunquam ſine verbis indicativis ſeu enonciativis, *Ego te baptizo, &c.* vel, *Baptizatur N. &c.* adminiſtratum fuiſſe, aut adminiſtrari potuiſſe.

Manifeſtum igitur eſt, Morinum abuti modo loquendi S. Auguſtini, & aliorum Patrum, qui eundem illum loquendi modum adhibent. *At inquis.* Quomodo verè dici poteſt ſacerdos abſolvere orando, ſi non abſolvit, niſi per verba indicativa pronunciando ſententiam abſolutionis? *R. 1.* quærendo, quomodo verè dici poſſit ſacerdos conſecrare deprecando, cùm, ut fide certum eſt, nec conſecret, nec conſecrare poſſit, niſi proferendo hæc verba indicativa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus?* Et tamen phraſi Auguſtiniana ſacerdos deprecando conſecrat.

R. 2. Ad hoc ut ſacerdos verè dici poſſit peccata remittere per orationem, Auguſtino ſufficere, quòd ſacerdos Deum oret pro pœnitente, ut ei peccata condonet, & præmiſſa oratione, atque affectu illo, quo oravit, perſeverante, hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* proferat cum intentione faciendi ſacramentum, & per illud obtinendi id, quod oravit, ſeu, quod idem eſt, cum intentione abſolvendi pœnitentem: ſicut ad hoc, quod ſacerdos verè dici poſſit conſecrare per orationem, Auguſtino ſufficit, quòd ſacerdos conſecraturus oret ſuper panem & vinum conſecrandum, & oratione præmiſſa, atque affectu illo, quo oravit, perdurante, dicat in perſona Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, cum intentione obtinendi à Deo converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſeu, quod idem eſt, cum intentione faciendi ſacramentum Euchariſtiæ.

At inquies. Sacerdos cum affectu deprecantis hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* proferens ex intentione verè abſolvendi, vel orat, vel non. Si primum, hæc formula, *Ego te abſolvo, &c.* deprecativa eſt. Si ſecundum, ſacerdos malè dicitur abſolvere per orationem. Deinde gratis, & ad fugiendam difficultatem ſupponitur ſacerdos hæc verba, *Ego te abſolvo*, proferre cum affectu deprecantis. Denique vel hic affectus ad valorem ſacramenti neceſſarius eſt, vel non.

R. ad 1. Sacerdos proferens hæc verba, *Ego te abſolvo*, cum affectu deprecantis, orat non formaliter, ſed virtualiter & æquivalenter, & hoc ſufficit Auguſtino, ut dicatur abſolvere per orationem, præſertim cùm hoc facit, præmiſſa oratione, qua Deum ut pœnitenti peccata dimittat, deprecatus eſt: ſicut ſacerdos orat non formaliter, ſed virtualiter & æquivalenter, cùm dicit in perſona Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, cum affectu deprecantis, & hoc Auguſtino ſufficit, ut ſacerdos dicatur conſecrare per orationem. Ex dictis autem ſequitur, quòd hæc forma, *Ego te abſolvo*, ſicut & iſtæ, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ſit virtualiter & æquivalenter deprecativa, quòd libenter agnoſcimus.

Ad 2. R. neg. Cùm enim ſciat ſacerdos, ſolius Dei eſſe, auctoritativè peccata remittere (quòd agnoſcit, priùs, quam abſolutionis formulam proferat, orando Deum, ut pœnitenti peccata remittat) & ſe ad hunc effectum miniſterialiter & inſtrumentaliter tantùm concurrere, naturali quadam neceſſitate perſeverat affectus ille, quo Deum pro pœnitente deprecatus eſt, cùm hæc verba, *Ego te abſolvo*, ſubjicit ex intentione abſolvendi pœnitentem, & gratiam juſtificationis illi à Deo obtinendi, à quo ſolo tanquam principali cauſa dependet, quod veriſſimum eſſe negari non poteſt, cùm intentio illa in ſacerdote diſtincta & explicita eſt: unde cùm Auguſtinus, in omni ſacerdote ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrante, talem ſupponat intentionem, rectè ſupponit omnem ſacerdotem poſt orationes, quibus à Deo petit ut pœnitentem abſolvat, cum affectu deprecativo ſubjicere verba indicativa, quibus ſententiam abſolutionis pronuntiat, & miniſterialiter concurrit ad juſtificationem pœnitentis, per ea Deum moraliter determinando ad infundendam gratiam & dona pœnitenti, eique peccata condonanda.

Ad 3. R. Illum deprecantis affectum non requiri ad valorem ſacramenti. non enim magis neceſſarius eſſe poteſt, quàm preces, quæ præmittuntur, & quas Concilium Tridentinum declarat ad validam ſacramenti adminiſtrationem neceſſarias non eſſe: unde valet ſacramentum, etiamſi ſacerdos, omiſſis illis precibus, ſupra pœnitentem ritè diſpoſitum hæc tantùm verba, *Ego te abſolvo, &c.* proferat cum intentione confuſa & generali faciendi quod facit Eccleſia. At Auguſtinus cùm dicit, ſacerdotes abſolvere per orationem, non id, quod abſolutè fieri poteſt, aut etiam aliquando fit, conſiderat, ſed id, quod communiter fit. Communiter autem in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ ſacerdotes præmittunt preces, quibus pro pœnitente ſupplicant Deo, ut cauſæ principali omnis juſtificationis, cujus ſe non niſi miniſteriales ſeu inſtrumentales cauſas eſſe agnoſcunt, unde non poſſunt non affectu deprecativo ſacramentum conficere, illudque ſuppliciter Deo extrenuè offerre, ad obtinendam pœnitenti diſpoſito peccatorum veniam, quam ſemper & infallibiliter obtinent ex opere operato ſacramenti.

Num. 7. ſic loquitur Morinus: *Mihi videtur deduci clariſſimè ex ſermone S. Auguſtini de muliere peccatrice, qui eſt 23. in libro 50. homiliarum, ſacerdotes peccatorum abſolutionem non donaſſe indicative ſecundum hanc formulam, Abſolvo te, vel Dimitto tibi peccata: eò quod ſi ejuſmodi formula ab Eccleſia, ſaltem Africana, uſurpata fuiſſet, totum S. Auguſtini argumentum corruiſſet, nec ulla eſſe potuiſſet ſic argumentandi vel leviſſima occaſio.*

Hoc autem ut probet, num. 8. affert verba S. Doctoris ad illud Chriſti Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit*, ita diſſerentis: *Medicus bonus ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, Ego juſtifico, Ego ſanctifico: Ego ſanum quemcumque baptizo, ex ipſo munere & iſti ſunt, qui dicunt, Noli me tangere.*

Eodem num. 8. ſic pergit Morinus: „ Poſtea comparat (Auguſtinus) formulam, qua ejuſmodi homines utebantur in danda peccatorum remiſſionem, „ cum ea, qua Chriſtus uſus eſt, dum putaretur homo, „ atque ex iſta comparatione iſtorum hominum „ inſolentiam arguit. *Judæi dixerunt:* (verba ſunt „ Auguſtini) *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Audet ſibi homo hoc uſurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico. Reſpondeat illi, Non ego, ſed Chriſtus. O homo! quando a Judæis putatus ſum homo, remiſſionem peccatorum fidei dedi. Non ego, reſpondet tibi Chriſtus: O hæretice! tu cum ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio. Ego cum putarer homo, dixi: Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit.*

Poſt hæc S. Doctoris verba proſequitur adverſarius in hunc modum: *An potuiſſet* (Auguſtinus) *eos arguere, quod dicerent, Dimitto tibi peccata, ſi Auguſtinus ipſe, & univerſi ſacerdotes catholici eundem loquendi modum in eadem cauſa uſurpaſſent? Non videtur probabile. Ut quid Chriſti modeſtiam iis objicit, dicentis: Remittuntur tibi peccata, fides tua ſalvam te fecit, non autem Remitto tibi peccata, vel Salvam te facio, ſi Auguſtinus ipſe quotidie eodem cum illis hæreticis loquendi modo peccata remittens uteretur .... Non agit tantum* (Auguſtinus) *de ſenſu verborum, Ego dimitto, ego ſanctifico, ſed de ipſo loquendi modo, qui pravum hunc ſenſum poteſt inducere, quem dicit Chriſtum non uſurpaſſe .... inſaniam* (hæreticorum illorum) *refrænat improbatione formulæ, qua in remittendis peccatis utebantur. Improbationis autem argumentum præcipuum eſt, quòd ea Chriſtus, quanquam poſſet, uti noluerit, ſed humilius dixerit,* Remittuntur tibi, &c.

Denique num. 9. ſic loquitur Morinus: *Nobis præterea examinandum eſt argumentum, quo probabant, ſe hoc loquendi modo legitimè uti. Reſpondent,* inquit Auguſtinus, *& dicunt: Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt quod ait Chriſtus,* Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo. *Quid reſpondet Auguſtinus huic argumento, ut oſtendat eos nihilominus de-*

cere

Digitized by Google

cere non debere, Ego dimitto, ego abſolvo? Reſpondent Chriſtum hoc dixiſſe, quia Spiritum ſanctum daturus erat hominibus, qui peccata remittit, & Deus eſt ..... Ideò igitur reprehendit indicativè in prima perſona iſta enunciantes, quia hac occaſione ſe jactabant remiſſionis peccatorum auctores, non Spiritus ſancti miniſtros. Quod certè nunquam feciſſet, ſi eodem loquendi genere in eadem cauſa uteretur.

Reſp. Hìc Morinus, omni veriſimilitudine poſthabita, omnem induſtriam ponit in corrumpendo loco, quo vel uno opprimitur, & totum ejus ſyſtema de forma deprecativa duodecim prioribus ſæculis uſitata exſufflatur. Vidit hæreticos, contra quos diſputat Auguſtinus hoc loco, errandi occaſionem ſumpſiſſe ex uſu formarum indicativarum in adminiſtrandis Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramentis, & rem adeò manifeſtam eſſe, ut negari nullo pacto poſſit: quare ut qualicumque modo evadat, & ſyſtemati ſuo conſulat, ita agnoſcit tempore Auguſtini ſacramenta illa adminiſtrata fuiſſe per formas indicativas, ut ſimul aſſerat ab illis tantùm hæreticis, quos Auguſtinus reprehendit, non autem à catholicis, id factitatum eſſe.

Hoc ut probet, in omnem partem verſat ſeſe, ut oſtendat Auguſtinum in hæreticis illis non ſolùm errorem, ſed etiam formulas illas, ex quibus errandi occaſionem ſumpſerant, improbaſſe & impugnaſſe; & addit, argumentum, quo adverſus hæreticos illos utitur ſanctus Doctor, corruere, ſi ſupponatur uſum formularum indicativarum tunc temporis in Eccleſia catholica receptum fuiſſe. At hoc utrumque evidenter falſum eſt, ſcilicet & quòd Auguſtinus in hæreticis, contra quos hìc diſputat, uſum formularum indicativarum improbet, & quòd argumentum, quo adverſus eos utitur, non valeat ex ſuppoſitione, quòd Eccleſia catholica tunc temporis ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ per verba indicativa, *Ego te baptizo, Ego te abſolvo*, adminiſtraret.

At inquit, Disertè Auguſtinus opponit formulam, qua Chriſtus uſus eſt in abſolvenda muliere peccatrice, formulis quibus hæretici illi utebantur in adminiſtradis ſacramenti Baptiſmi & Pœnitentiæ. *Reſp.* hìc ſupponi duo evidenter falſa; & primò quidem falſum eſt, quòd Chriſtus in abſolvenda muliere peccatrice verborum formulam adhibuerit. Certè ſi quam adhibuit, vel his verbis, *Dimittuntur tibi peccata tua*, vel iſtis, *Fides tua te ſalvam fecit*; continetur. At neutrum dici poteſt ſine manifeſta abſurditate. Non ſecundum; cùm enim Chriſtus dixit, *Fides tua te ſalvam fecit*, jam peccata remiſſa erant mulieri. Non primum; nam his verbis, *Dimittuntur peccata tua*, Chriſtus uſus eſt, non ut formula, qua peccata remitteret, ſed ut ſigno externo, quo ſignificaret internum voluntatis ſuæ actum, quo pœnitenti mulieri peccata condonabat.

Secundò etiam falſum eſt, quòd his verbis, quæ tanquam hæreticorum illorum, quos impugnat S. Doctor, *Ego peccata dimitto, Ego juſtifico, Ego ſanctifico, Ego ſano quemcumque baptizo*, loco citato referuntur, exprimantur formulæ, quibus hæretici illi baptiſmum & Pœnitentiam adminiſtrabant, ut evidenter oſtendunt iſta, *Ego ſano quemcumque baptizo*, quæ manifeſtè ſunt hominis extra baptiſmi collationem ſuperbè venditantis ſeſe ut auctorem juſtificationis, & cauſam principalem remiſſioni peccatorum, quæ datur ſuſcipienti ſacramentum. Auguſtinus igitur non formulam formulæ ſacramentali, ſed tantùm verba, quibus modeſtiam ſuam exprimebat Chriſtus, verbis, quibus hæretici errorem ac ſuperbiam ſuam exprimebant, opponit. Perperam igitur ac falsò dicitur Auguſtinus in hæreticis, quos refellit, improbare modum adminiſtrandi ſacramenta per formas indicativas. Quid ergo improbat in illis? Errorem ac ſuperbiam, & ſi vis, modum illum loquendi, quo ſeſe importunè jactabant, & ſibi, quod ſolius Dei eſt, inſolenter attribuebant, nihilque præterea.

At, inquit Morinus, Auguſtini adverſùs hæreticos illos argumentum nullius momenti eſt, niſi ſupponatur, ſolos illos hæreticos formis indicativis uſos eſſe in adminiſtratione ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ. *R.* hoc eſſe apertiſſimè falſum: Auguſtinus enim contra hæreticos illos argumentatur, 1. ex facto & exemplo Chriſti, mulieri non dicentis, Dimitto, ſed, *Dimittuntur tibi peccata tua*, & hanc dimiſſionem ejus fidei attribuentis, *Fides tua te ſalvam fecit*. 2. Ex verbis ejuſdem Chriſti, Matth. cap. 18. *Accipite Spiritum ſanctum*, junctis verbis Apoſtolis, 1. Cor. cap. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Et ejuſd. epiſt. cap. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo?* Atqui manifeſtum eſt, Auguſtinum hoc utrumque medium contra hæreticos, quos refutat, efficaciter adhibere potuiſſe, quantumlibet ſupponatur cum aliis catholicis ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ adminiſtraſſe per formas indicativas: quidni enim potuiſſet?

Et verò ſi quis nunc hæreſim illam, contra quam pugnabat Auguſtinus, ex inferis excitaret, & diceret: *Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo*, an non quilibet in Eccleſia catholica, in qua Baptiſmus & Pœnitentia per verba indicativa, *Ego te baptizo, Ego te abſolvo*, adminiſtrantur, Epiſcopus hæreticum illum poſſet refellere, & efficaciter refellere verbis Auguſtini: *Reſpondeat illi: Non ego, ſed Chriſtus. O homo, quando à Judæis putatus ſum homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedi, non ego. Sed reſpondet tibi Chriſtus: O hæretice, tu cum ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio. Ego cùm putarer homo, dixi: Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit.*

An non deinde ſic poſſet ratiocinari cum eodem Auguſtino? *Ut hoc evidenter oſtenderet Dominus, à Spiritu ſancto quem donavit fidelibus ſuis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco ſic ait, reſurgens à mortuis:* Accipite Spiritum ſanctum; *& continuo ſubiecit:* Si cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei: *hoc eſt: Spiritus dimittit, non vos. Sed audi Spiritum.* Quid eſtis vos? Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Et iterum:* Neſcitis quia corpora veſtra templum eſt Spiritus ſancti, quem habetis à Deo? *Deus ergo habitat in templo ſuo, hoc eſt, in Sanctis fidelibus, in Eccleſia ſua per eos dimittit peccata, quia viva templa ſunt. Sed qui dimittit per hominem, poteſt dimittere & præter hominem: neque enim minus eſt idoneus per ſe dare, qui poteſt per alium dare, &c.*

Hoc porrò textu S. Auguſtinus ex laudatis Scripturæ locis contra illos ſui temporis hæreticos, qui ex his Scripturæ verbis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, pravè intellectis, colligebant ſe propria & humana, non divina auctoritate peccata remittere, infert Spiritum ſanctum, qui Deus eſt, eſſe cauſam principalem remiſſionis peccatorum, & ut cauſam principalem peccata remittere per homines, ut cauſas miniſteriales & inſtrumentales, quibus ad hunc effectum utitur, adeòque hoc inter Spiritum ſanctum & homines intereſſe diſcrimen, quòd Spiritus ſanctus ſine hominibus poſſit, homines verò ſine Spiritu ſancto non poſſint peccata remittere, quia ſcilicet in operando inſtrumentum à cauſa principali dependet, non viciſſim cauſa principalis ab inſtrumento.

Jam verò in hypotheſi à nobis facta, an non idem quod Auguſt. & eadem efficacia ex allegatis ab Auguſt. Scripturæ locis inferre poſſemus contra antiquæ illius, quam refellit S. Doctor, hæreſeos inſtauratorem? Omninò; & tamen nunc Eccleſia univerſa Baptiſmum & Pœnitentiam adminiſtrat per formas indicativas. Manifeſtum igitur eſt perperàm ac falsò Morinum aſſerere, quòd Auguſtini adverſùs hæreticos, de quibus agitur, argumentum corruat, ſi ſupponatur Auguſtinus cum catholicis, iiſdem quibus hæretici illi utebantur formulis, uſus eſſe in adminiſtratione Baptiſmi & Pœnitentiæ. His autem præſuppoſitis, ſic

Argumentor. Hæretici, contra quos diſputat Auguſtinus

guſtinus in citata homilia, errandi occaſionem ſumpſerunt ex uſu formularum indicativarum in adminiſtrandis Baptiſmo & Pœnitentia. Ergo tunc temporis Baptiſmus & Pœnitentia adminiſtrabantur per formas indicativas. Atqui nullum planè fundamentum eſt aſſerendi quòd ſic adminiſtrarentur à ſolis illis hæreticis. Ergo planè dicendum eſt ſic adminiſtrata fuiſſe in Eccleſia catholica. Ergo quòd Eccleſia catholica duodecim prioribus ſæculis in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ formam deprecativam adhibuerit, purum Morini figmentum eſt. Antecedens admittit Morinus ipſe, & proculdubio admittit, quia negare non potuit. Et verò hæretici illi in adminiſtrando v. g. Pœnitentiæ ſacramento, non utebantur forma deprecativa: ex forma enim deprecativa nullatenùs errandi occaſionem ſumere potuerunt. Nam qui dicit, v. gr. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, hoc ipſo diſertè agnoſcit Chriſtum ut cauſam ſaltem primariam remiſſionis peccatorum, ſe verò ad ſummum ut cauſam miniſterialem & inſtrumentalem. Conſequentia evidenter ſequitur ex antecedente.

Subſumptum patet ex dictis hactenùs. Et verò ſi quæ fundamenta ſunt aſſerendi, quòd ſacramenti Baptiſmi & Pœnitentiæ à ſolis illis hæreticis per formas indicativas adminiſtrarentur, certè ea ſunt, quæ affert Morinus, videlicet, 1. quòd Auguſtinus non ſolùm errorem hæreticorum illorum, ſed etiam formulas ex quibus errandi occaſionem ſumpſerant, impugnet. 2. Quòd vis & efficacia argumenti, quo contra illos utitur Auguſtinus, ſupponat Auguſtinum & alios catholicos à modo conferendi ſacramenta per verba indicativa abhorruiſſe. Atqui hoc utrumque fundamentum falſum eſſe, & à Morino confectum, evidenter oſtenſum eſt.

Confirmatur. Nam 1. hæc formula, *Ego te abſolvo*, vel convenit inſtitutioni Chriſti, vel non. Si primum, qua veriſimilitudine dici poteſt Auguſtinus tantus Doctor, eam ut arrogantem, exemplo & verbis Chriſti contrariam, & inductivam ad errorem reprobaſſe? Si ſecundum, quare Concilia generalia, Florentinum & Tridentinum, in ea formam ſacramenti Pœnitentiæ conſtituunt? At Concilia in hoc nec errarunt, nec errare potuerunt. Ergo hæc formula, *Ego te abſolvo*, convenit inſtitutioni Chriſti, adeòque gravem injuriam facit Auguſtino, qui contendit ab eo formulam hanc reprobatam fuiſſe ut arrogantem, exemplo, &c. neque ab eo, niſi reprobata hac formula, hæreticos, contra quos diſputat, efficaciter oppugnari potuiſſe: quaſi verò abuſum illius non potuerit, niſi illa damnata, damnare. Quotidie hæretici ex Scriptura occaſionem arripiunt errandi, & ejus auctoritate errores ſuos ſtabilire conantur: num idcircò reprobamus Scripturam, aut non poſſumus, niſi reprobata Scriptura, qua hæretici abutuntur, errores eorum efficaciter impugnare?

Gratis igitur & abſque omni fundamento contendit adverſarius, ſolos illos hæreticos, quos exagitat Auguſtinus, uſos eſſe formula indicativa in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ, quod validiſſimè confirmari poteſt ex eo, quòd ex doctrina Morini ſequatur, Eccleſiam catholicam tandem aliquando, repudiata formula ab Apoſtolis accepta, & plurimorum ſæculorum uſu confirmata atque conſecrata, formulam adoptaſſe, à ſolis olim hæreticis frequentatam, à catholicis olim reprobatam ut arrogantem, contrariam exemplo & verbis Chriſti, & ad errorem inductivam; atque hoc feciſſe ex mera inconſtantia: cùm nulla poſſit aſſignari cauſa probabilis, ob quam neceſſe fuerit, aut expedierit, formæ deprecativæ indicativam ſubrogari; quod planè ſingulare eſt, & prorſus incredibile. Ex hoc igitur Auguſtini loco, quem pro ſe allegat Morinus, ſufficientiſſimè colligimus, in Eccleſia catholica ſacramentum Pœnitentiæ ſæculo quinto adminiſtratum fuiſſe per hæc verba indicativa, *Ego te abſolvo*, Ergo, &c.

Num. 11. affert Leonem Magnum dicentem epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ: *Sufficit illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam ſacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit*. Et Epiſt. 91. ad Theodorum aſſerentem, Deum præſidia ſuæ bonitatis ordinaſſe, *ut indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri*. *R.* S. Leonem ſic locutum eſſe, tum quia ſacerdos in ſacramento Pœnitentiæ preces, quibus pro pœnitente orat, præmittit abſolutioni ſacramentali; tum quia non ſine deprecantis affectu, quo priùs oravit, non profert indicativam abſolutionis formulam; tum denique ne peccatorum remiſſionem ſacerdoti tanquam cauſæ primariæ attribuere videatur.

Hanc S. Leonis auctoritatem opponit ſibi S. Thomas 3. p. q. 84. art. 3. in 2. & ad eam ſic reſpondet: *Verbum Leonis eſt intelligendum quantùm ad deprecationem, quæ præmittitur abſolutioni, non autem removet quin ſacerdotes abſolvant* (per formam indicativam, Ego te abſolvo, cujus convenientiam probat hoc articulo S. Doctor.) Idem reſpondet Durandus, lib. 4. diſt. 22. qu. 2. ad 1. *Verbum Leonis Papæ*, inquit, *intelligendum eſt non de forma abſolutionis, quæ eſt indicativa, ſed de verbis deprecativis, quæ ſacerdos præmittit*. Idem Dominicus Sotus in 4. ſententiarum diſt. 14. art. 3. §. *Eſt nihilominùs*; & alii deinceps Doctores Scholaſtici, qui ſcripſerunt ante Morinum, quem primum omnium germanum Patrum ſenſum attigiſſe, quis credet? Hunc porrò loquendi modum, quo uſi ſunt antiquiores Patres, cùm de abſolutione ſacramentali loquerentur, uſurparunt deinceps multis ſæculis Scriptores eccleſiaſtici, vel Concilia, cùm egerunt de ſacramento Pœnitentiæ. Unde ex dictis apparet reſponſio ad textus quos allegat adverſarius ſequentibus numeris uſque ad 22. incluſivè.

Num. 24. Abſolutionem indicativam rarò uſitatam fuiſſe ante medium ſæculum decimum-tertium evidenter demonſtrare ſibi videtur ex verbis Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi, dicentis cap. 19. de ſacramento Pœnitentiæ: *Neque more judicum forinſecorum pronunciat confeſſor, Abſolvimus te, non condemnamus, ſed magis orationem facit ſuper eum* (pœnitentem) *ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat*. *Reſp.* ex his Guillelmi verbis nihil certò colligere poſſe Morinum pro ſua forma deprecativa, & dico Guillelmum hìc duo tantùm aſſerere, nempe 1. confeſſores in ſua Eccleſia non abſolvere more judicum ſæcularium per verba indicativa in plurali numero, *Abſolvimus te*, ſed per formam indicativam in ſingulari, *Abſolvo te*, qui modus ſententiam pronuntiandi modeſtior eſt, & minorem habet emphaſim, adeòque magis decet confeſſorem, qui remiſſionis peccatorum tantùm eſt cauſa miniſterialis & inſtrumentalis. 2. Confeſſores non pronuntiare ſententiam per formam indicativam in ſingulari numero, niſi præmiſſis orationibus ſuper pœnitentem, *ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat*. Bonitas hujus reſponſionis patet ex Alexandro Halenſi p. 4. qu. 21. memb. 1. in O. ubi apertè ſupponit verbis jam aliàs citatis ſacerdotes in Eccleſia catholica adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ, precibus quibus pro pœnitente orant Deum, ſubjungere formam indicativam, qua ſententiam pronuntiant. Alexander autem Guillelmi æqualis & familiaris fuit.

Num. 28. citat Franciſcum Mayronem in 4. diſt. 14. q. 1. ubi ad hunc quorumdam abſolvendi modum, *Abſolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*, ſic reſpondet ad 3. *Dicendum quòd ſic fiebat in provincia Provencia, ſed improbata fuit iſta forma*. Sed ſi verum eſt Morini ſyſtema, quærimus quomodo aut quare in provincia Provenciæ improbata fuerit formula, juxta Morinum ad ſacramenti valorem ſufficiens, nec recens inducta, ſed, poſtquam duodecim prioribus ſæculis in univerſa Eccleſia frequentata fuerat, ſæculo decimo-tertio ſine intermiſſione continuata? Sed

Qua-

Quare improbata fuerit, dicere poſſumus ex ipſo Mayrone, cujus hæc verba paulò inferiùs refert Morinus: *Tamen videretur quod ſicut Græci baptizant ſub hac forma, Baptizetur ſervus Chriſti Nicolaus: ita videtur quòd non eſſet inconveniens in confeſſione taliter abſolvere. Quia tamen Sacramentalia ſunt ſtricti juris, ideo non debent immutari.* Quare ergo, juxta Mayronem, improbata fuit præfata formula deprecativa aliquantò poſt initium ſæculi decimi-tertii in Provencia à quibuſdam uſurpata? Quia Sacramentalia ſunt ſtricti juris, & ideò non debent, immutari. Improbata igitur fuit formula illa, quia nova & recèns contra perpetuum & conſtantem uſum Eccleſiæ intruſa; cùm tamen ea omnia, quæ ad ſacramentorum perfectionem attinent, ſint ſtricti juris, & idcircò non debeant immutari, adeòque forma indicativa, quam ſemper adhibuit Eccleſia in ſacramento Pœnitentiæ, in deprecativam commutari non debuerit, germanus hic eſt Mayronis ſenſus, in quo diſſimulando fruſtrà Morinus laborat.

ARTICULUS IV.

Solvantur ea, quæ objicit adverſarius, c. 10. & 11.

1. Affert Ordinem Romanum, in quo deſcribitur ritus reconciliandi pœnitentes feria quinta in Cœna Domini, & ex quo apparet, omnia orationibus peracta eſſe, nec niſi precibus pœnitentes reconciliatos fuiſſe.

Reſp. Reconciliationem pœnitentium, quæ fiebat feria 5. in Cœna Domini, & cujus ritum deſcribit Ordo Romanus, non fuiſſe ſacramentalem, ſeu non fuiſſe abſolutionem à peccatis, ſed publicam & ſolemnem abſolutionem ab excommunicatione pro foro externo.

Probatur ex ipſo Ordine Romano, in quo dicitur: *Tunc egreditur pœnitens è loco, ubi pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ* (adverte, *egreditur pœnitens*, non ut abſolvatur à peccatis; jam enim à ſacerdote aliquo, qui confeſſionem ejus audivit, ab eis privatim abſolutus eſt, ſed *ut gremio, &c.*) Et inferiùs: *Ab Archidiacono reddantur Epiſcopo* (pœnitentes) *& ab Epiſcopo reſtituantur Eccleſiæ gremio, proſtrato omni corpore in terram.* Unde Epiſcopus dicebat in oratione 6. *Præſta quæſumus Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſia tua ſancta, à cujus integritate deviarunt peccando, admiſſorum veniam conſequendo, reddantur innoxii.* Et in 9. *Eccleſiæ tuæ purificatos reſtitue, ac tuo altari repræſenta, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſi, una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur.* Et in 10. *Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut his famulis tuis, longo ſquallore pœnitentiæ maceratis, miſerationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejecti fuerant, mereantur introire.* Et in 17. *Redeant* (oves) *ad unitatem Eccleſiæ, & .... gaudeant ſe paterno receptas eſſe convivio.*

Sic igitur qui pœnitentiam publicam egerant, & toto pœnitentiæ tempore à cæteris fidelibus ſeparati, & communione Euchariſtica privati jacuerant, poſt ſacramentalem abſolutionem ab aliquo ſacerdote, puta à proprio Parocho, privatim acceptam, publicè & ſolemniter ab Epiſcopo reſtituebantur Eccleſiæ, & ad communionem Euchariſticam admittebantur eo ritu, quem habet Ordo Romanus. Quod confirmari poteſt ex duplici codice manuſcripto, quem utrumque exſcribit Morinus in calce operis ſui. Primus eſt Abbatiæ ſancti Victoris ad urbem, in quo dicitur: *Semper manuatim pœnitentes à plebejanis preſbyteris Archidiacono, ab Archidiacono reddantur Epiſcopo, & ab Epiſcopo reſtituantur Eccleſiæ gremio.* Secundus eſt, quem Dionyſianum vocat Morinus, & in quo hæc leguntur: *Poſt hæc erecti pœnitentes offerantur à preſbyteris Epiſcopo, & ipſe eos reconciliet Eccleſiæ.* In hoc autem utroque loco agitur de publica reconciliatione pœnitentium, quæ fiebat feria 5. in Cœna Domini.

Validè etiam confirmatur ex eo, quòd orationes omnes, quæ in Ordine Romano ad publicam illam pœnitentium reconciliationem, ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini faciendam attinent, & ſunt novemdecim, communes ſint; cùm fiant omnes in plurali numero: unde apparet pœnitentes, non ſingillatim ſingulos, ſed omnes ſimul & communiter ritu illo, quem habet Ordo Romanus, fuiſſe ab Epiſcopo reconciliatos. Quòd autem pœnitentes publici, quorum ſæpè contingebat magnum eſſe numerum, omnes ſimul & communiter abſolverentur ab excommunicatione pro foro externo, cùm jam eſſent pro foro interno ſingulatim ab ea abſoluti, non fuit inconveniens, & facilè creditur. At verò quòd ſic omnes ſimul & communiter abſolverentur à peccatis, prorſus eſt incredibile.

Præterea non poterat Epiſcopus pœnitentes publicos ſic à peccatis abſolvere communiter, quin antea integram ſingulorum confeſſionem audiviſſet: quòd autem antea ſingulorum confeſſionem integram audiviſſet, præſertim cùm illi erant magno numero, nec legitur, nec ulla ratione, quæ ſit alicujus momenti, probari poteſt. Denique plebejani illi preſbyteri, de quibus loquuntur codices manuſcripti ſupra citati, videntur fuiſſe proprii pœnitentium parochi, qui quos poſt peractam ab illis pœnitentiam, privatim abſolverant à peccatis & ab excommunicatione, manuatim offerebant Epiſcopo ad publicam, & ſolemnem reconciliationem.

At inquies. Si orationes illæ novemdecim, quæ extant in Ordine Romano, non ordinantur ad abſolutionem ſacramentalem, nihil habet hic Ordo de abſolutione ſacramentali, data pœnitentibus publicis poſt actam pœnitentiam, & ita dici poterit, quòd pœnitentes publici olim, acta pœnitentia, ſine abſolutione ſacramentali reconciliarentur Eccleſiæ, & ad ſacram menſam admitterentur, quod certè abſurdum eſt.

Reſp. neg. ſeq. Nam novemdecim illas orationes, quæ in Ordine Romano pertinent ad ſolemnem pœnitentium reconciliationem cum Eccleſia ab Epiſcopo faciendam, tres aliæ ſubſequuntur, quibus præfixus eſt hic titulus, *Abſolutio ſingularis*, quaſque dicimus, ab interpolatore ad calcem rejectas eſſe, & pertinere ad ſacramentalem abſolutionem, quam privatim & ſingulatim accipiebant pœnitentes, antequam cum Eccleſia ſolemniter reconciliarentur ab Epiſcopo, adeòque anteponendas fuiſſe his verbis ejuſdem Ordinis: Tunc egreditur pœnitens (ſingularis numerus hic eſt pro plurali, ut patet ex ſubſequentibus) de loco, ubi pœnitentiam geſſit, &c.

Porrò hiſce tribus orationibus præfixus eſt hic titulus, Abſolutio ſingularis, non quòd illis re ipſa pœnitens abſolveretur ſacramentaliter, ſed quia ex parte ad ipſum pœnitentem diriguntur, & per illas quaſi præludebat ſacerdos abſolutioni ſacramentali, verbis indicativis proximè ſubſecuturæ, ut manifeſtum fit ex ſecunda, in qua ſacerdos ait: *Frater N. Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis; Quæcumque ligaveritis ſuper terram ..... ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, &c.* Et ex tertia, in qua ſacerdos dicit: *Frater N. abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum per invocationem ſacrati nominis Dei & per miniſterium noſtrum percipere merearis, &c.* Nam ſacerdos non ſic orabat, niſi quia per verba indicativa, vel in ſingulari numero, dicendo, *Abſolvo te*, vel in numero plurali, dicendo, *Abſolvimus te in nomine Patris, &c.* Proximè pronunciaturus erat ſententiam, qua ſuum judicis miniſterium pœnitenti exhiberet, & ſic pœnitens per miniſterium ejus abſolveretur ſacramentaliter.

At inquies. Quòd novemdecim illæ orationes, quas habet Ordo Romanus, ordinarentur ad abſolutionem ſacramentalem, manifeſtum videtur ex penultima,

tima, quæ, ſicut ultima, hunc præfert titulum, *Abſolutio pluralis*, & in qua ſic orabat Pontifex: *Dominus Jeſus Chriſtus, qui dignatus eſt diſcipulis ſuis dicere: Quæcumque ligaveritis ,..... ipſe vos largiflua pietatis ſuæ dono, ac mea ſimul parvitatis miniſterio abſolvere dignetur ab omnibus fragilitatis veſtra exceſſibus, interiùs exteriùſque humanitùs contractis, Amen..... Veſtrorum peccaminum maculas miſericorditer non dedignetur emundare*, *&c.* Certè hæc verba: *Mea parvitatis miniſterio*, relativa ſunt ad indicativa, quæ ſequenti & ultimæ orationi ſubjuncta ſunt: *Nos etiam ſecundum auctoritatem nobis indignis à Deo commiſſam, abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, ut mereamini habere vitam æternam*, *&c.* Quibus manifeſtè videtur contineri formula ſacramentalis.

Reſp. Pontificem hac penultima, ſicut & ultima oratione, 1. non oraſſe pro mortalibus, à quibus jam privatim abſoluti erant pœnitentes, ſed tantùm pro venialibus, quæ pœnitentibus poſt ſacramentalem mortalium abſolutionem ſupereſſe poterant. Patet ex his verbis: *Omnibus fragilitatis veſtra exceſſibus, interiùs exteriùſque humanitùs contractis*. 2. Oraſſe pro venialibus, quæ pœnitentibus in ſacramento Pœnitentiæ juſtificatis ſupererant, remittendis, non ſacramentaliter & ex opere operato, ſed extra ſacramentum & ex opere operantis Eccleſiæ; ut

Prob. Ex S. Thoma opuſ. 22. cap. 2. ubi de adverſario ſuo loquens, ſic ait: *Ad hoc inducit, quod in quibuſdam abſolutionibus, quas Eccleſia facit in Prima & in Completorio, ante Miſſam, & poſt prædicationem, ſecundum morem Romana Eccleſia, & in die Cinerum, & Cœna Domini, non fit abſolutio per orationem indicativam, ſed deprecativam. In quo miror eum non advertere, quod hujuſmodi abſolutiones non ſunt ſacramentales, ſed ſunt quædam orationes, quibus dicuntur venialia peccata dimitti.* Idem docet 3. part. quæſt. 84. art. 3. ubi hanc ſibi proponit objectionem: *In quibuſdam abſolutionibus, quæ in Eccleſia publicè fiunt, ſicut in Prima & Completorio, & in Cœna Domini, abſolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat*, Ego vos abſolvo, *ſed oratione deprecativa, cum dicit:* Miſereatur veſtri, &c. & ad eam ſic reſpondet: *Hujuſmodi autem abſolutiones in publico facta, non ſunt ſacramentales, ſed ſunt orationes quædam ordinata ad remiſſionem venialium peccatorum.*

Præfatæ igitur orationes non ordinabantur ad abſolutionem ſacramentalem impertiendam pœnitentibus poſt actam pœnitentiam, ſed tantùm mortalibus jam per Pœnitentiæ ſacramentum remiſſis, ad obtinendam applicatione ſuffragiorum Eccleſiæ, venialium quæ ſupererant remiſſionem. Quare verba indicativa ſupra relata non continebant formam ſacramentalem, qua pœnitentes ſacramentaliter abſolverentur à peccatis, pro quibus pœnitentiam egerant, ſed formam, qua pœnitentes, jam privatim in foro interno abſoluti ab excommunicatione, ab ea publicè abſolvebantur pro foro externo, imò & qua veriſimiliter abſolvebantur ab omni reatu pœnæ temporalis, per peccata, de quibus pœnitentiam egerant, contracto. Quidni enim dici poſſit, quòd Pontifex per verba illa indicativa, pœnitentibus pœnitentia publica perfunctis, & à peccatorum reatu ſacramenti virtute liberatis, plenariam concederet indulgentiam, ſeu id quod pœnæ temporalis pro peccatis condonatis luendæ poſt exantlatos pœnitentiæ publicæ labores fortaſsè ſupereſſet, condonaret? Quod

Probari poteſt ex eo, quòd Pontifex non dicebat: Abſolvimus vos ab omnibus delictis veſtris, ſed dicebat: *Abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum*, hoc eſt, ab omni vinculo ex delictis veſtris à vobis contracto, qualis eſt reatus pœnæ temporalis, quæ reatu culpæ, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum ſublato, imò & impleta ſatisfactione à ſacerdote impoſita, ordinariè luenda ſupereſt.

Ii itaque, qui ob crimina publica ex neceſſitate, vel etiam ob occulta ex devotione pœnitentiam publicam egerant, poſt peractam pœnitentiam privatim à peccatis abſoluti à ſacerdotibus ſeu propriis parochis, qui integram horum confeſſionem exceperant, feria 5. in Cœna Domini offerebantur Pontifici, qui ſolemniter eos reconciliabat Eccleſiæ, eiſque jus communicandi reſtituebat, atque ſic Eccleſiæ reconciliatis, & ad communionem Euchariſticam habilitatis extra ſacramentalem venialium remiſſionem, quoad poterat, concedebat, ut ſic cum majori puritate ad ſacram menſam accederent; quin etiam veriſimiliter omnem eis reſiduam pœnam temporalem, venialibus illis & aliis antea per ſacramentum remiſſis debitam, condonabat virtute clavium.

Porrò ex dictis hactenùs patet reſponſio ad id quod affert Morinus n. 5. ex Alcuino in libris de officiis divinis cap. de Cœna Domini. Et num. 6. ex S. Gregorio in lib. ſacramentorum, ubi habet tantùm orationes pro reconciliatione pœnitentis facienda ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini; loquuntur enim Gregorius & Alcuinus tantùm de pœnitentibus publicis, & eorum, poſtquam privatim abſoluti fuerunt ſacramentaliter, publica cum Eccleſia reconciliatione Epiſcopo reſervata.

Ad id quod eodem n. 6. addit ex Grimaldo Abbate in Sacramentario Gregoriano à ſe recenſito, in quo reconciliationem pœnitentis ad mortem ſic docet eſſe faciendam: *Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo ſqualore pœnitentia macerato, miſerationis tua veniam largiri digneris; ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire.* *Reſp.* 1. Gregorium apud Abbatem illum loqui tantùm de pœnitente publico, qui ante peractam pœnitentiam in lethalem morbum incidit, & morti proximus eſt. 2. Gregorium non agere de modo reconciliandi pœnitentem illum Deo per abſolutionem ſacramentalem, ſed de modo pœnitentem illum, Deo jam à ſacerdote, cui confeſſus eſt, reconciliatum, reconciliandi Eccleſiæ, & reſtituendi in jus percipiendi ſacramentum Euchariſtiæ, antequam licitè poſſit ei viaticum adminiſtrari.

Prob. Ex his verbis: *Ad regalem menſam, unde ejectus eſt*, *&c.* Et ex eo quòd, cùm nec Epiſcopus, nec ſacerdos aliquis adeſſe poterat, hac oratione pœnitentem reconciliabat diaconus, à quo tamen pœnitens nec abſolvebatur, nec abſolvi poterat ſacramentaliter, quantumvis contrarium nitatur probare Morinus cap. 23.

Num. 7. affert Haligarium Cameracenſem Epiſcopum, & num. 8. & 9. Burchardum, qui cùm agunt de reconciliatione pœnitentis facienda à ſacerdote per abſolutionem ſacramentalem, nullam habent formulam indicativam, ſed orationes tantùm, quibus ſacerdos Deum rogat, ut pœnitenti peccata condonet. *Reſp.* Scriptores illos exſcripſiſſe orationes, quas recitare debebat ſacerdos partim ante, partim poſt formulam indicativam, qua pœnitentem abſolvebat: cùm enim orationes illæ plures eſſent, nec breves, non poterant eas ſacerdotes niſi ex ſcripto diſcere memoriter, & poſtquam didicerant, niſi identidem illas relegendo, memoria retinere. At formula indicativa abſolutionis breviſſima eſt, & ſemel auribus excepta addiſcitur, & impoſterum nullo negotio memoria retinetur: quare illam ab allegatis ſcriptoribus referri, minimè neceſſarium fuit: unde mirum videri non debet, quòd eam non referant, præſertim cùm illam non invenerint exſcriptam in antiquis, quos exſcribebant, pœnitentialibus libris, in quibus prudenter ſuppreſſa fuerat, ne ſi caſu aliquo hi libri venirent in manus prophanorum, eorum ludibrio exponeretur excellens illa, quamvis relatè ad Deum miniſterialis tantùm & inſtrumentalis, poteſtas remittendi peccata, hominibus à Deo conceſſa.

Hanc porrò œconomiam in Ritualibus & Pœnitentialibus omnibus, vel penè omnibus, ad mille ſaltem & quadringentos annos ſervatam eſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Joannes Gerſon in opuſculo ſuper abſolutione confeſſionis ſacramentalis, in quo hæc legun-

leguntur : *Ad tertium quod quæris, unde tot varietates in forma iſta abſolutionis? Reſp. Quod ex ignorantia, vel negligentia ſufficienter inquirendi quæ agenda ſunt circa ſacramenta. Sed cur plus inquiris circa iſtam formam, quàm circa alias? Reſponſio una eſt, quia aliæ formæ dicuntur publicè, & inveniuntur ſcriptæ* (Pontificalibus, ſcilicet, vel Ritualibus) *ſicque leguntur. Hic autem* (in tribunali pœnitentiæ) *occultè & abſque libris & arbitris fit negotium. Poteſt & alia ratio dari, quia actus confeſſionis, & abſolutionis eſt quidam actus judicialis. Ubi videtur ſufficere, quod ſacerdos judex explicet ſententiam ſuam quibuſcumque verbis* (ſupple, modò tamen indicativa adhibeat : formam enim indicativam neceſſariam eſſe, diſertè docet Gerſon.)

Unde ergo tanta tempore Gerſonis in abſolutionis formula varietas? Nam ut ex ipſo Gerſone intelligitur, alii dicebant, & quidem rectè, Ego abſolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, &c. alii, & quidem ad valorem ſacramenti ſufficienter, Ego abſolvo te à peccatis tuis; alii, Abſolvo te à peccatis contritis; alii, Abſolvo te à peccatis confeſſis & oblitis; alii, Abſolvo te à peccatis tuis, in quantum poſſum; alii, Abſolvo te à peccatis tuis, in quantum debeo. Item unde aliquibus videbatur, ſacerdotes pro arbitrio validè & licitè uti poſſe quibuſcumque verbis indicativis, ſententiam abſolutionis ſufficienter exprimentibus? Quia nondùm eo tempore circumferebantur Ritualia, vel Pœnitentialia, in quibus exſcripta eſſet abſolutionis formula.

Cap. 11. Inſiduus propè eſt Morinus in allegandis manuſcriptis Ritualibus, Sacramentariis, & Pœnitentialibus, quæ nihil habent præter orationes, cùm agunt de reconciliatione pœnitentis feria 5. in Cœna Domini; de reconciliatione pœnitentis ad mortem, & de reconciliatione pœnitentis poſt confeſſionem privatam, niſi quòd aliqua poſt annum milleſimum exarata, aliquid indicativum adjungunt formæ deprecativæ, ſeu orationibus illis, quibus juxta Morinum pœnitens abſolvebatur. Sed miſeret nos Morini, qui tantùm olei & operæ perdiderit in evolvendis illis manuſcriptis. Nam

1. Cùm agunt de reconciliatione pœnitentis, facienda ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini, agunt de cæremonia purè eccleſiaſtica, ut ſatis ſuperque conſtat ex dictis ſupra. 2. Cùm agunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem, vel loquuntur de pœnitente publico, & tunc præſcribunt cæremoniam purè eccleſiaſticam, qua pœnitens, nondùm peracta pœnitentia, morti proximus, & ideircò ſtatim abſolutus ſacramentaliter, reconciliabatur Eccleſiæ, antequam viaticum acciperet : vel loquuntur de quolibet alio moribundo; & tunc tantùm afferunt orationes, quas ante vel poſt abſolutionem ſacramentalem recitare debebat ſacerdos. 3. Cùm agunt de reconciliatione pœnitentis poſt confeſſionem privatam, ſimiliter afferunt orationes à confeſſario recitandas ante, vel poſt abſolutionem ſacramentalem, dandam per formulam indicativam, quam prætermittunt, & quia prætermiſſa juſtiſſimas ob cauſas fuerat ab aliis antiquioribus, & quia cùm breviſſima ſit, à confeſſariis omnibus ex auditu diſci, & facillimè retineri poterat.

Certè non magis dici poteſt ſacerdos olim ſacramentaliter abſolviſſe per orationes illas, quibus ſuprà pœnitentem orabat, audita ejus confeſſione, quàm per alias ſimiles, quibus, ut videre eſt in Ritualibus & Pœnitentialibus, quæ à Morino in calce operis edita ſunt, orabat ſuper pœnitentem, vel antequam confeſſionem ejus exciperet, dicendo v. gr. *Reſpice ſuper hunc famulum tuum N. peccata & facinora ſua confitentem, veniamque illi donare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, &c.* (Pag. 29. col. 2.) Vel cùm Miſſam pro ſibi confeſſo cantabat, dicendo v. g. *Ne ſit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio; ſana vulnera illius, ejuſque remitte peccata, &c.* (Pag. 30. col. 2.) Et poſtquam pœnitens communicaverat : *Purificent nos, quæſumus Domine, ſacramenta, quæ ſumpſimus, & famulum tuum N. ab omni culpa liberum eſſe concede, &c.* (Pag. 31. col. 1.) At quis credet Morino aſſerenti ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis olim adminiſtraſſe ſacramentum Pœnitentiæ cantando?

Denique lectori vult illudere Morinus, cùm ait, in aliquibus Eccleſiis poſt annum milleſimum formæ deprecativæ adjectum eſſe aliquid indicativum, quod tamen ex uſu & ſententia Eccleſiarum illarum ad ſacramenti ſubſtantiam non pertinebat : illud enim indicativum, vel imperativum indicativo æquivalens, quod in aliquibus ex iis, qui in calce operis ſui Morinus edidit, Pœnitentialibus invenitur, ubi agitur de reconciliatione pœnitentis poſt privatam confeſſionem, eſt ipſiſſima formula, qua pœnitens à ſacerdote abſolvebatur ſacramentaliter, præmiſſis orationibus, in quibus ſacramentalem abſolutionem perperam ponit Morinus.

Itaque pœnitentem ſacramentaliter abſolvit ſacerdos in Pœnitentiali Egberti, cùm ait : *Sis namque abſolutus à Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ..... & à me quamvis indigno, & hic & in futuro ſæculo, Amen. Sis abſolutus à Deo*, deprecativum eſt; *Sis abſolutus à me*, imperativum. (Pag. 19. col. 2.) Quæ formula huic noſtræ æquivalet, *Dominus noſter, &c.* & *Ego te abſolvo, &c.* Item in Pœnitentiali Tutonenſi, cùm ait : *Abſolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum, & quidquid pro eis mereris oramus, &c.* (Pag. 44. col. 2.) Item in Pœnitentiali Victoriano, cùm ait : *Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit, & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Dominus .... omnibus peccatis tuis indultor.* (Pag. 50. col. 2.)

Nec dic à nobis ſuprà negatum eſſe, quòd hæc verba *Abſolvimus te vice B. Petri, &c.* contineant formulam ſacramentalem : hoc enim tantùm negamus, ubi agitur de reconciliatione pœnitentium publicorum publicè facienda ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini, quia hæc reconciliatio erat cæremonia purè eccleſiaſtica, & ſupponebat pœnitentes privatim à ſacerdotibus, qui integram eorum confeſſionem exceperant, ſacramentaliter abſolutos. At loco proximè citato agitur de reconciliatione pœnitentis poſt confeſſionem ſacramentalem à ſacerdote privatim faciendam, quæ reconciliatio fiebat per ſacramentalem abſolutionem.

Dices denique. Si in manuſcriptis proximè allegatis ſacerdos pœnitentem abſolvit, non per orationes, ſed per verba citata, non una, & eadem in omnibus Eccleſiis fuit abſolutionis formula, adeoque non unum, & idem fuit in omnibus Eccleſiis Pœnitentiæ ſacramentum, quod eſt abſurdum.

Reſp. Antequam Eccleſiæ Romanæ formula : *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, &c.* obtineret in univerſa Eccleſia, non unam & eandem grammaticaliter formulam abſolvendi fuiſſe adhibitam in omnibus Eccleſiis particularibus : videtur enim, quòd in aliis ſacerdotes adhibebant modum imperativum, directum, non ad Deum, ſed ad ipſum pœnitentem, dicendo, v. grat. *Sis abſolutus à me*; alii modum indicativum in plurali numero, dicendo, *Abſolvimus te*; alii modum indicativum in numero ſingulari, dicendo, *Abſolvo te* : ſed hæc diverſitas grammaticalis tantùm erat, imò & fortaſſè in aliquibus Eccleſiis liberum relinquebatur ſacerdotibus, ut ex iis formulis qua vellent uterentur, & ſolùm oretenùs generaliter admonebantur, ut ſententiam pronunciarent per verba, quibus ſignificarent, ſe pœnitentem abſolvere; qualia non poſſunt eſſe verba deprecativa : qui enim orat ſuper pœnitentem, petit ut pœnitens abſolvatur, non ſignificat ſe illum abſolvere, ut ait S. Thomas 3. part. quæſt. 84. art. 3. ad 1.

Conjecturam hanc, quòd olim in aliquibus Eccleſiis non fuerint ita determinata verba, quibus uti tenerentur ſacerdotes in abſolvendis pœnitentibus, & liberum illis fuerit quæ vellent adhibere, modò

tamen

tamen per ea abſolutionem ut actum judicialem exprimerent, adeoque modum indicativum, vel imperativum, indicativo æquivalentem adhiberent; ſic tamen ut commodiùs, ſicut & convenientiùs, dicerent: *Ego te abſolvo, &c.* hanc, inquam, conjecturam confirmat Scotus, cùm ait in 4. diſt. 14. quæſt. 4. *Poteſt ſacramentum Pœnitentiæ dici ſacramentum judiciale, vel judicium ſacramentale .... & ex hoc patet ratio, quare non eſt neceſſe, eſſe ita præciſè verba in iſto ſacramento, ſicut in baptiſmo, vel Euchariſtia; quia ſufficit, quòd exprimatur actus ſententiæ abſolventis, ſicut & in judicio publico non oportet eſſe limitata verba. Ait unus de Theodoro Martyre, Jubeo ignibus tradi. Alter de Cypriano ſancto, Gladio animadverti placet. Communiter tamen iſta verba ſunt apta:* Ego te abſolvo, *quæcumque alia præmittantur, vel conſequantur, ſecundùm diverſam conſuetudinem in diverſis Eccleſiis.* Ad hoc etiam pertinet, quod dicit Gerſon loco ſupra laudato: *Poteſt & alia ratio dari, quia, &c.*

ARTICULUS V.

Solvuntur ea, quæ opponit Morinus cap. 12.

HOc cap. Morinus contendit, formam abſolutionis deprecativam fuiſſe prioribus ſæculis, nec poſteà talem eſſe deſiiſſe in Eccleſia Græca: ita ut, juxta Morinum, etiam nunc presbyteri Græci validè abſolvant ſine forma indicativa, & tantùm orando ſuprà pœnitentem ſibi confeſſum, ut Deus ei peccata remittat. Ad hanc doctrinam

Reſp. neg. Quòd prioribus ſæculis abſolutionis formula deprecativa fuerit in Orientali Eccleſia, & dico, ſicut in Occidentali, ita & in Orientali Eccleſia indicativam ſemper fuiſſe. At, inquit Morinus, in Euchologio edito, & aliis vetuſtiſſimis manuſcriptis, ubi agitur de abſolvendo pœnitente, nihil habetur præter orationes, quibus ſacerdos petit à Deo, ut pœnitenti condonet peccata.

Reſp. In Euchologiis Græcorum exſcriptas fuiſſe orationes illas, non ut per eas abſolveretur pœnitens, ſed ut adjungerentur formulæ indicativæ, qua pœnitens abſolvebatur, & quæ ſicut in Latinorum, ita & in Græcorum antiquis Ritualibus & Pœnitentialibus juſtas ob cauſas, quas ſupra attigimus, prætermiſſa eſt, propter quas cauſas utraque Eccleſia olim judicavit ſufficere, ſi viva voce ſacerdotibus traderetur indicativa illa abſolutionis formula, quæ aliundè, cùm breviſſima ſit, ſine ſcripto diſci & memoria retineri potuit; vel etiam fortaſsè judicavit ſufficere, ſi viva voce admonerentur ſacerdotes, ut in abſolvendo pœnitente adhiberent verba indicativa, quibus abſolutionem per modum actus judicialis exprimerent.

At inquit idem. Neoterici Græci, ut Nicolaus Cabaſilas, & Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha, in primo reſponſo ad Lutheranos formulam abſolutionis conſtituunt in orationibus, quibus ſacerdos Deum deprecatur, ut pœnitentem abſolvat. *Reſp.* Si ita eſt, ſilentium Euchologiorum fuit illis occaſio errandi.

At inquit idem. S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, in explicatione verborum liturgiæ: *Hoc eſt corpus meum*, non ab his verbis, quæ indicativa ſunt, ſed ab orationibus, quæ illis adjunguntur, ſacramentalis operationis virtutem trahit, vel, ut Morinus ſe verbis involvens, ait: „ Quotidianam iſtorum verborum (Hoc eſt Corpus meum) energiam „ à verbis Chriſti, & Spiritus S. promiſſione petit, „ quem Apoſtolorum & ſucceſſorum precibus perpetuò affuturum pollicitus eſt. Verba S. Germani ſunt: *Præterea nulla fidelibus de ſanctificatione donorum dubitatio ſupereſt, neque de aliis ſacramentis, an ſecundum propoſitum & preces ſacerdotum compleantur.* Quibus verbis S. Germanus apertè omnem operationem ſacramentalem attribuit orationi, adeoque formæ deprecativæ.

Reſp. En Morinus non obſcurè S. Germano craſſum impingit errorem, nempe quòd panis conſecratio fiat non per hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, quæ profert ſacerdos in perſona Chriſti, cum intentione faciendi ſacramentum, ſed per preces, quas illis adjungit, & quibus orat, ut panis in Corpus Chriſti convertatur. Sed hoc à S. Germani mente alieniſſimum eſt: verbis enim citatis S. Germanus non aliud dicit, quàm panem & vinum ſanctificari ſeu conſecrari ſecundùm intentionem & preces ſacerdotis, qui Miſſam celebrat, quod verum eſt: nam ſacerdos, cùm Miſſam celebrat, intendit panem in Corpus Chriſti convertere; & antequam dicat, *Hoc eſt Corpus meum*, orat ut fiat hæc converſio, quæ re ipſa fit virtute horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, ſtatim atque ea profert, ſicque ſecundùm intentionem & preces ejus, fit panis conſecratio, ſicut adhuc facta fuiſſet, etiamſi preces illas omiſiſſet.

Similiter in ſacramento Pœnitentiæ juſtificatio peccatoris completur ſecundùm propoſitum & preces ſacerdotis, non quòd peccator abſolvatur à peccatis per orationem, ſeu per formam deprecativam, ſed quia ſacerdos intentionem habet peccatorem ſibi confeſſum abſolvendi, & ad hunc effectum Deum deprecatur, ut ratam habeat abſolutionis ſententiam, quam mox pronunciaturus eſt, & quæ ſtatim atque per verba indicativa pronunciatur, Deum moraliter determinat ad gratiam infundendam, & remittenda peccata peccatori contrito & confeſſo, qui proinde abſolvitur, & juſtificatur ſecundùm propoſitum, & preces ſacerdotis. Hic eſt genuinus Germani ſenſus: ſed ea eſt Morini indoles, vel infœlicitas, ut etiam ea, quæ plana ſunt, in alienum ſenſum detorqueat.

At, inquit Morinus, Moderni Græci utuntur forma deprecativa, qualis eſt iſta: *Dimitte, remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua eſt potentia, & tuum regnum, Patris, &c.* Et cum hac formula validè abſolvunt.

Reſp. Non omnes modernos Græcos uti forma deprecativa, ſed multos indicativam adhibere, quamvis major pars ex ignorantia deprecativam tantùm adhibeat, ut locuples teſtis eſt Arcudius concordiæ, lib. 4. cap. 3. Ex iis autem qui formam indicativam adhibent, alii, nempè ſimplices presbyteri, dicunt: *Habeo te venia donatum*; alii verò, nempe Epiſcopi, dicunt in tertia perſona: *Mea mediocritas habet te venia donatum*; qui modi loquendi idem apud Græcos ſignificant, quod apud Latinos, Do tibi veniam, Mediocritas mea dat tibi veniam, ut ſentit & probat idem Arcudius, homo græcus, & in nativa ſua lingua verſatiſſimus, cui proinde potiùs auſcultandum eſt, quàm Morino contra cavillanti & reclamanti.

Porrò à formulis illis verborum tenùs tantùm differunt iſtæ: *Divina gratia ſanctiſſimi Spiritus per me peccatorem & minimum ſervum ſuum habet condonata quæcumque peccaſti: Gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum & abſolutum:* Quarum primam cum aliqua tamen depravatione, quam omittimus, Arcudius accepit à quodam Nicephoro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archidiacono, dignitate & officio protoſyncello, homine non indocto: ſecundam verò tradit Gabriel Philadelphienſis Epiſcopus in libello de Sacramentis.

At, inquit Morinus, Gabriel ille non conſtituit in verbis citatis formam ſacramenti Pœnitentiæ: nam ſic loquitur: *Forma pœnitentiæ eſt poteſtas à Servatore noſtro conceſſa ſolis ipſis ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis, quam tradentes univerſæ terræ Epiſcopis, mutua & ſibi ſuccedente traditione operari juſſerunt .... ideò legitimi ſanctæ exomologeſis adminiſtri peccatori ad eos venienti dicunt: Gratia ſanctiſſimi Spiritus, &c.* Forma igitur Pœnitentiæ, inquit Morinus, ex ipſius ſententia eſt poteſtas à Chriſto data remittendi peccata. Quibus autem verbis enuncietur & applicetur, non explicat.

Reſp. Hic hæret Morinus in plano: nam juxta Gabrielem, quare ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis

dicunt:

dicunt : *Gratia ſanctiſſimi Spiritus* ? .... Quia Apoſtoli univerſæ terræ Epiſcopis juſſerunt, ut per ſe, vel ſimplices presbyteros, poteſtatem remittendi peccata à Chriſto datam exerceant circa pœnitentes. Ergo juxta Gabrielem, ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis dicunt : *Gratia ſanctiſſimi, &c.* ut circa illos exerceant poteſtatem remittendi peccata à Chriſto datam, & per Apoſtolos traditam univerſæ terræ Epiſcopis, cum obligatione illam per ſe vel per presbyteros adjutores ſuos exercendi. Ergo juxta Gabrielem, ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis dicunt : *Gratia ſanctiſſimi, &c.* ut eos à peccatis abſolvant. Ergo juxta noſtrum, qui proprius eſt, loquendi modum, apud Gabrielem in his verbis : *Gratia ſanctiſſimi, &c.* conſiſtit forma ſacramenti Pœnitentiæ.

At inquit Morinus. Verba illa, *Gratia ſanctiſſimi Spiritus, &c.* ad abſolutionem peccati referri non poſſunt. Nego. *Probat.* 1. Ubique ſemper Græci in cauſa ſacramentorum tertia perſona verbi ſignificantis actionem ſacramentalem utuntur, nunquam ipſius participio. Verbi gratia, in omnibus ordinationibus dicunt : *Divina gratia ...., promovet hunc N. reverendum ſubdiaconum in diaconum*, vel, *diaconum in presbyterum*. 2. Participium præteritum ad formam ſacramenti planè ineptum eſt : cùm enim hæc forma ſit effectiva rei petitæ, in præſenti enunciari debet, aut ſaltem deprecativè, Deo ſimul cum oratione ſacerdotis effectum producente. Atqui in præfata formula adhibetur participium præteritum ; in ea enim dicitur : ἔχει συγκεχωρημένον, ἢ λελυμένον.

Ad 1. *Reſp.* 1. Nequidem verbum actionem ſacramentalem ſignificans, à Græcis adhiberi in omnibus ſacramentis : nam confirmant per has voces : *Signaculum donationis Spiritus ſancti*, & conſecrant per iſtas : *Hoc eſt Corpus meum*. 2. Græci dicunt quidem in omnibus ordinationibus : *Divina gratia promovet*, at æquè poſſent dicere : *Divina gratia habet promotum*, & æquè valeret ordinatio, ſi dicerent. Quidni ergo pariter poſſent indifferenter dicere : *Gratia ſancti Spiritus te abſolvit*, vel, *Gratia ſancti Spiritus habet te abſolutum per me*, & utroque loquendi modo verè abſolvere ?

Ad 2. *Reſp.* Neg. *Ad prob. Reſp.* Hanc formulam, *Gratia ſancti Spiritus habet te abſolutum*, ad ſignificare tempus præſens, & per participium præteritum tam ſignificari poſſe, ope verbi auxiliaris, actionem præſentem, vel etiam futuram, quàm præteritam, ſicut per participium præſentis temporis tam poteſt ope verbi auxiliaris ſignificari actio præterita vel futura, quàm præſens. Sic cùm dicitur, Qui hoc facit, excommunicatus eſt, perinde eſt, ac ſi diceretur, Excommunicatur ipſo facto. Cùm dicitur, Si quis hoc fecerit, ſit excommunicatus, perinde eſt, ac ſi diceretur, Ipſo facto excommunicabitur. Cùm dicitur, Fuit amans, actionem præteritam ; cùm dicitur, erit amans, actionem futuram ſignificat to amans, quod eſt præſentis temporis participium.

Hic igitur modus loquendi : *Habeo te venia donatum & abſolutum* ; *Mediocritas mea*, vel, *Gratia ſancti Spiritus per mediocritatem meam habet te, &c.* Eſt atticiſmus, quia per participium præteriti cum verbo auxiliari præſentis temporis, prima, vel tertia perſona verbi, actionem præſentem ſignificantis, eleganter redditur ; & cùm ſacerdos græcus ſupra pœnitentem ſibi confeſſum ſic loquitur, perinde eſt, ac ſi diceret, Te abſolvo, & veniam tibi do, Mediocritas mea veniam tibi dat, & abſolvit te, &c.

Multi igitur ex modernis Græcis utuntur forma indicativa, ut pœnitentes abſolvant, quod confirmat Arcudius, 1. Ex duabus abſolutionibus ſcripto datis à duobus Patriarchis Antiochenis in hanc formam : *Mediocritas noſtra habet venia condonatum ſpiritualem filium ſuum, &c.* 2. Ex libro Ruſſorum idiomate manuſcripto, in quo hanc legit abſolutionis formulam : *Ab omnibus peccatis, quæcumque nunc coram me indigne confeſſus es, liberum te faciat* (Deus,) *ego quoque pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi à Deo & ſuperioribus conceſſa, abſolvo te ab omnibus peccatis tuis. Det ergo tibi Deus, ut in hoc, & in futuro ſæculo irreprehenſibilem te ſiſtas judicio ejus, qui eſt benedictus in ſæcula.*

Addimus, in his verbis : *Habeo te venia donatum & abſolutum*, vel, *Mediocritas mea*, aut, *Gratia S. Spiritus per mediocritatem meam habet te venia donatum & abſolutum*, in Orientali Eccleſia conſiſtere veram abſolutionis formulam : ita, ut Græci verba tantùm deprecativa adhibentes, ut pœnitentes ſibi confeſſos abſolvant, non plus efficiant, quàm efficeret Latinus, qui ſupra pœnitentem ſibi confeſſum recitaret tantùm orationes, quæ ſolent præmitti his verbis : *Ego te abſolvo, &c.* & hæc verba omitteret. Quod breviter

Prob. 1. Ex ipſo Morino. Juxta Morinum, c. 18. num. 2. Immutabiles ſunt formæ Sacramentorum, & ubique terrarum eædem penitus in quibuslibet Eccleſiis. Ergo forma ſacramenti Pœnitentiæ prorſus eadem nunc eſt in utraque, Orientali, ſcilicet, & Occidentali Eccleſia. Atqui forma ſacramenti Pœnitentiæ indicativa eſt in Eccleſia Latina : ergo & in Græca. Subſumptum patet ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. ubi definitum eſt, formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his miniſtri verbis : *Ego te abſolvo, &c.* Et hæc verba manifeſtè indicativa, ſeu enunciativa ſunt, non verò deprecativa, ut contra omnem veriſimilitudinem, & verecundiam contendit Morinus.

2. Ex Tridentino : nam cùm ſeſſ. 14. cap. 3. ſimpliciter docet, formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his miniſtri verbis : *Ego te abſolvo, &c.* Certè declarat inſtitutionem Chriſti. Atqui inſtitutio Chriſti una & eadem eſt pro omnibus Eccleſiis. Ergo forma ſacramenti Pœnitentiæ tam pro Eccleſia Græca, quàm pro Latina, poſita eſt in his miniſtri verbis : *Ego te abſolvo, &c.*

At inquies. Non obſtante Tridentini definitione, miniſter validè abſolvet, etiamſi non dicat : *Ego te abſolvo*, modò utatur verbis æquivalentibus. *Reſp.* Ita eſſe : unde Græcus validè abſolvit, ſi cum intentione abſolvendi dicat : *Habeo te venia donatum & abſolutum*, vel, *Mediocritas mea habet te venia donatum, &c.* vel, *Gratia ſancti Spiritus per me*, aut, *per mediocritatem meam habet te, &c.* Secùs verò, ſi tantum dicat, v. g. *Ipſe Domine, dimitte, remitte, condona, &c.* ut ſupra. Ratio eſt, quia hæc formula ſignificationem habet ſubſtantialiter diverſam ſignificatione iſtius : *Ego te abſolvo, &c.* ut ſuo loco demonſtratum eſt, adeòque ei æquivalere non poteſt.

Num. 7. Objicit nobis Clementem VIII. in inſtructione ſuper ritibus Græcorum, quam anno 1595. edidit, & in qua ſic loquitur : *In caſu neceſſitatis presbyteri Græci catholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur formula abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſteà ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus abſolutionis dicere tantùm conſueverunt.* „ Conſtat igitur, inquit Morinus, formam abſolutionis Græ- „ cis hodiernis uſitatæ, eſſe tantùm deprecativam. „ Validam autem eſſe illam abſolutionem, ex eodem „ decreto manifeſtè colligitur, cùm Græcos ſacerdo- „ tes catholicos ad formam Latinam tantùm adſtrin- „ gat, dum aliquo neceſſitatis caſu contingit eos La- „ tinorum confeſſiones audire. Cùm igitur Græco- „ rum confeſſione audiunt, eos cum forma ſua de- „ precativa validè poſſunt abſolvere. „

Reſp. Majorem Græcorum partem uti forma abſolutionis deprecativa, jam Morino conceſſimus, & adhuc facilè concedimus ; ſed negavimus, & adhuc negamus illos cum tali forma validè abſolvere. Eos autem validè abſolvere poſſe cum tali forma, fruſtrà nititur colligere adverſarius in decreto Clementis VIII. Falſum enim eſt, quòd Clemens VIII. Græcos ſacerdotes catholicos ad formam indicativam adſtringat ſo-

lùm

tùm pro caſu neceſſitatis, quo contingit eos Latinorum confeſſiones audire; ſed ſimpliciter & abſolutè adſtringit, adeòque pro omni caſu, ſive Latinorum, ſive Græcorum confeſſiones audiant: nam ſimpliciter & abſolutè dicit: *Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta*. Verbis laudatis tria facit Clemens. 1. Græcis ſacerdotibus catholicis dat licentiam abſolvendi Latinos in caſu neceſſitatis. 2. Simpliciter & abſolutè prohibet illis, ne ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrent ſine forma abſolutionis indicativa. 3. Permittit eis, ut ſi velint, formæ abſolutionis indicativæ adjungant orationem illam, quam pro abſolutionis forma dicere tantùm conſueverunt.

Clementis igitur decreto opprimitur Morinus, & ex eo apertè colligimus, formam Græcorum deprecativam inſufficientem eſſe ad validam ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem: nam ſi ſufficeret, Clemens VIII. Græcis ſacerdotibus catholicis nec prohibuiſſet, immò nec rationabiliter prohibere potuiſſet, ne impoſterum ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrarent ſine forma abſolutionis indicativa.

Confirmatur ex aliis ejuſdem decreti verbis: *Inſuper idem ſanctiſſimus Dominus noſter conſtituit Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum catholicum, qui Græcos, Epiſcopis Latinis Italiæ & inſularum adjacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id tantùm concedendis, ritu Græco ordinet. Ita Sanctitas ſua ex ſententia Congregationis ſuper reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit.* Quare autem Clemens vult, ut Græci catholici, etiam ii, qui Epiſcopis Latinis ſubjecti ſunt, ab Epiſcopo Græco ordinari poſſint ritu græco, & non permittit Græcis ſacerdotibus catholicis, ut ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrent ritu apud Græcos communiter recepto? Certè nulla alia ratio afferri poteſt, quàm quòd judicet, Græcos hac formula, *Divina gratia hunc N. promovet, &c.* Cum ſola manuum impoſitione validè ordinare; invalidè verò abſolvere cum ſola oratione illa, qua petunt à Deo, ut pœnitenti ſibi confeſſo peccata condonentur. Sed ut demus adverſario id totum, quod poſſumus, ſic

Argumentor. In reformatione Græcorum Clemens VIII. nihil immutavit in ritu, quo Sacramenta adminiſtrabant, excepto Pœnitentiæ ſacramento, pro quo præſcripſit eis uſum formæ indicativæ, liberum eis relinquendo, ut ei adjungerent, vel non adjungerent orationem illam, quam pro forma abſolutionis dicere tantùm conſueverant. Ergo ſaltem Clemens VIII. judicavit dubium eſſe ſacramentum Pœnitentiæ, collatum apud Græcos ſub hac forma, *Dimitte, remitte, &c.* Nam vel hoc ſaltem judicavit, vel ſine ſufficienti cauſa, adeòque irrationabiliter, quod dici non poteſt, coegit Græcos catholicos, ritu ſuo relicto, ritum Latinum deinceps adhibere in hujus ſacramenti adminiſtratione. Certè niſi hoc ſaltem judicaſſet, circa modum, quo ſacramentum hoc adminiſtrabant Græci catholici, nil prorſus immutaſſet, ſicut nil prorſus immutavit circa modum, quo adminiſtrabant alia ſacramenta, quia de valore aliorum ſacramentorum, ritu græco collatorum, minimè dubitavit. Hoc præſuppoſito,

Sic diſcurro. Inter Græcos alii abſolvunt cum hac tantùm formula: *Domine Deus, dimitte, remitte, &c.* alii cum iſta, *Habeo te venia donatum, & abſolutum*, vel, quod idem eſt, *Mediocritas mea*, aut, *Gratia ſancti Spiritus per mediocritatem meam habet te venia, &c.* Quæritur, quænam ex his duabus formulis ſit vera abſolutionis forma apud Græcos. Primam aſſerit Morinus, nos cum Arcudio ſecundam dicimus, & ex d. breviter demonſtramus. Sacramentum Pœnitentiæ apud Græcos collatum ſub prima formula, ſaltem dubium eſt, ut conſtat ex decreto Clementis VIII. collatum verò ſub ſecunda, certum eſt: nam ut oſtenſum eſt, ſecunda ſaltem in græca lingua eandem planè ſignificationem habet, quam formula Latinorum, *Ego te abſolvo, &c.* adeòque ei planè æquivalet. Ergo non prima, ſed ſecunda omninò cenſenda eſt vera apud Græcos forma abſolutionis. Quod adhuc

Juvat confirmare, vel potiùs demonſtrare hoc argumento. Si prima formula eſſet vera abſolutionis forma apud Græcos, adeòque ſufficeret apud Græcos ad validam ſacramenti adminiſtrationem; ſacerdos latinus, non quidem licitè, ſed validè ſacramentum adminiſtraret, dicendo tantùm, *Domine Deus, dimitte, remitte, &c.* Sicut enim Epiſcopus Latinus validè poteſt, quamvis non poſſit licitè, ordinare ritu græco, ſufficiente ad validam ordinationem in Eccleſia Græca; ita ſacerdos Latinus validè poteſt, quamvis licitè non poſſit, abſolvere ritu græco, ad validam abſolutionem in Eccleſia Græca ſufficiente; quod certè negare non poteſt Morinus, qui ex profeſſo docet, materias & formas Sacramentorum immutabiles eſſe, & eaſdem ubique pro omnibus Eccleſiis: unde ulteriùs ſequitur, quòd ſacerdos Latinus validè abſolveret, quamvis omitteret hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* ſed tantùm diceret, v. g. hanc orationem, *Miſereatur tui, &c.* quæ manifeſtè æquivalet orationi Græcorum, *Domine Deus, dimitte, remitte, &c.* At quòd ſacerdos Latinus poſſit validè abſolvere per orationem, manifeſtè repugnat Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. Ergo, &c.

Ex dictis apparet, veram abſolutionis formam in Eccleſia Græca nunquam fuiſſe deprecativam: nam ſi nunc non eſt, nunquam fuit, ut agnoſcit adverſarius, cùm ait, Græcos à principio hactenùs eadem ſemper uſos eſſe forma abſolutionis. Certè dici non poteſt, abſolutionem modo deprecativo datam, poſt ſæculum duodecimum nullius valoris eſſe cœpiſſe apud Græcos, eò quòd apud illos poſt tempus illud formula deprecativa in indicativam commutata ſit, talis enim metamorphoſeos nullum extat veſtigium, & eam disertè rejicit Morinus.

At inquies. Ex hoc ſemper ſupereſt ſcrupulus: nam ſi vera abſolutionis forma non conſiſtit apud Græcos in oratione, qua ſacerdos petit à Deo, ut pœnitenti ſibi confeſſo peccata condonet, Euchologia non habent formam ſacramenti Pœnitentiæ, cùm tamen habeant formas aliorum ſacramentorum, de quibus agunt, Baptiſmi ſcilicet, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ unctionis. *Reſp.* Euchologia, quæ extant, non habere formam ſacramenti Pœnitentiæ, quia eam non habuerunt, quæ prima fuerunt edita, ſicut nec eam habuerunt antiqua Ritualia Latina; quæ tamen, ſicut Euchologia Græcorum, habuerunt formas aliorum ſacramentorum, Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ unctionis.

Ratio videtur eſſe, quia prima Euchologia apud Græcos, & antiqua Ritualia apud Latinos condita ſunt eo tempore, quo formæ ſacramentorum vivâ tantùm voce tradebantur iis, à quibus erant miniſtranda, nec ſcripto mandabantur ſine urgente aliqua neceſſitate. Formam autem ſacramenti Pœnitentiæ ſcripto mandari neceſſe non fuit, cùm in utraque Eccleſia, Latina & Græca, eſſet omninò eadem, & ſacerdotes ubique gentium dicerent: *Abſolvo te*, quare ſatis fuit, quòd in Euchologiis Græcorum, & Ritualibus Latinorum exſcriberentur orationes, verbis illis indicativis præmittendæ, quæ cùm plures eſſent & prolixæ, vix ac ne vix quidem memoria retineri poterant, aut certè non poterant niſi ex ſcripto diſci memoriter.

Aliud autem eſt de formis aliorum quatuor ſacramentorum: nam aliæ ſunt in Eccleſia Græca, & aliæ in Eccleſia Latina, quamvis non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tantùm: Græci enim baptizant dicendo: *Baptizatur N. ſervus Chriſti, &c.* Latini verò dicendo: *Ego te baptizo, &c.* Græci confirmant dicendo: *Signaculum donationis Spiritus ſancti*; Latini verò dicendo, *Signo te ſigno, &c.* & olim ſaltem dicebant, *Confirmo te, &c.* Græci ordinant dicendo: *Divina gratia, quæ, &c. promovet N. in diaconum, in presbyterum, in Epiſcopum*, & pro materia adhibendo ſolam impoſitionem manus vel manuum;

Digitized by Google

nuum; Latini verò adhibendo verba, quibus expreſſiùs ſignificantur gratia & character ſacramentalis, & pro materia manuum impoſitioni adjungendo aliam, aut alias actiones, diſtinctius ſignificativas. Denique ſicut apud Latinos, ita & apud Græcos forma Extremæ-unctionis deprecativa quidem eſt, ſed multò prolixior apud Græcos, quàm apud Latinos: adde quòd unctiones, quibus applicanda eſt, non ſint omninò eædem in utraque Eccleſia.

Quare ut utraque Eccleſia, Latina & Græca, ſuos in adminiſtrandis ſacramentis illis ritus retinere conſtantiùs poſſet, neque aliquando Græci Latino, aut Latini Græco ritu ſacramenta illa miniſtrarent, ſed unuſquiſque Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem in illis miniſtrandis religiosè ſervaret ſemper, convenientiſſimum, imò neceſſarium fuit, ut ſuas ſacramentorum illorum formas Græci in ſuis Euchologiis, & ſuas Latini in Ritualibus ſuis exſcriberent.

At inquies. Eugenius IV. in Concilio Florentino, Græcis circa ſacramenta Matrimonii, Euchariſtiæ, & Confirmationis, aliqua objecit corrigenda, ubi etiam meminit ſacramenti Pœnitentiæ, nec cum eis queſtus eſt, quòd non indicativa, ſed tantùm deprecativa abſolutionis formula uterentur. *Reſp*. Hanc inſtantiam ſupponere, aut quòd in Eccleſia Græca nunquam ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtratum fuerit niſi per verba deprecativa, quod negamus; aut certè quod jam tempore Concilii Florentini ſacerdotes Græci communiter, omiſſis verbis indicativis, verba tantùm deprecativa adhiberent ad abſolvendos pœnitentes ſibi confeſſos, quod probandum eſſet, & nos negamus. Quòd ſi jam inter ſacerdotes Græcos nonnulli cœperant formam tantùm deprecativam adhibere in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, hoc facilè fugere potuit Eugenium, cùm Pœnitentiæ ſacramentum ſecreto & ſine arbitris adminiſtretur. At Eugenius ignorare non potuit, apud Græcos matrimonia etiam conſummata diſſolvi, ſimplices presbyteros confirmare, ſacerdotes celebraturos nunquam aut ferè nunquam confeſſione peccata deponere, eoſque in Miſſa, poſt hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, dicere: *& fac quidem panem hunc honorabile Corpus Chriſti tui, &c.* de quibus Græcos, perfecta utriuſque Eccleſiæ unione, interrogaſſe fertur: tria enim priora oculis omnium obverſabantur; reliqua verò manifeſta erant ex liturgia, qua utebantur Græci.

Dices. Ex Græcorum Euchologiis pariter colligere potuit Eugenius, Græcos non indicativa, ſed deprecativa abſolutionis formula uti. *Reſp*. Eugenium hoc de Græcis ex eorum Euchologiis non magis ſuſpicari potuiſſe, quàm de Latinis ſuſpicari potuit ex Latinis Ritualibus, quæ pro adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ nil habebant præter orationes, quibus ſacerdos deprecabatur Deum, ut pœnitentem ſibi confeſſum abſolveret, quo non obſtante, Latini ſacerdotes pœnitentes ſibi confeſſos abſolvebant per hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* ut manifeſtè colligitur ex ipſius Eugenii decreto §. *Quartum*, ubi cùm ait, formam abſolutionis poſitam eſſe in his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* tam declarat uſum Eccleſiæ Latinæ, quàm cùm ait §. *Primum*, formam baptiſmi poſitam eſſe in verbis iſtis, *Ego te baptizo, &c.*

ARTICULUS VI.

Solvuntur ea, quæ affert Morinus cap. 14. & 22.

§. I.

CAp. 13. nihil habet Morinus quod ad præſentem controverſiam pertineat, ſicut nec cap. 15. & cap. 16. & jam ſupra ſufficienter ſoluta ſunt, quæ opponit nobis cap. 17. 18. 19. 20. & 21. Supereſt igitur, ut quanta fieri poterit brevitate, reſolvantur ea, quæ nobis objicit c. 14. & 22.

Cap. 14. Quòd olim pœnitentes publici in Miſſa publica, & occulti in Miſſa privata reconciliati fuerint ſacramentaliter, variis antiquorum Patrum, & Ritualium teſtimoniis probare nititur, ut inde efficiat, olim abſolutionem ſacramentalem datam eſſe, non per formam indicativam, ſed per orationes, quæ in Miſſa vel ab Epiſcopo, vel à ſimplice presbytero cantabantur. Ad hanc autem novam & portentoſam doctrinam

Reſp. 1. Olim quidem pœnitentes publici in publica Miſſa reconciliati fuerunt in aliquibus Eccleſiis (dico, in aliquibus Eccleſiis: nam ut patet ex Ordine Romano, in Eccleſia Romana pœnitentes publici reconciliabantur ante Miſſam publicam) at hæc reconciliatio non erat ſacramentalis abſolutio, ſed cæremonia eccleſiaſtica, qua qui à die Cinerum pœnitentiam publicam egerant, feria 5. in Cœna Domini ſolemniter abſolvebantur à pœnis canonicis, hoc eſt, à pœnis ſeu à pœnitentiis, quas pro peccatis ulterius ſubire debuiſſent ſecundum canones, & Eccleſiæ, ac menſæ Euchariſticæ reſtituebantur. 2. Olim etiam aliquando ſacerdos pro uno vel pluribus pœnitentibus ſibi confeſſis Miſſam celebrabat, non ut eos ſacramentaliter abſolveret; nam eos privatim à peccatis abſolvebat ante Miſſam; aut eos reſtitueret Eccleſiæ, non enim ex Eccleſia ejecti fuerant, quia hæc pœna ſolis pœnitentibus publicis infligebatur; ſed ut eis pœnæ temporalis, in quam æterna commutatur, cum reatus culpæ remittitur, relaxationem, & ſpecialia gratiæ ad non peccandum impoſterum auxilia impetraret; adde, & eis communionem impertiret.

At inquies. Orationibus Miſſæ illius ſacerdos Deum deprecabatur, ut pœnitenti, vel pœnitentibus ſibi confeſſis peccata dimitteret. Ergo Miſſam illam celebrabat, ut pœnitentem vel pœnitentes ſibi confeſſos abſolveret ſacramentaliter: nam ſi eos ſacramentaliter abſolviſſet ante Miſſam, non ſic pro eis in Miſſa oraſſet. *Reſp*. neg. conſeq. & ejus prob. Nam in Miſſa illa ſacerdos, poſtquam pœnitentem, vel pœnitentes ſibi confeſſos communicaverat, adhuc Deum deprecabatur, ut ei, vel eis remitteret peccata, quamvis proculdubio eum, vel eos abſolviſſet ſacramentaliter ante communionem. Vide Moral. in calce operis pag. 31. col. 1. & pag. 60. col. 1. Præterea in Rituali Romano ſacerdos poſtquam pœnitentem ſacramentaliter abſolvit his verbis, *Ego te abſolvo, &c.* ſuper eo fundit orationem, qua petit, ut ei peccata dimittantur.

Olim igitur ſacerdos pro pœnitente, cujus confeſſionem audiverat, & quem, audita ejus confeſſione, ſecretò abſolverat, Miſſam illam cantabat, ut peccatorum ejus, jam in ſacramento Pœnitentiæ remiſſorum quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ, etiam quoad reatum pœnæ temporalis obtineret veniam, & ab eo temporales plagas, ob peccata quamvis remiſſa infligendas, averteret, atque ei congrua ad perſeverandum in ſtatu gratiæ impetraret gratiæ auxilia, quibus alioquin fortaſſe in pœnam peccatorum, quamvis quoad culpam condonatorum, privandus erat. Quod manifeſtum fit ex Miſſa pro remiſſione peccatorum, quam habemus in Miſſali Romano: nam ſacerdos dicit in Graduali: *Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum, adjuva nos, &c.* En pro flagellis temporalibus avertendis. Et in Poſtcommunione: *Præſta nobis ..... ut percipientes .... veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus.* En pro perſeverantia in ſtatu gratiæ impetranda. Quòd autem hæc Miſſa Miſſis illis, quas olim cantabant ſacerdotes pro pœnitentibus ſibi confeſſis, reſpondeat, dubium eſſe non poteſt.

§. II.

Cap. 22. Affert Doctores, quos ait docuiſſe abſolutionem à peccatis deprecativam valere poſſe. Et 1. quidem citat Dominicum Sotum in 4. diſt. 3. quæſt. unica art. 5. §. *Multa hic*, ubi ſic loquitur: *Qua utique ratione, & in ſacramento Pœnitentiæ li-*

cèt

nèt quis diceret, Abſolvit te Chriſtus, vel abſolvat te, verè abſolveret, quamvis peccaret. *Reſp.* illud, *Abſolvat te Chriſtus*, hìc ſumi à Soto, non deprecativè, ſed imperativè. Pro quo *nota*, Sotum loco citato quærere tantùm, an expreſſio miniſtri ut exercentis actum ſacramentalem, neceſſaria ſit ad valorem ſacramenti, & reſpondet non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere expreſſionem Chriſti, qui eſt miniſter principalis, & actum ſacramentalem per miniſtrum ſuum exercet. Non igitur hìc cogitat de modo deprecativo, utrùm ſcil. ad ſacramenti valorem ſufficere poſſit, adeòque nec de eo reſpondere intelligi poteſt.

Præterea ſi illud, *Abſolvat te Chriſtus*, hìc à Soto ſumeretur deprecativè, juxta Sotum, ſacerdos, qui diceret tantùm, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, peccaret quidem, omittendo hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* at nihilominùs validè abſolveret, & quoties cum intentione abſolvendi dicit, *Dominus noſter, &c.* & addit, *& ego te abſolvo, &c.* non abſolvit per hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* ſed per illa, *Dominus noſter, &c.* quod hæreticum eſt, & alieniſſimum à mente & doctrina Soti: nam in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. ubi agit ex profeſſo de forma ſacramenti Pœnitentiæ, probat illam in his verbis, *Ego te abſolvo*, conſiſtere; ſic autem loquitur §. *Eſt nihilominùs: Qui deprecatione ſolùm utitur, non abſolvit, ſed abſolutionem petit à Deo. Reliqua verò deprecatoria forma non ſunt de eſſentia ſacramenti, neque per ſe ſufficerent ad collationem gratiæ, &c.*

Juxta Sotum igitur, non abſolveret ſacerdos ille, qui deprecativè diceret tantùm, *Abſolvat te Chriſtus*. Sed nullum tergiverſandi locum relinquit §. ult. ubi quærit, utrùm hæc forma, *Ego te abſolvo*, ſit uſque adeò neceſſaria, ut non liceat loco illius aliam æquivalentem ſubſtituere; & hoc inter alia reſpondet: *Rurſus cùm Græci per tertiam perſonam dicant, Baptizetur ſervus Chriſti*, (& dicendo, baptizent validè) *ſit ſimiliter, ut ſi quis diceret, Abſolveris, vel Abſolvaris à me, ſufficeret: nam hæc non eſt deprecativa, ut illa, Deus te abſolvat, vel Tribuat tibi abſolutionem, quæ ſupra reprobata eſt; ſed aſſertoria, ut illa Græcorum* (Baptizetur ſervus Chriſti.) Quid clariùs? Juxta Sotum, hæc verba, *Deus te abſolvat*, ad validam abſolutionem ſufficere non poſſunt, quia deprecativa ſunt, atque ita æquivalere non poſſunt iſtis, *Ego te abſolvo.*

Quod autem ait de hac formula, *Abſolvat te Deus*, non potuit non intelligere de iſta, *Abſolvat te Chriſtus*, ſumpta in ſenſu deprecativo: quare cùm eam loco ſupra citato dicit ad validam abſolutionem ſufficere, accipit illam in ſenſu imperativo, ſeu ut ipſe loquitur, aſſertorio: ſicut non in ſenſu deprecativo, ſed in ſenſu aſſertorio accipit, ut patet ex verbis proximè citatis, hæc verba, *Baptizetur ſervus Chriſti*, quibus ex errore facti docet Græcos uti in baptiſmo, quæque ad validam baptiſmi adminiſtrationem ſufficere aſſerit, quia non deprecativa, ſed aſſertoria ſunt, ſeu, quod idem eſt, quia à Græcis non deprecativè, ſed aſſertoriè proferuntur.

At inques. Ratio, quam aſſert Sotus pro valore hujus formulæ, *Abſolvat te Chriſtus*, aſſertoriè ſumptæ, valet quoque pro ea ſumpta deprecativè, nempe quòd ad validam ſacramenti adminiſtrationem non requiratur expreſſio miniſtri, ut exercentis actionem ſacramentalem, ſed ſufficiat expreſſio cauſæ principalis actionem ſacramentalem exercentis per miniſtrum. *Reſp.* Ita eſt: unde hæc formula, *Abſolvat te Chriſtus*, deprecativè ſumpta, non eſt invalida, eò quòd per eam non exprimatur miniſter exercens actionem ſacramentalem, ſed juxta Sotum, eò quòd per eam miniſter ſolùm petat abſolutionem, non verò ſignificet pœnitentem abſolvi; vel meliùs, quia per eam pœnitentis abſolutio non exprimitur ad modum actus judicialis, exerciti à ſacerdote, ut judice ſententiam pronunciante.

2. Morinus adducit Bellarm. lib. 1. de ſacramentis in gen. cap. 19. ubi ait; *Verba à Domino præſcripta in baptiſmo, non habent formam inſtructionis, ſed invocationis, & benedictionis. Id quod probatur ex ipſa forma loquendi Chriſti. Non enim ait, Docete omnes gentes nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. ſed*, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. *ubi verba illa*, in nomine Patris, &c. *reſpiciunt actum baptizandi, non actum docendi: proinde ſonant invocationem Trinitatis ſuper aquæ aſperſionem, non declarationem myſterii ad auditores.*

Reſp. Bellarminus hìc nil minùs intendit, quàm formas omnium ſacramentorum deprecativas eſſe, aut poſſe eſſe, ſed ſolùm vult, verba quibus ſacramenta perficiuntur, non eſſe concionalia, ut volebant Novatores, ſed conſecratoria; quod probat ex eo quòd v. g. hæc verba, *In nomine Patris, &c.* quæ includuntur in forma baptiſmi, ſpeciem præſeferant invocationis, non inſtructionis, ſeu invocationem SS. Trinitatis ſuper aquæ aſperſionem ſonent, non declarationem myſterii ad auditores. Juxta Bellarminum autem, cùm baptizans dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* SS. Trinitatem invocat non expreſſè & formaliter, ſed virtualiter & implicitè, quatenùs addendo, *In nomine Patris, &c.* ſignificat ſe baptizare non propria, ſed SS. Trinitatis auctoritate, ſeque ut illius inſtrumentum tantùm, ad regenerantis gratiæ collationem concurrere.

Hanc eſſe Bellarmini mentem, *prob.* ex lib. 4. de ſacram. Euchar. cap. 14. ubi ſic loquitur; *Ipſa etiam verba Domini:* Hoc eſt Corpus meum, *ut omnium aliorum ſacramentorum formæ, ut proferuntur à ſacerdote cum intentione ſacramentum faciendi, continent implicitè invocationem divinæ virtutis, quæ eſt cauſa primaria effectus ſacramentalis: intendit enim ſacerdos per illa verba, ut inſtrumenta Dei, conſecrationem efficere.* Similiter quando v. grat. aquam aſpergendo dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* intendit per hæc verba, ut inſtrumenta Dei, tanquam principalis cauſæ omnis juſtificationis, conferre gratiam regenerantem, & ſic in reliquis ſacramentis. Hoc portò textu expreſsè reſpondet Bellarminus objicientibus Patres paſſim ſcribentes precibus & invocatione Dei conſecrari Euchariſtiam; & tacitè iis, qui objiciunt baptiſmum conferri per invocationem SS. Trinitatis.

3. Morinus refert Michaelem Aiguanum in 4. ſentent. diſt. 23. Thomam de Argentina in 4. ſententiar. diſt. 3. Aureolum in 4. ſentent. diſt. 23. art. 1. Gamachæum cap. 5. de Confirm. docentes per modum indicativum & deprecativum non variari ſubſtantiam formæ, atque adeò mutationem formæ indicativæ in deprecativam, aut deprecativæ in indicativam non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem tantùm, & conſequenter non impedire valorem ſacramenti; quamvis graviter peccet miniſter, qui in miniſtrando ſacramento non ſequitur Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem. *Reſp. breviter*, Doctores illos loqui tantùm, locis citatis, de ſacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ-unctionis. Quod autem dicunt de ſacramentis illis, trahi non poteſt ad ſacramentum Pœnitentiæ, quod à Chriſto inſtitutum eſt ad modum judicii, à ſacerdotibus ut præſidibus & judicibus exercendi: unde hujus ſacramenti forma eſt actus judicialis, quo à ſacerdote ut judice ſententia pronunciatur, proindeque ſpeciali ratione modum indicativum exigit.

At, inquit Morinus, Franciſcus Maironus in 4. ſent. diſt. 14. qu. 1. ex formula Græcorum, *Baptizetur ſervus Chriſti*, colligit, abſolutionem modo deprecativo datam valere, quamvis ſit illicita. Idem docent Andreas Croquerius in catecheſibus, & Matthæus Galenius, qui catecheſes illas recenſuit, & edidit. Et Guilſelmus Eſtius in 4. ſentent. diſt. 15. §. 3. proponit quatuor abſolutionis formulas, quarum ultima eſt, *Deus te abſolvat*, & dicit Doctores communiter negare hanc eſſe validam, eò quòd ſit tantùm deprecatoria. *Quæ ſanè reſponſio*, inquit, *tametſi non nitatur irrefragabili ratione, vel auctoritate, ſecurior tamen eſt; & reverà probabilior, maximè cùm uſus Eccle-*

ſiæ

Digitized by Google

ſia inter orationem illam, Miſereatur tui, &c. *& ipſam abſolutionis formam manifeſtè diſtinguat*. Probabilem igitur cenſet contrariam ſententiam, nempe quòd abſolutio modo deprecativo data valeat, licèt probabilius exiſtimet eſſe, quòd non valeat.

Reſp. Franciſcum Maironis ex hac formula, *Baptizetur ſervus Chriſti*, quam deprecativam eſſe, & apud Græcos uſitatam in ſenſu deprecativo putavit, malè colligendo formam quoque ſacramenti Pœnitentiæ deprecativam eſſe poſſe, venia aliqua dignum eſſe, quam non merentur Croquentius & Galenius, ſi verum de illis à Morino refertur; cum ſcripſerint poſt Tridentinum, cui evidenter contradicunt, aſſerendo abſolutionem modo deprecativo datam valere: nam ſi abſolutio modo deprecativo data valet, valet data per hæc verba, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, vel per orationem hanc, *Miſereatur tui, &c.* aut iſtam, *Indulgentiam, abſolutionem, &c.* quod apertè adverſatur doctrinæ Concilii Tridentini, diſertis verbis abſolutionis formam ab illis orationibus diſtinguentis: unde ſatis mirari non poſſumus Eſtium, cùm ait, ſententiam, hanc formulam *Deus te abſolvat*, validam eſſe negantem, non niti irrefragabili auctoritate: nam nititur auctoritate Concilii œcumenici, diſertè diſtinguentis inter formam ſacramenti Pœnitentiæ, & orationes, quibus continetur hæc formula, *Deus te abſolvat*; continetur, inquam, ſaltem quoad ſenſum, quod ſufficit ad hoc, ut eam inter & illas nullum quoad efficaciam poſſit eſſe diſcrimen.

4. Morinus refert Arcudium ſic loquentem lib. 4. concordiæ cap. 3. *Si in ſermone trito & uſitato illa verba, Parcat tibi Deus, idem ſonant, quod, Ego tibi parco, profectò poterunt in ſacramento, niſi aliud obſtet, hoc eſt, Eccleſiæ conſuetudo, eodem ſenſu dici, & valebit ſacramentum*. *Reſp.* Quid inde? Nam in ſuppoſitione quam facit Arcudius, verba illa, *Parcat tibi Deus*, non eſſent niſi grammaticaliter deprecativa, nec ſenſum deprecativum haberent, ſed indicativum & enunciativum. Unde mirum non eſt, quòd cum illis valeret ſacramentum.

5. Denique Morinus citat Gabrielem Vaſquez tom. 4. in 3. p. S. Thomæ q. 84. a. 3. dub. 3. ubi contendit, ſi Morino credimus, pœnitentem tam modo deprecativo abſolvi poſſe, quàm indicativo, & eandem prorſus eſſe utriuſque formæ, deprecativæ ſcilicet & indicativæ, ſignificationem. *Reſp.* Vaſqueſium loco citato apertè damnare doctrinam & ſyſtema Morini; nam ſic loquitur: *Hoc verò ſacramentum Pœnitentiæ, cùm inſtitutum verè ſit, ut inquit Concilium Trid. ſeſſ. 14. can. 9. cap. 5. adinſtar actus judicialis, cujus judex ſacerdos conſtituitur, ita juri optimo in forma indicativa conferri debet abſolutio; & cùm in judicialibus actibus, non exprimatur judicis actus nec ſententia in forma deprecationis, immeritò dicitur in ea forma poſſe conferri abſolutionem*. En apertè agnoſcit Vaſquez, formam abſolutionis deprecativam repugnare inſtitutioni Chriſti. Unde

Argumentor breviter ſic. Nunquam validè conferri potuit abſolutio per formam repugnantem inſtitutioni divinæ. Atqui, juxta Vaſqueſium, forma deprecativa repugnat inſtitutioni divinæ, cùm Chriſtus ſacramentum Pœnitentiæ inſtituerit adinſtar actus judicialis, cui, ut cenſet Vaſqueſius, modus deprecativus repugnat. Ergo juxta Vaſqueſium, nunquam validè conferri potuit abſolutio per formam deprecativam. Hinc ſuperiùs dixerat, exiſtimare ſe *veriſſimam hanc ſententiam de forma abſolutionis, ut ſcilicet nunquam liceat* (aut licuerit) *ſub forma deprecatoria illa uti, & ſi quis ſub ea forma vellet abſolvere, revera nullum eſſet ſacramentum*.

Perperam igitur contendit Morinus, ſententiæ ſuæ favore Vaſqueſium, impugnantem rationem, qua S. Thomas probat, ſine forma indicativa ſacramentum Pœnitentiæ validè adminiſtrari non poſſe, & ſic argumenta apud eundem Vaſqueſium: *Sacramenta novæ legis efficiunt quod ſignificantem, & ſignificant quod efficiunt: oportet ergo ut ſacerdos, cùm revera ipſe abſolvat, dicat, Ego te abſolvo: ſi enim deprecationis modo id tantum diceret, Abſolvat te Deus, non oſtenderet ſe à peccatis abſolvere, ſed petere à peccatis abſolutionem: qui autem ab alio petit aliquid ſolvendum, non ſignificat ſe ſolvere, nec videtur exercere poteſtatem aliquam abſolvendi*.

Hoc autem S. Thomæ ratiocinium difficultatem pati videtur Vaſqueſio: quia ſicut Chriſtus potuit hominibus dare poteſtatem patrandi miracula per modum deprecationis, vel per modum imperii, ita potuit hominibus dare poteſtatem abſolvendi à peccatis modo deprecativo, vel indicativo. Et ſupponendo quòd Chriſtus utrumque præſtiterit, ſicut patrans miraculum aliquod, ſuſcitando mortuum, v. g. per orationem, nihilominùs exerceret poteſtatem patrandi miracula, & abſolutè diceretur ſuſcitare mortuum: ita ſacerdos ad abſolvendum utens forma deprecativa, verè exerceret poteſtatem abſolvendi à peccatis, & verè diceretur abſolvere. Quare Vaſqueſius, ut probet ſine forma indicativa abſolutionem à peccatis validè conferri non poſſe, putat ſibi recurrendum eſſe ad antiquam & conſtantem Eccleſiæ traditionem, quam negat nemo, & ad auctoritatem Concilii Tridentini. Sed

1. Immeritò rationem S. Doctoris impugnat Vaſquez, qui non ſatis advertit diſcrimen, quòd eſt inter poteſtatem ſacramentalem & non ſacramentalem, & ita malè argumentatur à poteſtate faciendi miracula, quæ non eſt ſacramentalis, ad poteſtatem abſolvendi à peccatis, quam Chriſtus contulit ſacerdotibus, & quæ ſacramentalis eſt. Poſſet quidem poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ non eſſet ſacramentalis, ſi daretur, exerceri modo deprecativo, ſicut poteſt poteſtas faciendi miracula. Ratio eſt, quia ad validum poteſtatis illius exercitium ſufficeret ſignum quodlibet externum ſufficienter expreſſivum internæ voluntatis abſolvendi. At poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ ſacramentalis eſt, validè exerceri non poteſt, niſi per verba ſignificantia uſum illius, adeoque niſi per verba, quibus ſacerdos ſignificet ſe abſolvere. Ratio eſt, quia talis poteſtas non poteſt operari, niſi per ſacramentum, cujus collatione exercetur, & ſacramenta in tantùm operantur, in quantùm ſignificant. Sacerdos autem utens forma deprecativa, purà iſta, *Deus te abſolvat*, non adhiberet verba, quibus ſignificaret ſe abſolvere. Ergo, &c.

2. Dato quòd poteſtas abſolvendi à peccatis, etiam ſacramentalis, potuerit à Chriſto conferri ſacerdotibus, quæ tam exerceri poſſet per modum deprecationis, quàm poteſt poteſtas faciendi miracula, & ita quòd ratio S. Thomæ non ſit efficax; hoc Morini cauſam non adjuvat apud Vaſqueſium: non enim docet Vaſquez, talem re ipſa poteſtatem abſolvendi à peccatis ſacerdotibus à Chriſto collatam eſſe, ſed contrarium docet, Chriſtum ſcilicet ſacerdotibus contuliſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, exercendam per ſacramentum, quod inſtituit adinſtar actus judicialis, quo ſacerdos ut judex ſententiam pronunciaret, adeoque exercendam per ſacramentum, cui modus deprecativus repugnat, & quod proinde validè adminiſtrari non poteſt, niſi per formam indicativam.

ARTICULUS VII.

Utrùm ad formam ſacramenti Pœnitentiæ ita requirantur verba, ut nulla ſit abſolutio, nutibus vel ſcripto data.

Responſio.

Nulla eſt abſolutio, nutibus vel ſcripto data.

Prob. Nam ad formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſentialiter requiruntur verba propriè dicta, & ore prolata. Quod *prob.* 1. Ex perpetuo uſu Ec-

cleſiæ,

cleſiæ, in qua nunquam niſi per verba ore prolata abſolutio pœnitentibus data eſt. 2. Ex Florentino in decreto §. *Quartum*, ubi dicitur formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſe verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cùm dicit, Ego te abſolvo, &c. Ubi ponderandum eſt illud, *Cum dicit*, quo ſatis apertè ſignificatur, neceſſaria eſſe verba propriè dicta, & ore prolata. Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, per uſum Eccleſiæ, & Conciliorum doctrinam ſufficienter declarata.

Obj. 1. Florentinum loco laudato dicit confeſſionem oris eſſe partem materialem ſacramenti Pœnitentiæ, & tamen oris confeſſio non eſt eſſentialis huic ſacramento. Ergo ſimiliter abſolutio, ore prolata, non eſt eſſentialis ſacramento Pœnitentiæ, quamvis, &c.

R. neg. conſ. Ratio diſparitatis eſt, quia ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, Conciliorum canonibus, & Summorum Pontificum decretis expreſſo & approbato, habemus confeſſionem nutibus fieri poſſe. At de abſolutione nihil tale habemus ex uſu Eccleſiæ, vel Conciliis, aut Pontificibus. Temerarium autem eſſet, inducere ritus & explicationes eſſentiæ ſacramentorum, quas nondùm agnovit & approbavit Eccleſia.

Obj. 2. Sacramentum Pœnitentiæ ſequitur in omnibus formam judicii civilis: nam in formam judicii inſtitutum à Chriſto fuit. Atqui non eſt de eſſentia judicii civilis, quòd ſententia voce proferatur, ſed ſufficit prolata ſcripto vel nutu. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam v. g. in foro pœnitentiæ idem eſt accuſator, teſtis, & reus; item reo ipſi ſe accuſanti, vel excuſanti creditur, quæ non fiunt in foro civili.

Obj. 3. In foro pœnitentiæ ſufficit confeſſio, ſcripto vel nutu facta. Ergo ſufficit etiam abſolutio nutu vel ſcripto data. *R.* neg. conſeq. Itaque confeſſio ſcripto vel nutu facta ſufficit in foro pœnitentiæ, quia ſufficere voluit Chriſtus, ut occurreret incommodo, quod reſpectu pœnitentium mutorum accidiſſet: at noluit ſufficere ſententiam, ſcripto vel nutibus prolatam, quia magni momenti futurum non erat incommodum, ex mutis ſacerdotibus oriturum, propter ſacerdotum frequentiam & multitudinem.

Obj. 4. Matrimonium ſcripto vel nutu contrahi poteſt, quia ſequitur formam contractus civilis, ad quem ſufficit ſignum qualecumque externum interni conſenſus. Ergo ſimiliter, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Diſparitas petitur à voluntate Chriſti, qui noluit addere Matrimonio ſpecialem cœremoniam, ſed tantùm contractum civilem ad eſſe ſacramenti, vel certè ad eſſe cauſæ efficientis illius evehere, ne muti privarentur jure naturali contrahendi matrimonium: at non voluit ſacramentum Pœnitentiæ eſſe judicium qualecumque, ſed certo modo, certaque formula latum; de quo judicandum eſt ex perpetuo uſu Eccleſiæ, in qua nunquam abſolutio aliter data eſt, quàm per verba ore prolata. Cumque in nulla unquam neceſſitate diſpenſatum fuerit, ut aliter daretur abſolutio, manifeſtum ſignum eſt, quòd Eccleſia ſemper intellexerit, abſolutionem ore prolatam, ex inſtitutione Chriſti, eſſentialem eſſe ſacramento pœnitentiæ.

Quæres 1. quænam verba ſint de eſſentia formæ ſacramenti Pœnitentiæ?

Reſp. hæc tantùm verba, *Ego te abſolvo*, aut æquivalentia eſſe de eſſentia formæ ſacramenti Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia his verbis, effectus ſacramenti videtur ſufficienter exprimi: qui tamen ita, *à peccatis*, omitteret, peccaret graviter, quia multi, non ſine ratione alicujus momenti, docent eſſe eſſentialia. Porrò in uſu ſervandum ſemper eſt, ut abſolutio detur more conſueto, in hæc verba, *Ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: quamvis certum ſit, ut ſuo loco probatum eſt, iſta *In nomine Patris, &c.* non pertinere ad formæ eſſentiam.

Quæres 2. quid ſignificent hæc formæ verba, Ego te abſolvo à peccatis?

R. ſignificare uſum & effectum poteſtatis à Chriſto traditæ Joan. 20. Apoſtolis, & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus; qui uſus & effectus in eo conſiſtit, quòd ſacerdos verè remittat peccata, non autem quòd tantùm declaret remiſſa. Ratio eſt, quia verba illa accipienda ſunt in proprio ſenſu: ſic enim omnes formæ ſacramentorum debent accipi. Atqui verba illa in proprio ſenſu, quem ex uſu communi, & hominum inſtitutione habent, ſignificant veram remiſſionem & condonationem peccatorum. Ergo, &c.

Objicies. Sacerdotes non habent poteſtatem remittendi peccata, ſed tantùm declarandi eſſe remiſſa; ſolius enim Dei eſt peccata remittere. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. Ad probationem dico, ſolius Dei eſſe remittere peccata poteſtate propria, & non aliundè accepta: at ſacerdotes poſſunt nihilominùs ea remittere poteſtate miniſteriali, ſibi tradita à Deo.

Nota. Triplex diſtingui poteſt poteſtas remittendi peccata. Prima eſt poteſtas ſuprema & independens, quæ ſoli Deo convenit. Secunda eſt poteſtas miniſterialis, principalis, & ſubordinata ſoli Deo, qualis eſt in ſolo Chriſto ut homine. Tertia eſt poteſtas miniſterialis utrique præcedenti ſubordinata, qualis conceſſa fuit Apoſtolis, & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus. Hæc autem tertia poteſtas, ad modum quem Chriſtus inſtituit, alligata eſt: unde exerceri non poteſt, & operari, niſi per hæc verba, aut æquivalentia, *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Et verò effectum remiſſionis peccatorum non ponit per ſe immediatè, ſed mediante ſigno efficaci, quòd Chriſtus inſtituit ad ſignificandum & producendum effectum illum: quare hæc tertia poteſtas non eſt niſi poteſtas ponendi tale ſignum, & per illud peccata remittendi. Multùm igitur differt à poteſtate Chriſto ut homini tradita, quæ non ſic fuit à Patre alligata & reſtricta.

Quæres 3. utrùm abſolutio dari poſſit ſub conditione?

Reſp. dari poſſe ſub conditione de præterito vel de præſenti, ut cùm ſacerdos rationabiliter dubitat, num antea abſolverit pœnitentem; num moribundus det ſigna doloris ſufficientia, aut ſatis compos ſui ſit; num puer ſufficientem habeat uſum rationis.

DISPUTATIO IX.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm ſolus ſacerdos ſit miniſter ſacramenti Pœnitentiæ.

NOn ſolùm ſacerdotem, ſed etiam bonum laicum ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare poſſe docuerunt Vvaldenſes, ut refert Reinerus in libro ſuo adversùs hæreticos illos ſcripto, in quo cap. 5. de hæreticis illis ait: *Dicunt, quòd nullus poſſit abſolvi à malo ſacerdote: item quod bonus laicus poteſtatem habeat abſolvendi.* Eundem errorem ſecutos eſſe Vvicleffiſtas, apertè colligitur ex Bulla Martini V. de erroribus Joannis Vvicleff, in qua Pontifex quemlibet de Vvicleffiſmo ſuſpectum jubet interrogari, utrùm credat, *quòd Chriſtianus ultra contritionem cordis, habita copia ſacerdotis idonei, ſoli ſacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non laico, ſeu laicis, quantumcumque bonis & devotis?* Sed contra illos ſit

Reſponſio.

Solus ſacerdos eſt miniſter ſacramenti Pœnitentiæ.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex Scriptura: nam verba illa Jo. 4. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* quibus continetur inſtitutio ſacramenti Pœnitentiæ, & datur poteſtas remittendi peccata in hoc ſacramento, directa ſunt ad ſolos ſacerdotes, ut docet Trid. can. 10.

2. Ex

Digitized by Google

2. Ex praxi perpetua Eccleſiæ, in qua ſacramentum Pœnitentiæ nunquam adminiſtratum fuit, niſi à ſacerdotibus, ut apparet ex Patribus, Conciliis, & Ritualibus.

3. Ex Patribus, pro quibus omnibus ſit ſanctus Leo epiſt. 91. ubi ait, ſic divinæ bonitatis præſidia eſſe ordinata, ut *indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri*. Tum ſic pergit: *Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, hanc prepoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

4. Denique ca Flor. in decreto §. *Quartum*, & Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. quibus locis ſacramenti Pœnitentiæ miniſter nullus alius præter ſacerdotem aſſignatur. Præterea Trid. ſic pronunciat eadem ſeſſione can. 10. *Si quis dixerit ... non ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum ... Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata ... anathema ſit.*

Objicies. In veteri Eccleſia diaconi in caſu neceſſitatis ſacramentalem abſolutionem dederunt. Ergo non ſolus ſacerdos, ſed etiam diaconus præter ſacerdotem miniſter eſſe poteſt ſacramenti Pœnitentiæ. *Reſp*. neg. ant.

Probabis Ex S. Cypriano ep. 48. ita loquente: *Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologeſes facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſideraverunt.*

Reſp. Sanctum Cyprianum loqui non de exhomologeſi facienda in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, ſed tantùm ad facienda in ordine ad cæremoniam eccleſiaſticam, qua pœnitentes publici reconciliabantur altari & Eccleſiæ, antequàm ad communionem Euchariſticam admitterentur. Hoc igitur loco non aliud vult ſanctus Martyr, quàm quòd lapſi in perſecutione, qui libellos à Martyribus acceperant, abſente Epiſcopo, & omni alio presbytero, poſſent, facta priùs delicti ſui exhomologeſi, à diacono altari, & Eccleſiæ reconciliari, & reconciliati Euchariſtiam ab eo accipere, urgente mortis periculo.

Obj. 2. Capitulum *Speres*, extra de furtis, ex canone 31. Concilii Triburienſis deſumptum, ubi dicitur: *Si comprehenſi aut vulnerati, presbytero vel diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus*. *Reſp*. Capitulum citatum diacono attribuere tantùm poteſtatem dandi Euchariſtiam furi, inter furandum lethaliter vulnerato, ſi modò priùs ei ſufficientia doloris ſigna dederit, qualia ei dare poteſt, ei peccata ſua vel diſtinctè & ſingillatim, vel in genere confitendo.

Adde, quòd in Capitulum citatum perperàm irrepſerint hæ voces, *vel diacono*, quas non habet canon Concilii Triburienſis, in quo ſic legitur: *Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis deſperatus putatur, atque reconciliari ſe myſteriis ſacroſanctis, habitu corporis & voluntate piamentis deprecatur, Deoque & ſacerdoti, comite vita, emendationem morum & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.*

Obj. 3. Confeſſio ſacramentalis non ſolùm ſacerdoti, ſed etiam laico fieri poteſt: Ergo non ſolùm ſacerdos, ſed etiam laicus poteſt eſſe miniſter ſacramenti Pœnitentiæ. *R*. neg. ant. *Probabis* 1. ex Jacobo Apoſtolo in epiſt. can. cap. 5. dicente: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. 2. Ex S. Thoma, in 4. diſt. 17. quæſt. 3. a. 3. ad ſecundam quæſtionem: *Miniſter pœnitentiæ*, inquit, *cui confeſſio eſt facienda ex officio, eſt ſacerdos; ſed in neceſſitate etiam laicus vicem ſacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit.*

R. ad 1. Jacobum vel non loqui de confeſſione ſacramentali, vel ſi de ea loquitur, ut videtur nobis probabilius, homines adhortari ut peccata ſua non tantùm Deo, ſed etiam ſacerdoti confiteantur: *Confitemini alterutrum*, id eſt, homo homini, modò ſit ſacerdos, & non tantùm Deo.

R. ad 2. S. Thomam in ea quidem fuiſſe ſententia, quòd homo in articulo mortis poſitus, & alicujus mortalis ſibi conſcius, teneatur confiteri laico, ſi ſacerdoti non poteſt; at non ſenſiſſe confeſſionem laico etiam in neceſſitate factam, verè ſacramentalem eſſe, & laicum pœnitentem, ſibi in neceſſitate confeſſum, abſolvere poſſe: immò diſertis verbis contrarium docet loco citato ad 1. ubi ſic ait: *Quando neceſſitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri cui poteſt, qui quamvis* (ſi ſit laicus) *ſacramentum perficere non poſſit, ut faciat id quod eſt ex parte ſacerdotis, abſolutionem ſcilicet, tamen defectum ſacerdotis Summus Sacerdos ſupplet. Nihilominus confeſſio laicis ex deſiderio ſacerdotis facta ſacramentalis eſt quodam modo* (quatenùs pœnitens, quantùm in ſe eſt, ſatisfacit obligationi confitendi in ordine ad ſacramentalem abſolutionem) *quamvis non ſit ſacramentum perfectum, quia deeſt ei id, quod eſt ex parte ſacerdotis* (nempe ſacramentalis abſolutio.) Eamdem tradit doctrinam S. Doctor diſt. an quæſt. un. art. 1. quæſt. 2. ad 3. *Ille*, inquit, *qui laico confitetur, quamvis impleat, quod ex parte ſua eſt de ſacramentali confeſſione, tamen ſacramentalem abſolutionem non conſequitur.*

Obj. 4. Sicut Baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, ita & Pœnitentia. Ergo ſicut quilibet poteſt eſſe miniſter baptiſmi propter neceſſitatem, ita & propter eandem rationem quilibet poteſt eſſe miniſter pœnitentiæ. *Reſp*. cum S. Thoma in quartum diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 2. magnum eſſe diſcrimen inter baptiſmum & pœnitentiam: nam baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis etiam reſpectu parvulorum, qui morientes ante adultam ætatem, ſecluſo martyrio, nullum aliud præter baptiſmum medium habent, quo poſſint juſtificari, & ſalutem æternam conſequi: quare mirum non eſt, quòd Chriſtus voluerit ſacramentum hoc à quolibet validè adminiſtrari poſſe. At pœnitentia non eſt ſacramentum neceſſitatis, niſi reſpectu adultorum, qui ſuſcepto baptiſmo mortaliter peccant, quique juſtificationis gratiam conſequi, & à morte æterna liberari poſſunt, per contritionem perfectam cum voto ſacramenti Pœnitentiæ, quando copiam non habent ſacerdotis, à quo poſſint abſolvi.

ARTICULUS II.

Utrùm ad miniſtrandum ſacramentum Pœnitentiæ neceſſaria ſit juriſdictio.

RESPONSIO.

AD miniſtrandum ſacramentum Pœnitentiæ, præter poteſtatem Ordinis ſacerdotalis, juriſdictio neceſſaria eſt.

Prob. 1. Florent. in decreto §. *Quartum*, ubi dicitur: *Miniſter hujus ſacramenti* (Pœnitentiæ) *eſt ſacerdos, habens authoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris*. 2. Ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi hæc leguntur: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Ratio à priori eſt, quam hic tangit Tridentinum, quia ſacramentum Pœnitentiæ eſt eſſentialiter judi-

ſamus, baptiſmum nunquam ſine verbis indicativis ſeu enunciativis, *Ego te baptizo, &c.* vel, *Baptizatur N. &c.* adminiſtratum fuiſſe, aut adminiſtrari potuiſſe.

Manifeſtum igitur eſt, Morinum abuti modo loquendi S. Auguſtini, & aliorum Patrum, qui eundem illum loquendi modum adhibent. *At inquis*, Quomodo verè dici poteſt ſacerdos abſolvere orando, ſi non abſolvit, niſi per verba indicativa pronunciando ſententiam abſolutionis? *R.* 1. quærendo, quomodo verè dici poſſit ſacerdos conſecrare deprecando, cùm, ut fide certum eſt, nec conſecret, nec conſecrare poſſit, niſi proferendo hæc verba indicativa, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*? Et tamen phraſi Auguſtiniana ſacerdos deprecando conſecrat.

R. 2. Ad hoc ut ſacerdos verè dici poſſit peccata remittere per orationem, Auguſtino ſufficere, quòd ſacerdos Deum oret pro pœnitente, ut ei peccata condonet, & præmiſſa oratione, atque affectu illo, quo oravit, perſeverante, hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* proferat cum intentione faciendi ſacramentum, & per illud obtinendi id, quod oravit, ſeu, quod idem eſt, cum intentione abſolvendi pœnitentem: ſicut ad hoc, quod ſacerdos verè dici poſſit conſecrare per orationem, Auguſtino ſufficit, quòd ſacerdos conſecraturus oret ſuper panem & vinum conſecrandum, & oratione præmiſſa, atque affectu illo, quo oravit, perdurante, dicat in perſona Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, cum intentione obtinendi à Deo converſionem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſeu, quod idem eſt, cum intentione faciendi ſacramentum Euchariſtiæ.

At inquies. Sacerdos cum affectu deprecantis hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* proferens ex intentione verè abſolvendi, vel orat, vel non. Si primum, hæc formula, *Ego te abſolvo, &c.* deprecativa eſt. Si ſecundum, ſacerdos malè dicitur abſolvere per orationem. Deinde gratis, & ad fugiendam difficultatem ſupponitur ſacerdos hæc verba, *Ego te abſolvo*, proferre cum affectu deprecantis. Denique vel hic affectus ad valorem ſacramenti neceſſarius eſt, vel non.

R. ad 1. Sacerdos proferens hæc verba, *Ego te abſolvo*, cum affectu deprecantis, orat non formaliter, ſed virtualiter & æquivalenter, & hoc ſufficit Auguſtino, ut dicatur abſolvere per orationem, præſertim cùm hoc facit, præmiſſa oratione, qua Deum ut pœnitenti peccata dimittat, deprecatus eſt: ſicut ſacerdos orat non formaliter, ſed virtualiter & æquivalenter, cùm dicit in perſona Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, cum affectu deprecantis, & hoc Auguſtino ſufficit, ut ſacerdos dicatur conſecrare per orationem. Ex dictis autem ſequitur, quòd hæc forma, *Ego te abſolvo*, ſicut & iſtæ, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, ſit virtualiter & æquivalenter deprecativa, quòd libenter agnoſcimus.

Ad 2. *R.* neg. Cùm enim ſciat ſacerdos, ſolius Dei eſſe, auctoritativè peccata remittere (quòd agnoſcit, priùs, quam abſolutionis formulam proferat, orando Deum, ut pœnitenti peccata remittat) & ſe ad hunc effectum miniſterialiter & inſtrumentaliter tantùm concurrere, naturali quadam neceſſitate perſeverat affectus ille, quo Deum pro pœnitente deprecatus eſt, cùm hæc verba, *Ego te abſolvo*, ſubjicit ex intentione abſolvendi pœnitentem, & gratiam juſtificationis illi à Deo obtinendi, à quo ſolo tanquam principali cauſa dependet, quod veriſſimum eſſe negari non poteſt, cùm intentio illa in ſacerdote diſtincta & explicita eſt: unde cùm Auguſtinus, in omni ſacerdote ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrante, talem ſupponat intentionem, rectè ſupponit omnem ſacerdotem poſt orationes, quibus à Deo petit ut pœnitentem abſolvat, cum affectu deprecativo ſubjicere verba indicativa, quibus ſententiam abſolutionis pronuntiat, & miniſterialiter concurrit ad juſtificationem pœnitentis, per ea Deum moraliter determinando ad infundendam gratiam & dona pœnitenti, eique peccata condonanda.

Ad 3. *R.* Illum deprecantis affectum non requiri ad valorem ſacramenti: non enim magis neceſſarius eſſe poteſt, quàm preces, quæ præmittuntur, & quas Concilium Tridentinum declarat ad validam ſacramenti adminiſtrationem neceſſarias non eſſe: unde valet ſacramentum, etiamſi ſacerdos, omiſſis illis precibus, ſupra pœnitentem ritè diſpoſitum hæc tantùm verba, *Ego te abſolvo, &c.* proferat cum intentione confuſa & generali faciendi quod facit Eccleſia. At Auguſtinus cùm dicit, ſacerdotes abſolvere per orationem, non id, quod abſolutè fieri poteſt, aut etiam aliquando fit, conſiderat, ſed id, quod communiter fit. Communiter autem in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ ſacerdotes præmittunt preces, quibus pro pœnitente ſupplicant Deo, ut cauſæ principali omnis juſtificationis, cujus ſe non niſi miniſteriales ſeu inſtrumentales cauſas eſſe agnoſcunt, unde non poſſunt non affectu deprecativo ſacramentum conferre, illudque ſuppliciter Deo exercitè offerre, ad obtinendam pœnitenti diſpoſito peccatorum veniam, quam ſemper & infallibiliter obtinent ex opere operato ſacramenti.

Num. 7. ſic loquitur Morinus: *Mihi videtur deduci clariſſimè ex ſermone S. Auguſtini de muliere peccatrice, qui eſt 23. in libro 50. homiliarum, ſacerdotes peccatorum abſolutionem non donaſſe indicative ſecundùm hanc formulam, Abſolvo te, vel Dimitto tibi peccata: eò quod ſi ejuſmodi formula ab Eccleſia, ſaltem Africana, uſurpata fuiſſet, totum S. Auguſtini argumentum corruiſſet, nec ulla eſſe potuiſſet ſic argumentandi vel leviſſima occaſio.*

Hoc autem ut probet, num. 8. affert verba S. Doctoris ad illud Chriſti Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit*, ita diſſerentis: *Medicus bonus ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, Ego juſtifico, Ego ſanctifico: Ego ſano quemcumque baptizo, ex ipſo munere & iſti ſunt, qui dicunt, Noli me tangere.*

Eodem num. 8. ſic pergit Morinus: „ Poſtea comparat (Auguſtinus) formulam, qua ejuſmodi homines utebantur in danda peccatorum remiſſionem, cum ea, qua Chriſtus uſus eſt, dum putaretur homo, atque ex iſta comparatione iſtorum hominum inſolentiam arguit. *Judæi dixerunt*: (verba ſunt Auguſtini) *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Audet ſibi homo hoc uſurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico. Reſpondeat illi, Non ego, ſed Chriſtus. O homo! quando à Judæis putatus ſum homo, remiſſionem peccatorum fidei dedi. Non ego, reſpondet tibi Chriſtus: O hæretice! tu cum ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio. Ego cum putarer homo, dixi: Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit.*

Poſt hæc S. Doctoris verba proſequitur adverſarius in hunc modum: *An potuiſſet* (Auguſtinus) *eos arguere, quod dicerent, Dimitto tibi peccata, ſi Auguſtinus ipſe, & univerſi ſacerdotes catholici eundem loquendi modum in eadem cauſa uſurpaſſent? Non videtur probabile. Ut quid Chriſti modeſtiam iis objicit, dicentis: Remittuntur tibi peccata, fides tua ſalvam te fecit, non autem Remitto tibi peccata, vel Salvam te facio, ſi Auguſtinus ipſe quotidie eodem cum illis hæreticis loquendi modo peccata remittens uteretur .... Non agit tantùm* (Auguſtinus) *de ſenſu verborum, Ego dimitto, ego ſanctifico, ſed de ipſo loquendi modo, qui pravum hunc ſenſum poteſt inducere, quem dicit Chriſtum non uſurpaſſe .... inſaniam* (hæreticorum illorum) *refrænat improbatione formulæ, qua in remittendis peccatis utebantur. Improbationis autem argumentum præcipuum eſt, quòd ea Chriſtus, quanquam poſſet, uti noluerit, ſed humiliùs dixerit*, Remittuntur tibi, &c.

Denique num. 9. ſic loquitur Morinus: *Nobis præterea examinandum eſt argumentum, quo probabant ſe hoc loquendi modo legitimè uti. Reſpondent*, inquit Auguſtinus, *& dicunt: Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt quod ait Chriſtus*, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo. *Quid reſpondet Auguſtinus huic argumento, ut oſtendat eos nihilominùs de-*

cere

cere non debere, Ego dimitto, ego abſolvo? Reſpondent Chriſtum hoc dixiſſe, quia Spiritum ſanctum daturus erat hominibus, qui peccata remittit, & Deus eſt ..... Ideò igitur reprehendit indicativè in prima perſona iſta enunciantes, quia hac occaſione ſe jactabant remiſſionis peccatorum auctores, non Spiritus ſancti miniſtros. Quod certè nunquam feciſſet, ſi eodem loquendi genere in eadem cauſa uteretur.

Reſp. Hîc Morinus, omni veriſimilitudine poſthabita, omnem induſtriam ponit in corrumpendo loco, quo vel uno opprimitur, & totum ejus ſyſtema de forma deprecativa duodecim prioribus ſæculis uſitata exſufflatur. Vidit hæreticos, contra quos diſputat Auguſtinus hoc loco, errandi occaſionem ſumpſiſſe ex uſu formarum indicativarum in adminiſtrandis Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramentis, & rem adeò manifeſtam eſſe, ut negari nullo pacto poſſit: quare ut qualicumque modo evadat, & ſyſtemati ſuo conſulat, ita agnoſcit tempore Auguſtini ſacramenta illa adminiſtrata fuiſſe per formas indicativas, ut ſimul aſſerat ab illis tantùm hæreticis, quos Auguſtinus reprehendit, non autem à catholicis, id factitatum eſſe.

Hoc ut probet, in omnem partem verſat ſeſe, ut oſtendat Auguſtinum in hæreticis illis non ſolùm errorem, ſed etiam formulas illas, ex quibus errandi occaſionem ſumpſerant, improbaſſe & impugnaſſe; & addit, argumentum, quo adverſus hæreticos illos utitur ſanctus Doctor, corruere, ſi ſupponatur uſum formularum indicativarum tunc temporis in Eccleſia catholica receptum fuiſſe. At hoc utrumque evidenter falſum eſt, ſcilicet & quòd Auguſtinus in hæreticis, contra quos hìc diſputat, uſum formularum indicativarum improbet, & quòd argumentum, quo adverſus eos utitur, non valeat ea ſuppoſitione, quòd Eccleſia catholica tunc temporis ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ per verba indicativa, *Ego te baptizo, Ego te abſolvo*, adminiſtraret.

At inquit, Diſertè Auguſtinus opponit formulam, qua Chriſtus uſus eſt in abſolvenda muliere peccatrice, formulis quibus hæretici illi utebantur in adminiſtradis ſacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ. *Reſp.* hìc ſupponi duo evidenter falſa; & primò quidem falſum eſt, quòd Chriſtus in abſolvenda muliere peccatrice verborum formulam adhibuerit. Certè ſi quam adhibuit, vel his verbis, *Dimittuntur tibi peccata tua*, vel iſtis, *Fides tua te ſalvam fecit*; continetur. At neutrum dici poteſt ſine manifeſta abſurditate. Non ſecundum; cùm enim Chriſtus dixit, *Fides tua te ſalvam fecit*, jam peccata remiſſa erant mulieri. Non primum; nam his verbis, *Dimittuntur peccata tua*, Chriſtus uſus eſt, non ut formula, qua peccata remitteret, ſed ut ſigno externo, quo ſignificaret internum voluntatis ſuæ actum, quo pœnitenti mulieri peccata condonabat.

Secundò etiam falſum eſt, quòd his verbis, quæ tanquam hæreticorum illorum, quos impugnat S. Doctor, *Ego peccata dimitto, Ego juſtifico, Ego ſanctifico, Ego ſano quemcumque baptizo*, loco citato referuntur, exprimantur formulæ, quibus hæretici illi baptiſmum & Pœnitentiam adminiſtrabant, ut evidenter oſtendunt iſta, *Ego ſano quemcumque baptizo*, quæ manifeſtè ſunt hominis extra baptiſmi collationem ſuperbè venditantis ſeſe ut auctorem juſtificationis, & cauſam principalem remiſſioni peccatorum, quæ datur ſuſcipienti ſacramentum. Auguſtinus igitur non formulam formulæ ſacramentali, ſed tantùm verba, quibus modeſtiam ſuam expreſſerat Chriſtus, verbis, quibus hæretici errorem ac ſuperbiam ſuam exprimebant, opponit. Perperam igitur ac falsò dicitur Auguſtinus in hæreticis, quos refellit, improbare modum adminiſtrandi ſacramenta per formas indicativas. Quid ergo improbat in illis? Errorem ac ſuperbiam, & ſi vis, modum illum loquendi, quo ſeſe importunè jactabant, & ſibi, quod ſolius Dei eſt, inſolenter attribuebant, nihilque præterea.

At, inquit Morinus, Auguſtini adverſùs hæreticos illos argumentum nullius momenti eſt, niſi ſupponatur, ſolos illos hæreticos formis indicativis uſos eſſe in adminiſtratione ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ. *R.* hoc eſſe apertiſſimè falſum: Auguſtinus enim contra hæreticos illos argumentatur, 1. ex facto & exemplo Chriſti, mulieri non dicentis, Dimitto, ſed, *Dimittuntur tibi peccata tua*, & hanc dimiſſionem ejus fidei attribuentis, *Fides tua te ſalvam fecit*. 2. Ex verbis ejuſdem Chriſti, Matth. cap. 18. *Accipite Spiritum ſanctum*, junctis verbis Apoſtolis, 1. Cor. cap. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Et ejuſd. epiſt. cap. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo?* Atqui manifeſtum eſt, Auguſtinum hoc utrumque medium contra hæreticos, quos refutat, efficaciter adhibere potuiſſe, quantumlibet ſupponatur cum aliis catholicis ſacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ adminiſtraſſe per formas indicativas: quidni enim potuiſſet?

Et verò ſi quis nunc hæreſim illam, contra quam pugnabat Auguſtinus, ex inferis excitaret, & diceret: *Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo*, an non quilibet in Eccleſia catholica, in qua Baptiſmus & Pœnitentia per verba indicativa, *Ego te baptizo, Ego te abſolvo*, adminiſtrantur, Epiſcopus hæreticum illum poſſet refellere, & efficaciter refellere verbis Auguſtini: *Reſpondeat illi: Non ego, ſed Chriſtus. O homo, quando à Judæis putatus ſum homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedi, non ego. Sed reſpondet tibi Chriſtus: O hæretice, tu cum ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio. Ego cùm putarer homo, dixi: Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit.*

An non deinde ſic poſſet ratiocinari cum eodem Auguſtino? *Ut hoc evidenter oſtenderet Dominus, à Spiritu ſancto quem donavit fidelibus ſuis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco ſic ait, reſurgens a mortuis:* Accipite Spiritum ſanctum; *& continuo ſubjecit:* Si cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei: *hoc eſt: Spiritus dimittit, non vos. Sed audi Spiritum.* Quid eſtis vos? Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Et iterum:* Neſcitis quia corpora veſtra templum eſt Spiritus ſancti, quem habetis à Deo? *Deus ergo habitat in templo ſuo, hoc eſt, in Sanctis fidelibus, in Eccleſia ſua per eos dimittit peccata, quia viva templa ſunt. Sed qui dimittit per hominem, poteſt dimittere & præter hominem: neque enim minus eſt idoneus per ſe dare, qui poteſt per alium dare, &c.*

Hoc porrò ſenſu S. Auguſtinus ex laudatis Scripturæ locis contra illos ſui temporis hæreticos, qui ex his Scripturæ verbis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, pravè intellectis, colligebant ſe propria & humana, non divina auctoritate peccata remittere, infert Spiritum ſanctum, qui Deus eſt, eſſe cauſam principalem remiſſionis peccatorum, & ut cauſam principalem peccata remittere per homines, ut cauſas miniſteriales & inſtrumentales, quibus ad hunc effectum utitur, adeòque hoc inter Spiritum ſanctum & homines intereſſe diſcrimen, quòd Spiritus ſanctus ſine hominibus poſſit, homines verò ſine Spiritu ſancto non poſſint peccata remittere, quia ſcilicet in operando inſtrumentum à cauſa principali dependet, non viciſſim cauſa principalis ab inſtrumento.

Jam verò in hypotheſi à nobis facta, an non idem quod Auguſt. & eadem efficacia ex allegatis ab Auguſt. Scripturæ locis inferre poſſemus contra antiquæ illius, quam refellit S. Doctor, hæreſeos inſtauratorem? Omninò; & tamen nunc Eccleſia univerſa Baptiſmum & Pœnitentiam adminiſtrat per formas indicativas. Manifeſtum igitur eſt perperàm ac falsò Morinum aſſerere, quòd Auguſtini adverſùs hæreticos, de quibus agitur, argumentum corruat, ſi ſupponatur Auguſtinus cum catholicis, iiſdem quibus hæretici illi utebantur formulis, uſus eſſe in adminiſtratione Baptiſmi & Pœnitentiæ. His autem præſuppoſitis, ſic

Argumentor. Hæretici, contra quos diſputat Auguſtinus

guſtinus in citata homilia, errandi occaſionem ſumpſerunt ex uſu formularum indicativarum in adminiſtrandis Baptiſmo & Pœnitentia. Ergo tunc temporis Baptiſmus & Pœnitentia adminiſtrabantur per formas indicativas. Atqui nullum planè fundamentum eſt aſſerendi quòd ſic adminiſtrarentur à ſolis illis hæreticis. Ergo planè dicendum eſt ſic adminiſtrata fuiſſe in Eccleſia catholica. Ergo quòd Eccleſia catholica duodecim prioribus ſæculis in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ formam deprecativam adhibuerit, purum Morini figmentum eſt. Antecedens admittit Morinus ipſe, & proculdubio admittit, quia negare non potuit. Et verò hæretici illi in adminiſtrando v.g. Pœnitentiæ ſacramento, non utebantur forma deprecativa: ex forma enim deprecativa nullatenùs errandi occaſionem ſumere potuerunt. Nam qui dicit, v. gr. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, hoc ipſo disertè agnoſcit Chriſtum ut cauſam ſaltem primariam remiſſionis peccatorum, ſe verò ad ſummum ut cauſam miniſterialem & inſtrumentalem. Conſequentia evidenter ſequitur ex antecedente.

Subſumptum patet ex dictis hactenùs. Et verò ſi quæ fundamenta ſunt aſſerendi, quòd ſacramenti Baptiſmi & Pœnitentiæ à ſolis illis hæreticis per formas indicativas adminiſtrarentur, certè ea ſunt, quæ affert Morinus, videlicet, 1. quòd Auguſtinus non ſolùm errorem hæreticorum illorum, ſed etiam formulas ex quibus errandi occaſionem ſumpſerant, impugnet. 2. Quòd vis & efficacia argumenti, quo contra illos utitur Auguſtinus, ſupponat Auguſtinum & alios catholicos à modo conferendi ſacramenta per verba indicativa abhorruiſſe. Atqui hoc utrumque fundamentum falſum eſſe, & à Morino confectum, evidenter oſtenſum eſt.

Confirmatur. Nam 1. hæc formula, *Ego te abſolvo*, vel convenit inſtitutioni Chriſti, vel non. Si primum, qua veriſimilitudine dici poteſt Auguſtinus tantus Doctor, eam ut arrogantem, exemplo & verbis Chriſti contrariam, & inductivam ad errorem reprobaſſe? Si ſecundum, quare Concilia generalia, Florentinum & Tridentinum, in ea formam ſacramenti Pœnitentiæ conſtituunt? At Concilia in hoc nec errarunt, nec errare potuerunt. Ergo hæc formula, *Ego te abſolvo*, convenit inſtitutioni Chriſti, adeòque gravem injuriam facit Auguſtino, qui contendit ab eo formulam hanc reprobatam fuiſſe ut arrogantem, exemplo, &c. neque ab eo, niſi reprobata hac formula, hæreticos, contra quos diſputat, efficaciter oppugnari potuiſſe: quaſi verò abuſum illius non potuerit, niſi illa damnata, damnare. Quotidie hæretici ea Scriptura occaſionem arripiunt errandi, & ejus auctoritate errores ſuos ſtabilire conantur: num idcircò reprobamus Scripturam, aut non poſſumus, niſi reprobata Scriptura, qua hæretici abutuntur, errores eorum efficaciter impugnare?

Gratis igitur & abſque omni fundamento contendit adverſarius, ſolos illos hæreticos, quos exagitat Auguſtinus, uſos eſſe formulæ indicativæ in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ; quod validiſſimè confirmari poteſt ex eo, quòd ex doctrina Morini ſequatur, Eccleſiam catholicam tandem aliquando, repudiata formula ab Apoſtolis accepta, & plurimorum ſæculorum uſu confirmata atque conſecrata, formulam adoptaſſe, à ſolis olim hæreticis frequentatam, à catholicis olim reprobatam ut arrogantem, contrariam exemplo & verbis Chriſti, & ad errorem inductivam; atque hoc feciſſe ex mera inconſtantia; cùm nulla poſſit aſſignari cauſa probabilis, ob quam neceſſe fuerit, aut expedierit, formæ deprecativæ indicativam ſubrogari; quod planè ſingulare eſt, & prorſus incredibile. Ex hoc igitur Auguſtini loco, quem pro ſe allegat Morinus, ſufficientiſſimè colligimus, in Eccleſia catholica ſacramentum Pœnitentiæ ſæculo quinto adminiſtratum fuiſſe per hæc verba indicativa, *Ego te abſolvo*, Ergo, &c.

Num. 12. affert Leonem Magnum dicentem epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ: *Sufficit illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam ſacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit*. Et Epiſt. 91. ad Theodorum aſſerentem, Deum præſidia ſuæ bonitatis ordinaſſe, *ut indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri*. *R.* S. Leonem ſic locutum eſſe, tum quia ſacerdos in ſacramento Pœnitentiæ preces, quibus pro pœnitente orat, præmittit abſolutioni ſacramentali; tum quia non ſine deprecantis affectu, quo priùs oravit, non profert indicativam abſolutionis formulam; tum denique ne peccatorum remiſſionem ſacerdoti tanquam cauſæ primariæ attribuere viderentur.

Hanc S. Leonis auctoritatem opponit ſibi S. Thomas 3. p. q.84. art.3. in 2. & ad eam ſic reſpondet: *Verbum Leonis eſt intelligendum quantùm ad deprecationem, quæ præmittitur abſolutioni, non autem removet quin ſacerdotes abſolvant* (per formam indicativam, Ego te abſolvo, cujus convenientiam probat hoc articulo S. Doctor.) Idem reſpondet Durandus, lib.4. diſt. 22. qu. 2. ad 1. *Verbum Leonis Papæ*, inquit, *intelligendum eſt non de forma abſolutionis, quæ eſt indicativa, ſed de verbis deprecativis, quæ ſacerdos præmittit*. Idem Dominicus Sotus in 4. ſententiarum diſt. 14. art. 3. §. *Eſt nihilominùs*; & alii deinceps Doctores Scholaſtici, qui ſcripſerunt ante Morinum, quem primum omnium germanum Patrum ſenſum attigiſſe, quis credet? Hunc porrò loquendi modum, quo uſi ſunt antiquiores Patres, cùm de abſolutione ſacramentali loquerentur, uſurparunt deinceps multis ſæculis Scriptores eccleſiaſtici, vel Concilia, cùm egerunt de ſacramento Pœnitentiæ. Unde ex dictis apparet reſponſio ad textus quos allegat adverſarius ſequentibus numeris uſque ad 22. incluſivè.

Num. 24. Abſolutionem indicativam rarò uſitatam fuiſſe ante medium ſæculum decimum-tertium evidenter demonſtrare ſibi videtur ex verbis Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi, dicentis cap. 19. de ſacramento Pœnitentiæ: *Neque more judicum forinſecorum pronuntiat confeſſor, Abſolvimus te, non condemnamus, ſed magis orationem facit ſuper eum* (pœnitentem) *ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat*. *Reſp.* ex his Guillelmi verbis nihil certò colligere poſſe Morinum pro ſua forma deprecativa, & dico Guillelmum hic duo tantùm aſſerere, nempe 1. confeſſores in ſua Eccleſia non abſolvere more judicum ſæcularium per verba indicativa in plurali numero, *Abſolvimus te*, ſed per formam indicativam in ſingulari, *Abſolvo te*, qui modus ſententiam pronuntiandi modeſtior eſt, & minorem habet emphaſim, adeòque magis decet confeſſorem, qui remiſſionis peccatorum tantùm eſt cauſa miniſterialis & inſtrumentalis. 2. Confeſſores non pronuntiare ſententiam per formam indicativam in ſingulari numero, niſi præmiſſis orationibus ſuper pœnitentem, *ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat*. Bonitas hujus reſponſionis patet ex Alexandro Halenſi p. 4. qu. 21. memb. 1. in O. ubi apertè ſupponit verbis jam allatis citatis ſacerdotes in Eccleſia catholica adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ, precibus quibus pro pœnitente orant Deum, ſubjungere formam indicativam, qua ſententiam pronuntiant. Alexander autem Guillelmi æqualis & familiaris fuit.

Num. 28. citat Franciſcum Mayronem in 4. diſt. 14. q. 1. ubi ad hunc quorumdam abſolvendi modum, *Abſolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*, ſic reſpondet ad 3. *Dicendum quòd ſic fiebat in provincia Provencia, ſed improbata fuit iſta forma*. Sed ſi verum eſt Morini ſyſtema, quærimus quomodo aut quare in provincia Provenciæ improbata fuerit formula, juxta Morinum ad ſacramenti valorem ſufficiens, nec recens inducta, ſed, poſtquam duodecim prioribus ſæculis in univerſa Eccleſia frequentata fuerat, ſæculo decimo-tertio ſine intermiſſione continuata? Sed

Qua-

Quare improbata fuerit, dicere poſſumus ex ipſo Mayrone, cujus hæc verba paulò inferiùs refert Morinus: *Tamen videretur quod ſicut Græci baptizant ſub hac forma, Baptizetur ſervus Chriſti Nicolaus: ita videtur quòd non eſſet inconveniens in confeſſione taliter abſolvere. Quia tamen Sacramentalia ſunt ſtricti juris, ideo non debent immutari.* Quare ergo, juxta Mayronem, improbata fuit præfata formula deprecativa aliquantò poſt initium ſæculi decimi-tertii in Provencia à quibuſdam uſurpata? Quia Sacramentalia ſunt ſtricti juris, & ideò non debent, immutari. Improbata igitur fuit formula illa, quia nova & recèns contra perpetuum & conſtantem uſum Eccleſiæ intruſa; cùm tamen ea omnia, quæ ad ſacramentorum perfectionem attinent, ſint ſtricti juris, & idcircò non debeant immutari, adeòque forma indicativa, quam ſemper adhibuit Eccleſia in ſacramento Pœnitentiæ, in deprecativam commutari non debuerit, germanus hic eſt Mayronis ſenſus, in quo diſſimulando fruſtrà Morinus laborat.

ARTICULUS IV.

Solvuntur ea, quæ objicit adverſarius, c. 10. & 11.

1. Affert Ordinem Romanum, in quo deſcribitur ritus reconciliandi pœnitentes feria quinta in Cœna Domini, & ex quo apparet, omnia orationibus peracta eſſe, nec niſi precibus pœnitentes reconciliatos fuiſſe.

Reſp. Reconciliationem pœnitentium, quæ fiebat feria 5. in Cœna Domini, & cujus ritum deſcribit Ordo Romanus, non fuiſſe ſacramentalem, ſeu non fuiſſe abſolutionem à peccatis, ſed publicam & ſolemnem abſolutionem ab excommunicatione pro foro externo.

Probatur ex ipſo Ordine Romano, in quo dicitur: *Tunc egreditur pœnitens è loco, ubi pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ* (adverte, *egreditur pœnitens*, non ut abſolvatur à peccatis; jam enim à ſacerdote aliquo, qui confeſſionem ejus audivit, ab eis privatim abſolutus eſt, ſed *ut gremio, &c.*) Et inferiùs: *Ab Archidiacono reddantur Epiſcopo* (pœnitentes) *& ab Epiſcopo reſtituantur Eccleſiæ gremio, proſtrato omni corpore in terram.* Unde Epiſcopus dicebat in oratione 6. *Præſta quæſumus Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarunt peccando, admiſſorum veniam conſequendo, reddantur innoxii.* Et in 9. *Eccleſiæ tuæ purificatos reſtitue, ac tuo altari repræſenta, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſi, una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur.* Et in 10. *Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut his famulis tuis, longo ſqualore pœnitentiæ maceratis, miſerationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejecti fuerant, mereantur introire.* Et in 17. *Redeant* (oves) *ad unitatem Eccleſiæ, & .... gaudeant ſe paterno receptas eſſe convivio.*

Sic igitur qui pœnitentiam publicam egerant, & toto pœnitentiæ tempore à cæteris fidelibus ſeparati, & communione Euchariſtica privati jacuerant, poſt ſacramentalem abſolutionem ab aliquo ſacerdote, putà à proprio Parocho, privatim acceptam, publicè & ſolemniter ab Epiſcopo reſtituebantur Eccleſiæ, & ad communionem Euchariſticam admittebantur eo ritu, quem habet Ordo Romanus. Quod confirmari poteſt ex duplici codice manuſcripto, quem utrumque exſcribit Morinus in calce operis ſui. Primus eſt Abbatiæ ſancti Victoris ad urbem, in quo dicitur: *Semper manuatim pœnitentes à plebejanis preſbyteris Archidiacono, ab Archidiacono reddantur Epiſcopo, & ab Epiſcopo reſtituantur Eccleſiæ gremio.* Secundus eſt, quem Dionyſianum vocat Morinus, & in quo hæc leguntur: *Poſt hæc erecti pœnitentes offerantur à preſbyteris Epiſcopo, & ipſe eos reconciliet Eccleſiæ.* In hoc autem utroque loco agitur de publica reconciliatione pœnitentium, quæ fiebat feria 5. in Cœna Domini.

Validè etiam confirmatur ex eo, quòd orationes omnes, quæ in Ordine Romano ad publicam illam pœnitentium reconciliationem, ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini faciendam attinent, & ſunt novemdecim, communes ſint; cùm fiant omnes in plurali numero: unde apparet pœnitentes, non ſigillatim ſingulos, ſed omnes ſimul & communiter ritu illo, quem habet Ordo Romanus, fuiſſe ab Epiſcopo reconciliatos. Quòd autem pœnitentes publici, quorum ſæpè contingebat magnum eſſe numerum, omnes ſimul & communiter abſolverentur ab excommunicatione pro foro externo, cùm jam eſſent pro foro interno ſingulatim ab ea abſoluti, non fuit inconveniens, & facilè creditur. At verò quòd ſic omnes ſimul & communiter abſolverentur à peccatis, prorſus eſt incredibile.

Præterea non poterat Epiſcopus pœnitentes publicos ſic à peccatis abſolvere communiter, quin antea integram ſingulorum confeſſionem audiviſſet: quòd autem antea ſingulorum confeſſionem integram audiviſſet, præſertim cùm illi erant magno numero, nec legitur, nec ulla ratione, quæ ſit alicujus momenti, probari poteſt. Denique plebejani illi presbyteri, de quibus loquuntur codices manuſcripti ſupra citati, videntur fuiſſe proprii pœnitentium parochi, qui quos poſt peractam ab illis pœnitentiam, privatim abſolverant à peccatis & ab excommunicatione, manuatim offerebant Epiſcopo ad publicam, & ſolemnem reconciliationem.

At inquies. Si orationes illæ novemdecim, quæ extant in Ordine Romano, non ordinantur ad abſolutionem ſacramentalem, nihil habet hic Ordo de abſolutione ſacramentali, data pœnitentibus publicis poſt actam pœnitentiam, & ita dici poterit, quòd pœnitentes publici olim, acta pœnitentia, ſine abſolutione ſacramentali reconciliarentur Eccleſiæ, & ad ſacram menſam admitterentur, quod certè abſurdum eſt.

Reſp. neg. ſeq. Nam novemdecim illas orationes, quæ in Ordine Romano pertinent ad ſolemnem pœnitentium reconciliationem cum Eccleſia ab Epiſcopo faciendam, tres aliæ ſubſequuntur, quibus præfixus eſt hic titulus, *Abſolutio ſingularis*, quaſque diximus, ab interpolatore ad calcem rejectas eſſe, & pertinere ad ſacramentalem abſolutionem, quam privatim & ſingulatim accipiebant pœnitentes, antequam cum Eccleſia ſolemniter reconciliarentur ab Epiſcopo, adeòque anteponendas fuiſſe his verbis ejuſdem Ordinis: Tunc egreditur pœnitens (ſingularis numerus hic eſt pro plurali, ut patet ex ſubſequentibus) de loco, ubi pœnitentiam geſſit, &c.

Porrò hiſce tribus orationibus præfixus eſt hic titulus, Abſolutio ſingularis, non quòd illis re ipſa pœnitens abſolveretur ſacramentaliter, ſed quia ex parte ad ipſum pœnitentem diriguntur, & per illas quaſi præludebat ſacerdos abſolutioni ſacramentali, verbis indicativis proximè ſubſecuturæ, ut manifeſtum fit ex ſecunda, in qua ſacerdos ait: *Frater N. Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis; Quæcumque ligaveritis ſuper terram ..... ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, &c.* Et ex tertia, in qua ſacerdos dicit: *Frater N. abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum per invocationem ſacrati nominis Dei & per miniſterium noſtrum percipere merearis, &c.* Nam ſacerdos non ſic orabat, niſi quia per verba indicativa, vel in ſingulari numero, dicendo, *Abſolvo te*, vel in numero plurali, dicendo, *Abſolvimus te in nomine Patris, &c.* Proximè pronunciaturus erat ſententiam, qua ſuum judicis miniſterium pœnitenti exhiberet, & ſic pœnitens per miniſterium ejus abſolveretur ſacramentaliter.

At inquies. Quòd novemdecim illæ orationes, quas habet Ordo Romanus, ordinarentur ad abſolutionem ſacramentalem, manifeſtum videtur ex penultima,

tima,

tima, quæ, ſicut ultima, hunc præfert titulum, *Abſolutio pluralis*, & in qua ſic orabat Pontifex: *Dominus Jeſus Chriſtus, qui dignatus eſt diſcipulis ſuis dicere: Quæcumque ligaveritis ...... ipſe vos largiſluo pietatis ſuæ dono, ac mea ſimul parvitatis miniſterio abſolvere dignetur ab omnibus fragilitatis veſtræ exceſſibus, interiùs exteriuſque humanitus contractis, Amen ..... Veſtrorum peccaminum maculas miſericorditer non dedignetur emundare, &c.* Certè hæc verba: *Mea parvitatis miniſterio*, relativa ſunt ad indicativa, quæ ſequenti & ultimæ orationi ſubjuncta ſunt: *Nos etiam ſecundum auctoritatem nobis indignis à Deo commiſſam, abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, ut mereamini habere vitam æternam, &c.* Quibus manifeſtè videtur contineri formula ſacramentalis.

Reſp. Pontificem hac penultima, ſicut & ultima oratione, 1. non oraſſe pro mortalibus, à quibus jam privatim abſoluti erant pœnitentes, ſed tantùm pro venialibus, quæ pœnitentibus poſt ſacramentalem mortalium abſolutionem ſupereſſe poterant. Patet ex his verbis: *Omnibus fragilitatis veſtræ exceſſibus, interiùs exteriuſque humanitùs contractis.* 2. Oraſſe pro venialibus, quæ pœnitentibus in ſacramento Pœnitentiæ juſtificatis ſupererant, remittendis, non ſacramentaliter & ex opere operato, ſed extra ſacramentum & ex opere operantis Eccleſiæ; ut

Prob. Ex S. Thoma opuſ. 22. cap. 2. ubi de adverſario ſuo loquens, ſic ait: *Ad hoc inducit, quod in quibuſdam abſolutionibus, quas Eccleſia facit in Prima & in Completorio, ante Miſſam, & poſt prædicationem, ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ, & in die Cinerum, & Cœna Domini, non fit abſolutio per orationem indicativam, ſed deprecativam. In quo miror eum non advertere, quod hujuſmodi abſolutiones non ſunt ſacramentales, ſed ſunt quædam orationes, quibus dicuntur venialia peccata dimitti.* Idem docet 3. part. quæſt. 84. art. 3. ubi hanc ſibi proponit objectionem: *In quibuſdam abſolutionibus, quæ in Eccleſia publicè fiunt, ſicut in Prima & Completorio, & in Cœna Domini, abſolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat*, Ego vos abſolvo, *ſed oratione deprecativa, cùm dicit:* Miſereatur veſtri, &c. & ad eam ſic reſpondet: *Hujuſmodi autem abſolutiones in publico factæ, non ſunt ſacramentales, ſed ſunt orationes quædam ordinatæ ad remiſſionem venialium peccatorum.*

Præfatæ igitur orationes non ordinabantur ad abſolutionem ſacramentalem impertiendam pœnitentibus poſt actam pœnitentiam, ſed tantùm mortalibus jam per Pœnitentiæ ſacramentum remiſſis, ad obtinendam applicatione ſuffragiorum Eccleſiæ, venialium quæ ſupererant remiſſionem. Quare verba indicativa ſupra relata non continebant formam ſacramentalem, qua pœnitentes ſacramentaliter abſolverentur à peccatis, pro quibus pœnitentiam egerant, ſed formam, qua pœnitentes, jam privatim in foro interno abſoluti ab excommunicatione, ab ea publicè abſolvebantur pro foro externo, imò & qua veriſimiliter abſolvebantur ab omni reatu pœnæ temporalis, per peccata, de quibus pœnitentiam egerant, contracto. Quidni enim dici poſſit, quòd Pontifex per verba illa indicativa, pœnitentibus pœnitentia publica perfunctis, & à peccatorum reatu ſacramenti virtute liberatis, plenariam concederet indulgentiam, ſeu id quod pœnæ temporalis pro peccatis condonatis luendæ poſt exantlatos pœnitentiæ publicæ labores fortaſsè ſupereſſet, condonaret? Quod

Probari poteſt ex eo, quòd Pontifex non dicebat: Abſolvimus vos ab omnibus delictis veſtris, ſed dicebat: *Abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum*, hoc eſt, ab omni vinculo ex delictis veſtris à vobis contracto, qualis eſt reatus pœnæ temporalis, quæ reatu culpæ, ſive in ſacramento, ſive extra ſacramentum ſublato, imò & impleta ſatisfactione à ſacerdote impoſita, ordinariè luenda ſupereſt.

Ii itaque, qui ob crimina publica ex neceſſitate, vel etiam ob occulta ex devotione pœnitentiam publicam egerant, poſt peractam pœnitentiam privatim à peccatis abſoluti à ſacerdotibus ſeu propriis parochis, qui integram horum confeſſionem exceperant, feria 5. in Cœna Domini offerebantur Pontifici, qui ſolemniter eos reconciliabat Eccleſiæ, eiſque jus communicandi reſtituebat, atque ſic Eccleſiæ reconciliatis, & ad communionem Euchariſticam habilitatis extra ſacramentalem venialium remiſſionem, quoad poterat, concedebat, ut ſic cum majori puritate ad ſacram menſam accederent; quin etiam veriſimiliter omnem eis reſiduam pœnam temporalem, venialibus illis & aliis antea per ſacramentum remiſſis debitam, condonabat virtute clavium.

Porrò ex dictis hactenùs patet reſponſio ad id quod affert Morinus n. 5. ex Alcuino in libris de officiis divinis cap. de Cœna Domini. Et num. 6. ex S. Gregorio in lib. ſacramentorum, ubi habet tantùm orationes pro reconciliatione pœnitentis facienda ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini; loquuntur enim Gregorius & Alcuinus tantùm de pœnitentibus publicis, & eorum, poſtquam privatim abſoluti fuerunt ſacramentaliter, publica cum Eccleſia reconciliatione Epiſcopo reſervata.

Ad id quod eodem n. 6. addit ex Grimaldo Abbate in Sacramentario Gregoriano à ſe recenſito, in quo reconciliationem pœnitentis ad mortem ſic docet eſſe faciendam: *Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire.*

Reſp. 1. Gregorium apud Abbatem illum loqui tantùm de pœnitente publico, qui ante peractam pœnitentiam in lethalem morbum incidit, & morti proximus eſt. 2. Gregorium non agere de modo reconciliandi pœnitentem illum Deo per abſolutionem ſacramentalem, ſed de modo pœnitentem illum, Deo jam à ſacerdote, cui confeſſus eſt, reconciliatum, reconciliandi Eccleſiæ, & reſtituendi in jus percipiendi ſacramentum Euchariſtiæ, antequam licitè poſſit ei viaticum adminiſtrari.

Prob. Ex his verbis: *Ad regalem menſam, unde ejectus eſt, &c.* Et ex eo quod, cùm nec Epiſcopus, nec ſacerdos aliquis adeſſe poterat, hac oratione pœnitentem reconciliabat diaconus, à quo tamen pœnitens nec abſolvebatur, nec abſolvi poterat ſacramentaliter, quantumvis contrarium nitatur probare Morinus cap. 23.

Num. 7. affert Haligarium Cameracenſem Epiſcopum, & num. 8. & 9. Burchardum, qui cùm agunt de reconciliatione pœnitentis facienda à ſacerdote per abſolutionem ſacramentalem, nullam habent formulam indicativam, ſed orationes tantùm, quibus ſacerdos Deum rogat, ut pœnitenti peccata condonet.

Reſp. Scriptores illos exſcripſiſſe orationes, quas recitare debebat ſacerdos partim ante, partim poſt formulam indicativam, qua pœnitentem abſolvebat: cùm enim orationes illæ plures eſſent, nec breves, non poterant eas ſacerdotes niſi ex ſcripto diſcere memoriter, & poſtquam didicerant, niſi identidem illas relegendo, memoriæ retinere. At formula indicativa abſolutionis breviſſima eſt, & ſemel auribus excepta addiſcitur, & impoſterum nullo negotio memoria retinetur: quare illam ab allegatis ſcriptoribus referri, minimè neceſſarium fuit: unde mirum videri non debet, quòd eam non referant, præſertim cùm illam non invenerint exſcriptam in antiquis, quos exſcribebant, pœnitentialibus libris, in quibus prudenter ſuppreſſa fuerat, ne ſi caſu aliquo hi libri venirent in manus prophanorum, eorum ludibrio exponeretur excellens illa, quamvis relatè ad Deum miniſterialis tantùm & inſtrumentalis, poteſtas remittendi peccata, hominibus à Deo conceſſa.

Hanc porrò œconomiam in Ritualibus & Pœnitentialibus omnibus, vel penè omnibus, ad mille tales & quadringentos annos ſervatam eſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Joannes Gerſon in opuſculo ſuper abſolutione confeſſionis ſacramentalis, in quo hæc legun-

leguntur : *Ad tertium quod quæris, unde tot varietates in forma iſta abſolutionis? Reſp. Quod ex ignorantia, vel negligentia ſufficienter inquirendi quæ agenda ſunt circa ſacramenta. Sed cur plus inquiritur circa iſtam formam, quàm circa alias? Reſponſio una eſt, quia aliæ formæ dicuntur publicè, & inveniuntur ſcriptæ* (Pontificalibus, ſcilicet, vel Ritualibus) *ſicque leguntur. Hic autem* (in tribunali pœnitentiæ) *occultè & abſque libris & arbitris fit negotium. Poteſt & alia ratio dari, quia actus confeſſionis, & abſolutionis eſt quidam actus judicialis. Ubi videtur ſufficere, quod ſacerdos judex explicet ſententiam ſuam quibuſcumque verbis* (ſupple, modò tamen indicativa adhibeat : formam enim indicativam neceſſariam eſſe, diſertè docet Gerſon.)

Unde ergo tanta tempore Gerſonis in abſolutionis formula varietas? Nam ut ex ipſo Gerſone intelligitur, alii dicebant, & quidem rectè, Ego abſolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, &c. alii, & quidem ad valorem ſacramenti ſufficienter, Ego abſolvo te à peccatis tuis; alii, Abſolvo te à peccatis contritis; alii, Abſolvo te à peccatis confeſſis & oblitis; alii, Abſolvo te à peccatis tuis, in quantum poſſum; alii, Abſolvo te à peccatis tuis, in quantum debeo. Item unde aliquibus videbatur, ſacerdotes pro arbitrio validè & licitè uti poſſe quibuſcumque verbis indicativis, ſententiam abſolutionis ſufficienter exprimentibus? Quia nondùm eo tempore circumferebantur Ritualia, vel Pœnitentialia, in quibus exſcripta eſſet abſolutionis formula.

Cap. 11. Infirmus propè eſt Morinus in allegandis manuſcriptis Ritualibus, Sacramentariis, & Pœnitentialibus, quæ nihil habent præter orationes, cùm agunt de reconciliatione pœnitentis feria 5. in Cœna Domini; de reconciliatione pœnitentis ad mortem, & de reconciliatione pœnitentis poſt confeſſionem privatam, niſi quòd aliqua poſt annum milleſimum exarata, aliquid indicativum adjungunt formæ deprecativæ, ſeu orationibus illis, quibus juxta Morinum pœnitens abſolvebatur. Sed miſeret nos Morini, qui tantùm olei & operæ perdiderit in evolvendis illis manuſcriptis. Nam

1. Cùm agunt de reconciliatione pœnitentis, facienda ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini, agunt de cæremonia purè eccleſiaſtica, ut ſatis ſuperque conſtat ex dictis ſuprà. 2. Cùm agunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem, vel loquuntur de pœnitente publico, & tunc præſcribunt cæremoniam purè eccleſiaſticam, qua pœnitens, nondùm peracta pœnitentia, morti proximus, & idcircò ſtatim abſolutus ſacramentaliter, reconciliabatur Eccleſiæ, antequam viaticum acciperet : vel loquuntur de quolibet alio moribundo; & tunc tantùm afferunt orationes, quas ante vel poſt abſolutionem ſacramentalem recitare debebat ſacerdos. 3. Cùm agunt de reconciliatione pœnitentis poſt confeſſionem privatam, ſimiliter afferunt orationes à confeſſario recitandas ante, vel poſt abſolutionem ſacramentalem, dandam per formulam indicativam, quam prætermittunt, & quia prætermiſſa juſtiſſimas ob cauſas fuerat ab aliis antiquioribus, & quia cùm breviſſima ſit, à confeſſariis omnibus ex auditu diſci, & facillimè retineri poterat.

Certè non magis dici poteſt ſacerdos olim ſacramentaliter abſolviſſe per orationes illas, quibus ſuprà pœnitentem orabat, audita ejus confeſſione, quàm per alias ſimiles, quibus, ut videre eſt in Ritualibus & Pœnitentialibus, quæ à Morino in calce operis edita ſunt, orabat ſuper pœnitentem, vel antequam confeſſionem ejus exciperet, dicendo v. gr. *Reſpice ſuper hunc famulum tuum N. peccata & facinora ſua confitentem, veniamque illi donare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, &c.* (Pag. 29. col. 2.) Vel cùm Miſſam pro ſibi confeſſo cantabat, dicendo v.g. *Ne ſit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio; ſana vulnera illius, ejuſque remitte peccata, &c.* (Pag. 30. col. 2.) Et poſtquam pœnitens communicaverat : *Purificent nos, quæſumus Domine, ſacramenta, quæ ſumpſimus, & famulum tuum N. ab omni culpa liberum eſſe concede, &c.* (Pag. 31. col. 1.) At quis credet Morino aſſerenti ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis olim adminiſtraſſe ſacramentum Pœnitentiæ cantando?

Denique lectori vult illudere Morinus, cùm ait, in aliquibus Eccleſiis poſt annum milleſimum formæ deprecativæ adjectum eſſe aliquid indicativum, quod tamen ex uſu & ſententia Eccleſiarum illarum ad ſacramenti ſubſtantiam non pertinebat : illud enim indicativum, vel imperativum indicativo æquivalens, quod in aliquibus ex iis, qui in calce operis ſui Morinus edidit, Pœnitentialibus invenitur, ubi agitur de reconciliatione pœnitentis poſt privatam confeſſionem, eſt ipſiſſima formula, qua pœnitens à ſacerdote abſolvebatur ſacramentaliter, præmiſſis orationibus, in quibus ſacramentalem abſolutionem perperam ponit Morinus.

Itaque pœnitentem ſacramentaliter abſolvit ſacerdos in Pœnitentiali Egberti, cùm ait : *Sis namque abſolutus à Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ..... & à me quamvis indigno, & hic & in futuro ſæculo, Amen. Sis abſolutus à Deo*, deprecativum eſt; *Sis abſolutus à me*, imperativum. (Pag. 15. col. 2.) Quæ formula huic noſtræ æquivalet, *Dominus noſter, &c.* & *Ego te abſolvo, &c.* Item in Pœnitentiali Turonenſi, cùm ait : *Abſolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum, & quidquid pro eis mereris oramus, &c.* (Pag. 44. col. 2.) Item in Pœnitentiali Victoriano, cùm ait : *Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit, & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Dominus .... omnibus peccatis tuis indultor.* (Pag. 50. col. 2.)

Nec dic à nobis ſuprà negatum eſſe, quòd hæc verba *Abſolvimus te vice B. Petri, &c.* contineant formulam ſacramentalem : hoc enim tantùm negamus, ubi agitur de reconciliatione pœnitentium publicorum publicè facienda ab Epiſcopo feria 5. in Cœna Domini, quia hæc reconciliatio erat cæremonia purè eccleſiaſtica, & ſupponebat pœnitentes privatim à ſacerdotibus, qui integram eorum confeſſionem exceperant, ſacramentaliter abſolutos. At loco proximè citato agitur de reconciliatione pœnitentis poſt confeſſionem ſacramentalem à ſacerdote privatim faciendam, quæ reconciliatio fiebat per ſacramentalem abſolutionem.

Dices denique. Si in manuſcriptis proximè allegatis ſacerdos pœnitentem abſolvit, non per orationes, ſed per verba citata, non una, & eadem in omnibus Eccleſiis fuit abſolutionis formula, adeoque non unum, & idem fuit in omnibus Eccleſiis Pœnitentiæ ſacramentum, quod eſt abſurdum.

Reſp. Antequam Eccleſiæ Romanæ formula : *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, &c.* obtineret in univerſa Eccleſia, non unam & eandem grammaticaliter formulam abſolvendi fuiſſe adhibitam in omnibus Eccleſiis particularibus : videtur enim, quòd in aliis ſacerdotes adhibebant modum imperativum, directum, non ad Deum, ſed ad ipſum pœnitentem, dicendo, v. grat. *Sis abſolutus à me*; alii modum indicativum in plurali numero, dicendo, *Abſolvimus te*; alii modum indicativum in numero ſingulari, dicendo, *Abſolvo te* : ſed hæc diverſitas grammaticalis tantùm erat, imò & fortaſsè in aliquibus Eccleſiis liberum relinquebatur ſacerdotibus, ut ex iis formulis qua vellent uterentur, & ſolùm oretenùs generaliter admonebantur, ut ſententiam pronunciarent per verba, quibus ſignificarent, ſe pœnitentem abſolvere; qualia non poſſunt eſſe verba deprecativa : qui enim orat ſuprà pœnitentem, petit ut pœnitens abſolvatur, non ſignificat ſe illum abſolvere, ut ait S. Thomas 3. part. quæſt. 84. art. 3. ad 1.

Conjecturam hanc, quòd olim in aliquibus Eccleſiis non fuerint ita determinata verba, quibus uti tenerentur ſacerdotes in abſolvendis pœnitentibus, & liberum illis fuerit quæ vellent adhibere, modò

tamen

tamen per ea abſolutionem ut actum judicialem exprimerent, adeoque modum indicativum, vel imperativum, indicativo æquivalentem adhiberent; ſic tamen ut commodiùs, ſicut & convenientiùs, dicerent: *Ego te abſolvo, &c.* hanc, inquam, conjecturam confirmat Scotus, cùm ait in 4. diſt. 14. quæſt. 4. *Poteſt ſacramentum Pœnitentiæ dici ſacramentum judiciale, vel judicium ſacramentale .... & ex hoc patet ratio, quare non eſt neceſſe, eſſe ita præcisè verba in iſto ſacramento, ſicut in baptiſmo, vel Euchariſtia; quia ſufficit, quòd exprimatur actus ſententiæ abſolventis, ſicut & in judicio publico non oportet eſſe limitata verba. Ait unus de Theodoro Martyre, Jubeo ignibus tradi. Alter de Cypriano ſancto, Gladio animadverti placet. Communiter tamen iſta verba ſunt apta:* Ego te abſolvo, *quæcumque alia præmittantur, vel conſequantur, ſecundùm diverſam conſuetudinem in diverſis Eccleſiis.* Ad hoc etiam pertinet, quod dicit Gerſon loco ſupra laudato: *Poteſt & alia ratio dari, quia, &c.*

ARTICULUS V.

Solvuntur ea, quæ opponit Morinus cap. 12.

Hoc cap. Morinus contendit, formam abſolutionis deprecativam fuiſſe prioribus ſæculis, nec poſteà talem eſſe deſiiſſe in Eccleſia Græca: ita ut, juxta Morinum, etiam nunc presbyteri Græci validè abſolvant ſine forma indicativa, & tantùm orando ſuprà pœnitentem ſibi confeſſum, ut Deus ei peccata remittat. Ad hanc doctrinam

Reſp. neg. Quòd prioribus ſæculis abſolutionis formula deprecativa fuerit in Orientali Eccleſia, & dico, ſicut in Occidentali, ita & in Orientali Eccleſia indicativam ſemper fuiſſe. At, inquit Morinus, in Euchologio edito, & aliis vetuſtiſſimis manuſcriptis, ubi agitur de abſolvendo pœnitente, nihil habetur præter orationes, quibus ſacerdos petit à Deo, ut pœnitenti condonet peccata.

Reſp. In Euchologiis Græcorum exſcriptas fuiſſe orationes illas, non ut per eas abſolveretur pœnitens, ſed ut adjungerentur formulæ indicativæ, qua pœnitens abſolvebatur, & quæ ſicut in Latinorum, ita & in Græcorum antiquis Ritualibus & Pœnitentialibus juſtas ob cauſas, quas ſupra attigimus, prætermiſſa eſt, propter quas cauſas utraque Eccleſia olim judicavit ſufficere, ſi viva voce ſacerdotibus traderetur indicativa illa abſolutionis formula, quæ aliundè, cùm breviſſima ſit, ſine ſcripto diſci & memoria retineri potuit; vel etiam fortaſsè judicavit ſufficere, ſi viva voce admonerentur ſacerdotes, ut in abſolvendo pœnitente adhiberent verba indicativa, quibus abſolutionem per modum actus judicialis exprimerent.

At inquit idem. Neoterici Græci, ut Nicolaus Cabaſilas, & Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha, in primo reſponſo ad Lutheranos formulam abſolutionis conſtituunt in orationibus, quibus ſacerdos Deum deprecatur, ut pœnitentem abſolvat. *Reſp.* Si ita eſt, ſilentium Euchologiorum fuit illis occaſio errandi.

At inquit idem. S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, in explicatione verborum liturgiæ: *Hoc eſt corpus meum*, non ab his verbis, quæ indicativa ſunt, ſed ab orationibus, quæ illis adjunguntur, ſacramentalis operationis virtutem trahit, vel, ut Morinus ſe verbis involvens, ait: „ Quotidianam iſtorum verborum (Hoc eſt Corpus meum) energiam „ à verbis Chriſti, & Spiritus S. promiſſione petit, „ quem Apoſtolorum & ſucceſſorum precibus perpetuò affuturum pollicitus eſt. Verba S. Germani ſunt; *Præterea nulla fidelibus de ſanctificatione donorum dubitatio ſupereſt, neque de aliis ſacramentis, an ſecundum propoſitum & preces ſacerdotum compleantur.* Quibus verbis S. Germanus apertè omnem operationem ſacramentalem attribuit orationi, adeoque formæ deprecativæ.

Reſp. Eo Morinus non obſcurè S. Germano craſſum impingit errorem, nempe quòd panis conſecratio fiat non per hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, quæ profert ſacerdos in perſona Chriſti, cum intentione faciendi ſacramentum, ſed per preces, quas illis adjungit, & quibus orat, ut panis in Corpus Chriſti convertatur. Sed hoc à S. Germani mente alieniſſimum eſt: verbis enim citatis S. Germanus non aliud dicit, quàm panem & vinum ſanctificari ſeu conſecrari ſecundùm intentionem & preces ſacerdotis, qui Miſſam celebrat, quod verum eſt: nam ſacerdos, cùm Miſſam celebrat, intendit panem in Corpus Chriſti convertere; & antequam dicat, *Hoc eſt Corpus meum*, orat ut fiat hæc converſio, quæ re ipſa fit virtute horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, ſtatim atque ea profert, ſicque ſecundùm intentionem & preces ejus, fit panis conſecratio, ſicut adhuc facta fuiſſet, etiamſi preces illas omiſiſſet.

Similiter in ſacramento Pœnitentiæ juſtificatio peccatoris completur ſecundùm propoſitum & preces ſacerdotis, non quòd peccator abſolvatur à peccatis per orationem, ſeu per formam deprecativam, ſed quia ſacerdos intentionem habet peccatorem ſibi confeſſum abſolvendi, & ad hunc effectum Deum deprecatur, ut ratam habeat abſolutionis ſententiam, quam mox pronunciaturus eſt, & quæ ſtatim atque per verba indicativa pronunciatur, Deum moraliter determinat ad gratiam infundendam, & remittenda peccata peccatori contrito & confeſſo, qui proinde abſolvitur, & juſtificatur ſecundùm propoſitum, & preces ſacerdotis. Hic eſt genuinus Germani ſenſus: ſed ea eſt Morini indoles, vel infœlicitas, ut etiam ea, quæ plana ſunt, in alienum ſenſum detorqueat.

At, inquit Morinus, Moderni Græci utuntur forma deprecativa, qualis eſt iſta: *Dimitte, remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua eſt potentia, & tuum regnum, Patris, &c.* Et cum hac formula validè abſolvunt.

Reſp. Non omnes modernos Græcos uti forma deprecativa, ſed multos indicativam adhibere, quamvis major pars ex ignorantia deprecativam tantùm adhibeat, ut locuples teſtis eſt Arcudius concordiæ, lib. 4. cap. 3. Ex iis autem qui formam indicativam adhibent, alii, nempè ſimplices presbyteri, dicunt: *Habeo te venia donatum*; alii verò, nempe Epiſcopi, dicunt in tertia perſona: *Mea mediocritas habet te venia donatum*; qui modi loquendi idem apud Græcos ſignificant, quod apud Latinos, Do tibi veniam, Mediocritas mea dat tibi veniam, ut ſentit & probat idem Arcudius, homo græcus, & in nativa ſua lingua verſatiſſimus, cui proinde potiùs auſcultandum eſt, quàm Morino contra cavillanti & reclamanti.

Porrò à formulis illis verborum tenùs tantùm differunt iſtæ: *Divina gratia ſanctiſſimi Spiritus per me peccatorem & minimum ſervum ſuum habet condonata quæcumque peccaſti: Gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum & abſolutum:* Quarum primam cum aliqua tamen depravatione, quam omittimus, Arcudius accepit à quodam Nicephoro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archidiacono, dignitate & officio protoſyncello, homine non indocto: ſecundam verò tradit Gabriel Philadelphienſis Epiſcopus in libello de Sacramentis.

At, inquit Morinus, Gabriel ille non conſtituit in verbis citatis formam ſacramenti Pœnitentiæ: nam ſic loquitur: *Forma pœnitentiæ eſt poteſtas à Servatore noſtro conceſſa ſolis ipſis ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis, quam tradentes univerſæ terræ Epiſcopis, mutua & ſibi ſuccedente traditione operari juſſerunt .... ideò legitimi ſanctæ exomologeſis adminiſtri peccatori ad eos venienti dicunt: Gratia ſanctiſſimi Spiritus, &c.* Forma igitur Pœnitentiæ, inquit Morinus, ex ipſius ſententia eſt poteſtas à Chriſto data remittendi peccata. Quibus autem verbis enuncietur & applicetur, non explicat.

Reſp. Hìc hæret Morinus in plano: nam juxta Gabrielem, quare ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis dicunt:

dicunt : *Gratia ſanctiſſimi Spiritus ?* .... Quia Apoſtoli univerſæ terræ Epiſcopis juſſerunt , ut per ſe , vel ſimplices presbyteros , poteſtatem remittendi peccata à Chriſto datam exerceant circa pœnitentes . Ergo juxta Gabrielem, ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis dicunt ; *Gratia ſanctiſſimi* , *&c.* ut circa illos exerceant poteſtatem remittendi peccata à Chriſto datam ; & per Apoſtolos traditam univerſæ terræ Epiſcopis, cum obligatione illam per ſe vel per presbyteros adjutores ſuos exercendi . Ergo juxta Gabrielem , ſacerdotes pœnitentibus ſibi confeſſis dicunt : *Gratia ſanctiſſimi*, *&c.* ut eos à peccatis abſolvant. Ergo juxta noſtrum , qui proprius eſt, loquendi modum , apud Gabrielem in his verbis : *Gratia ſanctiſſimi* , *&c.* conſiſtit forma ſacramenti Pœnitentiæ.

At inquit Morinus. Verba illa , *Gratia ſanctiſſimi Spiritus* , *&c.* ad abſolutionem peccati referri non poſſunt. Nego. *Probat.* 1. Ubique ſemper Græci in cauſa ſacramentorum tertia perſona verbi ſignificantis actionem ſacramentalem utuntur, nunquam ipſius participio . Verbi graria , in omnibus ordinationibus dicunt : *Divina gratia* .... *promovet hunc N. reverendum ſubdiaconum in diaconum* , vel , *diaconum in presbyterum* . 2. Participium præteritum ad formam ſacramenti planè ineptum eſt : cùm enim hæc forma ſit effectiva rei petitæ, in præſenti enunciari debet, aut ſaltem deprecativè , Deo ſimul cum oratione ſacerdotis effectum producente . Atqui in præfata formula adhibetur participium præteritum ; in ea enim dicitur : *ἔχει ϲυγκεχωρημένον* , *ἢ λελυμένον* .

Ad 1. *Reſp.* 1. Nequidem verbum actionem ſacramentalem ſignificans , à Græcis adhiberi in omnibus ſacramentis : nam confirmant per has voces : *Signaculum donationis Spiritus ſancti* , & conſecrant per iſtas : *Hoc eſt Corpus meum* . 2. Græci dicunt quidem in omnibus ordinationibus : *Divina gratia promovet*, at æquè poſſent dicere : *Divina gratia habet promotum* , & æquè valeret ordinatio , ſi dicerent. Quidni ergo pariter poſſent indifferenter dicere : *Gratia ſancti Spiritus te abſolvit* , vel , *Gratia ſancti Spiritus habet te abſolutum per me* , & utroque loquendi modo verè abſolvere ?

Ad 2. *Reſp.* Neg. *Ad prob. Reſp.* Hanc formulam, *Gratia ſancti Spiritus habet te abſolutum* , ad ſignificare tempus præſens , & per participium præteritum tam ſignificari poſſe, ope verbi auxiliaris, actionem præſentem, vel etiam futuram, quàm præteritam , ſicut per participium præſentis temporis tam poteſt ope verbi auxiliaris ſignificari actio præterita vel futura , quàm præſens. Sic cùm dicitur , Qui hoc facit, excommunicatus eſt, perinde eſt, ac ſi diceretur , Excommunicatur ipſo facto. Cùm dicitur, Si quis hoc fecerit, ſit excommunicatus, perinde eſt, ac ſi diceretor, Ipſo facto excommunicabitur. Cùm dicitur, Fuit amans, actionem præteritam ; cùm dicitur , erit amans , actionem futuram ſignificat to amans, quod eſt præſentis temporis participium.

Hic igitur modus loquendi : *Habeo te venia donatum & abſolutum*; *Mediocritas mea*, vel, *Gratia ſancti Spiritus per mediocritatem meam habet te* , *&c.* Eſt atticiſmus , quia per participium præteriti cum verbo auxiliari præſentis temporis , prima , vel tertia perſona verbi, actionem præſentem ſignificantis, eleganter redditur ; & cùm ſacerdos græcus ſupra pœnitentem ſibi confeſſum ſic loquitur, perinde eſt, ac ſi diceret, Te abſolvo , & veniam tibi do , Mediocritas mea veniam tibi dat, & abſolvit te, &c.

Multi igitur ex modernis Græcis utuntur forma indicativa , ut pœnitentes abſolvant , quod confirmat Arcudius , 1. Ex duabus abſolutionibus ſcripto datis à duobus Patriarchis Antiochenis in hanc formam : *Mediocritas noſtra habet venia condonatum ſpiritualem filium ſuum* , *&c.* 2. Ex libro Ruſſorum idiomate manuſcripto , in quo hanc legit abſolutionis formulam: *Ab omnibus peccatis, quæcumque nunc coram me indigno confeſſus es* , *liberum te faciat* (Deus,) *ego quoque pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi à Deo & ſuperioribus conceſſa*, *abſolvo te ab omnibus peccatis tuis. Det ergo tibi Deus, ut in hoc, & in futuro ſæculo irreprehenſibilem te ſiſtas judicio ejus, qui eſt benedictus in ſæcula.*

Addimus, in his verbis: *Habeo te venia donatum & abſolutum*, vel, *Mediocritas mea*, aut , *Gratia S. Spiritus per mediocritatem meam habet te venia donatum & abſolutum*, in Orientali Eccleſia conſiſtere veram abſolutionis formulam : ita, ut Græci verba tantùm deprecativa adhibentes , ut pœnitentes ſibi confeſſos abſolvant, non plus efficiant, quàm efficeret Latinus , qui ſupra pœnitentem ſibi confeſſum recitaret tantùm orationes , quæ ſolent præmitti his verbis : *Ego te abſolvo*, *&c.* & hæc verba omitteret. Quod breviter

Prob. 1. Ex ipſo Morino. Juxta Morinum, c. 18. num. 2. Immutabiles ſunt formæ Sacramentorum, & ubique terrarum eædem prorſus in quibuslibet Eccleſiis. Ergo forma ſacramenti Pœnitentiæ prorſus eadem nunc eſt in utraque, Orientali, ſcilicet, & Occidentali Eccleſia. Atqui forma ſacramenti Pœnitentiæ indicativa eſt in Eccleſia Latina : ergo & in Græca. Subſumptum patet ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. ubi definitum eſt , formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his miniſtri verbis : *Ego te abſolvo*, *&c.* Et hæc verba manifeſtè indicativa, ſeu enunciativa ſunt, non verò deprecativa, ut contra omnem veriſimilitudinem, & verecundiam contendit Morinus.

2. Ex Tridentino : nam cùm ſeſſ. 14. cap. 3. ſimpliciter docet, formam ſacramenti Pœnitentiæ poſitam eſſe in his miniſtri verbis : *Ego te abſolvo* , *&c.* Certè declarat inſtitutionem Chriſti. Atqui inſtitutio Chriſti una & eadem eſt pro omnibus Eccleſiis. Ergo forma ſacramenti Pœnitentiæ tam pro Eccleſia Græca, quàm pro Latina , poſita eſt in his miniſtri verbis : *Ego te abſolvo*, *&c.*

At inquies. Non obſtante Tridentini definitione, miniſter validè abſolvet , etiamſi non dicat : *Ego te abſolvo* , modò utatur verbis æquivalentibus . *Reſp.* Ita eſſe : unde Græcus validè abſolvit, ſi cum intentione abſolvendi dicat : *Habeo te venia donatum & abſolutum*, vel, *Mediocritas mea habet te venia donatum* , *&c.* vel , *Gratia ſancti Spiritus per me* , aut , *per mediocritatem meam habet te* , *&c.* Secùs verò, ſi tantum dicat, v. g. *Ipſe Domine* , *dimitte*, *remitte*, *condona*, *&c.* ut ſupra. Ratio eſt, quia hæc formula ſignificationem habet ſubſtantialiter diverſam ſignificatione iſtius : *Ego te abſolvo* , *&c.* ut ſuo loco demonſtratum eſt , adeòque ei æquivalere non poteſt.

Num. 7. Objicit nobis Clementem VIII. in inſtructione ſuper ritibus Græcorum , quam anno 1595. edidit , & in qua ſic loquitur : *In caſu neceſſitatis presbyteri Græci catholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur formula abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſteà ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam , quam pro forma hujus abſolutionis dicere tantùm conſueverunt .* „ Conſtat igitur , inquit Morinus, formam abſolutionis Græcis hodiernis uſitatæ, eſſe tantùm deprecativam. „ Validam autem eſſe illam abſolutionem, ex eodem „ decreto manifeſtè colligitur , cùm Græcos ſacerdotes catholicos ad formam Latinam tantùm adſtringat ,dum aliquo neceſſitatis caſu contingit eos Latinorum confeſſiones audire. Cùm igitur Græcorum confeſſione audiunt , eos cum forma ſua deprecativa validè poſſunt abſolvere. „

Reſp. Majorem Græcorum partem uti forma abſolutionis deprecativa , jam Morino conceſſimus , & adhuc facilè concedimus ; ſed negavimus , & adhuc negamus illos cum tali forma validè abſolvere . Eos autem validè abſolvere poſſe cum tali forma , fruſtrà nititur colligere adverſarius in decreto Clementis VIII. Falſum enim eſt, quòd Clemens VIII. Græcos ſacerdotes catholicos ad formam indicativam adſtringat ſolùm

lùm pro caſu neceſſitatis, quo contingit eos Latinorum confeſſiones audire; ſed ſimpliciter & abſolutè adſtringit, adeòque pro omni caſu, ſive Latinorum, ſive Græcorum confeſſiones audiant: nam ſimpliciter & abſolutè dicit: *Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta.* Verbis laudatis tria facit Clemens. 1. Græcis ſacerdotibus catholicis dat licentiam abſolvendi Latinos in caſu neceſſitatis. 2. Simpliciter & abſolutè prohibet illis, ne ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrent ſine forma abſolutionis indicativa. 3. Permittit eis, ut ſi velint, formæ abſolutionis indicativæ adjungant orationem illam, quam pro abſolutionis forma dicere tantùm conſueverunt.

Clementis igitur decreto opprimitur Morinus, & ex eo apertè colligimus, formam Græcorum deprecativam inſufficientem eſſe ad validam ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem: nam ſi ſufficeret, Clemens VIII. Græcis ſacerdotibus catholicis nec prohibuiſſet, immò nec rationabiliter prohibere potuiſſet, ne impoſterum ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrarent ſine forma abſolutionis indicativa.

Confirmatur ex aliis ejuſdem decreti verbis: *Inſuper idem ſanctiſſimus Dominus noſter conſtituit Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum catholicum, qui Græcos, Epiſcopis Latinis Italiæ & inſularum adjacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id tantùm concedendis, ritu Græco ordinet. Ita Sanctitas ſua ex ſententia Congregationis ſuper reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit.* Quare autem Clemens vult, ut Græci catholici, etiam ii, qui Epiſcopis Latinis ſubjecti ſunt, ab Epiſcopo Græco ordinati poſſint ritu græco, & non permittit Græcis ſacerdotibus catholicis, ut ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrent ritu apud Græcos communiter recepto? Certè nulla alia ratio afferri poteſt, quàm quòd judicet, Græcos hac formula, *Divina gratia hunc N. promovet, &c.* Cum ſola manuum impoſitione validè ordinare; invalidè verò abſolvere cum ſola oratione illa, qua petunt à Deo, ut pœnitenti ſibi confeſſo peccata condonentur. Sed ut demus adverſario id totum, quod poſſumus, ſic

Argumentor. In reformatione Græcorum Clemens VIII. nihil immutavit in ritu, quo Sacramenta adminiſtrabant, excepto Pœnitentiæ ſacramento, pro quo præſcripſit eis uſum formæ indicativæ, liberum eis relinquendo, ut ei adjungerent, vel non adjungerent orationem illam, quam pro forma abſolutionis dicere tantùm conſueverant. Ergo ſaltem Clemens VIII. judicavit dubium eſſe ſacramentum Pœnitentiæ, collatum apud Græcos ſub hac forma, *Dimitte, remitte, &c.* Nam vel hoc ſaltem judicavit, vel ſine ſufficienti cauſa, adeòque irrationabiliter, quod dici non poteſt, coegit Græcos catholicos, ritu ſuo rejecto, ritum Latinum deinceps adhibere in hujus ſacramenti adminiſtratione. Certè niſi hoc ſaltem judicaſſet, circa modum, quo ſacramentum hoc adminiſtrabant Græci catholici, nil prorſus immutaſſet, ſicut nil prorſus immutavit circa modum, quo adminiſtrabant alia ſacramenta, quia de valore aliorum ſacramentorum, ritu græco collatorum, minimè dubitavit. Hoc præſuppoſito,

Sic diſcurro. Inter Græcos alii abſolvunt cum hac tantùm formula: *Domine Deus, dimitte, remitte, &c.* alii cum iſta, *Habeo te venia donatum, & abſolutum*, vel, quod idem eſt, *Mediocritas mea*, aut, *Gratia ſancti Spiritus per mediocritatem meam habet te venia, &c.* Quæritur, quænam ex his duabus formulis ſit vera abſolutionis forma apud Græcos. Primam aſſerit Morinus, nos cum Arcudio ſecundam dicimus, & ex d. breviter demonſtramus. Sacramentum Pœnitentiæ apud Græcos collatum ſub prima formula, ſaltem dubium eſt, ut conſtat ex decreto Clementis VIII. collatum verò ſub ſecunda, certum eſt: nam ut oſtenſum eſt, ſecunda ſaltem in græca lingua eandem planè ſignificationem habet, quam formula Latinorum, *Ego te abſolvo, &c.* adeòque ei planè æquivalet. Ergo non prima, ſed ſecunda omninò cenſenda eſt vera apud Græcos forma abſolutionis. Quod adhuc

Juvat confirmare, vel potiùs demonſtrare hoc argumento. Si prima formula eſſet vera abſolutionis forma apud Græcos, adeòque ſufficeret apud Græcos ad validam ſacramenti adminiſtrationem; ſacerdos latinus, non quidem licitè, ſed validè ſacramentum adminiſtraret, dicendo tantùm, *Domine Deus, dimitte, remitte, &c.* Sicut enim Epiſcopus Latinus validè poteſt, quamvis non poſſit licitè, ordinare ritu græco, ſufficiente ad validam ordinationem in Eccleſia Græca; ita ſacerdos Latinus validè poteſt, quamvis licitè non poſſit, abſolvere ritu græco, ad validam abſolutionem in Eccleſia Græca ſufficiente; quod certè negare non poteſt Morinus, qui ex profeſſo docet, materias & formas Sacramentorum immutabiles eſſe, & eaſdem ubique pro omnibus Eccleſiis: unde ulteriùs ſequitur, quòd ſacerdos Latinus validè abſolveret, quamvis omitteret hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* ſed tantùm diceret, v.g. hanc orationem, *Miſereatur tui, &c.* quæ manifeſtè æquivalet orationi Græcorum, *Domine Deus, dimitte, remitte, &c.* At quòd ſacerdos Latinus poſſit validè abſolvere per orationem, manifeſtè repugnat Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. Ergo, &c.

Ex dictis apparet, veram abſolutionis formam in Eccleſia Græca nunquam fuiſſe deprecativam: nam ſi nunc non eſt, nunquam fuit, ut agnoſcit adverſarius, cùm ait, Græcos à principio hactenùs eadem ſemper uſos eſſe forma abſolutionis. Certè dici non poteſt, abſolutionem modo deprecativo datam, poſt ſæculum duodecimum nullius valoris eſſe cœpiſſe apud Græcos, eò quòd apud illos poſt tempus illud formula deprecativa in indicativam commutata ſit, talis enim metamorphoſeos nullum extat veſtigium, & eam disertè rejicit Morinus.

At inquies. Ex hoc ſemper ſupereſt ſcrupulus: nam ſi vera abſolutionis forma non conſiſtit apud Græcos in oratione, qua ſacerdos petit à Deo, ut pœnitenti ſibi confeſſo peccata condonet, Euchologia non habent formam ſacramenti Pœnitentiæ, cùm tamen habeant formas aliorum ſacramentorum, de quibus agunt, Baptiſmi ſcilicet, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ-unctionis. *Reſp.* Euchologia, quæ extant, non habere formam ſacramenti Pœnitentiæ, quia eam non habuerunt, quæ prima fuerunt edita, ſicut nec eam habuerunt antiqua Ritualia Latina; quæ tamen, ſicut Euchologia Græcorum, habuerunt formas aliorum ſacramentorum, Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ unctionis.

Ratio videtur eſſe, quia prima Euchologia apud Græcos, & antiqua Ritualia apud Latinos condita ſunt eo tempore, quo formæ ſacramentorum viva tantùm voce tradebantur iis, à quibus erant miniſtranda, nec ſcripto mandabantur ſine urgente aliqua neceſſitate. Formam autem ſacramenti Pœnitentiæ ſcripto mandari neceſſe non fuit, cùm in utraque Eccleſia, Latina & Græca, eſſet omninò eadem, & ſacerdotes ubique gentium dicerent: *Abſolvo te*, quare ſatis fuit, quòd in Euchologiis Græcorum, & Ritualibus Latinorum exſcriberentur orationes, verbis illis indicativis præmittendæ, quæ cùm plures eſſent & prolixæ, vix ac ne vix quidem memoria retineri poterant, aut certè non poterant niſi ex ſcripto diſci memoriter.

Aliud autem eſt de formis aliorum quatuor ſacramentorum: nam aliæ ſunt in Eccleſia Græca, & aliæ in Eccleſia Latina, quamvis non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tantùm: Græci enim baptizant dicendo: *Baptizatur N. ſervus Chriſti, &c.* Latini verò dicendo: *Ego te baptizo, &c.* Græci confirmant dicendo: *Signaculum donationis Spiritus ſancti*; Latini verò dicendo, *Signo te ſigno, &c.* & olim talem dicebant, *Confirmo te, &c.* Græci ordinant dicendo: *Divina gratia, quæ, &c. promovet N. in diaconum, in presbyterum, in Epiſcopum*, & pro materia adhibendo ſolam impoſitionem manus vel ma-

nuum;

Digitized by Google

nuum; Latini verò adhibendo verba, quibus expreſſiùs ſignificantur gratia & character ſacramentalis, & pro materia manuum impoſitioni adjungendo aliam, aut alias actiones, diſtinctius ſignificativas. Denique ſicut apud Latinos, ita & apud Græcos forma Extremæ unctionis deprecativa quidem eſt, ſed multò prolixior apud Græcos, quàm apud Latinos: adde quòd unctiones, quibus applicanda eſt, non ſint omninò eædem in utraque Eccleſia.

Quare ut utraque Eccleſia, Latina & Græca, ſuos in adminiſtrandis ſacramentis illis ritus retinere conſtantiùs poſſet, neque aliquando Græci Latino, aut Latini Græco ritu ſacramenta illa miniſtrarent, ſed unuſquiſque Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem in illis miniſtrandis religiosè ſervaret ſemper, convenientiſſimum, imò neceſſarium fuit, ut ſuas ſacramentorum illorum formas Græci in ſuis Euchologiis, & ſuas Latini in Ritualibus ſuis exſcriberent.

At inquies. Eugenius IV. in Concilio Florentino, Græcis circa ſacramenta Matrimonii, Euchariſtiæ, & Confirmationis, aliqua objecit corrigenda, ubi etiam meminit ſacramenti Pœnitentiæ, nec cum eis queſtus eſt, quòd non indicativa, ſed tantùm deprecativa abſolutionis formula uterentur. *Reſp.* Hanc inſtantiam ſupponere, aut quòd in Eccleſia Græca nunquam ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtratum fuerit niſi per verba deprecativa, quod negamus; aut certè quod jam tempore Concilii Florentini ſacerdotes Græci communiter, omiſſis verbis indicativis, verba tantùm deprecativa adhiberent ad abſolvendos pœnitentes ſibi confeſſos, quod probandum eſſet, & nos negamus. Quòd ſi jam inter ſacerdotes Græcos nonnulli cœperant formam tantùm deprecativam adhibere in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, hoc facilè fugere potuit Eugenium, cùm Pœnitentiæ ſacramentum ſecreto & ſine arbitris adminiſtretur. At Eugenius ignorare non potuit, apud Græcos matrimonia etiam conſummata diſſolvi, ſimplices presbyteros confirmare, ſacerdotes celebraturos nunquam aut ferè nunquam confeſſione peccata deponere, eoſque in Miſſa, poſt hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, dicere: *& fac quidem panem hunc honorabile Corpus Chriſti tui*, *&c.* de quibus Græcos, perfecta utriuſque Eccleſiæ unione, interrogaſſe fertur: tria enim priora oculis omnium obverſabantur; reliqua verò manifeſta erant ex liturgia, qua utebantur Græci.

Dices. Ex Græcorum Euchologiis pariter colligere potuit Eugenius, Græcos non indicativa, ſed deprecativa abſolutionis formula uti. *Reſp.* Eugenium hoc de Græcis ex eorum Euchologiis non magis ſuſpicari potuiſſe, quàm de Latinis ſuſpicari potuit ex Latinis Ritualibus, quæ pro adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ nil habebant præter orationes, quibus ſacerdos deprecabatur Deum, ut pœnitentem ſibi confeſſum abſolveret, quo non obſtante, Latini ſacerdotes pœnitentes ſibi confeſſos abſolvebant per hæc verba, *Ego te abſolvo*, *&c.* ut manifeſtè colligitur ex ipſius Eugenii decreto §. *Quartum*, ubi cùm ait, formam abſolutionis poſitam eſſe in his verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* tam declarat uſum Eccleſiæ Latinæ, quàm cùm ait §. *Primum*, formam baptiſmi poſitam eſſe in verbis iſtis, *Ego te baptizo*, *&c.*

ARTICULUS VI.

Solvuntur ea, quæ affert Morinus cap. 14. *&* 22.

§. I.

CAp. 13. nihil habet Morinus quod ad præſentem controverſiam pertineat, ſicut nec cap. 15. & cap. 16. & jam ſupra ſufficienter ſoluta ſunt, quæ opponit nobis cap. 17. 18. 19. 20. & 21. Supereſt igitur, ut quanta fieri poterit brevitate, reſolvantur ea, quæ nobis objicit c. 14. & 22.

Cap. 14. Quòd olim pœnitentes publici in Miſſa publica, & occulti in Miſſa privata reconciliati fuerint ſacramentaliter, variis antiquorum Patrum, & Ritualium teſtimoniis probare nititur, ut inde efficiat, olim abſolutionem ſacramentalem datam eſſe, non per formam indicativam, ſed per orationes, quæ in Miſſa vel ab Epiſcopo, vel à ſimplice presbytero cantabantur. Ad hanc autem novam & portentoſam doctrinam

Reſp. 1. Olim quidem pœnitentes publici in publica Miſſa reconciliati fuerunt in aliquibus Eccleſiis (dico, in aliquibus Eccleſiis: nam ut patet ex Ordine Romano, in Eccleſia Romana pœnitentes publici reconciliabantur ante Miſſam publicam) at hæc reconciliatio non erat ſacramentalis abſolutio, ſed cæremonia eccleſiaſtica, qua qui à die Cinerum pœnitentiam publicam egerant, feria 5. in Cœna Domini ſolemniter abſolvebantur à pœnis canonicis, hoc eſt, à pœnis ſeu à pœnitentiis, quas pro peccatis ulteriùs ſubire debuiſſent ſecundùm canones, & Eccleſiæ, ac menſæ Euchariſticæ reſtituebantur. 2. Olim etiam aliquando ſacerdos pro uno vel pluribus pœnitentibus ſibi confeſſis Miſſam celebrabat, non ut eos ſacramentaliter abſolveret; nam eos privatim à peccatis abſolvebat ante Miſſam; aut eos reſtitueret Eccleſiæ, non enim ex Eccleſia ejecti fuerant, quia hæc pœna ſolis pœnitentibus publicis infligebatur; ſed ut eis pœnæ temporalis, in quam æterna commutatur, cum reatus culpæ remittitur, relaxationem, & ſpecialia gratiæ ad non peccandum impoſterum auxilia impetraret; adde, & eis communionem impertiret.

At inquies. Orationibus Miſſæ illius ſacerdos Deum deprecabatur, ut pœnitenti, vel pœnitentibus ſibi confeſſis peccata dimitteret. Ergo Miſſam illam celebrabat, ut pœnitentem vel pœnitentes ſibi confeſſos abſolveret ſacramentaliter: nam ſi eos ſacramentaliter abſolviſſet ante Miſſam, non ſic pro eis in Miſſa oraſſet. *Reſp.* neg. conſeq. & ejus prob. Nam in Miſſa illa ſacerdos, poſtquam pœnitentem, vel pœnitentes ſibi confeſſos communicaverat, adhuc Deum deprecabatur, ut ei, vel eis remitteret peccata, quamvis proculdubio eum, vel eos abſolviſſet ſacramentaliter ante communionem. Vide Moral. in calce operis pag. 31. col. 1. & pag. 60. col. 1. Prætereà in Rituali Romano ſacerdos poſtquam pœnitentem ſacramentaliter abſolvit his verbis, *Ego te abſolvo*, *&c.* ſuper eo fundit orationem, qua petit, ut ei peccata dimittantur.

Olim igitur ſacerdos pro pœnitente, cujus confeſſionem audiverat, & quem, audita ejus confeſſione, ſecretò abſolverat, Miſſam illam cantabat, ut peccatorum ejus, jam in ſacramento Pœnitentiæ remiſſorum quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ, etiam quoad reatum pœnæ temporalis obtineret veniam, & ab eo temporales plagas, ob peccata quamvis remiſſa infligendas, averteret, atque ei congrua ad perſeverandum in ſtatu gratiæ impetraret gratiæ auxilia, quibus alioquin fortaſſe in pœnam peccatorum, quamvis quoad culpam condonatorum, privandus erat. Quod manifeſtum fit ex Miſſa pro remiſſione peccatorum, quam habemus in Miſſali Romano: nam ſacerdos dicit in Graduali: *Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum, adjuva nos*, *&c.* En pro flagellis temporalibus avertendis. Et in Poſtcommunione: *Præſta nobis ..... ut percipientes .... veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus.* En pro perſeverantia in ſtatu gratiæ impetranda. Quòd autem hæc Miſſa Miſſis illis, quas olim cantabant ſacerdotes pro pœnitentibus ſibi confeſſis, reſpondeat, dubium eſſe non poteſt.

§. II.

Cap. 22. Affert Doctores, quos ait docuiſſe abſolutionem à peccatis deprecativam valere poſſe. Et 1. quidem citat Dominicum Sotum in 4. diſt. 3. quæſt. unica art. 5. §. *Multa hic*, ubi ſic loquitur: *Qua utique ratione, & in ſacramento Pœnitentiæ li-*

cèt

rèt quis diceret, Abſolvit te Chriſtus, vel abſolvat te, verè abſolveret, quamvis peccaret. *Reſp.* illud, *Abſolvat te Chriſtus*, hic ſumi à Soto, non deprecativè, ſed imperativè. Pro quo *nota*, Sotum loco citato quærere tantùm, an expreſſio miniſtri ut exercentis actum ſacramentalem, neceſſaria ſit ad valorem ſacramenti, & reſpondet non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere expreſſionem Chriſti, qui eſt miniſter principalis, & actum ſacramentalem per miniſtrum ſuum exercet. Non igitur hic cogitat de modo deprecativo, utrùm ſcil. ad ſacramenti valorem ſufficere poſſit, adeòque nec de eo reſpondere intelligi poteſt.

Præterea ſi illud, *Abſolvat te Chriſtus*, hic à Soto ſumeretur deprecativè, juxta Sotum, ſacerdos, qui diceret tantùm, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, peccaret quidem, omittendo hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* at nihilominùs validè abſolveret, & quoties cum intentione abſolvendi dicit, *Dominus noſter, &c.* & addit, *& ego te abſolvo, &c.* non abſolvit per hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* ſed per illa, *Dominus noſter, &c.* quod hæreticum eſt, & alieniſſimum à mente & doctrina Soti: nam in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. ubi agit ex profeſſo de forma ſacramenti Pœnitentiæ, probat illam in his verbis, *Ego te abſolvo*, conſiſtere; ſic autem loquitur §. *Eſt nihilominùs: Qui deprecatione ſolam utitur, non abſolvit, ſed abſolutionem petit à Deo. Reliqua verò deprecatoria forma non ſunt de eſſentia ſacramenti, neque per ſe ſufficerent ad collationem gratiæ, &c.*

Juxta Sotum igitur, non abſolveret ſacerdos ille, qui deprecativè diceret tantùm, *Abſolvat te Chriſtus*. Sed nullum tergiverſandi locum relinquit §. ult. ubi quærit, utrùm hæc forma, *Ego te abſolvo*, ſit uſque adeò neceſſaria, ut non liceat loco illius aliam æquivalentem ſubſtituere; & hoc inter alia reſpondet: *Rurſus cùm Græci per tertiam perſonam dicant, Baptizetur ſervus Chriſti*, (& dicendo, baptizent validè) *ſit ſimiliter, at ſi quis diceret, Abſolveris, vel Abſolvaris à me, ſufficeret: nam hæc non eſt deprecativa, ut illa, Deus te abſolvat, vel Tribuat tibi abſolutionem, quæ ſupra reprobata eſt; ſed aſſertoria, ut illa Græcorum* (Baptizetur ſervus Chriſti.) Quid clariùs? Juxta Sotum, hæc verba, *Deus te abſolvat*, ad validam abſolutionem ſufficere non poſſunt, quia deprecativa ſunt, atque ita æquivalere non poſſunt iſtis, *Ego te abſolvo*.

Quod autem ait de hac formula, *Abſolvat te Deus*, non potuit non intelligere de iſta, *Abſolvat te Chriſtus*, ſumpta in ſenſu deprecativo: quare cùm eam loco ſupra citato dicit ad validam abſolutionem ſufficere, accipit illam in ſenſu imperativo, ſeu ut ipſe loquitur, aſſertorio: ſicut non in ſenſu deprecativo, ſed in ſenſu aſſertorio accipit, ut patet ex verbis proximè citatis, hæc verba, *Baptizetur ſervus Chriſti*, quibus ex errore facti docet Græcos uti in baptiſmo, quæque ad validam baptiſmi adminiſtrationem ſufficere aſſerit, quia non deprecativa, ſed aſſertoria ſunt, ſeu, quod idem eſt, quia à Græcis non deprecativè, ſed aſſertoriè proferuntur.

At inques. Ratio, quam affert Sotus pro valore hujus formulæ, *Abſolvat te Chriſtus*, aſſertoriè ſumptæ, valet quoque pro ea ſumpta deprecativè, nempe quòd ad validam ſacramenti adminiſtrationem non requiratur expreſſio miniſtri, ut exercentis actionem ſacramentalem, ſed ſufficiat expreſſio cauſæ principalis actionem ſacramentalem exercentis per miniſtrum. *Reſp.* Ita eſt: unde hæc formula, *Abſolvat te Chriſtus*, deprecativè ſumpta, non eſt invalida, eò quòd per eam non exprimatur miniſter exercens actionem ſacramentalem, ſed juxta Sotum, eò quòd per eam miniſter ſolùm petat abſolutionem, non verò ſignificet pœnitentem abſolvi; vel meliùs, quia per eam pœnitentis abſolutio non exprimitur ad modum actus judicialis, exerciti à ſacerdote, ut judice ſententiam pronunciante.

2. Morinus adducit Bellarm. lib. 1. de ſacramentis in gen. cap. 19. ubi ait: *Verba à Domino præſcripta in baptiſmo, non habent formam inſtructionis, ſed invocationis, & benedictionis. Id quod probatur ex ipſa forma loquendi Chriſti. Non enim ait, Docete omnes gentes nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. ſed*, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. *ubi verba illa*, in nomine Patris, &c. *reſpiciunt actum baptizandi, non actum docendi: proinde ſonant invocationem Trinitatis ſuper aquæ aſperſionem, non declarationem myſterii ad auditores.*

Reſp. Bellarminus hic nil minùs intendit, quàm formas omnium ſacramentorum deprecativas eſſe, aut poſſe eſſe, ſed ſolùm vult, verba quibus ſacramenta perficiuntur, non eſſe concionalia, ut volebant Novatores, ſed conſecratoria; quod probat ex eo quòd v. g. hæc verba, *In nomine Patris, &c.* quæ includuntur in forma baptiſmi, ſpeciem præſeferant invocationis, non inſtructionis, ſeu invocationem SS. Trinitatis ſuper aquæ aſperſionem ſonent, non declarationem myſterii ad auditores. Juxta Bellarminum autem, cùm baptizans dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* SS. Trinitatem invocat non expreſsè & formaliter, ſed virtualiter & implicitè, quatenùs addendo, *In nomine Patris, &c.* ſignificat ſe baptizare non propria, ſed SS. Trinitatis auctoritate, ſeque ut illius inſtrumentum tantùm, ad regenerantis gratiæ collationem concurrere.

Hanc eſſe Bellarmini mentem, *prob.* ex lib. 4. de ſacram. Euchar. cap. 14. ubi ſic loquitur: *Ipſa etiam verba Domini:* Hoc eſt Corpus meum, *ut omnium aliorum ſacramentorum formæ, ut proferuntur à ſacerdote cum intentione ſacramentum faciendi, continent implicitè invocationem divinæ virtutis, quæ eſt cauſa primaria effectus ſacramentalis: intendit enim ſacerdos per illa verba, ut inſtrumenta Dei, conſecrationem efficere*. Similiter quando v. grat. aquam aſpergendo dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* intendit per hæc verba, ut inſtrumenta Dei, tanquam principalis cauſæ omnis juſtificationis, conferre gratiam regenerantem, & ſic in reliquis ſacramentis. Hoc porrò textu expreſsè reſpondet Bellarminus objicientibus Patres paſſim ſcribentes precibus & invocatione Dei conſecrari Euchariſtiam; & tacitè iis, qui objiciunt baptiſmum conferri per invocationem SS. Trinitatis.

3. Morinus refert Michaelem Aiguanum in 4. ſentent. diſt. 23. Thomam de Argentina in 4. ſententiar. diſt. 3. Aureolum in 4. ſentent. diſt. 23. art. 1. Gamachæum cap. 5. de Confirm. docentes per modum indicativum & deprecativum non variari ſubſtantiam formæ, atque adeò mutationem formæ indicativæ in deprecativam, aut deprecativæ in indicativam non eſſe ſubſtantialem, ſed accidentalem tantùm, & conſequenter non impedire valorem ſacramenti; quamvis graviter peccet miniſter, qui in miniſtrando ſacramento non ſequitur Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem. *Reſp. breviter*, Doctores illos loqui tantùm, locis citatis, de ſacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ-unctionis. Quod autem dicunt de ſacramentis illis, trahi non poteſt ad ſacramentum Pœnitentiæ, quod à Chriſto inſtitutum eſt ad modum judicii, à ſacerdotibus ut præſidibus & judicibus exercendi: unde hujus ſacramenti forma eſt actus judicialis, quo à ſacerdote ut judice ſententia pronunciatur, proindeque ſpeciali ratione modum indicativum exigit.

At, inquit Morinus, Franciſcus Maironus in 4. ſent. diſt. 14. qu. 1. ex formula Græcorum, *Baptizetur ſervus Chriſti*, colligit, abſolutionem modo deprecativo datam valere, quamvis ſit illicita. Idem docent Andreas Croquetius in catecheſibus, & Matthæus Galenius, qui catecheſes illas recenſuit, & edidit. Et Guillelmus Eſtius in 4. ſentent. diſt. 15. §. 3. proponit quatuor abſolutionis formulas, quarum ultima eſt, *Deus te abſolvat*, & dicit Doctores communiter negare hanc eſſe validam, eò quòd ſit tantùm deprecatoria. *Quæ ſanè reſponſio*, inquit, *tametſi non nitatur irrefragabili ratione, vel auctoritate, ſecurior tamen eſt; & reverà probabilior, maximè cum uſus Eccle-*

ſia

ſta inter orationem illam, Misereatur tui, &c. *& ipſam abſolutionis formam manifeſtè diſtinguat*. Probabilem igitur cenſet contrariam ſententiam, nempe quòd abſolutio modo deprecativo data valeat, licèt probabilius exiſtimet eſſe, quòd non valeat.

Reſp. Franciſcum Maironis ex hac formula, *Baptizatur ſervus Chriſti*, quam deprecativam eſſe, & apud Græcos uſitatam in ſenſu deprecativo putavit, malè colligendo formam quoque ſacramenti Pœnitentiæ deprecativam eſſe poſſe, venia aliqua dignum eſſe, quam non merentur Croquentius & Galenius, ſi verum de illis à Morino refertur; cum ſcripſerint poſt Tridentinum, cui evidenter contradicunt, aſſerendo abſolutionem modo deprecativo datam valere: nam ſi abſolutio modo deprecativo data valet, valet data per hæc verba, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, vel per orationem hanc, *Misereatur tui, &c.* aut iſtam, *Indulgentiam, abſolutionem, &c.* quod apertè adverſatur doctrinæ Concilii Tridentini, diſertis verbis abſolutionis formam ab illis orationibus diſtinguentis: unde ſatis mirari non poſſumus Eſtium, cùm ait, ſententiam, hanc formulam *Deus te abſolvat*, validam eſſe negantem, non niti irrefragabili auctoritate; nam nititur auctoritate Concilii œcumenici, diſertè diſtinguentis inter formam ſacramenti Pœnitentiæ, & orationes, quibus continetur hæc formula, *Deus te abſolvat*; continetur, inquam, ſaltem quoad ſenſum, quod ſufficit ad hoc, ut eam inter & illas nullum quoad efficaciam poſſit eſſe diſcrimen.

4. Morinus refert Arcudium ſic loquentem lib. 4. concordiæ cap. 3. *Si in ſermone trito & uſitato illa verba, Parcat tibi Deus, idem ſonant, quod, Ego tibi parco, profectò poterunt in ſacramento, niſi aliud obſtet, hoc eſt, Eccleſia conſuetudo, eodem ſenſu dici, & valebit ſacramentum*. *Reſp.* Quid inde? Nam in ſuppoſitione quam facit Arcudius, verba illa, *Parcat tibi Deus*, non eſſent niſi grammaticaliter deprecativa, nec ſenſum deprecativum haberent, ſed indicativum & enunciativum. Unde mirum non eſt, quòd cum illis valeret ſacramentum.

5. Denique Morinus citat Gabrielem Vaſquez tom. 4. in 3. p. S. Thomæ q. 84. a. 3. dub. 3. ubi contendit, ſi Morino credimus, pœnitentem tam modo deprecativo abſolvi poſſe, quàm indicativo, & eandem prorſus eſſe utriuſque formæ, deprecativæ ſcilicet & indicativæ, ſignificationem. *Reſp.* Vaſqueſium loco citato apertè damnare doctrinam & ſyſtema Morini; nam ſic loquitur: *Hoc verò ſacramentum Pœnitentiæ, cùm inſtitutum verè ſit, ut inquit Concilium Trid. ſeſſ. 14. can. 9. cap. 5. adinſtar actus judicialis, cujus judex ſacerdos conſtituitur, ita juri optimo in forma indicativa conferri debet abſolutio; & cum in judicialibus actibus, non exprimatur judicis actus nec ſententia in forma deprecationis, immeritò dicitur in ea forma poſſe conferri abſolutionem*. En apertè agnoſcit Vaſquez, formam abſolutionis deprecativam repugnare inſtitutioni Chriſti. Unde

Argumentor breviter ſic. Nunquam validè conferri potuit abſolutio per formam repugnantem inſtitutioni divinæ. Atqui, juxta Vaſqueſium, forma deprecativa repugnat inſtitutioni divinæ, cùm Chriſtus ſacramentum Pœnitentiæ inſtituerit adinſtar actus judicialis, cui, ut cenſet Vaſqueſius, modus deprecativus repugnat. Ergo juxta Vaſqueſium, nunquam validè conferri potuit abſolutio per formam deprecativam. Hinc ſuperiùs dixerat, exiſtimare ſe *veriſſimam hanc ſententiam de forma abſolutionis, ut ſcilicet nunquam liceat* (aut licuerit) *ſub forma deprecatoria illa uti, & ſi quis ſub ea forma vellet abſolvere, revera nullum eſſet ſacramentum*.

Perperam igitur contendit Morinus, ſententiæ ſuæ favore Vaſqueſium, impugnantem rationem, qua S. Thomas probat, ſine forma indicativa ſacramentum Pœnitentiæ validè adminiſtrari non poſſe, & ſic argumenta apud eundem Vaſqueſium: *Sacramenta novæ legis efficiunt quod ſignificantem, & ſignificant quod efficiunt: oportet ergo ut ſacerdos, cum revera ipſe abſolvat, dicat, Ego te abſolvo: ſi enim deprecationis modo id tantum diceret, Abſolvat te Deus, non oſtenderet ſe à peccatis abſolvere, ſed petere à peccatis abſolutionem: qui autem ab alio petit aliquid ſolvendum, non ſignificat ſe ſolvere, nec videtur exercere poteſtatem aliquam abſolvendi*.

Hoc autem S. Thomæ ratiocinium difficultatem pati videtur Vaſqueſio: quia ſicut Chriſtus potuit hominibus dare poteſtatem patrandi miracula per modum deprecationis, vel per modum imperii, ita potuit hominibus dare poteſtatem abſolvendi à peccatis modo deprecativo, vel indicativo. Et ſupponendo quòd Chriſtus utrumque præſtiterit, ſicut patrans miraculum aliquod, ſuſcitando mortuum, v. g. per orationem, nihilominùs exerceret poteſtatem patrandi miracula, & abſolutè diceretur ſuſcitare mortuum: ita ſacerdos ad abſolvendum utens forma deprecativa, verè exerceret poteſtatem abſolvendi à peccatis, & verè diceretur abſolvere. Quare Vaſqueſius, ut probet ſine forma indicativa abſolutionem à peccatis validè conferri non poſſe, putat ſibi recurrendum eſſe ad antiquam & conſtantem Eccleſiæ traditionem, quam negat nemo, & auctoritatem Concilii Tridentini. Sed

1. Immeritò rationem S. Doctoris impugnat Vaſquez, qui non ſatis advertit diſcrimen, quòd eſt inter poteſtatem ſacramentalem & non ſacramentalem, & ita male argumentatur à poteſtate faciendi miracula, quæ non eſt ſacramentalis, ad poteſtatem abſolvendi à peccatis, quam Chriſtus contulit ſacerdotibus, & quæ ſacramentalis eſt. Poſſet quidem poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ non eſſet ſacramentalis, ſi daretur, exerceri modo deprecativo, ſicut poteſt poteſtas faciendi miracula. Ratio eſt, quia ad validum poteſtatis illius exercitium ſufficeret ſignum quodlibet externum ſufficienter expreſſivum internæ voluntatis abſolvendi. At poteſtas abſolvendi à peccatis, quæ ſacramentalis eſt, validè exerceri non poteſt, niſi per verba ſignificantia uſum illius, adeoque niſi per verba, quibus ſacerdos ſignificet ſe abſolvere. Ratio eſt, quia talis poteſtas non poteſt operari, niſi per ſacramentum, cujus collatione exercetur, & ſacramenta non tantùm operantur, in quantùm ſignificant. Sacerdos autem utens forma deprecativa, putà iſta, *Deus te abſolvat*, non adhiberet verba, quibus ſignificaret ſe abſolvere. Ergo, &c.

2. Dato quòd poteſtas abſolvendi à peccatis, etiam ſacramentalis, potuerit à Chriſto conferri ſacerdotibus, quæ tam exerceri poſſet per modum deprecationis, quàm poteſt poteſtas faciendi miracula, & ita quòd ratio S. Thomæ non ſit efficax; hoc Morini cauſam non adjuvat apud Vaſqueſium: non enim docet Vaſquez, talem re ipſa poteſtatem abſolvendi à peccatis ſacerdotibus à Chriſto collatam eſſe, ſed contrarium docet, Chriſtum ſcilicet ſacerdotibus contuliſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis, exercendam per ſacramentum, quod inſtituit adinſtar actus judicialis, quo ſacerdos ut judex ſententiam pronunciaret, adeoque exercendam per ſacramentum, cui modus deprecativus repugnat, & quod proinde validè adminiſtrari non poteſt, niſi per formam indicativam.

ARTICULUS VII.

Utrùm ad formam ſacramenti Pœnitentiæ ita requirantur verba, ut nulla ſit abſolutio, nutibus vel ſcripto data.

Responsio.

Nulla eſt abſolutio, nutibus vel ſcripto data.

Prob. Nam ad formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſentialiter requiruntur verba propriè dicta, & ore prolata. Quod *prob.* 1. Ex perpetuo uſu Ec-

cleſiæ,

eccleſiæ, in qua nunquam niſi per verba ore prolata abſolutio pœnitentibus data eſt. 2. Ex Florentino in decreto §. *Quartum*, ubi dicitur formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſe verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cùm dicit, Ego te abſolvo, &c. Ubi ponderandum eſt illud, *Cum dicit*, quo ſatis apertè ſignificatur, neceſſaria eſſe verba propriè dicta, & ore prolata. Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, per uſum Eccleſiæ, & Conciliorum doctrinam ſufficienter declarata.

Obj. 1. Florentinum loco laudato dicit confeſſionem oris eſſe partem materialem ſacramenti Pœnitentiæ, & tamen oris confeſſio non eſt eſſentialis huic ſacramento. Ergo ſimiliter abſolutio, ore prolata, non eſt eſſentialis ſacramento Pœnitentiæ, quamvis, &c.

R. neg. conſ. Ratio diſparitatis eſt, quia ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu, Conciliorum canonibus, & Summorum Pontificum decretis expreſſo & approbato, habemus confeſſionem nutibus fieri poſſe. At de abſolutione nihil tale habemus ex uſu Eccleſiæ, vel Conciliis, aut Pontificibus. Temerarium autem eſſet, inducere ritus & explicationes eſſentiæ ſacramentorum, quas nondùm agnovit & approbavit Eccleſia.

Obj. 2. Sacramentum Pœnitentiæ ſequitur in omnibus formam judicii civilis: nam in formam judicii inſtitutum à Chriſto fuit. Atqui non eſt de eſſentia judicii civilis, quòd ſententia voce proferatur, ſed ſufficit prolata ſcripto vel nutu. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam v. g. in foro pœnitentiæ idem eſt accuſator, teſtis, & reus; item reo ipſi ſe accuſanti, vel excuſanti creditur, quæ non fiunt in foro civili.

Obj. 3. In foro pœnitentiæ ſufficit confeſſio, ſcripto vel nutu facta. Ergo ſufficit etiam abſolutio nutu vel ſcripto data. *R.* neg. conſeq. Itaque confeſſio ſcripto vel nutu facta ſufficit in foro pœnitentiæ, quia ſufficere voluit Chriſtus, ut occurreret incommodo, quod reſpectu pœnitentium mutorum accidiſſet: at noluit ſufficere ſententiam, ſcripto vel nutibus prolatam, quia magni momenti futurum non erat incommodum, ex mutis ſacerdotibus oriturum, propter ſacerdotum frequentiam & multitudinem.

Obj. 4. Matrimonium ſcripto vel nutu contrahi poteſt, quia ſequitur formam contractus civilis, ad quem ſufficit ſignum qualecumque externum interni conſenſus. Ergo ſimiliter, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Diſparitas petitur à voluntate Chriſti, qui noluit addere Matrimonio ſpecialem cæremoniam, ſed tantùm contractum civilem ad eſſe ſacramenti, vel certè ad eſſe cauſæ efficientis illius evehere, ne muti privarentur jure naturali contrahendi matrimonium: at non voluit ſacramentum Pœnitentiæ eſſe judicium qualecumque, ſed certo modo, certaque formula latum; de quo judicandum eſt ex perpetuo uſu Eccleſiæ, in qua nunquam abſolutio aliter data eſt, quàm per verba ore prolata. Cumque in nulla unquam neceſſitate diſpenſatum fuerit, ut aliter daretur abſolutio, manifeſtum ſignum eſt, quòd Eccleſia ſemper intellexerit, abſolutionem ore prolatam, ex inſtitutione Chriſti, eſſentialem eſſe ſacramento pœnitentiæ.

Quæres 1. quænam verba ſint de eſſentia formæ ſacramenti Pœnitentiæ?

Reſp. hæc tantùm verba, *Ego te abſolvo*, aut æquivalentia eſſe de eſſentia formæ ſacramenti Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia his verbis, effectus ſacramenti videtur ſufficienter exprimi: qui tamen ita, *à peccatis*, omitteret, peccaret graviter, quia multi, non ſine ratione alicujus momenti, docent eſſe eſſentialia. Porrò in uſu ſervandum ſemper eſt, ut abſolutio detur more conſueto, in hæc verba, *Ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: quamvis certum ſit, ut ſuo loco probatum eſt, iſta *In nomine Patris, &c.* non pertinere ad formæ eſſentiam.

Quæres 2. quid ſignificent hæc formæ verba, Ego te abſolvo à peccatis?

R. ſignificare uſum & effectum poteſtatis à Chriſto traditæ Joan. 20. Apoſtolis, & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus; qui uſus & effectus in eo conſiſtit, quòd ſacerdos verè remittat peccata, non autem quòd tantùm declaret remiſſa. Ratio eſt, quia verba illa accipienda ſunt in proprio ſenſu: ſic enim omnes formæ ſacramentorum debent accipi. Atqui verba illa in proprio ſenſu, quem ex uſu communi, & hominum inſtitutione habent, ſignificant veram remiſſionem & condonationem peccatorum. Ergo, &c.

Objicies. Sacerdotes non habent poteſtatem remittendi peccata, ſed tantùm declarandi eſſe remiſſa; ſolius enim Dei eſt peccata remittere. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. Ad probationem dico, ſolius Dei eſſe remittere peccata poteſtate propria, & non aliundè accepta: at ſacerdotes poſſunt nihilominùs ea remittere poteſtate miniſteriali, ſibi tradita à Deo.

Nota. Triplex diſtingui poteſt poteſtas remittendi peccata. Prima eſt poteſtas ſuprema & independens, quæ ſoli Deo convenit. Secunda eſt poteſtas miniſterialis, principalis, & ſubordinata ſoli Deo, qualis eſt in ſolo Chriſto ut homine. Tertia eſt poteſtas miniſterialis utrique præcedenti ſubordinata, qualis conceſſa fuit Apoſtolis, & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus. Hæc autem tertia poteſtas, ad modum quem Chriſtus inſtituit, alligata eſt: unde exerceri non poteſt, & operari, niſi per hæc verba, aut æquivalentia, *Ego te abſolvo à peccatis tuis*. Et verò effectum remiſſionis peccatorum non ponit per ſe immediatè, ſed mediante ſigno efficaci, quòd Chriſtus inſtituit ad ſignificandum & producendum effectum illum: quare hæc tertia poteſtas non eſt niſi poteſtas ponendi tale ſignum, & per illud peccata remittendi. Multùm igitur differt à poteſtate Chriſto ut homini tradita, quæ non ſic fuit à Patre alligata & reſtricta.

Quæres 3. utrùm abſolutio dari poſſit ſub conditione?

Reſp. dari poſſe ſub conditione de præterito vel de præſenti, ut cùm ſacerdos rationabiliter dubitat, num antea abſolverit pœnitentem; num moribundus det ſigna doloris ſufficientia, aut ſatis compos ſui ſit; num puer ſufficientem habeat uſum rationis.

DISPUTATIO IX.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm ſolus ſacerdos ſit miniſter ſacramenti Pœnitentiæ.

NOn ſolùm ſacerdotem, ſed etiam bonum laicum ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare poſſe docuerunt Vualdenſes, ut refert Reinerus in libro ſuo adversùs hæreticos illos ſcripto, in quo cap. 5. de hæreticis illis ait: *Dicunt, quòd nullus poſſit abſolvi à malo ſacerdote: item quod bonus laicus poteſtatem habeat abſolvendi*. Eundem errorem ſecutos eſſe Vvicleffiſtas, apertè colligitur ex Bulla Martini V. de erroribus Joannis Vvicleff, in qua Pontifex quemlibet de Vvicleffiſmo ſuſpectum jubet interrogari, utrùm credat, *quòd Chriſtianus ultra contritionem cordis, habita copia ſacerdotis idonei, ſoli ſacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non laico, ſeu laicis, quantumcumque bonis & devotis?* Sed contra illos ſit

Responsio.

Solus ſacerdos eſt miniſter ſacramenti Pœnitentiæ.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Ex Scriptura: nam verba illa Jo. 4. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* quibus continetur inſtitutio ſacramenti Pœnitentiæ, & datur poteſtas remittendi peccata in hoc ſacramento, directa ſunt ad ſolos ſacerdotes, ut docet Trid. can. 10.

2. Ex

Digitized by Google

2. Ex praxi perpetua Eccleſiæ, in qua ſacramentum Pœnitentiæ nunquam adminiſtratum fuit, niſi à ſacerdotibus, ut apparet ex Patribus, Conciliis, & Ritualibus.

3. Ex Patribus, pro quibus omnibus ſit ſanctus Leo epiſt. 91. ubi ait, ſic divinæ bonitatis præſidia eſſe ordinata, ut *indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri*. Tum ſic pergit: *Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

4. Denique ex Flor. in decreto §. *Quartum*, & Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. quibus locis ſacramenti Pœnitentiæ miniſter nullus alius præter ſacerdotem aſſignatur. Præterea Trid. ſic pronunciat eadem ſeſſione can. 10. *Si quis dixerit ... non ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum ... Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata ... anathema ſit.*

Objicies. In veteri Eccleſia diaconi in caſu neceſſitatis ſacramentalem abſolutionem dederunt. Ergo non ſolus ſacerdos, ſed etiam diaconus præter ſacerdotem miniſter eſſe poteſt ſacramenti Pœnitentiæ. *Reſp.* neg. ant.

Probabis Ex S. Cypriano ep. 48. ita loquente: *Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologeſes facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſideraverunt.*

Reſp. Sanctum Cyprianum loqui non de exhomologeſi facienda in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, ſed tantùm ad facienda in ordine ad cæremoniam eccleſiaſticam, qua pœnitentes publici reconciliabantur altari & Eccleſiæ, antequam ad communionem Euchariſticam admitterentur. Hoc igitur loco non aliud vult ſanctus Martyr, quàm quòd lapſi in perſecutione, qui libellos à Martyribus acceperant, abſente Epiſcopo, & omni alio presbytero, poſſent, facta priùs delicti ſui exhomologeſi, à diacono altari & Eccleſiæ reconciliari, & reconciliati Euchariſtiam ab eo accipere, urgente mortis periculo.

Obj. 2. Capitulum *Speres*, extra de furtis, ex canone 31. Concilii Triburienſis deſumptum, ubi dicitur: *Si comprehenſi aut vulnerati, presbytero vel diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* *Reſp.* Capitulum citatum diacono attribuere tantùm poteſtatem dandi Euchariſtiam furi, inter furandum lethaliter vulnerato, ſi modò priùs ei ſufficientia doloris ſigna dederit, qualia ei dare poteſt, ei peccata ſua vel diſtinctè & ſingillatim, vel in genere confitendo.

Adde, quòd in Capitulum citatum perperàm irrepſerint hæ voces, *vel diacono*, quas non habet canon Concilii Triburienſis, in quo ſic legitur: *Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis deſperatus potatur, atque reconciliari ſe myſteriis ſacroſanctis, habitu corporis & voluntate piamentis deprecatur, Deoque & ſacerdoti, comite vita, emendationem morum & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.*

Obj. 3. Confeſſio ſacramentalis non ſolùm ſacerdoti, ſed etiam laico fieri poteſt: Ergo non ſolùm ſacerdos, ſed etiam laicus poteſt eſſe miniſter ſacramenti Pœnitentiæ. *R.* neg. ant. *Probabis* 1. ex Jacobo Apoſtolo in epiſt. can. cap. 5. dicente: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* 2. Ex S. Thoma, in 4. diſt. 17. quæſt. 3. a. 3. ad ſecundam quæſtionem: *Miniſter pœnitentiæ*, inquit, *cui confeſſio eſt facienda ex officio, eſt ſacerdos; ſed in neceſſitate etiam laicus vicem ſacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit.*

R. ad 1. Jacobum vel non loqui de confeſſione ſacramentali, vel ſi de ea loquitur, ut videtur nobis probabilius, homines adhortari ut peccata ſua non tantùm Deo, ſed etiam ſacerdoti confiteantur: *Confitemini alterutrum*, id eſt, homo homini, modò ſit ſacerdos, & non tantùm Deo.

R. ad 2. S. Thomam in ea quidem fuiſſe ſententia, quòd homo in articulo mortis poſitus, & alicujus mortalis ſibi conſcius, teneatur confiteri laico, ſi ſacerdoti non poteſt; at non cenſuiſſe confeſſionem laico etiam in neceſſitate factam, verè ſacramentalem eſſe, & laicum pœnitentem, ſibi in neceſſitate confeſſum, abſolvere poſſe: immò diſertis verbis contrarium docet loco citato ad 1. ubi ſic ait: *Quando neceſſitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri cui poteſt, qui quamvis* (ſi ſit laicus) *ſacramentum perficere non poſſit, ut faciat id quod eſt ex parte ſacerdotis, abſolutionem ſcilicet, tamen defectum ſacerdotis Summus Sacerdos ſupplet. Nihilominus confeſſio laicis ex deſiderio ſacerdotis facta ſacramentalis eſt quodam modo* (quatenùs pœnitens, quantùm in ſe eſt, ſatisfacit obligationi confitendi in ordine ad ſacramentalem abſolutionem) *quamvis non ſit ſacramentum perfectum, quia deeſt ei id, quod eſt ex parte ſacerdotis* (nempe ſacramentalis abſolutio.) Eamdem tradit doctrinam S. Doctor diſt. 20 quæſt. un. art. 1. quæſt. 2. ad 3. *Ille*, inquit, *qui laico confitetur, quamvis impleat, quod ex parte ſua eſt de ſacramentali confeſſione, tamen ſacramentalem abſolutionem non conſequitur.*

Obj. 4. Sicut Baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, ita & Pœnitentia. Ergo ſicut quilibet poteſt eſſe miniſter baptiſmi propter neceſſitatem, ita & propter eamdem rationem quilibet poteſt eſſe miniſter pœnitentiæ. *Reſp.* cum S. Thoma in quartum diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 2. magnum eſſe diſcrimen inter baptiſmum & pœnitentiam: nam baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis etiam reſpectu parvulorum, qui morientes ante adultam ætatem, ſecluſo martyrio, nullum aliud præter baptiſmum medium habent, quo poſſint juſtificari, & ſalutem æternam conſequi: quare mirum non eſt, quòd Chriſtus voluerit ſacramentum hoc à quolibet validè adminiſtrari poſſe. At pœnitentia non eſt ſacramentum neceſſitatis, niſi reſpectu adultorum, qui ſuſcepto baptiſmo mortaliter peccant, quique juſtificationis gratiam conſequi, & à morte æterna liberari poſſunt, per contritionem perfectam cum voto ſacramenti Pœnitentiæ, quando copiam non habent ſacerdotis, à quo poſſint abſolvi.

ARTICULUS II.

Utrùm ad miniſtrandum ſacramentum Pœnitentiæ neceſſaria ſit juriſdictio.

RESPONSIO.

AD miniſtrandum ſacramentum Pœnitentiæ, præter poteſtatem Ordinis ſacerdotalis, juriſdictio neceſſaria eſt.

Prob. 1. Florent. in decreto §. *Quartum*, ubi dicitur: *Miniſter hujus ſacramenti* (Pœnitentiæ) *eſt ſacerdos, habens authoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris.* 2. Ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi hæc leguntur: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſuit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Ratio à priori eſt, quam hic tangit Tridentinum, quia ſacramentum Pœnitentiæ eſt eſſentialiter

judicium. Atqui ad judicium validum juriſdictio requiritur in eo, qui judicat, & ſubjectio in eo qui judicatur. Ergo ſacramentum Pœnitentiæ validè adminiſtrari non poteſt ſine juriſdictione.

Objicies. Si poteſtas juriſdictionis neceſſaria ad remittenda peccata, diſtinguitur à poteſtate Ordinis, nec cum illa datur in Ordinatione, ſacerdotes in Ordinatione ſua non accipiunt poteſtatem remittendi peccata, ſignificatam per illa verba, *Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Falſum conſeq. Ergo, &c. *Reſp.* Sacerdotes in Ordinatione ſua non accipere poteſtatem remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ totalem, ſed tantùm partem illius, nempe poteſtatem Ordinis, quæ ſola ſignificatur per verba illa, *Accipite Spiritum ſanctum, &c.*

Nota. Totalis poteſtas remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, conſtat ex duplici poteſtate, quarum una eſt poteſtas Ordinis, altera poteſtas juriſdictionis. Utraque eſt quidem poteſtas remittendi peccata, ſed partialis tantùm & incompleta: unde ad hunc effectum utraque requiritur eſſentialiter, & neutra ſeorſim ab alia ſufficit; utraque tota & integra dari, & exigere poteſt ſine altera. Prima confertur in Ordinatione, & vi Ordinationis; ſecunda verò ante & poſt Ordinationem dari poteſt; primam verba illa ab Ordinante prolata, *Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, &c.* ſignificant, non ſecundam.

Dices 1. Apoſtoli vi verborum illorum, *Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, acceperunt à Chriſto totalem poteſtatem remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ. *Reſp.* neg. Nam Chriſtus poteſtatem juriſdictionis in foro pœnitentiæ Apoſtolis dedit, cùm dixit Joan. c. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Quibus verbis Apoſtoli acceperunt univerſalem in omnes chriſtianos juriſdictionem; poteſtatem verò Ordinis, cùm ibidem continuò ſubjunxit: *Accipite Spiritum ſanctum, &c.*

Dices 2. Poteſtas abſolvendi, quæ datur per ſacramentum Ordinis, eſt poteſtas jus dicendi circa peccata, ferendo circa illa ſententiam judicialem, & ab illis abſolvendo judicialiter. Ergo eſt poteſtas juriſdictionis; adeoque poteſtas juriſdictionis datur per ſacramentum Ordinis. *Reſp.* poteſtatem abſolvendi, quæ per ſacramentum Ordinis confertur, eſſe, latè loquendo, poteſtatem jus dicendi, & ita latè loquendo, poteſtatem juriſdictionis, & juriſdictionem. At præter hanc juriſdictionem latè ſumptam, eſt juriſdictio propriè & ſtrictè dicta, de qua Concilia loquuntur, & eſt poteſtas regiminis ordinaria, vel delegata, ſine qua peccata remitti non poſſunt, & quæ non datur per Ordinationem. Multi enim ſacerdotes ea carent, ut patet ex Epiſcopis abſolutè ordinatis, vel merè titularibus alicujus loci, in quo nulli fideles ſunt; nam ſicut nullos habent ſubditos, ita nullam habent juriſdictionem propriè ſumptam. Patet ſimiliter ex Epiſcopis, qui privantur Epiſcopatu ſuo, vel ei renunciant, cum licentia Summi Pontificis. Viciſſim multi habent juriſdictionem propriè ſumptam, quamvis nondùm ſint ordinati, adeoque nondùm habeant poteſtatem Ordinis, ut Epiſcopi confirmati, ſed nondùm conſecrati, qui quamvis non poſſint abſolvere, quia poteſtatem Ordinis non habent, habent tamen juriſdictionem ordinariam, quam aliis delegare poſſunt.

Dices 3. Eccleſia non poteſt dare ullam poteſtatem remittendi peccata. Ergo peccata remittendi poteſtas totalis datur per ſacram Ordinationem. *Reſp.* neg. ant. Nam ſicut Eccleſia peccata remittere poteſt ex Chriſti commiſſione, ita & ex Chriſti commiſſione poteſt dare juriſdictionem ad remittenda peccata neceſſariam. Hanc autem juriſdictionem dando, non agit auctoritativè, ſeu auctoritate propria & humana, ſed agit poteſtate miniſteriali tantùm, hoc eſt, ut inſtrumentum tam dependens à Chriſto, & ei ſubordinatum, quàm eſt in collatione ſacramentorum: unde ſacerdos non poteſt dicere, Ego te abſolvo à peccatis tuis auctoritate Eccleſiæ, quamvis poſſet dicere, Ego te abſolvo ab excommunicatione auctoritate Eccleſiæ: quia cùm Eccleſia dat juriſdictionem ad excommunicandum, vel abſolvendum ab excommunicatione neceſſariam, agit auctoritativè, cùm circa cenſuras propriam & humanam auctoritatem habeat, ſicut habet circa leges eccleſiaſticas ferendas. At circa ea, quæ ad collationem ſacramentorum ſubſtantialiter pertinent, ſicut & circa conceſſionem indulgentiarum, & votorum diſpenſationem, miniſterialem tantùm poteſtatem habet.

Dices 4. Secundùm doctrinam à nobis traditam, Summus Pontifex à nullo ſacerdote abſolvi poteſt: nemini enim in ſe ipſum juriſdictionem dare poteſt in foro interno, ſicut non poteſt in foro externo, in quo à nemine poteſt judicari. *Reſp.* neg. inſtantiam. Nam Summus Pontifex hoc ipſo quòd ſacerdotem aliquem eligit in confeſſarium, confert illi juriſdictionem in ſe ipſum in foro interno: ſicut ſupremi Principes dant in foro civili juriſdictionem circa ſe ipſos judicibus, quibus committunt cauſas ſuas civiles.

Ad probationem R. Summum Pontificem non poſſe juriſdictionem in ſe ipſum dare in foro externo propter excellentem prærogativam ſuæ dignitatis, quæ omnem humanam ſuperat, & quam proinde auctoritati purè humanæ judicum ipſa inferiorum ſubmitti non convenit. At aliud eſt de foro interno, in quo auctoritas abſolvendi divina eſt, & cujus judicium omnibus, poſt baptiſmum mortaliter lapſis, eſt jure divino neceſſarium. Sed

Quæres 1. quid ſit juriſdictio, & quomodo dividatur?

Reſp. 1. Juriſdictio eſt poteſtas regendi & gubernandi. 2. Dividitur in ordinariam & delegatam. Ordinaria eſt ea, quam habet quis ex vi proprii muneris, qualem habent omnes ii, qui ex officio animarum paſtores ſunt: delegata eſt ea, quam habet quis ex commiſſione alterius, habentis illam ex vi proprii muneris.

Quæres 2. quotuplex ſit differentia inter poteſtatem juriſdictionis & poteſtatem Ordinis?

R. Multiplex eſt differentia. Nam 1. poteſtas Ordinis confertur per ſacram ordinationem, juriſdictio verò per conceſſionem aliquam externam, ut per beneficii collationem, totaque eſſe poteſt in eo, qui nondùm eſt ordinatus. Sic Epiſcopus electus & confirmatus juriſdictionem habet, eamque aliis communicare poteſt, ut patet ex cap. *Tranſmiſſam*, 15. extra de electione, &c. in quo Celeſtinus III. declarat Epiſcopum, etſi nondùm ſit conſecratus, ex quo electionis ſuæ confirmationem accepit, ea quæ ſunt juriſdictionis epiſcopalis, validè exercere poſſe.

2. Poteſtas Ordinis quoad abſolutionem à peccatis, eadem eſt in omnibus ſacerdotibus, & in omnibus ſacerdotibus idem modus illam recipiendi, nempe per hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, Quorum remiſeris peccata, &c.* At juriſdictio non eſt æqualis in omnibus, nec invariabilis, ſed augeri, & minui poteſt, nec omnibus eodem modo confertur.

3. Poteſtas Ordinis poteſt eſſe ſine ſubjecta materia. Nam Ordinatio nullam dat materiam ſubjectam; juriſdictio verò nec eſt, nec poteſt eſſe ſine materia certa & determinata: repugnat enim ſuperiorem eſſe ſine inferioribus.

4. Denique, poteſtas Ordinis delegari non poteſt, nec adimi; juriſdictio verò & delegari, & adimi poteſt.

Quæres 3. quinam habeant juriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ?

Reſp. Qui ordinariam in foro pœnitentiæ juriſdictionem habent, conſtitui poſſunt in triplici ordine. In primo eſt Summus Pontifex, qui cùm ſit univerſalis Eccleſiæ Paſtor, ex vi muneris ſui ſupremam habet & univerſaliſſimam in omnes chriſtianos juriſdictionem, quam per ſe, vel per alios exercere poteſt.

poteſt. Ad hunc Ordinem revocantur ſummus Pœnitentiarius Pontificis, & Legatus ejus à latere.

In ſecundo Ordine ſunt Epiſcopi, qui ex vi muneris ſui juriſdictionem habent in ſuas diœceſes, & Archiepiſcopi item ex vi muneris ſui juriſdictionem habentes, non ſolùm in diœceſes ſuas, ſed etiam in diœceſes ſuffraganeorum ſuorum, dum illas actu viſitant. Ad hunc Ordinem revocantur Vicarii generales Epiſcoporum, Abbates exempti, qui epiſcopalem participant juriſdictionem, & in religionibus Prælati univerſales, ut Generales, & Provinciales, reſpectu ſubditorum ſuorum.

In tertio ordine ſunt Parochi: nam habent in foro pœnitentiæ juriſdictionem in ſuos parochianos ratione officii ſui. Ad hunc ordinem revocantur Vicarii perpetui parochorum, & in religionibus Superiores immediati, atque univerſaliter omnes alii, quibus vel ex jure, vel ex privilegio aliquo ſpeciali, animarum aliquarum cura commiſſa eſt.

Quæres 4. quinam poſſit juriſdictionem delegare.

Reſp. Juriſdictionem delegare poſſunt omnes ii, qui illam habent ordinariam. Patet ex capite. *Cùm Epiſcopus* 5. *de officio Ordinarii in* 6. quo dicitur: *Cùm Epiſcopus in tota ſua diœceſi juriſdictionem ordinariam noſcatur habere; dubium non exiſtit, quin in quolibet loco ipſius diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium poſſit pro tribunali ſedere ... necnon & cætera, quæ ad ipſius ſpectant officium liberè exercere.* Ratio eſt, quia habens juriſdictionem ordinariam, habet illam ut propriam, & officio ſuo connexam, adeoque eam exercere poteſt omni modo, quo officium convenit exerceri. Officium autem ab Ordinario exerceri, tam per alios, quàm per ſe, convenit. Hinc

Summus Pontifex fidelium omnium, Epiſcopus omnium diœceſanorum, parochus omnium parochianorum confeſſiones audiendi facultatem dare poteſt, cum hoc diſcrimine, quòd Summus Pontifex dare poſſit facultatem audiendi confeſſiones fidelium omnium, etiam invitis Epiſcopis, & aliis Ordinariis, quia utpote ſuperior illis, juriſdictionem habet ab illis independentem: at Epiſcopi ſuorum diœceſanorum confeſſiones audiendi facultatem dare non poſſent, invito Summo Pontifice, quia juriſdictionem habent ab eo tanquam ſuperiore dependentem. Similiter Epiſcopi dare poſſunt facultatem audiendi confeſſiones ſuorum diœceſanorum, invitis parochis, quia juriſdictionem à parochis, quibus ſuperiores ſunt, independentem habent: parochi verò cùm Epiſcopo inferiores ſint, & in uſu juriſdictionis ſuæ ab eo dependeant, non poſſunt, eo invito, & contra ejus prohibitionem, dare facultatem audiendi confeſſiones ſuorum parochianorum.

Quæres 5. utrùm delegati poſſint ſubdelegare?

Reſp. Qui tantùm habent delegatam juriſdictionem, non poteſt eam ſubdelegare, niſi vel ſit Legatus Summi Pontificis, vel Ordinarius eum deleget, ei committendo vicarium aliquod officium, cui juriſdictio connexa eſt. Ratio eſt, quia ei qui delegatur, non committitur ipſum officium delegantis, ſed tantùm aliqua illius pars, adeoque conceditur ei juriſdictio adſtricta ad certum exercitium, v. g. ad confeſſiones audiendas, à quo exercitio diſtinguitur illud, quo juriſdictio delegatur alteri, & quod proinde nullatenus ei conceditur.

Dixi 1. Niſi ſit Legatus Summi Pontificis: nam talis propter excellentiam dignitatis Pontificiæ ſubdelegare poteſt, ut patet ex cap. *Cùm cauſam* 62. extra de appellationibus, ubi dicitur: *Cùm nonnuſi delegatus à Principe cauſam aliis valeat delegare, quidquid, &c.*

Dixi 2. Vel Ordinarius eum deleget, &c. Nam cui hoc modo delegatur juriſdictio, poteſt eam ex parte ſubdelegare. Ratio eſt, quia illi cum ipſo officio, quod ei committitur, datur etiam juriſdictio, ei quodammodo commenſa, & talis eſt quaſi Ordinarius, quamdiu retinet officium ſibi commiſſum. Is igitur, cui committitur vicarium officium, v. g. parochi abſentis, aut ægroti, etiam ad certum tempus tantùm, poteſt alteri ſacerdoti, modò ſit approbatus ab Epiſcopo, ſubdelegare facultatem audiendi confeſſiones, niſi tamen hoc ei prohibitum ſit; quod non poteſt is, quem parochus aſſumit, ut eum adjuvet in confeſſionibus audiendis; quia talis nuda facultas confeſſiones audiendi à parocho demandatur. Dixi autem, Ex parte: nam cui vicarium aliquod officium committitur, non poteſt illud integrum ſubdelegare, quia illud non habet tanquam proprium, adeoque illud in alium transferre non poteſt: unde talis ſubdelegare non poteſt cum poteſtate ſubdelegandi, quia ſubdelegando eum poteſtate ſubdelegandi, officium ipſum committeret, & in alium transferret.

Quæres 6. qua ratione juriſdictio delegetur?

Reſp. juriſdictionem delegari poſſe variis modis. 1. jure communi. 2. Per privilegia aut generatim alicui ordini, aut in particulari alicui perſonæ conceſſa. 3. Per conceſſionem particularem, quæ fieri poteſt duobus modis, directè ſcilicet, & indirectè. Fit directè, cùm immediatè dirigitur ad confeſſarium: ſit indirectè, quando datur pœnitenti facultas eligendi ſibi confeſſarium, aut alicui determinato confitendi: tunc autem pœnitens confeſſario quem eligit, juriſdictionem non dat, ſed ſolùm deſignat perſonam, cui hoc ipſo quòd eligitur, ſuperior dat juriſdictionem: ſuperior enim poteſtatem eligendi confeſſarium alicui concedens, dat confeſſario, qui eligendus eſt, juriſdictionem ſub hac conditione, ſi eligatur: qua conditione impleta per electionem pœnitentis, juriſdictionis conceſſio, quæ antea erat conditionata tantùm & indeterminata, fit abſoluta & determinata.

Quæres 7. quid requiratur, ad hoc ut habens juriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ, eam legitimè deleget?

Reſp. requiri, 1. ut delegans non ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus non toleratus. Ratio eſt, quia delegatio eſt actus juriſdictionis, quem talis exercere non poteſt.

2. Ut is cui juriſdictio delegatur, ſit ſacerdos: nam ſoli ſacerdotes, ut probatum eſt, miniſtri ſunt ſacramenti pœnitentiæ, adeoque ſoli capaces hujus delegationis.

3. Ut ſi delegans non habet jus approbandi, juriſdictionem ſuam illis tantùm committat, qui ſunt legitimè approbati. Qui autem jus habent approbandi, hoc ipſo quòd alicui delegant juriſdictionem ſuam, cenſentur illum approbare.

4. Ut delegans, non in alios quàm in ſubditos juriſdictionem ſuam committat: cùm enim non habeat juriſdictionem ordinariam niſi in ſubditos, non poteſt illam niſi in ſubditos delegare. Hinc ſolus Pontifex juriſdictionem in omnes chriſti fideles delegare poteſt; Epiſcopi verò nonniſi in ſuos diœceſanos, & parochi nonniſi in ſuos parochianos delegare poſſunt juriſdictionem ſuam. Sic ſolus Generalis alicujus Ordinis, in omnes ejuſdem Ordinis religioſos juriſdictionem delegare poteſt; Provinciales verò nonniſi in religioſos ſuæ Provinciæ; & Rectores, Priores, Guardiani, nonniſi in religioſos domus cui præſunt.

Quæres 8. quinam jus habeant eligendi ſibi confeſſarium?

R. 1. Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, item Prælati regulares, Generales ſcilicet, Provinciales, & Superiores locales, jure communi facultatem habent eligendi ſibi confeſſarium. Patet ex cap. finali de pœnitentiis, &c. quo dicitur: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter ſui Superioris licentiam, providum & diſcretum ſibi poſſint eligere confeſſorem.* Supple, pro Prælatis Regularibus, niſi tamen per Ordinis ſui conſtitutiones, vel conſuetudinem juri communi derogantes, teneantur habere confeſſarium à ſuperiore deſignatum.

2. Eamdem facultatem habent ex conſuetudine om-

omnes parochi, quibus nunquam videmus certum confeſſarium præſcribi ab Epiſcopo; imò & omnes alii ſacerdotes, quibus facultatem hanc concedi omninò decuit: cùm enim ſæpe diverſis in locis celebrent, nec ſemper habere poſſint proprium confeſſarium præſentem, ſæpe periculum eſſet, ne ſibi mortalis alicujus peccati conſcii ſine confeſſione celebrarent.

3. Denique, facultatem eamdem habent ex privilegio multi Reges & Principes.

Quæres 9. utrùm juriſdictio ad audiendas confeſſiones, directè vel indirectè delegata, ſeu, quod idem eſt, utrùm facultas alicui data ad confeſſiones audiendas, aut eligendum confeſſarium, expiret per mortem delegantis?

Reſp. non expirare per mortem delegantis, ſicut nec per ejus demiſſionem, aut depoſitionem ab officio, ſi facultas illa data fuit abſolutè, & abſque omni limitatione: unde manet, donec à ſucceſſore, aut ſuperiore revocetur.

Prob. Nam facultas illa eſt gratioſa, & continet gratiam factam. Atqui facultas gratioſa, & gratiam factam continens, non expirat per mortem concedentis, ut patet ex capitulo *Si cui* 36. de præbendis, &c. in 6. Ergo, &c. Quod confirmatur ex uſu: videmus enim confeſſarios facultate audiendi confeſſiones uti, etiam poſt mortem illius à quo conceſſa fuit, donec à poteſtatem habente revocetur.

Dixi in minore, 1. Facultas gratioſa: nam facultates delegatæ, quæ ſunt juſtitiæ, & forum contentioſum ſpectant, expirant ſtatim atque moritur, aut officio defungitur is, qui illas delegavit; expirant, inquam, ſi res adhuc integra ſit, ſive ſi delegatus ante mortem delegantis nondùm cœperit facultate ſibi delegata uti. Dico, Si delegatus nondùm cœperit, &c. Nam ſi jam cœperit, non expirat juriſdictio. Patet ex cap. *Relatum* 19. cap. *Gratum* 20. & cap. *Licet* 30. extra de officio & poteſtate judicis delegati.

Dixi 2. Et gratiam factam continens: nam facultas gratioſa continens tantùm gratiam faciendam, ſi res ſit adhuc integra, cùm moritur is à quo conceſſa eſt, expirat per mortem illius. Patet ex cap. citato. *Si cui* 36. de præbendis in 6. Talis autem eſſet facultas Petro data ad abſolvendum Paulum, ſibi confeſſum; quia non in Petri, ſed in Pauli favorem datetur: quare hæc facultas expiraret per mortem concedentis, ſi res adhuc eſſet integra, dum moreretur, hoc eſt, ſi nondùm ante mortem ejus, Paulus cœpiſſet Petro confiteri.

Quæres 10. utrùm voluntas merè interna delegantis juriſdictionem, ſufficiat ad hoc, ut juriſdictio validè delegetur?

Reſp. negativè. Itaque ad hoc ut delegans validè deleget juriſdictionem, requiritur, 1. ut ſciens quid faciat, velit efficaciter eam delegare. 2. Ut hanc efficacem voluntatem exteriùs prodat ſigno aliquo externo, quo humano modo illam dirigat ad eum, cui vult delegare, cuique juriſdictionem dare non poteſt, niſi eam per ſe, vel per alium acceptet, quod non poteſt, niſi ſufficienter ei innoteſcat voluntas delegantis.

Quæres 11. utrùm ad hoc ut ſacerdos juriſdictione carens, aliquem validè abſolvat, ſatis ſit, ſi poſteà parochus ratam habeat abſolutionem ab eo datam?

R. neg. Nam ſubſequens ratihabitio parochi nullatenùs efficere poteſt, ut ſacerdos ille, qui abſolvit, eo tempore juriſdictionem habuerit; adeoque nullo pacto efficere poteſt, ne data abſolutio invalida fuerit, proindeque nullum fuerit ſacramentum ab initio. Sacramentum autem ab initio nullum, nulla ratione poſtea convaleſcere poteſt: nec reſponſioni noſtræ obſtat Regula Juris, *ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*; nam hæc ſolùm intelligenda eſt de his actibus, quorum valor immediatè pendet à voluntate illius, qui ratum habet, ut fit in contractibus. Præterea, cùm abſolutio nomine & authoritate Dei immediatè conferatur, non nomine & authoritate hominis, eam nullus homo ratam habere poteſt, juxta hanc aliam regulam, ibidem, nempe in 6. *Ratum habere quis non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Addi poteſt, regulam priorem, locum habere tantùm in iis caſibus, in quibus agitur de ſupplendo defectu, vel ſolemnitate juris humani.

Quæres 12. utrùm ad juriſdictionis collationem ſufficiat ſuperioris voluntas præſumpta?

Reſp. 1. ſi ſuperioris voluntas ſit præſumpta eo tantùm ſenſu, quòd daret juriſdictionem, ſi peteretur, talem præſumptionem non ſufficere: nam revera tunc non eſt data juriſdictio, ſed ſolùm fortaſſe daretur, ſi peteretur.

Reſp. 2. Si voluntas ſuperioris eo ſenſu præſumpta ſit, quòd adſint indicia, omne prudens dubium excludentia, & ſufficientia ad certò judicandum quòd re ipſa conceſſa ſit juriſdictio, talem præſumptionem ad habendam juriſdictionem ſufficere.

Quæres 13. utrùm ſufficiat juriſdictio petita, & non obtenta?

R. non ſufficere, 1. Si juſtè denegata ſit, in quo non eſt difficultas. 2. Etiamſi ſit injuſtè denegata: nam jura expreſsè requirunt, non ſolùm petitam, ſed etiam re ipſa obtentam, ut patet ex can. *Omnis utriuſque ſexus*, in quo dicitur: *Si quis alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio ſacerdote; cùm aliter ille ipſum non poſſit ſolvere vel ligare. Nota obiter*, idem de approbatione dicendum eſſe; nec ſufficere, quòd fuerit petita, & injuſtè negata, ſed requiri ut re ipſa obtenta fuerit.

Quæres 14. utrùm ſacramentum Pœnitentiæ licitè adminiſtretur cum juriſdictione probabili?

R. non adminiſtrari licitè extrà caſum neceſſitatis. Ratio eſt, quia qui cum probabili tantùm juriſdictione pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrat extra caſum neceſſitatis, ſacramentum hoc ſine juſta cauſa, nullitatis periculo exponit. Itaque qui probabilem tantùm habet juriſdictionem, debet vel certam ſibi comparare, vel pœnitentem extra caſum neceſſitatis ad alium ſacerdotem, qui certam juriſditionem habeat, remittere.

Quæres 15. utrùm ad validam abſolutionem ſatis ſit, ſi confeſſarius credatur legitimam habere juriſdictionem ad abſolvendum?

R. ſatis eſſe, quando confeſſarius juriſdictionem habere creditur errore communi, cui occaſionem dedit titulus coloratus, hoc eſt, collatio beneficii habentis curam animarum, vel juriſdictionis delegatio apparenter legitima, quæ tamen invalida eſt ob defectum aliquem occultum, v. g. propter occultam excommunicationem, vel ſimoniam. Patet ex lege *Barbarius D. de officio Prætoris*, quo jure utitur etiam Eccleſia. Tunc igitur, ut tenent Doctores communiter, Eccleſia ſupplet in ſacerdote defectum, & ei tranſeunter ad ſingulos actus juriſdictionem concedit ad validè abſolvendum neceſſariam, ne occaſione tituli colorati quem conceſſit, & quo, errori communi occaſionem dedit, animæ aliquæ ob validæ abſolutionis defectum pereant.

Quæres 16. utrùm is, qui parochum habet ignorantem, hoc ipſo facultatem habeat alium quem voluerit, confeſſarium eligendi?

R. Facultatem hanc non pauci docuerunt ab Eccleſia conceſſam eſſe, cap. *Placuit* 3. de Pœnitentia diſt. 3. quo dicitur: *Placuit ut deinceps nulli ſacerdotum liceat, quemlibet, commiſſum alteri ſacerdoti, ad pœnitentiam ſuſcipere ſine ejus conſenſu, cui priùs ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens priùs confeſſus eſt.* Sed hæc ſententia videtur nobis omninò improbabilis: prorſus enim incredibile videtur, quòd Eccleſia concedere voluerit facultatem, qua parochos parochianorum ſuorum calumniis exponeret. Præterea, cap. citato decernitur tantùm, quòd pœnitens, qui ſe ſacerdoti juriſdictionem habenti commiſit, ut pœnitentiam agat ad ejus arbitrium,

ſine

ſine ipſius licentia non poſſit, alteri ſacerdoti, habenti pariter juriſdictionem, ſeſe committere in eadem cauſa, niſi prior graviter erraverit in præſcribenda pœnitentia: vel, quod eodem redit, cap. citato præſcribitur tantùm, ne ſacerdos etiam juriſdictionem habens, excepta confeſſione pœnitentis, qui jam alteri ſacerdoti juriſdictionem habenti confeſſus eſt, pœnitentiam ab hoc ſacerdote impoſitam immutet, niſi manifeſtum ſit, ſacerdotem hunc in imponenda pœnitentia graviter erraſſe.

Quæres 17. utrùm quilibet ſacerdos poteſtatem habeat abſolvendi quemlibet à peccatis venialibus?

R. non paucos ante Innocentii II. tempora poteſtatem hanc cuilibet ſacerdoti attribuiſſe. Sed contra eſt; quia juriſdictio & approbatio Ordinarii, tam requiruntur ad abſolvendum à venialibus, quàm ad abſolvendum à mortalibus, ut patet ex decreto, quo Innocentius II. anno 1679. hoc declaravit.

Quæres 18. quinam confeſſarii juriſdictionem delegatam ex privilegio habeant ad omnes Chriſti fideles abſolvendos?

Reſp. 1. Fratres mendicantes hanc juriſdictionem habere, ut patet ex extravag. *Inter cunctas*, de privilegiis, ex Clement. *Dudum* de ſepulturis, & ex extravag. *Vas electionis*, de hæreticis. 2. Idem privilegium ſacerdotibus noſtræ Societatis, à Paulo III. conceſſum eſſe anno 1549. in bulla quæ incipit, *Licèt debitum paſtoralis officii*, & in qua ſic loquitur Pontifex: *Præterea, cùm intellexerimus, populos civitatum, terrarum & locorum apud quæ habitationem iidem Socii habent, vel ubi eoſdem verſari aut tranſire contingit, exemplo allectos & inductos religioſæ vitæ, quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eiſdem, & ſacratiſſimam communionem de manibus eorum accipiendam confluere; ut illis ſic confluentibus, ſatisfacere valeant* (præfati Socii,) *concedimus & indulgemus univerſis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ut cuilibet de Societate prædicta confiteri poſſint, Rectoris ſui licentia minimè requiſita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confeſſi & abſoluti fuerint, rursùs confiteri, &c.*

ARTICULUS III.

Utrùm in aliquo caſu, quilibet ſacerdos poſſit abſolvere quoslibet à quibuslibet peccatis.

N*Ota*. De duobus tantùm caſibus poteſt hic eſſe quæſtio, nempe de articulo mortis, & de periculo mortis. Articulus mortis, ut exponit Suarez tom. 4. in 3. partem divi Thomæ diſp. 26. ſect. 4. eſt quando mors proximè inſtat, & moraliter certa eſt, ac ferè inevitabilis. Periculum verò mortis eſt, quando eſt probabile, dubium, & frequenter ſolet mors in tali caſu accidere, ut eſt actuale bellum, longa navigatio, partus mulieris, & ſimilia.

Responsio.

Quilibet ſacerdos, non excommunicatus vitandus, aut ſuſpenſus, aut interdictus, aut hæreticus, poteſt quemlibet à quibuslibet peccatis & cenſuris abſolvere in articulo mortis.

Hæc reſpoſio eſt ab extrinſeco probabiliſſima, propter authoritatem Doctorum, qui eam magno conſenſu tenent, & quos citat & ſequitur Suarez loco citato. Pro omnibus hic ſufficiat ſanctus Thomas in 4. diſt. 22. quæſt. unica, art. 1. ad 2. quæſt. ubi ſic ait: *Quilibet ſacerdos, quantùm eſt de virtute clavium, habet poteſtatem indifferenter in omnes, & quantùm ad omnia peccata; ſed quod non poſſit omnes ab omnibus peccatis abſolvere, hoc eſt, quia per ordinationem Eccleſiæ, habet juriſdictionem limitatam, vel omninò nullam habet. Sed quia neceſſitas legem non habet, ideò quando articulus neceſſitatis imminet, per Eccleſiæ ordinationem non impeditur quin abſolvere poſſit, ex quo habet claves, etiam ſacramentaliter; & tantùm* (pœnitens) *conſequitur ex abſolutione alterius ſicut ſi à proprio ſacerdote abſolveretur: nec ſolùm à peccatis poteſt tunc à quolibet ſacerdote abſolvi, ſed etiam ab excommunicatione, à quocumque ſit lata; quia hæc abſolutio etiam ad juriſdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Eccleſiæ coarctatur.* Quòd autem ſanctus Doctor loquatur de articulo mortis, patet ex quæſtione propoſita, & ex ejus reſponſione ad primum. *Quia*, inquit, *Eccleſia acceptat, ut quilibet ſacerdos abſolvere poſſit in articulo mortis, ideò ex hoc ipſo quis juriſdictionis habet uſum, quamvis juriſdictione careat.*

Quæres 1. utrùm idem poſſit quilibet ſacerdos non excommunicatus, &c. pro morali periculo mortis?

Negant Soto, Cano, & Covarruvias; affirmant Medina, Paludanus, Navarrus, Adrianus, Sylveſter, quos citat & ſequitur Suarez, ſect. citata num. 3. ubi ſententiam ſuam probat ex cap. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. ubi poſita reſervatione, excipitur periculum mortis. *Si quis ſuadente diabolo*, inquit Innocentius II. *hujus ſacrilegii reatum incurrerit, quòd in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat*, juncto capite *Non dubium* 5. extra de ſententia excommunicationis, in quo Alexander III. pro periculo articulum ponit. *Non dubium eſt*, inquit, *quòd hi qui violentas manus in clericos, vel canonicos, aut cujuslibet religionis converſos injiciunt, ex conſtitutione Concilii* (in quo editus fuit canon, *Si quis ſuadente*, &c.) *ſententiam excommunicationis incurrunt: nec niſi in articulo mortis ſine Romano Pontifice abſolutionis poſſunt beneficium impetrare.* Unde intelligitur, hæc duo, periculum mortis, articulus mortis, in jure pro eodem reputari. Rationem hanc moralem addit Suarez, quia morale periculum perinde exiſtimari debet, & in malis ita caveri, ſicut eventus ipſe.

Quæres 2. utrùm hæc facultas abſolvendi in articulo mortis quemlibet peccatorem à quibuslibet peccatis, competat etiam ſacerdotibus excommunicatis, ſuſpenſis, interdictis, vel hæreticis?

Reſp. Hæreticis conceſſam eſſe hanc facultatem, negant Navarrus & Soto, cum divo Thoma hic quæſt. 82. art. 7. ad 2. ubi ſic ait: *Solus baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & ſchiſmaticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis: in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre.*

Idem negant de excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis Marſilius, Medina, & Covarruvias: at de omnibus affirmant Durandus, Canus, & Ruardus, quos ſequitur Suarez loco citato num. 5. ubi ad probationem hujus ſententiæ, ait, „ ſufficere verba Conc. Trid. c. 7. in quibus, inquit, diſtributiones ſunt notandæ, ſcilicet, *quilibet pœnitens, à quibuſvis peccatis, à quocumque ſacerdote, &c.* Prima enim comprehendit omnes pœnitentes, etiam excommunicatos, hæreticos, &c. Et ſimiliter ſecunda comprehendit omnia peccata, affecta quacumque cenſura, ſine exceptione. Ergo & tertia ſimiliter comprehendit omnes ſacerdotes, quacumque cenſura vel culpa ligatos. “ Sed hoc argumento minimè convincimur: textus enim Concilii non habet, *Quilibet ſacerdos*, ſed, quod hic aliud eſt, *Omnes ſacerdotes*; & to, *omnes*, reſtrictè ſumi à Concilio ex contextu videtur evinci poſſe. Sed de hoc jam alibi à nobis diſputatum eſt.

Quæres 3. utrùm ad hoc, ut quilibet ſacerdos quemlibet pœnitentem à quibuslibet peccatis abſolvere poſſit, requiratur neceſſitas non ſolùm ex parte pœnitentis, nempe articulus vel periculum mortis, ſed etiam ex parte ſacerdotis?

Affirmativè reſpondet Suarez ſect. citata, num. 4. „ Neceſſitas autem, inquit, ex parte ſacerdotis eſt, ut non ſit alius, ad quem ex officio, vel delegatione tale munus (abſolvendi ſcilicet) pertineat. Quapropter ſi adſit parochus v. g. vel alius, qui ha-

„ habeat juriſdiſtionem, non poteſt ſimplex ſacerdos „ abſolvere, quia jam oon eſt articolus neceſſitatis „ comparatione illius. “ Quod probat hic Author ex capite *Presbyter*, 26. q. 6. tum ſic pergit: „ Et „ eadem ratiooe cenſeo, nunc ſacerdotem, noo ex- „ poſitum, non poſſe in eo caſu abſolvere, ſi adſit „ approbatus, qui poſſit & velit id facere, etiamſi „ alioqui juriſdictionem non habeat, ut eſſet v. g. pa- „ rochus alienus ... Simili etiam ratione exiſtimo, „ ſi adſit ſacerdos excommunicatus vitandus, ſeu ſu- „ ſpenſus, aut præciſus, non poſſe abſolvere, ſi ad- „ ſit ſimplex ſacerdoa toleratus, etiamſi antea juriſdi- „ ctionem non haberer “

Quæres 4. Quo jure ſacerdoti cuilibet, quemvis pœnitentem à quibuſvis peccatis abſolvendi facultatem ſeu juriſdictionem in articulo mortis competere ſentiant Doctores?

Jure divino competere tenent Durandus, Capreolus, Paludanus, Cano, &c. apud Suarem loco citato num. 6. Hujus ſententiæ fundamentum hoc ſuggerit Suarez hìc; „ Quia perpetua Eccleſiæ tradi- „ tio, cujus initium ignoratur, eſt ſignum juris di- „ vini, ex Auguſtino lib. 4. de bapt. cap. 24. Hu- „ juſmodi autem eſt hæc traditio (nempe quòd qui- „ libet ſacerdos quemvis pœnitentem, à quibuſvis „ peccatis abſolveodi in articulo mortis facultatem „ habeat;) item quia non videtur Eccleſia habere „ poteſtatem ad hoc mutandum: talis enim poteſtas „ & uſus non eſſet ad ædificationem, ſed ad deſtru- „ ctionem. “

Competere tantùm ex conceſſione Eccleſiæ, plures docent cum divo Thoma, apud eumdem Suarem eodem loco num. 7. ubi hic author ait, ſententiam hanc inſinuari à Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi dicitur, ne hac ipſa occaſione reſervationis caſuum aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, ut reſervatio nulla ſit in articulo mortis.

Addit non eſſe aliquod aliud principium, præter modò allatum, unde oppoſita ſententia probari poſſit: „ Nam, inquit, in ordinatione nulla datur juriſdi- „ ctio, neque ex alio loco habetur, nec etiam con- „ ſuetudo ſufficiens eſt indicium (juris divini) quia „ ad ſummum indicat apoſtolicam traditionem, quæ „ non ſemper eſt de re inſtituta à Chriſto, oeque „ aliud dicit Auguſtinus loco ſupra citato. “ Tum ſic ſententiam ſuam confirmat: „ Eſt etiam optima „ conjectura: quia ſi hoc eſſet de jure divino, om- „ nes ſacerdotes eſſent pares in illo articulo, neque „ poſſet unus privari tali juriſdictione, etiamſi eſſet „ copia alterius: neque tunc neceſſarium eſſet, ex- „ poſitum non expoſito præferre, quia ad juriſdictio- „ nem divini juris non eſſet neceſſaria hominum ap- „ probatio, & ab hominibus inſtituta. “

Denique reſpondet alteri primæ ſententiæ argumento. „ Ex quo, inquit, facilè ſolvitur conjectora op- „ poſita: nam licèt ſemper futura eſſet in Eccleſia „ hæc conceſſio juriſdictionis, tamen quia in illa ſer- „ vandus etiam erat ordo & modus, ideò actualis „ ipſa conceſſio non eſt immediatè facta à Chriſto, „ ſed ſuis vicariis commiſſa, qui ex præcepto divino, „ imò etiam naturali charitatis, tenentur in hoc ſuf- „ ficienter providere neceſſitati fidelium. Ex his

Num. 8. concludit Suarez juriſdictionem, quam ſacerdotes omnes habent in articulo mortis, eſſe delegatam; quod ſic probat: „ Quia non eſt ordinaria „ ex munere alicujus beneficii, aut ex officio ſacer- „ dotis ut ſic: ergo eſt delegata, quia omnis juriſ- „ dictio in hoc foro, vel delegata eſt, vel ordinaria. „ Item eſt ex conceſſione Eccleſiæ tantùm pro illa „ occaſione: Ergo, &c. Addit eſſe veriſimile, hanc „ delegationem cœpiſſe ab ipſo Petro, & per taci- „ tam conſenſionem Pontificum priùs continuatam „ fuiſſe, poſtea verò per expreſſam in ipſo jure, va- „ riis locis ſupra indicatis, & in capite *De cætero*, „ & capite *Ea noſcitur*, de ſententia excommunica- „ tionis; & capite *Paſtoralis*, de officio judicis or- „ dinarii, cum aliis ſimilibus. Ex quo infert pri- „ mò, quòd hæc delegatio ex ſe perpetua ſit, ut- pote à ſummis Pontificibus facta, ideoque à nul- „ lo inferiori tolli aut limitari poſſit, niſi à ſum- „ mo Pontifice, à quo etiam nunquam revocabi- „ tur, quia eſſet intolerabilis error, quem nun- „ quam Spiritus ſanctus in ſua eccleſia permittet. „ Secundò, per confeſſionem factam io articulo „ mortis cuicumque ſacerdoti, liberari hominem „ ab obligatiooe iterùm confitendi illa peccata per „ ſe loquendo, quia hæc delegatio eſt abſoluta, or- „ dinariè loquendo. „

Portò in capitibus proximè citatis non invenimus quod intendit Suarez: nam in capitibus *De cætero*, &, *Ea noſcitur*, dicitur tantùm, quantùm ad rem præſentem pertinere poteſt, quòd excommunicari pro violenta manuum injectione in clericum, poſſint abſolvi ab Ordinario in certis caſibus. Similiter capite *Paſtoralis* §. *Præterea*, ſolùm dicitur, cùm delegatus Pontificis, quantùm ad illam cauſam pro qua delegatus eſt, major ſit Ordinario, excommunicatam ab hujuſmodi delegato, eo mortuo, niſi à Pontifice, vel ab alio, qui delegato mortuo ſucceſſerit in onere & honore, abſolvi non poſſe extra articulum mortis, adeoque nonniſi in articulo mortis, ab Ordinario poſſe abſolvi. Sed

Nec videmus Suarem magis juvare jura alia ab eo citata num. 1. ex 26. quæſt. 6. Nam capite *De his* 9. præcipitur tantùm, ut is qui pœnitentiam publicam agit, abſolvatur, ſi læthali morbo corripiatur, nondùm peracta pœnitentia. Capite *His qui* 30. cap. *Si presbyter* 12. & capite *Agnovimus* 13. ſolùm prohibetur, ne gravibus peccatoribus in fine vitæ tantùm pœnitentiam petentibus abſolutio denegetur. Denique capite *Presbyter* 14. ſolùm præſcribitur, ne presbyter, inconſulto Epiſcopo, pœnitentem publicum reconciliet extra caſum neceſſitatis extremæ.

Quid ergo volunt jura illa omnia? Ut à quolibet ſacerdote quilibet pœnitens, à quibuslibet peccatis abſolvi poſſit in articulo mortis? Minimè; ſed ſolùm, ne cui in articulo mortis conſtituto, & confeſſionem petenti, abſolutio ſacramentalis denegetur, ab eo ſcilicet, qui eum poſſit abſolvere.

Denique non videmus, ad quid Suari, & aliis Doctoribus eandem ſententiam defendentibus, prodeſſe poſſit Concilium Triden. cùm ait ſeſſ. 14. cap. 7. *Ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideo omnes ſacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* Quòd enim Concilium, ex eo quòd nulla ſit caſuum reſervatio, ſeu quod idem eſt, nulla ſit juriſdictionis ſive ordinariæ ſive delegatæ, in foro pœnitentiæ, ad abſolvendum requiſitæ reſtrictio pro articulo mortis, omnes omninò ſacerdotes, etiam non approbatos, etiam excommunicatos, &c. quoſvis pœnitentes, à quibuſvis peccatis & cenſuris, in articulo mortis abſolvere poſſe, inferre potuerit, latis capere non poſſumus.

Sufficiat igitur Suari, & aliis Doctoribus, eandem tuentibus ſententiam, quam libenter amplectimur, authoritas Ritualis Romani, Pauli V. juſſu editi, in quo dicitur: *Si periculum mortis immineat, approbatuſque deſit confeſſarius, quilibet ſacerdos poteſt à quibuſcumque cenſuris, & peccatis abſolvere.* Quod tamen intelligendum videtur cum ea moderatione quam adhibet Suarez; hoc eſt, ut adſit vera neceſſitas ex parte ipſius ſacerdotis, propter abſentiam ſacerdotis alterius, qui velit abſolvere, & præferri debeat.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Utrùm præter poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, requiratur in confeſſariis approbatio Epiſcopi.

RESPONSIO.

IN ſacerdotibus tam regularibus, quàm ſæcularibus, ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, approbatio Epiſcopi adeò neceſſaria eſt, ut ſine illa ſacramentum nullum ſit.

Prob. Nam ita ſtatuit Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de reformatione. *Quamvis*, inquit, *presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis, per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.*

Nota 1. Trident. limitare decretum ſuum ad confeſſiones ſæcularium; unde nihil innovat circa confeſſiones Regularium, ſive virorum, ſive fæminarum, illiſque ſua jura integra relinquit; & conſequenter ad audiendas confeſſiones monialium, neceſſaria non eſt Epiſcopi approbatio, vi Tridentinæ conſtitutionis: eſt tamen neceſſaria, propter conſtitutionem Gregorii XV. anno 1622. editam, quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, & in qua expreſsè ſtatuitur, ut nullus ſacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis, Monialium confeſſiones audire poſſit, niſi approbatus fuerit ab Ordinario.

Nota 2. Triden. limitare pariter decretum ſuum ad ſacerdotes, qui non habent beneficium parochiale, hoc eſt, beneficium aut officium, cui annexa eſt animarum cura: quare qui tale beneficium vel officium habent, ut Epiſcopi, Abbates juriſdictionem Epiſcopalem habentes, Decanus capituli, & parochi, ad audiendas confeſſiones approbatione Epiſcopi non indigent; ſed hoc ipſo quòd promoventur ad tale beneficium, vel officium, eoque digni cenſentur, cenſentur quoque idonei ad munus audiendi confeſſiones obeundum. Quòd ſi beneficium ſuum relinquant, aut eo priventur, audire confeſſiones deinceps non poterunt, niſi approbentur ab Epiſcopo; quia Triden. requirit, ut approbentur ſacerdotes, qui parochiale beneficium non habent. Porrò quia nomine obtinentium parochiale beneficium non veniunt Prælati regulares, eò quòd talis prælatura non eſt propriè beneficium parochiale, approbatione Epiſcopi indigent ad audiendas confeſſiones ſæcularium.

Nota 3. Nomine ſæcularium etiam ſacerdotum, comprehenduntur Prælati omnes habentes à jure facultatem eligendi confeſſarium. Unde, 1. Prælati Epiſcopis inferiores, qui juriſdictionem non habent epiſcopalem, non poſſunt confeſſarium eligere, niſi aliquem ab Epiſcopo approbatum, aut beneficium parochiale obtinentem. 2. Epiſcopi, ſi velint eligere aliquem ſibi non ſubditum, nec habentem beneficium parochiale, debent eligere approbatum ab Epiſcopo, cui ſubditus eſt, ut habet declaratio Cardinalium apud Suarem tomo citato diſp. 28. ſect. 4. num. 8. Quòd ſi velint eligere ſibi ſubditum, illum poſſunt approbare ſimpliciter, & ſine reſtrictione. Ratio pro utroque eſt, quia poſt Tridentini conſtitutionem, qui neque approbatus eſt ab Epiſcopo, neque beneficium parochiale obtinet, ad audiendas talium confeſſiones idoneus reputari non poteſt.

Propter eamdem rationem, parochus non poteſt, ad audiendas ſuorum parochianorum confeſſiones eum deputare, qui non eſt approbatus ab Epiſcopo, nec habet parochiale beneficium, proindeque deputare non poteſt ad audiendas in urbe ſuorum parochianorum confeſſiones, eum qui tantùm approbatus eſt pro pagis; aut ad audiendas confeſſiones mulierum, eum qui tantùm ad audiendus viros approbatus eſt. Propter eamdem pariter rationem, quando tempore Jubilæi à Summo pontifice facultas datur eligendi confeſſarium idoneum vel approbatum, ad audiendas confeſſiones, in hac diœceſi v. g. eligi non poteſt is qui approbatus tantùm eſt pro alia; vel ad audiendas in urbe confeſſiones, is qui ſolùm pro pagis approbatus eſt; vel ad audiendas mulierum confeſſiones, is qui approbatus tantùm eſt pro viris: ad audiendas enim tales confeſſiones, Summus pontifex neceſſariam juriſdictionem non tribuit, niſi ſuppoſita approbatione, qualis requiritur à Tridentino, cui non intendit derogare.

Nota 4. Nomine Epiſcopi intelligit Synodus Epiſcopum ſaltem confirmatum, & habentem juriſdictionem: quarè non valeret approbatio data ab Epiſcopo, qui eſſet tantùm electus, vel nominatus, aut qui aliàs juriſdictionem habuiſſet, ſed jam non haberet. Non eſt autem neceſſe, ut approbatio detur ſcripto, quia id non requirit Concilium, ſed ſolùm præcipit ut gratis detur.

At inquies. Quid ſi Epiſcopus interiùs judicans aliquem non eſſe idoneum, eum tamen approbaret, ſive per favorem, ſive propter aliud motivum? *Reſp.* Tunc quidem approbatio eſſet illicita, ſed nihilominus valida: nam cùm Synodus dicit, *aut aliàs idoneus judicetur*, loquitur de judicio externo & ſenſibili, ſeu de ſententia autenticè ab Epiſcopo data, ad cujus ſententiæ valorem non requiritur, ut judex interiùs judicet id, quod pronunciat exteriùs.

Nota 5. Nomine epiſcopi hic intelligi etiam debere, non ſolùm Ordinem, ſed etiam poteſtatem epiſcopalem: nam approbare ſimiliter poſſunt ii, qui juriſdictionem epiſcopalem habent, ut Capitulum Cathedrale, ſede vacante; & Abbates, ac Priores exempti, qui diœceſim, & in illa epiſcopalem juriſdictionem habent. Quicumque autem habent juriſdictionem epiſcopalem, poſſunt per ſe, vel per alios approbare: ſic epiſcopus approbandi munus committere poteſt, non ſolùm Vicario generali, ſed etiam Prælato Religionis, aut alteri, ei v. g. dicendo, ſe approbare eos, quos ille idoneos judicaverit.

Quæres 1. utrùm ſufficiat approbatio petita, & injuſtè negata?

Reſp. non ſufficere. Ratio eſt, quia Concilium Tridènt. requirit, ut confeſſarius re ipſa approbatus ſit, niſi parochiale beneficium habeat. Sed qui petit approbationem, nec obtinet, ſive juſtè negetur, ſive injuſtè, non eſt re ipſa approbatus. Ergo, &c.

Dices. In Clementina *Dudum* de ſepulturis, in Extravagante *Inter cunctas* de privilegiis, & in Bulla Leonis X. edita in Concilio Lateranenſi, quæ incipit, *Sacro approbante Concilio*, ſtatuitur ut Regulares mendicantes, petita & injuſtè negata approbatione, poſſint audire confeſſiones ſæcularium. *Reſp.* Trid. illis omnibus derogaſſe hac generali clauſula: *Privilegiis & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus*. Præſertim cùm privilegium Regularium, de quo agitur, inſertum ſit corpori juris communis; & capite *Licèt Romanus* de conſtitutionibus in 6. dicatur Romanus Pontifex condendo conſtitutionem poſteriorem, priorem, quamvis de illa mentionem non faciat, revocare, quando continetur in jure: Unde tunc non cenſetur illi ignota, quia cenſetur habere omnia jura in ſcrinio pectoris ſui. Quod autem hic de Romano Pontifice dicitur, de Concilio generali non poteſt non ſubintelligi.

Quæres 2. cujus Epiſcopi approbatio neceſſaria ſit.

Reſp. 1. neceſſariam non eſſe approbationem Epiſcopi pœnitentis. Ratio eſt, quia Regulares privilegiati, cùm accipiant à ſummo Pontifice juriſdictionem in omnes Chriſti fideles, modò ab Epiſcopo loci, in quo confeſſiones audiunt, approbati ſint, poſſunt validè abſolvere pœnitentes illuc venientes ex aliis diœceſibus, quod certè non poſſent facere, ſi neceſſaria eſſet approbatio Epiſcopi pœnitentis.

Dixi,

Dixi, Regulares privilegiati: nam confeſſarii ſæculares, vel etiam regulares non privilegiati, approbati ab Epiſcopo ſuo tantùm, non poſſunt validè abſolvere pœnitentes ex altera diœceſi advenientes, quia nullam in eos juriſdictionem habent: cùm enim non ſolùm approbationem, ſeu idoneitatis teſtimonium, ſed etiam juriſdictionem accipiant ab Ordinario, & Ordinarius nullam habeat juriſdictionem in ſubditos alterius diœceſis, nullam ab eo in illos juriſdictionem accipere potuerunt.

Excipe tamen eos qui vagantur, peregrinantur, iter faciunt, mercatores, litigantes, milites, ſcholaſticos, qui jure communi, vel ex conſuetudine à ſuperioribus tacitè approbata, fiunt in ordine ad ſacramenta quaſi ſubditi epiſcopi loci, in quo verſantur; unde poſſunt abſolvi à confeſſariis, qui ab Ordinario deputati ſunt ad audiendas omnium confeſſiones. Similiter qui habent domicilium in diœceſi duplici, abſolvi poſſunt in utraque diœceſi à ſacerdotibus ad audiendas omnium confeſſiones approbatis & expoſitis: ſicut qui habent domicilium in parochia duplici, ab utrolibet parocho abſolvi poſſunt: quia ſicut hi ratione domicilii ſubditi ſunt parochiæ duplicis, ita & illi duplicis diœceſis.

Reſp. 2. nec neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi ipſius confeſſarii. Ratio eſt, quia Epiſcopus Metenſis v. g. approbare poteſt ad audiendas in ſua diœceſi confeſſiones ſacerdotem commorantem in diœceſi Tullenſi, nec ab Epiſcopo Tullenſi approbatum; atque ita fiet, ut ſacerdos non approbatus ab Epiſcopo ſuo, poſſit confeſſiones audire, & confeſſos abſolvere, quamvis non in diœceſi Tullenſi, in qua commoratur, ſed in Metenſi tantùm.

Reſp. 3. Ad audiendas igitur ſæcularium confeſſiones neceſſaria eſt approbatio Epiſcopi loci, in quo confeſſiones audiuntur. Nam ad audiendas ſæcularium confeſſiones, neceſſaria eſt approbatio alicujus epiſcopi, ita ut ſine tali approbatione nulla ſit abſolutio data, ut apertè intelligitur ex decreto Trident. Ergo vel neceſſaria eſt approbatio Epiſcopi pœnitentis, vel Epiſcopi confeſſarii, vel denique Epiſcopi loci, in quo confeſſiones audiendæ ſunt. Non ſprimum, aut ſecundum: Ergo tertium.

Dices. Sacerdos ſive ſæcularis, ſive regularis approbatus v. g. ab epiſcopo Metenſi, ad audiendas Metenſium confeſſiones, poteſt Metenſem abſolvere v. g. in diœceſi Tullenſi, ſi per eam iter faciens reperiat Metenſem illum iter quoque illac facientem: nam tunc locus habet ſe tantùm per accidens reſpectu confeſſarii & pœnitentis, & uterque adhuc eſt diœceſis Metenſis. Ergo neceſſaria non eſt approbatio Epiſcopi loci, in quo confeſſiones audiuntur.

Reſp. neg. ant. etiam de ſacerdote, qui ſit Regularis privilegiatus, quem ne quidem in caſu propoſito confeſſionem audire poſſe, prob. 1. Ex Clementin. *Dudum* de ſepulturis, in qua dicitur: *Miniſtri Ordinum prædictorum, eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas, atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum: quas ſic ab ipſis electas, repræſentent vel faciant præſentari prælatis, ut de eorum licentia, gratia & beneplacito in civitatibus & diœceſibus eorumdem, hujuſmodi perſonæ ſic electa confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant .... extra civitates & diœceſes, in quibus fuerint deputata ... confeſſiones nullatenus auditura*. Pondera hanc vocem, *nullatenùs*.

2. Ex reſponſione Innocentii X. in cauſa Patrum Societatis Jeſu cum Epiſcopo Angelopolitano, in qua dicitur: *Regulares etiam Societatis Jeſu in una diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam poſſe in alia diœceſi hujuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani*. Pondera hanc vocem, *nequaquam*.

3. Ex Bulla Clementis X. quæ incipit, *Superna Magni Patrisfamilias*, in qua §. 4. decernit Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia diœceſi eas abſque Epiſcopi diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.

Dices iterum. Parochus poteſt abſolvere ſuum ſubditum, non ſolùm in propria, ſed etiam in alia diœceſi. Ergo ſimiliter. *Reſp.* poſſe etiam licitè, modò id fiat privatim, & abſque ſcandalo. Ratio eſt, quia juriſdictio, quam parochus exercet erga ſubditum in foro pœnitentiæ, non eſt contentioſa, nec ſtrepitum fori requirit, atque ita exerceri poteſt extra proprium territorium. Et aliunde ſicut non eget parochus approbatione ſui Epiſcopi, ut ſubditum ſuum audiat in propria diœceſi, ita nec indiget approbatione alterius Epiſcopi ad illum in aliena diœceſi audiendum: in quo eſt diſparitas inter Parochum, & Regularem etiam privilegiatum, qui confeſſiones ſæcularium audire non poteſt in ulla diœceſi ſine approbatione Epiſcopi diœceſani.

Quæres 3. utrùm approbatus ab uno Epiſcopo, cenſendus ſit approbatus pro univerſa Eccleſia?

Reſp. neg. Contrarium enim oſtenditur, 1. Ex Clementina *Dudum* de ſepulturis; ex reſponſione Innocentii X. & ex Bulla Clementis X. verbis ſupra laudatis. 2. Ex Brevi Alexandri VII. ad Epiſcopum Andegavenſem dato die 30. Januarii anno 1659. in quo damnatur hæc propoſitio: *Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo, ad confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur approbati in aliis, nec nova Epiſcoporum indigent approbatione; &c.* 3. Ex Trid. loco ſupra citato, ubi in confeſſariis requirit approbationem ab Epiſcopis in plurali numero, ut ſignificet in diverſis diœceſibus neceſſarias eſſe diverſas Epiſcoporum approbationes. Hoc autem convenientiſſimè voluerunt Pontifices, & Concilium, quia ſæpe diverſa capacitas & ad audiendas confeſſiones idoneitas in diverſis locis requiritur, propter diverſum genus hominum, mores diverſos, &c. cujus capacitatis & idoneitatis judicium rectè commiſſum eſt Epiſcopis, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.

Quæres 4. utrùm Epiſcopi limitatè approbare poſſint ad certum tempus, ad certum locum, & ad certas perſonas.

Reſp. 1. Epiſcopi poſſunt validè approbare limitatè ſacerdotes ſæculares & regulares non privilegiatos; nam illos approbando, non ſolùm dant eis authenticum idoneitatis teſtimonium, ſed etiam juriſdictionem in foro pœnitentiæ; quam juriſdictionem ſicut poſſunt illis omninò negare, ita & poſſunt illis dare cum vel abſque reſtrictione, prout eis placuerit.

Reſp. 2. Epiſcopi poſſunt etiam validè approbare limitatè regulares privilegiatos: quia eos approbando, non ſolùm dant illis authenticum teſtimonium idoneitatis ad audiendas confeſſiones, ſed etiam facultatem exercendi juriſdictionem à Summo Pontifice per ſuperiores acceptam; quam facultatem poſſunt eis dare cum, vel abſque limitatione, ſicut poſſunt eis omninò negare, prout libuerit. Quod

Probatur adhuc ex Bulla citata Clementis X. §. 4. ubi dicitur: *Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in diœceſi propria admittendos: quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere*.

Quæres 5. utrùm generaliter approbatus ad audiendas confeſſiones ſæcularium, cenſeri poſſit approbatus ad confeſſiones Monialium audiendas, ſi in approbatione Moniales non fuerint nominatim acceptæ?

Reſp. neg. Ita enim declaratur in Bulla Gregorii XV.

Digitized by Google

XV. quæ incipit, *Inſcrutabili*, in qua dicitur: *Confeſſores, ſive regulares, ſive ſæculares, quomodolibet exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbationem quæ gratis conceditur, obtineant.*

Idem & expreſſiùs ſtatuitur in Bulla Clementis X. citata, his verbis: *Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione*. Quibus verbis additur: *Approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii: Itidemque confeſſores extraordinarios, ſemel deputatos atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.*

Quæres 6. utrùm approbatio ſemel data, poſſit poſtea revocari?

Reſp. 1. Approbatio data ad tempus limitatum, puta ad annum, ceſſat hoc ipſo quòd tempus limitatum elapſum eſt: nam approbatio durare non poteſt ultra tempus præſcriptum ab eo, à cujus voluntate pendet.

Reſp. 2. Approbatio data ab Epiſcopo ad beneplacitum, poteſt ab eo quotieſcumque voluerit validè revocari, etiam abſque cauſa: nam approbatio ſic data, non eſt data abſolutè, ſed tantùm limitatè ad certum tempus vagum, quod Epiſcopus pro ſuo arbitrio poteſt poſtea, ſi velit, limitare. Idem dicendum de approbatione data cum hac clauſula, Uſque ad revocationem, vel æquivalente.

Reſp. 3. Approbatio etiam data abſolutè, & ſine ulla limitatione temporis, valide revocari poteſt, etiam abſque juſta cauſa: nam ſicut ab initio validè negari potuit, etiam ſine juſta cauſa, ita ſemel data, etiam ſine juſta cauſa validè poteſt auferri.

Dices. Approbatio eſt juridica ſententia de idoneitate ſacerdotis ad confeſſiones audiendas, ſaltem quando non niſi prævio examine data fuit. Sed juridica ſententia ſine juſta cauſa validè revocari non poteſt. Ergo, &c.

Reſp. Approbationem completè ſumptam, præter juridicam illam ſententiam de ſacerdotis idoneitate, complecti reſpectu ſacerdotis non privilegiati, collationem juriſdictionis, & reſpectu ſacerdotis privilegiati collationem facultatis exercendi juriſdictionem, à Summo Pontifice acceptam. Hanc autem juriſdictionem & facultatem Epiſcopus validè revocare poteſt abſque juſta cauſa, ſicut ab initio abſque juſta cauſa illam validè negare potuit.

Quæres 7. utrùm Regulares approbati, quorumlibet ſæcularium confeſſiones audire poſſint in eo loco, in quo approbati ſunt?

Reſp. Poſſunt Religioſi mendicantes, quo nomine comprehenduntur etiam Religioſi Societatis Jeſu, Ratio eſt, quia juriſdictionem ſuam accipiunt à Summo Pontifice, qui ordinariam habet in omnes Chriſti fideles. Quia tamen hanc juriſdictionem à Summo Pontifice non habent immediatè, ſed per Superiores ſuos, non poſſunt, quantumvis approbati ſint, exercere confeſſarii munus, niſi ad illud deputentur à ſuis ſuperioribus, & ſic per ſuperiores juriſdictionem accipiant.

Dixi 1. Sæcularium, quia Pontifex dictis Regularibus ita juriſdictionem in omnes Chriſti fideles concedit illimitatè, ut nolit derogare Religionum conſtitutionibus, vi quarum varii religioſi non poſſunt niſi confeſſariis à ſuperioribus deſignatis confiteri, Religioſi igitur qui à modo ſua quacumque de cauſa abſunt, à ſuperioribus ſuis, vel ex ſtatutis religionis ſuæ, aut ex conſuetudine recepta intelligere debent, quibuſnam oporteat eos confiteri. Quòd ſi circa hoc, ſtatutum nihil ſit à ſuperiore, aut à religione, confiteri poſſunt ſacerdoti cuilibet ſæculari vel regulari, ſive approbatus ſit, ſive non.

Dixi 2. In iis locis, pro quibus ſunt approbati: nam ut ſupra jam dictum & probatum eſt, juriſdictionem ſuam exercere non poſſunt niſi in locis, pro quibus ab Ordinariis locorum approbati ſunt: imò nec poſſunt in alienis templis, ſine eorum, quibus templa illa ſubſunt, conſenſu; niſi tamen ad id ſpecialem facultatem acceperint ab Epiſcopo, cui ſubſunt parochi.

Quæres 8. utrùm Regulares approbatione Epiſcopi indigeant ad confeſſiones domeſticorum ſuorum audiendas?

Reſp. Non indigent ad audiendas confeſſiones ſæcularium, qui verè ſunt de eorum familia, & continui commenſales. Ita enim declaravit Clemens X. in Bulla citata, his verbis: *Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos regulares, quàm Confeſſores regularium eorumdem Monaſteriorum ſeu Collegiorum, audire confeſſionem illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt.*

Quæres 9. utrùm parochus poſſit ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones in ſua parochia uti opera alterius parochi, quamvis ad id non approbati ab Epiſcopo?

Reſp. Poteſt, modò tamen id non ſit prohibitum: cùm enim parochus ordinariam habeat in foro pœnitentiæ juriſdictionem in ſuos parochianos, poteſt eam ad audiendas eorum confeſſiones in ſua parochia delegare cuilibet ſacerdoti idoneo. Alter autem parochus etiam abſque Epiſcopi approbatione idoneus eſt. Nam Trid. parochiale beneficium habentes relinquit juri antiquo, ſecundùm quod ſine approbatione Epiſcopi poterant ſuorum confeſſiones in ſuis parochiis audire, & delegari ad confeſſiones alienorum parochianorum, ſive in propria parochia, ſive alibi audiendas.

Confirmatur. Quia parochus parochiano ſuo permittere poteſt, ut confiteatur alteri parocho in ejus parochia, ut manifeſtè colligitur ex verbis illis canonis, *Omnis utriuſque ſexus. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio ſacerdote*. Ergo à fortiori poteſt alterum parochum delegare ad eum in ſua parochia audiendum.

Dixi, Modò id non ſit prohibitum: nam juriſdictio ordinaria, quam parochus in ſuos parochianos habet, ſubordinatur juriſdictioni Epiſcopi, qui proinde maximè juſta de cauſa prohibere & impedire poteſt, ne parochus juriſdictionem ſuam, quamvis ordinariam, deleget niſi confeſſariis, quos ipſe ad id approbavit.

ARTICULUS V.

Utrum in Eccleſia detur poteſtas reſervandi peccata.

RESPONSIO.

Datur in Eccleſia poteſtas reſervandi peccata.

Eſt de fide, contra Lutheranos & Calviniſtas, docentes reſervationem locum habere tantùm in foro exteriore; contra quos probatur, 1. ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & can. 11. quo dicitur: *Si quis dixerit Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideò caſuum reſervationem non prohibere, quominus ſacerdos à reſervatis verè abſolvat; anathema ſit*. 2. Ex praxi antiquæ Eccleſiæ: nam ut ait Trid. cap. citato, *Magnoperè ad chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis duntaxat ſacerdotibus abſolverentur.*

Digitized by Google

tur. 3. Ratione manifeſta: ſicut enim juriſdictio ad abſolvendum à peccatis neceſſaria, totaliter denegari poteſt, ita & poteſt limitativè tantùm concedi ad certa peccata, & non ad alia remittenda. Hoc autem fieri omninò expedit ad puniendа graviora peccata, ad deterrendos magis homines à gravioribus peccatis, atque ut à ſuperioribus, quos convenire tenentur, ſi in graviora illa crimina incidant, poſſint corrigi efficaciùs, & ſcandala, damna, aliorùmque pericula, quæ ex talibus peccatis oriri ſolent, certiùs amoveri; quæ omnia ad bonum commune Eccleſiæ magnopere conferunt.

Quæres 2. quinam peccata reſervare poſſint?

R. Poteſtas reſervandi peccata eſt penes illos, à quibus dependet juriſdictio aliorum, vel quia ab illis communicatur, vel quia illis ſaltem ſubordinatur hæc juriſdictio. Hinc

1. Summus Pontifex poteſt ſibi reſervare peccata in tota Eccleſia: cùm enim omnium, etiam Epiſcoporum, in tota Eccleſia juriſdictio vel derivetur à Summo Pontifice, vel ſaltem illi ſubordinetur, poteſt Summus Pontifex limitare, vel ſaltem ligare juriſdictionem omnium, etiam Epiſcoporum, in tota Eccleſia; ita ut quædam peccata in foro pœnitentiæ remitti non poſſint in tota Eccleſia, niſi ab ipſo Pontifice, aut ab iis, quos Pontifex ad id commiſerit. Hoc expreſsè dicit Trident. cap. citato, ubi ait: *Unde meritò Pontifices maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo poterunt peculiari judicio reſervare.*

2. Epiſcopi poſſunt ſibi reſervare peccata in tota ſua diœceſi: ut patet ex canone cujus verba relata ſunt, & ex capite citato: ſic enim Synodus proſequitur: *Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cujuſque diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores ſacerdotes authoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ authoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere.*

Illam porrò Epiſcopi poteſtatem habent, 1. Reſpectu ſimplicium ſacerdotum: nam ſimplices ſacerdotes juriſdictionem ſuam accipiunt ab Epiſcopis, qui proinde juriſdictionem illam poſſunt limitare, ſeu limitatè dare ad certa peccata, & non ad alia. 2. Reſpectu parochorum, quamvis juriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos habeant, nec eam accipiant ab Epiſcopis. Ratio eſt, quia ordinaria parochorum juriſdictio Epiſcopis jure communi ſubordinatur, adeoque illam Epiſcopi poſſunt ligare, & impedire, ne circa certa peccata validè exire in actum poſſit. 3. Reſpectu Regularium, etiam privilegiatorum, qui delegatam habent à Summo pontifice juriſdictionem. Ratio eſt, quia ex conceſſione Tridentini, & Summorum Pontificum, hæc juriſdictio circa certa peccata ligari poteſt ab Epiſcopis in ſua cujuſque diœceſi, ita ut circa peccata illa à Regularibus exerceri validè non poſſit in diœceſibus, pro quibus reſervata ſunt, niſi ſpeciali ad id facultate ab Ordinariis priùs obtenta.

3. Prælati regulares poſſunt ſibi reſervare peccata reſpectu ſubditorum. Hæc autem reſervatio eò magis vel minùs ſe extendit, quò magis vel minùs extendit ſe juriſdictio reſervantium. Hinc Præpoſitus generalis aut Capitulum generale poteſt reſervare peccata pro toto Ordine; Provincialis, aut Capitulum provinciale pro tota provincia; locales verò Superiores pro domo ſua tantùm: quin etiam poteſtatem reſervandi, quam habent, reſtrinxit ad undecim caſus Clemens VIII. ut videre eſt apud Suarem tomo citato, diſput. 29. ſect. 3. num. 11. & apud alios.

Quæres 2. utrùm valida ſit reſervatio injuſtè facta ab Epiſcopo?

R. Valida eſt reſpectu ſacerdotum omnium, ſive ſæcularium, ſive regularium, qui ſunt in ejus diœceſi. Itaque valida eſt, 1. reſpectu ſimplicium ſacerdotum, quibus pro arbitrio juriſdictionem delegare limitatè, vel etiam omninò denegare poteſt Epiſcopus. 2. Reſpectu parochorum, quorum poteſt Epiſcopus pro arbitrio ligare juriſdictionem ordinariam. 3. Reſpectu Regularium etiam privilegiatorum, quibus Epiſcopus poteſt etiam pro arbitrio limitatè concedere facultatem exercendi juriſdictionem, quam habent à Summo Pontifice. Porrò quamvis reſervatio facta ſine juſta cauſa non ſit invalida, eſt tamen graviter illicita, quia ut dicit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. poteſtas reſervandi Epiſcopis data eſt, *in ædificationem, non in deſtructionem.*

Quæres 3. quotuplici modo peccata reſervari poſſint?

R. Poſſunt tripliciter reſervari. 1. Ratione cenſuræ annexæ tantùm. 2. Ratione culpæ tantùm. 3. Ratione culpæ & cenſuræ annexæ. Primo modo reſervantur, in quantum illis à ſuperiore ſolùm adnectitur cenſura, quam ſibi ſuperior reſervat, juriſdictionem ad abſolvendum ab illa neceſſariam inferiori ſubtrahendo, aut ſaltem ligando. Secundo modo reſervantur, in quantùm ſola voluntate ſuperioris abſque ulla cenſura, juriſdictio inferiori ſubtrahitur circa illa, vel ſaltem ligatur. Tertio modo reſervantur, quando ſuperior ſubtrahit, vel ligat juriſdictionem ad illa remittenda neceſſariam, & ſimul apponit cenſuram, quam ſibi reſervat.

Porrò peccata ab Epiſcopis reſervantur ſecundo modo ſaltem communiter. Omnes verò caſus reſervati Sedi Apoſtolicæ, ſunt tertio modo reſervati; atque ita in caſibus Summo pontifici reſervatis duplex eſt reſervatio, una ſcilicet cenſuræ, & altera peccati. Sed ut obſervat Suarez tomo citato diſp. 29. ſect. 2. num. 11. hæ duæ reſervationes ſic inter ſe connexæ ſunt, ut ablata cenſura, ſublata quoque cenſeatur peccati reſervatio; & conceſſa poteſtate ad abſolvendum à cenſura, conceſſa quoque cenſeatur poteſtas ad abſolvendum à peccato; & viciſſim conceſſa poteſtate ad abſolvendum à peccato, cenſeatur quoque poteſtas conceſſa ad abſolvendum à cenſura.

Quæres 4. quænam peccata poſſint reſervari?

R. 1. Venialia reſervari poſſunt, quamvis non ſtrictè: nam ad venialium abſolutionem requiritur juriſdictio, quæ ſubtrahi, vel ligari poteſt. Dixi, Quamvis non ſtrictè; quia ad reſervationem ſtrictè dictam requiritur, ut inferior ad ſuperiorem pro abſolutione impetranda recurrere teneatur vi reſervationis. Hæc autem obligatio eſſe non poteſt reſpectu venialium, cùm venialia non ſint materia neceſſaria confeſſionis: quare ſola mortalia propriè reſervari poſſunt.

2. Reſervari poſſunt non ſolùm mortalia externa, in quo non eſt difficultas, ſed etiam merè interna: nam juriſdictio ad abſolutionem mortalium internorum neceſſaria eſt, & tam reſpectu illorum, quàm reſpectu externorum, auferri vel ligari poteſt à ſuperiore. De facto tamen mortalia merè interna non reſervantur in Eccleſia, quia hoc neceſſarium non eſt ad bonum Eccleſiæ regimen, quod regimen ſpectat reſervatio: quamquam quoties mortale externum reſervatur, reſervatur quoque mortale internum illi conjunctum.

3. Reſervari quidem poſſunt peccata dubia, reſervata tamen non cenſentur, hoc ipſo præciſè quòd ſimpliciter reſervantur peccata ejuſdem ſpeciei: cùm enim peccata dubia ſint peccata cum addito diminuente, in re odioſa, qualis eſt reſervatio, non debent venire nomine peccati ſimpliciter. Sed

Nota. Ad hoc ut peccatum aliquod externum reſervatum ſit, ſatis non eſt, quòd ſit graviter malum propter actum internum, ſed præterea requiritur, ut gravitatem habeat ex ſe. Ratio eſt, quia reſervatio præcipuè cadit in actum externum: unde neceſſe eſt, ut actus externus ſit ſecundùm ſe graviter malus. Hinc ſuppoſito v. g. quòd furtum ſit reſervatum,

tum, & aliquis levem aliquam ſummam furetur, ex intentione mortaliter mala, hæc actio non erit caſus reſervatus, quamvis propter intentionem mortaliter malam graviter mala ſit.

Nota iterum. Si peccatum aliquod externum reſervetur, quando conſummatum eſt, ad reſervationem non ſufficit actio externa, quantumcumque ſecundùm ſe graviter mala ſit, niſi, ultimam habeat conſummationem; cùm enim reſervatio ſit odioſa, ſtrictæ interpretationis eſt: unde v. g. ſi reſervetur homicidium, percuſſio gravis, niſi mors ſequatur, ad reſervationem non ſufficit.

ARTICULUS VI.

Quinam poſſint abſolvere à caſibus reſervatis.

RESPONSIO I.

A Quibuslibet peccatis & cenſuris in articulo mortis abſolvere poſſunt ſacerdotes omnes, ordinariam vel delegatam juriſdictionem habentes, ſive facultatem à reſervatis abſolvendi acceperint à Superiore, ſive non acceperint.

Eſt manifeſta ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ait: *Veruntamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione* (reſervationis peccatorum vel cenſurarum) *aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* Imò quòd idem poſſit quilibet alius ſacerdos non expoſitus, etiam excommunicatus non toleratus, vel ſuſpenſus, vel depoſitus, aut degradatus, vel hæreticus, modò adſit neceſſitas confeſſarii, magno ſenſu tenent Scholaſtici, ut ſuperiùs viſum eſt. Sed

Nota. Qui habet cenſuram Pontifici reſervatam, priuſquam in articulo mortis abſolvatur ab eo, à quo aliàs non poſſet abſolvi, jurare debet, quòd ſi poſtea convaleſcat, ſeſe præſentaturus ſit ei, à quo abſolvi poterat extra mortis articulum, ut ſi ei videbitur, convenientem accipiat pœnitentiam. Conſtat ex capite *Ea noſcitur* 13. extra de ſententia excommunicationis, in quo dicitur: *Alios autem* (per canonem pariter excommunicatos) *ſive pauperes, ſive divites, Sedi Apoſtolicæ, vel Legato ejus, ut beneficium abſolutionis obtineant, neceſſe eſt præſentari. Si verò infirmitatis tempore timore mortis, beneficium fuerit abſolutionis indultum, juramento præſtito injungatur eiſdem, ut poſtquam ſanitati fuerint reſtituti, ad Romanam Eccleſiam, vel ejus Legatum accedant, mandatum apoſtolicum ſuper talibus recepturi.*

Quòd ſi talis quando abſolutionem accepit, jurare non potuit, & poſtea convaleſcat, à confeſſario, ſi fieri poteſt, moneri debet de obligatione ſeſe præſentandi ei, qui poteſtatem ordinariam, vel delegatam habet; & ſi non ſe præſentet, reincidit in excommunicationem, proindeque ſi antea vitandus erat, debet iterùm vitari, ubi primùm manifeſtè conſtiterit de voluntaria tranſgreſſione hujus obligationis. Patet ex canone, *Eos qui* 22. de ſententia excommunicationis in 6. in quo dicitur: *Eos qui à ſententia canonis vel hominis, cùm ad illum à quo aliàs de jure fuerant abſolvendi, nequeant propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro abſolutionis beneficio habere recurſum, ab alio abſolvuntur, ſi ceſſante poſtea periculo vel impedimento hujuſmodi, ſe illi à quo his ceſſantibus abſolvi debeant, quàm citò commodè poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & ſatisfacturi prout juſtitia ſuadebit: decernimus, ne ſic cenſura illudant eccleſiaſtica, in eamdem ſententiam recidere ipſo jure.* Idem planè dicendum de eo, qui cenſuram habet Epiſcopo reſervatam, ut patet ex eodem capite, ex quo conſtat etiam, utrumque in excommunicationem reincidere, ſi parti læſæ, poſtea, ubi primùm commodè poterit, non ſatisfaciat.

RESPONSIO II.

Extra articulum mortis, à caſibus reſervatis abſolvere poteſt, 1. Is qui reſervavit. 2. Is qui reſervantis æqualis eſt, vel ſuperior in hoc foro, & in ordine ad eandem cauſam. 3. Is quem reſervans, vel æqualis, vel ſuperior in hoc foro, ad abſolvendum à reſervatis delegarit.

Prob. 1. pars. Quia nemo ſibi ipſi reſervat, aut reſervare poteſt: reſervatio enim eſt actus ſuperioris erga inferiorem in foro, pœnitentiæ, & nemo ſibi ipſi inferior eſt.

Prob. 2. pars. Quia omnis reſervatio, ut modò dictum eſt, eſt à ſuperiore reſpectu inferioris. Ergo reſervans non poteſt æquali, aut ſuperiori in ordine ad eamdem cauſam reſervare, ſeu abſolvendi poteſtatem adimere. Hinc ſi Epiſcopus reſervavit, ſucceſſor ejus, vel Summus Pontifex abſolvere poteſt. At non poteſt alius Epiſcopus, quia non eſt æqualis in ordine ad eamdem cauſam; nec proprius Archiepiſcopus, niſi tempore viſitationis, vel in caſu appellationis, quia aliàs non eſt Epiſcopi reſervantis ſuperior in hoc foro.

Prob. 3. pars. Quia quicumque juriſdictionem habet ordinariam, poteſt illam delegare, & juriſdictio delegata tam ſufficit ad abſolvendum à reſervatis, quàm à non reſervatis. Poteſt autem juriſdictio delegari vel à jure, vel ab homine; item delegari poteſt immediatè ipſi confeſſario, vel mediante pœnitente, ſi concedatur facultas eligendi ſibi confeſſarium, à quo à reſervatis abſolvatur.

Porrò hæc delegatio debet eſſe expreſſa & ſpecifica, ut patet ex capite, *Si Epiſcopus* 2. de pœnitentiis & remiſſionibus in 6. quo dicitur: *Si Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere confeſſorem, ille, quem is elegerit, in caſibus qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitus poteſtatem: cùm in generali conceſſione non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

Itaque poteſtas abſolvendi à reſervatis non cenſetur eſſe delegata, ſi ſuperior ſolùm dicat pœnitenti, Do tibi facultatem eligendi confeſſarium; vel ſi ſolùm dicat confeſſario, Do tibi facultatem audiendi confeſſiones, aut, Do tibi auctoritatem & poteſtatem meam. Ratio eſt, quia ut dicitur cap. citato, *in generali conceſſione illa non veniunt, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Propter eandem rationem, ſi Epiſcopus daret tantùm facultatem abſolvendi à peccatis ſibi reſervatis, non cenſeretur dare facultatem abſolvendi ab illis, quibus cenſura aliqua annexa eſſet. Quod autem hìc de Epiſcopo dicimus, intelligi debet de Summo Pontifice, qui proinde cùm alicui ſimpliciter dat poteſtatem abſolvendi à reſervatis, non hoc ipſo cenſendus eſt dare poteſtatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, & cùm concedit caſus Bullæ Cœnæ, non hoc ipſo cenſendus eſt caſum hæreſis concedere.

Similiter ob eamdem rationem ſuperior alicujus Religionis, habentis privilegium abſolvendi à caſibus reſervatis ſummo Pontifici, cùm inferiori facultatem dat abſolvendi ab hiſce caſibus, non eſt cenſendus, hoc ipſo dare facultatem abſolvendi à caſibus, in illa religione reſervatis, aut contra: cùm enim caſus illi ſpecialem habeant reſervationem, ſpecialem abſolvendi facultatem requirunt. Quòd ſi ſuperior religionis inferiorem ad audiendas confeſſiones præcisè deputet, non cenſetur ei dare facultatem abſolvendi ab ullis caſibus reſervatis, ut ex dictis intelligitur.

RESPONSIO III.

Epiſcopi jure novo poſſunt abſolvere à caſibus occultis Summo Pontifici reſervatis.

Prob. Ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. quo dicitur: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, ex-*

cepta

xcepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut vicarium ad id ſpecialiter deputatum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Item & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum vicariis ſit permiſſum, Circa quæ,

Nota 1. In hoc Synodi decreto certum eſt, ut obſervat Suarez tomo citato diſp. 30. ſect. 2. num. 4. nomen Epiſcopi comprehendere Epiſcopum electum & confirmatum, quamvis nondùm conſecratus ſit. Ratio eſt, quia ea quæ ſuot juriſdictionis, plenè habet, ut conſtat ex capite *Tranſmiſſam* 15. extra de electione. Similiter, ut idem Suarez ait ibidem, probabilius eſſe, quòd hoc nomine Epiſcopi comprehendatur Capitulum Sede vacante. Ratio eſt, quia Capitolum Sede vacante tantam habet poteſtatem reſpectu abſolutionis, quantam habet Epiſcopus vivens; & Capitulum in hoc ſuccedit ipſi Epiſcopo, ut ait Gloſſa ad caput unicum de majoritate & obedientia in 6. quo dicitur; *Epiſcopali ſede vacante, poteſt Capitulum ... iis, quibus poſſet Epiſcopus, ſi viveret, ab excommunicationis ſententia, ſive juris ſive hominis fuerit, abſolutionis beneficium impertiri: niſi ei fuerit à Sede Apoſtolica ſpecialiter interdicta poteſtas.* At hoc nomine non comprehenduntur Prælati alii non Epiſcopi, quamvis exempti, & habentes juriſdictionem quaſi epiſcopalem, ut habet Cardinalium declaratio apud Suarem ſect. cit. num. 6. his verbis: *In hoc decreto* (Liceat Epiſcopis, &c.) *non comprehenduntur inferiores habentes juriſdictionem ordinariam, & quaſi epiſcopalem, ſed tantùm Epiſcopi privativè quoad omnes alios.*

Nota 2. Facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta, quam Trid. concedit Epiſcopis, fuiſſe illis ablatam per Bullam Cœnæ, ut docet idem Suarez eadem ſect. nu. 11. ubi hanc Cardinalium declarationem hac de re refert: *Epiſcopus abſolvere non poteſt hominem hæreticum in foro conſcientiæ, licèt hæc facultas è Concilio ſit ei conceſſa.* Hæc tamen revocatio non habet locum in regno Galliæ, in quo nec Bulla Cœnæ recepta fuit, nec inſtitutum officium ſanctæ Inquiſitionis: ubi autem tale officium inſtitutum non eſt, Epiſcopi ſunt inquiſitores nati, ut patet ex cap. *Ad abolendum* 9. extra de hæreticis, juxta quod Epiſcopi in eos qui de hæreſi ſuſpecti ſunt, procedere poſſunt authoritate ordinaria, ſi tales non ſint exempti; auctoritate verò Apoſtolica ſibi delegata, ſi tales exempti ſuot, ut ait Gloſſa ad caput *Per hoc* 17. eod. tit. in 6. Quare ubi inſtitutum non eſt ſanctæ Inquiſitionis officium, jus habent Epiſcopi per ſe, vel per alios à ſe delegatos, abſolvendi ab hæreſi etiam manifeſta.

RESPONSIO IV.

Poſſunt etiam Epiſcopi, jure decretalium, ab excommunicatione in clericorum percuſſores lata abſolvere certas perſonas cum certis conditionibus.

Prob. Nam abſolvere poſſunt, 1. Mulieres, & ſervos ex capite, *Mulieres* 6. extra de ſententia excommunicationis. Et pueros, ſive ante, ſive poſt pubertatem poſtulent abſolutionem, ex cap. finali eod tit. 2. Senes, valetudinarios, & membris debiles, ex capite, *Ea noſcitur* 13. eod. tit. 3. Moniales, ex capite, *De Monialibus* 33. ſive ſint exemptæ, ſive non exemptæ, ut ait Gloſſa ad caput citatum, verbo, *Per Epiſcopum*. 4. Alios omnes qui legitimum impedimentum habent, ne ad Pontificem, vel ejus legatum veniant, ex capite, *Ea noſcitur*, citato, & ex cap. *Quamvis* 58. eod. tit. Sed circa hæc

Obſerva. 1. Perſonas illas abſolvi non poſſe, niſi priùs parti læſæ ſatisfecerint, ſi poſſunt, ut conſtat ex cap. *Ea noſcitur*, citato; quòd ſi non poſſunt ſatisfacere, priuſquam abſolvantur, debet ab illis exigi cautio pignoratitia, vel fidejuſſoria; & ſi hæc non poteſt, ſaltem juratoria, ut ſequitur ex capitulo, *Ex parte* 23. extra de verborum ſignificatione, & ex capite, *Solet* 2. de ſententia excommunicationis in 6. Poſtea autem, ſi cùm primùm commodè poſſunt, non ſatisfaciant, in excommunicationem reincidunt, ex capite, *Eos qui* 22. de ſententia excommunicationis in 6.

2. Perſonas illas, ſi temporale tantùm impedimentum habeant, eo poſtea ceſſante, teneri ſiſtere ſe Summo Pontifici, vel ejus legato, & ad id priuſquam abſolvantur, ſub juramento obligari debere, ex cap. *De cætero* 11. cap. *Ea noſcitur* 13. & cap. *Quamvis* 58. extra de ſententia excommunicationis. Ex illis tamen excipiendi ſunt pueri, mulieres, & Moniales, ex cap. *Mulieres*, ex cap. *De Monialibus*, & ex cap. *Quamvis*, citatis. Quòd ſi ſublato impedimento, Summum Pontificem, vel ejus Legatum adire neglexerint, reincident in eamdem excommunicationem, ex capite, *Eos qui*, citato.

3. Perſonas illas, cùm Legatum Pontificis adire poſſunt, ab Epiſcopo abſolvi non poſſe, quamvis Pontificem adire nequeant, ſed ad Legatum eſſe remittendas, ex capite, *Quamvis*, citato; poſſe verò, ſi nec Pontificem, nec Legatum ejus adire poſſint, etiamſi adſit alius abſolvendi privilegium habens; ad quem tamen illas remitti omninò expedit, ſi impedimentum temporaneum ſit, ne poſtea ceſſande illo impedimento, habenti poteſtatem abſolutam abſolvendi ſeſe ſiſtere teneantur.

4. Poteſtatem illam Epiſcopis perſonas illas abſolvendi, ab excommunicatione lata per canonem, *Si quis ſuadente*, jure conceſſam eſſe, ad vitanda pericula animarum, quæ tales perſonæ incurrerent, ſi diutiùs ſine abſolutione manerent propter impedimentum recurrendi ad Pontificem, vel ejus Legatum, quod habent: quæ ratio locum habet in aliis omnibus caſibus Pontifici reſervatis: onde eamdem illam facultatem ad omnes alios caſus Pontifici reſervatos etiam manifeſtos, extendunt communiter Doctores, ſecundùm quos proinde Epiſcopi ab omnibus caſibus Pontifici reſervatis, etiam manifeſtis, abſolvere poſſunt mulieres, ſenes, pueros, valetudinarios, membris debiles, pauperes, & alios quoslibet, qui propter legitimum impedimentum, nec Pontificem, nec Legatum ejus adire poſſunt.

RESPONSIO V.

Epiſcopi per confeſſarium, quem eligunt, abſolvi poſſunt à caſibus omnibus reſervatis, à quibus ipſi abſolvere poſſunt ordinaria poteſtate.

Colligitur ex cap. finali de pœnitentiis & remiſſionibus; & ratio eſt, quia poſſunt totam ſuam poteſtatem ordinariam delegare, & eam totam confeſſario, quem eligunt, delegant hoc ipſo quòd eum eligunt. Idem autem dicendum eſt, 1. de Vicario Epiſcopi; poteſt enim eligere confeſſarium, per quem abſolvatur ab omnibus caſibus, à quibus ipſe, vice Epiſcopi poteſt abſolvere ordinaria juriſdictione; cùm hanc juriſdictionem poſſit delegare pro tota communitate, cujus eſt pars. 2. De prælatis omnibus etiam Regularibus, niſi tamen per ſpecialia eorum ſtatuta peccatum inferioris prælati ſit ſuperiori prælato reſervatum: ſicut enim ex vi capitis proximè citati non poſſunt Epiſcopi eligere confeſſarium, à quo abſolvantur à caſibus reſervatis Pontifici, ita neque prælati Religioſi inferiores poſſunt ſibi confeſſarium eligere, per quem abſolvantur à caſibus ſuperiori prælato reſervatis.

RESPONSIO VI.

Poſſunt etiam Epiſcopi per confeſſarium, quem eligunt, abſolvi à caſibus occultis Pontifici reſervatis, à quibus ipſi vi decreti Tridentini abſolvere poſſunt.

Prob. Ex declaratione Cardinalium apud Suarem tomo citato diſp. 30. ſect. 2. num. 15. Nam cùm hoc dubium Cardinalibus propoſitum fuiſſet, *an Epiſcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite* (6. ſeſſ. 24. Concilii Tridentini) *prolapſo, liceat ad ſe abſolvendum proprium confeſſarium deputare,*

cum

cum eadem authoritate, quam ipſe poſſet ex eodem capite, in ſibi ſubditos exercere: reſponſum fuit: *Congregatio cenſuit id Epiſcopo licere*. In qua reſponſione Cardinales nullam adhibuerunt limitationem; imò verò limitationem omnem excludunt, dicendo: *Cum auctoritate, quam ipſe poſſet in ſibi ſubditos exercere*. Excipiendus tamen eſt caſus hæreſis occultæ, pro locis, in quibus recepta eſt Bulla Cœnæ, per quam adempta eſt Epiſcopis facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, ſive per ſe, ſive per alios.

Porrò non poſſunt ſimiliter à caſibus occultis Papæ reſervatis, per confeſſarium, quem eligunt, abſolvi prælati alii, non Epiſcopi, quamvis exempti, & juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes: nam, ut ſupra oſtenſum eſt, non comprehenduntur in decreto citato Tridentini, adeoque nec in reſponſione Cardinalium.

Nota obiter, talium prælatorum ſubditos, ſicut & religioſos de ſui ſuperioris conſenſu, à caſibus occultis, Papæ reſervatis, per Epiſcopum, intra cujus diœceſim continentur, abſolvi poſſe, quia in hac cauſa favorabili debent inter ejus ſubditos cenſeri. Aliud eſt de prælatis Regularibus, qui ex vi privilegiorum ſui Ordinis, per ſe, vel per alios à caſibus occultis Pontifici reſervatis abſolvere poſſunt; ab iiſdem enim per confeſſarium, quem eligunt, poſſunt abſolvi; cùm pro illis eadem ſit ratio; ac pro Epiſcopis. Multi autem Regulares, inter quos ſunt Religioſi Societatis noſtræ, per privilegia ſua, ex conceſſione & delegatione ſummi Pontificis, facultatem habent generalem abſolvendi ab omnibus caſibus ipſi Pontifici reſervatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ.

R e s p o n s i o VII.

Regulares privilegiati non poſſunt ampliùs ex vi privilegiorum ſuorum abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis.

Prob. 1. Ex Alexandro VII. qui hanc damnavit propoſitionem anno 1659. *Regulares habent poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo auctoritas illa indulta ipſis non fuerit*. Et iſtam anno 1665. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

2. Ex Clemente X. in bulla quæ incipit, *Superna*, §. 6. ubi ait: *Ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Jeſu conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Trid. obtinuerunt, nequaquam reviviſſe privilegia, prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi qua habebant abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.* Et addit §. 7. *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis, poſſe abſolvere.*

Porrò hæc reſponſio intelligi debet de caſibus reſervatis Epiſcopo, in cujus diœceſi verſantur Regulares privilegiati: nam ſi quis habens caſum reſervatum, veniat in aliam diœceſim, in qua caſus ille reſervatus non ſit, Regularis privilegiatus, ibidem approbatus, poterit illum abſolvere, modò eò non veniat in fraudem reſervationis, ad declinandum proprii Epiſcopi judicium, ut expreſsè declarat Clemens X. §. proximè citato: nam ſic proſequitur: *Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa ubi idem confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.*

Quæres, quid ſentiendum ſit de peregrinis & viatoribus qui habent caſus reſervatos in ſua Diœceſi, & non in ea in qua peregrinantur, & iter faciunt?

R. 1. Abſolvi poſſunt à Regularibus privilegiatis, ab Epiſcopo loci approbatis. Patet ex dictis, a. Poſſunt etiam abſolvi à confeſſariis ſæcularibus, ex tacita prælatorum facultate, & conſuetudine introducta.

At inquies. Quid ſi habeant caſus reſervatos in ea diœceſi, in qua peregrinantur, qui non ſunt reſervati in eorum diœceſi? *Reſp.* Abſolvi non poſſunt niſi per eos, qui poteſtatem habent abſolvendi à reſervatis; nam in foro conſcientiæ, more incolarum loci, in quo peregrinantur, & iter faciunt, judicari debent, ex conſuetudine, & tacito prælatorum conſenſu. Excipiendus tamen eſt caſus, quo quis ibi confiteretur proprio Parocho, vel Epiſcopo: ibi enim poſſet ab illis abſolvi, quia illorum juriſdictio planè independens eſt ab Epiſcopo loci, in quo caſus eſt reſervatus; ſicque ab abſolvendo impediri non poſſunt per reſervationem factam ab Epiſcopo loci, in quo illis ſuus ſubditus confitetur. Quòd ſi in utraque diœceſi caſus reſervatus eſſet, tunc peregrinus non poſſet ibi etiam per proprium parochum abſolvi, ſed tantùm per eum qui ab Epiſcopo loci poteſtatem haberet in reſervata.

ARTICULUS VII.

Utrùm Confeſſarius non habens poteſtatem in peccata reſervata, poſſit ab illis abſolvere extra articulum mortis.

NOta. Circa hanc quæſtionem plures ſunt ſententiæ. Prima eſt eorum, qui docuerunt, ſacerdotem, non habentem poteſtatem in peccata reſervata, poſſe nihilominùs ab illis abſolvere in quocumque caſu, ſed remanente obligatione in pœnitente, comparendi coram ſuperiore pro reſervatis. Secunda eſt eorum, qui tenent, ſacerdotem non habentem poteſtatem in peccata reſervata, abſolvere poſſe à peccatis omnibus, etiam reſervatis, (quamvis cum obligatione pro reſervatis comparendi coram ſuperiore) ſi occurrat caſus neceſſitatis; v. g. ſi ſacerdos habens reſervata, non poſſit omittere celebrationem Miſſæ ſine gravi ſcandalo, nec adſit confeſſarius poteſtatem habens in reſervata: tunc enim, inquit, ſacerdos ille abſolvi poteſt ab omnibus peccatis, directè quidem à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, per confeſſarium non habentem poteſtatem in reſervata; manente tamen onere ſiſtendi ſe poſtea ſuperiori, vel ejus delegato. Idem à fortiori tenent pro eo caſu, in quo pœnitens inculpabiliter oblitus eſt confiteri aliquod reſervatum; aut inculpabiliter ignorans eſſe reſervatum, bona fide illud cum aliis non reſervatis confeſſus eſt ſacerdoti non habenti poteſtatem in reſervata. Tertia ſententia eſt noſtra, pro qua ſit

R e s p o n s i o.

Pœnitens habens aliquod reſervatum cum non reſervatis, in nullo caſu, extra articulum mortis, abſolvi poteſt per confeſſarium non habentem poteſtatem in reſervata.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ſic loquitur: *Extra quem articulum* (mortis) *ſacerdotes* (inferiores, non habentes poteſtatem in reſervata) *cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant*. Unde *ſic argumentor*. 1. Sacerdotes non habentes poteſtatem in reſervata, nihil poſſunt in caſibus reſervatis, extra articulum mortis. Ergo extra articulum mortis, in nullo caſu poſſunt ab illis abſolvere; alioquin poſſunt in illis aliquid extra articulum illum. 2. Pœnitens, qui habet mortalia, in nullo caſu abſolvi poteſt niſi à legitimo judice. Atqui pœnitentis, caſus reſervatos habentis, nullus eſt extra mortis articulum judex legitimus, niſi ſuperior, vel ejus delegatus, ut apertè hic Synodus ſignificat. Ergo Pœnitens, qui caſus reſervatos habet, in nullo caſu extra mortis articulum abſolvi poteſt, niſi à ſuperiore, vel ejus delegato.

Prob. 2. Ex eadem Synodo, eodem capite, ubi ait:

Quo

Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Unde *ſic argumentor*. 1. Sacerdos in foro pœnitentiæ non poteſt validè ferre ſententiam, niſi in eum qui ei ſubditus eſt in hoc foro. Atqui pœnitens habens caſum reſervatum, quamdiu habet, ſubditus non eſt in foro pœnitentiæ, ſacerdoti non habenti poteſtatem in reſervata. Ergo ſacerdos non habens poteſtatem in reſervata, validè ſententiam ferre non poteſt in foro pœnitentiæ, in pœnitentem habentem caſus reſervatos. Major patet ex verbis Synodi: minor verò facilè probatur: Nam ſi pœnitens habens caſum reſervatum, ſacerdoti non habenti poteſtatem in reſervata ſubditus eſt in foro pœnitentiæ, tam validè poſſet ab eo abſolvi, quàm à ſuperiore, vel ejus delegato, quod eſt abſurdum. Præterea, cauſa pœnitentis caſum reſervatum habentis, pertinet ad forum ſuperioris. Ergo ſacerdos non habens poteſtatem in reſervata, judicium exercere non poteſt in foro pœnitentiæ, in pœnitentem caſum reſervatum habentem, adeoque pœnitens habens caſum reſervatum, ſubditus illi non eſt, &c.

2. Nullius momenti eſt abſolutio ea, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem, ut ait Synodus. Atqui ſacerdos, non habens poteſtatem in reſervata, nec ordinariam nec ſubdelegatam juriſdictionem habet in pœnitentem habentem caſum reſervatum. Ergo nullius momenti eſt abſolutio ea, quam ſacerdos profert in pœnitentem, caſum reſervatum habentem.

Prob. min. Nam ſacerdos ille vel eſt parochus, vel ſimplex ſacerdos. Si primum, ex vi reſervationis caſus, pœnitens qui caſum illum habet, ordinariæ illius juriſdictioni ſubtractus eſt, & cauſa illius ad tribunal ſuperioris evocata. Si ſecundum, delegatus tantùm eſt ad abſolvendas perſonas caſus reſervatos non habentes. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia ſi peccatum reſervatum, per confeſſarium non habentem poteſtatem in reſervata remitti poteſt in aliquo caſu extra mortis articulum, vel poteſt directè remitti, vel indirectè. Neutrum dici poteſt. Non primum: peccatum enim directè remitti non poteſt, niſi ab eo qui in illud juriſdictionem habet. Non ſecundum: nam ſi in aliquo caſu extra mortis articulum ſacerdos poteſtatem non habens in reſervata, poteſt indirectè remittere peccatum reſervatum, falſum eſt quod ait Synodus capite citato, ſacerdotes poteſtatem in reſervata non habentes, nihil poſſe in caſibus reſervatis extra mortis articulum, & id unum eis ſupereſſe, ut nitantur perſuadere pœnitentibus qui in peccata reſervata lapſi ſunt, ut ad ſuperiores & legitimos judices accedant pro beneficio abſolutionis, quod nimirùm ipſi nulla ratione poſſunt impendere.

Dices. Eo caſu, quo quis inculpabiliter oblitus eſt confiteri aliquod reſervatum, aut inculpabiliter ignorans eſſe reſervatum, bona fide illud cum aliis non reſervatis confitetur non habenti poteſtatem in reſervata, talis directè à non reſervatis, & indirectè à reſervato abſolvi poteſt: nam debitè diſpoſitus eſt, ut abſolvatur à non reſervatis, & ab illis abſolvi non poteſt, niſi ſaltem indirectè abſolvatur à reſervato, cùm unum mortale abſque alio remitti ſecundùm legem ordinariam non poſſit. Ergo, *Reſp.* neg. ant. *Ad prob.* nego conſeq. Ratio negandi eſt, quia in caſu propoſito, ſacerdos non habens poteſtatem in reſervata, non eſt legitimus judex reſpectu pœnitentis, qui habet reſervatum: non eſt autem legitimus judex, quia in caſibus reſervatis nihil poteſt extra mortis articulum, ut diſertè aſſerit Tridentinum.

At inquies. Sacerdos in caſu propoſito non eſt legitimus judex reſpectu peccati reſervati; at eſt reſpectu aliorum non reſervatorum, à quibus proinde in caſu propoſito directè poteſt abſolvere, & conſequenter indirectè à reſervato. *Reſp.* ſacerdotem in caſu propoſito, hoc ipſo quòd non eſt legitimus judex reſpectu unius mortalis, quia reſervatum eſt, hoc ipſo, inquam, non eſſe legitimum judicem reſpectu aliorum mortalium, quamvis non reſervatorum; nam reſpectu ejuſdem perſonæ, ſacerdos vel eſt legitimus judex circa omnia mortalia, quorum rea eſt, vel circa nulla legitimus judex eſt. *Breviter*, ut ſacerdos verè dicatur legitimus judex reſpectu pœnitentis, requiritur, ut juriſdictionem expeditam habeat circa omnia illius mortalia; cùm, ut modò dictum eſt, unum mortale ſine alio, ſecundùm legem ordinariam, nequeat remitti.

Quamdiu igitur pœnitens non habet aliquod mortale reſervatum, ſacerdos non habens poteſtatem in reſervata, reſpectu illius judex legitimus eſt: unde illum ritè diſpoſitum, à mortalibus omnibus abſolvere poteſt; directè quidem à confeſſis, indirectè verò ab oblitis inculpabiliter, aut omiſſis ex juſta cauſa. Quòd ſi pœnitens, cum non reſervatis aliquod reſervatum habeat, ſacerdos non habens poteſtatem in reſervata, legitimus judex eſſe non poteſt reſpectu illius, quia in mortalia omnia quorum reus eſt, juriſdictionem non habet: unde illum validè abſolvere nullatenùs poteſt, extra articulum mortis. Dico, extra articulum mortis: in hoc enim articulo poſſet illum abſolvere, quia in hoc articulo, legitimus judex eſſet reſpectu illius; & eſſet quia in hoc articulo ceſſat omnis reſervatio.

Dices. Pro caſu neceſſitatis, in quo ſacerdos v.g. habens reſervatum cum non reſervatis, omittere non poteſt celebrationem Miſſæ ſine gravi ſcandalo, nec adeſt ſacerdos habens poteſtatem in reſervata, ſacerdos peccati mortalis ſibi conſcius, tenetur confeſſionem præmittere celebrationi Miſſæ. Ergo credibile non eſt, Eccleſiam ſic reſervationem inſtituiſſe, ut ne quidem indirectè à reſervatis abſolvi poſſit, cum onere ſiſtendi ſe poſtea ſuperiori, ſacerdos in caſu propoſito; & Eccleſiam malle eum cum ſola incerta contritione non confeſſum celebrare, quàm communioni confeſſionem præmittere, ut ſaltem indirectè à reſervatis abſolvatur. *Reſp. breviter*, in Eccleſia reſervationem ſic inſtitutam eſſe, ut in caſibus reſervatis nihil poſſint, extra articulum mortis, ſacerdotes poteſtatem non habentes in reſervata. Quare ſacerdos in caſu propoſito cenſendus eſt non habere copiam confeſſarii, & ita cum actu contritionis perfectæ non confeſſus, licitè celebrare, cum ſpeciali tamen obligatione quàm primùm confitendi confeſſario in reſervata poteſtatem habenti.

Dices. Conſtat in certis caſibus poſſe peccata non reſervata indirectè remitti: ſic enim remittuntur, quæ in confeſſione omittuntur ex ignorantia inculpabili, vel ex juſta cauſa. Ergo ſimiliter in aliquibus ſaltem caſibus indirectè remitti poſſunt reſervata à confeſſore, in reſervata poteſtatem non habente. *R.* Poſſunt quidem peccata reſervata indirectè remitti, ſed ab habente poteſtatem in reſervata, non ab alio. Si quis igitur habenti poteſtatem in reſervata confiteatur, & unum reſervatum omittat, vel ex oblivione inculpabili, vel ex alia juſta cauſa, abſolvetur directè à peccatis confeſſis, & indirectè à reſervato non confeſſo, à quo, ſi confiteretur illud, directè poſſet abſolvi, & abſolveretur.

Dices. Requiritur quidem juriſdictio ad directam abſolutionem peccatorum. At gratis & falsò aſſeritur, requiri etiam ad indirectam: ad indirectam enim remiſſionem alicujus peccati ſufficit juriſdictio in alia peccata, quæ non poſſunt directè remitti, quin illud quoque ſaltem indirectè remittatur. *Reſp.* pœnitentem à mortalibus ſive directè quoad omnia, ſive tantùm directè quoad aliqua, & indirectè quoad alia abſolvi non poſſe, niſi per confeſſarium, qui ſit legitimus judex reſpectu illius. Cùm autem de lege ordinaria non remittatur unum mortale ſine alio, cenſeri non poteſt legitimus judex reſpectu pœnitentis, ſacerdos qui non habet juriſdictionem in omnia illius mortalia,

quique

quique proinde non poteſt illum ab omnibus mortalibus directè abſolvere, & de omnibus ſententiam ferre, ſi omnia confiteatur pœnitens.

Certè ſi vera eſſet doctrina adverſariorum, ſacerdos qui haberet tantùm juriſdictionem in venialia, pœnitentem, cum venialibus mortalia etiam reſervata habentem, reconciliare poſſet extra articulum mortis, imò & extra caſum neceſſitatis: cùm enim de lege ordinaria, venialia cum mortalibus conjuncta non poſſint ſine illis remitti, ſacerdos ille pœnitentem directè abſolvendo à venialibus, eum ſimul indirectè abſolveret à mortalibus, & ſic eum Deo reconciliaret; quod eſt falſum & abſurdum. Sicut igitur ſacerdos habens juriſdictionem in venialia tantùm, pœnitentem qui habet mortalia cum venialibus, reconciliare non poteſt, quia non eſt legitimus judex reſpectu illius, & non eſt, quia juriſdictionem non habet in ejus mortalia; ita ſacerdos qui habet tantùm juriſdictionem in mortalia non reſervata, pœnitentem cum mortalibus non reſervatis reſervata habentem, reconciliare non poteſt, quia non eſt legitimus judex reſpectu illius, & non eſt, quia juriſdictionem non habet in mortalia omnia quorum reus eſt.

Dices. Si ita eſt, qui reſervatum aliquod omninò & in perpetuum oblitus eſt, non poterit unquam abſolvi à ſacerdote non habente poteſtatem in reſervata, quod videtur duriſſimum. *Reſp.* 1. Talis in articulo mortis abſolvi poteſt à ſacerdote quolibet. 2. Tempore Jubilæi abſolvi poteſt à quolibet ſacerdote approbato. 3. Sine ſacramento juſtificari poteſt per actum contritionis perfectæ, ad quam pœnitentes omnes nunquam non debent à confeſſariis diligenter excitari. 4. Cùm nonniſi atrociora crimina, exterius conſummata, reſervari ſoleant, via ac ne via quidem moraliter fieri poteſt, ut peccatum hujuſmodi ſic è memoria excidat, ut per diligentem conſcientiæ diſcuſſionem, non revocetur in memoriam à pœnitente, qui aliquoties in anno confitetur, aut ultra annum confeſſionem non differt. Gravioribus autem peccatoribus, qui ab annis pluribus confeſſi non ſunt, conſulendum eſt, ut adeant confeſſarium habentem poteſtatem in reſervata, per quem abſolvi poſſint indirectè à reſervatis oblitis inculpabiliter, ſi quæ talia habeant, quorum poſt diligens examen non recordentur.

Quæres 1. Utrùm ſi quis confeſſus habenti poteſtatem in reſervata, ex inculpabili oblivione omiſerit aliquod reſervatum, hoc ipſo tollatur reſervatio peccati inculpabiliter omiſſi, quod indirectè remittitur; ita ut peccatum illud poſteà, cùm redibit in memoriam, poſſit directè remitti per confeſſarium, qui poteſtatem non habeat in reſervata?

Reſp. neg. Etiam quando pœnitens confitetur ſacerdoti juriſdictionem ordinariam in reſervata habenti: nam talis ſacerdos neque expreſsè tollit reſervationem, ut ſupponitur, neque tacitè, ut probatur: nam ſi tacitè tollit reſervationem, maximè quia cenſeri debet pœnitentem bene diſpoſitum abſolvere velle ab omni obligatione, à qua poteſt illum abſolvere. Atqui hoc dici non poteſt cum ſufficienti fundamento; imò injurioſum eſt confeſſario, qui imprudenter, & contra finem reſervationis faceret, ſi ita vellet quemlibet pœnitentem, etiam bene diſpoſitum, liberare ab obligatione ſiſtendi ſe ſuperiori propter reſervatum oblitum, etiamſi poſteà illius recordetur. Superior autem, id quod non poteſt niſi imprudenter velle, velle cenſendus non eſt, niſi expreſsè velit.

Dixi etiam. Cùm pœnitens confitetur habenti juriſdictionem ordinariam in reſervata. Nam ſi confitetur ſacerdoti, qui delegatam tantùm in reſervata poteſtatem habet, multò minùs peccati reſervatio tollitur per abſolutionem indirectam. Ratio eſt, quia qui delegatam tantùm in reſervata poteſtatem habet, reſervationem tollere non poteſt, niſi directè & validè abſolvendo pœnitentem ab illo. Præterea, ſi talis delegatus per indirectam reſervati inculpabiliter obliti abſolutionem, tollit reſervationem illius, tollit, vel liberando pœnitentem ab obligatione peccatum obli-

tum explicitè confitendi poſteà, quando memoriæ occurret, vel dando pœnitenti facultatem illud poſteà confitendi ſacerdoti cuilibet, etiam non habenti poteſtatem in reſervata. Neutrum dici poteſt. Non primum: nam peccata quæ indirectè tantùm remiſſa ſunt, jure divino debent adhuc, ſi poſſint, ſubjici clavibus, & directè abſolvi. Non etiam ſecundum: nam hoc faciendo delegatus ille ſubdelegaret, quod non poteſt.

Pœnitens itaque quilibet ad ſuperiorem, vel ad alium inferiorem habentem poteſtatem in reſervata, tenetur recurrere pro peccato reſervato, etiam ex inculpabili oblivione omiſſo in confeſſione facta ſacerdoti, in reſervata poteſtatem habenti, ſive delegatam tantùm, ſive etiam ordinariam. Excipi tamen debet caſus, in quo peccatum reſervatum tantùm eſſet ob excommunicationem annexam, ut fit in caſibus papalibus: nam ſublata excommunicatione, ceſſaret reſervatio peccati, quamvis indirectè tantùm remiſſi ab habente delegatam tantùm poteſtatem à reſervatis abſolvendi. Semper autem tenentur confeſſores, & ſolent, antequam ſacramentaliter abſolvant pœnitentem, eum ab omni vinculo excommunicationis, in quantùm licitè poſſunt & ille indiget, abſolvere, atque ita omnem tollere reſervationem peccatorum, quæ ſolùm reſervata ſunt ob annexam cenſuram, à qua abſolvere poſſunt.

Dixi, in quantùm licitè poſſunt: unde quando confeſſarii ante abſolutionem ſacramentalem abſolvunt pœnitentem ab omni excommunicatione, non cenſentur eum abſolvere ab ea, quam ſponte ſine juſta cauſa reticet, aut quam ob damnum alteri illatum incurrit, niſi jam ſatisfecerit, vel aliud exigat neceſſitas. Ratio eſt, quia in hoc utroque caſu confeſſarius pœnitentem talem illicitè abſolveret à cenſura.

Quæres 2. Utrùm ſi quis confeſſus reſervata omnia ſacerdoti, qui poteſtatem habet ab illis abſolvendi, ab eo abſolvatur, invalidè tamen quoad peccatorum remiſſionem ob indiſpoſitionem ſuam, nihilominùs à reſervatione liberetur; ita ut jam poſſit à quolibet ſacerdote poteſtatem in mortalia habente abſolvi?

Reſp. Affirmativè, ſi confiteatur Superiori, ſeu habenti poteſtatem ordinariam in reſervata. Ratio eſt, quia in caſu propoſito, ſuperior intendit tollere omnem reſervationem, & aliunde poteſt tollere ſine valida abſolutione ſacramentali. Quòd autem omnem reſervationem tollere intendat, manifeſtum ex eo eſt, quòd pœnitentem à peccatis confeſſis intendat abſolvere, quantùm poteſt. Quòd etiam poſſit tollere reſervationem ſine valida abſolutione ſacramentali, adeòque per abſolutionem ſacramentalem etiam invalidam, probatur ex eo, quòd ſuperior, quia juriſdictionem ordinariam habet, ad reſervationem tollendam non indiget ſacramento, & extra ſacramentum permittere poteſt pœnitenti, ut ſacerdoti cuilibet confiteatur.

Dixi. Si pœnitens confiteatur Superiori: nam ſi confiteatur habenti tantùm poteſtatem delegatam in reſervata, non videtur liberari ab onere reſervationis, quia delegatus non poteſt tollere reſervationem, niſi per abſolutionem validam; non enim poteſt reſervationem tollere, niſi tollendo omnem obligationem iterùm ſubjiciendi clavibus peccatum, quod fuit reſervatum, ad quod directa & valida abſolutio neceſſaria eſt. Quia tamen pœnitens in caſu propoſito omninò ſatisfecit fini reſervationis, repræſentando ſe Superioris delegato, ut ab eo poſſet meliùs dirigi in via ſalutis, & ab eo ſalutarem pœnitentiam accipere, dici poſſet ſuperior meritò cenſeri defectum ſui delegati ſupplere, & pœnitentem ab onere reſervationis liberare: ſed quia hoc incertum eſt; pœnitens, in caſu propoſito, videtur teneri ad peccata reſervata confeſſa; iterùm confitenda habenti poteſtatem in reſervata; niſi tamen ejus peccata reſervata tantùm eſſent ob cenſuram annexam: delegatus enim poteſt ab illa abſolvere ſine abſolutione ſacramentali valida.

ARTICULUS VIII.

De bonitate & ſcientia requiſitis in Confeſſario.

QUæres 1. Quænam bonitas in Confeſſario neceſſaria ſit?

Reſp. Non alia requiritur in confeſſario bonitas, ſive ut validè, ſive ut licitè ſacramentum pœnitentiæ adminiſtret, quàm quæ communiter requiritur ad alia ſacramenta miniſtranda, nempe intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia, ponendo ritum externum ſacramenti, cum immunitate à peccato mortali: ita ut confeſſarius ſibi conſcius non ſit ullius peccati mortalis, quod bona fide non exiſtimet deletum eſſe per ſacramentum à ſe ſuſceptum, vel per contritionem perfectam à ſe elicitam.

Quæres 2. Utrùm requiratur in confeſſario ſcientia aliqua, & qualis?

Reſp. 1. Sacerdotem non poſſe licitè adminiſtrare ſacramentum pœnitentiæ ſine ſcientia huic muneri proportionata: nullus enim licitè poteſt judicium exercere, præſertim in re gravi, niſi ſcientiam habeat ſufficientem ad ferendum juſtum judicium; quia aliter exponit ſe periculo errandi, & ferendi ſententiam injuſtam. Graviter igitur peccat ſacerdos, qui ſine ſufficienti ſcientia ſeſe ingerit ad confeſſiones audiendas; nec à mortali peccato excuſatur, etiamſi ex obedientia munus confeſſiones audiendi ſuſcipiat: obedientia enim non ſupplet defectum ſcientiæ, nec facere poteſt, ut quis confeſſiones licitè audiat ſine ſcientia, ad hoc munus dignè obeundum neceſſaria.

Porrò ad hoc, ut ſacerdos habere cenſeatur ſcientiam ad audiendas licitè confeſſiones ſufficientem, requiritur, 1. Ut ſciat ea, quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti pœnitentiæ, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte confeſſarii. 2. Ut in iis peccatis, quæ communiter committuntur ab iis quorum audit confeſſiones, poſſit diſcernere, quænam venialia, quænam verò mortalia ſint; item quænam circumſtantiæ mutent ſpeciem, quænam verò notabiliter augeant, vel minuant; item quænam peccata reſervata ſint reſpectu ſuæ juriſdictionis, quænam habeant annexam excommunicationem, quænam habeant obligationem reſtituendi, aut abjiciendi occaſionem peccandi: quamquam neceſſe non eſt, ut confeſſarius poſſit per ſe ipſum omnia diſcernere; ſufficit enim, ſi per ſe ipſum intelligat ea quæ frequentiùs accidunt; & de aliis ſciat dubitare, atque legendo, aut doctiores conſulendo, in dubiis inveſtigare quid de facto opus ſit. Pariter neceſſe non eſt, ut confeſſarius de ſingulis peccatis confeſſis poſitivè judicet, num ſint mortalia, an non, quia in multis hoc eſſet difficillimum; ſed ſatis eſt, ſi de ſingulis prout geſta ſunt auditis, ſecundùm principia communia Moralis judicet.

Reſp. 2. Ad validam ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem, per ſe requiri in ſacerdote ſcientiam actualem, hoc eſt, cognitionem peccatorum in particulari, cum judicio de illis modo ſupradicto, quantùm fieri poteſt. Ratio eſt, quia ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ad hujus ſacramenti valorem per ſe requiritur, ut pœnitens confeſſario exponat omnia ſua mortalia, quoad ſpeciem, numerum, & circumſtantias ſpeciem mutantes quantùm moraliter poteſt, ut confeſſarius de illis judicet, & injungat convenientem ſatisfactionem, juxta gravitatem criminum. Atqui pœnitens non cenſetur peccata ſua quoad ſpeciem, numerum & circumſtantias ſpeciem mutantes, confeſſario exponere, niſi hæc omnia percipiantur à confeſſario. Ergo, &c.

Dixi autem. 1. Scientiam actualem: modò enim confeſſarius, ſaltem à pœnitente inſtructus, cognoſcat peccata, dum illi proponuntur, & de eis actu judicet ſicut oportet, quamvis habitualem ſcientiam, quæ ad percipiendam confeſſionem neceſſaria eſt, non habeat, nihilominùs validum erit ſacramentum. Quia tamen ſcientia actualis ad valorem ſacramenti neceſſaria, ſaltem regulariter eſſe non poteſt ſine habituali ſcientia, habitualis ſcientia ad valorem ſacramenti ſaltem regulariter requiritur, non quidem ratione ſui, ſed ratione ſcientiæ actualis, quæ ſine illa regulariter eſſe non poteſt, & ſine qua nullum eſt ſacramentum.

Dixi. 2. Requiri per ſe: ſicut enim multa excuſant pœnitentem ab integritate materiali confeſſionis, quæ ad impotentiam phyſicam, vel moralem generatim revocantur; ita etiam impotentia phyſica vel moralis, confeſſarium ab integritate judicii, & perfectione cognitionis excuſat. Ratio eſt, quia pro certo ſtatuendum eſt, Chriſtum morali diligentia, tam ex parte confeſſarii, quàm ex parte pœnitentis, contentum fuiſſe ad valorem ſacramenti, nec ad validam, imò neque ad licitam hujus ſacramenti adminiſtrationem, altam ſtatus pœnitentis notitiam, quàm quæ moraliter haberi poteſt, requiſiviſſe.

ARTICULUS IX.

De obligatione audiendi Confeſſiones, & examinandi pœnitentem.

QUæres 1. Utrùm parochus teneatur, & quando teneatur audire confeſſiones ſuorum parochianorum?

Reſp. 1. Parochus ex officio tenetur audire confeſſiones ſuorum ſubditorum, non ſolùm quando tenentur, ſed etiam quando rationabiliter volunt confiteri, niſi tamen ipſe illis confeſſarium alium idoneum provideat. Ratio eſt, quia parochus ex officio tenetur ſpiritualem ſubditorum ſuorum utilitatem procurare, adeòque non poteſt abſque injuria privare illos mediis à Chriſto inſtitutis, & ad ſalutem valdè convenientibus, quoties illis uti volunt rationabiliter. Parochus igitur ex officio tenetur ſacramenta adminiſtrare ſubditis ſuis, quando illorum utilitas id poſtulat, & ipſi petunt rationabiliter. Dico, rationabiliter: nam ſi irrationabiliter petunt, & juſta ſit cauſa negandi, tunc parochus non tenetur. Juſta autem negandi cauſa multiplex eſſe poteſt, tum ex parte ſubditorum, tum ex parte ipſius parochi.

Reſp. 2. Parochus etiam cum propriæ vitæ periculo tenetur ad audiendam confeſſionem ſubditorum ſuorum exiſtentium in gravi neceſſitate ſalutis, quando ſcilic. nonniſi cum magna difficultate ſine parochi opera ſalvari poſſunt. Ratio eſt, quia tunc ſubditorum ſuorum ſalutem propriæ vitæ anteponere debet. Excipiendus tamen caſus eſt, in quo adeſſet alius ſacerdos, qui poſſet & vellet audire confeſſiones, vel in quo parochus ſuæ parochiæ multùm neceſſarius eſſet; ita ut mortuo parocho, periclitaretur ſalus plurimorum: tunc enim bono privato publicum anteponi deberet. Sed videant parochi, ne prætextu boni publici, nimiùm ſibi parcant.

Quæres 2. Utrùm confeſſarius teneatur examinare pœnitentem?

Reſp. Confeſſarius, ſive ex obedientia, ſive ex charitate, ſive ex officio confeſſiones audiat, tenetur, quantùm hic & nunc moraliter fieri poteſt, procurare, ut pœnitens integrè confiteatur, priùs quàm eum abſolvat: confeſſarius enim debet, quantùm hic & nunc moraliter fieri poteſt, integrè cognoſcere peccata pœnitentis, ut rectè de illis cenſeat, nec abſolvat eum qui ligandus eſt, aut liget eum qui abſolvendus eſt: quare ſi pœnitens peccata ſua non exponat ſufficienter, confeſſarius procurare debet, ut meliùs exponantur.

Itaque ſi pœnitens non ſatis diligenter ſe ipſum examinavit, aut propter imperitiam vel oblivionem, mortale aliquod peccatum omittere præſumitur rationabiliter, confeſſarius debet cum prudentia inquirere ea quæ probabile eſt à pœnitente omiſſa eſſe. Hæc autem inquiſitio diſcreta eſſe debet, & moderata, ne ſit

vana,

vana, curioſa, periculoſa, & confeſſionem odioſam reddat. Pro quo

Nota 1. Pœnitentes, qui ſciunt confiteri, examinandi non ſunt; niſi gravis ſit ratio dubitandi quòd ſufficiens examen confeſſioni præmiſerint: vel niſi confeſſarius certus ſit de peccato aliquo ab eis commiſſo, quod tamen non confiteantur.

2. In inquiſitione cum magna cautione procedendum eſt circa peccata caſtitati oppoſita, ne pœnitentes ſcandalizentur, & doceantur turpia quæ ignorant, cum periculo ea poſtmodùm perpetrandi; ne confeſſarius ipſe gravibus tentationibus exponatur, cum periculo eis conſentiendi. Unde præſtat in hac materia aliquid omittere, quàm cum proprio vel alieno periculo, curioſiùs inquirere; & quantùm fieri poteſt, expectandum eſt, ut pœnitens det occaſionem interrogandi. Quòd ſi non dat, incipiendum eſt à levioribus, & quærendum generaliter, v. gr. num menti ſtrepſerit inhoneſta aliqua cogitatio; num quid turpe contra caſtitatem admiſerit; & prout negabit, vel affirmabit pœnitens, pergendum erit in inquiſitione, vel ab ea deſiſtendum.

3. Non omnes eodem modo interrogandi ſunt, ſed unuſquiſque modo ſibi accommodato. Sic ægroti ordinariè minùs examinari debent, quàm ſani. Item qui frequentiùs confitentur, quàm qui rariùs; item, qui valdè timoratam conſcientiam habent, quàm qui minùs timoratam; item, qui diligenter ſe examinarunt, quàm qui minùs diligenter, cæteris paribus, &c. Neque interrogandi ſunt pœnitentes de peccatis, in quæ veriſimile non eſt illos eſſe lapſos. Itaque priùs intelligat confeſſarius, cujus ætatis, ſexus, conditionis, & ſtatus ſit pœnitens; tum diſcretè, & moderatè interroget eum de peccatis, quæ ſolent admitti à perſonis illius ætatis, ſexus, &c.

4. Pœnitentes qui in examinanda conſcientia notabiliter negligentes fuiſſe deprehenduntur, audiendi non ſunt, ſed dimitti debent, donec ſe meliùs examinarint, exceptis tamen his caſibus in quibus prudentia chriſtiana poſtulat, ut confeſſarius hac in re ſuppleat defectum pœnitentis.

At inques. Quid ſi pœnitens interrogatus, neget ſe feciſſe aliquod mortale, quod ab eo factum eſſe aliunde novit confeſſarius?

Reſp. Si confeſſarius novit tantùm ex aliorum confeſſione, pœnitenti potiùs credere, quàm aliis debet. Quòd ſi aliunde novit evidenter & certiſſimè, non poteſt abſolvere pœnitentem: non enim poteſt ſcienter abſolvere indiſpoſitum, & peccantem contra integritatem confeſſionis.

ARTICULUS X.

De neganda, vel differenda abſolutione.

Quæres 1. Quandonam, & quibus abſolutionem denegare debeat confeſſarius?

Reſp. Abſolutio negari debet, quoties pœnitens eſt indiſpoſitus. Unde abſolutio deneganda eſt. 1. Si pœnitens nolit reſtituere rem alienam, vel nolit ſatisfacere pro damno illato, cùm poſſit. Quòd ſi non poteſt, ad abſolutionem ſufficiet, ſi ſatisfacturum ſe promittat, cùm primùm facultas aderit, & ſpondeat ſe daturum operam, ut facultatem illam ſibi comparet.

2. Si pœnitens injuriam acceptam nolit condonare, ſi meditetur vindictam, ſi diutiùs quàm par eſt, reconciliationem differre velit, cum aliorum ſcandalo.

3. Si fœminæ nolint tegere nuditatem graviter ſcandaloſam.

4. Si pœnitens nolit corrigere luxum veſtium, qui ad mortale peccatum perveniat; ut ſi inde oriatur grave ſcandalum; ſi propter illum contrahantur debita, quibus ſatisfieri non poteſt, &c.

5. Si pœnitens retineat voluntatem offerendi, vel acceptandi duellum, data occaſione. Non eſt tamen hac de re interrogandus pœnitens, niſi ex ejus confeſſione appareat, eum voluntatem illam habere.

6. Si pœnitens ignoret myſteria fidei, quorum cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt neceſſitate medii, ut ſunt myſterium Trinitatis & Incarnationis, etiamſi ea ignoret inculpabiliter; quia ſine myſteriorum illorum cognitione homo juſtificari non poteſt. Item, ſi culpabiliter ignoret myſteria fidei, quorum cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt neceſſitate præcepti tantùm. Quòd ſi ea ignoret inculpabiliter, differendus eſt, donec curet ſe debitè inſtrui, quantùm capax eſt; vel ſaltem ab ipſo confeſſario inſtruendus eſt ante abſolutionem.

7. Si pœnitens nolit abſtinere ab uſura, ſuperſtitionibus, arte divinandi, aliiſque artibus & commerciis illicitis.

8. Si pœnitens poſt confeſſiones aliquoties iteratas, deliberatè reinciderit frequenter in eadem peccata poſt ſingulas confeſſiones, & reincidentiæ illæ brevi poſt confeſſionem tempore inceperint, nec in præſenti confeſſione det ſigna majoris doloris, quàm in præcedentibus, & circumſtantiæ mutatæ non ſint: tunc enim confeſſarius ſufficientia habet ſigna defectus doloris, & propoſiti in pœnitente. Quod autem hic dicitur de frequenti re lapſu in mortalia, locum habet in venialibus, quæ committuntur cum plena deliberatione, non tamen in iis, quæ ex ſubreptione aliqua, vel negligentia, vel repentino aliquo motu committuntur.

9. Si pœnitens eſt in occaſione proxima peccandi, quam poteſt relinquere, & non vult. Sed de hoc infrà.

Quæres 2. Utrùm aliquando debeat confeſſarius abſolutionem differre pœnitenti diſpoſito?

Reſp. Confeſſarius abſolutionem differre debet. 1. Si pœnitens pœnitentiam rationabiliter impoſitam pro mortalibus in præcedenti confeſſione, non implevit, cùm tamen commodè potuerit. 2. Si poſt confeſſiones aliquoties iteratas, pœnitens reinciderit frequenter in eadem peccata. 3. Si aliquoties promiſerit pœnitens famæ, vel bonorum fortunæ reſtitutionem, & tamen nondùm promiſſum impleverit, ſine juſta differendi cauſa. 4. Si contra fidem datam ſemel atque iterùm, nondùm pœnitens redierit in gratiam cum proximo, nec publica dederit ſigna reconciliationis, ad tollendum publicæ inimicitiæ ſcandalum. 5. Si quamlibet promiſſionem, aliquoties factam circa rem graviter obligantem, nondùm implevit. 6. Si peccata pœnitentis ſunt publica, donec ſit publicè emendatus. 7. Si oneratus peccatis, ſolet ultimos quadrageſimæ dies expectare ad confitendum. 8. Debet etiam confeſſarius dimittere ad tempus adoleſcentes libidinoſos, detractores, verbis obſcœnis deditos, quia aliter vix unquam corrigentur.

In his porrò caſibus omnibus, exceptum volumus articulum mortis, aliaſve circumſtantias, in quibus prudens confeſſarius abſolutionem differendam non eſſe judicabit. Quòd ſi omnibus attentis, dubium eſſet, quòd pœnitens diſpoſitus ſit, ne temerè abſolutio exponeretur periculo nullitatis, expectandum eſſet, donec haberentur ſufficientia ſigna debitæ diſpoſitionis; niſi tamen pœnitens eſſet in mortali vitæ periculo: tunc enim danda eſſet abſolutio, ſaltem ſub conditione, propter periculum damnationis æternæ ob defectum abſolutionis.

Quæres 3. Utrùm confeſſarius poſſit, quamvis non debeat, laudabiliter differre abſolutionem pœnitenti diſpoſito?

Reſp. Poteſt confeſſarius laudabiliter abſolutionem differre pœnitenti diſpoſito, quoties, omnibus attentè conſideratis, prudenter judicabit dilationem abſolutionis pœnitenti profuturam. Ratio eſt, quia confeſſarius reſpectu pœnitentis, ſuſtinet perſonam non ſolùm judicis, ſed etiam medici: unde laudabiliter poteſt adhibere ea media, quæ prudenter judicat profutura ſpirituali ſanitati pœnitentis, quale eſſe poteſt abſolutionis dilatio; atque ita aliquando abſolutionem differendo, nullam pœnitenti injuriam facit, ſed è contra rem ejus utiliter gerit.

Itaque confeſſarius laudabiliter differet abſolutionem pœnitenti diſpoſito. 1. Si frequenter lapſus ſit in eadem peccata, etiam poſt ultimam confeſſionem tantùm; ſi peccata illa gravia ſunt, præſertim ſi ſunt peccata carnis: imò quandoque etiamſi peccata illa levia ſint, ut v. g. cùm eſt proximum periculum ne propter illa pœnitens in gravia labatur; vel cùm dant occaſionem gravibus aliorum peccatis, quales ſunt leves puerorum inobedientiæ. 2. Si poſt ultimam confeſſionem contraxit debitum reſtituendi bona fortunæ, & habet, aut ſaltem brevi habiturus eſt opportunitatem reſtituendi. 3. A fortiori ſi poſt ultimam confeſſionem detraxit alteri, & ita tenetur ad reſtitutionem famæ. 4. Si poſt ultimam confeſſionem, proximum offendit, donec ei reconcilietur, & ſatisfaciat; modò tamen confeſſarius non ſit moraliter certus pœnitentem quàm primùm ſatisfacturum eſſe. Porrò nunquam, aut fermè nunquam confeſſarius pœnitentem gravis detractionis vel calumniæ reum abſolvere deberet, ante ablatæ famæ reſtitutionem; quia ferè ſemper morale periculum eſt, ne data priùs abſolutione, non fiat talis reſtitutio.

Addo, quòd non rarò expediat differri abſolutionem, ut pœnitens meliùs apprehendat gravitatem ſuorum criminum; quod veriſſimum putamus erga juvenes & puellas, cùm in peccatum aliquod carnis lapſi ſunt. Curare autem debet confeſſarius, ut pœnitens diſpoſitus conſentiat in abſolutionis dilationem, quæ diuturna eſſe non debet: cùm enim certum non ſit, quòd pœnitens contritionem perfectam habeat, per diuturnam abſolutionis dilationem imprudenter exponeretur periculo damnationis, vel ſaltem jacturæ bonorum operum, quibus homo in ſtatu gratiæ, gloriæ augmentum mereri poteſt; atque ita pœnitenti fieret injuria, unde ſine juſta & gravi cauſa nequidem ad breve tempus dimitti poſſet.

Quæres 3. Quid ſentiendum ſit de opinione eorum qui generatim aſſerunt, differendam eſſe abſolutionem, donec pœnitens per tempus aliquod notabile, à peccatis commiſſis abſtinuerit?

Reſp. Hanc doctrinam eſſe falſam & erroneam: repugnat enim inſtitutioni ſacramenti; cùm ſacramentum pœnitentiæ inſtitutum fuerit, non ſolùm ad remiſſionem peccatorum commiſſorum, ſed etiam ad futurorum vitationem per gratias actuales, quæ in hunc finem conceduntur ſuo tempore, intuitu ſacramenti antea ſuſcepti.

Propter eandem rationem reprobanda eſt eorum doctrina, qui dicunt, ſemper aut ordinariè differendam eſſe abſolutionem pœnitentibus, qui aliquoties reincidunt in peccatum aliquod jam confeſſum. Differri tamen poteſt quandoque, quando ſcilicet circumſtantiis omnibus attentis, prudenter judicat confeſſarius, hanc dilationem profuturam, ut jam ſupra dictum eſt. In genere autem toties abſolvendus eſt pœnitens, quoties omnibus perpenſis, apparet diſpoſitus, nec prudenter ſperari poteſt magna aliqua utilitas ex dilatione abſolutionis: cùm enim pœnitens diſpoſitus, jus habeat ad abſolutionem, gravis ei fieret injuria, & ita confeſſarius graviter peccaret, dimittendo illum ſine abſolutione, ſecluſa prudenti ſpe notabilis alicujus utilitatis, ex dilatione abſolutionis ſecuturæ.

At inques. Antequam confeſſarius abſolvat pœnitentem, debet eſſe certus, quòd efficacem habeat dolorem de peccatis, & efficax propoſitum emendationis. *Reſp.* Sufficere moralem certitudinem, & prudens, quod in ea fundatur judicium de efficaci dolore & propoſito pœnitentis. Ut autem confeſſarius, prudens hoc judicium habeat, neceſſe non eſt ut expectet donec pœnitens, per notabile aliquod tempus peccare deſierit; ſed ſufficit, ſi ſolidas habeat rationes ad judicandum, pœnitentem ita ex vi doloris & propoſiti ſui affectum eſſe, ut verè nolit peccare ampliùs.

Porrò efficacis doloris & propoſiti, ut communiter obſervant Doctores, ſolida indicia ſunt. 1. Confeſſio accuratè facta, poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem. Sic autem fit confeſſio, quando pœnitens diſtinctè exprimit ſingulas peccatorum ſpecies, numerum eorum determinatum, & circumſtantias notabiliter aggravantes. 2. Lachrymæ, gemitus, ſuſpiria, aliaque hujuſmodi ſigna intenſi doloris. 3. Orationes, jejunia, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, ad obtinendam gratiam veræ pœnitentiæ Deo oblata. 4. Gravis difficultas à pœnitente ſuperata in detegendo gravi aliquo peccato, quod in aliis confeſſionibus præ pudore prætermiſerat. 5. Voluntas qua pœnitens promptè acceptat graves pœnas pro peccatis impoſitas, vel difficilia remedia à confeſſario contra relapſus præſcripta. 6. Occaſiones peccandi magna cum animi lucta abruptæ, aut graves tentationes ſuperatæ. 7. Abſtinentia à peccato, longo ante confeſſionem tempore, ex ſincera converſionis & rectè confitendi intentione. 8. Generalis confeſſio peccatorum. 9. Longum & moleſtum iter, confeſſionis cauſa, à pœnitente ſuſceptum, &c.

Quòd ſi non adſint ſpecialia aliqua doloris & propoſiti efficacis indicia, ut ſæpè contingit, nec aliud debiti doloris ac propoſiti argumentum habetur, quàm quòd pœnitens affirmet ſe verè de peccatis dolere, & non peccandi de cætero propoſitum habere, tunc pœnitenti affirmanti credere debet confeſſarius, niſi ſpeciales habeat rationes, propter quas prudenter judicet, pœnitentem carere vero dolore, & ſincero propoſitu, aut ſaltem propter quas dubitet prudenter.

Ita communiter tenent Doctores cum D. Thoma, qui in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 3. qu. 5. ad 2. ſic ait: *In foro confeſſionis, creditur homini & pro ſe & contra ſe: non autem in foro exterioris judicii.* Ratio à priori eſt, quia ſic à Chriſto inſtitutum eſt tribunal pœnitentiæ, ut in eo pœnitens, ſit ſimul reus, accuſator, & teſtis. Quare ſicut pœnitenti teſtificanti peccata ſua creditur, ita & illi dolorem ac propoſitum ſuum teſtificanti credi oportet, modo tamen ſufficientes non adſint rationes, propter quas contrarium prudenter judicare, vel graviter ſuſpicari poſſit confeſſarius. Dico, prudenter: nam ſi confeſſarius leves aliquas ob rationes judicet vel ſuſpicetur, pœnitentem carere dolore & propoſito emendationis, duplicem ei facret injuriam, & temerè judicando, vel ſuſpicando illum in re tanti momenti ſincerum non eſſe, & illi ob temerarium judicium abſolutionem denegando.

ARTICULUS XI.

Quomodo confeſſarius gerere ſe debeat cum pœnitente, qui verſatur in occaſione peccandi.

NOta 1. Occaſio peccandi dividitur in proximam & remotam. Remota eſt ea, in qua quis rarò peccat: proxima verò, in qua peccat frequenter. Dico, frequenter: nam ad occaſionem proximam non requiritur, ut quis in ea ferè ſemper peccet, aut in ea ſæpiùs peccet, quàm non peccet. Quot autem reincidentiæ requirantur, ut quis cenſeatur frequenter peccare intra hebdomadam v. g. vel menſem, non poteſt præciſè definiri, ſed id variè æſtimari debet, ſecundùm varias peccatorum ſpecies, & varias eorum circumſtantias, quas maturè perpendere debet confeſſarius prudens. Sic v. g. in peccatis quæ ore committuntur, ad hoc ut cenſeantur frequenter committi, major requiritur numerus, quàm in peccatis, quæ opere externo complentur: hæc enim difficiliùs committuntur, quàm illa.

Nota 2. Occaſio peccandi, quæ reſpectu unius proxima eſt, poteſt eſſe tantùm remota reſpectu alterius: nam fieri poteſt, & ſæpè fit, ut quis frequenter peccet in ea occaſione, in qua alter aut non peccat omninò, aut noniſi rarò peccat: immò accidit, ut eadem occaſio reſpectu ejuſdem, ſit proxima uno tempore, quamdiu ſcilicet frequenter peccat in ea; & alio tempore ſit remota tantùm, quia aut in ea peccare deſiit, aut non ampliùs peccat, niſi rarò. Quare ſitne proxima occaſio, an remota tantùm, judicari debet non tam ex natura occaſionis illius, quàm ex frequentia vel raritate reincidentiarum ex ea proven-

Digitized by Google

venientium; quamquam confeſſarius prudens debeat multùm attendere ad naturam occaſionis: quia occaſiones aliæ ſunt, quæ per ſe multùm ad peccandum excitant, ita ut rarò contingat eos qui in illis perſeverant, non peccare frequenter; qualis eſt cohabitatio cum muliere carnaliter cognita, vel familiaritas cum flagitioſis. Aliæ verò ſunt, quæ non multùm excitant ad peccandum, ita ut multi verſentur in illis, nec tamen ab illis inducantur, aut nonniſi rarò inducantur ad peccandum, quales ſunt v. g. agere judicem, advocatum, mercatorem, &c. quæ occaſiones non tam per ſe quàm per accidens, ad peccandum movent eos, quos ad peccandum inducunt. Hinc minor eſt obligatio deſerendi has occaſiones quàm illas; faciliuſque deneganda, vel differenda abſolutio eſt iis, qui verſantur in occaſionibus primi generis, quàm iis qui verſantur in occaſionibus ſecundi generis; cùm in his emendatio multò facilior ſit quàm in illis.

Nota 3. Occaſio proxima ſubdividitur in voluntariam & involuntariam: involuntaria verò in involuntariam phyſicè, & involuntariam moraliter. Occaſio voluntaria eſt ea, quæ tum phyſicè, tum moraliter poteſt deſeri. Occaſio involuntaria phyſicè eſt ea, in qua quis habet phyſicam permanendi neceſſitatem, ut ſi quis in carcere incluſus ſit cum flagitioſo. Occaſio involuntaria moraliter eſt ea, quæ deſeri non poteſt, vel ſine peccato, qualis eſt v. g. militia reſpectu militis in ea frequenter peccantis, cui denegatur abeundi facultas; talis enim abſque peccato non poteſt, invito duce, militiam deſerere; vel ſine damno temporali valdè gravi, qualis eſt v. gr. permanentia in officio aliquo, in quo quis frequenter peccat, nec tamen ſine damno temporali valdè gravi officium illud relinquere poteſt. Ad hoc autem ut occaſio cenſeatur hoc ſecundo modo moraliter involuntaria, damni tanta debet eſſe gravitas, ut illud ſubire humanas vires ſuperet communiter, ut ſi vita manifeſto periculo exponenda ſit, vel honeſta familia ad mendicitatem redigenda, vel incurrenda infamia, gravis admodùm viro honorato, vel adoleſcenti honeſtis parentibus nato mendicandum, aut famulandum, &c. His præſuppoſitis,

Reſp. 1. Si occaſio proxima voluntaria eſt, nec vult pœnitens eam relinquere, rejiciendus eſt tanquam indignus abſolutione. Ratio eſt, quia voluntas permanendi in occaſione proxima, quæ tum phyſicè, tum moraliter deſeri poteſt, eſt peccatum mortale. Quòd ſi pœnitens vult relinquere occaſionem, & ſe quamprimùm eam relicturum eſſe promittit, non eſt rejiciendus; eſt tamen extra articulum mortis differendus, donec occaſionem reliquerit, ſi occaſio ſit de genere illarum, quæ per ſe multùm movent ad peccandum: ejuſmodi enim occaſiones nonniſi difficillimè deſeruntur, & pœnitentis infirmitas, ac inſtabilitas, dilatione abſolutionis adjuvanda eſt, qua dilatione pœnitentis animus ſæpè magis percellitur, quàm quibuſcumque aliis motivis, & conſiderationibus.

2. Si occaſio proxima phyſicè involuntaria eſt, & pœnitens apparet verè contritus, paratuſque eſt ad adhibenda remedia adversùs relapſum præſcribenda, abſolvi juxta communem ſententiam, poteſt ſemel atque iterùm, ac deinceps, ſi emendatio ſubſequatur. Ratio eſt, quia quòd permaneat in tali occaſione, non poteſt ei ad culpam imputari; cùm nemo teneri poſſit ad fugiendam occaſionem, quam fugere non poteſt. Quòd ſi poſt unam atque alteram confeſſionem non appareat emendatio, tunc abſolutio differenda erit, donec ex lapſuum deſinentia, aut ſaltem notabili imminutione, pœnitens appareat emendatus.

Hæc praxis nobis omninò probatur, modò pœnitens det magna ſigna doloris, nec occaſio ſit de genere illarum, quæ multùm de ſe provocant ad peccandum. Quòd ſi pœnitens non det tam magna ſigna pœnitentiæ, aut occaſio ſit talis ex natura ſua, ut multùm de ſe ad peccandum provocet, præſtabit, ſalvo meliori judicio, abſolutionem ſtatim differre, donec appareat emendatio aliqua, & ſpes effulgeat, pœnitentem gratia ſacramenti adjutum, omninò emerſurum. Excipe tamen, cum articulo mortis, gravem neceſſitatem, in qua pœnitens poterit ſemel vel etiam iterùm abſolvi; quod relinquitur prudentiæ confeſſarii, qui ſemper meminiſſe debet, abſolutionis dilationem eſſe medium contra frequentes relapſus maximè idoneum.

3. Si occaſio proxima involuntaria eſt moraliter primo modo, hoc eſt, ſi talis eſt, ut ſine peccato deſeri non poſſit, communis ſententia idem de ea tenet, quod de involuntaria phyſicè: quia nemo obligari poteſt ad deſerendam talem occaſionem; cùm ad peccandum nemo poſſit obligari, ut vitet periculum peccandi. Nos verò ſententiam hanc probamus cum moderatione allata pro caſu occaſionis proximæ, phyſicè involuntariæ.

4. Si occaſio ſit moraliter involuntaria ſecundo modo, ita ut non poſſit deſeri ſine graviſſimo damno temporali, pœnitens non ſtatim cogendus eſt ad eam deſerendam: cùm enim poſſit in ea permanere, & vitam emendare, non ſine injuria cogeretur eam deſerere cum tanto damno. Tunc itaque pœnitens, ſi det magna ſigna doloris, & occaſio non ſit de genere illarum, quæ per ſe multùm provocant ad peccandum, poterit ſemel atque iterùm abſolvi, ac deinceps, ſi ſequatur emendatio.

Quòd ſi pœnitens non det tam magna ſigna pœnitentiæ, vel occaſio ſit de genere illarum quæ multùm movent ad peccandum, ſtatim differenda erit abſolutio, donec appareat emendatio aliqua: intereà autem pœnitenti præſcribenda erunt remedia ad emendationem idonea, quibus tentatis, vel adhibitis, ſi pœnitens emendatus non appareat, omninò cogendus erit ad deſerendam occaſionem, cum quantocumque damno temporali: quia re ipſa tunc occaſionem deſerere tenebitur, etiam cum vitæ diſpendio: pœnitentem enim adeò fragilem, & remedia adversùs relapſum præſcripta ſæpiùs fruſtrà expertum, velle nihilominùs permanere in occaſione, eſt, ſaltem interpretativè, velle peccare: quare tunc pœnitentem urget illud Chriſti, Matth. cap. 18. *Si oculus tuus ſcandaliſat te, erue illum, & projice abs te.*

ARTICULUS XII.

Utrùm confeſſarius teneatur monere pœnitentem de erroribus in quibus verſatur.

RESP. 1. Si pœnitens laboret ignorantia craſſa, propter quam in peccata mortalia labatur, tenetur confeſſarius illum monere, utpotè obligatum ad hanc ignorantiam deponendam, & donec illam deponat, indiſpoſitum.

2. Si pœnitens laborat ignorantia inculpabili, putà quia bona fide credit validum eſſe matrimonium ſuum quod tamen invalidum eſt propter occultum impedimentum, ipſi confeſſario notum, diſtinctione opus eſt: ſi enim non eſt morale periculum nocendi ipſi pœnitenti, vel aliis, monendo pœnitentem, tunc confeſſarius debet illum monere: tunc enim confeſſarius tenetur, quantùm in ſe eſt, impedire peccatum materiale pœnitentis, & ut rectè ait, Suarez tomo citato diſp. 32. ſect. 4. n. 3. „ In primis ex charitate tenemur admonere proximum, etiamſi ignoranter faciat id, quod ex ſe peccatum eſt, quando eſt ſpes fructus: quia hæc ipſa ignorantia, & hujuſmodi ſtatus de ſe eſt magnum malum proximi, & ideò ipſa ratio miſericordiæ obligat ad ſubveniendum illi, quando eſt ſpes fructus: quæ obligatio multò magis urget confeſſorem.

Quòd ſi morale periculum eſt, ne confeſſarii admonitio ſit pœnitenti occaſio peccandi formaliter, perſeverando in uſu conjugii poſt admonitionem, vel ne ſit innocentibus gravis detrimenti occaſio, ut liberis, quia parentes, ne peccent, ſeparabuntur; vel ne ſit aliis occaſio gravis ſcandali, ut ſi vir mulierem, vel mulier virum, impedimento detecto,

deſerat publicè: tunc confeſſarius poteſt, & debet pœnitentem relinquere in bona fide.

Ita ſentit Suarez ſectione cit. num. 4. ubi hanc ſuæ ſententiæ rationem affert; quia tunc confeſſor nec ratione officii, nec ratione charitatis tenetur admonere pœnitentem. Non tenetur ratione officii, quia tunc pœnitens eſt bene diſpoſitus, & integrè confeſſus, adeòque ex vi officii confeſſoris abſolvi poteſt. Nec tenetur ratione charitatis, quia charitas & correctio fraterna ſolùm obligat, quando eſt ſpes fructus; imò potiùs eſſet admonitio contra charitatem, quia poſſet magnum afferre incommodum proximo, ſine ullo fructu.

Huic rationi, quæ omninò valet pro caſu, quo probabile periculum eſſet, ne confeſſarii admonitio eſſet pœnitenti occaſio peccandi formaliter, addimus pro aliis caſibus, quibus probabile periculum eſſet ne gravis ſcandali, aut innocentibus gravis detrimenti eſſet occaſio, confeſſarium poſſe & debere peccatum materiale permittere, quando non poteſt velle illud impedire ſine probabili periculo gravis ſcandali, vel gravis detrimenti pro innocentibus: hoc enim charitas manifeſtè videtur poſtulare. Quod

Confirmatur: Authoritate Innocentii III. c. *Quia circa* 6. extra de conſanguinitate, ubi conſultus de matrimonio, à quodam ex invalida diſpenſatione cum conſanguinea contracto, reſpondet in hunc modum: *Diſſimulare poteris, ut remaneat in copula ſic contracta, cùm ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Porrò quia confeſſarius peccatum materiale impedire tenetur, quantùm poteſt ſine gravi incommodo, tenetur, ſi commodè poteſt, diſpenſationem procurare, & obtenta diſpenſatione, matrimonium invalidum rehabilitare.

At inquies. Quid ſi impedimentum notorium eſſet ſed conjugibus occultum? *Reſp.* Tunc, propter ſcandalum publicum, teneretur confeſſarius monere pœnitentem, etiam cum probabili periculo, quòd ejus admonitio futura eſſet pœnitenti occaſio peccati formalis, vel innocentibus aliquibus occaſio gravis detrimenti. Ratio eſt, quia bonum publicum bono privato pœnitentis, vel aliquorum aliorum privatorum anteponi debet. Propter eamdem rationem generaliter, quantumvis inculpabili ignorantia laboret pœnitens, & quantumvis ex manifeſtatione veritatis timeatur malum privatum pœnitentis, confeſſarius tenetur monere pœnitentem, quoties ex veritatis reticentia oriretur malum aliquod publicum, putà plurimorum deceptio; ut ſi quis falsò ſe ſacerdotem credens inculpabiliter, pro tali ſe gereret; vel ſi quis falſum aliquod dogma pro catholico habens inculpabiliter, illud diſſeminaret.

3. Si pœnitens dubitat de ſuo errore, vel interroget, confeſſarius tenetur aperire veritatem, ſi error ſit juris, ſeu de præcepti alicujus obligatione, ut docet Suarez ſect. cit. num. 2. & ratio eſt, quia, ut ait hic Author ibidem, tunc confeſſor habet rationem paſtoris & medici, & ideò ad munus illius pertinet veritatem docere: unde tacendo tunc & diſſimulando, authoritate ſua pœnitentem confirmaret in errore, quod eſt intrinſecè malum. Propter eamdem rationem tenetur etiam ſtatim veritatem dicere, etiamſi error ſit tantùm facti; ut ſi uxor dubitet, an validum ſit matrimonium ſuum, quod reverà invalidum eſt. Quòd ſi tamen veritatis manifeſtatio conjuncta eſt cum morali periculo gravis ſcandali, vel gravis detrimenti pro aliquo innocente, confeſſarius tempus aliquod, intra quod dubitans non exigere, ſed reddere debitum poterit, petere poteſt, ad rem maturiùs examinandam, & intereà quærere, & adhibere media ad impediendum ſcandalum vel detrimentum idonea, ſi hæc poteſt commodè; alioquin ſtatim veritas manifeſtanda erit.

At inquies. Quid ſi uxor dubitet, quia votum caſtitatis habet, an poſſit marito petenti debitum reddere, & ea de re interroget confeſſarium, qui ſcit illam habere impedimentum aliud majus, propter quod matrimonium ejus irritum eſt? *Reſp.* Tunc confeſſarius non debet plus reſpondere, quàm interrogatur, ſimpliciter dicendo, votum non impedire redditionem debiti, atque ita reticendo impedimentum irritans, quod habet mulier, niſi tamen notorium ſit; tunc enim, propter publicum ſcandalum, de eo monenda erit mulier, quantumvis illi occultum ſit; aut manifeſtari poſſit ſine morali periculo gravis ſcandali, vel detrimenti pro aliquibus innocentibus, ut intelligitur ex ſupra dictis.

At inquies. Quid ſi in quæſtione juris controverſa inter Doctores, pœnitens ſequatur opinionem minùs tutam, confeſſarius verò tutiorem, quia omnibus maturè ponderatis, apparet ei veriſimilior oppoſita; teneturne confeſſarius abſolvere pœnitentem, quamvis nolit mutare ſententiam?

Reſp. 1. Si pœnitens certus eſt, ſe ſufficientem diligentiam adhibuiſſe ad inveſtigandam veritatem, & opinio minùs tuta quam ſequitur, relatè ad ipſum notabiliter veriſimilior eſt oppoſita tutiori, non tenetur mutare ſententiam. Ratio eſt, quia licèt in operando ſequi opinionem minùs tutam, quæ adhibita ſufficienti diligentia, notabiliter apparet veriſimilior, exceptis tamen iis caſibus, in quibus agitur de valore ſacramentorum, aut de vitando damno proximi: nec tamen confeſſarius tenetur, aut etiam licitè poteſt illum, ſi ſententiam oppoſitam amplecti nolit, abſolvere. Ratio eſt, quia certus eſſe non poteſt, illum eſſe in bona fide, & ita certus eſſe non poteſt, illum eſſe diſpoſitum. Præterea, ſecundùm judicium confeſſarii, pœnitens verſatur in gravi errore, quem non vult deponere. Ergo ſecundùm judicium confeſſarii, pœnitens indiſpoſitus eſt. Ergo confeſſarius eum abſolvendo, contra conſcientiam ſuam faceret. Tunc igitur pœnitens debet pacificè diſcedere, & alium confeſſarium adire.

Reſp. 2. Si pœnitens certus non eſt, ſe ſufficientem diligentiam adhibuiſſe in veritate inveſtiganda, etiamſi opinio minùs tuta quam ſequitur, ſit ei veriſimilior oppoſita tutiore, tenetur mutare ſententiam, ut amplectatur oppoſitam, quæ eſt confeſſarii, qui in tribunali pœnitentiæ fungitur officio doctoris & medici, ut ſuprà dictum eſt, & cui proinde pœnitens auſcultare debet: quòd ſi non vult, tanquam indignus abſolutione rejiciendus eſt.

ARTICULUS XIII.

Quomodo, & quando confeſſarius ſupplere debeat defectus in confeſſione commiſſos.

RESP. 1. Si confeſſarius pœnitentem invalidè abſolvit à cenſura reſervata, debet illum monere, vel à Superiore illum abſolvendi facultatem petere, illumque, facultate illa obtenta, abſolvere. Poteſt autem pœnitens ille abſolvi, etiam abſens & ignorans, quia abſolutio à cenſuris non eſt ſacramentalis: unde non modò validè, ſed etiam licitè dari poteſt abſenti, & ignoranti, atque interdùm etiam invito.

2. Si confeſſarius pœnitentem invalidè abſolvit à peccatis, tenetur illum monere, ſi tamen poteſt ſine gravi ſuo detrimento, vel gravi ſcandalo: alioquin per impotentiam moralem excuſatur. Ita Suarez tom. citato diſp. 32. ſect. 6. n. 7. ubi addit non eſſe ſimile de ſacramento Baptiſmi, vel Ordinis. „ Quia ex „ defectu baptiſmi ſequuntur graviſſima damna ferè „ irreparabilia: nam ſi baptiſmus non fuit validus, „ nec cætera ſacramenta erunt valida, neque effectum „ habebunt in eo qui invalidè baptizatus eſt. Idem eſt „ de ſacramento Ordinis; quia ſi aliquis exiſtimetur „ ſacerdos, cùm tamen non ſit, ſequuntur incommoda miniſtrandi invalidè cætera ſacramenta; propter quas rationes, vix, adde, ac ne vix quidem „ poteſt admitti in his ſacramentis excuſatio. In ſacramento autem Pœnitentiæ longè diſſimilis ratio eſt, niſi in eo caſu, in quo pœnitens, propter „ invalidam abſolutionem, exponeretur periculo „ mor-

„ mortis æternæ, ut ſi eſſet in articulo mortis, & „ non poſſet iterùm confiteri; tunc enim confeſſa- „ rius, etiam cum gravi ſuo detrimento, pœniten- „ tem admonere teneretur.

3. Si confeſſarius eſt in cauſa cur pœnitens confeſſus non ſit integrè, vel quia non examinavit eum ſufficienter, vel alio modo; tenetur pœnitentem admonere, quia impedire tenetur materialem præcepti divini, ad confeſſionis integritatem obligantis, transgreſſionem, cui occaſionem dedit. A monendo tamen pœnitentem excuſabitur per impotentiam moralem, ſicut pœnitens ipſe per impotentiam moralem excuſari poteſt ab integritate confeſſionis. Idem dicendum eſt, ſi confeſſarius poſitivè vel omiſſivè pœnitentem induxit in alios errores, ex quibus futurum eſt, ut pœnitens tranſgrediatur aliqua Dei vel Eccleſiæ præcepta.

4. Si confeſſarius pœnitentem malè obligavit ad reſtituendum, tenetur, re adhuc integra, errorem retractare; nam impedire tenetur, ne actione ſua, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter poſita, ſit ipſe alteri cauſa damni; alioquin tenebitur de damno. Quòd ſi pœnitens jam reſtituit, & ita jam impediri non poteſt damnum illius, confeſſarius non tenetur de damno, ſi pœnitentem ad reſtituendum induxit inculpabiliter: ſi verò culpabiliter induxit, de damno tenetur; ſicut etiam tenetur, ſi omiſſione ſua culpabili, cauſa fuit pœnitenti, cur reſtitueret: quia ex officio, adeòque ex juſtitia, damnum ejus impedire tenebatur.

5. Si confeſſarius fuit poſitivè, & culpabiliter cauſa pœnitenti, ut non reſtitueret, verbi gratia, ſi dixit ei: Non debes reſtituere; tenetur eum monere; & ſi non eum monet, vel antequam eum moneat, impotens factus eſt ad reſtituendum, cùm antea reſtituturus fuiſſet; tenetur ipſe confeſſarius reſtituere, ſi poteſt. Ratio eſt, quia confeſſarius culpabiliter egit contra jus quod alter habebat, ne pœnitens impediretur ſibi reſtituere. Quòd ſi pœnitens adhuc poteſt reſtituere, ſufficit ſi confeſſarius illum admoneat; quia deſinet authoritate ſua influere in defectum reſtitutionis, quamvis pœnitens admonitus reſtituere nolit.

6. Si confeſſarius culpabiliter, ſed omiſſivè tantùm cauſa fuit pœnitenti, cur non reſtitueret, tenetur quidem monere pœnitentem, quia debet impedire, quantùm poteſt, præcepti divini tranſgreſſionem, cui occaſionem dedit: at non tenetur ipſe reſtituere, etiamſi pœnitentem non moneat, aut jam factus ſit pœnitens ad reſtituendum impotens. Ratio eſt, quia omittens, vel tacens illi, tantùm de damno tenetur, cujus damnum impedire tenetur ex juſtitia. At confeſſarius non tenetur ex juſtitia impedire damnum illius, cui pœnitens reſtituere debet, & non monendo pœnitentem de reſtitutione facienda, peccat tantùm contra bonum pœnitentis, quod ex officio confeſſarii tenetur procurare. Ita Suarez ſect. cit. num. 9. Ex his

Adverte: Diſparem eſſe rationem confeſſarii & judicis civilis: hic enim ex officio tenetur ſervare jus omnium, quia eſt perſona publica, in magiſtratu conſtituta ad procurandum bonum, & jus commune; confeſſarius verò ſoli pœnitenti ex officio obligatus in foro pœnitentiæ, quia hoc forum privatum eſt, & in bonum pœnitentis inſtitutum. Item diſpar ratio eſt confeſſarii, & prælati, vel domini: nam cùm prælatus, vel dominus ſit caput politicum ſuorum, ex officio, adeòque ex juſtitia impedire tenetur, ne ſui alios lædant; Confeſſarius verò non eſt caput politicum pœnitentis.

7. Si confeſſarius poſitivè, ſed inculpabiliter, fuit cauſa pœnitenti, cur non reſtitueret, tenetur nihilominùs pœnitentem monere; & ſi non monet, hoc ipſo incipit voluntariè influere authoritate ſua in damnum proximi, & eſſe damni illius cauſa poſitivè & culpabiliter: quare hoc ipſo contra juſtitiam peccat, & tenetur ipſe reſtituere, ſi poteſt. Quòd ſi pœnitentem admoneat, ad nihil tenetur ampliùs, quamvis pœnitens non reſtituat; vel quia non vult reſtituere, cùm poſſit; vel quia ad reſtituendum factus eſt impotens. Ratio deciſionis eſt, quia confeſſarius, dicendo pœnitenti, eum non teneri ad reſtituendum, non fuit, ut ſupponitur, culpabiliter cauſa damni, & ad illud reparandum teneri non poteſt, niſi ratione culpæ, quæ nulla eſt ex ipſius parte, cùm ſupponatur poſteà pœnitentem admonere.

8. Denique, ſi confeſſarius inculpabiliter fuit pœnitenti cauſa omiſſivè, cur non reſtitueret, tenetur adhuc monere pœnitentem, potentem reſtituere, ut patet ex dictis num. 3. Quòd ſi tamen eum non moneat, non tenetur per ſe reſtituere: nam, ut ſupra probatum eſt, omiſſio etiam culpabilis confeſſarii non obligat ad reſtitutionem, quia per hanc omiſſionem peccat tantùm contra charitatem reſpectu proximi, cui debetur reſtitutio, & contra religionem, ſacrum miniſterium negligenter exercendo, ut ait, Suarez loco proximè citato.

Quæres. Quem nomine proprii ſacerdotis intelligat Concilium Lateranenſe in Canone, *Omnis utriuſque ſexus*?

Reſp. Intelligere parochum, ſed ſalvo jure Epiſcoporum, qui in omnes ſuos diœceſanos, & Summi Pontificis, qui in omnes Chriſti fideles habent juriſdictionem ordinariam, & ſuperiorem juriſdictione parochi: unde cùm in citato canone dicitur: *Si quis alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio ſacerdote; cùm aliter ille ipſum non poſſit ſolvere, vel ligare*; ſubintelligi neceſſariò debet, niſi alienus ille ſacerdos, vel ab Epiſcopo loci in quo confeſſio audienda eſt, vel à Summo Pontifice delegatam acceperit poteſtatem, ſicut cùm ſupra dicitur: *Omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti*, neceſſariò ſubintelligitur, niſi vel Epiſcopo ſuo, vel Summo Pontifici, aut ab eis delegato confiteatur.

DISPUTATIO X.

De Sigillo Confeſſionis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm, & quo jure, & in quo gradu teneatur confeſſarius ſervare ſecretum confeſſionis.

RESPONSIO I.

Confeſſarius tenetur ſervare ſecretum confeſſionis.

Prob. Nam 1. tenetur jure naturali, quo prohibemur revelare peccata proximi, ne infametur. 2. Tenetur ex fidelitate & tacita promiſſione: nam in confeſſione tacita pactio intercedit confeſſarium inter & pœnitentem; pœnitens enim tacitè peccata ſua declarat confeſſario ſub conditione ſecreti, quod tacitè promittit confeſſarius. 3. Tenetur ex reverentia ſacramenti, quæ exigit, ut tribunali pœnitentiæ ſecretò commiſſa, ſecreta habeantur: ſicut loci ſacri reverentia poſtulat, ut ex eo cum injuria non auferantur ea, quæ ibi velut in aſylo depoſita ſunt.

4. Tenetur ex lege eccleſiaſtica, quæ graviſſimas pœnas jubet imponi confeſſariis, ſecretum confeſſionis violantibus, ut patet ex cap. *Sacerdos*, de pœnitent. diſt. 6. quo dicitur: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet .... Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.* Et ex cap. *Omnis utriuſque ſexus*, in quo dicitur: *Caveat autem omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenùs peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ*

cantè requirat: quoniam qui peccatum, in pœnitentiali judicio ſibi detectum, præſumpſerit revelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum. 5. Denique ſacerdos ad ſervandum confeſſionis ſecretum tenetur lege divina poſitiva à Chriſto lata.

Responsio II.

In confeſſario obligatio ſervandi ſecretum confeſſionis tanta eſt, ut pro nullo caſu liceat prodere ſecretum illud, invito pœnitente.

Ita tenent Doctores omnes Scholaſtici contra Altiſiodorenſem. Hujus autem veritatis fundamentum præcipuum eſt communis Eccleſiæ conſenſus, & ejus perpetua traditio, cujus aliqua inveniuntur veſtigia in antiquitate, ut patet ex capite *Sacerdos*, citato, & aliis locis indicatis à Suarez tomo citato diſput. 33. ſect. 1. num. 2.

Certum eſt autem obligationem tantam non oriri. 1. Ex lege naturali, quæ prohibet infamationem proximi, aut ex tacita pactione pœnitentis cum confeſſario: obligationes autem, quæ ex illis capitibus oriuntur, non ſunt ita ſtrictæ, ut aliquando non poſſint ceſſare: nam crimen alterius mihi ſecretò commiſſum, publicare poſſum, etiam cum ipſius infamia, ſi id poſtulet bonum publicum. 2. Ex lege poſitiva eccleſiaſtica: nam, ut ait Suarez ſect. cit. n. 8. „ Hæc obligatio eſt fortaſsè major, quàm poſſit lege humana imponi: quia licèt interdùm poſſit lex humana obligare cum diſpendio, vel evidenti periculo vitæ, quando ad commune bonum expedit, tamen quòd obliget etiam in periculo boni communis, videtur excedere facultatem humanæ legis, niſi aliunde, vel divina lex, vel ipſa rei natura talem obligationem afferat. Prætereà, hæc obligatio antiquior eſt, quàm omnis humana lex, & cum ipſo ſacramento creditur eſſe nata. Quod à poſteriori confirmatur, quia non poſſet Eccleſia hanc legem abrogare, neque in illa diſpenſare. „ Sed quæritur, unde ergo tam gravis obligatio oriatur? Remotè oriri ex ipſo ſacramento, docet Suarez eadem ſect. num. 7. ubi ait: „ Dicendum eſt hanc obligationem oriri ex injuria quæ fieret ſacramento, ſi aliquando revelaretur hoc ſecretum. Injuria autem illa conſiſtit in hoc, quòd confeſſio fieret odioſa: nam retardarentur homines, neque cum fiducia poſſent ad hoc ſacramentum accedere. Quod declaratur ampliùs in hunc modum: quia ſi, vel in uno caſu daretur licentia (prodendi ſecretum confeſſionis) jam hoc eſſet committendum arbitrio & prudentiæ confeſſoris, quia cauſa vel caſus in quibus id eſſet licitum, non eſſent omninò definiti. Ergo ſemper poſſent pœnitentes timere hujuſmodi arbitrium confeſſoris; atque hinc etiam factum eſt, ut quoties pœnitens timet revelationem ſecreti, excuſetur ab obligatione illud confitendi, quod fundatur in naturali ratione, quia nemo cogitur, ut ſe prodat; qui autem confiteretur peccatum à confeſſore revelandum, jam ipſe ſe proderet. Ergo ut ipſi pœnitentes non poſſint excuſari à confeſſione peccatorum, neceſſarium fuit, ut omninò præcluderetur via revelandi confeſſionem.

Igitur ne ſacramento fieret injuria, ſecreti revelatio pro omni caſu prohibita eſt præcepto divino ordinis ſupernaturalis, quod præceptum Suarez eadem ſectione, num. 10. rectè videtur aſſerere, " non eſſe merè poſitivum, ſuperadditum ſacramento Pœnitentiæ, quale eſt v. g. in Euchariſtia præceptum præmittendi confeſſionem ante communionem: ſed eſſe quaſi connaturale & intrinſecum ipſi ſacramento, prout de facto inſtitutum eſt; ita ut ex quodam jure naturali intrinſeco ipſi ſacramento, & per neceſſariam conſecutionem ex ejus inſtitutione oriatur. „ Et verò ut ibid. obſervat idem Author, quamvis concedamus tale præceptum de potentia abſoluta potuiſſe non imponi, at ſaltem non potuit non imponi ſecundùm convenientem modum providentiæ, hoc ipſo quòd Chriſtus ſacramentum Pœnitentiæ ſic inſtituit, ut pœnitentes obligentur ad confitenda mortalia omnia, etiam graviſſima: quia ſi liceret aliquo caſu revelare audita in confeſſione, hoc ſanè confeſſionem redderet odioſiſſimam; moraliter enim loquendo, multi confeſſarii ex imprudentia abuterentur ſæpè tali licentia; unde fieret ut homines deterrerentur à confeſſione, quæ tandem tota periret, quod eſſet majus malum, quàm quodlibet aliud, quod accidere poſſet ex eo quod non revelentur peccata. Sed

Nota 1. Dictum eſt in reſponſione, Invito pœnitente; quia ſigilli obligatio impoſita eſt in favorem pœnitentis, cui favori renunciare poteſt pœnitens, ſi velit: unde nullo jure, ſive naturali, ſive poſitivo prohibitum eſt, ne prodatur pœnitens, ſi velit, ſed tantùm ne prodatur, ſi nolit. Quare ſi conſentiat, & det facultatem, poteſt confeſſarius ipſum prodere, etiam utendo cognitione accepta in ſacramento, ſeu per confeſſionem; neque enim opus eſt, ut pœnitens extra confeſſionem revelet id, quod manifeſtandi facultatem dat confeſſario.

Nota 2. Aliud eſt prodere peccatum, & aliud prodere pœnitentem. Primum enim non eſt per ſe illicitum, nec prohibitum, ſed ſolùm quatenùs ex proditione peccati ſequi poteſt proditio pœnitentis. Item aliud eſt dicere pœnitentem hæc aut illa peccata commiſiſſe, vel confeſſum eſſe; & aliud dicere, vel facere aliquid, unde conſcii vel complices poſſint intelligere pœnitentem talia peccata confeſſum eſſe. Primum eſt contra ſecretum confeſſionis, non verò ſecundum: alioquin non poſſet dicere confeſſarius pœnitentem benè confeſſum eſſe; item non poſſet eum coram aliis abſolvere, aut poſt confeſſionem coram aliis factam, ei coram iiſdem Euchariſtiam adminiſtrare, quæ omnia falſa ſunt.

Nota 3. Secretum confeſſionis longè graviùs obligat, quàm confeſſionis integritas: nam nequidem ad vitandam mortem ſigillum violare licet: at multò minora damna & pericula excuſant ab integritate confeſſionis. Hinc nequidem in ſacramento Pœnitentiæ confeſſarius poteſt invitum pœnitentem prodere, & ſacerdos qui peccatum ſuum, quod in adminiſtrando ſacramento Pœnitentiæ commiſit, confiteri non poteſt, niſi revelando peccatum & peccatorem ſibi confeſſum, non tenetur, imò nec poteſt licitè confiteri peccatum ſuum.

Nota 4. Ne quidem apud ipſum pœnitentem licet confeſſario loqui de ejus confeſſione extra ſacramentum, ſine facultate ipſius pœnitentis, quia hoc etiam eſt contra ſigilli obligationem, quatenùs confeſſio valdè oneroſa & odioſa redderetur pœnitentibus, ſi liceret confeſſario extra ſacramentum illis peccata ſua objicere; immò, propter eamdem rationem, nec in altera confeſſione, confeſſario licet peccata in priori confeſſione audita repetere, niſi hoc neceſſarium ſit ad ſacramentum debitè miniſtrandum; quod additur, quia confeſſarius uti poteſt cognitione in priori confeſſione accepta, ad ſupplendos defectus in ea commiſſos, & ad recidivum, quoad opus erit, monendum, imò & rejiciendum, aut differendum, prout confeſſarius ex frequenti in eadem peccata relapſu judicabit pœnitentem eſſe indiſpoſitum, vel ei ad emendationem abſolutionis dilationem utilem fore: cavere tamen debet ſummoperè confeſſarius, ne ſe nimiùm memorem oſtendat peccatorum pœnitentis; hoc enim vergeret in odium ſacramenti.

Nota 5. Confeſſarius loquens de rebus in confeſſione auditis, ſed quas aliunde novit, non peccat contra ſigillum, ſi utatur tantùm ea cognitione, quam adeptus eſt extra confeſſionem: talis enim confeſſionem non revelat, quia, ut ſupponitur, perinde loquitur, ac ſi confeſſionem non audiviſſet, nec facit injuriam ſacramento, vel pœnitenti, qui privare illum non poteſt jure utendi cognitione, quam extra confeſſionem adeptus eſt: debet tamen confeſſarius cave-

cavere, ne circumſtantias aliquas addat, quibus ſignificet ſe ex confeſſione rem noſſe, & ne aliquid ampliùs aut certiùs affirmet, quàm extra confeſſionem noverit. Quòd ſi quid ampliùs adderet, aut certiùs affirmaret, propter notitiam in confeſſione acceptam, procul dubio ſigillum violaret. Denique omninò expedit confeſſarium de rebus in confeſſione auditis, quantùmvis eas aliunde certò noverit, nunquam loqui ſine gravi neceſſitate, & hic uſus eſt prudentum confeſſariorum.

Nota 6. Non ſolùm confeſſionis ſecretum violant ii, qui revelant peccatum alicujus pœnitentis in particulari, ſed etiam qui dicunt gravia peccata committi in loco, in quo confeſſiones audiunt, præſertim ſi parva ſit loci illius communitas: hoc enim cedit in præjudicium communitatis, quæ inde infamatur; & conſequenter in præjudicium pœnitentium, in quos infamia communitatis redundat: quare inde confeſſio odioſa redditur, nec ſine offenſione audiuntur confeſſarii, qui ſic loquuntur ex ſcitoria confeſſionis. Similiter confeſſionis ſecretum violant, qui peccata in confeſſione audita ita referunt, ut audientes poſſint aliqua ratione conjicere, quinam ea commiſerint: ſecùs, ſi ita referant, ut qui audiunt, ne leviter quidem ſuſpicari poſſint, à quibus fuerint commiſſa, tunc enim nulla fit injuria pœnitenti qui ea confeſſus eſt: nam quòd homines ſciant talia peccata in mundo fieri, nullum incommodum affert pœnitenti, modò qui ſciunt, non poſſint unquam ulla ratione ſuſpicari ab eo facta eſſe: ſapienter tamen monent Doctores, non eſſe facilè etiam hoc modo de peccatis in confeſſione auditis loquendum, niſi ſubſit gravis aliqua cauſa loquendi: audientes enim facilè ſcandalizantur, & quandoque periculum eſt, ne lædatur ſigillum.

Nota 7. Sigillum violat, qui peccata in confeſſione audita revelat poſt mortem pœnitentis, ut obſervat Suarez ſect. cit. num. 17. ubi hoc probat ſic: „ Obligatio ſigilli ſemper durat, tum quia hoc neceſſarium eſt ad bonum uſum ſacramenti; timerent enim vivi peccata ſua dicere, ſi vel poſt mortem revelari poſſent: tum etiam quia præceptum ſervandi ſecretum confeſſionis eſt abſolutum, & proximi fama etiam poſt mortem ejus ſervanda eſt. “ Adde homines valdè ſollicitos eſſe, ut etiam poſt mortem ſuam audiant bene: quare ſi liceret peccata pœnitentis revelare poſt mortem ejus, ex hoc confeſſio redderetur odioſiſſima.

Nota 8. Planè falſum eſt, quod apud Suarem ſect. cit. num. 16. ait Altiſiodorenſis, & meritò ab omnibus aliis Doctoribus communiter reprobatum, nempe ad hoc ut confeſſarius peccata in confeſſione audita revelare poſſit, ſatis eſſe ſi credat non fore ingratum pœnitenti: nam ſic confeſſio redderetur oneroſiſſima pœnitentibus; ſæpiſſimè enim multi confeſſarii ex imprudentia crederent ejuſmodi revelationem fore gratam pœnitenti, cùm tamen eſſet ingratiſſima: unde meritò timerent pœnitentes quilibet, ne confeſſarii aliquando ex ſimili præſumptione peccata eis declarata proderent. Omninò igitur tenendum eſt, peccatorum in confeſſione auditorum revelationem nunquam eſſe licitam, niſi fiat cum expreſſa licentia pœnitentis, & non aliter, quàm quatenùs licentiam expreſsè conceſſit pœnitens. Contra ſigillum igitur peccat confeſſarius, ſi revelat plura peccata, aut pluribus, quàm expreſsè pœnitens conceſſit.

Adde etiam, contra ſigillum peccare confeſſarium, ſi licentiam illam fraudulenter extorqueat à pœnitente, falsò ei perſuadendo, quòd teneatur illam dare. Quòd ſi pœnitens ſub mortali teneatur, ut aliquando teneri poteſt, vel per ſe, vel per confeſſarium, alicui directè vel indirectè aperire peccatum ſuum, confeſſarius poteſt, & tenetur illi abſolutionem denegare, niſi velit peccatum ſuum vel per ſe, vel per confeſſarium aperire, quia aliter indiſpoſitus eſt: eo tamen invito, peccatum ejus revelare non poteſt confeſſarius.

Nota 9. Peccatum, quo violatur ſigillum, duplicem habet malitiam; unam ſacrilegii contra reverentiam debitam ſacramento, & alteram injuſtitiæ, quæ duplex eſt, una ſcilicet detractionis contra famam proximi, & altera infidelitatis contra pactum tacitè initum cum pœnitente de non revelandis ejus peccatis. Porrò hic à culpa mortali excuſat defectus deliberationis in confeſſario ſigillum frangente; at non excuſat materiæ levitas: quare confeſſarius revelans in particulari peccatum veniale pœnitentis, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia licèt pœnitentem non infamet graviter, facit tamen gravem injuriam ſacramento, quod reddit odioſum, & ſi revelare peccatum veniale pœnitentis eſſet tantùm veniale peccatum, hoc à confitendis venialibus homines deterreret.

Nota denique 10. Graviſſimæ pœnæ in confeſſarios ſigilli violatores ab Eccleſia ſtatutæ fuerunt, ut patet ex cap. *Sacerdos*, & cap. *Omnis utriuſque ſexus*, verbis ſupra relatis. Sed ut pœnæ illæ re ipſa ſubeantur, opus eſt ſententia judicis, ut patet ex iiſdem capitibus.

ARTICULUS II.

Ex quali confeſſione oriatur obligatio ſigilli, & quænam ſit illius materia.

RESPONSIO I.

OBligatio ſigilli oritur ex ea omni & ſola confeſſione, quæ à pœnitente coram eo, quem bona fide credit eſſe ſacerdotem, fit ex intentione accuſandi ſe in foro pœnitentiæ, & ſubjiciendi ſe clavibus Eccleſiæ.

Prob. Quia obligatio ſigilli oritur ex ea omni & ſola confeſſione, cujus ſecretum violari non poteſt ſine injuria ſacramenti. Atqui talis eſt omnis & ſola confeſſio, quam pœnitens ex intentione ſubjiciendi ſe clavibus Eccleſiæ, facit coram ſacerdote, aut ſaltem coram eo, quem ſacerdotem eſſe bona fide credit. Ergo, &c. Ad hoc igitur ut confeſſio cadat ſub ſigillum, duæ requiruntur & ſufficiunt conditiones, una ſcilicet ex parte illius qui confeſſionem audit, & altera ex parte illius qui confitetur.

Itaque ad obligationem ſigilli requiritur, 1. Ex parte illius, qui confeſſionem audit, ut ſit ſacerdos, vel ſaltem talis bona fide credatur à confitente: nam ſi confeſſio fiat laico, vel clerico non ſacerdoti, cognito ut tali, quacumque occaſione vel neceſſitate fiat, & quantumcumque pœnitens inculpabiliter exiſtimet talem licitè & validè poſſe abſolvere ſecundùm inſtitutionem Chriſti, nulla oritur obligatio ſigilli, quia manifeſtum eſt, hujus confeſſionis ſecretum violari poſſe abſque ullo præjudicio ſacramenti: quare qui confeſſionem hanc audivit, ad ſecretum tenetur tantùm jure naturali, prohibente infamationem proximi, & ex fidelitate, propter tacitam ſaltem pactionem, quæ inter eum & confitentem interceſſit. Porrò ad ſigilli obligationem ſufficit, ut is cui fit confeſſio, bona fide putetur eſſe ſacerdos; quia tunc ſecreti violatio manifeſtè vergeret in præjudicium ſacramenti, cujus ſecuritas, propter periculum eorum, qui aut malitiosè fingunt ſe ſacerdotes, aut ex errore ſe tales eſſe putant, cùm non ſint, poſtulat ut confeſſio facta coram eo qui bona fide creditur eſſe ſacerdos, cadat ſub ſigillum. Hinc

Obſerva obiter, ad ſigilli obligationem non requiri in ſacerdote confeſſionem audiente, ut juriſdictionem habeat; ſed ſufficere, ſi bona fide credatur habere, & poſſe abſolvere. Quòd ſi pœnitens confiteatur ſacerdoti, quem ſcit non habere juriſdictionem; vel confitetur ei ex intentione ut juriſdictionem petat & obtineat, vel ei confitetur ſine tali intentione. Si primum, confeſſio ejus procul dubio cadit ſub ſigillum, quia confitetur ex intentione ſubjiciendi ſe clavibus

Eccle-

Eccleſiæ. Si ſecundum, confeſſio ejus habet tantùm rationem conſultationis cujuſdam, atque ita ex illa non oritur alia obligatio ſecreti, præter eam quæ ex hujuſmodi conſultationibus naſci ſolet, & quæ poſt obligationem ſigilli, omnium maxima eſt, ut rectè docet Suarez diſp. cit. ſect. 2. num. 4.

At inquies. Quid ſi ſacerdos, qui confeſſionem audit, intentionem non habeat perficiendi ſacramentum, & abſolvendi? *R.* Vel ſacerdos confitenti declarat, ſe nolle eum ſacramentaliter audire, vel non declarat. Si primum, & nihilominùs pœnitens pergat confiteri, non inducit, nec inducere poteſt confeſſione ſua obligationem ſigilli: non enim poteſt invitum ſacerdotem cogere ad hoc, ut ipſum audiat ſacramentaliter. Si ſecundum, perinde ſacerdos ſigillo tenetur, ac ſi intentionem haberet perficiendi ſacramentum, hoc enim ſacramenti bonum & ſecuritas apertè poſtulat; & ſi non teneretur ſigillo ſacerdos, hoc ipſo quòd non haberet intentionem abſolvendi, poſſent facilè à ſacerdotibus decipi pœnitentes, quibus propterea confeſſio oneroſiſſima evaderet; unde & ab ea facilè deterrerentur.

At inquis iterùm. Si pœnitens habens reſervata, Superiorem conveniat, & ab eo petat facultatem ad hoc, ut poſſit ab inferiore ſacerdote abſolvi, hoc ipſo Superior, velit, nolit, ſigillo tenebitur. Ergo ſimiliter ſi pœnitens ex intentione ſubjiciendi ſe ſacerdoti tanquam judici à Chriſto conſtituto, ei peccata ſua declaret, ſigillo tenetur ſacerdos, quantùmvis nolit ſacramentaliter audire pœnitentem, & nolle ſe ſignificet. *R.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia in primo caſu pœnitens incipit ſubjicere ſe foro pœnitentiæ, & per hanc quamdam confeſſionis inchoationem, induci obligationem ſigilli neceſſarium eſt ad bonum uſum ſacramenti, & ne reddatur odioſum pœnitentibus, quæ ratio locum non habet in ſecundo caſu, ut conſideranti facilè patebit.

2. Ad obligationem ſigilli requiritur ex parte pœnitentis, ut confeſſio fiat ex intentione ſacramentali, hoc eſt, ex intentione accuſandi ſe in foro pœnitentiæ, & ſubjiciendi ſe clavibus Eccleſiæ: nam ſi confeſſio fieret ſolùm animo inducendi confeſſarium ad peccandum, vel ad lucrandum favorem ſigilli, & ſecuritatem eorum quæ narrarentur, aut ſolius conſultationis vel ſolatii gratia, nulla induceretur obligatio ſigilli: nam in tali caſu ſecreti violatio non cederet in præjudicium ſacramenti, nec ei faceret injuriam. Quare ſacerdos non tenetur ſigillo, cùm moraliter certus eſt pœnitentem ad eum veniſſe animo illum decipiendi. Dico, cùm moraliter certus eſt, &c. Nam in dubio, ad ſacrum ſecretum tenetur, quia in dubio judicandum eſt in favorem confeſſionis, & pœnitentis, qui tamdiu præſumitur bono animo accedere, quandiu non probatur omninò fictus, ut rectè obſervat Suarez ſectione citata num. 6. Sed

Ex dictis collige, ad inducendam ſigilli obligationem neceſſe non eſſe, ut confeſſio ſit integra, vel ut pœnitens habeat veram contritionem; ſed planè ſufficere intentionem in pœnitente accuſandi ſe coram judice à Chriſto conſtituto, ut vel ab illo abſolvatur, vel adjuvetur, eo modo quo ipſe judicaverit expedire.

RESPONSIO II.

Cadunt ſub ſigillum ea omnia, quæ in confeſſione declarata ſunt, & quæ prodi non poſſunt ſine injuria ſacramenti.

Probatur. Nam præcepto divino, quo ſigilli obligatio impoſita eſt; prohibetur omnis revelatio injurioſa ſacramento, cujus ſecuritati ſufficienter provideri aliter non potuit. Hinc 1. cadunt ſub ſigillum omnia peccata mortalia, etiam in genere; unde ſigillum frangit, qui dicit v. g. Petrum peccaſſe mortaliter, vel aliquid aliud ex quo poſſit hoc colligi, ut ſi dicat ſe non abſolviſſe Petrum ſibi confeſſum. 2. Omnia peccata venialia in ſpecie, non tamen in genere. Hinc ſigillum violat, qui dicit Petrum ſibi confeſſum eſſe unum leve mendacium; ſecùs, ſi dicat Petrum ſibi confeſſum eſſe peccata venialia, quia nihil dicit, quod non eſſet aliis jam notum; ex ipſa enim confeſſione manifeſtum eſt, Petrum aliqua peccata confiteri, quæ neceſſariò venialia, vel mortalia ſunt: quare confeſſarius dicens Petrum eſſe confeſſum venialia, non revelat aliqua ejus peccata, ſed potiùs removet ſuſpicionem, quam aliqui habere poſſent, eum mortalia confeſſum eſſe: unde nec Petro, nec ſacramento injuriam facit.

3. Cadunt ſub ſigillum peccata etiam publica, ſi confeſſarius ea non aliunde novit, quàm ex confeſſione. Sic ſi reus aliquis ſuſpendendus ſit propter furtum publicum, quod tamen ex ſola confeſſione novit confeſſarius, confeſſarius ſigillum violat, dicendo hominem illum ſibi confeſſum eſſe, vel admiſiſſe furtum illud: hoc enim dicendo, injuriam facit ſacramento. Dixi autem, Si confeſſarius ea norit ex ſola confeſſione; nihil enim ſub ſigillum cadit, niſi cognitum, & quatenùs cognitum eſt ex confeſſione.

4. Denique, ſub ſigillum cadunt omnes circumſtantiæ peccatorum, peccata ſociorum, naturales defectus pœnitentis, aliaque id genus, quæ narrantur à pœnitente, ut circumſtantiæ peccatorum ſuorum, & ad eorum declarationem integram pertinentia: nihil enim eorum, quæ ad integrè confitendum neceſſaria eſſe pœnitentes judicant, revelatio fieri poteſt ſine præjudicio ſacramenti, quod valdè oneroſum eſſet pœnitentibus, ſi talia confeſſarius ſub ſigillo ſervare non teneretur: pœnitentes enim ſæpe peccata ſua mallent divulgari, quàm illa. Secus eſt de aliis, quæ tanquam nullo modo ad confeſſionis integritatem pertinentia narrantur.

ARTICULUS III.

Utrùm alii, præter confeſſarium, ſigillo obligentur.

RESPONSIO.

Sigillo obligantur ii omnes, ad quos immediatè vel mediatè ex confeſſione pœnitentis pervenit cognitio peccatorum ipſius.

Prob. Nam ſigillo obligantur ii omnes, quos obligari poſtulat ſecuritas & reverentia ſacramenti. Atqui ſecuritas & reverentia ſacramenti poſtulat, ut ſigillo obligentur ii omnes, ad quos immediatè vel mediatè ex confeſſione pœnitentis pervenit cognitio peccatorum ejus: poſtulat enim, ut ii omnes obligentur ad non prodendum pœnitentem, & quæcumque præciſè vi confeſſionis de peccatis confeſſis cognoſcunt, ſub inviolabili ſecreto maneant, quantùm & quatenùs neceſſe eſt, ut pœnitens nunquam invitus manifeſtetur. Ergo, &c.

1. Itaque ſigillo tenentur ii omnes, qui peccata pœnitentis audiunt, dum ipſe confitetur, ſive voluntariè & malitioſè audiant, ſive involuntariè tantùm, & ex aliqua neceſſitate. Idem dic de interprete, quando aliquis per illum confitetur, & de aliis, ſi qui ſunt, qui ad confeſſionem audiendam, vel conſilii cauſa, vel ad majorem confuſionem, aliave de cauſa adhibentur. Ratio eſt, quia hi omnes peccata pœnitentis immediatè norunt ex ejus confeſſione.

2. Sigillo tenentur omnes ii, quibus confeſſarius imprudenter vel malitioſè pœnitentem prodidit, utendo notitia, per ſolam confeſſionem comparata. Idem dic de iis, quibus confeſſarius manifeſtavit pœnitentem ex ipſius conſenſu, ut cùm ex ipſius conſenſu conſuluit virum doctum ſuper peccato, ab eo in confeſſione declarato. Idem etiam dic de Superiore, ad quem recurrit confeſſarius, ut ab eo obtineat facultatem abſolvendi à caſu reſervato, quam ſibi pœnitens in confeſſione declaravit. Ratio eſt, quia omnes hi peccatum pœnitentis ejus confeſſione mediatè cognoſcunt.

3. Si-

3. Sigillo tenetur, qui peccata pœnitentis, in carta deſcripta legit, quando pœnitens ex ſcripto confitetur: talis enim perinde ſe habet, ac ſi furtivè auribus exciperet peccata confitentis. Item tenetur ille, quo pœnitens utitur ad legendam cartam illam confeſſario; eſt enim ut interpres, & uterque peccata pœnitentis cognoſcit immediatè ex ejus confeſſione. Quòd ſi quis ante, vel poſt confeſſionem, cartam illam reperiret & legeret, graviter quidem peccaret legendo; at ſigillo non obligaretur, quia non ex confeſſione ullo modo, ſed ex remota tantùm præparatione quadam ad confeſſionem cognoſceret peccata pœnitentis: quare ille teneretur tantùm obligatione ſecreti naturalis, ſicut teneretur is, qui audiret pœnitentem alta voce peccata ſua proferentem, dum ſe ad confeſſionem comparat.

Dices. Interpres non tenetur ſigillo. Nego. *Probabis*. Neceſſarium non eſt confiteri per interpretem, & ſigilli obligatio non debet eſſe adnexa confeſſioni non neceſſariæ, ſed illi tantùm, quæ neceſſaria eſt ſecundùm Chriſti inſtitutionem, & quæ proinde non debuit reddi odioſa. *R.* hanc rationem nullius eſſe momenti: nam confeſſio venialium neceſſaria non eſt ſecundùm inſtitutionem Chriſti, & tamen cadit ſub ſigillum. Manifeſtè igitur falſum eſt, quòd obligatio ſigilli adnexa ſit illi tantùm confeſſioni, quæ ſecundùm Chriſti inſtitutionem neceſſaria eſt. Breviter, omnis confeſſio ſacramentalis, ſive neceſſaria ſit, ſive non, ſub ſigillum cadit.

Dices iterum. Conſiliarius à confeſſario conſultus, non tenetur ſigillo. Nego. *Probabis*. Præceptum ſigilli debet ſolùm proſpicere ei peccatorum narrationi, quæ neceſſaria eſt ad obtinendam abſolutionem. Sed ad obtinendam abſolutionem, nunquam neceſſarium eſt, ut confeſſarius alteri revelet, quæ audivit in confeſſione, præſertim ita ut perſona pœnitentis manifeſtetur. *R.* neg. maj. & dico præceptum ſigilli debere proſpicere non ſolum narrationi ad obtinendam abſolutionem neceſſariæ, ſed omni omninò confeſſioni ſacramentali, cujus ſecuritas exigit, ut omnis notitia, per illam ſolam mediatè vel immediatè habita, ſic ſub ſigillo maneat, ut pœnitens non poſſit manifeſtari invitus, ſed ſolùm cui, & quantùm voluerit, ſitque in plena ipſius poteſtate dare vel negare, extendere vel contrahere facultatem revelandi peccatum, quod declaravit in tribunali pœnitentiæ.

At inquies. Si pœnitens per ſe ipſum conſuleret virum doctum extra confeſſionem; notitia quam illi daret, ſacramentalis non eſſet, nec caderet ſub ſigillum. Ergo nec notitia, quam illi dat per confeſſarium, per quem eum conſulit, ſacramentalis eſt, & ſub ſigillum cadit.

R. Neg. conſeq. Nam magnum diſcrimen eſt inter pœnitentem, qui per ſe ipſum conſulit virum doctum extra confeſſionem; & ipſum pœnitentem, qui virum doctum conſulit per confeſſarium, de iis quæ confeſſario in confeſſione declaravit. Prior enim notitia nullo modo habetur ex confeſſione; poſterior verò habetur: unde propter ſacramenti reverentiam, manere debet ſub ſigillo, quantùm vult pœnitens: verò valdè odioſum & oneroſum eſſet pœnitentibus, petenti confeſſario dare facultatem conſulendi alium, ſi ille alius eodem ſigillo non obligaretur.

Dices. Superior, à quo petitur extra ſacramentum facultas abſolvendi à caſu reſervato, non tenetur ſigillo, ſaltem quando pœnitens per ſe petit aut per confeſſarium, quem extra confeſſionem rogavit, ut facultatem illam peteret. *R.* hoc eſſe falſum: cùm enim ſecundùm Chriſti inſtitutionem, abſolutio directa à mortalibus reſervatis neceſſaria ſit, & haberi non poſſit ſine recurſu pœnitentis ad ſuperiorem vel per ſe, vel per alium, recurſus ille ad ſuperiorem, eſt quædam inchoatio confeſſionis ſacramentalis, adeòque ſub ſigillum cadere debet. Certè ſi non obſignaretur ſigillo, inde confeſſio reſervatorum, propter periculum revelationis valdè odioſa redderetur Superior igitur obligatur præcepto ſigilli. Idem dic de eo, qui legeret litteras, quibus a ſuperiore peteretur facultas abſolvendi à reſervatis: eadem enim eſt pro illo ac pro ſuperiore ratio, cùm uterque hanc habeat cognitionem ex confeſſione ſacramentali inchoata.

Quæres, utrùm ipſe etiam pœnitens teneatur præcepto ſigilli circa ea quæ audit à confeſſario in confeſſione.

R. neg. Quia præceptum ſigilli à Chriſto latum eſt in favorem pœnitentis, ut confidenter integrè confiteatur, ut tenetur facere ſecundùm Chriſti inſtitutionem, non verò in favorem confeſſarii, qui non tenetur ex inſtitutione Chriſti manifeſtare pœnitenti peccata ſua, & ita non eget ſigillo circa ea quæ dicit pœnitenti. Tunc igitur in pœnitente non eſt alia obligatio, quàm ſecreti naturalis, circa ea quæ manifeſtare non poteſt ſine injuria confeſſarii, aut nonniſi contra rationabilem ipſius voluntatem; adjuncta tamen ſpeciali obligatione, orta ex reverentia ſacramenti, quæ poſtulat ut ſecreta teneantur, quæ in ſacramento, velut in azilo, à confeſſario depoſita fuerunt.

ARTICULUS IV.

Utrùm aliquando liceat Confeſſario extra confeſſionem uti notitia per eam accepta.

Responsio.

NOtitiæ per confeſſionem acceptæ confeſſario ille omnis uſus licitus eſt, qui non reddit, & ille omnis illicitus eſt, qui reddit confeſſionem gravem & oneroſam.

Prob. Quia obligatio ſigilli à Chriſto inducta tantùm eſt, ne confeſſio ſacramentalis gravis & oneroſa reddatur pœnitentibus. Ergo obligatio ſigilli illum omnem & ſolum notitiæ per confeſſionem acceptæ uſum reddit illicitum, ex quo ſacramentalis confeſſio pœnitentibus gravis & oneroſa reddi poteſt. Hinc

1. Notitiæ per confeſſionem comparatæ uſus licitus eſt, ſi permittatur à pœnitente, expreſsè conſentiente. Item uſus pœnitenti neceſſarius & favorabilis. Item uſus, qui nullam dat occaſionem detegendi perſonam, & ea quæ ad ipſam pertinent, & quæ ſub ſigillo concluſa ſunt. Igitur non peccat confeſſarius, ſi notitia illa utatur ad orandum ſæpius pro pœnitente, ad majorem illius curam poſtmodùm habendam, &c. vel ſi ejuſdem occaſione conſulat libros, aut viros doctos, ut ſit in poſterum ad caſus difficiliores reſolvendos paratior; vel ſi inde prudentior evadat ad ſe ipſum & alios regendos; ad meliùs tractandum cum incolis illius loci, quorum ſic mores meliùs novit; ad ſuaviùs vel exactiùs gubernandos ſubditos ſuos, quia ex eorum confeſſione intelligit ſeveritatem aut negligentiam ſuam illis officere: ſupple ſemper, modò tamen abſit periculum ſuſpicionis circa perſonas.

2. Notitiæ per confeſſionem acceptæ ille omnis uſus, ſine expreſſo pœnitentis conſenſu factus, illicitus eſt, ex quo alii conjicere poſſunt pœnitentem admiſiſſe vel aliquod peccatum veniale in ſpecie, vel aliquod mortale etiam in genere. Item ille omnis illicitus eſt, per quem dicto vel facto, aut ſigno alio aliquo peccatum pœnitentis manifeſtatur aliis, etiam jam ſcientibus. Item ille omnis illicitus eſt, quo confeſſarius propter notitiam illam ex confeſſione acceptam exercet circa pœnitentem aliquos actus ipſi oneroſos & ingratos, quibus ſuum illi peccatum videtur objicere, & indirectè exprobrare. Ratio eſt pro omnibus, quia ſi uſus notitiæ per confeſſionem acceptæ ſine expreſſo confitentis conſenſu factus, licitus eſſet in caſibus illis, gravis inde & oneroſa redderetur confeſſio pœnitentibus. Hinc

Confeſſarius vitare non poteſt coram aliis, eum quem ex ſola confeſſione novit eſſe nominatim excommunicatum, ſi periculum ſit ne illum vitando, det aliis occaſionem ſuſpicandi ſe hoc facere ob etimen

Digitized by Google

men in confeſſione cognitum. Similiter propter tale periculum, confeſſarius qui ex ſola confeſſione novit pœnitentem indignum eſſe beneficio aliquo, non poteſt ei denegare ſuffragium ſuum in electione, quæ fit publicè, aut eum amovere ab officio, ſi eſt ſuperior, à quo id pendet, etiamſi ad libitum eum amovere poſſit: imò etiam amoto periculo revelationis alias faciendæ, confeſſarius non poteſt, vel in ipſa confeſſione, vel extra, vitare pœnitentem, quem eſſe excommunicatum non toleratum novit ex ſola confeſſione. Item non poteſt extra confeſſionem punire pœnitentem, aut malè habere, aut vultum triſtiorem illi oſtendere, aut inſidias ei ſtruere, ut illum deprehendat in fragranti delicto. Item etiam cum electio fit ſecretò, pœnitenti negare non poteſt ſuffragium ſuum, quod ei alioquin dediſſet. Item non poteſt pœnitentem amovere ab officio, vel beneficio, in quo alioquin eum reliquiſſet, ſicut nec poteſt impedire ne alius officium vel beneficium ei conferat.

At inquies. Quid ſi pœnitens non adverteret actus oneroſos & ingratos, quos circa illum confeſſarius ex notitia per confeſſionem accepta exerceret, fieri propter notitiam ex confeſſione acceptam? *R.* hoc etiam caſu confeſſarium peccaturum eſſe contra præceptum ſigilli. Ratio eſt, quia præceptum hoc omnem uſum notitiæ per confeſſionem acceptæ prohibet, qui, ſi pœnitentes ſcirent eum eſſe licitum, redderet illis confeſſionem oneroſam & odioſam, illoſque ab ea deterreret. Atqui ſi pœnitentes ſcirent poſſe confeſſarium ipſis non advertentibus uti notitia confeſſionis, ad exercendos actus ipſis oneroſos & ingratos, redderetur illis confeſſio oneroſa & odioſa, ab eaque deterrerentur. Ergo, &c.

Portò ex dictis intelligitur, quàm rectè Clemens VIII. in motu proprio, quem anno 1594. edidit pro Regularibus, circa caſus reſervatos præceperit, ut *tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*. Hoc autem decretum Clementis manifeſtè ſupponit, uſum quem prohibet, illicitum eſſe jure divino: nam alioquin jure humano prohiberi non poſſet, ne ſuperiores notitia per confeſſionem accepta uterentur ad impediendum malum publicum grave, v. g. ad non dandum ſuffragium indigno in Superiorem eligendo, cum detrimento gravi boni communis.

Quæres 1. utrùm hoc decretum intelligi etiam debeat de notitiæ per confeſſionem comparatæ uſu, quoad actus non graves nec oneroſos pœnitentibus, & quibus ne quidem tacitè pœnitenti objicitur peccatum ſuum in confeſſione declaratum?

R. neg. Ratio eſt, quia confeſſio non poteſt rationabiliter gravis & odioſa reddi per talem uſum, ut ſi ſuperior, ex notitia per confeſſionem habita, prudentior ac cautior fiat, ut ſolent eſſe boni Superiores, ad bene regendum, ad impediendas peccandi occaſiones, ad viſitanda ſepta monaſterii, ne ulli furtivus egreſſus pateat.

Nota obiter, Superiorem poſſe & debere pœnitentem obligare ad permittendum, ut ipſe faciat id quod neceſſarium eſt ad ejus & aliorum peccatum impediendum: quòd ſi nolit permittere, abſolvendus non eſt, ſed tanquam indignus rejiciendus; imò occaſionem dat ſuſpicandi, ſe ad Superiorem veniſſe tantùm ad lucrandum favorem ſigilli: vix enim contingere poteſt, ut inferior ſincero animo ſuperiorem adeat ad faciendam confeſſionem ſacramentalem, quin facilè permittat ſuperiori, ut peccatum continuandi viam obſtruat, quantùm neceſſarium eſt ſine alio ipſius gravamine, quàm quòd peccandi occaſio tollatur.

Quæres 2. quid reſpondere poſſit & debeat confeſſarius interroganti num aliquem ſibi confeſſum abſolverit?

R. Cùm Suarez diſp. citata ſect. 6. num. 2. Vel confeſſarius ille abſolvit pœnitentem ſibi confeſſum, de quo interrogatur, vel non abſolvit. Si primum, dicendo ſe abſolviſſe, non peccat contra ſigillum, ſicut nec peccat contra veritatem. Si ſecundum, non poteſt dicere ſe abſolviſſe, quia talis reſponſio verum ſenſum habere non poteſt; ſed nec poteſt dicere ſe non abſolviſſe. „ Ratio eſt, inquit Suarez, quia abſolutio, moraliter loquendo, non nega- „ tur, niſi ſuppoſita materia peccati mortalis, & ob „ indiſpoſitionem pœnitentis; & ideò qui dicit ſe „ negaſſe abſolutionem, directè dicit pœnitentem „ peccaſſe mortaliter, & eſſe indiſpoſitum. Supereſt „ igitur, ut confeſſarius reſpondeat ſe functum eſſe „ ſuo munere. “ Addit hîc ſapienter Suarez, opti- „ mum eſſe conſilium, ita ſemper reſpondere, ſive confeſſarius abſolverit pœnitentem, ſive non; ne in caſibus particularibus detur occaſio ſuſpicionis. Quòd ſi, quia ſic factum eſt, confeſſarius diſtinctè declaret pœnitentem non potuiſſe abſolvere confeſſionem propter impedimentum quod ſupervenit, aut non potuiſſe dare ſufficientem materiam abſolutionis, nulla erit revelatio, nullumque peccatum.

At inquies. Quid ſi confeſſarius interrogetur, præſtito priùs juramento de veritate dicenda, an pœnitens quem confitentem audivit, tale peccatum confeſſus ſit?

Reſpondet Suarez ſect. citata num. 5. in hujuſmodi caſu, ex Doctorum omnium conſilio, optimum eſſe, nullum dare reſponſum, ſed reprehendere ſic interrogantem. Quòd ſi abſolutè tantùm interroget, quærendo tantùm à confeſſario, num ſciat hominem illum tale peccatum admiſiſſe, etiamſi ſuperior ſit is qui interrogat, poſſe confeſſarium pariter negare reſponſum, licèt juraverit ſe reſponſurum, & dicturum quæ ſciverit; quia juramentum ſemper intelligitur de ſcientia, ex qua homo loqui poſſit, ſeu quæ licitè ſubjecta eſſe poteſt humanæ interrogationi, qualis non eſt ſcientia per confeſſionem acquiſita.

At inquies. Quid ſi non poſſit confeſſarius commodè negare reſponſum? ſæpe enim contingit, ut ipſa negatio reſponſi ſit indirecta revelatio, quia generat in interrogante vehementem ſuſpicionem.

Reſpondet Suarez diſp. citata num. 6. quòd confeſſarius poſſit & debeat reſpondere, & ſimpliciter negare ſe ſcire quidquam de illa re; pro quo citat divum Thomam, divum Bonaventuram, Scotum, Durandum, &c. verba S. Thomæ in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. ad 3. *Dicendum quòd homo* (in caſu propoſito) *non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo, & ideò abſque læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire, quod ſcit tantùm ut Deus*.

At inquies iterum. Quid ſi aliqui cum confeſſario colloquentes, narrent crimen aliquod admiſſum, quod ipſe per confeſſionem tantùm novit? *Reſp.* Confeſſarius non interrogatus, crimen illud admiſſum eſſe negare non debet, ſed ſilentium ſervare, niſi tamen ſilentium ſervando, in adſtantibus ſuſpicionem generare probabiliter timeat: tunc enim ſilentium ejus eſſet indirecta revelatio: quare tunc poterit & debebit negare ſe quidquam ſcire de illo crimine.

ARTICULUS V.

Utrùm crimen complicis à pœnitente declaratum in confeſſione, cadat ſub ſigillum.

Responsio.

PEccatum complicis à pœnitente declaratum in confeſſione, ſub ſigillum cadit.

Prob. Nam revelatio peccati complicis, vel eſt in re neceſſaria ad integram confeſſionem faciendam; vel neceſſaria tantùm eſt ex errore pœnitentis; quia ſcilicet pœnitens ex ignorantia judicat neceſſariam eſſe, cùm tamen non ſit; vel denique, neque in re,

neque

neque ex errore pœnitentis neceſſaria eſt, & tamen fit ex imprudentia, vel ex malitia.

Si primum, tunc certum eſt quòd peccatum complicis cadat ſub ſigillum. Cùm enim ſigillum præcipuè ordinetur ad hoc ut pœnitentes liberè & ſine metu confiteantur integrè, clarum eſt illud omne ſub ſigillum cadere, quod in re neceſſarium eſt ad faciendam confeſſionem integram.

Si ſecundum, tunc etiam certum eſt quòd peccatum complicis ſub ſigillum cadat. Quia illud omne cadit ſub ſigillum, quod pœnitens judicat neceſſarium ad integrè confitendum, ſive ſecundùm rei veritatem, ſive ex errore ita judicet. Aliàs enim confeſſio gravis & odioſa redderetur, nec pœnitentis liberè & ſine metu conarentur confiteri integrè, ſi ſcirent ſigillo non obſignari ea, quæ ex errore tantùm judicant eſſe neceſſaria ad integram confeſſionem.

Si denique tertium, adhuc omninò tenendum eſt ſigillo obſignari peccatum complicis; quia tunc revelatur à pœnitente ut pars materiæ confeſſionis ejus, & tanquam aliquid ad eam pertinens: unde tunc manifeſtatio peccati complicis, & peccati proprii, faciunt unam moraliter confeſſionem. Illud autem omne obſignatur ſigillo, quod facit unum moraliter cum pœnitentis confeſſione, & eſt quid ad eam pertinens: hoc enim requiritur, ad hoc ut confeſſio non reddatur gravis & odioſa, & pœnitentes ſecuri eſſe poſſint de ſigillo; cujus proinde obligatio ſemper oriri debet ex confeſſione prout actu fit, etiamſi poſſet & deberet aliter fieri quàm fit.

Aliud eſſet, ſi pœnitens cum peccatis propriis merè concomitanter diceret aliena peccata: tunc enim hæc peccata aliena ſub ſigillum non caderent, quia nullo modo pertinerent ad confeſſionem pœnitentis, ſed ſolum eam concomitarentur. Unde nullo modo neque directè neque obliquè eſſent materia illius.

Corollarium.

Nunquam ſine eapreſſa pœnitentis facultate, confeſſario licet notitiam peccati complicis ex confeſſione habitam adhibere ad aliquem uſum, quo poſſit directè vel indirectè prodi perſona complicis.

Prob. Quia frangere ſigillum ſemper illicitum eſt. Atqui confeſſarius ſigillum frangeret, ſi pœnitente invito, adhiberet notitiam peccati complicis ex confeſſione habitam ad uſum aliquem, quo, &c. Ergo, &c. Major patet ex dictis artic. 1. Minor verò ſequitur ex aſſertione modò poſita, & probata: nam ſi peccatum complicis tam ſub ſigillum cadit, quàm peccatum pœnitentis, ſicut confeſſarius frangeret ſigillum, adhibendo, invito pœnitente, notitiam peccati pœnitentis ex confeſſione habitam, ad aliquem uſum, quo directè vel indirectè proderetur perſona pœnitentis; ita ſigillum franget, adhibendo, pœnitente invito, notitiam peccati complicis, &c. Ergo, &c. Propter eamdem rationem, ſine expreſſa pœnitentis facultate nunquam licere poteſt confeſſario colloqui de peccato complicis, cum pœnitente, vel cum ipſo complice.

Dixi autem, Ad uſum aliquem, quo poſſit directè vel indirectè prodi perſona complicis: nam uſus ille contra ſigillum non eſſet, adeòque eſſet licitus, qui nullam omninò ſecum peccati, vel perſonæ complicis manifeſtationem afferret, vel ipſi complici, vel aliis: ut ſi confeſſarius notitia per confeſſionem accepta uteretur ad orandum pro complice, ad conferendum complici aliquod beneficium, quo ſpiritualiter juvaretur; ad impediendam pro complice occaſionem vel periculum peccandi, ad impediendum damnum tertii; & ſic uteretur, ut neque ipſe complex, neque alii intelligerent vel ſuſpicarentur, hoc ab eo fieri propter peccatum complicis in confeſſione cognitum, ut docet Suarez diſputatione citata ſect. 3. num. 6. Aliud eſſet ſi confeſſarius ex notitia illa actus aliquos pœnitenti oneroſos & ingratos exerceret circa perſonam complicis; quamvis complex nec intelligeret nec ſuſpicaretur confeſſarium ex tali notitia agere: tunc enim nihilominùs ſigillum frangeret, pœnitenti crimen ſuum indirectè objiciendo & exprobrando.

Quæres 1. Utrùm confeſſarius cum facultate pœnitentis ſcientia peccati complicis per confeſſionem acquiſita uti poſſit, in bonum pœnitentis, & præſertim in ſpiritualem utilitatem, vel etiam neceſſitatem illius, v. g. ut illum defendat ab importuna complicis inſectatione, & ſollicitatione ad peccandum, vel ut debitam aliquam illi à complice ſatisfactionem procuret? *R.* affirm. modò tamen hoc prudenter fiat. Nam 1. talis uſus notitiæ per confeſſionem acceptæ non eſt contra ſigillum, cùm ſit de licentia pœnitentis, in cujus ſolius favorem obligatio ſigilli impoſita eſt. 2. Fit propter juſtam cauſam, nempe propter bonum ſpirituale pœnitentis, vel aliud aliquod bonum ejus temporale honeſtum. 3. Fit modo prudenti, ut ſupponitur. 4. Denique & ita non eſt contra reverentiam ſacramento debitam.

Confirmatur. Quia, ut ait Suarez ſect. cit. num. 8. „ pœnitens poſſet ex legitima cauſa, & propter ſuum bonum, narrare ſacerdoti extra confeſſionem totum factum, cum circumſtantiis, & dare licentiam loquendi de illo, quantùm oportuerit. Ergo magis poteſt hanc licentiam dare ad loquendum de eadem re in confeſſione audita: quia ſi reſpiciamus favorem & commodum complicis, hoc multò majus eſt, quia ejus infamia minor eſt; ſi verò inſpiciamus rationem ipſius ſacramenti, ipſum, quantùm eſt ex parte ſigilli, ſolùm poſtulat, ut ſecretum ſervetur pro juſta voluntate pœnitentis, quamquam ex ratione juſtitiæ & ex ſanctitate ipſius ſacramenti, neceſſarium eſt ut talis licentia non detur cum injuria complicis, nec ſine cauſa honeſta, ad quam poſſit tale medium ſanctè referri. Hic autem nulla fit injuria „ complici; pœnitens enim dando licentiam, utitur jure ſuo, nec dat illam ſine cauſa honeſta, ad quam ſanctè referri poteſt.

At inquies. Obligatio ſigilli impoſita eſt non ſolùm in favorem pœnitentis, ſed etiam in favorem complicis. Ergo ad hoc ut confeſſarius licitè uti poſſit notitia peccati complicis per confeſſionem accepta, neceſſaria eſt non ſolum licentia pœnitentis, ſed etiam licentia complicis. *R.* neg. ant. Nam obligatio ſigilli impoſita eſt, ne confeſſio gravis & oneroſa redderetur pœnitentibus, & ad hoc ut pœnitentes liberè ac ſecurè confiteri integrè poſſint. Ergo ſigillum eſt in favorem ſolius pœnitentis; qui favor in eo conſiſtit, quòd ſecretum pendeat ex honeſta pœnitentis voluntate, & poſſit pœnitens notitiam in confeſſione datam ordinare ad utilitatem ſuam, præſertim ſpiritualem, cum minimo incommodo ſuo; quamquam fatemur ſigilli obligationem aliquo modo redundare in favorem complicis, quatenùs peccatum ejus revelari non poteſt cum ejus infamia, ſine expreſſa & juſta licentia pœnitentis; & ſi revelet confeſſarius ſine tali licentia, ſigillum frangat, & ſacrilegium admittat.

At inquies iterùm. In uſu illo notitiæ peccati complicis per confeſſionem acceptæ, quantumlibet fiat à confeſſario cum expreſſa pœnitentis licentia, eſt aliqua inordinatio: nam res ſuperioris ordinis, nempe ſacramentalis confeſſio, ordinatur ad rem inferioris ordinis, vel certè ad finem ad quem non fuit inſtituta. Ergo uſus ille eſt contra religionem ſacramenti, adeòque ſacrilegium eſt. *R.* neg. ant. pro caſu de quo agitur. *Ad probationem Reſp.* rem ſuperioris ordinis ordinari poſſe ad rem inferioris ordinis, quando utraque eſt honeſta, & aliquam habent proportionem convenientiæ. Item, rem aliquam ordinari poſſe ad finem, ad quem non eſt inſtituta, modò per hanc ordinationem non excludatur finis ad quem inſtituta eſt. Quod ut pleniùs intelligas,

Obſerva obiter cum Suarez ſect. citata num. 11. „ hic tria intervenire, confeſſionem ſacramentalem, notitiam quæ ex illa relinquitur, & uſum hujus „ no-

,, notitiæ extra confeſſionem, qui permittitur à pœ-
,, nitente. Confeſſio quidem ipſa, quatenùs ſacra-
,, mentalis eſt, rectè appellatur res ſuperioris ordi-
,, nis, & per ſe primò ordinanda eſt ad compoſi-
,, tionem ſacramenti, & ad effectum ejus, qui eſt
,, remiſſio peccatorum, neque poteſt unquam licitè
,, fieri, excludendo hunc finem, qui eſt proprius &
,, primarius finis ejus: non eſt malum huic fini alium
,, adjungere, qui interdùm poteſt eſſe ejuſdem or-
,, dinis, id eſt, ſpiritualis; interdùm verò ordinis
,, inferioris, id eſt, temporalis, modò tamen hone-
,, ſtè intendi poſſit.
,, Notitia verò confeſſionis, licèt relatè ad con-
,, feſſionem ſit aliquid ſacrum, tamen in ſe quædam
,, eſt humana & naturalis cognitio, quæ in princi-
,, pio potuit obtineri ſine ulla relatione ad extrinſe-
,, cum finem, præter quàm ad judicium in confeſſio-
,, ne ferendum; poſtea verò, comparato illo fine
,, poteſt ordinari ad alios, mediante alio uſu ejus,
,, quia hoc nec fine nec religioni ſacramenti repu-
,, gnat, ſi talis uſus alioqui honeſtus ſit. Hic au-
,, tem uſus jam non eſt propriè res ſuperioris ordi-
,, nis, quia nec eſt ſacramentum, nec pars ſacra-
,, menti, ſed eſt conſilium aliquod, vel petitio hu-
,, mana, vel aliquid ſimile, procedens ex notitia,
,, comparata per ſacramentum, de licentia ejus qui
,, poteſt eam dare.

Pœnitens itaque, quando poſt confeſſionem ſacramentalem, in qua peccatum complicis declaravit, utitur opera confeſſarii ad procurandum aliquod bonum ſuum ſpirituale, vel temporale honeſtum apud complicem, primariò ordinat confeſſionem ad finem proprium & intrinſecum, nempe ad ſuſceptionem ſacramenti, & peccatorum ſuorum remiſſionem; ſecundariò verò, vel ſimul, vel poſtea, illam, aut potiùs notitiam ex illa in mente confeſſarii relictam, ordinat ad finem extrinſecum & accidentarium confeſſioni, ſed honeſtum, & planè compoſſibilem cum ejus fine proprio & intrinſeco, in quo nulla eſſe poteſt inordinatio: tunc enim vel non ordinat rem ſuperioris ordinis, nempe confeſſionem, ad rem ordinis inferioris; vel ſi ordinat, ordinat ad finem honeſtum, non excludendo, ſed è contra primariò intendendo finem ejus proprium. Item, ſacerdos notitia peccati complicis, ex confeſſione relicta, utendo de licentia pœnitentis, rem ſuperioris ordinis ad rem ordinis inferioris non ordinat, ſed rem inferioris ordinis ad rem ordinis ſuperioris, ſi notitia illa utitur ad procurandum bonum ſpirituale pœnitentis; vel ad rem ejuſdem ordinis, ſi ad procurandum bonum temporale aliquod pœnitentis notitia illa utitur. Nulla igitur inordinatio eſt in uſu notitiæ per confeſſionem habitæ, quem facit confeſſarius in caſu propoſito.

Quæres 2. Utrum de licentia pœnitentis poſſit confeſſarius, ſcientia peccati complicis per confeſſionem comparata, uti ad corrigendum ſecretò ipſum complicem, ſecluſo ſcandalo, ſervatiſque aliis circumſtantiis ſecundùm prudentiam requiſitis?

R. Affirmativè. Ita tenet Suarez cum aliis Doctoribus communiter, quos affert diſp. citata ſectione 4. num.4. & cum illo *Prob.* Quia 1. talis uſus non eſt contra ſigillum: nam fit de licentia pœnitentis, in cujus favorem ſigillum fuit à Chriſto conſtitutum; & hæc licentia injuſta non eſt, quia, ut ait Suarez ſect. citata num.7. non ordinatur ad inferendum aliquod nocumentum complici, ſed ad bonum ejus; neque etiam inde augetur ejus infamia, quia cum illo ſolo negotium tractandum eſt, & ab ipſomet procuranda eſt emendatio: juſta igitur eſt hæc licentia, à pœnitente data, ſed & eſt etiam, ut ſupponitur, planè ſpontanea, & non per injuriam extorta à pœnitente.

2. Igitur uſus ille non eſt contra juſtitiam: pœnitens enim utitur jure ſuo, cùm dat confeſſario notitiam peccati complicis, & licentiam tali notitia utendi propter talem finem, in quo complici nulla fit injuria. Nec dic quòd correctio per confeſſarium facta, poſſit eſſe oneroſa complici, illique pudorem aut ruborem afferre: nam ex hoc capite correctio à confeſſario facta de licentia pœnitentis, injurioſa eſſe complici dici non poteſt; alioquin omnis correctio injurioſa eſſet, cùm omnis poſſit pudorem afferre ei qui corrigitur.

3. Uſus talis non eſt contra charitatem: nam nec finis ejus, nec medium repugnat charitati, ſed eſt illi maximè conſentaneum: finis enim eſt emendatio fratris, quam per ſe intendit charitas, medium verò eſt correctio facta per viam occultiſſimam, qua minimùm læditur fama proximi; quod etiam obſervat charitas. 4. Denique talis uſus non eſt contra religionem ſacramenti; cùm nec juſtitiæ aut charitati repugnet, nec per illum frangatur ſigillum, atque, ut ſupponitur, fit modo debito. Pro quo

Notat Suarez ſect. citata nu.16. tria eſſe à confeſſario ſervanda. Primum eſt, ut confeſſarius perſonam complicis in particulari non quærat, niſi pœnitens ſua ſponte illam declaret, quia exponeret ſe periculo apud ſe infamandi proximum ſine cauſa: poteſt tamen in genere petere à pœnitente, num complex ſit in periculo, vel ope ipſius pœnitentis, ſeu correctione indigeat; & juxta reſponſionem pœnitentis poterit generaliter illum monere, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat.

Secundum eſt, ne confeſſarius offerat ſe ſtatim ad correctionem faciendam, etiamſi intelligat eſſe convenientem vel neceſſariam, ne ſcilicet ſcandalum aliquod præbeat pœnitenti, vel det occaſionem revelandi complicem ſine neceſſitate: nam fortaſſe pœnitens per ſe ipſum poteſt correctionem facere, aut vult facere per alium, quem judicat aptiorem; denique hoc ipſo quòd confeſſarius ad munus illud correctionis ſeſe offert, pœnitens in hoc negotio non procedit tam liberè & ſpontaneè, quàm par eſt.

Tertium eſt, ut maximè caveat confeſſarius ne à pœnitente exigat aliquid, tanquam debitum ex obligatione præcepti, quod re vera non ſit tale, ſed verè ac fideliter pœnitenti proponat, quid ex præcepto teneatur agere, quid verò ei tantum liceat; alioquin pœnitentem graviter deciperet, ſi non ſub vero, ſed tantùm ſub ficto titulo neceſſitatis, aut præcepti, cogeret eum, vel ad revelandam perſonam complicis, vel ad dandam facultatem corripiendi illum; unde ipſe peccaret graviter, vel contra juſtitiam, vel etiam contra ſigillum.

Idem addit num. 17. aliud eſſe pœnitentem licitè uti poſſe opera confeſſarii ad complicem emendandum media correctione, aliud vero ad hoc teneri: nam, inquit, illud ſæpius, hoc verò rariùs contingit, quia plures circumſtantias concurrere neceſſe eſt, ut talis oriatur obligatio in pœnitente. Ut ergo hoc pœnitenti liceat, tria concurrere debent & ſufficiunt. Primum eſt, ut ex parte complicis ſit aliqua moralis neceſſitas: nam ſi vel jam emendatus eſt, vel non eſt aliqua probabilis ratio timendi ejus relapſum, non eſt facilè infamandus.

Secundum eſt, ut pœnitens per ſe non ſufficiat ad correctionem utiliter faciendam, nec id probabiliter ſperet: nam ſi per ſe poſſet, fruſtra infamaret proximum apud confeſſarium. Tertium denique eſt, ut pœnitens ſperet ſe facturum correctionem utiliter per confeſſarium; alioquin illum fruſtra aſſumeret, ut inſtrumentum correctionis.

Jam verò ut pœnitens teneatur uti induſtria confeſſarii ad emendandum complicem per viam correctionis, præter illa tria, requiritur, ut neceſſitas complicis ſit tanta, ut charitas obliget pœnitentem ad ſubveniendum illi vel per ſe, vel per alium, eo modo quo potuerit; ut ſi adſit morale periculum relapſus complicis, aut gravis alicujus detrimenti à complice inferendi alicui proximo. Poſita verò hac obligatione, non ſtatim tenetur pœnitens complicem corripere per confeſſarium; poteſt enim hoc facere per alium, ſi per ſe non poſſit: quare niſi tales circumſtantiæ occurrant, ex quibus evidenter appareat, induſtriam confeſſarii ad id moraliter neceſſariam eſſe,

non

non poteſt juſtè pœnitens cogi à confeſſario, ut ipſo utatur ad correctionem complicis.

Similiter, ut etiam obſervat Suarez ſect. cit. n. 20. aliud eſt confeſſario licere, munus corrigendi complicem acceptare; & aliud, ad acceptandum teneri confeſſarium: nam ut confeſſario liceat munus hoc acceptare & exequi, ſufficit ut adſint ea quæ diximus requiri in pœnitente, ad hoc ut confeſſario uti poſſit ad corrigendum complicem. Verùm ut teneatur confeſſarius, aliquando poteſt obligare charitas, quando ſcilicet moralis neceſſitas correctionis eſt in complicem, & induſtria confeſſarii ad id moraliter neceſſaria eſt; aliquando verò obligare poteſt munus & officium paſtorale, quando complex eſt ſubditus confeſſarii, qui proinde ex officio tenetur ſpiritualem ejus ſalutem procurare. Addit Suarez, regulariter loquendo expedire, ut pœnitens factum narret confeſſario extra ſacramentum, quando confeſſarius eſt complicis paſtor; ut ſic munere ſuo libetiùs fungi poſſit, quamquam ad hoc cogi pœnitens non debet, niſi in aliquo caſu, in quo ſcilicet ſecreta correctio non cenſeretur ſufficiens.

Quæres 3. utrùm de licentia pœnitentis poſſit confeſſarius ſcientia peccati complicis per confeſſionem accepta uti ad denunciandum complicem?

R. Uti poſſe ad paternam complicis denunciationem. Ita Suarez ſect. citata num. 22. „ Ratio eſt, quia, ut ait hic Author, per hanc denunciationem ſolùm acceditur ad ſuperiorem, ut ad patrem, qui hac occaſione nec poteſt inquirere in ſubditum, vel aliud detrimentum illi inferre, ſed ſolùm conſilio, oratione, & opera illum juvare, auferendo peccandi occaſiones occultiſſimè, & ſine periculo ſuſpicionis de crimine complicis aliis ingerendæ; neque ex hoc ſequi poſſunt moraliter gravia incommoda: quòd ſi aliquod interdùm ſequitur, accidentarium eſt & ratum; adeòque propter illud vitandum non poteſt nec debet damnari actio, quæ per ſe bona eſt, & ad bonum proximorum ſæpe neceſſaria.

Præterea, talis denunciatio non violat ſigillum, cùm ſit de ſpontanea & expreſſa pœnitentis licentia; nec eſt injurioſa complici, cùm per illam bonum ejus ſpirituale procuretur modo ſuaviſſimo, & tam parvo, quàm fieri poteſt, gravamine illius. Præterea, ſupponitur, 1. complicem non eſſe emendatum. 2. Pœnitentem non poſſe illum per ſe, vel per confeſſarium corrigere, & probabilem ſpem eſſe, quòd utilis illi futura ſit denunciatio facta ſuperiori ut patri.

Dixi, Ad denunciationem paternam: nam, ut docet Suarez num. citato, „ ad denunciationem judicialem nunquam poteſt per hanc viam procedi, quia forum illud publicum eſt, & longè diverſæ rationis, multaque in denuntiatore requiruntur, quæ per viam confeſſionis repugnant. Quando ergo tale eſt negotium, ut pœnitens teneatur denunciare judicialiter, cogendus eſt ut per ſe ipſum id faciat, quia oportet ut ipſe ſit judici notus, & ut publicam notitiam, quantùm poteſt, ei conferat: quamquam hæc obligatio rarò contingat in peccato complicis, quia nemo tenetur denunciare ſe ipſum; quod tamen moraliter loquendo faceret pœnitens, denunciando complicem.

Quæres ultimò, utrùm de expreſſa licentia pœnitentis poſſit etiam confeſſarius notitia peccati complicis ex confeſſione relicta uti ad procurandum bonum ſpirituale aliorum?

R. Notitia illa uti poſſe ad bonum ſpirituale aliorum procurandum, non per viam coactionis, aut exterioris gubernationis, ſed per viam conſilii, vel ſecretæ admonitionis, vel occaſionem peccandi removendo, ſive per ſe, ſive per alium, qui hoc præſtare poſſit abſque ſcandalo, & ſervatis omnibus circumſtantiis, quas prudentia requirit, nec manifeſtando perſonam complicis, niſi quatenùs & quantùm juſtè permiſit pœnitens, & neceſſarium eſt ad occultiſſimè impediendum ſpirituale detrimentum aliorum, cujus complex cauſa eſt.

Hæc reſponſio planè conſonat menti Suarez ſect. cit. num. 22. & 23. Ratio illius autem eſt, quia hic uſus non eſt contra ſigillum, cùm fiat ex juſta & ſpontanea licentia pœnitentis; nec eſt injurioſus complici, ſed potiùs favorabilis, quia detrimentum ſpirituale proximi, cujus eſt cauſa, impeditur cum tam parvo, quàm fieri poteſt, ejus gravamine.

Dixi autem, 1. Non per viam coactionis, aut exterioris gubernationis, quia, ut rectè obſervat Suarez num. 23. hæc via requirit notitiam magis exteriorem & publicam: unde confeſſarii omninò ſervare debent, quod Clemens VIII. ſtatuit pro Regularibus, in decreto ſupra citato, nimirùm ut caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Dixi 2. Ex juſta & ſpontanea, &c. Nam, ut rectè docet Suarez ſect. cit. nu. 6. licentia pœnitentis, cùm hic reſpiciat tertiam perſonam, nempe perſonam complicis, reſpectu illius juſta eſſe debet, quia non poteſt pœnitens pro ſuo arbitrio famam complicis prodigere. Quare ſi licentia à pœnitente injuſtè data eſt, confeſſarius illa utendo, graviter peccabit non ſolùm contra juſtitiam, ſed etiam contra religionem ſacramenti. Nam uti ſacramento, vel notitia in eo accepta, ad nocumentum injuſtum alteri inferendum, ſine dubio grave ſacrilegium eſt; imò tunc meritò cenſeri poterit ſigillum frangere, quia injuſta pœnitentis licentia nulla eſt, & conſequenter non magis dat confeſſario jus utendi notitia in confeſſione accepta, quàm ſi non eſſet data: ſicut etiam nulla eſſet, ſi non eſſet ſpontanea, ſed à confeſſario extorta, quamvis ab eo non extorqueretur ad injuſtum nocumentum complici inferendum, ſed ad procurandum complicis ipſius, vel pœnitentis, vel aliorum bonum ſpirituale, aut temporale honeſtum, ad quod notitia peccati complicis, in confeſſione accepta, eſſet medium conveniens: quare confeſſarius contra ſigillum peccaret, notitia ex illa non ſpontanea pœnitentis licentia utendo, quantumlibet uteretur ad finem convenientem.

DISPUTATIO XI.

De Pœnitentia publica.

ARTICULUS PRIMUS.

De ritu publicæ & ſolemnis pœnitentiæ in antiqua Eccleſia.

§. I.

De nomine pœnitentis & pœnitentiæ.

NOmine pœnitentium in antiqua Eccleſia intelligi ſolebant ii tantùm, qui publicam & ſolemnem pœnitentiam agebant. Patet ex Conc. Toletano I. can. 2. in quo dicitur: *Eum pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Patet etiam ex Auguſtino lib. de fide & operibus c. 26. in quo ſic ait: *Niſi eſſent quædam non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, &c.*

Similiter nomine pœnitentiæ ſimpliciter ſolebat intelligi publica & ſolemnis pœnitentia. Patet ex Siricio Papa epiſt. 1. ad Himerium, cap. 14. *Illud*, inquit, *nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipiſci.* Hic autem Siricius pœnitentiæ clericis non permiſſæ nomine, procul dubio intelligit publicam & ſolemnem pœnitentiam: nam privata clericis permittebatur, imò & aliqua publica, licèt non ſolemnis.

mnis, imponebatur illis pro gravibus & publicis criminibus. *Adverte.* Inter eos, qui publicam & ſolemnem pœnitentiam agebant, ii potiſſimùm pœnitentes dicebantur, qui verſabantur in tertio gradu pœnitentiæ, ſicut & tertius ille gradus ſpecialiter pœnitentia nominabatur. Ratio eſt, quia publicam agentes pœnitentiam, ita in ſingulis gradibus tenebantur magna doloris ſigna edere, multaſque humiliationes, & corporis afflictationes ſubire, ut ad id præcipuè tenerentur, cùm erant in tertio gradu. Patet ex Sozom. l. 7. hiſt. Eccl. c. 16. ubi loquens de publicis pœnitentibus exiſtentibus in tertio gradu, hæc ſcribit: *Illic* (in Eccleſia Romana, & aliis Occidentalibus Eccleſiis) *in propatulo eſt pœnitentium locus, in quo illi ſtant mœſti, ac veluti lugentes, peractiſque jam miſſarum ſolemnibus excluſi à communione ſacrorum, quæ initiatis præberi mos eſt, cum gemitu ac lamentis pronos ſe in terram abjiciunt; tum Epiſcopus cum lacrymis ex adverſo occurrens, pariter ipſe humi provolvitur, & univerſa Eccleſiæ multitudo ſimul confitens lacrymis perfunditur. Poſt hæc verò primus exurgit Epiſcopus, ac proſtratos erigit; factâque, ut decet, precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unuſquiſque ſua ſponte ſe macerans, aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abſtinentia, &c.*

§. II.

De ordine Pœnitentium.

Pœnitentes in veteri Eccleſia ſpecialem ordinem conſtituebant: nam, ut obſervat & probat Bellarmin. lib. 1. de pœnit. cap. 22. chriſtianæ religionis profeſſores olim dividebantur in catechumenos & fideles, velut in duos ordines generaliores. Catechumeni ſubdividebantur in Audientes, qui ſcilicet conciones audiebant, & volebant fieri Chriſtiani, ſed nondùm petierant baptiſmum; & Competentes, ſeu electos, qui baptiſmum petierant, ſuumque nomen dederant, & erant ab Eccleſia recepti, ut inſtruerentur, & ad baptiſmum præpararentur.

Fideles ſubdividebantur in Clericos, quo nomine comprehendebantur omnes ordines Eccleſiaſtici; laicos, quo nomine intelligebantur reliqui baptizati, exceptis illis, qui ob ſua crimina à reliquis ſeparati, & pœnitentes erant, qui etſi fideles eſſent, ob ſua crimina ſegregati, velut in ſentinam Eccleſiæ rejecti, tertium & infimum inter baptizatos ordinem conſtituebant. Addunt aliqui quartum ordinem Energumenorum, propter authoritatem Dionyſii Areopagitæ, lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. p. 3. ubi ait: *Cathechumenos autem, & energumenos, quique in pœnitentia ſunt; ſancta hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram pſalmorum modulationem, divinamque ſacrarum Scripturarum recitationem; ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda, non eos convocat.*

§. III.

De gradibus Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ publicæ & ſolemnis tertio & quarto ſæculo, quibus maximè viguit, quatuor fuerunt gradus. Primus erat eorum, qui ab ingreſſu Eccleſiæ prohibebantur, & præ foribus manebant proſtrati, cum lacrymis & gemitibus eos qui ingrediebantur, orantes ut pro ſe Deum deprecarentur. Secundus eorum, qui permittebantur Eccleſiam ingredi, ut verbum Dei audirent. Tertius eorum, quibus licebat, aliis ſecundi gradus ejectis, manere in templo, ut cum fletibus & ſuſpiriis, aliiſque doloris interni argumentis ſe proſternerent coram Epiſcopo, & Clero, qui manus illis imponebat, & pro illis orabat. Quartus denique, eorum qui admittebantur ad aſſiſtendum Miſſæ ſacrificio, ita tamen ut non admitterentur ad oblationem panis & vini, more fidelium illius temporis, neque ad Euchariſtiæ participationem, ſed tantùm ad communionem orationis. Omnibus autem & ſingulis, publicam & ſolemnem pœnitentiam agentibus, per hos quatuor gradus aſcendendum erat, ut poſſent Eccleſiæ reconciliari, & ad Euchariſticam communionem admitti.

Conſtant hæc omnia ex S. Baſilio in epiſt. 2. ad Amphilochium can. 22. ubi pœnitentiam publicam & ſolemnem fornicatoribus impoſitam deſcribit in hunc modum: *Ei autem qui mulierem vel vi vel clam à ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationis pœnas imponere. Eſt autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus ſupplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ; ſecundo autem, ad auditionem admitti; tertio, admitti ad pœnitentiam; quarto, ad congregationem cum populo, abſtinentes ab oblatione: deinde* (hoc eſt, poſt quartum annum) *eis permitti boni* (hoc eſt, Euchariſtiæ) *communionem.*

§. IV.

De impoſitionibus manuum, quæ fiebant in pœnitentia publica & ſolemni.

In pœnitentia publica & ſolemni triplex fuit manuum impoſitio. Prima erat, per quam graviorum & publicorum criminum rei ad publicam & ſolemnem pœnitentiam agendam admittebantur. De hac impoſitione loquitur S. Leo epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem cap. 2. verbis infra laudandis, & Concilium Agathenſe can. 15. ubi ait: *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à ſacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur.*

Secunda non una, ſed multiplex erat; ſæpiùs enim iterabatur, ac repetebatur ſuper pœnitentes, quamdiu verſabantur in tertio gradu. De hac manuum impoſitione loquitur Conc. Carthaginenſe IV. can. 80. quo ait: *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à ſacerdotibus imponatur.*

Tertia denique erat ea, quæ pœnitentes, omnibus ritè peractis, reconciliabantur Eccleſiæ; unde reconciliatoria manuum impoſitio nominabatur, ut patet ex Concilio Arauſicano I. can. 3. quo dicitur: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta,* (& nondùm completa) *placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari.* De eadem manuum impoſitione loquitur Concilium Carthaginenſe IV. can. 78. quo ait: *Pœnitentes qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.*

§. V.

Quamdiu durare debebat pœnitentia publica & ſolemnis, & ad quæ toto illo tempore obligabantur pœnitentes.

Primò, tempus pœnitentiæ publicæ ac ſolemnis non erat idem pro omnibus, ſed aliis longius, aliis verò brevius præſcribebatur pro merito criminum. Patet ex Conc. Carthaginenſi III. can. 31. quo dicitur: *Ut pœnitentibus ſecundum peccatorum differentiam, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Et ex Sozom. lib. 7. hiſt. Eccleſ. c. 16. ubi hæc habet, loquens de pœnitentibus publicis: *Privatim autem unuſquiſque ſua ſponte ſe macerans, aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abſtinentia, vel aliis quibus juſſus eſt modis tempus quantumcumque ipſi ab Epiſcopo conſtitutum eſt, expectat; ubi vero præſtitutus dies advenit, tanquam debito quodam perſoluto, à pœna commiſſi ſceleris liberatur, & reliquo Eccleſiæ populo ſociatur. Hæc Epiſcopi urbis Romæ jam inde ab ultima vetuſtate ad noſtram uſque ætatem cuſtodiunt.*

Secundò, toto illo tempore, quo pœnitentia publica & ſolemnis durabat, pœnitentes tenebantur primò abſtinere à communione Euchariſtica, ut patet ex S. Baſilio loco ſupra laudato, & ex S. Cypriano, ſermone de lapſis, ubi in eos, qui ante expletam pœnitentiam publicam & ſolemnem, ad quam tenebantur, ad communionem Euchariſticam admitti volebant, invehitur his verbis: *Ante exomologeſim*

factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, vis infertur corpori ejus & ſanguini, & plus modò in Deum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.

2. Ferre certum habitum, quo ab aliis diſtinguerentur, nempe pullam veſtem, & cilicium, cum detonſo capite, exceptis fœminis. Patet ex Concilio Agathenſi can. 15. in quo dicitur: *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à ſacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur: ſi autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur.*

3. Abſtinere à conviviis ac balneis, ſed jejuniis, orationi, aliiſque pietatis operibus aſſiduè vacare. Colligitur ex Paciano in paræneſi ad pœnitentiam, ubi enumerans ea, quibus operam dare debebant pœnitentes, ſic loquitur: *Flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi; ſi quis ad balneum vocet, recuſare delicias; ſi quis ad convivium roget, dicere: Iſta fœlicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire: quid mihi epulas, qui Dominum læſi? tenere præterea pauperum manus, &c.*

4. Cùm erant in tertio gradu, omni tempore jejunii venire in Eccleſiam, & caput ſubmittere ſacerdotibus, qui eis manus imponebant, & pro eis orabant, ut patet ex Conc. Carthaginenſi IV. can. 80. jam citato.

5. Mortuos ſepelire. Patet ex ejuſdem Concilii can. 81. *Mortuos pœnitentes Eccleſiæ afferant, & ſepeliant.*

6. Genua flectere, quando alii fideles ſtantes orabant, tempore paſchali, & diebus dominicis. Patet ex eodem Conc. can. 82. *Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.*

§. VI.

De uſu & miniſtro pœnitentiæ publicæ & ſolemnis.

1. POenitentia publica & ſolemnis ſemel tantùm in vita permittebatur, ut *prob.* ex ſancto Ambroſio lib. 2. de pœnitentia cap. 10. *Sicut unum baptiſma,* inquit, *ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur: nam quotidiani debet nos pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Et ex S. Auguſtino epiſt. 54. ad Macedonium, ubi ait: *Quamvis cautè ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis, minùs utilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minùs contemptibilis fuerit, &c.*

Quòd ſi qui, pœnitentia illa ſemel acta, iterùm in enormia & ſcandaloſa crimina laberentur, permittebantur, quamvis indigni, intereſſe orationi, & miſſæ ſacrificio, cum aliis fidelibus, ſed non ampliùs ad communionem Euchariſticam admittebantur, niſi in articulo mortis, ut conſtat ex Siricio Papa epiſt. 1. ad Himerium cap. 5. ubi de iis, qui acta pœnitentia publica, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos & volutabra redierunt, ſic ſtatuit: *Quia jam ſuffragium non habent pœnitendi* (hoc eſt, quia non poſſunt amplius ad ſolemnem pœnitentiam admitti) *id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur; ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; à dominica autem menſa convivio ſegregentur ... Quos tamen quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſublevari.* Hoc autem non ſolùm pro viris, ſed etiam pro fœminis ſtatuit; ſic enim proſequitur: *Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.*

2. Pœnitentia ſolemnis non ab alio imponebatur, quàm ab Epiſcopo, ut patet ex Conc. Carthaginenſi III. can. 31. ſupra relato. Similiter à ſolo Epiſcopo pœnitentes Eccleſiæ ſolemniter reconciliabantur, & communionem accipiebant poſt pœnitentiam impletam, ex Conc. Carth. II. can. 3. quo dicitur, *reconciliare quemquam in publica miſſa presbytero non licere.* In caſu tamen neceſſitatis pœnitentem publicum privatim reconciliare poterat presbyter, non tamen inconſulto Epiſcopo, niſi tunc abeſſet, & urgeret neceſſitas. Conſtat ex Conc. Carthaginenſi III. can. 32. quo dicitur: *Ut presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente.* An. 397.

§. VII.

De tempore quo pœnitentia publica imponi, & quo pœnitentes reconciliari ſolebant.

1. POenitentia publica ſolebat imponi in capite jejunii, hoc eſt, feria quarta Cinerum; ut probatur ex Concilio Agathenſi apud Gratianum diſt. 50. cap. *In capite* 64. in quo dicitur: *In capite quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, &c.* Inde porrò profluxiſſe videtur cæremonia, quæ ſervatur hactenùs, cineres eo die accipiendi.

2. Feria quinta majoris hebdomadæ, publici pœnitentes reconciliabantur in Eccleſia Romana. Patet ex Innocentio Papa epiſt. 1. ad Decentium cap. 7. ubi ait: *De pœnitentibus verò, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum, Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.*

Tunc tamen non omnes prorſus abſolvebantur, ſed illi tantùm, qui videbantur ſatisfeciſſe, cæteris dilatis, ut colligitur ex verbis ſubſequentibus; ſic enim proſequitur Pontifex: *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem.* Ex quibus verbis etiam intelligimus, eos, qui in capite jejunii pœnitentiam ſuſceperant, reconciliatos fuiſſe feria quinta majoris hebdomadæ ejuſdem quadrageſimæ, quando id conveniens judicabat Epiſcopus; vel quia leviora fuerant delicta, quibus proinde expiandis levior pœna ſufficere poterat; vel quia tantus fuerat pœnitentis dolor, ut per eum compenſatus eſſet luctus longior; vel denique, quia ea erat perſonæ conditio, ut ſufficiens videretur ſatisfactio ab ea tempore illo exhibita, nec deceret eam protrahi diutiùs; quòd confirmatur exemplo Fabiolæ matronæ Romanæ, cujus pœnitentiam deſcribit ſanctus Hieronymus epiſt. 30. ad Oceanum. Hæc vivente marito adultero, alteri nupſerat; ſed hoc ſecundo viro mortuo, ad ſe reverſa, pœnitentiæ publicæ ſeſe ſubmiſit, eamque, ut ſatis ſignificat ſanctus Hieronymus, unius quadrageſimæ ſpatio abſolvit.

Hunc morem reconciliandi pœnitentes in Cœna Domini, non fuiſſe omnium aliarum Eccleſiarum, innuit Innocentius, cum ait, fuiſſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem. Fuit tamen hic mos receptus in Eccleſia Gallicana, ut conſtat ex Concilio Cabilonenſi II. can. 47. quo dicitur: *In cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt, percipienda ſit, Eccleſiaſticus uſus demonſtrat; cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda Corporis & Sanguinis dominici ſacramenta reconciliat.* Sicut autem in Eccleſia Romana, ita & in Gallicana hæc reconciliatio non fiebat ſine abſolvendorum à non abſolvendis diſcretione, ut patet ex cap. 4. Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, ubi hæc decernit: *Ut tempore opportuno publica crimina ad notitiam Epiſcopi deducantur, maximeque in die magnæ Cœnæ reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi, per proprium presbyterum, vel per legatum ipſius, eumdemque presbyterum, cui cauſa ipſius criminis benè habeatur cognita, ad præſentiam Epiſcopi deferantur.*

§. VIII.

De inſtitutione & progreſſu pœnitentiæ publicæ ac ſolemnis.

RIgor diſciplinæ erga peccatores non ſemper idem fuit in Eccleſia: nam toto primo ſæculo, & ſecundo majori ex parte, quibuslibet peccatoribus quorumcumque criminum etiam extra articulum mortis datam fuiſſe abſolutionem patet ex Corinthio illo, qui cum novercam haberet concubinam, excommunicatus eſt ab Apoſtolo, 1. Cor. cap. 5. & poſtea emendatus, ab excommunicatione abſolutus eſt, & fidelibus aliis impensè commendatus, 2. Cor. cap. 2. Ex adoleſcente illo ob latrocinia & homicidia famoſo, quem, ut refert Euſebius lib. 3. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 23. Joannes Apoſtolus rupes inter & ſylvas conquiſitum, & lacrymis ac precibus ſuis converſum reduxit, atque brevi poſtea fidelium communioni reſtituit. Ex Cerdone hæreſiarcha, quem ſanctus Irænæus lib. 3. cap. 4. apertè ſignificat non ſemel apoſtaſiæ ſuæ veniam conſecutum eſſe. Denique ex Marcione, quem Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 30. teſtatur ſecundò ad pœnitentiam admiſſum eſſe, eique, modò quos corruperat ſecum reduceret, communionem & pacem promiſſam, ſed antequam id exequeretur, morte præventum fuiſſe, *Poſtmodum*, inquit, *Marcion pœnitentiam confeſſus, cum conditioni data ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſi cæteros quoque quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt*,

Poſt medium ſecundi ſæculi cum gravibus & publicis peccatoribus ſeveriùs agere cœpit Eccleſia, & tribus criminibus, ſi publica eſſent, homicidio ſcilicet, idololatriæ, & fornicationi omnem veniam negare extra articulum mortis, donec non multò poſt circa initium tertii ſæculi, hunc diſciplinæ rigorem Romæ temperavit Zephyrinus ſummus Pontifex, & veniam fornicatoribus, poſtquam convenienti pœnitentia perfuncti eſſent, indulſit, homicidis & idololatris ſine ſpe veniæ ut antea relictis, Patet ex Tertulliano lib. de pudicitia, ubi jam Montaniſta factus, in Zephyrini decretum invehitur, his
Cap. 1. verbis: *Audio etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium. Pontifex ſcilicet maximus Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum cui adſcribi non poterit bonum factum .... Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronunciatur, & virgo eſt, Abſit, abſit à ſponſa Chriſti tale præconium.* Et cap. 5. ſic idololatras & homicidas de remiſſione mœchis donata, & ſibi negata conquerentes, inducit his verbis: *Quid agis, molliſſima & humaniſſima diſciplina? aut omnibus eris hoc eſſe debebis: Beati enim pacifici; aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem & homicidam ſemel damnas, mœchum verò de medio excipis, idololatra ſucceſſorem, homicida anteceſſorem, utriuſque collegam! Perſonæ acceptatio eſt.*

Factum Zephyrini circa fornicatores non ſtatim imitatas eſſe Eccleſias omnes, ſalva nihilominus & integra pace, habemus ex Cypriano epiſt. 58. ad Antonianum, ubi hæc ſcribit: *Apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur, manente concordiæ vinculo, &c.*

Proximo à fornicatoribus loco, idololatris, juſta pœnitentia perfunctis, venia dari cœpit. Patet ex ſancto Cypriano, qui anno 250. Deciana perſecutione adhuc graſſante, in qua innumeri lapſi erant, & nonnullis lapſis ob eo immoderatius communionem
Epiſt. 58. petentibus, rem ſic temperavit, ut lapſis infirmis, & in periculo vitæ conſtitutis pax daretur, quamvis nondùm perfunctis juſta pœnitentia; reliqui verò ſani diſferentur, donec ceſſaſſet perſecutio, ut quid circa illos facto opus eſſet, definiri poſſet in Epiſcoporum concilio; quam Cypriani conſtitutionem Clerus Romanus ſede vacante approbavit. Extincta verò perſecutione, Cyprianus redux, Epiſcopos Carthagine coegit, & cum illis ſtatuit, *ut nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quòd ſibi Eccleſia cluderetur, ſecuti ſæculum, gentiliter viverent, nec tamen rurſum cenſura evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diu pœnitentia ... & examinarentur cauſæ & voluntates, & neceſſitates ſingulorum*, & tandem prolixa illa pœnitentia peracta, abſolverentur, & admitterentur ad communionem, etiam extra mortis articulum.

Hoc autem ſuum decretum Cyprianus Romam miſit ad Cornelium, quem recèns in Pontificem elegerat Clerus Romanus. Hic convocato Epiſcoporum concilio, Concilii Carthaginenſis ſtatutum approbavit, & in Eccleſia Romana obſervari præcepit, ut teſtatur ipſe Cyprianus, qui poſt verba modò laudata ſic proſequitur: *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis coepiſcopis habito concilio, in eamdem nobiſcum ſententiam pari gravitate & ſalubri moderatione conſenſit.* Epiſt. 52.

De homicidis denique quandonam admitti cœperint ante articulum mortis, incertum eſt. Solùm ex Ancyrano Concilio anno 314. celebrato, duos canones habemus, nempe 21. & 22. quorum primo ſic ſtatuit circa homicidium voluntarium: *Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittant, perfectionem verò circa vitæ exitum conſequantur.* Et ſecundo, circa involuntarium: *De homicidiis non ſponte commiſſis prior quidem definitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcipit; ſecunda verò quinquennii tempus explere. Modus autem hujus pœnitentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, ut ſecundùm converſationem pœnitentium poſſint & extendere tardantibus, & minuere ſtudioſe feſtinantibus.* Ex quibus apparet voluntarios homicidas ſaltem ab anno 314. communionem Euchariſticam cum ſacramentali abſolutione ſub vitæ finem accepiſſe, ſi modò priùs juſta pœnitentia perfuncti eſſent; hoc enim eſt perfectionem conſequi, in ſenſu Synodi Ancyranæ. Et quantùm attinet ad illos, qui non conſultò, ſed caſu homicidium fecerant, eos multò ante non ſolùm ſacramentaliter abſolutos, ſed etiam Euchariſtica communione donatos poſt quinquennem aut ſeptennem pœnitentiam.

Dixi ſupra, Extra articulum mortis: nam horum criminum, idololatriæ ſcilicet, fornicationis & homicidii reos abſolutione ſacramentali non fuiſſe in articulo mortis privatos illis etiam temporibus, quibus duriores, gravioreſque fuerunt leges pœnitentiæ, ſed tantùm uſque ad articulum illum dilatos, & in perpetuum à communione Euchariſtica rejectos, ſatis apertè colligitur ex Innocentio Papa epiſt. 3. ad Exuperium cap. 2. ubi quærenti quid faciendum eſſet homini, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus deditus, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſceret, ſic reſpondet: *De iis obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt: nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur: nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt; conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio: ſed poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis ..... Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, &c.*

Pondera hæc verba, *Duriorem remiſſionem fecit* tem-

temporis ratio. Innocentius non dicit, nullam temporibus illis quibus crebræ perſecutiones erant, fuiſſe remiſſionem datam lapſis, ſed, quod longè aliud eſt, dicit tantùm duriorem fuiſſe remiſſionem. Itaque teſte Innocentio, fuit aliqua remiſſio facta lapſis, quia etiamſi in extremis tantùm pœnitentiam & reconciliationem expoſcerent, abſolvebantur ſacramentaliter; ſed hæc remiſſio durior erat, quia quantumvis ad ſatisfaciendum paratis, & ſacramentaliter abſolutis, negabatur Euchariſtica communio; ne, ut ait Pontifex, hujus communionis conceſſa facilitas, homines de reconciliatione, perfecta ſcilicet, qua pœnitentes non ſolùm Deo, ſed etiam altario reconciliabantur, ſecuros, non revocaret à lapſu; quare cùm ſuperiùs dicit Innocentius: *Conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur*, nomine pœnitentiæ intelligit vel ipſum ſacramentum totum, vel, quod eodem redit, partem illius integralem, nempe ſatisfactionem; ita ut verborum illorum hic ſaltem ſenſus ſit: Conſuetudo prior tenuit, ut lapſis in extremo tantùm fine vitæ ſuæ pœnitentiam & reconciliationem expoſcentibus, imponeretur juſta ſatisfactio pro confeſſis criminibus; & ut neceſſariò ſupplendum eſt, hac ſatisfactiona acceptata, urgente mortis periculo ſacramentaliter abſolverentur: ſatisfactio enim cùm ſit pars integralis ſacramenti pœnitentiæ, pro criminibus confeſſis nunquam à ſacerdotibus impoſita fuit, niſi aut præmiſſa abſolutione ſacramentali, aut in ordine ad illam poſtea dandam pœnitenti diſpoſito.

Denique cùm addit Innocentius: *Poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo, communionem dari abeuntibus placuit, &c.* nomine communionis non qualemcumque, ſed Euchariſticam communionem certo certiùs intelligit; manifeſtè enim hæc verba referuntur ad tempora Conſtantini Magni, & ad Nicænum Concilium, in quo Patres can. 13. præcipiunt, ut generaliter omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi Euchariſticæ communionis gratiam tribui, Epiſcopus cognita diſpoſitione pœnitentis Euchariſtiam adminiſtret per ſe ſcilicet, vel per alium: unde cùm Innocentius ſubjicit. *Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio*, ſenſus verborum eſt: Gravibus peccatoribus, vel in extremo tantùm fine vitæ ſuæ pœnitentibus, tribuitur non ſolùm abſolutio ſacramentalis, ſed etiam Euchariſtica communio, *ut homines hujuſmodi*, inquit, Pontifex, *vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur*.

Accedit, 1. Authoritas Cæleſtini in epiſt. 2. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis & Narbonenſis cap. 2. ubi ſacerdotes, graviſſimis etiam peccatoribus in vitæ tantùm exitu pœnitentibus abſolutionem denegantes, dicit eſſe crudeles animarum homicidas: nam quis in animum ſuum inducet ejuſmodi homicidia animarum in Eccleſia Dei unquam præcepta vel approbata fuiſſe? 2. Authoritas Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ait, piè admodùm ſemper in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe, ut nulla eſſet reſervatio caſuum in articulo mortis; ne quis occaſione hujus reſervationis pereat; atque ideò ſacerdotes omnes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſe; nam manifeſtè ſupplendum eſt, & abſolvere ſemper potuiſſe. Quare evidens eſt, vel hic Synodum œcumenicam errare, vel falſum eſſe quod aliqui dicunt, aliquando certis peccatoribus ob certa crimina etiam in articulo mortis ſacramentalem abſolutionem, quantumlibet tunc pœnitentibus, datam non eſſe, & ne daretur, lege eccleſiaſtica fuiſſe prohibitum. Sed ut ad propoſitum noſtrum redeamus,

Sic tandem trium prædictorum criminum, idololatriæ ſcilicet, fornicationis & homicidii reis, cum abſolutiona ſacramentali communionem eucharisticam indulſit Eccleſia extra mortis articulum, ut tamen diu nonniſi ſemel indulſerit: ita ut qui in crimina illa reciderent, non abſolverentur ampliùs, nec Euchariſtiam reciperent, niſi in exitu vitæ; ut patet ex Siricio Papa, epiſt. 1. cap. 5. verbis ſupra relatis, & ratio manifeſtè convincit; quia prædictorum criminum rei non abſolvebantur, niſi poſt pœnitentiam publicam ritè peractam: unde cùm pœnitentia publica ſemel tantùm in vita concederetur, reliquum erat, ut recidivi vel nunquam ampliùs abſolverentur, vel non abſolverentur niſi in vitæ exitu. Abſolvebantur itaque, & communionem Euchariſticam recipiebant, ſed in fine vitæ tantùm.

Hanc porrò abſolutionis & euchariſticæ communionis denegationem extra mortis articulum, aliis etiam delictis poſt tertium ſæculum impoſitam fuiſſe, docent canones Synodorum particularium. Imò poſt initia quarti ſæculi, Concilium Arelatenſe I. can. 22. cenſuit Euchariſtiam non eſſe dandam apoſtatis, qui pœnitentiam tantùm in extremo vitæ peterent; & Eliberitanum Concilium, ut ex multis ejus canonibus conſtat, nequidem in fine vitæ communionem euchariſticam dari decrevit, non ſolùm iis, qui prædictorum trium criminum, ſed etiam aliis qui aliorum certorum delictorum rei eſſent. At aliquantò poſt, Nycæna Synodus ſubſecuta, erga graves peccatores benignior, ſanxit can. 13. ne cuiquam in exitu vitæ poſito, Euchariſtiam petenti, & ritè diſpoſito, denegaretur; quamquam decretum hoc non fuerit ſtatim ubique receptum: Pacianus enim Epiſcopus Barſinonenſis, qui circa annum 360. florebat, videtur in ſua paræneſi ad pœnitentiam apertè ſignificare ſua adhuc ætate in Eccleſia Barſinonenſi idololatras, fornicatores & homicidas fuiſſe in perpetuum rejectos à communione euchariſtica, nec niſi in extremis ſacramentalem abſolutionem accepiſſe: ſic enim videtur intelligendus, cùm de præfatis criminibus duriùs loquens, videtur eis omnem veniæ ſpem adimere.

§. IX.

Quam formam habuerit pœnitentia publica prioribus Eccleſiæ ſæculis.

QUænam primo & ſecundo ſæculo fuerit forma pœnitentiæ publicæ non apparet, propter penuriam authorum, qui temporibus illis ſcripſerint: ſed, quod certum eſt, tertio ſaltem ſæculo, & ſequenti, leges illi præſcriptæ fuerunt, tempus definitum, & gradus diſtincti. Patet pro ſæculo tertio ex epiſt. canonica Gregorii Neocæſarienſis, qui florebat circa annum 233. & can. 11. pœnitentiæ publicæ gradus vel inſtituit, vel jam antea inſtitutos deſcribit his verbis: *Fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur: auditio eſt intra portam in porticu, ubi oportet eum qui peccavit, ſtare uſque ad catechumenos, & illinc egredi ... Subjectio autem ſeu ſubſtractio eſt, ut intra templi portam ſtans, cum catechumenis egrediatur. Congregatio ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum catechumenis non egrediatur. Poſtremò eſt participatio ſacramentorum.*

Pro quarto autem ſæculo habemus epiſtolas canonicas Baſilii ad Amphilochium; pro ſequentibus verò, canones multarum Synodorum: nec eadem ubique præſcripta fuerunt, ſed varia pro variis locis, temporibus, & neceſſitatibus Eccleſiarum, variaque epiſcoporum, vel ad ſeveritatem, vel ad indulgentiam propenſione, donec pœnitentia publica quarto ad finem vergente ſæculo à Nectario abolita eſt Conſtantinopoli, pleriſque ſaltem Orientalibus Eccleſiis Nectarii factum imitantibus, dum adhuc per multas annorum centurias pœnitentiæ publicæ uſus in Occidentali Eccleſia perſeverat.

§. X.

De pœnis pœnitentium, eorum ſcilicet, qui pœnitentiam publicam ac ſolemnem ex præcepto agebant.

PRima & graviſſima erat privatio communionis euchariſticæ, donec juſta pœnitentia perfuncti eſſent, & Eccleſiæ reconciliati. Patet ex Baſilio loco ſupra citato.

Secunda, privatio unctionis infirmorum, ita ut graviter decumbentibus ante peractam pœnitentiam, non adminiſtraretur ſacramentum extremæ-unctionis, ut patet ex Innocentio Papa epiſt. 1. ad Decentium cap. 8. ubi ait: *Pœnitentibus iſtud* (chriſma infirmorum) *infundi non poteſt: quia genus eſt ſacramenti: nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Quòd ſi tamen ingraveſcente morbo, in proximo mortis periculo verſarentur, ſicut abſolutionem ſacramentalem & Euchariſtiam, ita & extremam unctionem, licèt nondùm impleta pœnitentia, accipiebant.

Tertia erat etiam, poſt actam pœnitentiam militiæ ſæculari nomen dare non poſſe. Patet ex Leone Magno epiſt. 92. ad Ruſticum cap. 10. ubi ait: *Contrarium eſt omnino eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem: cum Apoſtolus dicat*: Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus: *Unde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.* Patet etiam ex Siricio epiſt. 1. ad Himerium cap. 5. verbis infra laudandis.

Quarta erat, non poſſe eſſe ſuſceptores in Baptiſmo & Confirmatione ante canonicam reconciliationem. Patet ex Concilio Pariſienſi VI. lib. 1. cap. ultimo, ubi dicitur: *Illos tamen in hoc capitulo ſpecialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum ſuum publica ſunt pœnitentia mulctati, videlicet ut nec alios de ſacri fontis baptiſmate ſuſcipiant, nec etiam ad percipiendum ſancti Spiritus donum, aliorum patroni coram Pontificibus exiſtant, donec per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem reconciliationem mereantur.* An. 829.

Quinta erat, irregularitas: nam qui pœnitentiam publicam ac ſolemnem egerant, nunquam poſtea poterant promoveri ad clerum, ut patet, 1. ex Siricio epiſt. 1. ad Himerium cap. 14. ubi ait: *Poſt pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipiſci.* 2. Ex Concilio Carthaginenſi IV. can. 68. quo dicitur: *Ex pœnitentibus, quamvis ſit bonus, clericus non ordinetur: ſi per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit, deponatur à clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem: ſi autem ſciens Epiſcopus ordinaverit talem, etiam ab epiſcopatus ſui ordinandi duntaxat poteſtate privetur.* En Epiſcopus à munere ordinandi ſuſpendebatur, ſi ſcienter hominem pœnitentia publica perfunctum ordinaſſet. 3. Ex Innocentio epiſt. 6. ad Agapitum, in qua quemdam Modeſtum nomine, poſt actam pœnitentiam publicam clericum effectum, jubet à clericatus officio removeri.

Excipi debet caſus neceſſitatis, in quo qui pœnitentiam publicam egerant, fieri poterant Oſtiarii, vel Lectores. Patet ex Concilio Toletano I. can. 2. in quo dicitur: *Placuit ut pœnitentes non admittantur ad clerum, niſi tantum ſi neceſſitas aut uſus exegerit, & tunc inter Oſtiarios deputentur, vel inter Lectores, ita ut Evangelia & Apoſtolum non legant.*

Nec dic, Concilium Toletanum I. & Carthaginenſe IV. nomine pœnitentis, eum intelligere, qui actu pœnitentiam publicam agebat, non eum qui egerat: hoc enim falſum eſſe manifeſtum eſt ex canone proximè citato, ubi hæc Toletanum ſubjicit: *Cùm verò pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.*

Porrò qui ex obligatione pœnitentiam publicam agebant, fiebant irregulares propter publicam ſui infamationem; tenebantur enim ad peccata illa pro quibus agebant pœnitentiam, publicè confitenda, & re ipſa publicè confitebantur coram cœtu fidelium, ut conſtat ex Tertulliano lib. de pœnitentia: unde qui pro delictis occultis pœnitentiam publicam agebant ex voluntaria devotione, quia non tenebantur ad publicam confeſſionem peccatorum, ut conſtat ex ſancto Leone epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ, irregularitatem illam non incurrebant, niſi tamen voluntaria peccatorum evulgatione ſe ipſi infamaſſent.

Patet ex Concilio Toletano IV. can. 54. quo dicitur: *Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt* (ex voluntaria devotione) *nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſi revaluerint, poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus eccleſiaſticos pervenire: qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe, publicè fateantur, ad clerum, vel ad honores eccleſiaſticos pervenire nullatenùs poterunt, quia ſe confeſſione propria notaverunt.* An. 633.

Ultima pœna erat, ut neque ante, neque poſt peractam pœnitentiam publicam, matrimonium contrahere poſſent ſed tenerentur innupti manere reliquo vitæ tempore, ut prob. 1. ex Siricio epiſt. 1. ad Himerium cap. 5. ubi ait: *De his verò non incongruè dilectio tua apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetiverè concubitus, quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt.* Ex quibus verbis apparet pœnitentes etiam poſt actam pœnitentiam, & obtentam reconciliationem, non potuiſſe ad militiam ſæcularem accedere, nec matrimonium contrahere, nec uti matrimonio priùs contracto; quod ſignificat Pontifex, dicendo, tales denuò appetiviſſe inhibitos concubitus: perinde enim eſt, ac ſi diceret, tales contra legem eccleſiaſticam rediiſſe ad uxores, de quarum ſcilicet conſenſu pœnitentiæ publicæ ſeſe ſubmiſerant.

2. Ex Concilio Arelatenſi II. can. 21. quo dicitur: *Pœnitens quæcumque defuncto viro alii nubere præſumpſerit ... cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arceatur: hoc etiam de viro in pœnitentia poſito placuit obſervari.* Hìc autem Concilium, nomine pœnitentis fœminæ, intelligit eam, quæ pœnitentia publica perfuncta eſt, ut patet ex dictis ſupra de Concilio Carthaginenſi IV. & Toletano I. Hinc conjugatis pœnitentia publica non permittebatur, niſi de conſenſu compartis, ut patet ex Concilii Arelatenſis II. can. 23. quo dicitur: *Pœnitentiam conjugatis nonniſi ex conſenſu dandam:* hinc etiam difficilè permittebatur juvenibus pœnitentia publica. Patet ex Concilio Agathenſi can. 15. in quo dicitur: *Juvenibus etiam pœnitentia non facilè committenda eſt, propter ætatis fragilitatem.* An. 452.

Interdùm tamen adoleſcentibus poſt pœnitentiam publicam actam matrimonium contrahere permittebatur, ut patet ex ſancto Leone epiſt. 92. cap. 11. *In adoleſcentia conſtitutus*, inquit, *ſi urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter conjugem nullam omninò cognoverit; in quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus: nam ſecundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeverans & mentis & corporis.*

§. XI.

Clericos majores, Epiſcopos ſcilicet, Presbyteros, & Diaconos pœnitentiæ publicæ ac ſolemni obnoxios non fuiſſe ſaltem poſt tertium ſæculum.

PRob. 1. Ex Siricio epiſt. 1. ad Himer. cap. 14. ubi ait: *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum.* 2. Ex Conc. Carth. V. can. 11. in quo dicitur: *Item confirmatum eſt, ut ſi quando presbyter, vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos à miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.* 3. Ex S. Leone epiſt. 92. cap. 2. ubi ait: *Alienum eſt à conſuetudine eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore aut diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi ... Unde* An. 398.

hu-

hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. Sed

Nota. Hìc loquimur de pœnitentia publica, quæ imponebatur pro graviſſimis & ſcandaloſis criminibus, & in qua cogebantur pœnitentes coram cœtu fidelium publicè confiteri crimina illa, pro quibus agebant pœnitentiam; quod ſine plurimorum offenſione, & ſalvo clericali honore facere non potuiſſent clerici majores; unde illos tali pœnitentiæ obnoxios eſſe, etiam eo caſu quo de graviſſimis delictis convicti eſſent, ſapienter noluit Eccleſia.

Itaque non loquimur de pœnitentia quocumque modo publica: nam majoribus clericis pro gravioribus & ſcandaloſis criminibus imperatam fuiſſe pœnitentiam aliquo ſenſu publicam, conſtat ex variis canonibus, quibus clericis ſcandaloſis ſtatuuntur graves pœnitensiæ, quæ fideles latere non poterant, nec debebant, ut quòd ſacerdotes, qui ſigillum confeſſionis violaverint, detrudantur in monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam; quòd ſacerdos cum filia ſpirituali fornicatus, ob malum exemplum hominibus datum deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, &c.

Præterea majores clerici pro peccatis occultis pœnitentiam publicam & ſolemnem, ſed ſine publica peccatorum confeſſione agere poterant ex volunta-
An. 441. ria devotione, ut conſtat ex Concilio Arauſicano I. can. 4. quo dicitur, *Pœnitentiam deſiderantibus*
An. 683. *clericis non negandam.* Et ex Concilio Toletano XIII. can. 10. in quo dicitur: *Hæc ſancta Synodus definivit, ut ſtante priſcorum canonum ſanctione, quicumque Pontificum vel ſacerdotum deinceps per manus impoſitionem pœnitentiæ donum exceperint, nec ſe mortalium criminum profeſſione notaverint, tenorem retinendi regiminis non omittant, ſed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more ſuſcepta, ſolita compleant ordinis ſui officia, vel cætera myſteriorum ſibi credita ſacramenta.*

Dixi, Saltem poſt tertium ſæculum: nam quòd tertio ſæculo clericis majoribus ob idololatriæ crimen depoſitis, & in ordinem laicalem ſine reſtitutionis ſpe redactis, publica ac ſolemnis pœnitentia impoſita fuerit, qua perfuncti, laicalem tantùm communionem conſequerentur, videtur probari ex S. Cypriano, & quidem pro Epiſcopis, ex epiſt. 35. ad Felicem presbyterum, in qua ſic loquitur ſanctus Martyr: *Cùm ... Baſilides & Martialis nefandæ idololatriæ libello contaminati ſint, Baſilides inſuper adhuc præter libelli maculam cùm in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemaverit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit, & Epiſcopatum pro conſcientia ſua vulnere ſponte deponens, ad agendam pœnitentiam converſus ſit; Deum deprecans, & ſatis gratulans ſi ſibi vel laico communicare contingeret; Martialis quoque ... obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit ... fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur ... maximè cùm jam pridem nobiſcum & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius ... decreverit hujuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.*

Et pro presbyteris ex epiſt. 36. ad Fidum, in qua S. Cyprianus ſic loquitur: *Legimus litteras tuas ... quibus ſignificaſti de Victore quondam presbytero, quòd ei antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius collega noſter immaturo tempore, & præpropera feſtinatione pacem dederit; quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe à decreti noſtri authoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur.*

Idem etiam pro diaconis colligitur ex Concilio Eliberitano, anno 305. celebrato, canone 78. ſic ſtatuente: *Si quis diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit* (hoc eſt, & poſtea fuerit detectus in crimen aliquod capitale, idololatriæ ſcilicet, vel fornicationis, aut homicidii incidiſſe ante ordinationem ſuam) *ſi ſponte fuerit confeſſus* (in foro externo) *placuit eum acta legitima pœnitentia poſt triennium accipere communionem. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.*

Morem autem hunc clericos majores lapſos mulctandi pœnitentia publica ac ſolemni, ceſſaſſe in Africa non multò poſt Cypriani tempora, probat Optati authoritas lib. 2. contra Parmenianum, ubi ſub finem acriter invehitur in Donatiſtas, eò quòd Epiſcopos, qui relicto Donati ſchiſmate, ad catholicam unitatem redierant, cogerent ad pœnitentiam ſolemnem agendam, qua pœna nequidem Epiſcopi illi, qui in Diocletiani perſecutione ceciderant, & idolis ſacrificaverant, fuerant mulctati. *Multis*, inquit, *notum eſt & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos, inertia à confeſſione Dei delapſos, thurificaſſe, & tamen nullus eorum qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod à nullo factum eſt poſt thurificationem* (& hoc faciendo, innocentes Epiſcopos degradatis, & ad ſtatum laicalem redigitis, ſicque efficitis miſerrimos) *nam quæ major infælicitas, quàm Dei ſacerdotes vivere, nec eſſe* (ampliùs) *quod fuerant?*

ARTICULUS II.

Utrùm in antiqua Eccleſia pro mortalibus pœnitentia publica ac ſolemnis agenda fuerit.

RESPONSIO I.

NUnquam in antiqua Eccleſia, pœnitentia publica ac ſolemnis in præcepto fuit pro mortalibus omnibus, ſed pro aliquibus tantùm.

§. I.

Probatur aſſertio authoritate Patrum tertii & quarti ſæculi.

1. TErtullianus & Cyprianus agentes de pœnitentia publica, ei tantùm tria crimina ſubjiciunt, nempe idololatriam, homicidium & fornicationem. Et Gregorius Neocæſarienſis in epiſt. ſua canonica jam citata, tribus illis criminibus addit tantùm furtum, non qualecumque etiam mortale, ſed in concives ex barbarorum incurſione afflictos & fugitivos admiſſum, quæ circumſtantia furti gravitatem multùm augebat, & graviſſima pœna dignum efficiebat.

Dices. Patres illi ideò trium illorum tantùm delictorum, idololatriæ, homicidii & fornicationis meminerunt, cùm agunt de pœnitentia publica, quia capitalia ſunt, & ad ea tanquam ad ſpecies generaliores cætera omnia mortalia reducuntur. *Reſp.* manifeſtè falſum & abſurdum eſſe, quòd mortalia omnia reducantur ad aliquam ex tribus illis ſpeciebus: Nam quæro ad quam ex illis reduci poſſit ebrietas v. g. aut furtum unius vel duorum aureorum, &c. Certè adverſarios ſic reſpondentes, & talem abſurditatem Patribus gratis affingentes, meritò remitteremus ad catechiſmos, quibus pueri docentur ſeptem eſſe capitalia peccata, ad quæ reliqua omnia, tam venialia quàm mortalia reducuntur.

At inquies. Si Patres laudati ſub idololatria, homicidio & fornicatione non comprehendunt cætera omnia mortalia, ex eis probari non poteſt mortalia alia caſtigari debere per ſatisfactionem aliquam ſacramentalem. Abſurdum conſequens. Ergo, &c. *R.* neg. min. Quaſi verò neceſſe ſit, pœnitentiam ſecretam pro mortalibus minoribus ex Patribus illis probari. Præterea, contendimus Cyprianum, ſermone de lapſis, ad confeſſionem & pœnitentiam ſecretam adhortari fideles, cùm ait: *Confiteantur ſinguli, quaſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc*

qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt, &c.

2. Origenes homilia 15. in Leviticum ſic loquitur: *Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali ... ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat, hoc eſt, vendidiſſe* (diabolo) *domum, quæ in agro eſt ... Hæc ergo venditio hujuſmodi culpæ ſemper reparari poteſt, nec aliquando tibi interdicitur de commiſſis ejuſmodi pœnitudinem gerere: id gravioribus enim criminibus ſemel tantùm vel rarò pœnitentiæ conceditur locus: iſta verò communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.* Hic Origenes, 1. culpas mortales, quibus domum noſtram ſpiritualem diabolo vendidamus, diſtinguit in eas, quæ ſunt crimina mortalia, & eas quæ quamvis mortales ſint, mortalia tamen crimina non ſunt. 2. Dicit de his toties pœnitentiam geri poſſe, quoties admittuntur, hoc eſt, peccatorem de eis toties abſolvi poſſe ſacramentaliter, quoties illas admittit; quia nimirùm de illis agenda tantùm erat pœnitentia ſecreta, quæ fidelibus concedebatur toties, quoties in ejuſmodi culpas erant lapſi; cùm è contra pro culpis aliis, quæ erant crimina mortalia, ſemel tantùm in vita peccatori pateret locus pœnitentiæ, quia expiari non poterant niſi per pœnitentiam publicam ac ſolemnem, quæ ſemel tantùm in vita concedebatur. Falſum igitur eſt ex Origene, quòd ſæculo tertio pœnitentia publica ac ſolemnis imponeretur pro omnibus omninò mortalibus; ſed pro aliquibus tantùm gravioribus, quæ crimina mortalia appellat, imponebatur; reliqua verò, quæ minora erant, expiabantur per pœnitentiam privatam.

3. Gregorius Nyſſenus, qui circa annum 380. floruit, in epiſtola canonica ad Letoium disertè aſſerit multa fuiſſe mortalia, quibus nulla pœna canonica à Patribus impoſita fuerat; pro quibus proinde pœnitentia publica tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, & toto ferè ſæculo quarto nunquam fuerat injuncta: ſic enim loquitur cap. 4. *Cùm multa ſint, quæ per iram fiunt peccata, & omnia mala, placuit noſtris Patribus, in aliis quidem non nimium accuratè agere, nec plurimum in eo ſtudii ponere, ut omnia, quæ ex ira naſcerentur delicta, curarent; quamvis Scriptura non ſolum vulnus prohibeat, ſed etiam omne convicium, vel maledictum, & ſi quid aliud ejuſmodi ira efficit, ſed adverſus unum cædis crimen pœnarum cautionem providerunt.* Teſte Nyſſeno, ex omnibus delictis, quæ ex ira naſci poſſunt, & quorum multa mortalia ſunt, ut maledictum, & grave convicium, ſolum homicidium Patres omnes, qui eum anteceſſerant, pœnis canonicis affecerunt, adeoque & ſolum pœnitentiæ publicæ ſubjecerunt.

Idem planè teſtatur de avaritia, ſeu de immoderato diteſcendi affectu, exterius prodente ſe per actus, quorum plerique graviter mali ſunt: nam ſic ait cap. 5. *Altera idololatriæ ſpecies, ſic enim divinus Apoſtolus avaritiam appellat: neſcio quo modo abſque ulla pœna medela à Patribus prætermiſſa eſt .... Divinus Apoſtolus eam* (avaritiam) *omnium malorum radicem pronunciavit, & tamen hæc morbi ſpecies, nec conſiderata nec ullo remedio curata, ſed omninò prætermiſſa eſt ...*

Inferiùs eodem capite, poſtquam dixit, prædones homicidarum pœnis ſubjiciendos eſſe, atque adeò ad pœnitentiam publicam cogendos, addit fures, ſeu eos, qui res alienas clanculùm ſurripuerunt, non ad pœnitentiam publicam cogendos, ſed ad largiendas eleemoſynas, ſi poſſunt de ſuo; ſi verò non poſſunt, ad corporalem laborem. *Prædo*, inquit, *homicidii opem adhibet ad propoſitum obtinendum, ad hoc ipſum ſe comparans & armis, & numeroſa manu, & opportunitate locorum; adeò ut is homicidarum judicio ſubjiciatur, ſi per pœnitentiam ad Dei Eccleſiam revertatur. Qui autem occulta ſubtractione ſibi alienum uſurpat, ac deinde per confeſſionem peccatum ſuum ſacerdoti aperit, ſtudio quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit, res ſuas largiendo pauperibus ... ſin autem nihil aliud niſi corpus habeat, jubet Apoſtolus per corporalem laborem ei morbo fieri medicinam.*

Itaque Nyſſeni tempore, ſi quis, re aliena furtim ſublata, poſtea facti pœnitens, ſacerdotem adibat, eique in pœnitentiæ tribunali delictum ſuum confitebatur, quid pro curatione delicti, ſeu convenienti pro eo ſatisfactione Deo læſo exhibenda, præter rei ablatæ reſtitutionem præſcribere debebat ſacerdos? Eleemoſynas, ſi quam reus de ſuo largiendi facultatem haberet. Debebatne ſacerdos reis injungere ſatisfactionem publicam? Minimè. Quam ergo? Privatam & ſecretam; ſiquidem publicæ non fures, ſed prædones erant obnoxii. Ex hoc igitur Nyſſeni textu, qui vel ſolus ad vincendum nobis ſufficeret, manifeſtè habemus, prioribus Eccleſiæ ſæculis non omnia mortalia, ſed ſolùm aliqua, quæ graviora eſſent & publica, mulctata fuiſſe publica pœnitentia; alia verò, quæ vel minora erant, vel ſecreta, per privatam & ſecretam pœnitentiam curata fuiſſe: quòd enim hæc non aliter caſtigata fuerint, quàm furtum mortale caſtigandum eſſe docet Nyſſenus, ambigendi nulla prorſus ratio afferri poteſt.

4. Sanctus Baſilius epiſt. 2. ad Amphilochium can. 30. disertè aſſerit, ante ætatem ſuam nullas fuiſſe pœnas canonicas pro violenta abductione, ſeu pro raptu virginum, vel viduarum. *De his*, inquit, *qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut ipſi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis ſint extra orationes.* Virginum igitur, aut viduarum raptores, & ii qui opem illis ferebant, aut conſilium dabant, ab omni pœna canonica immunes erant, adeoque peccatum ſuum confeſſi, ad agendam pœnitentiam publicam non obligabantur ante Baſilii tempora. Porrò raptorem, pœnitentiæ publicæ non ſubjicit Baſilius, niſi quia virginem vel viduam violenter abducit; nam ſi abducat conſentientem, etiamſi virgo ſit, & ſub poteſtate parentum, eum, licèt proculdubio abducendo peccarit mortaliter, ab omni pœna canonica eximit, modò mulierem, antequam eam abduceret, non corruperit: nam ſic proſequitur: *Quod autem violenter non fit, nulli eſt pœnæ obnoxium, quando nec ſtuprum, nec furtum* (hoc eſt, furtivus concubitus) *rem præceſſerit.* *Nota*. Stuprum in virginem, furtivus verò concubitus in quamlibet aliam non virginem, ſed liberam, admittitur.

Et can. 14. ſic loquitur: *Qui uſuras accipit, ſi injuſtum lucrum in pauperes conſumere voluerit, & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, ad ſacerdotium admitti poteſt.* Ex his autem verbis manifeſtè ſequitur, uſurarios pœnitentes pœnis canonicis obnoxios non fuiſſe, & ſine pœnitentia publica ſacramentaliter abſolutos fuiſſe, ac Deo & Eccleſiæ reconciliatos: nam ſi nonniſi acta pœnitentia publica abſolutionem conſequi potuiſſent, eam conſequi non potuiſſent ſine pœna irregularitatis, proindeque quantumlibet correcti & abſoluti, non potuiſſent promoveri ad ſacerdotium.

Can. 34. ſic loquitur: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque* (privatim) *convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus; eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Mulieribus itaque in adulterium lapſis, & crimen ſuum ſponte confeſſis, aut de eo privatim convictis, non imponebatur pœnitentia publica, quia illam agere non poterant ſine vitæ periculo; quod manifeſtum ſignum eſt, tunc temporis pœnitentiam publicam injunctam non fuiſſe, niſi pro graviſſimis quibuſdam delictis: nam ſi, ut volunt adverſarii, tunc temporis pro omnibus omninò mortalibus etiam merè internis injungebatur pœnitentia publica, ſine obligatione tamen publicè confitendi mortalia pro quibus agebatur illa pœnitentia, proculdubio mulieres adulteræ, pro adulterio admiſſo pœnitentiam publicam agentes, nullum vitæ periculum incurriſſent.

Deni-

Denique S. Baſilius pœnitentiæ publicæ non ſubjicit alios præter idololatras, fornicatores, & homicidas, quàm mulieres fœtum etiam nondùm formatum corrumpentes, can. 2. digamos cum trigamis, & aliis qui ulteriores nuptias contrahunt, can. 4. mulieres, quæ viris non apparentibus, novum ineunt matrimonium, antequam de illorum morte certæ ſint, can. 31. & 36. mulieres, quarum culpa perit proles recèns orta, can. 52. fures, can. 61. ſodomitas, can. 62. beſtiarum initiores, can. 63. perjuros, can. 64. & 82. præſtigiatores & veneficos, can. 65. ſepulchrorum effoſſores, can. 66. mulieres in gradu prohibito contrahentes, can. 68. eos qui divinos conſuluot, can. 72. apoſtatas, can. 73. eos qui cibos idolis oblatos comederunt, can. 81. & divinos, cao. 83.

At inquiet. Ex dictis ſequitur quidem iis taotùm, quæ recenſita ſunt,' criminibus pœnitentiæ publicæ tempus & ſpeciem determioata fuiſſe per canones: at non ſequitur, quòd alia mortalia ourata non fuerint per pœnitentiam publicam, cujus tempus, ſpecies & determinatio pendebat ex Epiſcoporom arbitrio.

Reſp. 1. Quærrodo ab adverſariis, nnde habeant, quòd pro arbitrio Epiſcoporum ageretur pœnitentia publica pro iis etiam delictis, pro quibus pœnæ publicæ impoſitæ oon eraot per canones? quibus id momentis probare poſſunt? *Reſp.* 2. Epiſcopus non impoſuiſſe, nec imponere potuiſſe pœnitentiam publicam, niſi pro iis criminibus, quæ pœnis publicis per canones erant ſubjecta. Unum duntaxat circa pœnitentiam publicam, pro certis criminibus ſecundùm canones agendam, poterant, tempus ſcilicet cootrahere, quando id æquum vel conveniens judicabant, ut dicit S. Baſilius can. 74. *Sin autem*, inquit, *unuſquiſque eorum, qui in prædictis peccatis fuere, confeſſus bonus evaſerit, ſi is cui à Deo benignitate ligandi & ſolvendi credita eſt poteſtas, videns ſummam ejus, qui peccavit, confeſſionem, fiat clementior ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione.* Et poſt eum Innocentius epiſt. 1. cap. 7. ubi ait: *Cæterum de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc* (etiam tempus pœnitentiæ minuendo) *jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem.*

An. 314. Laudatis Patribus adjungimus tria Concilia, Neocæſarienſe ſcilicet can. 4. quo ait: *Si quis mulierem concupiſcens, propoſuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non perveniat ad effectum, apparet quòd gratia Dei liberatus eſt* (à pœnis ſcilicet canoolcis, adeoque à pœnitentia publica ſecundùm canones fornicatoribus vel adulteris imponenda.) Peccata igitur interna obnoxia non eraot pœnitentiæ publicæ.

Laodicenum can. 7. quo dicitur: *De his qui ab hæreticis convertuntur .... ſive baptizati ſint illi, ſeu catechumeni, non antè ſuſcipiantur, quàm omnes hæreſes anathematizent ... & tunc demùm hi, qui apud eos dicebantur fideles, noſtra doceantur fidei ſymbolum, & uncti ſancto chriſmate, ſic* (præmiſſa ſacramentali confeſſione) *myſteriis communicent ſacroſanctis.* Hæretici igitur, etiam manifeſti, in antiqua Eccleſia, cùm ad catholicam convertebaotur fidem, non ad agendam pœnitentiam publicam, ſed ſolùm ad hæreſes omnes publicè ac ſolemniter anathematizandas cogebantur, & qui baptizati erant, ſuſcepto Confirmarioois ſacramento, quod in ſua hæreſi non acceperant, admittebantur ad communionem Euchariſticam; priùs tamen, quòd neceſſariò ſupplendum eſt, confeſſione ſacramentali facta ſacerdoti, qui eos noo abſolvebat ſine impoſitione pœniteotiæ, pro hæreſi, & aliis mortalibus, non publicè ac ſolemniter, ſed privatim & ſecretò peragendæ. Porrò ſi hæreſis, quæ crimen graviſſimum eſt, per pœnitentiam publicam non caſtigabatur, quantumlibet manifeſta eſſet, multò minùs tanta pœna plectebaotur mortalia alia minora: & ſi hæreſis per privatam tantùm ac ſecretam pœnitentiam curabatur, negari noo poteſt, eodem modo curata fuiſſe mortalia alia minora & communia.

Et Toletanum I. can. 2. in quo hojus Synodi Patres ſic loquuntur: *Pœnitentem verè dicimus eum, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus graviſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Ergo ad pœnitentiam publicam non obligabantur niſi homicidæ, vel aliorum graviſſimorum peccatorum rei. An. 400.

§. II.

Probatur aſſertio noſtra authoritate S. Leonis, & S. Eligii Naviomenſis Epiſcopi.

1. SAnctus Leo epiſt. 92. ad Ruſticum cap. 17. ſic loquitur: *Qui convivio ſolo gentilium & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis & manus impoſitione purgari, ut deinceps ab idolothitis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes: ſi autem aut idola adoravere, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Ecce pœnitentiæ publicæ ſubjicit tantùm idololatras, homicidas, & fornicatores, ab eaque eximit eos, qui cum ſcandalo, convivio gentilium & idolothitis uſi ſunt, quamvis otendo proculdubio mortaliter peccarint; dicitque illos ad Euchariſticam communionem admitti poſſe, poſtquam jejuniis ad ſatisfactionem impoſitis à ſacerdote, & abſolutione ſacramentali purgati fuerint. Falſum igitur eſt, quòd mortalia omnia etiam externa & ſcandaloſa, ex præcepto curaoda eſſent per pœnitentiam publicam.

2. S. Eligius, qui ſeptimo ſæculo florebat, in tribus homiliis, 11. ſcilicet 13. & 15. quas in Cœna Domini habuit, fideles etiam in mortalia lapſos clarè diſtinguit in eos, qui ſine pœnitentia publica priùs acta, & eos, qui nonniſi poſt pœnitentiam publicam priùs actam, in paſchate communicaturi erant. Primos ſic adhortatur homilia 11. *Nec peccator jam poterit excuſari, qui confeſſionem, per quam venia naſcitur, non properavit amplecti, ne poſſet reus gemino crimine detineri, dum primo legem contempſit ut delinqueret, & confeſſionis remedia amplecti noluit, ut periret. Ergo quiſquis peccator, ea remedia neglexiſti poſt peccatum, & qui peccando divina contempſiſti præcepta, confeſſio afferat ſalutem, cui contemptus accelerat mortem. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, &c.* Tum poſt multa, ſic ad pœnitentes publicos ſermonem coovertit: *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos, facie ſqualida, & crine demiſſo, peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe conſideramus.*

Homil. 13. ſic alloquitur primos: *Vos fratres, poſt exhortationem quam habuimus ad pœnitentes* (publicos) *meum admoneo, ut unuſquiſque noſtrûm recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta ... & ſi invenerit in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum, ſtudeat, auxiliante Deo, quantocyùs evellere ... & ſi vel hodie puriter confeſſus, ac devotè converſus fuerit, ut valeat dignus intereſſe ſolemnitati præſentis diei ... videat ſummopere ut ſacramenta Corporis & Sanguinis Domini dignè recipere queat, quatenùs potiùs ſalutem quàm damnationem ſibi acquirat ....*

Homilia 15. primos alloquens, ſic ait: *Quod dico, omnibus vobis dico, clericis, laicis, ac ſanctimonialibus, ut quiſquis ſe recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque, & fornicationis, ſive inceſtus, vel perjurii, cæterorumve vitiorum contagione adtactum, ſaltem hodie per divinæ ſalutis medicamentum* (hoc eſt per ſacramentum Pœnitentiæ) *in quantum prævalet, ſe purificare procuret; confiteatur adverſum ſe injuſtitiam ſuam, &c.* Tum poſt pauca, ſic proſequitur: *Quia ergo majora crimina admittentibus, majora ſunt adhibenda remedia, convertam me ad vos, quos Eccleſia ex more Pœnitentes vocat.*

Denique homilia 16. poſtquam ad pœnitentiam, atque morum emendationem, & peccatorum quæ longo ordine recenſet, & ex quibus multa mortalia ſunt, fugam prolixe adhortatus eſt auditores, hæc ſubjicit: *Duos præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pœnitentiam, &c.* Igitur S. Eligii tempore, non omnes fideles mortalium rei, pœnitentiam publicam communioni Paſchali præmittebant, ſed aliqui tantùm; cæteri verò, qui longè plures erant, privatam; ad quam, & non ad aliam, adhortatur Eligius locis laudatis. Igitur non omnes, qui mortaliter peccarant, ad agendam pœnitentiam publicam cogebantur, ſed ii tantùm, quorum peccata graviora erant & publica.

§. III.

Probatur aſſertio authoritate S. Auguſtini.

1. LIb. 83. quæſtionum, quæſt. 26. ſic loquitur: *Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ* (ſeu ignorantiæ) *alia malitiæ. Infirmitas contraria eſt virtuti, imperitia contraria eſt ſapientiæ, malitia contraria eſt bonitati. Quiſquis igitur novit quid ſit virtus & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare quæ ſint peccata venialia; & quiſquis novit quid ſit bonitas Dei, poteſt exiſtimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic, & in futuro ſæculo; quibus bene tractatis, probabiliter judicari poteſt, qui non ſint cogendi ad pœnitentiam luctuoſam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur, & quibus nulla omninò ſperanda ſit ſalus, niſi ſacrificium obtulerint Deo ſpiritum contribulatum per pœnitentiam.* Hìc autem S. Doctor peccata venialia intelligi non ſolùm ea, quibus Deus leviter tantùm offenditur, ſed etiam ea, in quibus etiamſi graviter Deum offendant (aliqua enim peccata infirmitatis vel ignorantiæ, mortalia ſunt) in quibus, inquam; caſtigandis indulgentia aliqua adhiberi poteſt & debet. Ergo, juxta S. Doctorem, non pro quibuſcumque mortalibus, ſed pro aliquibus tantùm, nempe pro peccatis malitiæ, ſi nimitùm graviſſima ſint & ſcandaloſa, ad pœnitentiam luctuoſam & lamentabilem, hoc eſt, publicam ac ſolemnem, cogendi ſunt peccatores. Hanc porrò mentem eſſe S. Doctoris ex dicendis clariùs intelligetur. Nam

2. Lib. de fide & operibus cap. 26. disertè diſtinguit triplex genus peccatorum, quorum primum eſt mortalium graviorum, propter quæ merentur homines excommunicari, proindeque ad agendam pœnitentiam luctuoſam & humillimam cogendi ſunt. Secundum eſt mortalium minùs gravium, propter quæ homines excommunicandi non ſunt, adeoque nec cogendi ad agendam propter illa luctuoſam illam & humillimam pœnitentiam. Tertium denique eſt venialium, ſeu eorum, quibus leviter tantùm offenditur Deus, & quæ oratione curantur.

Verba S. Doctoris ſunt: *Niſi eſſent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus: Congregatis vobis & meo ſpiritu, tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu . . . Item niſi eſſent quædam non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè Pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, non diceret ipſe Dominus: Corripe eum inter te & ipſum ſolum . . . Poſtremò, niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit; ut dicamus: Dimitte nobis debita noſtra.* Juxta S. Doctorem igitur, pœnitentia publica ac ſolemnis non imponebatur pro mortalibus omnibus, ſed pro aliquibus ſufficiebat ſecreta correptio à ſacerdote facta per impoſitionem pœnitentiæ privatæ.

3. Sic loquitur S. Doctor epiſt. 108. ad Seleucianam: *Agunt etiam homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui propriè Pœnitentes appellantur: de tali enim pœnitentia locutus eſt Apoſtolus Paulus, ubi ait: Ne iterùm cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione, quam egerunt.* Et in Enchyridio cap. 65. *Sed neque de ipſis criminibus quamlibet magnis remittendis in ſancta Eccleſia Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam ſecundum modum ſui cujuſque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris.*

Cùm autem Auguſtinus primo loco ait: *Si poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur*, manifeſtè ſignificat eos tantùm ad agendam pœnitentiam publicam coactos fuiſſe, qui ita peccaverant, ut propter peccata mererentur excommunicari; & cùm dicit in ſecundo: *Ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur*, manifeſtè ſignificat homines à corpore Chriſti per excommunicationem canonicam ſeparatos non fuiſſe propter crimina, adeoque mortalia quælibet; ſed tantùm propter quædam graviora. Unde ſic argumentor. Ex Auguſtino, hi tantùm ad agendam pœnitentiam publicam ac ſolemnem cogebantur, qui merebantur ſeparari à corpore Chriſti per excommunicationem canonicam. Atqui ex eodem, homines non propter mortalia quælibet, ſed tantùm propter graviora ſeparari à corpore Chriſti per canonicam excommunicationem merebantur. Ergo ex eodem, homines non pro quibuſlibet mortalibus, ſed pro aliquibus tantùm, nempe gravioribus, cogebantur ad agendam pœnitentiam publicam.

§. IV.

Confirmatur aſſertio noſtra.

1. POenitentia ſolemnis ſemel tantùm in vita eidem concedebatur. Hoc expreſsè dicit S. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium, *Quamvis*, inquit, *cautè ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur.* Hoc idem ante ipſum teſtatus erat Origenes homil. 15. in *Leviticum*. At quòd Eccleſia aliquando voluerit omnia omninò mortalia, etiam merè interna, ſubjecta eſſe pœnitentiæ illi, quam ſemel tantùm in vita concedebat peccatoribus, prorſus incredibile eſt, & manifeſtè repugnat voluntati Chriſti, qui ſacramentum Pœnitentiæ inſtituit, non ut ſemel in vita ſuſciperetur, ſicut baptiſmus, ſed ut iterari poſſet, & toties iterari, quoties fideles baptizati in mortalia incidiſſent, eſſentque ad abſolutionem ſacramentalem ritè diſpoſiti.

Certè, ut expreſsè aſſerit Siricius Papa epiſt. 1. ad Himerium cap. 5. qui acta pœnitentia ſolemni, iterùm incidebant in crimina, iis pro quibus pœnitentiam illam agere coacti fuerant ſimilia, non ampliùs admittebantur, niſi ad communionem orationis, per reliquum vitæ tempus, à dominicæ menſæ convivio ſegregati; nec abſolutionem ſacramentalem, & communionem Euchariſticam recipiebant, niſi circa vitæ exitum. Ergo ſi vera eſt adverſariorum doctrina, qui vel pro uno mortali merè interno pœnitentiam egerat, ſi poſtea in ſimile peccatum relaberetur, per reliquum vitæ tempus manebat privatus communione Euchariſtica, nec ante mortis articulum ſacramentaliter abſolvi, & abſolutus Euchariſtiam ſumere poterat: nemo etiam unquam, qui mortalis alicujus ſibi conſcius eſſet, ad ſacram Synaxim accedere potuit, niſi præmiſſa confeſſione ſacramentali, & ſacramentali abſolutione prius obtenta, quoties non deeſſet confitendi opportunitas.

2. Qui pœnitentiam ſolemnem egerant, irregulares erant, nec poterant ampliùs ad clerum promoveri, ut probatum eſt. Item, ut etiam probatum eſt, non poterant ampliùs ad militiam ſæcularem accedere. Item, ut adhuc ſupra probavimus, ſi conjugati eſſent ante ſuſceptam pœnitentiam, non poterant ampliùs uti conjugio prius contracto; ſi verò cœlibes,

non

non poterant ampliùs matrimonium contrahere. At quis in animum inducet ſuum, omnia omninò mortalis, etiam merè interna, obnoxia fuiſſe pœnitentiæ, quam tot & tam graves pœnæ conſequebantur? Quantæ inde natæ eſſent perturbationes in Eccleſia? quanta incommoda? quàm gravis & odioſa fuiſſet obligatio confitendi, contra illud Christi Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve?*

3. Eccleſia, quos ad pœnitentiam ſolemnem obligabat, eos cogebat ad publicam confeſſionem delictorum illorum, pro quibus pœnitentiam illam agebant, ut probatur ex S. Baſilio epiſt. canon. 2. ad Amphilochium can. 32. quo dicitur: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus; eas autem ſtare ſine communione juſſerant, donec implerentur tempus pœnitentiæ.* Mulieres igitur adulteræ, quarum adulterium erat occultum, non mulctabantur pœnitentia publica, ne per publicam criminis ſui confeſſionem, quæ hujus pœnitentiæ pars erat, publicarentur; unde ſolùm prohibebantor ad ſacram menſam accedere, donec impleſſent tempus pœnitentiæ ſibi privatim impoſitæ, & privatim agendæ. Atqui Eccleſia nunquam coegit pœnitentes ad publicam confeſſionem mortalium merè internorum, aut etiam externorum planè occultorum. Ergo, &c.

Verum quidem eſt, eos qui ex voluntaria devotione ſeſe pœnitentiæ ſolemni ſubmittebant, aliquando mortalia occulta, pro quibus agebant pœnitentiam, ex conſilio Epiſcopi, vel ejus Pœnitentiarii, ad majorem ſui humiliationem, vel fidelium ædificationem, publicè confeſſos eſſe, ut colligitur ex Origene hom. 2. in Pſal. 37. verbis jam aliàs laudatis. At quòd aliquando Eccleſia ad talem mortalium occultorum evulgationem fideles coegerit, nullo momento probari poteſt, & prorſus incredibile eſt; imò verò quòd ad id cogere non potuerit, facilè probatur ex Leone Magno epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ, ubi graviſſimè reprehendit quoſdam ſacerdotes, qui ad publicam mortalium occultorum confeſſionem ex ſcripto faciendam cogebant pœnitentes; eorumque factum vocat præſumptionem Apoſtolicæ regulæ contrariam. *Illam*, inquit, *contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri, de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta.* Manifeſtè igitur falſum eſt, quòd Eccleſia aliquando fideles ad pœnitentiam ſolemnem obligarit pro mortalibus merè internis, aut etiam externis ſecretis.

At inquies. Gratis dicitur, quòd Eccleſia ad publicam mortalium confeſſionem cogeret eos, quos ad pœnitentiam publicam ac ſolemnem obligabat: nam per confeſſionem privatim factam ſacerdotibus, ſatis innoteſcebat pœnitentium ſtatus, adeoque abſque confeſſione publica certò definire poterant ſacerdotes, quam deberent pœnam publicam in vindictam peccatorum injungere pœnitentibus. Ergo. &c. *R.* neg. ant. cujus falſitas patet ex Baſilio ſupra citato, & ex Tertulliano lib. de pœnitentia cap. 10. ubi hæc verba, *Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus: adeoque exiſtimatio hominum & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere, quàm palam abſolvi?* intelligi poſſunt & debent de publica peccatorum confeſſione coram cœtu fidelium facienda ab iis omnibus, qui ob ſcelera ſua ad pœnitentiam publicam agendam obligabantur. *Ad prob. R.* publicam illam mortalium confeſſionem, quæ fiebat ab agentibus pœnitentiam ſolemnem, non præceſſiſſe, ſed ſubſecutam eſſe impoſitionem pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis publicæ ac ſolemnis, cujus pars erat: unde integralis tantùm fuit pars ſacramenti, in quo, ut pars eſſentialis, præibat alia confeſſio, auricularis & ſecreta, qua peccata ſua clavibus ſubjiciebat pœnitens.

4. Inter clericos, ſacerdotes ſaltem & diaconi ad pœnitentiam ſolemnem non obligabantur pro mortalibus etiam graviſſimis, pro quibus deponi merebantur. Ergo multò minùs ad pœnitentiam ſolemnem obligabantur pro mortalibus aliis minoribus, pro quibus non merebantur tantam pœnam. Ergo pro his obligabantur tantùm ad pœnitentiam privatam & ſecretam: cùm enim omni homini poſt baptiſmum mortaliter lapſo, ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarium ſit ad ſalutem neceſſitate medii, ſacerdotes & diaconi, in hæc mortalia minora lapſi, ea proculdubio, ſicut & alia graviora confitebantur ſacramentaliter, & confeſſi ac ritè diſpoſiti abſolvebantur, nec abſolvebantur ſine injunctione pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis. Ergo vel abſoluti, vel certè ut abſolverentur, obligabantur ad pœnitentiam pro his minoribus mortalibus agendam. Ergo vel ad publicam, vel ad privatam & ſecretam.

Non primum in ullo ſenſu: non enim pro his minoribus, ſed pro gravioribus tantùm detrudebantur in monaſteria, ut ibi orationibus, jejuniis, & aliis operibus laborioſis ſatisfacerent, aut ſimili pœna, quæ fideles non lateret, mulctabantur. Ergo ſecundum. Ergo à fortiori, laici non ad pœnitentiam publicam, ſed ad privatam tantùm & ſecretam obligabantur pro ſimilibus mortalibus; cùm hæc mortalia in laicis minorem proculdubio pœnam mererentur, quàm in ſacerdotibus & diaconis. Gratis igitur & falsò aſſerunt adverſarii, in Eccleſia veteri mortalia omnia ſubjecta fuiſſe pœnitentiæ publicæ, nullaque per privatam & ſecretam pœnitentiam curata fuiſſe.

Responsio II.

Nequidem mortalia graviora, vel etiam graviſſima niſi publica eſſent & ſcandaloſa, pœnitentiæ publicæ ac ſolemni ſubjecta fuerunt.

§. I.

Probatur aſſertio authoritate S. Auguſtini.

1. Sanctus Doctor in hæc verba Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 5. *Peccantes coram omnibus argue*, ſic ait ſerm. 15. de verbis Domini in fine: *Si peccatum in ſecreto eſt, in ſecreto corripe; ſi peccatum publicum eſt & apertum, publicè corripe, ut ille emendetur, & cæteri timeant.* Tum ſermone ſequenti eadem mente ſic loquitur: *Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere, & tu quæris* (illum) *inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo, corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam.* Sed quam perſuadet pœnitentiam? Privatam certè & ſecretam: Nam ſi vellet illum pœnas publicas homicidis per canones ſtatutas ſubire, admitteret adverſùs illum accuſatorem, ut accuſatum, & in judicio convictum excommunicaret, atque excommunicatum ad publicam pœnitentiam agendam damnaret: at accuſatorem non admittit, & ſecreta correptione contentus eſt, ne prodatur homicida, & crimen ejus occultum publicetur. *Ego volo*, inquit, *illum publicè corripere, & tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo, corripio in ſecreto*, hoc eſt: Si vellem illum publicè corripere, adeoque & illum propter homicidium admiſſum excommunicare, tu adverſùs illum libenter ageres delatorem: at nolo eum prodere proindeque nec publicè corripere, & à corpore Christi per excommunicationem ſeparare: ſed nec negligo, quia corripio in ſecreto, ut ſecretò correctus, per ſecretam pœnitentiam Deo ſatisfaciat.

Ejuſdem correptionis ſecretæ aliud exemplum affert paulò inferiùs, *Sunt*, inquit, *homines adulteri in domibus ſuis; in ſecreto peccant; aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus palàm, ſed in ſecreto arguimus: ut ubi contigit malum,*

Digitized by Google

malum, ibi moriatur malum, hoc eſt, ut ubi crimen ſecretò admiſſum eſt, ibi corrigatur, & correctum æterno obruatur ſilentio. Ergo quando crimina etiam graviſſima, qualia ſunt homicidium & adulterium, ſecreta erant, contenti erant Epiſcopi ſecreta correptione, & ſecreta emendatione peccatorum: unde nec eos publicabant, nec eos ad ſe publicandum cogebant, adeoque non publicam & ſolemnem, ſed privatam & ſecretam pro admiſſis criminibus pœnitentiam illis imperabant. Quod

Validè confirmatur 1. Ex eo quòd cum Auguſtinus in reliquo ſermone totus ſit in adhortandi ad vitæ emendationem adulteris occultis, ne verbum quidem habeat de pœnitentia publicè agenda, ſed ſolùm hortetur illos ad ſecretam correctionem, & ne in craſtinum converſionem differant. *Corrige te*, inquit, *hodie propter cras ... Non dico, tu adulter, corrige te, ſed, Quiſquis in hoc populo adulter es, corrige te. Publica eſt correptio, ſed ſecreta correctio* (ſupple ſi mihi corripienti obſequaris.) At quomodo occultorum illorum adulterorum, ſi corrigerentur, ſecreta eſſe potuiſſet correctio, ſi correctos neceſſe poſtea fuiſſet publicari, & publicam ac ſolemnem pro adulterio pœnitentiam agere?

Confirmatur 2. Quia fideles non obligabantur ad pœnitentiam publicam agendam, niſi pro criminibus propter quæ excommunicabantur, ut ſupra probatum eſt ex Auguſtino. Atqui Epiſcopi, fideles non excommunicabant propter crimina etiam graviſſima, qualia ſunt homicidium & adulterium, ſi ſecreta eſſent; tunc enim criminum illorum reos prorſus nolebant prodere, ut ait Auguſtinus, & ideò illos in ſecretò tantùm corripiebant. Ergo Epiſcopi, fideles non obligabant ad pœnitentiam publicam agendam pro ſecretis criminibus etiam graviſſimis. Quod

Confirmatur Ex Auguſtino, ſic loquente in ultima ex homiliis 50. cap. 11. *Nemo arbitretur fratres propterea ſe conſilium ſalutiferæ hujus debere pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat; multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Judas; multi neſciuntur* (à judicibus eccleſiaſticis, qui de illis ſcientiam illam non habent, quæ ad ferendam excommunicationis ſententiam requiritur) *donec veniat Dominus qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: nam plerique propterea nolunt alios accuſare, dum per ſe illos cupiunt excuſare: plerique autem boni chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt alterum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpè deſeruntur, & ea quæ ipſi ſciunt, judicibus eccleſiaſticis probare non poſſunt ... Nos vero à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum* (extra tribunal pœnitentiæ) *aut in aliquo ſive ſæculari ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum.*

Juxta S. Doctorem igitur, Epiſcopus ne quidem propter crimen famoſum, & multis notum, excommunicare poterat quemquam, niſi aut ſponte confeſſum in foro externo coram judice & idoneis teſtibus, aut in judicio nominatum atque convictum: ergo multò minùs excommunicare quemquam poterat propter crimen occultum & ſecretum. Ergo nec quemquam obligare poterat ad agendam pœnitentiam publicam pro crimine occulto & ſecreto. Nec dic illud, *Sponte confeſſum*, intelligendum eſſe de confeſſione ſacramentali facta in tribunali pœnitentiæ; nam hoc falſum eſt & abſordum: loquitur enim Auguſtinus de confeſſione facta in eo foro, in quo poteſtas excommunicandi exercetur, adeoque de confeſſione facta in foro externo. Præterea, Epiſcopus notitia criminis ex confeſſione accepta uti non poterat ad excommunicandum pœnitentem, quem ex tali notitia excommunicando, ſigillum violaſſet, & ita graviſſimè peccaſſet.

2. Hæc habet S. Doctor in homil. cit. cap. 11. auditores ad convenientem pro delictis pœnitentiam agendam adhortans: *Judicet ergo ſe ipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius ... Et cum in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur ... A Præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio cordis tribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum; ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet.*

Hoc teſtimonio opprimuntur adverſarii: nam ex illo manifeſtè habemus, 1. pœnitentiam publicam imperatam non fuiſſe pro gravibus, delictis, niſi fuiſſent in ſcandalo aliorum. *Ut ſi*, inquit S. Doctor, *peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum*, &c. 2. Etiamſi gravia delicta fuiſſent in aliorum ſcandalo, pro illis tamen non fuiſſe ſemper injunctam pœnitentiam publicam; cùm injuncta tantùm fuerit, quando hoc expedire utilitati Eccleſiæ videbatur Antiſtiti, & facilè contingere potuerit, ut aliquando non expediret, alioquin fruſtra adderet S. Doctor: *Atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ*, &c. 3. Pro delictis gravibus, quæ fuerant in ſcandalo aliorum, non ſemper in notitia totius plebis actam fuiſſe pœnitentiam, ſed aliquando in notitia totius plebis, aliquando in notitia aliquorum, aut multorum tantùm. De illis agebatur pœnitentia in notitia totius plebis, quando fuerant in ſcandalo totius Eccleſiæ: agebatur de illis pœnitentia in notitia aliquorum, aut multorum tantùm, quando in aliquorum aut multorum tantùm fuerant ſcandalo. Ex his autem

Sic breviter argumentor. Tunc tantùm de delictis gravibus agebatur pœnitentia, de qua loquimur, & quam luctuoſam ac humillimam vocat S. Auguſtinus, quando de illis agebatur pœnitentia in notitia totius plebis, ut per ſe clarum eſt. Atqui teſte S. Auguſtino, de delictis gravibus non agebatur pœnitentia in notitia totius plebis, niſi quando fuerant in ſcandalo totius Eccleſiæ. Ergo teſte S. Auguſtino, de delictis quamlibet gravibus non agebatur pœnitentia ſolemnis, niſi quando fuerant in ſcandalo totius Eccleſiæ.

Itaque delicta gravia vel erant notoria abſolutè, ſeu nota toti Eccleſiæ; vel erant nota relativè tantùm, ſeu nota tantùm aliquibus, putà domeſticis, aut viciniæ; vel denique erant occulta & ſecreta. Si primum, pœnitentes cogebantur ad agendam pro illis pœnitentiam ſolemnem; modò tamen hoc expedire utilitati Eccleſiæ videretur Antiſtiti. Si ſecundum, pœnitentes obligabantur ad agendam coram aliquibus aut multis pœnitentiam, quæ hoc ipſo aliquo modo publica erat, ſed valdè diverſa ab ea, quæ agebatur in conſpectu totius Eccleſiæ, & in qua pœnitentibus publicè excommunicatis, per gradus omnes ſupra recenſitos aſcendendum erat, ut altari reconciliari poſſent. Si denique tertium, pœnitentes pro delictis pœnitentia privata & ſecreta mulctabantur.

§. II.

Probatur aſſertio authoritate S. Eligii, & Hincmari Rhemenſis.

1. SAnctus Eligius ſic loquitur homil. 13. *Non ergo abhorreamus pœnitentes iſtos propter magnitudinem ſcelerum ſuorum*. Et homil. 15. *Quia ergo majora crimina admittentibus majora ſunt adhibenda remedia, convertam me ad vos, quos Eccleſia ex more Pœnitentes vocat*. Et homil. 16. *Nos præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pœnitentiam*. Ex quibus manifeſtè colligimus pœnitentiam publicam ac ſolemnem impoſitam non fuiſſe niſi propter crimina majora & publica.

Præterea, quod prætermittendum non eſt, ex verbis ultimo loco citatis habemus, eo anno quo in

Cœna

Cœna Domini homiliam ſuam 16. habuit S. Eligius, duos tantùm fuiſſe, qui pœnitentiam ſolemnem egerint, & altari ſolemniter reconciliati fuerint. Dicentne adverſarii, duos illos tantùm eo anno peccaſſe lethaliter, aliumque nullum ex civibus Noviomenſibus indiguiſſe pœnitentia, & abſolutione ſacramentali, ad hoc ut dignè communicaret in Paſchate? Certè longè aliud innuit Eligius in eadem homil. dum Noviomenſes ad agendam pœnitentiam adhortans, mortalia etiam graviſſima longo ordine recenſet. Eo igitur anno duo tantùm apud Noviomenſes pœnitentiam ſolemnem egerunt, quia duo tantùm, qui Deo & Eccleſiæ reconciliari volebant, crimen quoddam graviſſimum & publicum admiſerant: alii verò alicujus vel aliquorum mortalium occultorum ſibi conſcii, quales defuiſſe dici non poteſt, ut dignè communicare poſſent in Paſchate, privatim confeſſi, injuncta ipſis ſatisfactione ſecreta pro mortalibus confeſſis implenda, privatim abſoluti ſunt ſacramentaliter.

2. Hincmarus in primo ex capitulis, quæ anno 12. Epiſcopatus ſui ad parochos ſuos miſit, ſic loquitur: *Ut unuſquiſque ſacerdos maximam providentiam habeat, quatenus ſi fortè in parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, ſive perjurium, vel quodcumque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, ſtatim ſi authorem facti, vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum, quatenus ad pœnitentiam veniat coram decano .... ut infra quindecim dies ad noſtram præſentiam publicus peccator, ſi intra parochiam noſtram fuerimus, veniat, & juxta traditionem canonicam, publicam pœnitentiam cum manus impoſitione accipiat.*

§. III.

Probatur aſſertio authoritate Conciliorum.

An. 813. 1. Concilium Arelatenſe VI. ſic ſtatuit can. 26. *Ut qui publico crimine convicti ſunt rei, publicè judicentur, & publicam pœnitentiam agant ſecundùm canones.*

An. 813. 2. Concilium Rhemenſe II. can. 31. decernit, *ut diſcretio ſervanda ſit inter pœnitentes, qui publicè, & qui abſconſè pœnitere debent.* Quibus verbis apertè declarat pro mortalibus occultis nonniſi privatam & ſecretam pœnitentiam imponi debere, nec publicam imponendam eſſe niſi pro publicis criminibus.

An. 813. 3. Concilium Cabilonenſe II. can. 25. hæc habet: *Ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter ſi quis publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.* Verba ſuperiora ejuſdem canonis notatu digna ſunt: *Pœnitentiam agere*, inquit Synodus, *juxta antiquam canonum conſtitutionem, in pleriſque locis ab uſu receſſit, & neque reconciliandi, antiqui moris ordo ſervatur.*

Itaque tunc temporis, ut queritur Synodus, in pleriſque locis non ampliùs agebatur pœnitentia juxta antiquam conſtitutionem canonum, neque ſervabatur ampliùs antiqui moris ordo in reconciliandis pœnitentibus. Quare? Quia, ut manifeſtum eſt ex verbis ſubſequentibus canonis ejuſdem, & primo loco laudatis, in pleriſque locis, qui publicè peccabant, non ampliùs publica mulctabantur pœnitentia, neque pro merito ſuo excommunicabantur primùm, & deinde poſt publicam pœnitentiam actam, ab Epiſcopo ſolemniter altari reconciliabantur. Teſte igitur Synodo Cabilonenſi, antiqui canones, quibus pœnæ publicæ certis criminibus imponebantur, ſpectabant tantùm crimina publica & ſcandaloſa; & prioribus ſæculis juxta canonum illorum conſtitutionem, non pro occultis & ſecretis, ſed pro publicis tantùm & ſcandaloſis criminibus, peccatores excommunicabantur, atque ad agendam pœnitentiam publicam cogebantur; qua fideliter perfuncti, ab Epiſcopo ſolemniter per impoſitionem manuum reconciliabantur altario.

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones pro tertio & quarto ſæculo.

Objicies 1. Tertullianus lib. de pœnitentia, agens de remedio quo fideles poſt baptiſmum mortaliter lapſi Deo reconciliari poſſunt, meminit ſolius pœnitentiæ publicæ ac ſolemnis, ut patet ex cap. 7. & 9. Ergo ſignum eſt, quòd tunc temporis mortalia omnia, non ſolùm publica & ſcandaloſa, ſed etiam occulta & merè interna, per aliam pœnitentiam non expiarentur, quàm per publicam ac ſolemnem. Ergo dici non poteſt, quòd tunc temporis privata & ſecreta pœnitentia in uſu fuerit pro mortalibus merè internis, & externis occultis ac ſecretis.

Reſp. neg. utramque conſeq. Nam ſic argumentor. Tertullianus locis citatis agit de pœnitentia, quæ una erat, & ſemel tantùm concedebatur baptizatis: ſic enim loquitur cap. 7. *Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat, ſed jam ſemel, quia jam ſecundò* (propter remiſſionem ſcilicet peccatorum in baptiſmo jam factam,) *ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra: non enim & hoc ſemel ſatis eſt?* Et cap. 9. *Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ & unius quantò in arcto negotium eſt, tantò operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur.* Ergo non loquitur de pœnitentia, quæ tunc temporis agenda erat, & agebatur pro mortalibus merè internis, ſeu quæ ſola voluntate committuntur; & externis, ſeu quæ opere externo complentur, ſaltem minoribus & ſecretis; quòd enim aliquando in Eccleſiis pro mortalibus hujuſmodi ſemel tantùm conceſſa fuerit pœnitentia, atque ita quòd aliquando in Eccleſia fideles ab hujuſmodi mortalibus ſemel tantùm abſoluti fuerint ſacramentaliter, prorſus incredibile eſt, & falſum, utpote manifeſtè contrarium inſtitutioni ſacramenti Pœnitentiæ, à Chriſto quippe inſtituti pro mortalibus eſt baptiſmum commiſſis, toties remittendi, quoties in ea laberentur fideles, & poſtea verè pœnitentes eſſent. Agit igitur Tertullianus tantùm de ea pœnitentia, quam tunc temporis fideles baptizati pro gravibus & publicis criminibus agere tenebantur.

At inquies. Si verum eſt, quòd Tertulliani tempore, præter pœnitentiam publicam ac ſolemnem pro mortalibus gravioribus & publicis agendam, pœnitentia alia, nempe privata & ſecreta in uſu fuerit pro mortalibus internis & externis ſecretis, quare Tertullianus de remedio baptizatis mortaliter lapſis ad ſui cum Deo reconciliationem dato agens, de hac pœnitentia non loquitur, ſed de illa tantum? aut quare non de hac, ſed de illa loquitur?

Reſp. Quia hoc ſibi tantùm propoſuerat, ut de ea ex duabus, quæ poſt baptiſmum agebantur, pœnitentia diſſereret, quæ ſpecialem haber ſimilitudinem cum baptiſmo. Talis autem erat pœnitentia publica ac ſolemnis. Nam 1. ſicut baptiſmus unus eſt, & ſemel tantùm conceditur, ita pœnitentia publica ac ſolemnis una erat, & ſemel tantùm concedebatur. 2. Sicut baptiſmus remedium erat, quo Deo reconciliabantur catechumeni, qui ordinariè antequam chriſtiani eſſe vellent, in gravia & ſcandaloſa delicta, qualia ſunt adulterium, fornicatio, &c. inciderant; ita pœnitentia publica ac ſolemnis remedium erat, quo baptizati in graviora & ſcandaloſa crimina lapſi, Deo reconciliabantur. 3. Denique, ſicut per baptiſmum catechumenis ritè diſpoſitis peccata omnia remittuntur, non ſolùm quoad reatum culpæ, ſed etiam quoad reatum omnis pœnæ, ita baptizati per pœnitentiam publicam ac ſolemnem, ſi ea fideliter perfungerentur, non ſolùm gravium delictorum quæ admiſerant veniam, ſed etiam omnis pœnæ temporalis remiſſionem regulariter conſequebantur.

Dices. Tertullianus cap. 10. ſic loquitur: *Pleroſque tamen hoc opus* (pœnitentiæ opus) *ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis*; tum ſic proſequitur inferiùs: *Grande planè emolumentum*

vere-

verecundia occultatio delicti pollicetur, Videlicet, ſi quid humana notitia ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus ... An melius eſt damnatum latere, quàm palam abſolvi? Ergo ex Tertulliano, pœnitentia mulctabantur non ſolùm mortalia publica, quæ erubeſcendi cauſa eſſe non poterant pœnitentibus, ſed etiam ſecreta, de quibus ſolis pudor eſſe poterat.

Reſp. neg. conſeq. & dico Tertullianum loqui tantùm de confeſſione criminum publicorum, quàm plerique coram cœtu fidelium facere detrectabant. Malè autem dicitur, nullam eſſe erubeſcendi cauſam in criminibus, coram iis quibus aliunde nota ſunt, confitendis, præſertim cum ea humiliatione, quacum ea confitebantur pœnitentes publici: hoc enim apertè falſum eſt. Tertullianus autem dicit: *An melius eſt damnatum latere, &c.* quia regulariter, in magna præſertim communitate, crimina nunquam ſunt adeò publica, ut non à multis ignorentur, & à multis aliis in dubium revocentur. Præterea, peccata publica, quantumlibet etiam facto notoria eſſent, longè majorem accipiebant notorietatem ex publica confeſſione, facta cum ea ſolemnitate, quacum fieri debebat ab iis, qui ex obligatione publicam agebant pœnitentiam: unde peccata quamvis publica per notorietatem facti, & à fortiori publica per notorietatem juris tantùm, dici poterant latere ante talem confeſſionem.

Obj. 2. Origenem homil. 2. in Pſalm. 37. ſic loquentem: *Intellige mihi fidelem quidem hominem, ſed tamen infirmum, qui etiam vinci ab aliquo peccato potuit, & propter hoc mugientem pro delictis ſuis, & omni modo curam vulneris ſui ſanitatemque requirentem ... Si ergo hujuſmodi homo memor delicti ſui,* (publicè) *confiteatur, quæ commiſit, & humana confeſſione parvi pendat eos qui exprobrant eum confitentem, & notant, vel irrident ... ſi ergo ſit aliquis ita fidelis, ut ſi quid conſcius ſit ſibi, procedat in medium, & ipſe ſui accuſator exiſtat; hi autem qui futurum Dei judicium non metuunt, hæc audientes ... deteſtari incipiant eum, quem antea admirabantur, & ab amicitiis recedant ejus, qui delictum ſuum noluit occultare: ſuper his ergo conſequenter dicit, qui exomologeſim, id eſt, confeſſionem facit ... Amici mei & proximi mei adverſùm me appropinquaverunt, &c.*

Reſp. breviter, Origenem loqui de homine non ex neceſſitate, ſed ex voluntaria devotione, ad majorem ſui humiliationem, & pleniorem Deo quem offendit ſatisfactionem exhibendam, occulta ſua delicta coram cœtu fidelium confitente: unde ſequitur tantùm, quòd Origenis tempore aliquando fideles pro delictis occultis publicam pœnitentiam agerent; quod non negamus, nec eſt ad rem, *&c.*

Dices. At quòd pro delictis etiam occultis pœnitentia publica ex obligatione ageretur, ſatis apertè teſtatur Origenes eadem homilia, ubi ait: *Circumſpice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere ... Si intellexeris, & prævideris talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari: multa hoc deliberatione, & ſatis perito illius medici conſilio procurandum eſt.*

Reſp. Origenem hic loqui, non de eo quod ex obligatione aliqua faciendum erat, ſed tantùm de eo, quod ex voluntaria devotione fieri poterat, & aliquando expediebat ad majorem pœnitentis utilitatem, & fidelium ædificationem procurandam. Ex verbis itaque Origenis habetur ſolùm, quòd tunc temporis aliquando fideles mortalia occulta & ſecreta ex confeſſarii conſilio in totius Eccleſiæ conventu confiterentur, quando ſcilicet poſt maturam deliberationem bono pœnitentis, & cæterorum fidelium ædificationi id expedire judicabat confeſſarius, qui privatim pœnitentis confeſſionem exceperat.

Obj. 3. Cyprianum in libro de lapſis, ubi meminit duplicis generis idololatrarum; eorum ſcilicet qui palam thus idolis adoleverant, & eorum qui clanculùm eo crimine ſe contaminarant; utroſque autem S. Martyr indiſcriminatim urget, ut convenientem peccato ſatisfactionem ſubeant, nec unquam diſtinguit inter publicam & ſecretam. *Reſp.* S. Cyprianum in ſermone de lapſis loqui de triplici genere hominum, ſacrificatorum ſcilicet, qui nefandis ſacrificiis manus contaminaverant; libellaticorum, qui libellis conſcientiam polluerant, ſeu qui ne ſacrificare cogerentur, pecuniam dederant Magiſtratibus ethnicis, & ab illis libellum ſecuritatis acceperant; & eorum qui tantùm de ſacrificando, vel libellum accipiendo cogitaverant.

Hos impensè laudat S. Martyr, quòd ſola cogitatione rei, cum magno animi dolore confugerent ad tribunal pœnitentiæ, & ſatisfactionem in eo à ſacerdote privatim impoſitam, & privatim implendam, cum magna animi ſubmiſſione acceptarent. *Quantò*, inquit, *& fide majore, & timore meliore ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ ſuæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt?*

Libellaticos deinde, ut horum exemplum ſequantur, provocat. *Minùs planè*, inquit, *peccaverit* (qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit aut metuit) *non videndo idola, nec ſub oculis circumſtantis atque inſultantis populi ſanctitatem fidei profanando, non polluendo manus ſuas funeſtis ſacrificiis, nec ſceleratis cibis ora maculando, hoc eò proficit, ut ſit minor culpa, non ut innocens conſcientia; faciliùs poteſt ad veniam criminis pervenire, non eſt tamen immunis à crimine, nec ceſſet in agenda pœnitentia, atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt.*

Denique Sacrificatores adhortatur ad agendam pœnitentiam publicam. *Graviſſimum*, inquit, *conſcientiæ crimen agnoſcite ... nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes ... Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne tu Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti? ... Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſiùs, & rogare, diem luctu tranſigere ... ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, &c.*

Duplicis itaque pœnitentiæ expreſsè meminit hic S. Martyr, publicæ ſcilicet, ad quam compellit eos qui ſub oculis circumſtantis atque inſultantis populi ethnici ſanctitatem fidei profanarant, manus ſuas funeſtis ſacrificiis polluerant, atque ſceleratis cibis ora macularant; privatæ verò, quam ſponte agebant, qui ſola cogitatione peccarant, & ad quam adhortatur eos, qui pecunia ſeſe redemerant, libellis à magiſtratus ethnico acceptis. Et verò quòd libellatici ad agendam pœnitentiam publicam non fuerint compulſi, manifeſtum eſt ex eodem Cypriano epiſt. 58. ad Antonianum, in qua expreſsè teſtatur, libellaticos facti dolentes, ſine dilatione ad communionem receptos fuiſſe: nam ſic ait: *Placuit, frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubveniri, &c.*

Dices. S. Cyprianus epiſt. 47. ad plebem, aſſerit, minora delicta expianda fuiſſe pœnitentia publica. *R.* S. Cyprianum per minora delicta intelligere ea, quæ non committuntur directè in Deum, ut idololatria, & quæ adeò licèt in ſe magna & gravia, minora tamen ſunt aliis graviſſimis, quibus Deus directè offenditur: *Cùm in minoribus delictis*, inquit, *quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat, inſpecta vita ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communionem venire quis poſſit, niſi priùs illi ab Epiſcopo & clero manus fuerit impo-*

ſita;

ſita; quantò magis in his graviſſimis & extremis deli-ctis cautè omnia & moderatè ſecundùm diſciplinam Domini obſervari oportet. Perinde eſt, ac ſi S. Cyprianus diceret: Si pro fornicatione, vel adulterio, juſto tempore pœnitentia publica agitur, nec ii à quibus agitur, admittuntur ad communionem Euchariſticam, niſi poſtquam per manus impoſitionem altari reconciliati fuerint ab Epiſcopo; quantò magis pro idololatria juſto tempore pœnitentia publica agenda eſt, &c.

Obj. 4. Gregorius Neocæſarienſis in epiſt. canonica can. 8. ſic ait: *Eos autem qui alienas domos invadere auſi fuerint, ſi accuſati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos exiſtimare; ſin autem ſe ipſos enunciarint, & reddiderint* (quod abſtulerunt,) *in eorum, qui convertuntur, ordinem ſubſterni*. *R*. citatum canonem loqui de confeſſione criminis, facta non in tribunali pœnitentiæ, ſed coram judice eccleſiaſtico, & idoneis teſtibus. Per talem autem confeſſionem à reo factam, crimen quod antea occultum erat, acquirit notorietatem juris; ſicut acquireret per legitimam rei accuſationem, & convictionem. Canon igitur non pro occulto, ſed pro notorio crimine pœnitentiam publicam imponit.

At inquies. Quid ſi talis invaſor crimen ſuum confeſſus tantùm fuiſſet in tribunali pœnitentiæ? *R*. Crimen ejus manſiſſet occultum, & ab eo, convenienti, ſed ſecreta ſatisfactione injuncta, abſolutus fuiſſet pro foro interno. Dico, Pro foro interno: nam ſi poſtea crimen ejus evulgatum fuiſſet, aut de illo accuſatus, convictus fuiſſet in judicio, pœnam publicam, latam per canonem, ſubiiſſet.

Ex dictis patet reſponſio ad canonem 61. S. Baſilii, quo dicitur: *Qui furatus eſt, ſi ſponte pœnitentia motus ſe ipſum accuſaverit, per annum à ſola ſacramentorum communione arcebitur; ſin autem convictus fuerit, per annos duos*.

Et ad canonem 3. Gregorii Nyſſeni, in quo dicitur: *Eſt autem quædam differentia in ratione pœnitentiæ: qui enim ex ſe ipſo ad ſua proferenda peccata pulſus eſt, eò quòd ſua ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit ... in mitioribus pœnis verſatur. Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem vel accuſationem ingratiis convictus eſt, longius illi converſationis tempus datur*. Baſilius enim & Nyſſenus manifeſtè loquuntur de confeſſione criminis, à reo facta in foro externo, adeoque loquuntur de reo ſe ipſum & crimen ſuum publicante, quem hoc ipſo pœnis publicis per canones ſtatutis obnoxium fuiſſe libenter agnoſcimus, & tam fuiſſe, quàm ſi accuſatus ab idoneis teſtibus, convictus in judicio fuiſſet.

Obj. 5. Ancyranum Concilium can. 20. quo dicitur: *De mulieribus, quæ fornicantur, & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removet: humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus ſecundùm præfixes gradus pœnitentiæ largiamur*. Atqui crimen mulierum illarum occultiſſimum erat: nam ſi fuiſſet publicum, In illas ſecundùm leges Imperatorum gladio animadverſum fuiſſet. Ergo peccatores propter delicta graviſſima & occultiſſima, publicè excommunicabantur, & ad pœnitentiam publicam ac ſolemnem agendam condemnabantur.

Reſp. Concilium hoc canone certo certiùs loqui de mulieribus, quarum crimen publicum erat apud fideles, quos impediebat charitas, ne mulieres illas accuſarent apud judicem ſæcularem. Certe quòd aliquando fideles in Eccleſia ob crimen occultum, & in tribunali tantùm pœnitentiæ confeſſum publicè excommunicati fuerint, non facilè poterit quis in animum ſuum inducere, niſi ſit de eorum grege, qui exoticas ſententias amant.

Dices. Idem Concilium eos qui cum beſtiis coierunt, publica multorum annorum pœnitentia mulctat. *Quotquot*, inquit, *ante vigeſimum annum tale crimen commiſerint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum, &c*. Atqui talium crimen occultiſſimum erat. Ergo, &c. *R*. talium crimen occultè quidem commiſſum fuiſſe, at nunquam publica pœnitentia mulctatum, niſi poſtquam publicum evaſerat. Porrò cùm dicimus nunquam niſi pro criminibus publicis fideles excommunicatos, & pœnitentia publica mulctatos fuiſſe, per crimen publicum non intelligimus illud tantùm, quod publicè, ſeu in præſentia majoris partis communitatis, vel ſaltem plurimorum, commiſſum eſt. Pro quo

Nota. Crimen aliquod triplici modo dici & eſſe poteſt publicum. Primo, ſi notorium ſit notorietate juris. Secundo, ſi notorium ſit notorietate facti. Tertio, ſi ſit famoſum. Notorium eſt notorietate juris, quando de eo conſtat per ſententiam judicis, vel per confeſſionem rei in judicio, vel denique per legitimam depoſitionem teſtium. Notorium notorietate facti eſt, ſi commiſſum eſt in præſentia multorum, vel in loco publico, eo tempore quo potuit multis innoteſcere, vel ſi paſſim verſetur ob oculos majori parti viciniæ. Famoſum denique dicitur, quando fama illius, ex ſufficientibus indiciis orta, pervenit ad majorem partem communitatis. Hinc crimen dicitur & eſt occultum, quando nec notorium eſt jure, aut facto, nec famoſum; & crimen quod non eſt notorium facto, tamdiù occultum eſt, quamdiu non eſt notorium jure, aut famoſum.

Obj. 6. S. Ambroſium lib. 1. de pœnitentia cap. 16. ubi ait: *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſtic recipit* (quod ei Chriſtus promiſit) *ſi ei communio non refunditur*? Quòd autem S. Doctor loquatur de pœnitentia publica, patet ex ſubſequentibus: nam ſic proſequitur: *Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus ... teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, &c*. S. Ambroſius loco citato apertè quidem ſignificat ſuo tempore pro criminibus etiam occultis pœnitentiam publicam ac ſolemnem actam fuiſſe; at ne leviter quidem innuit actam fuiſſe ex neceſſitate, & præceptam pro occultis criminibus. *Nota*. Cap. citato contra Novatianos, mortalibus omnibus, ſaltem gravioribus, tam occultis, quàm publicis veniam omnem denegantes, urget eos, 1. exemplo Apoſtoli Corynthium publicè incæſtuoſum abſolventis; deinde exemplo hominis ex voluntaria devotione pro occultis mortalibus publicam pœnitentiam agentis; & perinde eſt, ac ſi diceret: ſi quis igitur, habens tantùm occulta crimina, propter Chriſtum tamen ſtudiosè pœnitentiam egerit, non privatam, ad quam ſaltem tenetur, ſed publicam ac ſolemnem, ad quam non tenetur, quando, &c.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones pro quinto ſæculo, & ſequentibus.

OBjicies 1. Innocentium I. epiſt. 2. ad Victricium cap. 12. ubi ait: *Quæ Chriſto ſpiritaliter nupſerunt, & velari à ſacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculè corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit*. Ergo ex Innocentio, non ſolùm crimina publica, ſed etiam occulta, obnoxia erant pœnitentiæ publicæ.

R. Innocentium manifeſtè loqui de fœminis, quarum crimen erat publicum; aliarum quidem, earum ſcilicet quæ publicè nupſerant, publicum propter notorietatem facti; aliarum verò, earum nempe quæ ſe clanculò corruperant, per matrimonium quod clandeſtinè contraxerant, publicum propter notorietatem juris, vel certè propter famam ex certis indiciis ortam. Falſum igitur eſt, quòd ſecundùm Innocentium, occulta crimina pœnitentiæ publicæ fuerint obnoxia. Quod adhuc

Demonſtratur Ex eodem Innocentio epiſt. 3. ad

Exu-

Exuperium cap. 4. ubi interrogatus, quare potiùs mulieres quàm viri, propter adulterium excommunicarentur, & ad agendam pœnitentiam publicam cogerentur, ſic reſpondet: *Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat, ſed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs uxores adulteras apud ſacerdotes deferre conſueverunt, & ideò mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur; virorum autem latente commiſſo, non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur, qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cùm ergo par ſit cauſa, interdum probatione ceſſante, vindicta ratio conquieſcit.*

Juxta Innocentium igitur, ſæpiùs contingebat mulieres quàm maritos excommunicari, adeoque pœnitentia publica mulctari propter adulterium commiſſum, quia ſæpiùs contingebat mulierum quàm maritorum adulterium publicari; & hoc contingebat ſæpiùs, quia faciliùs mariti uxores adulteras, quàm uxores maritos adulteros accuſabant apud Epiſcopum. Sæpiùs publicato mulierum adulterio, ſæpiùs excommunicabantur, & ad pœnitentiam publicam cogebantur mulieres, viris etiam de adulterio ſuſpectis, latente eorum crimine propter probationis defectum, non excommunicatis, nec publica pœnitentia mulctatis, quia vindictam non habent latentia peccata.

Obj. 2. Leo Magnus epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ, prohibet quidem ne ſacerdotes ad publicam occultorum peccatorum confeſſionem pœnitentes cogant; at non improbat publicam pœnitentiam, quæ confeſſionem illam ſubſequebatur. Ergo ſignum eſt, quòd Pontifex approbarit publicam pœnitentiam pro delictis occultis impoſitam. *R.* in citata epiſt. agi de pœnitentia publica, non ex neceſſitate, ſed ex voluntaria devotione à pœnitentibus pro delictis occultis ſuſcepta, ut apertè colligitur ex his verbis: *Tunc demùm plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Obj. 3. S. Auguſtinus triplicis tantùm pœnitentiæ meminit, illius ſcilicet, qua catechumeni ad baptiſmum præparabantur; illius, qua purgantur venialia poſt baptiſmum commiſſa, & quam in oratione conſtituit; & illius, quæ pro mortalibus omnibus poſt baptiſmum admiſſis agebatur, & quam publicam ac ſolemnem fuiſſe apertè ſignificat: nam ſic loquitur lib. 1. de ſymbolo fidei ad catechumenos: *Tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia, in baptiſmate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ.* Et in libro homil. 50. homil. 27. *Triplicem ejus* (pœnitentiæ) *conſiderationem in ſancta Scriptura eſſe propoſui. Illa prima competentium eſt, & ad baptiſmum venire ſitientium ... & alia propè quotidiana, & ubi illam oſtendimus pœnitentiam quotidianam? Non habeo ubi meliùs oſtendam, quàm in oratione dominica ... Reſtat ergo pœnitentiæ tertium genus ... Eſt pœnitentia gravior atque luctuoſior, in qua propriè vocantur in Eccleſia pœnitentes remoti etiam à ſacramentis altaris participandis.*

R. S. Auguſtinum locis citatis ſollicitum non fuiſſe, ut accuratam & adæquatam pœnitentiæ diviſionem afferret; & cum pro tertio genere pœnitentiæ aſſignat tantùm pœnitentiam publicam ac ſolemnem, ſimul manifeſtò ſignificat, ſe loqui ſolùm de ea pœnitentia, quæ agebatur pro gravioribus criminibus: nam ante verba priori loco citata, ſic habet: *Illi quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pœnitentiam.* Et poſt verba poſteriori loco citata, ſic proſequitur: *Illa vero pœnitentia luctuoſa eſt; grave vulnus, adulterium fortè commiſſum eſt, fortè aliquid ſacrilegum.* Ecce S. Doctor cauſam propter quam pœnitentia publica ac ſolemnis imponebatur, aſſignans, graviora tantùm crimina commemorat.

Locis igitur citatis S. Doctor tertium genus pœnitentiæ diminutè accipit, & ſolùm quod pertinebat ad mortalia graviora & ſcandaloſa. At hom. 50. hoc tertium pœnitentiæ genus completè ſumit, & quatenùs mortalia omnia complectebatur; ſic enim ait cap. 9. *Tertia actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Hanc autem tertiam pœnitentiæ actionem, ſic completè & generaliter acceptam, non ſemper publicam, ſed aliquando, imò & ſæpe privatam ac ſecretam fuiſſe, apertè ſignificat inferiùs cap. 11. ubi cùm aſſerit, hanc tertiam pœnitentiam in mortalibus gravioribus & ſcandaloſis aliquando actam eſſe in notitia totius plebis, aliquando verò in notitia multorum tantùm, apertè innuit, nec ſemper ſolemnem fuiſſe, nec impoſitam pro mortalibus ordinariis, aut etiam gravioribus, ſed ſecretis, pro quibus proinde aut nulla peccatoribus injungebatur ſatisfactio, quod dici non poteſt; aut privata tantùm & ſecreta injungebatur.

Obj. 4. Gennadium in libro de eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 53. ubi ſic ait: *Quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata pia confeſſioni donare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant: nam quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor priùs publica pœnitentia ſatisfacere, & ita ſacerdotis judicio reconciliatum, communioni ſociari, ſi vult non ad judicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere.*

R. Per hæc verba, *Hortor priùs publica pœnitentia ſatisfacere*, non magis ſignificari obligationem agendi pœnitentiam publicam pro mortalibus, quàm per illa quæ initio capitis leguntur, *Omnibus dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor*, ſignificatur obligatio communicandi omnibus dominicis diebus. Ex his itaque verbis, *Quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor priùs publica pœnitentia ſatisfacere*, ad ſummum concludi poteſt, quòd iis pœnitentia publica concederetur tunc temporis, qui ea voluntaria devotione, ut majorem Deo ſatisfactionem exhiberent, eam pro mortalibus à ſe admiſſis, etiam minoribus & occultis, expoſcebant.

Dixi, Ad ſummum: nam manifeſtum videtur, quòd Gennadius hic per mortalia crimina, non intelligat ea omnia, quibus mors ſpiritualis affertur animæ, ſed ſolùm graviora; nam ſic proſequitur, poſt verba in objectione citata: *Sed & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, ſed mutato priùs ſæculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, imo perpetuo luctu, &c.* Loquitur ergo Gennadius de mortalibus criminibus, quæ cenſebat ſatisfactione ſecreta expiari non poſſe, niſi is qui ea admiſerat, ſæculum relinqueret, & vitam religioſam amplecteretur. Ita autem ſentire de mortalibus omnibus, putà de voluntate furandi unum aut duos aureos, ſine manifeſta & intolerabili abſurditate non potuit.

Obj. 5. Cæſarium Arelatenſem, qui ſæculo vj. floruit. Homil. 8. ſic loquitur: *Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolum ſufficit, ſed addenda ſunt lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & longo tempore procraſtinata jejunia, ultro nos ipſos à communione Eccleſiæ removentes, in luctu & triſtitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes.*

R. 1. Cæſarium his verbis adhortari fideles, non ad id quod abſolutè neceſſarium erat, ſed tantùm ad id quod ad pleniorem ſatisfactionem fieri expediebat. 2. Cæſarium per capitalia crimina non intellexiſſe mortalia quælibet, ſeu ea omnia, quæ animæ mortem ſpiritualem afferunt, ſed aliqua tantùm, quæ ſunt graviora, ut patet ex eadem homilia, ubi poſt initium ſic ait: *Breviter dicemus quæ illa ſint* (capitalia crimina,) *ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ſuperbia, invidia, avaritia; & ſi longo tempore teneatur iracundia,*

ebrie-

ebrietas, ſi aſſidua ſit, & detractio, in eorum numero computatur. At gravis iracundia, etiamſi diuturna non ſit, & ebrietas etiam ſemel tantùm admiſſa ſcienter & liberè, ſunt peccata mortalia. Ergo Cæſarius nomine capitalium criminum non comprehendit mortalia omnia. 3. Cùm adhortatur ad agendam etiam pœnitentiam publicam pro capitalibus criminibus, ſupponit ea fuiſſe ſcandaloſa: ſic enim poſt verba in objectione citata loquitur: *Quia juſtum eſt ut qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat.*

Obj. 6. Fulbertum Carnotenſem, qui florebat ineunte ſæculo xj. Sermone 2. ad populum ſic loquitur: *Cecidimus per noſtram culpam, non ſolùm in peccata, ſed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Eccleſia ſeparantur, qualia ſunt homicidia, adulteria, fornicationes, ſacrilegia, rapinæ, furta, falſa teſtimonia, ſuperbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas aſſidua.*

Reſp. Fulbertum verbis laudatis velle tantùm, quòd crimina illa graviora & ſcandaloſa, propter quæ excommunicabantur peccatores, & pœnitentia publica mulctabantur, pertinerent ad ſpecies illas, quas enumerat; non verò quòd peccatum mortale quodlibet in ejuſmodi ſpeciebus commiſſum, etiam purè internum, vel externum, ſed ſecretum, excommunicatione & pœnitentia publica plecteretur; imò apertè ſignificat, quòd ne quidem omne externum & publicum, in ſpeciebus illis commiſſum, mulctaretur excommunicatione & pœnitentia publica, ut patet ex verbis illis, *diuturna iracundia, ebrietas aſſidua*: nam per illa apertè ſignificat peccatores non fuiſſe excommunicatos, & pœnitentia publica mulctatos, ob gravem iracundiam, niſi eſſet diuturna, nec ob ebrietatem, niſi eſſet aſſidua.

Obj. 7. Patres, ut apparet ex textibus hactenùs objectis, revocant omnia peccata ad duo genera; unum gravium, mortalium, capitalium; alterum verò venialium, leviorum, & quotidianorum, à quibus nemo immunis eſt, & ne ipſi quidem homines juſti. Et primum genus peccatorum dicunt expiandum eſſe pœnitentia publica. Ergo ſignum eſt, quòd olim mortale quodlibet pœnitentia publica plecteretur.

R. Aliud eſt, omnia peccata revocare ad duo genera, quorum unum eſt levium, quæ curari poterant per orationem; & alterum gravium, quæ expianda erant per pœnitentiam publicam; aliud verò mentionem tantùm facere duplicis generis peccatorum, quorum unum eſt levium, &c. Hoc ſecundum, non primum faciunt Patres in locis, de quibus loquitur objectio. Tunc autem Patres per peccatum grave, mortale, capitale, intelligebant non peccatum quodlibet, afferens mortem ſpiritualem animæ, ſeu inducens privationem gratiæ & gloriæ, ſed ſolùm illud omne, quòd non tantùm mortem ſpiritualem animæ afferebat, & privationem gratiæ & gloriæ inducebat, ſed etiam, ſi publicum eſſet, afferebat mortem canonicam, & inducebat privationem communionis Euchariſticæ, atque ad publicam pœnitentiam relegabat. Porrò quòd præter hæc peccata capitalia Patres alia agnoverint, etiam gravia & mortalia, adeoque ſubjicienda clavibus, & per pœnitentiam ſecretam in tribunali pœnitentiæ impoſitam expianda, patet ex Auguſtino pluribus locis, & ex Cæſario hom. 8. & 13.

Obj. 8. Semper ſupereſt ſcrupulus: nam ſi non omnia mortalia olim curanda fuerunt per pœnitentiam publicam, ſed aliqua curata fuerunt per privatam ac ſecretam, quare Patres ſæpe adhortantur peccatores ad pœnitentiam publicam, nunquam ad pœnitentiam privatam & ſecretam? *R.* hanc inter alias rationem reddi poſſe, quia pœnitentiam publicam, utpote humillimam & laborioſiſſimam, ſummopere reformidabant fideles, & plerique graviorum ac publicorum criminum rei, ad eam agendam vix ac ne vix adduci poterant. *Pleroſque*, inquit Tertullianus lib. de pœnit. cap. 10. *hoc opus ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis.* Et multi eam nonniſi in extremis expetebant; unde vehementibus ad eam maturè ſuſcipiendam adhortationibus egebant ii, qui in graviora crimina inciderant. Ad privatam autem ac ſecretam pœnitentiam pro mortalibus minoribus, aut majoribus ſecretis, fideles ultrò confugiebant, nec adeò ad hoc eis opus erat adhortatione.

Obj. ultimò. Secundùm Patres, mortalia omnia merentur pœnam excommunicationis, ſeu privationis euchariſtiæ. Sed pœnitentia publica conjuncta erat cum hac privatione, quæ præcipua pars illius erat. Ergo, ſecundùm Patres, mortalia omnia plecti debebant, adeoque plectebantur pœnitentia publica.

R. Mortalia omnia jure divino mereri pœnam excommunicationis, ſeu privationem Euchariſtiæ, hoc ſenſu quòd nemo ſibi mortalis peccati conſcius, licitè poſſit Euchariſtiam ſumere, niſi priùs à Deo veniam peccati obtinuerit, & ſi fieri poteſt, confeſſionem ſacramentalem præmiſerit, ut declarat Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. At non omnia mortalia, ſed ea tantùm quæ graviora ſunt & publica, ſecundùm Patres, merentur excommunicationem canonicam, ſeu canonico jure infligendam: cum hac autem, non cum illa excommunicatione, ex diſpoſitione canonum conjuncta erat obligatio agendi pœnitentiam publicam, quæ proinde non imponebatur, nec ex neceſſitate agebatur, niſi pro delictis quibuſdam gravioribus & publicis. De ſecunda excommunicatione, non de prima, ubi de pœnitentia publica agitur, loquuntur Patres, ut Auguſtinus in Enchir. cap. 65. verbis ſupra relatis, & S. Cyprianus in libro de oratione dominica, ubi ait: *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes, à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.*

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS.

D E
EXTREMA-UNCTIONE.

EXtremam-unctionem Sacramentum eſſe negavit Lutherus lib. de captivitate Babylonica, ubi ſic ait: *Huic ungendorum infirmorum ritui duas additiones ſeſe dignas addiderunt Theologi noſtri* (Catholici) *unum, quod Sacramentum appellant; alterum, quod extremum faciunt*. Lutherum imitatur Calvinus lib. 4. inſtitution. cap. 19. §. 18. ubi hæc habet: *Tertium fictitium ſacramentum eſt Extrema-unctio ... que nonniſi à ſacerdote perficitur, idque in extremis, & oleo ab Epiſcopo conſecrato, atque hac verborum forma, Per iſtam ſanctam unctionem & piiſſimam, &c. Ejus duas eſſe virtutes fingunt, peccatorum remiſſionem, & corporalis morbi levamen, ſi ita expediat ... ſin minus, animæ ſalutem ... Ejuſdem rationis eſt iſta unctio, cujus eſſe manuum impoſitionem ſupra demonſtravimus ... nempe hyſtrionica hypocriſis*. Sed

Quæritur utrùm antea in eodem errore fuerint Vvaldenſes. Negant recentiores aliqui, non ſine aliqua veriſimilitudine. Nos cum Bellarmino lib. de ſacr. extr. unct. cap. 1. affirmamus, & probamus, 1. ex Reinero lib. contra Vvaldenſes cap. 5. ubi ait: *Sacramentum unctionis etiam reprobant*. 2. Ex Ænea Sylvio lib. de orig. Boemorum cap. 35. ubi hæc habet: *Confirmationem, quam chriſmate Pontifices inducunt, & Extremam-unctionem inter Eccleſiæ ſacramenta minimè numerant.*

At inquies. In fidei profeſſione, quam Vvaldenſes Uladislao Regi obtulerunt, ſeptenarium ſacramentorum numerum confitentur. *Sacramenta*, inquiunt, *ſeptenario incluſa numero, Eccleſiæ Chriſti utilia eſſe pandimus*. Reſpondemus propter Reineri & Sylvii authoritatem, Vvaldenſes in illa profeſſione fidei mentitos eſſe, & tempori ſervire voluiſſe.

Eumdem errorem ſequutus eſt Joannes Vvicleffus, quod probat Bellarminus loco citato authoritate Thomæ Vvaldenſis, & ex ipſo Vvicleffo lib. trialogi cap. 25. *ubi contendit*, inquit Bellarminus, *hoc ſacramentum neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis inſtitutum, proinde nec verè ſacramentum eſſe*. Ex probatur adhuc ex Concilio Conſtantienſi ſeſſione ultima, ubi quicumque ſuſpectus de erroribus Vvicleffi, interrogandus eſt, *utrum credat, quòd Chriſtianus contemnens ſuſceptionem ſacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-unctionis, aut ſolemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter.*

Nota. Concilium non dicit, negligens, aut voluntariè omittens, ſed, quod longè aliud eſt, *contemnens*. Vvicleffiſtæ igitur contemnebant Confirmationem, & Extremam unctionem. Quare? Quia procul dubio habebant illas ut inventum merè humanum: nam ſi credidiſſent eas eſſe ritum ſacrum à Chriſto Domino inſtitutum, non eas contempſiſſent; quamvis forſaſſe neglexiſſent. Ex his argue, etiam Huſſitas, cùm omnes Vvicleffi errores ſequerentur, Extremam unctionem ex ſacramentorum albo expunxiſſe. Sed ut contra recenſitos hæreticos Catholica veritas ſtabiliatur, ſit

ARTICULUS I.

Utrùm Extrema unctio ſit novæ legis Sacramentum.

RESPONSIO.

EXtrema unctio eſt verum ac propriè dictum novæ legis Sacramentum, à Chriſto inſtitutum, & à Jacobo Apoſtolo promulgatum.

§. I.

Probatur aſſertio authoritate Scripturæ.

JAcobi cap. 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Quibus verbis Apoſtolus loquitur de Extrema-unctione, & deſignat omnia neceſſaria ad verum & propriè dictum ſacramentum; materiam videlicet remotam, nempe oleum; materiam proximam, nempe unctionem olei; formam, nempe orationem; miniſtrum, nempe presbyterum; ſubjectum, nempe infirmum; vim infallibilem cauſandi gratiam, vel, quod eodem redit, promiſſionem gratiæ, ut patet ex verbis illis, *Et ſi in peccatis ſit, remittuntur ei*; & conſequenter inſtitutionem Chriſti: ſolus enim Chriſtus potuit certis rebus ac verbis gratiæ promiſſionem, & vim infallibilem cauſandi illam adnectere; permanentem denique inſtitutionem, cùm Apoſtolus generatim omnes omnium temporum Chriſtianos alloquatur.

§. II.

Probatur aſſertio authoritate Patrum.

1. ORigenes homil. 2. in Levit. recenſens remedia, quibus in lege evangelica homines peccatorum remiſſionem conſequi poſſunt, ſic ait: *Audi nunc quanta ſint remiſſiones peccatorum in Evangeliis. Eſt iſta prima, qua baptizamur in remiſſionem peccatorum. Secunda remiſſio eſt in paſſione martyrii. Tertia eſt, quæ pro eleemoſyna datur ... Quarta nobis fit remiſſio peccatorum per hoc, quod & nos remittimus peccata fratribus noſtris ... Quinta remiſſio peccatorum eſt, cùm converterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ ... Sexta quoque fit remiſſio per abundantiam charitatis ... Eſt adhuc & ſeptima, licèt dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum ... & cùm non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundùm eum qui ait: Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum, &c.*

Hic Origenes inter remedia ad veniam peccatorum obtinendam in lege nova peccatoribus data, cum Baptiſmo, & Pœnitentia recenſet Extremam-unctionem; aperteq; aſſerit, ſicut Pœnitentiæ, ita & Extremæ-unctioni, quæ quoddam pœnitentiæ complementum eſt, remiſſionis peccatorum promiſſionem adnexam eſſe. Igitur certum fuit & exploratum Origeni, Extremæ-unctionis ritum tam eſſe verè & propriè ſacramentum novæ legis, quàm ritum Baptiſmi & Pœnitentiæ.

2. Innocentius I. ep. 1. ad Decentium cap. ultimo, recitatis Jacobi Apoſtoli verbis, *Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet presbyteros, &c.* ſic proſequitur: *Quod non eſt dubium, de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt; quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate adungendum*. Et inferiùs: *Pœnitentibus iſtud* (oleum chriſmatis) *fundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti: nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?*

Ecce diſertis verbis aſſerit Innocentius ritum Extremæ-unctionis eſſe unum è ſacramentis novæ legis, & tam verè ac propriè ſacramentum eſſe, quàm eſt Euchariſtia, quæ pœnitentibus publicis extra mortis articulum non concedebatur, niſi peracta pœnitentia, ad quam pro gravioribus & ſcandaloſis criminibus agendam damnati erant.

Porrò, quod diligenter advertendum eſt, Decentius, ad quem Innocentius reſcribit, non ambigebat utrùm Extrema-unctio ſacramentum eſſet, an non; ſed è contra manifeſtè ſupponendo illam verè ac propriè ſacramentum eſſe, dubitabat ſolùm, utrùm non tantùm à ſimplici presbytero, ſed etiam ab Epiſcopo miniſtrari poſſet, propter verbum Apoſtoli, *Inducat presbyteros*. Hanc autem dubitationem diſſolvit Innocentius loco citato, his verbis: *Cæterùm illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt: nam idcircò de presbyteris dictum eſt* (inducat presbyteros) *quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere*. Certè ſi Decentius putaſſet Extremam-unctionem non eſſe ſacramentum à Chriſto inſtitutum, ſed cœremoniam purè eccleſiaſticam, nec dubitaſſet nec dubitaret utrùm poſſet miniſtrari ab Epiſcopo. Cùm verò Innocentius illam etiam ab Epiſcopo miniſtrari poſſe probat, ex eo quòd Epiſcopi ſit oleum benedicere, perinde eſt ac ſi diceret: Si ad Epiſcopum pertinet materiam ſacramenti conficere, quantò magis poteſt illud ſacramentum miniſtrare?

Bellarminus lib. citato cap. 4. ait, quod vel unum hoc Innocentii teſtimonium, etiamſi nullum aliud ex veteribus ſcriptoribus poſſemus proferre, ſufficere deberet. Nam, inquit, author eſt antiquus, ſi quidem anno 402. ſedere cœpit, eſtque vir doctus, &
„ ſanctus, & ab Auguſtino, Hieronymo & Chryſo-
„ ſtomo mirificè commendatus ... & epiſtola ejus
„ certa eſt .. Dicit expreſsè & clarè, hanc Unctio-
„ nem eſſe ſacramentum à Jacobo explicatum, &
„ ideò non dari iis, qui non ſunt capaces aliorum
„ ſacramentorum; nec ullus unquam veterum eum
„ reprehendit, quòd unctionem infirmorum ſacra-
„ mentum eſſe docuerit.

Addit paulò inferiùs Bellarminus, „ ex hoc etiam
„ teſtimonio colligi, cur non extent multa hujus
„ generis teſtimonia, id eſt, tam antiqua, & tam
„ expreſſa: quia videlicet non habuerunt occaſio-
„ nem de hac re ſcribendi. Nam nec Innocentius
„ de hac re ſcripſiſſet, niſi Epiſcopo Eugubino du-
„ bitatio illa in mentem veniſſet, utrùm Epiſcopus
„ poſſit dare ſacramentum Unctionis extremæ, an
„ ſolus presbyter: alioqui enim de ſacramentis, quæ
„ in uſu quotidiano erant, non ſcribebant Patres,
„ niſi coacti aliqua occaſione, vel niſi hæreticis reſ-
„ pondendum eſſet.

3. S. Auguſtinus ſerm. 215. de tempore, ſic loquitur: *Quoties aliqua infirmitas* (gravis) *ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat* (per presbyterum ad id accerſitum) *ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo*, Infirmatur aliquis; inducat presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere* (ſi expediet ſaluti animæ illius) *& peccatorum* (niſi obicem ponat) *indulgentiam merebitur obtinere*. Hìc Auguſtinus vim remittendi peccata Extremæ-unctioni ineſſe, adeòque eam verè ac propriè ſacramentum, manifeſtè agnoſcit.

4. Petrus Damianus ſermone 1. in dedicatione Eccleſiæ, ſacramentis novæ legis diſertè accenſet Extremam-unctionem: nam ſic ait: *Primum eſt Baptiſmatis ſacramentum .... Secundum eſt ſacramentum Confirmationis .... Tertium eſt Unctio infirmorum. Infirmantibus nobis, & uſque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, ſpiritus pietatis aſſiſtis ..... Ait enim divus Jacobus: Infirmatur quis in vobis? .... Solemnis unctio, liquor excellens, quo ſanitas redditur, peccatum dimittitur*. Juxta Damianum igitur, Extrema-unctio vim habet dimittendi peccata, adeòque infundendi gratiam ſanctificantem, ſine qua peccata non dimittuntur. Juxta Damianum igitur, Extrema-unctio tam eſt propriè ſacramentum, quàm Baptiſmus, & Confirmatio.

5. Denique Hugo à S. Victore Patribus hactenùs allegatis apertè ſubſcribit lib. 2. de ſacramentis parte 15. cap. 2. quamvis erroneè ſentiat Extremam-unctionem à Chriſto non immediatè, ſed mediatè tantùm inſtitutam fuiſſe. Verba ejus ſunt: *Sacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur. Jacobus enim Apoſtolus in epiſtola ſua ſcribens, ſic ait: Infirmatur quis .... in quo oſtenditur duplici ex cauſa ſacramentum hoc inſtitutum, & ad peccatorum ſcilicet remiſſionem, & ad corporalis infirmitatis allevationem ... Quod ſi fortè corporis ſanitatem & valetudinem habere illi* (qui ſuſcipit hoc ſacramentum) *non expedit; illam proculdubio, quæ eſt animæ, ſanitatem & allevationem in hujus unctionis perceptione acquirit*. Porrò dixi, erroneè, quia quòd omnia ſacramenta Chriſtus per ſe ipſum inſtituerit, non erat tunc temporis res explorata in Eccleſia; imò nec tempore S. Thomæ, ut patet ex ejus Commentario in quartum diſt. 23. quæſt. 1. artic. 1. reſp. ad 4. quæſt. ubi ait tantùm, probabiliorem eſſe ſententiam illam, quæ tenet Extremam-unctionem & Confirmationem à Chriſto immediatè inſtitutas eſſe.

§. III.

Probatur aſſertio authoritate Conciliorum.

1. Concilium Regiaticinum anno 850. celebratum, hæc habet can. 8. de Extrema-unctione. *Illud quoque ſalutare ſacramentum, quod commendat Jacobus Apoſtolus dicens, Infirmatur quis in vobis .... ſolerti prædicatione populis innoteſcendum eſt, magnum ſanè ac valdè appetendum myſterium, per quod ſi fideliter poſcitur, & peccata remittuntur, & conſequenter corporalis ſalus reſtituitur: ſed quia frequenter contingit, ut ægrotus aliquis aut ſacramenti vim neſciat, aut minus periculoſam reputans infirmitatem, ſalutem ſuam operari diſſimulet .... debet eum loci presbyter congruenter admonere ... Hoc tamen ſciendum, quia ſi is qui infirmatur, publicæ pœnitentiæ mancipatus eſt, non poteſt hujus myſterii conſequi medicinam, niſi prius reconciliatione percepta, communionem Corporis & Sanguinis Chriſti meruerit: cui enim reliqua ſacramenta interdicta ſunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis eſt, ut per ſe ipſum viſitandum & ungendum dignum exiſtimet Epiſcopus, ab ipſo quàm plurimum competenter fieri valet, à quo ipſum chriſma conficitur, & cui peccata remittendi officio privilegii poteſtas conceſſa eſt?*

Ex hoc canone, quid octo prioribus Eccleſiæ ſæculis Eccleſia de Extrema-unctione ſenſerit, eam ſcilicet ſacramentum eſſe, quo peccata delentur, ita clarè habemus, ut nullus ſuperſit tergiverſationi locus.

2. Idem pro ſequentibus ad decimum-quintum uſque habemus ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Quintum ſacramentum*, ubi dicitur: *Quintum ſacramentum eſt Extrema-unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum, &c.*

3. Denique Concilium Trid. ſeſſ. 14. catholicam de Extrema-unctione doctrinam contra novatores ſæculi XVI. exponens, ſic loquitur cap. 1. de Extrema-unctione: *Inſtituta eſt autem hæc ſacra Unctio infirmorum, tanquam verè & propriè ſacramentum novi te-*

ſtamenti, à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis, &c. Et can. 1. *Si quis dixerit Extremam-unctionem non eſſe verè & propriè ſacramentum, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum: anathema ſit.*

§. IV.

Confirmatur aſſertio ex conſtanti & perpetua praxi Eccleſiæ in adminiſtranda infirmis Extrema unctione.

PRo tertio ſæculo habemus Origenem verbis §. 2. laudatis, quibus apertè aſſerit ſuo tempore, ſicut pœnitentes auricularitet confeſſos, per abſolutionem ſacramentalem, ita & infirmos per olei unctionem à peccatis liberatos fuiſſe; & cùm ait Pœnitentiam & Extremam unctionem remedia eſſe, ad veniam peccatorum obtinendam in lege nova peccatoribus conceſſa, apertè ſignificat non tunc primùm, ſed ab Eccleſiæ exordio, utramque in Eccleſia uſitatam fuiſſe; unde ejus authoritas valet etiam pro duobus prioribus ſæculis.

Pro quarto ſæculo habemus Chryſoſtomum lib. 3. de ſacerdotibus, ubi de ſacerdotibus ait: *Neque enim ſolùm cùm nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Quod ut probet, citat verba Jacobi Apoſtoli, *Infirmatur quis in vobis.* Itaque Chryſoſtomi tempore ſacerdotes, ſicut catechumenos baptizabant, & baptizando eis regenerationis gratiam conferebant, ita oleo ungebant infirmos, & ungendo conferebant eis gratiam, qua peccata eis condonabantur.

Pro quinto ſæculo habemus Innocentium I. & Auguſtinum locis §. 2. citatis, quibus manifeſtè ſignificant infirmos ad ſanitatem corporis & animæ obtinendam ungi ſolitos.

Pro ſexto ſæculo habemus S. Gregorium lib. de ſacramentis, ubi modum Extremam-unctionem adminiſtrandi præſcribens, ſic ait: *Ingrediens ſacerdos in domum infirmi, dicat hanc orationem: Deus qui famulo tuo, &c.* Tum ſubjectis aliis duabus orationibus, ſic proſequitur: *Poſtea faciat ei ſignum crucis in capite de oleo benedicto, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis.* Sub quibus verbis legitur *Alia oratio ad infirmum ungendum: Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare, creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateas hic ſpiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti, per, &c.*

Pro ſeptimo ſæculo ſuggerit nobis teſtimonium Surius in vita S. Hunegundis. *Illa,* inquit, *converſa ad eos qui illic aſſiſtebant, presbyteros, ſacræ unctionis oleum & Euchariſtiam ſibi petiit miniſtrari.*

Pro octavo ſæculo Bedam habemus, commentatio in epiſtolam Jacobi, ubi ad hæc verba, *Et orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum*; ſic habet: *Hoc & Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur à presbyteris.*

Pro nono ſæculo ſeſe nobis offerunt, præter Concilium Regiaticinum can. ſupra laudato, plura alia Concilia, ex quibus unum hic nobis ſufficiat, nempe Cabilonenſe II. can. 48. quo dicitur: *Secundùm beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent:* ſic enim ait: *Infirmatur quis in vobis ... Non eſt itaque parvi pendenda hujuſcemodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur languoribus.*

Pro decimo ſæculo habemus vitam Sancti Oſvualdi Epiſcopi Eboracenſis, qui hoc ſæculo deſinente obiit. De eo autem narratur, quòd *regreſſus in oratorium, convocatis fratribus, hortatur eos impendere ſibi miniſterium Sacræ-unctionis, tum viatico dominici Corporis.*

Pro ſæculo undecimo vitam Leonis IX. in qua Author hæc refert: *Decrevit* (Leo) *ut quoniam plures Epiſcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præſentibus inungeretur ſacri olei liquore.*

Pro duodecimo ſæculo habemus S. Bernardum in vita S. Malachiæ, de quo ſic ait: *Jubet ſe ſacro oleo ungi ... Ungitur; & ſumpto viatico, fratrum ſe orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.* Adde Magiſtrum Sententiarum lib. 4. diſt. 23. litt. A. *Aliud eſt,* inquit, *ſacramentum, ſcilicet Unctio infirmorum, quæ fit in extremis oleo per Epiſcopum conſecrato.*

Ex his porrò teſtimoniis hocce paragrapho allatis, ſatis apparet perpetua & conſtans Eccleſiæ conſuetudo infirmos ungendi non ſolùm ad morbi alleviationem, ſed etiam ad remiſſionem peccatorum, proindeque omnibus retrò ſæculis in Eccleſia perſuaſum & exploratum fuiſſe, verba Jacobi Apoſtoli, *Infirmatur quis, &c.* dirigi ad fideles omnium temporum, & extremam illam unctionem, quam præſcribit Apoſtolus, eſſe ritum ſacrum à Chriſto Domino permanenter inſtitutum; & ita verè ac propriè dictum novæ legis ſacramentum.

§. V.

Confirmatur denique aſſertio ratione congrua.

RAtionem hanc ſuggerit Tridentinum in proemio doctrinæ de ſacramento Extremæ unctionis, in hunc ferè modum. Chriſtus nobis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis adversùs omnia omnium hoſtium tela proſpectum eſſe. Ergo ſicut auxilia maxima in ſacramentis aliis nobis præparavit, quibus nos, dum viveremus, integros conſervare poſſemus ab omni graviore ſpiritus incommodo; ita & convenientiſſimè Extremæ-unctionis ſacramento, tanquam firmiſſimo quodam præſidio, finem vitæ noſtræ munire voluit: quamvis enim adverſarius noſter diabolus occaſiones per omnem vitam quærat & captet, ut quoque modo poſſit devorare animas noſtras; nullum tamen tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiducia, etiam ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quàm cum impendere nobis exitum vitæ perſpicit. Ita Tridentinum.

§. VI.

Solvuntur objectiones aliquæ.

OBjicies 1. Ante ſeptimum ſæculum nulla extant exempla, quòd ſancti viri in extremis agentes, oleo benedicto perungi voluerint. *Reſp.* mirum non eſſe quòd prioribus ſæculis exempla ejuſmodi ſcripto tradita non fuerint: ut enim obſervat Bellarminus lib. citato cap. 6. res notiſſimæ & quotidianæ ſcribi non ſolent. Quod confirmat ibidem exemplo S. Bernardi. „ Certè, inquit, S. Bernardus „ nunquam omiſiſſet ejuſmodi ſacramentum, cùm „ conſtet eum maximi feciſſe hoc ſacramentum, ex „ vita S. Malachiæ ab ipſo ſcripta, & ſimul con- „ ſtet eum habuiſſe ſummam commoditatem ſacra- „ menti percipiendi, cùm & mortem ſuam prævi- „ derit, & prædixerit, & tamen ſcriptum non eſt „ eum accepiſſe hoc ſacramentum. “ Addimus ha- „ bere nos pro ſexto ſæculo, apud Bollandum, Threſani presbyteri exemplum, *qui oleum ſanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate ſuſcepit .... quæ poſtquam explevit, viaticum petiit.*

Obj. 2. S. Dionyſius in lib. de eccleſ. hierarch. ubi

agit

Digitized by Google

agit de ſacramentis novæ legis, non meminit unctionis extremæ. *Reſp.* in libro illo, Dionyſio propoſitum non fuiſſe de omnibus novæ legis ſacramentis tractare; unde ibi nec pœnitentiæ nec matrimonii meminit, ut advertit Sanctus Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. ad 3. ubi ait: *Dionyſius non facit aliquam mentionem de Extrema-unctione, ſicut nec de Pœnitentia, nec de Matrimonio; quia ipſe non intendit determinare de ſacramentis, niſi quatenus per ea innoteſcere poteſt eccleſiaſtica hierarchia ordinata diſpoſitio, quantùm ad miniſtros & actiones miniſtrorum, & recipientes.*

Obj. 3. Unctionis cœremonia partim ab hæreticis, partim ab ethnicis originem ducit: hæc enim cœremonia primi uſi ſunt Valentiniani, & ethnici conſueverunt ungere mortuos. *R.* neg. object. *Ad prob. dico* cum Bellarmino, hæreticorum illorum cœremoniam à noſtra diverſiſſimam fuiſſe: nos enim ungimus morituros; illi verò ungebant mortuos. Ad ungendum utebantur aqua & oleo ſimul mixtis; nos verò non miſcemus aquam cum oleo, ſed oleo puro ungimus. Denique ungendo, verbis quibuſdam inauditis & horribilibus utebantur; nos verò utimur piis & à Chriſto Domino inſtitutis. Quòd autem attinet ad ethnicos, morem illum mortuos ungendi ſumpſerunt ab Hebræis: nam, ut conſtat ex Scriptura veteri & nova, mortuorum ſuorum corpora Hebræi ſolebant ungere.

Obj. 4. Si Extrema-unctio eſſet ſacramentum, haberet effectum infallibilem. Atqui non habet; effectus enim illius eſt ſanitas corporalis, quam pauciſſimi ex infirmis, qui Extremam unctionem accipiunt, recuperant, ut docet experientia. Ergo, &c. *R.* ad hoc ut extrema unctio ſit verè ac propriè ſacramentum, ſufficere quòd effectus ejus primarius ſit infallibilis, quantùm eſt ex parte ipſius Extremæ unctionis. Pro quo

Nota. Extremæ-unctionis duplex eſt effectus; unus ſcilicet principalis, nempe gratia ſanctificans, & ſanans animam cum auxiliis actualibus ad ſuperandas dæmonis tentationes idoneis; alter verò minùs principalis, nempe corporalis ſanitas. Hic effectus infallibilis non eſt; ſæpiſſimè enim contingit non ſanari infirmos qui unguntur. At effectus alter, quod ſufficit, infallibilis eſt, quantùm eſt ex parte ſacramenti: nam Extrema unctio ſemper & infallibiliter gratiam cum auxiliis actualibus ei adnexis confert infirmis quibus adminiſtratur, niſi ponant obicem.

Dices. Per verba Jacobi Apoſtoli ex æquo promittitur uterque effectus. Ergo vel uterque infallibilis eſt, vel neuter. *R.* neg. ant. Nam promiſſio corporalis ſanitatis eſt conditionata tantùm; promiſſio verò ſanitatis animæ abſoluta eſt. Ratio eſt, quia infirmo qui ungitur, quandoque expedit corporis ſanatio, quandoque verò non: unde per verba Jacobi promittitur tantùm ſub hac conditione, ſi infirmo expediat. At animæ ſanatio ſemper expedit infirmo; unde per verba Jacobi abſolutè promittitur, & ita ſemper confertur per ſacramentum, niſi ſit obex in ſuſcipiente. Totam hanc doctrinam paucis verbis contrahit Florentinum in decreto §. *Quintum ſacramentum*, cùm ait: *Effectus eſt mentis ſanatio, & in quantum expedit, ipſius etiam corporis.*

§. VII.

Solvuntur objectiones reliquæ.

OBjicies. 1. Scriptura nullibi dicit Chriſtum inſtituiſſe Extremam-unctionem. 2. Epiſtola Jacobi non eſt Scriptura ſacra. 3. Ritus ille de quo loquitur Jacobus, fuit inſtitutus ad ſolam curationem corporum. 4. Apoſtolus requirit plures ſacerdotes; nos verò unum tantùm. 5. Nos tribuimus Unctioni ſalvationem infirmi; Apoſtolus verò orationi. 6. Apoſtolus requirit fidem in eo qui inducitur ad infirmum; nos verò dicimus etiam hæreticos poſſe validè hoc ſacramentum adminiſtrare. 7. Jacobus præſcribit Unctionem eandem cum ea qua uſi ſunt diſcipuli. Marc. 6. & quæ non fuit ſacramentum. 8. Dici non poteſt, quandonam hoc ſacramentum fuerit à Chriſto inſtitutum.

R. ad 1. multa Chriſtum feciſſe & dixiſſe, quæ in Scriptura non continentur, & habentur ex ſola traditione. *Reſp. ad* 2. hoc dici contra teſtimonium Patrum, & omnium veterum, qui librorum ſacrorum catalogos ſcripſerunt. *Reſp. ad* 3. falſitatem illius manifeſtam eſſe ex verbis illis, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* *Reſp. ad* 4. Apoſtolum ponere numerum pluralem pro ſingulari, quod ſatis familiare eſt ſcriptoribus ſacris. *Reſp. ad* 5. Apoſtolum tribuere effectum Unctioni ſimul & orationi, ſive integro ſacramento, ſicut & nos. *Reſp. ad* 6. negando. Nam Apoſtolus dicit, orationem fidei; non quòd in miniſtro requiratur fides, ſed quia pro ſolis fidelibus inſtituta eſt, & ſola fide intelligitur, magnumque fidei myſterium continet. *Reſp. ad* 7. neg. Nam unctio, qua Apoſtoli uſi ſunt Marc. cap. 6. fuit tantùm figura unctionis, de qua loquitur Jacobus, ut rectè docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. de Extrema unctione. *Reſp. ad* 8. hoc ſacramentum rectè dici inſtitutum à Chriſto poſt reſurrectionem, cùm inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ, cujus quædam conſummatio eſt Extrema-unctio, ut dicit Trid. ſeſſ. 14. in proemio de Extrema unctione.

Quæres, Utrùm hoc ſacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem?

Reſp. Non eſſe neceſſarium neceſſitate medii; nam poteſt ſine ejus receptione obtineri ſalus. Utrùm verò neceſſarium ſit neceſſitate præcepti, an non, controvertitur inter Doctores. Sententia affirmans placet nobis, tum quia conſuetudo Eccleſiæ in miniſtrando moribundis hoc ſacramento, videtur habere vim præcepti, & quidem graviter obligantis; ita ut moribundus non poſſet ſine gravi peccato recuſare hoc ſacramentum; tum quia hæc verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ,* videntur continere præceptum; tum quia videtur eſſe contra debitam curam ſalutis propriæ, omittere, ſine juſta excuſante, medium per ſe certum, & ordinarium, à Chriſto inſtitutum ad reſiſtendum infeſtationibus diaboli, quæ graviores eſſe ſolent ſub exitum ex hac vita, & præſervandam animam ab æterno damnationis periculo, tunc maximè, cùm in eo magis verſatur, in illo ſcilicet momento, ex quo pendet æternitas; tum denique, quia magnum ſcandalum paterentur fideles, ſi viderent aliquem hoc ſacramentum, oblatum ſibi, negligere, & nolle recipere; quod ſignum eſt, fideles credere, præceptam eſſe hujus ſacramenti ſuſceptionem.

Quæres iterum, Utrùm hoc ſacramentum iterari poſſit?

Reſp. Contra aliquos, qui ſæculo XII. negaverunt Extremam unctionem iterari poſſe non ſolum in eodem morbo, ſed etiam in diverſis; hoc ſacramentum, cùm non imprimat characterem, eſſe de numero eorum, quæ iterari poſſunt. Poteſt igitur iterari, 1. in diverſis morbis. 2. In eodem, ſi poſt valetudinem aliquo modo recuperatam, iterùm per reincidentiam mortis periculum incurratur: nam reincidentia tunc eſt, in æſtimatione prudenti, morbus à primo diverſus. Hanc noſtram reſp. tradit 1. Tridentin. ſeſſion. 14. cap. 3. de Extrema unctione. *Quod ſi infirmi*, inquit, *poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus ſacramenti ſubſidio juvari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.* Quibus verbis Tridentin. affirmat Extremam unctionem iterùm dari poſſe in ſimili vitæ diſcrimine poſt convaleſcentiam, & inſinuat alioqui non poſſe, & ita nunquam iterandam eſſe, niſi in infirmitatibus diverſis vel phyſicè, vel ſaltem moraliter.

2. Rituale Romanum in ſacram. Extrem. unct. ubi dicitur: *In eadem infirmitate hoc ſacramentum ite-*

vari non debet, niſi diuturna ſit; ut tùm infirmus convaluerit, iterùm in periculum mortis incidit. 3. S. Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 2. art. 4. ad 2. quæſt. ubi quod inter morbos diuturnos & non diuturnos diſtinguit, notatu dignum eſt. Verba ejus ſunt; *Quædam infirmitates non ſunt diuturnæ, unde ſi in eis datur hoc ſacramentum, tunc cùm homo ad illum ſtatum perveniat, quòd ſit in periculo mortis, non recedit à ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi: ſed ſi recidivum patitur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam verò ſunt ægritudines diuturnæ, ut ethica, hydropiſis, & hujuſmodi; & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis; & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterùm poteſt inungi, quia jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter.*

Quæres denique, Utrùm aliquando in Eccleſia Extrema-unctio iterata fuerit in eadem omninò infirmitate?

Reſpondent aliqui recentiores, olim iteratam fuiſſe, quod probant ex Sacramentario Sancti Gregorii, opera Hugonis Menardi edito, in quo legitur; *Deinde communicet eum*, (infirmum ſcilicet, cui jam data eſt Extrema-unctio) *de Corpore & Sanguine Domini, & ſic faciant illi per ſeptem dies, tam de communione, quàm de alio officio* (inungendi) *& ſuſcitabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Sed

Graviter allucinantur recentiores iſti; nam olim quidem per ſeptem dies, ſi duraret infirmitas, à ſacerdote ungebatur infirmus; ſed ex ſeptem illis unctionibus ſola prima ſacramentum erat; ſola enim fiebat ad gratiam ſacramentalem infirmo conferendam; ſex verò reliquæ fiebant tantùm ad impetrandam ei ſanitatem corporalem. Pro prima Sanctus Gregorius in libro Sacramentorum duas ponit formulas, ſupra jam exſcriptas, cum oratione poſt ſacramenti collationem recitanda, qua ſic orat ſacerdos; *Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo tuarum dona virtutum; & concede, ut medelam tuam, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat.* Deinde pro aliis ſex unctionibus, duas ſubjicit orationes, in quarum prima ſacerdos dicit; *Adeſto propitius famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen ſanctum tuum, inſtaurata protinùs ſanitate benedicat.* Et in ſecunda; *Super hunc famulum tuum propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporea infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur.* His autem orationibus, aut aliis ſimilibus, in quibus mentio fiebat ſolius corporalis ſanitatis, quæque proinde ad formam ſacramentalem conſtituendam ineptæ erant, veluti formulis utebatur ſacerdos in ſex poſterioribus unctionibus.

Ducem porrò hîc ſequimur Matthæum Galenum, Duacenſis Univerſitatis Cancellarium, ſic loquentem in Promptuario theologico, catecheſi 182. *Ad hæc non fiebat illud perfunctoriè ac properanter* (loquitur de unctione infirmi facta à ſacerdote) *ſed ubi æger non convaleſcebat, redibant eodem ſacerdotes, per ſeptiduum ungentes, non quidem ſacramentum toties repetentes, ſed ſtatis precibus* (iiſdem ſcilicet cum illis, quas modò ex S. Gregorio retulimus, aut ſimilibus) *unctione curantes laborantia membra, præbenteſque ſacroſanctam Euchariſtiam*, Idem habet catecheſi 180. & 181.

ARTICULUS II.

De materia & forma ſacramenti Extremæ-unctionis.

RESPONSIO I.

MAteria remota ſacramenti Extremæ-unctionis eſt oleum olivarum. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Jacobi cap. 5. textu ſupra citato. 2. Ex traditione, cujus teſtis eſt conſtans & perpetua praxis Eccleſiæ: nam nunquam Eccleſia Græca vel Latina, hoc ſacramentum ſine oleo olivarum adminiſtravit. Praxi Eccleſiæ adde communem & unanimem ſenſum Theologorum, cujus maxima ratio haberi debet in aſſignandis materiis & formis ſacramentorum. 3. Ex Florentin. in decreto §. *Quintum ſacramentum*, ubi dicitur: *Quintum ſacramentum eſt Extrema-unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum.* 4. Ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de Extrema-unctione, ubi ſic habet: *Intellexit Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.* Ratio à priori eſt voluntas Chriſti qui convenientiſſimè inſtituit oleum olivarum pro materia remota hujus ſacramenti, quia ex ſe aptiſſimum eſt ad ſignificandos ejus effectus: oleum enim olivarum dolores mitigat, hilaritatem affert, robur membris conciliat, &c.

Dices 1. Jacobus & Tridentin. aſſignant pro materia Extremæ unctionis oleum præcisè, non oleum olivarum. 2. Innocentius I. epiſt. 1. cap. ultim. ſignificat Extremam unctionem fuiſſe ſolitam conferri cum chriſmate. *Reſp. ad* 1. Oleum abſolutè & ſimpliciter dictum, eſſe oleum olivarum, ſicut panis abſolutè & ſimpliciter dictus, eſt panis triticeus. *Oleum*, inquit Sanctus Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. ad 1. quæſt. *principaliter nominatur olivæ liquor; cùm alii liquores ex ſimilitudine ad ipſum olei nomen accipiant*. Deinde Jacobus & Trident. explicari debent per Florentin. & praxim Eccleſiæ, quæ ſemper in hoc ſacramento oleum olivarum adhibuit. *Reſp. ad* 2. Innocentium loco laudato intelligere per chriſma, oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum, cui fortaſſe tempore Innocentii aliquid balſami admiſcebant Epiſcopi.

RESPONSIO II.

De eſſentia Extremæ Unctionis eſt, ut oleum ſit ab Epiſcopo benedictum.

Prob. Quia Florentinum & Tridentinum expreſsè docent, materiam remotam hujus ſacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, & cùm ſtrictè & dogmaticè loquantur, nihil requirunt ad materiam, quod non ſit de eſſentia hujus ſacramenti.

Confirmatur 1. Florent. & Trident. dicunt oleum ab Epiſcopo benedictum eſſe materiam ſacramenti; vel quia benedictio olei eſt neceſſaria neceſſitate ſacramenti; vel quia præcisè neceſſaria eſt neceſſitate præcepti eccleſiaſtici. At hoc dici non poteſt; nam aqua Baptiſmi ex præcepto Eccleſiæ neceſſariò debet benedici, & tamen Concilia non dicunt materiam Baptiſmi eſſe aquam benedictam, ſed aquam naturalem. Ergo, &c.

Confirmatur 2. Florentinum in decreto §. *Primum omnium*, cùm ait: *Materia hujus ſacramenti* (Baptiſmi) *eſt aqua vera & naturalis*, intendit docere in quo eſſentialiter conſiſtat materia Baptiſmi. Ergo ſimiliter §. *Quintum ſacramentum*, cùm ait: *Quintum ſacramentum eſt Extrema-unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*, intendit docere in quo eſſentialiter conſiſtat materia Extremæ-unctionis. Et verò cùm primo loco dicit: Materia Baptiſmi eſt aqua vera & naturalis, perinde eſt ac ſi diceret: Materia Baptiſmi eſt aqua, non quælibet, ſed vera & naturalis; ſeu, quod idem eſt,

Ma-

Materia Baptiſmi non eſt id omne quod nomine aquæ venire poteſt, ſed vera & naturalis aqua. Similiter cùm ait ſecundo loco: Materia Extremæ-unctionis eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum, perinde eſt ac ſi diceret: Materia Extremæ-unctionis eſt oleum olivæ, non quodlibet, ſed illud omne & ſolum quod ab Epiſcopo benedictum eſt. Denique quamvis ad baptizandum extra caſum neceſſitatis, ſacerdotes nunquam adhibeant niſi aquam benedictam, Florentinum tamen aſſignando materiam Baptiſmi, non meminit benedictionis aquæ, quia hæc benedictio non eſt eſſentialis Baptiſmo, ſed accidentalis tantùm, nec eſt inſtitutionis divinæ, ſed tantùm eccleſiaſticæ; ita quamvis Extrema-unctio non conferatur niſi per oleum olivæ ab Epiſcopo conſecratum, Florentinum materiam Extremæ-unctionis aſſignando, procul dubio ſimpliciter nominaſſet oleum olivæ, prætermiſſa ejus conſecratione, ſi hæc conſecratio accidentaria tantùm eſſet, & non à Christo, ſed tantùm ab Eccleſia inſtituta; & hoc feciſſet, ne fidelibus occaſio errandi daretur, & credendi conſecrationem illam eſſentialem eſſe.

Confirmatur 3. Quia materiam Extremæ-unctionis eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum ſeu conſecratum, veteres omnes tradiderunt, qui materiam illam aſſignarunt, ut Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium cap. ultimo; Sanctus Gregorius in libro ſacramentorum: dicit enim, materiam hujus ſacramenti eſſe oleum ſanctum; ſanctum autem eſt, quia ab Epiſcopo conſecratum: Beda comment. in epiſt. Jacobi; Concilium Cabilonenſe II. can. 48. Magiſter Sentent. lib. 4. diſt. 23. litt. A. S. Thomas in eamdem diſtinctionem quæſt. 1. art. 3. & alii omnes Doctores Scholaſtici, qui etiam communiter tenent olei conſecrationem eſſe non ſolùm de neceſſitate præcepti, ſed etiam de neceſſitate ſacramenti: uno, apud Suarem tom. 4. in 3. par. Divi Thomæ diſp. 40. ſect. 1. num. 2. Franciſco Victoria diſſentiente.

Dices 1. Concilium Florentinum in decreto ſolùm voluit Armenos docere ritus Eccleſiæ Romanæ, & ita §. *Quintum ſacramentum*, non aliud intendit, quàm eis exponere ritum quo in Eccleſia Romana adminiſtratur Extrema unctio. *Reſp.* Hoc eſſe apertiſſimè falſum: nam Synodus §. *Quintum* ſic ait: *Eccleſiaſticorum ſacramentorum veritatem, pro ipſorum Armenorum tam præſentium quàm futurorum faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redigimus formula. Novæ legis ſeptem ſunt ſacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, &c.* An hoc eſt velle tantùm Armenos docere Eccleſiæ Romanæ ritus? Manifeſtè igitur intendit Synodus catholicam de ſacramentis noſtris doctrinam docere Armenos, eoſque inſtruere de iis quæ ſacramentis noſtris ſubſtantialia & eſſentialia ſunt. Quod ſi non faceret, certè, contra id quod ſibi proponit, non doceret Armenos ſacramentorum noſtrorum veritatem.

Dices 2. Concilium Tridentinum voluit tantùm damnare dogmata hæreticorum, non autem ſententias quas Doctores Scholaſtici, ſalva fide defendunt. *Reſp.* Concilium Tridentinum voluiſſe non ſolùm damnare dogmata hæreticorum, ſed etiam, quantùm ad rem præſentem pertinet, fideles inſtruere de ſacramentorum noſtrorum natura, adeòque eos de materia & forma, quibus ſacramenta illa conſtant, inſtruere, ut patet vel ex ipſa ſola lectione capitum & canonum. Ad id autem quod dicitur, Concilium noluiſſe ſententias, quas Doctores Scholaſtici defendunt, damnare, *Reſp.* falſum eſſe generaliter loquendo: nam verb. gr. damnavit ſententiam aſſerentem abſolutionis formam in ſacramento Pœnitentiæ non eſſe remiſſivam, ſed ſolùm remiſſionis priùs factæ declarativam; quamvis hæc ſententia veteres inter Scholaſticos, non paucos habuerit patronos, eoſque doctrina commendabiles. Porrò ſententia negans olei benedictione Extremæ-unctionis ſacramento eſſentialem eſſe, unum habebat defenſorem tempore Concilii, nempe Franciſcum Victoria, cujus ſanè authoritas movere non debuit Concilium, illudque ab exequendo propoſito ſuo deterrere, nec re ipſa deterruit: cùm enim ſimpliciter dicit Synodus, & quidem dogmaticè loquendo, materiam Extremæ-unctionis eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, apertè ſignificat, non oleum ſimpliciter, ſed oleum Epiſcopali benedictione conſecratum, materiam eſſe ſacramenti. Sed,

Nota, ad materiam validam Extremæ-Unctionis ſufficere ut oleum benedictum ſit ab Epiſcopo, vel per ipſum, vel per ſimplicem ſacerdotem ex ejus commiſſione; nam in Eccleſia Græca presbyteri ex antiqua conſuetudine benedicunt oleum infirmorum, & id faciebant ante ſchiſma, nec unquam ea de re reprehenſi fuerunt ab Eccleſia Latina, imò conſuetudinem hanc approbavit Clemens VIII. in inſtructione de ritibus Græcorum, edita anno 1595. ubi prohibet, ne cogantur presbyteri Græci, ut accipiant oleum benedictum ab Epiſcopo, quia ex antiqua conſuetudine Orientalis Eccleſiæ, presbyteri poſſunt oleum infirmorum de licentia & commiſſione Epiſcoporum benedicere. Verba ejus ſunt: *Non ſunt cogendi presbyteri Græci olea ſancta, præter chriſma, ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere, cùm hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & ſacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur ſeu benedicantur. Chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo etiam juxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere.*

Porrò, ut obſervat Arcudius lib. de Extrem. unct. cap. 2. ita in Orientali Eccleſia olei infirmorum benedictionem presbyteris commiſerunt Epiſcopi, ut etiam ipſi per ſe illud ſemel in anno, more Latinorum feria 5. majoris hebdomadæ ſolemni pompa & apparatu, peracto ſacro, conſecrent, eoque deinde præſentes, qui divinis officiis interſunt, deliniant.

Dices. Vel benedictio olei non eſt de eſſentia Extremæ-unctionis, vel negandi ſunt presbyteri Græci poſſe, etiam poteſtate delegata tantùm, benedicere oleum. *Reſp.* neg. *Probabis*. Non poſſunt conſecrare chriſma, quia hæc conſecratio eſt de eſſentia materiæ Confirmationis. Ergo, &c. *Reſp.* neg. conſeq. Chriſtus enim velle potuit materiæ Confirmationis, qua Spiritus ſancti plenitudo confertur, eſſentialem eſſe conſecrationem ab Epiſcopo, & non alio quovis factam, nec tamen idem requirere ad materiam Extremæ-unctionis. Quòd autem Chriſtus ita Epiſcopis poteſtatem chriſma conſecrandi contulerit, ut hanc poteſtatem noluerit poſſe delegari ſimplici presbytero, colligimus ex praxi utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis: nam in utraque nunquam niſi ab Epiſcopis chriſma conſecratum fuit, quamvis ſimplices presbyteri poteſtate ſibi ab Epiſcopis, vel ſaltem à Summo Pontifice expreſsè aut tacitè delegata aliquando contulerit in utraque Eccleſia, & etiam nunc in Orientali conferant ipſum Confirmationis ſacramentum.

Responsio III.

Materia proxima Extremæ-unctionis eſt unctio, ſeu actio inungendi, facta à ſacerdote.

Prob. 1. Ex textu Jacobi ſupra relato. 2. Ex ipſo nomine ſacramenti, quod idcircò Unctio dicitur, 3. Ex verbis formæ, *Per iſtam ſanctam unctionem. &c.* 4. Ratione: nam hoc ſacramentum non conſiſtit in re permanente, ſed in uſu; & conſequenter in hoc ſacramento, ſicut & in aliis in uſu conſiſtentibus, materia proxima eſt applicatio materiæ remotæ. Applicatio autem olei eſt unctio. Ergo, &c.

Porrò hæc unctio ex uſu Eccleſiæ & præcepto Ritualium, ſecundùm aliquos obligante ſub mortali,

debet fieri in forma crucis: hoc tamen neceſſarium non eſt ad valorem ſacramenti; ſicut neque quòd fiat manu, corpus ægroti immediatè tangente; talis enim neceſſitas caret fundamento: nam, ut rectè diſſerit Suarez diſp. citata ſect. 2. n. 3. Jacobus Apoſtolus ſimpliciter dicit: *Ungentes eum oleo*; modum autem, vel ſignum unctionis ne leviter quidem innuit. Concilia, Florentinum ſcilicet & Trid. de hoc nihil habent; & quamquam Florentinum §. *Secundum ſacramentum*, inſinuet unctionem in Confirmatione in modum crucis faciendam eſſe, nihil tale indicat poſtea §. *Quintum ſacramentum* pro Unctione extrema. Nec dic eamdem eſſe rationem pro Confirmatione & Extrema-unctione: nam per Extremam-unctionem ægrotus ſolùm ungitur per modum medicinæ, ad recuperandam ſanitatem corporis & mentis: at verò qui confirmatur, ungitur ut Chriſti miles, ad portandam & confitendam ejus crucem coram Regibus & tyrannis: unde convenientius fuit ut hæc unctio fieret in modum crucis.

Hanc diſparitatem ſuggerit Florentinum §. *Secundum ſacramentum*, ubi ait: *Effectus autem hujus ſacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen: ideòque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, propter quod ſigno crucis ſignatur.*

Dixi, Secundùm aliquos obligante, &c. Nam alii de unctione infirmi facienda in modum crucis, aut nullum eſſe præceptum, aut ſi quod eſt, nonniſi leviter per ſe obligare, ſentiunt. Sic enim proſequitur Suarez loco laudato: „ Unde ulteriùs addo, non „ videri hoc ſignum (in unctione infirmi) de ne„ ceſſitate præcepti, ſaltem ſub culpa gravi, ſeclu„ ſo contemptu, aut ſcandalo: quia nullum eſt ex„ preſsè latum præceptum de hac re; & de conſue„ tudine non conſtat ſub hac exiſtimatione eſſe in„ troductam; & præterea materia ex ſe non eſt gra„ vis. Quare ſi ex juſta cauſa omittatur, ut breviùs „ vel ſecuriùs agatur, nullum erit peccatum; regula„ riter verò id magis pium eſt, ideòque debet ſerva„ ri. Sed

Quæres 1. Quotuplex fieri debeat unctio in unaquaque adminiſtratione ſacramenti?

R. Florentinum §. *Quintum ſacramentum*, ſeptem enumerat unctiones. *Hoc ſacramentum*, inquit, *niſi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Totidem unctiones enumerant Rituale Romanum, & Catechiſmus Romanus.

Quæres 2. Utrùm omnes illæ unctiones ſint ſaltem de neceſſitate præcepti?

R. neg. Nam ex illis ſaltem duæ, nempe unctio renum & pedum, ut ſatis apparet ex modo loquendi Ritualis Romani, neceſſariæ non ſunt, nequidem neceſſitate præcepti; ſic enim loquitur Rituale: *Quinque corporis partes præcipuè ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os & manus. Attamen pedes etiam & renes ungendi ſunt: ſed renum unctio in mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non poteſt: ſed ſive in mulieribus ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.*

Simili modo loquitur Catechiſmus Romanus. *Non ſunt*, inquit, *omnes corporis partes ungendæ, ſed eæ tantùm, quas veluti ſenſuum inſtrumenta natura homini tribuit: oculi propter viſionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, vel ſermonem, manus propter tactum, qui tametſi toto corpore æquabiliter fuſus eſt, in ea tamen parte maximè viget .... renes etiam veluti voluptatis & libidinis ſedes, ungantur: tum pedes, qui nobis ingreſſus, & ad locum movendi principium ſunt.*

Ecce Rituale & Catechiſmus manifeſtum diſcrimen ponunt inter unctiones renum, & pedum, & alias quinque quibus unguntur oculi, aures, &c. adeòque ſatis videntur ſignificare duas illas unctiones ex laudabili tantùm conſuetudine addendas eſſe, non ex obligatione aliqua. Quod confirmari poteſt, 1. ex S. Thoma in 4. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. ubi ad ſecundam quæſtionem ſic ait: *Inunguntur loca quinque ſenſuum, ſcilicet oculi propter viſum, &c. propter appetitivam unguntur à quibuſdam renes; propter motivam unguntur pedes ... Illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus, quaſi de neceſſitate ſacramenti: ſed quidam non ſervant alias; quidam verò illam ſervant quæ ad pedes, & non quæ ad renes.* 2. Ex Alberto Magno in 4. diſt. 23. art. 16. in quo ſic ait: *In Ordinibus magis approbatis, & quibuſdam Eccleſiis unguntur tantùm extremitates, ut os, & nares, & oculi, & aures, quia in illis ſunt organa quinque ſenſuum: tamen alii præter hæc ungunt ſcapulas, & pectus, & renes.*

At inquies. Florentinum diſertè aſſerit ſeptem unctiones eſſe faciendas. *Reſp.* Florentinum recenſet quidem ſeptem unctiones; at non intendit dicere omnes neceſſarias. Itaque poſtquam diſertè aſſeruit materiam remotam Extremæ unctionis eſſe oleum olivæ ab Epiſcopo benedictum; & hoc ipſo tacitè ſed ſufficienter declaravit materiam ejus proximam eſſe unctionem, cùm manifeſtum ſit, materiam proximam ſacramenti in applicatione materiæ remotæ, & olei applicationem, aliam non eſſe quàm unctionem; proſequendo, quòd infirmus ungendus eſt in oculis propter viſum, &c. præciſè exponit modum quo particularis Eccleſia Romana Extremam unctionem adminiſtrat. Sed

Quæres, Utrùm ſaltem quinque primæ unctiones neceſſariæ ſint neceſſitate præcepti?

Reſp. Affirmativè: hanc enim neceſſitatem videntur ſatis exprimere Rituale Romanum, Catechiſmus Romanus, & Sanctus Thomas loco proximè laudato, ubi dicendo quòd hæ quinque unctiones adhibeantur quaſi de neceſſitate ſacramenti, ſignificat eas adhiberi ſaltem ut neceſſarias neceſſitate præcepti.

Quæres, Utrùm hæ quinque unctiones ſint etiam neceſſariæ neceſſitate ſacramenti?

Reſp. 1. Cum Suarez ſect. citata, unctiones has neceſſitate ſacramenti neceſſarias eſſe, neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex traditione probari poſſe.

1. Probari non poteſt ex Scriptura: Jacobus enim dicit tantùm: *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo*. at ex his verbis colligi non poteſt multiplicitas unctionum: ad eorum enim veritatem & complementum unica unctio planè ſufficit, ſicut unica aſperſio vel ablutio omninò ſufficit ad veritatem & complementum iſtorum verborum Chriſti: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*

2. Probari non poteſt ex Conciliis: nam ſi ex aliquo poteſt, certè ex Florentino. At hoc non: Florentinum enim ex æquo ſeptem unctiones numerat, & tamen certum eſt ex praxi Eccleſiæ univerſalis, unam ex illis neceſſariam non eſſe neceſſitate ſacramenti: renum enim unctio ſemper omittitur in fœminis, & quandoque in viris; quòd proculdubio non faceret Eccleſia, ſi hæc ſi unctio neceſſaria eſſet ad veritatem ſacramenti. Ergo ex Florentino colligere non poſſumus, quòd unctio oculorum (idem dic de ſingulis aliorum ſenſuum unctionibus) ſit de neceſſitate ſacramenti, ſi quidem Concilium nullum inter eam & renum unctionem diſcrimen ponit.

3. Probari non poteſt ex traditione: ſi quis enim

dicat,

dicat, traditione ſeu praxi Eccleſiæ declaratum eſſe, quòd unctio in hoc ſacramento debeat eſſe multiplex, & in talibus partibus corporis; reſpondemus, traditionem hanc, ſeu praxim Eccleſiæ, uniformem & eamdem in omnibus Eccleſiis non fuiſſe, adeòque per eam non indicari materiam eſſentialem, ſed ad ſummum cœremoniam aliquam eccleſiaſticam: cùm enim materia eſſentialis ſacramentorum ſit eadem ubique, talis materiæ indicium eſſe non poteſt, niſi traditio uniformis, & ubique eadem. Præterea, ſicut ex eo quòd aliquando in Eccleſia Baptiſmus collatus fuerit per trinam immerſionem, colligi tantùm poteſt, quòd trina immerſio aliquando neceſſitate præcepti neceſſaria fuerit: ita ex eo quòd in Eccleſia multæ unctiones hactenùs adhibitæ ſint, non aliud colligi poteſt, quàm præcepti neceſſitas pro multis unctionibus.

Amplius. Olim Baptiſmus aliquando per trinam immerſionem in univerſa Eccleſia, aliquando per trinam immerſionem in aliquibus Eccleſiis, & in aliis per unicam conferebatur; nunc in Eccleſia Græca per immerſionem, & in Eccleſia Latina per aſperſionem ſeu infuſionem confertur. Quid inde colligere poſſumus, quantùm attinet ad veritatem ſacramenti? Perinde eſſe, ſive per immerſionem trinam, aut unicam, ſive per aſperſionem ſeu infuſionem abluas, ſufficere, ſi verè abluas, quocumque tandem modo abluas.

Similiter, in Extremæ-unctionis adminiſtratione olim ungebantur tantùm os, nares, oculi, & aures in aliquibus Eccleſiis; & aliæ, præter has partes, ungebant ſcapulas, pectus, & renes, ut teſtis eſt Albertus Magnus loco ſupra citato. Item Eccleſiæ aliquæ ungebant oculos, aures, nares, os & manus tantùm, & aliæ prætetea renes, & pedes, aliæ verò pedes, non renes, ut teſtis eſt S. Thomas verbis ſupra citatis. Item aliquando in ipſa Eccleſia Romana unctam fuiſſe unam tantùm partem, nempe caput ſeu frontem, videtur probari poſſe ex S. Gregorio lib. ſacramentorum, ubi tradens modum adminiſtrandi Extremam-unctionem, ſic ait: *Ingrediens ſacerdos in domum infirmi, dicat hanc orationem*; & ſubjecta hac oratione cùm duabus aliis, ſic proſequitur: *Poſtea faciat ei ſignum crucis in capite de oleo benedicto* (en materiæ remotæ applicatio, adeòque materia proxima ſacramenti,) *dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis* (en ſacramenti forma, cui aliam æquivalentem ſubjicit: *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, Prophetam. Operare, creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, &c.*)

Nunc verò in Eccleſia Græca communiter ſacerdotes ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes. Dico, communiter, quia aliqui pedes omittunt, ut colligitur ex Simeone Theſſalonicenſi lib. de ſacramentis, ubi caput tantùm & manus ungendas recenſet, propter cogitationes, & quinque ſenſus. Eccleſia Romana ungit oculos, aures, nares, os, manus, renes, & pedes in viris, ſed renes omittit in fœminis; imò & in viris, quando ob infirmitatem, vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt. Eccleſia Herbipolenſis nunquam ungit renes, teſte Serrario diſp. de Extr. unct.

Arcud. lib. 5. cap. 7. Eccleſia denique Mechlinienſis in morbis contagioſis unam tantùm unctionem adhibet, aut ſaltem adhibuit aliquando, ut patet ex decreto, quod ea de re ex conſilio & ſententia Lovanienſis Univerſitatis

Idem ibid. edidit, & quo dicitur: „ In morbis contagioſis, & „ peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum, magis ad unctionem expoſitum: aut detectum, dicendo, *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum & greſſum*. Et tunc, &c.

Arcudius, relato hoc decreto, addit, quod prætermittendum non eſt, famam eſſe, quòd ſic un-

ctione unica infirmos inungi tempore peſtis, in morte introductum in regione Belgica.

Jam verò ex tam varia circa Extremæ-unctionis adminiſtrationem Eccleſiarum praxi, quantùm attinet ad hujus ſacramenti veritatem, aliud colligere non poſſumus, quàm perinde eſſe, ſive pluribus unctionibus ungatur infirmus, ſive unica tantùm; ſive ungatur tot unctionibus, ſive pluribus, vel paucioribus; ſive in hac aut his partibus ungatur, ſive in illa aut illis; ſufficereque, ſi verè ungatur oleo olivæ per Epiſcopum benedicto, quocumque modo ungatur, ut patet ex dictis ſupra de Baptiſmo.

Hanc doctrinam tradit Serrarius noſter in opuſculo de extr. unct. cap. 7. „ Abſolutè loquendo, inquit, ad eſſentialem ſacramenti hujus perfectionem neceſſariæ non ſunt plures unctiones, ſed una tantùm cum forma tota ſeu generali ſufficere queat: ita ut in Eccleſiæ judicio & manu eſſet, unam tantùm, vel duas uſurpare... Quemadmodùm enim formam non ſyllabatim à Chriſto ſancitam dixit; ſic videlicet neque definitè hanc vel illam partem, ſed ægrorum tantummodò liniendum præſcripſit, ſive una ex parte, ſive pluribus id fieret: non ſolùm enim ex D. Jacobo aliud colligi non poteſt, ſed neque ex univerſali Eccleſiæ traditione .... In ſacro etiam Baptiſmo, heroicis in illis Eccleſiæ temporibus, immerſiones vel ſuffuſiones tres uſitatas fuiſſe conſtat. Si tamen unica fiat, nihil baptiſmi natura violatur. „

Conſequenter ad hæc ſic pergit cap. 9. „ Poſſet ſacramenti hujus eſſentia ſarta tecta ſervari, etiamſi vel corpus totum, vel una tantùm ejus aliqua pars, aut verò aliæ plures aut pauciores quàm quinque linirentur. “ Quod poſtquam rationibus pluribus probavit, concludit ſic: „ Ideòque vel ſolum cor, è quo peccatorum omnium ſentina, vel ſolum caput, in quo vitiorum feneſtræ, ſenſus, vel quæcumque alia corporis pars juncta, cum carne vitiorum omnium ſeminarium in Scripturis ſignificetur; ſatis quidem ad unctionis effectum foret: nemo tamen privato ſuo arbitrio, uſitatam conſuetudinem ſuſtulerit, multò minùs eam damnarit: hos enim, & meritò, canon ferit Tridentinus. „

Serrarii authoritate utitur Arcudius lib. de Extrema unctione c. 7. ubi in fine ſic ait: „ Notandum in caſu neceſſitatis, ſi presbyter Græcus unam tantùm partem corporis ungeret, & æger moreretur, ſacramentum eſſet validum, & effectum ſuum conſequeretur propter amplitudinem formæ Græcorum, quæ omnem effectum complectitur. „

Utrique ſubſcribit Becanus cap. de Extrema-unctione quæſt. 7. num. 6. ubi dicit; „ Tametſi plures unctiones fiant in hoc ſacramento; tamen videtur una ſufficere ad eſſentiam ſacramenti, ſive fiat in capite, ſive in pectore, &c. Et num. 7. „ Hoc ſacramentum ſtatim confert gratiam, quando unica unctio peracta eſt cum ſufficiente verborum forma: reliquæ tamen unctiones ob receptam conſuetudinem non facilè ſunt omittendæ. Si autem omittantur, fit ſine detrimento ſacramenti, & effectus illius. Ex antiquioribus autem Scholaſticis ſolus Durandus, cum aliis duobus, expreſsè diſſentit. Nam S. Thomas, cùm ait loco ſupra citato, *Illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus quaſi de neceſſitate ſacramenti*; propter illud additum diminuens *quaſi*, videtur nihil aliud exprimere velle, quàm ſpecialem quamdam convenientiam unctionis quinque ſenſuum ad ſacramentum Extremæ-unctionis, velleque tantùm hoc ſacramentum per unctiones illas convenientiſſimè conferri; quia ſcilicet, ut ipſe ait, cùm hoc ſacramentum adhibeatur ut medicina, ad ſordes ſeu reliquias peccatorum tollendas, ibi convenientiſſimè adhibetur, ubi eſt radix peccatorum: hæc autem radix eſt in quinque ſenſibus.

R. itaque 2. unctiones quinque ſenſuum neceſſarias non eſſe neceſſitate ſacramenti, ſed unicam ſufficere

 poſſe,

poſſe, cum formâ ſufficienter ſacramenti effectum exprimente.

Prob. Nam 1, quòd ſine unctionibus quinque ſenſuum ſacramentum eſſe non poſſit, neque ex Scriptura, neque ex Concilii, neque ex Eccleſiarum conſuetudine probari poteſt, ut ſupra oſtenſum eſt. Ergo ſine ſufficienti fundamento unctiones illas ad eſſe ſacramenti neceſſarias eſſe aſſeritur.

2. Gregorius Magnus in libro ſacramentorum loco ſupra citato, videtur contentus eſſe una unctione, ea ſcilicet quæ in fronte fit, ad ſacramenti collationem.

3. Echologium Græcorum apud Arcudium lib. cit. c. 7. nihil habet de multiplici unctione, aut unctione harum vel illarum partium corporis, ſed ſolùm universè dicit ungendum eſſe ægrum.

4. Forma Græcorum, quæ in Euchologio extat, & quam proinde Orientalis Eccleſia ante ſchiſma adhibebat, unam tantùm indicat unctionem, ſicut & duæ Gregorianæ à nobis ſupra eſcriptæ? & Haligariana, quæ tamen eſt ipſiſſima ſecunda Gregoriana. Hæ autem omnes formulæ, non magis unctiones plures indicant, quàm hæc baptiſmi formula, *Ego te baptizo*, *&c.* & aliunde tales ſunt ut cum una tantùm unctione ſanctificationem ſacramentalem completam habere poſſint.

5. Etiam nunc nullibi unguntur organa ſenſuum omnium: nam non unguntur oculi, ſed palpebræ, Organum autem viſus, adæquatè conſiſtit in oculis, nullatenùs in palpebris. Item non ungitur organum guſtus: nam organum hoc ſedem habet in palato & lingua; at non palatum & labia, ſed os & lingua unguntur. Ergo ad eſſe ſacramenti non requiritur unctio organorum viſus & guſtus. Ergo nec requiritur unctio organorum auditus & tactus; eadem enim pro omnibus ratio eſt?

At inquies. Non unguntur quidem ipſa organa viſus & guſtus, ſed partes illis vicinæ, quod ſufficit. *R.* Si hoc ſufficit ad eſſe ſacramenti, profectò non requiruntur unctiones organorum quinque ſenſuum; nam ungi partes vicinas organis, certè non eſt ungi ipſa organa.

Dices. Tunc quidem ipſa organa non unguntur phyſicè, ſed unguntur moraliter, & hoc ſufficit. *R.* 1. tunc non magis ungi moraliter organum guſtus, quando unguntur partes vicinæ, quàm moraliter ungatur manus, quando ungitur pugnus in homine membris integro. *R.* 2. Eſto tunc moraliter organa viſus & guſtus ungantur, cùm partes vicinæ unguntur; ſed addo: Si organorum unctio moralis ſufficit ad valorem ſacramenti, ad id ſufficere poteſt, & ſufficit unica unctio; quia unica unctio phyſica poteſt eſſe moralis unctio organorum omnium ſenſuum; nam ſi ungatur frons, ungitur caput, cujus præcipua & eminens pars eſt frons; & cùm ungitur caput, moraliter ſaltem unguntur ſenſus omnes, qui in capite velut in arce reſident.

6. Supponamus alicui effodi oculos, & abſcindi palpebras? nihilominùs poterit ei validè adminiſtrari Extrema-unctio, quod nemo inficiatur; & tamen tunc neque phyſicè, neque moraliter ungi poterit organum viſus. Ergo neque phyſica, neque moralis unctio organi viſus eſſentialis eſt ſacramento. Ergo nullius alteriùs ſenſus unctio, ſive phyſica, ſive moralis, ſacramento eſſentialis eſt: eadem enim eſt ratio pro omnibus.

At inquies. Tunc ungentur partes vicinæ organo viſus, & perinde erit, ac ſi ungeretur ipſum organum. *R.* Ergo unctio organi viſus ſuppleri poteſt per unctionem aliarum partium. Ergo unctio organi viſus non eſt eſſentialis ſacramento: nam quod ſuppleri poteſt, non eſt eſſentiale ſacramento: illud enim non eſt eſſentiale ſacramento: ſine quo poteſt eſſe ſacramentum; & ſacramentum poteſt eſſe ſine eo, quod poteſt ſuppleri.

Porrò, etiam ſecundùm adverſarios, ſicut in ſuppoſitione facta ſuppleri poteſt unctio organi viſus, ita & unctio organorum auditus, odoratus & tactus ſuppleri poſſet in homine, cui amputarentur aures, nares, & manus. Ergo neque horum organorum unctio, ſive phyſica, ſive moralis, ſacramento eſſentialis eſt; ſed nec potiori jure eſſentialis dici poteſt unctio organi guſtus. Ergo apertè falſum eſt, quòd quinque ſenſuum unctiones neceſſariæ ſint neceſſitate ſacramenti: ſupereſt igitur, ut neceſſariæ tantùm ſint neceſſitate præcepti, iis ſcilicet in locis, in quibus per eas ſacramentum adminiſtrandi conſuetudo recepta eſt, & in quibus proinde non poteſt aliter quàm per illas, putà per unicam unctionem in fronte factam, ſine gravi peccato ſacramentum adminiſtrari, extra caſum evidentis neceſſitatis.

7. Denique, Chriſtus non aliter per Apoſtolum ſuum deſignavit materiam proximam Extremæ-unctionis dicendo: *Ungentes eum oleo*, quàm deſignavit per ſe ipſum materiam proximam Baptiſmi, dicendo: *Baptizantes eos*, *&c.* Ergo ſicut per ſe ipſum, dicendo *Baptizantes eos*, liberum reliquit Eccleſiæ, baptiſmum conferre per unam vel plures ablutiones, per ablutionem totius corporis, vel partis tantùm, ut capitis; ita per Apoſtolum ſuum dicendo, *Ungentes eum oleo*, Eccleſiæ liberum reliquit Extremæ-unctionis ſacramentum conferre per unam vel plures unctiones, per unctionem totius corporis; vel alicujus tantùm aut aliquarum ejus partium. Item ſicut ad veritatem Baptiſmi, Chriſtus contentus fuit ea omni aquæ naturalis applicatione, qua homo verè dici poſſet ablutus; ita ad veritatem ſacramenti Extremæ-unctionis contentus fuit ea omni applicatione, vi cujus infirmus verè dici poſſet unctus.

Dices. Si infirmus, cui Extremæ-unctio juxta Eccleſiæ Romanæ ritum adminiſtratur, poſt primam unctionem, aut etiam ſecundam vel tertiam, adde, & quartam, ſtatim moriatur, nullum erit ſacramentum. Ergo ſignum eſt unctionis quinque ſenſuum eſſe de eſſentia ſacramenti; ita ut, vel una prætermiſſa, ſacramentum non perficiatur. *R.* nullum quidem eſſe, ſacramentum in hypotheſi facta; at nullum eſt, non ob defectum alicujus unctionis, ſed ob defectum formæ ſufficienter exprimentis effectum ſacramenti; adde, & ſufficientis intentionis in Miniſtro. Quod ut intelligatur,

Nota. Tunc primùm exiſtit ſacramentum Extremæ unctionis, cùm exiſtit completa ſignificatio ſacramentalis, ut per ſe patet; & tunc primùm exiſtit completa ſignificatio ſacramentalis, cùm exiſtit ſignificatio totalis effectus ſacramentalis, ſeu totalis effectus, quem ſignificat, & ſignificando efficit hoc ſacramentum; & tunc primùm exiſtit ſignificatio totalis illius effectus, cùm exiſtit ſignificatio remiſſionis peccatorum omnium, quantùm ſcilicet (quod ſemper ſupponendum eſt) ad reliquias peccati, modo infra explicando, & ad ipſum culpæ reatum, ſi nondùm ſublatus eſt. Unde cùm in adminiſtranda Extrema-unctione ſervatur Eccleſiæ Romanæ ritus, tunc primùm exiſtit hoc ſacramentum, cùm exiſtit unctio quinti ſenſus, cum formula ſibi correſpondente; (ſive in unctionibus ſervetur ordo præſcriptus à Rituali Romano, ſive invertatur) ſi quidem tunc primùm exiſtit completa ſignificatio ſacramentalis, ſeu ſignificatio remiſſionis omnium peccatorum. Sed ad horum pleniorem adhuc intelligentiam,

Nota iterùm. Hæ voces, Per viſum, per auditum, per odoratum, &c. ſunt reſtrictivæ, & formulas quibus inſunt, determinant ad partialem tantùm ſignificationem ſacramentalem, quia determinant illas ad ſignificandam tantùm partem effectus ſacramentalis. Sic cùm ſacerdos ungit palpebras, & dicit *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti*. vult tantùm ſignificare, & tantùm ſignificat remiſſionem peccatorum per organum viſus admiſſorum, atque ita per primam illam unctionem vult tantùm determinare, & tantùm determinat ad ſignificandam peccatorum per organum viſus admiſſorum remiſſionem: unde tunc nondùm eſt ſacramentum, ſed tantùm pars illius, quia nondùm eſt

tota-

totalis ſignificatio ſacramentalis, ſed tantùm illius pars. Item cùm ungit aures, & dicit: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquiſti*, vult tantùm ſignificare, & tantùm ſignificat remiſſionem peccatorum admiſſorum per organum auditus, & ita vult tantùm determinare, & tantùm determinat hanc ſecundam unctinnem, &c. unde tunc necdum exiſtit ſacramentum, ſed tantùm altera illius pars, quia necdum exiſtit totalis ſignificatio ſacramentalis, ſed tantùm altera pars illius, &c. Quare tunc primùm exiſtit ſacramentum, quando ſacerdos, ſervato, ut ſupponitur, Ritualis ordine, ungit manus, & dicit: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquiſti*, quia tunc primùm eſt totalis ſignificatio ſacramentalis. Ex his adhuc,

Nota 3. In ſacramento Extremæ-unctionis ſecundùm ritum Eccleſiæ Romanæ adminiſtrato, ſeptem ſunt materiæ partiales proximæ, ex quibus reſultat una materia totalis proxima. Item ſunt ſeptem formæ partiales, ex quibus coaleſcit una forma totalis, quæ tamen ſacramento eſſentialis non eſt ſecundùm partes omnes, ex quibus conſtat: nam duæ poſteriores accidentales tantùm ſunt, ſicut & unctiones renum & pedum quibus correſpondent: unde ſimiliter materia totalis proxima non eſt eſſentialis ſacramento, niſi ſecundùm quinque priores unctiones, ſeu unctiones quinque ſenſuum. Sed

Ut ad factam ſupra inſtantiam redeamus, ex dictis hactenùs ſatis apparet, in hypotheſi facta, infirmo ante unctiones quinque ſenſuum moriente, nullum eſſe ſacramentum, ob defectum formulæ ſufficienter ſignificantis, & ſufficientis intentionis in miniſtro; non verò ob defectum ſufficientis unctionis. Et verò ſi ſacerdos, ungendo palpebras cum intentione conferendi totum effectum ſacramenti, diceret: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti*; Imò verò ſi ſimpliciter diceret, nulla adjecta voce, ſignificationis reſtrictiva: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti*, tunc ſtatim exiſteret ſacramentum integrum, quia adhiberet formulam completè ſignificantem, & ita unctionem à ſe factam determinaret ad ſignificationem ſacramentalem totalem, juxta id quod expreſsè dicit Arcudius loco ſupra citato.

ARTICULUS III.

De forma Sacramenti Extremæ-unctionis.

RESPONSIO I.

IN Eccleſia Romana, forma Extremæ-unctionis hæc eſt: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti*, & ita de aliis ſenſibus.

Patet ex Rituali Romano juſſu Pauli V. edito. Formulam hanc præ aliis adoptant Florentinum in decreto §. *Quintum ſacramentum*, & Trid. ſeſſ. 14. c. 1. de Extrema unctione, & de ea affirmat S. Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 2. in *Sed contra*, quòd ea omnes Eccleſiæ, Occidentales ſcilicet, utantur: unde manifeſtè colligitur, illam multis ante Florentinum ſæculis in univerſa Eccleſia Latina receptam fuiſſe, & hoc jure optimo: nam convenientiſſima eſt, cùm in ea explicetur, 1. Cauſa principalis, nempe miſericors Deus. 2. Cauſa inſtrumentalis, nempe ſacra unctio. 3. Effectus principalis, nempe remiſſio peccatorum, quorum in quinque ſenſibus radix eſt. Sed

Quæres. Quænam verba eſſentialia ſint, quænam verò accidentalia tantùm in hac forma?

Reſp. Totam hujus formæ eſſentiam in his verbis poſitam eſſe: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum*. Nam ſi ſacerdos ad primam unctionem dicat: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti*, & ad ſecundam: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquiſti*, & ſic deinceps faciat in tribus aliis unctionibus ſenſuum, faciet totum completè ſignificans effectum ſacramenti, atque ita faciet ſacramentum. Hæ igitur voces: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam*, accidentariæ tantùm ſunt, nec requiruntur ad eſſe, ſed ſolùm ad bene eſſe ſacramenti, hoc eſt, non requiruntur ut ſit ſacramentum, ſed ſolùm ut ſacramentum perfectiùs ſignificet.

Dices. In ſacramento Extremæ-unctionis exprimi debet materia proxima, ſeu actio miniſtri. Item in eo exprimi debet cauſa principalis effectus. Ergo hæ voces: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam, &c.* Eſſentiales ſunt; & ſi omittantur, nullum erit ſacramentum.

Reſp. neg. Utramque partem antecedentis. 1. Itaque falſum eſt, quòd exprimi debeat materia proxima in ſacramento Extremæ unctionis: non enim potior ratio eſt pro hoc ſacramento, quàm pro Confirmatione, quæ olim, ut patet ex Ordine Romano, validè collata fuit per hæc verba: *Confirmo te in nomine Patris, &c.* & etiam nunc validè confertur in Eccleſia Græca per hæc verba: *Signaculum donationis Spiritus ſancti*. 2. Falſum etiam eſt, quòd in ſacramento Extremæ-unctionis debeat exprimi cauſa principalis effectus ſacramentalis: nam non eſt potior ratio pro hoc ſacramento, quàm pro ſacramento Pœnitentiæ, quod validè conferri poteſt per hæc verba: *Ego te abſolvo à peccatis tuis*.

RESPONSIO II.

Forma, quacum Extremam unctionem adminiſtrant Græci, & quæ in eorum Euchologio extat, accidentaliter tantùm differt à forma qua utitur Eccleſia Romana.

Prob. Forma Græcorum hæc eſt: *Pater ſancte, medice animarum & corporum, qui miſiſti unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, omnem morbum ſanantem, & a morte liberantem; ſana quoque hunc ſervum tuum a corporali ſpiritualique infirmitate, qua continetur, & vivifica eum per gratiam Chriſti tui, potentia pretioſa, & vivifica Crucis, precibus Dominæ noſtræ Deiparæ ſemper Virginis, &c.* Quæ ſequuntur, & continent invocationem Apoſtolorum aliorumque Sanctorum, progreſſu temporis à Græcis poſterioribus addita fuere; cùm hoc ſacramentum proculdubio adminiſtrari cœptum ſit antequam Sancti illi invocari poſſent; & in vetuſtiſſimo manuſcripto hæc Græcorum formula legitur ſine commemoratione Sanctorum.

Atqui hæc forma nonniſi accidentaliter differt à forma Romanæ Eccleſiæ, ſecundùm partes omnes ex quibus conſtat ſumpta, quod facilè oſtendi poteſt: nam, ut probatum eſt, in forma Eccleſiæ Romanæ verba eſſentialia ſunt hæc. *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum*; in forma verò Græcorum verba eſſentialia ſunt hæc: *Pater ſancte, ſana hunc ſervum tuum à ſpirituali infirmitate qua continetur*. Manifeſtum autem eſt, inter hæc verba formæ Græcæ & illa formæ Latinæ aliud non eſſe diſcrimen, quàm grammaticale, atque hæc & illa eumdem effectum ſacramentalem ſignificare, ſeu eamdem gratiam ſacramentalem, gratiam ſcilic. remiſſivam peccatorum quoad reliquias peccati, & quantùm ad reatum culpæ, ſi illum invenit.

RESPONSIO III.

Forma Extremæ-unctionis neceſſariò & eſſentialiter deprecativa eſt.

Prob. 1. Ex verbis Jacobi Apoſtoli: *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum*; nam his verbis, ut diſertè aſſerit Tridentin. ſeſſ. 14. c. 1. de Extrema-unctione, materiam & formam hujus ſacramenti docet Apoſtolus. Atqui dicendo: *Orent ſuper eum.... & ora-*

& oratio fidei ſalvabit, &c. Non potuit niſi formam deprecativam ſignificare, ut per ſe manifeſtum eſt. Unde, ut ait loco citato Tridentinum, ex illis Apoſtoli verbis, non aliam ſacramenti formam quàm deprecativam intellexit Eccleſia. Ergo, &c.

2. *Prob.* Authoritate S. Thomæ in 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. qu. 2. ad quam ſic reſpondet: *Forma hujus ſacramenti eſt oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, & ex uſu Romanæ Eccleſiæ, quæ ſolùm verbis deprecativis utitur in collatione hujus ſacramenti, cujus ratio,* (congrua ſcilicet) *multiplex aſſignatur. Primò, &c.* Et inferiùs ſic ait: *In hoc ſacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, ſicut in prædictis ſacramentis* (Baptiſmi ſcilicet & Confirmationis, &c.) Item docet S. Bonaventura in 4. diſt. 23. art. 1. qu. 4. & ante utrumque docuerat Albertus Magnus in 4. diſt. 23. art. 4.

3. *Prob.* Ex praxi univerſalis Eccleſiæ. Nam 1. Orientales Eccleſiæ omnes utuntur forma quam habet Euchologium. 2. Omnes Eccleſiæ Occidentales utuntur forma quam habet Rituale Romanum; aut ſi quæ ſunt quæ aliam quoad verba adhibeant, hæc procul-dubio, ſaltem quoad eſſentialia, conſiſtit in oratione. Et verò omnes Occidentales Eccleſiæ forma deprecativa utebantur ſæculo XIII. ut

Prob. Ex S. Thoma art. proximè citato qu. 1. ubi ad hanc objectionem: *Quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, obſervantur eodem modo apud omnes: Sed nihil eſt magis de neceſſitate ſacramenti habentis formam, quàm ipſa forma: Ergo cùm non ſit aliqua forma communiter obſervata ab omnibus in hoc ſacramento, quia diverſi diverſis verbis utuntur, videtur quòd hoc ſacramentum non habeat aliquam formam;* ſic reſpondet: *Dicendum quòd illa verba, quæ ſunt de eſſentia formæ, ſcilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur: ſed alia quæ ſunt de bene eſſe* (nempe verba indicativa) *non obſervantur ab omnibus.* Et qu. 2. ad iſtam: *In quibuſdam Eccleſiis dicuntur hujuſmodi verba in collatione hujus ſacramenti. Ungo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris, &c.* reſpondet ſic: *Dicendum quòd verba illa indicativi modi, quæ ſecundum morem quorumdam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus ſacramenti, ſed ſunt quædam diſpoſitio ad formam* (quæ ſcil. poſteà profertur, & eſt oratio.) Teſte igitur S. Thoma, ipſius ætate Eccleſiæ omnes in Occidente formam deprecativam adhibebant; quem autem aliquas ex illis poſteà reliquiſſe, & formam deprecativam, quam ab anteceſſoribus acceperant, in indicativam commutaſſe, nec probatur, nec probabile eſt.

Dices 1. Ipſa Eccleſia Romana aliquando formam indicativam adhibuit, ut probatur ex S. Gregorio in lib. ſacram. ubi hanc Extremæ-unctionis formam tradit: *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare, creatura olei, in nomine Dei Patris, &c.* Simili, vel potiùs eadem forma ſæculo IX. aliquæ in Gallia Eccleſiæ uſæ ſunt, ut probatur ex Serrario opuſculo de Extrema-unctione, c. 5. ubi teſtatur ſe in vetuſto Halitgarii ad Ebonem Rhemenſem codice manuſcripto Herbipoli hæc legiſſe: *Poſteà unges eum,* (infirmum) *de oleo ſanctificato,* his verbis; *Ungo te de oleo ſanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen, aereas poſſis ſuperare catervas. Operare, creatura olei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat hic ſpiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, ſed operetur in eum virtus Chriſti Dei Altiſſimi, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Reſp. Cum S. Thoma loco proximè cit. hæc verba in formula Gregoriana: *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam,* & iſta in Halitgariana: *Ungo te de oleo ſanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen, aereas poſſis ſuperare catervas,* non eſſe ipſam ſacramenti formam, ſed ſolùm quandam diſpoſitionem ad formam, quæ ſtatim ſubſequitur, & in his verbis conſiſtit; *Operare, creatura olei, in nomine, &c.* adeòque tota deprecativa eſt.

Præthereà, in forma Halitgariana, hæc verba: *Ungo te de oleo ſanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen, aereas poſſis ſuperare catervas,* non magis ſunt de eſſentia, quàm in formula Romana hæc verba: *Per iſtam ſanctam unctionem.* Atqui etiam ſecundùm adverſarios, hæc verba: *Per iſtam ſanctam unctionem,* non ſunt de eſſentia. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam hæc verba, *Per iſtam ſanctam unctionem,* non ſunt de eſſentia in formula Romana, quia ſecundùm adverſarios, iſta alia, *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti,* etiamſi ſola proferantur, ſufficienter ſignificant. Atqui pariter in formula Halitgariana, hæc verba, *Operare, creatura olei, ut lateat hic ſpiritus immundus, ſed operetur in eum virtus Chriſti,* etiamſi proferantur ſine præcedentibus, ſufficientiſſimè ſignificant. Ergo, &c.

Item in formula Halitgariana hæc verba, *Ungo te, &c.* non ſunt magis de eſſentia, quàm ſi ſacerdos diceret: Per hoc oleum ſanctificatum, quo inungo te, ut more militum aereas poſſis ſuperare catervas, & piiſſimam ſuam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c. verba hæc, Per hoc oleum ſanctificatum, quo ungo te, &c. eſſent de eſſentia, ut per ſe manifeſtum eſt. Atqui verba hæc, Hoc oleo ſanctificato, quo ungo te, &c. non eſſent de eſſentia, ſed iſta tantùm, *Indulgeat tibi Dominus, &c.* quod, velint, nolint, adverſarii confiteri debent. Ergo neque in formula Halitgariana verba hæc, *Ungo te, &c.* de eſſentia ſunt, ſed iſta tantùm: *Operare, creatura olei, ut non lateat hic, &c.*

Denique idem evidenter eſt de formula Gregoriana & Halitgariana tenendum, quod de iſta, *Ungo hos oculos oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, Spiritus ſancti. Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum,* quam in libris antiquiſſimis, quos præ antiquitate vix legere valebat, legiſſe ſe teſtatur Albert. Magn. in 4. diſt. 23. art. 4. & qua ejus ætate utebatur tota Eccleſia Alemaniæ. Atqui in iſta formula, verba hæc, *Ungo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris, &c.* non ſunt eſſentialia, ut etiam ipſimet adverſarii agnoſcere debent, ſi ſibi conſtare volunt: nam ſecundùm eorum doctrinam, iſta quæ ſubſequuntur, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti,* præcedentibus omnibus omiſſis, completam habent ſignificationem ſacramentalem. Ergo, &c.

At inquies. Præfatæ tres formulæ ſaltem ſunt mixtæ ex indicativo & deprecativo. Ergo ſaltem non ſunt purè deprecativæ. *Reſp.* 1. neg. ant. Nam præfatæ tres formulæ adæquatè conſiſtunt in oratione, quam præcedunt verba indicativa, quæ diſtinctam & diverſam ab ea phraſim faciunt. Itaque in hiſce formulis, verba indicativa, quæ præmittuntur, *non ſunt,* ut loquar cum S. Thoma loco ſupra cit. *forma ſacramenti* (nequidem ex parte) *ſed ſunt quædam diſpoſitio ad formam, in quantum intentio miniſtri determinatur ad actum illum, per illa verba* (hoc eſt, in quantùm per illa verba, miniſter exprimit intentionem quam habet faciendi ſacramentum, ungendo infirmum, & ſuper eum orando.)

Reſp. 2. diſt. ant. Ad mentem Alberti Magni loco ſupra citato, præfatæ tres formulæ mixtæ ſunt ex deprecativo & indicativo, tanquam eſſentiali, & pertinente ad eſſe ſacramenti, N. ant. Ex indicativo tanquam accidentario, & ſolùm pertinente ad bene eſſe ſacramenti, Eſto. Dico, Eſto, quia indicativum in præfatis formulis nequidem hoc ſecundo modo eſt de ſacramenti forma, propriè loquendo, quia non unam & eamdem phraſim faciunt cum oratione, quæ formam ſacramenti adæquatè conſtituit in præfatis formulis. Aliud porrò eſt in forma Romana de his verbis: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam:* nam unam phraſim faciunt cum ſubſequentibus: unde verè pertinent ad bene eſſe ſacramenti, quamvis non pertineant ad eſſe, quia in ſubſequentibus tota formæ eſſentia conſiſtit.

Di-

Dices 2. S. Bonavant. in 4. diſt. 23. art. 1. quæſt. 4. hanc refert formulam, quam Ambroſianam vocat: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Ergo, teſta S. Bonaventura, olim in ſacramento Extremæ-unctionis forma purè indicativa adhibita fuit in Eccleſia Mediolanenſi. *Reſp.* Hæc verba quæ S. Doctor ut formam Ambroſianam ſibi objicit, eſſe ipſummet præambulum formulæ Halitgarianæ, adeòque meritò dici poſſe, & intrepidè dicendum eſſe, quòd in Eccleſia Mediolanenſi illis ſubjiceretur oratio Halitgarianæ formulæ, vel alia ſimilis, quæ ſacramenti formam conſtituebat.

Idem porrò reſponderi debet Palacio, qui ea libro ſacramentali Venetorum, quem dicit approbatum fuiſſe à Leone X. hæc verba, ut ſacramenti Extremæ-unctionis formam exſcribit: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus, fortiter ſtare valeas adverſùs aereas catervas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Nam manifeſtè eadem ratio eſt pro his verbis, quæ pro Ambroſianis mudò relatis. Incunctanter ergo dicimus allucinatum eſſe Palacium, & præambulum formulæ exſcripſiſſe pro ipſa formula, nempe pro oratione quæ verba illa ſubſequitur in Venetorum Sacramentali, & in qua ſacramenti forma conſiſtit. Deceptus autem fuit Palacius ſimilitudine quam habent hæc verba: *Ungo te, &c.* cum aliorum ſacramentorum formis: *Ego te baptizo, &c. Confirmo, &c. Ego te abſolvo, &c.*

ARTICULUS IV.

Quinam ſint effectus Extremæ-unctionis.

Effectus Extremæ-unctionis accuratè deſcribit Synodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 2. de Extrema-unctione: *Res porro*, inquit, *& effectus hujus ſacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc, gratia eſt Spiritus ſancti, cujus unctio, delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Hos autem effectus omnes Florentinum in decreto §. *Quintum ſacramentum*, paucis his verbis comprehendit: *Effectus eſt mentis ſanatio, & in quantum expedit, ipſius etiam corporis.* Juxta Florentinum itaque, Extremæ-unctionis duplex eſt effectus. Primus eſt ſanatio corporis, juxta illud Apoſtoli: *Oratio fidei ſalvabit infirmum:* hunc autem effectum, ut jam obſervatum eſt, non habet ſacramentum ſemper & infallibiliter, ſed aliquando tantùm, quando ſcilicet ita expedit ſaluti ægrotantis; adde, ſecundùm divinam providentiam. Et quia, ſecundùm eam, non expedit ſemper turbari rerum ordinem, quotieſcumque ſenes v. g. & decrepiti mori debent ſecundùm cauſarum naturalium exigentiam, non ſemper per ſacramentum ſanitas eis reſtituitur, licèt ſi diutiùs viverent, poſſent magis mereri, & plures gratiæ gradus acquirere per opera in Deo facta, & uſum ſacramentorum: neque vice verſa, quoties infirmus convaleſcit, ſuſcepto Extremæ-unctionis ſacramento, exiſtimandum eſt id fieri virtute ſacramenti, & ſaluti convaleſcentis magis expedire: poteſt enim ſanitas corporis reſtitui, & reſtituitur interdùm per ſolas cauſas naturales.

Secundus effectus eſt ſanatio mentis: Hæc autem, præter infuſionem gratiæ ſanctificantis, in tres alios effectus partiales dividitur, videl. in alleviationem infirmi, abſterſionem reliquiarum peccati, & remiſſionem peccatorum, ſi quæ ſuperſunt remittenda. 1. Itaque, ſacramentum Extremæ-unctionis animum ægrotantis alleviat, per auxilia actualia, magnam in eo miſericordiæ divinæ fiduciam excitando, qua ſublevatus, morbi incommoda leviùs fert, & tentationibus dæmonis faciliùs reſiſtit, ut patet ex Tridentino. 2. Abſtergit reliquias peccatorum, ut docet Tridentinum: per illas autem peccatorum reliquias intelligimus pœnas temporales pro peccatis remiſſis exſolvendas, quas per ſacramentum relaxari plus, vel minùs juxta devotionem ſuſcipientis, piè, ac veriſimiliter aſſeritur. Aliarum porrò peccati reliquiarum, ut eas accipit S. Thomas, abſterſio ab alleviatione infirmi non differt, ut infrà explicabitur. 3. Remittit peccata, ſi quæ remittenda ſuperſint, ut expreſsè docet Jacobus, & poſt eum Synodus Tridentina, & ex forma Romana manifeſtè colligitur; remittit, inquam, quantùm eſt ex ſe, peccata non ſolùm venialia, ſed etiam mortalia: nam Jacobus, Tridentinum, & Formula Romana generaliter loquuntur, nec niſi violenter ad ſola venialia reſtringi poſſunt. Sed de hoc adhuc infra. His præſuppoſitis,

Quæritur. Quem ex his tribus effectibus recenſitis, ſacramentum per ſe primò conferat, ſeu, quod idem eſt, quis ex tribus illis effectibus ſit primarius effectus ſacramenti?

Circa hanc quæſtionem plures ſunt ſententiæ. Prima eſt S. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum non paucorum, qui docent effectum primarium Extremæ-unctionis eſſe remiſſionem peccatorum venialium. Secunda docet hoc ſacramentum per ſe primò tollere reliquias peccatorum, intelligendo, ut ſupra, per peccatorum reliquias, reatum pœnæ temporalis, quæ luenda ſupereſt pro peccatis remiſſis. Tertia eſt ſancti Thomæ in 4. diſt. 23. q. 1. art. 2. quæſt. 1. ubi ait ſacramentum Extremæ unctionis per ſe primò inſtitutum fuiſſe ad tollendas peccatorum reliquias; per illas reliquias intelligendo debilitatem quandam & ineptitudinem, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali. Sed hæc ſententia bene explicata, cum quarta coincidit, docente Extremam-unctionem primariò inſtitutam fuiſſe ad juvandum & confortandum animum hominis ægrotantis. His præmiſſis, propoſita quæſtio reſolvitur ſequentibus reſponſionibus.

RESPONSIO I.

Sacramentum Extremæ-unctionis non fuit primariò inſtitutum ad remiſſionem peccatorum venialium.

Prob. 1. Sacramentum Pœnitentiæ per ſe inſtitutum eſt ad remiſſionem peccatorum venialium: nam venialia ſunt ſufficiens materia confeſſionis, & directè ac per ſe tolluntur per abſolutionem ſacramentalem. Ergo neceſſe non fuit ſacramentum Extremæ-unctionis per ſe primò inſtitui ad venialium remiſſionem, adeòque gratis dicitur, ad id per ſe primò inſtitutum fuiſſe; præſertim cùm ipſummet Pœnitentiæ ſacramentum potuerit non inſtitui per ſe ad remiſſionem venialium, & ſic ad ea remittenda per ſe inſtitutum ſit, ut tamen non ſit medium ad id neceſſarium, poſſintque ſine illo & illius voto remitti.

2. Si ſacramentum Extremæ unctionis eſſet per ſe primò inſtitutum ad remiſſionem venialium, ad dignam ſui ſuſceptionem per ſe requireret aliquem pœnitentiæ motum adverſùs venialia: nam ſine tali motu nulla venialia remittuntur, adeòque ſine tali motu ſacramentum hoc nunquam habere poſſet effectum ſuum primarium. Atqui ſacramentum hoc, ut dignè ſuſcipiatur, nullum per ſe requirit pœnitentiæ motum adverſùs venialia; nam ſine tali motu, ab ægroto exiſtente in ſtatu gratiæ, dignè & utiliter ſuſcipitur. Ergo, &c.

Porrò ſi Extrema unctio non fuit per ſe primò inſtituta ad remiſſionem venialium, multò minùs fuit per ſe primò inſtituta ad remiſſionem mortalium: nam duo ſacramenta non fuerunt per ſe primò inſtituta ad eundem effectum. At Baptiſmi ſacramentum per ſe primò inſtitutum eſt ad remiſſionem peccati originalis, & ſacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem mortalium omnium poſt baptiſmum admiſſorum, & qui-

dem

ſem tanquam medium ad id neceſſarium, ita ut nullum mortale, admiſſum poſt baptiſmum, remitti poſſit ſine ſacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto; unde ſi quando mortale aliquod per Extremam-unctionem remittitur, remittitur cum onere illud poſteà ſubjiciendi clavibus, ſi ægrotus convaleſcat; nec remitteretur, ſi ægrotus careret contritione, includente votum ſacramenti Pœnitentiæ. Extrema-unctio igitur non fuit per ſe primò inſtituta ad mortalium remiſſionem. Quod

Prob. adhuc ſic. Si extrema unctio eſſet per ſe primò inſtituta ad remiſſionem mortalium, non ſupponeret vitam ſpiritualem in eo à quo ſuſcipitur, ut patet in Baptiſmo & Pœnitentia, quæ non ſupponunt vitam ſpiritualem in ſuſcipiente, & idcircò vocantur Sacramenta mortuorum. Atqui Extrema-unctio ſupponit vitam ſpiritualem in eo à quo ſuſcipitur. Ergo, &c. *Prob. min.* Ex S. Thoma loco ſupra citato, ubi ſic ait: *Sicut Baptiſma eſt quedam ſpiritualis regeneratio, & Pœnitentia quadam ſpiritualis ſuſcitatio, ita & Extrema-unctio* (eſt) *quedam ſpiritualis ſanatio, vel medicatio, Sicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitam in medicato; ita ſpiritualis ſpiritualem: & ita hoc ſacramentum non datur* (per ſe primò) *contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcilicet peccatum originale, & mortale* (actuale.) Unde

Sic argumentor breviter, Extrema-unctio nullo pacto eſt ſpiritualis regeneratio, & non eſt per ſe primò ſpiritualis ſuſcitatio, ſed ſolùm ſanatio vel medicatio ſpiritualis. Atqui medicatio ſpiritualis ſupponit vitam ſpiritualem in medicato; ſicut medicatio corporalis ſupponit in medicato vitam corporalem. Ergo, &c. Hinc ſacramentum Extremæ-unctionis ſimpliciter eſt ſacramentum vivorum; quia non dat per ſe primò vitam ſpiritualem, ſed per ſe primò ſupponit illam, iis qui poſt baptiſmum mortaliter lapſi ſunt, redditam per ſacramentum Pœnitentiæ, vel contritionem perfectam, votum ejus includentem.

At inquies. Si Extrema unctio ſupponit in ſuſcipiente vitam ſpiritualem, nunquam remittit mortalia, quod eſt contra id quod ſuperiùs dictum eſt, & probatum ex Jacobo & Trid. *Reſp.* neg. ſeq. Nam quòd Extrema-unctio per ſe & ex primaria inſtitutione ſupponat in ſuſcipiente vitam ſpiritualem, quia, ut ait S. Thomas, primariò inſtituta eſt ut ſanatio vel medicatio; hoc non impedit quominùs ex accidenti, & ex ſecundaria quadam inſtitutione, valere poſſit ad remittenda mortalia in aliquibus caſibus, iis ſcilic. in quibus ægrotus, habens mortale aliquod, non peccat actu in ipſius Extremæ-unctionis ſuſceptione, & eſt attritus cum inchoata dilectione Dei propter ſe.

Itaque, quia Extrema-unctio per ſe & ex primaria inſtitutione, vitam ſpiritualem in ſuſcipiente prærequirit, ægrotus, alicujus mortalis ſibi conſcius, tenetur Extremæ-unctioni præmittere ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ, ſi poteſt; & ſi non poteſt, tenetur præmittere contritionem perfectam, quæ cum voto ſacramenti Pœnitentiæ, quod includit, vim habet infallibilem delendi mortalia: unde ægrotus, alicujus mortalis ſibi conſcius, indignè, adeòque inutiliter Extremam-unctionem recipit, niſi priùs confiteatur, ſi poteſt; & ſi non poteſt, niſi ita conetur actum perfectæ contritionis elicere, ut ſe prudenter exiſtimet perfectè contritum.

At 1. ſi confeſſus eſt, ſed abſolutio fuit nulla propter aliquem defectum occultum; 2. Si confeſſus, & validè abſolutus, poſteà lapſus eſt in mortale aliud, cujus non meminit, aut ad quod inculpabiliter, v.g. ob vim morbi, non advertit, 3. Si confiteri non poteſt, quia in phreneſim v. g. vel apoplexiam incidit, nec habuit contritionem perfectam, antequam deſtitueretur uſu ſenſuum; juſtificari poterit per Extremam-unctionem, & per eam juſtificabitur, modò attritionem appretiativè maximam habeat cum charitate inchoata; aut habuerit paulò ante, quàm ſenſibus deſtitueretur.

Ratio eſt, quia Extrema-unctio, ex ſecundaria quadam inſtitutione, vim habet remittendi etiam mortalia, quando ſuſcipiens non ponit obicem. Suſcipiens autem non ponit obicem in præfatis caſibus, quia nec actualiter peccat ſuſcipiendo ſacramentum, nec caret diſpoſitione neceſſaria ad obtinendam juſtificationis gratiam in ſacramento. Hinc Extrema-unctio eſt etiam ſacramentum mortuorum ſecundùm quid, & cùm addito reſtringente ad certos caſus, in quibus ſubit vices ſacramenti Pœnitentiæ: quare minimè contemnenda eſt; cùm fieri poſſit, ut illius ope ſalventur multi, qui ſine illa damnarentur.

Responsio II.

Extrema-unctio non fuit per ſe primò inſtituta ad tollendum reatum pœnarum temporalium, pro peccatis remiſſis exolvendarum.

Prob. Nam, ut ait Suarez tomo citato quæſt. 41. ſect. 1. num. 9. neceſſarium non fuit ut ſacramentum aliquod per ſe primò inſtitueretur ad tollendum reatum illum; tum quia talis effectus per ſe non requirit infuſionem gratiæ ſanctificantis; tum quia eſt proprius effectus ſacrificii Miſſæ ex opere operato; tum denique quia ſunt alia media ſufficientia, quibus reatus ille tolli poteſt. Supereſt igitur, ut Extrema-unctio reatum illum tollat ex ſecundaria tantùm inſtitutione, & quidem juxta diſpoſitionem, & devotionem recipientis ſacramentum.

Quòd autem Extrema-unctio ſic tollat reatum illum, ſufficienter probari videtur. 1. Ex Formula Romana, in qua dicitur: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti;* quibus verbis petitur abſoluta & generalis remiſſio peccatorum. Abſoluta autem & generalis remiſſio peccatorum utrumque reatum, culpæ ſcil. & pœnæ complectitur. 2. Ex Trid. dicente: *Delicta, ſi quæ ſunt expianda, ac peccati reliquias abſtergit.* Videtur enim per peccatorum reliquias intelligere reatum pœnarum temporalium, quæ remiſſis peccatis luendæ remanent: nam ſi per reliquias peccatorum intelligeret id, quod S. Thomas intelligit, debilitatem ſcilicet in anima ex peccatis admiſſis relictam, idem bis diceret; cùm enim ſubjicit: *Et ægroti animam alleviat, & confirmat*, dicit debilitatem illam tolli, ut infra explicabitur.

Responsio III.

Extremæ-unctionis ſacramentum per ſe primò inſtitutum eſt ad confortandum hominis ægrotantis animum contra difficultates, illi occurrentes in articulo mortis.

Ita Suarez ſect. citata n. 11. & cum illo *probatur*. Nam hoc ſacramentum inſtitutum eſt pro ſolis ægrotantibus uſque ad mortis periculum, ut patet ex Florentino verbis infrà citandis, & ex Trident. in proœmio de Extr. unct. ubi ait, clementiſſimum Redemptorem noſtrum Extremæ-unctionis ſacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniviſſe; quia nullum tempus eſt, quo vehementiùs adverſarius noſter diabolus omnis ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit. Ergo ſacramentum hoc per ſe primò inſtitutum eſt ad ſubveniendum ſpeciali neceſſitati, quam habet homo in articulo mortis. Atqui ſpecialis illa neceſſitas, ſeu indigentia, alia non eſt quàm ſpecialium actualis gratiæ auxiliorum, quibus juvetur & confortetur ægrotantis animus contra difficultates tunc occurrentes, hoc eſt, contra morbi moleſtiam & dolores, contra torporem ex peccatis relictum, & dæmonis inſultus. Ergo ſacramentum hoc per ſe primò inſtitutum eſt ad conferenda homini periculosè ægrotanti ſpecialia gratiæ auxilia, quibus juvetur & confortetur contra, &c.

2. Chriſtus alia ſacramenta inſtituendo, ſufficientiſſimè hominibus, integras corporis vires habentibus, ſubvenit pro neceſſitatibus omnibus, quæ in hujus vitæ decurſu occurrunt. Ergo inſtitutis aliis ſacramentis, ſupererat, ut articuli mortis neceſſitati, quæ ma-

xima eſt, provideret per Extremæ-unctionis ſacramentum, id ſcilicet inſtituendo ad juvandum, & confortandum hominem in illo articulo. Ergo rectè intelligitur ſacramentum Extremæ unctionis ad hunc finem per ſe primò inſtitutum eſſe à Chriſto.

Hoc argumentum ſuggerit Tridentin. in prooemio de Extr. unct. cùm ait: *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis adversùs omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in ſacramentis aliis præparavit, quibus chriſtiani conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint; ita Extremæ unctionis ſacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit.*

Denique ſententiam noſtram ſatis indicat ipſa unctio exterior, in qua ſacramentum confertur: nam unctio corroborat, & per eam luctatores & pugiles ad pugnam diſponi ſolent. Cùm ergo Chriſtus ſacramentum hoc inſtituerit in unctione, rectè dicitur, illud ad hunc finem inſtituiſſe, ut hominis ægrotantis animum morbi vehementia debilitatum corroboraret contra torporem ex peccatis commiſſis ſuperſtitem, dolores corporis, & dæmonis tunc maximè ſævientis inſultus.

Ex dictis apparet, gratiam ſacramentalem, propriam hujus ſacramenti, eſſe gratiam ſanctificantem, annexum habentem jus ad auxilia actualia, accommodata fini ejus, quibus proinde alleviatur, & confirmatur animus hominis gravi ægritudine laborantis; quem effectum præſtat, ut ait Trident. c. 2. de Extr. unct. *Magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit.* Unde, ut obſervat Suarez n. 13. ſicut Baptiſmus dicitur ſacramentum fidei, Euchariſtia amoris, & confeſſio pœnitentiæ; ita Extrema unctio dici poteſt ſacramentum ſpei, quia per ſe primò inſtituta eſt ad illam tempore opportuniſſimo excitandam & corroborandam.

Ex his patet mens Florentini, dicentis effectum ſacramenti hujus eſſe animi ſanationem, ſeu ſanitatem; illa enim animi ſanitas, quatenùs per ſe primò datur per hoc ſacramentum, non eſt infuſio ſeu reſtitutio primæ gratiæ, ſeu gratiæ juſtificantis; hæc enim infuſio non eſt ſanatio, ſed ſuſcitatio, quæ per ſe primò in baptizatis eſt effectus ſacramenti Pœnitentiæ; ſed eſt robur illud ſeu vigor mentis, qui homini ægrotanti tribuitur contra morbi incommoda ac labores, contra pravos habitus, ſeu diſpoſitiones ex peccatis præteritis relictas, contra inſtantis mortis & judicii poſt mortem ſubeundi horrores, contra tentationes dæmonis. Hunc autem mentis vigorem ac robur confert ſacramentum, in animo ægrotantis excitando & corroborando divinæ miſericordiæ fiduciam, qua ſublevatur, confirmatur, exhilaratur, & accenditur ad actus ſalutares, ſtatui ſuo convenientes.

Dictis hactenùs omninò conſonat S. Thomas in 4. diſt. 23. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 1. in O. ubi ſic ait; *Quodlibet ſacramentum eſt inſtitutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex conſequenti inducere poſſit, quia ſacramentum efficit, quod figurat: ideò ex ipſa ſignificatione ſacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc ſacramentum ſecundùm modum cujuſdam medicationis... Medicina autem eſt ad pellendam infirmitatem: unde principaliter hoc ſacramentum eſt inſtitutum ad ſanandam infirmitatem peccati.... Sicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitam in medicato, ita ſpiritualis ſpiritualem; & ita hoc ſacramentum non datur* (per ſe primò) *contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcil. peccatum originale & mortale, ſed contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ: & hic defectus nihil eſt aliud, quàm quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali; & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc ſacramentum.*

Juxta S. Doctorem, 1. ſacramenta omnia per ſe primò inſtituta ſunt ad unum effectum, qui proinde eſt principalis illorum effectus, præter quem etiam alios producere poſſunt, ſed ſecundariò tantùm, & ex conſequenti. Quis autem ſit ille effectus, ex eorum natura intelligendum eſt.

2. Sacramentum Extremæ unctionis per ſe primò adhibetur per modum medicationis cujuſdam, adeòque per ſe primò inſtituta eſt ad ſanandam infirmitatem peccati; cùm omnis medicatio ad pellendam infirmitatem aliquam per ſe primò adhibeatur.

3. Cùm medicatio ſpiritualis ſupponat vitam ſpiritualem, ſicut medicatio corporalis ſupponit vitam corporalem in medicato, dici non poteſt quòd Extrema-unctio per ſe primò inſtituta ſit ad curandum peccatum originale, vel perſonale mortale; per hæc enim vita ſpiritualis tollitur: onde ſi Extrema-unctio adversùs illa per ſe primò inſtituta eſſet, non ſupponeret vitam ſpiritualem, ſed eam per ſe primò daret.

4. Supereſt igitur, ut Extrema-unctio dicatur per ſe primò inſtituta contra defectus quibus homo infirmatur ſpiritualiter, ſive contra vigoris ad actus ſalutares eliciendos defectum, qui defectus nihil aliud eſt, quàm debilitas, ſeu ineptitudo quædam, ex peccato actuali vel originali relicta, quæ ideò à quibuſdam Reliquiæ peccati nominatur.

5. Igitur Extrema unctio per ſe primò inſtituta eſt ad juvandum & corroborandum hominis ægrotantis animum contra debilitatem in eo ex peccato originali vel actuali relictam, dando illi jus (quod non addit S. Doctor, ſed manifeſtè ſubintelligitur) ad ſpecialia quædam auxilia gratiæ, quibus excitatur ad actus ſalutares, atque imprimis, ut Tridentinum docet, ad concipiendam magnam divinæ miſericordiæ fiduciam, qua ſublevatur & confirmatur, & morbi incommoda, &c.

Non aliam eſſe S. Doctoris mentem, demonſtrari poteſt ex ejus reſp. ad 2. *Reliquiæ autem peccati* (quas per ſe primò abſtergit Extrema unctio) *non dicuntur hic diſpoſitiones ex actibus relictæ, quæ ſunt quidam habitus inchoati, ſed quædam ſpiritualis debilitas, in ipſa mente exiſtens, qua ſublata, etiam eiſdem habitibus, vel diſpoſitionibus manentibus, non ita poteſt inclinari mens ad peccata.* Juxta S. Doctorem igitur, ſpiritualis illa debilitas, contra quam per ſe primò inſtituta eſt Extrema-unctio, non conſiſtit in pravis diſpoſitionibus, vel habitibus, qui ex peccatis actualibus relinquuntur, adeòque nec in fomite qui relinquitur ex peccato originali; & Extrema-unctio debilitatem illam curat, manente fomite cum pravis habitibus, vel diſpoſitionibus; adeòque non curat illam deſtruendo fomitem, & habitus vel diſpoſitiones pravas. Ergo, quod ſupereſt, juxta S. Doctorem, Extrema-unctio debilitatem illam, contra quam per ſe primò inſtituta eſt, curat, robur, ac vires addendo per actualia auxilia gratiæ contra fomitem & habitus vel diſpoſitiones pravas ex peccatis relictas, à quibus proinde, *non ita poteſt inclinari mens ad peccata.* Ergo, juxta S. Doctorem, Extrema-unctio per ſe primò inſtituta eſt ad conferenda homini ægrotanti actualia gratiæ auxilia, quibus in mortis articulo animus ejus juvatur, & corroboratur contra debilitatem ex peccatis relictam, qua ineptus efficitur ad morbi incommoda ac labores patienter ferendos, & ſuperandas dæmonis tentationes, &c. adeòque juvatur, & confortatur contra difficultates tunc occurrentes. Noſter eſt igitur S. Doctor.

At inquies. Suppoſita doctrina hactenùs expoſita, vitioſa eſt hæc formula: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti.* Nego. *Prob.* In ſacramenti forma, ut docet S. Thomas diſt. citata qu. 1. art. 4. qu. 3. ad 3. exprimi debet effectus principalis. Atqui ſuppoſita doctrina hactenùs expoſita, in præfata formula non exprimitur effectus principalis: in ea enim exprimitur ſola remiſſio peccatorum, quæ ſecundùm nos, eſt tantùm effectus ſecundarius ſacramenti. Ergo, &c.

Reſp. Neg. min. *Ad prob. Reſp.* In præfata formula ſignificari abſolutam & generalem peccatorum remiſ-

ſionem,

ſionem, adeòque, 1. peccatorum, quoad reatum culpæ, remiſſionem, quæ eſt effectus ſecundarius ſacramenti. 2. Remiſſionem peccatorum quoad reliquias peccati, quæ remiſſio eſt effectus primarius ſacramenti: Deus enim peccata quoad reliquias peccati remittit, cùm tollit debilitatem ex peccatis relictam, animum hominis ægrotantis juvando, & confortando per actualia gratiæ auxilia, quibus inprimis ad magnam miſericordiæ divinæ fiduciam illum excitat; in quo primarius hujus ſacramenti effectus conſiſtit. Primarius igitur effectus hujus ſacramenti exprimitur in hac formula: *Indulgeat tibi Dominus, &c.* Sicut & in Græca, ac duabus Gregorianis, & Halitgariana; unde hæ formulæ diverſæ non ſunt ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tantùm, & grammaticaliter,

ARTICULUS V.

De ſubjecto Extremæ-unctionis.

Extremam-unctionem non ſolùm ægrotis, ſed etiam ſanis, modò illam ad peccata delenda efflagitent, concedendam eſſe contendunt aliqui Græci moderni apud Arcudium lib. 5. de concordia cap. 4. nempe Simeon Theſſalonicenſis, Job monachus, & Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, quorum verba refert Arcudius; tum ſic proſequitur: „ Favet „ multùm nominatis Authoribus authoritas Euchologii, in quo non tantùm ægrotus, ſed etiam ſanus, „ qui ſit ungendus, introducitur. Favet item præ„ ſens Græcorum conſuetudo, quæ quidem viget non „ in aliquo angulo Græciæ, ſed ubique paſſim; quam „ eandem retinet, ac noſtra ætate tota Ruſcia, uni„ verſaque Moſchovia.

Hanc Græcorum conſuetudinem temerè, quamvis indirectè tantùm, defendit recentior; ſed eam omninò improbat Joannes Nathanael Cretenſis apud Arcudium c. cit. *Myſterium*, inquit, *itaque hoc & eſt & appellatur ſeptimum, quamvis nonnulli ex pſeudoabbatibus, & illiteratis Græcorum inſanientes turpis lucri cauſa, peccantibus, ſi reſipuerint, frequenter loco mulcta, & inſtar rei quæ illos ſanctificet, iſtud præbeant.*

Nathanaelem imitatur Arcudius ipſe: *Ego*, inquit, *præſentem morem Græcorum, qui pœnitentes, quamvis bene valeant, in omnibus ſuis corporis partibus, adhibita quoque forma ſacramenti, non aliter atque infirmos inungunt, nulla ratione probare poſſum; & ſi ſordidi quæſtus gratia id faciunt, eò magis deteſtandus eſt. Cum enim ſubjectum non ſit aptum ad recipiendum ſacramentum (quando neque graviter quis infirmatur, & ad mortem, ut requirit Apoſtolus, & exponunt ſacri Doctores) fruſtra temereque, ac non ſine ſacrilegio illud* (bene valentibus) *Græci adminiſtrant... Græci verò, qui alios novitatis accuſant.. reſpondeant ipſi, à quo iſtud acceperint, ut contra doctrinam Apoſtolicam ſanos ungere debeant?* Cum his ſit

RESPONSIO.

Extrema-unctio nonniſi ægrotantibus validè adminiſtrari poteſt.

Hæc aſſertio, ut ait Suarez diſput. 42. ſect. 2. n. 2. certa eſt, & omnium Theologorum, *& prob.* 1. ex verbis Jacobi: *Infirmatur quis in vobis?* Apoſtolus enim ſic loquendo, aſſignat ſubjectum Extremæ-unctionis. Ergo donec quis infirmetur, non eſt capax hujus ſacramenti.

At inquies. Cùm Jacobus ait: *Si quis infirmatur in vobis*, ſanos non excludit. *Reſp.* Hoc ſaltem temerè dici; cùm Doctores omnes per hæc Apoſtoli verba, ſanos excludi unanimi conſenſu teneant, Concilia doceant, vel ſupponant, & ſatis probet perpetua & conſtans Eccleſiæ Latinæ praxis. Præterea, ſi impunè dici poteſt per hæc verba: *Infirmatur quis in vobis*, non excludi bene valentes, impunè etiam dici poterit, hæc alia verba quæ ſubſequuntur: *Inducat presbyteros Eccleſiæ*, non excludere laicos, aut alios inferiores clericos. At hoc dici non poteſt ſalva fide: ergo nec alterum.

Prob. 2. Ex Florentino in decreto §. *Quintum ſacramentum*, ubi ait: *Hoc ſacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* At ſi Extrema-unctio dari non poteſt infirmis quibuslibet, ſed iis tantùm, qui ita graviter decumbunt, ut pro illorum morte timeatur, quantò minùs dari poteſt ſanis ac bene valentibus?

At inquies. Verba Concilii exprimunt tantùm neceſſitatem præcepti. *Reſp.* Si exprimunt neceſſitatem præcepti, hoc ipſo etiam exprimunt neceſſitatem ſacramenti: nam ſi hoc ſacramentum non eſſet à Chriſto inſtitutum pro ſolis infirmis, ita ut ſecundùm inſtitutionem Chriſti non ſolùm infirmis, ſed etiam ſanis validè adminiſtrari poſſet, cur Eccleſia eam his tantùm infirmis, de quorum morte timetur, concedi permitteret? quare illam ſanis nunquam concederet; quandoquidem ſani tam poſſent cum reverentia & fructu ſacramentum illud ſuſcipere, quàm infirmi? Certè ſi Chriſtus indifferenter pro ſanis & infirmis inſtituit ſacramentum Extremæ-unctionis, non magis potuit Eccleſia ſanos ab hujus ſacramenti ſuſceptione prohibere, quàm pueros, & perpetuò amentes poſſet prohibere à ſuſceptione Baptiſmi, quod non poteſt, quia Chriſtus pro omnibus hominibus natis Baptiſmum generaliter inſtituit.

At inquies. Florentinum verbis laudatis declarat tantùm Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, quam volebat Armenos amplecti. *Reſp.* Hoc eſſe falſum: nam verba Concilii doctrinalia ſunt, & per illa docet ac præſcribit, quid ſit faciendum ſecundùm inſtitutionem Chriſti. Et verò tam abſurdè dicitur Concil. Florent. verbis laudatis exprimere tantùm conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, quàm abſurdè diceretur Tridentinum conſuetudinem illam exprimere tantùm, cùm ait: *eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur.*

Prob. 3. Authoritate Concilii Tridentini, quod evidentiſſimè docet, vel ſaltem ſupponit, Extremam-unctionem, non pro bene valentibus à Chriſto inſtitutam fuiſſe, ſed pro infirmis tantùm, cùm ait ſeſſ. 14. in proemio de doctrina Extremæ-unctionis, hoc ſacramentum, *non modò pœnitentiæ, ſed & totius chriſtianæ vitæ conſummativum exiſtimatum eſſe à Patribus*. Et inferiùs: *Clementiſſimum Redemptorem noſtrum Extremæ-unctionis ſacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniviſſe.* Item cùm cap. 1. Extremam-unctionem vocat *unctionem infirmorum*, & cap. 3. *ſacramentum exeuntium*. Item cùm cap. 2. docet primarium hujus ſacramenti effectum eſſe, *Ægroti animam alleviare & confirmare, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando:* Secundarium verò, ſanitatem corporis interdùm reſtituere, ubi ſcilicet ſaluti animæ expedierit.

Denique ſic loquitur Concilium cap. 3. *Jam verò, quod attinet ad præſcriptionem eorum qui & ſuſcipere, & miniſtrare hoc ſacramentum debent, haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis* (Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ) *traditum: nam & oſtenditur illic, proprios hujus ſacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut ſacerdotes ab ipſis ritè ordinati..... Declaratur etiam eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, &c.* Quibus verbis Synodus docet Jacobum Apoſtolum, & miniſtrum, & ſubjectum hujus ſacramenti proprium tradidiſſe, adeòque ſacramentum hoc à ſolis Epiſcopis, & ſacerdotibus ritè ab illis ordinatis miniſtrari, nec niſi ab infirmis ſuſcipi poſſe. *Breviter*, juxta Concilium, infirmus eadem neceſſitate ſubjectum eſt Extremæ-unctionis, qua ſacerdos illius miniſter eſt. At juxta Concilium, ſacerdos miniſter eſt Extremæ-unctionis neceſſitate ſacramenti. Ergo, &c.

Confirmatur 1. Authoritate S. Thomæ in 4. diſt. 23. quæſt. 2. & 2. quæſt. 1. ubi ait: *Illis quibus corporalis*

curatio

curatio non competit, ſcilicet & ſanis, non debet hoc ſacramentum conferri. Et ad 1. *Solum illis hoc ſacramento ſanitas ſpiritualis dari poteſt, quibus curatio corporalis competit, ſcilicet, infirmis: ſicut ille ſolus poteſt baptiſmum ſuſcipere, qui poteſt corporalis ablutionis eſſe particeps, non autem puer in ventre matris exiſtens*. Et ad 2. *Hoc ſacramentum illorum tantùm exeuntium eſt, quibus corporalis curatio competit*. (Unde miniſtrari non poteſt illis qui ſunt proximè morituri, ſed ſani, ſicut illi v. g. qui ob crimen aliquod capite plectendi ſunt.) Et q. 2. in O. *Hoc ſacramentum eſt ultimum remedium quod Eccleſia poteſt conferre immediatè, quaſi diſponens ad gloriam: & ideò illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata eſt mortem inducere, & de periculo timetur.*

Juxta S. Doctorem, ſani capaces non ſunt Extremæ-unctionis; nec magis ſunt illius capaces, quàm baptiſmi capaces ſunt pueri, in utero materno exiſtentes: ſicut enim pueri incapaces ſunt effectus baptiſmi, nempe ablutionis ſpiritualis, quandiu in utero materno exiſtunt, quia tandiu incapaces ſunt ablutionis corporalis, ita ſani incapaces ſunt effectus primarii Extremæ-unctionis, nempe ſpiritualis ſanationis, quandiu corpore ſani ſunt, quia tandiu ſanationis corporalis incapaces ſunt. Imò, juxta S. Doctorem, non quibuſvis ægrotantibus, ſed iis tantùm qui ita graviter ægrotant, ut de illorum morte timeatur, Extrema unctio exhiberi poteſt; quia ſacramentum hoc, ex vi inſtitutionis ſuæ, ultimum remedium eſt, quod ab Eccleſia adhiberi poteſt hominibus, quodque per ſe, licèt ſecundariò tantùm, animam quantùm in ipſo eſt, proximè diſponit ad introitum gloriæ.

Confirm. 2. Ex Catechiſmo Romano in ſacramento Extremæ-unctionis, ubi ſic loquitur: *Docendi ſunt fideles, quamvis hoc ſacramentum ad omnes pertineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus adminiſtrandum non ſit. At primùm excipiuntur, qui ſano & firmo corpore ſunt: iis enim Extremam-unctionem tribuendam non eſſe, & Apoſtolus docet, cùm inquit, Infirmatur quis in vobis? & ratio oſtendit: ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modo ut animæ, ſed etiam ut corpori medicinam afferat. Cùm igitur illi tantùm, qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco iis etiam, qui adeo periculosè ægrotare videntur, ut ne ſupremus illis vitæ dies inſtet metuendum ſit, hoc ſacramentum præberi debet.*

Confirm. 3. Ratione duplici: nam 1. Extrema unctio, ut Tridentinum docet, dicitur unctio infirmorum, & ſacramentum exeuntium. Sic autem vocatur, vel quia ſolet dari infirmis in mortis periculo conſtitutis, vel quia tantùm pro illis inſtituta eſt. Non primum: nam ſacramentum Pœnitentiæ æquè ſolet ægrotantibus uſque ad mortis periculum adminiſtrari, & tamen neque infirmorum, neque exeuntium ſacramentum dicitur. Ergo ſecundum. 2. Ut Articulo ſuperiore probatum eſt, Extrema unctio per ſe primò inſtituta eſt ad ſanandum & confortandum ægrotantis hominis animum contra difficultates in articulo mortis occurrentes. Ergo non pro ſanis, ſed pro infirmis, & quidem non levi, ſed gravi morbo laborantibus, inſtituta fuit.

Dices: In Euchologio Græcorum non tantùm ægrotus, ſed etiam ſanus, qui ungendus ſit, introducitur. *Reſp.* Arcudius cap. citato, quæ de ſano ungendo oleo infirmorum leguntur in Euchologio, à poſterioribus Græcis inſerta fuiſſe. Ad hanc reſponſionem recurrere neceſſarium non videtur: nam quæ in Euchologio habentur de ſanis ungendis, nullo pacto ſignificant ungendos eſſe ſacramentaliter; unde ex Euchologio videtur nobis argui tantùm poſſe, apud Græcos etiam ante ſchiſma receptam fuiſſe conſuetudinem pœnitentes ſacramentaliter confeſſos, & abſolutos ungendi oleo infirmorum, ſed ſine forma ſacramentali, & intentione faciendi ſacramentum; quod etiam probari poteſt ex Innocentio IV. ad Epiſcopum Tuſculanum, Sedis Apoſtolicæ Legatum exſcribente: *Nullus per ſacerdotes vel confeſſores, pro ſatisfactione pœnitentiæ, unctione aliqua ſolummodo inungatur*: manifeſtè enim Innocentius loquitur de unctione qua pœnitentes ſacramentaliter abſoluti, apud Græcos ungebantur extra ſacramentum: unde non prohibet hanc unctionem, modò non fiat loco ſatisfactionis à confeſſario imponendæ pœnitentibus confeſſis.

Hic autem mos pœnitentes ſanos poſt confeſſionem, & abſolutionem ſacramentalem ungendi oleo infirmorum, ſed ſine forma ſacramentali, & intentione faciendi ſacramentum, nihil habet propter quod improbetur. Et verò etiam in Eccleſia Latina non ægrotos ſic oleo infirmorum unctos fuiſſe extra ſacramentum, probari poteſt ex Ordine Romano in Officio feriæ quintæ majoris hebdomadæ, ubi hæc leguntur: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt populi ad ungendos tam infirmos quàm energumenos*. Et ex vita S. Genoveſæ apud Surium, in qua dicitur: *Dæmoniacus quidam impetrandæ ſanitatis cauſa, ad S. Genoveſam à parentibus cum multo gemitu & lacrymis perductus eſt, dum illa ampullam ſibi afferri juſſit, in qua S. Oleum aſſervare ſolebat. Accidit autem, ut nihil ejus olei eo tempore ampulla haberet, nec Epiſcopus aderat, qui oleum conſecraret*. Deinde ſubditur, virginem oratione impetraſſe, ut ampulla oleo impleretur, cujus unctione dæmoniacum emundavit.

Dices. Eugenius, finita Synodo Florentina, Græcos de multis, in quibus ab Occidentalium praxi diſcrepabant, interrogavit, ſed de ritu ſanos præmiſſa confeſſione & abſolutione ſacramentali, oleo infirmorum ungendi, ne verbum quidem habuit.

Reſp. 1. Quærendo ab adverſariis, utrùm Eugenius Græcos interrogarit de omnibus abuſibus apud eos corrigendis. 2. Ex ſilentio Eugenii, ad ſummum argui poſſe, hunc abuſum pœnitentes ſanos ungendi cum forma ſacramenti, apud Græcos tunc temporis nondùm introductum fuiſſe, nec obtinuiſſe niſi poſt ſchiſma. Sed

Quæres 1. Quis gradus ægritudinis requiratur ad hoc, ut infirmis validè adminiſtrari poſſit Extrema-unctio?

Reſp. Non ſufficere, ut morbus ſit ex ſe gravis, ſed etiam requiri ut ſtatus morbi talis ſit, qui infirmum conſtituat in gravi periculo mortis.

Prob. 1. Ex Florentino in decreto §. *Quintum ſacramentum*, verbis ſupra relatis. 2. Authoritate ſancti Thomæ loco ſupra citato. 3. Ex conſenſu omnium aliorum Doctorum. 4. Ex communi uſu Eccleſiæ. 5. Ex eo quòd Extrema-unctio dicitur & eſt ſacramentum exeuntium. 6. Denique, ex eo quòd Extrema-unctio per ſe inſtituta ſit, primariò quidem ad confortandum ægroti animum in articulo mortis, ſecundariò verò ad eum, quantùm in ſe eſt, proximè & immediatè diſponendum ad introitum gloriæ.

Addunt Doctores, exſpectandum non eſſe donec infirmus ſenſu, & cognitione careat, quia hoc eſt contra reverentiam & utilitatem ſacramenti. Sed hac de re audiamus Catechiſmum Romanum ſic loquentem: *Graviſſimè peccant, qui illud tempus ægrati ungendi obſervare ſolent, cùm jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat: conſtat enim ad uberiorem ſacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, ſi ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro olea liniatur.*

Quæres 2. Quænam partes corporis inungendæ ſint?

Reſp. Ut ſacramentum validè conferatur, ſecundùm ritum Eccleſiæ Romanæ, in homine membris integro inungi debent quinque organa ſenſuum, nempe oculi, aures, nares, os, & manus, cum prolatione formularum partialium, ſingulis unctionibus correſpondentium. Patet ex dictis aliàs. Neceſſarium tamen non eſt, ut unctiones geminentur ubi organa ſunt gemina, quia hoc neceſſarium non eſt ad completam ſignificationem ſacramentalem, ut per ſe manife-

Digitized by Google

niſeſtum eſt. Gemina tamen unctio, ubi organa gemina ſunt, licitè omitti non poteſt extra caſum neceſſitatis.

At inquies. Quid ſi infirmo effoſſi eſſent oculi? *Reſp.* Tunc pars frontis proxima inungenda eſſet, cum formula conſueta unctioni oculorum reſpondente, dicendo: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti.*

At inquies. Quid ſi infirmus cæcus eſſet à nativitate? *Reſpondent*, nihilominùs ungendos eſſe oculos, cum hac formula, *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti*. Ratio eſt, inquiunt, quia hæc verba non habent ſenſum abſolutum, ſed conditionalem; & cùm ſacerdos dicit, *Indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti*, perinde eſt ac ſi diceret: Indulgeat tibi Dominus, ſi quid per viſum deliquiſti. Sed nobis, verbo ſic venia, ſatis ludicrum videtur, homini, qui per viſum nunquam peccare potuit, dicere: Indulgeat tibi Dominus, ſi quid per viſum deliquiſti. Salvo itaque meliori judicio, cenſemus in caſu propoſito, omiſſa unctione oculorum cum formula ei reſpondente, ſufficere quatuor alias unctiones, quia omninò videntur nobis, in caſu propoſito, cum formulis ſibi correſpondentibus, ſufficere ad completam ſignificationem ſacramentalem, adeòque ad conſtituendum integrum ſacramentum.

ARTICULUS VI.

Quis ſit Miniſter Extremæ-Unctionis.

RESPONSIO.

SOlus ſacerdos miniſter eſt hujus ſacramenti.

Prob. 1. Ex verbis Jacobi Apoſtoli: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ*; quibus verbis, ut docet Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 3. de extr. unct. oſtenditur, *proprios hujus ſacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ presbyteros; quo nomine, eo loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut ſacerdotes ab ipſis ritè ordinati, per impoſitionem manuum presbyterii*. Unde conſequenter Concilium can. 4. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-unctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem; anathema ſit.*

Prob. 2. Ex Concilio Florentino in decr. §. *Quintum ſacramentum*, ubi dicitur; *Miniſter hujus ſacramenti eſt ſacerdos*. Denique ex perpetua & conſtanti traditione Eccleſiæ, cujus teſtes ſunt Patres & antiqua Concilia, art. 1. rel.

Objicies. Innocentium I. ep. 1. ad Decentium c. 8. ubi verba Apoſtoli à nobis citata refert; tum ſic proſequitur: *Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm ſacerdotibus, ſed omnibus uti chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate ad ungendum*. Ergo ex Innocentio non ſolùm ſacerdotibus, ſed etiam quibuslibet aliis chriſtianis licet infirmos ungere oleo per Epiſcopum benedicto; adeòque ex Innocentio non ſolùm ſacerdotes, ſed etiam alii chriſtiani quilibet Extremæ unctionis ſacramentum adminiſtrare poſſunt.

Reſp. Suarez tomo citato diſp. 43. ſect. 1. num. 6. Innocentium, cum ait quibuslibet chriſtianis non ſacerdotibus licere oleo per Epiſcopum benedicto uti ad ungendum, loqui de uſu paſſivo, adeòque ſenſum ejus eſſe, quòd fidelibus omnibus liceat vocare presbyteros, qui ſe, vel ſuos ungant in neceſſitate. Sic Innocentium exponi à Baronio, Bellarmino, Ruardo, Janſenio Gandavenſi, & Maldonato, addit Suarez. Hæc tamen interpretatio violenta nobis videtur, & contra expreſſum Innocentii ſenſum.

Videtur itaque nobis Innocentius loqui de uſu activo olei per Epiſcopum benedicti, tam pro fidelibus non ſacerdotibus, quàm pro ſacerdotibus; ſed cum hoc diſcrimine, quòd ſacerdotes oleo illo uti poſſent ad faciendum ſacramentum, minimè verò cæteri fideles non ſacerdotes: unde ex hoc Innocentii textu colligimus, olim fideles omnes oleo per Epiſcopum benedicto uſos eſſe in ſuis & ſuorum infirmitatibus, locum morbo affectum, vel ſimpliciter frontem ungendo, ſed abſque omni forma ſacramentali, ad modum quo nunc tingere poſſunt & tingunt frontem, vel alias corporis partes aqua benedicta. Quod videtur demonſtrari poſſe ex Ordine Romano, ubi cùm dicitur: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt populi ad ungendos tam infirmos quàm energumenos*, manifeſtum videtur, populos ampullas oleo plenas obtuliſſe ad benedicendum; quas poſteà in ædes ſuas deferrent, & apud ſe ſervarent, illis in ſua & ſuorum neceſſitate uſuri, ſicut nunc aquam benedictam in ædes ſuas deferunt, & ſervant, &c.

RESPONSIO II.

Ad validam Extremæ-unctionis adminiſtrationem non requiruntur plures ſacerdotes, ſed unus ſufficit.

Prob. Nam 1. Florentinum dicit in ſingulari numero, miniſtrum hujus ſacramenti eſſe ſacerdotem. 2. Tridentinum cap. proximè citato, poſtquam dixit in plurali numero, proprios hujus ſacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ presbyteros, hoc eſt Epiſcopos, vel ſacerdotes ab Epiſcopis ritè ordinatos; canon. 4. etiam ſupra citato definit in numero ſingulari, proprium Extremæ-unctionis miniſtrum eſſe ſolum ſacerdotem. 3. Alexander III. cap. *Quæſivit* 14. extra de verborum ſignificatione, expreſsè rem definit his verbis: *Sacerdos uno præſente clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere* (ſupple ſacramentaliter.) His omnibus adde uſum communem Eccleſiæ.

Dices. Jacobus Apoſtolus deſignans miniſtrum Extremæ unctionis, non ait: Inducat presbyterum, ſed, *Inducat presbyteros, & orent ſuper eum*. Ergo ad valorem ſacramenti non ſufficit unus ſacerdos, ſed plures requiruntur. *Reſp.* neg. conſeq. Nam Apoſtolus utitur plurali numero pro ſingulari, quod Scripturis familiare eſt: nam v. gr. Apoſtolus Paulus epiſt. ad Hebr. de Prophetis loquens, ait cap. 11. *Obturaverunt ora leonum ..... lapidati ſunt, ſecti ſunt ...... circumierunt in melotis & pellibus caprinis*; & tamen unus fuit Daniel, qui obturavit ora leonum; & qui lapidatus eſt, unus Jeremias fuit; & qui ſectus eſt, unus Iſaias. Similiter Matthæus & Marcus Evangeliſtæ narrant latrones improperaſſe Chriſto è cruce pendenti; & tamen S. Lucas disertè aſſerit, unum tantùm de his qui pendebant latronibus, Chriſtum blaſphemaſſe.

Præterà Jacobus, dicendo, *Inducat presbyteros*, utitur communi modo loquendi, ut obſervat Serrarius in opuſculo de Extr. unct. c. 4. num. 71. ubi ait, verba Apoſtoli intelligenda eſſe, quemadmodum ſi quis diceret: Qui malè habet, medicos acceſſat; in quo modo loquendi pluralis numerus pro ſingulari uſurpatur. Eodem modo loquendi utebatur Chriſtus Dominus, cùm Luc. cap. 17. ajebat: *Oſtendite vos ſacerdotibus*; ſatis enim erat, ſi leproſus uni ſacerdoti ſe oſtenderet, ut patet ex Levit. c. 14. ubi dicitur de leproſo: *Hic eſt ritus leproſi, quando mundandus eſt: adducetur ad ſacerdotem, &c.*

S. Thomas lib. 4. cont. gent. c. 73. dicit Jacobum Apoſtolum uti plurali numero, non quia ad valorem ſacramenti plures miniſtri neceſſarii ſint, ſed quia expedit plures adeſſe ſacerdotes, quorum unus ſacramentum perficiat, & cæteri orent pro infirmo. *Quia tamen*, inquit, *hoc ſacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic ſacramento, quòd multi ſacerdotes interſint, & quod oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus ſacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit:* Inducat presbyteros... *Si tamen unus ſolus presbyter adſit, intelligitur hoc ſacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, &c.*

Qua-

Quæres 1. Utrùm aliquando in Eccleſia Latina obtinuerit conſuetudo vocandi plures presbyteros ad infirmum qui ungendus erat?

Reſp. Obtinuiſſe. Pro ſæculo x. teſtis eſt Bartholomæus Ledeſma, 2. part. quæſt. 33. art. 1. dub. unico: *Dico*, inquit, *quod de neceſſitate ſacramenti ſolus unus ſufficit; ſed ex decentia debent eſſe plures ſacerdotes: & ita habet conſuetudo Eccleſiæ univerſalis, quod plures ſacerdotes conveniunt ad adminiſtrandum hoc ſacramentum*. Pro ſæculo xiii. Reinerus in libro contra Vvaldenſes cap. 5. ubi de illis hæc ſcribit: *Sacramentum Unctionis etiam reprobant, quia tantum divitibus datur; & propter plures ſacerdotes ibi neceſſarios*. Et pro anterioribus temporibus apud Arcudium lib. cit. cap. 3. Helmoldus presbyter lib. 1. chronicorum cap. 44. *Ludolphus*, inquit, *venerabilis ſacerdos .... ubi ægritudine mortali decubuit, miſit ad accerſendos ſacerdotes, & religioſos quoſque, & impetrato ſanctæ unctionis officio, conqueſtus eſt*. Vixit autem ſæculo xii. Helmoldus.

Quæres 2. Quis fuerit & ſit uſus Eccleſiæ Græcæ?

Huic quæſtioni ſatisfacit Arcudius cap. proximè citato, ubi hæc ſcribit: *Mos eſt Orientalis Eccleſiæ* (extra caſum neceſſitatis) *ſeptem convocare presbyteros, qui Extremam-unctionem ægrotis adminiſtrent. In eo munere perfungendo, quamvis varias ſinguli orationes recitent, eandem tamen formam ſacramenti omnes iterant*. Addit Arcudius, ſeptennarium numerum ſacerdotum præſcribi in Euchologio: unde apertè colligitur, hanc ſeptem ſacerdotes convocandi conſuetudinem, cùm infirmis miniſtranda eſt Extrema-unctio, in Orientali Eccleſia antiquiſſimam eſſe, & multis ſaltem ſæculis ante exortum ſchiſma receptam.

Dixi autem, extra caſum neceſſitatis: nam, ut inferiùs refert idem Arcudius eodem capite, in neceſſitate Græci contenti ſunt paucioribus ſacerdotibus, nempe tribus: nunquam tamen unico, ut teſtatur idem Author cap. 6. ubi hæc ſcribit: *Græci ſtatuunt, ut unus presbyter conferat hoc ſacramentum, atque, ut audio, Conſtantinopoli, ſi non fuerint ad minus tres, ſed unus contulerit, vel etiam duo, ab officio deponuntur*. Hìc autem duo in Græcis improbanda ſunt, & nobiſcum improbat Arcudius locis citatis. Primum eſt, quòd ne quidem in neceſſitate permittant Extremam-unctionem ab unico ſacerdote adminiſtrari: unde fit ut innumeri Chriſti fideles hoc ſaluberrimo ſacramento priventur. Secundum eſt, quòd ſinguli ſacerdotes qui adſunt, in iiſdem corporis partibus infirmum ungant, & formam ſacramenti proferant: unde eadem vice toties iteratur ſacramentum, quot adſunt ſacerdotes; in quo manifeſtus & graviſſimus abuſus eſt.

Quæres 3. Utrùm ſacerdos quilibet non ſolùm validè, ſed etiam licitè miniſtrare poſſit ſacramentum Extremæ-unctionis?

Reſp. Collationem Extremæ-unctionis non eſſe actum juriſdictionis, adeòque à quolibet ſacerdote conferri poteſt validè; tamen extra caſum neceſſitatis ſolus parochus, vel alius de ejus licentia, eam licitè confert; & Clement. 1. de privilegiis, excommunicantur excommunicatione Pontifici reſervata religioſi, qui hoc ſacramentum ſine venia proprii parochi adminiſtrant laicis aut clericis non religioſis: alii verò ſacerdotes graviter quidem peccant, ſed non excommunicantur, quia talis excommunicatio in nullo jure extat. Dixi autem, extra caſum neceſſitatis: nam in tali caſu, quando ſcilicet periculum eſt, ne infirmus moriatur ſine Extrema-unctione, ſi expectetur parochus, vel ejus licentia, poteſt eam ſacerdos quilibet licitè adminiſtrare.

Quæres 4. Quid in parocho requiratur, ut licitè adminiſtret hoc ſacramentum?

Reſp. 1. Debet eſſe in ſtatu gratiæ. 2. Debet non eſſe ſuſpenſus, vel excommunicatus, nominatim denuntiatus, aut quantùm eſt de jure communi notorius clerici percuſſor: nam ſuſpenſus, aut excommunicatus non toleratus, privatur uſu Ordinis & juriſdictionis, ita ut nunquam licitè adminiſtret Extremam-unctionem moribundo, niſi moribundus de æterna ſalute periclitetur, quia confiteri non potuit, nec adeſt alius qui poſſit, & velit eum inungere. Quòd ſi parochus ſit ſuſpenſus, vel excommunicatus, ſed toleratus, poſſunt fideles, juxta decretum Conc. Conſtantienſis, petere ab illo Extremam-unctionem, & ipſe rogatus poteſt, modò ſit in ſtatu gratiæ, licitè dare petentibus & indigentibus.

Quæres 5. Utrùm parochus teneatur ex juſtitia & ſub mortali adminiſtrare Extremam-unctionem, vel per ſe, vel per alium, ſubditis indigentibus.

Reſp. Teneri. Idem dic de Superiore Regulari reſpectu ſubditorum ſuorum. Ratio eſt, quia tenetur ex officio, fidelibus ſuæ curæ commiſſis conferre remedia ordinaria à Chriſto inſtituta, & ad ſalutem neceſſaria, aut valdè utilia, atque in communi uſu Eccleſiæ poſita, quando nulla eſt rationabilis cauſa ea denegandi. Immò parochus tenetur, etiam cum magno vitæ periculo Extremam-unctionem miniſtrare ſubdito infirmo, ſi nec confeſſus eſt, nec confiteri poteſt. Ratio eſt, quia fieri poteſt, ut Extrema-unctio ſit illi tunc ad ſalutem neceſſaria, ſi nimirùm ſit tantùm attritus, cum inchoata dilectione Dei.

Quæres 6. Quomodo ſe gerere debeat parochus erga moribundos repentino morbo correptos, & ſubitò ſenſibus deſtitutos?

Reſp. In genere, tales inungendos eſſe, quotieſcunque præſumi poſſunt diſpoſiti, hoc eſt, contriti, vel, ſaltem attriti. Toties autem præſumi poſſunt diſpoſiti, quoties non conſtat eſſe indiſpoſitos, juxta regulam illam: *Qui non probatur malus, bonus eſſe præſumitur*. Itaque qui non probatur indiſpoſitus, præſumitur diſpoſitus.

Quæres ultimò. An poſſit hoc ſacramentum interdùm à pluribus miniſtris validè fieri, eo ſcilicet modo, ut unus faciat unam, verbi gratia, unctionem cum forma illi reſpondente, alius verò alias eſſentiales faciat?

Quæſtio proponitur in hoc caſu. Duo ſacerdotes Titius, & Cajus adſunt, ubi infirmus aliquis inungendus eſt. Titius inungit oculos cum formula reſpondente huic unctioni, ſed hac unctione facta moritur. Quæritur utrùm verum futurum ſit ſacramentum, ſi Cajus non iterata prima unctione, reliquas quatuor eſſentiales perficiat, cum formulis proportionatis?

Sententiam affirmantem ſatis receptam eſſe aſſerit Suarez tom. cit. diſp. 43. ſect. 2. n. 5. & eam tenet S. Thom. in 4. diſt. 23. qu. 1. art. 1. quæſt. 2. ubi ad hanc objectionem: *Unum ſacramentum ab uno miniſtro perfici debet: ſed in aliquo caſu Extrema-unctio non poteſt perfici ab uno miniſtro, ſicut ſi poſt primam unctionem factam ſacerdos moriatur, tunc enim alius ſacerdos debet ulterius procedere: ergo Extrema-unctio non eſt ſacramentum unum*; reſpondet ſic: *Quamvis in Euchariſtia, ſi poſt conſecrationem panis moriatur ſacerdos, alius ſacerdos poſſit ad conſecrationem vini incipere, ubi ille dimiſit, vel etiam incipere à capite ſupra aliam materiam; tamen in Extrema-unctione non poteſt à capite incipere, ſed debet ſemper procedere, quia unctio in eadem parte facta tantum valet, ac ſi conſecraretur bis eadem hoſtia; quòd nullo modo faciendum eſt; nec tamen miniſtrorum pluralitas tollit unitatem ſacramenti, quia inſtrumentaliter tantum operantur; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri*.

Sententia negans nobis nihilominùs videtur multùm probabilis: quia 1. Florentinum in decreto dicit in ſingulari numero miniſtrum Extremæ-unctionis eſſe ſacerdotem. 2. Similiter Tridentinum ſeſſ. 14. can. 4. de Extrema-unctione, ait in numero ſingulari, proprium hujus ſacramenti miniſtrum ſacerdotem eſſe. 3. Quod ait ipſe S. Thomas 3. p. qu. 67. art. 6. in O. *Homo non baptizat niſi ut miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens: unde ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet eſſe unum miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet*, hoc, inquam, videtur æquè valere

pro ſacramento Extremæ-unctionis: nam ſic argumentari poſſum: Sacerdos non inungit infirmum, niſi ut miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens. Ergo, ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet unum eſſe miniſtrum Extremæ unctionis, qui repræſentet Chriſtum.

Porrò, quia idem argumentum fieri poteſt pro aliis ſacramenti, facilè credimus Chriſtum ſic inſtituiſſe ſacramenta, ut voluerit cujuslibet ſacramenti nonniſi unum miniſtrum eſſe (excepto tamen Matrimonii ſacramento, quod quia vel conſiſtit in contractu conjugali, vel ſaltem per illum efficitur, eſſentialiter requirit duos miniſtros partiales:) unde patet reſponſio ad id quod dicit S. Doctor loco ſupra citato, miniſtrorum pluralitatem non tollere unitatem ſacramenti: nam ſacerdos in Extrema-unctione v. g. agit quidem tantùm ut inſtrumentum Chriſti tanquam cauſæ principalis; at Chriſtus in uno & eodem ſacramento perficiendo, uno tantùm inſtrumento, adeòque uno tantùm miniſtro uti voluit.

Ad id quod dicit S. Thomas loco ſupra citato, uno ſacerdote poſt unctionem primam cum formula proportionata factam moriente, ab altero ſacerdote primam illam unctionem non magis iterari poſſe, quàm hoſtiæ jam conſecratæ iterari poteſt conſecratio; videtur reſponderi poſſe magnam eſſe diſparitatem: nam prima conſecratio effectum ſuum habuit, & vi illius ſubſtantia panis in Corpus Chriſti converſa eſt; unde ſecunda conſecratio nihil efficere poſſet, nec niſi cum magna ſacramenti irreverentia tentaretur. At in caſu propoſito, ſacerdos qui primam unctionem fecit, etiam cum forma ipſi proportionata, nec fecit ſacramentum, nec effectum ſacramentalem etiam partialem contulit: unde alter ſacerdos, iterando primam unctionem cum formula correſpondente, facere poteſt id quod à primo effectum non eſt, nempe ſacramentum, & faciet, reliquas perficiendo unctiones eſſentiales; adeòque nec inutiliter nec irreverenter iterabit cæremoniam à primo factam.

At inquies. In caſu propoſito primus ſacerdos fecit cæremoniam ſacram. Item fecit cæremoniam habentem ſignificationem ſacramentalem, quamvis partialem tantùm. Item fecit partem ſacramenti.

Reſp. ad 1. In caſu propoſito primus ſacerdos fecit quidem cæremoniam ſacram, ſed ipſo antequam alias eſſentiales perficeret mortuo, planè inutilem.

Reſp. ad 2. Fecit quidem cæremoniam habentem ſacramentalem ſignificationem, ſed quæ nullum effectum habere potuit, niſi per alias ab illo ipſo factas compleretur.

Reſp. ad 3. Primus ſacerdos fecit partem ſacramenti: ſed ab ipſo ſolo eſſentialiter perficiendi. Ex his autem manifeſtum videtur primam unctionem cum forma ſibi proportionata factam à primo ſacerdote in caſu propoſito, perinde ſe habere in ordine ad faciendum re ipſa Extremæ-unctionis ſacramentum, ac ſi non eſſet facta. Secunda igitur ſententia, & valdè ſaltem probabilis eſt, & oppoſita tutior, adeòque videtur anteponenda.

At inquies adhuc. Si ſacerdos ſacrum faciens, ſtatim moriatur poſt conſecrationem hoſtiæ, alter ſacerdos perfecturus ſacrificium, non debet nec poteſt incipere à conſecratione ejuſdem hoſtiæ, & quamvis incipere poſſet à conſecratione hoſtiæ alterius, id tamen neceſſe non eſt, ſed ſufficit ſi incipiat a conſecratione calicis. Item ſi Epiſcopus presbyteros ordinans, ſtatim moriatur, peracta prima cæremonia, qua confertur poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, alter Epiſcopus perfecturus ordinationem, nec debet, nec poteſt primam cæremoniam iterare, ſed ordinationem perficiet peragendo cæremoniam alteram, qua poteſtas remittendi peccata confertur. Ergo ejuſdem ſacramenti poſſunt eſſe plures miniſtri, nilque vetat, quominùs idem ſacramentum Extremæ-unctionis perficiatur à duobus miniſtris, quorum unus unam vel alteram unctionem faciat; alter verò reliquas cum proportionatis verborum formulis.

Reſp. Magnum eſſe diſcrimen inter Ordinationem presbyteralem & Extremam unctionem, ſecundùm Eccleſiæ Romanæ ritum adminiſtratas. Ordinatio enim presbyteralis eſt ſacramentum conſtans ex duabus partibus, quarum utraque ſeorſim ab alia completam habet ſignificationem ſacramentalem, & quarum proinde utraque ſeorſim ab alia, eſt in vero aliquo ſenſu ſacramentum integrum, (quamquam in unum totale coaleſcant, quia effectus utriuſque, nempe character, in unum totalem characterem coaleſcit) unde mirum non eſt, quòd presbyteralis Ordinatio perfici poſſit à duobus miniſtris, quorum unus primam illius partem, & alter ſecundam peragat. At ſacramentum Extremæ-unctionis conſtat quidem ex pluribus partibus, ſed quarum nulla ſeorſim ab aliis completam ſignificationem ſacramentalem facit, nec magis facit, quàm in ſacramento Baptiſmi, verbi gratia, ablutio corporis ſeorſim ab his verbis: *Ego te baptizo*, *&c.* Aut vicissim: unde ſicut ad Baptiſmi perfectionem requiritur, ut ab uno & eodem miniſtro corporis ablutio fiat, & proferantur hæc verba: *Ego te baptizo*, *&c.* Ita ad Extremæ-unctionis perfectionem requiri videtur, ut unctiones omnes cum formulis ſibi proportionatis ab uno & eodem miniſtro fiant. Ex his autem apparet diſcrimen Extremam-unctionem inter & Euchariſtiam, cui quod de ordinatione presbyterali diximus, facilè applicabitur, quantùm attinet ad præſentem difficultatem. Ex his

Ad inſtantiam factam *reſp.* in forma diſtinguendo conſequens. Ergo poſſunt eſſe plures miniſtri ejuſdem ſacramenti, conſtantis ex pluribus partibus, quarum una ſeorſim ab alia completè ſignificat & confert effectum ſuum, ſeu, quod idem eſt, quarum una ſeorſim ab alia integrum ſacramentum eſt, ut in ordinatione presbyterali, & Euchariſtia, C. conſ. Ejuſdem ſacramenti conſtantis ex pluribus partibus, quæ nonniſi conjunctim completè ſignificant effectum ſacramenti, illumque conferunt, N. conſeq. 1. & 2.

TRA-

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS.

DE ORDINE.

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramento Ordinis.

ORDO hic dupliciter accipitur. 1. Pro gradu ſeu ſtatu clericorum ad certa officia eccleſiaſtica permanenter conſecratorum. 2. Pro actione, qua clerici in illo gradu ſeu ſtatu conſtituuntur, & ad officia illa eccleſiaſtica ſtabiliter conſecrantur. Majoris autem diſtinctionis gratia, Ordinem ſecundo modo acceptum, appellabimus Ordinationem, quo nomine, cùm ſit actio, magis propriè vocitatur.

Ordinatio à multis deſcribitur, Cæremonia ſacra, qua clerico ſtabiliter confertur ſpecialis poteſtas in Ordine ad Euchariſtiam ritè conſecrandam. Unde Ordo eſt ſpecialis poteſtas, per conſecrationem ſtabiliter collata, ad implendum officium aliquod, ad Euchariſtiam ritè conſecrandam aliquo modo deſtinatum.

Ab aliis deſcribitur Ordinatio, Actio ſacra, ſeu Conſecratio, qua ordinatis confertur poteſtas ad exercenda certa miniſteria eccleſiaſtica, ac præcipuè ad conficienda ſacramenta. Ordo verò eſt talis poteſtas, collata ſtabiliter per conſecrationem. Hæc autem Ordinationis deſcriptio latiùs patet, nec eaſdem, quas prior, patitur inſtantias.

Ex dictis *nota*. Si quis etiam à Summo Pontifice deputaretur ad exercendum cum omni ſolemnitate miniſterium aliquod eccleſiaſticum, Lectoris v. gr. vel Oſtiarii, quamvis licitè poſſet ſic exercere miniſterium illud, nullum tamen haberet Ordinem. Ratio eſt, quia Ordo non eſt poteſtas ad exequendum officium aliquod eccleſiaſticum collata quolibet modo etiam legitimo, ſed eſt poteſtas ad exequendum officium aliquod eccleſiaſticum permanenter collata; ita ut is, qui illam habet, illam, quandiu vivit, non poſſit amittere. Poteſtas autem illa ſic conferri non poteſt, niſi per aliquam conſecrationem; ſimplex enim deputatio revocari poteſt, & ſic poteſt amitti poteſtas per illam collata. Poteſtas igitur per meram deputationem tradita etiam à legitima authoritate, nec eſt, nec poteſt eſſe Ordo: ſicut mera deputatio etiam à legitima authoritate facta ad peragendum etiam ſolemniter eccleſiaſticum aliquod miniſterium, nec eſt, nec poteſt eſſe Ordinatio: quia omnis Ordinatio eſt eſſentialiter conſecratio, quæ moraliter & æquivalenter permanet, quandiu ſubſiſtit id quod conſecratum eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

Quot ſint Ordines in Eccleſia, & quàm antiqui fuerint.

CAlvinus lib. 4. inſtit. cap. 4. & præſertim cap. 19. tit. de Ordinibus eccleſiaſticis, ſeptenarium numerum Ordinum, quem agnoſcit Eccleſia catholica, impotenter exagitat; vultque tres ad ſummum eſſe veros Ordines, Epiſcoporum ſcilicet, quos vocat Paſtores; Presbyterorum quos Seniores, Doctores, verbi Miniſtros appellat; & Diaconorum. Ex reliquis Ordinibus Exorciſtæ ordinem protſus rejicit; alios verò agnoſcit, ſed neque certo numero, neque ut veros Ordines, ſed ſolùm ut miniſtros, quos Paſtores liberè, pro neceſſitate Eccleſiæ, modò plures, modò pauciores, aſſumebant. Sed contra illum ſit

RESPONSIO.

Ab initio conſtanter in Eccleſia fuerunt ſeptem Ordines.

Prob. Nam circa ann. 250. Cornelius Papa ad Fabianum Antiochenum hæc contra Antipapam Novatianum ſcribebat: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccleſia catholica; in qua tamen ſciebat ... Presbyteros quidem eſſe quatuor & quadraginta: ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos; Acolythos duos & quadraginta: Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos.* Hos autem Ordines manifeſtè recenſebat Cornelius, non ut rem, quæ tunc primùm eſſe cœperit in Eccleſia, ſed ut rem in ea antiquitùs receptam; nec immeritò: nam eorumdem illorum Ordinum, exceptis Acolythis, meminit Ignatius martyr in ſua ad Antiochenſes epiſt. circa ann. 109. *Saluto*, inquit, *ſanctum Presbyterum. Saluto ſacros Diaconos ... ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.*

Eoſdem illos ſeptem Ordines enumerat ſæculo quarto Concilium Carthaginenſe IV. à canone 3. ad 9. incluſivè, quibus modum eos conferendi præſcribit. Sæculo ſexto Gregorius Magnus in libro ſacram. Sæculo octavo Ordo Romanus. Sæculo nono Amalarius lib. 2. de Eccl. officiis à cap. 7. ad 13. incluſivè. Sæculo duodecimo Hugo à S. Victore lib. 2. de ſacram. part. 3. cap. 5. cum Magiſtro Sentent. lib. 4. diſt. 24. Sæculo decimo quinto Concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Sextum*, nominatis presbyteratu, diaconatu, & ſubdiaconatu, pro reliquis remittit ad Pontificale Romanum, in quo modus illos conferendi præſcribitur. Denique ſæculo decimo-ſexto Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. ſic ait: *Ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum* (præter presbyteratum & diaconatum) *nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcil. Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii*, in uſu fuiſſe cognoſcuntur.

Obj. 1. Ignatius martyr in epiſt. ad Antiochenos, Epiphanius in expoſitione fidei poſt hæreſim 80. §. 21. Concilium Laodicenum, & Canones Apoſtolici, cùm Ordines eccleſiaſticos enumerant, Acolythorum non meminerunt.

Reſp. His authoritatibus nobis facilè perſuaderi, quòd Acolythorum Ordo nunquam fuerit in uſu apud Orientales: ſed apud Occidentales ſemper fuiſſe, nobis ſufficit, & demonſtratum eſt.

Obj. 2. Hieronymus comment. in cap. 19. Iſaiæ, & Dionyſius Areopag. lib. de Eccl. Hier. c. 5. enumerant tres tantùm Ordines eccleſiaſticos, Epiſcoporum ſcil. Presbyterorum, & Diaconorum. *Reſp.* Non intendere Patres illis locis citatis enumerare Ordines omnes eccleſiaſticos, ſed aliquos tantùm, juxta propoſitum ſuum. Hieronymus enumerat tres tantùm Ordines eccleſiaſticos, quia volebat perficere quinarium numerum ex clericis, laicis ſeu fidelibus, & catechumenis, & Ordines chriſtianorum recenſere, quos dicit eſſe tres, clericorum ſcilic. fidelium laicorum, & catechumenorum. Alibi verò expreſsè aliorum Ordinum eccleſiaſticorum meminit; Subdiaconorum quidem in epiſtol. 91. Acolythorum & Lectorum in epiſtol. 2. Exorciſtarum deinque & Oſtiariorum, quos Æditus vocat, in commentar. cap. 2. epiſt. ad Titum in fine.

Similiter Dionyſius tres tantùm recenſet Ordines eccleſiaſticos, quia volebat tantùm exponere numerum hierarchiarum Eccleſiæ militantis. Sicut autem

tres ſunt hierarchiæ in Eccleſia triumphante, ita & tres ſunt in Eccleſia militante, quarum prima eſt Epiſcoporum, ſecunda Presbyterorum, & tertia Diaconorum: non enim Epiſcopi ſolùm & Presbyteri, ſed etiam Diaconi præſunt plebi: unde Diaconi, qui Miniſtri dicuntur, & ſunt relatè ad Epiſcopum, & Presbyteros, relatè ad plebem dicuntur & ſunt Hierarchæ, ſeu Principes. Inferiores autem Ordines populo non præſunt, ſed ſolùm miniſtrant Diaconis & Presbyteris; & ita nec dicuntur, nec ſunt Hierarchæ.

Porrò Diaconos præſidere populo, docet Hieronymus in comm. cap. 2. epiſt. ad Titum, ubi ait: *Non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnoperè providere, ut cunctum populum, cui præſident, converſatione & ſermone præcedant, verùm & inferior gradus, &c.* Ante Hieronymum docuerat Ignatius in epiſtol. ad Trallianos, ubi ait: *Reveremini illos* (diaconos) *ut Chriſtum Jeſum, cujus Vicarii ſunt.* Et in fine epiſtol. hæc habet: *Valete in Domino Jeſu, ſubjecti Epiſcopo, & ſimiliter presbyteris & diaconis.*

Obj. 3. Sanctus Ignatius in epiſt. ad Antiochenos, inter Ordines eccleſiaſticos ponit Cantores & Laborantes, ſeu Foſſarios, quorum officium erat ſepelire mortuos. Sanctus Epiphanius Laborantes ponit in expoſitione fidei poſt hæreſim 80. Cantores ponunt Canon Apoſtol. 42. Concilium Laodic. can. 24. Conſtitutionum Apoſtolic. Author lib. 3. cap. 11. Hieronymus in epiſtol. 2. Iſidorus lib. 7. Originum cap. de clericis.

Reſp. Videri, quòd Cantores in veteri Eccleſia fuerint Ordo Eccleſiaſticus apud Orientales. Nam 1. Ignatius in epiſtol. ad Antiochen. Ordines eccleſiaſticos enumerans, Cantores ponit ante Oſtiarios, & Exorciſtas. Idem facit Concilium Laodicen. can. 24. 2. In Orientali Eccleſia Cantoris officium conferebatur per conſecrationem ab Epiſcopo, ut oſtenditur ex lib. 3. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 11. ubi dicitur: *Neque Presbyteris poteſtatem damus ordinandi Diaconos, aut Diaconiſſas, aut Lectores, aut Miniſtros, aut Cantores, aut Janitores, ſed Epiſcopis tantùm; hic enim eſt Ordo eccleſiaſticus, & concentus.* 3. Canon Apoſtolicus 25. concedit Cantoribus facultatem contrahendi nuptias, ſicut & Lectoribus: *Ex his*, inquit, *qui cælibes in clerum pervenerunt, jubemus ut Lectores tantùm, & Cantatores, ſi velint, nuptias contrahant.* At ſi Cantores non fuiſſent clerici, ſed laici, certè non indiguiſſent tali facultate. Præterà facultas illa dabatur Lectoribus, & ea indigebant, quia erant clerici. Ergo pariter, &c. Denique manifeſtum eſt, canonem loqui tantùm de iis, qui cœlibes ad aliquem Ordinem eccleſiaſticum promoti fuerant.

Porrò Cantorum Ordo diſtinctus ab Ordine Lectorum, plurimis jam à ſæculis deſiit in Orientali Eccleſia, ut patet ex iis, quæ in Euchologio dicuntur de ordinatione Lectoris, ubi hic titulus eſt: *Ordo qui obſervari ſolet in ordinatione Lectoris, & Pſaltis.*

Quantùm autem attinet ad Laborantes, eos etiam olim apud Orientales fuiſſe Ordinem eccleſiaſticum, inſinuat Ignatius in epiſtol. ad Antioch. ubi Ordines eccleſiaſticos enumerans, Laborantes ponit ante Exorciſtas. Et apertè videtur aſſerere Epiphanius, in expoſitione fidei poſt hæreſ. 80. §. 21. Ubi ex profeſſo agens de Ordinibus eccleſiaſticis, recenſitis Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum & Diaconiſſarum ordinibus, ſic proſequitur: *Poſt illos omnes ordines deinceps Exorciſtæ ſequuntur, & linguarum interpretes, tam in lectionibus, quàm in concionibus. Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant. Tum Janitores, et reliqui diſciplinæ cauſa Ordines inſtituti.*

At inquies. Ergo pariter olim in Orientali Eccleſia fuit Diaconiſſarum Ordo eccleſiaſticus. *Reſp.* Ita eſſe. Nam 1. hoc pariter aſſerit Epiphanius hoc loco. 2. Diaconiſſæ, lib. 3. Conſtit. Apoſtol. cap. 11. inter Ordines eccleſiaſticos numerantur, & per manuum impoſitionem & orationem conſecrabantur ab Epiſcopo, non ſecùs ac Diaconi & Subdiaconi, ut prob. ex lib. 8. Conſtitut. Apoſtol. cap. 19. & 20. ubi dicitur: *De Diaconiſſa vero ego Bartholomæus conſtituo, ut manus ei, Epiſcope, imponas præſentibus Presbyteris, & Diaconis ac Diaconiſſis. Et dices: Deus æterne...... ipſe etiam nunc reſpice hanc ancillam electam ad miniſterium; & da ei Spiritum ſanctum, &c.* Similis planè conſecrandi modus præſcribitur pro Diacono, cap. 17. & 18. & pro Subdiacono cap. 21.

Porrò cùm Euchologium nihil habeat de ordinatione Laborantium & Diaconiſſarum, ſicut & Exorciſtarum & Oſtiariorum, hos ordines jam à multis ſæculis cum Cantorum ordine apud Orientales ceſſaſſe liquet.

At inquies. Ergo etiam Confeſſores & Virgines fuerunt olim in Orientali Eccleſia Ordines eccleſiaſtici: nam illorum pariter meminit Ignatius in epiſtol. ad Antiochen. cùm Ordines eccleſiaſticos enumerat. *Reſp.* neg. Nam illos quidem commemorat Ignatius loco citato, at ex Conſtit. Apoſtolic. lib. 8. cap. 23. 24. & 25. habemus Confeſſorum, Virginum & Viduarum nullam fuiſſe ordinationem in Eccleſia Orientali. Præterea Ignatius loco citato non intendit ſolos Ordines eccleſiaſticos commemorare; nam ibidem nominat etiam laicos & laicas fideles, qui non ſunt Ordines eccleſiaſtici.

At inquies. Saltem plures fuerunt, quàm ſeptem Ordines Eccleſiaſtici in veteri Eccleſia. *Reſp.* Plures fuiſſe quàm ſeptem apud Orientales, non apud Occidentales. Et ſi plures etiam apud Occidentales aliquando fuiſſent, hoc nobis non officeret: nobis enim ſufficit, & Synodo Tridentinæ, quòd ab initio in Eccleſia Latina fuerint ſeptem Ordines ſupra enumerati, ſive aliquando plures in ea fuerint, ſive non.

At inquies. Suppoſito quòd Cantores, Laborantes, & Diaconiſſæ fuerint Ordines eccleſiaſtici in Orientali Eccleſia, nulla ratio eſſe poteſt id negandi de Occidentali. *Reſp.* neg. Nam 1. nullum extat veteris Eccleſiæ monumentum, quo probari poſſit, Ordines illos aliquando fuiſſe in Eccleſia Latina. 2. Si fuiſſent, certè eos non prætermiſiſſet Cornelius in ſua ad Fabianum Antiochenum epiſtola, in qua etiam viduas cum infirmis & egenis, quos nutriebat Romana Eccleſia, accuratè enumerat. Quòd autem Ordines illi poſt Cornelii tempora cœperint in Occidente, dici ſeriò non poteſt.

3. *Sic argumentor.* In veteri Eccleſia omnes Ordines eccleſiaſtici conferebantur à ſolo Epiſcopo per conſecrationem. Atqui 1. in Eccleſia Latina munus Laborantis non ſic conferebatur, immò tanquam onus imponebatur pœnitentibus, ut patet ex Concil. Carthag. IV. can. 81. quo dicitur: *Mortuos pœnitentes Eccleſiæ efferant, & ſepeliant.* 2. Munus Cantoris conferebatur à ſimplici presbytero ſine conſecratione, quavis ſub aliqua verborum formula, ut patet ex eadem Synodo, can. 10. quo dicitur: *Pſalmiſta, ideſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.* Denique Synodus eadem modum Ordines Eccleſiaſticos conferendi præſcribens, ne verbum quidem habet de ordinatione Diaconiſſarum, ſed ſolùm can. 12. jubet, ut ad id muneris non eligantur, niſi viduæ, vel ſanctimoniales, ſatis inſtructæ ad docendas mulieres imperitas & ruſticas, ante baptiſmum.

Nec obeſt nobis Concilium Arauſicanum I. can. 26. quo dicitur: *Diaconæ omnimodis non ordinandæ;* aut Concilium Epaonenſe, can. 20. quo dicitur: *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitat, ab omni regione noſtra penitùs abrogamus.* Nam ordinatio, ſeu conſecratio illa Diaconiſſarum fuit mera benedictio, ut patet ex Concil. Aurelianenſi II. canon. 17. quo dicitur: *Fœminæ quæ benedictionem diaconatus hactenùs contra interdicta canonum acceperunt, &c.* Et can. 18. quo dicitur: *Placuit etiam ut*

nulla

nulli poſtmodùm fœmina diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.

At inquies. Conſtitutiones Apoſtolicæ, quas allegavimus pro Orientali Eccleſia, pariter valent pro Occidentali. *Reſp.* neg. Nam 1. Conſtitutiones illæ magnæ fuerunt in veteri Eccleſia Græca authoritatis, nullius verò in veteri Eccleſia Latina. 2. Conſtitutiones illæ, quæ primùm in lucem prodierunt græco idiomate, Clementi Romano falsò attribuuntur: nam neque Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt. neque Hieronymus in catalog. ſcript. Eccleſiaſt. Clementis opera recenſendo, conſtitutionum illarum meminit.

Præthereà conſtitutiones illæ damnant baptiſmum hæreticorum, & ab illis baptizatos rebaptizari volunt lib. 6. cap. 15. nec tamen illarum authoritate ad ſtabiliendum rebaptizantium dogma uſus eſt Agrippinus, aut ſucceſſor ejus Cyprianus, aut Firmilianus, qui Cypriani ſententiæ mordicùs adhæſit: immò nequidem Donatiſtæ illas objecere Catholicis, ut colligitur ex libris à S. Auguſtino contra Donatiſtas exaratis, ubi nulla de conſtitutionibus illis mentio à S. Doctore facta eſſe invenitur. Ex quibus colligimus conſtitutiones illas poſt tertium ſæculum, & non multò ante quintum fabricatas fuiſſe ab homine Græco, errori rebaptizantium addicto, & quidem eodem illo, qui collegit vel fabricavit canones Eccleſiaſticos, qui conſtitutionibus ſubjiciuntur, & Apoſtolici vulgò inſcribuntur. Hunc autem veteri, non Occidentalis ſed Orientalis Eccleſiæ diſciplinæ opus ſuum accommodaſſe, creditu facilè eſt. Hinc lib. 3. cap. 11. Ordines eccleſiaſticos enumerans, Acolythos omittit, quia Acolythi numquam fuerunt in uſu apud Orientales. Hinc etiam lib. 8. cap. 26. de Exorciſta ſic loquitur: *Exorciſta non fit ordinatione: certare enim pro præmio Exorciſtæ, liberæ voluntatis eſt, ut Dei gratia per Chriſtum, & adventum Spiritus ſancti. Si quidem, &c.* Quia veriſimiliter eo tempore quo ſcribebat, jam in Oriente, ſaltem in pleriſque Eccleſiis, ceſſarant ordinari Exorciſtæ.

Obj. 4. Prima tonſura eſt Ordo eccleſiaſticus. Ergo, &c. *Reſp.* neg. ant. Nam prima tonſura non deputat hominem ad certum officium eccleſiaſticum. Prætereà communis eſt omnibus clericis, nec ullam inter eos præeminentiam dat initiato: unde non eſt gradus, adeòque nec Ordo eccleſiaſticus. Seſe igitur habet inſtar pavimenti, unde aſcendere incipit, qui ad Oſtiarii munus ab Epiſcopo per conſecrationem promovetur, quod proinde munus Oſtiarii primus eſt gradus & Ordo eccleſiaſticus. Porrò cùm cap. *Cum contingat* extra de ætate præficiendorum, prima tonſura vocatur Ordo clericalis, ordo non ſumitur propriè, pro gradu ſcilicet eccleſiaſtico, ſed pro ſtatu, quo initiatus diſtinguitur à laico, & capax eſt beneficiorum eccleſiaſticorum.

Obj. 5. Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus à presbyteratu. Ergo ſunt ſaltem octo Ordines. *Reſp.* neg. ant. Nam Epiſcopatus eſſentialiter includit ſacerdotium, & ſacerdotium eſt præcipua pars Epiſcopatus: unde Epiſcopatus non ſatis à presbyteratu diſtinguitur ad hoc, ut conſtituat diſtinctum Ordinem.

Reſpondent alii, Epiſcopatum, & presbyteratum eſſe duos Ordines ſpecificè diverſos ſub eodem genere ordinis ſacerdotalis, qui eſt ultimus & ſupremus Ordo eccleſiaſticus; cùm ſit poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, qua poteſtate nulla alia major eſt, aut eſſe poteſt in Eccleſia. Hic autem ultimus & ſupremus Ordo ſub ſe alios, tanquam ſpecies ad quas contrahatur, continere poteſt & continet, nempe Epiſcopatum & presbyteratum: quia poteſtas conſecrandi Euchariſtiam diverſimodè participari poteſt, & ab illis diverſimodè participatur: ſimplex enim presbyter non ita hanc poteſtatem habet, ut poſſit eam aliis communicare. Epiſcopus verò ſic habet, ut poſſit eam aliis communicare; Epiſcopus verò ſic habet, ut eam aliis communicare poſſit. Prætereà, poteſtatem hanc habet ſimplex presbyter ab Epiſcopo dependentem quoad uſum: nam poteſt Epiſcopus presbytero interdicere ne conſecret, vel ad tempus ſuſpendere, vel præcipere, ut tali loco, tali tempore, tali modo celebret; quorum nihil poteſt in Epiſcopum presbyter.

Quæres. Quinam ſint Ordines majores & ſacri, quinam verò minores?

Reſp. Sacri & majores Ordines ſunt ſubdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus. Ita Pontificale Romanum proximè ante Ordinationem ſubdiaconi. Presbyteratus autem dicitur Ordo major, propter ſuam excellentiam. Diaconatus verò & ſubdiaconatus ſic etiam dicuntur, quia diaconus & ſubdiaconus presbytero in altari proximè aſſiſtendo, de ejus dignitate aliquid participant. Reliqui verò Ordines cùm non ſic participent de dignitate presbyteri, minores dicuntur.

Ordines majores dicuntur Sacri, quia annexum habent votum continentiæ, & eos qui ad illos promoventur, ita obſequio Dei mancipant, ut non poſſint iterùm fieri ſæculares ſine ſummi Pontificis diſpenſatione, quæ numquam, aut certè nonniſi rariſſimè, ob urgentiſſimas cauſas conceditur. Hinc, ut dicitur cap. *A multis* 9. extra de ætate & qualitate ordinand. olim ſubdiaconatus non fuit ordo ſacer, quia ſcilicet, olim non habuit votum continentiæ ſibi annexum.

ARTICULUS II.

De Officiis Ordinum Eccleſiaſticorum.

§. I.

PRimi Ordinis, qui Oſtiariorum eſt, officia, ut dicitur in Pontificali Romano, ſunt, *percutere cimbalum* (tempore ſacrificii) *& campanam; aperire Eccleſiam & ſacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat*.

§. II.

Secundi Ordinis, qui Lectorum eſt, officia, ut dicitur in Pont. Rom. ſunt, *legere ea, quæ prædicat* (ipſe Lector) *& lectiones cantare, & benedicere panes, & omnes fructus novos*. Quibus verbis videntur attribui eadem officia, quæ partim ſubdiaconis, partim diaconis & presbyteris conveniunt, ut prædicare, & fructus benedicere. Sed hæc jam à multo tempore non ſunt ampliùs in uſu, & olim cùm à Lectoribus fiebant, fiebant minori cùm ſolemnitate, & extra tempus ſacrificii.

§. III.

Tertii Ordinis, qui Exorciſtarum eſt, officia, ut dicitur in Pont. Rom. ſunt, *abjicere dæmones, & dicere populo, ut qui non communicat, det locum* (aliis ſcil. qui communicare volunt, ut accedere poſſint ad ſacram menſam) *& aquam in miniſterio* (baptiſmi) *fundere*. Sed hæc officia non ſunt ampliùs in uſu, & Exorciſmos Eccleſiæ ſuper energumenos nunc non legunt, niſi qui ſunt ſacerdotes.

§. IV.

Quarti Ordinis, qui Acolythorum eſt, officia, ut dicitur in Pont. Rom. ſunt, *ceroferarium ferre; luminaria Eccleſiæ accendere; vinum & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare*, hoc eſt, urceolos & ampullas ad ſacrificium præparare, & ſubdiacono porrigere. Porrò Acolythi dicuntur etiam ceroferarii, quia eorum eſt, ferre candelabrum cum cereo, quem etiam accendunt: vulgò quoque dicuntur Acolythi, per vocis corruptionem.

§. V.

Quintus Ordo ſubdiaconorum eſt, de quibus in Pontif. Roman. dicitur: *Subdiaconum oportet aquam ad miniſterium altaris præparare; diacono miniſtrare;*

pallas altaris, & corporalia abluere; calicem & patenam in uſum ſacrificii eidem offerre. His adde, & panem conſecrandum, quantum ad communicandum populum ſufficiat, in altari ponere, atque Epiſtolam ſolemniter cantare. Ex quibus apparet ſubdiaconum ordinari, ut miniſtret diacono in iis quæ pertinent ad ſacrificium; unde ſubdiaconus nominatur.

§. VI.

Sextus Ordo diaconorum eſt de quibus dicitur in Pont. Rom. *Diaconum oportet miniſtrare ad altare; baptizare, & prædicare*. Circa quæ *nota*. 1. Diaconus non prædicat, aut baptizat, niſi ex commiſſione ſacerdotis, aut in neceſſitate, cùm abeſt ſacerdos. 2. Inter miniſteria quæ ad altare exercet, præcipua ſunt, calicem conſecratum populo adminiſtrare, & Evangelium tempore ſacrificii cantare ſolemniter, quorum primum non eſt ampliùs in uſu. Sed

Quæres. Utrùm cantare ſolemniter Evangelium tempore ſacrificii, ſit præcipuum munus ad quod conſecratur diaconus, & cujus exercendi poteſtatem directè & immediatè accipit per ſuam ordinationem?

Reſp. Negativè. Nam 1. primi diaconi non fuerunt ab Apoſtolis ordinati ad cantandum ſolemniter Evangelium tempore ſacrificii: non enim ordinari potuerunt ad faciendum id quod facere non poterant. Non poterant autem cantare Evangelium tempore ſacrificii; cùm tunc temporis nulla eſſent Evangelia conſcripta.

2. Si diaconus directè & immediatè ordinatus ad canendum Evangelium in Miſſa, canere Evangelium in Miſſa, jure divino competit diacono: cùm enim ordinatio diaconi ſit ſacramentum, ut hic ſupponitur, & ſuo loco probabitur, quidquid diacono directè & immediatè vi ordinationis ſuæ competit, vi inſtitutionis Chriſti, adeòque jure divino competit. Atqui falſum eſt, quòd jure divino competat diacono munus canendi Evangelium in Miſſa: nam ſi competit, certè propter inſtitutionem Chriſti. Chriſtus autem non inſtituit ut ab aliquo caneretur, aut legeretur Evangelium in Miſſa; & quòd Evangelium in Miſſa cantetur, aut legatur, eſt cæremonia purè eccleſiaſtica; proindeque Chriſtus non inſtituit, ut in Miſſa Evangelium cantaretur à diacono. Ergo, &c.

Dicendum igitur eſt, diaconum directè, & immediatè ordinari præcisè ad hoc, ut ſacerdoti in ſacrificio Miſſæ aſſiſtat, & miniſtret, eumque in aliis officiis divinis adjuvet, ex ejus commiſſione, aut in ejus abſentia, cùm neceſſitas urget, prædicando, & baptizando; ad quæ munia exercenda per ordinationem ſuam idoneus efficitur, ſic ut à ſacerdote poſſint ei committi. Quòd autem ſacerdoti in ſacrificio Miſſæ tali modo deſerviat, putà canendo ſolemniter Evangelium, hoc non directè & immediatè provenit ex inſtitutione Chriſti, ſed ex determinatione Eccleſiæ, à qua, non autem à Chriſto, ejuſmodi cæremoniæ inſtitutæ fuerunt.

Porrò præter officia ſupradicta, habuerunt etiam alia diaconi in veteri Eccleſia, nempe reconciliandi pœnitentes publicos, & Euchariſtiam deferendi, ac præbendi laicis in abſentia ſacerdotum. Item habuerunt bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, & diſpenſationem eleemoſynarum, ut patet ex Actor. cap. 6. & ex B. Laurentii hiſtoria. Hinc autem adverſus presbyteros ſuperbiendi occaſionem ſæpiùs arripuerunt, de quo ab aliquibus Conciliis & Patribus reprehenduntur.

§. VII.

Presbyteris officia quinque attribuuntur in Pontif. Rom. videl. *offerre* ſacrificium; *benedicere* populum, & alia quæ poſſunt ab eo benedici; *præeſſe*, hoc eſt, ſub Epiſcopo Eccleſiam regere: *prædicare*, & *baptizare*; adde, & pœnitentes à peccatis abſolvere. Hæc autem officia non exercent presbyteri, niſi cum dependentia ab Epiſcopis, præſertim officium prædicandi: Epiſcoporum enim maximè proprium eſt prædicare, quia ſuccedunt Apoſtolis, qui prædicandi munus, ut maximè proprium, ſibi vindicant, Act. cap. 6. ubi ajunt: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*. Et paulò inferiùs: *Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus*. Hoc munus prædicandi, Apoſtolis, & in eorum perſona Epiſcopis eorum ſucceſſoribus imponit Chriſtus, Matth. cap. ult. his verbis: *Euntes ergo docete omnes gentes*. Et Marci cap. ult. his verbis: *Euntes in Mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*.

ARTICULUS III.

De modo conferendi Ordines in Orientali Eccleſia.

EX Euchologio Patriarchali, quo modus conferendi Ordines præſcribitur, ea tantùm brevitatis ſtudio exſcribemus, quæ ad propoſitum noſtrum conducere poſſunt; hoc eſt, ea tantùm, quæ utilia eſſe poſſunt, aut neceſſaria lectori, ad inveſtigandam materiam & formam Ordinum apud Orientales, qui alios non ordinant præter Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Lectores.

§. I.

Modus, qui obſervari ſolet in ordinatione Lectoris.

ADducitur hujuſmodi homo ad Pontificem, qui jam ſe ornavit ad celebrandum ſacrum .... Ejus caput Pontifex ter ſignat, eumque tondet ad modum crucis, dicens: *Tondetur ſervus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* .... Deinde ab aliquo, juxta figuram clericorum, perfectè tondetur.

Denuò ad Pontificem adducitur, qui accepto camiſo, eum induit, ejuſque caput ter ſignat, impoſitaque manu, ſic precatur: *Domine Deus omnipotens, elige ſervum tuum hunc, & eum ſanctifica. Da ei, cum omni ſapientia & prudentia, ut divina eloquia tua exerceat, ac legat, conſervans eum in irreprehenſibili converſatione* ....

Et dicto *Amen*, datur Lectori liber, in quo continentur Acta & Epiſtolæ Apoſtolorum; & paucis lectis, accipit à Pontifice pacem ..... Quòd ſi Cantor ſit is qui ordinatur, aliquid recitat ex Pſalterio, quod Epiſtolis præmitti ſolet.

§. II.

Modus qui obſervari ſolet in ordinatione Subdiaconi.

SEdente Pontifice .... priùſquam Miſſam incipiat, adducitur ad eum, qui ordinandus eſt ſubdiaconus; ſi ſæcularis ſit, cum penula; ſi monachus, cum pallio. Jubet autem Pontifex eum exuere penulam, vel pallium, & induere dalmaticam ſtrictam, & cingi, afferri quoque vas ad infundendam aquam pro lotione manuum, & manutergium.

Deinde ter obſignans ejus caput, & imponens manum, ... hanc recitat orationem: *Domine Deus noſter ..... qui ineffabili tua præcognitione determinaſti hunc ſervum tuum, ut eſſet dignus, qui famularetur Eccleſiæ ſanctæ tuæ ...... da ei ut amet decorem domus tuæ, ut aſſiſtat foribus ſancti templi tui, accendat lampadem tabernaculi gloriæ tuæ* ....

Et dicto *Amen*, accipiens Pontifex mantile, imponit ſiniſtro humero ejus qui ordinatur. Similiter præbet illi vas ad infundendam aquam pro lotione manuum; ille verò vas accipiens, deoſculatur manum ipſius, & aquam infundit ad manus Pontificis, qui eas lavat. Tandem accepta benedictione diſcedit, ſtatque pro foribus Sanctuarii, & ſuo tempore in Miſſa ter profert ....

Digitized by Google

§. III.

Modus qui obſervari ſolet in ordinatione Diaconi.

POſtquam dixerit Pontifex in ſacro, elata voce, illa verba: *Et erunt miſericordia* ... egreſſi duo diaconi à ſanctuario, accipiunt ſecum eum qui eſt ordinandus diaconus, ſtaotem in ſolea, extra tamen ſanctuarium, & introducunt eum in ſanctuarium ... Deinde accedit ad Pontificem, qui ejus caput ſignat ter, ac jubet eum cingulum ſolvere, & auferri mantile.

Poſt hæc, qui ordinatur, in ſacra menſa fronte inhærer, & genu deatrum flectit. Archidiacono verò elata voce proferente, *Attendamus*, Pontifex habens manum impoſitam capiti Ordinandi, clara voce enunciat: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipſo, ut veniat ſuper eum gratia ſanctiſſimi Spiritus*. Et ſtatim canitur trina voce *Kyrie eleiſon*, tam ab iis qui ſunt in ſanctuario, quàm ab aliis, qui ſunt extra.

Pontifex autem ſignat ter ejus caput, ac diacono dicente, *Dominum deprecemur*, Pontifex impoſita manu, ſic precatur: *Domine Deus noſter .... hunc, quem voluiſti, ut à me promoveretur in miniſterium diaconatus, in omni honeſtate conſerva ... dona ei verò gratiam, quam largitus es Stephano Proto martyri tuo ...... & dignum fac eum ſecundum beneplacitum tuum, qui curam habeat gradus à tua bonitate illi donati* ...... Et dicto *Amen*, dicit Archidiaconus ſubmiſſa voce, ita ut tantùm qui ſunt præſentes audiant, & reſpondeant, hæc quæ ſolet diaconus recitare: *In pace Dominum deprecemur* .....

His dictis, Pontifex habens impoſitam manum (ſuper caput Ordinati) ſic precatur: *Deus Salvator noſter .... hunc ſervum tuum, quem dignum feciſti, ut munus ſubiret Diaconi; imple omni fide & charitate ...... adventu ſancti & vivifici Spiritus. Non enim in impoſitione manuum mearum, ſed in præſtatione copioſarum miſerationum tuarum datur gratia iis, qui ſunt digni* .....

Et dicto *Amen*, circumdat Pontifex illi qui ordinatus eſt, in ſiniſtro humero horarium (ſeu ſtolam) dicens, *Dignus* .... Deinde exhibito oſculo pacis, porrigit illi Pontifex ſacrum flabellum, dicens ſimiliter, *Dignus*. Et ſalutant eum omnes diaconi: ipſe verò accepto flabello, ſtat à latere ſacræ menſæ, à parte dextra, aerem ciens ſuper ſancta myſteria ..... Tempore verò Communionis, qui eſt ordinatus, primus inter alios diaconos particeps fit divinorum myſteriorum, & recitat loco illorum, diaconica (ſeu quæ ad diaconum ſpectant........) Tandem peracta Communione clericorum in ſanctuario, Pontifex porrigit calicem diacono tunc conſecratum, ut ipſe populo ad Communionem accedenti diſtribuat.

§. IV.

Modus qui obſervari ſolet in ordinatione Presbyteri.

ABſoluto hymno Cherubico in Miſſa........ ſurgente Pontifice; accedit ad eum qui ordinatur, cujus caput ter ſignat Pontifex. Qui verò ordinatur, fronte incumbens ſacræ aræ, utrumque genu flectit. Diacono verò elata voce dicente, *Attendamus*, ſtatim Pontifex, impoſita manu unà cum pallio, clara voce enunciat: *Divina gratia quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt ſupplet, promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat ſuper ipſum gratia ſanctiſſimi Spiritus*...

Rurſus ſignans eum ter Pontifex, & manum habens impoſitam .... hanc orationem myſticè recitat: *Deus, qui es ſine principio, & fine cares ..... ſecundùm beneplacitum tuum velis, ut iſte quem tibi placuit à me promoveri, ſuſcipiat in irreprehenſibili converſatione, & firma fide, magnam hanc gratiam Spiritus ſancti tui, & perfectum oſtende ſervum tuum in omnibus tibi acceptabilem, & dignè converſantem, ut dignitas hujus ſacerdotalis honoris à tua præconitiva potentia ipſi donati requirit* .... Et dicto *Amen*, primus presbyter recitat diaconica ſubmiſſiori voce...

His dictis, Pontifex habens manum impoſitam, ſic precatur: *Deus, qui magnus es in potentia ... hunc, quem voluiſti ut ſubiret gradum presbyteri, imple dono ſancti tui Spiritus, ut fiat dignus, qui aſſiſtat ſine querela ſanctuario tuo, prædicet Evangelium tui regni, adminiſtret verbum tuæ veritatis, offerat tibi dona & ſacrificia ſpiritualia, renovet populum tuum per lavacrum regenerationis* ....

Et dicto *Amen*, jubet eum ſurgere, & poſteriorem partem ſtolæ ad anteriorem ex parte dextera transfert, dicens, *Dignus* .... Deinde induens eum planetam, iterùm exclamat: *Dignus* ... ita deinùm oſculo ſalutat Pontificem & presbyteros, ac diſcedens ſtat unà cum presbyteris, liturgiam recitans ....

§. V.

Modus qui obſervari ſolet in ordinatione Epiſcopi.

ABſoluto triſagio hymno in ſacro, aſcendit Pontifex ad gradum, qui eſt ante ſacrum altare, & adducitur ad ipſum a præſentibus tribus Pontificibus, qui conſecrandus eſt. ex parte dextera; ibi fronte incumbens ſacræ aræ, utrumque genu flectit. Chartophylax verò ex parte ſiniſtra Pontifici conſecranti exhibet chartam, in qua ſi is qui conſecrat, Patriarcha ſit, hæc ſcripta ſunt. *Suffragio & approbatione ſacratiſſimorum Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum*: Si verò Metropolita ſit, qui ordinat, hæc: *Suffragio & approbatione Deo amabiliſſimorum Epiſcoporum, & Reverendorum Presbyterorum, divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabiliſſimum presbyterum in Epiſcopum à Deo cuſtoditæ Civitatis N. Oremus igitur pro ipſo, ut veniat ſuper eum gratia ſanctiſſimi Spiritus.*

Hac igitur porrecta charta Pontifici, & Chartophylace, vel Archidiacono dicente, *Attendamus*, Pontifex, una cum pallio impoſita manu (ſuper caput ordinandi) recitat quæ ſunt ſcripta, ita ut à circumſtantibus omnibus audiatur, cunctique, tam iis qui in ſanctuario, quam qui ſunt extra, reſpondentibus ter *Kyrie eleiſon*, Pontifex aperit librum Evangeliorum, & imponit capiti ac cervici illius qui ordinatur, ſimul unà tangentibus aliis quoque Pontificibus.

Deinde facta trina cruce in capite illius, impoſitaque manu, ſic precatur: *Domine Deus noſter .... hunc, qui ſuffragiis electus eſt, & dignus factus, qui ſubiret jugum Evangelicum, & Pontificiam dignitatem per manum mei peccatoris, & præſentium miniſtrorum & coepiſcoporum, adventu & virtute, ac gratia ſancti tui Spiritus, corrobora .... ac irreprehenſibilem ipſius pontificatum demonſtra* ....

Et dicto *Amen*, dicit unus ex iis, qui unà conſecrant Pontificibus, tenui voce; ita ut tantùm audiant qui adſunt Pontifices, & reſpondeant, hæc diaconica; *In pace Dominum deprecemur* ...... His auditis, Pontifex habens impoſitam capiti ejus qui ordinatur, manum, ſic precatur: *Domine Deus noſter ... hunc renunciatum diſpenſatorem Pontificiæ gratiæ, effice imitatorem tui veri paſtoris, ponentem animam ſuam pro ovibus tuis, cæcorum ducem, lumen in tenebris degentium* ....

Et dicto *Amen*, aufert Evangelium, illudque deponit ſuper ſacram menſam, imponitque Conſecrato humerale (hoc eſt, pallium Archiepiſcopale, quo utuntur omnes Græcorum Epiſcopi) dicens, *Dignus* ..... Deinde Conſecrans Conſecratum amplectitur, reliqui quoque Epiſcopi eum ſalutant .....

ARTICULUS IV.

De modo conferendi Ordines in Eccleſia Latina.

§. I.

Modus quo ordinantur Oſtiarii.

POntifex accipit, & tradit omnibus claves Eccleſiæ, quas ſucceſſivè manu dextera ſinguli tangant, Pontifice dicente: *Sic agite, quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

Poſt hæc, Archidiaconus, ſive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad oſtium Eccleſiæ, & facit illos claudere & aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulſare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, ſtans cum mitra Pontifex versùs ad ipſos ordinatos, dicit: *Deum Patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur, quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt .... Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium Oſtiariorum ... ...*

§. II.

Modus quo Lectores ordinantur,

POntifex accipit, & tradit omnibus codicem, de quo lecturi ſunt, quem manu dextera tangunt; dicens: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio.*

Quibus expeditis, & illis genuflexis, Pontifex ſtans cum mitra verſus ad eos dicit: *Oremus, fratres chariſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos in ordinem Lectorum dignatur aſſumere, benedictionem ſuam clementer effundat ....,* Tum Pontifex, mitra depoſita, ſtans converſus ad altare, dicit: *Oremus ....* Deinde converſus ad Ordinatos genuflexos, dicit, ſine mitra: *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum ....,*

§. III.

Modus quo ordinantur Exorciſtæ.

POntifex accipit, & tradit omnibus librum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi .... quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.*

Poſteà verò omnibus devotè genuflexis, Pontifex cum mitra ſtans, dicit: *Deum Patrem omnipotentem ..... ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur in officium Exorciſtarum ....* Tum converſus ad altare, depoſita mitra, dicit: *Oremus ....* Et mox converſus ad Ordinandos genuflexos, dicit: *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium Exorciſtarum, ut per impoſitionem manuum, & oris officium, poteſtatem & imperium habeant ſpiritus immundos coercendi .....*

§. IV.

Modus quo ordinantur Acolyti.

POntifex accipit, & tradit omnibus candelabrum, cum candela extincta, quod ſucceſſivè manu dextera ſinguli tangant, Pontifice dicente: *Accipite ceroferarium, cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. ℟. Amen.*

Tunc accipit, & tradit eis urceolum vacuum, quem ſimiliter tangere debent; dicens communiter omnibus: *Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini. ℟. Amen.*

Poſteà iis genuflexis permanentibus, Pontifex ſtans cum mitra, verſus ad eos, dicit: *Deum Patrem omnipotentem .... ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur in ordine Acolytorum ....* Tum ad altare ſe convertens, depoſita mitra, ſtans dicit: *Oremus .....* & mox converſus ad eoſdem genuflexos, dicit: *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus .... benedicere dignare hos famulos tuos in Officium Acolytorum, ut ...... ſanctis altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent. Accende, Domine, mentes eorum, & corda, ad amorem gratiæ tuæ; ut illuminati vultu ſplendoris tui, fideliter tibi in ſancta Eccleſia deſerviant ..... Oremus. Domine ſancte, Pater omnipotens ..... Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus ....*

§. V.

Modus quo ordinantur Subdiaconi.

POntifex accipit, & tradit omnibus calicem vacuum, cum patena vacua ſuperpoſita, quem ſucceſſivè manu dextera ſinguli tangunt, Pontifice dicente: *Videte cujus miniſterium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.*

Et Archidiaconus accipit, & tradit eis urceolos cum vino & aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia ſimiliter tangere debent. Poſteà ſurgit Pontifex, & verſus ad populum, ſtans cum mitra, dicit: *Oremus Deum ..... ut ſuper hos ſervos ſuos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus eſt, infundat benedictionem ſuam, & gratiam ....* Tum depoſita mitra, converſus ad altare, dicit: *Oremus .....* & mox verſus ad Ordinandos genuflexos, dicit ſine mitra: *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos .... ut eos in ſacrario tuo ſancto ſtrenuos, ſollicitoſque cœleſtis militiæ inſtituas excubitores, ſanctiſque altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent; & requieſcat ſuper eos Spiritus ſapientiæ & intellectus .....*

Tum Pontifex ſedens, accepta mitra, amictum, qui in collo Ordinandorum jacet, imponit ſuper caput ſingulis, dicens: *Accipe amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis, in nomine Patris, &c.*

Tum imponit manipulum in ſiniſtrum brachium cuilibet, dicens: *Accipe manipulum, per quem deſignatur fructus bonorum operum, in nomine Patris, &c.*

Poſt hæc, induit quemlibet tunica ...., dicens cuilibet: *Tunica jucunditatis, & indumento lætitiæ induat te Dominus, in nomine Patris, &c.*

Poſteà accipit, & tradit omnibus librum Epiſtolarum, manu dextera ipſum ſimul tangentibus, dicens: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Patris, &c.*

§. VI.

Modus quo Diaconi ordinantur.

SOlus Pontifex manum dexteram extendens, ponit ſuper caput cuilibet Ordinando, & nullus alius, quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur, dicens ſingulis: *Accipe Spiritum S. & robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini.*

Poſteà proſequitur in primo tono, extenſam tenens manum dexteram, uſque in finem præfationis: *Emitte in eos, quæſumus Domine, Spiritum S. quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur ....*

Poſt hæc, Pontifex ſedens cum mitra, cuilibet Ordinando ante ſe genuflexo, ſtolam, quam ſinguli in manu habent, imponit ſucceſſivè ſuper humerum ſiniſtrum, dicens ſingulis: *Accipe ſtolam candidam de*

manu

mana Dei; adimple miniſterium tuum: potens enim eſt Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam: Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. *Amen....*

Poſt hæc, Pontifex accipiens dalmaticam, induit ea quemlibet .... dicens cuilibet: *Induat te Dominus indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ, & dalmatica juſtitiæ circumdet te ſemper, in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

Poſtremò Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens: *Accipite poteſtatem legend. Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

Quo facto, Pontifex ſtans ad altare converſus, dicit ſine mitra: *Oremus* ... & vertens ſe ad Ordinatos, dicit: *Exaudi, Domine, preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos Spiritum tuæ benedictionis emitte ..... Oremus. Domine ſancte .... hos quoque famulos tuos ſpirituali dignare illuſtrare affectu, ut tuis obſequiis expediti, ſanctis altaribus tuis miniſtri puri accreſcant .....*

§. VII.

Modus quo ordinantur Presbyteri.

ORdinandis coram Pontifice binis & binis ſucceſſivè genuflectentibus, Pontifex ſtans ante faldiſtorium ſuum cum mitra, & nulla oratione, nulloque cantu præmiſſis, imponit ſimul utraque manum ſuper caput cujuslibet Ordinandi ſucceſſivè, nihil dicens. Idemque faciunt poſt eum omnes ſacerdotes, qui adſunt ... Quo facto, tam Pontifex quàm ſacerdotes, tenent manus dexteras extenſas ſuper illos. Et Pontifex ſtans cum mitra, dicit: *Oremus, fratres chariſſimi, Deum* .... Pontifex, depoſita mitra, converſus altare, dicit. *Oremus* ... Et mox converſus ad Ordinandos, dicit: *Exaudi nos, quæſumus, Deus noſter, & ſuper hos famulos tuos benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ ſacerdotalis infunde virtutem* .... Tum extenſis manibus ante pectus (cum cantu) dicit: *Per omnia ſæcula ſæculorum ......*

Pontifex ſedet accepta mitra, & reflectit horarium, ſive ſtolam ab humero ſiniſtro cujuslibet, capiens partem, quæ retrò pendet, & imponens ſuper dextrum humerum; aptat eam ante pectus, in modum crucis, ſingulis dicens: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.*

Poſtea imponit cuilibet ſucceſſivè caſulam .... ſingulis dicens: *Accipe veſtem ſacerdotalem, per quam charitas intelligitur: potens eſt enim Deus ut augeat tibi charitatem, & opus perfectum.* ℟. *Deo gratias.*

Surgit Pontifex ſine mitra, & omnibus genua flectentibus, dicit: *Deus ſanctificationum omnium auctor ... ſuper hos famulos tuos, quos ad presbyterii honorem dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde; ut gravitate actuum, & cenſura vivendi, probent ſeſe ſeniores ....*

Tunc Pontifex, ſine mitra, ante altare converſus, flexis genibus, incipit alta voce, ſchola proſequente, hymnum, Veni Creator Spiritus. Dicto primo verſu, ſurgit Pontifex, & ſedet in faldiſtorio cum mitra ... & cum oleo catechumenorum inungit unicuique (Ordinando) ambas manus ſimul junctas, in modum crucis ... ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit: *Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam unctionem & noſtram benedictionem.* ℟. *Amen. Ut quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque conſecraverint, conſecrentur, & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et quilibet ordinandus reſpondet, *Amen* ....

Omnium manibus unctis & conſecratis, Pontifex manus lavat, & tergit, tum tradit cuilibet ſucceſſivè calicem cum vino & aqua, & patenam ſuperpoſitam cum hoſtia, & ipſi illam accipiunt inter indices, & medios digitos, & cuppam calicis, & patenam ſimul tangunt, Pontifice ſingulis dicente: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, miſſaſque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.* ℟. *Amen ....*

Presbyteri verò ordinati, poſt Pontificem ... in terra genuflexi, habeant libros coram ſe, dicentes: *Suſcipe ſancte Pater, &c.* & omnia alia de Miſſa, prout dicit Pontifex: qui tamen bene advertat, quòd Secretas moroſè dicat, & aliquantulùm altè, ita ut ordinati ſacerdotes poſſint ſecum omnia dicere, & præſertim verba Conſecrationis, quæ dici debent eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem......

Poſtquam verò Pontifex ſe communicaverit, & totum ſanguinem ſumpſerit ....,. ſingulos communicat, cuilibet dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.* Quilibet reſpondet, *Amen .....*

Pontifex, accepta mitra vertit ſe ad presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipſo ſtantes, profitentur fidem quam prædicaturi ſunt, dicentes: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.....*

Quo finito, Pontifex cum mitra ſedens ſuper faldiſtorium ante medium altaris, imponit ambas manus ſuper capita ſingulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet: *Accipe Spiritum ſanctum. Quorum remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta ſunt.* Deinde ....

Poſt hæc, Pontifex, depoſita mitra, & amoto faldiſtorio, convertitur ad altare; proſequitur Miſſam ....

§. VIII.

Modus quo ordinantur Epiſcopi.

COnſecrator & aſſiſtentes Epiſcopi, ambabus manibus caput Conſecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum ſanctum.*

Quo facto Conſecrator ſtans, depoſita mitra, dicit: *Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris; & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ ſacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem* .... Deinde extenſis manibus ante pectus (cum cantu) dicit: *Per omnia ſæcula ſæculorum ......*

Conſecrator, flexis genibus, verſus ad altare, incipit, cæteris proſequentibus, hymnum, *Veni Creator Spiritus*. Finito primo verſu, ſurgit Pontifex, & ſedet in faldiſtorio ante medium altaris; capit mitram ... tum pollicem ſuum dexterum intingit in ſanctum chriſma, & caput Electi coram ſe genuflexi inungit, formans primò ſignum crucis, deinde reliquum coronæ liniendo, interim dicens: *Ungatur & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione in ordine pontificali, in nomine Patris, & Filii* ... Expleta unctione, Pontifex......

Conſecrator ſedet, accipit mitram, & Electo ante ipſum genuflexo inungit ambas manus ſimul junctas, cum chriſmate in modum crucis, producendo cum pollice ſuo dextro intincto duas lineas, videlicet à pollice dextræ manus uſque ad indicem ſiniſtræ, & à pollice ſiniſtræ uſque ad indicem dexteræ, & mox inungat totaliter palmas Electi, dicens: *Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & chriſmate ſanctificationis; ſicut unxit Samuel David regem & prophetam, ita ungantur & conſecrentur: in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, facientes imaginem ſanctæ crucis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui nos à morte redemit, & ad regna cælorum perduxit. Exaudi nos, pie Pater omnipotens, æterne Deus; & præſta, ut quod rogamus, exoremus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Et proſequitur, ſedens: *Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te ad pontificatus ſublimari voluit dignitatem, ipſe te chriſmate, & myſticæ delibutionis liquore perfundat, & ſpiritualis benedictionis ubertate fœcundet: Quidquid benedixeris, benedicatur, & quidquid ſanctificaveris, ſanctificetur; &*

con-

conſecrata manus iſtius, vel pollicis impoſitio cunctis proficiat ad ſalutem. ℟. *Amen.* Præmiſſis itaque expeditis, Conſecratus jungit ambas manus.....

Tum ſedens (Conſecrator) accepta mitra ſolus tradit illum (baculum paſtoralem) Conſecrato coram eo genuflexo (dicens :) *Accipe baculum paſtoralis officii ; ut ſis in corrigendis vitiis piè ſæviens, judicium ſine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate ſeveritatis cenſuram non deſerens.* ℟. *Amen.* Quo facto .....

Sedet cum mitra (Conſecrator) & ſolus annulum in digitum annularem dexteræ manus conſecrati immittit dicens: *Accipe annulum, fidei ſcilicet ſignaculum, quatenus Sponſam Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus, illibatè cuſtodias,* ℟. *Amen.*

Tum Conſecrator accipit librum Evangeliorum de ſcapulis Conſecrati; & ... tradit eum clauſum Conſecrato tangenti illum ſine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade; prædica populo tibi commiſſo : potens eſt enim Deus ut augeat tibi gratiam ſuam : Qui vivis, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*

Demùm Conſecrator recipit Conſecratum ad oſculum pacis .... Infra actionem dicit Conſecrator ; *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro hoc famulo tuo, quem ad Epiſcopatus ordinem promovere dignatus es ....*

Deinde dicto, *Ite miſſa eſt* ..... ſedens (Conſecrator) cum mitra, adjuvantibus ipſum aſſiſtentibus Epiſcopis, imponit (mitram) capiti Conſecrati, dicens : *Imponimus, Domine capiti hujus Antiſtitis, & Agoniſtæ tui, galeam munitionis ....*

Deinde ſedet Conſecrator, & accepta mitra, adjuvantibus aſſiſtentibus Epiſcopis, imponit (chyrothecas (manibus Conſecrati, dicens: *Circumda, Domine manus hujus Miniſtri tui munditia novi hominis ....*

ARTICULUS V.

Utrùm jure divino unus ordo ſuperior ſit altero Ordine.

QUòd ſacerdotes jure divino ſuperiores ſunt cæteris ordinibus, extra omnem controverſiam eſt. Et verò ſacerdotes vi ordinationis ſuæ poteſtatem habent conſecrandi Euchariſtiam, & pœnitentes ſibi ſubjectos abſolvendi à peccatis, quorum neutrum poſſunt reliqui inferiores Ordines. Poſſe autem conſecrare Euchariſtiam, & pœnitentes à peccatis abſolvere, eſt maximæ cujuſdam dignitatis & præeminentiæ. Sacerdotes igitur reliquis Ordinibus inferioribus præeminent vi ordinationis ſuæ, adeòque jure divino : quod enim ſacerdotibus vi ordinationis ſuæ competit, competit illis jure divino.

Præterea, Apoſtolus Act. cap. 20. convocatis ſenioribus natu Eccleſiæ Epheſinæ, hoc eſt, Epiſcopo cum reliquis inferioribus ſacerdotibus ſic loquitur : *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* (cujus membra ſunt non ſolùm laici, ſed etiam & potiſſimùm clerici. Ergo ſacerdotes à Spiritu ſancto poſiti ſunt regere non ſolùm laicos ſed etiam clericos ſeu ordines omnes inferiores. Sed qui regit, major eſt eo qui regitur. Ergo ſacerdotes jure divino majores ſunt, &c. Quod enim ſunt ſacerdotes ex ſpeciali deſtinatione Spiritus ſancti, hoc ſunt jure divino.

Solùm itaque difficultas eſt de Epiſcopo & presbytero ; uterque enim ſacerdos eſt. Quæritur ergo, utrùm etiam jure divino Epiſcopus presbytero ſuperior ſit ? Negavit Aerius, teſte S. Auguſtinus lib. de hær. num. 35. & S. Epiphanio hær. 75. Hic Aerius, ut ait S. Auguſtinus, *cum eſſet presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari ; & in Arianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla .... Dicebat etiam presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni.* Eum autem ſic loquentem inducit S. Epiphanius loco citato num. 3. *Quanam in re presbytero Epiſcopus antecellit? Nullum inter utrumque diſcrimen eſt. Eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus, imponit & presbyter: baptizat Epiſcopus, idem facit & presbyter : divinum omnem cultum adminiſtrat Epiſcopus, nonminùs id facit & presbyter: Epiſcopus in throno ſedet: ſedet & presbyter.*

Epiſcopum non eſſe ſuperiorem presbytero, poſt Aerium docuerunt Vvicleffus, teſte Thoma Vvaldenſi lib. 2. doctr. fidei art. 3. cap. 60. & Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 4. §. 2. ubi ait, pro temporum neceſſitate humano conſenſu morem inductum fuiſſe in veteri Eccleſia, ut Epiſcopus præeſſet in collegio presbyterorum, ſicut præeſt Conſul in ſenatu; neque tunc Epiſcopum ſic honore & dignitate ſuperiorem extitiſſe, ut dominium in collegas haberet ; ſed ſolùm ad id muneris promotum fuiſſe, ut referret de negotiis, conſuleret, moneret, hortaretur, authoritate ſua totam actionem regeret, & quod communi conſenſu decretum fuerat, exequeretur. Sed contra illos ſit

Responsio I.

Epiſcopus ſimplicem presbyterum jure divino ſuperat poteſtate Ordinis.

Eſt de fide, & probatur. Nam 1. Epiſcopus poteſt conſecrare ſacerdotes, & confirmare, quorum neutrum ſimplex presbyter poteſt, ſaltem ut miniſter ordinarius. Patet ex Conc. Flor. in decreto Eugenii §. *Secundum*, ubi dicitur : *Ordinarius miniſter* (Confirmationis) *eſt Epiſcopus* ; juncto §. *Sextum*, ubi dicitur : *Ordinarius miniſter hujus ſacramenti* (Ordinis) *eſt Epiſcopus.* Et ex Trid. §. 23. can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem .... anathema ſit.* Ex his autem.

Argumentor ſic. Miniſter ille ſuperat alium poteſtate Ordinis, qui totum poteſt quod poteſt alius, & inſuper poteſt aliqua, quæ alius non poteſt. Atqui Epiſcopus totum poteſt quod poteſt ſimplex presbyter; poteſt enim Epiſcopus Euchariſtiam conſecrare, baptizare, pœnitentes abſolvere, &c. & inſuper poteſt aliqua, quæ ſimplex presbyter aut omninò non poteſt, aut non poteſt, niſi ex commiſſione, & tanquam extraordinarius miniſter: poteſt enim Epiſcopus ordinare ſacerdotes, quod omninò non poteſt ſimplex presbyter ; item poteſt Epiſcopus adminiſtrare Confirmationem, quod ſimplex presbyter non poteſt, niſi ex commiſſione, & tanquam miniſter extraordinarius. Ergo, &c.

2. Quòd Epiſcopus poſſit ordinare ſacerdotes, & confirmare, hoc habet ex ordinatione ſua. Sed quod habet ex ordinatione ſua, hoc habet jure divino. Ergo quòd poſſit ordinare ſacerdotes, & confirmare, hoc habet jure divino ; adeòque hoc habet jure divino, quòd ſimplicem presbyterum ſuperet poteſtate Ordinis.

Prob. min. Nam Epiſcopus habet jure divino, id quod habet ex inſtitutione Chriſti. Sed quod habet ex ordinatione ſua, hoc habet ex inſtitutione Chriſti : nam ordinatio Epiſcopi eſt cæremonia à Chriſto inſtituta; cùm per eam conferatur poteſtas conferendi ſacramenta, (ſacerdotii enim Ordinatio, ſicut & Confirmatio, verum ſacramentum eſt) nec cæremonia aliqua, talis poteſtatis collativa, inſtitui potuerit ab Eccleſia. Ergo, &c.

Confirmatur authoritate Leonis Magni epiſt. 88. ad univerſos Germaniæ & Galliæ Epiſcopos, ubi agens de

Cho-

Digitized by Google

Chorepiſcopis, & aliis ſimplicibus presbyteris, ſic loquitur: *Quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio, quadam tamen authoritate veteris legis, quadam nova etiam eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut presbyterorum, & diaconorum, aut virginum conſervatio, ſicut conſtitutio altaris, ac benedictio, vel unctio: ſiquidem nec erigere eis altaria, nec Eccleſias, nec altaria conſecrare licet, nec per impoſitiones manuum fidelibus baptizatis, vel converſis ex hereſi Paracletum Spiritum ſanctum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate frontes baptizatorum ſignare, nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis, qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur, vel presbyteris, qui eandem geſtans formam: quoniam quanquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium Summi Pontificis demonſtretur.*

Ecce quanta præter poteſtatem ordinandi ſacerdotes, & confirmandi, Epiſcopo ſaltem ut ordinario miniſtro competunt, quæ non competunt ſimplici presbytero. Epiſcopo autem ſaltem ut ordinario miniſtro competunt ratione gradus, ſeu eò quòd Pontificatus apicem obtinet, ut loquitur S. Leo; & ita competunt ei vi inſtitutionis Chriſti, adeòque jure divino. Epiſcopus igitur ſimplicem presbyterum jure divino ſuperat, non ſolùm poteſtate ordinandi ſacerdotes, & confirmandi, ſed etiam poteſtate ordinandi diaconos, conficiendi chriſma, conſecrandi virgines, altaria, & templa, &c. Et quamvis ex his aliqua, ut altaria erigere, & baſilicas conſecrare, fortaſſe poſſet, abſente Epiſcopo, ſimplex presbyter ut miniſter extraordinarius exequi, ea tamen ſimplici presbytero committi vetant canones, ſeu regulæ eccleſiaſticæ, *ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium Summi Pontificis demonſtretur.*

Porrò quòd ſic in multis Epiſcopus & quidem jure divino præſtet auctoritate ſimplici presbytero, probat S. Leo duplici medio. Et 1. quidem ex veteri lege, in qua fuit unus ſummus ſacerdos, nempe Aaron, & qui ſuccedebant Aaroni; prætereà erant inferiores ſacerdotes, omnes ſcilicet Aaronis filii, denique erant cæteri Levitæ, qui à Levi deſcendebant, ſed non per Aaronem. Hi autem gradus jure divino diſtincti erant; ita ut jure divino ſummus Sacerdos auctoritate & dignitate ſuperior eſſet inferioribus ſacerdotibus, & inferiores ſacerdotes cæteris levitis: unde trium illorum graduum diſtinctæ erant conſecrationes, ſicut & veſtes & officia.

Cùm hæc itaque hierarchia à Deo per Moyſem inſtituta in lege veteri, figura fuerit hierarchiæ per Chriſtum inſtituendæ in lege nova; atque ita Epiſcopi ſint in nova lege, quod erant ſummi ſacerdotes in veteri; quod erant minores ſacerdotes in veteri lege, hoc ſint ſimplices presbyteri in nova, & diaconi ſint in lege nova, quod in veteri lege fuerunt levitæ: quòd in lege nova Epiſcopi jure divino auctoritate & dignitate ſuperiores ſint ſimplicibus presbyteris, ſicut & ſimplices presbyteri diaconis; à fortiori conſequens eſt; cùm non minus diſtincta & perfecta eſſe debeat hierarchia in lege nova, quàm fuerit in lege veteri, quæ totum fuit umbra & figura futurorum, hoc eſt, eorum quæ in lege nova erant futura.

2. Ex lege nova, in qua jure divino Apoſtoli auctoritate & dignitate ſuperiores fuerunt, ut patet ex diſtincta & diverſa inſtitutione; nam Apoſtolos Luc. cap. 6. ſeptuaginta verò diſcipulos Luc. cap. 10. Chriſtus inſtituit; & ſolis Apoſtolis Chriſtus Joan. cap. 20. dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quibus verbis Apoſtoli à Chriſto conſtituti ſunt Principes Eccleſiæ, juxta Davidis vaticinium Pſal. 44. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii* (hoc eſt, Apoſtoli pro Patriarchis) *Conſtitues eos* (ò Chriſte) *principes ſuper omnem terram.* Atqui Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, & ſimplices presbyteri ſeptuaginta diſcipulis; quod præter Leonem aſſerunt magno conſenſu Patres alii. Ergo jure divino Epiſcopi auctoritate & dignitate ſuperiores ſunt ſimplicibus presbyteris; nec mirum eſt, quòd Epiſcopi, qui jure divino principatum obtinent in Eccleſia, multa illa, quæ hìc commemorantur, jure divino ſoli poſſint, ita ut ex eis alia omninò non poſſint, alia verò nonniſi ex legitima diſpenſatione, & ut extraordinarii miniſtri, poſſint ſimplices presbyteri.

Confirmatur 2. ex S. Epiphanio hær. 75. §. 4. ubi contra Aerium ſic diſſerit: *Totum illud ſtoliditatis eſſe pleniſſimum prudens quiſque facilè perſpiciet: velut cùm Epiſcopum ac presbyterum adæquare conatur: hoc enim conſtare qui poteſt? Siquidem Epiſcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet: hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio. Alter cùm Patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres, aut magiſtros. Quinam verò fieri poteſt, ut is presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?* Ex his autem

Argumentor ſic. Ille jure divino alterum ſuperat poteſtate Ordinis, qui poteſt generare Patres Eccleſiæ; cùm alter non poſſit niſi filios; & quòd poſſit generare Patres Eccleſiæ, hoc habet ex inſtitutione Chriſti. Atqui Epiſcopus poteſt generare Patres Eccleſiæ, nempe presbyteros; presbyter verò poteſt tantùm generare filios, nempe ſimplices fideles; & quòd Epiſcopus poſſit generare Patres Eccleſiæ, hoc habet ex inſtitutione Chriſti; ſicut presbyter habet ex inſtitutione Chriſti, quòd poſſit generare filios Eccleſiæ: Epiſcopus enim generat Patres Eccleſiæ per impoſitionem manuum, ſeu per ordinationem ſacerdotalem; ſicut presbyter generat filios Eccleſiæ per lavacrum regenerationis, adeòque Epiſcopus generat Patres Eccleſiæ, & presbyter filios per collationem ſacramenti; nam utrumque, nempe ordinatio ſacerdotalis & lavacrum regenerationis, eſt verum novæ legis ſacramentum. Poteſtas autem conferendi ſacramenta ab alio dari non potuit, quàm ab ipſo ſacramentorum authore. Ergo, &c.

Responsio II.

Epiſcopus ſuperat etiam jure divino ſimplicem presbyterum poteſtate juriſdictionis.

Prob. 1. ex Apoſtolo 1. ad Timoth. cap. 5. ubi ait: *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Et ad Tit. cap. 1. ubi ait: *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas.* Ex quibus apparet, Epiſcopos eſſe presbyterorum, ſicut & aliorum fidelium rectores & judices; adeòque presbyteris juriſdictione ſuperiores.

Prob. 2. ex antiquiſſimis Patribus, Ignatio ſcilicet & Tertulliano, quorum primus ſic loquitur in ſua ad Smirnæos epiſtola: *Nullus ſine Epiſcopo aliquid operetur eorum, quæ conveniunt in Eccleſiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quæ ſub ipſo eſt, vel quam utique ipſe conceſſerit. Ubi utique apparet Epiſcopus, illic multitudo ſit, quemadmodum utique ubi eſt Chriſtus Jeſus, ibi catholica Eccleſia. Non licitum eſt ſine Epiſcopo neque baptizare, neque agapem facere: ſed quod utique ille probaverit, hoc eſt Deo beneplacitum; ut ſtabile ſit & firmum omne quod agitur.* Cod. Flor.

Secundus verò ſic loquitur lib. de bapt. cap. 17. *Dandi quidem* (baptiſmum) *habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc presbyteri & diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt.* Quibus addi poteſt Author canonum Apoſtolicorum can. 31. apud Tertianum, ubi ait: *Presbyteri aut diaconi, niſi volente Epiſcopo, nihil efficiant: ipſe enim eſt, cui populus Domini concreditus eſt, à quo ratio ipſarum animarum repoſcenda eſt.*

Secundùm hos Patres, Epiſcopus in ſua Eccleſia perſonam Chriſti ſuſtinet; ſummus eſt in ſua Eccleſia ſacer-

Digitized by Google

ſacerdos; clerici omnes in ejus diœceſi ita ſubjecti ſunt ejus regimini, ut presbyteri neque baptizare, neque aliud quodlibet munus eccleſiaſticum obire poſſint ſine ejus licentia. Secundùm hos Patres igitur, Epiſcopi eminentem habent poteſtatem & juriſdictionem ſupra presbyteros. Laudatis Patribus conſonat Concilium Carthaginenſe II. can.9. ubi dicitur: *Quiſquis* An. 397. *presbyter, inconſulto Epiſcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit.*

*Prob.*3. ex praxi Eccleſiæ: nam Concilia omnia tam particularia quam generalia, celebrata fuerunt à ſolis Epiſcopis; & ſi quando cum Epiſcopis presbyteri ſederunt in Conciliis, non ſuo, ſed Epiſcoporum abſentium, quos repræſentabant, nomine ſederunt, ut certiſſimum eſt ex hiſtoria eccleſiaſtica, & Actis Conciliorum. Atqui in Conciliis maximè exercetur juriſdictio eccleſiaſtica: nam in Conciliis leges conduntur, & pœnæ contra transgreſſores decernuntur. Ergo ſignum eſt juriſdictionem eccleſiaſticam non in presbyteris, ſed in Epiſcopis reſidere. Quod confirmari poteſt ex eo, quòd Epiſcopi aliquando excommunicaverint presbyteros, nunquam verò presbyteri Epiſcopos.

*Prob.*4. Ratione: quia Epiſcopi ſunt principes Eccleſiæ. Atqui juriſdictio penes principem reſidet, non verò penes ſubditos. Ergo Eccleſiæ juriſdictio in Epiſcopis eſt, non in presbyteris, qui cum reliquis Eccleſiæ membris non poſſunt non eſſe ſubditi Epiſcopis, hoc ipſo quòd Epiſcopi principatum obtinent in Eccleſia. Tota difficultas eſt in majore, &

Prob. 1. Ex S. Ignatio in epiſt. ad Philadelphios, Lod. Flor. in qua hæc habet: *Boni Et ſacerdotes, melius autem princeps ſacerdotum* (Epiſcopus) *cui credita ſunt ſancta ſanctorum, cui ſoli credita ſunt occulta Dei.* 2. Ex S. Auguſtino enarrat. in Pſal. 44. *Quid eſt*, inquit, *Pro Patribus tui nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi* (Apoſtolorum loco, qui nobiſcum corporaliter ſemper eſſe non potuerunt) *hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? ipſa Eccleſia patres illos vocat; ipſa illos genuit* (per Ordinationem epiſcopalem,) *& ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum* (Apoſtolorum. *Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es; de prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram* .... *Hæc eſt catholica Eccleſia, filii ejus* (Epiſcopi) *conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram; filii ejus conſtituti ſunt pro patribus* (Apoſtolis.) .... *Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro patribus ſui principes ſuper omnem terram.*

Juxta S. Auguſtinum, Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis & Apoſtoli Eccleſiam morte ſua non deſeruerunt quia ſicut omnis muneris ſui ordinarii, ita & omnis authoritatis ac juriſdictionis ſuæ ordinariæ ſucceſſores poſt ſe reliquerunt Epiſcopos: unde ſicut Apoſtolos olim, cùm viverent, Patres & Principes habuit, à quibus regeretur; ita poſt abſceſſum Apoſtolorum, Epiſcopos patres & principes, à quibus regatur, habet Eccleſia, quæ à S. Doctore dicitur generare patres ſuos, & eos ſibi principes conſtituere, quia poſteriores per priores conſecrat quamvis per cœremoniam ſacram, non ab hominibus, ſed à Chriſto ſacramentorum omnium authore inſtitutam.

Confirmatur. Quia 1. Epiſcopi in Eccleſia ſunt id quod in ſynagoga fuerunt Pontifices; ſicut presbyteri ſunt id in Eccleſia, quod minores ſacerdotes erant in ſynagoga. Atqui Pontifex in ſynagoga authoritate juriſdictionis ſuperior fuit minoribus ſacerdotibus, ut conſtat ex Deut. cap. 17. ubi dicitur: *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, decreto judicis morietur homo ille.* Illud autem, qui ſuperbierit, neminem excipit, & adeò comprehendit omnes, qui proinde in rebus ad religionem pertinentibus, Pontificis juriſdictione ſubjecti erant. Ergo, &c.

2. Epiſcopi Apoſtolis, & presbyteri ſeptuaginta diſcipulis ſuccedunt. Atqui non diſcipulis, ſed Apoſtolis juriſdictionem contulit Chriſtus, qui his, non autem illis, dixit, Matth. cap.18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis, &c.* Ergo, &c.

Jam verò quòd juriſdictio, qua prævalet Epiſcopus presbytero, jure divino competat ei, facilè oſtenditur. Nam 1. Juriſdictio illa competit Epiſcopis, quia ſuccedunt Apoſtolis. Atqui Epiſcopi jure divino ſucceſſores ſunt Apoſtolorum: quo enim alio jure Apoſtolis ſuccederent Epiſcopi? Præterea, ille Epiſcopos ut Apoſtolorum ſucceſſores inſtituit, qui inſtituit eccleſiaſticam hierarchiam, conſtantem ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris. Atqui hanc hierarchiam Chriſtus inſtituit, ut conſtat ex Trident. ſeſſ.23. can.6. *Si quis dixerit, in Eccleſia catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris: anathema ſit.*

2. Juriſdictio illa competit Epiſcopis, quia ſunt ſummi ſacerdotes, & Eccleſiæ patres, atque principes: Tales autem ſunt jure divino, quia tales ſunt ex conſecratione ſua, adeòque ex inſtitutione Chriſti, qui tam conſecrationem epiſcopalem, quàm ſacerdotalem inſtituit; cùm ſicut per hanc, ita per illam conferatur poteſtas conficiendi aliqua ſacramenta. Ergo, &c.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. S. Hieronymum comment. in cap. 1. epiſt. ad Titum, in quo ſic loquitur: *Idem eſt ergo presbyter, qui Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii, relegat .... ſed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & presbyteros appellabant; propterea indifferenter* (Apoſtolus) *de Epiſcopis quaſi de presbyteris eſt locutus.*

Et inferiùs: *Hæc propterea, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe presbyteros, quos & Epiſcopos; paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis dominicæ veritate presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere.*

R. S. Hieronymum in ea fuiſſe ſententia, quòd Epiſcopi juriſdictione majores non ſint presbyteris jure divino, ſed eccleſiaſtico tantùm; quòd in exordio Eccleſiæ presbyteri juriſdictione pares fuerint Epiſcopis, & ita communi Epiſcoporum & presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernarentur, nec unius hominis, ſed majoris partis ſuffragio agerentur omnia: denique quòd poſtea, creſcente multitudine fidelium & presbyterorum, quando presbyteri poteſtate ſua abuti cœperunt, & ſuperbire adverſus Epiſcopos, particularium Eccleſiarum regimen cum tota juriſdictione ad Epiſcopos toto orbe delatum fuerit, atque ita non ſolùm ſimplices fideles, ſed etiam presbyteri cum cæteris clericis Epiſcopo in qualibet particulari Eccleſia ſubjecti fuerint, ut hoc pacto tollerentur ſchiſmatum ſemina, & evellerentur plantaria diſſenſionum.

Fatendum igitur eſt, Hieronymum hic, ſicut & in ſua ad Evagrium epiſtola, nimis presbyteros contra

dia-

diaconos adversùs eos ſuperbientes defendendi ſtudio lapſum eſſe, presbyteros, quantùm eſt ex jure divino, & inſtitutione Chriſti, juriſdictione & authoritate pares faciendo Epiſcopis. Ei autem errandi occaſio fuit, quòd in exordio Eccleſiæ communi presbyterorum, qui aderant, & Epiſcopi, tota authoritate ſua uti nolentis, conſilio, quælibet particularis Eccleſia gubernaretur; vel etiam quòd fortaſſe ſimplices presbyteri, qui in locis ab urbe in qua degebat Epiſcopus, diſſitis, fideli populo præerant, ex Epiſcopi expreſſo aut ſaltem tacito conſenſu juriſdictionem epiſcopalem exercerent: unde fortaſſis orti ſunt chorepiſcopi.

Porrò illud, quod ait Hieronymus, in toto orbe decretum eſſe (poſtquam propter paritatem juriſdictionis diſſenſiones in Eccleſia oriri cœperunt) ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, quam habet veriſimilitudinem? Certè jam poſt medium primi ſæculi Epiſcopus dignitate & juriſdictione eminebat presbyteris, ut manifeſtum eſt ex Ignatii epiſtolis ferè omnibus, & in particulari ex ejus ad Antiochenos

Cod Flor. epiſtola, in qua ſic loquitur: *Presbyteri, paſcite eum qui in vobis gregem: uſquequò oſtendat Deus futurum principari vobis: ego enim jam ſacrificer, & tempus reſolutionis meæ inſtat*: Quibus verbis Eccleſiam Antiochenam commendat presbyteris, eiſque regimen illius committit, donec ipſo mortuo, novus promoveatur Antiochiæ Epiſcopus. Ergo Ignatii tempore, Epiſcopus principabatur presbyteris, & illius erat, ut principis, Eccleſiam ſuam regere, adeòque Eccleſiam ſuam regere cum principali authoritate & juriſdictione. Imò verò ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Epiſcopos eminentem ſuper presbyteros habuiſſe authoritatem & juriſdictionem, apertè ſignificat Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 5. ubi ait: *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Quandonam ergo toto orbe decretum eſt, ut, &c.

Præterea, ſi hoc aliquando in toto orbe decretum eſt, certè in Conciliis particularibus Epiſcoporum: numquam enim Concilia niſi ab Epiſcopis celebrata ſunt. At talium Conciliorum nullum extat veſtigium in hiſtoria Eccleſiaſtica: neque tale quid Epiſcopi potuerunt decernere, ſi tunc authoritate & juriſdictione pares erant illis presbyteri: nam tale quid decernendo, Epiſcopi presbyteros authoritate & juriſdictione ſua ſpoliabant, qua tamen ſpoliari non poterant à paribus.

Si quando itaque in Conciliis Epiſcoporum decretum eſt, ut in qualibet particulari Eccleſia tota juriſdictio eſſet penes Epiſcopum, hoc ita factum eſt, quia jam, adeòque jure divino, Epiſcopi authoritate & juriſdictione majores erant presbyteris: neque presbyteri juriſdictionem habebant & exercebant, niſi cum dependentia ab Epiſcopis, ut Eccleſiæ principibus, & Apoſtolorum ſucceſſoribus, cum illis authoritatem ſuam voluntariè communicantibus, qua proinde authoritate ſpoliari potuerunt presbyteri, & tunc jure merito ob ſuperbiam ſpoliati fuerunt.

Cæterùm toto cœlo diſtat ab Aerio Hieronymus. Nam Aerius aſſerebat Epiſcopos nulla ex parte ſuperiores eſſe presbyteris. At Hieronymus è contra aſſerebat, 1. Epiſcopos eſſe presbyteris juriſdictione majores jure Eccleſiaſtico, & totam juriſdictionem juſtas ob cauſas ab Eccleſia tandem delatam eſſe ad Epiſcopos. 2. Jure divino Epiſcopos presbyteris, ſicut & presbyteros diaconis, gradu & dignitate ſuperiores eſſe, ut patet ex ejus ad Evagrium Epiſtola, in qua ſic ait: *Quod Aaron & Filii ejus, atque levitæ fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vindicent in Eccleſia*. At in veteri teſtamento Aaron filius ſuis, & filii Aaronis cæteris levitis gradu & dignitate ſuperiores fuerunt jure divino. Ergo, &c. 3. Epiſcopos etiam jure divino presbyteros ſuperare poteſtate Ordinis, ut patet ex eadem ad Evagrium epiſtola, in qua dicit: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat*.

At inquies. Hieronymus nullum aliud Epiſcopos inter & presbyteros ponit diſcrimen, quàm quod humana voluntate inductum eſt: nam ſic loquitur: *Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut diaconos presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe presbyteros, quos Epiſcopos, quis patiatur, menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur?*

Et inferiùs: *Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt: ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat: aut diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent*.

Juxta S. Doctorem igitur, quantùm ad Ordinem & gradum à Chriſto inſtitutum, idem eſt presbyter, qui Epiſcopus. Nulla erat prioribus Eccleſiæ temporibus Epiſcopi conſecratio, qua ex inſtitutione Chriſti & jure divino presbyteris excelleret, ſed mera electio, facta à presbyteris, qui unum ex ſe in excelſiori gradu collocabant, & Epiſcopum appellabant: neque aliter Epiſcopus eminebat presbyteris, quam Archidiaconus eminet diaconis.

R. S. Hieronymum exagerationem, qua adversùs ſuperbientes diaconos hìc utitur, corrigere, ſtatim ſubjiciendo: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Quibus verbis agnoſcit in Epiſcopo poteſtatem aliquam, qua caret ſimplex presbyter, & quæ non niſi jure divino competere poteſt Epiſcopo: poteſtas enim conſecrandi ſacerdotes non potuit dari niſi à Chriſto, ſicut non niſi à Chriſto inſtitui potuit ſacerdotum conſecratio, quam eſſe verum novæ legis ſacramentum fides docet. Unde quòd poteſtatem hanc Epiſcopus habeat ſine nova conſecratione, à presbyterali diſtincta, & ab ipſo Chriſto pariter inſtituta, eſt evidenter falſum; & S. Doctorem ita ſenſiſſe, eſt prorſus incredibile.

Itaque in re omninò ſatisfit Hieronymo, ſi dicatur presbyter id totum, quod in Epiſcopo præcipuum eſt, nempe poteſtatem conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, & pœnitentes abſolvendi à peccatis, habere, cum aptitudine ad exercendam juriſdictionem Epiſcopalem, quam tamen non exigit vi ordinationis ſuæ; unde ſi quando habet illam, habet ex mera conceſſione Eccleſiæ. Epiſcopus verò, cùm per ordinationem ſuam ex inſtitutione Chriſti promoveatur ad principatum Eccleſiæ vi ordinationis ſuæ, adeòque jure divino, juriſdictionem illam obtinet in particulari illa Eccleſia, pro qua ordinatur.

Non prætermittam quod S. Doctor habet in eadem epiſtola, & ſententiam noſtram validè confirmat. *Qui provehitur*, inquit, *de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, ut presbyter minor diacono comprobetur, in quem creſcit ex parvo: aut ſi ex diacono ordinatur presbyter, noverit ſe lucris minorem, ſacerdotio eſſe majorem*. Ex quibus ſic argumentor. Secundùm Hieronymum, presbyter diacono major, & jure divino major eſt, quia presbyter ex diacono ordinatur, & non viciſſim; & presbyter ex diacono ordinatur per conſecrationem à diaconali conſecratione diſtinctam, & à Chriſto inſtitutam. Atqui pariter Epiſcopus ex presbytero ordinatur, & non viciſſim, & Epiſcopus ex presbytero ordinatur per conſecrationem à presbyterali conſecratione diſtinctam, & à Chriſto inſtitutam. Ergo pariter, ſecundùm Hieronymi principia, Epiſcopus presbytero jure divino major eſt, & quidem ſecundùm id omne, quod habet vi conſecrationis ſibi propriæ. Atqui vi conſecrationis ſibi propriæ, habet poteſtatem conſecrandi ſacerdotes, confirmandi, &c. cum principali juriſdictione. Ergo, &c.

At inquies. S. Hieronymus unicam pro Epiſcopo & presbytero conſecrationem à Chriſto inſtitutam agnovit, nec ſenſit, aliter Epiſcopum ex presbytero fieri,

fieri, quàm per meram electionem, vel ad ſummum, per conſecrationem merè eccleſiaſticam, utpotè non ab ipſo Chriſto ſed ab Eccleſia poſt priora duo vel tria ſæcula inſtitutam. Colligitur partim ex verbis in inſtantia priore relatis, partim ex his, quæ inferiùs leguntur in eadem epiſtola: *Presbyter & Epiſcopus aliud ætatis, aliud dignitatis eſt nomen. Unde & ad Titum, & ad Timotheum, de ordinatione Epiſcopi & diaconi dicitur: De presbyteris omninò reticetur; quia in Epiſcopo & presbyter continetur.*

R. neg. inſtantiam. Nam citata epiſtola Hieronymus agnoſcit in Epiſcopo poteſtatem Ordinis nempe poteſtatem ordinandi ſacerdotes, quam non habet presbyter, & ad quam proinde obtinendam non ſufficit conſecratio presbyteralis. Unde præter hanc conſecrationem, qua confertur poteſtas conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, requiritur adhuc alia conſecratio, à Chriſto pariter inſtituta, qua ſubjecto priorem conſecrationem jam habenti, adeòque jam habenti poteſtatem conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, conferatur poteſtas poteſtatem illam conficiendi Corpus, &c. quam habet aliis communicandi, ſeu poteſtas ordinandi ſacerdotes.

Dixi autem, à Chriſto pariter inſtituta: ſicut enim poteſtas conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, conferri non poteſt niſi per conſecrationem à Chriſto inſtitutam, ita nec poteſtas poteſtatem illam aliis communicandi; cùm utraque ſit poteſtas conficiendi ſacramentum à Chriſto inſtitutum. Agnovit igitur Hieronymus in Epiſcopo conſecrationem duplicem à Chriſto inſtitutam, unam ſcilicet, qua, cùm ex diacono ordinatus eſt presbyter, poteſtatem accepit conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, & alteram, qua, cùm ex presbytero Epiſcopus, ſeu ex ſimplici ſacerdote ſummus Sacerdos ordinatur, poteſtatem accipit ordinandi alios ſacerdotes, per conſecrationem presbyteralem communicando aliis poteſtatem quam habet, conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti. Quòd ſi quædam S. Doctoris exciderunt verba, quæ contrariam ejus fuiſſe ſententiam inſinuare videantur, ut exageratio quædam hominis fervidæ indolis cum grano ſalis accipienda ſunt, & benignè ad veram ejus mentem interpretanda.

Porrò cùm loco proximè citato ait Apoſtolum nihil habere de ordinatione ſimplicis presbyteri, quia in Epiſcopo continetur & presbyter, nihil aliud intendit, quàm Apoſtolum, cùm enumerat conditiones prærequiſitas ad hoc ut quis ordinetur Epiſcopus, nomine Epiſcopi comprehendere ſimplicem presbyterum, quia conditiones illas Apoſtolus requirit in Epiſcopo, præcipuè propter ſacerdotium, quod illi commune eſt cum ſimplici presbytero. Et verò ſi conditiones illæ requiruntur Epiſcopo, quia ſacerdos eſt, eas quoque in ſimplici presbytero requiri neceſſe eſt; cùm ſimplex presbyter tam ſit ſacerdos, quàm Epiſcopus, quamvis cum hoc diſcrimine, quòd Epiſcopus ſacerdotium aliis communicare poſſit, ſimplex verò presbyter non poſſit, qua proinde parte minor eſt Epiſcopo; unde presbyter in Epiſcopo, non Epiſcopus in presbytero contineri dicitur, quia continens contento majus eſt.

Obj. 2. Ambroſiaſtrum comment. in cap. 4. epiſt. ad Eph. ubi ſic loquitur: *Nam in Timotheum, presbyterum à ſe creatum, Epiſcopum vocat: quia primùm presbyteri Epiſcopi appellabantur: ut recedente uno, ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, ut non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum ſacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temerè uſurparet, & eſſet multis ſcandalum.*

Reſpondet Bellarminus lib. 1. de clericis cap. 15. Authorem illum loqui tantùm de ratione ſucceſſionis Epiſcoporum, & docere quòd initio naſcentis Eccleſiæ presbyterorum antiquiſſimus ordinari Epiſcopus, & eo mortuo, ſine alia electione antiquiſſimus presbyter ſuccedere ſoleret; at non negare Authorem illum, quòd antiquiſſimus hic presbyter, cùm Epiſcopo demortuo ſuccedebat, debuerit iterùm conſecrari, & per novam conſecrationem novam poteſtatem ac juriſdictionem accipere.

Hæc Bellarmini reſponſio nodum difficultatis ſolvit eam tamen amplecti non poſſumus: videtur enim nobis Author commentariorum illorum quæ nobis objiciuntur, aliter omninò ſenſiſſe, nempe quòd in exordio Eccleſiæ, antiquiſſimus, presbyter, in qualibet particulari Eccleſia, mortuo Epiſcopo ſuccederet, & hoc ipſo evaderet Epiſcopus, quòd eſſet antiquiſſimus presbyter, ſine nova conſecratione, quæ eſſet vera ordinatio, ſeu cæremonia ſacra, à Chriſto inſtituta, per quam acciperet novam aliquam poteſtatem, qua in ſuperiori gradu conſtitueretur, & jure divino major eſſet ſimplici presbytero.

Hanc Authoris illius eſſe mentem, videtur clarè demonſtrari ex comment. cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth. in quo ſic loquitur: *Poſt Epiſcopum tamen diaconi ordinationem* (Apoſtolus) *ſubjicit, Quare? niſi quia Epiſcopi & presbyter una ordinatio eſt? uterque enim ſacerdos eſt. Sed Epiſcopus primus eſt, ut omnis Epiſcopus presbyter ſit, non omnis presbyter Epiſcopus. Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter presbyteros primus eſt. Denique Timotheum presbyterum ordinatum ſignificat; ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat.*

Ecce apertè negat aliam eſſe ordinationem Epiſcopi, & aliam presbyteri, quia uterque ſacerdos eſt, & ordinatio Epiſcopi per ſe non eſt, niſi promotio ad ſacerdotium: quare cùm aliquis ad ſacerdotium promovetur, vel promovetur in loco, in quo nondùm ſunt presbyteri, & tunc ordinatur Epiſcopus, quia ordinatur ſacerdos, qui ante ſe alium non habet, quique hoc ipſo primus eſt, & poteſtatem habet ordinandi in eodem loco alios ſacerdotes, vel promovetur in loco, in quo jam ſunt presbyteri, & tunc ordinatur presbyter, quia ordinatur ſacerdos, qui habet alios ante ſe, adeòque non eſt Epiſcopus: hic enim Epiſcopus eſt, qui primus eſt inter ſacerdotes: unde ſit ut non omnis ſacerdos Epiſcopus ſit, quamvis omnis Epiſcopus ſit ſacerdos. Qui autem ordinatur presbyter tantùm, quia ibi ordinatur, ubi habet alios ante ſe, cùm primùm vel antiquitate, vel electione primus evaſerit, hoc ipſo Epiſcopus erit.

Hæc videtur eſſe Authoris doctrina, in qua graviter errat, aſſerendo unam eſſe Epiſcopi & presbyteri ordinationem, ſic ut præter ordinationem, qua quis ex diacono ſit presbyter, non requiratur alia, pariter à Chriſto inſtituta, qua ex presbytero fiat Epiſcopus; ſed ad hoc ſufficiat antiquitatis prærogativa, vel mera electio ab hominibus facta: neque aliud ſit Epiſcopus, quàm presbyter, qui non habet alium ante ſe, vel jure antiquitatis, vel jure electionis ab hominibus factæ.

At inquit. Uterque, Epiſcopus & presbyter, ſacerdos eſt. *R.* utrumque eſſe ſacerdotem, ſed magno cum diſcrimine: nam Epiſcopus ſacerdos eſt, & poteſt ordinare ſacerdotes; presbyter ſacerdos eſt, ſed ſine poteſtate ordinandi ſacerdotes. Duplicem diſtingue poteſtatem, unam ſcilicet conſecrandi Euchariſtiam, quæ Epiſcopo & presbytero communis eſt, & utrique collata eſt per eandem ordinationem; unde quoad hoc una eſt ordinatio Epiſcopi & presbyteri; alteram verò communicandi aliis poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, quæ poteſtas altera propria eſt Epiſcopo, qui per eam ſimplici presbytero eminet, eoque major eſt.

Cùm autem hæc poteſtas aliter obtineri non poſſit, quàm per ordinationem à Chriſto inſtitutam (non enim antiquitas, aut humana electio illam dare poteſt,) nec conferatur per ordinationem Epiſcopo & presbytero communem, præter ordinationem, quæ communis eſt Epiſcopo & presbytero, aliam agnoſci neceſſe eſt, qua quis ex presbytero ordinatur Epiſcopus, ex ſacerdote ſit ſummus Sacerdos, & ſacerdotum princeps, & vi cujus, poteſtatem quam per ordinationem presbyteralem antea accepit conſecrandi

Eucha-

Euchariſtiam, communicare poteſt, ſicut & vi illius poteſt chriſma conficere, per frontis conſignationem baptizatis Spiritum ſanctum dare, &c.

At inquies. Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 3. poſt Epiſcopum diaconi ordinationem ſubjicit, nulla mentione ſacta ordinationis presbyteri. Ergo non eſt alia ordinatio Epiſcopi quàm presbyteri. *R.* neg. conſeq. Nam Apoſtolus loco citato non loquitur de ritibus, quibus ordinantur Epiſcopus & diaconus, ſed de conditionibus, quas requirit in eo Epiſcopus vel diaconus ordinandus. Unde ex eo quòd ibi Apoſtolus expreſſam mentionem non faciat presbyteri, argui tantùm poteſt, quòd eaſdem conditiones requirat ut quis ordinetur presbyter, quas requirit ut quis ordinetur Epiſcopus, nomine Epiſcopi comprehendendo & presbyterum.

At inquies. Saltem ex hoc authore habemus, quòd ſæculo quarto, quo commentaria ſua ſcribebat, cæremonia, qua nunc conſecrantur Epiſcopi, nondum eſſet in uſu, adeòque quòd non ſit divinæ inſtitutionis, ſed Eccleſiaſticæ tantùm: unde ſequitur Epiſcopum ſimplici presbytero ſuperiorem non eſſe ſaltem jure divino.

R. neg. Nam hic Author non loquitur de tempore quo ſcribebat, ſed de initio naſcentis Eccleſiæ, & temporibus quæ ſubſecuta ſunt, circa quæ facilè errare potuit, & erravit errore facti, putando quòd tunc presbyter, qui fiebat Epiſcopus, fieret vel ſolo jure antiquitatis, vel per meram electionem ab aliis ſacerdotibus factam, ſine nova conſecratione, à presbyterali conſecratione diſtincta, eique ſuperaddita. Cui errore facti, alterum juris neceſſariò conjunxit, nempe quòd cæremonia, qua videbat ſua ætate conſecrandi Epiſcopos, non eſſet inſtitutionis divinæ, ſed humanæ; utpotè non à Chriſto, ſed ab Eccleſia poſt aliquot ab ejus exordio annorum centurias inſtituta.

Multùm tamen, quod notandum eſt, ab Aerii hæreſi abhorruit hic Auctor; cùm Epiſcopos ut presbyteris ſuperiores expreſsè agnoſcat: ſic enim loquitur in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. *In Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt, hoc eſt, princeps eſt ſacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſteria fidelium.*

Obj. 3. S. Chryſoſtomum hom. 11. in cap. 3. 1. ad Timoth. in qua ſic ait: *Poſtquam de Epiſcopis dixit, eoſque formavit, quidnam illos habere conveniat, & à quo item abſtinere neceſſe ſit dictans, omiſſo interim presbyterorum ordine, ad diaconos tranſit. Cur id, quæſo? Quia ſcilicet inter Epiſcopum atque presbyterum intereſt fermè nihil. Quippe & presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt; & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt: ſola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum, plus quàm presbyteri habere videntur.* *R.* S. Chriſoſtomum noſtrum eſſe, nam cùm dicit Epiſcopos presbyteris ſuperiores eſſe ordinatione, hoc ipſo agnoſcit, Epiſcopos presbyteris jure divino ſuperiores eſſe poteſtate Ordinis.

At inquies. Hìc Chryſoſtomus ſaltèm docet, Epiſcopos eſſe presbyteris ſuperiores ordinatione tantùm, adeòque non eſſe ſuperiores juriſdictione. *R.* neg. Nam cùm Chryſoſtomus ait, presbyteris Eccleſiæ curam permiſſam eſſe, ſubintelligit, eum ſubordinatione ad Epiſcopos, & quantùm ab eis conceditur. Cùm autem ſubjicit, *hoc tantùm* (nempe ordinationem) *plus quàm presbyteri habere videntur*, ſubintelligi debet, quòd ipſis ita proprium ſit, ut presbyteris non poſſit communicari. Nam juriſdictio, ſicut & poteſtas confirmandi, communicari poteſt presbyteris; ordinandi verò, ſacramentali ſcilicet ordinatione, poteſtas omninò non poteſt: unde nunquam ſacerdotes, vel diaconi ordinati ſunt à presbyteris, ſed ab Epiſcopis tantùm.

Obj. 4. Theodoretum comment. in cap. 1. epiſt. ad Philipp. ubi ait: *Presbyteros ab Apoſtolo appellatos eſſe Epiſcopos*. *R.* ita eſſe: ſed ibidem inferiùs ſubjicit, veros Epiſcopos ab eodem Apoſtolos vocitatos fuiſſe. *Beatum autem*, inquit, *Epaphroditum in hac epiſtola nominavit eorum Apoſtolum ... Apertè ergo docuit Epiſcopalem diſpenſationem ei fuiſſe creditam, cum haberet appellationem Apoſtoli*. Et comment. in cap. 3. 1. ad Timoth. hæc habet. *Poſt leges Epiſcopales, eas ſcribit quæ diaconis conveniunt, prætermiſſis presbyteris; ſed, ut dixi, eoſdem olim vocabant presbyteros & Epiſcopos, eos autem qui nunc vocantur Epiſcopi, nominabant Apoſtolos.*

Diſtinguit ergo Theodoretus Epiſcopos à presbyteria; & presbyteris ſemper majores fuiſſe Epiſcopos, manifeſtè ſupponit, cùm hos probat Apoſtolos nominatos fuiſſe, quando illi vocabantur Epiſcopi: hoc enim ipſo oſtendit, ſe presbyteros ut nomine, ita & re inferiores Epiſcopis habuiſſe; quod confirmatur ex eo quòd loco proximè citato ſubjicit: *Sed tamen etiamſi presbyteris has leges conſtituit divinus Apoſtolus, clarum eſt, quod has leges oportet primos ſervare Epiſcopos, ut qui ſint majorem dignitatem aſſecuti.*

Obj. 5. Scripturam. Apoſtolus Philipp. cap. 1. ſic loquitur: *Paulus & Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & diaconibus*; ubi per Epiſcopos manifeſtè intelligit presbyteros: non enim in eadem Eccleſia poterant eſſe plures Epiſcopi. Quare autem presbyteros vocat Epiſcopos, niſi quia tunc temporis presbyteri non erant ab Epiſcopis diſtincti, & nullo jure Epiſcopi eminebant presbyteris?

R. Apoſtolum hìc per Epiſcopos intelligere ſacerdotes omnes Philippenſis Eccleſiæ; & per diaconos, reliquos inferiores miniſtros. Inter illos autem ſacerdotes, unus erat primus, & cæterorum princeps, hoc eſt, ut nunc loquimur, unus erat Epiſcopus, cæteri verò ſimplices presbyteri, quos etiam Epiſcopos nominat Apoſtolus, quia cum Epiſcopo, ut tunc mos erat, communiter regebant Philippenſem Eccleſiam, & juriſdictionem in foro tam externo, quàm interno in populum fidelem exercebant, non ut Eccleſiæ principes, unus enim erat princeps Eccleſiæ, nempe Epiſcopus, ſeu ſummus ſacerdos; ſed ut adjutores Epiſcopi, & cum debita ad illum ſubordinatione.

Nota, Initio naſcentis Eccleſiæ, hæc nomina, Epiſcopus & Presbyter, communia erant ſacerdotibus omnibus, tam minoribus, quos nunc presbyteros, quàm majoribus, quos nunc Epiſcopos nominamus: quanquam tunc nihilominùs majores ſacerdotes minoribus ſuperiores eſſent, & poteſtate ordinis, & poteſtate juriſdictionis: tunc enim temporis majores minorum rectores & judices erant, ut conſtat ex Apoſtolo in epiſtolis ad Timotheum & Titum, & majores ordinabant alios ſacerdotes; quod minores nec faciebant, nec facere poterant.

Cùm itaque Apoſtolus dicit 1. ad Timoth. cap. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c.* intellige ſacerdotes omnes, & imprimis majores. Cùm dicit cap. 4. ejuſdem epiſtolæ, *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii*; presbyterii nomine intellige ſacerdotes majores, qui ordinando ad Epiſcopatum manus imponunt. Denique, cum dicit Act. cap. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, &c.* nonnulli intelligunt ſacerdotes omnes Eccleſiæ Epheſinæ, majorem ſcilicet cum cæteris minoribus. Unde ex his poſtremis Apoſtoli verbis inferunt, quòd ad regendam Eccleſiam ordinentur ſacerdotes omnes, non ſolùm majores, ſed etiam minores; cum hoc tamen diſcrimine, ut ex aliis locis probatur, quod ordinentur majores ſacerdotes, ut regant Eccleſiam tanquam principes, minores verò, ut regant, tanquam adjutores principum, & quantùm ab illis conceditur; ſic tamen ut majores ad aliquam regiminis partem minores non poſſint non admittere ſine gravi cauſa.

DISPUTATIO II.

De Ordinationum inſtitutione.

ARTICULUS I.

Utrùm Ordinatio ſit Sacramentum.

NOta. Non hic quærimus, utrùm omnes ordinationes, quæ tot ſunt, quot ſuncordioes, ſacramentum ſit; ſed ſolùm an aliqua ſit ſacramentum, Aliquam ſaltem ordinationem eſſe ſacramentum, tenent Doctores catholici omnes, quibus aſſentitur Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 14. §. 20. & cap. 19. §. 31. ſed diſſentit Lutherus lib. de capt. Babyl. cap. de Ordine, Luthero ſuffragantur Illyricus & Kemnitius, Contra illos ſit

Responsio.

Aliqua ſaltem ordinatio eſt ſacramentum,

Eſt de fide, & *probatur* 1. Ex Scriptura; nam Apoſtolus ſic loquitur epiſt. 1. ad Timoth. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.* Et epiſt. 2. ad eundem cap. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Quibus locis Apoſtolum loqui de ordinatione Timothei, à ſe cum aſſiſtentibus Epiſcopis facta, manifeſtum eſt. Unde

Sic argumentor, Sacramentum eſt cæremonia externa, à Chriſto inſtituta ad ſignificandam & efficiendam gratiam, Atqui aliqua ordinatio talis eſt, Ergo aliqua ordinatio eſt ſacramentum. *Prob. min.* Nam. 1. eſt impoſitio manuum cum prophetia, hoc eſt, cum certa verborum formula divinitùs tradita; nomen enim prophetiæ in Scriptura non ſolùm ſignificat prædictionem rei futuræ, ſed etiam ſermonem quemlibet divinitùs traditum, ſicut & divinorum myſteriorum explicationem, & operationem quamlibet miraculoſam, 2. Significat gratiam, & eam confert, ut expreſsè dicit Apoſtolus. 3. Chriſtum habet authorem: vim enim ſignificandi & efficiendi gratiam aliunde habere non poteſt, quàm ex Chriſti inſtitutione: quare ſi gratiam ſignificat & efficit, ſignificat & efficit, quia ad hunc finem à Chriſto inſtituta eſt.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus hîc nobis ſufficit Auguſtinus lib. 2. contra epiſt. Parmeniani, ubi ſic ait: *Nulla oſtenditur cauſa, cur ille qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi* (per ſaciam Ordinationem acceptam) *amittere poſſit; utrumque enim ſacramentum eſt* (Baptiſmus ſcilicet & Ordinatio) *& quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte* (Donati) *venientes* (ad catholicam) *etiam præpoſiti pro bono pacis, correcto ſchiſmatis errore, ſuſcepti ſunt; & ſi viſum eſt opus eſſe, ut eadem officia gererent, quæ gerebant* (apud ſuos,) *non ſunt rurſus ordinandi: ſed ſicut Baptiſmus in eis, ita Ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum eſt, non in ſacramentis, quæ ubicumque ſunt, ipſa vera ſunt.*

Et inferiùs: *Si nos malo facimus, ipſi explicent, quomodo ſacramentum baptizati non poſſit amitti, & ſacramentum ordinati poſſit amitti ... Si enim utrumque ſacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt.* Ecce quantùm inculcat S. Doctor, Ordinationem tam eſſe verum ac propriè dictum ſacramentum, quàm Baptiſmus eſt; & addit hoc ita exploratum eſſe, ut à nemine in dubium revocetur. Ex eo autem, quòd Ordinatio tam verè ſacramentum eſt quàm Baptiſmus, & utrumque confertur per conſecrationem, quæ de ſe perpetua eſt, concludit utrumque eſſe pariter interabile,

Prob. 3. Ex ſummis Pontificibus, Leone I. epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos, &c. cap. 1. ubi de ordinatione loquens, ſic ait: *Quis ergo diſſimulare audeat, quod in tanti ſacramenti perpetratur injuriam?* Et Anaſtaſio II. epiſt. 1. ad Anaſtaſium Auguſtum cap. 7. dicente; *Sacratiſſimum ſerenitatis tuæ pectus agnoſcat, quòd nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos ſacerdotes ſive levitas ſecundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingat, quo forſitan per iniquum tradita ſacramenti gratia minus firma videatur.* Ecce uterque ſacerdotis ordinationem vocat ſacramentum; & alter expreſsè dicit, per eam à Deo conferri gratiam, ſubjecto ſcilicet rectè diſpoſito, etiamſi fiat ab iniquo miniſtro.

Prob. 4. Ex Conciliis, Calcedonenſi ſcilicet, actione 15. can. 2. ubi Epiſcopus, qui propter pecunias ordinationem facit, dicitur *non venalem gratiam in venditionem deducere*. Florent. in decreto Eugenii §. *Sextum*, ubi ait: *Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia, &c.* Et Trid. ſeſſ. 23. can. 3. ubi dicitur: *Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe verè & propriè ſacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum ..., anathema ſit.*

Ratio autem congrua eſt, quia per cæremoniam illam v. g. qua quis ordinatur ſacerdos, confertur ei omninò ſupernaturalis poteſtas conſecrandi Euchariſtiam & pœnitentes abſolvendi à peccatis. Atqui conveniens non fuit, ut talis & tanta poteſtas aliter conferretur, quàm per ſacramentum, quo ſimul daretur gratia ſanctificans, cum jure ad ſpecialia auxilia; eo fine ut homo gratus Deo, & ab eo ſpecialiter adjutus, miniſterio tali tantò dignè fungeretur. Ergo, &c.

Confirmatur, Quia ſicut ſacerdotium in veteri lege fuit figura ſacerdotii novæ legis, ita cæremonia, qua ſacerdotium conferebatur in veteri lege, fuit figura cæremoniæ, qua ſacerdotium in nova lege confertur. Atqui cæremonia illa, qua ſacerdotium conferebatur in veteri lege, conferebat quoque ſanctitatem legalem, quæ figura fuit veræ ſanctitatis in nova lege conferendæ. Ergo cæremonia, qua ſacerdotium confertur in nova lege, confert quoque veram ſanctitatem, quæ in gratia faciente conſiſtit; ut hoc pacto figuræ omninò reſpondeat veritas. Ergo hæc cæremonia eſt verum & propriè dictum ſacramentum.

Porrò ſi aliqua ordinatio eſt ſacramentum, ut aliquam eſſe demonſtratum eſt, talem eſſe ſacerdotis ordinationem neceſſe eſt: cùm enim per eam detur poteſtas maxima, & planè ſupernaturalis, vel ipſa eſt ſacramentum, vel nulla ordinatio ſacramentum eſt; quod eſt contra probatam ſuppoſitionem, in quo conſentiunt Doctores Catholici omnes. Supereſt igitur, ut de reliquis ordinationibus, circa quas variant ſententiæ, ſequentibus articulis agamus.

ARTICULUS II.

Utrùm Ordinatio Epiſcopi ſit ſacramentum.

Responsio,

ORdinatio Epiſcopi, ſeu qua quis ex presbytero fit Epiſcopus, eſt verum ac propriè dictum ſacramentum.

Prob. 1. ex Apoſtolo locis articulo ſuperiore laudatis; ex quibus argumentor ſic. Ordinatio, de qua locis illis loquitur Apoſtolus, habet omnia requiſita ad verum & propriè dictum ſacramentum, ut articulo ſuperiore oſtenſum eſt. Atqui ordinatio illa, de qua locis illis loquitur Apoſtolus, eſt ordinatio Epiſcopi, ut agnoſcunt Interpretes omnes. Ergo ordinatio Epiſcopi habet omnia requiſita ad verum & propriè dictum ſacramentum. Ergo re ipſa, &c. Certè vel ex locis Apoſtoli, ordinatio Epiſcopi probatur eſſe ſacramentum; vel quòd aliqua ordinatio ſit ſacramentum, ex Scriptura probari non poteſt: nullus enim alius Scripturæ locus aſſignari poteſt, qui tam expreſsè ea, quæ ſacramento conveniunt, ulli ordinationi attribuat, ut facili inductione oſtendi poteſt.

Prob. 2.

Google

Prob. 2. Ex S. Ambroſio lib. de dignitate ſacerdotali cap. 5. in quo ſic loquitur: *Frater Epiſcope, cum dares pecuniam, quid accepiſti? Gratiam Epiſcopalem accepi ... Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? ... Pro eo quod gratis datur, ideò gratia vocitatur ... Ergo ... gratiam, cùm ordinareris, non ſuſcepiſti, quia gratuitò eam non meruiſti ... Aurum dans perdidiſti, & gratiam ſanctam non acquiſiſti ... Quis dat, frater, Epiſcopalem gratiam? ... Deus: ſed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos* (Epiſcopus) *imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Epiſcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem.*

Quid clarius? Juxta S. Doctorem, ordinatio Epiſcopi eſt cæremonia ſacra, à Deo inſtituta, & gratiæ ac dignitatis ſeu characteris Epiſcopalis collativa. Epiſcopus, cùm ordinat, manum imponit, & imponendo determinat Deum ad gratiam & dignitatem Epiſcopalem tribuendam. In ordinatione Epiſcopi, gratiæ, & characteris Epiſcopalis cauſa inſtrumentalis eſt homo, principalis Deus. Quid eſt, quod ultra deſideres ad rationem ſacramenti?

Prob. 3. Ex aliis Patribus, Hieronymo ſcilicet in dialogo adverſùs Lucif. ubi contra hoſce ſchiſmaticos recipientes baptiſmum ab Arianis collatum, & ordinationes Epiſcoporum ab eis factas repudiantes, ſic diſputat: *Si in fide ſua baptizato baptizans nocere non potuit* (atque ita eum impedire non potuit, ne gratiam baptiſmalem acciperet) *& in fide ſua ſacerdotem* (Epiſcopum) *conſtitutum conſtituens non inquinavit* (adeoque nec impedivit, ne acciperet gratiam ſacerdotalem ſeu Epiſcopalem:) *quare unum ſuſcipitis, & alterum non admittitis, niſi reductum ad ordinem laicorum?* Ordinationem Epiſcopalem componit S. Doctor, & utrumque pariter habere vim conferendi gratiam, proindeque utrumque pariter eſſe ſacramentum, manifeſtè ſupponit.

Auguſtino, lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. verbis art. ſuper. relatis, quibus ait ordinationem eſſe ſacramentum, & loqui ſe potiſſimùm de ordinatione Epiſcopi, apertè ſignificat. Prætérea, ibi manifeſtè loquitur de ordinatione, quæ dat jus baptizandi. Atqui hunc inprimis effectum habet ordinatio Epiſcopi: nam, ut dicit Tertullianus lib. de bapt. cap. 17. *Dandi* (baptiſmum) *habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc presbyteri & diaconi, non ſine Epiſcopi authoritate.* Loquitur ergo potiſſimùm de ordinatione Epiſcopi S. Auguſtinus, qui proinde huic orationi loco citato duo docet convenire, quæ baptiſmo conveniunt, nempe & ſacramentum eſſe, & amitti non poſſe, adeoque non poſſe iterari.

Idem non obſcurè facit in concione ſuper geſtis cum Emerito Donatiſta, ubi ait: *Bona quæ in illis* (Donatiſtis) *agnoſcimus, non ſunt ſua, Domini noſtri habent bona* (nempe ſacramenta ab eo inſtituta,) *Eccleſia habent bona*, (nam ſacramenta illa, quæ Chriſtus inſtituit, Eccleſiæ ſuæ tradidit.) *Baptiſmus* (quem ſecundùm Chriſti inſtitutionem adminiſtrant) *non eſt ipſorum, ſed Chriſti Invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati* (adeoque eandem illa eſt cæremonia ſacra, quam Chriſtus inſtituit, & uſurpat Eccleſia) *non enim ſuſcipio Epiſcopum, ſi, quando eſt ordinatus, ſuper caput ejus Donatus eſt invocatus*, (quia non eſt ordinatus eo ritu, quem Chriſtus inſtituit, ſed ritu prophano & ſacrilego, ab hominibus inſtituto, proindeque non eſt verus Epiſcopus) *in errante & deſerente milite, crimen eſt deſertoris. Character autem* (per baptiſmum vel Epiſcopalem ordinationem, ritu legitimo peractam, impreſſus) *non eſt deſertoris* (Donati) *ſed* imperatoris (Chriſti.)

Et Leone Magno epiſt. 87. ubi ait: *Dicente Apoſtolo, ut inter alias electionis regulas, is Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuiſſe aut eſſe conſtiterit, tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, ut etiam ... Quis ergo diſſimulare audeat, quod in tanti ſacramenti perpetratur injuriam* (bigamos ſcilicet ordinando Epiſcopos?) Epiſcopalem igitur ordinationem ſacramentum eſſe docet S. Leo.

Prob. 4. ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 4. quo dicitur: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum ... anathema ſit.* Hic autem Synodum loqui de omni ordinatione, in qua Epiſcopus ordinans dicit, *Accipe Spiritum ſanctum*, extra omne dubium eſt: cùm enim Synodus generaliter definit, Epiſcopos ordinando non fruſtra dicere, *Accipe Spiritum ſanctum*, hoc ipſo definit, per omnem ordinationem, in qua Epiſcopus ordinans dicit, *Accipe Spiritum ſanctum*, re vera Spiritum ſanctum dare; alioquin Epiſcopi ordinando fruſtra dicerent aliquando, *Accipe, &c.* quod evidenter repugnat definitioni Synodi. Ex his autem

Argumentor ſic. Per ſacram ordinationem quamlibet, in qua Epiſcopi ordinando dicunt, *Accipe Spiritum ſanctum*, reipſa Spiritus ſanctus datur. Atqui Epiſcopi ordinando Epiſcopum, dicunt, *Accipe Spiritum ſanctum.* Ergo per ordinationem Epiſcopi datur Spiritus ſanctus. Hæc concluſio eſt theologica: nam major eſt de fide, minor phyſicè certa & evidens; & evidentem cum concluſione connexionem habet, jam ſic ſubſumo. Atqui dari Spiritum ſanctum ſimpliciter, eſt imprimis, dari gratiam gratum facientem, quæ eſt donorum Spiritus ſancti excellentiſſimum. Ergo per ordinationem Epiſcopi datur gratia gratum faciens, adeoque ordinatio Epiſcopi eſt verum & propriè dictum ſacramentum.

Prob. 5. Illa ordinatio eſt verum ſacramentum, quæ characterem imprimit: ſola enim ſacramenta vim habent imprimendi characterem, ea ſcilicet, quæ ſemel validè collata, non poſſunt iterari. Atqui ordinatio Epiſcopi imprimit characterem. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. ex canone citato, in quo dicitur: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum ... aut per eam non imprimi characterem ... anathema ſit.* Unde *ſic argumentor.* Utrumque effectum, dare Spiritum ſanctum ſcilicet, & characterem imprimere, eidem ordinationi manifeſtè attribuit Synodus. Atqui primum effectum, nempe Spiritus ſancti collationem, attribuit ordinationi Epiſcopi, ut oſtenſum eſt. Ergo attribuit etiam ei ſecundum effectum, nempe impreſſionem characteris.

Prob. min. 2. hac ratione. Illa ordinatio imprimit diſtinctum characterem, quæ confert ordinato poteſtatem ſpiritualem, quam nulla alia ordinatio confert: ſpecialis enim illa poteſtas ſpiritualis vel eſt character ſpecialis, vel ſaltem annexum habet characterem ſpecialem. Atqui ordinatio Epiſcopi confert Ordinato poteſtatem ſpiritualem, quam nulla alia ordinatio confert: dat enim completam poteſtatem ordinandi & confirmandi, quam nulla alia tribuit ordinatio: unde nullus alius Ordo poteſt ordinare: item nullus alius poteſt confirmare, ſaltem ſine legitima diſpenſatione. Ergo, &c.

Confirmatur denique aſſertio noſtra. Ordinatio ſacerdotis confert gratiam gratum facientem, quia dat poteſtatem conficiendi ſacramenta, quæ dignè confici non poſſunt ſine gratia gratum faciente: Dei enim perfecta ſunt opera; unde cùm dat poteſtatem aliquam, dat ſimul ea, quæ neceſſaria ſunt ad conveniens hujus poteſtatis exercitium. Atqui pariter ordinatio Epiſcopi dat poteſtatem conficiendi ſacramenta, quæ ſine gratia gratum faciente dignè confici non poſſunt: dat enim poteſtatem ordinandi ſacerdotes, & confirmandi, quæ ſacramenta in conferente, ſicut & in ſuſcipiente, ſtatum gratiæ exigunt. Ergo ordinatio Epiſcopi confert gratiam gratum facientem, adeoque tam eſt ſacramentum verum & propriè dictum, quàm ordinatio ſacerdotis.

Obj. 1. Si ordinatio Epiſcopi eſſet ſacramentum, eſſent plures, quàm ſeptem Ordines: Epiſcopatus enim eſſet Ordo novus, diſtinctus à presbyteratu, oportè collatus per ſacramentum diſtinctum ab eo quo presbyteratus confertur. Certè ſi ordinatio Epiſcopi eſſet ſacramentum, eſſet ſacramentum Ordinis. At neceſſe eſt tot eſſe Ordines, quot ſunt Ordinis ſacramenta: unumquodque enim ſacramentum Ordi-

nis ſuum confert ordinem. Ergo ſi ordinatio Epiſcopi eſſet ſacramentum, conferret ordinem novum, & diſtinctum à quolibet alio ordine, adeoque diſtinctum ab ordine presbyteratus.

Reſp. 1. neg. ſeq. maj. *Ad prob. R.* Epiſcopatum non ſatis diſtingui à presbyteratu, ut conſtituat diſtinctum ordinem: nam Epiſcopatus etiam in recto includit poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, & peccatores abſolvendi à peccatis, adeoque etiam in recto includit totam perfectionem eſſentialem presbyteratus.

At inquies. Si ordinatio Epiſcopi eſt ſacramentum, Epiſcopatus confertur per ſacramentum, diſtinctum à ſacramento quo presbyteratus confertur. Ergo ſi ordinatio Epiſcopi eſt ſacramentum, falſum eſt, quòd Epiſcopatus includat totam perfectionem eſſentialem presbyteratus. *R*, diſt. ſeq. ant. Epiſcopatus confertur inadæquatè, & ſecundùm complementum ſui eſſentiale, ſeu ſecundùm prædicatum eſſentiale, quo perficitur & completur in eſſe Epiſcopatus, & quo proinde, qui ordinatur, ex presbytero evadit Epiſcopus; confertur, inquam, inadæquatè, &c. per ſacramentum diſtinctum, &c. C. ſeq. ant. Confertur adæquatè, & ſecundùm totam ſuam eſſentiam, N. ſeq. ant. & conſ.

Nota. Epiſcopatus adæquatè ſumptus ſextuplicem poteſtatem complectitur: poteſtatem conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti, poteſtatem remittendi vel retinendi peccata, poteſtatem conſecrandi chriſma, poteſtatem confirmandi, poteſtatem juriſdictionis principalis, ſaltem in actu primo & in radice, cum poteſtate illas omnes poteſtates aliis communicandi, ſeu, quod idem eſt, cum poteſtate alios tam presbyteros quàm Epiſcopos ordinandi. Prima & ſecunda poteſtas conferuntur per ordinationem presbyteralem, reliquæ per Epiſcopalem. Unde ad Epiſcopatum adæquatè ſumptum duæ requiruntur ordinationes, quarum utraque ſacramentum eſt, nempe presbyteralis & Epiſcopalis. Per primam presbyter ordinatur; per ſecundam ex presbytero ordinatur Epiſcopus; per primam fit ſacerdos, per ſecundam ſacerdos fit primus, ſeu ſummus ſacerdos. Per primam confertur ſupremus Ordo; per ſecundam ſupremus Ordo modificatur, & perficitur in eſſe Epiſcopatus, ſeu principatus.

Ex dictis apparet falſum eſſe quod additur in objectione, videlicet tot eſſe Ordines, quot ſunt ſacramenta Ordinis: fieri enim potuit, ut aliquod ſacramentum Ordinis à Chriſto inſtitueretur, non ad conferendum diſtinctum Ordinem, ſed ſolùm ad Ordinem, qui per aliam priorem ordinationem ſacramentalem collatus eſſet, modificandum. Neque ſacramentum Ordinis dicitur illud tantùm, quod confert diſtinctum ordinem, ſed illud, quod vel diſtinctum ordinem confert, vel modificat collatum, per aliud ſacramentum antea ſuſceptum. Epiſcopalis autem ordinatio ordinem antea per presbyteralem ordinationem collatum modificat, unde eſt ſacramentum Ordinis, quamvis non conferat novum & diſtinctum ordinem.

Reſp. 2. ad objectionem propoſitam diſt. ſeq. maj. Eſſent plures quàm ſeptem Ordines relatè ad Euchariſtiam, N. ſeq. maj. Relatè ad ſubjecta Ordinum, C. ſeq. maj. Itaque ſi Ordines ſumantur relatè ad Euchariſtiam, non ſunt plures quàm ſeptem; quia Ordinum ſic ſumptorum ſupremus eſt poteſtas Euchariſtiam conſecrandi, ſeu ſacerdotium; relatè enim ad Euchariſtiam, nec eſt, nec poteſt eſſe poteſtas excellentior, poteſtate illam conſecrandi. Unde Synodus Tridentina, quia ſumit Ordines per habitudinem ad Euchariſtiam, ut patet ex ſeſſ. 23. cap. 2. ſupremum Ordinem conſtituit in ſacerdotio, ſeu in poteſtate Euchariſtiam conſecrandi; quare numerat ſeptem tantùm Ordines.

Sed quia ſacerdotium non participatur æqualiter ab omnibus ſubjectis ſuis; in aliquibus enim eſt cum poteſtate illud communicandi per ordinationem, illudque exercendi ſine dependentia & ſubjectione ad alterum: in aliis verò eſt ſine poteſtate illud aliis communicandi, & cum dependentia ac ſubjectione ad alterum, quantùm ad illius exercitium: ratione ſubjectorum inæqualiter illud participantium, dividitur in majus & minus; unde ratione ſubjectorum inæqualiter illud participantium, dividi poteſt in duos ordines, ſeu gradus, quorum inferior erit presbyteratus, ſuperior verò Epiſcopatus, & ita erunt Ordines octo, quorum duo primi continebuntur ſub eodem genere, nempe ſub ſacerdotio, quod relatè ad Euchariſtiam ſupremum ordinem conſtituit, & nihilominùs contrahitur ad duas veluti ſpecies, quarum una ſuperior eſt, altera inferior, ratione differentiarum; quæ proinde, ſi ſpectentur ſecundùm differentias ſecundùm quas una ſubordinatur alteri, ſunt Ordines duo; unus verò, iſque relatè ad Euchariſtiam ſummus, ſi ſpectentur ſecundùm genus.

Obj. 2. Si ordinatio Epiſcopi eſſet ſacramentum, poſſet ordinari Epiſcopus, qui antea non eſſet ordinatus presbyter: unum enim ſacramentum Ordinis non pendet ab alio; ſic v. g. poteſt quis ordinari presbyter, qui antea non fuerit ordinatus diaconus. Item qui non ordinatus presbyter, ordinaretur Epiſcopus, poſſet nihilominùs conſecrare Euchariſtiam: ſicut v. g. qui non ordinatus diaconus, ordinaretur presbyter, poſſet nihilominùs fungi officio diaconi. Ratio eſt, quia ordo inferior ſemper in ſuperiore continetur ſaltem virtualiter. Utrumque autem conſequens falſum eſt. Ergo, &c.

Ad 1. *part. object. R.* neg. ſeq. Nam ordinatio Epiſcopi & ordinatio presbyteri ſunt duo ſacramenta, quorum unum, nempe ordinatio Epiſcopi, per ſe & eſſentialiter præſupponit alterum, nempe ordinationem presbyteri. Ratio eſt, quia ordinatio Epiſcopi eſt ſacramentum; quo quis ex ſacerdote ſimpliciter fit primus ſeu ſummus ſacerdos. Unde per ſe & eſſentialiter prius eſt aliquem eſſe ſacerdotem, adeoque ordinari presbyterum, quàm ordinari poſſe Epiſcopum.

Ad prob. R. ordinationem presbyteri & ordinationem diaconi non eſſe ſimiliter ſacramenta, quorum unum, nempe ordinatio presbyteri, per ſe & eſſentialiter præſupponat alterum, nempe ordinationem diaconi: diaconatus enim non eſt pars eſſentialis presbyteratus, ſicut presbyteratus eſt pars eſſentialis Epiſcopatus: nam Epiſcopatus continet formaliter, & tanquam partem ſui, presbyteratum, ſecluſis imperfectionibus; presbyteratus verò diaconatum continet eminenter tantùm & virtualiter: unde ut quis ſit presbyter, non requiritur ut ſit diaconus; adeoque ut quis ordinetur presbyter, non requiritur, ut prius ordinatus ſit diaconus; non requiritur, inquam, niſi per accidens, & ex præſcripto Eccleſiæ; & non diaconus, non quidem licitè, ſed validè presbyter ordinari poteſt. Quare falſum eſt quod generaliter dicitur, unum ſacramentum Ordinis non pendere ab alio.

Ad 2. *part. object. R.* 1. neg. ſeq. Nam dato quòd non presbyter poſſit ordinari Epiſcopus, quod tamen evidenter repugnat, ſi non presbyter Epiſcopus ordinaretur, quantùm ad poteſtatem Ordinis, acciperet tantùm poſſe ordinare ſacerdotes, chriſma conficere, & confirmare. At tribus his poteſtatibus, etiam ſimul ſumptis, longè excellentior eſt poteſtas conſecrandi Euchariſtiam; unde hæc in illis, etiam ſimul ſumptis, nec eminenter nec virtualiter contineretur; & conſequenter malè dicitur, quòd Ordinatus in facta ſuppoſitione Euchariſtiam conſecrare poſſet; ex quo ulterius ſequitur, quòd Ordinatus in facta ſuppoſitione eſſet Epiſcopus, & non eſſet, adeoque eſſet chymera: eſſet enim Epiſcopus, quia ordinatus eſſet Epiſcopus; & ſimul non eſſet Epiſcopus, quia non poſſet offerre ſacrificium, quod poteſt ſimplex presbyter, quo proinde inferior eſſet poteſtate ordinis.

Ad prob. Reſp. magnam eſſe diſparitatem: nam presbyteratus continet eminenter & virtualiter diaconatum. Et verò qui poteſt conſecrare Euchariſtiam, à fortiori poteſt conſecranti aſſiſtere ſolemniter, ſolemniter cantare Evangelium, & calicem conſecratum præbere populo, quæ ſunt diaconi officia.

Quare

Digitized by Google

Quare ſi non diaconus ordinetur presbyter, poteſt nihilominùs fungi munere diaconi.

R. 2. ad eandem part. object. neg. ant. quod eſt de ſubjecto non ſupponente: nam in eo ſupponitur, non presbyterum ordinari poſſe Epiſcopum, etiamſi ſcilicet non antea ordinetur presbyter. At hoc evidenter repugnat: nam ordinatio Epiſcopi, ut jam obſervatum eſt, eſt eſſentialiter cœremonia, qua ex ſimplici ſacerdote ordinatur ſummus ſeu primus ſacerdos. Ergo eſſentialiter prius eſt, aliquem eſſe ſacerdotem, quàm ordinari poſſe Epiſcopum.

At inquies. Per ordinationem Epiſcopalem idem ſimul & indiviſibiliter fit ſacerdos & ſummus Sacerdos. *R.* hoc eſſe falſum: nam ordinatio Epiſcopalis & ordinatio presbyteralis ſunt duo ſacramenta diſtincta, quorum proinde effectus ſunt diſtincti; Ordinationis autem presbyteralis effectus eſt ſacerdotium, quod proinde ordinationis Epiſcopalis effectus eſſe non poteſt: unde ſupereſt, ut totus ordinationis Epiſcopalis effectus, quantùm ad poteſtatem ordinis, ſit, ſacerdotium per ordinationem presbyteralem collatum modificare, ut ita loquar, & evehere ad eſſe ſummi ſeu primi ſacerdotii, non quidem ipſum perficiendo intrinſecè, cùm in genere poteſtatis ordinis ſupremum obtineat gradum excellentiæ, in quocumque ſubjecto reperiatur; ſed illi in ſubjecto, cui ineſt, ſuperaddendo virtutem illud aliis communicandi, illudque exercendi ſine dependentia & ſubordinatione ad alterum, cum dignitate principis Eccleſiæ.

Non poteſt igitur idem per unam & eandem ordinationem, Epiſcopalem ſcilicet, ſimul & indiviſibiliter ordinari ſacerdos, & ſummus Sacerdos; ſed ſolùm, quod aliud eſt, poteſt idem eodem tempore ſacerdus & ſummus Sacerdos ordinari per duas ordinationes diſtinctas, ſed conjunctas: ita ut eodem tempore, ſed ſucceſſivè, per unam ordinetur ſacerdos, & per alteram ex ſacerdote ordinetur ſummus Sacerdos. Epiſcopalis igitur ordinatio presbyteralem eſſentialiter præſupponit.

Obj. 3. Si ordinatio Epiſcopi eſt ſacramentum, characterem imprimit. Falſum conſeq. Ergo, &c. Neg. min. *Probabis*. Si ordinatio Epiſcopi characterem imprimit, vel hic character perfectior eſt charactere presbyterali, vel non. Neutrum dici poteſt. Ergo, &c. Neg. min. & dico characterem presbyteralem eſſe perfectiorem: cùm enim character presbyteralis ſit poteſtas, aut ſaltem ſignum proportionatum poteſtati conſecrandi Euchariſtiam, quæ eſt inter omnes Ordinis poteſtates præſtantiſſima poteſtas, neceſſe eſt characterem presbyteralem præſtantiorem eſſe quolibet alio charactere, qui ab ipſo adæquatè diſtinguitur.

At inquies. Character, quem imprimit ordinatio Epiſcopi, eſt character Epiſcopalis. Atqui character Epiſcopalis perfectior eſt charactere presbyterali. Ergo, &c. *R.* characterem Epiſcopalem, adæquatè ſumptum, compoſitum eſſe ex duplici charactere, quorum unus imprimitur per ordinationem presbyteri, alter verò per ordinationem Epiſcopi: character enim Epiſcopalis, adæquatè ſumptus, eſt ſacerdotium ſummum, aut ſaltem ſignum illius. Itaque character Epiſcopalis adæquatè ſumptus, extenſivè perfectior eſt charactere presbyterali, quia ad plura extenditur. Sumptus verò inadæquatè pro ea ſui parte, quam imprimit ordinati Epiſcopi, & qua completur in eſſe Epiſcopatus, adhuc extenſivè perfectior eſt, quàm character presbyteralis, qui ad pauciores effectus extenditur, ſed ſimul minùs perfectus eſt intenſivè.

ARTICULUS III.

Utrùm Ordinatio Diaconi ſit Sacramentum.

RESPONSIO.

ORdinatio Diaconi eſt ſacramentum.

Eſt communis Doctorum ſententia, contra Durandum & Cajetanum, quorum opinio jure merito temeraria cenſetur à multis. *Prob. autem reſponſio noſtra.*

1. Ex Scriptura, Actorum c. 6. ubi agitur de ordinatione primorum ſeptem diaconorum, facta ab Apoſtolis, & legitur: *Hos* (nempe ſeptem viros, quos elegerant) *ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes* (Apoſtoli) *impoſuerunt eis manus*; quibus verbis videntur exprimi ſacramenti materia & forma, nempe manuum impoſitio & oratio, quo nomine forma etiam indicativa exprimitur; cùm ſit virtualiter deprecativa.

Præterea, quidni dicatur, hanc orationem, de qua Scriptura hic loquitur, hæc fuiſſe verba, *Accipe Spiritum ſanctum*? Quod ſuaderi poteſt ex praxi Eccleſiæ Latinæ, in qua Epiſcopus, cùm ordinat diaconum, ei manum imponit, dicendo: *Accipe Spiritum ſanctum*: hanc enim praxim ab ipſis Apoſtolis accepiſſe, qua ratione negari poteſt Eccleſia Latina? At ſi Apoſtoli primos diaconos ordinarunt, manus eis imponendo ſub hac verborum formula, procuidubio ordinarunt eos per ſacramenti collationem, quia eos ordinarunt per cœremoniam gratiæ ſignificativam & collativam.

Denique cùm Apoſtoli ordinabant Epiſcopos per impoſitionem manuum cum oratione, ordinabant illos per cœremoniam gratiæ collativam, adeoque per ſacramenti collationem. Ergo pariter cùm ordinarunt diaconos per impoſitionem manuum cum oratione, ordinarunt illos per cœremoniam collativam gratiæ, proindeque per collationem ſacramenti. Impoſitio manuum cum oratione, quando ab Apoſtolis ordinati ſunt Epiſcopi, fuit ſacramentum: item fuit ſacramentum, quando ab Apoſtolis datus eſt Spiritus ſanctus in Confirmatione: quidni ergo pariter, quando ab Apoſtolis ordinati ſunt diaconi, ſacramentum fuit. In Scriptura, manuum impoſitio cum oratione ſacramentum ſignificat, ubi agitur de Ordinatione Epiſcoporum, & Confirmatione. Ergo ſignificat etiam ſacramentum, ubi agitur de ordinatione diaconorum; cùm tunc neque alia Scriptura, neque evidens aliqua ratio cogat ad eam in alio ſenſu accipiendam.

Prob. 2. Ex praxi Eccleſiæ: nam, ut jam ſupra dictum eſt, in ordinatione diaconi Epiſcopus ordinando manum imponit, & dicit: *Accipe Spiritum ſanctum*. Unde ſic argumentor. Cùm in ordinatione diaconi Epiſcopus manum imponendo dicit, *Accipe Spiritum ſanctum*, non dicit fruſtra, ut apertè colligitur ex Trid. ſeſſ. 23. can. 4. Ergo re ipſa confert Spiritum ſanctum, ſeu gratiam gratum facientem. Ergo diaconum ordinat per cœremoniam gratiæ collativam. Ergo ordinat illum per ſacramentalem ordinationem. Certè illa ordinatio ſacramentum eſt, quæ confert gratiam gratum facientem. Atqui ordinatio diaconi confert gratiam gratum facientem, ut modò probatum eſt. Ergo eſt ſacramentum.

Eccleſiæ Latinæ praxi praxim addere poſſumus Eccleſiæ Græcæ, quæ eodem planè modo diaconum ordinat, quo presbyterum & Epiſcopum: nam presbyterum v. g. ordinat Epiſcopus, dicendo, impoſita manu capiti Ordinandi: *Divina gratia quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt, ſupplet, promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum*. Similiter diaconum ordinat Epiſcopus, dicendo, impoſita manu capiti Ordinandi: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. reverendum ſubdiaconum in diaconum*. Quod nec in Lectoris, nec in ſubdiaconi ordinatione facit: tunc enim impoſita manu capiti Ordinandi, nullam profert verborum formulam, qua ſignificetur collatio gratiæ, ſed ſolùm recitat orationem, qua ſuper eum, cujus capiti manum imponit, divinum implorat auxilium. Ergo Eccleſia Græca tam intendit ſacramentaliter ordinare diaconum, quàm presbyterum & Epiſcopum: cùm in ordinatione diaconi, cum eadem materia quam adhibet in ordinatione presbyteri & Epiſcopi, ſimili utatur verborum formula, quæ pariter apta eſt ad ſignificandam gratiæ collationem.

Digitized by Google

Prob. 3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 6. *Si quis*, inquit, *dixerit, in Eccleſia catholica non eſſe hierarchiam, divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris: anathema ſit.* Hic autem Synodum, nomine miniſtrorum, intelligere ſaltem diaconos, apertum eſt. Unde ſic argumentor. Chriſtus inſtituit hierarchiam eccleſiaſticam, quæ conſtat ex Epiſcopis, presbyteris, & diaconis. Ergo tam inſtituit diaconatum, quàm presbyteratum, & Epiſcopatum. Ergo tam inſtituit cœremoniam, qua diaconatus confertur, quàm inſtituit cœremoniam, qua presbyteratus & Epiſcopatus conferuntur: nam ſi quia presbyteratum & Epiſcopatum inſtituit, cœremoniam quoque, qua conferuntur, inſtituit; quare ob ſimilem rationem non dicetur, ſimiliter inſtituiſſe cœremoniam qua confertur diaconatus, quia ſcilicet ipſe diaconatum inſtituit? His autem præſuppoſitis, ſic

Argumentor adhuc. Si cœremonia qua confertur diaconatus, non eſt ſacramentum, certè quia, ut dicunt adverſarii, non fuit inſtituta à Chriſto, ſed ab Apoſtolis; & non fuit inſtituta à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, quia, ut iidem volunt, diaconatus non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtitutus eſt. Atqui hoc eſt falſum: non enim magis diaconatum inſtituerunt Apoſtoli, quàm presbyteratum & Epiſcopatum; cùm diaconatus tam ſit pars hierarchiæ à Chriſto inſtitutæ, quàm presbyteratus & Epiſcopatus. Ergo, &c.

Prob. 4. Denique ratione congrua. Quia diaconus ordinatur, ut proximè aſſiſtat ſacerdoti celebranti, & ex ejus commiſſione baptizet, prædicet, & Euchariſtiam miniſtret in neceſſitate, aut juſta aliqua cauſa urgente. Atqui ad hæc omnia exequenda dignè, diaconus indiget ſpecialibus gratiæ auxiliis. Ergo conveniens fuit, ut diaconus in ordinatione ſua jus ad ſpecialia auxilia acciperet. Atqui ordinatio diaconi jus ad ſpecialia auxilia tribuere non poteſt, niſi ſit ſacramentum. Ergo conveniens fuit ut ordinatio diaconi ſacramentum eſſet, præſertim cùm ſupra probatum ſit diaconatum inſtitutum fuiſſe à Chriſto, non ab hominibus.

Obj. 1. Diaconatum à Chriſto inſtitutum fuiſſe non legimus in Scriptura. Item nullus veterum ordinationem diaconi vocavit ſacramentum. *Ad* 1. *R.* nihil ex eo ſequi: nam v. g. nullibi in Scriptura legimus, Confirmationem inſtitutam fuiſſe à Chriſto, aut contractum matrimonialem à Chriſto evectum fuiſſe ad eſſe ſacramenti. Sed quid inde? Itaque non omnia ſcripta ſunt, & multa habemus ex ſola traditione, cujus pro ordinatione diaconi à Chriſto inſtituta habere nos ſufficientia indicia arbitramur in praxi utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis ſcilicet & Orientalis; in doctrina Concilii Tridentini, & in eo quòd olim in Eccleſia diaconi omnia ferè munia Epiſcoporum & presbyterorum in eorum abſentia exercuerint, baptizarint, prædicarint, Euchariſtiam adminiſtrarint, & pœnitentes publicos reconciliarint, ad quæ omnia dignè præſtanda ſpecialis gratia Dei tam neceſſaria fuit in diaconis, quàm in Epiſcopis & presbyteris; adeoque tam conveniens fuit diaconos per ſacramentum ordinari, quàm Epiſcopos & presbyteros.

Præterea in Scriptura legimus, primos diaconos ab Apoſtolis ordinatos fuiſſe per impoſitionem manuum cum oratione; unde certò colligi videtur, diaconos ab Apoſtolis ordinatos fuiſſe per cœremoniam gratiæ collativam, adeoque per cœremoniam à Chriſto inſtitutam: quare ſi non explicitè, ſaltem implicitè habemus ex Scriptura, diaconatum à Chriſto fuiſſe inſtitutum. Non autem aliter ex Scriptura habemus, Chriſtum v. g. Confirmationem inſtituiſſe.

Ad 2. *R.* falſum eſſe: nam Anaſtaſius II. ep. 1. ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 7. ordinationem diaconi, ſicut & presbyteri, ſacramentum vocat, & vim conferendi gratiam habere, apertè ſupponit. Patet ex verbis ejus ſupra relatis art. 1. prob. 3.

Obj. 2. Act. cap. 6. legitur, primos diaconos ab Apoſtolis ordinatos fuiſſe ex occaſione tantùm, ex occaſione ſcilicet murmuris Græcorum adverſùs Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum; & quidem ordinatos fuiſſe ad ſolum miniſterium temporale menſarum pauperum & viduarum. Unde Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium, diaconos vocat menſarum & viduarum miniſtros, & ſub extremum epiſtolæ ſic loquitur: *Audiant Apoſtolos*: Non eſt dignum ut, relinquentes verbum Dei, miniſtremus menſis. *Sciant quare diaconi conſtituti ſint. Legant Acta Apoſtolorum, recordentur conditionis ſuæ.* Ergo ordinatio diaconi non eſt inſtitutionis divinæ, ſed Apoſtolicæ tantùm.

R. 1. primos quidem diaconos ordinatos fuiſſe ab Apoſtolis ex occaſione, at non idcircò dici poſſe, ex occaſione inſtitutos fuiſſe ab Apoſtolis: facilè enim fieri potuit, ut inſtituto diaconatu ab ipſo Chriſto, primi diaconi non ordinarentur ab Apoſtolis, niſi ex murmuris Græcorum adverſùs Hebræos occaſione; & ſic re ipſa contigit eos ordinari, quia Chriſtus ipſe non ordinavit diaconos, ſicut ordinavit Epiſcopos & presbyteros; neque Apoſtolis præceptum fuit impoſitum, ut ſtatim poſt Pentecoſten aliquos ordinarent; nec denique ante occaſionem murmuris Helleniſtarum adverſùs Hebræos, occurrit neceſſitas, vel urgens aliqua cauſa aliquos ordinandi. Quòd autem primi diaconi ſic ex occaſione ab Apoſtolis ordinati fuerint per cœremoniam gratiæ collativam, adeoque à Chriſto inſtitutam, ex eodem Scripturæ loco oſtendimus.

R. 2. falſum eſſe, quòd diaconi ad hoc tantùm munus ordinati fuerint, ut miniſtrarent menſis: nam tempore Apoſtolorum erant diaconi in locis, putà Philippis & Epheſi, in quibus Chriſtiani non vivebant communiter, & in quibus proinde opus non erat miniſtris menſarum. Præterea, etiam in Judæa eodem tempore diaconi baptizabant, & prædicabant, ut Act. cap. 8. refertur de Philippo diacono. Denique, quòd diaconi etiam prioribus Eccleſiæ ſæculis miniſtri ſacramentorum fuerint, probatur ex Juſtino Martyre apolog. 2. in fine, ubi ait, Euchariſtiam mitti abſentibus per diaconos. Ex Tertulliano lib. *de baptiſmo* cap. 17. ubi ait non ſolùm presbyteros, ſed etiam diaconos baptizare, ſolemniter ſcilicet, ex licentia Epiſcopi. Et ex Hieronymo in dialogo adverſùs Lucifer. ubi dicit diaconos in remotioribus locis, viculis, & caſtellis ſolemniter baptizare, quamvis non ſine Epiſcopi juſſione, qua indigebant etiam presbyteri: unde in ſua ad Evagrium epiſtola plus ex fervore quodam ait, quàm velit intelligi.

Obj. 3. Cyprianum epiſt. 38. ad Rogatianum, dicentem: *Meminiſſe diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit: diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros. Quòd ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus, qui Epiſcopos facit, poſſunt & ſi contra nos audere, à quibus diaconi fiunt.* *R.* cum Bellarmino lib. de ſacram. Ord. cap. 8. Cyprianum nihil aliud velle, quàm quòd Chriſtus nullos diaconos ordinaverit, ſicut ordinavit Epiſcopos & presbyteros. Ex eo autem, quòd Chriſtus nullos ordinaverit diaconos, malè ſequeretur, quòd diaconatum non inſtituerit: ſicut ex eo, quòd nullum confirmaverit, malè concluderetur, quòd non inſtituerit Confirmationem.

Obj. 4. Damaſus epiſt. 5. docet eſſe tantùm duos Ordines à Chriſto inſtitutos. *Et illud adhuc reſtat*, inquit, *quòd eorum* (chorepiſcoporum) *ordo non habet in divinis litteris authoritatem, quia Ordines ſunt duo tantum primi in Eccleſia, id eſt, Apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum.* *R.* Damaſum hic ſolùm velle, quòd duo tantùm ſint Ordines ſacerdotum, majorum ſcilicet, nempe Epiſcoporum, qui ſuccedunt Apoſtolis; & minorum, nempe ſimplicium presbyterorum, qui ſeptuaginta diſcipulis ſuccedunt, adeoque chorepiſcopos aut nihil eſſe, aut ad alterutrum Ordinem pertinere, & cùm non ſint Epiſcopi, ſupereſſe ut vel nihil ſint, vel ſint ſimplices presbyteri: quare ſupra ſimplices presbyteros ſeſe extollere, & epiſcopalia munia ſibi arrogare non debent.

Obj.

Obj. 5. Diaconus non accipit in ordinatione ſua poteſtatem faciendi aliquid ſupernaturale, aut ponendi aliquem effectum, qui nullus ſit & irritus, ſi fiat à non diacono. Ergo non accipit in ordinatione proprium characterem: character enim datur ad operandum ſimpliciter, non ad bene operandum. Atqui ordinatio, quæ characterem non imprimit, non eſt ſacramentum. Ergo, &c. *R.* neg. conſeq. & ejus probationem univerſaliter ſumptam: nam v. g. in Confirmatione imprimitur character ad bene operandum, non ad operandum ſimpliciter: imprimitur enim ad profitendam fidem, quam profiteri, & rectè profiteri poteſt non confirmatus.

ARTICULUS IV.

Utrùm Ordinatio Subdiaconi, & aliorum minorum Ordinum ſit Sacramentum.

§. I.

De Ordinatione Subdiaconi.

Responsio I.

PRobabile eſt ordinationem ſubdiaconi eſſe ſacramentum.

Prob. Nam 1. quòd ſit ſacramentum, communiter ſentiunt Theologi antiqui & recentiores, paucis admodùm exceptis. 2. Videtur imprimere characterem, cùm ſit initerabilis. 3. Subdiaconatus habet votum continentiæ annexum, ſicut presbyteratus & Epiſcopatus, qui per ſacramentalem ordinationem conferuntur. 4. Videtur ea eſſe ſententia Concilii Florentini in decreto Eugenii §. *Sextum*, ubi ait Ordinem eſſe ſacramentum, & aſſignando materiam hujus ſacramenti, exemplificat in presbyteratu, diaconatu, & ſubdiaconatu. *Sextum*, inquit, *ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut presbyteratus traditur per .... diaconatus vero per .... ſubdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem.*

Præterea aliqui eamdem reſponſionem probant, 1. Ex Clemente lib. 8. Conſtit. cap. 21. ubi dicitur: *De hypodiaconis vero ego Thomas conſtituo Epiſcopis, ut cum hypodiaconum ordinas, Epiſcope, imponas ei manus, & dicas: Domine Deus .... tribue ei Spiritum ſanctum, ut vaſa ad miniſtrandum tibi facta dignè attrectet, &c.* quibus verbis, aiunt, continetur forma gratiæ ſignificativa & collativa. 2. Ex praxi Eccleſiæ Græcæ, in qua Epiſcopus in ordinatione ſubdiaconi, ſicut in ordinatione diaconi, presbyteri, & Epiſcopi, cum manus impoſitione dicit: *Divina gratia, quæ infirma curat, &c.* Sed

Ad 1. *reſpondetur*, ſuppoſititium illum Clementem non referre formas ordinationum; & verba hic relata, *Tribue ei Spiritum ſanctum, &c.* eſſe meram deprecationem, nec magis hoc loco exprimere formam ſacramentalem, quàm cap. 20. ubi præſcribitur modus ordinandi diaconiſſas, & dicitur: *De diaconiſſa vero ego Bartholomæus conſtituo, ut manus ei, Epiſcope, imponas, præſentibus presbyteris, & diaconis, & diaconiſſis; & dices: Deus æterne ... da ei Spiritum ſanctum, & mundam effice, &c.*

Ad 2. *reſpondetur*, falſum eſſe, ut manifeſtum eſt ex Euchologio, quo utuntur Græci in ſuis ordinationibus, & in quo Epiſcopus, cùm ordinat ſubdiaconum, tantùm recitat orationem ſuper eum, cujus capiti manum imponit.

Responsio II.

Probabilius eſt ordinationem ſubdiaconi non eſſe ſacramentum.

Prob. Nam 1. nulla planè fit illius in Scriptura mentio. 2. Nullus veterum ſcriptorum attribuit illi rationem ſacramenti. 3. In Eccleſia Græca fit quidem cum manus impoſitione, ſed ſine forma ſacramentali: nam Epiſcopus ordinando ſubdiaconum, non dicit: *Divina gratia, quæ infirma curat, &c.* quæ verba continent formam ſacramentalem ordinationum apud Græcos; ſed ſolùm recitat orationem, quæ quidem ſufficit ad conſecrationem quandam, at cum impoſitione manus facere ſacramentum non poteſt. Hæc autem praxis in Eccleſia Græca vigebat longè ante ſchiſma, ut patet ex Euchologiis, quæ ſchiſmate longè antiquiora ſunt. Unde manifeſtum eſt, Orientalem Eccleſiam, etiam ante ſchiſma, non aliter ſenſiſſe de ordinatione ſubdiaconorum, quàm de diaconiſſarum conſecratione, quæ pariter fiebat per manus impoſitionem, & planè ſimilem orationem, ut colligitur ex ſuppoſititio Clemente, & quæ tamen nunquam habita eſt ut verum ſacramentum.

4. In Eccleſia Latina, nequidem prioribus ſæculis, ordinatio ſubdiaconi habuit manus impoſitionem, ut probatur ex Conc. Carthag. IV. can. 5. quo dicitur: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipit vacuam, & calicem vacuum, &c.* Unde colligimus Apoſtolos vel nullos ordinaſſe ſubdiaconos, ſed eos poſtea inſtitutos fuiſſe ab Eccleſia, vel ordinaſſe ſine manus impoſitione: nam ſi Apoſtoli ſubdiaconos ordinaſſent per mànus impoſitionem, eos quoque ſic ordinaſſet antiqua Eccleſia; cùm ſemper per manus impoſitionem ordinaverit Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, quia eos ſic ordinarant Apoſtoli. Atqui manus impoſitio, ſaltem initio naſcentis Eccleſiæ, fuit materia omnis ordinationis ſacramentalis, ut ex Scriptura ſatis colligitur, & ſuadet praxis Orientalis Eccleſiæ, quæ nunquam ordinavit ſine manus impoſitione. Ergo, &c.

5. Subdiaconus ad nihil ordinatur ex iis, quæ præcipua ſunt in officio diaconi, ut ſunt Euchariſtiam adminiſtrare, baptizare, &c. imò nec licebat ei prioribus Eccleſiæ ſæculis ſacra vaſa tangere, ut patet ex Conc. Laodic. can. 21. quo dicitur: *Quod non oporteat ſubdiaconos .... dominica vaſa tangere.* Ad hæc omnia accedit authoritas Gratiani, ſic loquentis initio diſtinctionis 21. *Subdiaconos & Acolythos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.* Et Magiſtri Sent. lib. 4. diſt. 24. litt. I. Gratiani verba exſcribentis.

Ad 1. autem pro oppoſita ſententia *reſpondetur*, ex eo ſequi tantùm pro ſententia illa paulò majorem probabilitatem extrinſecam. *Ad* 2. *R.* ordinationem ſubdiaconi initerabilem eſſe, non jure divino, & propter characterem, ſed jure eccleſiaſtico, & quia eſt conſecratio quædam: unde eodem modo initerabilis eſt, quo conſecratio vaſorum & templorum, quæ quandiu res conſecrata manet integra, iterari non poteſt, nec tamen eſt ſacramentum.

Ad 3. *R.* ſubdiaconatum non ſemper habuiſſe votum continentiæ annexum. Nam ſubdiaconi non obligantur ad continentiam, niſi quia vaſa ſacra tanguntur, ut probatur ex Iſidoro lib. 2. de offic. eccl. cap. 10. ubi ait: *De quibus quidem* (ſubdiaconis) *placuit Patribus, ut quia ſacra myſteria contrectant, caſti ſint, & continentes ab uxoribus.* Et ex Magiſtro Sent. lib. 4. diſt. 24. litt. G. ubi ait: *His lex continentiæ imponitur, quia altari propinquantes, vaſa Corporis & Sanguinis Chriſti* (quamvis vacua) *portant.* Atqui prioribus Eccleſiæ ſæculis non tangebant vaſa ſacra, ut conſtat ex Conc. Laodic. Ergo tunc nondùm continentes erant ab uxoribus: imò verò tunc prohibebantur ſacra vaſa attingere, quia tunc nondùm ab uxoribus continebant.

Ad 4. in quo totum robur illius ſententiæ videtur conſiſtere, *R.* Concilio ſufficere, ſi vel una ex ordinationibus, in quibus exemplificat, ſacramentum eſſe dicatur. Addo Concilium materiæ ſacramenti Ordinis in presbyteratu & diaconatu, quorum uterque verum ſacramentum eſt, exemplum ponere, & ex occaſione data ſubjicere, vel indicare materiam

riam aliorum inferiorum Ordinum, præſcindendo ab hoc, quòd ſint vel non ſint vera ſacramenta.

§. II.

De ordinatione Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, & Acolythi.

Responsio I.

PRobabile eſt ordinationem, qua minores Ordines conferuntur, eſſe ſacramentum.

Prob. Nam 1. ita communiùs ſentiunt Scholaſtici Doctores. 2. Iterari non poteſt hæc ordinatio. 3. Minores ordines ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuerunt, ut affirmat Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. unde nihil vetat eorum inſtitutionem attribui Chriſto. 4. Conc. Flor. loco ſupra citato, poſtquam dixit ſacramentum Ordinis eſſe ſextum ſacramentum, & hujus ſacramenti materiam eſſe inſtrumenta, quæ porriguntur in ordinatione, ponit exempla de ordinatione presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi, tum ſic proſequitur: *Et ſimiliter de aliis* (Ordinibus) *per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem*; quibus verbis Synodus ſignificare videtur, non ſolum Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ſed etiam Oſtiarii, Lectoris, &c. ordinationem eſſe ſacramentum.

5. Denique Conc. Trid. ſeſſ. 23. poſtquam cap. 2. enumeravit ſeptem Ordines, cap. 3. ſic loquitur: *Dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis*, Cùm autem Synodus abſolutè dicit, Ordinem eſſe ſacramentum, videtur ſumere Ordinem in ſuppoſitione adæquata, adeoque univerſaliter pro omnibus ſpeciebus, ad quas contrahitur; hoc eſt, pro ſeptem Ordinibus cap. 2. enumeratis, quæ proinde ſunt totidem numero ſacramenta; ſic tamen ut unum moraliter ſacramentum Ordinis conſtituant, propter communem habitudinem quam habent ad Euchariſtiam. Ex his porrò ſic adhuc argumentari licet. Quidquid abſolutè dicitur de genere, convenit omnibus ſpeciebus. Atqui abſolutè dicitur de Ordine ut ſic, quòd ſit verè & propriè novæ legis ſacramentum. Ergo, &c.

Responsio II.

Longè probabilius eſt, ordinationem, qua minores Ordines conferuntur, non eſſe ſacramentum.

Prob. 1. Neque ex Scriptura ſacra, neque ex traditione probari poteſt, minores Ordines eſſe inſtitutos à Chriſto, 2. Non iidem omninò & eodem planè numero fuerunt in antiqua Eccleſia: nam Acolythi nunquam fuerunt in Eccleſia Orientali, ut colligitur ex Ignatio Martyre epiſt. ad Antioch. Authore Conſtit. Apoſt. lib. 8. & Epiphanio in expoſit. fidei cathol. Hi enim Ordines Eccleſiæ recenſentes, nullam Acolythorum mentionem faciunt.

Item in Orientali Eccleſia Cantores fuerunt olim Ordo eccleſiaſticus, ut colligitur ex Ignatio loco citato, ſed præſertim ex Authore Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 11. ubi ſolus Epiſcopus poteſt ordinare Cantores; quia ut ibidem dicitur, *ſunt unus ex eccleſiaſticis Ordinibus*. At Cantores non fuerunt Ordo eccleſiaſticus in Eccleſia Occidentali, ut probatur ex Cornelio Papa epiſt. ad Fab. Antioch. ubi ex profeſſo Ordines eccleſiaſticos enumerans, Cantorum non meminit; & ex eo quòd olim in Eccleſia Latina Cantores ordinabantur, non ab Epiſcopis, ſed à presbyteris, ut patet ex Conc. Carthag. IV. can. 10.

Item in Orientali Eccleſia plures fuerunt, quàm quatuor minores Ordines, nempe Lectores, Cantores, Oſtiarii, Laborantes, & Exorciſtæ; ut probabiliter colligitur ex Ignatio epiſt. ad Antioch. Laborantes inter Ordines eccleſiaſticos recenſet Epiphanius in expoſitione fidei cathol.

3. In Eccleſia Orientali longè ante ſchiſma defecerunt omnes minores Ordines, excepto Lectore, qui quidem in illa Eccleſia habet manus impoſitionem, ſed ſine forma ſacramentali; nam Epiſcopus, cùm ordinat Lectorem, manu impoſita capiti Ordinandi, tantùm recitat orationem, & non dicit: *Divina gratia, quæ infirma curat, &c.* Quæ verba exprimunt apud Græcos formam ſacramentalem in Ordinibus, quos ſacramenta eſſe credunt.

4. In Eccleſia Latina minores Ordines non habent manus impoſitionem, quæ tamen eſt eſſentialis materia, ſaltem partialis, omnium ordinationum, quæ ſunt verè ac propriè ſacramenta, ut ſuo loco probabitur. His omnibus adde, minorum Ordinum miniſteria nunc paſſim exerceri à laicis.

Florentino Concilio pro oppoſita ſententia allegato, jam ſatisfactum eſt §. ſup. Supereſt, ut hic ſatisfiat Tridentino, cujus hæc eſt doctrina ſeſſ. 23. cap. 3. *Cùm Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem eſſe verè & propriè unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis. Inquit enim Apoſtolus*: Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum, &c.

R. Itaque, Synodum, cùm docet per ſacram ordinationem conferri gratiam, adeoque illam eſſe unum ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, loqui de ordinatione, quæ fit per impoſitionem manuum, ſaltem ut materiam inadæquatam: loquitur enim de ordinatione, cui Scripturæ & Patres vim conferendi gratiam attribuunt. Hanc autem vim attribuunt ſoli ordinationi, quæ fit per impoſitionem manuum, & non alteri, Addo, Synodum loqui de ordinatione, quæ fit per impoſitionem manuum ſub hac vel æquivalente formula, *Accipe Spiritum ſanctum*, ut ſatis ſuadet canon 4. ejuſd. ſeſſ. quo dicitur: *Si quis dixerit, per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos* (cùm ordinant) *dicere, Accipe Spiritum ſanctum .... anathema ſit*.

Synodus igitur hic non ſumit ordinationem univerſaliter pro ea omni, quæ fit in Eccleſia, ſed particulariter pro ea, quæ fit per impoſitionem manuum; quam cùm non habeat ordinatio, qua conferuntur minores Ordines, ſicut nec habet ordinatio, qua ſubdiaconatus confertur, doctrina Synodi perperam extendi videtur ad ſubdiaconatum, & minores Ordines, & ſolùm extendi poteſt & debet ad Epiſcopatum, presbyteratum, & diaconatum: ita ut de fide ſit, ſaltem presbyteri ordinationem eſſe ſacramentum, & hoc idem negare de Epiſcopi & diaconi ordinatione, ſaltem temerarium, & erroneum videatur, poſt Tridentini definitionem,

DISPUTATIO III.

De materia & forma Ordinationum.

ARTICULUS I.

Utrùm impoſitio manuum ſit eſſentialis materia omnium ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta.

NOta. Inter cæremonias externas, quibus Ordines conferuntur, aliæ, ut patet ex dictis Diſp. 2. ſunt ſacramenta, nempe Ordinationes Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi; aliæ verò, ut longè probabilius eſſe oſtendimus, non ſunt; nempe ordinationes Subdiaconi, Acolythi, Lectoris, Exorciſtæ, & Oſtiarii: quare de materia & forma harum ordinationum ſoliciti non ſumus, & de utraque Rituales conſulere poſſunt ii, quorum intereſt. Hoc igitur articulo agimus tantùm de materia Ordinationum Epiſcopi, presbyteri, & diaconi; de ea tamen iterùm accuratiùs infra acturi in particulari. Sed

Nota 2. Quia in ordinatione presbyteri & diaconi, præter manus vel manuum impoſitionem, adhibetur in Eccleſia Latina porrectio alicujus inſtrumenti, nempe calicis & patenæ in ordinationibus presbyteri, & libri Evangeliorum in diaconi ordinatione;

inter

inter Scholaſticos controverſia eſt, utrum ex his ſymbolis ſit eſſentialis materia ordinationis; circa quod tres ſunt ſententiæ. Prima vult, ſolam inſtrumentorum porrectionem eſſe materiam eſſentialem: manus verò vel manuum impoſitionem eſſe cæremoniam accidentariam tantùm. Secunda docet, non ſolùm porrectionem inſtrumentorum, ſed etiam manus vel manuum impoſitionem eſſe materiam eſſentialem. Tertia denique contendit, materiam eſſentialem conſiſtere in ſola manus vel manuum impoſitione, & ita accidentariam eſſe porrectionem inſtrumentorum. Hæ porrò ſententiæ aliqua explicatione indigent, quæ ſuo loco fiet. Interea ſit

Responsio I.

Manus vel manuum impoſitio, eſt eſſentialis materia, vel totalis, vel ſaltem partialis, ordinationis cujuslibet, quæ verè & propriè ſacramentum eſt.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam quotieſcumque loquitur de Ordinatione, dicit eam fieri per impoſitionem manuum cum oratione, & nullius alterius externi ſymboli meminit. Ergo vel impoſitio manuum eſt eſſentialis materia ordinationis, quæ ſcilicet ſacramentum eſt à Chriſto inſtitutum (de alia enim non loquitur Scriptura) vel dicendum eſt, Scripturam de ordinatione loquentem, ubique prætermiſſa eſſentiali cæremonia, nunquam illam exprimere niſi per accidentariam, quod eſt tamen dictu abſurdum, imò & evidenter diſſonum ipſi Scripturæ, quæ manuum impoſitioni, qua ordinationem fieri ſignificat, manifeſtè attribuit vim conferendi gratiam, epiſt. 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14. & epiſt. 2. ad eund. cap. 1. v. 6. Vis autem conferendi gratiam, cæremoniæ, quæ eſt accidentaria, adeoque nec eſt ſacramentum, nec pars ſacramenti, convenire non poteſt.

Prob. 2. Ex Patribus. Nam Dionyſius Areop. lib. de eccl. hier. cap. 4. parte 2. ritum ſacrarum ordinationum deſcribens, ſic ait: *Pontifex quidem, qui ad conſecrationem in Pontificem adducitur, utroque genu flexa ante altare, ſupra caput habet Evangelia à Deo tradita, manumque Pontificis* (qui eum conſecrat) ... *Sacerdos autem, flexis ante aram genibus, capiti ſuo admotam Pontificis manum dexteram habet* .... *Miniſter verò* (diaconus) *genu altero flexo ante altare, dextram manum Pontificis, qui eum conſecrat, ſuper caput habet.*

Author Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 16. & 17. deſcribens ritum ordinandi presbyteros & diaconos, hæc habet: *Cùm presbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſe manum capiti presbyteri, aſtantibus tibi presbyteris & diaconis; & faciendo, dic, &c. Diaconum ordines, Epiſcope, imponendo ei manus, præſentibus omnibus presbyteris & diaconis, & precando ei dices, &c.* His adde Græcos ordinationem communiter vocare χειροτονίαν, hoc eſt, manus impoſitionem. Brevitatis causa prætermittimus Baſilium, Chryſoſtomum, &c. Vide Arcudium lib. 6. de concord. cap. 3.

Inter Latinos, Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotali cap. 5. ſic loquitur de ordinatione Epiſcopali: *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam: ſacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera.* Hieronymus comm. in cap. 58. Iſaiæ, χειροτονίαν, id eſt, *ordinationem, non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impleri manus.* Et Auguſtinus lib. 3. de bapt. cap. 20. hæc habet: *Quomodo* (Deus) *exaudit homicidam deprecantem* .... *ſuper capita eorum, quibus* (in Ordinatione) *manus imponitur?* Et in ſerm. ſuper geſtis cùm Emerito Donatiſtarum Epiſcopo, Epiſcopum ordinari per impoſitionem manuum ſuper caput Ordinandi, manifeſtè ſignificat, cùm ait: *Invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati.*

Prob. 3. Ex ſummis Pontificibus. Damaſus epiſt. 3. contra Chorepiſcopos ordinare præſumentes, ſic loquitur: *Cùm Pontifices non erant, ea quæ ſolis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impoſitionem tangebant* (ordinando) .... *Quapropter per illam illicitam manus impoſitionem ... vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepiſſe, habebant ... cùm ille, qui honorem Pontificalem non habuit, Pontificalia non* (poſſit) *jura tribuere.*

Innocentius I. epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. 3. agens de iis, quos ordinarunt hæretici, ſimili modo loquitur: *Cùm nos dicamus*, inquit, *ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput ... certè qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit.*

Cœleſtinus I. epiſt. 11. ad Patres Epheſinæ Synodi de Maximiani ordinatione loquens ait: *Interfuimus* (animo ſcilicet) *cùm ejus capiti* (quod manu tangebant Epiſcopi, à quibus ordinabatur) *verba myſtica dicerentur.* Leo I. epiſt. 87. ad Mauritaniæ Epiſcopos, hæc Apoſtoli verba *Manus nemini citò impoſueris*; ſic interpretatur: *Quid eſt, citò manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, ſacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Gregorius denique lib. 12. epiſt. in decreto 5. ſic ait: *Sicut Pontificem manum non decet, quam* (Ordinando) *imponit, vendere, ita, &c.*

Prob. 4. Authoritate Conciliorum. Nam ordinationem presbyteri Concilium Neocæſarienſe can. 9. & Nicænum can. 9. ordinationem diaconi Ancyranum can. 10. ordinationem Epiſcopi, presbyteri & diaconi Antiochenum can. 10. manuum impoſitionem appellant. Carthaginenſe IV. can. 2. 3. & 4. docet Epiſcopum, presbyterum, & diaconum ordinandos eſſe per manus impoſitionem ſuper caput Ordinandi. Tridentinum denique ſeſſ. 14. cap. 3. de Extrema unctione, aſſerit hujus ſacramenti miniſtros eſſe presbyteros Eccleſiæ: *Quorum nomine ... intelligendi veniunt aut Epiſcopi, aut ſacerdotes, ab ipſis ritè ordinati per impoſitionem manuum presbyterii.*

Ex Patribus igitur, Conciliis, & ſummis Pontificibus liquet, ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta, eſſentialem materiam, ſaltem ex parte conſiſtere in manus vel manuum impoſitione ſuper caput Ordinandorum: quòd enim nunquam ordinationem exprimant, niſi per materiam accidentariam, ſuppreſſa ſemper eſſentiali, & à fortiori, quòd deſcribendo, vel præſcribendo ritum ordinationis, accidentariam tantùm, eſſentiali prætermiſſo, deſcribant, vel præſcribant, prorſus incredibile eſt, & dictu abſurdiſſimum.

Nec dici poteſt, olim quidem eſſentialem materiam ordinationum, de quibus agitur, in manuum impoſitione conſtitiſſe, nunc verò poſt Florentinum Concilium certò conſiſtere in ſola traditione inſtrumentorum, ſaltem in Eccleſia Latina. Nam 1. etiam poſt Florentinum, nulla ex illis ordinationibus fit ſine impoſitione manuum ſuper caput Ordinandorum. 2. Sufficit Florentino, ſi dicatur inſtrumentorum traditionem eſſe partialem materiam eſſentialem. 3. Cùm Tridentina Synodus dicit, ſacerdotes ab Epiſcopis ordinari per impoſitionem manuum, manifeſtè ſequitur, vel ſolam manuum impoſitionem eſſe ordinationis ſacerdotalis materiam eſſentialem, vel ſaltem eſſe partem illius præcipuam.

Dices. Si inſtrumentorum traditio non eſt tota materia eſſentialis ordinationum, ſed tantùm illius pars, quare Florentinum abſolutè dicit, ſacramenti Ordinis materiam eſſe, traditionem inſtrumentorum? Quare pro materia illa potiùs traditionem inſtrumentorum aſſignat, quàm impoſitionem manuum? *Reſp.* Quia Synodus Armenos docere voluit, non ſolùm impoſitionem manuum, quod jam ſciebant Armeni, ſed etiam inſtrumentorum traditionem in Eccleſia Latina pertinere ad ritum eſſentialem ordinationis presbyteri & diaconi; vel, ſi vis, quod idem eſt, quia Synodus docere voluit Armenos, in Eccleſia Latina porrectionem inſtrumentorum eſſe de eſſentia ordinationis presbyteri & diaconi, ſive ſit tota illius materia,

ſive non ſit: ita ut in Eccleſia Latina, ſine inſtrumentorum porrectione nulla ſit presbyteri & diaconi ordinatio, ad quam tamen in Orientali Eccleſia ex parte materiæ ſufficit impoſitio manuum.

Dices. Gregorius IX. cap. *Presbyter*, extra de ſacram. non iter. dicit impoſitionem manuum, quæ adhibetur in ordinatione presbyteri & diaconi, eſſe ritum ab Apoſtolis introductum. Ergo illa manuum impoſitio non fuit à Chriſto inſtituta. Ergo non eſt eſſentialis, ſed accidentaria ordinationi presbyteri & diaconi. Unde eod. cap. Gregorius ait, eo caſu quo manuum impoſitio in ordinatione presbyteri & diaconi omiſſa fuerit, *non eſſe aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conferendos cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum*. Et hæc, quæ obſervanda ſunt, verba ſubjicit: *Suſpenſio autem manuum debet fieri, cùm oratio ſuper caput effunditur Ordinandi*; ex quibus colligitur, Gregorium non loqui de manuum impoſitione, quæ poſt inſtrumentorum traditionem fit in ordinatione presbyteri, ſub hac formula, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* ſed de ea, quæ ante traditionem inſtrumentorum fit ab Epiſcopo, & aſſiſtentibus presbyteris, ſine ullorum verborum prolatione. Quare qui Gregorium intelligunt de altera manuum impoſitione, vim faciunt textui.

Reſpondet Bellarminus lib. de ſacram. Ord. cap. 9. Gregorium, cùm dicit manuum impoſitionem, quæ adhibetur in ordinatione presbyteri & diaconi, ritum eſſe ab Apoſtolis introductum, non ſic intelligendum eſſe, quaſi Apoſtoli hunc ritum inſtituerint; ſed quia ipſi primi cœperunt illum uſurpare in ordinationibus. Hac reſponſione ſuppoſita, dico non eſſe aliquatenùs iterandum, hoc eſt, non eſſe repetendum quod jam validè factum eſt, adeoque repetendum non eſſe eam partem ordinationis, qua data eſt poteſtas abſolvendi à peccatis; ſed ſolùm cautè ſuppleri debere, quod fuit omiſſum; hoc eſt, primam ordinationis partem, qua confertur poteſtas offerendi ſacrificium, & quæ cùm validè fieri non poſſit cum ſola traditione inſtrumentorum ſine prima manuum impoſitione, rectè dicitur omitti, cùm omittitur prima manuum impoſitio: quòd enim invalidè fit, non fit; & quod non fit, omittitur; & ſi poſtquam invalidè factum eſt, ponantur omnia ad ejus valorem neceſſaria, tunc propriè primùm fit, nec niſi impropriè dicitur iterari.

Solet etiam objici Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, eod. tit. Sed ibi agitur de ſubdiaconi ordinatione, quæ non eſt ſacramentum, & in Eccleſia Latina non fit per manuum impoſitionem, ſed per traditionem inſtrumentorum; ut patet ex Conc. Carthag. IV. & ex pontificali Romano. Manuum igitur impoſitio, de qua caput citatum loquitur, eſt mera benedictio, quam Ordinandus accipit ab Epiſcopo ſuper eum orante, ut obſervat Gloſſa litt. B. & quæ cùm ſit cœremonia purè accidentaria, ſecundùm inſtitutionem Eccleſiæ, ſi omittatur, poteſt poſtea ſuppleri, cæteris non iteratis.

Responsio II.

In Orientali Eccleſia, manuum impoſitio ſuper caput Ordinandorum, eſt tota materia ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta.

Prob. Ex Euchologio. 1. In ordinatione Epiſcopi non eſt alia partialis materia, præter manuum impoſitionem ſuper caput Ordinandi. Nam ſi eſt aliqua, vel eſt impoſitio libri Evangeliorum ſuper caput & cervicem illius qui ordinatur, vel impoſitio pallii Archiepiſcopalis: nulla enim alia circa illum qui ordinatur Epiſcopus, fit cœremonia, quæ rationem habere poſſit materiæ in ejus ordinatione, ut patet ex Euchologio. Atqui neutrum poteſt dici.

Primum dici non poteſt: nam impoſitio libri Evangeliorum non fit, niſi poſt manuum impoſitionem, & prolationem formæ, cum hac impoſitione ſufficientis ad ordinationem Epiſcopalem: antequam enim Epiſcopus conſecrans aperiat librum Evangeliorum, & imponat capiti & cervici illius qui ordinatur, capiti ejus manus impoſuit, dicendo: *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. presbyterum in Epiſcopum, &c.* quæ verba impoſitionem manuum ſuper caput Ordinandi, quæ aliunde vi inſtitutionis Chriſti ſufficit ad totalem materiam ordinationis cujuſlibet, ſufficienter determinant ad ſignificandum, adeoque non poſſunt cum ea non efficere gratiam & characterem Epiſcopalem: niſi tamen dicatur horum verborum, & impoſitionis manuum, quam ad ſacramentalem ſignificationem determinant, efficacia ſuſpendi, donec aperiatur liber Evangeliorum, &c. imponatur capiti & cervici illius qui ordinatur, cujus ſuſpenſionis nulla probabilis ratio afferri poteſt.

Et verò ſi horum verborum, &c. efficacia ſuſpenditur, donec liber Evangeliorum imponatur capiti & cervici illius qui ordinatur; vel quia manuum impoſitio ſuper caput Ordinandi non poteſt ſufficere ſola ad materiam integram ordinationis: at hoc eſt evidenter falſum: potuit enim ſufficere, antequam conſcriberentur Evangelia, adeoque poteſt etiam poſtquam conſcripta fuerunt. Vel quia ſine libri Evangeliorum impoſitione ſuper caput, &c. hæc verba, *Divina gratia, quæ, &c.* non habent vim determinandi impoſitionem manuum ſuper caput Ordinandi, ad hoc ut ſufficienter ſignificet, & quantùm oportet, ad cauſandum totum effectum ſacramentalem. At hoc eſt evidenter falſum: manifeſtum enim eſt, per illa verba, non quidem diſtinctè, ſed confusè, quod ſatis eſt, collationem gratiæ & characteris Epiſcopalis exprimi, ſive imponatur, ſive non imponatur Evangeliorum liber ſuper caput & cervicem illius qui ordinatur.

At inquies. Falſum hic ſupponitur, nempe quòd hæc verba, *Divina gratia .... N. presbyterum promovet in Epiſcopum*, ſint forma ordinationis Epiſcopalis: nam hujus ordinationis forma eſt oratio illa, quam Epiſcopus conſecrans recitat, poſtquam aperuit librum Evangeliorum, & apertum impoſuit capiti & cervici illius qui ordinatur.

Reſp. neg. inſtant. & probationem ejus, quæ repugnat communi Doctorum ſententiæ. Et verò quid his verbis, *Divina gratia, &c.* deeſt ad hoc, ut ſint forma ordinationis Epiſcopalis? Nam ſufficienter ſignificant totum effectum ſacramenti, in quo conſiſtit Epiſcopalis ordinatio; conjuncta ſunt cum manuum impoſitione ſuper caput Ordinandi, quæ ex inſtitutione Chriſti poteſt eſſe hujus ſacramenti materia ſufficiens; & ab Epiſcopo conſecrante proferuntur ex intentione faciendi ſacramentum, ſeu conſecrandi Epiſcopum. Ergo re ipſa Epiſcopus ex illis, & impoſitione manuum ſuper caput Ordinandi, quacum conjuncta ſunt, facit ſacramentum. Ergo re ipſa per illa, cùm impoſitione manuum, quam afficiunt, Epiſcopus conſecrans Epiſcopum conſecrat. Ergo revera forma conſecrationis Epiſcopalis in illis conſiſtit, non verò in oratione, libri Evangeliorum ſuper caput & cervicem illius qui ordinatur, impoſitionem ſubſequente, qua Epiſcopus conſecrans non conſecrat Epiſcopum, ſed conſecrato benedicit. Præterea, ſi hæc verba, *Divina gratia .... promovet N. in Diaconum, in Presbyterum, in Epiſcopum*, non ſunt forma ſacramentalis, quare adhibentur in ſolis ordinationibus, quæ ſunt ſacramenta? Quare non adhibentur etiam in ordinatione Lectoris & Subdiaconi?

Secundum, nempe quòd impoſitio pallii ſit partialis materia ordinationis Epiſcopalis, dici non poſſe, evidenter oſtendit Euchologium, cùm ait: *Aufert Evangelium* (Epiſcopus conſecrans) *illudque deponit ſuper ſacram menſam, imponitque Conſecrato humerale, dicens*, Dignus; *quod ſimiliter iterat Clerus*. Epiſcopus igitur, qui conſecratur, non niſi poſt conſecrationem accipit humerale; cujus proinde impoſitio non poteſt eſſe pars ſacramenti, quo conſecratur Epiſcopus, qui, ut hìc obiter obſervare

juvat,

juvat, in Euchologio Conſecratus non appellatur, niſi poſt abſolutas orationes, & Evangelii depoſitionem ſuper ſacram menſam, quia tunc primùm abſoluta ſunt ea omnia, quæ ad conſecrationis ejus accidentalem integritatem pertinent.

2. In ordinatione diaconi & presbyteri non eſt alia partialis materia, præter manuum impoſitionem ſuper caput ordinandi. Fit quidem in utraque ordinatione traditio alicujus inſtrumenti: nam in ordinatione diaconi flabellum traditur, & in ordinatione presbyteri traditur Liturgia, quam vocant *κοντάκιον*. At utraque traditio non fit, niſi abſoluta ordinatione; quod de traditione flabelli evidens eſt ex Euchologio, in quo dicitur: *Deinde exhibito oſculo pacis* (oſculum autem pacis non niſi abſoluta ordinatione exhibetur). *porrigit illi* (diacono) *Pontifex ſacrum flabellum, dicens ſimiliter: Dignus.* De traditione liturgiæ idem, nempe quòd non fiat niſi poſt abſolutam ordinationem, teſtatur Arcudius lib. 6. de concord. cap. 3. ubi advertit, de hac traditione nihil habere Euchologia tam impreſſa, quàm manuſcripta, nec fieri ab omnibus Epiſcopis conſecrantibus.

In Orientali igitur Eccleſia, ab octingentis & pluribus annis impoſitio manuum ſuper caput Ordinandorum fuit tota materia ordinationum, quæ ſunt ſacramenta; imò & antea ab initio ſemper fuiſſe, probat authoritas veterum Scriptorum Græcorum, qui etiam cùm ritum ordinationum deſcribunt, nullam aliam partialem materiam illarum aſſignant, vel innuunt, ut patet ex eorum teſtimoniis Reſp. 1. relatis.

Dices. Dionyſius lib. de Eccl. hierarc. cap. 3. p. 3. meminit impoſitionis libri Evangeliorum ſuper caput illius qui ordinatur Epiſcopus. ℟. meminiſſe quidem, ſed ut accidentalis cœremoniæ, quæ ad hunc finem adhibetur, ut is qui ad Epiſcopatum promovetur, intelligat, *quod divinus Pontifex omni quidem facultate qua Pontifice digna eſt, præditus eſſe debeat, & omnium ſacrarum interpretationum atque factorum, quæ hierarchiam attingunt, vera, atque à Deo tradita ſcientia non illuſtrari modo, verùm etiam aliis, ut Pontifici conſentaneum eſt, tradere, &c.*

Dices. In ordinatione presbyteri, Epiſcopus conſecrans, ei qui ordinatur, particulam panis conſecrati tradit, dicendo: *Accipe depoſitum hoc, & ſerva illud uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando debet abs te illud repetere.* *Reſp.* 1. hæc verba nullam habere ſignificationem ſacramentalem, adeoque conferre non poſſe ad ordinationem presbyteri. 2. Panem conſecratum non Ordinando, ſed jam Ordinato presbytero tradi ab Epiſcopo ordinante, ut expreſsè dicitur in Euchologio. Itaque per hanc cœremoniam, quæ accidentalis eſt ordinationi presbyteri, presbyter jam ordinatus admonetur, quàm ſeveram officii ſui rationem redditurus ſit Chriſto Judici.

Reſponſio III.

In Occidentali Eccleſia, manus vel manuum impoſitio ſuper caput Ordinandorum non eſt tota materia omnium ordinationum, quæ ſunt verè & propriè ſacramenta.

Probatur hìc breviter. Nam impoſitio illa, eſt tantùm partialis materia ordinationis Epiſcopi, presbyteri, & diaconi; cùm triplicis hujus ordinationis materia ex parte conſiſtat in traditione inſtrumentorum. Sed de his fusè articulo ſequenti. Interea

Obj. Ex dictis hactenùs, materia ordinationum, quæ verè & propriè ſacramenta ſunt, & quarum proinde materiam & formam Chriſtus inſtituit, non eſt omninò eadem in utraque Eccleſia, Orientali ſcilicet & Occidentali. Ergo alterutra peccat contra inſtitutionem Chriſti, & in alterutra ordinationes nullæ ſunt. *Reſp.* neg. conſeq. Nam 1. contra inſtitutionem Chriſti non peccat Orientalis Eccleſia, quæ in ordinationibus ſuis ſequitur praxim Apoſtolorum, qui contra Chriſti inſtitutionem peccaſſe dici non poſſunt, & tamen ſolam manuum impoſitionem adhibuerunt pro materia ordinationum. 2. Contra inſtitutionem Chriſti non peccat Occidentalis Eccleſia: cùm enim ſit vera Chriſti Eccleſia, eam in re tanti momenti errare non poſſe, ſatis probant promiſſiones à Chriſto factæ.

Utriuſque igitur Eccleſiæ praxim inſtitutioni Chriſti planè conformem eſſe, pro certo ſtatuendum eſt. Quare dicendum nobis videtur, Chriſtum pro materia ordinationum, quas ipſe inſtituit, manuum impoſitionem ſuper caput ordinandorum ſic deſignaſſe, ut in poteſtate & arbitrio Eccleſiæ reliquerit, vel eam ſolam adhibere, cum verborum formula ipſam ad ſignificationem & efficientiam ſacramentalem ſufficienter determinante, quod facit Orientalis Eccleſia; vel ei, ut compartem adjungere actionem aliam, magis expreſſivam, qua compleretur in ratione ſigni expreſſioris, & quæ ſic cum ea conflaret unam totalem materiam eſſentialem, expreſſiùs ſignificativam.

Hoc ſecundum facit Eccleſia Latina, impoſitioni manuum ſuper caput Ordinandi, ſeu impoſitioni manuum, qua caput Ordinandi præcisè tangitur, inſtrumentorum traditionem adjungendo. Hinc in Eccleſia Latina, ordinatio diaconi habet pro materia integra eſſentiali complexum ex impoſitione manus dextræ, & traditione libri Evangeliorum. Ordinatio presbyteri, quantùm ad eam ſui partem, qua poteſtas offerendi ſacrificium confertur, habet pro materia integra eſſentiali primam manuum impoſitionem ſuper caput Ordinandi, cum traditione calicis & patenæ, &c. Sed de his fuſiùs art. ſeq.

ARTICULUS II.

Quanam ſit in Eccleſia Latina materia & forma Ordinationum, quæ ſunt verè & propriè Sacramenta.

§. I.

De materia & forma Ordinationis Diaconi.

Raſponſſo I.

HÆc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, ad robur, &c.* ſunt forma ordinationis diaconi, ſed partialis tantùm.

1. Sunt forma; cùm habeant ſignificationem & efficaciam ſacramentalem: ſignificant enim collationem gratiæ, ut per ſe clarum eſt, & vim habent eam conferendi; alioquin Epiſcopi ordinando fruſtra dicunt, Accipe Spiritum ſanctum; quod eſt hæreticum. 2. Sunt forma partialis tantùm, quia per ſe præcisè habent tantùm indeterminatam ſignificationem & efficaciam ſacramentalem. Ad formam autem totalem requiritur ſignificatio & efficacia ſacramentalis determinata, ſine qua nihil effici poteſt, ac proinde ſine qua non poteſt eſſe ſacramentum.

Reſponſio II.

Hæc verba, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium, &c.* ſunt etiam forma partialis ordinationis diaconi.

1. Non ſunt forma totalis, ut patet ex dictis reſp. 1. 2. Sunt forma partialis: nam priorum, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* ſignificationem, adeoque & efficaciam ſacramentalem complent ac determinant: priora enim cum eis mutualiter conjuncta, determinatè ſignificant gratiam & characterem diaconatus. Unde hæc verba, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium, &c.* cum prioribus, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* coaleſcunt in unam formam totalem, ſine qua non poteſt eſſe ordinatio diaconi; cùm non poſſit eſſe ſine forma, determinatè gratiam & characterem diaconatus ſignificante.

Re-

Responsio III.

Impoſitio manus dextræ ſuper caput Ordinandi eſt materia ordinationis diaconi, ſed partialis tantùm.

1. Eſt materia, ut patet ex dictis art. 3. Reſp. 1. 2. Eſt materia partialis tantùm, quia, ut modò videbitur, compartem habet, à qua completur & perficitur in ratione ſigni diſtinctioris.

Responsio IV.

Traditio libri Evangeliorum eſt etiam partialis materia ordinationis diaconi, compartem ſuam, nempe impoſitionem manus priùs factam, complens in eſſe ſigni expreſſiùs ſignificantis.

1. Non eſt materia totalis, ut patet ex Reſp. 3. 2. Eſt materia, ut docet Conc. Flor. in decreto Eugenii §. *Sextum*. Præterea, manifeſtè adhibetur ad hoc, ut cum verbis ſibi correſpondentibus ſignificet, ac proinde efficiat gratiam & characterem Ordinis qui confertur. 3. Igitur eſt materia partialis. 4. Complet compartem ſuam, &c. Nam impoſitio manus, quæ ſecundùm ſe eſt ſignum valdè confuſum & generale, moraliter conjuncta cum traditione libri Evangeliorum, expreſſiùs & diſtinctiùs ſignificat, ut per ſe manifeſtum eſt: unde cum illa unam totalem materiam expreſſiorem & diſtinctiorem conſtituit.

Corollarium I.

Forma itaque totalis & integra ordinationis diaconi, non eſt ſimplex, ſed compoſita ex duabus formis partialibus, quæ moraliter uniuntur inter ſe, & continuantur per intermedias actiones, quibuſcum unam moraliter actionem totalem conſtituunt; ſicque moraliter unitæ inter ſe & continuatæ, indiviſibiliter ſignificant gratiam & characterem Ordinis qui confertur.

Patet ex dictis Reſp. 1. & 2. Ex his autem formis partialibus, neutra ſine altera ſufficere poteſt. Non prima, quia ſine ſecunda non habet completam & determinatam ſignificationem ſacramentalem. Non ſecunda; alioquin prima eſt forma merè accidentaria, adeoque non habet ſignificationem & efficaciam ſacramentalem, quod eſt contrarium definitioni Tridentinæ Synodi.

Corollarium II.

Materia totalis & integra ordinationis diaconi non eſt ſimplex, ſed compoſita ex duabus partialibus, modo ſuperiùs explicato unitis inter ſe, & continuatis moraliter, quibus indiviſibiliter competit ſacramentalis ſignificatio, ad ordinationem diaconi requiſita; nam ſecunda ſine prima non poteſt eſſe materia ordinationis, quæ ſacramentum eſt, adeoque ſine prima incapax eſt ſignificationis ſacramentalis: prima verò ſine ſecunda & verbis ei correſpondentibus non habet ſignificationem determinatam & propriam ordinationis diaconi: unde neutra ſine altera poteſt ſufficere.

Corollarium III.

Ex dictis hactenùs, ordinatio diaconi non eſt ſimplex ordinatio, ſed compoſita ex duabus ordinationibus partialibus, quarum utraque ſua materia & forma partiali conſtat; non quidem phyſicè, ſed, quod ſufficit, moraliter inter ſe unitis per intermedias actiones, quibuſcum propter continuitatem quam cum illis habent, unum totum morale, ſeu unam moraliter actionem totalem conſtituunt; & ſimul ac indiviſibiliter ſignificantibus, ac proinde ſimul ac indiviſibiliter operantibus gratiam & characterem diaconatus, ad hujus utriuſque effectus productionem Deum movendo, eo inſtanti quo ſecunda partialis ordinatio exiſtit ſecundùm ultimam ſui partem: eo enim inſtanti tota diaconi ordinatio exiſtit, eo ſcilicet modo, quo res ſucceſſiva poteſt tota exiſtere.

§. II.

De materia & forma Ordinationis Presbyteri.

NOta. In Orientali Eccleſia presbyteratus integrè confertur per unicam & ſimplicem ordinationem, ut patet ex Euchologio: in Eccleſia verò Latina, ut patet ex Pontificali, duabus confertur ordinationibus, quæ ſic partiales ſunt relatè ad ipſum adæquatè ſumptum, hoc eſt, ſumptum tam ſecundùm poteſtatem offerendi ſacrificium, quàm ſecundùm poteſtatem abſolvendi à peccatis, ut utraque, ordinatio ſcilicet, ſeorſim & independenter ab alia, ſignificationem, adeoque & efficaciam ſacramentalem completam habeat. Unde prima ordinatio poteſtatem offerendi ſacrificium confert independenter à ſecunda ordinatione, & viciſſim ſecunda ordinatio independenter à prima ordinatione confert poteſtatem abſolvendi à peccatis.

Quòd prima ordinatio independenter à ſecunda poteſtatem offerendi ſacrificium conferat, docet Pontificale, in quo ante ſecundam ordinationem, & ſtatim poſt primam, dicuntur non ſemel ordinati ſacerdotes, & jubentur verba conſecrationis eodem momento dicere, quo dicuntur per Pontificem, quia ſcilicet cum eo conſecrant. At ſi prima ordinatio operatur ſeorſim à ſecunda, ſecunda viciſſim operari debet ſeorſim à prima, ſivè hæc jure divino; ſive humano tantùm præſupponatur alteri. Ratio eſt, quia ſecunda ordinatio tam habet completam & determinatam ſignificationem ſacramentalem independenter à prima, quàm prima independenter à ſecunda.

Itaque ordinatio presbyteri in Eccleſia Latina duplici ſacramento perficitur, quorum primum ſignificat & efficit gratiam, & characterem presbyteri ut ſacerdotis; ſecundum verò ſignificat & efficit gratiam & characterem presbyteri ut judicis in foro interno. Unde integer presbyteratus character non eſt ſimplex, ſed compoſitus ex duobus partialibus heterogeneis. Hæc autem duo ſacramenta in unum totale moraliter coaleſcunt, quatenùs ſimul concurrunt ad conferendum unum Ordinem totalem presbyteratus. His prænotatis, ſit

Responsio I.

Hæc verba, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, &c.* ſunt forma primæ ordinationis presbyteri.

Prob. Nam hæc verba proferuntur ex intentione conferendi gratiam & characterem ſacerdotis, & ad utriuſque collationem ſignificandam, adeoque operandam vim ſufficientiſſimam habent, ſecluſa qualibet alia verborum formula. Præterea, antequam proferantur hæc verba, *Accipe poteſtatem, &c.* in Pontificali ſacerdotes dicuntur Ordinandi; proximè verò poſt eorum prolationem, Ordinati dicuntur. Ergo, &c.

Responsio II.

Prima manuum impoſitio, qua caput Ordinandi tangit Epiſcopus nihil dicendo, eſt materia, ſed partialis tantùm, primæ ordinationis presbyteri.

1. Eſt materia: nam ut conſtat ex Art. 1. Reſp. 1. omnis ordinationis, quæ ſacramentum eſt, impoſitio manuum ſuper caput Ordinandi eſt eſſentialis materia, ſaltem partialis. Præterea, de hac prima manuum impoſitione proculdubio loquitur Concilium Carthag. IV. can. 3. ubi, non accidentariam, ſed eſſentialem presbyteratus materiam aſſignat. 2. Eſt materia partialis tantùm: nam compartem habet, quacum moraliter conjuncta, coaleſcit in unam totalem materiam expreſſiùs ſignificativam gratiæ & characteris ſacerdotalis, ut patebit ex dicendis Reſponſione ſequenti.

Responsio III.

Traditio inſtrumentorum, hoc eſt, calicis cum vino & aqua, & patenæ cum hoſtia, eſt etiam partialis materia primæ ordinationis presbyteri.

1. Eſt materia: hoc enim expreſsè dicit Flor. in decreto §. *Sextum*. Præterea, hæc inſtrumentorum traditio manifeſtè adhibetur ad hoc, ut cum verbis quibus ſubjacet, ſacramentaliter ſignificet collationem poteſtatis offerendi ſacrificium, vel, ſi vis, collationem gratiæ & characteris ſacerdotalis, adeoque pars eſt ſacramenti. 2. Non eſt materia totalis, ut patet ex Reſp. 2. 3. Igitur ſupereſt, ut ſit materia partialis, quæ ſcilicet compartem, nempe primam manuum impoſitionem ſuper caput Ordinandi, ſibi moraliter unitam, complet in eſſe ſymboli diſtinctioris & expreſſioris.

Corollarium.

Materia igitur integra primæ ordinationis presbyteri non eſt ſimplex, ſed compoſita ex duabus partialibus, per moralem ſui conjunctionem coaleſcentibus in unam totalem. Quare materia integra primæ ordinationis presbyteri non eſt ſimpliciter impoſitio manuum ſuper caput Ordinandi facta ab Epiſcopo, ſed eſt impoſitio manuum, &c. modificata ab inſtrumentorum traditione, tanquam complemento ipſam in eſſe ſymboli perfectiùs ſignificantis conſtituente.

Responsio IV.

Secundæ ordinationis presbyteri forma ſunt hæc verba: *Accipe Spiritum ſanctum: Quorum remiſeris, &c.* materia verò, impoſitio manuum ſuper caput Ordinandi facta ab Epiſcopo, dum verba hæc profert.

Prob. 1. pars. Quia hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, per ſubſequentia determinantur ad ſignificandum gratiam & characterem presbyteri ut judicis, adeoque ex parte formæ ad utrumque cauſandum ſufficiunt. Ergo re ipſa ſunt forma & quidem integra hujus ſecundæ ordinationis presbyteri.

Prob. 2. pars. Nam illa manuum impoſitio, cum verbis quæ proferuntur, unum ſymbolum externum conſtituit gratiæ & characteris presbyteri ut judicis.

§. III.

De forma Ordinationis Epiſcopi.

Responsio I.

HÆc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, quæ dicuntur ab Epiſcopo conſecratore, & aſſiſtentibus Epiſcopis, ut dicta ab Epiſcopo conſecratore, ſunt forma, ſed partialis tantùm, ordinationis Epiſcopi.

1. Sunt forma: nam habent ſignificationem & efficaciam ſacramentalem, ut docet Tridentinum. 2. Sunt forma partialis tantùm: nam ſolitariè ſumpta, non habent ſignificationem & efficaciam ſacramentalem completam & determinatam: non enim magis ſignificant gratiam & characterem Epiſcopatus, quàm gratiam & characterem presbyteratus, aut diaconatus.

Dixi porrò, ut dicta ab Epiſcopo conſecratore: nam ut dicta ab aſſiſtentibus Epiſcopis, ſunt cæremonia purè accidentaria, ut colligitur ex praxi Orientalis Eccleſiæ, in qua ſolus Epiſcopus conſecrator manum imponit ſuper caput Ordinandi, cùm profert formam ordinationis, qua prolata ordinatus eſt Epiſcopus, & cætera quæ ſequuntur, ſunt cæremoniæ purè accidentariæ.

Responsio II.

Hæc verba, *Ungatur & conſecretur caput tuum, &c.* quæ profert Epiſcopus conſecrator, dum chriſmate inungit caput Ordinandi, ſunt etiam forma partialis ordinationis Epiſcopi.

Prob. Nam hæc verba adhibentur ad ſignificandam gratiam propriam Epiſcopatus; & ad eam ſignificandam priora, *Accipe Spiritum ſanctum*, determinant: nam hæ voces, *Ungatur & conſecretur*, ſumuntur imperativè; & cùm Epiſcopus conſecrator dicit, *Ungatur, & conſecretur, &c.* perinde eſt ac ſi diceret: Accipe gratiam ad epiſcopalia munia dignè obeunda idoneam.

Hæc igitur verba, *Ungatur & conſecretur, &c.* cum prioribus, *Accipe Spiritum ſanctum*, moraliter conjuncta, conſtituunt unam moraliter formam, completè & determinatè ſignificantem gratiam Epiſcopatus propriam. Nondùm tamen infunditur hæc gratia; quia gratia ſacramentalis non priùs infunditur, quàm imprimatur character; ſed è contra character ſaltem ratione priùs imprimitur, quàm infundatur gratia ſacramentalis: non enim poteſtas Ordinis, ſed character propter gratiam ſacramentalem, ſed gratia ſacramentalis propter poteſtatem Ordinis ſeu characterem datur. Atqui prolatis his verbis, *Ungatur & conſecretur, &c.* nondùm imprimitur character, defectu ſufficientis ſignificationis. Nondùm igitur infunditur gratia ſacramentalis, quamvis ſit ſufficienter ſignificata.

Responsio III.

Verba quæ proferuntur ab Epiſcopo conſecratore, dum tradit inſtrumenta, hoc eſt, baculum, annulum, & librum Evangeliorum, ſunt etiam forma partialis ordinationis Epiſcopi.

Prob. 1. Ex Flor. in decreto §. *Sextum*, ubi poſtquam pro forma ſacerdotii aſſignavit verba quæ profert Epiſcopus, dum tradit inſtrumenta, calicem ſcilicet & patenam, ſic proſequitur: *Et ſic de aliorum Ordinum* (hoc eſt, aliarum ordinationum) *formis, prout in Pontificali Romano latè continetur*; quibus verbis apertè ſignificat; omnium pariter aliarum ordinationum formam, ſaltem ex parte conſiſtere in verbis illis quæ profert Epiſcopus, quando inſtrumenta ad gradum qui per ordinationem confertur, pertinentia tradit. Ergo ex Flor. ordinationis Epiſcopi forma ex parte conſiſtit in verbis quæ profert Epiſcopus conſecrator, quando porrigit res ad miniſterium Epiſcopale pertinentes, nempe baculum, annulum, & librum Evangeliorum.

Præterea, ſicut propter authoritatem Concilii Florentini, negari non poteſt, ordinationum materiam ſaltem ex parte in inſtrumentorum traditione conſiſtere: ita neque, propter eandem authoritatem, negari poteſt, formam ordinationum ſaltem ex parte conſiſtere in verbis illis, quæ ab Epiſcopo ordinante proferuntur in ipſa traditione inſtrumentorum: manifeſtum enim eſt, tam ſecundum aſſeri à Concilio, quàm primum.

Nec juvat dicere, Florentinum loqui tantùm de ritu accidentario ordinationum: hoc enim textui manifeſtè contrarium eſt: nam qui ſimpliciter dicit, presbyteratum v.g. conferri per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; item qui ſimpliciter dicit, formam ſacerdotii talem eſſe: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, &c.* proculdubio non de accidentario, ſed de eſſentiali ritu loquitur.

Prob. 2. Nam verba illa, quæ proferuntur ab Epiſcopo conſecratore, dum, &c. manifeſtè adhibentur ad ſignificanda munia Epiſcopi propria, adeoque ad ſignificandum characterem proprium Epiſcopatus, quem characterem neutra ex præcedentibus formulis ſignificat. Ergo verba illa, quæ proferuntur, &c. adhibentur ad complendas præcedentes formulas in eſſe formæ ſignificantis non ſolùm gratiam ſacramentalem, ſed etiam characterem Epiſcopatus proprium, adeoque in eſſe formæ ad ordinationem Epiſcopalem ſufficientis. Ergo, &c.

COROLLARIUM. Forma igitur integra ordinationis Epiſcopi non eſt ſimplex, ſed compoſita ex pluribus partialibus, ex quibus per moralem illarum inter ſe conjunctionem reſultat una totalis, gratiam & characterem proprium Epiſcopatus ſignificans, proindeque completam & determinatam habens ſignificationem & efficaciam ſacramentalem.

§. IV.

De materia ordinationis Epiſcopi.

Responsio I.

IMpoſitio manuum, qua caput Ordinandi tangit Epiſcopus conſecrator, ſimul cum eo tangentibus

bus

bus Epiſcopis aſſiſtentibus, eſt materia, ſed partialis tantùm ordinationis Epiſcopi.

1. Eſt materia, ut conſtat ex dictis art. 1. Reſp. 1. 2. Eſt materia partialis tantùm: nam comparтes habet, quibus completur in eſſe ſymboli expreſſiùs ſignificantis gratiam & characterem Epiſcopatus. Et verò ſecundùm ſe eſt ſignum valdè confuſum & generale; nec dici poteſt, quòd per verba quibus ſubeſt, determinetur, ad ſufficienter ſignificandum gratiam & characterem, quæ Epiſcopatus propria ſunt; cùm verba illa ſolitariè ſumpta ut jam obſervatum eſt, non niſi indeterminatam habeant ſignificationem ſacramentalem.

Responsio II.

Altera manuum impoſitio, qua Epiſcopus conſecrator verticem capitis Ordinandi inungit chriſmate, eſt etiam partialis materia ordinationis Epiſcopi.

Prob. Nam hæc unctio cum verbis ſibi correſpondentibus adhibetur ad determinatè ſignificandam gratiam ſacramentalem Epiſcopatus propriam, & cum prima manuum impoſitione per moralem ſui cum illa unionem conſtituit unum ſymbolum diſtinctiùs & expreſſius gratiæ ſacramentalis propriæ Epiſcopatus. Ergo, &c.

Responsio III.

Traditio inſtrumentorum, baculi ſcilicet, annuli, & libri Evangeliorum, eſt etiam materia partialis ordinationis Epiſcopi.

Prob. Nam clarum eſt, hanc traditionem adhiberi ad ſignificandum characterem Epiſcopatus proprium, adeoque in ea partialiter conſiſtere ſignificationem & efficaciam ſacramentalem ordinationis Epiſcopi, atque primam manuum impoſitionem per eam compleri in eſſe ſymboli characterem Epiſcopatus proprium ſignificantis, ſicut per unctionem verticis completur in eſſe ſymboli ſignificantis gratiam ſacramentalem propriam Epiſcopatus. Ergo, &c.

COROLLARIUM. Itaque materia integra ordinationis Epiſcopi non eſt ſimplex, ſed compoſita ex pluribus partialibus per moralem quam habent inter ſe conjunctionem, coaleſcentibus in unam totalem, omnes ordinationibus Epiſcopi ſacramentales effectus expreſſius ſignificantem, quàm per ſolam primam manuum impoſitionem ſuper caput Ordinandi ſignificaretur.

COROLLARIUM. Igitur ordinatio Epiſcopi non eſt ſimplex, ſed compoſita ex pluribus partialibus, concurrentibus in unam totalem, omnes effectus ſuos ſacramentales operantem eodem inſtanti, eo ſcilicet quo exiſtit ſecundum ultimam ſui partem: tunc enim primùm ſimpliciter exiſtit, eo ſcilicet modo, quo res ſucceſſiva poteſt ſimpliciter exiſtere.

Responsio IV.

Unctio manuum, impoſitio mitræ, & traditio chyrothecarum, cum verbis correſpondentibus, ſunt cæremoniæ accidentariæ tantùm.

Prob. Nam 1. unctio manuum non habet ſignificationem ſacramentalem, nec videtur magis eſſe eſſentialis in ordinatione Epiſcopi, quàm in ordinatione presbyteri, in qua tamen certum eſt, eam eſſe ritum purè accidentarium. 2. Impoſitio mitræ, & chyrothecarum traditio, non fiunt, niſi poſtquam Conſecratus ab Epiſcopo conſecratore & aſſiſtentibus Epiſcopis, admiſſus eſt ad oſculum pacis, ac proinde niſi poſtquam quoad omnia eſſentialia, perfecta eſt ordinatio.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

OBj. 1. Traditio inſtrumentorum non eſt eſſentialis materia etiam partialis ordinationum ſacramentalium, ſed illarum materia eſſentialis tota conſiſtit in impoſitione manuum. *R.* neg. *Probabis.* Nam 1. Apoſtoli ſolam manuum impoſitionem adhibuerunt pro materia ordinationum. 2. Pro materia ordinationum ſolam manuum impoſitionem adhibuit Orientalis Eccleſia. 3. Prioribus ſaltem ſæculis Eccleſia Latina non aliam adhibuit materiam in ordinationibus de quibus agitur, ut colligitur ex Concilio Carthag. IV. can. 2. 3. & 4. ubi pro materia Epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus, ſolam manus vel manuum impoſitionem aſſignat.

Reſp. Ex his omnibus nihil aliud ſequi, quàm quòd manus vel manuum impoſitio poſſit eſſe materia ſufficiens, imò & ſit materia à Chriſto inſtituta, adeoque eſſentialis ordinationum ſacramentalium, quocum ſtare poteſt, quòd non ſit eſſentialiter & ex inſtitutione Chriſti tota ordinationum illarum materia. Præterea, propter authoritatem Concilii Carthag. IV. facilè concedimus, ante quintum ſæculum, non ſolùm in Orientali, ſed etiam in Occidentali Eccleſia manus vel manuum impoſitionem adæquatam fuiſſe materiam ordinationum ſacramentalium: cùm enim dicit can. 5. ſubdiaconum, quia manuum impoſitionem non accipit, ordinari per inſtrumentorum traditionem, manifeſtè innuit, Epiſcopum, presbyterum, & diaconum, quia manus impoſitionem accipiunt, tunc temporis per traditionem inſtrumentorum ordinatos non fuiſſe.

At inquies. Si manus vel manuum impoſitio prioribus ſæculis fuit tota materia ordinationum ſacramentalium, nunc etiam eſſe debet; nam ſubſtantia ſacramentorum invariabilis eſt, ſicut & inſtitutio Chriſti. Ergo, &c. *R.* neg. ſeq. ant. *Ad prob. R.* ordinationum quidem ſacramentalium ſubſtantiam, qualem Chriſtus inſtituit, mutari non poſſe. At ſubſtantia ordinationum ſacramentalium, qualem Chriſtus inſtituit, ex parte materiæ conſtituta eſt in manus vel manuum impoſitione, quæ per aliam actionem externam expreſſiorem, cum ea phyſicè vel moraliter conjunctam, authoritate legitima, ſeu authoritate Eccleſiæ explicari poſſet, vel non explicari. Unde Eccleſia potuit pro arbitrio in ordinationibus ſacramentalibus pro materia aliquando adhibere manuum impoſitionem ſolam, adeoque non explicatam per aliam actionem expreſſiorem, & poſtea cùm expedire judicavit, adhibere manuum impoſitionem non ſolam, ſed cum alia actione expreſſiore, ipſam explicante, ſeu complente in eſſe ſigni expreſſioris; potuit, inquam, ſervata tota ſubſtantia ordinationum ſacramentalium, qualem Chriſtus inſtituit.

Confirmatur & illuſtratur exemplo in ſententia conſtituente ſacramentum Matrimonii in contractu matrimoniali. Nam in locis, in quibus promulgatum eſt Tridentini decretum de reformatione matrimonii, contractus clandeſtinus olim fuit materia ſacramenti matrimonii, nunc verò non eſt, & tamen ſubſtantia hujus ſacramenti mutata non eſt, ſed talis eſt eſſentialiter, qualem Chriſtus inſtituit. Ratio eſt, quia ſubſtantiam ſacramenti matrimonii Chriſtus conſtituit in contractu matrimoniali, cui formalitates aliquæ, quas jus naturale non exigit, & ſine quibus tamen nullus eſſet, per legitimam authoritatem apponi poſſent, vel non apponi. Unde ſalva tota ſubſtantia ſacramenti Matrimonii, eaque quoad eſſentialia omnia manente, qualis à Chriſto inſtituta eſt, Eccleſia potuit apponere, & appoſuit contractui matrimoniali certas formalitates, ſine quibus antea fuit, nunc non eſt ampliùs materia hujus ſacramenti.

Igitur qui dicit: Manuum impoſitio ſola fuit aliquando tota materia ordinationum ſacramentalium: ergo etiam nunc eſſe debet; vel: Manuum impoſitio ſine conſortio alterius actionis expreſſioris ipſam explicantis, fuit materia ſufficiens ordinationum ſacramentalium: ergo etiam nunc eſſe debet; tam malè argumentatur, quàm malè argumentaretur, qui diceret: Contractus clandeſtinus fuit aliquando materia ſacramenti Matrimonii: Ergo etiam nunc debet eſſe; vel: Contractus matrimonialis ſine formalitatibus quas appoſuit Tridentinum, fuit per mille &

cum

Digitized by Google

quingentos annos materia ſacramenti Matrimonii: Ergo etiam nunc debet eſſe.

At inquies. Chriſtus omnium ſacramentorum materiam inſtituit in ſpecie infima. *R.* hoc eſſe falſum. Itaque Chriſtus aliquorum ſacramentorum materiam inſtituit in ſpecie infima, ut Baptiſmi, & Confirmationis; aliquorum verò inſtituit in ſpecie ſubalterna tantùm, ut ſacramenti Matrimonii: nam Chriſtus pro materia hujus ſacramenti non inſtituit hunc ſpecie contractum matrimonialem, ſed præcisè contractum matrimonialem validum. Contractus autem matrimonialis validus ut ſic, non eſt ſpecies infima; cùm contrahi poſſit per inferiores differentias ad ſpecies inferiores, putà ad contractum clandeſtinum, & contractum ſolemnitate à Tridentino requiſita inſtructum.

Similiter Chriſtus ordinationum ſacramentalium materiam determinavit non in ſpecie infima, ſed ſubalterna, pro materia ordinationum illarum inſtituendo, ut ex praxi Eccleſiæ collgimus, non impoſitionem manuum ſimpliciter, ſed impoſitionem manuum, quam poſſet Eccleſia, cùm vellet, explicare per aliam unam vel multiplicem actionem externam expreſſiorem, & ſic ex utraque unicum moraliter conflaret ſymbolum expreſſiùs ſignificans. Hoc autem faciendo, Chriſtus ordinationum materiam ſacramentalium inſtituit, quæ dividi poſſet in ſpecies inferiores: nam impoſitio manuum per aliam actionem expreſſiorem explicata conſtituit cum ea unum moraliter ſymbolum, notabiliter, adeòque ſpecificè diverſum à ſola manuum impoſitione.

At inquies. Ergo ſacramentum Ordinis non eſt idem in utraque Eccleſia, Orientali & Occidentali: nam Orientalis ſolam manus impoſitionem adhibet, & ſecundùm nos, Occidentalis adhibet manus impoſitionem, explicatam per aliam actionem expreſſiorem, unam vel multiplicem. *R.* neg. inſt. Nam diverſitas etiam ſpecifica materiæ non impedit identitatem ſacramenti, quando cum hac diverſitate manet eadem ſignificatio & efficientia ſacramentalis. Manuum autem impoſitio, per aliam actionem expreſſiorem explicata, non aliud ſignificat & efficit in Occidentali Eccleſia, quàm quod non ſic explicata ſignificat & efficit in Orientali Eccleſia; ſed utraque eundem characterem cum eadem gratia ſacramentali ſignificat & efficit.

Veritas hujus reſponſionis illuſtrari poteſt exemplo contractus clandeſtini, & contractus ſolemnitatem à Tridentino requiſitam habentis, quorum ſpecifica diverſitas ſacramenti diverſitatem non inducit, quia non inducit diverſitatem ſignificationis & efficientiæ ſacramentalis. Unde poſt Tridentinum, idem eſt ſacramentum Matrimonii, quod fuit antea; quamvis poſt Tridentinum, in locis in quibus decretum ejus receptum eſt, non eandem quam antea materiam ſacramentum hoc admittat, ſed ſpecificè diverſam eſſentialiter exigat.

Dices. Inſtrumentorum traditio non fuit uſitata in Eccleſia Latina ante ſæculum undecimum. Ergo non eſt eſſentialis materia etiam partialis tantùm ordinationum ſacramentalium. *R.* neg. conſeq. Nam dato quòd Eccleſia Latina totis decem prioribus ſæculis pro materia ordinationum ſacramentalium adhibuerit ſolam manus vel manuum impoſitionem ſuper caput Ordinandi, nihilominùs potuit undecimo ſæculo, aut alio quolibet ex ſubſequentibus, pro poteſtate ſibi per Chriſti inſtitutionem tradita, actioni illi actionem aliam expreſſiorem addere, & ex utraque unam totalem materiam expreſſiùs ſignificativam conflare, ita neceſſariam ad validam ordinationem, ut ea etiam ex parte tantùm omiſſa, nihil fieret.

At inquies mihi. Unde habes, talem poteſtatem à Chriſto datam eſſe Eccleſiæ? Hoc enim neque ex Scriptura, neque ex Patribus probari poteſt. *Reſp.* quòd talis poteſtas à Chriſto conceſſa fuerit Eccleſiæ, ſufficienter colligi ex Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Sextum*, ubi pro materia ſacramenti Ordinis, non accidentaria, ut aliqui perperam, & ipſo textu reclamante interpretantur, ſed eſſentiali, aſſignatur porrectio inſtrumentorum. Et ex Pontificali Romano, in quo porrectio inſtrumentorum manifeſtè videtur adhiberi ad ſignificandos & cauſandos effectus ſacramentales ordinationum, adeòque adhiberi pro materia eſſentiali ordinationum ſacramentalium.

Ad id quod additur in inſtantia, *R.* non omnia, etiam inter ea quæ de fide ſunt, probari poſſe ex Scriptura, ut agnoſcunt catholici omnes: traditionis verò non ſolum Patres eſſe teſtes idoneos, ſed etiam Concilia cum ſummis Pontificibus, & praxim Eccleſiæ, quæ circa ſacramentorum eſſentiam & adminiſtrationem errare non poteſt. Talem igitur poteſtatem à Chriſto datam eſſe Eccleſiæ, ſufficienter habemus ex traditione, quam Concilii ac Summi Pontificis authoritas, & praxis Eccleſiæ videntur nobis ſufficienter probare.

Porrò ſuperiùs à nobis dictum eſt, dato quòd Eccleſia Latina totis decem prioribus ſæculis, &c. hoc enim falſum eſſe patet ex Ordioe Romano. Nam 1. in ordinatione presbyterorum hæc leguntur: *Hoc facto* (hoc eſt, ambabus manibus ordinandorum conſecratis) *accipiat* (Pontifex) *patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det eis* (Ordinandis) *dicens: Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini*. Octavo igitur ſæculo in preſbyterorum ordinatione inſtrumentorum porrectionem cum verborum formula, poteſtatis quæ conferebatur ſignificativa, adhibebat Eccleſia Romana; imò verò jam antiquitùs adhibuerat: nam Ordo Romanus non novos præſcribit ritus, ſed longo jam uſu in Eccleſia Romana receptos deſcribit.

At inquies. S. Gregorii liber ſacram. verba citata, *Hoc facto, &c.* non habet in ordinatione presbyterorum. *R.* Ibi quidem non habet, at habet in ordinatione Epiſcoporum, ubi hæc leguntur: *Epiſcopus cùm ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant. Hoc facto, accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei dicens: Accipe poteſtatem, &c.* ut ſupra.

Atqui hæc verba, *Hoc facto, &c.* non ad Epiſcoporum, ſed ad presbyterorum ordinationem pertinere, & à nugaci aliquo interpolatore tranſlata eſſe fatendum eſt; vel dicendum, tunc temporis eum, qui ad Epiſcopatum promovendus erat, Epiſcopum priùs ordinatum fuiſſe, quàm ordinaretur presbyter, quod eſt abſurdum: cùm enim hìc dicitur, *Hoc facto, &c.* ſenſus eſt: Poſt Electi conſecrationem, Epiſcopus conſecrator accipiat, &c. Præterea, cùm Electus jam eſſet presbyter, antequam conſecraretur Epiſcopus, ad quem finem Epiſcopus conſecrator, ſive ante, ſive poſt conſecrationem, ei patenam cum hoſtia, & calicem cum vino porrexiſſet, & dixiſſet: Accipe poteſtatem offerre ſacrificium? Confirmatur ex Ordine Romano, qui ferè exſcribit librum ſacramentorum, & verba citata, *Hoc facto, &c.* habet in ordinatione presbyterorum. Igitur Gregorii Magni tempore, inſtrumentorum porrectio adhibita fuit in ordinatione presbyterorum, ut cæremonia, non de novo inſtituta ab ipſo Gregorio, ſed longo jam uſu recepta in Eccleſia Romana.

2. In Epiſcoporum ordinatione ſic habet Ordo Romanus: *Quando datur annulus: Accipe annulum diſcretionis & honoris, fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt, ſignes: ut quæ aperienda ſunt, prodas, quæ liganda ſunt, liges: quæ ſolvenda ſunt, ſolvas, &c.* Et inferiùs: *Quando datur baculus, dicitur: Accipe baculum paſtoralis officii, poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ut, &c. vel, Accipe baculum ſacri regiminis ſignum, ut, &c. Tunc det oſculum Pontifici, &c.* Porrò, quod prætermittendum non eſt, ante horum inſtrumentorum porrectionem, refert idem Ordo impoſitionem libri Evangeliorum ſuper ſcapulas ordinandi,

nandi,

nandi, & unctionem verticis ac manuum, cum ea verborum formula, quam legimus in Pontificali Romano.

Eamdem libri Evangeliorum impoſitionem habet liber ſacramentorum, cum eorumdem inſtrumentorum porrectione ſub eadem verborum formula; adde, & unctionem capitis. Ex quibus colligimus, non ſolùm octavo, ſed etiam jam antea ſexto ſæculo eo modò ordinatos fuiſſe Epiſcopos, quo nunc ordinantur. Quare cùm poſt Apoſtolorum tempora ad Gregorium uſque non inveniamus ab aliquo Concilio vel Summo Pontifice ritum illum inſtitutum fuiſſe, non poſſumus reprehendere eum, qui dixerit, Eccleſiam Romanam ab initio in presbyterorum & Epiſcoporum ordinatione inſtrumentorum porrectionem adhibuiſſe cum certa verborum formula, characterem ſeu poteſtatem Ordinis qui conferebatur, ſignificante.

Ad id autem, quod ſupra à nobis illatum eſt ex can. 5. Concilii Carth. IV. facilè reſpondere poterit hunc canonem relativum tantùm eſſe ad 4. adeoque ex eo ſolùm argui poſſe, quòd prioribus ſæculis diaconus per ſolam manus impoſitionem, abſque ullius inſtrumenti porrectione ordinatus fuerit; ſed poſt octavum ſæculum impoſitioni manus, libri Evangeliorum traditionem additam eſſe ab Eccleſia, quæ quid poſſet in ordinatione diaconi; probè intellexit ex eo quod ſemper factum fuerat in ordinatione presbyteri & Epiſcopi.

Obj. 2. In ordinatione presbyteri, prima manuum impoſitio eſt cæremonia purè accidentaria. Nam 1. Epiſcopus nil dicit tangendo caput Ordinandi. 2. Non ſolus Epiſcopus manus imponit ſuper caput Ordinandi, ſed idem etiam ſucceſſivè faciunt ſacerdotes omnes, qui adſunt. 3. Hæc manuum impoſitio non eſt conjuncta cum ordinationis forma, quæ ſecundùm nos in his verbis conſiſtit, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, &c.* Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad* 1. *prob. R.* idcircò primam manuum impoſitionem non habere completam & determinatam ſignificationem ſacramentalem; tunc tantùm poni partem eſſentialem ordinationis ſacerdotalis; tunc inchoari, non perfici ordinationem ſacerdotalem; inde denique fieri, ut traditio inſtrumentorum, calicis ſcilicet & patenæ, cum hac prima manuum impoſitione coaleſcere poſſit in unam totalem materiam ſacerdotalis gratiæ & characteris expreſſiùs ſignificativam, quæ cum accedente hac verborum formula, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, &c. ſacerdotalem ordinationem conſtituit.

R. ad 2. Quòd poſt Epiſcopum, ſacerdotes qui adſunt, ſucceſſivè manus imponant ſuper caput Ordinandi, accidentarium eſt ordinationi. At hoc obſtare non poteſt, quominùs ordinationi eſſentialis ſit manuum impoſitio priùs facta ab Epiſcopo. *Ad* 3. *R.* Prima manuum impoſitio non eſt quidem phyſicè conjuncta cum forma ordinationis, ſed eſt conjuncta moraliter, quod ſufficit: nam ad ſacramenti confectionem non requiritur contactus phyſicus materiæ cum forma, ſed ſufficit moralis, ſive immediatus, ſive mediatus tantùm, qualis reperitur inter cæremonias omnes quæ fiunt in qualibet ordinatione: nam cæremoniæ illæ moraliter conſtituunt unam totalem, quia ſine morali interruptione una ſuccedit alteri, & ad unum finem tendunt, nempe ad validam & congruam ordinationem. Cùm ergo ſint unica moraliter actio totalis, eas inter ſe moraliter conjunctas & unitas eſſe manifeſtum eſt.

Dices. In ordinatione presbyteri tres fiunt impoſitiones. Prima eſt, cùm Epiſcopus ponit utramque manum ſuper caput cujuslibet ordinandi; ſecunda, qua manum dexteram extendit ſuper omnes ordinandos ſimul, tertia, qua iterùm utramque manum ponit ſuper caput ſingulorum ordinandorum. Atqui prima impoſitio, idem dic de tertia, accidentaria eſt, & ſola ſecunda eſſentialis ordinationi presbyteri: nam prima, idem dic de tertia, non fuit adhibita in veteri Eccleſia, ſed ſola ſecunda; & cum prima nihil dicit Epiſcopus, cum ſecunda verò benedicit Ordinandum, proferendo ſcilicet orationem, in qua, forma ordinationis presbyteralis conſiſtit.

Ad hanc doctrinam, quæ nova eſt, adeoque ſuſpecta eſſe debet, *R.* ſecundam illam cæremoniam, quam manus impoſitionem vocant aliqui novis opinionibus ſtudentes, non eſſe niſi abuſivè manus impoſitionem. Unde Gregorius IX. cap. *Presbyter*, extra de ſacramentis non iterandis, diſtinguit illam à manus impoſitione propriè dicta; eamque vocat, quod re vera eſt, manus ſuſpenſionem; vel certè, non eſſe eam manus impoſitionem, quam intelligunt Patres & Concilia, cùm dicunt ſacramentales ordinationes fieri per impoſitionem manuum, ut

Probatur. Nam 1. intelligunt impoſitionem, qua caput illius, cui manus imponitur, manu extenſa tangitur, ut patet ex Concilii Carthag. IV. can. 5. quo diaconum per manus impoſitionem ordinari dicitur his verbis: *Diaconus cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat.* At quæſo, quid eſt manum ſuper caput alicujus ponere, niſi caput illius extenſa manu tangere? Præterea, ut legere eſt art. 1. Reſp. 1. veteres Pontifices dicunt, hæreticos, cùm ad Ordinandum manum imponunt, vulnerare capita eorum quos ordinant; qui modus loquendi manifeſtè ſupponit, in ordinatione ſic manum imponi, ut ea extenſa tangatur caput Ordinandi.

2. Patres intelligunt impoſitionem, qua manu extenſa uniuſcujuſque ſingillatim ordinandi caput tangitur, ut patet ex Concilii Carthag. IV. can. 3. quo dicitur: *Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Manus igitur extenſio, vel, ut loquitur Gregorius IX. ſuſpenſio ſuper Ordinandos, communiter facta, non eſt illa manus impoſitio, quam intelligunt Patres & Concilia, cùm dicunt per manus impoſitionem perfici ſacramentum Ordinis, aut, quod idem eſt, ſacramentum Ordinis manus vel manuum impoſitionem vocant.

Confirmatur ex præfati Concilii can. 2. quo dicitur: *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno fundente ſuper eo benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.* Epiſcopus igitur ordinabatur per manuum impoſitionem, qua tangebatur caput Ordinandi: at profectò in ordinatione Epiſcopi non alia fuit manus impoſitio, quàm in ordinatione presbyteri, ſed eadem; cum hoc diſcrimine, quòd in prima ordinatione Epiſcopi, in ſecunda verò ſacerdotes caput Ordinandi cum Epiſcopo benedicente manu impoſita tangerent.

Confirmatur iterùm ex Gregorio IX. cap. *Presbyter* jam citato, in quo ſic ait: *Presbyter & diaconus cùm ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali, ritu ab Apoſtolis introducto, recipiunt.* Unde ſic argumentor. Presbyter & diaconus in veteri Eccleſia ordinabantur per eam manus impoſitionem, quam ordinando adhibuerant Apoſtoli. Atqui Apoſtoli ordinando adhibuerant eam manuum impoſitionem, qua caput Ordinandi tangitur. Ergo, &c.

At inquiunt. Prima impoſitio non fuit in uſu decem prioribus ſæculis. *R.* in veteri Eccleſia primam impoſitionem non fuiſſe quidem in uſu quoad accidentarias aliquas circumſtantias, quibuſcum nunc fit, ut quòd utraque manus imponatur; quòd manus imponendo Epiſcopus nihil dicat; quòd non ſimul cum Epiſcopo, ſed poſt eum ſucceſſivè manus imponant presbyteri, qui adſunt. At ab initio ſemper fuit in uſu quoad id, quod ipſi eſſentiale eſt relatè ad ordinationes ſacramentales: ſemper enim in qualibet ordinatione ſacramentali, Epiſcopus extenſa manu tetigit caput omnium ſingillatim Ordinandorum; vel, ut Gregorii IX. verbis utar, ſemper presbyter & diaconus manus impoſitionem tactu corporali receperunt

ab

ab Epiſcopis, à quibus ordinabantur, quem ordinandi ritum Eccleſiæ tradiderunt Apoſtoli; ut etiam patet in praxi Orientalis Eccleſiæ, in qua Epiſcopus ad ordinandum manum ponit ſuper capt Ordinandi, illudque tangit.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones reliquæ.

OBj. 3. Forma presbyteratus nequidem particulariter conſiſtit in verbis, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, &c. R.* hanc propoſitionem apertè contradicere Concilio Florentino in decreto Eugenii §. *Sextum*. *Probabis tamen*. 1. Forma ſacramenti debet immediatè ſubſequi, vel comitari materiam illius proximam. At materia proxima presbyteratùs eſt extenſio manus dexteræ ſuper Ordinandos, quam verba illa neque ſubſequuntur, neque comitantur immediatè. 2. Verba illa non ſunt in uſu in Orientali Eccleſia, in qua tamen validè ordinantur presbyteri. 3. De verbis illis altum eſt ſilentium in Sacramentariis, Ritualibus, aliiſque monumentis Eccleſiaſticis, apud Latinos ante annum milleſimum exaratis. Ergo nec ſunt, nec poſſunt eſſe etiam partialis forma presbyteratus; cùm ea quæ ſacramentis eſſentialia ſunt, ſemper & ubique eadem eſſe debeant.

Ad 1. *R.* 1. extenſionem manus dexteræ ſuper Ordinandos, eſſe cœremoniam purè accidentariam, ut ſatis ſuperque conſtat ex dictis ad obj. 2. 2. Hæc verba, *Accipe poteſtatem, &c.* immediatè comitari, vel ſaltem ſubſequi inſtrumentorum traditionem, quæ cum prima manuum impoſitione ſibi moraliter conjuncta, conſtituit materiam adæquatam ordinationis presbyteri ut ſacerdotis.

Ad 2. *R.* ex eo quòd in Eccleſia Orientali validè ordinentur presbyteri, nec tamen ad ordinandum utatur his verbis, *Accipe poteſtatem, &c.* ſequi tantùm, quòd Chriſtus pro forma presbyteratus non determinarit hæc aut illa verba in ſpecie, ſed ſolùm in genere ſtatuerit, ut ab Eccleſia determinentur verba ſufficienter expreſſiva gratiæ & characteris presbyteralis. Alia autem verba pro Orientali, & alia pro Occidentali Eccleſia authoritate legitima determinata fuerunt; unde alia eſt forma presbyteratus in Orientali, & alia in Occidentali Eccleſia; ſed hæc diverſitas eſt materialis tantùm: nam quantùm ad formale, ſunt una & eadem forma, cùm habeant unam & eandem ſignificationem ſacramentalem ex inſtitutione Chriſti.

Ad 3. *R.* Quod hic tam confidenter dicitur, falſum eſſe manifeſtum eſt ex Ordine Romano, in quo Epiſcopus, poſt manus impoſitionem ſuper caput ſingulorum Ordinandorum, orationem, & manuum conſecrationem, omnibus Ordinandis porrigit calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, & dicit: *Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo, &c.* Ordinem autem Romanum ante nonum ſæculum exaratum fuiſſe, locuples teſtis eſt Amalarius, qui nono ſæculo floruit, & Ordinem illum citat in lib. de officiis eccleſiaſticis. Nec ſolùm Ordo Romanus, ſed etiam lib. ſacram. S. Gregorii præfata verba habet, quamvis perperam translata in ordinationem Epiſcopi.

Dices. Saltem hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum; Quorum remiſeris peccata, &c.* quæ poſt communionem profert Epiſcopus, ſingulis, qui ordinati ſunt ſacerdotes, manus imponendo, non eſt partialis forma presbyteratus. *R.* hoc contradicere Concilio Tridentino ſeſſ. 23. can. 4. ubi ait: *Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum ... anathema ſit.*

At inquiunt. Hoc unum intendit Synodus definire, quòd Spiritus ſanctus detur in ordinatione, ſive detur per hæc verba, ſive non. *R.* Hic quæritur effugium: Synodus enim duo manifeſtè dicit: Spiritum ſanctum dari per ſacram ordinationem; & Epiſcopos non fruſtra dicere, *Accipe Spiritum ſanctum*. Unde ſic argumentor. Verba practica, quæ non fruſtra dicuntur, efficiunt id quod ſignificant. Atqui hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum; Quorum, &c.* ſunt practica: æquipollent enim iſtis, *Do tibi Spiritum ſanctum; Quorum, &c.* ſi propriè ſumantur, & in ſenſu obvio, uti debent ſumi: & ab Epiſcopo ordinante prolata non fruſtra dicuntur, ut definit Tridentinum. Ergo prolata ab Epiſcopo ordinante, efficiunt id quod ſignificant. Tunc autem ſignificant gratiam & characterem presbyteri ut judicis proprium. Ergo utrumque efficiunt, adeoque ſunt forma ordinationis presbyteri ut judicis.

At inquiunt. De his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum; Quorum, &c.* altum ſilentium eſt in Sacramentariis, Ritualibus, aliiſque monumentis eccleſiaſticis, quæ apud Latinos exarata ſunt ante annum milleſimum. *R.* Addere deberent, & quæ ad noſtra uſque tempora pervenerunt: nam unde habent, non alia Sacramentaria, vel Ritualia, aut ſimilia monumenta ante annum milleſimum exarata fuiſſe, præter ea quæ adhuc ſuperſunt? Præterea, unde habet, in Sacramentariis vel Ritualibus, poſt annum milleſimum exaratis, aliqua circa modum ordinandi immutata aut addita fuiſſe, & non potiùs in eis exſcripta eſſe alia antiquiora magis integra, ante annum milleſimum exarata? Denique unde habent, Sacramentaria & Ritualia, ante annum milleſimum exarata, quæ ſuperſunt, integra ad nos perveniſſe?

Dico itaque, ex alto illo ſilentio nihil aliud ſequi, quàm ex Sacramentariis, Ritualibus, aliiſve ſimilibus monumentis eccleſiaſticis, ante annum milleſimum exaratis, probari non poſſe, quòd hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum; Quorum remiſeris peccata, &c.* ſint partialis forma presbyteratus. Sed ad hoc probandum abundè ſufficit nobis praxis Eccleſiæ, quam exhibet Pontificale Romanum, cum Tridentini Concilii doctrina.

At inquies. In Pontificali Romano, poſt inſtrumentorum porrectionem, factam ſub hac verborum formula, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium, &c.* dicuntur ordinati ſacerdotes. Ergo reliquæ, quæ poſtea fiunt, cœremoniæ accidentariæ ſunt. *R.* in presbytero duplicem eſſe poteſtatem, unam ſcilicet offerendi ſacrificium, & alteram pœnitentes abſolvendi à peccatis. Prima ſacerdotem, ſecunda judicem conſtituit. Prima confertur per impoſitionem manuum, & inſtrumentorum porrectionem ſub hac formula, *Accipe poteſtatem offerre, &c.* Unde ſtatim poſt, ſacerdotes ordinati dicuntur. Secunda verò confertur per ſolam manuum impoſitionem ſub hac formula, *Accipe Spiritum ſanctum; Quorum, &c.* unde nondùm eſt totus presbyteratus ante hanc ſecundam cœremoniam, quæ proinde non accidentaria, ſed eſſentialis eſt presbyteratui.

Dices Forma presbyteratus conſiſtit in orationibus, quas Epiſcopus poſt primam manuum impoſitionem, extendens manum dexteram ſuper Ordinandos, dicit partim ſine cantu, partim cum cantu. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam 1. orationes illæ comitantur materiam proximam presbyteratus, nempe extenſionem manus dexteræ ſuper Ordinandos. 2. Orationes illæ reſpondent orationibus, quæ ſunt forma presbyteratus apud Græcos. 3. Exprimunt ſufficienter gratiam & characterem presbyteratus. 4. Orationes illæ fuerunt olim forma presbyteratus, ut patet ex libro ſacram. S. Gregorii, in quo oratio cui titulus eſt *Conſecratio*, hæc habet verba: *Da, quæſumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem; innova in viſceribus eorum Spiritum ſanctitatis*. Hæc autem verba fuerunt forma presbyteratus, vel nulla fuit. 5. In orationibus illis conſiſtit benedictio, in qua Concilium Carth. IV. formam presbyteratus conſtituit.

R. neg. ant. cujus falſitas patet ex Conc. Flor. in decreto Eugenii §. *Sextum*, quo dicitur, formam ſacerdotii talem eſſe, *Accipe poteſtatem offerendi, &c.* Ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 4. quo dicitur, Epiſcopos, cùm ordinant, non fruſtra dicere, *Accipe Spi-*

ritum

ritum ſanctum. Et ex Pontificali Romano, in quo poſt præfatas orationes, ſacerdotes non dicuntur ordinati, ſed è contra non ſemel dicuntur ordinandi. *At inquies*. Dicuntur ordinandi, quia nondùm completus eſt totius ordinationis ritus. Sed contra eſt, quia poſt inſtrumentorum porrectionem ſub hac formula, *Accipe poteſtatem offerre*, *&c.* ſacerdotes dicuntur ordinati, & tamen nondùm completus eſt totius ordinationis ritus. Frivola igitur eſt hæc adverſariorum reſponſio.

Ad 1. *prob. R.* manus dextræ extenſionem ſuper Ordinandos, eſſe cæremoniam purè accidentariam, non verò materiam proximam presbyteratus, ut ſupra probatum eſt, & adhuc breviter oſtenditur. Nam materia proxima presbyteratus debet omnibus, qui ordinandi ſunt, ſingillatim applicari, ut patet ex canone 3. Concilii Carthag. Atqui præfata manus ſuſpenſio non ſic applicatur omnibus, qui ordinandi ſunt; cùm fiat communiter ſuper omnes. Ergo, &c.

R. ad 2. gratis & falsò ſupponi orationes eſſe formas ordinationum apud Græcos, & dico cum Arcudio, rituum Græcorum peritiſſimo, formam presbyteratus in his verbis conſiſtere: *Divina gratia* ... *promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum*. Et verò hæc verba ſignificant collationem gratiæ & characteris presbyteratus, & comitantur materiam ejus proximam, nempe manus impoſitionem ſuper caput Ordinandi. Præterea, orationes, quæ poſt hæc verba dicuntur, apertè ſupponunt ordinatum eſſe presbyterum: de eo enim loquuntur, ut jam ordinato.

R. ad 3. orationes illas adhiberi, non ad ſignificandam collationem gratiæ & characteris presbyteralis, ſed ad petenda pro ordinandis, eiſque obtinenda ſpecialia gratiæ auxilia, & efficacia, ad quæ jus non dat ordinatio ſacramentalis; cùm det tantùm ad idonea, ſicut & cætera ſacramenta. Unde orationes illæ non inutiliter fiunt, quamvis efficacia ſacramentali careant.

Ad 4. *R.* negando. Nam orationes illæ olim dicebantur communiter ſuper omnes ordinandos, ut nunc dicuntur: forma verò ſacramentalis proferebatur, ut nunc profertur, ſuper ſingulos ſingillatim, ut patet ex canone 3. Conc. Carth. quem refert lib. Sacram. & quo dicitur: *Presbyter, cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente*, *&c.* Et ex Ordine Romano, in quo hæc leguntur: *Dicat tùs Epiſcopus, qui ad presbyterii gradum provehendi ſunt; Qui ordinandi eſtis presbyteri, offerre vos oportet & benedicere* ... *Tunc eo* (qui ordinandus eſt) *inclinato, imponat* (Epiſcopus) *manum ſuper caput ejus, & omnes presbyteri, qui adſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant, & ille det orationem ſuper eum*. Orationis autem nomine hic intelligitur brevis aliqua verborum formula; non oratio illa, cui in hoc Ordine, & libro Sacram. titulus eſt, *Conſecratio*, & quæ prolixa eſt, atque ſuper omnes Ordinandos in plurali numero olim, ut nunc fit, dicebatur.

An. 618. *At inquiunt*. In Concilio Hiſpalenſi II. can. 5. unius presbyteri & duorum diaconorum ordinatio declaratur nulla & irrita, eo quòd *Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe, & presbyter quidam illis, contra eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe*. Nomine benedictionis hic neceſſariò intelligitur aliqua ſatis prolixa oratio, quam proinde Epiſcopus oculorum dolore detentus, non ſine magno incommodo legere poſſet. Hæc autem oratio prolixa, alia certè non fuit pro presbyto, quàm ea, cui in libro Sacram. & Ordine Romano titulus eſt, *Conſecratio*, quæ proinde tunc fuit forma presbyteratus.

R. Concilium Hiſpalenſe noſtrum eſſe, nec irritam declarare presbyteri & diaconorum ordinationem, ſed è contra validam ſupponere, imò & dicere. Nam ſic loquitur: *Hi qui ſuperſunt* (presbyter ſcilicet, & diaconi contra ordinem eccleſiaſticum ordinati) *& ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominia potiùs eloquium perceperunt; ne ſibi licentiam talis ultra uſurpatio faciat, decrevimus ut à gradu ſacerdotalis vel levitici ordinis, quem perversè adepti ſunt, depoſiti, æquo judicio abjiciantur; tales enim meritò judicati ſunt removendi, quia pravè inventi ſunt conſtituti*. Itaque presbyter, de quo agitur, à gradu ſacerdotalis ordinis deponitur, non quia gradum illum per ordinationem ſuam adeptus non fuerat, ſed, quod longè aliud eſt, quia adeptus illum fuerat perversè, utpotè contra ordinem eccleſiaſticum, ſecundùm quem ſolus Epiſcopus ordinans, ſuper ordinandos orare poteſt.

Ad 5. *denique R.* per benedictionem intelligi à Carthaginenſi Synodo prolationem brevis alicujus verborum formulæ, à præfatis orationibus diverſæ. Quod confirmari poteſt ex S. Auguſtino, qui interfuit huic Concilio, & ſic loquitur lib. 5. de bapt. cap. 20. *Si ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem ſacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas*, *&c.* Unde ſic argumentor. Hic nomine deprecationis, intelligit S. Doctor id quod Concilium Carthaginenſe intelligit nomine benedictionis. Atqui nomine deprecationis S. Doctor non intelligit orationem aliquam, ſed prolationem brevis alicujus verborum formulæ æquivalenter deprecativam; alioquin dicendum eſt, formam Baptiſmi & Euchariſtiæ olim fuiſſe orationem aliquam, quod evidenter falſum eſt. Ergo, &c. Sed

Ne quis ſuperſit ſcrupulus; dato quòd Concilium Carthaginenſe, Lib. Sacram. & Ordo Romanus, nomine benedictionis vel orationis, intelligant orationem illam, cui in his duobus libris titulus eſt, *Conſecratio*, atque ita quòd oratio illa fuerit olim forma ordinationis ſacerdotalis; nihilominùs quòd eſſe jam à plurimis ſæculis deſierit, pro certo ſtatuendum videtur propter authoritatem Concilii Florentini in decreto Eugenii, & Pontificalis Romani, in quo, ut jam obſervatum eſt, poſt præfatam orationem, & ante traditionem inſtrumentorum, ſacerdotes dicuntur Ordinandi; (qui autem Ordinandus dicitur, æquivalenter dicitur non ordinatus.) Continuò verò poſt inſtrumentorum traditionem, cum verborum formula illam comitante, ſacerdotes dicuntur Ordinati: quod manifeſtum indicium eſt, non per orationem illam, ſed per hanc formulam ordinari ſacerdotes. Unde, quod etiam obſervare juvat, ante hujus formulæ prolationem canitur hymnus *Veni Creator*, ad implorandum auxilium divinum ſuper ſacerdotes ordinandos, & ipſummet Epiſcopum ordinaturum.

Dato igitur quòd præfata oratio olim ad ſignificandam collationem ordinis ſacerdotalis, adhibita fuerit, ad id adhiberi deſiit jam à multis ſæculis, & jam à multis ſæculis adhibetur tantùm ad implorandum auxilium divinum ſuper ordinandos. *At inquies*. Ergo forma ordinationis ſacerdotalis mutata eſt. *Reſp.* diſt. Mutata eſt materialiter, C. Mutata eſt formaliter, & quantùm ad ſignificationem, N. *At inquies*. Imò verò mutata eſt ſubſtantialiter. *R.* neg. Nam tota ſubſtantia hujus formæ conſiſtit in verbis gratiam & characterem ſacerdotalem ſignificantibus, & ab Eccleſia determinatis. Quòd autem hæc verba ſignificent modo deprecativo, vel imperativo, aut indicativo, materiale eſt & accidentale, relatè ad inſtitutionem Chriſti, quo formam ordinationis ſacerdotalis non aliter inſtituit, quàm ſtatuendo ut adhiberentur verba characterem ſacerdotalem ſignificantia, eorum determinatione in poteſtate & arbitrio Eccleſiæ relictâ.

Obj. 4. In Pontificali Romano Epiſcopus dicitur Conſecratus ante traditionem baculi, annuli, & libri Evangeliorum. Ergo hæc traditio, cum verbis eam comitantibus, eſt quid merè accidentarium ordinationi Epiſcopali. *Reſp.* neg. conſeq. Nam conſecratio, ſeu chriſmatis unctio, non eſt tota ordinatio Epiſcopalis, ſed tantùm illius pars; nec ordinatio Epiſcopalis, quantùm ad eſſentialia conſummatur, niſi traditione

Digitized by Google

ditione baculi, annuli, & libri Evangeliorum, cum verbis illam comitantibus; unde ante hanc traditionem, Conſecratus ad oſculum pacis ab Epiſcopo conſecratore, & Epiſcopis aſſiſtentibus non admittitur. Cætera quæ opponi poſſunt, ex dictis facilè reſolventur.

DISPUTATIO IV.

De Miniſtro Ordinationum.

ARTICULUS I.

Quis ſit ordinarius Miniſter Ordinationum.

Responsio.

Epiſcopus jure divino eſt ordinarius Miniſter ordinationum, quæ verè & propriè ſunt ſacramenta.

Eſt contra Aerium hæreticum, qui Epiſcopos preſbyteris nulla in re antecellere, nullum inter eos diſcrimen eſſe, eorum parem & eundem eſſe honorem ac dignitatem, atque ordinandi munus tam presbyteris quàm Epiſcopis competere contendebat, ut refert S. Epiphanius hær.75. §.3. Aerium ſecutus eſt Vvicleffus, ut poſtea videbitur. Sed contra illos

Prob. reſp. 1. Authoritate Scripturæ, quæ paſſim ſignificat, vel ſupponit ordinarium munus ordinandi ſolis Epiſcopis convenire: nam Act. cap.6. Apoſtoli ordinant primos diaconos. Act. cap.14. Paulus & Barnabas presbyteros ordinant Liſtræ, Iconii, & Antiochiæ Piſidiæ. Paulus ep.2. ad Timoth. cap.1. dicit illum à ſe ordinatum eſſe Epiſcopum. Epiſt.1. ad eund. cap.5. admonet eum, ut neminem ordinet niſi prius probatum, & diligenter examinatum, an ſit probatæ vitæ & doctrinæ. Denique epiſt. ad Titum cap. 1. ſcribit ſe eum Cretæ reliquiſſe, ut conſtituat per civitates presbyteros.

Prob. 2. ex Patribus, pro quibus omnibus erunt Epiphanius, Hieronymus, & Chryſoſtomus. Primus autem hær.75. §.4. contra Aerium, ſic loquitur: *Epiſcoporum ordo ad gignendos patres præcipuè pertinet, hujus enim eſt patrum in Eccleſia propagatio. Alter* (presbyterorum Ordo) *cùm patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magiſtros.* Secundus, in epiſtola ad Evagrium hæc ſcribit: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Tertius denique hom.11. in cap.3. epiſt.1. ad Timoth. ait: *Quæ de Epiſcopis dixit* (Apoſtolus) *ea etiam presbyteris congruunt: ſola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum plus, quàm presbyteri, habere videntur* (quod ſcilicet ſit presbyteris incommunicabile.)

An. 314. *Prob.*3. ex Conciliis, Ancyrano ſcilicet can.12. quo dicitur, *Chorepiſcopis non licere presbyteros aut diaconos ordinare.* Antiocheno can.10. quo dicitur: *Nec*
An. 341. *presbyterum, nec diaconum ordinare audeant* (Chorepiſcopis) *abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe &*
An. 398. *regio.* Carthaginenſi IV. can. 2. & ſequentibus, quibus Epiſcopus dicitur eſſe miniſter omnium ordinationum. Conſtantienſi ſeſſ. 8. in qua damnatur hæc Vvicleffi propoſitio num.28. *Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis.* Florentino in decreto Eugenii §. *Sextum*, ubi dicitur: *Miniſter ordinarius hujus ſacramenti* (Ordinis) *eſt Epiſcopus.* Et Tridentino ſeſſ.24. can.7. *Si quis dixerit*, inquit, *Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel ſi eam quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem ... ... anathema ſit.*

*Prob.*4. ex libro 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum, libro Sacramentorum S. Gregorii, antiquo Ordine Romano, Pontificali Romano, & Græcorum Euchologio, in quibus ordinationum ritus deſcribitur, earumque miniſter nunquam alius aſſignatur præter Epiſcopum. Unde colligimus tam in Orientali quàm in Occidentali Eccleſia nunquam alium fuiſſe ordinationum miniſtrum, ſaltem ordinarium, præter Epiſcopum.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti, qui Epiſcopos inſtituit, ut Eccleſiæ principes eſſent; & conſequenter convenientiſſimè voluit, miniſtros Eccleſiæ ordinandi munus ſaltem ordinarium ad eos ſolos pertinere. Vide Sanctum Thomam in ſupplemento qu.38. art.1.

Obj. Concilium Nicænum in ſua ad Ægyptios epiſtola apud Socratem lib.1. hiſt. eccl. cap.9. presbyteris, qui nulli unquam ſchiſmati adhæſerunt, concedit poteſtatem ordinandi clericos. *R.* hoc eſſe falſum: nam, ut rectè vertit Valeſius, concedit eis tantùm poteſtatem eligendi & proponendi nomina eorum, qui in clerum eligi meruerint.

ARTICULUS II.

Utrùm Epiſcopus hæreticus, vel ſchiſmaticus, poſſit validè ordinare extra Eccleſiam.

Quæſtionem hanc proponit Magiſter Sent. lib. 4. diſt.25. ubi in utramque partem teſtimoniis Patrum allegatis, & expoſitis variis Doctorum ſententiis, controverſiam indeciſam relinquit. Negativam partem amplectitur Gratianus 9. qu. 1. initio, cum Palea cap.2. & 3. Affirmativam verò tenet S. Thomas in ſuppl. q. 38. art. 2. in O. ubi ait: *Alii dicunt quod vera ſacramenta conferunt* (Epiſcopi hæretici, & ab Eccleſia præciſi) *ſed cum eis gratiam non dant: non propter inefficaciam ſacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab ipſis ſacramenta, contra prohibitionem Eccleſiæ; & hæc eſt tertia opinio, quæ vera eſt.* Ratio autem S. Doctoris eſt eod. loco, *quia omnis poteſtas, quæ datur cum aliqua conſecratione, nullo caſu contingente tolli poteſt, re ipſa durante, ſicut nec ipſa conſecratio annullari ... Unde cùm Epiſcopalis poteſtas cum quadam conſecratione detur, oportet quod perpetuò maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Eccleſia præcidatur* (adde, aut deponatur, vel ſe ipſe ſeparet, in apertum ſchiſma prorumpendo.) Angelico Doctori aſſentiuntur communiter Theologi, quibuſcum ſit

Responsio.

Epiſcopus hæreticus, vel ſchiſmaticus, validè ordinat.

Prob. ex ſenſu veteris Eccleſiæ: nam vetus Eccleſia ab hæreticis, vel ſchiſmaticis ordinatos, ab hæreſi venientes, quandoque cum gradu ſuo recepit. In Concilio Romano, à Melchiade celebrato, in cauſa An. 313.
Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi contra Donatiſtas, damnato uno Donato ſchiſmatis authore, decretum eſt, ut Epiſcopi à Majorino Donatiſtarum Carthagine Epiſcopo ordinati, ſchiſma relinquentes, gradum ſuum retinerent, obtinerentque Eccleſias, in quibus catholicis priores ordinati fuiſſent. Teſtis eſt S. Auguſtinus epiſt.162. ubi hæc ſcribit: *Qualis ipſius beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia? quàm innocens, quàm integra ... Donato ſolo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam fecit cæteris, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos à Majorino ordinatos eſſe conſtaret, ita ut quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum confirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.*

In Concilio Niceno can.8. Novatianis clericis, An. 325
qui ad fidem convertuntur, conceditur ut ſuſcepto Confirmationis ſacramento, & ſalvo catholicorum veterum jure, in eodem ordine miniſtrent, in quo apud ſuos miniſtrarunt. *De his qui ſe nominant Catharos,*

tharos, id eſt, mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant ..... Ubicumque vero ſive in vicis, ſive in civitatibus ipſi ſoli reperti fuerint ordinati; qui inveniuntur in clero, in eodem ordine perſeveret. Ubi autem catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo vel presbytero conſtituto, quidam ex illis advenerint, certum eſt, quòd Epiſcopus habebit Epiſcopi dignitatem. Is autem qui apud eos nominatur Epiſcopus, honorem presbyterii poſſidebit, niſi fortè, &c.*

Plures ex Epiſcopis, qui ſextam Synodum celebrarunt, à Patriarchis Monothelitis ordinati fuerant, nec tamen eorum ordinatio improbata eſt, ut nulla & irrita, ſed ea rata manente, ordinatores ſuos ut hæreticos anathematizare potuerunt. Teſtatur Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in ſeptima Synodo, aliquantò ante finem actionis 1. *Quin potius*, inquit, *& plures eorum qui in ſexta ſancta Synodo conſederunt, à Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro* (Conſtantinopolitanis Patriarchis) *præceptoribus videlicet hæreſeos, unam voluntatem in Chriſto prædicantium, ordinati ſunt ..... & propterea non ſunt improbati .., ſed ſextæ Synodi Patres ipſos quatuor anathematizaverunt, quanquam ordinatio eorum eſſet.*

Septima Synodus ab hæreticis ordinatos, & ab hæreſi ad catholicam Eccleſiam venientes, cum gradu ſuo recipiendos eſſe decernit actione 1. ubi poſt verba proximè citata, hæc leguntur: *Taraſius ... dixit... Suſcipitis ab hæreticis ordinatos? Sancta Synodus dixit ... Oportet ſuſcipere*, Hoc autem decretum ſuum exequitur actione 3. ubi ſeptem Epiſcopi poſt emiſſam actione 1. fidei catholicæ profeſſionem, jubentur recipere ſedes ſuas, & in competentem ſibi inter Synodi Patres cathedram aſcendere.

Circa An. 389. Anyſius Theſſalonicenſis, cum Epiſcopis ſibi ſubjectis, ordinatos à Bonoſo hæretico ſuſcepit, ut ſcribit Innocentius I. in epiſtola 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, *Anyſii*, inquit, *quondam fratris noſtri, aliorumque conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur*,

Duos Encratitarum Epiſcopos, ab Encratitis procul dubio Epiſcopis ordinatos, ſuo tempore in Eccleſia receptos fuiſſe ſcribit S. Baſilius in prima ad Amphilochium epiſtola. *Scio autem*, inquit, *quod fratres Izoem & Saturninum, qui erant ex illorum* (Encratitarum) *ordine, in Epiſcoporum cathedram ſuſcepimus. Quare eos qui illorum ordini conjuncti ſunt, non amplius poſſumus ab Eccleſia ſeparare, utpote tanquam canone aliquo communionis cum ipſis edito per Epiſcoporum ſuſceptionem.*

Idem circa Epiſcopos ab Ariana hæreſi ad Eccleſiam confugientes factitatum eſſe ſuo tempore, apertè ſignificat S. Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, quos hanc Eccleſiæ œconomiam improbantes vehementer impugnat. Hoc autem habes inter alia: *Tu* (Luciferiane) *in eo quòd recipis laicum* (ab Arianis baptizatum) *unam animam recipiendo ſalvas: & ego in recipiendo Epiſcopum, non dicam unius civitatis populos, ſed univerſam, cui præeſt, provinciam Eccleſiæ ſocio.* Et inferiùs: *Eadem ratione Epiſcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis* (ab Arianis) *baptizatum*. Et inferiùs allegat factum Concilii Nicæni. *Synodus quoque Nicæna*, inquit, *omnes hæreticos ſuſcepit* (approbato eorum baptiſmate) *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis, & quod his majus eſt, Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, presbyterii gradum ſervat: qua ſententia & Luciferum impugnat, & Hilarium* (Eccleſiæ Romanæ diaconum, ſchiſmatis authorem) qui volunt Epiſcopos, ab Arianis venientes, non admitti niſi ad communionem laicam,

Similiter tempore Auguſtini, eoque authore, clerici Donatiſtæ in honoribus ſuis recepti ſunt in Africa, ut patet ejus ad Bonifacium Comitem epiſtola 50, & in qua hæc ſcribit: *Si ergo, inquiunt, oportet nos extra Eccleſiam & adverſus Eccleſiam fuiſſe pœniteat, ut ſalvi eſſe poſſimus, quomodo poſt iſtam pœnitentiam apud vos clerici, vel etiam Epiſcopi permanemus? Hoc non fieret ... niſi pacis ipſius compenſatione ſanarentur*. Et inferiùs ſic pergit: *Veniant* (clerici Donatiſtæ) *ad Eccleſiam Chriſti veram, hoc eſt, matrem catholicam. Sint in illa clerici, ſint Epiſcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hoſtiliter ..... Sic multitudinibus per ſchiſmata & hæreſes pereuntibus ſubvenire conſuevit. Hoc diſplicuit Lucifero* (Calaritano Epiſcopo) *quia factum eſt in iis ſuſcipiendis atque ſanandis, qui veneno perierant Ariano.*

Neſtoriani denique clerici, fidem orthodoxam amplectentes, cum ſuo gradu recepti fuerunt tempore Gregorii Magni, ut colligitur ex ejus ad Quirinum in Iberia Epiſcopum epiſt. 61. lib. 9. ubi agens de clericis Neſtorianis ad fidem converſis, ſic loquitur: *Abſque ulla dubitatione eos ſanctitas veſtra, ſervatis eis propriis Ordinibus, in ſuo cœtu recipiat, ut dum ... per manſuetudinem nullam eis contrarietatem, vel difficultatem de propriis ſuis Ordinibus facitis, eos ab antiqui hoſtis ore rapiatis.*

Ex his autem omnibus ſic argumentor. Vetus Eccleſia variis temporibus, ut multitudinum, vel etiam privatorum hominum per hæreſes vel ſchiſmata pereuntium ſaluti conſuleret, clericos hæreticos vel ſchiſmaticos, ab Epiſcopis hæreticis vel ſchiſmaticis extra Eccleſiam ordinatos, hæreſi vel ſchiſmati nuncium mittentes, in eodem, quo apud ſuos inſigniti fuerant, honoris gradu ſuſcepit ſine nova ordinatione, ut manifeſtum eſt ex facta inductione, Ergo quòd validæ ſint ordinationes, ab Epiſcopis hæreticis vel ſchiſmaticis extra Eccleſiam factæ, ſervato ſcilicet, quod ſemper ſupponitur, ritu legitimo, omninò exploratum & indubitatum fuit veteri Eccleſiæ, quæ alioquin eas ratas habere & admittere nunquam potuiſſet in quantumcumque animarum ſalutis urgente neceſſitate; ſicut nunquam potuiſſet ratum habere baptiſmum ab hæreticis vel ſchiſmaticis collatum, niſi baptiſmi extra Eccleſiam in materia & forma legitima collati valorem prorſus exploratum habuiſſet.

Prob. 2. Ratione, Nam Epiſcopus hæreticus, vel ſchiſmaticus, quantùmvis ab Eccleſia præciſus, habet poteſtatem Ordinis: habet enim characterem Epiſcopalem: poteſtas autem Ordinis vel *eſt* character ille, vel ſaltem cum eo inſeparabiliter conjuncta eſt. Ergo validè ordinat extra Eccleſiam: nam ſi non ordinat validè, certè propter hæreſim vel ſchiſma: ſupponitur enim habere debitam intentionem, & adhibere ritum legitimum. Atqui dici non poteſt, quòd propter hæreſim vel ſchiſma, validè non ordinet: nam ad valorem ſacramentorum nec fides, nec probitas requiritur in miniſtro. Ergo, &c.

At inquies. Epiſcopus hæreticus aut ſchiſmaticus, vel ordinatus eſt, antequam in hæreſim aut ſchiſma, vel ordinatus eſt in ipſa hæreſi aut ſchiſmate ab Epiſcopis hæreticis aut ſchiſmaticis. Si primum, labendo in hæreſim aut ſchiſma, amiſit characterem epiſcopalem. Si ſecundum, invalidè ordinatus eſt, adeòque characterem epiſcopalem non accepit. *R.* hoc utrumque falſum eſſe. Nam 1. character ſacramentalis, cùm ſit prorſus indelebilis, per nullum crimen, quantumcumque ſit, amittitur. 2. Epiſcopus, qui in hæreſi aut ſchiſmate ordinatur ab Epiſcopis hæreticis aut ſchiſmaticis, ritum legitimum adhibentibus cum debita intentione, validè ordinatur: ordinatur enim ab Epiſcopis habentibus poteſtatem Ordinis, cùm ipſi validè ordinati fuerint, aut in Eccleſia catholica, nec per hæreſim vel ſchiſma characterem Epiſcopalem amiſerint; aut in hæreſi vel ſchiſmate ab aliis immediatè vel ſaltem mediatè in Eccleſia catholica ordinatis. Pro quo

Nota. In qualibet hæreſi vel ſchiſmate Epiſcopos habente, & legitimum ordinandi ritum ſervante, primi Epiſcopi ordinati fuerunt in Eccleſia catholica, & characterem Epiſcopalem, quem in ordinatione

ſus

Digitized by Google

ſua acceperant, in hæreſi vel ſchiſmate retinuerunt. Unde quos in hæreſi vel ſchiſmate ordinarunt Epiſcopos, validè ordinarunt. Hi autem validè ordinati, alios poſteà validè ordinaverunt Epiſcopos, atque ita deinceps validè ordinati Epiſcopi, validè ordinabunt alios, quandiu legitimus ordinandi ritus ſervabitur. Hoc pacto, in Donatiſtarum ſchiſmate Epiſcoporum ſucceſſio propagata eſt à Majorino primo ſchiſmatis Epiſcopo, uſque ad tempora Auguſtini, qui epiſt. 50. de Donatiſtis loquens, ſic ait: *Veniant ad Eccleſiam Chriſti veram, id eſt, matrem catholicam Sint in illa clerici, ſint Epiſcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hoſtiliter .... Extra Eccleſiam & contra Eccleſiam Eccleſiæ ſacramenta tenuerunt, & tanquam civili bello noſtris contra nos erectis ſignis armiſque pugnarunt.*

At inquies iterum, Ordinatio extra Eccleſiam facta ab Epiſcopo hæretico vel ſchiſmatico, irrita eſt, non jure divino, ſed jure eccleſiaſtico: *R.* ordinationem illam jure eccleſiaſtico irritam eſſe quoad executionem Ordinis ſuſcepti; ita ut ſic ordinatus non poſſit abſque diſpenſatione in Ordine ſuſcepto licitè miniſtrare. At non eſt irrita quoad ſubſtantiam; cùm ſic ordinatus, ſi cum eo diſpenſetur, ſine reordinatione licitè adeoque validè miniſtret in Ordine ſuſcepto. Hoc utrumque docet Innocentius III. cap. *Fraternitati tuæ*, extra de ſchiſmaticis, ubi ait: *Priorem, quem à ſchiſmatico aſſeris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter: niſi legitimè probaverit ſecum fuiſſe miſericorditer diſpenſatum; & ab ea perſona, quæ ſuper hoc poteſtatem habuerit diſpenſandi.*

Obj. 1. Damaſum epiſt. 5. ubi ait: *Per illam illicitam manus impoſitionem ... vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepiſſe, habebant. Et ubi vulnus infixum eſt, neceſſe eſt medicinam adhibere, qua infixa ſanetur macula; id eſt, reiterari neceſſum eſt, quod legitimè actum, aut collatum minimè approbatur. R.* Damaſum loqui non de ordinationibus factis ab Epiſcopis hæreticis vel ſchiſmaticis extra Eccleſiam, ſed de ordinationibus factis à Chorepiſcopis, qui non Epiſcopi, ſed ſimplices erant presbyteri, adeoque ordinandi poteſtate carebant.

Obj. 2. Innocentium I. epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. 3. ubi videtur, ordinationes ab hæreticis extra Eccleſiam factas, ut irritas repudiare: nam ſic loquitur: *Cùm nos dicamus, ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput: ubi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda, ut poſſit recipere ſanitatem. Quæ ſanitas poſt vulnus ſecuta, ſine cicatrice eſſe non poterit: atque ubi pænitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus.* Ergo, &c. *R.* neg. ant. *Ad prob. R.* Innocentium his verbis nihil aliud dicere, quàm ordinatos ab hæreticis, ſi ad fidem convertantur, non eſſe recipiendos ſine manus impoſitione, non qua reordinentur, ſed qua ſubjiciantur pœnitentiæ publicæ, ex qua in iis, qui illam egerunt, remanet cicatrix ſeu nota quædam, propter quam indecens eſſet, illos in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Quare decernit, ordinatos ab hæreticis, ſi ad fidem convertantur, non niſi in laicam communionem eſſe recipiendos.

At inquies. Sic proſequitur Innocentius: *E contrario aſſeritur eum* (ordinatorem hæreticum) *qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe: nec illum* (ordinatum ab hæretico) *aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere. Acquieſcimus, & verum eſt. Certè qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit: & qui particeps effectus eſt damnatæ, quomodo debeat honorem accipere invenire non poſſum.*

R. Innocentium nomine honoris, intelligere non poteſtatem Ordinis, ſed jus utendi hac poteſtate. Itaque juxta Innocentium, Epiſcopus hæreticus, quia per ſuam hæreſim jus amiſit exercendi poteſtatem ordinandi, quam habet, non poteſt dare jus exercendi poteſtatem Ordinis, quam confert. Et qui ab Epiſcopo hæretico ordinatus eſt, nihil relatè ad poſſe licitè miniſtrare in Ordine ſuſcepto, accepit ab ordinatore ſuo, quia quoad hoc nihil erat in illo, quod ab hoc poſſet accipere. Igitur Epiſcopus hæreticus, non potentiam, quam non habuit, ſed impotentiam, quam habuit, in Ordine ſuſcepto licitè miniſtrandi, communicavit ei, quem ordinavit, qua impotentia Ordinatum libertati non convenit, quia patiendo ordinari ſe à miniſtro damnato, illius damnationis ſicut & criminis particeps effectus eſt.

Hanc eſſe Innocentii mentem, patet ex capite 5. in quo objicit ſibi, 1. Factum Aniſii Theſſalonicenſis, & aliorum Macedoniæ Epiſcoporum ei ſubjectorum, à quibus ii, quos Bonoſus hæreticus ordinaverat, in Ordinis ab eo accepti honorem recepti fuerant. 2. Authoritatem Concilii Nicæni can. 8. ſtatuentis, ut clerici Novatiani, ad fidem converſi, ſuſcepto Confirmationis ſacramento, in eodem Ordine miniſtrent in Eccleſia, in quo apud ſuos miniſtrabant. Ad 1. autem ſic reſpondet: *Jam ergo quod pro remedio ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt* (ab Aniſio & ejus ſuffraganeis) *conſtat primitùs non fuiſſe: ac fuiſſe regulas veteres* (ex quibus una eſt, ordinatos ab hæreticis, ad Eccleſiam venientes, in laicam tantùm communionem recipiendi) *quas ab Apoſtolis, vel apoſtolicis viris traditas Eccleſia Romana cuſtodit, cuſtodiendaſque mandat his, qui eam audire conſueverunt. Sed neceſſitas temporis id fieri* (quod ab Aniſio & ejus collegis factum eſt) *magnopere poſtulabat. Ergo quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate, debet utique ceſſare pariter quod urgebat.*

Ad 2. verò reſpondet ſic: *Poſſum verò dicere, de ſolis hoc Novatianis eſſe præceptum, nec ad aliarum hæreſum clericos pertinere. Nam ſi utique de omnibus ita definirent* (Patres Nicæni) *addidiſſent, à Novatianis, aliiſque hæreticis revertentes, debere in ſuum Ordinem recipi.* Non igitur negat Innocentius, Bonoſianos ab Aniſio, & Novatianos à Nicæno Concilio in Ordinem ſuum recipi potuiſſe, quod tamen negare debuiſſet, ſi ordinationes ab hæreticis factas, etiam quoad ſubſtantiam invalidas eſſe judicaſſet: ſed è contra; ſuppoſita illarum quoad ſubſtantiam validitate, tantùm dicit, Nicænæ Synodi de Novatianis decretum ad alios hæreticos non eſſe extendendum, & ſublata neceſſitate, ob quam Aniſius potuit Bonoſianos in ſuum Ordinem recipere, hoſce hæreticos non ampliùs, niſi acta pœnitentia, in communionem laicam eſſe recipiendos.

At inquies. Idem Innocentius cap. 3. epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, docet, etiam quoad ſubſtantiam irritas eſſe ordinationes ab hæreticis factas, eoſque ordinandi poteſtatem per infidelitatem amiſiſſe, proindeque iis, qui ab illis ad Eccleſiam veniunt, ſolùm baptiſmum ratum eſſe permitti in Eccleſia Romana. *Reſp.* neg. Nam ibi non aliud docet, quam quod epiſt. 22. c. 3. nimirùm Arianos, alioſve hæreticos clericos, ad fidem converſos, quamvis validè ab Epiſcopis hæreticis ordinati fuerint, non eſſe recipiendos in clericorum Ordinem; vel, ut ipſe loquitur, non eſſe ſuſcipiendos cum ſacerdotii aut miniſterii cujuſpiam dignitate, ſed ad laicorum conditionem redigendos: ita ut eis ſolum baptiſma, quo apud ſuos initiati ſunt, ratum eſſe permittatur; hoc eſt, ita ut non permittatur eis uti poteſtate Ordinis, quam in ordinatione ſua acceperunt, ſed ſolùm permittatur eis uti poteſtate, quæ confertur in baptiſmo, id eſt, poteſtate ſuſcipiendi alia ſacramenta, quæ chriſtianis omnibus communia ſunt: modò tamen in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizati fuerint: ſolum enim baptiſma cum expreſſa trium Perſonarum invocatione collatum, validum eſt, & ita ſolum ratum eſſe poteſt.

At inquies. Ibidem ſic loquitur Innocentius: *Nec dare ejus* (Spiritus ſancti) *plenitudinem poſſunt* (Epiſ-

copi hæretici) *quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam ... perdiderunt*. *R.* Innocentium ſic loqui de Epiſcopis hæreticis, non quòd poteſtate careant conficiendi ſacramentum Ordinis, quo ex opere operato non ponentibus obicem confertur plenitudo Spiritus ſancti, ſed quia ſacramentum illud miniſtrant tantùm iis, qui cum eis in hæreſi communicant, quique proinde obicem ponunt gratiæ; vel, ſi vis, quia quicumque ſacramentum illud ab eis accipiunt, graviter peccant accipiendo, nec poteſt ſacramentum illud, niſi graviter peccando, ab eis accipi.

At inquies, Spiritum ſanctum dare non poſſe per ordinationem, & non poſſe validè ordinare, ſunt unum & idem Innocentio. *R.* hoc eſſe falſum: nam ibidem Innocentius dicit hæreticos Spiritum ſanctum dare non poſſe per baptiſmum, quem conferunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Nec Spiritum ſanctum*, inquit, *eos* (qui ab hæreticis baptizati ſunt in nomine Patris, & Filii, &c.) *habere ex illo baptiſmate ... arbitramur*. Et tamen baptiſmum ab hæreticis collatum in nomine Patris, & Filii, &c. ratum eſſe permittit, adeoque agnoſcit eſſe validum. Sicut ergo, Spiritum ſanctum dare non poſſe per baptiſmum, & non poſſe validè baptizare, non ſunt unum & idem Innocentio, ſed juxta Innocentium, hæretici validè baptizare poſſunt, ritum legitimum adhibendo; quamvis per baptiſmum, etiam ritu legitimo collatum, Spiritum ſanctum dare non poſſint, iis ſcilicet, quos in adulta ætate baptizant; ita pariter, Spiritum ſanctum dare non poſſe per ordinationem, & non poſſe validè ordinare, &c.

Obj. 3. S. Gregorium lib. 3. epiſt. 20. in qua hæc ſcribit: *Quam rem nos conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quæ ab excommunicatis eſt hominibus celebrata*. Juxta Gregorium igitur, excommunicati non poſſunt validè ordinare. Atqui omnes hæretici excommunicati ſunt. Ergo, &c. *R.* S. Gregorium hic conſecrationem ſumere, non relatè ad poteſtatem Ordinis, ſed relatè ad jus utendi hac poteſtate; nec aliud velle, quàm per conſecrationem ab excommunicatis Epiſcopis celebratam, non conferri jus exercendi poteſtatem Ordinis, quæ per illam conſecrationem datur; unde relatè ad jus miniſtrandi in Ordine per illam ſuſcepto, perinde ſe habet, ac ſi celebrata non eſſet, donec impedimentum canonicum tollatur per legitimam authoritatem. Bonitas hujus reſponſionis patet ex iis, quæ in citata epiſtola ſubſequuntur: nam poſt verba hic relata, Epiſcopo ordinato S. Gregorius ſolùm prohibet ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, ne in ſuo Ordine miniſtret, *uſquedum*, inquit, *dominicis vel reſponſalis noſtri cognoveris apicibus, quod non ſurreptitia, ſed vera fueris juſſione ordinatus*. Poterat igitur Epiſcopus ille ſine nova conſecratione munia epiſcopalia obire, adeoque validè conſecratus erat.

Tom. 2. Conc. Labb. p. 1801. *Obj.* 4. Theophilum Alexandrinum, in expoſitione de iis qui dicuntur Cathari, ubi ait: *Declaravit mihi tua pietas, quòd quidam eorum, qui ſe Catharos nominant, volunt ad Eccleſiam accedere. Quoniam ergo magna Synodus Nicææ habita à ſanctis Patribus noſtris, ſtatuit ut ordinentur qui accedunt; juxta hanc formam, eos qui ad Eccleſiam accedent ordina: ſi quidem eorum vita recta eſt, & nihil eis adverſatur*. *Reſp.* Theophilum nihil aliud velle, quàm Nicænum Concilium, ſtatuendo ut clerici Novatiani ad Eccleſiam accedentes, in ſuum Ordinem reciperentur, conſequenter ſtatuiſſe ut laici, ex eadem hæreſi venientes, ſi ordinari expeterent, ſine dilatione ordinarentur, vel ordinari poſſent, modò eorum vita recta eſſet, & nihil eis aliunde adverſaretur. Quòd ſi aliter Theophilus intellexit Concilium, opponimus ei Hieronymum in dialogo adverſus Lucif. & Innocentium I. epiſt. 22. Ambo enim agnoſcunt, Concilium velle, ut clerici Novatiani, ad fidem converſi, ſine reordinatione in Ordinem ſuum recipiantur.

Obj. 5. Nicænum Concilium in epiſtola ad Ægyptios, ubi de clericis à Meletio, qui ſchiſma in Ægypto fecerat, ordinatis hoc decernit: *Is vero qui ab ipſo conſtituti ſunt, ſanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, ea lege, ut honorem quidem ac miniſterium ſuum retineant*. *R.* vocem græcam χειροτονία, quæ hic perperam latinè redditur, per *ſa* ordinatione, ſignificare manus impoſitionem, non ordinatoriam, ſed confirmatoriam. Unde hic tantùm pro clericis Meletianis Synodus requirit, quod can. 8. requirit pro clericis Novatianis, ut ad Eccleſiam venientes recipiantur in ſuum Ordinem. Quod ſupponit tantùm, à Meletianis ſchiſmaticis, ſicut ab hæreticis Novatianis, neglectum fuiſſe & omiſſum Confirmationis ſacramentum.

Ex dictis hactenùs intelligitur, Epiſcopum excommunicatum non toleratum, vel degradatum, validè ordinare, ſi ritum legitimum adhibeat. Certè nec excommunicatio, nec depoſitio aut degradatio tollit vel tollere poteſt ordinandi poteſtatem, quæ inſeparabiliter annexa eſt characteri ſacramentali, qui in hac ſaltem vita deleri non poteſt. Supereſt igitur, ut tollant ſolum jus utendi illa poteſtate, & ita ſolùm reddant uſum illius illicitum.

Quæres 1. Quo pacto olim clerici ab hæreticis vel ſchiſmaticis ordinati, ad Eccleſiam venientes, in ea reciperentur?

Reſp. Tribus prioribus ſæculis receptos tantùm fuiſſe in laicam communionem, apertè videtur colligi. 1. Ex Auguſtino epiſt. 162. ubi impensè commendat clementiam Melchiadis, quòd in Concilio Romano anno 313. celebrato conſtituiſſet, ut clerici Donatiſtæ, ad Eccleſiam venientes, in ea miniſtrarent in ſuis Ordinibus. Et ex Concilii Nicæni canon. 8. quo idem pro clericis Novatianis decernitur. Nam ſi antea hæreticorum, vel ſchiſmaticorum clerici, ad Eccleſiam venientes, in Ordinibus ſuis miniſtrare permittebantur, nec cauſa fuit cur tantoperè ab Auguſtino commendaretur clementia Melchiadis; nec neceſſarium, ut Nicænum Concilium pro Novatianis clericis canonem ſuum ederet.

2. Ex Innocentio I. epiſtol. 22. cap. 5. ubi ſic ait: *Quod pro remedio, ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt* (ab Aniſio & ejus collegis, nimirùm ut in Ordinem ſuum reciperentur clerici Bonoſiani, ad fidem converſi) *conſtat primitùs non fuiſſe* (ſervatum pro hæreticorum, vel ſchiſmaticorum clericis,) *ac fuiſſe regulas veteres, quas, vel ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris*, (hoc eſt, Apoſtolorum diſcipulis) *traditas Eccleſia Romana cuſtodit*. Illæ autem veteres regulæ, quæ clericis ab hæreſi vel ſchiſmate venientibus laicam tantùm concedebant communionem, procul dubio viguerunt tribus prioribus ſæculis; cùm primum inveniamus Melchiadem, qui poſt initium quarti ſæculi contra regulas illas pro remedio & neceſſitate temporis ſtatuerit, ut clerici Donatiſtæ, ſchiſma relinquentes, ſuum in Eccleſia honorem, & gradum retinerent.

Poſt tertium verò ſæculum clerici ab hæreticis vel ſchiſmaticis ordinati, venientes ad Eccleſiam, cœperunt permitti, & deinceps permiſſi ſunt Ordines ſuos exercere, ut patet in Novatianis, Meletianis, Bonoſianis, Donatiſtis, Neſtorianis, Monothelitis, Iconoclaſtis, &c. ſic tamen ut Innocentii I. tempore nondùm hunc hæreticorum vel ſchiſmaticorum clericos ad miniſterium eccleſiaſticum admittendi morem habuerit Eccleſia Romana, ut patet ex hujus Pontificis epiſt. 18. cap. 3. & 22. cap. 3. imò adhuc tempore, hoc eſt, initio quinti ſæculi, laici ab hæreticis, apud quos ſub forma legitima baptizati fuerant, venientes, ad laicam tantùm communionem recipiebantur in Eccleſia Romana, nec ad ullum eccleſiaſticum miniſterium promoveri poterant, ut dicit idem Pontifex epiſt. 22. cap. 4. *Noſtra vero*, inquit, *lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum ſubrogare*.

Quæ-

Quæres 2. quo pacto clerici, in Eccleſia ordinati, ſed poſtea in hæreſim vel ſchiſma lapſi, ſi pœnitentes ad Eccleſiam redirent, olim in ea reciperentur?

Reſp. Clericis in Eccleſia ordinatis, ſed poſtea in hæreſim lapſis, cùm pœnitentes ad Eccleſiam redibant, laicam tantùm conceſſam eſſe communionem prioribus Eccleſiæ ſæculis. Colligitur ex Synodo Alexandrina, quam anno 362. celebravit Athanaſius, ſedem ſuam repetere à Juliano Imperatore permiſſus. Hujus Synodi meminit Auguſtinus loco infra citando; & de ea ſic loquitur Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos: *Poſt reditum Confeſſorum, in Alexandrina poſtea Synodo conſtitutum eſt, ut exceptis authoribus hæreſeos* (Arianæ) *quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur* (ſervato eis gradu ſuo, *non quòd Epiſcopi poſſint eſſe, qui hæretici fuerant* (hoc eſt, quòd Epiſcopi in hæreſim lapſi, poſtea pœnitentes, in Epiſcopalem honorem ac dignitatem reſtitui poſſint ſecundùm regulas eccleſiaſticas) *ſed quod conſtaret eos, qui reciperentur* (ex iis, qui ſub Conſtantio Arimini & Conſtantinopoli Nicenſem formulam ſubſcripſerant) *hæreticos non fuiſſe. Aſſenſus eſt huic ſententiæ Occidens* (per Liberium ſummum Pontificem) *& per tam neceſſarium Concilium è Satanæ faucibus ereptus eſt mundus.*

Itaque Epiſcopi ſub Conſtantio lapſi, vel Ariano dogmati conſenſerant, ſubſcribendo Nicenſem formulam, ut ſaltem de pleriſque ſenſiſſe videri poſſet Auguſtinus epiſt. 50. ubi ait: *Hoc diſplicuit Lucifero, quia factum eſt in eis ſuſcipiendis atque ſanandis* (eos ſcilicet in Ordinem ſuum recipiendo, *qui veneno perierant ariano:* vel non conſenſerant, & vocabulum *uſia* non ex affectu hæreſis ſuppreſſerant; ſed ex œconomia quadam, ſtudio pacis ac concordiæ eccleſiaſticæ, ut ſenſiſſe Hieronymum, ex verbis citatis manifeſtum eſt. Si primum, ut Epiſcopi illi pœnitentes gradum ſuum in Eccleſia retinerent, opus fuit novo decreto eccleſiaſtico, quo Eccleſiæ in apoſtatis ad ſolam communionem laicam recipiendis conſuetudini derogaretur. Si ſecundum, eos, ſi re ipſa lapſi fuiſſent in hereſim, poſtea, quantùmvis pœnitentes, nunquam in gradum ſuum receptura fuiſſet Eccleſia, ut apertè ſignificat S. Hieronymus, dicendo, *non quòd Epiſcopi poſſint eſſe, qui hæretici fuerant*, nec decretum ſuum pro illis, ſi pœnitentes eſſent, in gradum ſuum recipiendis ediſſet Synodus Alexandrina, ut ſatis innuit Hieronymus, cùm addit: *ſed quod conſtaret, &c.* Ergo, &c.

Quæres 3. Utrùm Ordinati ab Epiſcopo hæretico vel ſchiſmatico, ſint ſuſpenſi ab executione Ordinis ſuſcepti? *R.* ita eſſe, ut patet ex Innocentio I. epiſt. 18. & 22. & Innocentio III. cap. *Fraternitati tuæ*, extra de ſchiſmaticis.

ARTICULUS III.

Utrùm quilibet Epiſcopus catholicus, quemlibet licitè ordinare nunc poſſit, & olim potuerit.

RESPONSIO I.

IN veteri Eccleſia laici à quolibet Epiſcopo catholico licitè ordinari potuerunt, Epiſcopo, in cujus diœceſi nati erant, inconſulto: clerici verò non potuerunt.

Prob. 1. *pars*, 1. Variis exemplis: nam inconſulto diœceſano Epiſcopo Origenes Alexandrinus à Theoctiſto Cæſareæ & Alexandro Hieroſolymæ Epiſcopo in Paleſtina presbyter ordinatus eſt, quod profectò contra regulam eccleſiaſticam auſi non eſſent Epiſcopi illi, quos inter Paleſtinæ Antiſtites probatiſſimos & maximè inſignes fuiſſe teſtatur Euſebius, qui etiam Alexandrum Confeſſorem fuiſſe aſſerit. Graviter quidem Demetrio Alexandriæ Epiſcopo diſplicuit hæc Origenis ordinatio, ſed nihil poſtmodùm Origeni objecit, vel etiam objicere potuit, præter voluntariam ſui mutillationem, ut refert Euſebius.

Euſeb. lib. 6. hiſt. eccl. cap. 8.

Martinum è Pannonia oriundum, & Abiani baptizatum, aliquantò poſtquam militiam reliquiſſet, ad diaconatum promovere voluit Hilarius Pictavienſis; cùmque conſtanter renueret, hoc gradu indignum ſe vociferans, Exorciſtam ordinavit conſentientem, ne videretur tale officium tanquam humilius deſpicere.

Sulp. Sever. in vita S. Martini.

Paulinum, poſtea Nolanum Epiſcopum, in Burdegalenſi diœceſi natum, & Burdegalæ baptizatum, per vim, ut ipſe loquitur in ſua ad Alipium epiſtola, inflammatæ ſubitò plebis Lampius Barcinonæ presbyterum conſecravit.

Hieronymus, Stridonæ in Dalmatia ortus, à Paulino Antiocheno Epiſcopo ad ſacerdotium, quod non modò non expetebat, ſed invitus ſuſcipiebat, promotus eſt, &c. Hos autem & laicos, & ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi nati, erant, litteris dimiſſoriis ordinatos fuiſſe, ex circunſtantiis apparet. Quod autem ſic potuerint ordinari licitè, tum ex eorum, tum ex Epiſcoporum à quibus ordinati fuerunt, probitate facilè colligitur,

Prob. 2. Quia veteres Canones, quibus prohibetur ne unius diœceſis homines ordinentur ab Epiſcopo alterius diœceſis ſine licentia & voluntate proprii Epiſcopi, expreſsè loquuntur omnes de clericis, hoc eſt, de iis, qui alicui Eccleſiæ per officium aliquod eccleſiaſticum ibi ſuſceptum mancipati erant, ut intelligitur ex Concilio Carth. III. cap. 21. quo dicitur: *Ut clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum autem nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retinent.*

Præterea, primus poſt annum 1294. Bonifacius VIII. ne laico unius diœceſis, ſine proprii Epiſcopi licentia, alterius diœceſis Epiſcopus clericalem conferat tonſuram, prohibuit cap. *Nullus*, de tempor. ord. &c. in 6. quo dicitur: *Nullus Epiſcopus ... abſque ſui ſuperioris licentia, homini diœceſis alienæ clericalem præſumat conferre tonſuram ... Qui verò contra fecerit ... per unum annum à collatione clericalis tonſuræ dumtaxat noverit ſe ſuſpenſum.* Primùm igitur exeunte ſæculo decimo-tertio, illicita reddita eſt laicorum ordinatio ab alieno Epiſcopo, ſine licentia proprii Epiſcopi, quatenùs omnis ordinatio licita ſtatum clericalem, adeòque clericalem tonſuram præſupponit.

Prob. 2. *pars* ex Conc. Nicæno can. 17. ſecundùm interpretationem Iſidori Mercatoris, quo dicitur: *Si quis auſus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in ſua Eccleſia, cùm non habeat conſenſum Epiſcopi ipſius, à quo receſſit clericus, irrita ſit* (quantùm ad ſuſcepti Ordinis executionem) *hujuſmodi ordinatio*. Ex Conc. Sardicenſi can. 19. ſecundùm ejuſdem Iſidori interpretationem, quo dicitur: *Et hoc univerſi conſtituimus, ut quicumque ex alia parochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius & ſine voluntate ordinare, non ſit rata ordinatio ejus.* Ex Conc. Carth. III. can. 21. cujus verba jam recitavimus. Ex Gregorio X. in generali Concil. Lugd. cap. *Eos qui*, de tempor. ord. in 6. *Eos qui*, inquit, *Clericos parochiæ alienæ abſque ſuperioris ordinandorum licentia, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito, præſumpſerint ordinare, per annum à collatione Ordinum decernimus eſſe ſuſpenſos, &c.*

RESPONSIO II.

Unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinari debet, nec aliquis ſine ipſius licentia, ſi præſens ſit, vel litteris dimiſſoriis, ſi ſit abſens, licitè poteſt ordinari ab alio Epiſcopo.

Prob. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. in decreto de reformatione cap. 8. ubi ſic loquitur: *Unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur. Quòd ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenùs id ei etiam cujuſvis generalis*

aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur: niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, Ordinans à collatione ordinum per annum, & Ordinatus à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

Quæres, quotuplex ſit proprius Epiſcopus? *R.* jure communi triplicem eſſe; nempe Epiſcopum loci, in quo Ordinandus natus eſt; Epiſcopum loci, in quo beneficium habet; & Epiſcopum loci, in quo habet domicilium. Patet ex cap. *Cùm nullus*, de temporib. ord. &c. in 6. in quo ſic loquitur Bonifacius VIII. *Cùm nullus clericum parochiæ alienæ præter ſuperioris ipſius licentiam debeat ordinare: ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus: ſeu in cujus diœceſi beneficium obtinet eccleſiaſticum: ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.* Primus autem Epiſcopus dicitur Epiſcopus originis, ſecundus beneficii, tertius domicilii. Sed

Nota 1. Olim Epiſcopus loci, in quo quis per baptiſmum ſpiritaliter renatus fuerat, cenſebatur Epiſcopus originis, à quo poterat ordinari. Hoc apertè ſignificat S. Paulinus Nolanus in ſua ad Alipium epiſtola, ubi ait; *Nam ego, etſi à Delphino Burdegalæ baptizatus à Lampio apud Barcilonam in Hiſpania per vim inflammatæ ſubito plebis ſacratus ſim, &c.* Idem colligitur ex Conc. Carthag. III. can. 44. in quo Epigonius Epiſcopus reum poſtulat Julianum Epiſcopum, quòd diaconum in ſua Eccleſia ordinarit quemdam, quem in ſua baptizaverat Epigonius, & Julianus clericum illum Epigonio reſtituere jubetur à Synodo, ſub pœna excommunicationis.

Nunc verò Epiſcopus originis in Gallia, cenſetur is tantùm, in cujus diœceſi aliquis natus eſt, vel re ipſa, vel per fictionem juris. Dico, vel per fictionem juris: nam qui fortuitò natus eſt in loco, per quem mater tranſibat, aut in quem venerat non animo ibi perpetuò commorandi, cenſetur natus in paterna domo, & ita reſpectu illius, Epiſcopus paternæ diœceſis eſt Epiſcopus originis. Idem dic de filiis, quos oratores, vel alii pro negotiis publicis à principibus delegati, ſuſcipiunt in remotis regionibus, ad quas miſſi ſunt ad annos aliquot, & non tot, quot conſtituendo domicilio ſufficiunt: in patriam enim reduces cenſentur ex paterna civitate oriundi, & ita pro Epiſcopo originis habent Epiſcopum civitatis paternæ.

Porrò dixi, in Gallia: nam v.g. in Italia, ſecundùm jus commune, Epiſcopus loci, ex quo pater oriundus eſt, cenſetur Epiſcopus originis reſpectu filii: ita ut ſi v.g. Neapolitanus Romæ domicilium conſtituat, & ibi ex uxore ſuſcipiat filium, non ſolùm Epiſcopus Romanus, ſed etiam Neapolitanus cenſeatur Epiſcopus originis reſpectu filii ejus, qui proinde poſtmodum poterit pro arbitrio vel Romanum, vel Neapolitanum Epiſcopum eligere, ut ab eo ſuſcipiat Ordines. In Gallia verò nulla in ordine ad licitam Ordinum ſuſceptionem ratio habetur paternæ nativitatis.

Nota 2. Epiſcopus domicilii dicitur Epiſcopus loci, *ubi quis larem, rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit: unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet; unde cum profectus eſt, peregrinari videtur: quo ſi redit, peregrinari jam deſtitit*, ut habetur L. *Cives*, cod. *de Incolis*. Breviter, Epiſcopus domicilii eſt Epiſcopus loci, in quo quis, relicto in perpetuum originis ſuæ loco, habitat animo ibi perpetuò manendi, unde & ibi rerum, fortunarumque ſuarum ſummam conſtituit.

Porrò dicenti, ſe in eo loco, in quo habitat, animum perpetuò manendi gerere, facilè credendum non eſt, præſertim poſt brevem tantum in eo loco commorationem; ſed animus ejus diligenter explorandus eſt, ſi velit ordinari; nec priùs eſt ad ordines promovendus, quàm ex ſufficientibus indiciis moraliter conſtet de veracitate, adde & bona fide ipſius: facilè enim contingere poteſt, ut extranei aliqui commigrent in alienam diœceſim, animo quidem ibi perpetuò manendi, ſed ſimul ſpe ibi crimina ſua, vel alia impedimenta canonica occultandi, & occultando, Ordines, quos in patria ob indignitatem ſuam obtinere non potuerunt, ſurripiendi.

Obſervat hoc Clemens IV. cap. *Sæpe*, de temporib. ord. in 6. *Sæpe contingit*, inquit, *quod nonnulli clerici vinculo excommunicationis aſtricti, aut apoſtatæ ſeu irregulares, vel aliàs Ordinum ſacrorum ſuſceptione indigni, ſuam patriam, in qua de his habetur notitia, fugientes, ſe in remotis partibus faciant ad hujuſmodi Ordines promoveri.* Tanto autem ut occurrat malo, prohibet omnibus Italiæ Epiſcopis, ne aliquem clericum ultramontanum ordinare præſumant, niſi ad hoc ſpecialem licentiam habeant, vel à Summo Pontifice, *vel ab Epiſcopo, de cujus diœceſi traxit originem ordinandus, vel in cujus diœceſi beneficiatus exiſtit, per ejus patentes litteras, cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolit, aut nequeat ordinare.* Præterea, eos quos contra prohibitionem hanc contigerit ordinari, decernit manere ſuſpenſos, abſque ſpe diſpenſationis ſuper hoc à Sede Apoſtolica obtinendæ. Ordinantes verò pœnitentia condigna puniri præcipit.

Quænam ad moralem de domicilio certitudinem indicia ſufficere poſſint, aliis ſtatuendum relinquimus. Duo tantum hìc ſubjicimus, 1. Antiqua Concilia decem annorum commorationem præſcribere ad hoc, ut quis ab Epiſcopo domicilii licitè poſſit ordinari. 2. Quia domicilium difficilè probatur, & jus originis eminet juri domicilii, ad Galliæ Epiſcopor uſu ſatis receptum eſſe, ut ab iis, qui ex alia diœceſi oriundi ſunt, etiam poſt decennalem habitationem ordinandis abſtineant, eoſque ad Epiſcopum originis remittant.

Nota 3. Quilibet, ſi aliunde indignus non eſt, jure communi poteſt licitè ordinari ab Epiſcopo loci, in quo beneficium eccleſiaſticum obtinet, ſive beneficium ſit ſimplex, ſive curatum; ſive reſidentiam poſtulet, ſive non poſtulet; ſive pingue ſit, ſive tenue; ſive ad titulum, ſive ad commendam poſſideatur: nam generaliter loquitur Summus Pontifex cap. *Cùm nullus* citato, & ubi jura non diſtinguunt, nec nos debemus diſtinguere. Quòd ſi Ordinandus plura in diverſis diœceſibus obtinet beneficia, modò omnium adierit poſſeſſionem, jure communi poterit, quem volet, ex Epiſcopis in quorum diœceſibus beneficiatus eſt, eligere, ut ab eo ordinetur; cùm omnes jure communi relatè ad Ordinum collationem, propter allatam rationem, ſuperiores illius pariter ſint. Sed

Nota 4. Quia nemini fraus & dolus patrocinari debent, ſi quis in fraudem beneficium adipiſcatur in aliena diœceſi, ut nempe proprii Epiſcopi, in cujus diœceſi natus eſt, & domicilium habet, examini & ordinationi ſeſe ſubducat; ab Epiſcopo loci, in quo tale beneficium obtinet, ſine licentia proprii epiſcopi ordinatus, ſuſpenditur ab executione ſuſceptorum Ordinum, & in illis miniſtrans irregularitatem incurrit, juxta cap. 8. Conc. Trident. ſeſſ. 23. de reformat. Et Epiſcopus eum ordinans, ſi fraudis conſcius & particeps ſit, à collatione Ordinum ſuſpenditur per annum, juxta cap. *Eos qui* Gregorii X. de temporib. ord. in 6. Utrumque declaravit ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Hinc

Si beneficium, quod quis obtinet in diœceſi, in qua nec natus eſt, nec domicilium habet, tenuiſſimum ſit, nonnullis Doctoribus videtur talis, propter fraudis præſumptionem, Epiſcopo loci, in quo beneficiatus eſt, ordinari non poſſe licitè, niſi obtenta priùs licentia Epiſcopi in cujus diœceſi natus eſt, & domicilium habet. Saltem non aliter ordinari, omninò videtur expedire, ad vitandum illius qui ordinandus eſt, ſalutis periculum.

Nota 5.

Noat 5. In generalibus Cleri Gallicani comitiis anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto obſervatum eſt, decretum Bonifacii VIII. de tribus Epiſcopis propriis vix unquam in Gallia ad praxim redactum fuiſſe, & omninò expedire, ut unus tantùm pro unoquoque ſit Epiſcopus proprius, à quo poſſit Ordines ſuſcipere, videlicet Epiſcopus originis: quare in iiſdem comitiis decretum eſt, monendos eſſe obteſtandoſque regni Præſules, ut non impoſterùm ordinarent, niſi illos, qui ex eorum diœceſi eſſent oriundi. Quod jam ita receptum eſt inter Gallicanos Epiſcopos, ut clericos in ſua diœceſi beneficiatos, ſed ex alia oriundos, præſertim ſi beneficium ſit ſimplex abſque reſidentia, ſaltem raro ordinent ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi diœceſis, in qua ſunt nati.

ARTICULUS IV.

De Litteris dimiſſoriis.

QUæres. 1. in quo Litteræ dimiſſoriæ, quæ nunc dantur ab Epiſcopis, differant ab iis, quas olim concedebant?

R. Olim qui ordinabantur in aliqua Eccleſia, ita illi per Ordinem in ea ſuſceptum addicebantur, ut tenerentur in ea perpetuò manere, nec ad aliam tranſire, altiorem in ea Ordinem ſuſcipiendo, poſſent, niſi ab Epiſcopo ſuo, ſeu ab Epiſcopo loci, in quo primùm ordinati fuerant, quaſi manu mitterentur, & abire permitterentur, quod fiebat per litteras dimiſſorias. Clericus itaque olim per litteras dimiſſorias, Epiſcopi, à quo illas accipiebat, juriſdictioni ac poteſtati ſubtrahebatur, atque ita ſui juris factus, nec ampliùs Eccleſiæ, in qua primùm ordinatus fuerat, mancipatus, poterat alterius Eccleſiæ clero adſcribi, adeòque ab alterius Eccleſiæ Epiſcopo ad altiorem Ordinem promoveri, & hac promotione ita alteri Eccleſiæ mancipari, ut ad priorem redire, aut in aliam tranſmigrare non poſſet. Nunc autem clerici ab Epiſcopo ſuo per litteras dimiſſorias nudum ſuæ ad Ordines ſuſcipiendos idoneitatis teſtimonium accipiunt. Et verò cum clerici per ordinationem non mancipentur alterius diœceſis Epiſcopo, à quo ordinantur, ad hoc ut ab alieno Epiſcopo licitè ordinari poſſint, neceſſe non eſt, ut emancipentur à proprio.

Quæres 2. Quem modum ſervare debeat Epiſcopus in dandis litteris dimiſſoriis?

Reſp. Quilibet Epiſcopus tenetur, cùm poteſt, diœceſanos ſuos per ſemetipſum ordinare. Quòd ſi ægritudine, vel aliter legitimè ſit impeditus, poteſt illos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittere, ſi priùs tamen illos probarit, & diligenter examinarit, atque idoneos repererit. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. de reform. *Epiſcopi*, inquit, *per ſemetipſos Ordines conferant. Quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quàm jam probatos & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Præterea, ne generaliter ad omnes Ordines concedantur litteræ dimiſſoriæ vetant, nec niſi ſeorſim ad ſingulos dari volunt aliqua Concilia particularia, ut Mediolanenſe IV. ſub S. Carolo in Italia; & in Gallia Burdigalenſe an. 1624. tit. 9. de dimiſſoriis litteris.

Quæres 3. Quinam præter Epiſcopum proprium, litteras dimiſſorias dare poſſint clericis ſæcularibus.

R. 1. Epiſcopo in remotis agente, ipſius in ſpiritualibus Vicarius generalis dare poteſt licentiam ordinandi, ut dicit Bonifacius VIII. cap. *Cùm nullus*, de temporib. ord. in 6. adeòque dare poteſt, Epiſcopo in remotis agente, dimiſſorias litteras, non ſolùm ad tonſuram clericalem, ſed etiam ad omnes Ordines: præſente verò, vel non longè abſente Epiſcopo, non poteſt niſi ab eo ſuper hoc ſpecialem & expreſſam licentiam acceperit, ut ex cap. citato colligitur.

2. Sede vacante, Capitulum, expleto vacationis anno, poteſt laicis ad primam tonſuram, clericis verò quibuſcumque, modo idonei ſint, ad Ordines etiam majores dimiſſorias litteras dare: intra verò annum vacationis dare non poteſt, niſi clericis beneficii, eccleſiaſtici recepti vel recipiendi occaſione arctatis. Prima pars patet ex cap. *Cùm nullus*, de temporib. ord. 6. ubi dicitur, Capitulum, ſede vacante, dare poſſe licentiam ordinandi. Secunda pars patet ex Conc. Tridént. ſeſſ. 7. cap. 10. ubi Capitulum, ſi intra vacationis annum clericos, non arctatos occaſione beneficii accepti vel accipiendi ordinandi licentiam dederit, aut dimiſſorias litteras conceſſerit, eccleſiaſtico ſubjicitur interdicto, & clerici ſic ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint omni privilegio clericali, præſertim in criminalibus privantur: in majoribus verò, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati ſuſpenduntur.

3. Poteſt quidem à Summo Pontifice clericus, ex qualibet diœceſi oriundus, ad Epiſcopum quemlibet ordinandus dimitti; ordinari tamen non poteſt, niſi de vita & moribus teſtimonium ab Ordinario ſuo acceptum exhibeat: ſi ſecùs fiat, gravis & ordinanti & ordinato pœna infligitur à Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. ubi dicitur: *Unuſquiſque à propria Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis, &c.* ut ſupra.

4. Neque Abbates, neque ulli alii exempti, neque Collegia, aut Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum cathedralium, litteras dimiſſorias clericis ſæcularibus concedere poſſunt, ut ordinentur ab alio, quàm ab Epiſcopo diœceſis, intra cujus fines conſiſtunt. Ita ſancitum eſt à Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. de reform. quo dicitur: *Nec ipſi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula, etiam Eccleſiarum cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: ſed horum omnium ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis exiſtunt, pertineat: non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Quæres 4. *obiter*, quis clericus dicatur arctatus occaſione beneficii recepti vel recipiendi?

R. 1. Arctatus occaſione beneficii recepti dicitur ille, qui obtinet aliquod beneficium, requirens ſervitium perſonale, ratione cujus, de jure, conſuetudine privilegio, ſtatuto Eccleſiæ, vel fundatione, intra annum tenetur ſe promoveri facere. 2. Arctatus occaſione beneficii recipiendi dicitur ille, qui jus habet, ſed vocatus eſt ad aliquod beneficium vacans, quod requirit actu certum Ordinem, quo caret; ſeu qui primam tonſuram jam habens, præſentatus eſt ad beneficium, requirens actu certum Ordinem. Ita Barboſa parte 2. de officio & poteſtate Epiſcopi, allegat. 7. num. 11. poſt multos alios, quos ipſe citat.

Dixi autem, qui primam tonſuram jam habens: nam arctatus occaſione beneficii recipiendi, dici non poteſt ille qui nondùm habens primam tonſuram, vult eam recipere, ut capax ſit beneficii, cujus captandi ſeſe offert occaſio. Idem dic de illo, cui alius reſignare vult beneficium aliquod, actu requirens certum Ordinem, quo caret.

Quæres 5. Utrùm Regulares ſuperiores ſubditis ſuis concedere poſſint litteras dimiſſorias?

R. Poſſe, ut prob. 1. ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. de reformat. ubi cùm Abbates, & alii quicumque Prælati prohibentur concedere litteras dimiſſorias clericis ſæcularibus, manifeſtè innuitur concedere poſſe clericis regularibus ſubditis ſuis. 2. Ex declaratione à Clemente VIII. facta, & conceſſa ad inſtantiam monaſterii de Alcobaca regni Portugalliæ, & incipit, *Ut ea quæ*, ubi inter alia præcipitur, ut litteræ dimiſſoriæ Abbatis prædicti monaſterii, à quibuſcumque locorum Ordinariis recipiantur, & admit-

Digitized by Google

admittantur. 3. Ex declaratione ſub eodem Clemente VIII. à Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus facta, cujus meminit Concilium Toletanum anno 1583. celebratum, ubi ſic loquuntur Cardinales: *Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito item regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere ad Epiſcopum, &c.*

Nec obſtat Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. cùm ait: *Si quis ab alio promoveri* (quàm à proprio Epiſcopo) *petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio comprobentur.* Nam 1. hic non agitur de litteris dimiſſoriis: aliud enim ſunt litteræ dimiſſoriæ, & aliud de vita & moribus teſtimonium, neque hæc ſunt confundenda. Et verò clericus ſæcularis, qui habet à Summo Pontifice litteras dimiſſorias ad aliquem Epiſcopum, ut ab eo ordinetur, non indiget litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi; & tamen; ut licitè poſſit ordinari, indiget teſtimonio, quo probitas ac mores ejus à proprio Epiſcopo commendentur.

2. Hic nomine Ordinarii, à cujus teſtimonio commendari neceſſe eſt probitatem ac mores Regularis ordinandi, Synodus non intelligit Epiſcopum diœceſanum, qui nec dici poteſt Ordinarius reſpectu Regularium, nec de illorum vita & moribus teſtimonium ferre poteſt; ſed Generalem, Provincialem, ſeu alium inferiorem Prælatum Regularem, qui quantùm ad teſtimonium quod requirit Synodus, ferendum, Ordinarii ſunt; cùm ſubditorum ſuorum vitam, probitatem, ac mores planè cognoſcant, & ita, juxta Concilii diſpoſitionem, de illis poſſint ferre teſtimonium. Ita Barboſa p. 2. de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 7. num. 31.

Modum autem & formam dandi litteras dimiſſorias præſcripſit Regularibus Superioribus Clemens VIII. anno 1596. in ordinatione, cujus hic tenor eſt. „
„ De mandato S. D. N. Clementis divina gratia Pa-
„ pæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus &
„ ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus,
„ ut de cætero obſervent, & obſervari faciant ea,
„ quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilii Tri-
„ dentini continentur, cujus tenor eſt talis: Con-
„ gregatio Concilii cenſuit Superiores Regulares poſ-
„ ſe ſuo ſubdito item Regulari, qui præditus quali-
„ tatibus requiſitis, Ordines ſuſcipere voluerit, lit-
„ teras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen
„ diœceſanum, nempe illius monaſterii, in cujus
„ familia ab iis ad quos pertinet, is Regularis po-
„ ſitus fuerit; & ſi diœceſanus abfuerit, vel non
„ eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium
„ Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Or-
„ dines contulerit, examinetur quoad doctrinam, &
„ dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria
„ conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo
„ Epiſcopus diœceſanus vel abfuturus, vel nullas
„ habiturus ordinationes eſſet. Verùm cùm à Su-
„ perioribus Regularibus, Epiſcopo diœceſano ab-
„ ſente, vel Ordinationes non habente, litteræ di-
„ miſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cau-
„ ſam abſentiæ diœceſani Epiſcopi, vel ordinatio-
„ num ab eo non habendarum, exprimendam eſſe.
„ Quod qui non fecerint, officii & dignitatis, ſeu
„ adminiſtrationis, ac vocis activæ & paſſivæ priva-
„ tionis, ac alias arbitrio ejuſdem S. D. N. Papæ re-
„ ſervatas pœnas incurrent.

Quæres 6, à quo Epiſcopo ordinari debeant Regulares?

Reſp. Regulares, etiam exempti, ſecluſo ſpeciali privilegio à Sede Apoſtolica conceſſo, ordinari debent ab Epiſcopo diœceſis, in qua ſitum eſt monaſterium, vel domus, ubi ex obedientia permanenter degunt.

Prob. 1. Ex cap. *Cùm nullus*, de temporib. ord. in 6. quo dicitur, ſuperiores Regulares ſubditos ſuos non poſſe à quo voluerint Epiſcopo facere ordinari, niſi hoc eis ſpecialiter indultum ſit à Sede Apoſtolica. Hic autem Pontifex generaliter loquitur, nec diſtinguit inter exemptos & non exemptos. At ſi Superiores Regulares, etiam exempti, ſecluſo, &c. non poſſunt a quocumque voluerint Epiſcopo facere ordinari ſubditos ſuos, ſupereſt ut poſſint ſolùm eos facere ordinari ab Epiſcopo diœceſis, in qua ex obedientia permanenter degunt; quandiu enim in ea ſic degunt, tandiu cenſentur illius eſſe, & ita tandiu Epiſcopus, relatè ad Ordinum collationem, cenſetur illorum proprius & diœceſanus Epiſcopus. Citato autem capite dicit Pontifex, nullum niſi à proprio & diœceſano Epiſcopo, vel niſi de ipſius licentia ab alio ordinari debere.

2. Ex Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. quo dicitur: *Unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur.* At Regulares, etiam exempti, ſecluſo, &c. cùm non poſſint à quocumque eorum Superiore voluerint Epiſcopo ordinari, habent relatè ad Ordinum collationem Epiſcopum proprium, & hic alius jure communi non eſt, quàm is, in cujus diœceſi permanenter degunt ex obedientia. Ergo, &c.

3. Ex ordinatione Clementis VIII. ſupra relata, juxta quam Regulares Superiores ſubdito ſuo item Regulari non poſſunt concedere litteras dimiſſorias, niſi ad Epiſcopum diœceſanum illius monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet is Regularis, qui ordinandus eſt, poſitus fuerit, ſi nimirùm Epiſcopus in ſua diœceſi verſatur, & Ordines collaturus eſt. Quòd ſi abeſt à ſua diœceſi, aut non habiturus eſt Ordinationes, poſſunt quidem Superiores Regulares ſubdito ſuo item Regulari litteras dimiſſorias dare ad quemcumque alium Epiſcopum, inconſulto Diœceſano; modò tamen, 1. non expectarint de induſtria tempus, quo abfuturus, vel nullas ordinationes habiturus erat, 2. In litteris dimiſſoriis abſentiæ illius, vel ordinationum ab eo non habendarum cauſam exprimant.

Ex his apparet, Epiſcopum diœceſanum loci, in quo ſitum eſt monaſterium aliquod, relatè ad Ordines, eſſe proprium Epiſcopum Regularium, etiam exemptorum; cùm in hac Clementis VIII. ordinatione inter exemptos & non exemptos non fiat diſtinctio; nec ab alio, ſi præſens ſit, & habiturus ſit Ordinationes, ordinari poſſe, cum hac tamen moderatione, quòd, eo abſente, aut nullas Ordinationes habente, neque dimiſſoriis neque commendatitiis ejus litteris egeant, ſed eos poſſint Superiores, ſecluſa dilatione fraudulenta, dimittere ad quem voluerint Epiſcopum, ut ab eo poſt ſufficiens doctrinæ examen ordinentur.

Dixi autem, ſemper, ſecluſo ſpeciali privilegio, &c. Unde hic excipiendi veniunt, 1. Religioſi S. Joannis Hieroſolymitani, quibus Pius IV. in Bulla, quæ incipit *Circumſpecta*, conceſſit facultatem, *ut à quocumque catholico Antiſtite, ſub Romanæ Sedis obedientia conſtituto, ſacros Ordines, etiam extra tempora à jure ſtatuta, tribus diebus feſtis ſuſcipere ... poſſint.* Quod privilegium confirmavit Pius V. & alii plures Summi Pontifices, ut refert Barboſa par. 2. de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 4. num. 65.

2. Religioſi Societatis Jeſu, cujus Præpoſito Generali Paulus III. in Bulla, quæ incipit *Licet debitum*, anno 1549. edita, facultatem conceſſit Socios ordinandos ad quos voluerit Epiſcopos catholicos, & habentes Sedis Apoſtolicæ communionem dimittendi, & ipſis Epiſcopis hujuſmodi dimiſſos, ſeu præſentatos, ad omnes etiam ſacros & presbyteratus Ordines promovendi. *Et quia*, inquit, *ejuſdem Societatis fratres & ſocios de locis ad loca transferri contingit, propter quod ſtabilem continuam in certis & determinatis domibus manſionem habere non poſſunt, & in ipſa Societate idoneos tantum & comprobatos, ad ſacros Ordines promoveri intelleximus; eidem Præpoſito Generali, quod ordinandos ſocios & fratres hujuſmodi Societatis, quibuſcumque maluerit catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem dictæ Sedis* (Apoſtolicæ) *habentibus, præſentare, ipſiſque*

Anti-

Antiſtitibus præſentatos hujuſmodi, abſque omni promiſſione, vel obligatione ipſorum ordinandorum fratrum & ſociorum, ad omnes etiam ſacros & presbyteratus Ordines promovere (poſſint) *concedimus.*

Hoc privilegium Gregorius XIII. non ſolùm confirmavit, ſed etiam ampliavit in Bulla, quæ incipit *Pium & utile*, anno 1582. edita: *Omnibus*, inquit, *Epiſcopis, & aliis Antiſtitibus præſentibus, & futuris, in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, ne ab hujuſmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis* (Jeſu) *pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam prædictorum requirant, vel exigant, ſed ipſos etiam abſque ulla functione in Ordinibus ipſis, interſtitiorumque ad illos ſuſcipiendos obſervatione, aut inquiſitione de cantu, officiis, & cæremoniis eccleſiaſticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure ſtatuta, tribuſque Dominicis, vel aliis feſtis diebus etiam continuis ad ſacros etiam presbyteratus Ordines promoveant, ac ſi illi omnibus requiſitis præditi eſſent. Nos enim illis Ordines omnes prædictos ſic ſuſcipiendi, ac prædictis Antiſtitibus eos ipſis conferendi facultatem tribuimus.*

Hujus autem gratiæ communicationem verbis ſubſequentibus prohibet etiam iis qui privilegia Societatis participant, & participare poterunt. Nam ſic proſequitur: *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtol. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, qui ſua privilegia cum ipſa Societate copiosè participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.*

Simile privilegium Mendicantium Ordinibus conceſſerat Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Et ſi Mendicantium*, anno 1567. edita, in qua ſic loquitur: *Seſſione vere 23. cap. 8. Neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens* (Concil. Trident.) *in Regularibus locum non habere omninò declaramus, ita quod fratres hujuſmodi præfatos etiam ſacros Ordines à quolibet Antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, Ordinarii loci minimè requiſita licentia, in locis ſeu domibus fratrum hujuſmodi, aut alibi recipere poſſint.* Sed hoc privilegium revocavit Gregorius XIII. præfatamque Pii V. conſtitutionem per ſuam quæ incipit, *In tanta rerum*, anno 1573. reduxit ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini.

Quæres 7. Utrùm Epiſcopus cogi poſſit ad ordinandos omnes clericos ſuos, qui qualitates requiſitas habent?

Reſp. 1. Clerici ſæculares, neque beneficium habentes, neque in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, quamvis idonei ſint, & patrimonium, vel penſionem habeant, ad ſacros Ordines promoveri non debent, niſi illi, quos Epiſcopus proprius judicat eſſe promovendos. Ita ſanxit Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. quo dicitur de hujuſmodi clericis: *Patrimonium vere, vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.*

Reſp. 2. Clericus ſæcularis, beneficium habens, vel in dignitate eccleſiaſtica conſtitutus, à ſuſcipiendis Ordinibus prohiberi ob crimen occultum olim non poterat ab Epiſcopo ſuo, qui proinde, vel eum ordinare, vel ei litteras dimiſſorias concedere tenebatur.

Prob. Ex cap. *Ex tenore* extra de temporibus ord. &c. quo dicitur: *Ex tenore tuarum litterarum accepimus, quod* N. *clericus* (ſæcularis ſcilicet) *adeo deliquit ... Verum quoniam peccatum ipſius fore occultum dixiſti, mandamus quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & ſuadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, Ordine ſuſcepto utatur, quo contentus exiſtens, ad ſuperiorem amplius non aſcendat: verumtamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Hoc autem capite Alexandrum III. loqui ſaltem, vel maximè de clerico ſæculari, vel beneficium habente, vel in dignitate eccleſiaſtica conſtituto, manifeſtum eſt.

Dixi autem, olim non poterat: nam jure novo Concilii Tridentini, clericus ſæcularis, ſive beneficium obtinens, ſive conſtitutus in dignitate eccleſiaſtica, poteſt ob crimen occultum ab Epiſcopo ſuo prohiberi à ſuſceptione Ordinum. Patet ex ſeſſion. 14. cap. 1. de reformat. quo dicitur: *Cum honeſtius ac tutius ſit ſubjecte, debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quàm cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato, ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter fuerit interdictus; aut qui à ſuis Ordinibus ſeu gradibus, vel dignitatibus eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, & dignitates ſive honores reſtitutio ſuffragetur.*

Eo decreto, inquit Fagnanus, *corrigitur diſpoſitio textus* (capitis Ex tenore) *in ea parte, in qua determinat criminoſum occultum eſſe tantummodo admonendum, ſed non prohibendum aſcendere ad ſuperiores Ordines: & diſpoſitio capitis* (Ad aures) *proximi, quod de Regularibus loquitur* (& quo prohibetur, ne clericus Regularis contra Prælati ſui voluntatem ordinetur) *extenditur etiam ad clericos ſæculares, ac prætereà ampliatur in eo, quia Epiſcopus non ſolum poteſt ob crimen occultum prohibere aſcenſum ad Ordines, ſicut poterant Prælati in vim dicti capitis* (Ad aures) *proximi* (ſeu proximè ſubſequentis caput *Ex tenore*) *ſed etiam eos ſuſpendere ab Ordinibus, gradibus, & dignitatibus jam ſuſceptis, quod nec Epiſcopo, nec Prælatis Regularibus ante Concilium licebat.* In 1. par. 1. decretal. de tempor. ord. c. ex ten. &c. n. 19.

Poteſt igitur Epiſcopus clericum ſæcularem, etiamſi beneficium habeat, vel dignitatem eccleſiaſticam (ſupple ſemper, cui annexus eſt Ordo quo caret) ex quacumque juſta cauſa nolle ordinare. Et talis clericus, ex juſta aliqua cauſa ordinum ſuſceptione quomodolibet etiam extrajudicialiter interdictus ab Epiſcopo ſuo, ab alio ordinari non poteſt, etiam obtenta contra Epiſcopi ſui voluntatem de ſe promoveri faciendo licentia.

Porrò ſi quando Epiſcopus ſubditum ſuum Ordinum ſuſceptione interdicendo, authoritate ſua abutitur, tunc ſubditus remedium habet recurſus ad Sedem Apoſtolicam, ut dicit idem Fagnanus in cap. *Ad aures* eodem tit. num. 22. ubi obſervat, à Sacra Congregatione Concil. Trid. ſub Gregorio XIII. editam eſſe deciſionem, quæ poſteà perpetuò obtinuit in Dataria, videlicet: Quotieſcumque Ordinarius recuſaverit quemquam ordinare, committendum eſſe Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo, ut ab eod. Ordinario priùs requirat, cur recuſaverit; quo cauſam legitimam non allegante, liceat illi eundem recuſatum ordinare.

Quæres 8. Utrùm Epiſcopus aliquando poſſit ordinare hominem alterius diœceſis, ſine litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi?

Reſp. Poteſt Epiſcopus alterius diœceſis hominem familiæ ſuæ adſcriptum, & apud ſe tres annos continuos commoratum, ordinare ſine litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi, modò quacumque fraude ceſſante, ſtatim, ſeu intra paucos dies re ipſa beneficium illi conferat. Patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 9. de reform. Porrò hic tantùm loquimur de Epiſcopo Ordinario: hoc enim privilegio non gaudent Epiſcopi titulares, ſeu Epiſcopi, qui diœceſim ſuam habent in partibus infidelium. Patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. de reform. quo prohibetur Epiſcopis titularibus, ne, in quocumque loco reſederint, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque proprii Prælati expreſſo conſenſu,

ſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros aut minores Ordines, vel ad primam tonſuram promoveant, ſive ordinent; & contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò ordinatus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſuſpenſus eſſe decernitur.

ARTICULUS V.

Utrùm ſimplex ſacerdos poſſit ex commiſſione Summi Pontificis eſſe extraordinarius Miniſter Ordinationum.

RESPONSIO I.

Simplex ſacerdos non poteſt, etiam ex commiſſione Summi Pontificis, eſſe miniſter extraordinarius Ordinationum, quæ ſunt verè, ac propriè ſacramenta.

Prob. 1. Ex Patribus, Hieronymo ſcilicet in epiſtol. ad Evagrium, ubi ait: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Chryſoſtomo hom. 11. in cap. 3. epiſtol. 1. ad Timoth. *Sola quippe*, inquit, *ordinatione ſuperiores illi* (Epiſcopi) *ſunt, atque hoc tantùm, plus quàm presbyteri, habere videntur.* Et Epiphanio hæreſ. 75. §. 4. *Epiſcoporum*, inquit, *Ordo ad gignendos patres præcipuè pertinet: hujus enim eſt patrum in Eccleſia propagatio.* Juxta Epiphanium, Patrum, hoc eſt, Epiſcoporum & presbyterorum in Eccleſia propagatio, prærogativa eſt Ordini epiſcopali jure divino propria. Juxta Hieronymum, & Chryſoſtomum, Epiſcopi omni ordinatione, ſacra ſcilic. quæ verè, ac propriè ſacramentum eſt, adeòque non ſolùm Epiſcoporum & presbyterorum, ſed etiam diaconorum ordinatione ſimplicibus ſacerdotibus jure divino incommunicabiliter excellunt. Patres enim laudati manifeſtè loquuntur de prærogativa, & excellentia Epiſcopis ita propria, ut inferiori Ordini ſit jure divino incommunicabilis: unde non meminerunt poteſtatis confirmandi, quæ communicari poteſt ſimplicibus ſacerdotibus.

Prob. 2. Nam ſimplicibus ſacerdotibus numquam conceſſa fuit poteſtas ordinandi Epiſcopos, vel presbyteros, aut diaconos: nullibi enim reperimus Epiſcopos, vel presbyteros, aut diaconos aliquando ordinatos fuiſſe à ſimplicibus ſacerdotibus. Quod ſufficiens indicium eſt, talem eis poteſtatem communicari non potuiſſe, illamque jure divino eſſentialiter pertinere ad ſolum Epiſcopalem Ordinem. Et verò planè conveniens fuit, primarios Eccleſiæ miniſtros, qui populo chriſtiano præeſſe debent, conſtitui non poſſe, niſi à principibus Eccleſiæ, quales ſunt ſoli Epiſcopi.

RESPONSIO II.

Simplex ſacerdos poteſt ex conceſſione Summi Pontificis, eſſe miniſter Ordinum minorum, & Subdiaconatus.

Prob. 1. pars. Ex praxi recepta: nam Cardinales non Epiſcopi in propriis Eccleſiis, & Abbates varii minores Ordines re ipſa conferunt ſubditis ſuis. Et ex Concilio Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. de reform. ubi apertè ſupponit à ſimplici ſacerdote ex ſpeciali, vel generali commiſſione Summi Pontificis minores Ordines conferri poſſe, cùm ait: *Abbatibus, & aliis quibuſcumque quantumvis exemptis, non liceat impoſterum, intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram vel minores Ordines conferre.*

Prob. 2. pars. 1. Ex Gelaſio I. epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 6. ubi loquens de ſimplicibus presbyteris, vel, ſi vis, de Chorepiſcopis, qui in Occidentali Eccleſia erant omnes ſimplices presbyteri, ſic ait: *Nec ſibi meminerint ulla ratione concedi, ſine Summo Pontifice, Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi.* 2. Ex Concilio Meldenſi can. 44. quo dicitur, *ut Chorepiſcopus modum ſuum juxta canonicam inſtitutionem teneat ...... neque eccleſiaſticos* (Ordines) *qui per impoſitionem manus tribuuntur, ideſt, non niſi uſque ad Subdiaconatum, & hoc jubente Epiſcopo, & in locis, quibus canones deſignant, agere præſumant.* Ex his autem habemus, olim in Occidentali Eccleſia, in qua Chorepiſcopi ſemper fuerunt ſimplices presbyteri, à Chorepiſcopis ex conceſſione Summi Pontificis, vel etiam particularium Epiſcoporum, ordinatos fuiſſe ſubdiaconos. Can. 44.

Ratio pro utraque parte eſt, quam inſinuat Concilium Meldenſe, quia minores Ordines & Subdiaconatus conferuntur ſine manus impoſitione. Ergo non ſunt inſtitutionis divinæ, ſed eccleſiaſticæ tantùm: nullus enim Ordo à Chriſto inſtitutus, abſque manus impoſitione confertur. Ergo minorum Ordinum & Subdiaconatus collatio eſt cæremonia purè eccleſiaſtica, ad quam proinde validè peragendam neceſſarius eſſe non poteſt character Epiſcopalis. Ergo minorum Ordinum & Subdiaconatus collatio à Summo Pontifice committi poteſt non Epiſcopo.

Obj. 1. Contra 1. reſp. Concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Sextum* dicit, Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum Ordinis. *Reſp.* Ita loqui Concilium, quia non Epiſcopus ex ſpeciali, vel generali commiſſione Summi Pontificis poteſt conferre non ſolùm primam tonſuram, ſed etiam minores Ordines, & Subdiaconatum. Ex eo autem quòd non Epiſcopus ex commiſſione Pontificis poſſit conferre minores Ordines & Subdiaconatum, minimè ſequitur, quòd etiam poſſit Diaconatum aut Presbyteratum: uterque enim eſt inſtitutionis divinæ, & utriuſque collatio ſacramentum eſt, cujus perficiendi poteſtatem ita voluit Chriſtus propriam eſſe Epiſcoporum, ut aliis inferioribus miniſtris nullatenùs poſſit communicari; quod ſufficienter colligi poteſt ex eo quòd nunquam fuerit communicata.

Obj. 2. Concilium Antiochenum can. 10. quo de Chorepiſcopis dicitur: *Conſtituant autem Lectores, Hypodiacones, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment, nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe & regio.* Idem præſcribit Synodus Ancyrana can. 13. Poterant igitur in Orientali Eccleſ. Chorepiſcopi presbyteros & diaconos ordinare, quamvis non ſine expreſſa Epiſcopi, cui ſuberant, licentia. Can. 10.

Reſp. Concilium loqui de Chorepiſcopis, qui reverà Epiſcopalem ordinationem ſuſceperant: *Ii qui ſunt*, inquit, *in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem, manuumvè impoſitionem acceperint, viſum eſt, &c.* In Orientali Eccleſia multi hujuſmodi fuerunt, qui cùm eſſent Epiſcopi, & propria diœceſi carerent, Chorepiſcopi officio in aliena diœceſi fungebantur, ut colligi poteſt ex can. 18. Concilii Antiocheni, & can. 8. Concilii Nicæni. Chorepiſcopi igitur, de quibus agunt Concilia, Antiochenum ſcilicet, & Ancyranum, vi characteris Epiſcopalis, quem acceperant, poteſtatem habebant ordinandi diaconos & presbyteros, & hanc poteſtatem, ut par eſt, à præfatis Conciliis prohibentur exercere ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi miniſtrant, expreſſa licentia.

Obj. 3. Leonem Magnum epiſtol. 92. *Si qui autem clerici*, inquit, *ab illis pſeudo epiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum conſenſu & judicio præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi; ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent.* Cap. 1.

Reſp. S. Leonem hìc pſeudo-epiſcopos nominare quoſdam, qui illegitimè & contra regulam eccleſiaſticam ordinati fuerant Epiſcopi, quique proinde in ordinatione ſua cum poteſtate Ordinis, quam acceperant, accipere non potuerant juriſdictionem Epiſcopalem. Dicit autem factas ab illis ordinationes, modò cum conſenſu populi, & præſidentium judicio

factæ

Digitized by Google

factæ fuerint, ratas haberi poſſe quoad executionem Ordinum ab eis collatorum in diœceſibus, pro quibus ipſi ordinari fuerunt, atque ita clericos ab eis ordinatos permitti poſſe in ſusceptis Ordinibus miniſtrare.

Obi. 4. Innocentius VIII. anno 1489. conceſſit Abbati Ciſterciensi, ut poſſet monachos ſuos ordinare ſubdiaconos & diaconos. Et Gabriel. Vaſquez tom. 3. in 3. part. D. Thomæ, diſp. 243. c. 4. n. 39. ſcribit, ſe vidiſſe Bullam, in qua Innocentius VIII. prædictum privilegium Abbatibus Ciſtercienſibus concedit, & verba ipſa recitat.

Reſp. Tali privilegio numquam uſos eſſe Abbates Ciſtercienſes: nam planè ignoratum fuit à Patribus Tridentinis; cùm illius nullibi meminerint, & tamen meminiſſe debuiſſent cap. 10. ſeſſ. 23. de reformatione, ſi quo pacto in eorum notitiam veniſſet, ut re ipſa non potuiſſet non venire, ſi quando Abbates Ciſtercienſes monachos Ordinis ſui ordinaſſent ſubdiaconos vel diaconos.

Quod autem dicitur, à Concil. Trident. præfatum privilegium capite citato revocatum fuiſſe, manifeſtè falſum eſt: nam hoc capite duo tantùm prohibentur Abbatibus. 1. Ne cuiquam Regulari, qui ſubditus ſibi non ſit, tonſuram vel minores Ordines conferant. 2. Ne clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, litteras dimiſſorias concedant. Quare ergo Abbates Ciſtercienſes nunc ſuos ad Subdiaconatum, vel etiam Diaconatum non promovent? Quare numquam promoverunt? Certè quia hujuſmodi privilegium numquam habuerunt.

ARTICULUS VI.

Quot Epiſcopi requirantur ad Epiſcopi ordinationem.

RESPONSIO I.

AD Epiſcopi ordinationem tres Epiſcopi requiruntur, ſaltem jure eccleſiaſtico.

Prob. 1. Ex Conciliis, videl. Arelatenſi I. can. 20. quo dicitur: *De his qui uſurpant ſibi quod ſoli debeant Epiſcopos ordinare, placuit ut nullus hoc ſibi præſumat, niſi aſſumptis ſecum ſeptem aliis Epiſcopis. Si tamen non potuerint ſeptem, infra tres non audeat ordinare.* Et Nicæno I. can. 4. quo dicitur: *Epiſcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in provincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur.* Adde Carthag. II. can. 12. ann. 347. & Carthagin. III. eodem anno, in abbreviationibus Concilii Hipponenſis can. 39. quo dicitur, *ut Epiſcopus minus quàm à tribus Epiſcopis non ordinetur.*

Prob. 2. Ex Summis Pontificibus, Gregorio I. lib. 12. epiſtol. 31. in qua ad octavam Auguſtini Anglorum Epiſcopi interrogationem reſpondens, ſic ait: *Cum igitur, Deo authore, ita fuerint Epiſcopi etiam in propinquis ſibi locis ordinati, per omnia Epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus, vel quatuor Epiſcopis fieri non debet.* Et Gregorii III. epiſtol. 1. ad Boniſacium Moguntinum cap. 4. ubi ait: *Quoties Epiſcopum conſecraveris, duo vel tres conveniant tecum Epiſcopi, ut Deo ſit gratum quod geritur, & eis convenientibus, ipſiſque præſentibus conſecres.*

Prob. 3. Ex conſtanti & perpetua Eccleſiæ praxi, ab ipſis Apoſtolis profecta. Nam 1. Euſebius lib. 2. Hiſtor. Eccl. cap. 1. ex Clemente Alexandrino refert, Jacobum Minorem à tribus Apoſtolis ordinatum fuiſſe Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopum: *Ait* (Clemens) inquit Euſebius, *poſt Servatoris aſcenſum, Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipſos cæteris prætuliſſet, non idcircò de primo honoris gradu inter ſe contendiſſe, ſed Jacobum cognomine Juſtum, Hieroſolymorum Epiſcopum ordinaſſe.* 2. Apud eundem Euſebium lib. 6. hiſtor. cap. 43. Cornelius in ſua ad Fabianum Antiochenum epiſtola ſcribit, Novatianum ab exigua, ac viliſſima parte Eccleſiæ tres Epiſcopos accerſiviſſe, atque illos ut Epiſcopatum ſibi per manuum impoſitionem traderent, per vim temulentos & crapula oppreſſos coegiſſe. Quod certè fecit Novatianus, quia non niſi à tribus Epiſcopis canonicè ordinari poterat. 3. Liber ſacramentorum S. Gregorii, Ordo Romanus, & Pontificale Romanum non niſi à tribus ſaltem Epiſcopis Epiſcopum ordinari vetant.

RESPONSIO II.

Trium Epiſcoporum numerus neceſſarius non eſt jure divino, & ad validam Epiſcopi ordinationem ſufficere poteſt unicus Epiſcopus, etiam ſine diſpenſatione Summi Pontificis.

Prob. 1. Ex Authore Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 27. in quo hæc leguntur: *Ego Simon Cananæus conſtituo à quot Epiſcopis debeat ordinari Epiſcopus, ſcilicet à duobus aut tribus Epiſcopis: ſin vero aliquis* (extra caſum neceſſitatis) *ab uno Epiſcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus eſt, tum is qui eum ordinavit, deponatur. Quod ſi neceſſitas coegerit ab uno ordinari, quòd propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſunt, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum.* Quibus verbis Author ille praxim circa Epiſcopales ordinationes ſuo tempore in Orientali Eccleſia uſitatam deſcribit.

Igitur ex loco citato habemus, in Eccleſia Orientali, 1. Epiſcopum licitè ordinari potuiſſe à duobus tantùm Epiſcopis, etiam extra caſum neceſſitatis; quod confirmat primus canon Apoſtolicus, quo dicitur: *Epiſcopus à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur.* 2. Epiſcopum ab uno tantùm Epiſcopo extra caſum neceſſitatis licitè ordinari non potuiſſe, at in caſu graviſſimæ ſaltem neceſſitatis potuiſſe, accepta ad id plurium Epiſcoporum, ſeu Epiſcoporum provinciæ, in qua ordinandus erat Epiſcopus, commiſſione.

Prob. 2. Ex Gregorio Magno lib. 12. epiſt. 31. in qua ad octavam Auguſtini interrogationem ſibi reſpondet: *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes .... Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi Epiſcopi longo intervallo minimè disjungantur: quatenus nulla ſit neceſſitas, ut in ordinatione alicujus Epiſcopi convenire non poſſint ... Cùm igitur Deo Authore, ita fuerint Epiſcopi etiam in propinquis ſibi locis ordinati, per omnia Epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus vel quatuor Epiſcopis fieri non debet.*

Nota. Hanc aliquorum exemplarium lectionem: *Ordinare Epiſcopum non aliter niſi cum Epiſcopis potes*, mendoſam eſſe, nec eam habere toletabilem ſenſum: quid enim ſibi vult illud: *In Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi cum Epiſcopis potes?* Noſtram verò lectionem habent plures editiones tum antiquæ tum recentiores, & multa manuſcripta, eamque verba, quæ præcedunt, manifeſtè poſtulant.

Hic porrò S. Gregorius non diſpenſat cum Auguſtino, ut poſſit, ſed ſolùm docet quid licitè poſſit in caſu neceſſitatis, aliquos, ſcilicet, ad Epiſcopatum promovere ſine aſſiſtentia aliorum Epiſcoporum. Et verò non petebat Auguſtinus, ut diſpenſaretur ſecum, ſed ut quid facto opus eſſet inſtrueretur: *Peto*, inquiebat, *ſi longiquitas itineris magna interjacet, ut Epiſcopi facilè non poſſint convenire, an debet ſine aliorum Epiſcoporum præſentia Epiſcopus ordinari.* Ad quod reſpondet Pontifex, quòd cùm ipſe ſolus ſit in Anglia Epiſcopus, licitè poſſit ſolus ſine præſentia aliorum Epiſcoporum aliquot Epiſcopos ordinare.

Ut

Ut autem impoſterum Epiſcopalis ordinatio in Anglia celebretur à pluribus Epiſcopis in unum convenientibus, jubet ut ordinet Epiſcopos in locis, unde poſſint commodè in unum convenire ad ordinandos alios Epiſcopos; prohiberque ne, cùm ſic in vicinis locis Epiſcopos ſolus ordinaverit, alios deinceps ſine congregatis tribus vel quatuor Epiſcopis ordinet, non quòd extra caſum neceſſitatis, trium vel quatuor Epiſcoporum præſentia neceſſaria ſit ad valorem ordinationis Epiſcopalis, ſed, ut hæc ordinatio fiat cum majori ſolemnitate, & Epiſcoporum aſſiſtentium gratulatione, eorumque precibus adjuvari poſſit is, qui ordinatur Epiſcopus: *Certè enim* (inquit ibidem S. Pontifex, reddens rationem, cur prohibeat Epiſcopum extra caſum neceſſitatis ordinari ſine tribus vel quatuor Epiſcopis) *dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præceſſerunt, in ſubſequenti quoque gaudio miſceantur. Cur non ergo in hac ſpirituali ordinatione, qua per ſacrum myſterium homo Deo conjungitur, tales conveniant, qui vel in profectu ordinati Epiſcopi gaudeant, vel pro ejus cuſtodia omnipotenti Domino preces pariter fundant?*

Prob. 3. Ratione, quia ex omnibus Epiſcopis, qui adſunt in ordinatione Epiſcopi, unus tantùm miniſter eſt, ſive unus totum, quo conſertur Epiſcopatus, ſacramentum perficit. Ut probatur, 1. ex Concil. Carthaginen. IV. cap. 2. ubi dicitur, ex omnibus Epiſcopis, qui adſunt in Epiſcopi ordinatione, unum fundere benedictionem ſuper caput Ordinandi. 2. Ex S. Gregorio loco proximè citato, ubi ait, Epiſcopos, qui Auguſtino Epiſcopum ordinanti aderunt, ut teſtes adfuturos: *Nam quando*, inquit, *de Galliis Epiſcopi venient, illi in ordinationem Epiſcopi teſtes tibi aſſiſtent*. 3. Ex veteri Ordine Romano, in quo unus dicitur Ordinator, is ſcilicet, qui fundit benedictionem ſuper caput Ordinandi. 4. Denique ex Pontificali Romano, in quo ex tribus Epiſcopis, qui adſunt in ordinatione Epiſcopi, unus Conſecrator, & alii duo Aſſiſtentes perpetuò vocantur.

Obj. 1. Jacobus cognomento Juſtus, à tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo & Joanne, ordinatus fuit Hieroſolymorum Epiſcopus, ut ex Clemente Alexandrino apud Euſebium ſupra retulimus. Ergo ſignum eſt, à Chriſto inſtitutum eſſe, ut non niſi à tribus Epiſcopis Epiſcopus ordinaretur, & aliter validam eſſe non poſſe ordinationem Epiſcopi. Sic ratiocinatur Anicetus in ſua ad Gallicanos Epiſcopos epiſtola. *Si autem*, inquit, *non minus quàm à tribus Apoſtolis tantus vir* (Jacobus) *fuit ordinatus Epiſcopus: patet profectò eos, formam, inſtituente Domino, tradidiſſe, non à minus, quam à tribus Epiſcopis Epiſcopum ordinari debere.*

Reſp. 1. Credibile non eſſe, quòd Apoſtoli, qui tot Epiſcopos ordinaverunt in tam variis terrarum Orbis partibus, nullum unquam niſi cum aliis duobus Epiſcopis aſſiſtentibus ordinarint: immò verò omninò videtur fatendum, quòd in tanta miniſtrorum penuria, quanta fuit initio naſcentis Eccleſiæ, ſoli aliquos, immò multos ordinaverint Epiſcopos: gratis autem diceretur eos tunc uſos eſſe diſpenſatione.

Reſp. 2. neg. conſeq. Nam cœremoniis, quas Chriſtus inſtituit, & in quibus conſiſtit ſubſtantia ſacramentorum, aliquas cœremonias ſacramentis accidentarias Apoſtoli, ut Eccleſiæ Præſules, addiderunt, ad hoc ut ſacramenta, a Chriſto Domino inſtituta, majori cum ſolemnitate, ac dignitate celebrarentur; quod apertè colligitur ex epiſt. 1. ad Cor. cap. 11. ubi Apoſtolus ait: *Cætera autem* (quæ ad dignam & honeſtam Euchariſtiæ celebrationem pertinent) *cum venero diſponam* (hoc eſt, conſtituam & præſcribam.) *Ad Anicetum. Reſp. breviter*, ejus epiſtolam ab eruditis catholicis, ut ſuppoſitam, repudiari.

Obj. 2. Damaſum epiſt. 5. quæ eſt de Chorepiſcopis & in qua ſic loquitur: *Quod Epiſcopi non ſint, qui minus quàm à tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet: quoniam prohibitum à ſanctis eſt Patribus, ut qui ab uno vel à duobus ſunt ordinati Epiſcopis, nec nominentur Epiſcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt?*

Reſp. Damaſus hic eos, qui à minùs quàm à tribus Epiſcopis ordinati ſunt Epiſcopi, negat eſſe Epiſcopos, non quoad poteſtatem Ordinis, ſed quoad poteſtatem juriſdictionis in actu ſecundo; quia juriſdictione Epiſcopali privantur, ſicut & ab omni ſuſcepti Ordinis exercitio arcentur per canones; ſupponendo tamen, quòd ſic ordinati fuerint abſque neceſſitate ad id cogente, & eo in loco, ad quem ſine magno incommodo convenire potuerunt plures Epiſcopi. Objicitur præterea Joannes III. epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ. Sed hæc epiſtola ab omnibus doctis rejicitur, ut ſpuria.

Obj. 3. Concilium Regenſe can. 2. quo dicitur: *Itaque ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam eſſe cenſuimus, in qua prætermiſſa trium præſentia, nec expetitis Comprovincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorſus nihil, quod Epiſcopum faceret, oſtenſum eſt.* Ann. 439.

Reſp. Concilium nihil aliud velle, quàm ordinationem ſic factam, irritam eſſe quantùm ad collationem juriſdictionis Epiſcopalis in actu ſecundo, & juris regendi Eccleſiam, pro qua quis ſic ordinatus eſt Epiſcopus. Et verò manifeſtum eſt, Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum conſenſum non eſſe conditionem neceſſariam ad valorem ordinationis, quantùm ad impreſſionem characteris Epiſcopalis.

Porrò juvat hìc obiter obſervare, Concilium Arauſicanum I. nobis ſatis apertè ſavere can. 21. quo ait: Ann. 441.
In noſtris provinciis placuit de præſumptoribus, ut ſicubi contigerit duos Epiſcopos Epiſcopum invitum facere, authoribus damnatis, unius eorum Eccleſiæ ipſe, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet; & alter in alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Satis enim apertè videtur Synodus ut validam agnoſcere ordinationem Epiſcopi factam à duobus tantùm Epiſcopis, cùm ſimpliciter dicit, eum qui ſic invitus ordinatus eſt, ſubſtituendum eſſe Eccleſiæ unius ordinatoris, ſi modò vita reſpondet, & addit alterum in alteriùs ordinatoris loco ordinandum eſſe.

ARTICULUS VII.

Utrum electio Epiſcoporum jure divino pertineat ad univerſam Eccleſiam, ſeu ad populum & clerum: ita ut Epiſcopi electio ſine conſenſu, & ſuffragio populi nulla ſit jure divino.

AFfirmant Calvinus & Lutherus, quorum hic ſic loquitur in libro de poteſtate Papæ: *Hunc ritum per multas epiſtolas Cyprianus commemorat, ſemper ſuffragium populi, & judicium propinquorum Epiſcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem eſſe cum fiducia pronuntiet.* Alter verò lib. 4. inſtitut. c. 3. §. 15. ſic ait: *Habemus ergo, eſſe hanc ex verbo Dei legitimam miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur qui viſi fuerint idonei. Præeſſe autem electioni debere alios paſtores, ne quid, vel per levitatem, vel per mala ſtudia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Ante hoſce autem hæreſiarchas Joannes Wicleffi & Joannes Huſs docuerant, ſolius Dei munus eſſe eligere Paſtores Eccleſiæ. Ratio eorum erat, quia ſolus Deus novit juſtos, & prædeſtinatos, & hi ſoli Paſtores Eccleſiæ eſſe poſſunt. Abſurdiſſimam hanc Wicleffi & Huſſii ſententiam damnavit Synodus Conſtantienſis, ſeſſ. 8. & 15. nec ei refellendæ immorabimur. Itaque contra Lutherum & Calvinum ſit cum omnibus Doctoribus catholicis.

RESPONSIO.

Jus eligendi Epiſcopos, & alios Eccleſiæ miniſtros, jure divino non competit populo.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex epiſt. ad Titum cap. 1. ubi ait Apoſtolus: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ,*

ut ea

ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas (hoc eſt, eligas & ordines) *per civitates presbyteros*. Et epiſt. 1. ad Timoth. cap. 5. ubi ait idem Apoſtolus : *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis* (hoc eſt, neminem temerè ordines, ſed priùs unumquemque proba diligenter, & examina, utrùm ſit tali gradu dignus.) His autem locis ne leviter quidem innuit Apoſtolus, neceſſarium eſſe multitudinis ſuffragium ad electionem miniſtrorum Eccleſiæ, ſed totum jus eos eligendi, ſicut & ordinandi, attribuit Epiſcopo. Locis citatis adde quod Actor. cap. 14. de Paulo & Barnaba dicitur : *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros*, &c. Græcum habet, χειροτονήσαντες, hoc eſt, cùm elegiſſent, & ordinaſſent; hæc enim duo vox græca ſignificat. Paulus igitur & Barnabas presbyteros per ſingulas Eccleſias conſtituerunt, eos ſcilicet eligendo, & electos ordinando.

Prob. 2. Ex facto Apoſtolorum : nam Epiſcopos à ſe ordinatos miſerunt ad populos abſentes & infideles, ſine quorum proinde ſuffragio illis Epiſcopos, à quibus ad fidem converterentur, & converſi regerentur, conſtituerunt. Sic Petrus v. g. Marcum diſcipulum ſuum Alexandriam, ut ibi conſtitueret Eccleſiam, miſit, Alexandrinis proculdubio ea de re nihil ſcientibus, aut cogitantibus, quorum proinde non expetivit, vel expectavit conſenſum, ut illis Marcum ordinaret Epiſcopum.

Prob. 3. Ex facto veterum Pontificum, qui exemplum Apoſtolorum ſecuti, multos quoque Epiſcopos ordinarunt, & ordinatos deſtinarunt ad exteras regiones, ut in illis novas inſtituerent Eccleſias. Sic Gregorius Magnus Auguſtinum, quem Anglis Epiſcopum deſtinabat, inconſultis Anglis juſſit à Gallicanis Epiſcopis ordinari. Idem etiam alii ſancti, & docti Præſules fecere in veteri Eccleſia, ut Athanaſius, qui Frumentium Alexandriæ ordinavit Indorum Epiſcopum; cùm certè Indi ea de re nihil aut ſcire, aut etiam cogitare poſſent.

Prob. 4. Authoritate S. Cypriani epiſtol. 35. in qua ſic loquitur : *Propter quod diligenter de traditione divina, & apoſtolica obſervatione ſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque & ferè per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur, plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit*.

Nota. Cyprianus non dicit : Et Epiſcopus deligatur à plebe; quod profectò diceret, ſi plebs tunc temporis habuiſſet jus ſuffragii in electione Epiſcopi ſui; ſed quod longè aliud eſt, ſolùm dicit : Et Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, atque ita certius reddere poſſet teſtimonium de vita & moribus Candidatorum Epiſcopatus. Plebs igitur, juxta Cyprianum, Epiſcopi ſui electioni intereſſe debebat, non ut ferret ſuffragium, ſed, ut de vita & moribus eorum, qui proponebantur, teſtimonium redderet. Cùm eligebatur Epiſcopus, plebs aderat ut teſtis, Comprovinciales verò Epiſcopi ut electores. Sed

Nota iterum. Cùm dicit Cyprianus, quod ferè per provincias univerſas tenetur, manifeſtè ſignificat, quòd Epiſcopus non niſi præſente plebe, ac bonum de vita & moribus ejus teſtimonium exhibente deligeretur, hoc non fuiſſe jure divino neceſſarium ad legitimam Epiſcopi electionem, ſed ſolùm traditioni divinæ, & apoſtolicæ obſervationi magis conſentaneum fuiſſe : nam hic Epiſcopos eligendi modus in aliquibus Eccleſiæ provinciis non tenebatur, ut ipſe agnoſcit, nec tamen provinciarum illarum in eligendis inconſulta plebe Epiſcopis morem ut illegitimum, & juri divino contrarium improbat.

Et verò totis ferè tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis Epiſcopus Alexandrinus à ſolis presbyteris, inconſulta plebe, electus fuit, ut ſatis teſtatur Hieronymus in ſua ad Evagrium epiſtola, in qua ait : *Nam, & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant*. Quòd autem in prima poſt Romanam Sede ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis illegitimæ & juri divino contrariæ factæ ſint Epiſcoporum electiones, quis credet?

Prob. 5. Authoritate Conciliorum, Laodiceni ſcilicet, can. 13. quo dicitur, turbis non eſſe permittendum, eorum qui ſunt in ſacerdotio conſtituendi, electionem facere.

Nicæni I. can. 4. quo dicitur : *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus, qui ſunt in provincia, conſtitui. Si autem ſit hoc difficile, vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino in eundem locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc ordinationem fieri. Eorum autem, quæ fiunt, confirmationem in unaquaque provincia à Metropolitano fieri*. Ecce Synodus œcumenica totum Epiſcopis, populo verò nihil tribuit in electione & ordinatione Epiſcoporum.

Nicæni II. item œcumenici can. 3. *Omnis*, inquit, *electio à principibus facta Epiſcopi, aut presbyteri,* Can. Apoſt. 30.
aut diaconi, irrita maneat ſecundum regulam, quæ dicit : Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant : *Oportet enim, ut qui provehendus eſt in Epiſcopum, ab Epiſcopis eligatur, quemadmodum à ſanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in regula definitum eſt, quæ dicit* : Epiſcopum convenit maximè quidem, &c. ut ſupra.

Tridentini denique ſeſſ. 23. cap. 4. ubi ait : *Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujuſvis poteſtatis ſæcularis, & magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive authoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio*. Et can. 7. quo ſic loquitur : *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores ...... vel Ordines ab ipſis collatos ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu aut vocatione, irritos eſſe.... anathema ſit*.

Prob. 6. Ratione. Quia Epiſcoporum & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum electio eſt actus pertinens ad regimen & gubernationem Eccleſiæ. Atqui non populorum, ſed Epiſcoporum eſt regere & gubernare Eccleſiam : nam populi ſunt oves, Epiſcopi verò paſtores. Paſtoribus autem regere, & ovibus regi convenit. Ergo, &c. Ampliùs. Illis jure divino convenit eligere miniſtros Eccleſiæ, quibus jure divino convenit regere Eccleſiam. Atqui non populis, ſed Epiſcopis jure divino convenit regere Eccleſiam : nam jure divino Epiſcopi ſunt Eccleſiæ paſtores, populi verò oves tantùm. Ergo, &c.

Obj. 1. Scripturam : Nam Act. cap. 1. non ſoli Apoſtoli, ſed tota Eccleſia elegit Mathiam & Barnabam, ut ex eis unus à Deo aſſumeretur in Apoſtolum. Et cap. 6. non Apoſtoli, ſed multitudo diſcipulorum elegit ſeptem viros, & ſtatuit illos ante conſpectum Apoſtolorum, qui manus eis imponentes, diaconos ordinaverunt.

Reſp. ad 1. Electionem illam à tota Eccleſia factam fuiſſe ex liberali conceſſione Apoſtolorum, qui ſi voluiſſent, potuiſſent ſoli, ſine reliquorum diſcipulorum calculo, unum aliquem in Apoſtolum eligere : imò potuiſſet Petrus ſolus ſine reliquis Apoſtolis, ut dicit S. Chryſoſtomus homil. 3. in cap. 1. Actor. *An non*, inquit, *licebat ipſi* (Petro ſolùm) *eligere? Licebat & quidem maximè. Verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari*.

Reſp. ad 2. Similiter diſcipulorum multitudinem ſeptem viros, non, ut altari, ſed, ut menſis miniſtrarent, elegiſſe ex conceſſione Apoſtolorum, ut apertè teſtatur Lucas capite citato, cum ait : *Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixe-*

dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto, quos conſtituamus ſuper hoc opus.

Obj. 2. Sanctum Cyprianum epiſt. 35. in qua ſic loquitur: *Propter quod plebs obſequens dominicis præceptis, & Deum metuens, à peccatore Præpoſito ſeparare ſe debet ...... quando ipſa maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi.*

Reſp. S. Cyprianum hic plebi tribuere poteſtatem eligendi, non per calculum, ſed per teſtimonium, more teſtis, non more judicis; quatenùs ſi quid boni, vel mali noverit de eo qui ordinandus eſt, poteſt illud dicere, & dicendo facere, ut vel eligatur, vel rejiciatur. Unde ſic proſequitur S. Martyr: *Quod, & ipſum videmus de divina authoritate deſcendere* (non quidem tanquam jure divino abſolutè neceſſarium, ſed tanquam valdè conveniens,) *ut ſacerdos, plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur.* Et paulò poſt: *Oſtendit* (Deus) *ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi adſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & fiat ordinatio juſta, & legitima, quæ omnium* (plebis quidem, ut teſtis, Epiſcoporum verò, ut judicum) *ſuffragio & judicio fuerit examinata.*

Obj. 3. Concilium Nicænum in epiſtola ſynodica ad Ægyptios, in qua hæc ſcribit: *Quod ſi quempiam eorum, qui in Eccleſiis cenſetur, diem ſuum obire contigerit, tum in defuncti locum atque honorem provehantur ii, qui nuper adſciti ſunt, modo digni videantur, & modo populus eos eligat, ſuffragante nihilominùs, plebiſque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Epiſcopo.*

Reſp. 1. Ex hoc textu ad ſummum argui poſſe, tunc plebes chriſtianas Prælatos ſuos eligendi poteſtatem habere cœpiſſe, hoc eis concedente Nicæna Synodo. Sed

Reſp. 2. Hic per eos, qui nuper adſciti ſunt, illos intelligi, qui antea à Meletio Ægyptio ordinati, & in ejus ſchiſmate verſati, recèns ad unitatem catholicam venerant, quibus concedit Synodus, ut in catholicorum, qui diem ſuum obibunt, Epiſcoporum, locum & honorem ſuccedant, modò tamen digni ſint, & à populo, cui præfuturi ſunt, eligantur, vel potiùs poſtulentur; quam conditionem prudenter exigit Concilium, ne ſcilicet detur anſa populis expoſtulandi, quòd ipſis inconſultis, vel etiam invitis præficiantur homines, qui à ſchiſmatico ordinati, & ſchiſmatici fuerant. Quare pro ſingulari tantùm caſu, populis Ægypti eligendi poteſtas conceſſa eſt à Synodo, quæ generaliter ſolis Epiſcopis jus eligendi Epiſcopos attribuit, can. 4. ut dictum eſt ſupra, & obſervatum eſt à Nicæna II. pariter œcumenica.

Obj. 4. Epiſcopi ſunt miniſtri Eccleſiæ, non domini. Ergo non ad ipſos, ſed ad Eccleſiam, hoc eſt, ad plebem chriſtianam, & clericos pertinet eligere miniſtros. *Reſp.* Cum Bellarmino, lib. 1. de clericis cap. 7. Epiſcopos eſſe ſimul miniſtros & præſides Eccleſiæ, quia ſcilic. pro ea laborant, non illi obediendo, ſicut ſervi laborant pro dominis ſuis, ſed eam regendo, ſicut magiſtratus laborant pro civitate. Unde cùm Epiſcopos & alios miniſtros eligere, ad regimen & gubernationem Eccleſiæ pertineat; Epiſcoporum eſt, Eccleſiæ Paſtores, & alios miniſtros eligere, cùm eorum ſit regere & gubernare Eccleſiam. Sed ad ſolutionem aliarum difficultatum,

Nota, Tandem aliquando in veteri Eccleſia ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ & diſpoſitione, populo poteſtatem eligendi conveniſſe, ut patet ex Aurelianenſi Concilio III. can. 3. quo dicitur: *Ipſe tamen Metropolitanus à Comprovincialibus Epiſcopis, ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu cleri, vel civium eligatur: quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, ut qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. De Comprovincialibus verò ordinandis, cum conſenſu Metropolitani, cleri, & civium, juxta priorum canonum ſtatuta, electio & voluntas requiratur.* Et ex Toletan. IV. can. 19. quo dicitur: *Sed nec ille deinceps ſacerdos erit, quem, nec clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit.*

Poſtquam autem longa experientia docuit, electiones populares tumultibus ac ſeditionibus maximè obnoxias eſſe, & ſæpè malos paſtores eligi à malis, qui communiter plures ſunt in civitate, quàm boni; juſtiſſima de cauſa Sedes Apoſtolica eligendi poteſtate populum ſpoliavit ſæculo xiij. ut patet ex c. *Maſſana* extra de electione, &c. quo dicit Summus Pontifex: *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum canonicis, Pontificis electio præſumatur. Quæ ſi fortè præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem.*

DISPUTATIO V.

De ſubjecto Ordinationum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm mulieres ſint capaces Ordinationis.

MUlieres ad quoslibet Ordines promovebant Pepuziani, ut refert S. Epiphanius hæreſ. 49. §. 2. *Apud eoſdem*, inquit, *mulieres Epiſcopi ſunt, & presbyteri, & ad cæteros gradus alliguntur, nullum ut ſexus diſcrimen ſervetur* (ad quod abutuntur hoc Scripturæ teſtimonio, Gal. cap. 3.) *Nam in Chriſto Jeſu neque mas eſt, neque fœmina.* In eodem errore verſatos eſſe Collyridianos, idem Epiphanius ſupponit hæreſ. 79. §. 2. & ſequentibus.

RESPONSIO I.

Mulier jure divino incapax eſt Epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus.

Eſt de fide, & *prob.* 1. Mulier jure divino incapax eſt eorum Ordinum, quorum munia exerceri à muliere, poſitivè indecens eſt. Atqui poſitivè indecens eſt, à muliere exerceri munia Epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus: nam ut dicit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 14. *Turpe eſt mulieri loqui in Eccleſia*, &c. à fortiori turpe eſt illam ſive ad ordinandum, ſive ad confirmandum manus imponere; ſacrificium offerre, vel offerenti proximè aſſiſtere; populum publicè benedicere, vel communicare; ſolemniter baptizare; pœnitentes à peccatis abſolvere, &c. Hinc ſic contra Gnoſticorum mulieres invehitur, Tertullianus libro de præſcriptione cap. 41. *Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere* (in virorum conventibus) *contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere* (publicè & ſolemniter.) Ergo, &c.

Prob. 2. Jure divino incapax eſt Epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus, quem jure divino repugnat præeſſe in Eccleſia: nam Epiſcopus, presbyter, & diaconus præſunt populo fideli: unde ex his tribus gradibus hierarchia eccleſiaſtica conſtituitur, ut docet Conc. Trident. can. 6. Atqui mulierem præeſſe in Eccleſia, jure divino repugnat, ut intelligitur ex Apoſtolo 1. Corinth. cap. 14. ubi ait: *Mulieres in Eccleſia taceant; non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut lex dicit* (Geneſ. cap. 3. *Sub viri poteſtate eris.*) Et 1. ad Timoth. cap. 2. ubi ait: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari* (in Eccleſia, quod eſt intrinſecè malum & inordinatum)

ſed

Digitized by Google

ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt; adeòque ſicut mulieri præſtat origine, ita ei præſtare debet dominatione.

Confirmat. Ex S. Epiphanio hæreſ. 79. §. 2. & 3. ubi contra Collyridianos ſic diſcurrit: *Nunquam ex quo mundus conditus eſt, ſacerdotio eſt functa mulier, ac ne Eva quidem ipſa ...... nec ulla filiarum ejus .... Quid autem eos omnes commemorare neceſſe eſt, qui in veteri teſtamento Deo ſacrificaſſe leguntur? ...... nec unquam mulier* (in veteri teſtamento) *ſacrificaſſe legitur. Atque ut ad novum teſtamentum accedamus; ſi ſacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præſtare in Eccleſia liceret, nulli potius, quàm Mariæ, illud in novo teſtamento committi ſacerdotis officium debuit ...., Verùm longè Deo aliter eſt viſum: ac ne baptizandi quidem* (publicè, ſcilicet, & ſolemniter) *poteſtas eſt illi facta .... Epiſcoporum & presbyterorum ſucceſſiones* (à Jacobo primo Hieroſolymorum Epiſcopo, cæteriſque Apoſtolis,) *ſunt in domo Dei conſtitutæ. Nec inter illos tamen mulier ulla cooptata legitur. Erant quidem, ut Scriptura narrat, Philippo Evangeliſtæ filiæ quatuor prophetiſſæ, non tamen ſacerdotes.* Ex his autem

Sic adhuc argumentor breviter. In lege nova nulli unquam mulieri, quantumvis ſanctæ, & Deo gratæ, nequidem ipſi B. Virgini Deiparæ, aut ordinandi, aut ſacrificandi, aut ſacrificio ſolemniter aſſiſtendi poteſtas conceſſa eſt. Nonniſi quia ad hæc munia obeunda mulierem jure divino inhabilem eſſe, Eccleſiæ ſemper exploratiſſimum fuit. Ergo, &c.

Responsio II.

Mulier eſt etiam jure divino, non quidem poſitivo, ſed naturali, incapax ſubdiaconatus, & aliorum Ordinum minorum, ſuppoſita eorum inſtitutione tali, qualis ab Eccleſia facta eſt.

Prob. Et 1. quidem, mulier incapax eſt ſubdiaconatus: nam hujus Ordinis officium eſt, ſolemniter miniſtrare diacono in ſacrificio Miſſæ. Atqui mulierem miniſtrare diacono in ſacrificio Miſſæ, eſt quid per ſe turpe & indecens. Ergo per ſe turpe eſt, ac indecens, ſubdiaconatus officium exerceri à muliere, adeòque mulier incapax eſt ſubdiaconatus: eſt enim incapax omnis Ordinis, cujus munia non niſi dedecenter obire poteſt.

2. Mulier incapax eſt Ordinum minorum, quales nunc exiſtunt, & conferuntur in Eccleſia. Nam 1. minores Ordines omnes, quales nunc exiſtunt in Eccleſia, annexam habent aliquam etiam inter viros eminentiam in ordine ad ſacrificium Miſſæ. Atqui hujus eminentiæ incapax eſt mulier, ut ſatis intelligitur ex Apoſtolo locis ſupra citatis. 2. Conferuntur ad hoc, ut ſuſcipiens, exercendo illorum munia, præparetur ad ſacerdotium. At nihil in Ordine ad hunc finem mulieri conferri poteſt. Ergo, &c.

His adde nunquam in Eccleſia ad ſubdiaconatum & alios minores Ordines, de quibus agitur, mulieres promotas fuiſſe. Porrò dixi in reſponſione, jure divino, non poſitivo, ſed naturali: nam ſupponimus hic, ſubdiaconatum, & alios minores Ordines, non à Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtitutos fuiſſe. Unde horum Ordinum incapaces eſſe non poſſunt mulieres jure divino poſitivo; ſupereſt igitur, ut ſint incapaces jure naturali, vi cujus nulla eſt omnis poteſtas, quæ nonniſi turpiter exerceri poteſt.

Obj. 1. Fuerunt olim in Eccleſia mulieres, quæ diaconæ, presbyteræ, vel epiſcopæ dicebantur. *Reſp.* Sic dictas fuiſſe, non ab aliqua conſecratione, vel officio; quaſi verò diaconalem, presbyteralem, vel Epiſcopalem ordinationem ſuſceperint aliquando mulieres, & diaconatus, presbyteratus, vel Epiſcopatus munia obierint: ſed ex eo quòd illarum mariti, facta thori ſeparatione, ordinati eſſent diaconi, presbyteri, vel Epiſcopi. Patet ex Concilio Turonenſi II. can. 13. quo dicitur: *Epiſcopum epiſcopam non ha-* (ann. 567.) *bentem, nulla ſequatur turba mulierum.* Et can. 19. quo dicitur: *Si inventus fuerit presbyter cum ſua presbytera, aut diaconus cum ſua diaconiſſa, aut ſubdiaconus cum ſua ſubdiaconiſſa, annum integrum excommunicatus habeatur.*

Obj. 2. Olim in Eccleſia diaconiſſæ fuerunt Ordo eccleſiaſticus. *Reſp.* Fuiſſe quidem Ordinem Eccleſiaſticum, ſed qui nec præpararet ad ſacerdotium, nec annexam haberet aliquam inter viros eminentiam. Audiamus ſanctum Epiphanium hær. 79. §. 3. *Quamquam verè*, inquit, *diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit, non tamen ad ſacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem* (qua ſcilicet, qui ea fungitur, vel præparatur ad ſacerdotium, vel certè etiam inter viros aliqua ratione eminet) *inſtitutus eſt* (ab Eccleſia,) *ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur, &c.*

Obj. 3. Mulieres capaces ſunt juriſdictionis eccleſiaſticæ. Ergo præeſſe poſſunt in Eccleſia. Ergo, &c. *Probabis ant.* Ex cap. *Dilecta*, extra de majoritate, &c. in quo de quadam Abbatiſſa agitur, & dicitur, *quod cùm ipſa plerumque canonicas ſuas, & clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos, propter inobedientias & culpas eorum, officio beneficioque ſuſpendat; iidem confiſi ex eo quòd eadem Abbatiſſa eos excommunicare non poteſt, ſuſpenſionem hujuſmodi non obſervant, propter quod ipſorum exceſſus remanent incorrecti.* Quòd autem Abbatiſſa illa tales officio beneficioque ſuſpendendi jus re ipſa haberet, probatur ex verbis ſubſequentibus: nam ſic proſequitur Pontifex: *Quocirca mandamus* (Abbatem quendam alloquitur) *quatenus dictas canonicas & clericos, ut Abbatiſſæ præfatæ obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus ſalubria monita & mandata obſervent, Eccleſiaſtica cenſura compellas.*

Reſp. Neg. ant. Cujus falſitas patet ex cap. *Nova*, extra de pœnitentiis, &c. in quo dicit Innocentius III. *Licèt beatiſſima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves regni cœlorum commiſit.* Unde ait Gloſſa, *officium clavium non cadit in ſexum fœmininum. Ad prob. Reſp.* Abbatiſſam illam non habuiſſe poteſtatem ferendi ſuſpenſionem propriè dictam, ex cujus, ſcilicet, violatione incurreretur irregularitas: talis enim poteſtas pertinet ad claves, quæ non ſexui fœminino, ſed virili traditæ ſunt, ut ait Gloſſa; nec Honorium III. Abbatiſſæ illi attribuere, niſi poteſtatem percipiendi, cùm mandat Abbati cuidam, ut cenſura eccleſiaſtica canonicas & clericos ei ſubjectos compellat ad obedientiam, & reverentiam debitam ei impendendam, & ſalubria ipſius monita ac mandata obſervanda.

ARTICULUS II.

Utrùm omnis maſculus ſit ſubjectum capax Ordinationis.

Responsio.

Omnis maſculus baptizatus, ad diſcretionis annos provectus, eſt ſubjectum capax omnis Ordinationis.

Ita tenent Doctores omnes, qui ad validam viri ordinationem plura non requirunt, quàm ut baptiſmum ſuſceperit, & uſum rationis habeat. Immò à pauciſſimis ſecunda conditio requiritur, idque tantùm in iis Ordinibus, qui annexum habent continentiæ votum. Sed

Quæres 1. Utrùm puer poſſit validè ordinari, antequam ad diſcretionis annos pervenerit?

S. Thomas in ſuppl. quæſt. 34. art. 2. in O. ſupponens Ordines omnes eſſe ſacramenta verè ac propriè dicta, reſpondet affirmativè pro omnibus Ordinibus, excepto Epiſcopatu. Sic enim ait: „ Omnia ſacramenta, in quibus non requiritur actus ſuſcipientis „ de neceſſitate ſacramenti, ſed poteſtas aliqua ſpiri- „ tualis divinitùs datur, poſſunt pueri ſuſcipere, & „

„ alii qui uſu rationis carent ; hac tamen diſtinctio-
„ ne habita, quòd in minoribus Ordinibus requira-
„ tur diſcretionis tempus de honeſtate, propter di-
„ gnitatem ſacramenti, non de neceſſitate præcepti,
„ neque de neceſſitate ſacramenti. Unde aliqui, ſi
„ neceſſitas adſit, & ſpes profectus, ad minores Or-
„ dines poſſunt ante annos diſcretionis promoveri ſi-
„ ne peccato, & ſuſcipient Ordinem: quia quamvis
„ tunc non ſint idonei ad officia, quæ eis commit-
„ tuntur, tamen per aſſuefactionem idonei redden-
„ tur. Sed ad majores Ordines requiritur uſus ratio-
„ nis, & de honeſtate (ſeu de congruitate) & de
„ neceſſitate præcepti, propter votum continentiæ,
„ quod habens annexum, & quia etiam iis ſacramen-
„ ta tractanda committuntur. Sed ad Epiſcopatum,
„ ubi etiam in Corpus myſticum accipitur poteſtas,
„ requiritur actus ſuſcipientis curam animarum pa-
„ ſtoralium: & ideò eſt etiam de neceſſitate conſe-
„ crationis Epiſcopalis, quòd uſum rationis habeat
„ qui conſecrandus eſt Epiſcopus.

Quæres 2. Quid requiratur, ut quis poſſit licitè ordinari.

Reſp. Requiritur 1. ut ad diſcretionis annos pervenerit: nam dato quòd quis poſſit validè ordinari ante uſum rationis, ſaltem non poteſt ſine gravi peccato, quia non poteſt ſine gravi indecentia; quod intelligendum eſt de majoribus ordinationibus pro omni caſu, de minoribus verò extra caſum juſtæ neceſſitatis, quæ nunquam, aut certè rariſſimè aderit.

Requiritur 2. ut ſit confirmatus: non enim poteſt quis licitè promoveri ad Ordines, niſi priùs primam tonſuram acceperit. Concilium autem Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4. de reform. prohibet, ne prima tonſura initientur, qui non ſunt confirmati: *Prima tonſura non initientur*, inquit, *qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint.*

Requiritur 3. ut certæ ſit ætatis pro certis Ordinibus: nam Concil. Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 12. de reform. decrevit, ut nullus inpoſterum ad ſubdiaconatus Ordinem ante vigeſimum-ſecundum, ad diaconatus ante vigeſimum-tertium, ad presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur. Quo decreto obligantur non ſolùm clerici ſæculares, ſed etiam regulares, ut patet ex his verbis, quæ eodem cap. ſubjiciuntur: *Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur: privilegiis quibuſcumque, quoad hoc, penitùs excluſis.* Doctores autem Concilium intelligunt communiter de annis inchoatis. Unde ad ſingulos Ordines ſufficit, annos à Concilio præſcriptos inchoaſſe per unum diem.

Dixi, pro certis Ordinibus: nam nec antiquo, nec novo jure certa aliqua ætas præſcribitur pro minoribus Ordinibus, ſicut nec pro prima tonſura. Tridentinum autem ſolùm, ne quis ante diſcretionis annos prima tonſura initietur, tacitè vetat cap. 4. ſeſſ. 23. de reformat. prohibendo ne prima tonſura initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique ſcribere & legere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe. Cap. verò 11. eadem ſeſſ. in iis, qui minores Ordines ſuſcepturi ſunt, ut ſaltem linguam latinam intelligant requirendo, ſolùm indirectè prohibet, ne minores Ordines conferantur pueris ante nonum vel decimum ætatis annum, ante quod tempus non ſolent pueri linguam latinam intelligere.

Porrò ætas ad majoras Ordines licitè ſuſcipiendos neceſſaria, non eadem ſemper fuit. Nam Zoſimus epiſt. 1. ad Heſychium Salonytanum cap. 3. prohibet, ne ii qui in pueritia ad minores promoti fuerunt, promoveantur ad ſubdiaconatum ante vigeſimum ætatis annum. Pro diaconatu viginti quinque ætatis annos requirunt Concilium Carthaginen. III. can. 4. ann. 397. Concilium Agathenſe can. 16. ann. 506. & Concilium Toletanum IV. can. 20. an. 633. Pro presbyteratu verò annos ætatis triginta, Concilium Neocæſarienſe can. 11. ann. 314. Agathenſe can. 17. & Toletanum IV. can. 20. Huic canonum diſpoſitioni moderationem aliquam afferendam ratus Clemens V. initio decimi-quarti ſæculi, Clementina *Generalem* 3. de ætate & qualitate præficiendorum decrevit, ut alio non obſtante impedimento canonico, poſſet quis liberè decimo-octavo ad ſubdiaconatus, in vigeſimo ad diaconatus, & in vigeſimo-quinto ætatis ſuæ anno ad presbyteratus Ordines promoveri.

Requiritur 4. ut nullum habeat impedimentum canonicum, ſeu ut nulla cenſura vel irregularitate ſit impeditus.

5. Requiritur, ut ſinceram habeat intentionem ſerviendi Eccleſiæ, certam ſcientiam, probos mores, & bonam famam. Patet ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. 11. 13. & 14. Cap. 13. exigit, ut ii qui ad ſubdiaconatum & diaconatum promovendi ſunt, habeant bonum teſtimonium, in minoribus Ordinibus ſint probati, ac litteris, & iis quæ ad Ordinem exercitandum pertinent, inſtructi; qui ſperent, Deo authore, ſe continere poſſe. Et cap. 14. ut qui ad presbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum teſtimonium habeant, ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, ac adminiſtranda ſacramenta ſint idonei, atque ita pietate ac caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari.

Quæres 3. Utrùm validè & licitè Ordo ſuperior conferatur non habenti inferiorem?

Reſp. Epiſcopatus validè conferri non poteſt non habenti presbyteratum: nam Epiſcopatus includit Sacerdotium, ut partem ſui eſſentialem, & quidem præcipuam, & Epiſcopalis conſecratio eſt actio, qua quis ex ſacerdote fit Summus Sacerdos. At presbyteratus non habenti diaconatum, & à fortiori diaconatus non habenti ſubdiaconatum, & ſubdiaconatus non habenti minores Ordines, validè confertur. Ratio eſt, quia nec presbyteratus diaconatum, nec diaconatus ſubdiaconatum, aut ſubdiaconatus minores Ordines ut partem ſui conſtitutivam includit, ut patet intelligenti terminos.

Non poteſt tamen licitè conferri Ordo inferiorem non habenti; & qui ſic ordinatus eſt, manet ſuſpenſus ab executione Ordinis ſuſcepti. At poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare, ut inferiorem prætermiſſum ſuſcipiat, & eo ſuſcepto, in utroque miniſtret, atque ad ſuperiorem poſſit aſcendere; modò tamen ante ſuſceptum inferiorem Ordinem, in ſuperiore per ſaltum ſuſcepto non miniſtraverit. Patet ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 14. de reformat. in quo dicitur: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.*

ARTICULUS III.

Utrùm obligatio continendi annexa ſit majoribus Ordinibus.

RESPONSIO I.

JUre Eccleſiaſtico antiquiſſimo, obligatio continendi annexa eſt non ſolùm Epiſcoporum, ſed etiam presbyterorum & diaconorum Ordini.

Prob. 1. Authoritate Conciliorum: Eliberitani in Hiſpania can. 33. quo dicitur: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, presbyteris, & diaconibus, vel omnibus clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus ſuis, & non generare filios; quicumque verò fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*

Neocæſarienſis in Oriente, ſub Sylveſtro poſt Ancyranam Synodum, quæ anno 314. habita, ſed ante Nicænam celebrati, & can. 1. dicentis: *Presbyter ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur.* Non jubetur autem presbyter deponi, accepta uxore, niſi propter obligationem continendi, quam presbyteratum ſuſcipiendo contraxit.

Ean-

Digitized by Google

Eandem continendi obligationem pro diaconis Synodus Ancyrana ſupponit can. 10. quo ait : *Diaconi quicumque, cùm ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, dicentes, velle ſe habere uxores, nec poſſe ſe continere ; hi poſteà ſi ad nuptias venerint, maneant in miniſterio, propterea quod his Epiſcopus* (qui eos, non obſtante eorum proteſtatione, ob neceſſitatem temporis & miniſtrorum paucitatem licitè ordinare potuit) *licentiam dederit. Quicumque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manuum impoſitionem, profeſſi* (ſilentio ſuo) *continentiam, ſi poſteà ad nuptias venerint, à miniſterio vel clero ceſſare debebunt, laicam tantùm recipientes communionem.*

Juxta Synodum, in primo caſu diaconi poſt ordinationem ſuam poſſunt uxorem ducere, in ſecundo verò non poſſunt : quia cum illis in primo caſu diſpenſatum eſt, in ſecundo verò non eſt diſpenſatum in lege eccleſiaſtica diaconos obligante ad continentiam, ſed è contra ipſi ſilentio ſuo ſufficienter ſignificarunt, ſeſe legis hujus jugum lubenti animo ſubire.

Ann. 397. Carthaginenſis II. in Africa can. 2. in quo dicitur : *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt : Omnibus placet, ut Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ſe ab uxoribus abſtineant.* Huic Synodo adde Carthaginenſem V.

Ann. 398. can. 3. quo dicitur : *Placuit Epiſcopos, & presbyteros, & diaconos, ſecundum priorum ſtatuta, etiam ab uxoribus continere : quod niſi fecerint, ab eccleſiaſtico removeantur officio.*

Arelatenſis II. in Gallia can. 2. ubi ait, aſſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in conjugii vinculo

Ann. 452. conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio, hoc eſt, niſi ipſe & uxor ejus continentiam promiſerint. Et can. 3. prohibet, ne quis clericus à gradu diaconatus ſecum habere mulierem, præter aviam, matrem, filiam, neptem, vel converſam, hoc eſt, voto continentiæ obligatam uxorem præſumat. Quare autem convertebatur, ſeu continentiam promittebat uxor mariti, qui diaconus ordinabatur ? Certè quia maritus, ſuſcepto diaconatu, continere tenebatur.

Ann. 538. Aurelianenſis III. in Gallia, can. 6. quo dicitur : *De clericorum prætermittenda converſione id omnimodis obſervetur, ne ullus ex laicis* (uxoratis) *ante annualem converſionem* (hoc eſt, ante annualem continentiam), *vel ætatem legitimam, id eſt, 25. annorum diaconus, & triginta presbyter ordinetur.* Et canon. 7. quo dicitur : *Clerici vero, qui cum uxores non haberent, benedictione ſuſcepta, conjugia crediderint eligenda, qui volentes abſque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur. Quod ſi invitus, vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, ſed non à communione pellatur.*

Conjugati itaque per annualem continentiam probabantur, antequam ad majores Ordines promoverentur, quia nimirùm horum Ordinum ſuſceptio annexam habet continendi obligationem. Clericis, majori Ordine ſuſcepto, graviter prohibitum erat uxorem ducere, certè non propter ipſum conjugium, quod eſt res per ſe honeſta, ſed propter conjugii uſum, quod interdictum erat promotis ad majores Ordines : ſi tamen inviti & reclamantes ordinati, poſteà uxorem ducerent, ab officio eccleſiaſtico depoſiti, admittebantur ad communionem laicam, adeòque permittebantur uti conjugio, quia tunc nec continentiam promiſiſſe, nec lege eccleſiaſtica ad continendum, amiſſo gradus ſui officio, obligati cenſebantur.

Toletani IV. in Hiſpania, can. 27. quo dicitur :

Ann. 633. *Quando presbyteri, vel diacones per parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem Epiſcopo ſuo facere, ut caſtè & purè vivant ſub Dei timore.* Concilium denique Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio Imp. lib. 1.

Ann. 816. cap. 7. ſic loquitur de diaconis : *Altari albis induti aſſiſtunt, ut cæleſtem vitam habeant, candidique ad hoſtias & immaculati accedant, mundi ſcilicet corpore, & incorrupti pudore : tales enim decet Dominum habere miniſtros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, ſed potius eminenti caſtitate ſplendeant.* Quibus verbis apertè innuit Synodus, tunc temporis diaconos ad continentiam ſervandam obligatos fuiſſe.

Prob. 2. Autoritate Summorum Pontificum, Siricii epiſt. 1. ad Himerium cap. 7. ubi contra diaconos & presbyteros plurimos, qui poſt ordinationem ſuam, ex uxoribus, quas antea duxerant, ſuſceperant liberos, graviter invehitur, & hæc inter alia dicit : *Dominus Jeſus, cum nos ſuo illuſtraſſet adventu ...... Eccleſiam, cujus ſponſus ſpecioſus eſt forma, caſtitatis voluit ſplendore radiare, ut in die judicii, cum rurſus advenerit, ſine macula & ruga eam poſſit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit, reperire. Quarum ſanctionum* (Apoſtolicarum) *ſacerdotes omnes atque levitæ inſolubili lege conſtringimur, ut à die ordinationis noſtræ, ſobrietati ac pudicitiæ & corda noſtra mancipemus & corpora.*

Porrò iis, qui ex ignoratione lapſi fuerant, indulget, *ut ſine ulla honoris augmento, in hoc, quo detecti ſunt, quandiu vixerint officio perſeverent, ſi tamen poſt hac continentes ſe ſtuduerint exhibere.* De reliquis verò ſic pronuntiat : *Noverint ſe ab omni eccleſiaſtico honore, quo indignè uſi ſunt, Apoſtolicæ Sedis authoritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt.*

Innocentii I. epiſt. 2. ad Victricium cap. 9. ubi ait : *Quod dignum & pudicum & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omnino debet, ut ſacerdotes & levitæ cum uxoribus ſuis non coeant, quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur.* Et epiſtol. 3. ad Exuperium, cap. 1. ubi circa diaconos & presbyteros non continentes ab uxoribus ſuis idem decernit quod decreverat Siricius.

Leonis I. epiſtol. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, cap. 4. Gregorii I. lib. 1. epiſt. 42. & lib. 3. epiſtol. 34. Zachariæ epiſt. 7. ad Pippinum cap. 11. quo confirmat Concilii Carthag. V. can. 3. ſupra relatum. Et Calixti II. apud Gratianum diſt. 27. cap. 8. de quibus omnibus adhuc infrà.

Prob. 3. Authoritate Patrum. Pro Græcis unus ſit S. Epiphanius hæreſ. 59. §. 4. ubi ait : *Quin eum inſuper* (Eccleſia) *qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, Epiſcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut eâ ſit orbatus : quod in illis locis præcipuè fit, ubi eccleſiaſtici canones accuratè ſervantur.*

Pro Latinis verò Hieronymus in libro adversùs Vigilantium, ubi ait : *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ ? quæ, aut virgines clericos accipiunt, aut continentes ; aut, ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt ?* Et Auguſtinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. ultim. ubi ait : *Iſtos qui virilem excellentiam non putant niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis conjugiis hærendo, pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam clericorum : qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamque ſuſceptam uſque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.*

Responsio. II.

Obligatio continendi, ſubdiaconorum Ordini jure eccleſiaſtico etiam antiquiſſimo annexa eſt.

Prob. 1. Authoritate Conciliorum, Elibertani, ſcilicet, canon. 33. ſupra citato, in quo hæc verba : *Vel omnibus clericis poſitis in miniſterio*, ſaltem de ſubdiaconis intelligenda eſſe exiſtimamus, quia alioquin ſuperflua ſunt.

Toletani II. cap. 1. ubi *de his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis clericatus officio mancipavit*, ſtatuitur obſervandum ut, *ubi octavum-decimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius cleri plebiſque conſpectu, voluntas eorum de expetendo* Ann. 531.

conjugin ab Epiſcopo perſcrutetur: Quibus ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante, placuit, & profeſſionem caſtimoniæ ſuæ abſque conjugali neceſſitate ſe ſpoponderint ſervaturos ..... primùm ſubdiaconatus miniſterium, probatione habita profeſſionis ſuæ, à vigeſimo anno ſuſcipiant.

An. 538. Aurelianenſis III. canon. 2. quo dicitur: *Ut nullus clericorum à ſubdiacono & ſupra, qui uxores in propoſito ſuo accipere inhibentur, propria, ſi fortè jam habeat, miſceatur uxori. Quod ſi fecerit, laica communione contentus, ab officio deponatur.*

Ann. 816. Aquiſgranenſis lib. 1. c. 6. in quo hæc leguntur: *Subdiaconi ... vaſa corporis & ſanguinis Chriſti diaconibus ad altaria Domini offerunt. De quibus quidem placuit Patribus, ut quia ſacra myſteria contrectant, caſti & continentes ſint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi.*

Ann. 397. Hic autem alluditur ad cap. 2. Concilii Carthag. II. cujus hic tenor eſt: *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, ut Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari deſerviunt.*

Verùm hoc caput vel non loquitur de ſubdiaconis, ſed ſolùm de Epiſcopis, presbyteris, & diaconis; vel
Ann. 398. ei quantùm ad ſubdiaconos derogatum eſt à Carthaginenſi V. c. 3. quo dicitur: *Placuit Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, ſecundum priorum ſtatuta, etiam ab uxoribus continere: quod niſi fecerint, ab eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.* His porrò verbis: *Cæteros autem, &c.* Apertè ſignificatur, non eandem in omnibus Africæ Eccleſiis circa ſubdiaconos fuiſſe conſuetudinem ſæculo quarto, ſed eos tunc temporis in aliquibus fuiſſe, in aliquibus verò non fuiſſe ad continendum obligatos.

Prob. 2. Authoritate Summor. Pontif. Leonis ſcilic. Magni epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonic. c. 4. *Ad exhibendam*, inquit, *perfectæ continentiæ puritatem, nec ſubdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares.* Vide etiam epiſtol. 92. ad Ruſtic. Narbonenſ. c. 3.

Gregorii Magni lib. 3. epiſt. 34. *De cætero*, inquit, *fraternitas tua ſit omnino ſollicita, ut quos ad hoc jam officium* (ſubdiaconatus) *contigerit promoveri, hoc quam maximè diligenter inſpiciat, ne ſi uxores habent, miſcendi ſe cum eis licentia potiantur; ſed ad ſimilitudinem Sedis Apoſtolicæ eos cuncta obſervare, ſuæ nihilominus diſtrictione conſtituat.* Videri etiam poteſt lib. 1. epiſt. 42.

Sæc. 8. Zachariæ epiſt. 7. ad Pippin. c. 18. in quo ait: *Qui clerici uxores ſortiri debeant, en 27.* (nunc 25.) *capite Canonum ſanctorum Apoſtolorum decretum eſt*: innuptis autem, qui ad clerum provecti ſunt, præcipimus ut ſi voluerint, uxores accipiant, ſed Lectores Cantoreſque tantummodò; *Quibus verbis, cum ſolis Lectoribus & Cantoribus uxores ducendi facultas conceditur, non ſolum presbyteris & diaconis, ſed etiam ſubdiaconis matrimonium interdicitur.*

A n. 1131. Innocentii denique II. in Concil. Remenſi can. 4. quo dicitur: *Decernimus, ut hi qui à ſubdiaconatu & ſupra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque eccleſiaſtico beneficio careant: cum ipſi enim templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſervire.*

Ad hæc omnia accedit authoritas S. Epiphanii loco ſupra citato, & Authoris Canonum Apoſtolicorum, canone, quem in ſua ad Pipinum epiſt. Zacharias Papa allegat, quibus ſocios adjungere Hieronymum & Auguſtinum locis ſuprà laudatis quid vetat? Quidni enim clericorum nomine, etiam ſubdiaconos comprehendere dicantur? Accedit denique Iſidorus lib. 2. de officiis Eccl. c. 10. Ejus verba exſcribit Concilium Aquiſgranenſe loco ſupra citato.

ARTICULUS IV.

Solvuntur argumenta Calvini, & aliorum hæreticorum.

OBj. 1. Scripturam. Nam 1. ad Timoth. cap. 4. Apoſtolus ſpiritu prophetico loquens de futuris hæreticis, dicit eos prohibituros nubere. Ergo malum & hæreticum eſt prohibere nuptias. Ergo unicuique innupto liberum eſſe debet matrimonium. Item eadem epiſtol. cap. 3. Apoſtolus dicit, oportere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum; idem ibidem aſſerit de diaconis. Item in epiſtol. ad Hebr. cap. 13. ſine ulla exceptione pronuntiat, in omnibus honorabile eſſe conjugium. Item ſic loquitur, 1. Corinth. c. 9. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ex quibus verbis colligitur, Apoſtolos omnes habuiſſe uxores, eaſque ſecum circumduxiſſe.

Reſp. ad 1. Apoſtolum loqui de Simonianis, Ebionitis, Manichæis, & aliis hæreticis, qui nuptias, tanquam ex natura ſua malas & à malo principio inventas, adeòque ab omnibus hominibus fugiendas, damnaturi erant. Quod certè non facit Eccleſia, quæ è contra nuptias laudat, ut bonas ex natura ſua, & à Deo ad procreationem liberorum inſtitutas. Non itaque matrimonium prohibet, aut aliquos ad cœlibatum abſolutè cogit, ſed conditionatè tantùm, ſi nimirùm ad ſacros Ordines promoveri velint, quod velle vel non velle eis planè liberum relinquitur.

Ad 2. *Reſp.* Apoſtolum, cùm ait oportere Epiſcopum unius uxoris virum eſſe, minimè præcipere, ut is qui ad Epiſcopatum promovendus eſt, uxorem habeat, ſed, ut Patres communiter interpretantur, prohibere ne bigamus, ſeu ne is, qui non unicam uxorem, ſed plures ſucceſſivè habuerit, ordinetur Epiſcopus. Quod confirmatur ex epiſtol. ad Titum cap. 1. ubi dicit Apoſtolus oportere Epiſcopum eſſe continentem: ut enim ait Hieronymus hunc locum exponens, *incontinentiam nunquam nominat Apoſtolus, niſi in cauſa luxuriæ*, dixit igitur continentia ſanctum eſſe oportere Epiſcopum, *ne quia unius uxoris fecerat mentionem, locum incontinentiæ dediſſe putaretur.*

Ad 3. *Reſp.* Senſum non eſſe Apoſtoli, quòd honorabile ſit ſeu honeſtum, omnes etiam eos, qui in ſacris Ordinibus ſunt conſtituti, inire matrimonium, & uxoribus uti, qui ſenſus ineptiſſimus eſt. Sed hic alloquitur Apoſtolus laicos legitimo matrimonio conjunctos, eoſque admonere, ut ſervent honorem conjugii, & thorum ſine macula, illumque nullo ſtupri genere commaculent.

Ad 4. *Reſp.* Apoſtolum per mulierem ſororem intelligere, non uxorem, ſed matronam chriſtianam, quæ eum facultatibus ſuis aleret. Porrò ea fuit Apoſtolorum conſuetudo, ut pias fœminas divites comites haberent, quibus ad vitam neceſſaria ſubminiſtrantibus, expeditiùs ipſi vacabant prædicationi Evangelii. Hoc autem faciebant Apoſtoli exemplo Chriſti, quem, ut narratur Luc. c. 8. iter facientem per civitates & caſtella, prædicando & evangelizando regnum Dei, ſequebantur mulieres aliquæ, & miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

Utrùm autem præter Petrum aliqui alii Apoſtoli uxorem habuerint, exploratum non eſt: nam ex veteribus Patribus aliqui ſcribunt, ex Apoſtolis ſolum Petrum habuiſſe uxorem; aliqui verò omnes Apoſtolos, uno Joanne excepto, conjugatos fuiſſe autumant. At quod nobis ſufficit, planè indubitatum eſt, illos ex Apoſtolis, qui uxorem habuerunt, poſtquam à Chriſto vocati ſunt ad Apoſtolatum, ab uxore quoad thorum ſeparatos vixiſſe, ut teſtatur Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum, ubi ſolus ex veteribus mulierem ſororem interpretans uxorem, ſic ait: *Dicit itaque* (Paulus) *in quadam epiſtola: Non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi,*

ſicut

Digitized by Google

ſicut & reliqui Apoſtoli? ſed hi quidem ut erat conſentaneum, miniſterio, quod divelli non poterat, prædicationi ſcilicet, attendentes, non ut uxores, ſed ut ſorores circumducebant mulieres.

Teſtatur etiam Hieronymus lib. 1. adversùs Jovinianum, ubi ait: *Petrus, & cæteri Apoſtoli, ut ei* (Joviniano) *ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium neſciebant. Qui aſſumpti poſteà in Apoſtolatum, relinquunt officium conjugale. Nam cum Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; reſpondet ei Dominus: Amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura, &c.* Ex hac autem Domini reſponſione intelligitur quid Petrus ſignificaret dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia*, adeòque, quòd Petrus, & cum eo alii Apoſtoli conjugati, uxorem reliquerant, hoc eſt, conjugali officio renunciarant, ut Chriſtum vocantem ſequerentur.

Obj. 2. Lex Eccleſiaſtica, quæ nunc ad cœlibatum obligat conſtitutos in ſacris Ordinibus, contraria eſt canonibus antiquis. Nam adverſatur, 1. Canoni Apoſtolorum ſexto, quò dicitur: *Epiſcopus, aut presbyter, uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.* 2. Canoni 4. Concilii Gangrenſis, quo dicitur: *Quicumque diſcernit à presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.* 3. Can. 13. ſextæ Synodi, quo presbyteris, diaconis & ſubdiaconis permittitur uſus uxorum, quas acceperunt ante ſuam ordinationem.

Ad 1. *Reſp.* Canone Apoſtolico prohiberi, ne Epiſcopus aut presbyter à cura ſua abjiciat uxorem, quam reliquit quoad thorum. Ex hoc igitur canone nihil habetur aliud, quàm quòd teneatur Epiſcopus, idem dic de presbytero, uxorem ſuam alere, eique in omnibus providere. Canonem hunc ſic interpretatur Concilium Quini-ſextum can. 48. quo ait, uxorem illius, qui ad Epiſcopatum promotus eſt, monaſterium ingredi debere, & Epiſcopi providentia frui.

Ad 2. *Reſp.* Hunc Concilii Gangrenſis canonem loqui non de presbytero, qui habet, ſed de presbytero, qui habuit uxorem, adeòque perperam allegari contra cœlibatum clericorum. Dico itaque hoc canone damnari Euſtatianos, qui nuptias tanquam ex natura ſua malas vituperabant, ita ut dicerent, mulierem cum viro ſuo dormientem, quantumvis fidelis eſſet & religioſa, in regnum Dei introire non poſſe, ut patet ex can. 1. & presbyterum, qui ante ordinationem ſuam duxiſſet uxorem, ſic deteſtabantur, etiam ab uxore ſua continentem, ut nollent cum eo in divinis communicare, & eo offerente, de oblatione percipere.

Ann. 695. *Ad* 3. *Reſp.* Hunc canonem non eſſe ſextæ Synodi; nullos enim canones edidit ſexta Synodus; ſed Quini-ſextæ, quam aliquantò poſt ſextam Synodum ſub Juſtiniano II. Conſtantinopoli in Imperatoris palatio, quod Trollum vocabatur, celebrarunt Epiſcopi Orientales, in eaque canones 102. ediderunt. Hæc autem Synodus nullius eſt authoritatis in Eccleſia, utpotè reprobata à Sergio Papa, quo Sedem Apoſtolicam tenente celebrata eſt. Præterea, Synodus hæc parùm juvaret cauſam Lutheranorum & Calviniſtarum. Nam 1. Epiſcopos etiam conjugatos obligat ad continentiam, & uxores eorum relegat in monaſterium ab Epiſcopali domo diſſitum, ut patet ex canon. 48. 2. Presbyteris quidem, diaconis, & ſubdiaconis permittit uſum uxoris, quam acceperunt, antequam promoverentur; at illis prohibet ſub pœna depoſitionis, ne poſt ordinationem uxorem ducant, ut patet ex can. 6.

Apud Va *Obj.* 3. Socrat. lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 11. ubi narrat: „ Quòd cùm viſum eſſet Patribus Nicænis, novam „ legem in Eccleſiam inducere, ut quicumque in ſacrum Ordinem allecti eſſent, ideſt, Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, ab uxorum quas, cùm laici eſſent, matrimonii jure ſociaverant, concubitu abſtinerent... Surgens in medio Epiſcoporum conſeſſu Paphnutius (Epiſcopus Ægyptius, cui perſecutionis tempore oculus fuerat effoſſus, vir ſanctitate & miraculis clarus) vehementer vociferatus eſt, non eſſe imponendum clericis & ſacerdotibus grave hoc jugum .... ſatis eſſe, ut qui in clerum fuiſſent adſcripti, juxta veterem Eccleſiæ traditionem jam non ampliùs uxores ducerent; non tamen quemquam ſejungendum eſſe ab ea, quam antehac, tunc cùm eſſet laicus, legitimè duxiſſet... Cæterùm univerſus ſacerdotum cœtus Paphnutii ſermonibus aſſenſus eſt... ſingulorum arbitrio permiſerunt, ut ab uxorum conſuetudine abſtinerent, ſi vellent. “ Idem porrò narrat Sozomen. lib. 1. hiſt. cap. 23.

Reſp. Hanc de Paphnutio hiſtoriam apertè pugnare cum verbis Epiphanii ſupra relatis, & iis quæ ſubjicit: nam ſic loco citato proſequitur: *At enim nonnullis adhuc* (inquies) *in locis presbyteri, diaconi, & hypodiaconi liberos ſuſcipiunt. Reſpondeo, non illud ex Canonis authoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere ſolet, ob nimiam populi multitudinem: cùm ſcilicet, qui ad eas ſe functiones applicent, non facilè reperiuntur.* Juxta S. Epiphanium, Epiſcopi, presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi conjugati, ab uxoris conſuetudine ſeſe continent illis in locis, in quibus Eccleſiaſtici canones accuratè ſervantur; & ſi nonnullis adhuc in locis Epiſcopi, presbyteri, &c. nondùm ſeſe continent ab uxoris conſuetudine, hoc fit non ex authoritate canonis, ſed propter hominum ignaviam. Quomodo ergò verum eſſe poteſt, quod narrat Socrates, Nicænam Synodum ſingulorum clericorum conjugatorum arbitrio permiſiſſe, ut ab uxorum conſuetudine abſtinerent, ſi vellent? Certè, ſi verum eſt, clerici conjugati uxoribus utentes tempore Epiphanii, qui Nicæni Concilii temporibus vicinus erat, hoc faciebant authoritate Canonis; quod diſertè negat Epiphanius.

Pugnat etiam hiſtoria illa Paphnutii cum verbis Hieronymi, qui etiam vicinus fuit temporibus Nicæni Concilii, quique loco ſupra citato aſſerit, ſuo tempore in Occidentis, Orientis, & Ægypti Eccleſiis, hoc eſt, in toto Orbe Chriſtiano, ad ſacros Ordines promotos non fuiſſe niſi aut virgines, aut continentes, aut conjugatos ſeſe ab uxoribus quoad thorum ſeparantes. Tunc temporis igitur non erat in clericorum conjugatorum arbitrio poſitum, ut ab uxorum conſuetudine abſtinerent, ſi vellent; ſed abſtinere tenebantur, & ea lege ordinati fuerant, ut abſtinerent.

Præterea, quomodo hiſtoria illa Paphnutii congruere poteſt can. 3. Concilii Nicæni, quo dicitur: *Vetuit omninò magna Synodus, ne liceat Epiſcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum, qui ſunt in clero, introductam habere mulierem, præterquàm utique, vel matrem, vel ſororem, vel amitam, vel eas ſolas perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* Quibus verbis ſatis apertè videtur prohibere Synodus, ne clerici conjugati domi retineant ſuas conjuges.

Denique ante Socratem, & Sozomenum Socratis exſcriptorem, qui centum & ampliùs annis à Nicæna Synodo diſtant, veterum nullus meminit tam inſignis facti. Nullum illius extat veſtigium in actis Concilii. Prorsùs ignotum fuit Epiphanio, & Hieronymo; neque Jovinianus, neque Vigilantius illud Hieronymo objecit. Quis autem non videt, quantùm contra Hieronymum factum illud Joviniani & Vigilantii cauſam adjuvaſſet? Millies igitur illud, ſi verum eſſet, adverſario contra continentiam objeciſſent. Quare facilè concludimus hiſtoriam illam Paphnutii falſam eſſe: atque Socratem & Sozomenum, qui in hiſtoria ſua multoties mentiuntur, hìc fidem nullam mereri.

Non eſt hìc omittendum, hiſtoriam Paphnutii, qua-

qualem narrant Socrates & Sozomenus, imprudenter nobis objici à Novatianis: nam ſuppoſita ejus veritate, Synodus prohibuit clericis in ſacro aliquo Ordine conſtitutis, ne poſt ordinationem ſuam uxorem ducerent, & hoc prohibuit ſecundùm antiquam Eccleſiæ traditionem. Quare ergo apud Lutheranos & Calviniſtas clerici in ſacris conſtituti, qui ad eos deficiunt, uxorem ducere permittuntur contra antiquam Eccleſiæ traditionem, & Concilii, quod ut legitimum & œcumenicum revereri ſe profitentur, prohibitionem? Quare Lutherus ſacerdos duxit uxorem?

Obj. 4. S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi ad Nicolaum I. epiſtolam, in qua narratur, piſcatores in piſcina S. Gregorii pro piſcibus ſex millia capitum infantium ſuffocatorum reperiſſe; quam cædem infantium cùm intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus, vel adulteriis Sacerdotum natam eſſe, continuò eum revocaſſe decretum, quo prohibuerat ſacerdotibus, ne uxores ducerent, & peccatum ſuum dignis pœnitentiæ fructibus purgaſſe. *Reſp. breviter*. Ineptiſſimam hanc fabulam confictam fuiſſe à nebulone aliquo, qui Nicolaum I. antequam naſceretur S. Udalricus, vita functum fuiſſe ignoravit. Vide Bellarmin. lib. de Clericis cap. 22.

ARTICULUS V.

Aliquot dubia reſolvuntur.

QUæres 1. Utrùm clerici ſacris Ordinibus initiati, lege divina obligentur ad continentiam?

Reſp. Negativè. Nam 1. lex hujuſmodi à Chriſto lata, neque ex Scriptura, neque ex traditione probari poteſt; & quod ex Apoſtoli epiſtolis ad Timotheum & Titum proferri poteſt, ſolùm probat Epiſcopos & diaconos ad continentiam obligari lege Apoſtolica.

2. Si clerici ſacris ordinibus initiati, ad continentiam obligarentur lege divina, non poſſet cum illis diſpenſari in lege eos obligante ad continentiam. Atqui cum illis diſpenſari poteſt, &c. Græcis enim ſacerdotibus uxorum, quas ante ordinationem ſuam acceperunt, uſum jam à multis ſæculis permiſit Eccleſia, ut patet ex c. *Cum olim*, extra de clericis conjugatis, & ex c. *Quæſitum*, extra de pœnitentiis, &c.

3. Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 9. ſic loquitur: *Si quis dixerit clericos, in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto ...... anathema ſit.* Quibus verbis Synodus reddens cauſam, cur clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, nec licitè nec validè matrimonium contrahere poſſint, meminit ſolius legis Eccleſiaſticæ. Ergo clerici in ſacris Ordinibus conſtituti nulla lege divina obligantur ad continentiam: nam ſi qua eſſet hujuſmodi lex, eam imprimis allegari oportuiſſet, & proculdubio allegaſſet Synodus contra hæreticos, qui leges Eccleſiaſticas ſolent contemnere.

Quæres 2. Utrùm lex Eccleſiaſtica clericos ſacris Ordinibus initiatos obligans ad continentiam, fuerit primò lata ab Apoſtolis?

Reſp. Affirmativè, ſaltem pro Epiſcopis, presbyteris, & diaconis. Nam 1. Apoſtolus epiſt. ad Titum c. 1. dicit: *Oportet Epiſcopum eſſe continentem*; quæ verba tam ſunt præceptiva, quàm iſta epiſt. 1. ad Timoth. c. 3. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* 2. Idem Apoſtolus hoc c. 3. epiſt. 1. ad Timoth. ait: *Diaconos ſimiliter* (oportet eſſe) *pudicos* continentes ſcilicet, inquit Hieronymus in commentario. At tam his verbis continetur præceptum, quàm iſtis, quæ ſubjiciuntur eod. loco: *Diaconi ſint unius uxoris viri.* Porrò ſi diaconi tenentur ad continendum præcepto Apoſtolico, à fortiori presbyteri. Adde quòd Apoſtolus locis citatis, nomine Epiſcopi comprehendat ſimplicem presbyterum. 3. Concilium Carthag. II. canon. 2. dicit: *Epiſcopos, presbyteros, & diaconos placuit continentes eſſe in omnibus, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Dixi autem, ſaltem pro Epiſcopis, &c. quia, quòd lex ſubdiaconos ad continentiam obligans, fuerit primò lata ab Apoſtolis, probare non poſſumus.

Quæres 3. Utrùm ſacris Ordinibus initiati, ad continentiam obligentur immediatè, per præceptum Eccleſiaſticum, an verò ſolùm mediante voto continentiæ?

Reſp. Clericos ſacris Ordinibus initiatos, ad continentiam immediatè obligari per legem Eccleſiaſticam: tenentur enim continere, ſive continentiam expreſsè & formaliter voveant, ſive non: neque lex Eccleſiaſtica ſacris Ordinibus initiandos obligat ad emittendum votum caſtitatis, ſed eis omnem actum venereum prohibet, ob reverentiam religionis, ſeu ob excellentiam Ordinis ſacris ad quem promoventur.

Quòd autem lex Eccleſiaſtica ſacris Ordinibus initiandos non obliget ad votum caſtitatis, probatur ex Pontificali Romano, in quo Epiſcopus promovendos ad ſubdiaconatum ſic alloquitur: *Hactenus liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire. Quòd ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, ampliùs non licebit à propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſervire regnare eſt, perpetuo famulari, & caſtitatem, illo adjuvante, ſervare oportebit; atque in Eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde dum tempus eſt, cogitate; & ſi in ſancto propoſito perſeverare placet, in nomine Domini huc accedite.*

Sic autem loquendo, Epiſcopus ab Ordinandis non exigit votum continentiæ, ſed ſolùm eis intimat obligationem continendi; vel etiam, ſi vis, matrimonii contrahendi incapacitatem lege Eccleſiaſtica annexam ſuſceptioni Ordinis ſacri. Nec ſanctum illud continendi propoſitum, quod ordinandos habere ſupponit Epiſcopus, magis eſt votum, quàm propoſitum non peccandi de cætero, quod ſacerdos ſupponit eſſe in pœnitente, quem abſolvit.

At inquies. Quare ergo Jura ſignificant, votum continentiæ annexum eſſe ſacris Ordinibus? *R.* Sic loqui Jura, quia hoc ipſo quòd quis lubens ac volens ſacrum Ordinem ſuſcipit ſub onere obligationis ad continendum contrahendæ ob religionis reverentiam, re ipſa tam obligatur ad continendum ob reverentiam religionis, quàm ſi expreſsè & formaliter continentiam voviſſet: unde habet votum continentiæ virtuale, & interpretativum; & fornicando, non ſolùm contra caſtitatem, ſed etiam contra religionem peccat, & duplex ſpecie peccatum committit.

Bonitas hujus doctrinæ confirmatur ex inconvenienti, quod habet oppoſita ſententia; nam qui ad ſacros Ordines promoventur, nunquam aut ſaltem tarò continentiam expreſsè & formaliter vovent; atque ita ſi lex Eccleſiaſtica ſacris Ordinibus initiatos ad continentiam non obligat, niſi mediante voto continentiæ, formali ſcilicet & expreſſo, nunquam, aut ſaltem tarò illos re ipſa obligat; & ſic ſacris ordinibus initiati nunquam, aut ſaltem raró contra virtutem religionis peccant fornicando, quod eſt abſurdiſſimum. In oppoſita ſententia, qui non emiſſo caſtitatis voto Ordinem ſacrum ſuſcepit, peccavit quidem non emittendo, & peccat quandiu non emittit votum caſtitatis; at quandiu non emittit, ad caſtitatem ſervandam nec tenetur, nec teneri poteſt propter reverentiam religioni debitam.

Quæres 4. Utrùm ſacris Ordinibus initiatus in infantia, teneatur poſteà ad ſervandam caſtitatem?

Reſp. Talem poſſe pro arbitrio, cùm ad annos diſcretionis pervenerit, eligere ſtatum Eccleſiaſticum, vel ſæcularem, & uxorem ducere, ſi velit: niſi tamen ſufficienter inſtructus, Ordinis ſuſcepti actum aliquem liberè exerceat, aut ordinationem ſuam aliquo alio modo approbet. Ratio eſt, quia Eccleſia nec vult, nec velle poteſt aliquem ad caſtitatem ſervandam

abſque

abſque omni ſuo conſenſu obligare: hanc enim obligationem Chriſtus unicuique liberam eſſe voluit.

Quæres 5. Utrùm ad ſacrum Ordinem promotus cum ignorantia obligationis continendi annexæ huic Ordini, teneatur continere?

Reſp. Talem vel vincibiliter vel invincibiliter ignoraſſe obligationem illam. Si primum, tenetur ſervare continentiam: nam ignorantia vincibilis æquiparatur ſcientiæ; & qui ſic ignoravit, ſibi debet imputare quòd ignorarit: quare immeritò invitus eſſet reſpectu obligationis continendi annexæ Ordini, quem voluntariè ſuſcepit; jureque cenſetur, in illam ſufficienter conſenſiſſe.

Si ſecundum, non tenetur ſervare continentiam, præſertim ſi graves aliquas rationes habuit, quibus ſibi inculpabiliter perſuadere potuerit, nullam ejuſmodi obligationem Ordini, quem ſuſcepit, annexam eſſe. Ratio eſt, quia tali ignorantia ſua imputari non poteſt, nec cenſeri poteſt, aliquo modo conſenſiſſe in obligationem continendi: unde prorſus immeritum Eccleſia ad continentiam cogeret. Hinc Gregorius Magnus de ſubdiaconis cum tali ignorantia ordinatis in Sicilia, ſic loquitur lib. 1. epiſtol. 42. *Ante triennium ſubdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur à ſua uxore ſeparari.*

Subdiaconi illi, de quibus ſcribit Gregorius, nunquam audierant, ſubdiaconis prohibitum eſſe uti matrimonio ante ſubdiaconatum contracto; & antequam ordinarentur, viderant eo uti illos omnes, qui anteà fuerant ordinati, ſcientibus Prælatis, & ut rem licitam permittentibus: unde inculpabiliter ſibi perſuaſerant, obligationem continendi ſubdiaconatus annexam non eſſe. Quare durum & incompetens judicat Pontifex illos cogi ad continentiam, eiſque liberum relinquit uſum matrimonii ante ſubdiaconatum contracti.

Quæres 6. Utrùm is qui ad ſuſcipiendum Ordinem ſacrum metu compellitur, obligetur ad continentiam?

Reſp. Negativè, ſi metus ſit gravis, & cadens, ut ajunt, in conſtantem virum, & injuſtè incuſſus ad hoc ut ad ſuſcipiendum Ordinem ſacrum compellatur. Ratio eſt, quia nec per præceptum Eccleſiaſticum, nec per votum obligatur ad ſervandam continentiam. 1. Non obligatur per præceptum Eccleſiaſticum: nam meritò invitus eſt reſpectu obligationis continendi, & meritò invitum Eccleſia nec vult, nec poteſt obligare ad continentiam. 2. Non obligatur per votum: nam etiamſi ſupponatur continentiam expreſsè & formaliter promiſiſſe, Deus cenſeri non poteſt promiſſionem hanc acceptaſſe: neque enim reverentia ſuſcepti Ordinis poſtulat, ut promiſſio continentiæ, per metum gravem & injuſtum extorta, acceptetur à Deo: promiſſio autem facta Deo non valet, niſi ab eo acceptetur.

Quæres 7. Utrùm ſacris Ordinibus initiati nunc invalidè contrahant, & ſemper invalidè contraxerint matrimonium?

Reſp. 1. Jam à multis ſæculis ſacris Ordinibus initiatos ad contrahendum matrimonium inhabiles eſſe. Patet ex can. 21. Concilii Lateranen. I. à Calixto II. anno 1122. celebrati, quo presbyteris, diaconis & ſubdiaconis matrimonia contrahere penitùs interdicitur, & matrimonia ab hujuſmodi perſonis contracta disjungi jubetur. Patet etiam ex cap. 1. & 2. extra: *Qui clerici, vel voventes*, quibus clerici in ſacris Ordinibus conſtituti prohibentur uxores ducere, & ſi duxerint, ab eis jubentur ſeparari.

Reſp. 2. Matrimonia à clericis conſtitutis in ſacris Ordinibus contracta, fuiſſe quidem ſemper prohibita, at non fuiſſe ſemper invalida. Nam 1. Concilium Aurelianenſe III. anno 538. celebratum, can. 7. clericos, qui volentes abſque ulla reclamatione in ætate legitima fuerint ſacris Ordinibus initiati, tantùm jubet, nulla ſeparationis mentione facta, excommunicari cum mulieribus, quas acceperint. 2. Ancyrana Synodus anno 314. celebrata can. 10. eis, qui non reclamantes ad diaconatum promoti ſunt, quamvis continentiam ſilentio ſuo profeſſis, ſi poſteà ad nuptias venerint, ab officio ſuo depoſitis, nulla quoque ſeparationis mentione facta, laicam communionem concedit.

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS.

DE MATRIMONIO.

DISPUTATIO PRIMA.

De Eſſentia Matrimonii.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Matrimonium, & quotuplex.

MAtrimonium ab eo dicitur (inquit Catechiſmus Romanus titul. de matrim.) „ quòd fœmina idcircò maximè nubere debet ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus eſt. Conjugium quoque à conjungendo appellatur, quòd legitima mulier cum viro quaſi uno jugo adſtringatur. Præterea Nuptiæ, quia, ut inquit S. Ambroſius, pudoris gratia puellæ ſe obnuberent: quo etiam declarari videbatur, viris obedientes ſubjectaſque eſſe oportere. „

Matrimonium duobus modis accipi poteſt, videlicet pro coorractu, & pro vinculo, quod efficit talis eootractus. In matrimonio, prout utrumque complectitur, multa repetiuntur, Nam 1. reperitur internus conſenſus contrahentium. 2. Pactio externa, ſeu ſigna quibus ſenſibiliter exprimitur conſenſus internus. 3. Mutua corporum traditio, quæ tamen in re nihil aliud eſt, quàm conſenſus internus cootrahentium, per externam pactionem ſenſibiliter expreſſus. 4. Vinculum ortum ex corporum traditione, & jus cujuſque in alterum, quod utrumque in re aliud non eſt, quàm mutuum dominium corporum, cum mutua ſubjectione huic dominio correſpondente. 5. Mutua obligatio reddendi debitum, quæ ex duobus præcedentibus reſultat. 6. Debiti redditio, ſeu uſus matrimonii, ſine quo uſu poteſt eſſe matrimonium, etiam ſecundo modo acceptum. Nam mutuum dominium, & mutua ſubjectio huic dominio correſpondens, in quibus conſiſtit matrimonium ſecundo modo acceptum, antecedunt uſum matrimonii, & ſine eo eſſe poſſunt.

Imò verò matrimonium ſumptum utroque modo, poteſt eſſe non ſolum ſine carnali copula, ſed etiam cum mutua obligatione ab ea in perpetuum abſtinendi. Nam ſi ſponſus & ſponſa, antequam matrimonium contrahant, emiſerint votum caſtitatis perpetuæ, nihilominùs poſteà ab illis matrimooium validè contrahetur, & contractum permanebit. Unde tunc copula inter eos habita non erit fornicatio, quia non erit acceſſus ad non ſuam; & obtenta diſpenſatione voti, actum conjugalem licitè exercere poterunt ſine novo contractu. Ratio eſt, quia ſponſus, & ſponſa, non obſtante obligatione caſtitatis perpetuò ſervandæ, poſſunt ſibi mutuum tradere dominium corporum in ordine ad actum conjugalem, non quidem expeditum, quod non requiritur, ſed ligatum, quod ſufficit: dominium enim ligatum & impeditum, tam verum eſt dominium, quàm expeditum, ut multis exemplis probari poteſt; quamvis quandiu ligatum & impeditum eſt, non poſſit in actum exire, & in caſu propoſito, uſus illius eſſet ſacrilegium, propter votum caſtitatis.

RESPONSIO I.

Matrimonium primo modo ſumptum rectè definitur, Contractus, quo perſonæ legitimæ mutuum dominium in ſua corpora ſibi tradunt ad actum conjugalem.

Bonitas hujus definitionis probatur ex eo quòd convenit omni & ſoli. Dicitur autem in hac definitione, perſonæ legitimæ, hoc eſt, vir & fœmina, qui neque lege naturali, neque poſitiva, inhabiles ſunt ad ſic contrahendum: nam, ut dicit Catechiſmus ad Parochos loco ſupra citato, „ qui à nuptiarum conjunctione legibus omninò excluſi ſunt, ii matrimonium inire non poſſunt: neque, ſi ineant, ratum eſt: exempli enim gratia, ii qui intra quartum gradum propinquitate conjuncti ſunt, puerque ante decimum-quartum annum, aut puella ante duodecimum, quæ ætas legibus conſtituta eſt, ad matrimonii juſta fœdera ineunda apti eſſe non poſſunt. „

RESPONSIO II.

Matrimonium ſecundo modo ſumptum, à Theologis communiter deſcribitur, Viri & mulieris maritalis conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens.

Convenit omni & ſoli. Dicitur autem 1. Viri & mulieris: matrimonium enim eſſe non poteſt inter virum & virum, aut mulierem & mulierem. Dicitur 2. Conjunctio, in facto eſſe ſcilicet, & habitualiter permanens, hoc eſt, vinculum ſeu nexus. Dicitur 3. Maritalis, quia per hanc conjunctionem vir in corpus mulieris, & viciſſim mulier in corpus viri poteſtatem habet in ordine ad carnalem copulam, ut patet ex Apoſtolo, 1. Corinth. cap. 7. ubi ait: *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Itaque maritalis conjunctio habitualiter perſeverans, in qua matrimonium ſecundo modo ſumptum conſiſtit, in re nihil aliud eſt, quàm mutua illa poteſtas, mutuumque illud dominium viri & mulieris in corpora ſua in ordine ad copulam carnalem, ut jam obſervatum eſt. Dicitur denique 4. Individuam vitæ, &c. quod, ut ait Catechiſ. Rom. loco citato, „ indiſſolubilis vinculi naturam declarant, quo vir & uxor colligantur. „

Ex dictis autem apparet, quod dicit idem Catechiſmus, „ alia pactionum genera, quibus viri & mulieres obligantur, ut ſibi mutuam operam præſtent, vel pretii, vel alterius rei cauſa, prorſus aliena eſſe à Matrimonii ratione. „

RESPONSIO III.

Matrimonium ſecundo modo ſumptum dividunt in legitimum, ratum, & conſummatum.

Explic. Legitimum dicitur, quod mutuo & legitimo conſenſu contractum eſt inter perſonas legitimas. Talia fuerunt matrimonia in lege Naturæ & Moſaica. Talia etiam fuerunt & ſunt inter Gentiles. Ratum dicitur, quod contractum eſt inter baptizatos, unde majorem obtinet firmitatem & inſolubilitatem. Conſummatum denique dicitur, quod extrinſecè completum eſt per carnalem copulam, & ſi contractum eſt inter baptizatos, omnimodam indiſſolubilitatem habet.

ARTICULUS II.

Utrùm Matrimonium ſit per ſe & intrinſece honeſtum.

MAtrimonium, ut rem per ſe & intrinſecè malam damnarunt hæretici multi: Simon Magus, qui

Digitized by Google

qui docebat *deteſtandam turpitudinem indifferenter utendi fœminis*, teſte S. Auguſtino lib. de hæreſ. §. 1. Saturninus, qui *nubere & generare à ſatana* dicebat *eſſe*, teſte S. Irenæo lib. 1. cap. 22. Marcion, qui *abſtinentiam à nuptiis* annunciavit, fruſtrans *antiquam plaſmationem Dei, & obliquè* accuſans *eum qui & maſculum & fœminam ad generationem hominum fecit*, teſte eodem Irenæo, eodem lib. cap. 30. Tatianus, qui *nuptias corruptelas & fornicationes*, ſimiliter ut Marcion & Saturninus dicebat, teſte eodem, eodem lib. cap. 31. Encratitæ, qui Tatiano ſucceſſerunt, & *nuptiarumque authorem diabolum manifeſtè* conſtituerunt, teſte S. Epiphanio hær. 46. Adamiani, qui *nuptias* averſabantur, *quia nec priuſquam peccaſſet Adam, nec priuſquam dimiſſus eſſet de paradiſo, cognovit uxorem*; & ita credebant, *quòd nuptiæ futuræ non fuiſſent, ſi nemo peccaſſet*, teſte S. Auguſtino lib. de hær. §. 31. Manichæi, qui generare prohibebant, propter quod conjugia copulanda ſunt, ut ait S. Auguſtinus eodem lib. §. 46. Euſtathiani, teſte Socrate lib. 2. hiſt. cap. 43. Priſcillianiſtæ, qui *procreationem naſcentium* perhorreſcebant, *conjugalem copulam deteſtantes, quia non eſt illic libertas turpitudinis, ubi & pudor matrimonii ſervatur, & ſpes ſobolis*, ut ait S. Leo epiſt. 93. ad Turibium cap. 7. Apoſtolici, teſte S. Bernardo ſerm. 66. in Cantica. Et Albigenſes, teſte S. Antonino in Summa Theologica. Sed contra illos ſit

R E S P O N S I O.

Matrimonium eſt per ſe, & intrinſecè licitum & honeſtum.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex Scriptura veteri. Nam Gen. c. 2. legitur: *Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi .... Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex oſſibus meis ...... Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.*

Ex quibus verbis habemus primò, Deum eſſe authorem matrimonii; cùm mulierem creaverit, ut matrimonio copularetur viro in ordine ad procreationem & educationem liberorum. Nam ut ait S. Auguſtinus

Lib. 9. de gen. ad litt. cap. 3. in hæc verba, *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi: Si quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos: ſicut adjutorium ſemini terra eſt, ut virgultum ex utroque naſcatur*. Atqui rei per ſe & intrinſecè malæ Deus author eſſe non poteſt. Ergo, &c. Habemus ſecundò, matrimonium à Deo approbatum fuiſſe per Adamum: nam hæc verba, *Relinquet homo patrem ſuum, &c.* quibus continetur approbatio matrimonii, ab Adamo prolata fuerunt ex inſtinctu Spiritus S. unde ea Deo attribuit Chriſtus, Matth. c. 19. Atqui rem per ſe malum approbare non poteſt Deus. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Scriptura nova. Nam Chriſtus Matth. cap. 19. de matrimonio loquens, ſic ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Vir igitur & mulier authoritate divina copulantur. Et Joan. cap. 2. dicitur Chriſtus nuptiarum celebrationi interfuiſſe cum ſanctiſſima Virgine Matre ſua, eaſque inſigni miraculo exornaſſe. In quem locum hæc habet Auguſtinus tract. 9. in Joan. *Quòd Dominus invitatus venerit ad nuptias .... confirmare voluit, quòd ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant ..... prohibentes nubere, & dicentes quod malum eſſent nuptiæ.*

Magiſtro ſuo conſentit Apoſtolus pluribus locis. Nam dicit 1. Corinth. cap. 7. *Si non ſe continent, nubant. Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere .... Si acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit .... Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit*. 1. Ad Timoth. cap. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare, matris-familias eſſe*. Et cap. 4. prænuncians futuros hæreticos, eorumque errores, dicit eos prohibituros nubere.

Prob. 3. Ex traditione, cujus teſtes ſunt Patres ſupra citati, qui ſententiam nuptias ut malas damnantem, inter hæreſes computant, & eos omnes, qui illam defenderunt, ut hæreticos inſectati ſunt. Teſtes etiam ſunt Concilia, Gangrenſe ſcilicet, can. 1. quo dicitur: *Si quis vituperat nuptias .... anathema ſit*. Et Bracarenſe II. can. 11. quo dicitur: *Si quis conjugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Anno 5[illegible]

Prob. denique 4. Quia Chriſtus matrimonium elevavit ad eſſe ſacramenti, ut probabitur, & fides docet. Atqui quòd Chriſtus rem per ſe turpem & inhoneſtam voluerit eſſe ſacramentum, ſeu ſignum efficax gratiæ ſanctificantis, dici non poteſt ſine blaſphemia. Ergo, &c.

Obj. Uſus matrimonii illicitus eſt. Ergo & ipſum matrimonium illicitum eſt. Neg. ant. *Probabit.* Patres vituperant uſum matrimonii. Ergo, &c. *Reſp.* Patres non ipſum matrimonii uſum vituperare, ſed ardorem concupiſcentiæ in eo potiſſimùm ſeſe exerentem, cui ardori ineſt fœditas quædam & indecentia, & ſæpènumero culpa non vacat. At hic concupiſcentiæ contra rationem poſt Adami lapſum rebellantis ardor, cum uſu matrimonii per accidens conjunctus eſt, nec locum habuiſſet in ſtatu innocentiæ, in quo tamen matrimonio uſi fuiſſent conjuges, ut docet S. Auguſtinus lib. 9. de gen. ad litt. cap. 3. *Tamen*, inquit, *non video, quid prohibere potuerit, ut eſſent eis* (Adamo & Evæ) *etiam in paradiſo honorabiles nuptiæ & thorus immaculatus: hoc Deo præſtante, fideliter juſteque viventibus, eique obedienter ſanctèque ſervientibus, ut ſine ullo inquieto ardore libidinis, ſine ullo dolore ac labore pariendi, fœtus ex eorum ſemine gignerentur.*

A R T I C U L U S III.

Utrùm Matrimonium ſit in præcepto.

R E S P O N S I O I.

Matrimonium nunquam fuit in præcepto naturali obligante ſingulos.

Prob. Nam 1. ſi jus naturale aliquando ſingulos obligavit ad matrimonium, cùm ſit immutabile, nunc etiam ad matrimonium obligat ſingulos. Atqui falſum eſt & fidei contrarium, quòd ſinguli in lege evangelica ad Matrimonium obligentur. Nam ex unanimi Patrum interpretatione, Chriſtus continentiam commendat, cùm ait Matth. cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum*. Et poſt Chriſtum Apoſtolus, 1. Cor. cap. 7. ubi ait: *De virginibus præceptum non habeo, conſilium autem do .... Exiſtimo ergo hoc* (virginitatem) *bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem* (placendi Deo, & parandi bona opera) *quoniam bonum eſt homini ſic eſſe .... Qui .... judicat in corde ſuo ſervare virginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit*. Denique Apocalyp. c. 14. ii qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſed virgines permanſerunt, dicuntur eximia quadam prærogativa præ cæteris beatis in cœlo fruituri. Ergo, &c.

2. Jus naturale non obligavit unquam ſingulos, niſi ad id quod neceſſarium eſt ad perfectionem ſingulorum: nam ad id quod tantùm neceſſarium eſt ad perfectionem communitatis, tantùm obligat communitatem. Atqui non ad ſingulorum, ſed communitatis tantùm perfectionem neceſſarium eſt matrimonium. Et verò ad perfectionem ſui non magis indigent ſinguli matrimonio, quàm agricultura, ædificatoria, & ſimilibus officiis. Ergo jus naturale nunquam obligavit ſingulos ad matrimonium; ſicut nunquam

ſingulos obligavit ad agriculturam, ædificatoriam, & ſimilia officia.

Hanc rationem affert S. Thomas in ſupplem, q. 41. art. 2. in O. ubi ait: *Natura inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo, ſicut ad id quod eſt neceſſarium ad perfectionem unius; & talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus ſunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid quod eſt neceſſarium ad perfectionem multitudinis: & cum multa ſint hujuſmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: aliàs, quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ædificatoriam, & ad hujuſmodi officia, quæ ſunt neceſſaria communitati humanæ* (& ſeſe invicem impediunt, nec ab uno & eodem moraliter poſſunt exerceri. Ad hujuſmodi autem officia ſingulos obligari abſurdum eſt) *ſed inclinationi naturæ ſatisfit, cum per diverſos diverſa de prædictis complentur.* Ex quibus

Confirmo ſic reſp. Quamvis agricultura, verbi gr. neceſſaria ſit communitati, ad eam tamen non obligantur ſinguli, quia alia etiam ſunt officia, ad communitatis perfectionem neceſſaria, quæ per agriculturam impediuntur: unde juri naturali ſatisfit, ſi aliqui in communitate exerceant agriculturam, ad quod procurandum ſola communitas ſeu *rector* communitatis obligatur: ita quamvis matrimonium neceſſarium ſit communitati, ad illud tamen non obligantur ſinguli, quia aliud etiam eſt officium, ad communitatis perfectionem neceſſarium, quod per matrimonium maximè impeditur, nempe vita contemplativa.

Sic argumentatur S. Doctor loco cit, ubi poſt verba relata proſequitur in hunc modum: *Cum ad perfectionem humanæ multitudinis ſit neceſſarium aliquos contemplativæ vitæ inſervire, quæ maximè per matrimonium impeditur, inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat* (ſingulos) *per modum præcepti*, ſed ei ſatisfit, ſi aliqui, & à fortiori ſi multi matrimonium eligant, ad quem effectum neceſſaria non eſt præcepti obligatio, qua quantùmvis ſecluſa, moraliter poſſibile non eſt, ut omnes, aut etiam majori ex parte homines matrimonium reſpuant. Nam, ut ait S. Doctor art. cit. ad 4. ſuppoſita diverſitate complexionum, ſecundùm quam diverſi ad diverſa naturaliter inclinantur, cum divina providentia, quæ moderatur omnia, ſemper morali infallibilitate aliqui, imò multi matrimonium, & aliqui vitam cœlibem eligent: ſicut ſemper morali infallibilitate alii eligent agriculturam, alii ædificatoriam, &c.

Addo. Si quando, quod morale non eſt, contingeret omnes in communitate cœlibatum eligere, addo, inquam, quòd tunc communitatis rector poſſet, & jure naturali teneretur, aliquibus, vel pluribus determinatè, prout neceſſarium judicaret, matrimonium præcipere; quòdque ii quibus matrimonium ſic præciperet, ad illud jure poſitivo graviter obligarentur. Satis igitur ſuperque cautum eſt humani generis propagationi & conſervationi, abſque præcepto naturali ſingulos ad matrimonium obligare.

Responsio II.

Initio mundi, & ſtatim poſt diluvium, ſinguli homines videntur ad matrimonium obligari fuiſſe præcepto poſitivo divino.

Ita Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 26. §. C. & cum eo probatur. Quia hæc verba: *Creſcite & multiplicamini*, quæ Deus dirigit ad Adamum & Evam, Geneſ. cap. 1. & ad Noe ac filios ejus, Gen. c. 9. videntur continere non ſolùm benedictionem, ut cùm ad bruta animantia diriguntur, ſed etiam præceptum ſingulos homines ad matrimonium obligans. Et ratio eſt, quia Deus non aliter genus humanum propagari volebat, quàm per matrimonium, quod ad hunc finem inſtituerat. Atqui ad hoc ut convenienter genus humanum hoc modo propagaretur, propter paucitatem hominum neceſſarium erat, ut omnes nuberent. Ergo Deus omnes ad nubendum obligavit præcepto, quod Adamo ante lapſum, & Noemo ſtatim poſt diluvium intimavit: alioquin voluntas Dei de propagando per matrimonium humano genere impunè fruſtrari potuiſſet ab hominibus, quod eſt abſurdum.

Talis autem præcepti ſingulis à Deo de contrahendo matrimonio impoſiti obligatio deſiit, poſtquam genus humanum ſufficienter multiplicatum eſt: ceſſante enim fine præcepti, ceſſat præceptum. Et verò quòd tale præceptum non vigeret ampliùs in lege Moſaica, probat exemplum Joſue, de quo ſic Jovinianum interpellat Hieronymus lib. 1. *Oſtende mihi Jeſum Nave, vel uxorem habuiſſe, vel filios; & ſi potueris monſtrare, victum me eſſe fatebor.* Multò minus viget in lege Evangelica, in qua expreſſis verbis docet Apoſtolus, quòd laudabilius ſit virginitatem ſervare, quàm nubere; & Chriſtus ipſe omnes ad continentiam invitat. In qua Joannes Apoſtolus, quem fides Chriſti virginem repererat, virgo permanſit, & ideò plus amatus eſt à Domino, & recubuit ſuper pectus Jeſu, ut ait ſanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum.

ARTICULUS IV.

Utrùm Matrimonium ſit Sacramentum.

Responsio.

Matrimonium eſt verum ac propriè dictum novæ legis ſacramentum.

Eſt de fide, contra Lutherum & Calvinum, contra quos. *Prob.* 1. Ex Scriptura. Nam Apoſtolus, Epheſ. cap. 5. de matrimonio loquens, ait: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Quibus verbis innuit, gratiam, qua naturalis conjugum amor perficitur, indiſſolubilis unitas confirmatur, conjugeſque ſanctificantur, ex opere operato conferri per matrimonium, adeòque matrimonium à Chriſto evectum eſſe ad rationem ſacramenti, ſeu ad rationem ſigni gratiam ſignificantis, & gratiam quam ſignificat, non ponentibus obicem conferentis: *Gratiam verò*, inquit Concil. Trident. ſeſſ. 24. *quæ naturalem illum* (quo conjuges inter ſe uniuntur) *amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium ſacramentorum inſtitutor, atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens:* Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea: *mox ſubjungens*, Sacramentum hoc magnum eſt, &c.

Porrò matrimonium vocat Apoſtolus magnum Sacramentum. Pro quo *nota*. Sacramentum quadruplici modo poteſt eſſe magnum. Et 1. quidem ratione neceſſitatis, ut Baptiſmus. 2. Ratione rei contentæ, ut Euchariſtia. 3. Ratione miniſtri conferentis, ut Ordo, qui à ſolo Epiſcopo confertur. 4. Denique ratione ſignificationis, quo modo matrimonium eſt ſacramentum magnum: nam non ſolùm ſignum eſt gratiæ ſanctificantis, ſicut reliqua ſacramenta, ſed etiam, quod ipſi proprium eſt, conjunctionis Chriſti cum Eccleſia non ſolùm per charitatem, ſed etiam per conformitatem naturæ; quæ conjunctio eſt ſanè quid præſtantiſſimum.

Prob. 2. Authoritate Conciliorum, Florentini, ſcilicet, in decreto Eugenii §. *Septimum. Septimum eſt ſacramentum matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem*: Sacramentum hoc magnum eſt, &c. Et Tridentini ſeſſ. 7. can. 1. quo definitur, ſeptem eſſe verè ac propriè dicta novæ legis ſacramenta à Chriſto inſtituta, quorum ſeptimum eſt Matrimonium. Et ſeſſ. 24. in Canonum proœmio ſic ait: *Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratiâ præſtet: meritò inter novæ*

legis

Digitized by Google

legis ſacramenta annumerandum, ſancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt. Tum ſic pronuntiat can. 1. *Si quis dixerit, matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem legis evangelicæ ſacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre: anathema ſit.*

*Prob.*3. Authoritate Patrum. Pro omnibus ſit Auguſtinus lib. de bono conjugali cap.18. *In noſtrorum,* inquit, *nuptiis plus valet ſanctitas, quàm fœcunditas uteri.* Et cap.24. *Bonum igitur,* inquit, *nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti, per quam nefas eſt, etiam repudio intercedente, alteri* (mulierem) *nubere, dum vir ejus vivit.* Ecce vinculi matrimonii, quod in Eccleſia Chriſti contractum eſt, inſolubilitatem apertè repetit ex eo quòd hoc vinculum rationem habeat ſacramenti. Verum autem ac propriè dictum ſacramentum intelligit: nam Patriarcharum matrimonia aliqua ratione, lata ſcilicet & impropria, ſacramenta fuiſſe, nec ideircò tamen fuiſſe inſolubilia, agnoſcit lib. de bono conjug. cap.18.

Mens S. Doctoris declaratur ampliùs ex lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 10. in quo ſic loquitur: *Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, ut vivens cum vivente* (poſt matrimonii conſummationem, quod ſemper ſuppleri debet) *in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt ... in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus conjugatis ... ut cùm filiorum procreandorum cauſa vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit .... lege evangelii reus eſt adulterii; ſicut etiam illa, ſi alteri nupſerit ..., Cum aliis* (autem) *adulteri non eſſent, niſi ad alterutrum conjuges permanerent .... ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre ... ſicut apoſtata velut de conjugio Chriſti recedens* (per infidelitatem) *etiam fide perdita, ſacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit.*

Juxta S. Doctorem igitur, matrimonium, quod in Eccleſia Chriſti contractum eſt, nulla de cauſa diſſolvi poteſt; quia quandiu vivunt ſic conjugati, tandiu neceſſariò ad alterutrum conjuges permanent; & quandiu vivunt, tandiu, &c. quia vinculum conjugale, quod in Eccleſia Chriſti contraxerunt, non magis auferri poteſt per ſeparationem, aut copulationem cum altero, quàm baptiſmus, quod eſt ſacramentum fidei, amitti poteſt per apoſtaſiam à fide. Quare ſicut ſacramentum fidei, quod per lavacrum regenerationis collatum eſt, manet in homine, qui velut de conjugio Chriſti per apoſtaſiam receſſit; ita vinculum conjugale, quod in Eccleſia Chriſti per mutuam corporum traditionem contractum eſt, in conjugibus, quandiu vivunt, etiamſi unus ab alio diſcedat, vel etiam copuletur alteri. Hìc autem S. Doctor vinculum conjugale comparans baptiſmo, manifeſtè ſupponit vinculum illud tam eſſe verè ac propriè ſacramentum, quàm baptiſmum.

Prob. 4. Authoritate Lucii III. qui ad ſummum Pontificatum evectus eſt anno 1181. & ſic ait cap. *Ad abolendam* 9. extra de hæreticis: *Qui de ſacramento Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis eccleſiaſticis ſacramentis, aliter ſentire aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat .... vinculo perpetui anathematis innodamus.* Lucius igitur Euchariſtiæ, Baptiſmo, & aliis Eccleſiæ ſacramentis, quæ verè ac propriè ſacramenta ſunt, accenſet Matrimonium.

*Prob.*5. Ratione. Matrimonium confert gratiam illud in Eccleſia contrahentibus, nec ponentibus obicem. Ergo eſt ſacramentum. Conſeq. patet. *Prob. ant.* Nam quatuor mala ſunt, quæ conjugio vitari non poſſunt ſine gratia; videlicet, non ſervare conjugi fidem conjugalem, odium & rixæ; immunditia turpitudo quædam ex membrorum rebellione, & intemperantia. Atqui contra hæc mala gratiam confert matrimonium: unde quatuor dona malis illis oppoſita conferre dicitur ab Apoſtolo 1. ad Timoth. cap. 2. ubi ait: *Sanctificabitur autem* (mulier) *per filiorum generationem* (hoc eſt, in filiorum generatione, ſeu in ſtatu conjugii) *ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate;* quæ ſcilicet gratiæ dona matrimonium in Eccleſia Chriſti contrahendo accepit. Hæc autem dona accepit, quatenùs in matrimonii celebratione ei per vinculum conjugale ex opere operato collata eſt gratia ſanctificans, cum jure ad actualis gratiæ auxilia idonea ad ſervandam fidem conjugalem, ſovendam charitatem, ſervandam decentiam, & temperatè utendum conjugio.

Confirmatur 1. Quia prioribus ſæculis, in Eccleſia rebus ſacris, & ſacerdotum miniſterio celebrari ſolitis annumeratum eſt matrimonium, ut colligitur ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 9. ubi ait: *Unde ſufficiam ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, Pater* (cœleſtis) *rato habet?* Et Ambroſio epiſt. 70. ad Vigilium, ubi ait: *Nam cum ipſum conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia* (adeòque ubi conjugium ſacerdotali benedictione ſanctificari non poteſt?) Quòd autem Eccleſia prioribus ſæculis matrimonium rebus ſacris annumerarit eodem ſenſu, quo nunc annumerat, adeòque quòd Eccleſia prioribus ſæculis matrimonium ut verum ac propriè dictum ſacramentum habuerit, nulla ambigendi ratio afferri poteſt. Ergo, &c.

Confirmatur 2. ex ſenſu Eccleſiæ Græcæ, quæ etiam poſt ſuam ab Eccleſia Romana defectionem, nihilominùs idem cum ea de matrimonio tenet; ut teſtis eſt Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in ea ad Confeſſionem Auguſtanam Lutheranorum Cenſura, quam ſuo & Græcorum Epiſcoporum nomine edidit, & in qua cap.7. ſcribit, matrimonium eſſe divinum ſacramentum, & unum è ſeptem ſacramentis, à Chriſto & Apoſtolis Eccleſiæ traditis.

Confirmatur 3. ex conſenſu unanimi Doctorum Theologorum à ſexcentis ferè annis: nam à tempore Magiſtri Sententiarum, hactenùs cum eodem Magiſtro Doctores Theologi omnes, nullo excepto, docuerunt ſeptem eſſe ſacramenta, & unum ex illis eſſe matrimonium. Dico, nullo excepto: nam nequidem Durandus hac in re à reliquis diſſenſit. Nam lib.4. diſt.2. qu.2. docet ſeptem eſſe ſacramenta, quorum ſeptimum eſt matrimonium: imò ibidem in matrimonio æquè ac in reliquis ſacramentis agnoſcit vim conferendi gratiam: ſic enim loquitur: *Alio modo poteſt ſumi brevius eorum* (Sacramentorum) *ſufficientia ex parte adjutorii quod conferunt. Sacramenta enim expediunt nos ad actus virtutum, quæ ſunt ſeptem, tres theologicæ, & quatuor cardinales. Ad actus ergo fidei expedit nos Baptiſmus. Ad actum ſpei Extrema-unctio. Ad actum charitatis Euchariſtia. Ad actum verò fortitudinis Confirmatio. Ad actum juſtitiæ Pœnitentia. Ad prudentiæ actum Ordo. Ad actum temperantiæ Matrimonium.*

At inquies. Durandus eod. lib. diſt. 26. quæſt. 3. approbat ſententiam, quæ fuit aliquorum Canoniſtarum, quos citat §. 6. Gaufridi ſcilicet, Hoſtienſis, & Bertandi, negantem matrimonio ineſſe vim conferendi gratiam ex opere operato; adeòque non aliter ſentit matrimonium eſſe ſacramentum, quàm in ſenſu improprio.

R. Durandum hìc, quod nobis ſufficit, ſimpliciter agnoſcere matrimonium ut unum ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis. *Tenendum eſt abſolutè,* inquit, *quod matrimonium eſt ſacramentum; cùm hoc determinet Eccleſia, extra de hæreticis, Ad abolendam; ubi numerat*

merat

merat matrimonium inter alia ſacramenta. Dato autem quòd approbet ſententiam Juriſtarum, negantium matrimonio ineſſe vim conferendi gratiam ex opere operato, ex eo ſequitur tantùm quòd ſenſerit non omnia ſacramenta inſtituta fuiſſe ad conferendam gratiam, quo non obſtante, ſentire potuit matrimonium eſſe verum ac propriè dictum novæ legis ſacramentum, errando circa notionem veri ac propriè dicti ſacramenti novæ legis.

Dixi autem, dato, &c. nam revera Durandus non approbat ſententiam Juriſtarum: *Quorum opinio*, inquit, *an ſit vera, an falſa .... non determino quoad præſens*. Sed ſolùm contendit, eos non docere aliquid contrarium determinationi Eccleſiæ, eorumque opinionem defendi poſſe ſine periculo hæreſis. Nec contendit immeritò: nondùm enim tunc temporis Eccleſia definierat, omnia novæ legis ſacramenta conferre gratiam ex opere operato; & quòd matrimonium ex opere operato gratiam conferat, ſolùm erat probabilior ſententia, ut patet ex S. Thoma in ſuppl. qu.42. art.3. in O. ubi ait; *Alii dicunt, quod matrimonium, in quantum in fide Chriſti contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur: & hoc probabilius eſt*.

Hoc autem probabilius erat tum ab intrinſeco; nam, ut ibidem proſequitur S. Doctor, *ubicumque datur divinitùs aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo convenienter uti poſſit facultate illa .... Unde cùm in matrimonio detur homini ex divina inſtitutione facultas utendi ſua uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia, ſine qua id convenienter facere non poſſit*.

Tum ab extrinſeco: nam erat contra paucos Juriſtas, quibus unum Durandus adjungit Magiſtrum ſententiarum, communis Theologorum omnium ſententia, ut Durandus fatetur. *Moderni autem*, inquit, *Theologi quaſi communiter tenent, quod per ſacramentum matrimonii confertur gratia, niſi contrahentes ponant obicem, ſicut in aliis ſacramentis, quibus æquiparatur ſacramentum matrimonii in hoc caſu, quia aliàs non videretur ab eis poſſe teneri, quod matrimonium ſit ſacramentum novæ legis*.

Tunc igitur temporis omninò erat exploratum in Eccleſia, matrimonium eſſe unum è ſeptem ſacramentis novæ legis, & perſuaſum erat Theologis communiter, ad rationem ſacramenti novæ legis eſſentialiter pertinere vim conferendi gratiam ex opere operato: unde hanc vim ineſſe matrimonio, perinde ac reliquis ſacramentis, aſſerebant communiter Theologi. Sic autem prævaluit hæc ſententia, ut contrarium ſentientibus, & vim gratiam ex opere operato coferendi matrimonio denegantibus, dictum ſit anathema in Tridentina Synodo.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

OBJ. 1. Cùm hæreticis. Multi conjuges chriſtiani pejus vivunt, quàm ethnici. Item nunc inter ethnicos eſt verum matrimonium, & tamen non eſt ſacramentum. Item unum ſacramentum non pugnat cum alio. Sed Matrimonium pugnat cum Sacerdotio ſecundùm catholicos. Item Siricius in epiſtola ad Himerium vituperat matrimonium. Item ſi matrimonium eſſet ſacramentum, conſtare deberet, quænam ſit materia & forma hujus ſacramenti. Item ſi matrimonium eſt ſacramentum, maximè quia eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Sed hæc ratio nulla eſt: nam matrimonium Adami & Evæ fuit tale ſignum, nec tamen fuit ſacramentum. Item ſine coitu non eſt matrimonium, ut dicit S. Leo epiſt. 92. ad Ruſticum cap.4. relatus à Magiſtro Sententiarum lib.4. diſt.26. §.5. & à Gratiano 27. qu. 2. cap. *Cum ſocietas*. Ergo ſi matrimonium eſt ſacramentum, coitus eſt pars ſacramenti, adeòque confert gratiam ex opere operato.

Reſp. ad 1. Aliquos baptizatos ethnicis pejores eſſe: inde tamen inferri non poteſt baptiſmum eſſe ſacramentum, aut vim non habere conferendi gratiam non ponentibus obicem. Poteſt igitur homo, ſuſceptis ſacramentis, malè vivere, quia ſacramenta dant quidem homini gratiam ad rectè vivendum, at non reddunt hominem impeccabilem.

Reſp. ad 2. Verum quidem eſſe matrimonium apud ethnicos, & apud ethnicos conjuges ſibi mutuò tradere verum dominium in corpora in ordine ad copulam carnalem: attamen non ethnicorum, ſed chriſtianorum matrimonium eſt ſacramentum, quia non ethnicorum, ſed chriſtianorum matrimonium Chriſtus evexit ad eſſe ſacramenti, ut pluribus locis docet S. Auguſtinus.

Reſp. ad 3. Matrimonium & ſacerdotium non pugnare inter ſe ratione ſui, quaſi hæc duo ſacramenta jure divino non poſſint eſſe in eodem ſubjecto: nam qui uxorem accepit, conſentiente uxore, & continentiam perpetuam profitente, promoveri poteſt ad ſacerdotium; & factus ſacardos, non deſinit eſſe conjux: nam neque per ſuſceptum Ordinem, neque per votum continentiæ matrimonii vinculum diſſolvitur. Sacramentum itaque matrimonii, & ſacerdotium pugnant inter ſe tantùm jure apoſtolico, propter impedimenta, quæ neceſſariò comitantur matrimonium in iis qui eo utuntur, & quæ multùm à rebus divinis animum avocant. Nam, ut dicit Apoſtolus 1. Cor. cap.7. *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

Reſp. ad 4. Siricium damnare non matrimonia legitima, qualia contrahuntur inter perſonas non impeditas, ſed illegitima & ſacrilega: loquitur enim cap.6. de quibuſdam monachis & monialibus, qui *abjecto propoſito ſanctitatis, in tantam demerſi ſunt laſciviam, ut illicita ac ſacrilega ſe contagione miſcuerint*, & *de illicitis complexibus liberè filios procreaverint, quod & publicæ leges, & eccleſiaſtica jura condemnant*. Et cap.7. de ſacerdotibus & diaconis, *qui poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quàm etiam de turpi coitu ſobolem procrearunt*. Siricius igitur hîc ſolùm agit de monachis & monialibus, qui ſacrilegas nuptias contraxerant; & de ſacerdotibus atque diaconis, quorum alii concubinas habebant, alii matrimonio ante ſuſceptionem Ordinis contracto utebantur; cùm tamen, ut ait Pontifex ibidem, *ſacerdotes omnes atque levitæ inſolubili lege conſtringantur, ut à die ordinationis ſuæ, ſobrietati & pudicitiæ & corda ſua mancipent & corpora*.

Reſp. ad 5. Catholicos ſcire in genere, quænam eſſentialia ſint ſacramento matrimonii, & neceſſaria ad legitimam ejus adminiſtrationem, quod ſufficit: nam cum tali notitia, ſacramentum hoc re ſe ipſa debitè adminiſtratur & ſuſcipitur; quantùmvis ab adminiſtrante ignoretur, in quo præcisè conſiſtat ejus eſſentia; utrùm in contractu civili, an in vinculo conjugali, quod per contractum civilem efficitur; item quid in ejus eſſentia locum teneat materiæ vel formæ; circa quæ variæ ſunt Doctorum ſententiæ. Catholici ſciunt, quod ſufficit, quænam neceſſaria ſint ad contractum matrimonialem legitimum; & contractu matrimoniali in Eccleſia Chriſti legitimè inito, ſaltem cum intentione explicita vel confuſa efficiendi ſacramenti, exiſtere matrimonii ſacramentum.

Reſp. ad 6. Matrimonium eſſe ſacramentum, quia à Chriſto inſtitutum eſt ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, & gratiam ſanctificantem, quam ex opere operato confert non ponentibus obicem. Præterea, matrimonium chriſtianorum ſignificat præſentem Chriſti cum Eccleſia conjunctionem: unde mirum non eſt, quòd gratiam ex opere operato conferendi vim habeat, qua caruit matrimonium Adami & Evæ, quod ſi conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſignificavit, tantùm ſignificavit futuram: unde non majorem habere debuit efficaciam, quàm

ſacra-

Digitized by Google

ſacramenta vetera, quæ Chriſtum venturum præfigurabant.

Reſp. ad 7. neg. matrimonium non eſſe ſine coitu. Nam 1. coitus eſt actus ſeu officium matrimonii, adeòque non conſtituit, ſed ſupponit matrimonium. 2. Inter Mariam & Joſeph fuit verum matrimonium cum perpetua continentia, ut ait S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. ubi hæc habet: *Neque fas erat, ut ob hoc eum* (Joſeph) *à conjugio Mariæ ſeparandum putaret* (Matthæus Evangeliſta) *quod non ex ejus concubitu, ſed virgo peperit Chriſtum. Hoc enim exemplo manifeſtè inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata pari conſenſu continentia, poſſe permanere vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.*

Auguſtino conſonat Ambroſius lib. de inſtitutione virginis cap. 6. ubi ait: *Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur puella, conjugium eſt, non cùm virili admixtione cognoſcitur.* Sic autem loquitur S. Doctor, ut probet B. Virginem, ſervata virginitate, verè conjugem fuiſſe.

At inquies. Matrimonium dicitur conſummari per copulam. *R.* dici, non quòd copula ſit pars eſſentialis matrimonii, ſed quia per copulam matrimonium redditur indiſſolubile, & ſic perfectiùs ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam Chriſtus nunquam derelicturus eſt. Vel, ut dicit Magiſter loco citato, quia matrimonium ante ſexuum permixtionem, *expreſſam & plenam non tenet figuram conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ: figurat enim illam unionem Chriſti, quæ eſt in charitate, ſed non illam, quæ eſt in naturæ conformitate*, facta per incarnationem. At poſt permixtionem ſexuum, matrimonium utriuſque conjunctionis typus eſt.

Matrimonium autem expreſſa illa & plena ſignificatione conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ non indiget ut ſit ſacramentum integrum, adeòque ut gratiam ex opere operato conferat: nam hoc ipſo perfectum ſacramentum eſt, adeòque vim habet conferendi gratiam ex opere operato, quòd eſt ſignum, ut loquitur Magiſter, ſpiritualis conjunctionis & dilectionis animorum, qua inter ſe conjuges uniri debent. Eſt autem tale ſignum independenter à carnali copula, & antequam fiat carnalis copula. Perperam ergo dicitur, vel matrimonium non eſſe ſacramentum, vel coitum eſſe partem ſacramenti, & conferre gratiam ex opere operato.

Quantùm ad Leonem attinet, quem Gratianus & Magiſter citant, *R.* eum corruptè ab utroque citari, ut patet ex ipſa epiſtola cap. 4. quo probare intendit concubinas non eſſe veras uxores, & probat non ex eo quòd ad matrimonium requiratur concubitus; hic enim non deeſt in concubinatu, ut per ſe patet, ſed ex eo quòd pactio conjugalis, non concubitus, matrimonium facit. *Cùm ſocietas nuptiarum*, inquit, *ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum: dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium*, (hoc eſt, pactio nuptialis, quam myſterium vocat S. Leo, quia ad conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ ſignificandam à Chriſto inſtituta eſt.) Noſter eſt igitur S. Leo, & in eo exponendo gratis laboravit Magiſter.

Obj. 2. Cum Juriſtis, quos citat Durandus: Matrimonium licitè contrahitur cum pacto de numeranda certa pecunia. Ergo non eſt ſacramentum: alioquin ſacramentum pretio licitè emitur. *Reſp.* pecuniam illam non numerari pro ſacramento, ſed pro ſuſtinendis matrimonii oneribus: alioquin illicitè numeratur. Unde nego conſeq.

Obj. 3. Sacramentum matrimonii vel in re tranſeunte conſiſtit, vel in re permanente. Neutrum dici poteſt. Ergo, &c. *R.* triplicem eſſe ſententiam. Prima eſt Melchioris Cani lib. 8. locorum theologicorum cap. 5. ſacramentum matrimonii conſtituentis in verbis, vel aliis ſignis externis, quibus contrahentes conſenſum ſuum exprimunt, tanquam materia, & verbis, quibus ſacerdos contrahentes conjungit, tanquam forma. Secunda ſententia ſacramentum matrimonii adæquatè conſtituit in contractu, quo vir & fœmina ſibi mutuò tradunt dominium corporum. Tertia denique ſententia ſacramentum matrimonii conſtituit in vinculo conjugali, quod per contractum efficitur, quodque vim habet gratiam ex opere operato conferendi eo inſtanti, quo incipit eſſe: tunc enim ſuſcipitur, & ſacramenta non ponentibus obicem gratiam ex opere operato conferunt eo inſtanti quo ſuſcipiuntur.

Prima & ſecunda ſententia ſacramentum matrimonii conſtituunt in re tranſeunte, tertia in re permanente. Tertiæ omninò favere videtur Concilium Florentinum in decreto, cùm ait: *Cauſa efficiens* (ſacramenti) *matrimonii, regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus:* durum enim videtur ac violentum, quod ajunt, cauſam efficientem à Concilio largo modo accipi pro cauſa formali.

Favet etiam Magiſter lib. 4. diſt. 27. §. B. ubi quærit quid ſit conjugium, quod diſt. 26. probavit eſſe ſacramentum, & ſic reſpondet: *Sunt ergo nuptiæ vel matrimonium viri mulieriſque conjunctio maritalis, inter legitimas, perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Quæ definitio non contractui, qui tranſit, ſed vinculo, quod manet, videtur congruere: unde §. C. quærit Magiſter quænam ſit cauſa efficiens matrimonii, & reſpondet eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum.

Favet quoque S. Thomas in ſuppl. quæſt. 42. art. 3. ad 2. ubi ait: *Actus exteriores & verba exprimentia conſenſum, directè faciunt nexum quendam, qui eſt ſacramentum matrimonii: & hujuſmodi connexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitivè operatur ad gratiam.*

Favet denique Catechiſmus Romanus tit. de matrimonii ſacramento, ubi relata præfata definitione matrimonii, ſic proſequitur: *Cujus partes ut planius intelligantur, docendum eſt, quamvis hæc omnia in perfecto matrimonio inſint, conſenſus videlicet interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua matrimonium conſummatur: nihil horum tamen matrimonii vim & rationem propriè habere, niſi obligationem illam & nexum, qui conjunctionis vocabulo ſignificatus eſt.* At certè ſi ſolum vinculum habet vim & rationem propriam matrimonii, ſolum vinculum eſt matrimonii ſacramentum. Item cùm Apoſtolus, & poſt Apoſtolum Concilia dicunt matrimonium eſſe ſacramentum, videntur debere intelligi de ſolo vinculo.

At inquies. Si vera eſſet hæc tertia ſententia, quoties conjuges actum conjugalem exercerent in ſtatu gratiæ, toties gratiam reciperent ex opere operato. *R.* neg. ſeq. prob. Nam omne ſacramentum uſu ſuo ex opere operato ſanctificat non ponentem obicem. At conjuges actum conjugalem exercendo, utentur ſacramento. *R.* æquivocationem eſſe in hac voce, uſus. Itaque cum dicitur ſacramentum uſu ſuo ſanctificare, uſus ſuſceptionem ſignificat; & uti ſacramento, idem eſt ac ſacramentum ſuſcipere. At conjuges actum conjugalem exercendo non ſuſcipiunt ſacramentum, ſed ſacramenti antea, quando contraxerunt, ſuſcepti officium exercent. Conjuges itaque actum conjugalem exercendo, ſacramento non utuntur eo ſenſu, quo uſus ſacramenti non ponentem obicem ſanctificare dicitur.

Dices. In ſecunda & tertia ſententia aſſignari non poſſunt materia & forma ex qua ſacramenti. *R.* neg. Nam in ſecunda ſententia aſſignari poteſt conſenſus internus pro materia; & verba aut alia ſigna externa, quibus conſenſus internus exprimitur, aſſignari poſſunt pro forma.

At inquies. In omni ſacramento materia debet eſſe ſaltem ex parte ſenſibilis per ſe. *R.* hoc gratis dici, & ſufficere, ſi materia & forma ſimul faciant aliquid ſenſibile ſimpliciter.

Ma-

Malunt alii, nec improbabiliter, pro materia & forma ſacramenti aſſignare verba contrahentium, & dicunt ea eſſe materiam & formam ſub diverſo reſpectu: materiam quatenùs exprimunt traditionem; formam, quatenùs acceptationem exprimunt. Ratio eorum eſt, quia verba contrahentium, ut exprimentia acceptionem, ſe invicem, ut traditionem exprimentia, complent & perficiunt in eſſe contractus, in eo conſiſtentis, quòd vir tradat, & mulier acceptet, atque viciſſim mulier tradat, & vir acceptet: niſi enim ad mutuam traditionem accedat mutua acceptatio, non eſt contractus, in quo matrimonii ſacramentum adæquatè conſtituit hæc ſecunda ſententia.

In tertia ſententia, cùm matrimonium in re nihil aliud ſit, quàm contrahentes maritaliter uniti, materia ſacramenti ſunt contrahentes, forma verò maritalis unio, per verba, quibus effecta eſt, æquivalenter permanentia ſenſibilis.

Obj. 4. In omnibus ſacramentis tria repetiuntur, nempe quod eſt ſacramentum tantùm, quod eſt res tantùm, & quod eſt res ſimul & ſacramentum. Atqui hæc tria in matrimonio non poſſunt aſſignari. *R.* hoc negando. Nam 1. Contractus eſt ſacramentum tantùm; quia ſignificat, & non ſignificatur. Eſt autem ſacramentum formaliter in ſecunda ſententia, effectivè verò in tertia. 2. Gratia ſanctificans eſt res tantùm; quia ſignificatur, & non ſignificat. 3. Vinculum eſt res & ſacramentum; quia & ſignificat & ſignificatur: nam ſignificatur per contractum, quo efficitur, & ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia in ſecunda ſententia, & in tertia cum hac conjunctione gratiam ſanctificantem, quam confert eo inſtanti, quo efficitur per contractum.

ARTICULUS VI.

Utrùm matrimonium baptizatorum ſemper ſit ſacramentum.

RESPONSIO I.

MAtrimonium, etiam inter abſentes baptizatos per procuratorem contractum, eſt verè ac propriè ſacramentum.

Prob. Quia Chriſtus matrimonium baptizatorum evexit ad eſſe ſacramenti, nullo ſpeciali ritu inſtituto pro hoc ſacramento. Ergo hoc ipſo quòd baptizati validè matrimonium contrahunt, faciunt & recipiunt ſacramentum. Atqui inter abſentes baptizatos, per procuratorem matrimonium validè contrahitur. Ergo, &c.

Obj. Si matrimonium etiam inter abſentes baptizatos per procuratorem contractum, ſacramentum eſſe poteſt, fieri poteſt, ut ſponſus dormiens miniſtret hoc ſacramentum: nam fieri poteſt, ut dormiat in uno loco, cùm procurator ejus nomine contrahat in alio. Item actio ſacramentalis per alium exerceri poteſt, quàm per miniſtrum ſacramenti. Item poteſt conferri ſacramentum abſenti. Item poteſt quis ſacramentum ſuſcipere, negotiis prophanis ita diſtractus, ut nequidem de ſacramento cogitet. Item matrimonium per procuratorem initum, non poſſet iterari in facie Eccleſiæ. Conſequens abſurdum eſt quantùm ad omnes partes. Ergo, &c.

R. neg. min. quoad omnes partes. Nam 1. non magis abſurdum eſt, quòd ſponſus dormiens in uno loco, ſacramentum matrimonii miniſtret per procuratorem in alio, quàm quòd dormiens in uno loco, per procuratorem matrimonium validè contrahat in alio: hoc ipſo enim, quòd Chriſtus matrimonium baptizatorum elevavit ad eſſe ſacramenti, nullo ſpeciali ritu inſtituto pro hoc ſacramento, poteſt quis baptizatus eo omni modo miniſtrare ſacramentum matrimonii, quo poteſt matrimonium validè contrahere.

2. Cùm actio ſacramentalis in ſacramento matrimonii ſit actio contrahendi, hoc ipſo quòd poteſt quis per alium validè contrahere, poteſt per alium actionem ſacramentalem exercere. Cùm autem ſic exercet, tunc actio ſacramentalis verè ac propriè eſt à miniſtro, non quidem immediatè, ſed mediatè, mediante ſcilicet procuratore, tanquam inſtrumento, quod ſufficit.

3. Cùm poſſe miniſtrare ſacramentum matrimonii, & poſſe validè matrimonium contrahere, ſint unum & idem in baptizatis, hoc ipſo quòd quis baptizatus poteſt cum abſente matrimonium validè contrahere, poteſt abſenti ſacramentum matrimonii miniſtrare.

4. Non magis abſurdum eſt, quòd quis recipiat ſacramentum matrimonii, cum de eo nil cogitat, quàm quòd nil cogitans actu de contractu matrimoniali, matrimonium contrahat. Secundum abſurdum non eſt. Ergo nec primum. Porrò ſi is qui ſacramentum matrimonii ſuſcipit, nil de eo cogitans, eſt in ſtatu peccati mortalis, vel prævidit aut prævidere potuit periculum eſſe, ne in tali ſtatu reciperet ſacramentum; vel nec prævidit, nec prævidere potuit. Si primum, mortaliter peccavit contra reverentiam ſacramenti, ubi primùm potuit & debuit procurare ſuam cum Deo reconciliationem. Si ſecundum, nullius peccati ob ſacramenti ſuſceptionem reus eſt, ſed gratiam ſacramentalem non recipit propter obicem.

5. Falſum ſupponitur, nempe quòd matrimonium inter abſentes per procuratorem priùs initum, poſtea inter præſentes iteretur: nam ſolùm à præſentibus confirmatur & approbatur, atque ſupplentur ſolemnitates omiſſæ. Quare ſi matrimonium inter abſentes per procuratorem initum, non fuit tunc ſacramentum, cùm ſic initum eſt, nunquam erit, & ita principes qui ſolent contrahere matrimonium per procuratorem, communiter privantur ſacramento matrimonii, quod durum eſt.

RESPONSIO II.

Omne matrimonium à baptizatis validè contractum, ſacramentum eſt.

Prob. 1. Authoritate veterum Scholaſticorum, qui omnes, uno Guillelmo Pariſienſi excepto, unanimiter ita cenſuerunt: apud illos enim ſacramentum matrimonii, & matrimonium inter baptizatos contractum, tam convertuntur inter ſe, quàm baptiſmus & ſacramentum baptiſmi: unde, ſecundùm illos, baptizati intentionem habent faciendi ſacramentum matrimonii, hoc ipſo præcisè quòd habent intentionem verè contrahendi matrimonium; ſicut intentionem habet quis faciendi ſacramentum baptiſmi, hoc ipſo quòd habet intentionem baptizandi. Vide S. Bonaventuram in 4. diſt. 27. art. 2. qu. 2. in O. S. Thomam lib. 4. ad Hannib. diſt. 27. qu. unica, art. 2. in O. & ad 2. Scotum in 4. diſt. 28. quæſt. unica in O. &c.

Prob. 2. Authoritate Concilii *Tridentini* ſeſſ. 24. can. 1. ubi abſolutè definit, matrimonium baptizatorum eſſe ſacramentum. *Si quis dixerit*, inquit, *matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ ſacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum ... anathema ſit*. Atqui nulla eſt ratio hanc definitionem reſtringendi ad aliqua tantùm baptizatorum matrimonia. Ergo, &c.

Prob. 3. Ratione. Illud omne matrimonium eſt ſacramentum, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: nam Apoſtolus Ephes. cap. 5. & poſt Apoſtolum Synodus Florentina in decreto Eugenii §. *Septimum*, dicit matrimonium eſſe ſacramentum, quia ſignum eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: unde colligitur, hæc duo, Matrimonium eſt ſacramentum, Matrimonium eſt ſignum conjunctionis, &c. eſſe ſynonima. Item hæc duo, ſacramentum eſſe ſignum conjunctionis, &c. inter ſe converti relatè ad matrimonium. Atqui omne matrimonium inter baptizatos validè contractum, eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: unde omnium matrimonium inter baptizatos validè contractum, habet

omni-

omnimodam indiſſolubilitatem ex inſtitutione Chriſti, poſtquam conſummatum eſt, ut poſt conſummationem perfectè ſignificet conjunctionem illam. Ergo omne matrimonium inter baptizatos validè contractum, eſt ſacramentum.

Obj. 1. Poteſt baptizatus validè matrimonium contrahere ſine intentione faciendi quod facit Eccleſia. Ergo poteſt validè matrimonium contrahere, & tamen ſacramentum non perficere: ad perfectionem enim ſacramenti requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia. Ergo matrimonium inter baptizatos validè contractum, poteſt non eſſe ſacramentum. *R.* neg. ant. Nam baptizatus non poteſt validè matrimonium contrahere ſine intentione verè contrahendi Matrimonium. Hæc autem intentio, quæ eſt conſenſus internus, qui per verba de præſenti exprimitur, in baptizato eſt intentio faciendi quod facit Eccleſia, ut docet S. Thomas lib. 4. ad Hann. diſt. 27. q. un. a. 2. ad 2. & S. Bonaventura in 4. diſt. 27. a. 2. q. 2. in O. Et in verò baptizato talis intentio eſt intentio faciendi rem ſacram, & à Chriſto evectam ad eſſe ſacramenti. Ergo, eſt intentio faciendi quod facit Eccleſia.

Obj. 2. Poteſt quis abluere aqua corpus infantis, proferendo hæc verba, *Ego te baptizo, &c.* & tamen non efficere ſacramentum baptiſmi. Ergo ſimiliter baptizati poſſunt validè matrimonium contrahere, & tamen non efficere ſacramentum matrimonii. *R.* neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia poteſt quis abluere corpus infantis, & ſimul proferre hæc verba, *Ego te baptizo, &c.* ſine intentione faciendi quod facit Eccleſia: at non poſſunt ſine hac intentione baptizati validè contrahere matrimonium.

Ratio eſt, quia intentio abluendi corpus infantis, & ſimul proferendi hæc verba, *Ego te baptizo, &c.* non eſt neceſſariò conjuncta cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: hæc intentio in baptizatis neceſſariò conjuncta eſt cum intentione contrahendi matrimonium: imò in baptizatis intentio contrahendi matrimonium, vi inſtitutionis Chriſti non poteſt non eſſe ſimul indiviſibiliter implicita ſaltem & virtualis intentio faciendi quod facit Eccleſia: nam Chriſtus ita omni baptizatorum matrimonio annexuit rationem ſacramenti, ut nullum inter baptizatos poſſit eſſe verum matrimonium, quin ſimul ſit ſacramentum: & non ita rationem ſacramenti annexuit omni actioni, qua corpus aqua abluitur cum prolatione verborum, *Ego te baptizo, &c.* ſed ei tantùm, quæ fit per modum cæremoniæ à Deo inſtitutæ, & ab Eccleſia uſurpatæ, adeòque ei tantùm quæ fit ab illo qui eam faciendo, intendit facere rem quam Deus inſtituit; & Eccleſia uſurpat.

Itaque ablutio corporis, cum prolatione verborum, *Ego te baptizo, &c.* poteſt eſſe vel non eſſe ſacramentum, pro arbitrio abluentis; quia poteſt fieri vel non fieri per modum cæremoniæ ab Eccleſia uſurpatæ, pro arbitrio abluentis, qui abluendo & proferendo verba, poteſt velle vel non velle facere cæremoniam illam, quam Deus inſtituit, & Eccleſia uſurpat; & ſi non vult facere, non facit, quantùmvis aqua corpus abluat, & proferat verba. At non ſic matrimonium inter baptizatos contractum poteſt eſſe vel non eſſe ſacramentum pro arbitrio contrahentium, cùm ratio ſacramenti ſit inſeparabiliter annexa omni matrimonio inter baptizatos validè contracto. Propter eandem rationem, baptizati matrimonium contrahentes, non poſſunt pro arbitrio velle vel non velle facere ſacramentum, ſed vel volunt implicitè ſaltem & virtualiter ſacramentum facere, vel non volunt verè contrahere; & ſi abſolutè nolint ſacramentum facere aut nullam, aut inefficacem tantùm habent voluntatem contrahendi, atque ita non verè, ſed fictè tantùm contrahunt.

Baptizati contrahentes vel cogitant de ſacramento, vel non cogitant. Si non cogitant, nihilominus illud facere intendunt, implicitè ſcilicet & virtualiter, hoc ipſo quòd volunt verè contrahere: Si cogitant, & expreſsè nolunt illud facere, vel putant ſe poſſe validè contrahere ſine ſacramento, vel non putant. Si primum, noluntas illa eſt conditionata tantùm & inefficax, & cum ſtare poteſt, & ſtat contraria voluntas abſoluta & efficax, faciendi ſacramentum, non quidem formalis & expreſſa, ſed, quod ſufficit, virtualis & implicita in voluntate verè contrahendi, quam habent qui proinde verè contrahunt, & ſacramentum faciunt. Si ſecundum, noluntas illa eſt abſoluta & efficax, & ita cum illa contrahentes ſacramentum non faciunt, & nec verè, ſed apparenter tantùm contrahunt, quia cum illa nec habent, nec habere poſſunt voluntatem verè contrahendi.

Quæres 1. Utrùm matrimonium infidelium fiat ſacramentum, cùm ambo conjuges baptizantur?

R. Tres ſunt ſententiæ. *Prima* docet fieri ſacramentum, modò conjuges illud coram parocho & teſtibus ratificent; validè enim, inquiunt, probabile eſt, matrimonium, quod à non baptizatis contractum fuerat, à baptizatis poſtea ſic ratificatum & confirmatum, à Chriſto elevari ad eſſe ſacramenti; cùm ſit matrimonium novum æquivalenter.

Secunda ſententia docet, neceſſariam non eſſe ratificationem illam, & ſufficere baptiſmum. Ratio eſt, quia hoc ipſo quòd ambo conjuges baptiſmum ſuſcipiunt, conſentiunt in omnimodam indiſſolubilitatem matrimonii antea contracti, atque ita virtualiter de novo matrimonium contrahunt.

Tertia ſententia, quam probabiliorem judicamus, negat matrimonium infidelium fieri poſſe ſacramentum, etiam cùm ambo conjuges baptizantur. Ratio eſt, quia ſacramentum matrimonii eſt eſſentialiter, vel contractus inter baptizatos initus, vel vinculum conjugale ortum ex contractu inter baptizatos inito. At conjuges ante baptiſmum matrimonio conjuncti, non poſſunt poſt baptiſmum inire novum contractum matrimonialem: non enim poſſunt ampliùs ſibi mutuò tradere corpora ſua, quia nemo tradere poteſt quod non eſt ſuum. Corpus autem viri non eſt ſuum, ſed uxoris; ſimiliter corpus uxoris non eſt ſuum, ſed viri in ordine ad actum conjugalem. Ergo conjuges ante baptiſmum matrimonio conjuncti, non poſſunt poſt baptiſmum efficere ſacramentum matrimonii.

Quæres 2. Utrùm matrimonium baptizati cum non baptizata, aut contra, ſit ſacramentum?

R. Duplex eſt ſententia. Prima negat eſſe ſacramentum etiam ex parte baptizati. Ratio eſt, quia unus tantùm eſt contractus, unumque tantùm vinculum conjugale in duobus. Ergo unum quoque tantùm eſt in duobus ſacramentum, adeòque vel ex utraque parte, vel ex neutra matrimonium eſt ſacramentum. Atqui ſacramentum non eſt ex parte conjugis non baptizati. Ergo nec eſt ex parte baptizati.

Confirmatur. Quia neque contractus, neque vinculum conjugale, quod per contractum efficitur, poteſt ex altera parte claudicare. Ergo ſimiliter ex neutra parte claudicare poteſt ſacramentum; cùm vel in contractu vel in vinculo conjugali effectum per contractum conſiſtat.

Secunda ſententia, quæ minùs communis eſt, & minùs fundata, autumat matrimonium à Chriſto evectum fuiſſe ad eſſe duorum ſacramentorum partialium, quorum unum poteſt exiſtere ſine altero: unde fieri poteſt, ut matrimonium ſit ſacramentum in uno conjuge, & non ſit in altero: ſicut fieri poteſt, ut cùm matrimonium in utroque ſacramentum eſt, unus gratiam ſacramentalem recipiat, alter verò non recipiat, quia unus diſpoſitus eſt, alter verò non.

Quæres 3. Utrùm matrimonium clandeſtinè contractum in loco, in quo decretum Conc. Trident. de reformatione matrimonii receptum non eſt, ſit ſacramentum, quando contrahentes ſacramentum facere intendunt? Pro reſolutione ſit

DIS-

DISPUTATIO II.

De Miniſtro Sacramenti Matrimonii.

ARTICULUS UNICUS,

Utrùm Sacramenti Matrimonii miniſter ſit ſacerdos, an contrahentes,

MElchior Canus lib. 8. de locis theologicis cap. 5. docet illud ſolum inter Chriſtianos matrimonium eſſe ſacramentum, quod à miniſtro Eccleſiæ verbis ſacris & ſolemnibus celebratur, atque ita non contrahentes, ſed ſacerdotem eſſe miniſtrum ſacramenti matrimonii. Canum ſequuntur Eſtius, Silvius, & alii recentiores nonnulli, contra quos communiter ſentiunt Theologi, cum quibus dicimus miniſtrum ſacramenti matrimonii eſſe contrahentes ipſos, & probamus ſequentibus paragraphis.

§. I.

Prob. Authoritate veterum omnium Theologorum, qui ante Melchiorem Canum ſcripſerunt, Hugonis ſcilicet à S. Victore lib. 2. de ſacramentis fidei, parte 11. cap. 5. ubi agens de conjugio, ut eſt novæ legis ſacramentum, hæc ſcribit: *Si quis autem quærat, quando conjugium eſſe incipiat: dicimus quòd ex quo talis conſenſus, qualem ſupra definivimus,* (hoc eſt, conſenſus inter legitimas perſonas ad individualem vitæ conſuetudinem obſervandam) *inter maſculum & fœminam fuerit; ex eo ſtatim conjugium eſt, quem etſi poſtea copula carnis ſequatur, nihil tamen conjugio ampliùs ad virtutem ſacramenti confertur. Unde conſtat quòd ſi vir vel mulier poſt talem conſenſum ad alienam ſocietatem tranſierit, etiamſi commixtio carnis illic ſequatur, ad priorem tamen ſocietatem, in qua ſacramentum conjugii ſancitum eſt ... redire debebit.* Et inferiùs: *Quidquid poſt conſenſum conjugalem; qui matrimonium ſacrat, cum alio vel alia, ſive in conſenſu, ſive in coitu admiſſum fuerit, ad inceſtus & adulterii maculam, non ad conjugii ſacramentum pertinebit.* Et inferiùs: *In conſenſu maritali conjugii ſacramentum perficitur.*

Hugo igitur quærenti quandonam fiat ſacramentum conjugii, reſpondet fieri, quando perſonæ legitimæ, hoc eſt, ut ipſe explicat cap. 4. perſonæ, *in quibus rationabilis cauſa demonſtrari non poteſt* (adde, nec eſt) *quare conjugii pactum mutuò firmare non poſſint*, conſentiunt in individualem vitæ conſuetudinem. Reſpondet, ſacramentum conjugii maritali conſenſo perfici, nec ad ejus eſſentiam ullatenùs pertinere carnalem copulam, quæ proinde etſi poſtea ſequitur, nihil confert ad ejus virtutem. De præſentia autem ſacerdotis, & ejus benedictione, ne vel unum hic verbum habet, quia non de ſolemnitate, ſed de ſubſtantia ſacramenti Matrimonii diſputat; & nemo tunc temporis verba ſacerdotis ad ſubſtantiam ſacramenti Matrimonii pertinere, vel leviter ſuſpicabatur.

Cap. 6. ubi agit de matrimonio clandeſtino, de eo hanc proponit quæſtione: *Quid ergo faciendum eſt de hujuſmodi, qui clanculò convenerunt, ſi poſtea aut alter, aut uterque factum negando, ad alienam ſocietatem tranſierit?* Tum poſt multa ſic proſequitur, *Si quis igitur ad hunc modum dicat conjugium occulto quidem conſenſu initiari poſſe; ſed nonniſi manifeſta amborum confeſſione firmari, compendioſiùs mala multa declinat: ſed plurimum approbatio hoc recipit, ut ſive in manifeſto* (hoc eſt, coram teſtibus) *ſive in occulto, talis conſenſus inter legitimas perſonas factus fuerit, perfectum conjugii ſacramentum judicetur. Quod ſi ita verum eſſe conſtare debebit, conſiderandum eſt quomodo ſupra memorata quæſtioni reſponderi oporteat.*

Tunc igitur temporis Doctores communiter ſentiebant, contractum clandeſtinum ſufficere ad perfectionem ſacramenti Matrimonii. Nonnulli fortaſſe maritalem conſenſum coram teſtibus vel datum vel firmatum requirebant. At nullus planè erat, qui requireret præſentiam ſacerdotis matrimonium verbis ſacris ac ſolemnibus celebrantis. Communi autem Doctorum ſententia ſuppoſita, ut certò vera, Hugo ad ſolutionem propoſitæ quæſtionis progreditur.

Hugoni conſentit Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 27. ubi ſacramentum Matrimonii à matrimonio legitimo fidelium nulla ex parte diſtinguit. Patet ex §. B. ubi quærens quid ſit conjugium, ſic reſpondet: *Sunt ergo nuptiæ, vel matrimonium, viri mulieriſque conjunctio maritalis, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* His autem verbis ſacramentum conjugii deſcribit, ut patet ex fine paragraphi, ubi ait: *Hac autem deſcriptione legitimorum & fidelium tantùm matrimonium includitur.* Nam quare hac deſcriptione includitur ſolum matrimonium fidelium, niſi quia hic deſcribitur ſacramentum Matrimonii, ſive matrimonium, ut ſacramentum, & ſolum matrimonium fidelium ſacramentum eſt.

Nota obiter, Sacramentum deſcribi poteſt tripliciter; metaphyſicè ſcilicet, phyſicè, & metaphyſicè ac phyſicè ſimul. Sic v. gr. Baptiſmus metaphyſicè deſcribitur, Signum ſenſibile, ſacrum, & efficax gratiæ regenerantis: phyſicè deſcribitur, Totum quaſi artificiale, reſultans ex ablutione aquæ, & horum verborum, *Ego te baptizo, &c.* unione facta ſecundùm Chriſti inſtitutionem. Phyſicè ſimul & metaphyſicè deſcribitur, Totum conſtans ablutione aquæ, & his verbis, *Ego te baptizo, &c.* ex inſtitutione Chriſti vim habens ſignificandi & efficiendi gratiam regenerantem.

Similiter ſacramentum Matrimonii deſcribitur metaphyſicè, Signum ſenſibile, ſacrum, & efficax gratiæ, animorum per mutuam dilectionem unitivæ. Deſcribitur phyſicè, vel quaſi phyſicè, Viri mulieriſque conjunctio maritalis, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens. Deſcribitur phyſicè ſimul & metaphyſicè, Viri mulieriſque conjunctio, &c. ex Chriſti inſtitutione vim habens ſignificandi & efficiendi gratiam, animorum per mutuum amorem unitivam.

Secundo autem modo ſacramentum Matrimonii hic deſcribit Magiſter; quia ſolùm quærit, quid hoc ſacramentum ſit in re. In re autem, juxta illum, ſacramentum hoc non eſt niſi viri mulieriſque conjunctio maritalis, inter, &c. quia ſcilicet præter conjunctionem hanc, non requiritur in matrimonio aliquid aliud, tanquam pars illius conſtitutiva in eſſe ſigni ſacri & efficacis gratiæ, adeòque eſſe ſacramenti Matrimonio non ſuperaddit rem aliquam, ſed meram moralem energiam.

Poſtquam §. B. quæſivit Magiſter, *quid ſit in re ſacramentum Conjugii*, quærit §. C. quænam ſit illius cauſa efficiens, & reſpondet ſic: *Efficiens autem cauſa matrimonii eſt conſenſus, non quilibet, ſed per verba expreſſos, nec de futuro, ſed de præſenti.* Quod confirmat ſequentibus paragraphis, & probat conſenſum illum ſufficere ad perfectionem hujus ſacramenti, nec ad id requiri copulam carnalem, ut volebant aliqui, quos fusè refellit. De materia autem, forma, & miniſtro ſacramenti Matrimonii quæſtionem nullam in particulari inſtituit, & hoc ſapienter quidem. Nam 1. ubi conſtat, ſacramenti Matrimonii, quoad ſubſtantiam, cauſam efficientem totalem conſiſtere in conſenſu maritali per verba de præſenti expreſſo, hoc ipſo conſtat, hujus ſacramenti quoad ſubſtantiam alium eſſe non poſſe miniſtrum, quàm ipſos conjuges, qui illud per ſe vel per alium efficiunt, prout per ſe vel per alium maritaliter contrahunt per verba de præſenti. 2. Ubi conſtat ſacramentum Matrimonii in re & quoad ſubſtantiam adæquatè conſiſtere in viri & mulieris conjunctione maritali, inter, &c. parùm intereſt ſcire, quid in hoc ſacramento materiæ, quid formæ nomine

Digitized by Google

ne venire debeat, & poſſunt varii variè in tali controverſia ſine periculo ſentire. De verbis porrò ſacris & ſolemnibus à ſacerdote prolatis nihil habet, quia nondùm alicui in mentem venerat, in illis ſacramenti Matrimonii formam eſſe conſtituendam.

Denique mentem ſuam claré exprimit diſt.28. §. B. ubi ait: *In hujus ſacramenti celebratione, ſicut in aliis, quædam ſunt pertinentia ad ſubſtantiam ſacramenti, ut conſenſus de præſenti, qui ſolus ſufficit ad contrahendum matrimonium: quædam verò pertinentia ad decorem & ſolemnitatem ſacramenti, ut parentum traditio, ſacerdotum benedictio ... ſine quibus legitimè fit conjugium, quantum ad virtutem, non quantum ad honeſtatem ſacramenti.*

Magiſtrum ſequitur S. Thomas in 4. ſent. ad Hann. diſt. 26. qu. unica, art. 1. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod verba exprimentia conſenſum de præſenti, ſunt forma hujus ſacramenti* (Matrimonii,) *non autem ſacerdotalis benedictio, quæ non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed de ſolemnitate. Pro materia verò habet actus contrahentium matrimonium.*

Diſt.27. q. un. a. 2. in O. cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii docet eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum. Et diſt. 28. qu. un. a.4. in quo agitur de matrimonio clandeſtino, ſic loquitur in O. *Dicendum quod ſicut in ſacramento Baptiſmi, ſi omittantur ea quæ ad ſolemnitatem ſacramenti pertinent, & non ſint de eſſentia ejus, verum eſt ſacramentum, quamvis omittens peccet, niſi ſit cauſa legitima; ita eſt de matrimonio: nam de eſſentia matrimonii ſunt perſonæ legitimæ ad contrahendum, quaſi materia; & conſenſus per verba de præſenti expreſſus, quaſi forma: alia verò ſunt de ſolemnitate ſacramenti: unde cùm deſunt in matrimonio clandeſtino, veritatem matrimonii non tollunt, licèt contrahentes peccent, niſi habeant excuſationem legitimam.*

Eod. art. hanc primo loco proponit objectionem. *Matrimonium eſt quoddam ſacramentum. Sed ſacramenta pertinent ad diſpenſationem miniſtrorum Eccleſiæ. Ergo matrimonium non poteſt perfici in occulto, ſine conſcientia miniſtrorum Eccleſiæ.* Ad quod ſic reſpondet: *In aliis ſacramentis, id quod eſt ex parte miniſtrorum, eſt de eſſentia ſacramenti, non autem in matrimonio, ſed ſolùm de ſolemnitate ... unde abſque miniſtris Eccleſiæ poteſt fieri matrimonium, non autem alia ſacramenta.*

S. Bonaventura in 4. diſt. 27. art. 1. qu. 1. probat ſacramentum Matrimonii à Magiſtro rectè definiri, Viri & mulieris conjunctionem, &c. A. 2. q. 1. & 2. probat ſacramenti Matrimonii cauſam efficientem eſſe pactionem humanam, ſeu conſenſum internum exteriùs expreſſum, ſive per hæc verba de præſenti, ſive per nutus æquivalentes verbis de præſenti exprimatur, ut patet diſt. 28. art. un. qu. 4. Hac diſt. 28. qu. 5. ubi probat matrimonia clandeſtina eſſe vera matrimonia, adeòque eſſe ſacramenta, ſic loquitur in O. *Dicendum quod ad eſſe matrimonii* (ſacramenti) *iſta duo ſufficiunt, ſcilicet legitimitas in perſonis, & unitas in conſenſu. Ad ſolemnitatem verò, & decorem ſive honeſtatem requiritur & parentum traditio, & ſacerdotum benedictio: hæc autem ita ſunt ad decorem ſacramenti, ut tamen ſint de neceſſitate præcepti.*

Superiùs in Sed contra ſic argumentatur. 1. *Sacramentum Matrimonii pro materia habet perſonas legitimas, pro forma conſenſum. Sed hæc duo integrè poſſunt eſſe in occulto. Ergo, &c.* 2. A ſimili *Baptizatur eſt aliquis in occulto ſicut in manifeſto. Ergo matrimonium eſt ita in occulto, ſicut in maneſeſto.*

Ibidem ita ſibi objicit: *Matrimonium eſt ſacramentum Eccleſiæ. Ergo debet accipi in facie Eccleſiæ. Ergo ſi accipitur in occulto, non eſt ſacramentum Eccleſiæ. Ergo nec verum ſacramentum. Ergo nec matrimonium.* Ad hoc autem ſic reſpondet: *Ad illud quod objicitur, quod* (matrimonium) *eſt ſacramentum Eccleſiæ, dicendum quod verum eſt: tamen accipitur etiam ab aliis, qui ſunt extra Eccleſiam, ut baptiſmus, non tamen ad ſalutem niſi ab his qui ſunt in ipſa Eccleſia. Et baptiſmus accipitur in occulto, quia ſacramentum neceſſitatis, & non eſt ibi periculum, imo vitatur periculum. Sed illud* (ſacramentum Matrimonii) *in facie Eccleſiæ accipitur ſalubrius: in occulto verò accipitur verè, ſed non ſalubriter, quia contra eccleſiaſticam ſanctionem.*

Scotus in 4. diſt. 26. q. unica, ſic definit ſacramentum Matrimonii: *Sacramentum Matrimonii eſt expreſſio certorum verborum maris & fœminæ ſe invicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad prolem debitè procreandam, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam conferendam mutuò contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratioſam.* at ſi ſacramentum Matrimonii eſt expreſſio certorum verborum maris & fœminæ, manifeſtum eſt marem & fœminam, maritaliter contrahentes per verba de præſenti, eſſe miniſtrum hujus ſacramenti. Quod autem hìc addit Scotus, non juvat cauſam adverſariorum, ut poſtea videbitur.

Durandus lib. 4. diſt. 27. qu. 1. in O. docet, matrimonium ut ſacramentum, cauſari per conſenſum per verba de præſenti expreſſum. Et diſt. 26. qu. 3. hanc proponit objectionem: *Sacramentum quod non eſt neceſſitatis, habet per miniſtros Eccleſiæ diſpenſari... Sed matrimonium non eſt neceſſitatis quantum ad quamlibet perſonam, & tamen non diſpenſatur per miniſtros Eccleſiæ: benedictio enim nubentium non eſt de neceſſitate ſacramenti. Ergo matrimonium non eſt ſacramentum.* Reſpondet autem, hoc argumento probari tantùm, *quod matrimonium non eſt ſacramentum ſtricte & propriè dictum, ſicut & alia ſacramenta novæ legis.* Quo reſponſo, ut verum & exploratum agnoſcit id, quod in objectione aſſumitur, ſacramentum Matrimonii non diſpenſari per miniſtros Eccleſiæ, ſed per ipſos contrahentes miniſtrari.

Veteribus Scholaſticis recentiorem unum hìc addam, Dominicum Soto è Dominicana Familia, Melchioris Cani coætaneum, ingenio & doctrina parem, religioſis verò virtutibus facilè ſuperiorem. Hic autem in 4. ſent. diſt. 26. q. 2. a. 3. aliquantò antequam Canus ſuos locos theologicos in lucem ederet, ſic de ſententia, ſacerdotum eſſe miniſtrum ſacramenti Matrimonii aſſerente, loquitur: *Poſſet quiſpiam fortè comminiſci ab illis contrahentium, nec expreſſos conſenſus, non eſſe materiam & formam ſufficientes ad conferendum gratiam, ſed formam neceſſariam, per quam confertur, eſſe verba miniſtri, nempe ſacerdotis, qui amborum celebrat conjunctionem.*

Propoſitis deinde aliquot pro hac ſententia argumentis, quibus utitur Canus, ſic proſequitur Soto: *Hanc autem opinionem, quia ſingularis eſſet, nullum arbitror habuiſſe hactenus aſſertorem, ſed diſputatorem: nam præterquam quod nemo eorum, qui huc uſque ſcripſerunt, ejus meminerit, non apparet quemadmodum ſit ſuſtentabilis: imprimis enim, &c.*

Dices. Ex relatis hactenùs nihil colligi poteſt, quod ſit alicujus momenti contra ſententiam Cani. *R.* ex illis Theologorum coryphæis, quos laudavimus, colligi hanc fuiſſe univerſæ Scholæ per quadringentos ſaltem annos unanimem ſententiam, quòd Chriſtus matrimonium antea à Deo inſtitutum, & quale inſtitutum eſt, ac fuit in lege Naturæ ac Moſaica, elevarit ad eſſe ſacramenti, nullo novo ritu inſtituto; quòd tota eſſentia ſeu ſubſtantia ſacramenti Matrimonii reperiatur in conſenſu legitimo per verba de præſenti expreſſo à contrahentibus; quòd ſacerdotalis benedictio pertineat, non ad confectionem, ſed tantùm ad ſolemnitatem ſacramenti Matrimonii; quòd hoc ſacramentum non diſpenſetur, quantùm ſcilicet ad ſubſtantiam, per miniſtros Eccleſiæ, ſed per ipſos contrahentes. Quare cùm dubium eſſe non poſſit, quin Epiſcopi & alii paſtores communem totius Scholæ ſententiam ſecuti fuerint, vel oportet falſam eſſe ſententiam Cani, vel univerſam Eccleſiam per quadringentos annos erraſſe circa eſſentiam ſacramenti Matrimonii, & ejus inſtitutionem.

At inquies. Mirum non eſt, quòd Magiſter Sent. Durandus, & nonnulli alii veteres Scholaſtici do-

cuerint,

cuerint, contrahentes eſſe cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii; cùm illud inter legis novæ ſacramenta non recenſuerint. *Reſp.* calumniam eſſe, quòd Magiſter & Durandus inter ſacramenta novæ legis non recenſuerint Matrimonium, ut patet, 1. de Magiſtro lib. 4. diſt. 2. §. A. ubi ait, ſeptem eſſe novæ legis ſacramenta, eaque enumerat, & ſeptimum ponit Conjugium. 2. de Durando lib. 4. diſt. 2. qu. 2. ubi §. 6. ſacramentis novæ legis diſertè annumerat Conjugium, & §. 7. illud in conferenda gratia ſacramentis aliis non obſcurè æquiparat; quanquam in oppoſitam ſententiam ire videatur diſt. 26. quæſt. 3.

At inquies. Saltem Magiſter & Durandus vim conferendi gratiam non habere ſacramentum Matrimonii cenſuerunt. Ergo mirum non eſt, quòd docuerint, &c. *R.* Sive ita cenſuerint, ſive non, ſufficit nobis quòd docuerint contrahentes eſſe cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii. Ad hoc autem docendum adducti fuiſſe ex eo, quòd putarent ſacramento Matrimonii non ineſſe vim conferendi gratiam, perperam dicuntur; cùm alii Doctores communiter idem ſentirent de cauſa efficiente hujus ſacramenti, quamvis ei communiter vim conferendi gratiam attribuerent, ut teſtatur Durandus loco proximè citato §. 8. Dato igitur quòd Magiſter & Durandus, cum aliis fortaſſe paucis, circa virtutem ſacramenti Matrimonii erraverint, quod nobis nocere non poteſt, illos nihilominùs, quod nobis ſatis eſt, habemus teſtes unanimes veterum Theologorum ſententiæ circa cauſam efficientem hujus ſacramenti.

Dices. S. Thomas minimè conſtanter adhæſit ſententiæ aſſerenti contrahentes miniſtrare ſacramentum Matrimonii. Aliud enim innuit, 1. 3. p. qu. 83. ar. 3. ad 8. ubi ait: *Diſpenſatio ſacramentorum pertinet ad miniſtros Eccleſiæ*. 2. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 6. ubi ait: *Dare pecuniam pro matrimonio, in quantum eſt Eccleſiæ ſacramentum, eſt illicitum; & ideo ſecundum jura prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur*. 3. In ſupplem. qu. 8. a. 1. in O. ubi ait: *Solus ille miniſter eſt ſacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet miniſterium ſuper Corpus Chriſti verum, quod ſolius eſt ſacerdotis*.

R. neg. inſtantiam. *Ad 1. prob. R.* 1. S. Doctorem hanc vocem *ſacramentorum*, ſumere in ſuppoſitione reſtricta: neque enim ad propoſitum ejus pertinet, quòd nullum niſi à miniſtris Eccleſiæ ſacramentum diſpenſari poſſit; ſed ſolùm intendit, miniſtros Eccleſiæ, non dominos, ſed diſpenſatores tantùm eſſe reſpectu ſacramentorum, quorum adminiſtratio eis à Chriſto commiſſa eſt, adeòque nihil circa illorum ſubſtantiam ſtatuere, ſed uſum illorum duntaxat & modum illa celebrandi ordinare poſſe. *Diſpenſatio ſacramentorum*, inquit, *pertinet ad miniſtros Eccleſiæ. ſed conſecratio eorum eſt ab ipſo Deo. Et ideo miniſtri Eccleſiæ non habent aliquid ſtatuere circa formam conſecrationis, ſed circa uſum ſacramenti, & modum celebrandi*.

Ad propoſitum igitur S. Doctoris ſufficit, quòd hæc vox, *Sacramentorum*, ſupponat pro aliquibus ſacramentis, imò vel pro uno tantùm, nempe pro Euchariſtia: nec alio ſenſu loquitur, quàm nos loqueremur, ſi diceremus, ut poſſemus in noſtra ſententia dicere: Sola diſpenſatio ſacramentorum pertinet ad miniſtros Eccleſiæ, & ideò non habent aliquid ſtatuere circa formam conſecrationis, &c.

Adde, quòd etiam in noſtra ſententia ad miniſtros Eccleſiæ pertineat diſpenſatio ſacramenti Matrimonii, quamvis non quantùm ad ſubſtantiam, ſed ſolùm quantum ad ſolemnitatem, & modum illud celebrandi. Unde circa illius adminiſtrationem eadem ſtatuere poſſunt, quæ poſſunt circa adminiſtrationem aliorum ſacramentorum. Quare, etiam hac voce, *Sacramentorum*, ſumpta in ſuppoſitione univerſali, potuit S. Thomas ad propoſitum ſuum ſimpliciter in noſtra ſententia aſſerere, diſpenſationem ſacramentorum pertinere ad miniſtros Eccleſiæ. Itaque

R. 2. Eſto quòd hic S. Thomas dicat miniſtros Eccleſiæ eſſe diſpenſatores omnium ſacramentorum, at non dicit eſſe diſpenſatores omnium quoad ſubſtantiam; imò quòd non ſint ſacramenti Matrimonii, niſi quantùm ad ſolemnitatem, diſertè docet lib. 4. ad Hannib. diſt. 28. qu. un. a. 4. ad 1. Verba S. Doctoris jam ſupra relata ſunt.

Ad 2. prob. R. hic S. Doctorem manifeſtè diſtinguere ſacramentum Matrimonii à benedictione nubentium. Quia, inquit, jure divino illicitum eſt dare pecuniam pro matrimonio, in quantum eſt Eccleſiæ ſacramentum: idcircò jura eccleſiaſtica prohibent, ne aliquid exigatur pro benedictione nubentium, quæ pertinet ad ſolemnem celebrationem hujus ſacramenti: hoc enim ſacramentum, quantùm ad ſolemnitatem, celebrat ſacerdos, qui nubentes benedicit; unde benedictio nubentium eſt res ſacramentalis, pro qua proinde aliquid exigere, jure merito prohibetur, propter ſacramenti, ad quod pertinet, reverentiam.

Ad 3. prob. R. hic S. Doctorem neceſſariò intelligi cum aliqua reſtrictione: nam in baptiſmo gratia datur, & tamen laicus validè baptizat etiam extra caſum neceſſitatis; in caſu verò neceſſitatis non ſolùm validè, ſed etiam licitè: imò diaconus ex commiſſione non ſolùm privatim, ſed etiam ſolemniter baptizat. Neceſſariò igitur S. Thomas intelligitur cum exceptione baptiſmi, quia eſt ſacramentum abſolutæ neceſſitatis; addo, & cum exceptione ſacramenti Matrimonii, quia ſacramentum hoc, vel in contractu conjugali, vel in conjugali conjunctione, quæ per contractum illum efficitur, adæquatè conſiſtit: quare neceſſariò vel conſiſtit in actibus contrahentium, vel per illos efficitur: unde non niſi à contrahentibus miniſtrari poteſt quantùm ad ſubſtantiam.

Hanc eſſe mentem S. Doctoris, patet ex qu. 42. ejuſd. ſuppl. art. 1. ad 1. ubi ait: *Verba quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti, non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale*. Et ad 2. ubi ait: *Sacramentum Matrimonii perficitur per actum ejus, qui ſacramento illo utitur*. Et a. 3. ad 2. ubi ait: *Actus exteriores, & verba exprimentia conſenſum, directè faciunt nexum quemdam, qui eſt ſacramentum Matrimonii*.

Dices. Scotus inconſtans fuit & incertus in hac materia: nam in 4. diſt. 26. q. un. contendit ambos contrahentes ſibi invicem diſpenſare ſacramentum matrimonii, & addit poſtea, hoc ſacramentum conferri à parentibus, qui pro filiis præſentibus ac ſilentibus contrahunt. *De miniſtro eſt aliud dubium*, inquit, *quia ut plurimùm ipſimet contrahentes miniſtrant ſibi ipſis hoc ſacramentum, vel mutuò, vel uterque ſibi. Sed nec hoc requiritur neceſſariò, in omni contractu eſt ſacramentum, vel aliquando patres contrahunt pro filiis, vel filiabus præſentibus, eis non exprimentibus ſigna propria. Si ergo ibi eſt ſacramentum, oportet dicere quod miniſter hujus ſacramenti poteſt eſſe indifferenter quicumque poteſt eſſe miniſter in contractu matrimonii*.

Reſp. Per dubium Scoti minimè juvari cauſam adverſariorum: non enim dubitat Scotus, utrùm contrahentes ſint miniſter ſacramenti matrimonii: imò verò aſſeveranter dicit, contrahentes hoc ſacramentum ſibi ipſis ut plurimùm miniſtrare, quia ſcilicet, ut plurimùm per ſe ipſi conſenſum ſuum exprimunt per hæc verba de præſenti, Accipio te in meum, accipio te in meam, Toties igitur, juxta Scotum, ſacramentum matrimonii miniſtratur ab ipſis contrahentibus, quoties ipſi per ſe conſenſum ſuum exprimunt præfatis verbis de præſenti.

At inquies. In quo ergo dubius fuit Scotus? *R.* Dubitavit utrùm Chriſtus ita ſacramentum conjunxerit cum contractu matrimoniali, ut ratio ſacramenti ſeparari à valore contractus matrimonialis non poſſit: ita ut nullum ſit in lege Evangelica inter Chriſtianos matrimonium validum, quod non ſit ſacramentum. Hinc dubitavit utrum pro ſacramento matrimonii

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus indifferenter inſtituerit quælibet ſigna eſterna, conſenſum maritalem ſufficienter exprimentia, & ſufficientia ad valorem contractus matrimonialis. Conſequenter denique dubitavit utrùm ſolus contractus matrimonialis cum his verbis de præſenti, Accipio te in meum, Accipio te in meam, factus ab ipſis contrahentibus, eſſet ſacramentum matrimonii, adeoque utrum ſacramentum hoc per ſolos contrahentes miniſtraretur, & tunc tantùm miniſtraretur, cùm per præfata verba de præſenti, conſenſum ſuum exprimerent.

Loco itaque citato perinde eſt ac ſi Scotus diceret, Ut plurimùm quidem ipſi contrahentes ſibi ipſis miniſtrant ſacramentum matrimonii, quia ipſi per ſe ut plurimùm contrahunt per verba de præſenti, Accipio te, &c. At non ſemper miniſtrant; ſed eis miniſtrari poteſt, & quandoque miniſtratur hoc ſacramentum per alios, nempe per parentes, ſi tamen ratio ſacramenti inſeparabiliter à Chriſto conjuncta eſt cum valore contractus matrimonialis: nam quando patres pro filiis vel filiabus præſentibus & tacentibus contrahunt, validè contrahunt, atque ita ſacramentum matrimonii efficiunt, & filiis vel filiabus ſuis miniſtrant, ſi in omni contractu matrimoniali ſacramentum eſt. Quare, ſi verum eſt, quòd ſacramentum ſit in omni contractu matrimoniali, dicendum eſt, quòd hujus ſacramenti miniſter poſſit eſſe indifferenter, quicumque poteſt eſſe cauſa contractus matrimonialis.

Jam verò oſtendant adverſarii inconſtantiam in doctrina Scoti. Num aliquando docuit contrahentes, & aliquando non contrahentes, ſed contrahentium parentes eſſe miniſtrum ſacramenti matrimonii? Minimè. Docet autem, 1. Sacramenti matrimonii miniſtrum eſſe ſaltem contrahentes, qui ſibi ipſis ſacramentum hoc miniſtrant, ſaltem quoties ipſi conſenſum ſuum exprimunt per verba de præſenti, à Chriſto inſtituta, & probabiliter etiam quando non per verba, quia muti ſunt, ſed per nutus verbis de præſenti æquivalentes conſenſum illum ſignificant. 2. Non ſolos contrahentes eſſe miniſtrum ſacramenti matrimonii, ſi verum eſt, quòd ſacramentum ſit in omni contractu matrimoniali, quia patres pro filiis vel filiabus ſuis præſentibus & tacentibus validè contrahunt, adeoque ſacramentum efficiunt in ſuppoſitione facta. Quid hic eſt, quod redoleat inconſtantiam? Porrò, quod obiter notare juvat, de ſacerdote nuptiis aſſiſtente, eaſque benedicente ne levis quidem cogitatio ſubrepit Scoto, cùm ex profeſſo diſputat de miniſtro ſacramenti matrimonii.

Dices. Guillelmus Pariſienſis, tract. de Sacramento matrimonii cap. 9. tria diſtinguit in matrimonio, virtutem ſcilicet eſſentialem, poſitam in contrarietate quam habet cum concubitu fornicario & ſodomitico; meritum quod habet, cùm rectè & piè initur; & virtutem ſacramentalem, quam dicit eſſe *virtutem benedictionis & orationis, quæ conſuevit fieri ſuper nubentes*. Et inferiùs ait, matrimonium apud fideles eſſe *ſacrans benedictionis virtute, quod eſt proprium verorum plena virtutis ſacramentorum*. *R. breviter*, nobis perperam objici ſingularem opinionem Guillelmi, qui unus contra omnes ſuperioris & ejuſdem ætatis Doctores, ſenſit id quod certo certiùs falſum eſt, nec tenent adverſarii, formam ſcilicet ut ſacramentalem matrimonii, conſiſtere in orationibus, quibus ſacerdos benedicit nubentibus.

Opponitur etiam nobis Banneſius, qui refertur ſcripſiſſe, illam ſententiam de matrimonio (quæ noſtra eſt) non fuiſſe communem omnium Theologorum, ſed aliquos oppoſitum docuiſſe. Præterea, licèt fuiſſet communis, non tamen fuit firma ſententia, ut patet ex Magiſtro, *S.* Thoma, Scoto, & omnibus aliis in 4. qui omnes rem ſub dubio relinquunt, neque aliquid certò definiunt. *R.* Banneſium non ſatis verecundè ſic locutum eſſe. Nam 1. ſententia noſtra fuit omnium veterum Theologorum, uno Guillelmo Pariſienſi excepto, qui ſolus è veteribus Theologis pro oppoſita ſententia citatur. Unius autem Theologi ſingularitas impedire non poteſt aliorum unanimitatem.

2. Quæro à Banneſio quid Magiſter, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, &c. ſub dubio relinquant? Eodem enim modo quo dicunt matrimonium eſſe ſacramentum, eodem, inquam, modo aſſerunt, conſenſum per verba de præſenti expreſſum, eſſe cauſam efficientem matrimonii, ut ſacramentum eſt, vel contrahentes ſibi ipſis hoc ſacramentum miniſtrare; & hoc ſacramentum conſiſtere in verbis de præſenti, quibus mas & fœmina maritalem conſenſum exprimunt, ex inſtitutione Chriſti ſignificantibus gratiam, &c.

Cùm itaque nullum hæſitationis veſtigium in Doctoribus illis reperire ſit, gratis & abſque omni fundamento Banneſius ait, illos rem ſub dubio reliquiſſe, unde illi jure meritò anteponimus Dominicum Sotum, qui opinionem Cani ut ſingularem, & non ſuſtentabilem notat; & contra illum jure meritò contendimus, ſententiam noſtram fuiſſe veterum Theologorum non ſolùm communem & unanimem, ſed etiam firmam & firmiſſimam ſententiam. Et verò Theologi illi eadem ſi mitate crediderunt, contrahentes eſſe miniſtrum ſacramenti matrimonii, qua crediderunt, ipſum præcise contractum matrimonialem ad eſſe ſigni ſacri elevatum fuiſſe à Chriſto, ab eoque nullum novum ritum inſtitutum fuiſſe pro ſacramento matrimonii. Atqui hoc firmiſſimè crediderunt: unde de cauſa vel eſſentia hujus ſacramenti diſputantes ex profeſſo, vel non meminerunt benedictionis ſacerdotalis, vel ſi meminerunt, poſitivè negant eam eſſe de neceſſitate ſacramenti, poſitiveque aſſerunt ad ſolemnitatem tantùm & decentem illius adminiſtrationem pertinere.

At, inquit Banneſius ab adverſariis relatus, quod uno tempore occultatur, poſtea per diligentiam & ſtudium advenientium multoties innoteſcit. *R.* quod obſervat Banneſius, hic locum habere non poſſe: nam Canus nihil vidit, quod videre non potuerint, aut etiam non viderint veteres illi Theologi, quos ſupra citavimus, quique nec ingenio, nec eruditione, nec denique diligentia & ſtudio inferiores Cano fuiſſe dici poſſunt. Adde quòd quæ pro ſua ſententia affert Canus, facilè occurrant, & facilem admittant ſolutionem. Quòd autem talia, præter ea quæ inutiliter aſſumit ex Florentina Synodo, tantorum Doctorum diligentiam ac ſtudium ſugerint, eaque primus, poſtquam ea de re per quingentos ferè annos diſputaverant Theologi, è puteo hauſerit Melchior Canus; qui voluerit, credet.

§. II.

Prob. 2. ſententia noſtra authoritate Conciliorum. Concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Septimum*, ſic loquitur: *Septimum eſt ſacramentum matrimonii, quod eſt ſignum, &c. Cauſa efficiens matrimonii, regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus*. Hic autem cauſam efficientem Synodus accipit vel in latiori ſignificatione pro cauſa rei conſtitutiva, & tunc nomine matrimonii intelligit contractum; vel in ſignificatione ſtricta, & tunc nomine matrimonii intelligit viri & mulieris maritalem conjunctionem, quæ ex contractu oritur. Unde cùm Synodus aſſignet cauſam efficientem matrimonii, etiam ut eſt ſacramentum, conſequens eſt, ſacramentum matrimonii vel in contractu matrimoniali, vel in maritali maris & fœminæ conjunctione, quæ ex contractu matrimoniali oritur, adæquatè conſiſtere, adeoque ad ſacramenti matrimonii ſubſtantiam nullatenus pertinere verba ſacerdotis, qui proinde hujus ſacramenti quoad ſubſtantiam ſumpti miniſter eſſe non poteſt.

Præterea, ſic argumentor contra Adverſarios. Cauſa efficiens ſacramenti matrimonii eſt conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Ergo contrahentes per verba de præſenti conſenſum ſuum exprimentes, efficiunt ſacramentum matrimonii. Ergo ſibi invicem hoc ſacramentum miniſtrant. Ergo miniſtri ſunt hujus ſacramenti.

Reſpondent Adverſarii, nihil eſſe in decreto Eugenii,

Digitized by Google

genii, quo probetur vocem hanc, matrimonii, ſumi pro matrimonio ut ſacramentum novæ legis eſt, cùm dicitur cauſam efficientem matrimonii eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum. *Reſp.* Adverſarios hic fruſtra à nobis quærere probationem, cùm res pro ſe ipſa loquatur. Nam 1. Synodus vult hoc ſeptimo paragrapho inſtruere Armenos de ſacramento matrimonii: aſſignat igitur cauſam efficientem ſacramenti matrimonii. 2. Sex prioribus paragraphis non aliud intendit Synodus, quàm Armenos docere ea, quæ ad ſex priora ſacramenta pertinent. Ergo nec aliud intendit ſeptimo paragrapho, quàm illos docere ea, quæ pertinent ad ſacramentum matrimonii.

3. Suppoſito quòd Synodus aſſignet cauſam efficientem ſacramenti matrimonii, ſufficientiſſimè inſtruit Armenos de materia, forma, & miniſtro hujus ſacramenti, adeoque de omnibus ad valorem hujus ſacramenti requiſitis: hoc ipſo enim quòd conſtabat cauſam efficientem ſacramenti matrimonii eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum, conſtabat materiam, formam, & miniſtrum, adeoque omnia ad hujus ſacramenti perfectionem requiſita adeſſe, cùm adeſſet conſenſus per verba de præſenti expreſſus. E contra verò dato quòd aſſignet tantùm cauſam efficientem matrimonii ut contractus naturalis & civilis, nihil prorſus eorum præſtat, contra id quod ſuperioribus paragraphis facit pro reliquis omnibus ſacramentis, quorum materiam, formam, & miniſtrum etiam diſtinctè deſignat.

Nunc quæro ab Adverſariis, cur tantam Synodo injuriam faciant, ut mancam ac diminutam illius circa ſacramentum hoc doctrinam eſſe velint. Reſpondent, noluiſſe Synodum controverſiam ſcholaſticam definire. Sed contra eſt; quia quòd conſenſus per verba de præſenti expreſſus, eſſet cauſa efficiens matrimonii ut ſacramentum eſt, communis erat à trecentis annis Doctorum omnium ſententia, uno Gulielmo excepto. Perperam autem dicitur Synodus rem definire noluiſſe propter ſingularem unius Doctoris opinionem, reliquis omnibus contrarium unanimiter ſentientibus.

Certè Magiſter & Durandus, ut volunt Adverſarii, cum aliquibus Canoniſtis, docuerant ſacramentum matrimonii non conferre gratiam, nec tamen tot Doctorum authoritas Synodum impedivit, quominùs juxta communem Doctorum aliorum ſententiam definiret, omnia novæ legis ſacramenta, ac proinde matrimonii ſacramentum, & continere gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferre. Qua ergo veriſimilitudine dici poteſt, quòd unius Doctoris authoritas Synodum impediverit, quominùs juxta communem & à trecentis annis communiſſimam Doctorum aliorum ſententiam definiret; cauſam efficientem matrimonii ut ſacramentum eſt, in conſenſu per verba de præſenti expreſſo conſiſtere?

At inquiunt. Satis fuit Eugenio docere Armenos matrimonium eſſe ſacramentum. *Reſp.* neg. Sicut enim ſatis non fuit Eugenio docere Armenos, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, &c. eſſe ſacramenta, ſed præterea debuit de materia, forma, & miniſtro horum ſacramentorum Armenos inſtruere, ut propoſito ſuo ſatisfaceret; ita propter eandem rationem debuit Armenos ſufficienter inſtruere de materia, forma & miniſtro ſacramenti Matrimonii, nec ſatis fuit eos docere matrimonium eſſe ſacramentum.

At inquiunt. Cùm Eugenius dicit, cauſam efficientem matrimonii eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum, non loquitur de ſubſtantia matrimonii, ut obſervat Catechiſmus Romanus. *Reſp.* Si loquitur Eugenius de vinculo, loquitur de ſubſtantia matrimonii juxta Catechiſmum Romanum, quem ſatis inconſultè citat unus ex adverſariis: nam Catechiſmus Romanus diſertis verbis docet, *matrimonii naturam & rationem in vinculo illo conſiſtere*.

At inquies. Si Eugenius voluit Armenos inſtruere de materia, forma & miniſtro ſacramenti Matrimonii, quare non hæc omnia diſtinctè expreſſit? *Reſp.* 1. Eugenium noluiſſe miniſtrum diſtinctè exprimere, quia noluit eum aliter deſignare, quàm communiter poſt Magiſtrum deſignabant Doctores Scholaſtici: deſignabant autem ſub nomine cauſæ efficientis matrimonii. *Reſp.* 2. Eugenium materiam & formam ſatis exprimere per conſenſum verbis de præſenti expreſſum: nam vel conſenſus internus ſe habet per modum materiæ, & verba quibus exprimitur, ſe habent per modum formæ; vel conſenſus internus verbis expreſſus, eſt materia ut eſt traditio, & forma ut eſt acceptatio.

Jam verò Eugenius cauſam efficientem ſumit vel in latiori ſignificatione, ut volunt multi, vel in ſtricta & propria, ut volunt alii, quibus libenter aſſentimus. Si primum, ſacramentum Matrimonii conſiſtit in contractu, & intrinſecè conſtat materia & forma, quibus perficitur, quod proprium eſt ſacramentorum, quæ in re tranſeunte conſiſtunt. Si ſecundum, ſacramentum Matrimonii conſiſtit in vinculo, quod per contractum matrimonialem efficitur, nec proinde conſtat intrinſecè materia & forma, quibus perficitur, quod non eſt inconveniens, cùm in hac ſuppoſitione in re permanenti conſiſtat.

Porrò Eugenius noluit materiam & formam diſtinctè exprimere, utramque determinatè aſſignando ſub expreſſis nominibus, quia Doctores idem unanimiter ſentientes de miniſtro & forma hujus ſacramenti, controvertebant inter ſe quid venire deberet nomine materiæ. Ab hac autem controverſia definienda prudenter abſtinuit Eugenius, quia talis definitio minimè neceſſaria erat ad aſſignanda omnia ad ſacramenti matrimonii perfectionem requiſita, quæ re ipſa aſſignavit, definiendo cauſam efficientem hujus ſacramenti eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum: hoc enim ſuppoſito, clarum eſt tunc, quando contrahentes verè conſentiunt, & conſenſum ſuum per verba de præſenti exprimunt, cum miniſtro & forma adeſſe materiam, ſive ſit conſenſus internus præciſè, ſive verba ut exprimunt traditionem corporum; aut, ſi vis, ipſa corpora, quæ traduntur, circa quod ſatis inutiliter, ſed abſque periculo altercantur inter ſe Scholaſtici.

Ex dictis hactenùs apparet ſententiam Cani ſatis apertè adverſari Concilio Florentino, hoc eſt, Concilio œcumenico, aut ſaltem generali totius Occidentis, præſide Summo Pontifice, ſi deſiit eſſe œcumenicum poſt diſceſſum Græcorum, & Græci ante diſceſſerunt, quàm Patrum ſuffragio confirmarent decretum Eugenii. Nunc ad Tridentinum veniamus.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. doctrinam de ſacramento Matrimonii ex profeſſo & accuratè exponens, quinque tantùm docet. Et 1. quidem matrimonii perpetuum & indiſſolubilem nexum ab Adamo divini Spiritus inſtinctu pronunciatum fuiſſe, cùm dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* 2. Nexum hunc ab Adamo tantò antea pronunciatum, à Chriſto confirmatum fuiſſe, cùm dixit: *Quod ergo Deus conjunxit, &c.* & declaratum intercedere non poſſe niſi inter duos, cùm dixit: *Itaque jam non ſunt duo, &c.* 3. Chriſtum ſacramentorum inſtitutorem atque perfectorem nobis paſſione ſua promeruiſſe gratiam, quæ conjuges ſanctificaret, naturalem illorum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret. 4. Et ſic matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtare. 5. Atque ita meritò ſanctos Patres noſtros, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditionem ſemper docuiſſe, matrimonium inter novæ legis ſacramenta eſſe annumerandum.

Ecce Synodus nullum prorſus inter matrimonium ut eſt ſacramentum novæ legis, & matrimonium ut fuit in lege Naturæ & Moſaica, diſcrimen ponit quantùm ad ritum; nullatenùs enim pro matrimonio novum aliquem à Chriſto ritum inſtitutum fuiſſe innuit; ſed præciſè ait, matrimonium in lege Evangelica, & matrimonium in lege naturæ & ſcripta

in

in eo inter ſe differre, quòd hoc non cauſarit gratiam, illud verò gratiam cauſet; adeoque totum utriuſque dicrimen ponit in virtute, qua unum ut eſt novæ legis ſacramentnm, excellit alteri, quod tantùm erat naturæ officium. Ergo, juxta doctrinam Synodi, matrimonium ut eſt ſacramentum novæ legis, non habet alium miniſtrum, nec aliam materiam & formam, quàm ut eſt officium naturæ. Matrimonii autem ut eſt officium naturæ, miniſter ſunt ipſi contrahentes. Ergo juxta Synodi doctrinam, matrimonii ut novæ legis ſacramentum eſt, miniſter ſunt ipſi contrahentes.

Ampliùs, juxta doctrinam Synodi matrimonium in nova lege, quocumque modo ſumatur, eundem habet miniſtrum, quem habuit in lege Naturæ & Moſaica. Atqui in lege Naturæ & Moſaica miniſtrum habuit ipſos contrahentes, neque ad valorem ejus aliquando ante legem Evangelicam neceſſaria fuerunt verba aliqua à ſacerdote prolata. Ergo, &c.

§. III.

Prob. ſententia noſtra ratione. Si ſacerdos eſt miniſter ſacramenti Matrimonii, verba ſacerdotis ſunt forma, qua perficitur hoc ſacramentum. Falſum conſ. Ergo, &c. Seq. maj. patet. *Prob. min.* Nam ſi aliqua ſacerdotis verba ſunt forma, qua perficitur ſacramentum Matrimonii, vel ſunt ea, quibus ſacerdos nubentibus benedicit, vel iſta, *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Neutrum dici poteſt.

Non primum, ut ipſimet adverſarii docent, & probatur 1. ex SS. Thoma & Bonaventura, quibus unus Guillelmus Pariſienſis contrarius eſt, quique diſertis verbis aſſerunt, nuptiarum benedictionem non eſſe de eſſentia, ſed tantùm de ſolemnitate ſacramenti. 2. Sacramentum ſaltem perficitur, cùm ſacerdos profert hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* Sed ſacerdos hæc verba profert ante benedictionem nuptiarum. Ergo ante benedictionem nuptiarum perfectum eſt ſacramentum. 3. Non benedicuntur ſecundæ nuptiæ, & tamen ſunt ſacramentum; imò nec primo tempore Adventus & Quadrageſimæ, & tamen de illis, quòd ſacramentum ſint, nefas eſt ambigere.

Non ſecundum. Nam 1. nulli Theologo ante Canum venit in mentem, ut aſſereret formam, qua ſacramentum Matrimonii perficitur, eſſe verba hæc, *Ego vos, &c.* Guillelmus enim formam illam conſtituit in oratione vel orationibus, qua vel quibus nubentes benedicuntur & Paludanus, quem cum Guillelmo unum pro ſe citat Canus, in 4. diſt. 5. q. 2. apertè affirmat ſacramentum Matrimonii adminiſtrari ab ipſis contrahentibus, invicem exprimentibus conſenſum ſuum, cùm in hoc conſenſu ſignis expreſſo conſiſtat eſſentia matrimonii.

2. De his verbis, *Ego vos, &c.* altum ſilentium eſt apud Hugonem, Magiſtrum, S. Thomam, S. Bonaventuram, Scotum, &c. iis in locis, in quibus ex profeſſo de Matrimonii ſacramento diſputant, & de cauſa illius efficiente quæſtionem inſtituunt. Unde meritò colligitur Doctores illos ne leviter quidem ſuſpicatos eſſe, in verbis illis formam hujus ſacramenti conſtitui poſſe. Et verò qua ratione id vel ſuſpicati fuiſſent, cum nullum talis formæ ad hujus ſacramenti perfectionem neceſſariæ veſtigium in antiquis canonibus, aut veterum Patrum ſcriptis reperire potuerint, aut eam ex praxi Eccleſiæ cum aliqua veriſimilitudine colligere; quandoquidem non adhibebatur in omnibus Eccleſiis, ſed in aliquibus tantùm, & in aliquibus loco illius adhibebantur verba diverſum planè ſenſum exprimentia, ut teſtis eſt Dominicus Sotus in 4. diſt. 26. a. 3. §. *Et confirmatur*, ubi de hac forma, *Ego vos, &c.* ſic loquitur: *Neque eſt univerſalis in Eccleſia, ſed alii dicunt: Ego vos ſponſo, & ſacramentum confirmo; & alii: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet; atque alii aliter.*

Hoc manifeſtè ſupponit Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrimonii, ubi ait: *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjugo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum.* Per alia autem verba intelligit verba non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter, ſeu quoad ſignificationem diverſa. Hinc

Sic argumentor 3. Si verba hæc, *Ego vos in matrimonio conjungo, &c.* ſunt forma, qua perficitur ſacramentum Matrimonii, hoc ſacramentum nunquam perfici potuit ſine illis, aut aliis, ſive modo indicativo aut imperativo, ſiva deprecativo eundem ſenſum exprimentibus, adeoque tantùm materialiter aut accidentaliter diverſis. Falſum conſ. Ergo, &c. Seq. maj. negari non poteſt; alioquin ejuſdem ſacramenti poſſunt eſſe, & ſunt formæ ſubſtantialiter diverſæ, quales ſunt illæ omnes, quæ diverſum ſimpliciter ſenſum exprimunt; quod eſt inauditum & abſurdum, atque falſum eſſe demonſtratur inductione omnium aliorum ſacramentorum, quorum aliqua fortaſſe indifferenter perfici poſſent per formas, quarum una modo indicativo, altera deprecativo eundem ſenſum exprimeret; at quorum nullum habet, aut habere poteſt formas ſubſtantialiter diverſas, ſeu diverſum ſimpliciter ſenſum exprimentes, & diſparatas.

Prob. ergo min. Nam ſi ſacramentum Matrimonii nunquam perfici potuit ſine his verbis, *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* aut aliis ſive modo indicativo, &c. particulares aliquæ Eccleſiæ ante Concilium Tridentinum circa adminiſtrationem hujus ſacramenti graviter errarunt, utentes verbis diverſum ſimpliciter ſenſum exprimentibus, ac diſparatis, puta iſtis, *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet:* nullum enim erat apud eos matrimonii ſacramentum. Falſum conſ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam ſi particulares illæ Eccleſiæ ſic erraſſent circa adminiſtrationem ſacramenti Matrimonii, illas corrigere debuiſſe, & correxiſſet Synodus Tridentina; vel certè illarum uſum non confirmaſſet; nam confirmando graviter ipſa erraſſet in materia ad fidem pertinente. Atqui Tridentina Synodus uſum Eccleſiarum illarum loco citato confirmat, ut manifeſtum eſt ex terminis. Ergo Eccleſiæ illæ non errabant circa adminiſtrationem ſacramenti Matrimonii, & matrimonium apud illas erat ſacramentum, quamvis apud illas ſacerdos in celebrando matrimonio, neque hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* neque alia quoad ſenſum æquipollentia, ſed planè diſparata, & ad formam ſacramentalem conſtituendam prorſus inepta adhiberet; vel certè Synodus Tridentina in re ad fidem pertinente graviter hallucinata eſt.

4. *Denique ſic argumentor.* Una & eadem eſt forma, qua perficitur ſacramentum Matrimonii, & qua perficitur ipſum matrimonium. Atqui matrimonium non perficitur per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* à ſacerdote prolata. Ergo nec ſacramentum Matrimonii. Conſequens eſt demonſtratum, ſi majorem & minorem argumenti demonſtrare poſſumus.

1. Itaque *probatur major.* Quia tam una & eadem eſt forma, qua perficitur ſacramentum Matrimonii, & qua perficitur Matrimonium, quàm una & eadem eſt forma, qua perficitur ſacramentum Baptiſmi, & qua perficitur baptiſmus; & tam, perficere ſacramentum Matrimonii, & perficere matrimonium, ſunt unum & idem, quàm unum & idem ſunt, perficere ſacramentum Baptiſmi, & perficere baptiſmum: ſicut enim ſacramentum Baptiſmi in baptiſmo adæquatè conſiſtit; ita ſacramentum Matrimonii adæquatè conſiſtit in matrimonio, ſeu in vinculo conjugali, in quo matrimonii natura & ratio conſiſtit, ut rectè docet Catechiſmus Romanus, & antea docuerant veteres Theologi. Unde

Argumentor ſic. Sacramentum Matrimonii conſiſtit adæquatè in eo, in quo adæquatè conſiſtit ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: hoc ipſo enim

Digitized by Google

quòd exiſtit hoc ſignum, præciſo aut etiam ſublato quocumque alio, exiſtit ſacramentum Matrimonii; quia hoc ipſo, præciſo aut etiam ſublato quocumque alio, exiſtit ſignum gratiæ, per mutuam dilectionem conjungentis animos conjugum. Atqui ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia conſiſtit adæquatè in vinculo conjugali, quo vir & mulier inter ſe colligantur indiſſolubiliter. Ergo ſacramentum Matrimonii conſiſtit adæquatè in hoc vinculo, adeoque in matrimonio, cujus totam rationem conſtituit hoc vinculum. Ergo perficere ſacramentum Matrimonii, & matrimonium perficere, ſunt unum & idem. Ergo una & eadem eſt forma, qua ſacramentum Matrimonii perficitur, & qua perficitur matrimonium. Quod

Confirmatur. Demus veram eſſe Cani ſententiam, & ita hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, eſſe formam, qua perficitur ſacramentum Matrimonii. *Sic argumentor.* In tantùm ſacerdos, proferendo hæc verba, *Ego vos, &c.* facit ſacramentum Matrimonii, in quantùm per ea facit id quod ſignificant: nam ſi per ea non facit id quod ſignificant, fruſtra profert illa, adeoque nihil facit. Atqui hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, manifeſtè ſignificant vinculi conjugalis effectionem. Ergo in tantùm ſacerdos proferendo hæc verba, *Ego vos, &c.* per ea efficit ſacramentum Matrimonii, in quantùm per ea efficit vinculum conjugale. Ergo una & eadem eſt forma, qua utrumque, hoc eſt, ſacramentum Matrimonii, & vinculum conjugale ſeu matrimonium, efficitur. Jam verò

2. *prob. min. primi argumenti*, nempe quòd matrimonium non perficiatur per hæc verba à ſacerdote prolata, *Ego vos in matrimonium conjungo*. Nam contractus matrimonialis eſt cauſa ſufficiens matrimonii & vinculi conjugalis: unde contractus matrimonialis initus clandeſtinè in locis in quibus Tridentinum receptum non eſt, vel in locis in quibus Tridentinum eſt receptum, coram duobus vel tribus teſtibus, & Parocho tacente aut etiam reclamante, nihilominùs efficit vinculum conjugale, & matrimonium validum eſt. Ergo perfecto contractu matrimoniali, perfectum eſt vinculum conjugale. Atqui ſacerdos non profert hæc verba, *Ego vos, &c.* niſi perfecto contractu matrimoniali: non enim ea profert, niſi poſtquam contrahentes conſenſum ſuum per verba de præſenti expreſſerunt. Ergo ſacerdos non profert hæc verba, *Ego vos, &c.* niſi perfecto vinculo conjugali, adeoque non facit illud, ſed illud factum ſupponit, cùm dicit, *Ego vos, &c.*

Dices. Ad hoc ut ſacerdos ſacramentum matrimonii efficiat per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, neceſſe non eſt, ut per ea contractum matrimonialem aut vinculum conjugale efficiat, ſed ſatis eſt, ſi per ea contractum matrimonialem aut vinculum conjugale elevet ad eſſe ſacramenti. Atqui ſacerdos per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, vel contractum matrimonialem, vel vinculum conjugale elevat ad eſſe ſacramenti, alterutri tribuendo ſignificationem ſacramentalem: ſicut per iſta verba, *Ego te abſolvo*, elevat ad eſſe ſacramenti actus pœnitentis, illis tribuendo ſacramentalem ſignificationem. Ergo ſacerdos per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, efficit ſacramentum matrimonii, quamvis per ea neque contractum matrimonialem, neque vinculum conjugale efficiat: ſicut per iſta *Ego te abſolvo*, efficit ſacramentum pœnitentiæ, quamvis per ea non efficiat actus pœnitentis.

Ad hoc adverſariorum effugium, quo occluſo videntur non poſſe evadere, *R.* 1. Si ſacerdos efficit ſacramentum matrimonii, per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, contractum matrimonialem vel vinculum conjugale determinando ad ſignificationem ſacramentalem, ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia non eſt præciſè contractus matrimonialis, vel vinculum conjugale, ſed complexum ex contractu matrimoniali, vel vinculo conjugali, & verbis à ſacerdote prolatis, ut probat inductio aliorum ſacramentorum, quæ efficiuntur à miniſtro, ad ſignificationem ſacramentalem per verba determinante materiam. Falſum conſ. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam hoc ipſo quòd contrahentes coram Parocho & teſtibus conſenſum ſuum per verba de præſenti exprimunt, hoc ipſo, inquam, vel contractus matrimonialis, vel potiùs vinculum conjugale, quod efficitur per contractum illum, ſe ipſo formaliter determinatur ſufficientiſſimè ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quod certè non niſi protervè negaretur. Ergo ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia adæquatè conſiſtit vel in contractu matrimoniali, vel, quod malumus, in vinculo conjugali, præciſis aut etiam ſublatis verbis quibuſcumque à Parocho prolatis, adeoque non conſiſtit in complexo, &c.

2. Ut verba aliqua materiam aliquam determinent ad ſignificationem ſacramentalem, debent eſſe ſecundùm ſe magis determinata ad hanc ſignificationem: evidenter enim repugnat, materiam ad aliquid determinari per formam æquè indeterminatam; & verò quomodo verba ſecundum ſe ad aliquid ſignificandum tam indeterminata & indifferentia, quàm materia, materiam nihilominùs ad illud ſignificandum determinare poſſent? Hinc, ut probat inductio, in omnibus ſacramentis, in quibus materia ad ſignificationem ſacramentalem elevatur per verba, verba ſecundùm ſe magis expreſsè & determinatè effectum ſacramenti ſignificant, quàm materia. Atqui hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, ſecundùm ſe ſaltem tam indeterminata ſunt & indifferentia ad ſignificationem ſacramentalem, quàm contractus matrimonialis, vel vinculum conjugale, ut per ſe manifeſtum eſt. Ergo falſum eſt, quòd ſacerdos per hæc verba, *Ego vos, &c.* ad ſignificationem ſacramentalem determinet, aut determinare poſſit contractum matrimonialem, vel vinculum conjugale; adeoque falſum eſt, quòd ſacerdos ſacramentum matrimonii efficere poſſit, ad eſſe ſacramenti elevando vel contractum matrimonialem, vel vinculum conjugale.

3. Hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, quoad ſignificationem, proindeque quoad efficaciam, planè ſimilia ſunt iſtis, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*. Unde hæc verba, *Ego vos, &c.* eodem modo ſe habent ad ſacramentum matrimonii, quo iſta, *Hoc eſt Corpus meum, &c.* ſe habent ad ſacramentum Euchariſtiæ. Atqui ſacerdos per hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, efficit ſacramentum Euchariſtiæ, non per ea materiam aliquam præciſè elevando ad ſignificationem ſacramentalem, ſed per ea efficiendo Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & Sanguinem ejus ſub ſpeciebus vini. Ergo pariter ſacerdos per iſta, *Ego vos in matrimonium conjungo*, efficit ſacramentum matrimonii, dato quòd efficiat, per ea efficiendo vinculum conjugale, vel, ſi vis, contractum matrimonialem, non verò per ea præciſè alterutrum ad ſignificationem ſacramentalem elevando.

Ratio ulterior paritatis eſt, quia ſicut hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, non ſignificant proximè & immediatè gratiam ſacramentalem, ſed effectionem Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & Sanguinis ejus ſub ſpeciebus vini, ita iſta, *Ego vos in matrimonium conjungo*, non gratiam ſacramentalem, & conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed effectionem vinculi conjugalis, vel contractus matrimonialis ſignificant, ut patet ex terminis. Unde

Sic argumentor. Sacerdos per hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum, &c.* non poteſt efficere ſacramentum Euchariſtiæ, niſi efficiendo Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & Sanguinem ejus ſub ſpeciebus vini; quia hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum, &c.* proximè & immediatè ſignificant effectionem Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, &c. Atqui iſta, *Ego vos in matrimonium conjungo*, ſimiliter proximè & immediatè ſignificant effectionem vinculi conjugalis, vel contractus

matri-

Digitized by Google

matrimonialis. Ergo ſacerdos per ea vel nullatenùs poteſt efficere ſacramentum matrimonii, vel non poteſt efficere, niſi efficiendo vel vinculum conjugale, vel contractum matrimonialem.

Ex his apparet diſparitas inter ſacramentum pœnitentiæ & ſacramentum matrimonii. Itaque ſacerdos efficit ſacramentum pœnitentiæ, actus pœnitentis præcisè elevando ad ſignificationem ſacramentalem, per hæc verba, *Ego te abſolvo*, quia hæc verba, *Ego te abſolvo*, proximè & immediatè collationem gratiæ ſignificant. At iſta, *Ego vos in matrimonium conjugo*, non ſignificant proximè & immediatè collationem gratiæ, unde per ea ſacerdos ſacramentum matrimonii efficere non poteſt, per ea præcisè elevando materiam aliquam ad ſignificationem ſacramentalem. Sed

Pro coronide *nota* 1. Forma ſacramentalis vel proximè & immediatè gratiam ſignificat, vel mediatè tantùm, ſignificando ſcilicet ſacramentum, quod proximè & immediatè ſignificat gratiam. Si primum, forma ſacramentalis eſt cauſa formalis ſacramenti, cui proinde intrinſeca eſt tanquam pars illius conſtitutiva, illudque conſtituens cum comparte, quam ad ſignificationem ſacramentalem elevat. Exemplum habes in Baptiſmo, Confirmatione, &c. Si ſecundum, forma ſacramentalis eſt cauſa efficiens ſacramenti, cui proinde extrinſeca eſt, nihil enim eſt cauſa efficiens ſui ipſius; unde ab ea ſacramentum adæquatè diſtinguitur.

Nota 2. Dato quòd hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjugo*, ſint forma ſacramentalis; cùm gratiam non ſignificent proximè & immediatè ſed mediatè tantùm, quatenùs ſignificant ſacramentum, quod proximè & immediatè ſignificat gratiam; non ſunt cauſa formalis ſacramenti matrimonii, ſed efficiens, adeoque huic ſacramento extrinſeca ſunt, nec ad illud ut pars conſtitutiva pertinent. Ex quibus

Manifeſtè ſequitur, 1. Sacramentum matrimonii adæquatè conſiſtere vel in contractu matrimoniali, vel in vinculo conjugali. 2. Per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, vel effici contractum matrimonialem, aut vinculum conjugale, vel non effici ſacramentum matrimonii. 3. Cùm evidens ſit, neque contractum matrimonialem, neque vinculum conjugale effici per hæc verba, *Ego vos, &c.* evidens pariter eſſe, quòd ſacramentum matrimonii per ea non efficiatur. 4. Et ita etiam dando quòd ſint forma ſacramentalis, evidenter oſtendi quòd non ſint forma ſacramentalis: adeò omni probabilitate intrinſeca deſtituta eſt Cani ſententia.

§. IV.

Solvuntur Cani argumenta.

Obj. 1. Neque ex Scriptura, neque ex traditione probari poteſt, matrimonium ſine miniſtro Eccleſiaſtico formam aliquam ſacram proferente contractum, ſacramentum eſſe. *Reſp.* 1. ex Scriptura quidem probari non poſſe, quòd matrimonium contractum ſine miniſtro Eccleſiaſtico formam ſacram pronunciante, ſit ſacramentum. At pariter ex ea probari non poteſt, matrimonium cum forma ſacra à miniſtro Eccleſiaſtico prolata contractum, ſacramentum eſſe, aut ſacramentum non eſſe, niſi à miniſtro formam ſacram proferente celebretur: nullum enim in ea extat veſtigium novæ alicujus cæremoniæ à Chriſto inſtitutæ pro ſacramento matrimonii; ſed de matrimonio fidelium loquens, de eo præcisè dicit, quòd ſit ſacramentum magnum, eò quòd ex inſtitutione ſcilicet divina ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſupple, & gratiam, qua conjugum animi ad hujus conjunctionis ſimilitudinem inter ſe conjunguntur.

Igitur dato quòd Scripturæ ſilentio uti non poſſimus adversùs Canum, nec ipſe poteſt uti contra nos. Dixi, eſto; nam rectè poſſumus ab eo petere, ut ex Scriptura probet neceſſitatem formæ à miniſtro Eccleſiaſtico pronunciatæ, quod certè præſtare non poteſt. Quòd ſi viciſſim ipſe à nobis petat, ut ex Scriptura probemus, formam hujuſmodi neceſſariam non eſſe, reſpondemus id ſufficienter probari ex Scriptura, hoc ipſo quòd præcisè dicat matrimonium eſſe ſacramentum, quia ſignum eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, nec alicubi novi ritus à Chriſto pro hoc ſacramento inſtituti meminerit, & aliunde manifeſtum ſit matrimonium ſe ſolo, & abſque forma ei ſuperaddita, conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſufficientiſſimè ſignificare poſſe, neque obſtet traditio: hoc ipſo enim meritò colligimus, Chriſtum matrimonii ſacramentum inſtituiſſe, vinculum conjugale, vel contractum matrimonialem præcisè elevando ad conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſignificandam, atque gratiam, qua ad hujus conjunctionis ſimilitudinem conjugum animi inter ſe colligarentur, ſignificandam & efficiendam.

R. 2. Canum perperam nos provocare ad traditionem: teſtes enim traditionis, nempe Patres & Concilia aſſerunt, matrimonium fidelium eſſe ſacramentum, nulla unquam mentione facta novæ alicujus cæremoniæ pro hoc ſacramento inſtitutæ à Chriſto; vel, quod eodem redit, nulla unquam mentione facta ſacræ alicujus formæ, ſine qua à miniſtro Eccleſiaſtico pronunciata ſacramentum hoc perfici non poſſit. Unde meritò colligimus, Patribus & Conciliis perſuaſum fuiſſe, ſacramentum matrimonii in ipſo fidelium matrimonio adæquatè conſiſtere, neque Chriſtum ſacramentum hoc aliter inſtituiſſe, quàm fidelium vinculo conjugali, vel, ſi vis, contractui matrimoniali addendo vim ſignificandi & efficiendi gratiam.

His adde, quod ſuprà oſtenſum eſt, Concilia, cùm ex profeſſo agunt de ſacramento matrimonii, docere unam & eandem eſſe cauſam efficientem matrimonii, ut ſacramentum eſt, & matrimonii, ut eſt vinculum conjugale, vel ut eſt contractus, nempe conſenſum per verba de præſenti expreſſum à contrahentibus; & matrimonii veterum à matrimonio fidelium diſcrimen in eo tantùm ponere, quòd hoc vim habeat conferendi gratiam, & illud non habuerit. Ex quibus infertur, matrimonii in lege Evangelica diſcrimen à matrimonio veterum in ſola ſacramenti dignitate conſiſtere, & matrimonium in lege Evangelica, ſive ut contractus, aut maritalis conjunctio, ſive ut ſacramentum conſideretur, non habere alium miniſtrum, nec aliam formam & materiam, quam olim habuerit in lege naturali & Moſaica. At in Conciliorum generalium doctrina continetur traditio. Ergo traditio probat ſententiam noſtram, & Cani ſententiam damnat.

Obj. 2. Concilium Florent. in decreto Eugenii definivit ſacramenta rebus & verbis perfici. *Reſp.* Ita eſſe. At ſine miniſtro Eccleſiaſtico, & forma ſacra ab eo pronuntiata, aſſignamus & habemus pro ſacramento matrimonii res & verba, nempe conſenſum maritalem per verba de præſenti expreſſum à contrahentibus, & miniſtrum, nempe ipſos contrahentes.

Dices. Aliquando contrahentes coram parocho & teſtibus, non verbis, quia muti ſunt, ſed nutibus conſenſum ſuum exprimunt, & tamen tunc matrimonium eſt validum, adeòque ſacramentum eſt. Atqui tunc non ſunt alia verba, quibus hoc ſacramentum perfici poſſit, præter ea quæ à parocho, intellecto contrahentium conſenſu, pronunciantur. Ergo revera tunc verbis à Parocho pronunciatis ſacramentum matrimonii perficitur. Ergo hujus ſacramenti miniſter eſt Parochus, non contrahentes.

Reſp. 1. Quòd ſi contrahentes in caſu propoſito non efficiant ſacramentum matrimonii, neque efficiat Parochus per verba, quæ pronunciat, intellecto conſenſu contrahentium; & ita quòd in caſu propoſito nullum ſit matrimonii ſacramentum, quamvis matrimonium ſit validum. Unde ſequitur, quod aliquibus non improbabile viſum eſt, matrimonium baptizatorum, quamvis validum, ſacramentum eſſe non poſſe, niſi contrahentes verbis de præſenti conſenſum ſuum exprimere valeant.

Reſp. 2. *Meliùs*, in caſu propoſito nutus tenere lo-

eum verborum, & eandem vim obtinere in ordine ad perficiendum ſacramentum matrimonii, ſicut eandem vim habent in ordine ad perficiendum matrimonium. Quare contrahentes in caſu propoſito conſenſum ſuum nutibus exprimentes, tam verè ſacramentum efficiunt, quàm ſi per verba de præſenti conſenſum ſuum exprimerent.

Falsò igitur in inſtantia ſupponitur, nunquam niſi per verba perfici poſſe ſacramentum matrimonii. Cùm autem Florentinum in decreto §. *Quinto Eccleſiaſticorum*, ait ſacramenta non perfici ſine verbis, intelligi debet cum addito pro ſacramento matrimonii, ut patet ex §. *Septimum*, ubi de hoc ſacramento agit in particulari, & dicit cauſam ejus efficientem eſſe regulariter conſenſum per verba de præſenti expreſſum: addit enim hanc vocem, *regulariter*, quia aliquando, loco verborum, quæ proferri non poſſunt, adhibentur nutus ad exprimendum conſenſum, & conſenſus per nutus ſufficienter expreſſus, æquivalet conſenſui per verba de præſenti expreſſo; unde aliquando contingit perfici ſacramentum matrimonii per conſenſum, non verbis de præſenti, ſed nutibus verborum vicem gerentibus expreſſum. Senſus itaque Florentini eſt, ſacramentum matrimonii perfici non poſſe ſine verbis, aut ſigno aliquo externo, verborum vicem gerente, eiſque in ordine ad maritalem conſenſum exprimendum æquivalente.

Dices. Si vera eſt hæc doctrina, pari jure dici poterit, poſſe ſacerdotem mutum nutibus pœnitentes abſolvere, & Epiſcopum mutum nutibus Ordines ſacros conferre. Abſurdum conſ. Ergo, &c. *R*. neg. ſeq. maj. Nam magna diſparitas eſt inter ſacramentum matrimonii, & alia ſacramenta. Cùm enim, ut probatum eſt, Chriſtus matrimonium baptizatorum ad ſacramenti dignitatem evexerit, ei præciſè vim ſignificandi & efficiendi gratiam addendo, atque ita ſacramentum matrimonii adæquatè conſiſtat in vinculo conjugali, vel contractu, quo vinculum conjugale efficitur, neceſſe eſt ut id quod ad matrimonii valorem ſufficit, hoc ipſo ad ſacramentum matrimonii ſatis ſit, ſi fiat cum intentione faciendi ſacramentum, Ad validum autem matrimonium nutus loco verborum ſufficere poſſunt, adeoque poſſunt ſufficere ad ſacramentum matrimonii.

Porrò pro reliquis ſacramentis nihil ſimile afferri poteſt, propter quod rationabiliter dici poſſit, ea à muto miniſtro nutibus poſſe conferri. Imò verò cuilibet eorum naturam attentè conſideranti facilè patet, ad convenientem eorum adminiſtrationem neceſſaria eſſe verba. Quomodo, obſecro, mutus Epiſcopus convenienter ordinaret, & poteſtatem, quæ in ordinatione confertur, nutibus deſignaret? Quomodo ſacerdos mutus convenienter abſolveret, & abſolvendo judicium exerceret? Quomodo ante ſententiæ prolationem poſſet, uti debet, pœnitentem examinare, admonere, adhortari, convenientem ei ſatisfactionem injungere?

Obj. 2. Sacramenta ſunt cœremoniæ ſacræ, & actus religionis. Sed matrimonium ſolis conjugum verbis contractum, nihil habet ſacri. Ergo tale matrimonium ſacramentum dici non poteſt. *R*. Omiſſa majore, quæ non eſt univerſaliter vera, nam Euchariſtia non eſt cœremonia; diſtinguo min. Matrimonium ſolis conjugum verbis contractum, nihil habet ſacri apud infideles, C. min. nam apud infideles eſt res merè naturalis & civilis. Nihil habet ſacri apud fideles, N. min. & diſtincto pariter conſ. nego conſeq.

Itaque quando conjuges fideles matrimonium validè per verba de præſenti contrahunt, tunc independenter ab omni forma à miniſtro Eccleſiaſtico prolata, matrimonium eſt res ſacra, ſive pro contractu, ſive pro vinculo accipiatur: tunc enim contractus matrimonialis, vi inſtitutionis Chriſti, vel proximè & immediatè ſignificat gratiam, vel, quod malumus, proximè & immediatè ſignificat vinculum, quo ex inſtitutione Chriſti proximè & immediatè ſignificatur gratia. Si primum, ſacramentum eſt contractus, & vinculum effectus ſacramenti. Si ſecundum, ſacramentum eſt vinculum, & contractus cauſa ſacramenti.

Ampliùs. In fidelibus matrimonium contrahentibus, contractus matrimonialis & vinculum conjugale poſſunt conſiderari dupliciter. 1. Secundùm ſe, præciſa inſtitutione Chriſti, & ſub hac conſideratione ſunt tantùm quid naturale. 2. Prout ſubſunt inſtitutioni Chriſti, qui alterutrum ad dignitatem ſacramenti evexit; & ſub hac conſideratione utrumque eſt aliquid ſacrum & ſupernaturale: ſicut ritus baptiſmi eſt aliquid merè naturale, ſi conſideretur præciſè ſecundùm ſe; & eſt aliquid ſacrum & ſupernaturale, ſi conſideretur prout ſubeſt inſtitutioni Chriſti, à quo elevatus eſt ad eſſe ſacramenti.

Obj. 3. Concilium Florentinum in decreto §. *Quinto*, requirit certum miniſtrum, ſine quo ait ſacramenta perfici non poſſe. Atqui ſacramenti matrimonii miniſter alius eſſe non poteſt, quàm ſacerdos. Ergo, &c. *R*. neg. min. Nam Florentinum loco citato definiens ſine perſona miniſtri nullum perfici ſacramentum, §. *Septimum*, ubi ſingillatim agit de ſacramento matrimonii, hoc ipſo definit, hujus ſacramenti miniſtrum eſſe ipſos contrahentes, quòd definit hujus ſacramenti cauſam efficientem eſſe conſenſum per verba de præſenti expreſſum: nam contrahentium eſt conſenſum ſuum per verba de præſenti exprimere, adeoque contrahentium eſt hoc ſacramentum efficere.

Dices. Ergo hic miniſter non diſtinguitur à ſuſcipiente. Abſurdum hoc conſ. Ergo, &c. *R*. neg. min. Cùm enim ſacramentum matrimonii adæquatè ſit vel contractus matrimonialis, vel vinculum conjugale, quod per contractum matrimonialem efficitur; ſicut contrahentes neceſſariò ſunt cauſa efficiens & ſubjectum contractus & vinculi, ita & neceſſariò ſunt cauſa efficiens & ſubjectum ſacramenti. Nihil autem ſimile afferri poteſt pro aliis ſacramentis: unde in aliis ſacramentis miniſter à ſuſcipiente diſtinguitur, excepta tamen Euchariſtia, in qua idem poteſt eſſe miniſter & ſuſcipiens; ſacerdos enim ſibi ipſe adminiſtrat Euchariſtiam, quoties Miſſam celebrat.

Obj. 4. Res quibus ſacramenta conſtant, imaginem & ſimilitudinem gerunt effectus ſacramentalis, cujus ſunt ſigna & cauſa. Sic v.g. in baptiſmo, lotio aquæ imaginem gerit internæ emundationis animæ, quam ſignificat & operatur Baptiſmus. Atqui matrimonium ſolis conjugum verbis contractum, nullam gerit ſimilitudinem effectus ſacramentalis, quem ſignificat & cauſat ſacramentum matrimonii. Ergo, &c. *Reſp*. neg. min. Nam conſenſus per verba de præſenti expreſſus à conjugibus, vel ſaltem, quod nobis ſufficit, maritalis conjugum conjunctio, quam efficit conſenſus ab illis per verba de præſenti expreſſus, à Chriſto ad ordinem rerum ſacrarum elevata, eſt imago quædam & ſimilitudo eorumdem conjugum ſpiritalis per mutuam charitatem conjunctionis, cujus ſacramentum matrimonii ſignum eſt & cauſa.

Obj. 5. Formæ, quibus ſacramenta perficiuntur, ſunt verba ſacra. Atqui hæc verba, *Accipio te in meam*, *Accipio te in meum*, non ſunt verba ſacra: undique enim naturalia ſunt, & ab omnibus gentibus uſurpata. Ergo non poſſunt eſſe forma, qua perficitur ſacramentum matrimonii; adeoque conjuges per ea ſacramentum hoc non poſſunt efficere. Ergo non conjuges, ſed ſacerdos miniſter eſt hujus ſacramenti.

R. formas, quibus ſacramenta perficiuntur, eſſe verba ſacra, ſi conſiderentur ut ſubſunt inſtitutioni Chriſti, à quo elevatæ ſunt ad ſignificationem & efficientiam ſupernaturalem; ſecus verò, ſi conſiderentur præciſè ſecundùm ſe: ſub hac enim conſideratione ſunt quid ex omni parte naturale, ut probat omnium formarum ſacramentalium inductio. Ad minorem autem dico, hæc verba *Accipio te*, *&c.* quibus conjuges maritalem conſenſum exprimunt, non eſſe quidem verba ſacra, ſi conſiderentur ſecundùm ſe, præciſa Chriſti inſtitutione; at eſſe, ſi conſiderentur ut ſubſunt inſtitutioni Chriſti, à quo elevata ſunt ad ſignificandam & efficiendam gratiam, vel, quod magis probamus,

ad

Digitized by Google

ad ſignificandum & efficiendum ſacramentum, vinculo conjugali, quod efficiunt, tribuendo vim ſignificandi & efficiendi gratiam, qua, ut loquitur Tridentinum, naturalis amor conjugum perficitur, conjugeſque ſanctificantur. Hinc apparet quàm falsò Canus dicat, hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* nullius effectus ſpiritualis ſigna eſſe: nam non quidem præciſe ſecundùm ſe, ſed ut elevata per Chriſti inſtitutionem, proximè & immediatè vel gratiæ collationem, vel ſacramentum gratiæ collativum ſignificant.

Dices. Verba, quibus perficiuntur ſacramenta, inſtitutione Chriſti determinata ſunt, nec poſſunt mutari arbitrio hominum. At verba, quibus matrimonium contrahendum eſt, non ſunt ſic determinata, Ergo verba, quibus matrimonium contrahendum eſt, non ſunt ea, quibus ſacramentum matrimonii perficitur.

Reſp. verba, quibus ſacramenta perficiuntur, non materialiter, ſed formaliter ſumpta, divina inſtitutione determinata eſſe, ſeu, quod idem eſt, verba, quibus ſacramenta perficiuntur, divina inſtitutione determinata eſſe quoad ſenſum, non quoad ſonum vocis, & numerum ſyllabarum; alioquin ſacramenta non poſſent diverſis idiomatibus adminiſtrari. At verba, quibus matrimonium contrahendum eſt, ſunt neceſſariò & ex natura rei determinata: nam vel adhibentur quæ conſenſum viri & mulieris ſufficienter exprimant, vel nihil fit. Unde hoc ipſo quòd Chriſtus voluit ſacramentum Matrimonii perfici per verba, quibus conſenſus conjugum ſufficienter exprimitur; pro forma, qua ſacramentum Matrimonii perficeretur, inſtituit verba quoad ſenſum determinata.

Præterea, videtur argumentum ſic invictè retorqueri poſſe contra Canum. Verba, quibus ſacramenta perficiuntur, ſaltem quoad ſenſum divina inſtitutione determinata ſunt. Atqui verba, quæ profert ſacerdos in celebratione matrimonii, ne quidem quoad ſenſum inſtitutione divina determinata fuerunt; nam ante Tridentinum, ut jam obſervatum eſt, non eadem quoad ſenſum in omnibus Eccleſiis verba adhibebantur à ſacerdote: in aliquibus enim, interrogatis ſponſo & ſponſa, eorumque conſenſu intellecto, dicebat: *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quæ ſanè verba etiam quoad ſenſum planè diverſa ſunt ab iſtis, *Ego vos in matrimonium conjugo*, quæ in aliis Eccleſiis à ſacerdote adhibebantur. Nec dici poteſt Tridentinum, Eccleſiarum illarum, in quibus ſacerdos dicebat, *Quos Deus conjunxit*, *&c.* uſum reprobaſſe, ut inſtitutioni divinæ contrarium; cùm expreſsè liberam omnibus indiſcriminatim Eccleſiis poteſtatem faciat, ut ſuum unaquæque ritum retineat. Ergo verba, quæ pronuntiat ſacerdos in matrimonii celebratione, non ſunt ea, quibus perficitur ſacramentum Matrimonii.

Dices. Verba ſuſcipientis ſacramentum, poſſunt quidem eſſe materia ſacramenti, at non poſſunt eſſe forma. Atqui hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* ſunt verba ſuſcipientium ſacramentum. Ergo, &c. *R.* neg. maj. Nam non magis repugnat, verba ſuſcipientis ſacramentum eſſe formam ſacramenti Matrimonii, quàm repugnat, eumdem eſſe miniſtrum & ſuſcipientem: neque magis repugnat, eumdem eſſe miniſtrum & ſuſcipientem, quàm repugnat, Chriſtum inſtituiſſe ſacramentum Matrimonii, præcisè & abſque novo ritu, contractum matrimonialem, vel vinculum conjugale evehendo ad eſſe ſigni ſacri & practici gratiæ naturalem conjugum amorem perficientis, eoſque ſanctificantis. Sic autem ſacramentum matrimonii à Chriſto inſtitui potuiſſe, negari non poteſt; & ſic re ipſa inſtitutum fuiſſe, ſatis ſuperque oſtenſum eſt.

Dices. Materiæ, non verò formæ, nomen ſacramenti attribuitur. Atqui hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* dicuntur matrimonium ſeu ſacramentum Matrimonii. Ergo ſunt materia, non forma ſacramenti Matrimonii. *R.* neg. min. Nam hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* dicuntur cauſa matrimonii, non matrimonium; & matrimonium à Doctoribus poſt Magiſtrum communiter definitur, Viri & mulieris maritalis conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens, quæ conjunctio efficitur per conſenſum verbis de præſenti à conjugibus expreſſum.

Præterea, ex eo quòd nomen ſacramenti attribuatur materiæ, & hæc verba, *Accipio te*, *&c.* quod permittimus, dicantur ſacramentum Matrimonii, ſequitur quidem quòd ſint materia, at non ſequitur, quòd non ſint etiam forma, ſeu quòd ſint materia tantùm: nam ſi id, quod eſt materia ſacramenti, dicitur ſacramentum, quantò magis ſacramentum dicitur id, quod ſimul eſt materia & forma ſacramenti, proindeque eſt ipſum ſacramentum totum.

Nota. Sacramentum Matrimonii conſiſtit vel in externa pactione matrimoniali ſola; vel in illa pactione ut forma, & interno conſenſu ut materia; vel denique in maritali viri & mulieris conjunctione. Si primum, hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* ſunt ſimul materia & forma ex qua conſtat ſacramentum Matrimonii: quia ſimul ſunt materia & forma externæ pactionis matrimonialis; atque ita rectè ſacramentum dicuntur, non quòd ſint tantùm materia ſacramenti, ſed quòd ſint ipſum ſacramentum totum. Si ſecundum, hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* ſunt tantùm forma ex qua ſacramenti, & ita non magis ſimpliciter dici poſſunt ſacramentum Matrimonii, quàm iſta, *Ego te baptizo*, *&c.* ſimpliciter dici poſſunt ſacramentum baptiſmi. Si denique tertium, hæc verba, *Accipio te in meam*, *&c.* ſunt tantùm forma, non ex qua conſtat, ſed qua perficitur ſacramentum, atque ita nequidem partialiter ſunt ſacramentum, ſed ſolùm partialis cauſa illius. Hæc igitur verba, *Accipio te in meam*, *&c.* ſacramentum dici poſſunt in prima tantùm ſententia, in qua ipſum ſacramentum adæquatè conſtituunt.

§. V.

Solvuntur argumenta ab authoritate petita.

OBj. 1. Calixtum cap. *Conſanguineorum* 3. q. 4. Hormiſdam cap. *Nullus* 30. q. 5. Nicolaum I. cap. *Lotharius*, 31. q. 2. Concilium Lugdunenſe cap. *Nulli* 35. q. 3. Iſidorum cap. *Fœminæ* 30. q. 5. Siricium epiſt. ad Himerium Tarraconenſem cap. 4. Clementinam *Religioſi* de privilegiis in 6. quorum teſtimonia ait Canus ſe nec adſcribere, nec expendere, quia alterius loci & temporis eſt diſputatio. *R.* Canus inutiliter adſcripſiſſet, & expendiſſet teſtimonia illa: ex eis enim aliud non habetur, quàm benedictionem ſacerdotalem ſolere adhiberi, vel etiam adhibendam eſſe in nuptiis, quod libentiſſimè admittimus. At benedictionem illam eſſe de eſſentia ſacramenti Matrimonii, aut cauſam efficientem illius, vel matrimonium ſine ſacerdotali benedictione à fidelibus validè contractum, non eſſe ſacramentum, nec aſſerunt, nec innuunt.

Obj. 2. Evariſtum cap. *Aliter* 30. q. 5. ubi ait, *connubia ſine ſacerdotis benedictione contracta ſeu præſumpta, non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potiùs, quàm legitima conjugia eſſe*. *R.* ſuppoſititium illum Evariſtum loqui de connubiis clandeſtinis, in quibus non adeſt utriuſque contrahentis internus conſenſus; unde ſtatim proſequitur: *Niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima*. Et verò vel ſic intelligendus eſt Pſeudo. Evariſtus ille, vel deſerendus etiam ab ipſo Cano, qui ſolùm vult, matrimonium ſine ſacerdotis benedictione contractum, eſſe invalidum in ratione ſacramenti, quamvis validum ſit in ratione contractus. Et ſi aliud vellet, apertè damnaretur à Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim. ubi ait: *Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quandiu ea Eccleſia irrita non fecit*.

Clandeſtina igitur matrimonia nunquam irrita ſue-

fuerunt ob defectum benedictionis ſacerdotalis, ſed tandiu etiam ſine ſacerdorali benedictione matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera matrimonia fuerunt, quandiu ea non irritavit Eccleſia. Primùm autem irritavit in Tridentina Synodo, & pro iis quidem tantùm locis, in quibus decretum ejus promulgatum eſſet. Unde adhuc in regionibus, in quibus decretum illud nondùm receptum eſt, matrimonia clandeſtina ſunt vera matrimonia, veraque ſacramenta.

Obj. 3. Concilium Carthag. IV. can. 13. ubi ait: *Sponſus & ſponſa ..., cùm acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis, in virginitate permaneant.* Atqui hoc non præciperet Concilium, niſi ſacerdoris benedictio eſſet ſacramentum, vel ſaltem forma, qua ſacramentum perficitur. *R.* hoc negando, & dico Concilium non præcipere, ſed conſulere conjugibus, ut prima nocte à carnali copula abſtineant propter reverentiam benedictionis acceptæ, quia hæc benedictio eſt ſacra quædam cæremonia; non omnis autem cæremonia ſacra ſacramentum eſt.

Obj. 4. Concilium Lateranenſe cap. *Cùm in Eccleſia Corpore 9.* extra de ſimonia, nubentium benedictionem ſacramentis annumerat. *Reſp.* hoc eſſe falſum: nam capite citato ſic loquitur Concilium; *Horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere: ita ut pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſedem, ſeu introducendis presbyteris in Eccleſiam, necnon pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis ſacramentis, aliquid requiratur.* Hæc autem vox, *aliis*, non eſt hic relativa, ſed abſoluta, & tam abſoluta, quàm cùm Luc. cap. 23. dicitur: *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo.* Et verò ſi hæc vox, *aliis*, loco citato relativa eſt, tam eſt relativa ad exequias mortuorum, introductionem presbyteri in Eccleſiam, &c. quàm ad benedictionem nubentium, adeoque non ſolùm benedictio nubentium, ſed etiam v. g. introductio presbyteri in Eccleſiam, ſacramentum erit quod eſt falſum & abſurdum.

Obj. 5. S. Thomam in 4. diſt. 1. q. 1. a. 3. ubi docet verba in omni ſacramento neceſſaria eſſe, ad 5. in quo id impugnat in hunc modum: *Pœnitentia & Matrimonium ſunt quædam ſacramenta, Sed de integritate eorum non ſunt verba aliqua. Ergo, &c.* reſpondet, *quòd Matrimonium ſecundùm quod eſt in officium naturæ, & Pœnitentia ſecundum quod eſt virtus, non habent aliquam formam verborum, Sed ſecundùm quod utrumque eſt ſacramentum, in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, utrumque habet aliqua verba.* Hic triumphat Canus, *D. Thomas*, inquit, *licèt in ſcriptis communes fere opiniones ſequeretur* (ecce non obſcurè fatetur adverſarius, ſententiam noſtram communem veterum Theologorum ſententiam fuiſſe) *à veritate rationeque coactus noſtræ opinioni ſubſcripſit*.

R. aut hic Cani ſinceritatem deſiderari, aut certè cum non attigiſſe mentem S. Doctoris, cujus locum integrum juvat exſcribere. *Matrimonium*, inquit, *ſecundum quod eſt in officium, & Pœnitentia ſecundum quod eſt virtus, non habens aliquam formam verborum, ſed ſecundùm quòd utrumque eſt ſacramentum, in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, utrumque habet aliqua verba: ſicut in matrimonio ſunt verba exprimentia conſenſum, & iterum benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ; in Pœnitentia autem eſt abſolutio ſacerdotis verbotenus facta.*

Hic S. Doctor dicit quidem utrumque ſacramentum, Pœnitentiæ ſcilicet & Matrimonii, in diſpenſatione ſacerdotis conſiſtere; at non dicit utrumque eodem modo, ſeu utrumque quoad ſubſtantiam conſiſtere: imò verò apertè ſupponit, alterum, nempe Matrimonii ſacramentum, non quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad ſolemnitatem ab Eccleſia inſtitutam, conſiſtere in diſpenſatione ſacerdotis, cùm ait; *In matrimonio ſunt verba exprimentia conſenſum* (en verba, quæ proferuntur à nubentibus, & quibus ſacramentum Matrimonii quoad ſubſtantiam perficitur) *& iterum benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ* (en verba, quæ proferuntur à ſacerdote, & quibus ſacramentum Matrimonii perficitur quoad ſolemnitatem: cùm enim hæc verba, non à Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtituta fuerint, ad ſubſtantiam ſacramenti pertinere non poſſunt: unde ſupereſt, ut ad ſolemnitatem ipſi accidentariam pertineant.

Hanc eſſe mentem S. Doctoris declaratur ampliùs, ac demonſtratur, 1. Ex diſt. 26. q. 2. a. 1. ubi ex profeſſo agit S. Doctor de ſacramento Matrimonii, & hanc primo loco objectionem proponit: *Omne ſacramentum habet aliquam formam, quæ eſt de eſſentia ſacramenti. Sed benedictio quæ fit per ſacerdotes in nuptiis, non eſt de eſſentia matrimonii. Ergo non eſt ſacramentum.* Ad hoc autem ſic reſpondet: *Dicendum quod verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti; non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.*

2. Ex diſt. 28. q. 1. a. 3. in quo quærit, *utrùm conſenſus in occulto factus per verba de præſenti, faciat matrimonium*, adeoque Matrimonii ſacramentum: nam juxta S. Doctorem, inter fideles primum ſine altero effici non poteſt, & matrimonium inter fideles contractum, verum ac ratum eſt matrimonium, verum ac propriè dictum ſacramentum eſt, ut clarè intelligitur ex ejus reſponſione: propoſita enim quæſtione de matrimonio, reſpondet de ſacramento Matrimonii; ex quo manifeſtè ſequitur, eum pro uno & eodem accipere matrimonium, & Matrimonii ſacramentum.

Sic itaque propoſitam quæſtionem reſolvit: *Dicendum, quod ſicut in aliis ſacramentis quædam ſunt de eſſentia ſacramenti, quibus omiſſis non eſt ſacramentum; quædam autem ad ſolemnitatem ſacramenti pertinent, quibus omiſſis verum perficitur ſacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam conſenſus expreſſus per verba de præſenti inter perſonas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit, quia hæc duo ſunt de eſſentia ſacramenti; alia autem omnia ſunt de ſolemnitate ſacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientiùs fiat: unde ſi omittantur, verum matrimonium eſt* (adeoque ſacramentum Matrimonii) *quamvis, &c.* Hinc in reſp. ad 2. ſubjicit: *Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quaſi de eſſentia ſacramenti.*

Igitur juxta S. Doctorem, fideles cùm matrimonium contrahunt in facie Eccleſiæ, tunc duplex eſt forma ſacramenti; una eſſentialis, qua ſacramentum perficitur, & altera accidentaria, qua ſolemnizatur ſacramentum. Primam inſtituit Chriſtus, ſecundam verò Eccleſia. Sine prima nec eſt, nec poteſt eſſe ſacramentum; ſine ſecunda ſacramentum non eſt ſolemne. Per primam ſacramentum diſpenſatur ſecundùm ſubſtantiam, per ſecundam diſpenſatur ſecundùm ſolemnitatem. Prima conſiſtit ſaltem regulariter in verbis de præſenti, quibus contrahentes conſenſum ſuum exprimunt, ſecunda verò in verbis, quibus ſacerdos benedicit contrahentes. Juxta S. Doctorem igitur, & per contrahentes & per ſacerdotem diſpenſatur ſacramentum Matrimonii, quod in facie Eccleſiæ contrahitur; per contrahentes quidem ut efficientes ipſum ſacramentum, per ſacerdotem verò ut efficientem aliquid ſacramentale, quo ſacramentum à contrahentibus effectum, ſolemne efficitur.

Dices. S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 78. probat matrimonium eſſe ſacramentum, ex eo quòd diſpenſatur per miniſtros Eccleſiæ. *R.* S. Thomas probat quidem matrimonium eſſe ſacramentum ex eo quòd diſpenſetur per miniſtros Eccleſiæ; ſed quòd per miniſtros Eccleſiæ diſpenſetur non quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad aliquid accidentarium, ſtatim ſignificat; cùm ſtatim ſubjicit, eatenùs diſpenſari per miniſtros Eccleſiæ, quatenùs quædam benedictio nubentibus adhibetur. Præterea, ſic ibidem loquitur S. Doctor: *Matrimonium igitur ſecundum quòd conſiſtit in conjunctione maris & fœminæ, intenden-*

tium

Digitized by Google

tium prolem ad cultum Dei generare & educare, eſt Eccleſiæ ſacramentum. Ergo juxta S. Doctorem, forma qua perficitur conjunctio maris & fœminæ, eſt forma qua perficitur ſacramentum Matrimonii. Atqui forma qua perficitur conjunctio maris & fœminæ, non ſunt verba ſacerdotis, de quo nemo dubitat. Ergo juxta S. Doctorem, verba ſacerdotis non ſunt forma qua perficitur ſacramentum Matrimonii, adeoque juxta eundem, ſacerdos non diſpenſat hoc ſacramentum quoad ſubſtantiam: eatenùs enim aliquis, ut per ſe clarum eſt, ſacramentum aliquod diſpenſat quoad ſubſtantiam, quatenùs ponit formam, qua perficitur ſacramentum.

Confirmatur reſponſio noſtra ex Ferrarienſi in comtario hujus loci, in quo ſic ait: *Matrimonium dicitur per miniſtros Eccleſiæ diſpenſari, non quidem quantum ad aliquid quod ſit de eſſentia ſacramenti, ſed quantum ad aliquid accidentale, quod eſt completivum ejus & perfectivum, ut eſt nubentium benedictio. Nullus enim actus miniſtri Eccleſiæ eſt de ejus eſſentia, ſed tantùm actus contrahentium, ſecundum S. Thomam ... Unde & S. Thomas adducit pro ſigno diſpenſationis hujuſmodi, quod quædam benedictio nubentibus per miniſtros Eccleſiæ exhibetur.*

Obj. 6. Juriſtas, qui ſacramentum Matrimonii gratiam conferens, conſtituunt in benedictione ſacerdotali. *R.* 1. paucos eſſe Juriſtas illos. 2. Illos, cùm ſacramentum Matrimonii in benedictione ſacerdotali conſiſtere aſſerunt, intelligere benedictionem illam, quæ Miſſæ tempore cum variis precibus datur. 3. Illos in manifeſto errore verſari; nam ſecundam illam benedictionem eſſe tantùm aliquid ſacramentale, jam demonſtratum eſt.

Obj. 7. Enchiridium Concilii Colonienſis in tractatu de ſacramento Matrimonii, ubi hæc leguntur: *Quantò magis putandum eſt in nova lege ſacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus ſacramenti miniſtros eſſe*. *R.* Bene eſt: ſed in quo ſenſu dicantur eſſe legitimi miniſtri hujus ſacramenti, diſce ex iſtis, quæ habentur quoque in eodem tractatu: *Supereſt ut verbum & elementum hujus ſacramenti indicemus, & gratiam inſuper in eo conferre demonſtremus. Verbum itaque hujus ſacramenti, quo accedente ad elementum, fit ſacramentum, id nimirum eſt, quo ambo, mas & fœmina, cum pietatis reſpectu, qua in Deum eſt, ſibi mutuò fidem conjugalem dant, accipiuntque, non quovis modo, ſed in Dei nomine conjunguntur & copulantur*. Ergo verbum, quo accedente ad elementum, fit ſacramentum matrimonii, non à ſacerdote, ſed à contrahentibus profertur. Ergo ſacramentum matrimonii quoad ſubſtantiam, non à ſacerdote, ſed à contrahentibus perficitur. Ergo ſacerdos eatenùs miniſter eſt ſacramenti matrimonii, quatenùs contrahentes nec ſolemniter nec licitè perficere poſſunt hoc ſacramentum, niſi ſacerdote præſente, conſenſum utriuſque partis exquirente, & per verba de præſenti expreſſum nomine Eccleſiæ ratum habente, atque ipſos contrahentes benedicente.

Ex his apparet, quo ſenſu ſacerdotem hujus ſacramenti miniſtrum appellent Conc. Cameracenſe celebratum anno 1567. S. Carolus in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis p. 4. §. 1. Manuale Yprenſe editum anno 1576. & Mechlinienſe anno 1589. promulgatum; Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum, & Sacerdotale Romanum apud Sylvium: nec obſtant nobis hujus Sacerdotalis verba hæc: *Si eſtis conſanguinei vel affines uſque ad quartum gradum incluſivè, &c. quibus ſigillatim reſpondentibus quod non, ſacerdos proferat verba, quæ ſunt forma hujus ſacramenti tum conſenſu utriuſque*. Nam Sacerdotale ſic loquendo, ſacramentum matrimonii accipit adæquatè, nempe ſecundùm ſubſtantiam & ſolemnitatem. Hujus autem ſacramenti ſic accepti forma adæquata coalescit ex verbis ſacerdotis, & verbis contrahentium: nam per verba contrahentium perficitur quantùm ad ſubſtantiam, & per verba ſacerdotis quantùm ad ſolemnitatem.

DISPUTATIO III.

De conſenſu ad Matrimonium requiſito.

ARTICULUS I.

Utrùm ad contractum matrimonialem requiratur conſenſus per ſigna aliqua externa expreſſus.

Responsio.

AD contractum matrimonialem requiritur mutuus contrahentium conſenſus, per ſigna aliqua externa ſufficienter expreſſus.

Prob. Quia omnis contractus humanus conſiſtit eſſentialiter in tali conſenſu. Atqui contractus matrimonialis eſt contractus humanus. Ergo, &c. Quod confirmatur ſic. Contractus matrimonialis eſt mutua traditio & acceptatio corporum. Atqui ad hanc mutuam corporum traditionem & acceptationem requiritur mutuus conſenſus ſufficienter expreſſus per ſigna aliqua externa: nam ſine mutuo conſenſu non poteſt eſſe mutua traditio, & ſine mutui conſenſus externa expreſſione non poteſt eſſe mutua acceptatio. Ergo, &c. Sed

Nota. Conſenſus ad contractum matrimonialem neceſſarius, debet eſſe, 1. Verus: nam fictus non niſi fictum contractum faceret. 2. Plenè deliberatus, hoc eſt, factus cum advertentia, quæ de ſe ſufficiat ad mortale: hoc enim poſtulat gravis obligatio, quam parit contractus matrimonialis. 3. Ut ſit liber à coactione, id eſt, ut non ſit extortus per metum gravem injuſtè incuſſum; alioquin contractus matrimonialis irritus erit, & nullus jure ſaltem poſitivo, ut infra videbitur.

Nota iterum. Conſenſus ad contractum matrimonialem requiſitus, ſufficienter exprimitur, 1. Verbis de præſenti, ut cùm vir dicit mulieri, *Accipio te in meam*, & mulier viro, *Accipio te in meum*. 2. Nutibus verbis de præſenti æquivalentibus: nullum enim jus ad valorem contractus matrimonialis requirit verba; & mutua traditio & acceptatio corporum, in quibus eſſentia contractus matrimonialis conſiſtit, ſine verbis eſſe poſſunt. Hinc 3. muti nutibus matrimonium validè contrahunt. 4. Etiam non muti, ſi non verba, ſed nutus ad conſenſum ſuum exprimendum adhiberent, nihilominùs validè contraherent; cùm naturali jure ad validè contrahendum nutus ſufficiant, & nullo jure poſitivo, ſive divino ſive humano, non muti reddantur inhabiles ad aliter contrahendum, quàm per verba ore prolata.

Quæres 1. Utrùm ad contractum matrimonialem requiratur, ut conſenſus utriuſque partis ſimul exiſtat?

Reſp. Neceſſarium non eſt, ut conſenſus utriuſque partis ſimul exiſtat actu: hoc enim neceſſarium non eſt ad alios contractus humanos: Ergo nec ad matrimonialem requiritur; ſed ſufficit, ſi cùm unus conſenſus actu ponitur, alter antea actu poſitus & phyſicè præteritus, tunc exiſtat habitualiter: hoc enim ad alios contractus humanos ſufficit, ergo & ad matrimonialem. Itaque in ea hypotheſi, in qua vir & mulier non ſimul conſentiunt actu, ſed vir v. g. priùs tempore elicit conſenſum ſuum, quàm mulier eliciat ſuum, ſi poſtea cùm mulier conſentit actu, vir adhuc habitualiter conſentiat, tam validum eſt matrimonium, quàm ſi ambo, vir & mulier, ſimul actu conſentirent.

Quæres 2. Quandiu habitualiter duret conſenſus ab uno contrahente datus?

R. Tandiu perſeverat habitualiter, quandiu nec explicitè nec implicitè revocatur. Hinc 1. ſi quis bona fide contrahat cum muliere, quæ tantùm fictè conſentit, tandiu permanet habitualiter in ſuo conſenſu, quandiu in hoc matrimonio permanet; tandiu enim nullo modo conſenſum ſuum revocat.

tat. 2. Quando is, qui in unam antea conſenſe-rat, vult cum alis contrahere, conſenſus prior deſinit habitualiter manere, quia tunc implicitè revocatur. 3. Si quis explicitè vel implicitè in aliquam conſenſit pro tempore determinato, elapſo eo tempore non manet ampliùs habitualiter conſenſus ejus, quia explicitè revocavit illum pro tempore tempus à ſe determinatum ſubſequente. 4. Si quis in aliquam conſentiat, nullum determinatè tempus, intra quod illa conſentire debeat, præſcribendo; cùm cenſeri non poſſit illam velle perpetuò expectare, ſeque perpetuò manere incertus de ſtatu ſuo, meritò cenſetur aliquod indeterminatè tempus præſcribere, ſaltem implicitè, quo elapſo conſenſus ejus deſinet, utpote ſaltem implicitè pro tunc revocatus. Quantum autem tempus illud eſſe debeat, prudenti judicio ex circumſtantiis æſtimandum relinquitur.

Quæres 3. Utrùm verus fiat contractus, cùm quis certò ſciens v. g. conſanguinitatem eſſe impedimentum dirimens, conſentit in eam, quam falsò quidem ſed firmiter putat eſſe conſanguineam ſuam?

Reſp. negativè: nam vir in caſu propoſito, nec vult, nec velle poteſt contrahere cum muliere; quia nemo vult, aut velle poteſt id quod firmiter credit ſibi impoſſibile: unde vir in caſu propoſito fictè tantùm & ſpecietenùs conſentit in mulierem. Quòd ſi non firmiter putaret mulierem eſſe conſanguineam ſuam, ſed dubitaret, vel ſaltem contrarium ſuſpicaretur, tunc poſſet velle, & vellet cum ea contrahere quantùm poſſet, atque ita tunc in eam conſentiret, quantùm neceſſe eſſet ad valorem contractus matrimonialis; quamvis peccaret graviter, exponendo ſe periculo invalidè contrahendi.

Quæres 4. Utrùm conſenſus contrahentium ſuppleri poſſit à Deo, vel etiam ab Eccleſia?

R. 1. conſenſum contrahentium à Deo ſuppleri non poſſe quantùm ad contractum matrimonialem, at poſſe quantùm ad vinculum conjugale attinet.

Prob. 1. *pars*. Nam contractus matrimonialis eſt eſſentialiter mutuus conſenſus contrahentium, ſicut homo v. g. eſt eſſentialiter animal rationale: unde ſicut ne divinitùs quidem fieri poteſt, ut aliquid quod non eſt animal rationale, ſit homo: ita pariter ne divinitùs quidem fieri poteſt, ut aliquid quod non eſt mutuus contrahentium conſenſus, ſit contractus matrimonialis.

Prob. 2. *pars*. Nam vinculum conjugale in re nihil aliud eſt, quàm mutuum dominium corporum in ordine ad actum conjugalem. Atqui Deus non expectato mutuo conſenſu contrahentium, poteſt mutuum hoc dominium efficere; cùm magis ſit dominus corporum viri & mulieris, quàm ipſi vir & mulier. Ergo, &c. Imò volunt nonnulli primos parentes hoc modo conjunctos fuiſſe à Deo, ſed ſine ſufficienti fundamento hoc volunt: illud enim Chriſti Matth. cap. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quo nituntur, dicitur de omni matrimonio. Præterea conveniens fuit, ut matrimonium quod aliorum omnium exemplar eſſe debebat, mutuo contrahentium conſenſu perficeretur.

Reſp. 2. conſenſum contrahentium nullo modo ſuppleri poſſe ab Eccleſia: nam ſi poſſet aliquo modo ſuppleri, certè quantùm ad effectionem vinculi conjugalis, ſeu, quod idem eſt, quantùm ad traditionem mutui dominii corporum. Atqui hoc dici non poteſt: nullum enim Eccleſia dominium habet in corpora, præſertim in ordine ad actum conjugalem; unde de illis in ordine ad hunc actum nullo modo poteſt diſponere. Poſſet tamen juſtas ob cauſas matrimonium alicui præcipere, imò & ad illud eum cogere per cenſuras.

ARTICULUS II.

In quid tendere debeat conſenſus contrahentium, ut valeat contractus matrimonialis.

Responsio.

AD valorem contractus matrimonialis ſufficit, ut contrahentes intendant id omne, quod vel eſt eſſentiale matrimonio, vel cum ejus eſſentia neceſſariò conjunctum eſt.

Prob. Ad valorem contractus matrimonialis ſufficit, ut contrahentes verè & efficaciter intendant matrimonium. Atqui tunc verè & efficaciter intendunt matrimonium, cùm intendunt id omne, quod vel eſt de eſſentia matrimonii, vel neceſſariam cum ea connexionem habet, ut patet ex terminis. Ergo, &c. Hinc fit

Corollarium I.

Ad valorem contractus matrimonialis non requiritur, ut conſenſus contrahentium tendat in actum conjugalem.

Ratio eſt, quia actus conjugalis eſt uſus matrimonii, ſeu uſus mutui dominii corporum, in quo natura & ratio matrimonii propriè conſiſtit. Atqui uſus dominii neque eſt eſſentialis dominio, cùm ſupponat illud in toto ſuo eſſe conſtitutum; neque eſt aliquid neceſſariò connexum cum eſſentia dominii; poteſt enim manere dominium ſine uſu, imò cum obligatione ad non uſum. Ergo actus conjugalis nec eſt aliquid eſſentiale matrimonio, nec aliquid cum ejus eſſentia neceſſariò connexum: adeoque ad valorem contractus matrimonialis neceſſe non eſt, ut in eum feratur conſenſus contrahentium. Hinc S. Joſeph & B. Virgo verum matrimonium contraxerunt, quamvis neuter in actum conjugalem conſenſerit.

Dices. Ut contrahentes matrimonium validè contrahant, requiritur ut conſentiant in mutuum dominium corporum in ordine ad actum conjugalem, & ſubjectionem mutuam huic dominio reſpondentem: nam in mutuo illo dominio, & mutua illa ſubjectione ſitum eſt vinculum conjugale, in quo conſiſtit eſſentia matrimonii. Atqui hoc ipſo quòd conſentiunt in mutuum dominium, &c. virtualiter ſaltem & implicitè conſentiunt in ipſum actum conjugalem. Ergo, &c.

R. Conceſſa maj. neg. min. *Prob.* Non poteſt quis conſentire in tranſlationem dominii alicujus rei in ordine ad talem illius uſum, quin ſimul virtualiter & implicitè in hunc uſum conſentiat. *R.* diſt. Non poteſt quis conſentire in tranſlationem, &c. ſi non poteſt, aut ſi quamvis poſſit, non vult impedire hunc uſum, C. Si poteſt & vult hunc uſum impedire, N. Contrahentes autem matrimonium, & contrahendo conſentientes in tranſlationem dominii corporis ſui in ordine ad uſum conjugalem, poſſunt hunc uſum impedire pluribus modis etiam licitè & laudabiliter: unde ſi cùm contrahunt matrimonium, re ipſa volunt impedire uſum conjugalem, nullo pacto dici poſſunt in eum conſentire, quamvis conſentiant in tranſlationem dominii corporis ſui in ordine ad illum.

Corollarium II.

Valet contractus matrimonialis, licèt alteruter, aut etiam uterque contrahens contrahat cum intentione religionem ante conſummationem matrimonii ingrediendi, & in ea profitendi.

Ratio eſt, quia talis intentio non impedit, quominùs contrahentes verè conſentiant in id omne, quod eſt eſſentiale matrimonio, vel cum ejus eſſentia neceſſariò connexum. Hinc Alexander III. conſultus de viro, qui mulieri de contrahendo matrimonio fidem dederet, & ſe cum ea infra biennium per verba de præſenti contracturum, præſtito juramento firmaverat, poſtea verò vitam religioſam amplecti

exo-

Digitized by Google

exoptabat, cap. *Commiſſum* 16. de ſponſalibus, reſpondet, tutius ei fore, *religione juramenti ſervata prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad religionem migrare, ſi tamen poſt deſponſationem copula non dignoſcitur interveniſſe carnalis.* Potuit igitur vir ille cum intentione ingrediendi Religionem, & in ea profitendi, matrimonium validè contrahere.

Dices. Vinculum conjugale, in quo conſiſtit eſſentia matrimonii, de ſe perpetuum eſt, quandiu vivit uterque contrahens. Ergo ad valorem contractus matrimonialis requiritur, ut contrahentes conſentiant in perpetuitatem vinculi conjugalis. Atqui cum intentione ingrediendi Religionem, & in ea profitendi, conſentire non poſſunt in perpetuitatem vinculi conjugalis, ſed ad ſummum volunt illud durare, donec in Religione profiteantur. Ergo contrahentes cum præfata intentione, non contrahunt validè.

R. ad valorem contractus matrimonialis non requiri, ut contrahentes abſolutè conſentiant in vinculi conjugalis perpetuitatem: nemo enim baptizatus abſolutè tenetur ad perpetuandum hoc vinculum, ſed ſolùm ſub hac conditione, niſi velit ante matrimonii conſummationem Religionem ingredi, & in ea profiteri, atque re ipſa in ea profiteatur. Unde ad contractus matrimonialis valorem ſufficit, ſi contrahentes in vinculi conjugalis perpetuitatem conſentiant ſub hac conditione, niſi ante conſummationem matrimonii profiteantur in aliqua Religione. Hoc autem facere poſſunt, & ſaltem implicitè, quod ſatis eſt, ſaciunt, contrahendo cum intentione ingrediendi Religionem, & in ea profitendi.

Corollarium III.

Valet contractus matrimonialis, initus cum pacto, ut neuter contrahens teneatur alteri reddere debitum, ſive ut uterque teneatur ſervare continentiam, aut Religionem ingredi ante matrimonii conſummationem.

Ratio eſt, quia cum tali pacto contrahentes conſentire poſſunt, & reipſa, ut ſupponitur, conſentiunt in id omne quod eſſentiale eſt matrimonium, aut neceſſariò conjunctum eſt cum ejus eſſentia.

Dices. Obligatio reddendi debitum, neceſſariò conjuncta eſt cum eſſentia matrimonii: nam neceſſariò conſequitur mutuam ſubjectionem in ordine ad actum conjugalem, quæ eſſentialiter correlativa eſt mutuo dominio corporum in ordine ad actum illum. Atqui contrahentes cum præfato pacto, non conſentiunt in obligationem reddendi debitum, ſed è contra eam repudiant. Ergo, &c. *Reſp.* obligationem reddendi debitum non eſſe cum eſſentia matrimonii neceſſariò conjunctam abſolutè, ſed tantùm ex hypotheſi quòd nolint contrahentes ante conſummationem ingredi Religionem, aut manentes in ſæculo ex mutuo conſenſu obligare ſe ad continendum.

Dices. Contrahentes cum præfato pacto non poſſunt ſibi invicem tradere dominium corporis in ordine ad actum conjugalem. Ergo, &c. *R.* contrahentes cum præfato pacto non poſſe quidem ſibi invicem tradere dominium corporis expeditum, & quo licitè uti poſſint, at poſſe ligatum & impeditum, quo proinde non niſi illicitè uterentur. Mutuum autem corporum in ordine ad actum conjugalem dominium, etiam ligatum & impeditum, ſufficit ad verum matrimonium: nam in conjugibus, qui poſt contractum matrimonium continentiam ex mutuo conſenſu vovent, mutuum, quod habent, dominium corporum in ordine ad actum conjugalem ligatur & impeditur, nec tamen idcircò deſinit hoc dominium eſſe verum conjugium, & conjuges nihilominùs permanent veri conjuges.

Dices. Pactum fini matrimonii contrarium, adjectum contractui matrimoniali, invalidat illum. Atqui præfatum pactum contrarium eſt fini matrimonii. Ergo, &c. Nego min. *Prob.* Præfatum pactum contrarium eſt generationi prolis. Atqui generatio prolis eſt finis matrimonii. Ergo, &c. *R.* generationem prolis tunc tantùm eſſe finem matrimonii, cùm conjuges volunt uti matrimonio: unde ex hypotheſi quòd velint uti matrimonio, tenentur non impedire generationem prolis. At ſi matrimonio uti nolint, & ex mutuo conſenſu velint ſervare continentiam, quam in matrimonio ſervare non modò licitum, ſed etiam laudabilius eſt, quàm liberis procreandis operam dare, nullo pacto tenentur procurare generationem prolis, & eam è contra non modò licitè, ſed etiam laudabiliter vitant ſervando continentiam.

Nota. Conjugibus liberum eſt uti matrimonio, vel ex mutuo conſenſu continere. Ergo liberum illis eſt, vel procurare generationem prolis per uſum matrimonii, vel illam impedire per continentiam. Ergo contrahendo matrimonium, non contrahunt obligationem dandi operam generationi. Ergo obligatio dandi operam generationi non eſt aliquid neceſſariò connexum cum eſſentia matrimonii. Ergo obligatio continendi, & conſequenter per continentiam impediendi generationem, non eſt contraria matrimonio. Ergo conjuges validè contrahunt cum voluntaria obligatione continendi, & conſequenter generationem impediendi per continentiam.

Corollarium IV.

Si quis matrimonium contrahat cum intentione ſtatim deſerendi uxorem, vel cognoſcendi aliam, vel impediendi generationem præpoſterè utendo matrimonio, aut non educandi prolem, graviſſimè quidem peccat, ſed validè contrahit.

Ratio eſt, quia peſſima hæc intentio neque cum matrimonii eſſentia, neque cum aliquo neceſſariam cum ea connexionem habente, magis incompoſſibilis eſt, quàm uxorem deſerere, cognoſcere aliam, per præpoſterum matrimonii uſum generationem impedire, &c. & cum tali intentione poteſt contrahens conſentire in omne quod eſt eſſentiale matrimonio, vel cum ejus eſſentia conjunctum neceſſariò: poteſt enim conſentire in vinculum conjugale, & perpetuitatem ejus, in obligationem conditionatam reddendi debitum, & obligationem abſolutam ſervandi fidem conjugalem, non impediendi generationem aliter quàm per continentiam mutuo conſenſu ſervatam, & prolem, ſi naſcatur, educandi.

Articulus III.

Utrùm ad valorem contractûs matrimonialis ſufficere poſſit conſenſus conditionatus.

Reſponſio I.

Contractus matrimonialis per verba de præſenti factus ſub conditione honeſta vel indifferente poſſibili de præterito aut de præſenti, ſi conditio ſubſiſtat, validus erit, ſtatim atque conditio ſubſiſtere cognoſcetur certò à contrahentibus.

Prob. Ad valorem contractus matrimonialis ſufficit inter perſonas ad contrahendum habiles conſenſus abſolutus per verba de præſenti ſufficienter expreſſus. Atqui hic adeſt conſenſus abſolutus per verba de præſenti ſufficienter expreſſus: nam ſi conditio ſubſiſtit, conſenſus conditionatus fit ſtatim abſolutus; & ubi primùm contrahentes certò cognoſcunt conditionem ſubſiſtere, verba de præſenti determinatè, adeoque ſufficienter ſignificant conſenſum, qui tranſiit in abſolutum. Ergo, &c.

Porrò dixi in reſponſione, 1. Si conditio ſubſiſtat: nam non ſubſiſtente conditione nullus eſt contractus, quia nullus eſt conſenſus: contrahentes enim conditione non ſubſiſtente nolunt conſentire. Dixi 2. Statim atque conditio ſubſiſtere, &c. quia conditione ſubſiſtente, contractus nihilominùs tandiu manet incompletus & imperfectus, quandiu non certò norunt contrahentes conditionem ſubſiſtere, quia tandiu per verba de præſenti, quæ prolata fue-

runt

tum ſub conditione re ipſa ſubſiſtente, non magis conſenſus, quàm diſſenſus in matrimonium ſignificatur contrahentibus. Sic v. g. ſi quis, cujus patrem mortuum eſſe ſupponimus, dicat mulieri, quacum vult contrahere: Ex hoc nunc accipio te in meam, ſi pater meus mortuus eſt; quandiu utrumque latet mors patris, non magis ſignificat mulieri ſe in eam conſentire, quàm non conſentire, ſed ſolùm ei ſignificat disjunctivè, ſe in eam conſentire, ſi pater mortuus eſt, & non conſentire, ſi pater non eſt mortuus: unde mulier ex verbis ejus non magis intelligit eum in ſe conſentire, quàm non conſentire, ſed ſolùm intelligit ſub disjunctione, eum in ſe conſentire, ſi pater ejus mortuus eſt, & non conſentire, ſi pater ejus non eſt mortuus. Contractum autem matrimonialem repugnat perfici per verba etiam de præſenti, quæ non potiùs conſenſum ſignificant, quàm diſſenſum, ſed utrumque ſub disjunctione ſignificant. Hinc

Collige, 1. contrahentem per verba de præſenti ſub conditione de præſenti vel de præterito, quamvis conditio ſubſiſtat, poſſe conſenſum ſuum validè revocare, quandiu utrique parti ignotum eſt conditionem ſubſiſtere: tandiu enim contrahens validè conſenſum ſuum revocare poteſt, quandiu completus non eſt contractus. Licitè autem non revocabit, niſi priùs moralem pro rei gravitate diligentiam ad cognoſcendam veritatem adhibuerit. 2. Si conditio talis ſit, ut non poſſit humanitùs cognoſci ſubſiſtere, quamvis ſubſiſtat, contractum ſtatim nullum eſſe; tunc enim ex verbis de præſenti, quæ contrahens adhibet, quantacumque adhibita diligentia, nunquam magis conſenſus, quàm diſſenſus intelligi poterit. Verba autem hujuſmodi ad contrahendum inepta eſſe elatum eſt.

Responsio II.

Contractus matrimonialis per verba de præſenti initus ſub conditione honeſta vel indifferenti de futuro contingenti, ſuſpenditur donec conditio impleatur, & impleta eſſe certò cognoſcatur à contrahentibus: quòd ſi ſtato tempore non impleatur conditio, nullus erit: ſi verò conditio impleatur ſtato tempore, validus erit ſtatim atque contrahentes certò cognoſcent impletam eſſe conditionem.

Prob. quoad omnes partes. 1. Itaque contractus ſuſpenditur donec, &c. Nam contractus nec ab initio nullus eſt omninò; cùm contrahentes obliget ad expectandum conditionis eventum; nec ab initio completus eſt & perfectus; cùm à conditione futura pendeat, ut ſit vel non ſit validus: unde ſi ante ſtatum tempus, quo impleri debet conditio, alteruter è contrahentibus conſenſum ſuum revocet, validè revocat, quamvis illicitè; aut ſi cum alio vel alia de præſenti contrahat, illicitè quidem, ſed tamen validè contrahit.

2. Quòd ſi ſtato tempore, &c. nam ſi ſtato tempore conditio non impletur, nullus eſt conſenſus, quia contrahentes ab initio nolunt conſentire, niſi ſtato tempore impleatur conditio. 3. Si verò, &c. nam ſi ſtato tempore impleatur conditio, conſenſus ab initio conditionatus tranſit in abſolutum; & ſtatim atque contrahentes certò norunt impletam eſſe conditionem, verba de præſenti initio adhibita, determinatè ſignificant conſenſum illum, qui in abſolutum tranſiit. Ergo tunc adſunt omnia ad valorem contractus matrimonialis requiſita, nempe conſenſus internus abſolutus, cum verbis de præſenti ipſum ſufficienter exprimentibus.

Huic tertiæ parti contradicunt Doctores multi, aſſerentes contractum matrimonialem, initum per verba de præſenti ſub conditione honeſta vel indifferenti de futuro contingenti, impleta conditione, habere tantum vim ſponſalium, atque ita novo conſenſu opus eſſe ad contrahendum matrimonium. Sed contra illos

Confirmatur ſententia noſtra. 1. Quia eodem modo de contractu matrimoniali ratiocinandum eſt, ac de cæteris omnibus contractibus. Atqui cæteri omnes contractus, etiam ſponſalia, inita ſub conditione honeſta vel indifferenti de futuro contingenti, ſine novo conſenſu omninò valent, ſtatim atque conditio poſita eſt, & poſitam eſſe contrahentibus notum eſt ſufficienter; & tam valent, quàm ſi abſolutè & abſque ulla conditione fuiſſent inita. Ergo ſimiliter contractus matrimonialis, initus, &c.

2. Hæ propoſitiones, Ex hoc nunc accipio te in meam, ſi cras pater meus conſenſerit, Accipiam te in meam, ſi cras pater meus conſenſerit, cum vero conſenſu prolatæ, poſita & cognita conditione, operantur effectum, quem ſignificant; nam ſunt practicæ. Præterea non eundem, ſed diverſum effectum operantur; nam diverſam habent ſignificationem. Atqui ſecunda operatur obligationem contrahendi matrimonium, adeoque vim habet ſponſalium. Ergo prima operatur, non obligationem contrahendi matrimonium, ſed vinculum conjugale, in quo matrimonium conſiſtit, adeoque verus eſt contractus matrimonialis.

Dices. Alia eſt ratio pro contractu matrimoniali, quàm pro aliis contractibus: contractus enim matrimonialis majorem libertatem requirit, quàm alii contractus. *Reſp*. neg. inſtantiam, & probationem ejus: nam neque jure naturali, neque jure poſitivo major libertas ad contractum matrimonialem, quàm ad alios contractus neceſſaria eſt. Præterea, qui contrahit ſub conditione de futuro contingenti, ita ut ea poſita & cognita, valeat contractus, tam liberè contrahit, quàm ſi abſolutè & abſque conditione contraheret.

Dices iterum. Nulla alia ſacramenta conferri poſſunt ſub conditione de futuro contingenti. Ergo nec ſacramentum Matrimonii. *Reſp*. neg. conſeq. Nam magna eſt diſparitas inter reliqua omnia ſacramenta, & ſacramentum Matrimonii, quod vel intrinſecè conſtat, vel ſaltem perficitur contractu, quo vir & mulier ſibi mutuo tradunt dominium corporis in ordine ad actum conjugalem. Unde cùm hic contractus, ut ſit vel non ſit, pendere poſſit à conditione futura, manifeſtum eſt, ſacramentum Matrimonii à conditione futura pendere poſſe, ut ſit vel non ſit, adeoque conferri poſſe ſub conditione de futuro contingenti, qua poſita & cognita validum erit, quia validus erit contractus; ſecùs nullum erit, quia nullus erit contractus.

Dices 3. Urbanus III. cap. *Super eo* 5, extra de conditionibus, interrogatus de viro, qui in quandam mulierem conſenſerat, ſi pater ejus ſuum præſtaret aſſenſum, utrùm eſſet ad conſummandum matrimonium compellendus, reſpondet: *Quod cùm conſenſus liber dici non poſſit, qui in alieno arbitrio reſervatur, ac conditionem ipſam canonica non improbent inſtituta, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam cogendus eſt* (vir ille) *ad matrimonium contrahendum*. Quibus verbis Pontifex ſignificat, virum illum, impleta conditione, cogendum eſſe ad contrahendum, adeoque opus eſſe novo conſenſu per verba de præſenti expreſſo. Ergo contractus per verba de præſenti initus ſub conditione de futuro contingenti, impleta & cognita conditione, habet tantum vim ſponſalium.

R. neg. quòd Pontifex ſignificet, virum in caſu propoſito cogendum eſſe ad contrahendum, impleta conditione, adeoque opus eſſe novo conſenſu per verba de præſenti expreſſo, ut ſit matrimonium: unde nego conſeq. Pontifex itaque interrogatus utrùm vir in caſu propoſito ſit compellendus ad conſummandum matrimonium, reſpondet non eſſe cogendum ad contrahendum, quia non poteſt cogi ad conſummandum, quin priùs cogatur ad contrahendum. Non poteſt autem cogi ad conſummandum, quia nondùm eſt matrimonium; & nondùm eſt matrimonium, quia nondùm completus & perfectus eſt contractus: contractus enim, etiam per verba de præſenti initus ſub conditione contingente futura, tandiu manet ſuſpenſus, quandiu pendet conditio.

Cùm igitur Pontifex dicit, virum in caſu propoſito cogendum non eſſe ad contrahendum, non

innuit

innuit conſenſum à viro per verba de præſenti datum ſub conditione futura, & in libero alterius arbitrio poſita, vim tantùm ſponſalium habiturum, cùm ſubſiſtet conditio; ſed, quòd longè aliud eſt, ſolùm ſignificat conſenſum illum nequidem vim ſponſalium habere, quandiu conditio non ſubſiſtit: unde vir in caſu propoſito nequidem cogi poteſt ad contrahendum.

At inquies. Ibidem Pontifex ait, conſenſum à viro datum in mulierem, ſi pater ejus conſentiret, habendum non eſſe pro conſenſu de præſenti, quamvis per verba de præſenti expreſſus fuerit. *Cùm hujuſmodi conſenſus*, inquit, *non ſit de præſenti habendus: licèt per verba de præſenti evidentiùs exprimatur: qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit*. Atqui matrimonialis contractus eſſentialiter conſiſtit in conſenſu de præſenti. Ergo conſenſus à viro datus in mulierem ſub conditione de futuro contingenti, & à libero alterius arbitrio dependente, quamvis per verba de præſenti expreſſus, ſufficere non poteſt ad contractum matrimonialem, quando ponitur conditio. Ergo quando ponitur conditio, opus eſt novo conſenſu ad contractum matrimonialem perficiendum; atque ita conſenſus antea datus, habet tantùm vim ſponſalium, poſita conditione.

Reſp. Pontifex dicit quidem conſenſum viri in caſu propoſito habendum non eſſe pro conſenſu de præſenti, quandiu pendet conditio; at non dicit, nequidem habendum eſſe pro conſenſu de præſenti, poſita conditione. Nobis autem ſufficit, quòd conſenſus viri in caſu propoſito habendus ſit pro conſenſu de præſenti, ſtatim atque conditio ponetur.

Itaque conſenſus viri in caſu propoſito, pendente conditione, non eſt conſenſus de præſenti, ſed erit, ſtatim atque ponetur conditio: nam cùm ponetur conditio, conſenſus ille, quem ſupponimus non antea fuiſſe revocatum, erit habitualiter, adeoque æquivalenter actus præſens. Conſenſus autem actu præſens, per verba de præſenti expreſſus, datus ſub conditione ſubſiſtente, eſt evidenter conſenſus de præſenti. Ergo conſenſus viri in caſu propoſito, poſita conditione, erit conſenſus de Præſenti. Ergo cum verbis de præſenti, quibus expreſſus fuit, & quæ æquivalenter actu præſentia erunt, completum & perfectum efficiet contractum matrimonialem, ubi primùm contrahentibus ſufficienter innoteſcet conditionem jam ſubſiſtere.

Porrò hæc doctrina vera eſt etiam pro locis, in quibus Tridentinum receptum eſt, modò Parochus & teſtes non ſolùm contractui, ſed etiam impletioni conditionis aſſiſtant; vel poſtquam adfuerunt contractui, coram eis contrahentes declarent impletam eſſe conditionem: Parochus enim & teſtes non ſolùm inchoati, ſed etiam completi & perfecti contractus ſaltem externi debent eſſe conſcii, ut vitentur incommoda, quæ vitari voluit Tridentinum. Dixi autem, vel poſtquam adfuerunt contractui, &c. Nam dato quòd conditio non ſit impleta, aut impletam eſſe non certò ſciant contrahentes, hoc ipſo quòd impletam eſſe affirmant coram Parocho & teſtibus, hoc ipſo, inquam, cenſentur ab ea recedere, & velle tutè contrahere. Ergo tunc completur & perficitur contractus ſaltem externus, etiam non impleta conditione.

Quæres 1. Utrùm conſanguinei validè contrahant ſub hac conditione, ſi Pontifex diſpenſaverit: ita ut impleta conditione, & conditionis impletione ab eis cognita, tam ratum ſit matrimonium, quàm ſi ad contrahendum habiles fuiſſent, quando contraxerunt ſub illa conditione.

Affirmativè reſpondent graves Doctores, & ratio eorum eſt, quia tunc primum conſanguinei illi purè & abſolutè contrahunt, cùm impleta eſt conditio, & ejus impletionem certò norunt. Atqui cùm impleta eſt conditio, & ejus impletionem certò norunt, habiles ſunt ad contrahendum. Ergo tunc primùm purè & abſolutè contrahunt, cùm jam ſunt habiles ad contrahendum. Ergo validè contrahunt: nam perſonæ purè & abſolutè contrahentes non poſſunt non validè contrahere, niſi ſint ad contrahendum inhabiles.

Quæres 2. Utrùm contractus matrimonialis, initus ſub conditione ſubſtantiæ matrimonii contraria, vel turpi, aut impoſſibili, ſit validus?

Reſp. 1. Contractus matrimonialis initus ſub conditione contraria ſubſtantiæ matrimonii, nullus eſt. Patet ex cap. finali extra de conditionibus, &c. in quo Gregorius IX. ſic loquitur: *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inferantur: puta, ſi alter dicat alteri, Contraho tecum, ſi generationem prolis evitas; vel, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu*. Pro quo

Nota. Matrimonium ex inſtitutione divina eſſentialiter includit tria, ſine quibus eſſe non poteſt. 1. Quidem vinculum perpetuum, quod poſt conſummationem nullatenùs diſſolvi poteſt, quamvis ante poſſit per profeſſionem religioſam. 2. Mutuam fidem, ſeu obligationem non adulterandi, & reddendi debitum quoties ab altero conjuge legitimè exigetur. 3. Obligationem non impediendi generationem, & prolem, ſi naſcatur, educandi. Hinc ſubſtantiæ matrimonii repugnat, nolle niſi ad tempus contrahere, aut nolle obligare ſe ad ſervandam fidem conjugalem, vel reddendum debitum quoties legitimè exigetur ab altero conjuge. Item ſubſtantiæ matrimonii repugnat, velle obligare alterum conjugem ad violandam fidem conjugalem, vel ad generationem impediendam, vel ad non educandam prolem, ſi naſcatur.

Itaque nullus eſt contractus, ſi quis dicat; Contraho tecum, donec ditiorem inveniam; vel: Ea lege ut corpore quæſtum facias? vel: Ea lege ut ſterilitatem procures; vel: Ea lege ut prolem naſam eneces; vel: Ea lege ut fidem conjugalem ſervare non tenearis. Ratio eſt, quia in omnibus his caſibus contrahens contrahit cum intentione repugnante ſubſtantiæ matrimonii: nam in omnibus his caſibus vult excludere obligationem eſſentialem, atque inſuper in ſecundo, tertio, & quarto inducere obligationem contrariam matrimonio. Sed qui ſic contrahit, nec intendit, nec intendere poteſt contrahere verum matrimonium, & ſine intentione contrahendi verum matrimonium, verum matrimonium eſſe non poteſt, adeoque validus eſſe non poteſt contractus matrimonialis. Quare etiam jure naturali nullus eſt contractus matrimonialis, initus ſub conditione contraria ſubſtantiæ matrimonii, quia ſine intentione contrahendi verum matrimonium, imò cum intentione contraria initus eſt.

Reſp. 2. Si contrahentes ſub conditione turpi vel impoſſibili verè intendant non contrahere, niſi ponatur conditio, contractus validus eſſe non poteſt, niſi poſita conditione, adeoque validus eſſe non poteſt, ſi conditio ſit impoſſibilis, ſive ut talis cognoſcatur à contrahentibus, ſive non. Ratio eſt, quia ex hypotheſi quòd contrahentes ſeriò intendant non contrahere, niſi ponatur conditio, conſenſus in matrimonium non poteſt eſſe completus & perfectus, niſi poſita conditione, & ſine conſenſu in matrimonium completo & perfecto non poteſt valere contractus matrimonialis, ſive, quod idem eſt, non poteſt compleri & perfici contractus matrimonialis. Hæc autem noſtra reſponſio vera eſt non ſolùm in foro interno, ſed etiam in externo, modò conſtet de intentione contrahentium. Quòd ſi contrahentes crediderunt conditionem fuiſſe honeſtam vel poſſibilem, præſumi debent eam contractui ſeriò appoſuiſſe; cùm nulla ſit ratio præſumendi contrarium; adeoque cenſendi ſunt, ſeriò intendiſſe non contrahere, niſi poneretur conditio.

Quoties autem omnibus maturè perpenſis, dubium eſt utrùm contrahentes ſeriò, an joco contractui adjecerint conditionem turpem vel impoſſibilem,

Digitized by Google

bilem, in favorem matrimonii, cui ſemper favere jura intendunt, præſumendi ſunt, joco tantùm adjeciſſe. Hoc ſenſu intelligendus eſt Gregorius IX. cap. finali de conditionibus, ubi poſt verba jam citata ſic proſequitur: *Licet aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes ac impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*

ARTICULUS IV.

Utrùm Matrimonium metu contractum irritum ſit.

NOta. Metus duplex eſt, levis ſcilicet, & gravis, qui nimirùm in conſtantem virum cadere poteſt. Metus autem ille in conſtantem virum cadere poſſe dicitur, quo ejuſdem conditionis homines ſolent ita concuti, ut ad vitandum malum quod metuunt, omninò inviti faciant aliquid magni momenti; vel, ſi vis, quo quis ita concuti poteſt, ut ad vitandum malum quod metuit, omninò invitus aliquid magni momenti faciat, quod faciendo, omnibus conſideratis, immeritò cenſeretur agere ex inconſtantia & levitate animi. Talis eſt metus mortis, aut gravis cruciatus, ut patet ex cap. *Cùm dilectus* 6. extra de his quæ vi, &c. Item metus gravis carceris, vel gravis captivitatis, vel ſervitutis, vel gravis & diuturni exilii, vel gravis infamiæ, quæ facilè non poſſit dilui, vel amiſſionis ſtatus honorabilis, vel jacturæ omnium aut ferè omnium bonorum, vel injuſtæ excommunicationis, cujus injuſtitia non eſt omnibus nota, &c.

RESPONSIO I.

Neque jure divino poſitivo, neque naturali matrimonium, etiam metu gravi contractum, irritum eſt.

Prob. 1. Non eſt irritum jure divino poſitivo: nullum enim tale jus aſſignari poteſt. 2. Non eſt irritum jure naturali: nam jus naturale non magis irritat matrimonium metu gravi contractum, quàm contractum metu levi; nec aliud circa utrumque dictat, quàm quòd unus minorem, alter verò majorem inferat injuriam. Prætereà, qui metu gravi contrahit matrimonium, tam verè conſentit, quàm qui contrahit metu levi. Ergò tam verè contrahit, ſpectato ſolo jure naturali, cui ad valorem matrimonii inter perſonas ad contrahendum naturaliter habiles ſufficit, quòd matrimonium ſit abſolutè volitum.

Dices. Contractus matrimonialis, metu gravi initus, involuntarius eſt. Ergo non valet jure naturali. *R.* diſt. ant. Involuntarius eſt ſimpliciter, N. ant. nam eſt abſolutè volitus. Involuntarius eſt ſecundùm quid, quatenus conjunctus eſt cum aliqua circa ipſum diſplicentia, vi cujus non iniretur, ſi metus abeſſet, C. ant. & N. conſeq. Nam ad hoc ut contractus matrimonialis, ſicut & quilibet alius contractus, valeat jure naturali, ſufficit quòd abſolutè volitus ſit. Diſplicentia autem, quacum conjunctus eſt, non impedit quominùs abſolutè volitus ſit, ſed ſolùm, ſi abeſſet metus, impediret quominùs volitus eſſet.

Confirmatur hæc noſtra reſponſio. Quia contractus matrimonialis, initus metu gravi, non magis involuntarius eſt, quàm initus dolo in re gravi, ut cùm quis matrimonium obtinet fingendo ſe nobilem, divitem, & ſanum, cùm tamen ignobilis ſit, egenus, & morbo contagioſo infectus: nam ſic dolo in re gravi initus, ex parte illius, quæ decipitur, conjunctus eſt cum diſplicentia, non quidem actuali, ſed habituali, vi cujus cognita veritate non iniretur. Atqui contractus matrimonialis, quamvis initus dolo in re gravi, ſufficienter volitus eſt, ut valeat jure naturali, modò non ſit error circa perſonam. Ergo pariter, &c.

Dices. Cap. *Cùm locum* 14. extra de ſponſalibus, dicitur conſenſum non habere locum, ubi metus vel coactio intercedit. Atqui, ut ibidem additur, *Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur*, adeoque matrimonium ſine conſenſu jure naturali nullum eſt. Ergo ubi intercedit metus, gravis ſcilicet, & cadens in conſtantem virum, de eo enim tantùm loquuntur jura; matrimonium jure naturali nullum eſt. *R.* Alexandrum III. hoc capite loqui de conſenſu, qualem eſſe convenit, & qualem jura humana requirunt ad valorem matrimonii, non de conſenſu ſimpliciter: certum enim eſt, eum verè conſentire, qui metu contrahit, quod ſufficit juri naturali; quamvis invitus conſentiat, nec conſentiret, ſi metus abeſſet.

Dices. Si matrimonium metu gravi contractum, non eſt irritum jure naturali, nullo jure irritum eſt: nullum enim extat jus humanum, quo hujuſmodi matrimonia irritentur. *Reſp.* ex juribus, quæ extant, & ſupponunt irrita eſſe matrimonia metu contracta, colligi legem olim in Eccleſia latam eſſe, qua irritabantur hujuſmodi matrimonia, & quæ vel ſcripto vel traditione pervenit ad eos, qui jura, quæ nunc extant, condiderunt.

Dices. Juri naturali repugnat, quòd aliquis in alium jus acquirat per injuriam, aut non teneatur ei libertatem reſtituere, quam injuſtè abſtulit. Ergo juri naturali repugnat, quòd validum ſit matrimonium metu gravi & injuſto contractum. *R.* juri naturali repugnare, quòd aliquis in alium licitè jus acquirat per injuriam, nec teneatur ei libertatem reſtituere, quam injuſtè abſtulit, ſi poteſt illam reſtituere. At juri naturali non repugnat, quòd aliquis in alium verè jus acquirat per injuriam, & à reſtituenda libertate injuſtè ablata excuſetur per impotentiam, quamvis teneatur pro injuria, quantùm poteſt, ſatisfacere. Patent hæc in eo, qui alium dolo inducit ad matrimonium: nam illicitè quidem, ſed tamen verè jus in alium acquirit per injuriam, nec libertatem quam injuſtè abſtulit, tenetur reſtituere, ſed tenetur tantùm pro injuria illata ſatisfacere, quantùm poteſt: validum enim eſt matrimonium dolo etiam in re gravi contractum, ut jam obſervatum eſt.

Dices. Metus adverſatur mutuo conjugum amori, fidei conjugali, & convenienti educationi prolis: nam parit animorum alienationem, & ſic convenientem prolis educationem impedit, atque ad violandam fidem conjugalem inducit. Ergo adverſatur fini matrimonii: ergo & ejus ſubſtantiæ; adeoque jure naturali matrimonium irritat. *Reſp.* 1. contingere poſſe, ut metus non niſi ad breve tempus cauſet animorum alienationem, & qui metu coactus eſt ad contrahendum, ſponte amet eum, quocum invitus contraxit: unde metus non neceſſariò excludit mutuum amorem conjugum.

R. 2. neg. 2. conſeq. Non enim id omne, quod repugnat fini matrimonii, repugnat etiam ejus eſſentiæ. Sic v. g. qui contrahit matrimonium cum intentione deſerendi uxorem, vel adulterandi, vel generationem impediendi, vel prolem, ſi naſcatur, enecandi, contrahit cum intentione contraria fini matrimonii, nec tamen contrahit cum intentione contraria ejus eſſentiæ; quia ſcilicet non intentio uxorem non deſerendi, aliam non cognoſcendi, &c. ſed intentio obligandi ſe ad non deſerendam uxorem, ad non cognoſcendam aliam, &c. eſſentialis eſt matrimonio, vel cum ejus eſſentia neceſſariò conjuncta. Similiter metus, quo cauſatur animorum alienatio, atque ita impeditur mutuus amor conjugum, ſic adverſatur fini matrimonii, ut non adverſetur ejus eſſentiæ: quia non amor conjugis, aut etiam intentio amandi conjugem, ſed intentio obligandi ſe ad conjugem amandum, eſſentialis eſt matrimonio, vel cum ejus eſſentia neceſſariò conjuncta.

Itaque ſicut intentio deſerendi conjugem, quacum quis matrimonium contrahit, non impedit valorem matrimonii, quia cum tali intentione contrahens conſentit ſaltem implicitè in obligationem non deſerendi conjugem; & hæc obligatio, non intentio conjugem non deſerendi, ad matrimonium eſſentialiter pertinet: ita valorem matrimonii non impedit metus gravis & injuſtus, quo quis matrimonium contrahit, quantumvis contrahere ſupponatur cum

odio

Digitized by Google

odio conjugia, vel cum intentione non diligendi conjugem, quia nihilominùs conſentit ſaltem implicitè in obligationem diligendi conjugem; & non intentio, ſed obligatio diligendi conjugem eſſentialiter pertinet ad matrimonium.

RESPONSIO II.

Contractus matrimonialis, initus metu gravi, & cadente in conſtantem virum, ad extorquendum matrimonium injuſtè incuſſo, ſive ab eo quocum contrahitur, ſive à tertio aliquo, nullus eſt jure eccleſiaſtico.

Prob. 1. Ex cap. *Cùm locum* 14. extra de ſponſalibus, in quo dicitur, matrimonium ſolo conſenſu contrahi, & conſenſum non habere locum, ubi metus vel coactio intercedit. 2. Ex cap. *Veniens* 15. eod. tit. in quo apertè ſupponitur, matrimonium metu, qui in conſtantem virum cadere poſſit, contractum, irritum eſſe. 3. Ex cap. *Significavit* 2. extra de eo qui duxit in matrimonium, &c. ubi vir, qui poſtquam mulierem quandam vi, quæ poſſet in conſtantem virum cadere, compulſus, uxorem duxiſſet, alteram ſponte duxerat, dicitur cum ſecunda manere poſſe, ſi primam non cognoverit, antequam acciperet ſecundam. Unde manifeſtè ſequitur, etiam in foro conſcientiæ nullum fuiſſe primum matrimonium metu in conſtantem virum cadente contractum; quamvis validum effici potuerit per copulam, ſi ſubſecuta fuiſſet; copula verò non ſubſecuta, ſecundum matrimonium validè contractum fuiſſe etiam in foro conſcientiæ.

Ratio autem irritandi matrimonia ſic contracta, fuit, quia omninò conveniebat matrimonium eſſe liberum, & neminem ad illud compelli per injuriam. Adde quòd matrimonia ſic contracta, ut jura obſervant, infœlicem communiter haberent exitum. Ratio verò matrimonia ſic contracta irritandi ab initio fuit, quia matrimonium validè contractum & conſummatum, prorſus inſolubile eſt.

Dixi autem, 1. Initus metu, ita ut metus ſit illius ineundi cauſa; ad quod requiritur ut matrimonium, quod contrahit metum patiens, ei ſecundùm ſe diſpliceat; nam ſi matrimonium non diſplicet metum patienti, & metum patiens feratur in illud ut ſibi bonum, non eſt propriè invitus & coactus, nec metus eſt propriè cauſa matrimonii contrahendi, ſed tantùm occaſio, adeoque nec illud irritat, quamvis, ſi abeſſet, nihil fieret.

Dixi 2. Metu gravi, quia metus levis nunquam irritat matrimonium: nam jura omnia ad matrimonii nullitatem metum gravem requirunt; neque metum levem conſiderant, & hoc rectè quidem: qui enim metu levi aliquid magni momenti facit, verè facit ex inconſtantia, & animi levitate, cui favere non debent jura. Præterea, metus levis facilè poteſt intervenire, aut etiam fingi, & fictus probari tanquam verus: quare ſi jura metum levem attenderent, plena litibus, atque incerta eſſent omnia.

Dixi 3. Injuſtè incuſſo; quia metus gravis, juſtè incuſſus etiam directè ad obtinendum matrimonium, non reddit illud irritum: nam Eccleſia eos, qui ſponſalia implere detrectant, cogit per excommunicationem. Et ratio eſt, quia jura non intendunt ſubvenire metum juſtè patienti, adeoque patienti metum, cujus ipſe juſtam dedit cauſam. Et verò qui metum patitur, cujus juſtam ipſe cauſam dedit, imputare ſibi debet metum illum, & neceſſitatem, quam affert metus ille: quare ergo ei ſubvenire vellent jura, præſertim cùm non poſſent abſque injuria alterius innocentis? Hinc cùm vir mulierem, cui ſtuprum intulit, ducit uxorem, quia minatur illum accuſare, niſi eam ducat, validum eſt matrimonium, quia mulier jus habet illum accuſandi, & ita juſtè incutit metum, & incutiendo vim infert, quam ille ſibi, non mulieri debet imputare.

At inquies. Cap. *Veniens* 15. extra de ſponſalibus, refertur aliquis filiam ſuam in eodem lecto cum juvene decumbentem inveniſſe, & juvenem ad ducendam puellam coegiſſe, tum apertè ſignificatur nullum fuiſſe hoc matrimonium. Atqui tamen patet puellæ juſtè metum incuſſit juveni, ut eum ad ducendam puellam compelleret. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. Cap. citato dicitur, matrimonium in caſu propoſito nullum fuiſſe, ſi juvenis puellam duxit coactus metu qui poſſet in virum conſtantem cadere; quod neceſſariò intelligitur de metu injuſtè incuſſo à parente puellæ, putà ſi juveni, ni puellam duceret, mortem per ſe inferre minatus eſt, quam per ſe inferendi jus non habuit.

At inquies. Metus matrimonium, cujus eſt cauſa, reddit irritum, quia excludit libertatem, quam jura requirunt ad valorem matrimonii. Atqui hanc libertatem excludit metus, etiamſi juſtè incutiatur. Ergo, &c. *Reſp.* neg. min. Nam non omnimoda libertas ad valorem matrimonii requiritur à juribus, ſed ea tantùm, quæ excludat contrahendi neceſſitatem, quæ juſtam non habet cauſam ex parte incutientis metum, & quam metum patiens non magis ſibi, quàm metum incutienti imputare debet.

At inquies. Jura irritant matrimonia metu contracta, quia ſolent habere infœlicem exitum. Atqui hæc ratio tam valet pro matrimoniis juſto metu contractis, quàm pro matrimoniis contractis injuſto metu. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam matrimonium metu juſtè incuſſo contractum, ſi quando infœlicem habet exitum, per accidens habet: cùm enim ei, qui invitus contraxit, fuerit medium evadendi malum grave, cujus periculum ſua culpa incurrerat, eſt quoque ei per ſe ratio diligendi conjugem.

Dixi 4. Ad extorquendum matrimonium, quia metus etiam injuſtè incuſſus ad rem aliam extorquendam, non irritat matrimonium, quod metum patiens contrahit ad vitandum grave malum quod timet, & quod aliter vitare non poteſt; quamvis, ſi metus abeſſet, nollet contrahere. Et ratio eſt, quia jura irritando matrimonium metu injuſto contractum, ſubvenire volunt metum injuſtè patienti, ne per injuriam ad rem graviſſimam ſibi odioſam compellatur. At irritando matrimonium metu injuſto contractum in caſu propoſito, jura non ſubvenirent metum injuſtè patienti, ſed è contra eriperent modum evadendi periculum, quod aliter vitare non poteſt, quàm contrahendo matrimonium. Hinc ſi reo ad furcam damnato judex vitam promittat ſub hac conditione, ſi Liviam meretricem velit uxorem accipere, reus ad vitandam mortem judici conſentiens, etiam ſuppoſito quòd injuſtè ad tantam pœnam damnatus fuerit, validè contrahit cum Livia, quocum certè non fuerat alias contracturus.

Dixi 5. Sive ab eo, quocum contrahitur, &c. Nam nil refert, à quo metus incutiatur, modò injuſtè incutiatur ad extorquendum matrimonium: à quocumque enim incutiatur, qui eum patitur, æquè invitus contrahit, pariter ad rem ſibi odioſam compellitur per injuriam. Jura autem ſubvenire volunt invitè contrahenti propter metum injuſtè incuſſum, & ad rem ſibi odioſam per injuriam compulſo: unde generaliter dicunt, vel ſupponunt, metum gravem irritare matrimonium, ſi ad illud extorquendum incutiatur injuſtè. Imò cap. *Veniens* 15. extra de ſponſalibus, metus irritans matrimonium à juvene quodam contractum, incuſſus fuerat à parente puellæ, quacum juvenis contrahere coactus fuerat.

Quæres 1. Utrùm matrimonium metu gravi, injuſtè ad illud extorquendum incuſſo, contractum, confirmetur per ſubſequentem copulam?

R. 1. Subſequente copula matrimonium non confirmatur, ſi ſimili metu, quo præcedens contractus, extorqueatur. Ratio eſt, quia jura abſolutè irritant matrimonium contractum metu gravi, &c. adeoque quacumque ratione ineatur, invalidum eſt. Hinc metum patiens debet potiùs mori, quàm conſummare, quia conſummando peccabit mortaliter: tunc enim conſummatio erit mera fornicatio.

At inques. Jura docent matrimonium invalidè contractum ob metum vel defectum conſenſus, per ſequentem copulam confirmari, ut patet ex cap. *Si-*

gni-

gnificavit 2. extra de eo qui duxit, &c. ex cap. *Inſuper* 4. extra Qui matrimonium accuſare poſſunt, &c. *R.* jura loqui de ſubſequente copula, non metu gravi extorta, ſed omninò liberè & voluntariè habita, ut patet ex citatis capitibus.

At inquies. Jura intendunt ſubvenire metum patienti, non obeſſe. Arqui obeſſet irritando matrimonium in caſu propoſito: eum enim, qui metum patitur, conſtituerent in neceſſitate vel moriendi, aut grave aliud malum ſubeundi, vel peccandi mortaliter. Ergo, &c. *Reſp.* 1. jura velle ſubvenire metum patienti quantùm poſſunt, omnibus generatim conſulendo. Omnibus autem generatim meliùs conſulunt, irritando matrimonia quacumque ratione inita metu gravi, &c. Nam ſic alii, qui matrimonium aliquod volunt, avertuntur efficaciùs ab inferendo metu, ſcientes nec matrimonium metu gravi contractum per verba de præſenti, validum eſſe, nec matrimonium ſic contractum confirmari per ſubſequentem copulam ſimili metu extortam. Quòd ſi Eccleſia tantùm irritaret matrimonium per verba de præſenti contractum metu gravi, &c. & illud permitteret per ſubſequentem copulam ſimili metu extortam confirmari, vix unquam hoc ſuo ſtatuto homines ab extorquendis per metum matrimoniis deterreret, & ſic ſemper aut ferè ſemper fruſtraretur fine intento: nam cogentes ad contrahendum matrimonium per verba de præſenti, à fortiori cogerent ad conſummandum matrimonium ſic contractum.

Quòd autem ex hypotheſi legis irritantis matrimonium quacumque ratione initum metu gravi, injuſtè ad illud extorquendum incuſſo, contingere poſſit & contingat aliquando, ut metum patiens verſetur in neceſſitate vel moriendi, vel peccandi mortaliter, hoc imputari debet malitiæ eorum, qui metum inferunt, non legi, quæ medium adhibet ad neceſſitatem illam ab omnibus amovendam de ſe efficaciſſimum; & aliquorum privatorum incommodum permittere poteſt, ut meliùs & efficaciùs omnibus generatim provideat.

Reſp. 2. Matrimonium non confirmatur in foro conſcientiæ per ſubſequentem copulam, quantumlibet liberam & voluntariam, ſi non habeatur animo maritali, ſed merè fornicatio, ſive ab utraque parte, ſive ab una tantùm: tunc enim vel ex utraque parte, vel ſaltem ex altera deeſt conſenſus in matrimonium, & ſine utriuſque partis conſenſu in matrimonium, matrimonium nullum eſt, adeoque confirmari non poteſt in foro conſcientiæ, in quo ſola veritas locum habet, non præſumptio.

Dico, In foro conſcientiæ: nam matrimonium metu gravi, ad illud extorquendum injuſtè incuſſo contractum, per ſubſequentem copulam omninò liberam confirmatur in foro externo, quamvis effectu non maritali habeatur. Ratio eſt, quia in foro externo, in quo præſumptio locum habet, ſemper præſumitur adeſſe conſenſus, cùm copula ſubſequens matrimonium metu gravi contractum, omninò libera eſt, nec admittitur probatio in contrarium. Patet ex cap. *Significavit* 2. extra de eo qui duxit, &c.

R. 3. Si copula ſubſequens ſit omninò libera, & habeatur affectu maritali, matrimonium confirmat etiam in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia contrahentes tunc de præſenti omninò liberè conſentiunt in matrimonium, & conſenſum ſuum internum ſufficienter ſibi mutuò ſignificant per copulam, nec ſunt inhabiles ad ſic contrahendum, ſed è contra habiles jura manifeſtè ſupponunt. Ergo tunc vere contrahunt. Ergo matrimonium priùs invalidè contractum metu gravi, confirmatur in foro conſcientiæ. Sed

Obſerva. Quæ hactenus dictæ ſunt reſp. 2. & 3. dicta ſunt ſpectato ſolo jure Decretalium: nam in locis, in quibus Tridentinum receptum eſt, & matrimonium metu extortum, contractum eſt coram Parocho & teſtibus, ſi via illata probari poteſt in foro externo, in neutro foro matrimonium confirmatur per ſubſequentem copulam, quamvis omninò liberè & effectu maritali habitam clandeſtino.

Quæres 2. Utrùm matrimonium gravi metu extortum, confirmetur juramento; ita ut validum ſit matrimonium, ſi metum patiens juret ſe ex animo contrahere?

R. negativè, & *prob.* ex cap. *Significavit* 2. extra de eo qui duxit, &c. ubi viro cuidam, qui poſtquam cum quadam muliere contrahere, & quòd cum ea ex animo contraheret jurare, metu gravi coactus fuiſſet, aliam duxerat uxorem; libera conceditur facultas ad ſecundam redeundi, & cum ea manendi, ſi primam poſt matrimonium cum ea initum cum juramento, non cognovit carnaliter. Ergo matrimonium metu extortum nullum eſt, etiam ſi juratum ſit. Ergo, &c. Et verò quando metus gravis injuſtè ad extorquendum matrimonium incutitur, durante metu contrahentes inhabiles ſunt ad contrahendum: quare metum patiens nihil agit, & invalidè contrahit, quantumvis juret ſe ex animo contrahere, & ee ipſa velit contrahere, ut velle tenetur vi juramenti. Sed ex occaſione data,

Quæres 3. Ad quid teneatur contrahens metu gravi, ſi juret non ſolùm ſe ex animo contrahere, ſed etiam matrimonium contractum habiturum perpetuò ratum, illud quantùm poterit efficiendo validum?

R. Vi juramenti tenetur ad novum contractum, cùm metus aberit, ineundum; quamvis nullum jus tribuat metum inferendi: nam vi juramenti tenetur confirmare matrimonium, ad quod metu coactus eſt, illudque validum efficere, quod præſtare non poteſt, niſi novum contractum liberè ineundo: juramentum enim ex certa ſcientia factum, quamvis metu gravi extortum, obligat, ſi licitè impleri poteſt, ut patet ex cap. *Debitores* 6. extra de jurejurando, & cap. *Si vero* 8. eod. tit. in quo dicitur: *Non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ.* Juramentum autem in caſu propoſito licitè impleri poteſt. Ergo, &c. Poteſt tamen juramenti diſpenſationem petere ab Epiſcopo, & ea obtenta, cum alia perſona contrahere.

ARTICULUS V.

Utrùm Filii familias matrimonium validè contrahere poſſint ſine parentum conſenſu.

NOn poſſe affirmat Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 19. §. 37. ubi de Romanis Pontificibus ſic loquitur: *Leges ſanxerunt, quibus tyrannidem ſuam firmarunt, ſed partim in Deum manifeſtè impias, partim in homines iniquiſſimas; quales ſunt, ut conjugia inter adoleſcentulos parentum injuſſa contracta, firma rataque maneant.* Diſtinctionem adhibet Lutherus in ſermone de matrimonio, in hunc modum: Vel ex conjugio ſine conſenſu parentum contracto proles nata eſt, vel nondùm eſt nata. Si nata eſt, ratum eſſe debet matrimonium: ſi nondùm nata eſt, poſſunt parentes pro arbitrio matrimonium vel confirmare vel irritare. Joannes Brentius in Catechiſmo, non parentibus, ſed magiſtratui poteſtatem attribuit irritandi vel confirmandi conjugia ſine parentum conſenſu contracta, adeoque hujuſmodi matrimonia ad magiſtratum referenda eſſe, judicio ejus confirmanda vel irritanda. Lutherum ſequitur Melancthon, Kemnitius Brentium. Sed contra illos omnes ſit

RESPONSIO.

Matrimonium à filiis familias ſine parentum conſenſu contractum, validum eſt quoad ſubſtantiam, adeoque nec à parentibus, nec à magiſtratu quoad ſubſtantiam irritari poteſt.

Prob. 1. enim ad valorem matrimonii conſenſus parentum neceſſarius non eſt jure naturali, ut oſtenditur ex Scriptura veteri: nam ſanctiſſimus Patriarcha Jacob, Geneſ. cap. 29. ſecundam uxorem, nempe Rachelem, & cap. 30. alias duas, Balam & Zelpham accipit, inſciis parentibus, adeoque ſine eorum conſenſu. At hoc certè non feciſſet Jacob, ſi ad matrimonia illa conſenſus parentum ejus neceſſarius fuiſſet: neque Scriptura Jacob reprehendit, quòd matri-

Digitized by Google

trimonia illa ſine conſenſu parentum contraxerit. Item Tob. cap. 7. Tobias junior Saram Raguelis filiam ducit uxorem in regione remota, parentibus ejus nil tale ſubodorantibus, & neque petito, neque expectato eorum conſenſu; nec tamen eum à matrimonio ſic contrahendo prohibet, aut ut conſenſum parentum præſtoletur, admonet Angelus, quem habebat viæ ducem & comitem. Igitur neque in lege Naturæ, ſub qua fuit Jacob, neque in lege Moſaica, ſub qua vixit Tobias, ad valorem matrimonii filiorum-familias, neceſſarius fuit parentum conſenſus: unde jam habemus, ad valorem matrimonii filiorum-familias, parentum conſenſum neceſſarium non eſſe jure naturali: quod enim jure naturali neceſſarium eſt ad valorem matrimonii, ſemper fuit neceſſarium.

2. Ad valorem matrimonii conſenſus parentum neceſſarius non eſt jure poſitivo, ut oſtenditur ex Nicolao I. cap. *Sufficiat* 27. q. 2. ubi ait: *Sufficiat ſecundùm leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur*. Ex Clemente III. cap. *Cùm virum* 12. extra de Regularibus, ubi de puella in ætate nubili conſtituta ſic loquitur: *Quia liberum habet arbitrium in electione propoſiti, ſequi parentum non cogitur voluntatem*. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. ubi ait: *Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia libero conſenſu contrahentium facta, rata & vera eſſe matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta Synodus anathemate damnat, quia ea vera & rata eſſe negant, quique falsò affirmant matrimonia à filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe, &c.*

At inquies. Jus civile Romanum irritat matrimonia ſine conſenſu parentum contracta. *R.* jus illud civile correctum eſſe à jure canonico. Præterea, quòd Principes ſæculares non poſſint conſtituere impedimenta irritantia matrimonium quoad ſubſtantiam, poſtquam à Chriſto ad eſſe ſacramenti evectum eſt, apertè ſignificat Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. Cùm enim dicit, matrimonia clandeſtina tandiu rata & vera eſſe matrimonia, quandium Eccleſia ea irrita non fecit, apertè ſignificat matrimonia clandeſtina à ſola Eccleſia irritari potuiſſe; quod falſum eſſet, ſi impedimenta matrimonium quoad ſubſtantiam dirimentia conſtitui poſſent à Principibus ſæcularibus.

At inquies. Etiam ipſum jus canonicum conſenſum parentum ad valorem matrimonii requirit, ut probatur ex cap. *Noſtrates* 30. q. 5. in quo ſic loquitur Nicolaus I. *Fœdera quoque* (nuptiarum) *conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur*. *R.* neg. inſtantiam. *Ad prob. R.* Nicolaum cap. *Noſtrates*, non ea præcisè recenſere, ſine quibus verum matrimonium eſſe non poteſt, ſed referre ea quæ in nuptiis fidelium intervenire ſolent: unde in fine capitis hæc ſubjicit: *Hæc ſunt præter alia, quæ ad memoriam non occurrunt, pacta conjugiorum ſolemnia. Peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdera non interveniant, non dicimus*. Itaque non omnia, quæ hìc recenſet, neceſſaria ſunt ad valorem matrimonii, ſed aliqua pertinent tantùm ad ejus honeſtatem celebrationem, qualis eſt parentum conſenſus, ut patet ex cap. *Sufficiat* ſupra citato, quod ex eodem loco deſumptum eſt, nempe ex cap. 3. reſponſionis ad conſulta Bulgarorum. Sed

Prob. adhuc reſponſio noſtra ratione theologica. Conſenſus contrahentium ſine conſenſu parentum ſufficit ad valorem ſacramenti Matrimonii. Ergo ſufficit etiam ad vinculum conjugale. Ergo ſufficit ad valorem matrimonii quantùm ad ſubſtantiam. Ant. patet ex Conc. Flor. in decreto §. *Septimum*, ubi dicitur cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii eſſe conſenſum internum contrahentium per verba de præſenti expreſſum, nulla parentum conſenſus mentione facta. *Prob. prima conſeq.* Nam ſacramentum Matrimonii vel eſt ipſum vinculum conjugale, vel contractus matrimonialis, ex quo vinculum conjugale neceſſariò ſequitur. *Prob. 2. conſeq.* Quia ſubſtantia & eſſentia matrimonii in vinculo conjugali conſiſtit. Quod igitur ſufficit ad valorem ſacramenti, ſufficit ad vinculum conjugale; & quia ad vinculum conjugale ſufficit, ſufficit ad matrimonium ſecundùm eſſentiam conſideratum.

At inquies. Concilium Flor. loco citato loquitur de conſenſu pleno, cum ait, conſenſum internum per verba de præſenti expreſſum, eſſe cauſam efficientem ſacramenti Matrimonii. Atqui conſenſus filiorum-familias plenus eſſe non poteſt ſine parentum conſenſu. Ergo, &c. *R.* neg. min. Nam conſenſus filiorum-familias plenus eſt hoc ipſo, quòd habent uſum rationis & liberi arbitrii ſufficientem v. gr. ad peccandum mortaliter, ad vovendum, &c.

At inquies. Filii-familias non habent judicii maturitatem. Ergo ſine conſenſu parentum conſenſum plenum habere non poſſunt. *R.* Eſto ant. quod non eſt univerſaliter verum, & nego conſeq. Nam ad conſenſum plenum non requiritur judicii maturitas; alioquin pleraque matrimonia eſſent quoad valorem incerta. Hinc canones ſolam pubertatem requirunt in contrahentibus matrimonium, quia in pubertate præſumitur adeſſe plenus rationis uſus, qui ad plenum conſenſum ſufficit, quamvis non adſit maturitas judicii.

At inquies. Filii-familias ſunt in poteſtate parentum. Ergo, &c. *R.* neg. conſeq. Nam filius familias, licèt ſit in poteſtate patris, nihilominus habere poteſt plenum conſenſum & ſufficientem ſine patris conſenſu, hoc ipſo quòd plenum habet uſum rationis & liberi arbitrii, quia hoc ipſo ſui juris eſt in ordine ad eligendum vel non eligendum vitæ ſtatum, ad contrahendum vel non contrahendum matrimonium: unde ſi contrahit, de re ſua, non de aliena diſponit; quod ſuum eſt, non quod alienum, donat; atque ita quod facit, ratum & firmum eſſe debet; tametſi graviter peccet, ſi faciat invito rationabiliter parente, cujus eſt providere filio, eumque in ſtatu præſertim eligendo dirigere: unde ubi agitur de eligendo ſtatu à filio, ſi pater juſtè ac prudenter ſe gerat, & filio quod ei re ipſa conducit, conſulat & præcipiat, ſub gravi tenetur filius patris directionem ſequi, eique obedire: quòd ſi tamen patri non obſequatur, & eo rationabiliter invito accipiat uxorem, ratum erit matrimonium, quamvis illicitè contractum. Quod

Confirmatur. Nam filii-familias minùs ſunt in poteſtate parentum ſuorum, quam ſervi in poteſtate dominorum. Atqui matrimonium, quod ſervi invitis dominis contrahunt, ratum eſt ac firmum, ut conſtat ex cap. *Dignum* 1. extra de conjugio ſervorum, in quo dicitur: *Ita nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi: & ſi contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda*. Ergo à fortiori ratum ac firmum eſt matrimonium, quod filii familias contrahunt invitis parentibus. Et verò ſi ſervi ſui juris ſunt in ordine ad contrahendum matrimonium, quantò magis filii-familias, quorum longè minor eſt ſubjectio ad parentes, quàm ſervorum ad dominos.

Obj. 1. Matrimonium illud ratum ac firmum eſſe non poteſt, cujus Deus author non eſt. Atqui Deus non eſt author matrimonii, quod filii-familias invitis parentibus contrahunt. Ergo, &c. *Probabis min.* Nam Deus non eſt author matrimonii, quod contrahitur contra præceptum ejus. Atqui matrimonium, quod filii-familias contrahunt invitis parentibus, contrahitur contra præceptum Dei, filios obligantis ut in omnibus obediant parentibus, juxta illud Apoſtoli ad Coloſſ. cap. 3. *Filii, obedite parentibus per omnia*. Ergo, &c.

R. diſt. maj. Matrimonium illud ratum ac firmum eſſe non poteſt, cujus Deus author non eſt ex parte contractus matrimonialis, C. maj. Cujus Deus author non eſt ex parte contrahentium, N. maj. & diſt. min. Matrimonii, quod filii-familias invitis parentibus contrahunt, Deus non eſt author ex parte contrahentium, C. min. nam ſuppono parentes eſſe rationabiliter invitos, & ita filios-familias contra reveren-

tiam & obedientiam parentibus debitam matrimonium contrahere: matrimonii autem ſic contrahendi, non Deus, ſed diabolus author eſt. Matrimonii, quod filii-familias, &c. Deus non eſt author ex parte contractus matrimonialis, N. min. Nam tantùm, ut ſupponi debet, parentum conſenſus deeſt, atque ita adſunt omnia requiſita in contractu matrimoniali ad hoc ut vel ſit ſacramentum, ſi ſacramentum conſiſtit in ipſo contractu, vel ſit cauſa efficiens ſacramenti, ſi ſacramentum conſiſtit in vinculo conjugali, quod per contractum efficitur.

Et verò tunc perſonæ legitimæ verè conſentiunt in mutuam traditionem corporum, & conſenſum ſuum per verba de præſenti ſufficienter exprimunt, & quidem ubi opus eſt, coram Parocho & teſtibus. Adſunt igitur omnia ſecundùm inſtitutionem Chriſti requiſita contractu matrimoniali, ad hoc ut ſit ſacramentum, aut ſaltem cauſa ſacramenti. Talis autem contractus alium non habet authorem, quàm Deum; quamvis illius contra obedientiam parentibus debitam ineundi author eſſe Deus non poſſit. Talis contractus ex parte ſui habet Deum authorem, quia talis eſt ſecundùm ſe, qualem Deus inſtituit; non habet Deum authorem ex parte eorum, à quibus fit, quia ab eis fit contra obedientiam debitam parentibus, & ad hunc perverſum contrahendi modum non movet Deus, ſed è contra illum prohibet graviter. Quod

Ampliùs declaratur exemplo. Nam v. g. ſi laicus contra ſuperioris prohibitionem baptizet, ita tamen ut totum ritum legitimum adhibeat, baptiſmus à laico collatus, ex parte ſui Deum habet authorem, quia talis confertur, qualem inſtituit Deus: at non habet Deum authorem ex parte illius, à quo confertur, quia confertur illicitè, & ad illicitam baptiſmi collationem non movet Deus hominem, ſed è contra illum ab ea deterret quantùm in ſe eſt. Sicut autem ut baptiſmus ſit verus baptiſmus, ſufficit ut ex parte ſui Deum authorem habeat; ita ut contractus matrimonialis ſit verus contractus, ſufficit, &c. Item ſicut baptiſmus illicitè collatus, nihilominùs eſt actio Chriſti, ut cauſæ principalis, & quà talis vim habet efficiendi id quod ſignificat; ita contractus matrimonialis illicitè factus, nihilominùs, atque ita vim habet efficiendi vinculum conjugale, in quo natura & ratio rati & veri matrimonii conſiſtit.

Obj. 2. Scripturam. Nam Exodi cap. 22. dicitur, quòd ſi quis virginem nondùm deſponſatam corruperit, eam dotare, & uxorem accipere, ſi pater ejus illam voluerit dare; ſi verò pater ejus illam dare noluerit, pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere conſueverunt, reddere tenebitur. Et Num. cap. 30. dicitur, quòd ſi mulier, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari, quidpiam voverit, votum ejus erit irritum, ſi ſtatim ut audierit, contradixerit pater ejus. *R. ad* 1. in hoc loco agi non de matrimonio contracto, ſed de contrahendo: unde hic locus non pertinet ad rem.

R. ad 2. ibi agi de puella impubere, cujus vota irritandi facultas conceditur patri, ſtatim atque audierit contradicendo. Similiter cap. *Puella* 20. q. 2. ſtatuitur, ut ſi puella ante duodecim annos ætatis ſponte ſua vota religionis emiſerit, poſſint ſtatim parentes ejus, vel tutores, ſi voluerint, ea irrita facere. Sed quid inde? Nam ſi non valet hoc argumentum: Parentes irritare poſſunt vota filiorum impuberum: ergo poſſunt etiam irritare vota filiorum puberum; multò minùs valet iſtud: Parentes irritare poſſunt vota filiorum impuberum: ergo poſſunt etiam irritare matrimonia contra voluntatem contracta à filiis poſt annos pubertatis: hæc enim ſunt diſparata, & mutuò ſeparabilia. Primam facultatem jus divinum & eccleſiaſticum parentibus concedunt locis citatis, ſecundam verò nullibi. Primæ facultatis concedendæ ratio fuit, quòd homines ante pubertatis annos ordinariè non habeant plenum rationis judicium. Propter eandem rationem, matrimonium ab impuberibus contractum, jure eccleſiaſtico irritum eſt, etiamſi parentes in illud conſenſerint.

Obj. 3. Saltem in regno Galliæ irrita ſunt matrimonia à filiis-familias ſine parentum conſenſu contracta, ut patet ex regia conſtitutione, quam in comitiis regni Bleſenſis edidit Henricus III. quaque matrimonia hujuſmodi declarantur nulla & invalida, art. 40. quem articulum confirmavit Ludovicus XIII. in ſuo Edicto, quod anno 1629. promulgavit. *R.* diſt. In regno Galliæ matrimonia à filiis-familias ſine parentum conſenſu contracta, irrita ſunt quantùm ad effectus civiles, qui ex contractu matrimoniali civiliter conſiderato naſci poſſunt, C. Quantùm ad ſubſtantiam, ſeu quantùm ad vinculum conjugale, in quo ſubſtantia matrimonii conſiſtit, & quod inter baptizatos vel eſt ſacramentum, vel effectus ſacramenti, N.

Ita reſpondet Joannes Cabaſſutius lib. 3. Theoriæ & praxis Juris canonici cap. 26. §. 4. ubi ſic loquitur: „Cum Antiſtitibus conſentiunt unanimes Proceres & ſapientiores Regni magiſtratus, tam Edictum Bleſenſe, quàm cætera quæ ab inſequentibus Regibus promanarunt, nullatenùs attingere vim ſacramenti, neque prorſus in re uſque adeò divina violari ſacri Tridentini Concilii ſapientiſſimum & ſanctiſſimum decretum: ſed totam illam nullitatis & invaliditatis declarationem concludi intra fines pœnarum merè civilium, ut ſcilicet quoad actus civiles, & quoad emolumenta civilia his omninò privati exiſtant hujuſmodi filii-familias, neque ad actiones admittantur civiles fori, quæ ex vi contractus & conventionum connubialium naſci poſſent, ut cum filiis qui ex illo naſcentur conjugio, perinde agatur apud Tribunalia, ac ſi illegitimi forent, tam quoad honores, quàm quoad ſucceſſiones, &c.“ Quod

Probat §. 6. authoritate Cleri Gallicani, qui eo tempore, quo Ludovicus XIII. præfatum ſuum edictum publicari fecit, ſua Pariſiis comitia habens, Regem ſuppliciter admonuit in hunc modum: *Rex humillimè rogatur, ut conſiderare non pigeat, quantum ſit momentum in hoc articulo* (39. quo confirmabatur articulus 40. Edicti Bleſenſis,) *qui eget expoſitione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima eſt, ut non aliter intelligantur hæ voces*, validè aut invalidè contracti matrimonii, *quàm per relationem ad contractum civilem, & nullatenùs ad contractum ſpiritualem ſacramenti, &c.*

Addit ibidem Cabaſſutius Regem Chriſtianiſſimum officium reſpondendi ad hanc ſupplicem inquiſitionem commiſiſſe magno Regni Cancellario, & ſelectioribus quibuſdam officialibus ſanctioris conſilii, eoſque ex ſcripto reſpondiſſe: *Commonitio Cleri, quod ſpectat ad priorem difficultatem, ſic reſoluta fuit: verba iſta*, validè aut invalidè contracta matrimonia, *non eſſe aliter explicanda, quàm per ſolam relationem ad contractum civilem, per laicos judices, &c.*

§. 7. Doctrinam ſuam confirmat eruditiſſimi D. Loveti, in Pariſienſi Senatu Conſiliarii, tit. 6. litt. M. ſic loquentis: *Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum, quas requirit articulus 40. Bleſenſis Conſtitutionis, nullatenùs attingit ipſum ſacramentum, quod nihilominùs in iſto matrimonio exiſtit: non agitur de ſacramento Matrimonii, aut ejus eſſentialibus ceremoniis, ſed de validitate conventionum matrimonialium, de acceſſoriis matrimonii, de dotis validitate, & communitate inter virum & uxorem; quæ conventiones non dependent ex theologicis deciſionibus, ſed ex edictis in Parlamento verificatis.* Et paulò poſt: *Aliud eſt de ſacramento Matrimonii diſputare, aliud de pactione dotis differere; diſtincta ſunt poteſtates.* Denique Cabaſſutius Brodeum Loveti Scholiaſten, qui matrimoniorum à filiis familias ſine parentum conſenſu contractorum nullitatem ad ipſum ſacramentum extendere voluit, pro meritis explodit, ejuſque in rebus theologicis inſignem inſcitiam demonſtrat. Ex his

Nota. In contractu matrimoniali duo debent diſtingui,

Digitized by Google

ſtingui, quæ revera ſunt diſtincta & ſeparbilia, nempe vis producendi certos effectus civiles, & vis efficiendi vinculum conjugale, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, & in quo, ut videtur nobis probabilius, ipſummet Matrimonii ſacramentum conſiſtit. Hinc in contractu matrimoniali duo ſunt æquivalenter contractus, unus ſcilicet civilis, & alter ſpiritualis. Civilis, ſi validus eſt, vim habet producendi, & producit effectus civiles ſupra recenſitos. Spiritualis ſimiliter, ſi validus eſt, vim habet efficiendi, & efficit vinculum conjugale, ſeu maritalem illam conjunctionem, qua vir & mulier indiſſolubiliter colligantur, & obligantur ad individuam vitæ conſuetudinem.

Civilis, quantùm ad valorem, pendet à poteſtate ſæculari, quia hoc exigit regimen politicum: unde Principes ſæculares poſſunt apponere conditiones contractui civili, ſine quibus validus eſſe non poſſit, & quibus proinde omiſſis, hoc ipſo ſit irritus; etiamſi contractui ſpirituali adſint omnia ad ejus valorem requiſita, adeòque validus ſit, & totum ſuum effectum habeat. Contractui autem ſpirituali adſunt omnia ad ejus valorem requiſita, ſi adeſt id totum, quod ad ejus valorem requirit Eccleſia, à qua ſola, ut ſacramentorum diſpenſatrice, quantùm ad valorem pendet contractus ſpiritualis: unde ſola pro poteſtate ſpirituali à Chriſto tradita poteſt conditiones apponere, ſine quibus contractus ſpritualis irritus ſit, adeòque nullum ſit vinculum conjugale, nullumque matrimonii ſacramentum.

De contractu civili loquuntur Regum Chriſtianiſſimorum Conſtitutiones, cùm nulla & irrita declarant matrimonia à filiis ſamilias ſine parentum conſenſu contracta. De contractu ſpirituali loquitur Tridentinum, cùm ſeſſ.24. cap.1. de reform. anathemate damnat eos, qui falsò affirmant matrimonia à filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.

Hæretici volunt matrimonia à filiis-familias ſine parentum conſenſu contracta, irrita eſſe, aut ſaltem à parentibus vel à magiſtratu irritari poſſe quoad ipſum vinculum conjugale, adeòque quoad matrimonii ſubſtantiam. Juriſperiti Galli docent matrimonia à filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta, vi regiarum conſtitutionum nulla eſſe, & nulla à Parlamentis declarari quantùm ad ea, quæ acceſſoria ſunt matrimonio, & ſine quibus proinde ipſa matrimonii ſubſtantia & ſacramentum ſubſiſtere poſſunt, & ſubſiſtunt.

DISPUTATIO IV.

De unitate & indiſſolubilitate Matrimonii.

ARTICULUS I.

Utrùm haberi poſſint plures uxores ſucceſſivè.

NOta. Secundas nuptias olim damnaverunt Montaniſtæ, ut refert S. Auguſtinus lib. de hær. §.26. ubi de Montaniſtis ait: *Secundas nuptias pro fornicationibus habent*. Teſtis etiam eſt Tertullianus factus Montaniſta lib. de monogamia, ubi cap.1. ſic ait: *Unum matrimonium novimus, ſicut unum Deum*. Eundem errorem ſecuti ſunt Novatiani, teſte Theodoreto lib.3. hær. fab. in Novato. *Eos*, inquit, *qui ſecundum matrimonium coiiſſent, à ſacris myſteriis arcebant*; quod apertè colligitur ex Concilio Niczeno can. 8. Contra hoſce hæreticos Catholici ſentiunt ſecundas nuptias, imò tertias, & alias deinceps licitas eſſe, & vera conjugia, veraque ſacramenta: quare Kemnitius putidè mentitur in 2. parte examinis, ubi dicit Catholicos ſecundas nuptias habere ut fornicationes, & idcircò non eſſe benedicendas aſſerere.

RESPONSIO.

Licet virò plures uxores, & mulieri plures maritos habere ſucceſſivè.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam Apoſtolus 1. ad Timoth. cap.5. loquens de mulieribus viduis, ſic ait: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias, eſſe, &c.* Et 1. Cor. c.7. hæc habet: *Mulier alligata eſt legi* (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat* (ſed) *tantum in Domino* (id eſt, in Chriſti Eccleſia.) Quod autem de muliere hìc dicit Apoſtolus, pariter de viro neceſſariò intelligitur, cùm par ſit ratio pro utroque.

Prob. 2. ex Patribus, Ambroſio ſcilicet in lib. de viduis, ubi quantùm quidem poteſt, viduas deterret à ſecundis nuptiis, ſed non deterret tanquam à ſe prohibita. *Quod pro conſilio dicimus*, inquit, *non pro præcepto imperamus, provocantes potiùs viduam, quam ligantes: neque enim prohibemus ſecundas nuptias, ſed non ſuadomus .... Plus dico, non prohibemus ſecundas nuptias, ſed non probamus ſæpè repetitas* (ſicut nec improbamus) *neque enim quidquid licet, & decet .... Licet ergo nubere* (ſecundò, tertiò, quartò, &c.) *ſed pulcrius eſt abſtinere: ſunt enim vincula nuptiarum, &c.*

Hieronymo in apologia ad Pammachium pro libris adversùs Jovinianum, ubi ſic loquitur: *Aperiant, quæſo, obtrectatores mei oculos, & videant me ſecundas, & tertias nuptias conceſſiſſe in Domino.* Et inferiùs: *Non damno digamos, imo nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos.* Et inferiùs: *Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnavi in Eccleſia digamiam, imò nec trigamiam; & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo viro nubere: ſed quomodo non damnantur iſta nuptia, ita nec prædicantur.*

Auguſtino in lib. de bono viduitatis cap. 12. ubi ait: *De tertiis, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis ſolent homines movere quæſtionem. Unde ut breviter reſpondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre.* Et poſt pauca, in verba Apoſtoli 1. Cor. cap.7. à nobis laudata, ſic diſcurrit: *Non dixit, Primus, aut ſecundus, aut tertius, aut quartus: ſed*, Mulier, *inquit* alligata eſt ... *Quid huic ſententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi poſſit ignoro.* Denique mulierem ſeptiviram à Sadducæis Chriſto propoſitam adducens in exemplum, ſic loquitur: *Sed nec ipſam, ut videmus, tot maritorum mulierem, ulla ſua ſententia ſignificatione* (Dominus) *damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat fœmina: nec ex meo corde præter Scripturæ ſanctæ auctoritatem quantaslibet nuptias audeo condemnare.*

Prob. 3. ex ſummis Pontificibus, nempe Innocentio IV. qui in litteris ad Epiſcopum Tuſculanum, Sedis Apoſtolicæ in Regno Cypri legatum ita reſcribit: *Quia vero ſecundum Apoſtolum, mulier, mortuo viro, ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem; ſecundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, ſed potiùs illas approbent inter perſonas, quæ aliàs licitè ad invicem matrimonio jungi poſſunt.*

Ex Eugenio IV. in decreto pro Jacobitis edito in Concilio Florentino, ubi hæc habet: *Quoniam nonnullos aſſeritur quartas nuptias tanquam condemnatas reſpuere, ne peccatum, ubi non eſt, eſſe putetur, cùm ſecundùm Apoſtolum, mortuo viro, mulier ſit ab ejus lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec diſtinguat, mortuo primo, vel ſecundo, vel tertio: declaramus non ſolùm ſecundas, ſed tertias, & quartas, atque ulteriores, ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat, licitè contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi ulteriùs à conjugio abſtinentes, in caſtitate permanſerint, &c.* Hoc autem decretum approbante Concilio edidit Eugenius, ut manifeſtum eſt ex his verbis decreto ſubjectis: *Datum*

Florentiæ in publica ſeſſione ſynodali ſolemniter in Eccleſia .... celebrata.

Obj. Bigami ſunt irregulares ob defectum ſacramenti, ut patet ex Decretalibus tit. de Bigamis. Ergo ſecundæ, & à fortiori tertiæ, quartæ, & ulteriores nuptiæ, non ſunt ſacramentum. Ergo non ſunt verum matrimonium. Ergo ſunt mera fornicatio, adeòque licitæ eſſe non poſſunt. *R.* bigamos irregulares eſſe ob defectum ſacramenti, quia digamia non tam perfectè conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſignificat, quàm monogamia: nam monogamia unius, qui ante alterius non fuit, cum una conjunctionem ſignificat: at digamia ſignificat tantùm conjunctionem unius cum una, quod tamen ſufficit ad hoc ut digamia ſit verum ſacramentum: hoc ipſo enim verum eſt ſacramentum, quòd eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia; & eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, hoc ipſo quòd eſt ſignum conjunctionis unius cum una: quare nego conſequentias omnes.

Porrò quòd bigami non ſint irregulares ob culpam aliquam in contrahendis ſecundis nuptiis admiſſam, docent Patres; Ambroſius ſcilicet epiſt.82. ad Eccleſiam Vercelenſem. *Qui iteraverit conjugium*, inquit, *culpam quidem non habet coinquinati, ſed prærogativa exuitur ſacerdotis* (propter alias rationes, quas ſubjicit.) Epiphanius hær.59. §.4. ubi ait: *Eos omnes qui ſecundum priores nuptias, mortua uxore, alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina* (ab Ordinum ſusceptione rejicit,) *propterea quod incredibilis eſt ſacerdotii honor ac dignitas.* Auguſt. lib. de bono conjugali cap.18. *Non abſurdè viſum eſt, eum qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam ſacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.*

At inques. Si ſecundæ nuptiæ ſunt ſacramentum, quare non benedicuntur? *R.* cum Urbano III. cap. *Vir autem* 3. extra de ſecundis nuptiis, ſecundas nuptias non benedici, quia qui ad eas tranſeunt, jam benedicti fuerunt, & cùm benedictio non pereat, non debet iterari. *Vir autem*, inquit Urbanus, *vel mulier ad bigamiam tranſiens, non debet à presbytero benedici: quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.*

ARTICULUS II.

Quid de pluralitate uxorum ſucceſſiva ſenſerint Patres Græci.

RESPONSIO I.

Digamiam licitam eſſe docuerunt Patres Græci.

Prob. Nam 1. ſic ait Baſilius in epiſtola canonica ad Amphilochium can.41. *Quæ in viduitate poteſtatem ſui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera eſt, cum Apoſtolus dixerit, Si mortuus fuerit vir ejus, libera eſt, ut nubat cui vult, tantum in Domino.* Hîc autem Baſilium loqui tantùm de ſecundis nuptiis, patebit ex infra dicendis.

2. Epiphanius hær.59.§.3. ſic loquitur de Novatianis: *Si quis poſt baptiſmum ſecundam uxorem duxerit, ab illis non amplius admittitur, quod quidem plane ſtolidum eſt.* Et inferiùs §.4. hæc habet: *Cui mortua una non ſufficit .... is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum litterarum authoritas ab omni culpa illos abſolvit, neque ab Eccleſia, aut æterna vita rejicit, ſed propter imbecillitatem tolerandos exiſtimat.* Denique in expoſitione fidei §.21. ſic ait: *Quòd ſi quis mortua uxore, vel mulier mortuo viro id voluerit, alterum virum, uxoremve duntaxat poſt alterius obitum, ſibi adſciſcere licet.*

3. His conſonat Chryſoſt. hom.19. in cap.7. epiſt. 1. ad Cor. ubi ait: *Etiam ſecundum concedit matrimonium* (Apoſtolus) tantùm, *inquiens*, in Domino. *Quid eſt autem in Domino? Cum temperantia, cum honeſtate...* pacem, *inquit*, ſectamini, & ſanctificationem ſine qua nemo videbit Dominum. *Ut ergo digni cenſeamur eum videre, ſive virgines ſimus, ſive primis, ſive ſecundis nuptiis copulati, hanc ſectemur.*

Addi poſſunt Gregorius Nazianz. orat.31. verbis infra referendis, & Theodoretus in cap.7.1. Cor. *Notandum eſt*, inquit, *non eſſe abſolutè & ſimpliciter beatam vocandam eam* (viduam) *quæ continet* (mortuo viro) *ſed eam beatiorem appellavit, dicens nec quidem eam eſſe miſeram, quæ ſecundo matrimonio jungitur, ſed beata eſt quæ ex apoſtolica lege matrimonium contrahit. Comparatio enim illam etiam beatam oſtendit. Hoc autem ſufficit ad refellendos Novatianos, qui digamiam tanquam fornicationem accuſant, apoſtolicis legibus apertè contradicentes.* Et in cap.5. 1. ad Timoth. ad hæc Apoſtoli verba, *Volo ergo juniores* (viduas) *nubere*, hæc ſcribit: *Divo Paulo dicente*, Volo, *Novatus* (id eſt, Novatianus) *dicit*, Nolo.

Laudatis Patribus cæteri Græci conſentiunt, & eos qui ſecundas nuptias damnant, execrantur ut hæreticos, & quidem jure merito: nam Nicænum Concilium can. 8. apertè ſignificat, eſſe dogma catholicum, quòd ſecundæ nuptiæ ſint verum matrimonium: ſic enim loquitur: *Hæc autem pro omnibus eos* (Catharos) *ſcriptis convenit profiteri, quod Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant & ſequantur; id eſt, & bigamis ſe communicare, & his, &c.*

Dices. Prioribus Eccleſiæ ſæculis Pœnitentia imponebatur digamis, ut patet ex Concilio Neocæſarienſi can.1. quo dicitur: *oportere ex eccleſiaſtico canone eis, qui liberè & legitime ſecundo matrimonio conjuncti ſunt, & non clam uxores duxerunt, cum exiguum tempus præterierit, & orationibus & jejuniis vacaverint, ex venia dari communionem.* *R.* Ex hoc canone manifeſtè habemus ſecundum matrimonium in veteri Eccleſia receptum fuiſſe ut ratum ac verum matrimonium, & in facie Eccleſiæ, adeòque licitè contrahi potuiſſe. Brevis tamen aliqua pœnitentia imponebatur digamis, propter quandam incontinentiæ ſpeciem, quam præ ſe ferre videntur ſecundæ nuptiæ, & propter quam videntur aliquando Patres etiam Latini ſecundas nuptias damnare; quamquam eas re ipſa non damnent ut illicitas, ſed ſolùm ut continentiæ poſtponendas, & in delectationem veneream propenſionem redolentes vituperant.

Dices. Gregorius Nazianz. orat.31. docet, Apoſtolum averſari & prohibere ſecundas nuptias. *Hoc loco*, inquit, *videtur mihi apoſtolicus ſermo* (Myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia) *ſecundas nuptias averſari. Si enim duo Chriſti ſunt, duo quoque viri ſint & duæ uxores. Si autem unus Chriſtus, unum Eccleſiæ caput, una etiam caro ſit, ſecunda autem reſpuatur. Quòd ſi ſecundum conjugium prohibeat, de tertio, quid dicendum eſt? Reſp.* diſt. Gregorius docet Apoſtolum averſari & prohibere ſecundas nuptias ut illicitas & irritas, N. Averſari & prohibere ut deficientes à perfecta ſignificatione conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, Subdiſt. Averſari & prohibere propriè, N. iterùm. Averſari & prohibere impropriè, hoc eſt quantùm in ſe eſt dehortari, & ab illis homines avertere, atque ad continendum præſertim poſt primas nuptias inducere, C.

Hanc eſſe mentem S. Doctoris patet ex verbis ſubſequentibus: ſic enim loco citato proſequitur: *Primum* (conjugium) *lex eſt; ſecundum indulgentia; tertium iniquitas. Quod autem hunc numerum excedit, porcina vita eſt, ac tale, ut ne multa quidem vitii exempla habeat.*

Igitur, juxta S. Doctorem, ſecundas nuptias indulget Apoſtolus, adeòque eas nec averſatur, nec prohibet propriè, ſed impropriè tantùm ſenſu explicato. Tantùm autem Apoſtolus indulget ſecundum matrimonium, ſicut tantùm indulget conjugatis ut matrimonio utantur, quia vellet omnes eſſe ſicut ſeipſum, hoc eſt, omnes perfectam ſervare continentiam.

Dices. Chryſoſtomus in opere imperfecto in Matthæum hom. 32. in cap.19. dicit ſecundum matrimonium eſſe veram fornicationem, quamvis honeſtam,

quis

quia à Deo permittitur. *Apoſtoli*, inquit, *præceperunt ſecundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere, ſecundùm præceptum Apoſtoli eſt: ſecundùm autem veritatis rationem, vere fornicatio eſt. Sed dum permittente Deo, publicè & licenter committitur, fit honeſta fornicatio.* *R.* Authorem operis imperfecti in Matth. non eſſe Chryſoſtomum, ſed aliquem alium Chryſoſtomo juniorem, eumque hæreticum, vel potiùs ab hæreticis depravatum: unde teſtimonium ejus nullius authoritatis eſt; quare ejus interpretationi non immoramur.

Responsio II.

Trigamiam ut illicitam improbarunt Patres Græci, alii quidem expreſsè, alii verò tacitè.

Prob. 1. *pars*, nempe quòd aliqui Patres Græci expreſsè improbarint trigamiam, &c. Nam Gregorius Nazianz. loco ſupra citato trigamiam vocat *Παρανομίαν*, hoc eſt, iniquitatem, vel legis tranſgreſſionem. Et Baſilius in epiſt. ad Amphilochium can. 50. ſic loquitur: *Trigamia non extat lex, quare lege tertium matrimonium non contrahitur.* Hic autem Baſilius legem intelligit, non præcipientem, ſed permittentem. Senſus igitur loci eſt, nullam divinam aut apoſtolicam legem exiſtere, qua permittantur tertiæ nuptiæ, & ita tertias nuptias contrahi ſine licentia eas contrahendi, ſive per legem divinam, ſive per apoſtolicam data.

Idem Baſilius can. 4. ejuſd. epiſt. trigamiam vocat fornicationem caſtigatam, hoc eſt, ut interpretatur Balſamon & alii cum eo, fornicationem non vagam & indifferentem, ſed una muliere circumſcriptam. Addit eam non ampliùs dici *γάμον*, ſed polygamiam; & illum, qui digamiam excedit, non eſſe dignum qui appelletur maritus; ſimiliter mulierem, excedentem digamiam, dignam non eſſe quæ uxor appelletur.

Verba S. Doctoris ſunt: *De trigamis & polygamis eundem canonem definierunt* (antiqui Patres) *quem in digamis, ſervata proportione. Annum enim in digamis, alii verò duos annos ſtatuerunt: trigamos autem ſæpe tribus & quatuor annis ſegregant. Id autem non ampliùs conjugium, ſed polygamiam appellant, vel potius fornicationem caſtigatam. Et ideò Dominus Samaritanæ, quæ quinque viros permutaverat:* Quem nunc, *inquit*, habes, non eſt tuus maritus. *Nempe quod digni non ſint, qui à digamiæ menſura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.*

Prob. 2. *pars*, nempe quòd alii aliqui tacitè improbarint trigamiam, &c. Nam cùm Epiphanius & Chryſoſtomus exponunt Apoſtolum dicentem 1. Cor. cap. 7. *Mulier alligata eſt legi, &c.* aſſerunt eum concedere ſecundas nuptias, nullibi addendo tertias, vel quartas: unde planè videntur locum Apoſtoli intellexiſſe de conceſſione ſecundarum nuptiarum, cum ulteriorum excluſione. Quare planè videntur de tertiis nuptiis & ulterioribus idem ſenſiſſe, quod Baſilius & Nazianzenus.

Responsio III.

Patres Græci trigamiam, ut neque divina neque apoſtolica lege conceſſam, adeòque illicitam ſic improbarunt, ut nihilominùs verum eſſe conjugium, atque ita verum eſſe ſacramentum agnoverint.

Prob. Nam Patres Græci in infligendis pœnis, hoc tantùm inter digamos & trigamos diſcrimen poſuere, quòd trigamis imponerent diuturniorem pœnitentiam, qua peracta, illos ad Eccleſiaſticorum ſacramentorum participationem admittebant, non diſſoluto priùs matrimonio; quod tamen, ſi fuiſſet invalidè contractum, priùs diſſolvi oportuiſſet, & proculdubio diſſolvendum claris verbis declaraſſent, atque reipſa diſſolviſſent. Hoc autem matrimonium neque diſſolvendum declararunt, neque antequam trigamos ad communionem admitterent, diſſolverunt, ſed graviori duntaxat pœna mulctarunt.

Patet ex can. 4. ſupra citato, in quo ſic poſt verba jam relata proſequitur Baſilius: *Conſuetudinem autem accepimus in trigamis quinquennii ſegregationem, non à canone, ſed continuata majorum ſerie, videlicet veſtigiis Patrum, qui nos præceſſerunt, inſiſtentes. Oportet non eos omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignos ducere, qui in locum audientium duobus circiter aut tribus annis admittantur. Poſt hæc permittere ut in cœtu fidelium conſiſtant quidem; ſed à communione boni tamen abſtineant. Sic tandem oſtenſo aliquo fructu pœnitentiæ* (non additur, & diſſoluto conjugio) *in locum communionis reſtituere.*

Confirmatur ex can. 50. etiam jam ſupra citato, in quo ſic Baſilius pergit: *Verumtamen ejuſmodi res* (tertias nuptias) *ut Eccleſiæ inquinamenta videmus: ſed publicis condemnationibus non ſubjicimus* (matrimonium ſcilicet diſſolvendo, ut intelligunt Interpretes,) *ut quæ ſoluta ac profuſa fornicatione, ſint magis expetenda.* Itaque quia ſatiùs eſt homines ad tertias nuptias tranſire, in trigamis non diſſolvebatur matrimonium.

At inquies. Juxta Baſilium can. 4. trigamia eſt fornicatio, & juxta eundem can. 26. fornicatio neque matrimonium eſt, neque matrimonii principium. Ergo, &c. *Reſp.* trigamiam à Baſilio fornicationem ſeu fornicariam conjunctionem vocari, non ſecundùm ſe, tam enim verum conjugium fuit apud Baſilium, quàm digamis, vel etiam monogamis; ſed relatè ad affectum eorum, qui non contenti primis vel etiam ſecundis nuptiis, ad tertias convolant, & convolando ſeſe ad luxuriam valdè proclives oſtendunt. Unde ibidem addit Baſilius, trigamos dignos non eſſe, qui vocentur mariti, quia eos ex intentione non prolem ſuſcipiendi, & ſuſceptam chriſtianè educandi, ſed explendæ libidinis, cauſa, tertium inire matrimonium, cenſet meritò præſumi.

Responsio IV.

Imò tetragamiam, ut ratum ac verum matrimonium habuerunt antiqui Patres Græci.

Prob. 1. Ex Gregorio Nazianz. loco jam citato, ubi ait: *Primum* (conjugium) *lex eſt, ſecundum indulgentia, tertium iniquitas. Quod verò hunc numerum excedit* (en tetragamia) *porcina vita eſt, ac tale, ut ne multa quidem vitii exempla habeat.* Ecce graviter quidem vituperat Gregorius quartas nuptias, eaſque non veretur porcinam vitam dicere: at eas nihilominùs appellat conjugium, & ne leviter quidem innuit eſſe irritas, & tale connubium diſſolvi debere tanquam invalidum, & conjunctionem merè fornicariam. At ſi tunc temporis quartæ nuptiæ non potuiſſent validè contrahi, hoc certè tacere non debuiſſet Gregorius, nec proculdubio tacuiſſet vir, qui ex incredibili erga caſtitatem affectu tam vehementer in polygamiam etiam ſucceſſivam invectus eſt.

2. Ex Baſilio in laudata epiſtola can. 78. ubi ait: *Polygamiam Patres ſilentio prætermiſere, ut belluinam, & omninò ab hominum genere alienam. Nobis autem videtur, majus eſſe fornicatione peccatum. Et ideò conſentaneum eſt, ut ii canonibus ſubjiciantur: ut ſcilicet poſtquam anno flevèrint, & tribus ſubſtrati fuerint, ita demum ſuſcipiantur* (ſupple, ut in Eccleſia inter conſiſtentes locum habeant, donec oſtenſo aliquo fructu pœnitentiæ, in communionis locum reſtituantur, ut can. 4. dicitur de trigamis.)

Hoc autem can. 78. polygamiæ nomine tetragamiam intelligit Baſilius, non trigamiam, de qua egit can. 4. nec dicit in polygamis matrimonium diſſolvi debere, ſed ſolùm longè graviorem imponi pœnitentiam polygamis, quàm trigamis impoſuerint: polygamos enim jubet per annum in flentium, & tribus deinde annis in proſtratorum gradu manere, antequam ſuſcipiantur, ſeu recenſeantur conſiſtentibus, quibus tamen accenſet trigamos, poſtquam duobus vel tribus annis inter audientes fuerint, prætermiſſis flentium & proſtratorum gradibus. In tetragamis igitur non magis diſſolvebatur matrimonium, quàm in trigamia; ſed tam tetragami, quàm trigami, peracta pœnitentia, ad ſacramentorum participationem ſine matrimonii diſſolutione admittebantur.

Quæres 1. Utrùm Apoſtolus; cùm ait 1. Cor. c.7. *Mulier .... ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino*, concedat ſolùm ſecundas nuptias, non etiam tertias, quartas, &c.

R. Apoſtolum, cùm indefinitè dicat, *Si dormierit vir ejus*, tam intelligi poſſe & debere de viro ſecundo, tertio, quarto, &c. quàm de primo, adeòque dicendum eſſe, hoc loco tam concedere tertias, quartas, & ulteriores nuptias, quàm ſecundas. Quare Patribus Græcis aliter ſentientibus opponendi ſunt Patres Latini, & imprimis Summi Pontifices ſupra laudati.

At inques. Quare Ergo Joan. cap. 4. Samaritanæ dicenti, *Non habeo virum*, reſpondit Chriſtus: *Bene dixiſti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir*. *R.* Chriſtum ſic reſpondiſſe, quia Samaritana cum ſexto illo homine non contraxerat, illique erat non maritali, ſed merè fornicaria conjunctione copulata.

Quæres 2. Utrùm tertiæ & quartæ nuptiæ nunc validè contrahi poſſint apud Græcos?

R. 1. Trigamos in Eccleſiæ Græca eſſe jure eccleſiaſtico inhabiles ad contrahendum novum matrimonium 2. Digamos ſimiliter ad contrahendum tertium matrimonium inhabiles eſſe, ſi quadrageſimum ætatis annum attigerint, & prolem habeant ex priori conjugio ſuſceptam.

Dixi. 1. Si quadrageſimum ætatis annum attigerint; nam ſi nondùm ad hanc ætatem provecti ſunt, conceditur illis tertium matrimonium, impoſita, illis ſolita pœnitentia, ſi careant liberis, graviore verò, ſi jam liberos habeant.

Dixi 2. Et prolem habeant ex priori conjugio ſuſceptam: nam digamis etiam ad quadrageſimum annum provectis, tertium matrimonium, diuturna & gravi pœnitentia illis impoſita, conceditur, ſi prolem non habeant ex priori conjugio ſuſceptam. Vide Arcudium lib.7. de concordia, &c. cap. 29.

Quæres 3. Quo tempore jus illud eccleſiaſticum Orientale conditum fuerit?

R. Jus illud aliquantò poſt initia ſæculi decimi, authore Nicolao I. Patriarcha Conſtantinopolitano, & promotore Conſtantino Porphyrogenito, Græcorum Imperatore, editum fuiſſe, & confirmatum à Joanne X. ſummo Pontifice.

Præfatus porrò Nicolaus contenderat quartas nuptias etiam jure divino nullas & irritas eſſe, & Leonem IV. cognomento Sapientem, Græcorum Imperatorem, ob quartas nuptias cum Zoe Pellice, ex qua filium nomine Conſtantinum ſuſceperat, contractas excommunicaverat: quare à Sergio III. ſummo Pontifice, ad quem confugerat Leo, matrimonium Leonis ratum habente, & ab omnibus ratum haberi præcipiente, per legatos exauctoratus fuerat, & in ejus locum ſuffectus Euphemius. Sed mortuo poſtea Leone, in ſedem, pulſo Euphemio reſtitutus eſt ab Alexandro Leonis fratre, quem ut legitimum Imperii hæredem agnoſcebat; atque eo quoque aliquantò poſt vita functo, tandem ut ratum ac verum probavit matrimonium à Leone antea contractum cum Zoe, & ſimul à Joanne X. Sergii ſucceſſore obtinuit, annitente per legatum ſuum Conſtantino Leonis & Zois filio, qui tunc imperabat, obtinuit, inquam, ut quartæ nuptiæ nonquam; tertiæ verò nonniſi in certis caſibus validè contrahi poſſent in Eccleſia Græca.

ARTICULUS III.

Utrùm aliquando licitum fuerit plures ſimul uxores habere.

Responsio.

POſt diluvium, & ante legem Evangelicam, multis ſæculis vir idem licitè potuit habere plures uxores ſimul.

Prob. 1. Authoritate Patrum, Hieronymi ſcilicet in epiſt. ad Oceanum de monogamia clericorum, ubi ait; *Ex Judæis erat Apoſtolus. Prima Chriſti Eccleſia de Iſrael reliquiis congregabatur. Sciebat lege (Moſaica) conceſſum; & exemplo Patriarcharum ac Moyſi, familiare populo noverat in multis liberos ſpargere: ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium.*

Chryſoſtomi hom. 56. in c. 30. Gen. ubi ſic loquitur: *Tunc enim* (cùm plures ſimul uxores habuit Jacob) *quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur*; quanquam paulò poſt, conſuetudinem habendi plures ſimul uxores, malam fuiſſe dicit, vel quia contraria erat primævæ inſtitutioni matrimonii, vel propter incontinentiæ periculum, & alia incommoda quibuſcum erat conjuncta.

Auguſtini lib. 3. de doctr. chriſt. cap. 12. *Sufficiendæ prolis cauſa*, inquit, *erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo*. Et lib. 22. contra Fauſtum cap.47. *Jam vero*, inquit, *filio ejus* (Iſaaci) *Jacob quod pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur.*

Theodoreti qu. 84. in Gen. ubi oſtendens Jacob quatuor ſimul uxores licitè habuiſſe, ſic ait: *Ad hæc etiam illud advertendum eſt, tunc temporis nondum datam eſſe ullam legem, quæ multiplices nuptias prohiberet.* Laudatis Patribus addi poſſunt Magiſter Sent. lib. 4. diſt. 33. §. A. & S. Thomas in eand. diſt. qu. 1. art. 2.

Prob. 2. Exemplo virorum, quorum alii ſub lege Naturæ, alii ſub Moſaica vixerunt, quique plures ſimul uxores habuerunt, & tamen Deo grati fuerunt & accepti: nam Abraham duas ſimul habuit uxores, Saram & Agar, Gen. cap. 16. Jacob quatuor, Liam, Rachelem, Balam & Zelpham, Gen. cap. 29. & 30. Elcana duas, Annam & Phenennam, lib. 1. Reg. c. 1. Et David, præter Michol, Abigail, & Achinoam, quas antea duxerat, accepit adhuc concubinas & uxores de Jeruſalem, poſtquam venerat de Hebron lib. 2. Reg. cap. 5.

Dixi autem, 1. Poſt diluvium: videtur enim, ante diluvium licitam non fuiſſe pluralitatem uxorum ſimul: nam nullus virorum juſtorum, quorum meminit Scriptura ante diluvium, plures ſimul uxores habuiſſe legitur. Et Lamech, qui duas ſimul uxores accepit, Adam & Sellam, Gen. cap. 4. fuit de ſemine Cain, cujuſque adulterii accuſat Nicolaus I. cap. *An non* 24. q. 3. ubi ſic Lotharium regem alloquitur: *An non diſtricta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech & flagitium imitatus eſſe dignoſceris?* Dicendum igitur videtur, ante diluvium, quo tempore diutiſſimè vivebant homines, & ita ad generis humani multiplicationem neceſſaria non erat uxorum pluralitas Deum primæ matrimonii inſtitutioni, vi cujus inter unum & unam tantùm poterat eſſe maritalis conjunctio, non derogaſſe.

Dixi 2. Ante legem evangelicam: nam, ut infra probabitur, Chriſtus matrimonium ad primam inſtitutionem revocavit, ſublata diſpenſatione, à Deo poſt diluvium, à quo tempore non diu victuri erant homines, facta poſteris Nohemi per ipſum Nohemum, ut ſic faciliùs genus humanum propagaretur: Deum enim hanc diſpenſationem revelaſſe Nohemo, & Nohemum factam ſibi à Deo revelationem, non quidem ſcripto, ſed viva voce poſteris ſuis tradidiſſe, libenter credimus.

Obj. Patriarchæ unam tantùm habuerunt legitimam uxorem. Ergo, &c. Nego ant. *Probatur*. 1. Joan. cap. 8. Judæi dicunt: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*. Perinde autem eſt, ac ſi dicerent: Nos non ex Agar concubina Abrahæ, ſed ex Sara legitima

ejus

Digitized by Google

ejus uxore deſcendimus. 2. Mulieres illæ, quæ Patriarchis præter uxorem adhæſerunt, vocantur in Scriptura concubinæ, & earum liberi non fuerunt hæredes, ut patet ex cap. 25. Gen. ubi dicitur: *Deditque Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo, dùm adhuc ipſe viveret, &c.*

Reſp. ad 1. Judæos hìc non carnalem, ſed ſpiritualem fornicationem, hoc eſt idololatriam intelligere, perindeque eſſe, ut patet ex contextu, ac ſi dicerent: Nos non ſumus idolatræ, ſed unum verum Deum colimus: neque enim deſcendimus ex majoribus, qui idola coluerint, ſed ex Abrahamo, qui unius veri Dei cultor religioſiſſimus fuit: unde poſt verba citata, continuò addunt: *Unum patrem habemus Deum.*

Ad 2. *R.* 1. Mulieres illas, quas concubinas Scriptura appellat, appellari quoque ab eadem Scriptura uxores. Sic Gen. c. 16. dicitur Sara ancillam ſuam Agar tuliſſe, & dediſſe viro ſuo uxorem Et c. 25. Abraham dicitur, aliam duxiſſe uxorem, nomine Ceturam, quæ paulò poſt concubina vocatur. *R.* 2. apud hebræos & gentiles fuiſſe duo genera uxorum: aliquæ enim admittebantur non ſolùm ad conſortium thori, ſed etiam ad bonorum communitatem, & adminiſtrationem rei domeſticæ. Hæ matres-familias dicebantur, & earum tantùm liberi hæredes erant. Aliæ verò aſſumebantur tantùm ad procreandos liberos, qui quamvis ex legitimo conjugio nati, hæredes non erant. Hæ autem licèt legitimo matrimonio maritis ſuis copulatæ, non dicebantur Matres-familias, & aliquando nominabantur Uxores, aliquando Concubinæ.

Itaque Sara v. g. fuit Abrahæ uxor primi generis, utpote ab eo admiſſa ad ſocietatem bonorum omnium, & gubernationem domus: unde nunquam niſi uxor dicitur, & ſolus Iſaac filius ejus hæres fuit. Agar verò ejuſdem Abrahæ uxor fuit ſecundi generis, utpote nec ad bonorum ſocietatem, nec ad domus gubernationem admiſſa: quamvis enim uxor Abrahæ facta, non deſiit eſſe ancilla Saræ, ut patet ex his ad Saram de prægnante Agare querentem Abrahæ verbis Gen. cap. 16. *Ecce ancilla tua in manu tua eſt, utere ea ut libet.* Quare Iſmael Agaris filius, hæres non fuit, & Agar in Scriptura vocatur Concubina, licèt Abrahæ tam legitimè copulata fuerit, quàm ipſa Sara, & tam in corpus Abrahæ in ordine ad liberorum procreationem jus habuerit.

Dices, S. Leo epiſt. 92. ad Ruſticum cap. 4. & S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 4. manifeſtè ſupponunt, Agarem Abrahamo legitimè copulatam non fuiſſe. *Non abnuo*, inquit Ambroſius, *quòd Abraham de ancilla ſuſceperit filium, ut cognoſcas quòd non ſuperioris cujuſdam naturæ ac ſubſtantiæ fuit Abraham, ſed unus è numero & fragilitate univerſorum hominum.* Leoni & Ambroſio addi poteſt Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 30. Fauſto objicienti, Abrahamum habendæ prolis inſana flagrantem cupidine cum pellice voluiſſe eſſe, non reſpondet Agarem Abrahami uxorem fuiſſe, ſed Abrahamum ad Agarem non libidine, ſed prolis deſiderio, & Sara ipſa impellente acceſſiſſe, adeòque non peccaſſe peccato luxuriæ.

R. 1. Leoni & Ambroſio opponendo Scripturam ipſam: nam Gen. 16. legitur: *Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam* (Sara) *dedit eam viro ſuo uxorem.* Hæc autem verba in propria & obvia ſignificatione accipi quid vetat? 2. Quod nobis ſufficit, Leo & Ambroſius non negant Abrahamum & alios Patriarchas plures ſimul uxores habere potuiſſe: imò Ambroſius lib. 2. de Jacob cap. 5. apertè ſupponit, Liam & Rachelem legitimas fuiſſe Jacobi uxores: ibi enim ſic loquitur: *Ipſe autem eſt, qui præfigurabatur in Jacob, Dominus Jeſus, Sponſus duorum conjugiorum, hoc eſt, Legis & Gratiæ, qui virginem Rachel ante dilexit, & prædeſtinatam ſibi in conjugium pio amabat affectu, &c.*

Quantùm autem attinet ad Auguſtinum, nobis perperam objicitur: evidenter enim noſter eſt, ut patet ex locis à nobis ſupra citatis, quibus addi poteſt cap. 38. libri 16. de civ. ubi ait, Jacob quatuor uxores habere potuiſſe, quia tunc *multiplicandæ poſteritatis cauſa plures uxores lex nulla prohibebat.* Quæ ratio tam valuit pro Abrahamo, quàm pro Jacobo. Porrò cap. 30. lib. 22. contra Fauſtum non reſpondit Agarem fuiſſe legitimam Abrahami uxorem, quia Manichæi Abrahamo non polygamiam, ſed libidinem objiciebant: unde ſatis fuit Auguſtino, ſi reſponderet, Abrahamum ſolo prolis deſiderio, nec niſi conſentiente, imò & cogente Sara, ad Agarem maritali ſcilicet affectu ingreſſum eſſe.

Inſtabis pro Leone & Ambroſio. Agar etiam poſtquam ab Abrahamo cognita eſt, manſit illius ancilla. Ergo illius non fuit uxor. *R.* diſt. conſ. Ergo illius non fuit uxor primi generis, illius non fuit uxor & ſocia, C. conſeq. non enim potuit eſſe ſimul ſocia & ancilla Abrahami. Ergo illius non fuit uxor ſecundi generis, illius non fuit uxor, non ſocia, N. conſeq. potuit enim vero ac legitimo contractu matrimoniali Abrahamo copulari in ordine ad filiorum procreationem, quamvis ſui juris non fieret, nec ab Abrahamo admitteretur ad bonorum ſocietatem, & gubernationem domus. Sic autem factum eſſe, ſatis ſignificat Scriptura, quæ Agarem aliquando uxorem, aliquando concubinam nominat: uxorem quidem, quia dominium habebat corporis Abrahami in ordine ad actum conjugalem; concubinam verò, quia bonorum Abrahami non erat domina, nec ejus in gubernanda domo ſocia.

Hanc doctrinam jam ſupra tradidimus, & tradit S. Thomas in 4. diſt. 33. q. 1. a. 3. quæſtione 3. ubi in O. ſic ait: *Ubicumque legitur in veteri teſtamento aliquos concubinas habuiſſe, quos neceſſe ſit à peccato mortali excuſari, oportet eas eſſe matrimonio junctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Secundùm enim quòd matrimonium ordinatur ad ſuum principalem finem, qui eſt bonum prolis, uxor viro conjungitur inſolubili conjunctione, vel ſaltem diuturna... & contra hoc non eſt aliqua diſpenſatio: ſed quantùm ad ſecundum finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & communicatio operum, uxor conjungitur ut ſocia: ſed hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur: in hoc enim poterat eſſe diſpenſatio, cùm ſit ſecundarius matrimonii finis; & ex hac parte habebant aliquid ſimile concubinæ, ratione cujus concubinæ nominabantur.*

Et lib. 4. ad Hannib. diſt. 33. q. un. a. 2. ad 2. ſic reſpondet: *Abraham & Jacob habuerunt concubinas, quas uxorio affectu cognoſcebant: erant enim quantùm ad aliquid uxores, ſcilicet quantùm ad actum matrimonialem, & quantùm ad aliquid concubinæ, ſcilicet quantùm ad diſpenſationem familiæ, in quantum non habebant dominium, ſed erant ancillæ: hoc enim cùm non eſſet contra principale matrimonii bonum* (quod eſt prolis generatio, & conveniens educatio) *diſpenſationem recipiebat: unde & in Scriptura dicuntur aliquando uxores, aliquando concubinæ.*

Obj. iterùm. Pluralitas uxorum ſimul jure naturali prohibita eſt. Ergo nunquam potuit eſſe licita. *R.* 1. cum S. Thoma diſtinguendo ant. Pluralitas uxorum ſimul prohibita eſt jure naturali ſumpto ſecundùm prima præcepta, N. ant. Sumpto ſecundùm præcepta ſecunda, quæ ex primis derivantur, C. ant. & diſt. conſ. Ergo nunquam potuit eſſe licita ſine diſpenſatione Dei, C. conſeq. Cùm diſpenſatione Dei, qui reverà diſpenſare poteſt in præceptis ſecundis, quamvis in primis non poſſit, N. conſeq.

Exponitur hæc reſponſio ex S. Doctore in 4. diſt. 33. q. 1. art. 1. & 2. Omnis actio repugnans fini, quem natura intendit ex opere aliquo, prohibetur jure naturali. Poteſt autem actio aliqua fini vel primario, vel ſecundario, à natura ſcilicet intento, repugnare, & hoc dupliciter: uno modo, omninò impediendo finem primarium, vel ſecundarium: alio modo, finis primarii, vel ſecundarii aſſecutionem difficilem, vel minùs decentem efficiendo. Quòd ſi primo

modo fini primario ſeu principali repugnat, prohibetur primis præceptis legis naturalis, quæ in operabilibus ſe habent ut prima principia. Si verò fini principali repugnat ſecundo tantùm modo, vel ſi fini tantùm ſecundario repugnat, quocumque modo ei repugnet, non primis præceptis legis naturalis prohibetur, ſed ſecundis tantùm, quæ ex primis derivantur, ſicut concluſiones in ſpeculativis ex principiis per ſe notis fidem habent.

Porrò matrimonium habet pro fine principali, prolis procreationem & educationem, & pro fine ſecundario communicationem operum, quæ ſunt neceſſaria in vita. Neutro igitur modo pluralitas uxorum ſimul repugnat fini primario matrimonii; cùm unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis: at ſecundo modo repugnat fini ſecundario matrimonii: etſi enim hunc finem non totaliter tollat, tamen multùm impedit, eò quòd non facilè poteſt eſſe pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, quia communicatio plurium in uno officio cauſat litem, & ſicut filii corrixantur ad invicem, ita plures uxores unius viri. Hinc pluralitas uxorum ſimul, quæ non poteſt eſſe prohibita primis præceptis legis naturalis, prohibetur ſecundis.

Jam verò cùm prima præcepta legis naturalis ſe habeant ad modum primorum principiorum in operabilibus, ut dictum eſt, vel ut loquitur S. Doctor, *ſint in operabilibus, ſicut ſunt communes conceptiones in ſpeculativis*, quæ prorſus invariabiles ſunt, & ſemper eædem; prima illa præcepta ſunt prorſus invariabilia, adeòque eſſentialiter vim habent obligandi pro omni caſu poſſibili. Et verò actio omninò impediens vel ex toto, vel ſaltem ex parte finem principalem à natura intentum in aliquo opere, nulla ratione honeſtari poteſt, ac proinde pro omni caſu poſſibili intrinſecè mala eſt. Ad 7. Hinc nulla lege aut conſuetudine unquam permiſſum eſt, unam uxorem habere plures viros: quia unam uxorem habere plures viros, eſt contra prima præcepta legis naturæ, eò quòd per hoc ſaltem quantùm ad aliquid totaliter tollitur, & quantùm ad aliquid multùm impeditur finis primarius matrimonii; nam dato quòd per pluralitatem virorum non totaliter tollatur procreatio prolis, ſaltem multùm impeditur, & educatio totaliter tollitur: quia ex virorum pluralitate ſequitur incertitudo prolis reſpectu patris, cujus cura neceſſaria eſt in educando.

Aliud eſt de præceptis ſecundis legis naturalis, quæ quaſi concluſiones à primis præceptis derivantur: unde non neceſſariò obligant ſemper, ſed ut plurimùm tantùm: A. 2. in Q. *Nam quia actus humanos variari oportet ſecundum diverſas conditiones perſonarum, & temporum, & aliarum circumſtantiarum, ideò concluſiones prædictæ à primis legis naturæ præceptis non procedunt ut ſemper efficaciam habentes, ſed in majori parte: talis enim eſt tota materia moralis; & ideo ubi eorum efficacia deficit, licitè ea prætermitti poſſunt* cum legitima diſpenſatione, ſeu cum diſpenſatione facta à Deo, qui legis naturalis author eſt, adeòque ſolus in ea diſpenſare poteſt, permittendo ut prætermittatur in illis caſibus, in quibus Ibid. neceſſe non eſt ut obliget. *Sed quia*, inquit S. Doctor, *non eſt facile determinare hujuſmodi varietates* (hoc eſt, quandonam efficacia legis naturalis quoad ſecunda præcepta deficiat) *ideo illi, ex cujus authoritate lex efficaciam habet, reſervatur ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis caſibus, ad quos legis efficacia ſe non extendere debet, & talis licentia diſpenſatio dicitur.*

Itaque lex prohibens pluralitatem uxorum ſimul, ſeu, quod idem eſt, lex præcipiens unitatem uxoris, cùm ſit unum ex præceptis ſecundis legis naturalis, non neceſſariò obligat ſemper & pro omni caſu poſſibili, adeòque pati poteſt diſpenſationem, quæ quidem fieri non poteſt, niſi à Deo, cujus ſolius eſt, Ibid. licentiam præbere legem hanc prætermittendi in illis caſibus, ad quos ejus efficacia non debet ſe extendere; cùm non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo ut authore naturæ, non quidem verbo aut ſcripto tradita, ſed cordi impreſſa fuerit. Talis autem diſpenſatio re ipſa olim à Deo per inſpirationem internam facta eſt in ſanctis Patribus, *& per eorum exemplum ad alios derivata eſt eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum* (quo unitas uxoris præſcribitur) *prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ: ſemper enim principalior finis magis conſiderandus eſt, quàm ſecundarius: unde cum bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.*

Doctrina S. Thomæ hactenùs expoſita, difficultatem patitur: nam vel pluralitas uxorum ſimul eſt per ſe & intrinſecè mala, vel non. Si non eſt per ſe & intrinſecè mala, quomodo dici poteſt eſſe prohibita lege naturali; cùm lex naturalis ea tantùm prohibeat, quæ per ſe & intrinſecè mala ſunt? Si eſt per ſe & intrinſecè mala, quomodo fieri potuit licita & honeſta? Quod enim eſt per ſe & ex natura ſua tale, ſemper eſt tale.

At inquies. Pluralitas uxorum ſimul non eſt per ſe & intrinſecè mala pro eo caſu, quo neceſſaria eſſe poteſt ad multiplicationem prolis, quæ eſt matrimonii finis primarius, propter quem licitè & honeſtè negligi poteſt matrimonii ſecundarius finis, cui adverſatur pluralitas uxorum ſimul. *Reſp.* Si ita eſt, ergo lex naturalis nullo modo prohibet pluralitatem uxorum ſimul pro illo caſu, adeòque multò minùs pro illo caſu irritat matrimonium contractum cum ſecunda uxore, prima ſuperſtite. Quare ergo dicitur, olim opus fuiſſe diſpenſatione divina, ad hoc ut in illo caſu validè & licitè haberi poſſent ſimul plures uxores? Nam neceſſaria eſſe non poteſt, imò nec locum habere poteſt diſpenſatio, ubi lex nec irritat nec prohibet.

Præterea, quare pluralitas uxorum ſimul dicitur eſſe per ſe & intrinſecè mala extra caſum illum, quo neceſſaria eſſe poteſt ad multiplicationem prolis? Quia, inquis, adverſatur fini ſecundario matrimonii, qui eſt pax domeſtica. At 1. Non eſt incompoſſibilis cum hoc fine ſecundario; quòd ſi eſſet, eſſet per ſe & intrinſecè mala, & quia eſſet per ſe & intrinſecè mala, in nullo caſu licita & honeſta eſſe poſſet. 2. Ex eo quòd non niſi ægrè cum illa ſtare poſſit pax domeſtica, ſequi tantùm videtur, quòd non in illam, utpotè ſocietati conjugali minùs convenientem, minùſque bonam, ſed in unitatem uxoris natura inclinet, atque ita uxoris unitatem præ uxorum pluralitate probet & conſulat lex naturalis; unde dici poteſt pluralitatis uxorum ſimul prohibitio in jure naturali inchoata tantùm eſſe, & completa per præceptum poſitivum, quo Deus inſtituendo matrimonium, ſtatuit ut eſſet unius cum una tantùm.

Confirmatur ex Durando lib. 4. diſt. 33. q. 1. ubi ſic ratiocinatur: „ Quod primò dicitur, ſcilicet quòd pluralitas uxorum impedit ſecundarium finem matrimonii, qui eſt pax in familia, non valet; quia hunc finem non impedit per ſe uxorum pluralitas, ſed malitia vel protervia: una enim exiſtente muliere litigioſa, pax impeditur; pluribus autem exiſtentibus pacificis, non impeditur. Per accidens ergo impeditur ſecundarius finis matrimonii, una vel pluribus exiſtentibus uxoribus, & non per ſe, licèt faciliùs poſſet impediri ex pluralitate uxorum. Quæ autem per accidens contingunt, ſub arte non cadunt, & ideò ſicut licitum eſt cum unica exiſtente litigioſa, non obſtante quòd finis ſecundarius aliqualiter impediatur, ſic, ut videtur, licitum eſt, quantum eſt de jure naturali, contrahere cum pluribus, licèt ex hoc ſequatur quandoque turbatio pacis. „

Imò quòd pluralitatis uxorum ſimul prohibitio ſit inchoata tantum in jure naturali, nec vim obligandi habue-

habuerit, niſi præcepto poſitivo divino ſuperaddito, manifeſtè videtur agnoſcere S. Thomas art. 1. ad 2. ubi ſic ait: *Patet quod illa, quæ lex naturalis dictat, quaſi ex primis principiis legis naturæ derivata, non habent vim coactivam per modum præcepti abſolutè, niſi poſtquam lege divina, & (vel) humana ſancita ſunt; & hoc eſt, quod dicit Auguſtinus, quòd non faciebant contra præceptum* (Patriarchæ, plures ſimul uxores habendo) *quia nulla lege erat prohibitum* (non divina poſitiva, in qua Deus ipſa diſpenſarat; non poſitiva humana, cùm è contra conſuetudo plures ſimul uxores habendi, vim legis permittentis obtinens, tunc temporis vigeret; non denique lege naturali, quia lex naturalis, quantùm ad ſecunda præcepta, non habet abſolutam vim obligandi, niſi compleatur per legem poſitivam divinam, vel humanam, aut per conſuetudinem, quæ vim legis obtinet.) Unde

Ad 1. S. Doctor dicit, legem naturalem, quantùm ad ſecunda præcepta, quale eſt præceptum de unitate uxoris, quandoque augeri, & quandoque minui per conſuetudinem; quia ſcilicet, per conſuetudinem modò inducitur novum jus humanum, quo lex naturalis completur quantùm ad ſecunda præcepta; modò abrogatur antiquum, quo lex naturalis quantùm ad ſecunda præcepta complebatur, & quo abrogato, deſinit eſſe completa. Itaque poſt Durandum, & plures alios.

Reſponderi poteſt 2. neg. ant. Nam ea tantùm jure naturali prohibentur, quæ ſunt per ſe & intrinſecè mala. Talis autem non eſt pluralitas uxorum ſimul; cùm, 1. non adverſetur fini primario matrimonii, qui eſt prolis generatio, & educatio: unus enim vir ſufficere poteſt ad plures uxores fœcundandas, & proles quas ex illis ſuſceperit, educandas. 2. Non totaliter tollit finem ſecundarium, qui eſt pax familiæ, nec illum per ſe, ſed tantùm per accidens efficit difficiliorem.

At inquies. Pluralitas uxorum ſimul, tam eſt jure naturali prohibita, quàm pluralitas virorum ſimul, Ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam pluralitas virorum ſimul repugnat fini primario matrimonii, quia mulieris cum pluribus viris congreſſus ſaltem ut plurimùm impediret generationem; & ſi quando non impediret, incertum redderet patrem prolis, quod adverſatur prolis educationi: unde pluralitas virorum ſimul, eſt per ſe & intrinſecè mala, ac tam per ſe & intrinſecè mala, quàm odium Dei & blaſphemia, atque ita tam eſt jure naturali prohibita. At pluralitas uxorum ſimul non repugnat fini primario matrimonii, nec niſi per accidens fini ſecundario opponitur; adeòque non eſt per ſe & intrinſecè mala; unde nec jure naturali prohiberi poteſt. Certè ex eo quòd pluralitas uxorum ſimul difficiliorem efficiat finem ſecundarium matrimonii, ſequitur tantùm, quòd convenientiſſimè prohiberi potuerit à Deo, ut re ipſa prohibita fuit ab eo in prima matrimonii inſtitutione, ut patet ex Geneſ. cap. 2. ubi Adam ſpiritu divino afflatus, dicit de Eva coram ſe adducta: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea ..... Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una*. Quibus verbis clarè exprimitur lex poſitiva divina, qua matrimonium inſtituitur, & præſcribitur unitas uxoris.

At inquies. Natura contractus matrimonialis exigit, ut vir & mulier ſibi mutuò tradant totum dominium corporum in ordine ad actum matrimonialem. Ergo jure naturali contractus matrimonialis non poteſt eſſe niſi unius viri cum una muliere, adeòque polygamia uxorum repugnat juri naturali.

Reſp. Diſt. ant. Natura contractus matrimonialis, qualis à Deo inſtitutus eſt, & nunc eſt, exigit ut vir & mulier, &c. C. ant. Natura contractus matrimonialis, præciſa inſtitutione divina, & attento ſolo jure naturali, exigit, &c. N. ant. Nam contractus matrimonialis ſic conſideratus, non aliter exigit traditionem dominii corporum viri & mulieris, quàm exigit finis primarius matrimonii. Finis autem primarius matrimonii requirit quidem ex parte mulieris, ut viro tradat totum dominium corporis ſui, at ex parte viri requirit tantùm, ut partem dominii corporis ſui tradat mulieri. Unde nullo jure poteſt mulier dividere dominium corporis ſui in plures viros. At vir in plures uxores corporis ſui dominium dividere poteſt, attento ſolo jure naturali. Ratio pro utroque eſt, quia pluralitas virorum ſimul, non pluralitas uxorum ſimul, fini primario matrimonii adverſatur, ut jam oſtenſum eſt.

Dices. Eodem modo corpus viri jure naturali debet eſſe in poteſtate uxoris, quo corpus uxoris eſt in poteſtate viri: nam ait Apoſtolus, 1. Cor. cap. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. Ergo ſicut vir non poteſt non habere totum dominium corporis uxoris, ita uxor non poteſt non habere totum dominium corporis viri jure naturali.

Reſp. Neg. ant. *Ad prob. Reſp*. Apoſtolum loqui de matrimonio, non quale eſt ſecundùm jus naturale præciſè, ſeu ſecundùm id præciſè, quod exigit jus naturale, ſed quale eſt ſecundùm primam ſui inſtitutionem, ſeu ſecundùm id, quod exigit prima ejus inſtitutio, ad quam à Chriſto revocatum eſt. Ad matrimonium autem hoc ſecundo modo ſumptum requiritur, ut corpus viri tam ſit in poteſtate uxoris, quàm corpus uxoris eſt in poteſtate viri.

Dices. Vir debet conjugale debitum uxori, quoties tempore & loco debitis petierit. *Reſp*. Vir, ſpectato ſolo jure naturali, uxori conjugale debitum reddere debet ſolùm, quantùm exigit finis primarius matrimonii. A conjugali autem debito ſic reddendo vir non impeditur per pluralitatem uxorum, quæ proinde ex hac parte repugnare non poteſt juri naturali.

Uxorum itaque polygamia ſimul non eſt prohibita, & multò minùs invalida jure naturali. Quare recurrendum eſt ad jus divinum poſitivum, ſeu ad primam matrimonii inſtitutionem factam à Deo, & Geneſ. cap. 2. clarè expreſſam; qua ſuppoſita, nec licitè, nec validè poteſt vir dominium corporis ſui in plures uxores dividere ſine diſpenſatione divina, ſed & cum diſpenſatione divina utrumque poteſt, validè ſcilicet & licitè in plures uxores dominium corporis ſui dividere. Pro quo,

Nota 1. Dominium corporis ſui, quod habet homo, ſubordinatum eſt dominio Dei, ab eoque eſſentialiter dependens. Unde vir eatenùs tantùm diſponere poteſt de dominio corporis ſui, quatenùs de eo diſponendi facultatem à Deo accepit. Quare cùm Deus inſtituendo matrimonium, viro facultatem non dederit tradendi dominium corporis ſui niſi uni duntaxat mulieri, ſtante prima matrimonii inſtitutione, adeòque ſecluſa diſpenſatione divina; cùm ſolius Dei ſit in inſtitutione matrimonii à ſe facta diſpenſare, & homini facultatem ſic vel ſic diſponendi de dominio corporis ſui concedere, nec licitè, nec validè poteſt vir niſi uni duntaxat mulieri corporis ſui dominium tradere.

Nota 2. Poteſt Deus viro facultatem concedere diſponendi de dominio corporis ſui omni modo non repugnante juri naturali, ſeu omni modo, qui non per ſe & intrinſecè malus eſt. Unde cùm non ſit per ſe & intrinſecè malum, quòd vir corporis ſui dominium dividat in plures uxores, quia hæc diviſio contraria non eſt fini primario matrimonii, nec niſi per accidens aliqualiter repugnet ſecundario; poteſt Deus viro facultatem concedere dividendi in plures uxores dominium corporis ſui, & hanc facultatem concedendo, in prima matrimonii inſtitutione à ſe facta diſpenſare; qua diſpenſatione ſuppoſita, vir & validè & licitè corporis ſui dominium in plures uxores dividit.

Quæres. Utrùm facultas plures ſimul uxores habendi conceſſa fuerit non ſolùm Hebræis, ſed etiam omnibus aliis gentibus?

Reſp. Partem affirmativam tenuit S. Auguſtinus.

Nam

Digitized by Google

Nam 1. lib. 3. de doctr. chriſtianæ cap. 12. non præciſè populi hebræi, ſed univerſaliter generis humani propagandi gratia licitam fuiſſe plures ſimul uxores habendi conſuetudinem dicit: *Sufficienda*, inquit, *prolis cauſa erat uxorum plurium uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo*. Ratio autem propagandi generis humani tam valet pro Gentilibus, quàm pro Hebræis.

2. Libro 22. contra Fauſtum cap. 47. dicit Jacobum quatuor uxores inculpabiliter accepiſſe, quia tunc temporis in illis terris, in quibus accepit, mos erat unum virum plures ſimul uxores habere. Loquitur autem ſanctus Doctor de more inculpabili; & regio illa, in qua Jacob quatuor uxores accepit, Gentilium erat, ut patet ex Labano illius regionis incola, qui colebat idola. Gentiles igitur, ex S. Doctore, tunc temporis plures ſimul uxores habere poterant; & quia poterant, potuit quoque Jacob plures ſimul uxores habere.

3. Ibidem addit S. Auguſtinus, tunc temporis nulla lege prohibitum fuiſſe, ne vir unus plures ſimul uxores haberet. Ergo ex S. Doctore, tunc temporis plures ſimul uxores habere tam licebat reliquis omnibus gentibus, quàm hebræis. Dicit autem, tunc temporis nulla lege prohibitum fuiſſe, ne vir unus, &c. quia ſi id prohibitum fuiſſet aliqua lege, certè lege matrimonii, latæ à Deo in ſtatu innocentiæ: nulla enim alia aſſignari poteſt. Atqui Deus pro ſuo jure ad humani generis propagationem in hac matrimonii lege, qua præſcribebatur uxoris ſingularitas, poſt diluvium cum omnibus indiſcriminatim Noemi poſteris diſpenſaverat, dando eis facultatem dividendi dominium corporis ſui in plures uxores.

ARTICULUS IV.

Utrum Chriſtianis liceat plures ſimul uxores habere.

Responsio.

Chriſtianis non licet habere plures ſimul uxores.

Eſt de fide contra Lutherum & Anabaptiſtas, contra quos. *Prob.* Ex Scriptura. Nam 1. Chriſtus Phariſæis ab eo quærentibus, ſi licet homini dimittere uxorem ſuam, quacumque ex cauſa, reſpondet: *Non legiſtis, quia fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc*, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Hic Chriſtus manifeſtè revocat matrimonium ad primam inſtitutionem: poſtquam enim recitavit verba, quibus continetur hæc inſtitutio, ſtatim ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo, &c.* Quibus verbis apertè ſignificat velle ſe, ut lex matrimonii, à Deo lata in creatione mundi, impoſterum liget omnes. Atqui prima matrimonii inſtitutio pluralitatem uxorum ſimul excluſit, ut oſtendunt hæc verba in ſingulari numero: *Maſculum & fœminam fecit eos...... Adhærebit uxori ſuæ ...... Erunt duo in carne una*. Ergo, &c.

2. Chriſtus Marci cap. 10. dicit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Quare hoc? Quia cùm jam per libellum repudii matrimonii vinculum diſſolvi non poſſit, ut patet ex his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quæ paulò ante profert Chriſtus, uxor dimiſſa non deſinit eſſe uxor; & vivente priore uxore, etiam dimiſſa, non poteſt duci altera. Porrò ſi prioré uxore dimiſſa non poteſt duci altera, quantò minùs poteſt, priore retenta.

His adde, Apoſtolum, quoties de matrimonio loquitur, ſemper loqui de uxore in ſingulari numero. Sic 1. Cor. cap. 7. dicit: *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat*. Et inferiùs: *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere ..... Et vir uxorem non dimittat*. Et inferiùs: *Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem ..... Si autem acceperis uxorem, non peccaſti*. Et inferiùs: *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*.

Prob. 2. Authoritate ſummorum Pontificum, nempe Nicolai I. in reſponſione ad conſulta Bulgarorum §. 51. ubi ait: *Duas tempore ſuo habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex chriſtianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem, ab initio unum maſculum fecit & unam fœminam tantum, cui potuit utique, ſi vellet, duas uxores tribuere, ſed noluit. Scriptum quippe eſt*: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. *Non dixit uxoribus. Et iterùm*: Erunt duo in carne una, *maſculus ſcilicet, & fœmina in carne una & non tres aut plures. Itaque apud quem uno tempore duæ uxores inveniuntur, interim priori retenta, poſteriorem cogatur amittere*.

Et Innocentii III. extra de divortiis c. *Gaudemus* 8. ubi hæc habet: *Sanè veridica hæc ſententia* (quòd nemini plures ſimul uxores habere liceat) *probatur etiam de teſtimonio veritatis, teſtantis in Evangelio*: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortiùs & ipſa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam*. Superiùs dixit, in primæ matrimonii inſtitutione ſancitam à Deo fuiſſe ſingularitatem uxoris, nec poſteà plures ſimul uxores habere licitum fuiſſe, niſi iis quibus fuit divinâ revelatione conceſſum.

Prob. 3. Authoritate Patrum, Hieronymi, ſcilicet, commentar. in cap. 19. Matth. ad hæc verba: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, ſic loquentis: *Ubicumque eſt igitur fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, liberè uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti* (uxori) *& ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat*.

Et Auguſtini lib. 1. de nupt. & concupiſ. cap. 10. ubi ait: *Hoc cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus ſacramenti tanta obſervatio eſt ...... in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus conjugatis ... ut cum filiorum procreandorum cauſa, vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit ..... lege Evangelii reus eſt adulterii, ſicut etiam illa, ſi alteri nupſerit*. Juxta Auguſtinum, qui priore uxore dimiſſa, adeòque & à fortiori qui priore uxore retenta, alteram ducit, adulterii reus eſt. Et juxta Hieronymum, qui uxorem dimittit etiam ob fornicationem, vel rationabilem fornicationis ſuſpicionem, ea vivente alteram habere non poteſt. Quod utrumque proculdubio falſum eſſet, ſi liceret homini chriſtiano plures ſimul uxores habere.

Prob. 4. Authoritate Concilii Tridentini ſeſſ. 24. ubi in doctrina matrimonii ſic loquitur: *Hoc autem vinculo* (matrimonii) *duos tantummodò copulari & conjungi, Chriſtus Dominus apertiùs docuit, cùm poſtrema illa verba* (Erunt duo in carne una) *tanquam à Deo* (per Adamum ut organum) *prolata referens dixit*: Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Et can. 2. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit licere chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum: anathema ſit*. Quo canone petitur Lutherus, qui veritus non eſt aſſerere, polygamiam uxorum ſimul nec præceptam, nec prohibitam, ſed liberam ſemper fuiſſe & eſſe.

Confirmatur. Quia ſi verum eſt, quod ait Lutherus, quarè nullus homo chriſtianus legitur ante Lutheri tempora plures ſimul uxores habuiſſe? Nam quod

Digitized by Google

quod Socrates, lib. 4. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 31. refert de Valentiniano ſeniore, cum videlicet, legem à ſe dictatam publicè per ſingulas civitates propoſuiſſe, ut cuivis liceret duas ſimul uxores legitimas habere, & hoc feciſſe ut Juſtinam, quam deperibat, vivente & retenta priore uxore Severa, duceret alteram uxorem, ut mera fabula explodi debet: cùm neque Ammianus Marcellinus, qui Valentiniani geſta fusè proſecutus eſt, neque ullus alius præter Socratem, qui mentitus eſt non ſemel, tam inſignis facti meminerit, & lex illa Valentiniani nuſquam legatur.

Quæres. Utrùm hìc de gentilibus idem, quod de chriſtianis, ſentiendum ſit?

Reſp. Affirmativè: nam Chriſtus matrimonium ſimpliciter & abſolutè ad primam inſtitutionem revocavit; ut patet ex cap. 19. Matth. adeòque ſuſtulit diſpenſationem circa polygamiam à Deo gentibus omnibus conceſſam poſt diluvium. Præterea Innocentius III. cap. *Gaudemus* 8. Extra de divortiis, dicit de pagano, qui plures in infidelitate duxit uxores, ſi poſteà ad fidem convertatur, abſonum videri, & inimicum fidei chriſtianæ, quòd uxores illas omnes retineat, ſed unam tantùm habere poſſe. Ratio ejus eſt, quia paganus ille cum una tantùm validè contrahere potuit etiam ante converſionem; quod probat ex prima matrimonii inſtitutione: *Cum*, inquit, *ab initio una coſta in unam fœminam ſit converſa; & Scriptura divina teſtetur*, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: *Non dixit tres, vel plures, ſed duo: nec dixit, Adhærebit uxoribus, ſed uxori*. In qua prima matrimonii inſtitutione contendit non fuiſſe niſi cum aliquibus divina revelatione diſpenſatum: *Nec ulli*, inquit, *umquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum*.

Nullam autem hujuſmodi diſpenſationem eſſe poſt Evangelicæ legis promulgationem, probat ex verbis Chriſti Matth. cap. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem, &c.* quæ pro omnibus hominibus, etiam infidelibus dicta eſſe ſupponit: *Si ergo*, inquit, *uxore dimiſſa, &c.* ut ſupra. Unde concludit, quòd Paganus, *qui ſecundùm ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem* (quacumque de cauſa) *nunquam ea vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Chriſti converſus habere: niſi poſt converſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo: aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum*; quo caſu matrimonium cum illa contractum, quod adhuc non obſtante repudio verè ſubſiſtit quoad vinculum, poterit diſſolvere, novum cum aliqua fideli contrahendo matrimonium. Sed de his adhuc infra.

ARTICULUS V.

Utrum Matrimonium ſit indiſſolubile.

RESPONSIO I.

MAtrimonium in prima ſua inſtitutione fuit jure divino indiſſolubile.

Patet ex verbis ab Adamo inſtinctu Spiritus ſancti prolatis, Geneſ. cap. 2. & jam ſupra relatis: *Matrimonii*, inquit, Concil. Trident. ſeſſ. 24. *perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cum dixit:* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Hæc autem verba protulit Adamus ante lapſum adeòque ante conſummationem matrimonii: unde manifeſtè ſequitur, matrimonium etiam ante conſummationem in prima ſua inſtitutione habuiſſe indiſſolubilitatem jure divino, proindeque poſteà nulla authoritate purè humana diſſolvi potuiſſe, ſive conſummatum eſſet, ſive non.

RESPONSIO II.

In lege veteri matrimonium etiam conſummatum diſſolubile fuit ex diſpenſatione divina.

Prob. Ex Deuteron. cap. 24. ubi dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cùmque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem*. Nam 1. his verbis: *Cùmque egreſſa, &c.* apertè videtur ſupponi, quòd muliere repudiata & validè & licitè poſſet alteri viro nubere. Ergo per libellum repudii diſſolutum fuerat priùs matrimonium: alioquin mulier repudiata, poſt repudium alteri viro nupta, plures ſimul maritos habuiſſet, quod nunquam eſſe potuit.

2. Prohibetur priori marito, ne in uxorem recipiat mulierem à ſe repudiatam, quæ poſteà nupſit alteri viro, à quo ſimiliter repudiata eſt. Ergo mulier illa deſierat eſſe uxor prioris mariti: nam ſi adhuc fuiſſet illius uxor, quomodo potuiſſet cum illa iterùm & de novo contrahere? Cùm autem dicitur, Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, ſenſus naturalis & obvius eſt, Non poterit iterùm eam ducere, non poterit cum ea novum contrahere matrimonium.

Confirmatur reſp. Quia 1. ſi matrimonium non fuiſſet diſſolutum per libellum repudii, nihilominùs maritus repudiatæ potuiſſet aliam uxorem ducere, cùm tunc temporis licita eſſet pluralitas uxorum ſimul; & repudiata non potuiſſet ducere alterum maritum; cùm mulieri numquam licitum fuerit plures ſimul maritos habere; atque ita repudiata debuiſſet perpetuò continere, vel fieri adultera. At quòd lex Moſaica repudiatas ad perpetuam continentiam, quæ temporibus illis planè inuſitata erat, obligare voluerit, credibile non eſt, prætertim cùm futurum eſſet, ut mulieres ob defectum aliquem ſibi non imputabilem repudiarentur. Ergo, &c.

3. Lex Moſaica non puniebat nuptias, quas repudiatæ cum aliis viris contrahebant, ut patet ex Deuter. cap. 24. verbis ſupra relatis; & tamen puniebat mulieres adulteras; jubebat enim illas lapidari. Ergo repudiatæ cum aliis viris contrahentes, non erant adulteræ. Ergo cum aliis viris verum contrahebant matrimonium; adeòque priùs matrimonium, quod contraxerant, diſſolutùm fuerat per repudii libellum.

4. Levitici cap. 21. cavetur, ne ſacerdos viduam, vel repudiatam, vel meretricem accipiat, & ut virginem tantùm ducat uxorem. Quo ſignificatur, repudiatam tam liberam & ſolutam fuiſſe à vinculo conjugali, & tam ab aliis in uxorem accipi potuiſſe, quàm viduam, vel meretricem. Præterea, ſi repudiata ſoluta non erat & libera, nemini nubere poterat, proindeque non erat ratio, cur potiùs ſacerdos, quàm quivis alius, prohiberetur eam in uxorem accipere?

Dices. Deuter. cap. 24. dicitur repudiatam, ſi alteri viro nupſerit, pollutam & abominabilem factam eſſe coram Domino, & idcircò à priore viro, etiam mortuo ſecundo recipi non poſſe in uxorem.

Reſp. Scripturam loqui de pollutione & abominatione legali, quæ ſine culpa contrahi poterat. Itaque mulier repudiata, ſi alteri viro nubebat poſteà, per ſecundas illas nuptias, quamvis licitas, pollutionem & abominationem legalem contrahebat relatè ad priorem virum, qui eam repudiaverat: ita ut non poſſet ampliùs ab eo in uxorem recipi.

Dices iterùm. Chriſtus Matth. cap. 19. ait, Moyſem Judæis libellum repudii permiſiſſe, ob duritiam cordis eorum, & hanc permiſſionem tanquam abuſum revocat: loco enim citato Phariſæis objicientibus: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii*

pudii

Digitized by Google

pudii & dimittere? Sic reſpondet: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo, &c.

Reſp. Permiſſionem illam à Moyſe Judæis datam dimittendi uxores ſuas, dando eis libellum repudii, fuiſſe veram conceſſionem per Moyſem à Deo factam Judæis diſſolvendi matrimonii vinculum: neque hoc negat Chriſtus, ſed ſolùm dicit, talis conceſſionis occaſionem fuiſſe duritiam cordis Judæorum, adeòque juſtam habere ſe cauſam talem conceſſionem revocandi.

Dices 3. Indiſſolubilitas matrimonii eſt juris naturalis. Atqui Deus in jure naturali diſpenſare non poteſt. Ergo Deus diſpenſare non potuit cum Judæis in indiſſolubilitate matrimonii. *Reſp.* Indiſſolubilitatem matrimonii non magis eſſe juris naturalis, quàm ſingularitatem uxoris. Et ſicut ſingularitas uxoris eſt tantùm juris poſitivi divini, ita & indiſſolubilitas matrimonii. Quare ſicut Deus cum poſteris Noemi diſpenſare potuit, ut plures ſimul uxores habere poſſent, ita & potuit diſpenſare cum Judæis, ut poſſent matrimonium etiam conſummatum diſſolvere per libellum repudii.

Nota, Initio Deus pro arbitrio potuit matrimonium inſtituere diſſolubile, vel indiſſolubile, dando, ſcil. facultatem ineundi contractum matrimonialem cum vel ſine facultate contractum, illum poſteà reſcindendi. Initio autem matrimonium non diſſolubile, ſed indiſſolubile inſtituit, dando facultatem ineundi contractum matrimonialem, ſine facultate, adeòque cum impotentia reſcindendi poſteà contractum illum: cùm enim, ut jam ſupra obſervatum eſt, homo non poſſit diſponere de dominio corporis ſui in ordine ad actum conjugalem, niſi quatenùs & ea ratione, qua hoc ei à Deo conceſſum fuerit, ad contractum, quo diſponit de dominio corporis ſui in ordine ad actum conjugalem, reſcindendum planè impotens eſt ſine facultate à Deo ad id conceſſa. Hanc igitur facultatem non ſolùm non dando, ſed etiam poſitivè denegando Deus indiſſolubile effecit matrimonium in prima illius inſtitutione.

Huic autem inſtitutioni poſteà derogavit, & matrimonii indiſſolubilitatem ſuſtulit pro Judæis, eis permittendo ut per libellum repudii contractum matrimonialem reſcinderent etiam poſt matrimonii conſummationem; atque ita eis concedendo facultatem illam reſcindendi contractum matrimonialem, quam initio mundi denegaverat per Adamum, & quam poſt adventum Chriſti per ipſum Chriſtum revocatam eſſe voluit.

At inquies. Diſſolubilitas matrimonii adverſatur ejus fini primario: nam adverſatur bono prolis, cujus educationem impedit. Ergo juri naturali contraria eſt.

Reſp. Diſſolubilitatem matrimonii non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid fini ejus primario, cujus pars eſt prolis educatio, adverſari, quatenùs proles meliùs & faciliùs à patre & matre ſimul, quàm à ſolo patre, vel à ſola matre, educari poteſt regulariter. Unde nego conſeq. vel, ſi vis, diſt. Diſſolubilitas matrimonii contraria eſt juri naturali aliquid præcipienti, vel prohibenti, N. conſeq. Contraria eſt juri naturali dictanti matrimonii indiſſolubilitatem per ſe convenientiorem eſſe, C. conſeq.

Responsio III.

Chriſtus matrimonium ad primam inſtitutionem revocavit non ſolùm quoad uxoris ſingularitatem, ſed etiam quoad indiſſolubilitatem vinculi.

Patet ex cap. 19. Matth. ubi Chriſtus poſtquam recitavit verba, quibus primam matrimonii inſtitutionem expreſſit Adamus, ſtatim ſubjicit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro* (en indiſſolubilis unius cum una tantùm conjunctio maritalis:) *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, en indiſſolubilis hujus conjunctionis confirmatio, cum aliqua tamen reſtrictione hic ſubintelligenda: matrimonium enim etiam poſt legis Evangelicæ promulgationem non habet indiſſolubilitatem omnimodam, niſi ſit conſummatum inter baptizatos, ut patebit ex infra dicendis.

ARTICULUS VI.

Utrùm matrimonium baptizatorum non conſummatum, diſſolvi poſſit per profeſſionem religioſam, & quo jure.

Responsio I.

Matrimonium baptizatorum non conſummatum diſſolvitur per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata.

Eſt de fide, & *prob.* 1. ex ſummis Pontificibus, Alexandro III. cap. *Verùm* 2. & cap. *Ex publico* 7. & Innocentio III. cap. *Ex parte* 14. extra de converſione conjugatorum. Verba Alexandri III. cap. *Verùm*, hæc ſunt: *Verùm poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium .... dummodò carnalis commiſtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti, ſi commonitus continentiam ſervare noluerit, licitum eſt ad ſecunda vota tranſire.*

Prob. 2. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. canon. 6. *Si quis dixerit*, inquit, *matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi: anathema ſit.*

Responsio II.

Profeſſio religioſa matrimonium ratum, non conſummatum, dirimit non jure naturali, vel divino, ſed Pontificio.

Prob. 1. Non dirimit jure naturali: nam profeſſionis vinculum ſtare poteſt cum vinculo matrimonii, ut patet in eo, qui poſt matrimonii conſummationem ex uxoris conſenſu ingreditur religionem, in eaque profitetur, & nihilominùs manet conjugatus; alioquin matrimonium etiam conſummatum inter baptizatos, per profeſſionem religioſam dirimeretur, quod eſt falſum. Ergo fieri non poteſt, ut ex natura rei vinculum matrimonii etiam ante ipſius conſummationem ſolvatur per vinculum profeſſionis ſupervenientis. Conſequentia patet: non enim unum vinculum aliud poteſt ex natura rei ſolvere, niſi propter incompoſſibilitatem quam cum illo habeat ex natura rei. Sed

Etiam dato quòd vinculum profeſſionis ſtare non poſſit cum vinculo matrimonii, inde adhuc perperam concluderetur, quòd jure naturali primum vinculum ſolveret ſecundum: nam in hac ſuppoſitione non eſſet potior ratio, cur per vinculum profeſſionis ſupervenientis ſolveretur vinculum matrimonii antea contracti, & non è contra per vinculum matrimonii antea contracti vinculum profeſſionis ſupervenientis impediretur ex natura rei: gratis enim diceretur, vinculum profeſſionis ſupervenientis ex natura rei fortiùs eſſe, quàm vinculum matrimonii antea contracti.

Imò verò in ſuppoſitione permiſſa dicendum eſſet, ex natura rei per vinculum matrimonii antea contracti impediri vinculum profeſſionis ſupervenientis, & ſic propter vinculum matrimonii antea contracti profeſſionem eſſe irritam ex natura rei: nam ſi vinculum profeſſionis ſupervenientis eſſet incompoſſibile cum vinculo matrimonii antea contracti, certè quia per profeſſionem ſupervenientem uni traderetur, quod jam traditum eſſet alteri, quod magis innoteſcet ex ſolutione objectionum. Atqui rei jam traditæ traditio ex natura rei nulla eſt, & ex natura rei quod huic tradidiſti, nec licitè, nec validè tradere potes alii. Ergo, &c.

Con-

Confirmatur. Quia jure naturali profeſſio non dirimit matrimonium contrahendum. Ergo multò minùs jure naturali dirimit jam contractum. Conſequentia patet: nam difficiliùs eſt dirimi matrimonium jam contractum, quàm dirimi contrahendum. Præterea, ſi profeſſio jure naturali non dirimit matrimonium contrahendum, ſpectato ſolo jure naturali non eſt incompoſſibilis cum vinculo conjugali, adeòque illud ſolvere non poteſt, ſpectato ſolo jure naturali.

Prob. itaque ant. Profeſſio conſiderari poteſt dupliciter, relatè, ſcilicet, ad Deum, & relatè ad Religionem. Atqui ſub neutra conſideratione vim habet ex natura rei dirimendi matrimonium contrahendum. Nam 1. relatè ad Deum, eſt tantùm promiſſio, ſicut votum ſimplex. Promiſſio autem non tollit dominium rei promiſſæ, adeòque profeſſione præcisè conſiderata, ut ſe habet ad Deum, profeſſus retinet corporis ſui dominium, illudque conjugi tradere poteſt, ſpectato ſolo jure naturali. 2. Relatè ad Religionem, profeſſio continet quidem traditionem ſui: at hæc traditio non magis tollit dominium corporis, quàm ſervitus, quæ tamen matrimonium contrahendum non dirimit jure naturali. Ergo, &c.

Dices. Profeſſio religioſa eſt mors civilis. Ergo ſicut mors naturalis jure naturali ſolvit matrimonium conſummatum, ita profeſſio matrimonium ratum. *Reſp.* Profeſſionem religioſam eſſe mortem civilem jure eccleſiaſtico tantùm: dicitur enim & eſt mors civilis, quia profeſſum reddit incapacem dominii, & matrimonii contrahendi: hoc autem non præſtat niſi jure eccleſiaſtico. Nihil igitur niſi jure eccleſiaſtico poteſt profeſſio, qua mors civilis eſt. Unde nego conſeq.

At inquies. Profeſſio eſt etiam quædam mors ſpiritualis. *Reſp.* Eſſe quandam mortem ſpiritualem, quia per eam vita mundana in perpetuum repudiatur; ſed quid inde? Nam cum hoc repudio ſtare poteſt vinculum matrimonii rati, ſicut cum eo ſtare poteſt vinculum matrimonii conſummati, cum aliis obligationibus ante profeſſionem contractis.

Dices. Profeſſio religioſa eſt ſtatus perfectior. Ergo ex natura rei dirimit matrimonium ratum. *Reſp.* neg. conſeq. Nam hic ſtatus perfectior, eſt quidem incompoſſibilis cum uſu matrimonii, at non eſt incompoſſibilis cum vinculo; alioquin conjugatus, qui poſt matrimonii conſummationem, conſentiente conjuge, Religionem ingreditur, vel non profitetur validè, vel matrimonium, quamvis conſummatum, dirimit per profeſſionem, quorum utrumque falſum eſt.

Dices. Homo tradit ſe Deo & Religioni per profeſſionem. Ergo profeſſio inducit vinculum repugnans vinculo matrimonii. *Reſp.* neg. conſeq. Nam homo per profeſſionem eatenùs tradit ſe Deo, quatenùs ei corpus ſuum conſecrat vovendo caſtitatem, & eatenùs tradit ſe Religioni, quatenùs per votum obedientiæ ei ſe obligat, ut ab ea gubernetur. At talis traditio ſui, qua nullius rei dominium transfertur, inducere non poteſt vinculum repugnans vinculo conjugali, quia non poteſt inducere vinculum repugnans mutuo corporum dominio, quod habent conjuges ad actum conjugalem, in quo mutuo dominio conjugale vinculum conſiſtit. Profeſſio igitur tantùm inducit vinculum repugnans uſui matrimonii, inducendo obligationem continendi, quod vinculum ſtat cum vinculo conjugali, ut patet in conjugibus, qui profitentur in religione, aut extra religionem communi conſenſu vovent continentiam: in neutro enim caſu deſinunt habere mutuum dominium corporum ad actum conjugalem, ſed ſolùm uſus hujus dominii redditur eis illicitus.

2. Profeſſio religioſa matrimonium ratum, non conſummatum, non dirimit jure divino: nam ſi qua jure divino dirimit, certè ea quæ fit in Religione approbata: profeſſionem enim, quæ fit in Religione non approbata, matrimonium ratum nullo jure dirimere agnoſcunt adverſarii. Atqui falſum eſt, quòd profeſſio, facta in Religione approbata, matrimonium ratum jure divino dirimat. Ergo, &c.

Prob. min. Nam ſi profeſſio in Religione approbata matrimonium ratum jure divino dirimit, hanc vim habet, vel quia eſt ſtatus perfectionis, vel ratione voti caſtitatis, cui repugnat uſus matrimonii, vel denique ratione ſolemnitatis. Atqui nihil horum dici poteſt. Non primum: nam Religio non approbata eſt etiam ſtatus perfectionis; cùm tam contineat conſilia Chriſti, quàm Religio approbata. Certè prioribus Eccleſiæ ſæculis Religiones non ſolebant approbari, & tamen quis idcircò neget eas fuiſſe ſtatus perfectionis? Non ſecundum: nam profeſſio in Religione non approbata, habet quoque votum caſtitatis perpetuæ. Non denique tertium: nam ſolemnitas non eſt juris divini, ſed eccleſiaſtici tantùm, ut conſtat ex cap. Unico de voto, & voti redempt. in 6.

Confirmatur. Profeſſio in Religione non approbata matrimonium ratum non dirimit jure divino. Ergo nec profeſſio in Religione approbata. *Prob. conſ.* Nam Religio approbata & Religio non approbata inter ſe non differunt jure divino, ſed ſolùm eccleſiaſtico, à quo firmitatem & excellentiam quandam habet Religio approbata, qua non approbata caret. Ergo profeſſio, ex eo quòd fit in Religione approbata, jure divino nihil habet, quo careat, ſi fiat in Religione non approbata, adeòque nihil poteſt jure divino, cùm fit in Religione approbata, quod non poſſit etiam, cùm fit in Religione non approbata. Certè profeſſio in Religione approbata, ſupra profeſſionem in Religione non approbata nihil habet præter ſolemnitatem, adeòque ſi quid poteſt, quod non poteſt altera, poteſt tantùm ratione ſolemnitatis, quæ non à Deo, ſed à ſummis Pontificibus poſt multa ſæcula inſtituta eſt, atque ita alio jure quàm divino, poteſt.

Confirmatur adhuc. Si profeſſio in Religione approbata matrimonium ratum dirimit jure divino, illud etiam dirimunt vota ſimplicia in noſtra Societate. Falſum conſeq. Ergo, &c. *Prob. ſeq. maj.* Quia nulla poteſt afferri diſparitas fundata in jure divino: nam qui emittit vota ſimplicia in Societate noſtra, vovet caſtitatem perpetuam, tam tradit ſe Deo & Religioni, quàm qui profeſſionem emittit, verè, ac propriè fit religioſus, & quidem in Religione approbata.

At inquies. Vota illa non habent ſolemnitatem, quam habet profeſſio in Religione approbata. *Reſp.* Bene eſt. Ergo profeſſio in Religione approbata ſola ſolemnitate præſtat votis ſimplicibus in noſtra Societate. Ergo præſtat illis jure tantùm eccleſiaſtico, adeòque nihil poteſt jure divino, quod illa non poſſint.

3. Igitur profeſſio religioſa, ea ſcilicet, quæ fit in Religione approbata, matrimonium ratum dirimit jure tantùm eccleſiaſtico: cùm enim illud nec jure naturali, nec poſitivo divino dirimat, ſupereſt ut illud dirimat jure eccleſiaſtico. Quod

Confirmatur. Nam profeſſio in Religione approbata jure tantùm eccleſiaſtico dirimit matrimonium contrahendum. Ergo, vel non dirimit jam contractum, licèt non conſummatum, vel jure tantùm eccleſiaſtico dirimit. Conſequentia patet: nam ſi jure naturali, vel divino poſitivo, matrimonium jam contractum dirimeret, illud à fortiori eodem jure dirimeret contrahendum.

Prob. itaque ant. Ex cap. unico de voto, &c. in 6. ubi Epiſcopo Biterrenſi, quærenti *quod votum debeat dici ſolemne, ad dirimendum matrimonium efficax*, reſpondet Bonifacius VIII. 1. Votorum ſolemnitatem non à Deo, ſed ab Eccleſia inſtitutam fuiſſe. *Nos igitur*, inquit, *attendentes, quòd voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*. 2. Matrimonium contrahendum dirimi per illud tantùm caſtitatis votum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem alicujus Ordinis ſacri, vel profeſſionem in aliqua Religione per ſedem Apoſtolicam approbata: *Præſenti*, inquit, *declarandum duximus oraculo ſanctionis*,

ctionis,

Digitized by Google

ſtionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua verò vota, etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum (reddendo illud illicitum) ...... *non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta*.

Ex his porrò ſatis apertè colligitur, Chriſtum ſummo Pontifici, tanquam ſupremo ſuo in terris vicario, ſicut vota relaxandi juſtas ob cauſas, ita & matrimonia rata, non conſummata, juſtas ob cauſas dirimendi poteſtatem dediſſe. Et quia gratis diceretur, aliam eſſe non poſſe juſtam matrimonia rata, non conſummata, dirimendi cauſam, præter ingreſſum Religionis approbatæ, & profeſſionem in ea factam, ſatis apertè colligitur ex dictis, Romanos Pontifices poſſe quandoque extra caſum profeſſionis in Religione approbata, matrimonia rata dirimere, & utrique parti aliud matrimonium contrahendi facultatem concedere. Quod

Validè confirmatur ex praxi multorum Pontificum: nam Martinus V. Eugenius IV. teſte S. Antonino, Paulus III. Pius IV. teſte Navarro, & Gregorius XIII. teſte Præpoſito, matrimonii rati non conſummati vinculo diſſoluto, utrique parti conceſſerunt, ut ad alias nuptias tranſirent. Tot porrò Pontifices in re tanti momenti hallucinatos eſſe, & duriſſimum & iniquiſſimum eſſet aſſerere.

Dices. Hæc doctrina repugnat Chriſto dicenti Matth. cap. 9. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. *Reſp.* neg. Nam cùm Pontifex matrimonium ratum diſſolvit, ſicut & cum votum relaxat, agit tantùm ut Dei vicarius: unde tunc non tam ab homine, quàm à Deo per hominem matrimonium diſſolvitur, vel votum relaxatur. *Nota*, Pontifex in diſſolvendo matrimonio rato, ſicut & in voto relaxando, non agit ut dominus, ſed ut diſpenſator: unde ſine juſta cauſa invalidè in matrimonio rato, ſicut & in voto, diſpenſaret.

Dices. Ergo pariter dici poterit, quòd aliquando Pontifex poſſit diſſolvere matrimonium conſummatum. *Reſp.* neg. Quia nulla eſt ratio aſſerendi, quòd Chriſtus hanc poteſtatem dederit Pontifici: neque ullus unquam Pontifex talem poteſtatem exercuit, cujus tamen exercendæ, ſi eam haberent Pontifices, hactenùs non defuerunt occaſiones urgentiſſimæ. Hanc igitur poteſtatem nulli hominum dare Chriſtus voluit, quia voluit matrimonium conſummatum perfectum eſſe ſignum conjunctionis Verbi cum natura humana, & Chriſti cum Eccleſia, quæ conjunctio indiſſolubilis eſt.

At inquies. Matrimonium ratum & conſummatum ſunt ejuſdem naturæ. Ergo ſi Pontifex matrimonium conſummatum diſſolvere non poteſt, nec poteſt diſſolvere ratum, non conſummatum. *Reſp.* Matrimonium indiſſolubilitatem habere, non ea natura ſua, ſed ex inſtitutione Dei, qui potuit velle, ut in lege Evangelica, poſt conſummationem nunquam, aliquando verò ante conſummationem diſſolvi poſſet per Pontificem ſupremum Chriſti in terris vicarium. Unde ex eo quòd Pontifex non poſſit unquam diſſolvere matrimonium conſummatum, malè arguitur quòd nunquam diſſolvere poſſit nondùm conſummatum; cùm à Deo hoc, & non illud, diſſolvendi poteſtatem accipere potuerit.

Quæres 1. Utrùm novus conjux Religionem cogitans, teneatur matrimonium conſummare ante duos primos menſes elapſos, ſi id pars exigat?

Reſp. neg. Nam cap. *Ex publico* 7. extra de converſione conjug. ſecundùm communem Doctorum interpretationem, novis conjugibus Religionem cogitantibus concedit ad deliberandum duos menſes ab initio contractu computandos, intra quos proinde novi conjuges poſſunt nolle conſummare, etiamſi pars id exigat maximè.

Dixi. Secundùm communem Doctorum interpretationem: nam ſecluſa Doctorum interpretatione, ex dicto capite colligitur tantùm, quòd judex, mota lite, & cauſa cognita, debeat conjugi Religionem cogitanti duos menſes præſcribere, intra quos Religionem ingredi teneatur, aut illis expletis, ſtatim matrimonium conſummare: ibi enim agitur de muliere, quæ de matrimonii ſui valore litigaverat; damnata matrimonium conſummare recuſaverat; idcircò ab Epiſcopo excommunicata recurrerat ad ſummum Pontificem, dicens velle ſe Religionem ingredi; ab eo litteras Apoſtolicas obtinuerat, quibus præcipiebatur, ut Epiſcopus illi duos menſes præſcriberet, intra quos vel ingredi Religionem, vel ad virum ſuum redire deberet, computandos, non à die contracti matrimonii, cùm ab eo tempore jam elapſi eſſent menſes plures; ſed à die, quo Epiſcopus illi præciperet.

At inquies. Annon novus conjux, etiamſi Religionem non cogitet, poteſt duobus primis menſibus nolle conſummare matrimonium, cùm fieri poſſit, ut Deus intra tempus illud ei Religionis deſiderium inſpiret?

Reſp. negat. Nam contrahentes matrimonium, ſtatim corporum ſuorum dominium ad uſum conjugalem ſibi mutuò tradunt; unde ſtatim utrique parti jus ad actum conjugalem, adeòque ad matrimonii conſummationem acquiritur? Tenetur igitur novus conjux matrimonium ſtatim conſummare, ſi pars id exigat, niſi aut aliter inter eum & partem convenerit, aut Religionem ingredi deſideret: tunc enim, & non aliàs, jus ei duos ad deliberandum menſes concedit.

Quæres 2. Utrùm novo conjugi, Religionem cogitanti, præter duos præfatos menſes concedatur annus integer probationis, & ita ſufficiat illum intra duos illos menſes novitium fieri, & poſt annum probationis profiteri?

Reſp. Affirmativè. Saltem pro locis, in quibus receptum eſt Tridentinum, à quo ſeſſ. 25. cap. 15. de Regularibus, irritatur omnis profeſſio facta ante annum probationis expletum: unde in locis illis, in quibus Tridentinum receptum eſt, vel conjux non poteſt ante conſummationem matrimonii Religionem ingredi, quod falſum eſt; vel intra duos menſes ſibi conceſſos factus novitius, explere poteſt annum integrum probationis, ut eo expleto profiteatur.

Dices. Ergo ſi quis puellam annorum duodecim accipiat uxorem, & illa ante matrimonii conſummationem Religionem ingrediatur, is debebit expectare uſque ad annum puellæ decimum-ſextum expletum; cùm hanc ætatem ad valorem profeſſionis abſolutè, nullo caſu excepto, Tridentinum requirat. *Reſp.* Ita eſſe pro locis, in quibus Tridentinum receptum eſt. Nec de tanta dilatione juſtè queri poteſt ſponſus, qui illius periculo ſeſe volens ac lubens objecit, talem puellam accipiendo.

At inquies. Saltem in locis, in quibus Tridentinum non eſt receptum, & in quibus proinde nec annus integer probationis, nec annus ibi expletus requiritur ad validam profeſſionem, ut patet ex cap. *Ad Apoſtolicam* 16. extra de Regularibus, conjux volens Religionem ingredi, tenetur profiteri intra duos illos menſes ſibi à jure conceſſos.

Reſp. 1. Aliquos partem affirmativam tenere, propter citatum cap. *Ex publico*, ubi mulier jubetur, *vel ad Religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire infra duorum menſium ſpatium*; & to *ad Religionem tranſire* pro profiteri accipitur, ut intelligitur ex his verbis, quæ ſubjiciuntur: *Quod ſi* (mulier) *ad Religionem tranſierit, uterque reſtituat alteri, quod ab eo noſcitur recepiſſe*. Eodem ſenſu to Religionem ingredi, accipitur cap. *Ex parte* 14. eodem titul. in quo dicitur, antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconſulto, ad Religionem tranſire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari.

Reſp. 2. Alios meliùs ſentire, quòd conjugi volenti Religionem ingredi ante matrimonii conſum-

matio-

mationem, annus integer probationis concedatur, etiam pro locis, in quibus Tridentinum receptum non eſt. Quod evidenter videtur probari poſſe ex citato c. *Ex parte*, juncto cap. cit. *Ad Apoſtolicam*: nam Innocentius III. in c. *Ex parte*, dicit ante matrimonii conſummationem licitum eſſe alteri conjugum profiteri in Religione, nullum tempus determinatum, intra quod profeſſio fieri debeat, præſcribendo. Et c. *Ad Apoſtolicam* idem Innocentius ait, *Monachum fieri ante unius anni probationem, regularem inſtitutionem interdicere: hoc probationis tempus à Patribus indultum eſſe, non ſolum in favorem converſi, ſed etiam monaſterii, ut & ille aſperitates ſciat, & iſtud mores illius valeat experiri, quod utrumque diligenter eſt obſervandum*. Et infrà, prohibendum eſſe Abbatibus, *ne paſſim ante tempus probationis* (regulariter præfinitum) *quoslibet ad profeſſionem recipiant, & ſi quoslibet indiſcretè receperint, animadverſione debita corrigendos eſſe*.

Ex juris igitur antiqui diſpoſitione, quicumque Religionem ingrediuntur, antequam profiteantur, experiri poſſunt regularem obſervantiam; & ipſa Religio, quam ingrediuntur, antequam eos ad profeſſionem admittat, eorum mores probare poteſt per annum integrum; imò hoc utrumque diligenter obſervandum eſt. Et quamvis, ut ibidem ait Innocentius, tam is qui Religionem ingreditur, quàm ipſa Religio, privilegio ſuo renunciare poſſit, & ſic poſſit Religionem ingreſſus ad profeſſionem admitti ante annum probationis, hoc tamen paſſim & indiſcretè fieri graviter illicitum eſt. At ſi hoc aliquando non licèt, certè tunc maximè, cùm quis contracto priùs matrimonio Religionem ingreditur; quia periculum eſt, ne vel ex levitate animi, vel magis ex odio conjugis, quàm ex amore Religionis, hoc faciat, atque ita poſteà facti pœnitens, & ſtatus ſuſcepti pertæſus, Religioni damno ſit & oneri ob inordinatam agendi rationem.

Quibus igitur jus antiquum ingreſſum Religionis permittit, iiſdem concedit annum probationis, antequam profiteri teneantur; cùm neminem ante hoc tempus ad profeſſionem admitti conſulat maximè, nec in hac re niſi rarò diſpenſari permittat, neque obſtare poſſit citat. cap. *Ex publico*, quod juxta communem Doctorum ſententiam, qualiſcumque fuerit hic mens Alexandri III. eo tantùm ſenſu in jus commune relatum eſt, quòd conjuges Religionem cogitantes, intra duos menſes ab initio contracti matrimonii computandos, debeant habitum religioſum ſuſcipere, poſt præſcriptum probationis tempus profeſſionem emiſſuri, vel conſummare matrimonium.

Quæres 3. Utrùm quandiu matrimonium non eſt conſummatum, conjugibus liceat ingredi Religionem, quantumcumque tempus à contracto matrimonio elapſum fuerit?

Reſp. Licere utrique conjugi, ſive jure, ſive injuria, matrimonii conſummatio fuerit impedita. Patet ex cap. *Ex parte* 14. de converſ. conjug. in quo abſolutè conjugibus jus conceditur Religionem ingrediendi, quandiu matrimonium conſummatum non eſt. Imò cap. *Ex publico* 7. eodem tit. mulieri, quæ à valdè longo tempore matrimonium contraxerat, facultas nihilominùs datur ad religionem tranſeundi, ibique duo menſes ſtatuuntur, non ut eis elapſis conjux non poſſit ampliùs tranſire ad Religionem, ſed ut intra certum tempus teneatur, vel ad Religionem tranſire, vel conſummare, ſic ut ſi intra tempus illud ad Religionem non tranſierit, compelli poſſit ad conſummandum, ſi non ſtatim tranſeat ad Religionem.

Quæres 4. Per quam copulam ita conſummetur matrimonium, ut ea habita, non poſſint ampliùs conjuges illud diſſolvere ingrediendo Religionem?

Reſp. Requiri, & ſufficere eam copulam, ex qua ſequi poſſit generatio: nam ſine tali copula non fiunt, & cum ea fiunt conjuges una caro; & ita ſine tali copula conjuges ſignificant tantùm unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem; cum ea verò ſignificant etiam conjunctionem ejuſdem Chriſti cum eadem Eccleſiam per Verbi incarnationem: unde ſine tali copula matrimonium non habet perfectam ſignificationem, & ſic nondum conſummatum eſt; cum ea verò perfectam ſignificationem habet, & ſic conſummatum dicitur, habetque omnimodam, qua ante carebat, indiſſolubilitatem, quia jam indiſſolubilem Verbi incarnati cum Eccleſia conjunctionem ſignificat.

Quandiu igitur talem copulam non habuerint conjuges, poterit matrimonium per profeſſionem religioſam diſſolvi. *At inquies*. Quid ſi abſque tali copula conjuges eam inter ſe habuiſſent familiaritatem, ut ex ea, uno ad Religionem tranſeunte, alteri in ſæculo remanenti, talis inureretur nota, ut non niſi ægerrimè poſſet aliàs poſteà obtinere nuptias? *R.* Tunc unum Religionem ingredi non poſſe ſine gravi damno alteriùs, atque ita videri, quòd neuter licitè poſſet ingredi Religionem, invito altero; quamquam qui ingrederetur, validè profiteretur, & profitendo matrimonium dirimeret.

Quæres 5. Utrùm conjugibus matrimonium non eſſe conſummatum affirmantibus, credatur, & permittatur matrimonium diſſolvi per ingreſſum Religionis?

Reſp. negat. Nam confeſſioni conjugum ſtandum non eſſe in præjudicium matrimonii propter periculum colluſionis, ſtatuitur cap. *Super eo* 5. extra de eo qui cognovit conſanguineam uxoris, &c. Et ibidem præter conjugum confeſſionem, requiruntur rationabiles & fide dignæ probationes. Conjugibus itaque affirmantibus matrimonium non eſſe conſummatum, credendum non eſt, ſaltem poſtquam uxor ad domum viri deducta fuit.

ARTICULUS VII.

Utrùm matrimonium infidelium etiam conſummatum, diſſolvi poſſit, ſi unus ad fidem convertatur.

NOta 1. Infideles, ſi non habeant impedimentum jure naturali dirimens, verum matrimonium contrahere, ut patet ex 1. Cor. cap. 7. ubi Apoſtolus conjugem, qui ad fidem converſus eſt, hortatur ut eum conjuge perſeverante in infidelitate maneat, ſi conſentit hic ei pacificè cohabitare; quod certè non liceret, ſi verum non eſſet matrimonium, quod in infidelitate contrahitur. 2. Matrimonium infidelium, quandiu neuter conjugum ad fidem convertitur, eſſe prorſus indiſſolubile, ſive conſummatum ſit, ſive non, ut patet ex cap. *Gaudemus* 8. de divortiis, ubi dicitur: *Qui autem* (infidelis) *ſecundum ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem; nunquam ea vivente licitè poterit aliam etiam ad fidem Chriſti converſus habere, niſi, &c.* Quæritur ergo utrùm matrimonium illud, quod verum eſt, nec diſſolvi poteſt, quandiu conjuges manent infideles, ſaltem poſſit diſſolvi, ſi alter ad fidem convertatur. Pro quo ſit

Responsio I.

Si conjux ad fidem convertatur, & alter aut omninò nolit ei cohabitare, aut non velit, niſi cum contumelia Creatoris, vel eum pertrahendo ad peccatum; poteſt ad fidem converſus & baptizatus alterum deſerere, & novum cum fideli matrimonium contrahere.

Patet ex citato cap. *Gaudemus*, & ex cap. *Quanto* 7. eod. tit. ubi dicitur: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit.*

Probatur autem evidenter ex 1. Cor. cap. 7. ubi ſic ait Apoſtolus verſ. 10. & 11. *Iis autem qui* (poſt fidem ſuſceptam) *matrimonio juncti ſunt, præcipio non*

ego,

ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere (ſine juſta cauſa:) *quòd ſi* (etiam ex juſta cauſa) *diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari:* & (ſimiliter) *vir uxorem non dimittat* (niſi ex juſta cauſa.) Quòd ſi etiam ex juſta cauſa dimiſerit, maneat cœlebs, aut ei reconcilietur. Tum verſ. 12. 13. & 15. hæc ſubjicit: *Nam cæteris* (qui in infidelitate matrimonio juncti fuerunt) *ego dico, non Dominus, ſi quis frater* (ad fidem converſus) *uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo* (pacificè) *non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis* (ad fidem converſa) *habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa* (pacificè) *non dimittat virum .... Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi.*

Nota 1. Dominum, ſi ambo conjuges fideles ſunt, præcipere, ut neuter ab altero diſcedat ſine juſta cauſa; & ſi unus ab altero diſcedat, ex quacumque cauſa diſcedat, præcipere, ut ambo maneant cœlibes. 2. Dominum, ſi ex conjugibus infidelibus unus ad fidem convertatur, pro eo qui ad fidem convertitur, neutrum præcipere, hoc eſt, neque ut non diſcedat à parte infideli, neque ut maneat cœlebs, ſi diſcedat, præcipere. 3. Apoſtolum conſulere quidem conjugi ad fidem converſo, ne diſcedat à parte nolente converti, ſed volente ei cohabitare pacificè; at non addere quòd, ſi diſceſſerit, debeat manere cœlebs, aut reconciliari parti infideli, quia ſcilicet, neutrum eſt neceſſarium. 4. Si pars infidelis diſcedat, hoc eſt, ut interpretatur Innocentius III. citato cap. *Quanta*, aut nolit omninò, aut nolit pacificè cohabitare, conjugem fidelem non eſſe ſervituti ſubjectum, hoc eſt, non manere obligatum vinculo matrimonii hic enim alia eſſe non poteſt ſervitus, & de tali tantùm ſervitute Doctores omnes Apoſtolum interpretantur cum Innocentio III. loco proximè citato. Ex his autem manifeſtè ſequitur veritas aſſertionis noſtræ.

Dices. Hæc doctrina repugnat his Chriſti verbis Matth. cap. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, & iſtis eod. loco: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. *Reſp.* Chriſtum utroque loco intelligendum eſſe de matrimonio inter fideles contracto, ut manifeſtum eſt ex Apoſtolo loco ſupra citato.

Dices. Matrimonium inter fideles contractum diſſolvi non poteſt, etiamſi alter conjugum labatur in hæreſim vel apoſtaſiam, ut patet ex citato c. *Quanto*, in quo ſic loquitur Innocentius III. *Si verò alter fidelium conjugum, vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc caſu is qui relinquitur, vivente altero poſſit ad ſecundas nuptias convolare*. Et ex Trident. ſeſſ. 24. canon. 5. ubi ait: *Si quis dixerit, propter hæreſim diſſolvi poſſe matrimonii vinculum: anathema ſit*. Ergo nec matrimonium inter infideles contractum, diſſolvi poteſt, etiamſi alter conjugum convertatur ad fidem.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitatem aſſignat ſic Innocentius III. poſt verba proximè citata: *Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit* (ita ut nulla ratione, poſtquam conſummatum eſt, poſſit diſſolvi) *quia ſacramentum fidei* (nempe Baptiſmus) *quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, & ratum efficit conjugii ſacramentum, ut ipſum in conjugibus illo durante perduret* (adeòque perduret in conjugibus, etiam poſt lapſum alterius in hæreſim) cùm in conjugibus, etiam poſt alterius lapſum in hæreſim, perduret ſacramentum fidei, quod eſt Baptiſmus.

Reſpondet Bellarminus libro de matrimonii ſacramento, cap. 12. *Magnum eſſe diſcrimen inter conjugia contracta in infidelitate, & conjugia contracta poſt baptiſmum. Priora enim, etſi rata ſint, & firma ex natura ſua, tamen ſacramenta non ſunt, & ideo deeſt illis potiſſima ratio inſolubilitatis. At poſteriora, ſacramenta ſunt, & proinde duplicem habent rationem inſolubilitatis*. Unde concludit, à prioribus argumentandum non eſſe ad poſteriora, quantùm ad ſolubilitatem, adde nec viciſſim quantùm ad inſolubilitatem. Breviùs & clariùs dici poteſt, matrimonium à baptizatis contractum, & conſummatum, ex inſtitutione Chriſti ſignificare indiſſolubilem verbi conjunctionem cum Eccleſia per incarnationem, ad quod requiritur ut habeat omnimodam indiſſolubilitatem, quod facilè conciliatur cum utraque diſparitate ante allata.

RESPONSIO II.

Etiamſi conjux infidelis conſentiat conjugi ad fidem converſo cohabitare pacificè, ſi tamen pertinaciter renuat converti, poteſt conjux ad fidem converſus illam deſerere, & aliud cum fideli contrahere matrimonium.

Prob. Ex 1. Corinth. cap. 7. verbis ſupra relatis. Nam 1. in caſu propoſito conjux ad fidem converſus nullo præcepto tenetur manere cum parte infideli: etenim ſi tenetur, vel præcepto divino, vel apoſtolico. Non primum; nam de conjugibus infidelibus, quorum alter ad fidem convertitur, nihil præcepit Dominus. Non ſecundum; nam hæc Apoſtoli verba: *Cæteris autem ego dico, non Dominus, &c.* Merum conſilium continent. Ergo in caſu propoſito poteſt conjux ad fidem converſus à parte infideli diſcedere.

2. In caſu propoſito conjux ad fidem converſus, parte infideli relicta, poteſt aliud matrimonium contrahere: Nam Apoſtolus loco citato, Dominum præcipientem, *uxorem* fidelem *à viro* fideli *non diſcedere, & ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro reconciliari*, æquivalenter dicit, neutrum præcipere viro fideli habenti uxorem infidelem, vel mulieri fideli habenti virum infidelem, adeòque utrumque, diſcedere ſcilic. & aliud matrimonium contrahere, viro ad fidem converſo, uxore manente in infidelitate, & viciſſim mulieri ad fidem converſæ, viro manente in infidelitate, concedere. Prætereà, admonens Apoſtolus conjugem ad fidem converſum, ne diſcedat à conjuge infideli renuente converti, ſi conſentiat ei cohabitare pacificè, non addit debere, ſi diſcedat, manere cœlibem; imò verò nequidem conſulit, ut tunc maneat cœlebs. Ergo gratis diceretur conjux ad fidem converſus, à parte infideli, nolente converti, diſcedens, quod licitè poteſt, non poſſe aliud contrahere matrimonium.

Primam partem aſſertionis tenet ſanctus Auguſtinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 13. ubi ad locum, 1. Corinth. cap. 7. ſupra citatum hæc habet: *Monet Apoſtolus .... ut fideles conjuges in relinquendis infidelibus permiſſa licentia non utantur. Tibi autem videtur infideles quoque dimitti à fidelibus non licere, quia hoc vetat Apoſtolus: cùm ego dicam licere, quia hoc non vetat Dominus, non tamen expedire, quia hoc, ut non fiat, monet Apoſtolus*. Sanctum Auguſtinum ſequitur S. Thomas in 4. diſtinct. 39. quæſt. unic. art. 4. in O: *Ille autem*, inquit, *qui* (ad fidem converſus) *ad baptiſmum accedit, regeneratur in Chriſto, & priori vita moritur ...... & ideo liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult*. Idem ſentiunt Doctores communiter.

Secundæ parti adverſatur S. Thomas in 4. diſt. 34. quæſt. unica art. 5. in O. ubi ait: *Quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, diſtinguendum eſt, quia ſi infidelis vult cohabitare ſine contumelia Creatoris, ſine hoc quod ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis liberè diſcedere, ſed diſcedens non poteſt alteri nubere*.

In eadem fuiſſe ſententia videtur ſanctus Auguſtinus lib. de adult. conjug. cap. 25. ubi ait: *Quia de iis qui jam conjuncti ſunt* (in infidelitate) *alia quæſtio eſt: audiatur & hic Apoſtolus dicens*: Si quis

frater

frater habet uxorem infidelem ..... *& ſic audiatur, ut quamvis fieri licitum ſit, quia hoc non dicit Dominus* (ſed Apoſtolus) *non tamen fiat, quia non expedit .... propter quodlibet tamen fornicationis genus, ſive carnalis, ſive ſpiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimiſſo viro non licet alteri nubere, & dimiſſa uxore non licet alteram ducere : quoniam Dominus nulla exceptione facta dicit. Si uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur; & Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur.*

Nobis tamen favet S. Doctor ſuperiùs c. 13. cùm dicit : *Non propter vinculum cum talibus conjugale ſervandum, ſed ut acquirantur Chriſto, recedi ab infidelibus conjugibus, Apoſtolus vetat.* Nam quare Apoſtolus, ne conjux ad fidem converſus recedat à conjuge nolente converti, ſed volenti cohabitare, non vetat propter vinculum conjugale cum eo ſervandum, niſi quia ad id non tenetur conjux fidelis, altero in infidelitate pertinaciter remanente?

Dices. Nobis etiam adverſatur Innocentius III. cap. *Gaudemus* 8. extra de divortiis, ubi ait virum ad fidem Chriſti converſum, vivente uxore, quam in infidelitate duxerat, etiamſi illam ſecundùm ritum ſuum ante converſionem ſuam repudiaverit, aliam habere non poſſe, *niſi poſt converſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo; aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.*

Reſp. Noſtrum eſſe Innocentium III. Nam ei unum & idem ſunt, velle cohabitare cum contumelia Creatoris, & velle cohabitare remanendo in infidelitate: unde verborum citatorum hic ſenſus eſt, niſi poſt converſionem ipſius nolit ei cohabitare, aut non velit niſi remanendo in infidelitate. Quare paulò poſt ſubjicit: *Quòd ſi converſum ad fidem, & illa converſa ſequatur* (adeòque jam velit ei cohabitare ſine contumelia Creatoris) *antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur.*

Innocentio igitur, velle remanere in infidelitate contumelia Creatoris eſt. Quod ampliùs declaratur ex cap. *Quanto* 7. eodem tit. ubi idem Innocentius dicit, uno ex conjugibus fidelibus labente in hæreſim, vel tranſeunte ad gentilitatis errorem, alterum non poſſe ad ſecundas nuptias convolare, *licèt in hoc caſu major appareat contumelia Creatoris* (quàm in alio, in quo ex conjugibus infidelibus uno ad fidem converſo, alter pertinaciter remanet in infidelitate.) In quem locum hæc habet Gloſſa : *Magis delinquunt fideles apoſtatando* (adeòque majorem Creatori contumeliam faciunt) *quàm infideles in infidelitate remanendo.*

Porrò conjux ad fidem converſus non poteſt alterum contrahere matrimonium, niſi priùs ei moraliter conſtet, partem infidelem nolle converti, adeòque debet eam priùs monere, & ad fidem amplectendam invitare; & ſi certum aliquod ad deliberandum tempus petierit, illud ei concedere. Ratio eſt, quia privilegium contrahendi aliud matrimonium conjugi ad fidem converſo ideò tantum conceſſum eſt, ut non cogatur aut manere cœlebs, aut cohabitare conjugi infideli cum magna quadam indecentia, vel etiam ſuo & liberorum periculo; quæ incommoda ceſſant, cùm conjux infidelis ad relinquendam infidelitatem paratus eſt : unde quando conjux infidelis paratus eſt ad fidem amplectendam, conjux fidelis non poteſt aliud matrimonium contrahere.

At inquies. Quid ſi conjux ad fidem converſus vellet Religionem ingredi, vel ſuſcipere ſacros Ordines? *Reſp.* Quòd ſimiliter deberet uxorem infidelem priùs, ſi poſſet, monere, eamque ad fidem amplectendam invitare; nec priùs Religionem ingredi, aut ſacros Ordines ſuſcipere, quàm ei de animo uxoris in infidelitate ſua obſtinato moraliter conſtaret; ne cum uxoris injuria aut profiteretur in Religione, aut ſacros Ordines ſuſciperet.

At inquies. Quid ſi maritus ad fidem converſus, potuerit uxorem infidelem monere, & tamen ea non monita, profiteatur in Religione, vel Ordinem ſacrum ſuſcipiat? Eritne reſtituendus uxori eum poſteà repetenti?

Reſp. Videtur poſteà reſtituendus uxori, ſi eum repetat, & ſtatim atque eum profeſſum, vel ſacris Ordinibus initiatum eſſe cognoverit, convertatur ad fidem : hoc enim facto probat ſe paratum ad amplectendam fidem, eamque amplexuram fuiſſe, ſi monita fuiſſet, adeòque ipſa invita, maritum ejus non potuiſſe Religionem ingredi, aut initiari ſacris Ordinibus.

R e s p o n s i o III.

Antequam conjux ad fidem converſus, parte infideli diſcedente, aut nolente ei cohabitare ſine contumelia Creatoris, inierit ſecundum matrimonium, prius non ſolvitur, ſed ſolvitur hoc ipſo quòd ſecundum init.

Prob. 1. pars ex cap. *Gaudemus* 8. extra de divortiis, ubi dicitur, quòd vir ad fidem converſus, uxorem infidelem quæ ab eo diſceſſerat, aut renuerat ei cohabitare ſine contumelia Creatoris, compelletur recipere poſtea, ſi antequam ipſe aliam duxerit uxorem, illa ad fidem converſa ad eum redeat. Cujus alia ratio eſſe non poteſt, quàm quòd matrimonium non fuerit ſolutum marito ad fidem converſo, quamvis uxor infidelis aut renueret omninò, aut nollet ei cohabitare ſine contumelia Creatoris, niſi antequam illa converteretur, & rediret ad maritum, maritus aliam ſibi legitimo matrimonio copularit.

2. pars ſequitur primam. Nam ſi matrimonium infidelium, altero conjuge ad fidem converſo, altero verò aut ab eo diſcedente, aut nolente ei cohabitare ſine contumelia Creatoris, ſolvi poteſt, & non ſolvitur antequam conjux ad fidem converſus alterum contrahat matrimonium; neceſſe eſt, ut ſolvatur eo ipſo quòd alterum matrimonium contrahitur à conjuge ad fidem converſo; cùm nec vir duas uxores, nec uxor duos maritos ſimul habere poſſit.

Confirmatur utraque pars authoritate S. Thomæ in 4. diſt. 39. quæſt. un. art. 5. ad 2. ubi ait : *Crimen uxoris nolentis cohabitare ſine contumelia Creatoris, abſolvit virum à ſervitute qua tenebatur uxori, ut non poſſit ea vivente aliam ducere, ſed nondùm ſolvit matrimonium : quia ſi blaſphema illa converteretur, antequam illud matrimonium contraheret, redderetur ei vir ſuus : ſed ſolvitur per matrimonium ſequens, ad quod pervenire non poſſet vir fidelis, non ſolutus à ſervitute uxoris per culpam ejus.*

Dices. Non poteſt contrahi ſecundum matrimonium, niſi poſtquam ſolutum eſt quod priùs contractum fuerat. *Reſp.* diſt. Non poteſt contrahi, &c. quod priùs contractum fuerat à fidelibus, C. Quod priùs contractum fuerat ab infidelibus, Neg. Nam, ut dicit S. Thomas art. proximè citato ad 1. *matrimonium infidelium imperfectum eſt ... ſed matrimonium fidelium eſt perfectum, & ita eſt firmius. Semper autem firmius vinculum ſolvit minùs firmum, ſi ſit ei contrarium, & ideò matrimonium quod poſt in fide Chriſti contrahitur, ſolvit matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat;* adeòque neceſſe non eſt, ut matrimonium prius in infidelitate contractum ante diſſolvatur, quàm ſecundum poſſit in fide Chriſti contrahi, hoc eſt, quàm à conjuge ad fidem converſo, altero in ſua infidelitate obſtinato, ſecundum cum fideli contrahi poſſit.

Quæres 1. Utrùm uno conjuge ad fidem converſo, alter qui non vult converti, poſſit alterum matrimonium contrahere, antequam converſus alterum contraxerit; quòd ſi non poteſt, antequam converſus contraxerit alterum, an ſaltem poſſit poſt?

Ad 1. R. negativè. Ratio eſt, quia quandiu conjux ad fidem converſus non contrahit ſecundum matrimonium, tandiu manet vinculum prioris, ut probatum eſt; & quandiu manet vinculum prioris matrimonii, tandiu conjux infidelis ad ſecundum contrahen-

dum inhabilis eſt; quia nec vir plures ſimul uxores, nec uxor plures ſimul viros habere poteſt.

Ad 2. Reſpondet S. Thomas in 4. diſt. 39. q. unic. art. 5. ad 3. etiamſi per ſecundum converſi matrimonium, prioris vinculum ex utraque parte ſolutum ſit, non poſſe infidelem ſecundò contrahere, niſi prius convertatur: *Poſtquam*, inquit, *fidelis contraxit, ſolutum eſt vinculum matrimonii ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, ſed quandoque claudicat quantum ad effectum: unde in pœnam uxoris infidelis ei indicitur, quod non poſſit cum alio contrahere magis quàm ex virtute matrimonii præcedentis: ſed ſi poſtea convertatur, poteſt ei concedi diſpenſativè, ut alteri nubat, ſi vir ejus alteram uxorem duxit.*

Contrarium tamen videtur tenendum; nam per ſecundum converſi matrimonium, prioris matrimonii vinculo ex utraque parte ſoluto, uxor, quantumvis pertinax & obſtinata in infidelitate ſua, nullo jure prohibetur ſecundò contrahere; non enim prohibetur jure naturali, cùm ſit ſoluta; nec poſitivo divino, quo prohibetur uxor alium virum accipere vivente priore, quia prior non eſt ampliùs ejus vir; nec denique jure eccleſiaſtico, cui ſubjecta non eſt.

Quæres 2. Utrùm ſicut per ſecundum matrimonium maritus ad fidem converſus diſſolvit matrimonium prius, ita & illud diſſolvat per profeſſionem in Religione, vel ſacrorum Ordinum ſuſceptionem?

Reſp. Negativè. Nam maritus ad fidem converſus, matrimonium prius diſſolvit per ſecundum, quia cum non poſſit plures ſimul uxores habere, ſecundum contrahere non poteſt, niſi priùs aut diſſolutum fuerit, antequam contrahat, aut ſaltem diſſolvatur tunc, quando contrahit ſecundum. Cùm itaque prius matrimonium diſſolutum non ſit antequam ſecundum contrahatur à conjuge fideli, neceſſe eſt ut prius matrimonium diſſolvatur, quando à conjuge fideli contrahitur ſecundum. At maritus ad fidem converſus, neque per profeſſionem in Religione approbata, neque per ſacrorum Ordinum ſuſceptionem diſſolvit matrimonium, quia poteſt profiteri in Religione approbata, vel ſacros Ordines ſuſcipere, permanente matrimonii vinculo.

Certè ſi tunc matrimonium diſſolveretur, hæc diſſolutio tota cederet in favorem uxoris in ſua perfidia obſtinatæ, quod eſſe non poteſt: nam privilegium, quo matrimonium fidelis cum infideli diſſolvi poteſt, conceſſum eſt in favorem ſolius fidelis, ne poſt converſionem cogatur aut manere cœlebs, aut parti infideli cohabitare cum magna aliqua indecentia, vel ſuo & prolium ſi quas habet, periculo, quorum utrovis multùm gravaretur: Ergo matrimonium non diſſolvitur, niſi cùm pars fidelis eget hac diſſolutione, adeòque niſi cùm pars fidelis ſecundum contrahit matrimonium.

At inquies. Quid ſi poſtquam maritus ad fidem converſus profeſſus fuerit in Religione, vel ſacros Ordines ſuſceperit, uxor infidelis convertatur, & virum ſuum repetat? *Reſp.* Cum S. Thoma art. ſupra citato ad 4. virum non eſſe reſtituendum uxori eum repetenti, ſi eam, antequam Religionem ingrederetur, vel ſacros Ordines ſuſciperet, admonuit, & ad fidem invitavit: *Si non ſit*, inquit, *ſpes de converſione* (uxoris infidelis) *poteſt* (vir converſus) *ad ſacros Ordines, vel ad Religionem accedere, prius requiſita uxore quòd convertatur: & ſi poſtquam vir ſacros Ordines accepit* (vel in Religione profeſſus eſt) *uxor convertatur, non eſt ſibi vir ſuus reddendus, ſed debet ſibi imputare in pœnam tardæ converſionis, quòd viro ſuo privatur.*

Quæres denique 3. Uno conjuge ad fidem converſo, & altero remanente in infidelitate, quem ſequi debeat proles?

Reſp. Cum S. Thoma in 4. diſt. 39. qu. un. art. 4. ad 4. *Proles aut pervenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit liberè ſequi patrem fidelem, vel matrem infidelem* (quia nemo ad fidem cogendus eſt) *vel eſt in minori ætate conſtituta* (nondum habens uſum rationis) *& tunc debet dari fideli, non obſtante quòd indiget matris obſequio ad educationem* (ut definitum eſt c. finali extra de Converſione infidelium.)

ARTICULUS VIII.

Utrùm Matrimonium fidelium ſit omninò indiſſolubile, poſtquam conſummatum eſt.

RESPONSIO.

Matrimonium fidelium conſummatum, omnimodam habet indiſſolubilitatem.

Huic concluſioni adverſantur, 1. Græci, qui in cauſa adulterii matrimonia diſſolvunt, & conjugibus alia contrahendi matrimonia poteſtatem faciunt, ut patet ex Arcudio lib. 7. de concor. c. 2. 2. Ex Latinis, Lutherani, Calviniſtæ, & Anabaptiſtæ, quamvis non omnes æqualiter: aliqui enim propter ſolum adulterium, alii verò non tantùm propter adulterium ſed etiam propter alias cauſas, moleſtam, ſcil. cohabitationem, vel affectatam abſentiam, matrimonia diſſolvi poſſe volunt. Sed contra illos omnes

§. I.

Probatur reſponſio ex Scriptura.

1. Chriſtus generaliter & nulla exceptione adhibita, dicit Marc. cap. 1. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Et Luc. cap. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur. Et qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Quibus verbis occluditur os iis, qui dicunt eum quidem, qui uxore ob aliam quàm fornicationis cauſam dimiſſa, aliam ducit mœchari; at non mœchari eum, qui aliam ducit, uxore dimiſſa ob adulterium ab ea commiſſum; adeòque propter adulterium matrimonium conſummatum diſſolvi poſſe.

Obſervat hoc S. Auguſtinus libro 1. de adulterio conjug. cap. 9. ubi utroque textu recitato, ſic ait: *Qui ergo nos ſumus, ut dicamus, Eſt qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa alteram ducens, & eſt qui hoc faciens non mœchatur; cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit: Proinde ſi quicumque hoc fecerit, ut uxore ſua dimiſſa alteram ducat, mœchatur, ſine dubio ibi ſunt ambo, & qui præter, & qui propter cauſam fornicationis, dimittit uxorem, hoc eſt enim quicumque dimiſerit, hoc eſt, omnis qui dimittit.*

At inquies, Chriſtus Matth. cap. 19. ait: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Ergo apud Marcum & Lucam locis ſupra citatis intelligendus eſt cum hac exceptione, niſi ob fornicationem; adeòque dicendus eſt, apud Marcum & Lucam, ſicut & apud Matthæum, non aliud velle, quàm extra caſum fornicationis matrimonium diſſolvi non poſſe; atque ita eum, qui uxorem ob aliam quàm fornicationis cauſam dimittit, non poſſe aliam ducere. Sed

Contra eſt. Quia Chriſtus non ſolùm apud Marcum & Lucam, ſed etiam apud Matthæum addit: *Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Unde ſic argumentor. Vel hac exceptione, *niſi ob fornicationem*, ſubintellecta, vel ea non ſubintellecta, Chriſtus dicit: *Qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Non primum: nam ſi non mœchatur, qui ducit dimiſſam ob fornicationem, hoc eſt, qui ducit adulteram propter adulterium dimiſſam, melior erit conditio adulteræ, quàm innocentis & caſtæ: poterit enim adultera à viro dimiſſa, alteri nubere, & non poterit innocens & caſta, quamvis injuſtiſſimè à viro in perpetuum dimiſſa. At dictu abſurdum eſt, quòd Chriſtus

legiſla-

legiſlator ſapientiſſimus & æquiſſimus, lege ſoa voluerit meliore loco eſſe ream juſtè dimiſſam, quàm innocentem dimiſſam injuſtè.

Secundum igitur dicendum eſt. Ergo Chriſtus generaliter loquitur, cùm dicit, Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Ergo qui ex quacumque cauſa, proindeque & propter adulterium dimiſſam duxerit, mœchatur. Ergo qui ex quacumque cauſa, proindeque & propter adulterium dimiſſam ducit, ducit uxorem alterius: non enim mœchatur, niſi qui rem habet cum uxore alterius. Ergo mulier etiam propter adulterium dimiſſa, non deſinit eſſe uxor illius à quo dimittitur, & is à quo dimittitur, non deſinit eſſe vir ejus. Ergo ſecundùm Chriſti ſententiam Matth. c. 19. expreſſam, qui uxore etiam ob fornicationis cauſam dimiſſa, aliam ducit, mœchatur. Ergo Chriſtus tam generaliter loquitur apud Matthæum, quam ap. Marcum & Lucam.

At inquies. Quare ergo Chriſtus, Matth. cap. 19. addit hæc verba: *Niſi ob fornicationem*. *Reſp.* Addidiſſe, ut Phariſæis, quos tunc alloquebatur, obiter indicaret perpetui cum uxore divortii juſtam cauſam aliam non eſſe præter fornicationem: unde verba illa: *Niſi ob fornicationem*, ad ſolam uxoris dimiſſionem, non ad novi matrimonii celebrationem pertinent; quamobrem Chriſtus non dixit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, niſi ob fornicationem, mœchatur*; ſed dixit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem* (hoc eſt, quod non licet niſi ob fornicationem), *& aliam, &c.*

Bonitas hujus reſponſionis ampliùs declaratur ex eo, quòd cùm Chriſtus Phariſæis cum de libello repudii interrogantibus reſpondiſſet: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam, duxerit, &c.* ut Matthæus refert cap. 19. paulò poſt diſcipulis privatim interrogantibus cum iterùm de eodem libello, reſpondit ſimpliciter, ut refert Marcus cap. 10. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor, &c.* Ergo, vel Chriſtus ſibi conſtans non fuit, & aliud Phariſæis, aliud verò diſcipulis eodem ferè tempore reſpondit, quod impium eſt aſſerere, vel in priori reſponſione hæc verba: *Niſi ob fornicationem*, non addidit, niſi ad aſſignandam juſtam perpetuæ dimiſſionis cauſam.

2. Apoſtolus 1. Cor. c. 7. verſ. 39. ſic ait: *Mulier alligata eſt legi* (Matrimonii, ut non poſſit alteri nubere) *quanto tempore vir ejus vivit. Quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat*. Idem habet Rom. cap. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier*, inquit, *vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Ergo ex Apoſtolo matrimonium non diſſolvitur, niſi per mortem alterutrius conjugis. Ergo quacumque de cauſa fiat divortium, tandiu vinculum conjugale remanet, quandiu vivit uterque conjux. Sed

Audiamus Auguſtin. in verba Apoſtoli citata diſſerentem: *Hæc verba Apoſtoli*, inquit, *toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſiverit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris, propter quòd ſit reus adulterii, qui dimiſſam duxerit, etiam ob cauſam fornicationis*. Ita S. Doctor, qui ex verbis Apoſtoli laudatis docet evidenter colligi, quòd nequidem per adulterium alterius conjugis ſolvatur vinculum conjugale, & rectè docet, cùm Apoſtolus apertè dicat, vinculum conjugale ſolvi non poſſe, niſi per mortem alterius conjugis.

3. Apoſtolus eodem cap. 7. 1. Cor. v. 10. & 11. ſic loquitur: *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt* (inter fideles) *præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Quibus verbis prohibetur mulier à viro ſuo diſcedere ſine juſta cauſa: nam divortium ex juſta cauſa fieri poſſe dubium non eſt: & ſi ex juſta cauſa diſcedat à viro ſuo, prohibetur alteri viro nubere, jubeturque, ſi nolit continere, viro ſuo reconciliari; ad quod non tenetur, ſi continere velit, cum juſtam divortium faciendi cauſam habuerit. Ergo nequidem juſto divortio vinculum matrimonii ſolvitur; nec conjuges etiam juſto divortio ſeparati, ad aliàs poſſunt tranſire nuptias.

At inquies. Cùm dicit Apoſtolus: *Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*, ſupponit mulierem ſine juſta cauſa diſceſſiſſe. *R.* Hoc eſſe manifeſtè falſum: loquitur enim de muliere, quæ non tenetur reconciliari viro ſuo, ſi continere velit, adeòque de muliere, quæ juſti divortii cauſam habuit: nam mulier, quæ ſine cauſa juſti divortii à viro ſuo diſceſſit, tenetur ei, quàm primùm poteſt, reconciliari, & ad eum redire: unde ſi Apoſtolus hìc ſupponeret mulierem ſine juſta cauſa diſceſſiſſe, de ea non diceret, Maneat innupta, aut viro ſuo reconcilietur, & ad eum quàm primùm redeat.

Dices. Cùm Apoſtolus dicit: *Quod ſi diſceſſerit, &c.* loquitur de muliere, quæ diſcedit, à viro ſuo ob cauſam adulterii ejecta. *Reſp.* Hoc eſſe falſum: nam Apoſtolus loquitur de muliere, quæ author eſt divortii: loquitur enim de muliere, quæ prohibetur à viro ſuo diſcedere, ut ex toto textu manifeſtum eſt. Atqui mulier, quæ prohibetur à viro ſuo diſcedere, non eſt mulier, quæ à viro ſuo ob cauſam adulterii ejicitur: talis enim è contra tenetur diſcedere à viro ſuo. Præterea, quid eſt, mulierem non debere à viro ſuo diſcedere, niſi mulierem non debere cum viro ſuo divortium facere. Ergo, &c. Nec dic quòd Apoſtolus, cùm ait: *Aut viro ſuo reconcilietur*, ſignificet ſe loqui de ejecta: hæc enim vox, reconciliari, tam ejicienti quàm ejecto, & tam læſo quàm lædenti convenit.

§. II.

Probatur reſponſio authoritate Patrum.

SÆculo ſecundo Juſtinus Martyr in ſecunda Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum ſic loquitur: *Qui dimiſſam* (ob cauſam fornicationis) *ab altero viro ducit, adulteratur*. Idem docet in ſua ad eundem Antoninum pro Chriſtianis Apologia Athenagoras: nam ibi ait: *Secundum conjugium* (vivente altero conjuge contractum) *illuſtre eſt adulterium*. Quicumque enim, *inquit* (Chriſtus) uxorem ſuam dimiſerit, & aliam duxerit, mœchatur.

Sæculo tertio habemus Clementem Alexandrinum, lib. 2. ſtromatum in fine, ubi ait: *Quod .... Scriptura .... nec à conjugio unquam permittit diſcedere, legem apertè conſtituit:* Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem: *Adulterium autem exiſtimat conjugi matrimonio, vivo altero ex ſeparatis* (ob fornicationis cauſam, ob quam ſcilic. ſolam Clemens cenſet licitum eſſe divortium.) Et Origenem tract. 7. in Matth. *Scio*, inquit, *quoſdam, qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam permiſiſſe aliquam nubere, viro priori vivente: & contra Scripturam quidem fecerunt, dicentem*, Mulier ligata eſt, quanto tempore vivit vir ejus: *Item*, vivente viro, adultera vocabitur, ſi facta fuerit (uxor) alteri viro. Et Tertullianum lib. 4. adversùs Marcionem c. 34. ubi Marcioni objicienti Chriſtum prohibere repudium, quod Moyſes permiſerat, ſic reſpondet: *Dico illum* (Chriſtum) *conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, ſi ideò quis dimittat uxorem, ut aliam ducat*. Qui dimiſerit, *inquit*, uxorem, & aliquam duxerit, adulterium commiſit; & qui à marito dimiſſam duxerit, æquè adulter eſt, *ex eadem utique cauſa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur*, (non licet autem uxorem à viro dimitti, ut aliam ducat, quia matrimonium dirimi non poteſt, vivente utroque conjuge, &) *manente matrimonio*, ſecundo, *nubere, adulterium eſt*.

Digitized by Google

Sæculo quarto nobis conſentiunt Baſilius, Chryſoſtomus, & Hieronymus, quorum primus ſic loquitur lib. de virg. *Non audis, quod etiam qui dimiſſam ducis, adulterium committis?* Etſi enim, *inquit*, dimiſſa eſt propter cauſam, attamen vivit vir ipſius ...... *Quod ſi is qui eam ducit, quæ à mortali viro dimiſſa eſt, adulterium committens impiè facit, multò magis impiè per omne vitæ tempus adulterium committit is, qui immortalis viri ſponſam nunquam dimiſſam corrumpere audet.* Secundus verò hæc habet lib. de virgin. explicans illud Apoſtoli: *His qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, &c.* 1. Cor. cap. 7. *Quid ſi vir ab uxore, continenter averſus, perpetuò abhorreat? Perferas, inquit* (Apoſtolus) *omnem iſtam ſervitutem. Tantum enim tui juris futura es, cùm is à vita migrarit ...... Expecta dum is ſibi decedat: nam quemadmodum virgini* (quæ virginitatem Deo vovit) *vivo ejus viro* (Chriſto, qui mori non poteſt) *nunquam licet nubere, ſic nuptæ, tantùm conjuge mortuo.*

Tertius denique in epiſtol. ad Amandum, relatis Apoſtoli verbis, quæ §. 1. citavimus, ſic proſequitur: *Omnes igitur cauſationes Apoſtolus amputans, apertiſſimè definivit, vivente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit ...... Quandiu vivit vir, licèt adulter ſit, licèt ſodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Et in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, de Fabiola, quæ priore viro adultero, & pluſquam adultero derelicto, alterum acceperat maritum, ſic loquitur: *Perſuaſerat ſibi, & putabat à ſe virum jure dimiſſum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi univerſa cauſatio, viventibus viris, fœminis amputatur; dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta* (ſecundas, vivente viro, contrahendo nuptias) *vulnus accepit.* Deinde publicam ab ea de ſecundis illis nuptiis peractam pœnitentiam deſcribit.

Sæculo quinto unus nobis ſufficit Auguſtinus locis jam ſupra relatis, & lib. de bono conjugali, ubi matrimonii inter fideles conſummati indiſſolubilitatem inculcat: nam ſic ait, cap. 7. *Uſque adeò fœdus illud initum nuptiale, cujuſdam ſacramenti res eſt, ut nec ipſa ſeparatione irritum fiat.* Et cap. 15. *Semel initum connubium in civitate Dei noſtri* (hoc eſt, in Eccleſia) .... *nullo modo poteſt niſi alicujus eorum* (qui illud inierunt) *morte diſſolvi.* Et c. 24. comparat ſacramentum Matrimonii ſacramento Ordinationis, contenditque non magis ſolvi vinculum nuptiale per juſtum repudium uxoris, quàm tollitur Ordinationis character, per juſtam excommunicationem ordinati; adeòque ſicut prorſus indelebilis eſt character, qui in ordinatione imprimitur, ita & prorſus indiſſolubile eſſe vinculum, quod à fidelibus in matrimoniali pactione contrahitur.

Ex ſequentibus ſæculis unum afferimus Iſidorum lib. 2. de officiis Eccleſ. cap. 19. ubi ait: *Sacramentum ideò inter conjugatos dictum eſt, quia ſicut non poteſt Eccleſia dividi à Chriſto, ita nec uxor à viro. Quod ergo in Chriſto & in Eccleſia, hoc in ſingulis quibuſque viris atque uxoribus conjunctionis inſeparabile ſacramentum.* Itaque juxta Iſidorum, vinculum conjugale, omninò inſolubile eſt, poſt conſummationem, ſcilicet, & quà tale aptum eſt ad ſignificandam indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia conjunctionem; & quatenùs eam re ipſa ex inſtitutione Chriſti ſignificat, ſacramentum dicitur.

§. III.

Probatur reſponſio authoritate ſummorum Pontificum, & Conciliorum generalium.

INnocentius I. in epiſtola 3. cap. 6. ſic Exuperio Toloſano reſpondet: *De iis etiam requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii ſe matrimonio copularunt: quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui ergo vel uxore vivente, quamvis diſſociatum* (per repudium) *videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæ perſonæ quibus tales conjuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur.*

Vir igitur qui repudiata uxore, eaque ſuperſtite, aliam ducit uxorem, adulter eſt, & illa alia uxor, quam ducit, adultera eſt. At hujus alia ratio eſſe non poteſt, quàm quòd repudium, quantumlibet juſtum, matrimonium non ſolvat quoad vinculum, ſed ſolùm quoad thorum & cohabitationem: nam vir in præſenti caſu adulter nec eſt, nec eſſe poteſt, niſi quia violat fidem conjugalem, vivente priore uxore aliam accipiendo: & alia uxor, quam ducit, adultera nec eſt nec eſſe poteſt, niſi quia copulatur conjugi alterius. Quare ſi matrimonium priùs quoad vinculum ſolutum eſſet per repudium, vir, & altera uxor, quam duceret ſuperſtite priore repudiata, per carnalem copulam fornicarentur quidem, at non mœcharentur, quamvis ſupponeretur ſecundum matrimonium illicitum, imò & irritum eſſe.

Innocentio I. conſonat Innocentius III. cap. *Gaudemus* 8. extra de divortiis, ubi aſſerit, *uxore dimiſſa, duci aliam de jure non poſſe, & virum infidelem, qui legitimam uxorem infidelem repudiavit, ea vivente, aliam habere non poſſe, etiamſi ad fidem Chriſti convertatur, niſi illa ſimiliter converti pertinaciter nolit.* At ſi matrimonium infidelium non diſſolvitur per repudium, quantò minùs matrimonium fidelium, quod ſacramentum eſt, adeòque longè majorem habere debet firmitatem.

Concil. Florentin. in decreto Eugenii §. *Septimum*, eandem tradit doctrinam: *Quamvis*, inquit, *ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cùm matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.* Et Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. can. 7. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm docuit & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit: anathema ſit.*

Hujus autem omnimodæ indiſſolubilitatis matrimonii inter fideles contracti & conſummati ratio à priori eſt, inſtitutio Chriſti, qui per matrimonium inter baptizatos contractum & conſummatum, ſignificari voluit indiſſolubilem ſui cum Eccleſia conjunctionem. Ita docet Concilium Florent. loco citato his verbis: *Tertium* (bonum matrimonii eſt) *indiviſibilitas matrimonii, propter hoc quòd ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ.*

§. IV.

Solvuntur objectiones petitæ ab authoritate Patrum Græcorum.

OBj. 1. Juſtinus Martyr in prima apologia pro chriſtianis, narrat mulierem quandam, ad fidem Chriſti converſam, à viro libidinoſo, cùm ad meliorem frugem redire nollet, diſcedere voluiſſe; ſed propinquis eam prohibentibus, eique ſpem facientibus, maritum tandem aliquando in meliùs mutatum iri, cum illo manere coactam fuiſſe, tum ſic proſequitur: *Poſtquam verò maritus Alexandriam profectus, multò etiam deterior factus eſſe dictus eſt, fœmina verita, ſi de cætero eodem cum illo lecto eademque uteretur menſa, ne impietatis quoque ejus fieret particeps, miſſo illi qui apud vos dicitur repudii libello, ab eo ſejuncta eſt.* Atqui factum mulieris non improbat Juſtinus, ſed è contra probat maximè, ut patet ex ſubſequentibus.

Reſp. Quid Juſtinus reprehendere potuiſſet in facto mulie-

Digitized by Google

mulieris? Nam illa juſtiſſimam ob cauſam ſeparavit ſe à marito; nec ab eo ſeparavit ſe, ut eo vivente alium duceret, ſed ne ſi cum illo eodem lecto eademque uteretur menſa, ejus impietatis particeps fieret, ejuſque conſuetudine ad libidines, quibus ipſa ante converſionem dedita fuerat, pelliceretur.

At inquies. Juſtinus dicit, mulierem illam à marito per libellum repudii ſejunxiſſe ſe. *Reſp.* diſt. Juſtinus dicit mulierem, &c. ſejunxiſſe ſe quoad thorum & cohabitationem, Conc. Quoad vinculum conjugale, Neg. Mulier autem illa juſtam, imò & neceſſariam habuit cauſam ſeparandi ſe quoad thorum & cohabitationem, unde factum ejus non improbari, ſed laudari debuit.

Obj. 2. Origenes tract. 7. in Matth. dicit quoſdam Epiſcopos aliquibus mulieribus permiſiſſe, ut vivente viro, alteri nuberent; & addit, eos non omninò ſine cauſa permiſiſſe. *Reſp.* Origenem loco citato adverſariis noſtris apertè contradicere: dicit enim Epiſcopos illos ſecundas illas nuptias mulieribus permiſiſſe extra & contra Scripturam, dicentem: *Mulier ligata eſt quanto tempore vivit vir ejus.* Item: *Vivente viro adultera vocabitur, ſi facta fuerit alteri viro.* Teſte igitur Origene, Epiſcopi illi permiſerunt nuptias jure divino illicitas & irritas: ſed quia permiſerunt eas ad vitandum majus malum, ſeu ex duobus malis quod minus eis videbatur eligendo, idcircò ad qualemcumque eorum excuſationem addit eos non omninò ſine cauſa permiſiſſe.

Bonitas hujus reſponſionis patet ex contextu: *Non tamen*, inquit Origenes, *omninò ſine cauſa hoc permiſerunt: forſitan enim propter hujuſmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala ſunt permiſerunt adverſus ea, quæ ab initio fuerant ſcripta.* Sed quòd Origenes noſter ſit, adhuc declarari poteſt amplius ex eo quòd habet inferiùs: nam ſic poſt multa proſequitur: *Qua enim ratione adultera eſt mulier, quamvis* (propter legum humanarum authoritatem) *legitimè nubere videatur viro vivente: eadem ratione & vir, quamvis* (propter eandem authoritatem) *legitimè accipere videatur dimiſſam ab aliquo viro, non accipit legitimè ſecundùm ſententiam Chriſti, ſed magis mœchatur, quaſi alienam accipiens.*

Obj. 3. Sanctus Baſilius in epiſtol. 2. ad Amphilochium, canon. 9. ſic loquitur: *Qui verò relictus eſt* (à propria uxore ob cauſam fornicationis) *dignus eſt venia* (ſi alteram acceperit uxorem), *& quæ ei cohabitat non ideò condemnatur*, (hoc eſt, non ideò cenſetur adultera, quòd ſit conjuncta tali viro, quamvis ſuperſtes ſit uxor, à qua propter ejus adulterium, adeòque juſtam ob cauſam derelictus eſt.)

Reſp. S. Baſilium hoc loco has voces, adulterum & adulteram, non ſumere ſecundùm ſe & abſolutè, ſed relatè ad canones, quibus pœnæ decernuntur adulteris. Hoc præſuppoſito, ut mens S. Doctoris, quæ non parvam hic patitur obſcuritatem, pateat, citatum canonem expono.

Citato itaque canone Baſilius dicit, 1. juxta ſententiam Chriſti, tam uxoribus viros, quàm viris uxores licitum eſſe dimittere ob cauſam fornicationis: *Domini autem ſententia*, inquit, *juxta ſenſus conſequentiam æquè viris ac mulieribus convenit, quòd non liceat à matrimonio* (quantum ad thorum & cohabitationem) *excepta cauſa fornicationis diſcedere.*

2. Juxta conſuetudinem tunc temporis receptam, uxores quidem à viris, & non viciſſim viros ab uxoribus ob fornicationem dimitti poſſe: *At vero conſuetudo*, inquit, *non ita ſe habet, ſed in mulieribus quidem nimiam adhiberi ſeveritatem reperimus .... Conſuetudo verò etiam adulterantes viros, & qui in fornicationibus verſantur, mandat à mulieribus retineri. Quæ cum viro* (ab uxore ob fornicationem in perpetuum) *dimiſſo habitat, neſcio an poſſit adultera appellari* (ita ut debeat ſubjici adulterorum pœnis) *crimen enim hic attingit mulierem, quæ dimiſit, &c.*

3. Si mulier virum etiam ob fornicationem reliquerit, & poſteà nupſerit alteri, pœnis adulterorum ſubjiciendam eſſe. At è contra ſi vir ab uxore ob fornicationem in perpetuum dimiſſus, aliam duxerit, neque hanc, neque illum ejuſmodi pœnis ſubjici debere: *Quare*, inquit, *quæ reliquit, eſt adultera, ſi ad alium virum acceſſit: relictus verò eſt dignus venia, & quæ cum eo habitat, non ideò condemnatur.*

4. At ſi vir ob fornicationem dimiſerit uxorem, & poſteà duxerit aliam, utrumque puniendum eſſe, ut adulterum: *Si tamen*, inquit, *vir ab uxore diſcedens, acceſſerit ad aliam, eſt & ipſe*, puniendus ut, *adulter, quoniam facit eam*, dimiſſam, *adulterari*, ſublata omni reconciliationis ſpe, *& quæ cum eo habitat, eſt* (punienda ut) *adultera, eò quòd alienum virum ad ſe traduxerit*, (vel ſaltem præſumatur traduxiſſe cum injuria alterius, quæ potuit corrigi, & correcta viro ſuo reconciliari.)

At inquies. Hæc canonis interpretatio violenta eſt & arbitraria. Et in hoc canone Baſilius reipſa docet, matrimonium diſſolvi per divortium, cùm uxor eſt author divortii propter adulterium viri; ſecùs verò cùm vir author eſt divortii propter adulterium uxoris. *Reſp.* neg. inſtantiam. Ad id quod additur, hoc canone Baſilium docere, &c. *Reſp.* Abſit, ut tanto viro tantam abſurditatem impingamus. Nam 1. ſi matrimonium quoad vinculum diſſolvitur per divortium, cùm mulier eſt author divortii, certè cùm mulier eſt author divortii, tunc vir deſinit eſſe maritus mulieris, adeòque mulier poſt divortium, cujus author eſt, nec eſt, nec poteſt eſſe adultera, eò quòd alteri nubat vivente viro repudiato; & tamen Baſilius dicit eam fore adulteram.

2. Si matrimonium quoad vinculum diſſolvitur, cùm mulier eſt author divortii propter adulterium viri, quare non ſimiliter diſſolvitur, cùm vir eſt author divortii propter adulterium mulieris?

Dices, Quia Chriſtus Matth. cap. 19. ait: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* *Reſp.* Hanc Chriſti ſententiam nomine viri mulierem comprehendere; ita ut quod de viro dicitur, de muliere pariter, vel etiam à fortiori intelligi neceſſe ſit, ut expreſsè agnoſcit Baſilius initio canonis.

3. Si matrimonium quoad vinculum diſſolvitur, cùm mulier eſt author divortii etiam propter viri adulterium, hæc matrimonii diſſolutio in ſententia Baſilii tota cedet in favorem viri adulteri: nam mulier, juxta Baſilium, nihilominùs erit adultera, ſi alteri nupſerit. Item in ſententia Baſilii longè melior erit conditio viri propter adulterium ab uxore repudiati, quàm viri innocentis uxorem propter adulterium legitimè repudiantis: hic enim, juxta Baſilium, debet manere cœlebs, vel uxori reconciliari; & ſi vivente uxore repudiata, alteram duxerit, adulter erit. Quantùm autem hæc abſurda, quantùm Chriſto æquiſſimo legiſlatori injurioſa ſint, quis non videt? Erga Baſilium igitur iniquiſſimus eſt, quiſquis talem ei affingit doctrinam. Quare ad noſtram interpretationem recurrendum videtur, nec alia probabilis occurrit. Sed

Confirmatur adhuc interpretatio noſtra. Nam Baſilius ne verbum quidem in toto illo canone habet, quo innuat matrimonium diſſolvi quoad vinculum, cùm mulier eſt author divortii: quòd enim neſciat, an ea quæ cum viro ab uxore dimiſſo cohabitat, debeat appellari adultera; quòd mulier, quæ virum ob ejus adulterium reliquit, ſit adultera ſi ad alium virum acceſſit: vir verò ab ea relictus, ſi acceſſit ad aliam, ſit dignus venia, & alia, quam duxit, non condemnetur ut adultera, rationem reddens S. Doctor, non aliam affert, quàm quòd conſuetudo etiam adulterantes viros, & in fornicationibus verſantes jubeat à mulieribus retineri, adeòque quòd mulier virum etiam adulterantem, & in fornicationibus verſantem, non poſſit ſine gravi culpa dimittere. Ob hanc autem rationem cenſebat S. Doctor mulierem quæ viro etiam adulterante, & in fornicationibus verſante relicto, alteri nuberet, publicæ adulterorum pœnitentiæ ſubjiciendam eſſe; & ſi vir ab ea relictus aliam

acciperet, & hanc & illum ſine tali pœnitentia poſt ſeparationem communione eccleſiaſtica donari poſſe.

At inquies. Quòd Baſilius in præfato canone per to mulierem eſſe, vel non eſſe adulteram, intelligat mulierem eſſe, vel non eſſe de pœnis adulterorum obnoxiam, aſſerere violentum eſt, & arbitrarium. *Reſp.* neg. Et dico hunc eſſe germanum Baſilii ſenſum, ut ampliùs declarari poteſt ex can. 21. ubi interprete Balſamone, Baſilius *eum qui habet uxorem, & cum alia muliere* (ſoluta & libera à matrimonio) *fornicatus eſt, fornicatorem dicit, non adulterum: mulierem autem marito conjunctam, quæ cum illo alio viro rem habuit, vocat adulteram.* Quare autem? Quia vir habens uxorem, ſi cum alia muliere ſoluta fornicaretur, fornicatorum tantùm, non adulterorum pœnas incurrebat: mulier verò maritum habens, & cum alio viro etiam ſoluto fornicata, ſuberat pœnis adulterorum.

Verba canonis ſunt: *Si vir cum uxore habitans, matrimonio non contentus, in fornicationem inciderit, ejuſmodi fornicatorem judicamus, & eum pœnis ampliùs gravamus* (quàm ſolutos, qui fornicati ſunt.) *Canonem tamen non habemus, qui etiam adulterii crimini eum ſubjiciat, ſi in ſolutam & liberam à matrimonio peccatum commiſerit, &c.* Baſilio igitur Canoniſtæ partes agenti, eſſe fornicatorem, eſſe adulterum, idem ſunt, ac eſſe ſubjectum pœnis fornicatorum, eſſe ſubjectum pœnis adulterorum.

Obj. 4. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 31. ſic loquitur: *Lex* (Moſaica) *omnes ob cauſas libellum dat repudii. At Chriſtus non ob omnes, ſed ſeparari tantum ab adultera uxore permittit ......, reliquis autem omnibus in rebus, animi æquitate ac patientia uti jubet.* Quibus verbis ſanctus Doctor ſignificat libellum repudii in antiqua lege conceſſum, à Chriſto non omninò revocatum fuiſſe, ſed tantùm fuiſſe reſtrictum ad cauſam fornicationis. Atqui in antiqua lege licebat per libellum repudii non ſolùm uxorem dimittere, ſed etiam aliam ducere. Ergo juxta Nazianzenum, utrumque in cauſa fornicationis licet in lege evangelica.

Reſp. Nazianzenum non aliud velle, quàm ſeparationem, perpetuam, ſcilicet quoad thorum & cohabitationem, à Chriſto permiſſam fuiſſe in cauſa fornicationis tantùm; perinde enim eſt, ac ſi diceret; Moyſes in veteri lege permiſit ſeparationem fieri ob cauſam quamlibet: Chriſtus verò in nova lege eam fieri non permittit, niſi ob fornicationem.

At inquies. In veteri lege non ſolùm ſeparatio, ſed etiam aliud matrimonium permittebatur. *Reſp.* Ita eſt; ſed quid inde? Nam poſſe ſeparari ab uxore, & poſſe ſeparatum ab uxore aliam accipere, ſunt duo diſtincta, nec inter ſe neceſſariò connexa. De primo loquitur Nazianzenus, non de ſecundo, illudque aſſerit in lege nova conceſſum eſſe tantùm pro caſu fornicationis; cùm tamen pro quolibet caſu conceſſum fuerit in lege veteri.

Obj. 5. S. Chryſoſtomus hom. 19. in cap. 7. 1. Cor. docet per adulterium alterius conjugum matrimonium diſſolvi quoad vinculum: ibi enim ait, poſt fornicationem alterius conjugum nuptias eſſe diſſolutas, univerſam nuptiarum munditiam avolaſſe maritum non eſſe amplius maritum. *Reſp.* neg. obj. *Ad prob. Reſp.* Sanctum Doctorem ſic locutum eſſe, non quòd putaret matrimonium diſſolvi quoad vinculum per adulterium alterius conjugum, ſed quia putabat per adulterium alterius conjugum, uſum matrimonii reddi illicitum, juxta illud Apoſtoli, 1. Corinth. cap. 6. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur;* unde colligebat maritum ad uxorem adulteram, & viciſſim uxorem ad maritum adulterum accedere non poſſe ſine gravi peccato.

Juxta S. Doctorem igitur, per fornicationem alterius conjugum nuptiæ diſſolvuntur quantùm ad jus utendi matrimonio. Item omnis nuptiarum munditia avolat per fornicationem alterius conjugum, quia vir uxorem adulteram, & viciſſim uxor virum adulterum cognoſcendo inquinatur. Item maritus per fornicationem deſinit eſſe maritus; quia uxor marito adultero, & viciſſim uxor per fornicationem deſinit eſſe uxor, quia maritus uxore adultera uti licitè non poteſt ampliùs. Quæ omnia benigna indigent interpretatione, & intelligi debent cum hac tacita exceptione: ſi maritus adulter, aut uxor adultera ſit inemendabilis.

Eodem ſenſu antea in lib. de virg. dixerat S. Baſilius, mulierem à marito ob cauſam adulterii dimiſſam, neque uxorem eſſe, neque viduam; non uxorem quidem, quia jus quod ad copulam conjugalem habebat, per adulterium ſuum amiſit; ſed nec viduam, quia viro à quo dimiſſa eſt, nihilominùs manet alligata per vinculum conjugale, quod nonniſi per mortem alterius conjugum ſolvi poteſt.

Porrò præter laudatos Patres nobis Græci objiciunt etiam S. Epiphanium hæreſ. 59. quæ eſt Catharorum, ubi §. 4. S. Doctorem volunt aſſerere, viro qui uxorem ob adulterium repudiavit, licitas eſſe alteras nuptias. Sed quia hic locus manifeſtè videtur depravatus, ejus interpretationi ſuperſedemus.

§. V.

Solvuntur objectiones petitæ ab authoritate Pontificum & Conciliorum.

OBj. 1. S. Leo epiſtol. 87. ad Epiſcopos Africanos cap. 1. ſacerdotem, qui ante ſacrorum Ordinum ſuſceptionem, priore uxore dimiſſa, alteram duxerat, ab ordine quidem removet; at nullum addit verbum, quo ſignificet eum invalidè contraxiſſe ſecundas nuptias: nam de eo hæc tantùm habet: *Illum, qui prima uxore dimiſſa, alteram duxiſſe perhibetur, privandum honore decernimus.* *Reſp.* Pontificem hoc ſolùm decreviſſe, quia quæſtio ei propoſita fuerat, non de ſecundo hominis illius matrimonio, utrùm ratum eſſet, an irritum, ſed de ejus ordinatione, utrùm licitè an illicitè fuiſſet facta, adeòque utrùm rata habenda eſſet, an non.

Obj. 2. Gregorius III. cap. *Quod propoſuiſti* 32. quæſt. 7. viro habenti uxorem, quæ ob infirmitatem debitum ei reddere non poterat, permittit ut illa dimiſſa, cum alia matrimonium contrahat.

Reſp. Gregorium interrogatum fuiſſe de infirmitate mulieris, quæ contractum matrimonialem præceſſerat, & mulierem reddebat ineptam ad actum conjugalem, adeòque ad contrahendum matrimonium inhabilem. Viro igitur Gregorius in caſu propoſito permittit ſecundum matrimonium, vivente muliere, quacum primum contraxerat invalidè, ac proinde nullum reipſa contraxerat. Ita cum Gloſſa Doctores communiter.

Obj. 3. Zacharias Papa eadem quæſt. cap. 23. ſic loquitur: *Concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ? Si feciſti, neutram habeas: & ſi illa quæ uxor tua fuerit conſcia ſceleris non fuit, ſi ſe continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem, & adultera, ſine ſpe conjugii permaneatis, &c.* *Reſp.* Zachariam hic uxoris nomine intelligere ſponſam de futuro, ut apertè videtur colligi ex his verbis: *Neutram habeas.* Sororem autem ſponſæ, quacum ſponſus fornicatus eſt, adulteram vocat, quia ſponſus cum ea fornicando, fidem conjugalem, nondum quidem datam, ſed promiſſam violavit.

Obj. 4. Eadem quæſt. cap. *Quadam*, & cap. *Si quis cum*, conceditur aliud matrimonium poſt divortium. *Reſp.* Conjugi innocenti aliud matrimonium concedi poſt obitum alterius conjugis, ut Gloſſa interpretatur. Et verò citata capitula intelligi neceſſe eſt ſecundùm cap. *Hi vero* eadem quæſt. quo dicitur: *Hi vero qui uxores ſuas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum, nec eam, aliam uxorem accipere, vel alium virum, quandiu ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, vir ejus ſi vult nubat, tantum in Domino: adultera verò nunquam, etiamſi mortuus fuerit vir ejus.*

Obj. 5. Concilium Milevitanum II. can. 17. ſic loquitur:

quitur: *Placuit, ut ſecundùm evangelicam & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito, alteri conjungantur; ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendum promulgari.* Quibus verbis Concilium prohibet quidem aliud matrimonium iniri poſt divortium: at non apertè negat aliud matrimonium parti innocenti licitum eſſe in cauſa fornicationis; & cùm ait petendam eſſe legem imperialem apertè ſignificat nullam tunc temporis inter Chriſtianos legem fuiſſe, qua matrimonium aliud conjugi innocenti in cauſa fornicationis prohiberetur.

Reſp. Concilium hîc loqui generaliter, & ſine ulla exceptione, adeòque intelligi debere de dimiſſione etiam ob fornicationis cauſam facta; ſeu de viro ab uxore dimiſſo, & uxore à viro dimiſſa etiam ob fornicationem. Quod confirmatur ex eo quòd S. Auguſtinus, qui citati canonis compoſitioni interfuit, libris integris doceat, in nullo caſu, ne quidem fornicationis, conjugi innocenti alterum matrimonium licitum eſſe, vivente altero conjuge. Porrò Synodus addit petendam eſſe legem imperialem, non ut prohibeatur ſeparatis, ne vivente altero conjuge, aliud matrimonium contrahant, cùm hoc lege divina prohibitum eſſe, expreſsè aſſerat; ſed ut ii, qui non verentur legem divinam, ab humana poteſtate coerceantur: quot enim ſunt, quos minùs offenſæ divinæ & damnationis, quàm pœnarum temporalium metus à malo deterret?

§. VI.

Solvitur objectio petita ex cap. 19. Matth.

OBj. Phariſæi Chriſtum interrogantes Matth. c. 19. de dimiſſione uxoris, intelligebant dimiſſionem quoad vinculum, & non quoad thorum tantùm: dimiſſionem enim intelligebant, quæ in lege permittebatur, & apud Judæos uſitabatur. Ergo Chriſtus reſpondit illis de dimiſſione quoad vinculum: alioquin non reſpondit ad propoſitum, quod dici nefas eſt. *Reſp.* Chriſtum re ipſa Phariſæis reſpondiſſe de dimiſſione quoad vinculum, ſed illam abrogando: nam Phariſæis eum tentantibus, & dicentibus: *Si licet homini dimittere uxorem ſuam, quacumque ex cauſa?* Reſpondit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet* (quoad vinculum, ſcilicet, ſeparationem enim quoad thorum & cohabitationem à Chriſto permitti, manifeſtum eſt ex verbis, quæ paulò poſt ſubjecit, & ex Apoſtolo 1. Cor. cap. 7. verſ. 10. & 11.

At inquies. Chriſtus Phariſæis iterùm interrogantibus eum, & dicentibus: *Quid ergo Moyſes mandavit dari libellum repudii, & dimittere* (non ſolùm quoad thorum, & cohabitationem, ſed etiam quoad vinculum) non reſpondit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur;* qua reſponſione penitùs ſuſtuliſſet libellum repudii, ſed, quod longè aliud eſt: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur;* qua reſponſione libellum repudii non abrogat, ſed tantùm reſtringit ad caſum fornicationis, pro quo ſolo uxorem dimittere, & aliam ducere permittit; cùm antea apud Judæos utrumque liceret quacumque ex cauſa.

Reſp. Cùm Chriſtus dimiſſionem uxoris quoad vinculum pro omni caſu abroget, generaliter & abſque ulla exceptione dicendo: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet,* nonniſi ineptiſſimè dici poteſt, poſt pauca verba eam concedere pro caſu fornicationis. Chriſtus itaque hoc loco, qui nobis objicitur, duo præſtat. 1. Abſolutam uxoris dimiſſionem quoad thorum & cohabitationem ad caſum fornicationis reſtringit, dicendo: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem.* 2. Dimiſſionis quoad vinculum abrogationem paulò ante factam confirmat, addendo: *Et aliam* (ſupple, priore etiam ob fornicationem dimiſſa) *duxerit mœchatur.*

Certè etiam, ſecundùm adverſarios, Chriſtus ſimpliciter dicendo: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur,* dimiſſionem uxoris quoad vinculum penitùs abrogaſſet. At hoc ipſum continuò poſt diſcipulis eum privatim de eodem interrogantibus reſpondit, ut refert Marci cap. 10. ubi dicitur: *Et accedentes Phariſæi interrogabant eum, ſi licet viro uxorem dimittere .... Quibus reſpondens Jeſus, ait ..... Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum; & ait illis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.*

Chriſtus igitur dicendus eſt, penitus & pro omni caſu abrogaſſe dimiſſionem uxoris quoad vinculum; adeòque hanc exceptionem: *Niſi ob fornicationem,* non addidiſſe in ſua ad Phariſæos reſponſione, niſi ut dimiſſionem quoad vinculum abrogando pro omni caſu, ſimul ad ſolum caſum fornicationis abſolutam dimiſſionem quoad thorum & cohabitationem reſtringeret; atque ita Phariſæorum, an non uxorem quacumque ex cauſa dimittere liceret, quærentium interrogationi plenè ſatisfaceret reſpondendo: Quoad vinculum nunquam, quoad thorum verò nonniſi in cauſa fornicationis abſolutè dimittere, in poſterum fore licitum.

ARTICULUS IX.

Utrùm divortium ſit aliquando licitum.

NOta. Divortium, ut hîc ſumitur, eſt ſeparatio conjugum quoad thorum & cohabitationem, manente vinculo conjugali. Propoſitæ igitur quæſtionis ſenſus eſt, utrùm conjuges quoad thorum & habitationem, manente vinculo conjugali, licitè poſſint aliquando ſeparari. Negat Lutherus libro de captivit. Babylon. cap. de matrim. cum aliis paſſim è novatoribus: affirmant verò Doctores catholici omnes, cum quibus ſit

RESPONSIO I.

Quamvis matrimonium conſummatum nulla ratione diſſolvi poſſit, inter conjuges tamen ſeparatio quoad thorum & cohabitationem aliquando poteſt fieri licitè.

Ita contra novatores expreſsè definit Synodus Tridentina ſeſſ. 24. canon. 8. quo ait: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm multas ob cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum ſeu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit: anathema ſit.* Concilio Trident. præiverat Florentinum in decr. Eugenii §. *Septimum*, in quo hæc leguntur: *Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas, cùm matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.* Idem antea docuerat Synodus Milevitana II. can. 17. & apertè colligitur ex Scriptura Matth. cap. 5. verſ. 32. & c. 19. verſ. 9. & 1. Cor. cap. 7. verſ. 11.

RESPONSIO II.

Vir ob adulterium uxoris ab ea quoad thorum & habitationem licitè ſeparat ſe; & viciſſim uxor à viro propter ejus adulterium.

Prima pars patet, 1. ex Scriptura: nam Chriſtus dicit, Matth. cap. 5. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari* (hoc eſt culpabiliter exponit eam periculo adulterandi.) Et cap. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam, &c.* 2. Ex Concil. Florent. verbis ſupra laudatis. 3. Ex cap. *Significaſti* 4. & ex cap. *Ex litteris* 5. extra de divortiis.

Prob. 2. *pars*, 1. Ex Apoſtolo 1. Cor. cap. 7. ubi ait: *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio*

Digitized by Google

non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere. Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat. Quibus verbis prohibetur tantùm uxori ne diſcedat à marito ſine juſta cauſa: eodem enim modo uxor prohibetur diſcedere à marito, quo maritus prohibetur uxorem dimittere. Maritus autem ſolùm prohibetur uxorem dimittere ſine juſta cauſa. Unde uxori ex juſta cauſa à marito diſcedenti, non præcipitur, ut ad eum redeat, ſed illi optio datur, ut vel marito reconcilietur, vel maneat innupta.

2. Ex Concil. Milevit. II. can. 17. in quo manifeſtè ſupponitur, tam virum ab uxore, quàm uxorem à viro ex juſta cauſa dimitti poſſe.

3. Ex Innocentio I. epiſtol. 3. ad Exuperium cap. 4. ubi ait: *In utroque ſexu adulterium pari ratione puniri.*

4. Ex Auguſtino idem aſſerente lib. 2. de adulter. conjug. cap. 8. *Et tamen*, inquit, *indignantur* (viri) *ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas, cùm tantò gravius eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas.*

Idem eleganter docet Hieronymus in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum: *Præcipit Dominus*, inquit, *uxorem non debere dimitti, excepta cauſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus. Si quis meretrici jungitur, unum corpus facit: ergo & quæ ſcortatori impuroque ſociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit .... Apud nos, quod non licèt fœminis, æquè non licet viris; & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Quibus verbis probat S. Doctor, maritum adulterum à Fabiola licitè dimiſſum fuiſſe, quamvis eo repudiato, innupta permanere debuerit, & eo ſuperſtite, alteri nubendo gravem culpam admiſerit.

Ratio à priori eſt; quia tam maritus uxori, quàm uxor marito, tenetur ſervare fidem conjugalem, ut docent Patres, Ambroſius ſcilic. lib. 1. de Abraham cap. 4. *Nec viro licet*, inquit, *quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab uxore debetur caſtimonia.* Hieronymus loco proximè citat. ubi ait: *Apud nos, quod non licet fœminis, æquè non licèt viris; & eadem ſervitus* (hoc eſt, obligatio fidei conjugalis ſervandæ) *pari conditione cenſetur.* Et Auguſtinus loco proximè citato, ubi probat, *inter virum & uxorem parem pudicitiæ formam ſervandam eſſe.* Hinc, ut dicit Innocentius I. epiſt. 3. cap. 4. *Chriſtiana Religio adulterium* (quia per illud fides conjugalis frangitur) *in utroque ſexu pari ratione condemnat.* Hujus autem inter virum & uxorem in obligatione fidei conjugalis ſervandæ paritatis ulterior ratio eſt, quia tam uxor corporis viri, quàm vir corporis uxoris dominium habet. Sed

Obſerva 1. Ad hoc, ut vir ab uxore adultera, vel uxor à viro adultero licitè ſeparare ſe poſſit, non ſufficit ſuſpicio, vel etiam probabilitas adulterii, ſed requiritur certitudo ſaltem moralis. Quare quandiu conjux innocens non eſt moraliter certus de adulterio alterius, non poteſt eum dimittere, & alter poteſt petere debitum à conjuge innocente, imò & ad illud reddendum illum authoritate judicis compellere. Ratio eſt, quia jure petendi debitum non privatur ipſo facto per adulterium, ſed ſolùm privandus eſt à conjuge innocente, qui ad hoc habet quidem jus, ſed quo uti non poteſt, quandiu non ei conſtat de crimine.

Obſerva 2. Conjux innocens moraliter certus de adulterio compartis, poteſt eam privata ſua authoritate privare jure quod habebat ad debitum conjugale. At non poteſt eam ſine authoritate judicis dimittere quoad habitationem. Hoc utrumque docet ſanctus Thomas in 4. diſt. 35. quæſt. unica art. 3. in O. ubi ait; *Vir poteſt dimittere uxorem* (fornicantem) *dupliciter. Uno modo quantùm ad thorum tantùm, &* (hoc modo) *poteſt eam dimittere, quàm citò ſibi conſtat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi per Eccleſiam compellatur*, eò quòd ab uxore apud Judicem Eccleſiaſticum interpellatus, deficit in probationibus, *& taliter reddens, nullum ſibi præjudicium facit* (quia tunc non cenſetur uxori condonare injuriam ab ea acceptam, adeòque jus retinet ſeparandi ſe etiam quoad habitationem, ubi primùm uxoris adulterium probare poterit.) *Alio modo quantùm ad thorum & cohabitationem; & hoc modo non poteſt dimitti niſi judicio Eccleſiæ; & ſi aliàs dimiſſa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, niſi poſſit ei vir incontinenti fornicationem probare.*

Porrò cùm poſt S. Thomam dicimus, conjugem innocentem, certum de adulterio compartis, eam non poſſe quoad habitationem dimittere authoritate privata, intelligimus non poſſe, quando ſeparatio quoad habitationem authoritate privata fieri non poteſt abſque ſcandalo: nam ſecluſo ſcandalo, conjux innocens privata ſua authoritate poteſt in conſcientia non ſolùm quoad thorum, ſed etiam quoad habitationem ſeparare ſe à comparte, de cujus adulterio certus eſt. Ratio eſt, quia conjux innocens ad utramque ſeparationem jus habet ex ipſa natura pactionis conjugalis, nec jus illud confert, ſed ſolùm declarat ſententia judicis; & ad hoc, ut jus illud exeat in actum, per ſe non requiritur niſi moralis certitudo de adulterio compartis, ut patet ex cap. *Dixit Dominus* 32. quæſt. 1. ubi ſic ait Hieronymus: *Ubicumque igitur eſt fornicatio, & fornicationis ſuſpicio*, violenta, ſcilicet, & quæ ad moralem certitudinem ſufficiat, *liberè uxor dimittitur* (quoad thorum & habitationem) nam de tali dimiſſione loquitur Hieronymus.

Quòd ſi tamen compars dimiſſa querelam ſuam deferat ad Judicem, conjux innocens, qui propria authoritate dimiſit, ſi deficiat in probationibus, ad thori communionem & cohabitationem compelletur Judicis ſententia; & quia utrumque licitè poterit, ad utrumque tenebitur in conſcientia; niſi tamen abeat ad remotam aliquam regionem: nam abeundo quidem peccat, ſed videtur quòd ad dimiſſam redire non teneatur. Reddendo autem debitum, nullum ſibi præjudicium faciet, ut dicit S. Thomas, eo ſenſu: quòd nihilominus poſteà, cùm ſuppetent probationes, petere & obtinere poterit ſeparationem quoad thorum & habitationem: aliquod enim patietur præjudicium maritus innocens, quia carnaliter cognoſcendo uxorem, quæ vel ſemel tantùm adulterata eſt, incurrit irregularitatem, & fit interpretativè bigamus, ex cap. *Si cujus* 11. diſt. 35.

At contra id quod diximus, conjugem innocentem certum de adulterio compartis, eam etiam quoad habitationem authoritate privata ſecundùm conſcientiam dimittere poſſe ſecluſo ſcandalo, *Dices*. Cap. *Multorum* 35. qu. 6. & cap. *Porrò* 3. extra de divortiis, prohibetur ne maritus propria authoritate, & abſque judicio Eccleſiæ, uxorem dimittat, quamvis cauſa dimittendi ſit publica & notoria.

Reſp. In citatis capitulis agi de dimiſſione non quoad thorum & cohabitationem præcisè, ſed quoad ipſum vinculum conjugale, quod ſicut non contrahitur, ita nec diſſolvi, ſeu nullum declarari debet, niſi authoritate Eccleſiæ. Aliud autem eſt de ſeparatione quoad thorum & habitationem tantùm; niſi tamen conjux innocens velit Religionem ingredi, aut ad ſacros Ordines promoveri: tunc enim requiritur, ut probato delicto, ſeparatio fiat authoritate Eccleſiæ, quia quandiu non ſic celebratum eſt divortium, conjux nocens poteſt alterum repetere; ſubintellige, niſi adulterium ejus ſit ita notorium, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, quo caſu alterum innocentem repetere non poteſt, ut patet ex cap. *Conſtitutus* 15. & cap. *Veniens* 16. extra de converſ. conjug.

Obſerva 3. Plures ſunt caſus, in quibus conjux non poteſt ſeparare ſe ab altero propter ejus adulterium. Primus eſt, quando conjux expreſsè vel ta-

citè

citè in adulterium alterius conſenſit. Ratio eſt, quia adulterium, quod non eſt injurioſum conjugi, non poteſt eſſe ei cauſa ſufficiens ſeparandi ſe ab altero. Atqui adulterium non eſt injurioſum conjugi, quando in illud expreſsè vel tacitè conſentit: volenti enim non fit injuria. Ergo &c. Porrò conjux tacitè conſentit in adulterium alterius, ſi permittat illud, cùm tamen facilè poſſit illud impedire: niſi tamen comparem habens meritò ſuſpectam adulterii, non prohibet eam, ut deprehenſam poſſit dimittere: tunc enim ne quidem tacitè in adulterium conſentire cenſeri poteſt, quia juſtam explorandi cauſam habet.

Secundus eſt, quando conjux fuit latenter cognita ab alio, quem inculpabiliter putavit eſſe maritum ſuum.

Tertius, quando conjux fuit omninò vi oppreſſa; in his enim caſibus adulterium non eſt formaliter injurioſum, quantùm eſt ex parte conjugis. *At inquies*. Quid ſi conjux in adulterio conſenſit, metu gravi coacta? *R.* 1. in hoc caſu adulterium fore injurioſum marito: conjux enim, quamvis metu gravi coacta, liberè conſentit in adulterium, & tenetur potiùs mori, quàm violare fidem conjugalem: quare in hoc caſu jus habebit maritus, non quidem accuſandi criminaliter uxorem, ſed ab ea divertendi. Videtur tamen contra charitatem fore ſeparatio, niſi ad eam impellant graves aliæ cauſæ; & regulariter maritus ex charitate tenebitur, injuriam condonare uxori, cujus pudicitiam eatenùs habere non potuit ſuſpectam.

Quartus eſt, quando conjux cum alio contraxit, vel fornicatus eſt, bona fide credens conjugem obiiſſe, vel matrimonium verè diſſolutum fuiſſe, quia illud irritum Eccleſia ex errore facti declaravit: tunc enim adulterium nullo modo imputari poteſt conjugi, ſi contraxit cum alio: ſi verò cum alio fornicatus eſt, ei imputari non poteſt adulterium, alio quà tale, ſeu quà fidei conjugalis violativum; nam tunc adulterium ei tantùm imputabile eſt ut ſimplex fornicatio.

Quintus eſt, quando matrimonio in infidelitate utriuſque conjugis contracto, vir ſecundùm gentis ſuæ ritum repudiavit uxorem, & uxor repudiata nupſit alteri, atque ambo poſtea ad fidem Chriſti convertuntur: tunc enim tenetur vir eam ad ſe revocare, eique cohabitare, ut definitur cap. *Gaudemus* 8, extra de divortiis; & ratio eſt, quia uxor repudiata inculpabiliter putavit, matrimonium priùs fuiſſe diſſolutum omninò. Hic autem ſubintelligitur, uxorem non fuiſſe repudiatam propter ejus adulterium: nam ſi adulterium uxoris fuit cauſa repudii, vir ad fidem converſus eam, quamvis pariter converſam, non tenebitur recipere, at tenebitur manere cælebs, niſi velit ei reconciliari.

1. Non tenebitur eam recipere. Sic intelligo Innocentium III. cap. *Gaudemus* citato, ubi ait: *Non tamen dimiſſor poterit objicere fornicationem dimiſſa, pro eo quòd nupſit alii poſt repudium, niſi aliàs fuerit fornicata*. 2. Tenebitur manere cælebs, aut reconciliari uxori pariter converſæ; quia, ut eod. cap. dicit Pontifex, *Vir ad fidem Chriſti converſus, vivente legitima uxore, aliam accipere non poteſt, niſi legitima uxor renuat ei cohabitare, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris: vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo caſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſta ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur.*

Sextus eſt, quando injuria condonata eſt expreſsè vel ſaltem tacitè. Cenſetur autem injuria tacitè remiſſa, ſi conjux comparem adulteram carnaliter cognoſcat, modò tamen cognoſcat liberè, & conſcius ejus adulterii: nam ſi ignoret ejus adulterium, aut non omninò voluntariè reddat debitum, ut cùm mulier metu mariti, vel judicis præcepto ad hoc cogitur, debitum reddendo non cenſetur injuriam remittere.

Septimus denique eſt, quando uterque conjux reus eſt adulterii. Patet ex cap. *Significaſti* 4. & cap. *Ex litteris* 5. extra de divortiis. Et ratio eſt, quia, ut ait Gloſſa ad utrumque cap. paria delicta mutua compenſatione tolluntur. *At inquies*. Quid ſi unus pluries fornicatus eſt, quàm alter; aut unius adulterium notorium eſt, alterius verò occultum; aut uxor priùs crimen commiſit, quàm maritus? *R.* non referre; quia divortium non niſi innocenti conceditur. Vide S. Thomam in 4. diſt. 35. quæſt. un. art. 1.

Obſerva 4. Præter adulterium, nullum aliud crimen, excepta fornicatione ſpirituali, ſeu peccato infidelitatis, poteſt eſſe ſufficiens cauſa divortii. *Prob.* ex cap. *Quæſivit* 1. extra de divortiis, juncta Gloſſa, quæ ad hæc verba capituli, *Mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui ..... ab eo ſeparari non debet*, ſic ait: *Pro nullo crimine poteſt vir dimittere uxorem, vel uxor virum, niſi pro crimine fornicationis, vel pro ſpirituali fornicatione*. Docet tamen S. Thomas in 4. diſt. 35. quæſt. un. art. 1. ad 4. *quòd etiam propter vitium contra naturam* (qualis eſt v. gr. ſodomia) *poteſt procedi ad divortium*. Sed jura nullius præter carnalem & ſpiritualem fornicationem meminerunt criminis, propter quod divortium fieri poſſit.

Responsio III.

Conjux à conjuge ſeparare ſe poteſt non ſolùm propter adulterium, ſed etiam ob multas alias cauſas.

Hoc apertè definit Concilium Tridentinum canone ſupra citato, & declaratur inductione. Nam 1. conjux divertere poteſt à conjuge, ſi labatur in hæreſim, ut patet ex cap. *De illa* 6. extra de divortiis, in quo dicitur mulierem, quæ à viro in hæreſim lapſo ſeparaverat ſe quoad thorum & habitationem ſine judicio Eccleſiæ, eſſe ei reddendam, poſtquam ad fidem reverſus fuerit, & ſi tunc ad eum redire noluerit, eſſe compellendam; nullatenùs verò compellendam eſſe ad eum recipiendum, ſi judicio Eccleſiæ ab eo diſceſſit. Ergo mulier illa à viro in hæreſim lapſo divertere potuit, & quidem non ſolùm judicio Eccleſiæ, ſed etiam propria authoritate: ita tamen ut propria authoritate ab eo divertens, ad eum poſtea, ſi reverteretur ad fidem, redire teneretur. Ergo, &c.

At inquies. Quare mulier à viro in hæreſim lapſo ſeparata, ad eum poſtea, ſi convertatur ab errore ſuo, tenetur redire, ſi ab eo propria authoritate divertit, ſecùs verò, ſi ab eo divertit judicio Eccleſiæ? *R.* in primo caſu teneri; quia per viri converſionem ceſſat cauſa divortii, nempe periculum ſubverſionis uxori & liberis imminens ex infidelitate viri. Ceſſante autem cauſa divortii, divortium ceſſare debet, niſi aliud excuſet ſeparationem. At mulier non tenetur redire ad virum in ſecundo caſu, quia vir per Eccleſiæ judicium, quo ſeparatur propter ſuam hæreſim ab uxore, omni jure quod habebat ad hoc, ut uxor ei cohabitaret, & debitum redderet, in pœnam hæreſis privatur in perpetuum, manente ſolo vinculo conjugali. Quod

Confirmatur ex cap. finali extra de converſ. conjug. quo dicitur: *Mulier quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſia ſeparata, ad religionem liberè convolare*. At certè hoc mulier non poſſet, ſi vir ejus omni jure, quod habebat ad cohabitationem & thori communionem, per judicium Eccleſiæ privatus non eſſet propter hæreſis crimen, propter quod etiam bonis omnibus, imò & vita privari potuit.

2. Conjux divertere poteſt à conjuge, ob cujus ſævitiam, mortem, vel graves plagas inferendas metuit, ſi non poteſt aliter, quàm ſeparando ſe, ſibi ſufficienter providere. Patet ex cap. *Litteras* 13. extra de reſtitutione ſpoliatorum, in quo ait Pontifex: *Si verò tanta ſit viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolùm non debet illi reſtitui, ſed ab eo potiùs amoveri. At inquies.*

Quid

Digitized by Google

Quid ſi mulier ſibi à viro metuat tantùm caſtigationem moderatam? *R.* tunc mulierem non poſſe à viro divertere, quia maritus jus habet caſtigandi uxorem, modò id moderatè faciat. Porrò quod ſævitia dictum eſt, de furore dictum eſto.

3. Conjux divertere poteſt à conjuge, ſi nitatur eum pertrahere ad peccatum. Patet ex cap. *Quæſivit* 2. extra de divortiis, in quo dicitur, mulierem pro furto vel alio crimine viri ſui ab eo ſeparari non debere, *niſi fidei ſuæ religionem velit corrumpere: verùm ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit* (vel trahere velit,) *à viro poſſe ſeparari*. Et verò ſi conjux poteſt divertere à conjuge, à quo ſibi timet mortem corporis, quantò magis divertere poteſt ab eo, à quo ſibi metuit mortem animæ, juxta illud Chriſti Matth. cap. 18. *Si oculus tuus* (quo nomine rectè conjux intelligitur) *ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*. Non eſt tamen faciendum divortium, niſi poſtquam conjux, qui alterum ad peccandum inducere nititur, admonitus deſiſtere noluit.

Præterea, pro juſta & ſufficienti cauſa divortii lepram aſſignant multi. Ratio eorum eſt, quia lepra morbus eſt gravis & contagioſus, & ſanus conjux non tenetur alteri cum tanto ſuo periculo cohabitare. Poſſunt etiam pro ſe citare Stephanum II. in reſponſis ad conſulta Francorum, ubi ad 9. ſic reſpondet: *Si ſanus vir leproſam duxerit uxorem, aut poſtmodum ei ſuperveniat lepra, poſtpoſita negligentia, tales ſeparentur, ne concepti filii lepra polluantur*. Sed

Contradicit Alexander III. cap. *Quoniam* 2. extra de conjugio leproſorum, ubi ait: *Quoniam nemini licet, excepta cauſa fornicationis, uxorem dimittere: conſtat quod ſive mulier lepra percuſſa fuerit, ſive alia gravi infirmitate detenta, non eſt à viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda*. Et inferiùs: *Quod ſi virum, ſive uxorem, leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſolvendum: cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur*.

Accedit Urbanus III. cap. finali eod. tit. ubi reſpondet, ſponſum ad recipiendam ſponſam de futuro, quæ poſt ſponſalia in lepræ morbum inciderat, cogi non debere, *cum nondum inter eos matrimonium fuerit conſummatum*. Ergo ſi ſponſa non niſi poſt matrimonium conſummatum incidiſſet in lepram, ſponſus ad eam accipiendam ſeu retinendam cogi debuiſſet. Quòd ſi lepra non eſt cauſa ſufficiens divortii, multò minùs ſunt infirmitates aliæ, quantùmvis graves, non contagioſæ, quales ſunt deformitas corporis, membrorum debilitas, cæcitas, ſurditas, ſtultitia, modò tamen propter illam non periclitetur vita conjugis alterius, & *quidquid* (aliud in ratione morborum, exceptis iis qui ex adulterio provenire poſſunt,) *cogitari poteſt vehementer horribile*, ut ait Auguſtinus cap. *Si uxorem* 32. q. 5.

Meliùs itaque præfati Doctores tenent, cauſam eſſe ſufficientem ad divortium, ſi alter conjux ſit maleficus: cùm enim hujuſmodi agantur conſilio dæmonis, ſæpenumerò perſonis etiam conjunctiſſimis nocent maximè, & in eorum cohabitatione tam animæ quàm corporis ſalus graviter periclitatur.

ARTICULUS X.

Reſolvuntur caſus aliquot ad divortium pertinentes.

QUæres 1. Utrùm vir uxorem in adulteriis perſiſtentem teneatur dimittere?

R. Duplex eſt ſententia. Prima eſt S. Thomæ in 4. diſt. 35. qu. un. art. 2. ubi ait in O. *Dimiſſio uxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam: pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præceſſit. Et ideo ſi mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: ſi autem non pœniteat, tenetur, ne peccato ejus conſentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.*

Prob. Hæc ſententia ex cap. *Si vir* 3. extra de adulteriis, &c. quo dicitur: *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps*. Et ex multis capit. 32. q. 1. in qua primus hic eſt: *Sicut crudelis eſt, & iniquus, qui caſtam dimittit, ſic fatuus eſt, & injuſtus, qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis ejus eſt, qui crimen celat uxoris*.

Secunda ſententia docet, virum in caſu propoſito non teneri ad uxorem dimittendam, aut accuſandam ad divortium, ſed ſolùm ad eam denunciandam ad pœnitentiam. Ita Gloſſa in cap. *Si vir*, & Gloſſa in cap. *Sicut crudelis* citata.

Tertia ſententia tenet, virum in caſu propoſito non teneri communiter, ad dimittendam, vel accuſandam, aut denunciandam uxorem, ſed poſſe eam retinere. *Prob.* ex cap. *Quemadmodum* 25. extra de jurejurando §. ult. ubi dicitur: *Tutius ergo in hoc caſu* (in quo vir juravit ſe non accuſaturum uxorem adulterantem) *videtur, ut propter juriſjurandi religionem, vir accuſare deſiſtat uxorem ad divortium celebrandum; quanquam denunciare eam poſſit ad pœnitentiam peragendam*. Ergo viro illi licitum eſt non accuſare uxorem ad divortium; nam ſi non eſſet licitum, juramentum ejus eſſet de re illicita, adeòque nullum. Ergo viro illi licitum eſt, non facere divortium cum uxore. Ergo licitum eſt viro uxorem adulterantem retinere. Cujus ratio eſt, quæ eod. cap. affertur, quia *vir poteſt dimittere uxori non ſolùm ſepties, ſed etiam uſque ſeptuagies ſepties, ſecundum evangelicam veritatem. At inquies*, Saltem vir tenetur, uxorem perſiſtentem mœchari, denunciare ad pœnitentiam. *R.* Poteſt, at non tenetur.

Omninò placet, quod dicit Henricus Pirhing in compendio Juris canonici in lib. 5. Decret. tit. 16. §. 4. virum, ex cap. *Si vir*, teneri ad dimittendam uxorem adulteram non reſipiſcentem, *non quidem, quaſi obligatio ſe ſeparandi ab uxore adultera oriatur ex adulterio præcisè, quia penes innocentem eſt divertere, vel non divertere; neque quòd oriatur præcisè ex præcepto correctionis fraternæ, quia huic præcepto ſatisfieri poſſet, admonendo uxorem; ſed ex præcepto vitandi ſcandali* (*ne vir patrocinari videatur adulterio uxoris*) *ſi aliis mediis vitari illud non poſſit, nec cauſa juſta urgeat retinendæ adulteræ*.

Itaque, ſecundùm Canones, vir uxorem adulteram, non reſipiſcentem, tenetur dimittere, ſi non poteſt aliter quàm eam dimittendo, vitare ſcandalum, nec juſtam habet cauſam illam retinendi. At non tenetur dimittere, ſi juſtam habet cauſam illam retinendi, putà quia multam ex ea ſuſcepit prolem, quam ſolus nonniſi ægerrimè regeret; vel quia non contineret niſi difficillimè, atque ita ipſe, uxorem dimittendo, morale periculum incurreret adulterandi, & ſi poteſt aliter quàm ſeparando ſe, vitare ſcandalum, quod certè poteſt ſaltem communiter, ita ſcilicet gerendo ſe, ut nonniſi immeritò videri poſſit conſentire adulterio uxoris, adeòque nonniſi immeritò videri poſſit eſſe patronus turpitudinis, ut ſi uxorem pro ſua poteſtate coerceat, eamque publicè non modò admoneat, ſed etiam caſtiget pro ſua poteſtate. Quòd ſi adhuc aliqui putabunt illum patrocinari adulterio uxoris, ſcandalum erit, non datum, ſed acceptum.

Igitur cap. *Si vir*, loquitur de viro, qui abſque ſcandalo dato retinere non poteſt uxorem adulteram perſiſtentem mœchari, & cap. *Quemadmodum*, de viro, qui abſque ſcandalo dato retinere poteſt uxorem adulteram, vel quia ejus adulteria ſunt occulta, licèt poſſint probari, vel quia ſi publica ſunt, poteſt vir ſufficienter oſtendere, quòd eis non conſentiat, nec caret juſta cauſa retinendi uxorem.

Porrò quòd uxor virum adulterum, mœchari perſiſtentem, non teneatur dimittere, facilè conſentiunt omnes; tum quia uxor non aliter corrigere maritum

ſuum

Digitized by Google

ſuum tenetur, quàm precibus & ſuavibus admonitionibus; tum quia nullo negotio ſcandalum vitare poſſet, oſtendendo adulteria viri ſibi diſplicere. Quòd ſi tamen probabilis ſpes eſſet, virum notoriè adulterum emendatum iri, uxore ab eo ad tempus divertente, ad hoc uxor ex charitate teneretur.

Quæres 2. Utrùm innocens, ſi poſt factum authoritate propria divortium ob adulterium alterius, in adulterium labatur, teneatur alteri reconciliari, eumque ad thori conſortium admittere.

R. ad hoc teneri in conſcientia: nam, ut ait Gloſſa ad cap. *Significaſti* 4. de divortiis, *paria delicta mutua compenſatione tolluntur*; & dimiſſo competit actio ad repetendum dimiſſorem, ut patet ex citato cap. in quo de viro, qui uxorem ſine judicio Eccleſiæ dimiſerat, dicitur uxori adulteræ eum repetenti non eſſe reſtituendum, niſi conſtet ipſum cum alia adulterium commiſiſſe.

At inquies. Quid ſi per ſententiam Eccleſiæ factum fuerit divortium? *Reſp.* In hoc etiam caſu virum v. g. qui dimiſit uxorem adulteram, ſi poſt divortium adulteretur, teneri in conſcientia uxorem dimiſſam recipere; imò & uxori dimiſſæ actionem ad repetendum virum competere. *Prob.* ex cap. *Ex litteris* 5. de divortiis, in quo Pontifex jubet virum compelli, ad uxorem quam ob adulterium ejus judicio Eccleſiæ dimiſerat, redire, quia ipſe poſt celebratum divortium, adulterium commiſerat. Vir autem non debet compelli niſi ad id, ad quod tenetur in conſcientia, & ad quod uxor jus habet non ſolùm in foro externo, ſed etiam in interno.

Conſentit nobis Gloſſa ad cap. citatum. *Separati*, inquit, *vivere debent continenter: alioquin non obſtante ſententia, debent ad invicem redire: quia paria delicta mutua compenſatione tollantur. Item delictum ſuperveniens rei judicatæ, tollit ſententiam*. Et verò rectè dici poteſt, quòd ſententia divortium dimittenti non concedat, niſi ſub hac tacita conditione, ut continenter vivat poſt divortium, qua proinde non obſervata, ſententia non præjudicat parti dimiſſæ, & pro non lata haberi debet.

Præterea, ſententia non confert novum aliquod jus dimittenti, ſed ſolùm declarat jus quod habet, ſeparandi ſe à comparte adultera: unde dimittens non majus aliquod jus habet poſt divortium judicio Eccleſiæ celebratum, quàm poſt divortium propria dimittentis authoritate factum. Ergo ſi adulterium committat poſt divortium, ad idem tenetur in conſcientia, & pars dimiſſa idem jus habet in foro interno & externo, ſive propria dimittentis authoritate, ſive judicio Eccleſiæ divortium factum fuerit.

At inquies. Quid ſi ſententia divortii tranſiiſſet in rem judicatam, eò quòd aut tempus appellationis eſſet elapſum, aut tres ſententiæ conformes ea de re latæ fuiſſent? *R.* ex eo quòd ſententia tranſierit in rem judicatam, effici quidem, ut pars ob adulterium dimiſſa, non poſſit ampliùs ipſam ſententiam in dubium revocare, niſi reſtituatur in integrum: at non impediri partem dimiſſam, quominus ſuperveniente alterius adulterio, propter injuriam ſibi per adulterium illud illatam, poſſit litem movere, & repetere alterum, à quo dimiſſa eſt, quique eam recipere tam tenetur in conſcientia, quam ſi nulla lata fuiſſet ſententia.

Certè quamvis ſententia in rem judicatam tranſierit, nihilominùs manet vinculum conjugale, adeòque pars ob adulterium dimiſſa, nihilominùs retinet dominium corporis alterius, atque ita adhuc habet jus, ne alter corpore ſuo abutatur: unde alter abutendo corpore ſuo, poſtquam ſententia tranſiit in rem judicatam, parti dimiſſæ facit injuriam, vi cujus parti dimiſſæ jus acquiritur eum repetendi; cùm per hanc injuriam compenſetur illa alia, ob quam alteri conceſſum fuit divortium, & in qua ſola fundatum erat jus, quod alter habebat ad divortium, quod proinde jam illicitum eſt & injuſtum.

Dices. Sententia divortii innocentem abſolutè liberavit ab omni ſervitute, qua obligabatur parti adulteræ. *R.* innocentem per ſententiam divortii liberatum quidem fuiſſe ab obligatione cohabitandi & debitum reddendi parti adulteræ, niſi tamen meliùs dicatur, liberum ab utraque obligatione declaratum fuiſſe. At 1. nego quòd liberatus fuerit abſolutè, & dico liberatum tantùm fuiſſe ſub hac tacita conditione, ſi continentiam ſervet. 2. Nego quòd liberatus fuerit, aut etiam liberari potuerit ab omni omninò ſervitute, qua parti adulteræ obligabatur: non enim liberatus eſt, nec liberari potuit à vinculo conjugali, quo durante, ita ſuus eſt partis adulteræ etiam poſt divortium, ut ſine vera illius injuria non fornicari. Igitur per ſententiam divortii innocens liberatur à duplici tantùm ſervitute, cohabitandi ſcilicet, & debitum reddendi parti adulteræ. Sed quia remanet alia ſervitus mutua, & inamiſſibiliter mutua, fundata in vinculo conjugali indiſſolubili, utraque illa ſervitus ſic amittitur, ut utraque redire poſſit, & de facto redeat, innocente poſt divortium fornicante.

At inquies. Quid ſi innocens, celebrato per ſententiam Eccleſiæ divortio, profiteretur in Religione, aut ſacros Ordines ſuſciperet, & poſt profeſſionem aut ſuſceptionem Ordinum fornicaretur? *R.* quòd pars dimiſſa non poſſet eum repetere, nec repetenti poſſet reſtitui, quia tali parti eum repetenti non reſtitueretur ſine injuria ſtatus ab eo ſuſcepti, cui tamen non potuit adulterio ſuo nocere.

Quæres 3. Utrùm conjux innocens, divortio legitimè celebrato, teneatur poſtea reconciliari comparti adulteræ, ſi fuerit emendata?

R. nunquam teneri ex juſtitia. Ratio eſt, quia pars ob adulterium dimiſſa, vel unico adulterandi actu jus in perpetuum amittit cohabitandi & debitum exigendi, niſi alter poſtea fornicetur. Unde cùm cap. *Si vir* 3. extra de adulteriis, dicitur, *quod ſi mulier* (ob adulterium) *dimiſſa, egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet* (vir) *ſed non ſæpe recipere peccatricem*; hoc intelligendum eſt, ut obſervat Gloſſa, de debito honeſtatis, non neceſſitatis, quia etiam poſt pœnitentiam uxoris adulteræ poſſet vir eam accuſare de adulterio, & propter illud cum ea per ſententiam Eccleſiæ divortium facere. Poteſt etiam & debet intelligi de obligatione charitatis pro eo caſu, in quo innocens ſine magno aliquo ſuo incommodo poterit recipere alterum emendatum, & hoc expediet ſaluti alterius.

E contra pars adultera, & ob adulterium dimiſſa, tenetur ad innocentem redire, cùm primùm id voluerit. Ratio eſt, quia pars adultera nullum jus habet ſeparandi ſe, etiam poſt divortium judicio Eccleſiæ celebratum; nec Eccleſia concedendo divortium innocenti, intendit, aut etiam poteſt eum privare jure quod habet, exigendi debitum à parte adultera, quæ proinde non minùs poſt divortium, quàm ante, tenetur innocenti cohabitare, eique debitum reddere, ſi id exigat innocens, modò tamen neuter ſtatum incompoſſibilem legitimè ſuſceperit.

Quæres 4. Utrùm conjugibus poſt alterius adulterium reconciliatis, ab eo qui fuit adulter, dimitti poſſit is qui fuit innocens, ſi poſt reconciliationem fornicetur?

R. Affirmativè: quia prior injuria fuit omninò abolita per reconciliationem. *At inquies*. Quid ſi poſtquam uterque conjux mœchatus eſt, unus emendatus alterum ad emendationem & reconciliationem invitavit? *Reſp.* emendatum, impoſterum reputari innocentem, & poſſe dimittere alterum, ſi impoſterum fornicetur. Ratio eſt, quia alter tenetur acceptare reconciliationem: unde oblatio reconciliationis pro ipſa reconciliatione habetur in favorem offerentis, qui emendatus eſt, quamvis pro tali non habeatur in favorem recuſantis.

Quæres 5. Utrùm divortio propter adulterium per ſententiam Eccleſiæ celebrato, conjuges poſſint Religionem ingredi, vel vovere caſtitatem?

R. 1. Conjugem innocentem in hoc caſu poſſe Religionem ingredi, vel caſtitatem vovere, invita comparte

Digitized by Google

parte adultera. Ratio eſt, quia innocens à matrimonii legibus tam abſolutus eſt, quàm ſi alter eſſet mortuus, quandiu ſcilicet ipſe ſervat continentiam. Dico quandiu, &c. Nam 1. ſi poſt votum ſimplex caſtitatis fornicaretur, in conſcientia teneretur comparti ob adulterium dimiſſæ reconciliari, eique reddere debitum, licèt non poſſet illud exigere. 2. Si Religionem ingreſſus, fornicaretur ante profeſſionem, non poſſet ulteriùs progredi ſine conſenſu alterius, & alteri eum repetenti reſtituendus eſſet, factaque profeſſio, invito altero, eſſet invalida.

Porrò conjuge innocente poſt divortium legitimè factum Religionem ingrediente, etiamſi hoc fiat ex conſenſu alterius, alter non tenetur Religionem ingredi, ſed in ſæculo manere poteſt. Ratio eſt, quia alter nullo jure obligatur ad ingrediendam Religionem.

R. 2. Etiam poſt factum legitimè divortium, adulterum non poſſe Religionem ingredi, aut ſacros Ordines ſuſcipere ſine conſenſu innocentis, quandiu moraliter ſperari poteſt, fore ut velit reconciliari. Ratio eſt, quia innocens per divortium jus non amiſit cohabitandi adultero, ab eoque debitum exigendi: unde etiam poſt divortium legitimè factum, adulter tenetur redire ad innocentem, quandocumque innocens voluerit.

Dixi autem, quandiu, &c. nam ſi adulter poſt emendationem ſæpè & enixè petiviſſet reconciliationem ab innocente, & eam innocens abſolutè negaret, amiſſa omni morali ſpe reconciliationis adulter, cùm non teneatur manere perpetuò de ſtatu ſuo incertus, poſtquam emendatus eſt, poſſet ſine conſenſu innocentis, qui tunc eſſet irrationabiliter invitus, Religionem ingredi, & poſt annum probationis, niſi jam ſtatim reconciliari vellet innocens, profeſſionem emittere. Similiter poſſet ad minores Ordines promoveri, poſtea, niſi tunc ad reconciliationem paratus eſſet alter, ad ſacros promovendus.

At inquies. Quid ſi divortium injuſtè factum fuit, quia alter adulterii injuſtè accuſatus eſt, vel petens occultè fornicatus eſt, antequam peteret? *Reſp.* neutrum invito altero poſſe Religionem ingredi, aut ſuſcipere ſacros Ordines: neutri enim, invito altero, jus competere poteſt tranſeundi ad ſtatum incompoſſibilem cum uſu matrimonii: unde ſi unus, invito altero, profiteatur in Religione, invalida eſt profeſſio; aut ſi altero invito, promoveatur ad ſacros Ordines, alteri eum repetenti reſtituendus erit, cognita veritate.

At inquies. Quid ſi divortium per ſententiam Eccleſiæ factum ſit, non ob adulterium, ſed propter hæreſim alterius. *R.* in hoc caſu idem poſſe innocentem, quod poteſt in caſu divortii ob adulterium alterius judicio Eccleſiæ celebrati. Ratio eſt, quia conjux innocens ab altero propter ejus hæreſim ſeparatus judicio Eccleſiæ, nunquam tenetur ad reconciliationem, ut patet ex cap. *De illa* 6. de divortiis.

Quæres 6. Quomodo conjuges mutuo conſenſu poſſint facere divortium?

R. 1. Conjuges ſive ante, ſive poſt matrimonium conſummatum, poſſunt ex mutuo conſenſu propter honeſtam aliquam cauſam, quoad thorum ſeparare ſe, ſive ad tempus, ſive in perpetuum, prout inter ſe conſenſerint. Ratio eſt, quia conjuges nullo jure tenentur ad utendum matrimonio, niſi tamen ex non uſu immineat utrique, vel ſaltem alterutri, periculum incontinentiæ, in quo caſu ad matrimonii uſum obligantur, niſi aliter facilè poſſint & velint vitare tale periculum, ut ſignificat Apoſtolus 1. Cor. cap. 7. v. 5.

Porrò conjuges ſic quoad thorum ſeparati, poſſunt ex mutuo conſenſu vovere continentiam, ut apertè ſupponit S. Auguſtinus epiſt. 199. in qua Ediciam & maritum ejus laudat, quòd voviſſent continentiam. Quia tamen emiſſo continentiæ voto, conjuges ex cohabitatione incurrere poſſunt periculum incontinentiæ, tale votum non debent emittere, niſi poſt maturam deliberationem, imò & diuturnam continendi experientiam, ex qua moraliter certi eſſe poſſint, etiam cohabitando ſe facilè continenter victuros.

Reſp. 2. Vir poſt conſummatum matrimonium non poteſt Religionem ingredi, niſi conſentiat uxor, & ipſa ſimiliter ingrediatur Religionem, ſi juvenis eſt, vel ſuſpecta de incontinentia. Quòd ſi ſenex ſit, & talis, ut omni incontinentiæ ſuſpicione careat, poteſt, emiſſo caſtitatis perpetuæ voto, in ſæculo remanere. Patet ex cap. *Præterea* 1. cap. *Cum ſis* 4. cap. *Uxoratus* 8. cap. *Ad apoſtolicam* 13. & cap. *Significavit* 18. extra de converſ. conjug. Idem autem tenendum de viro, cujus uxor ex ipſius conſenſu Religionem ingreditur, ut patet ex cap. *Ad apoſtolicam* citato.

At inquies. Quid ſi vir Religionem ingreſſus cum licentia uxoris, ante profeſſionem redeat ad ſæculum, & uxor ejus, quæ remanſerat in ſæculo, jam votum continentiæ emiſerit? *R.* teneri virum illum redire ad uxorem, cujus votum, quia quantùm ad valorem perpetuum pendebat à profeſſione mariti ut conditione, marito non profitente, & ad ſæculum redeunte, nullum efficitur.

At inquies. Quid ſi uxor, de cujus licentia maritus in Religione profeſſus eſt, Religionem non ingreditur, ſi juvenis eſt, aut non extra periculum incontinentiæ; vel ſi ſenex eſt, & nullo modo ſuſpecta de incontinentia, remanens in ſæculo continentiam non vovet, ignorans diſpoſitionem juris?

R. Maritum poſſe & debere è monaſterio revocari ab Epiſcopo, & reddi uxori ſuæ, ex cap. *Præterea* citato. Valida tamen fuit profeſſio: unde uxori, quæ neque continentiam vovit, neque juri, quod habet ad petendum debitum, legitimè ceſſit, tenebitur quidem debitum reddere, ſed illud ab ea exigere non poterit, ſicut nec poterit, ea mortua, aliud matrimonium validè contrahere, & tenebitur ad ſuum monaſterium reverti, ex cap. *Ex parte* 9. eod. tit.

Dictum eſt autem, Ignorans diſpoſitionem juris: nam ſi uxor marito in Religione profitendi licentiam daret cum conſcientia diſpoſitionis juris, cenſetur in ſe ſuſcipere obligationem vel Religionem ingrediendi, ſi juvenis eſt, aut non ſine incontinentiæ periculo; vel ſi ſenex eſt, & carens omni ſuſpicione incontinentiæ, promittendi caſtitatem perpetuam: unde ad alterutrum compellenda erit, nec maritus ejus poterit revocari.

At inquies. Quid ſi vir in Religione profiteretur cum licentia uxoris, metu gravi vel dolo extorta? *R.* invalidam fore profeſſionem ſic factam poſt conſummatum matrimonium, ex cap. *Veniens* 16. & cap. *Accedens* 17. de conv. conjug. Unde vir tenebitur ad uxorem redire, eique exigenti debitum conjugale reddere; illud tamen exigere non poterit, quia profitendo tantùm obligavit ſe, quantùm potuit, & potuit obligare ſe ad non exigendum debitum conjugale. Poſt obitum autem uxoris non tenebitur redire ad monaſterium, & ſi novum contrahat matrimonium, validè illud contrahet. Idem porrò reſpondendum eſt, ſi vir invita vel inſcia uxore, & viciſſim ſi uxor invito vel inſcio viro, in Religione profiteatur poſt conſummatum matrimonium, ex cap. *Quidam* 3. & cap. *Placet* 12. eod. tit.

At inquies. Quid ſi conjuges poſt conſummatum matrimonium, ex mutuo conſenſu continentiam perpetuam voverent, & unus poſtea ſine alterius conſenſu Religionem ingrederetur, & in ea profiteretur? *R.* quòd invalidè profiteretur, & poſſet ab altero repeti. Ratio eſt, quia conjuges ex mutuo conſenſu voventes continentiam, renunciant quidem juri, quod habent ad uſum matrimonii, at non renunciant juri, quod habent ad cohabitandum. Nec obeſt nobis cap. *Dudum* 20. de conv. conjug. ibi enim agitur de viro, qui uxorem in Religione profeſſam repetebat, poſtquam omni juri, quod in illam habebat, renunciaverat omninò coram teſtibus fide dignis; nec ſolùm continentiam voverat, ſed etiam ſe pau-

perum

Digitized by Google

perum hoſpitalis cujuſdam obſequio devoverat. Talis autem non tantùm juri quod habebat ad uſum matrimonii, ſed etiam juri, quod habebat ad cohabitationem, expreſsè renunciarat; unde jure merito perpetuum ei ſuper ac re ſilentium impoſitum eſt.

At inques. Quid ſi vir poſt conſummatum matrimonium ingrediatur Religionem, & in ea profiteatur, uxore & tacente, aut vice verſa uxor, &c. *R.* invalidam eſſe profeſſionem; conjux enim non poteſt Religionem ingredi, & in ea profiteri validè ſine conſenſu alterius, ut jura definiunt, nec alter tacendo ac diſſimulando conſenſiſſe cenſeri poteſt: hæc enim juris regula, *Qui tacet, conſentire videtur*, fallit in facto oneroſo tacenti. Unde tunc neceſſarius eſt conſenſus expreſſus. Porrò ſi alter moritur, antequam contradicat, & repetat conjugem, non idcircò per mortem alterius validatur profeſſio facta, ſed ad hoc ut valida ſit neceſſarius eſt novus conſenſus, quo ratificetur à profitente, qui poſt alterius conjugis mortem ad profitendum habilis eſt. Nec obeſt cap. *Conſuluit* 10. de conv. conjug. in eo enim agitur de viro, qui conſentiente uxore Religionem ingreſſus fuerat, ut interpretatur Gloſſa.

R. 3. Sive ante, ſive poſt matrimonium conſummatum, poteſt vir ad ſacros Ordines epiſcopatu inferiores promoveri de licentia uxoris caſtitatem perpetuam voventis in ſæculo. *Prob.* ex cap. *Conjugatus* 5. extra de conjug. in quo dicitur: *Nullus conjugatorum eſt ad ſacros Ordines promovendus, niſi ab uxore continentiam promittente, fuerit abſolutus.* Sufficit ergo ad hoc ut maritus ordinetur, uxorem conſentire, & continentiam promittere, nec obligatur ad ingrediendam Religionem.

Confirmatur ex cap. *Seriatim* 14. diſt. 32. in quo ut qui ſacris Ordinibus initietur, requiritur tantùm ut uxor conſentiat, & caſtitatem perpetuam voveat, atque in ſæculo manere poſſe, manifeſtè ſupponitur. *Si quis*, inquit Leo IX. *ex præfati ordinibus* (minoribus) *deſiderat ſubdiaconatum aſcendere, nequibit hoc ſine conſenſu uxoris ſuæ: ut fiat carnali deinceps ſpirituale conjugium, nemine eos ad hoc cogente. Neque permittitur poſtea uxor jungi eidem marito ſuo carnaliter: nec cuiquam nubere in vita, aut poſt mortem illius* (mariti ſui.)

Nec obeſt nobis cap. *Epiſcopus* 6. diſt. 77. in quo dicitur: *Si conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſteaquam pariter converſi fuerint, ordinentur:* hic enim per religionis promiſſionem & converſionem intelligitur votum perpetuæ continentiæ, neque præcipitur uxori Religionis ingreſſus, ſed ſolùm thalami ſequeſtratio.

Dictum autem eſt, Ordines epiſcopatu inferiores: conjugatus enim ordinari non poteſt Epiſcopus, niſi uxor conſentiens ejus ordinationi, Religionem ingrediatur, ex cap. *Sanè* 6. eodem tit. ubi dicitur: *Fraternitatis veſtræ authoritate Apoſtolica prohibemus, ne uxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi uxor priùs profeſſa continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem aſſumat.*

At inquiunt Doctores non pauci. Conjugatus poſt conſummatum matrimonium non poteſt Religionem ingredi, niſi etiam ingrediatur uxor ejus, ſi juvenis eſt, vel ſuſpecta de periculo incontinentiæ. Ergo ſimiliter conjugatus, ſive ante ſive poſt matrimonium conſummatum, nullo modo ſacro Ordine initiari poteſt, niſi, uxor ejus ingrediatur Religionem, ſi juvenis eſt, vel de periculo incontinentiæ ſuſpecta. *Prob.* conſeq. Nam eadem eſt ratio metuendi pro utroque caſu, imò potior eſt pro ſecundo nam vir ordinatus & uxor ejus in ſæculo remanentes, liberum ad ſe mutuò acceſſum haberent: unde vir ex antiqua, quam cum uxore habuit conſuetudine, facilè poſſet induci ad utendum ea ut conjuge.

R. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia nullum jus pro ſecundo caſu exigit, ut uxor Religionem ingrediatur, ſi juvenis eſt, &c. At hoc pro primo non unum, ſed plura jura expreſsè exigunt. *Ad prob. R.* ex ea tantùm effici, quòd idem pro utroque caſu ſtatui potuerit; ſed nec defuerunt rationes non idem ſtatuendi, & ab uxore illius, qui ad ſacrum aliquem Ordinem promovendus eſt, exigendi tantùm promiſſionem continentiæ in ſæculo perpetuæ. Præterea vir ordinatus, & uxor ejus, etiamſi ambo remanent, facilè poſſunt ſi volunt, omne incontinentiæ periculum vitare, ſi vir, ut debet, non aſpiret ad ſacros Ordines, niſi poſt maturam deliberationem, & longam continentiæ experientiam: alioquin nunquam conjuges niſi temerè poſſent ex mutuo conſenſu vovere continentiam perpetuam, quod non admittent adverſarii.

DISPUTATIO V.

De Impedimentis Matrimonii.

MAtrimonii impedimenta duplicis generis ſunt: alia enim matrimonium reddunt tantùm illicitum: ita ut qui cum aliquo ex eis contrahit matrimonium, peccet contrahendo, ſed nihilominùs validè contrahat. Unde impedimenta hujuſmodi dicuntur impedientia tantùm. Alia verò, quæ dirimentia nominantur, irritum efficiunt matrimonium: ita ut cum impedimento hujuſmodi matrimonium contrahens, illud invalidè contrahat, & nihil efficiat. De utroque illo impedimentorum genere, quanta fieri poterit brevitate agemus ſequentibus paragraphis.

§. I.

Quot ſint impedimenta impedientia tantùm.

IMpedimenta impedientia tantùm, continentur hoc verſu.

Tempora, mandatum, votum, ſponſalia, crimen.

Primum igitur eſt, tempus feriarum, ab initio ſcilicet Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè. Ob cujus temporis reverentiam Eccleſia prohibet ſolemnitatem nuptiarum, hoc eſt, ne celebrentur nuptiæ cum benedictione ſacerdotali, ſolemni ſponſæ in domum ſponſi traductione, ſolemni convivio, aliiſque ſignis lætitiæ. Patet ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 10. de reform. matrim. ubi nec Matrimonii contractus, nec ejus conſummatio prohibetur pro tempore feriarum. Hoc tamen tempore nuptias etiam ſine ſolemnitate contrahere, non obtenta priùs ab Ordinario licentia, illicitum eſt in aliquibus Eccleſiis, vi particularis conſuetudinis in illis receptæ.

Secundùm eſt, mandatum, quando iis, qui matrimonium volunt contrahere, objicitur aliquod impedimentum, & Epiſcopus vel Parochus prohibet illis ne contrahant, donec de objecti impedimenti falſitate liquidò conſtet. Porrò cùm hæc prohibitio ſit in re gravi & juſta, ut ſupponitur, mortali obligat.

Tertium, eſt votum ſimplex vel caſtitatis in ſæculo ſervandæ, vel non ineundi matrimonium, vel ingrediendi Religionem, vel denique ſuſcipiendi ſacros Ordines. Tunc enim contrahere eſt contra voti obligationem, adeòque graviter prohibitum: valet tamen matrimonium ſic contractum.

Quartum eſt, ſponſalium, quia qui cum una validè contraxit de futuro, in re gravi fidem datam violat, ſi cum alia de præſenti contrahat, niſi priorem contractum de futuro antea legitimè diſſolverit, & diſſolvendo, fidem data receperit. Matrimonium tamen ſic contractum, validum eſt, quia res uni promiſſa, validè traditur alteri.

Quintum eſt, crimen, quo nomine intelliguntur multa delicta, ob quæ per antiquos canones abſtinentia à matrimonio injungitur pœnitentiæ loco. Sed hoc impedimentum ſublatum eſt per non uſum.

Sex-

Digitized by Google

Sextum addunt multi, nempe impedimentum catechiſmi, cùm quis in cathechiſmo, qui Baptiſmo præmittitur, tenet aliquam, ejus nomina reſpondendo ſacerdoti interroganti, an credat, an renunciet diabolo, &c. At non tenet eam in Baptiſmo aut Confirmatione: talis enim, inquiunt, ex cap. *Per cathechiſmum* 2. de cognatione ſpirituali in 6. cum ea, quam tenet, contrahit cognationem ſpiritualem, quæ matrimonium contrahendum impedit, non ſeparat contractum. At hoc impedimentum à Tridentino ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matr. ſublatum eſſe, docent alii, quibus facilè aſſentimur. Sed circa tertium impedimentum.

Quæres 1. Ad quid teneatur, qui cum voto ſimplici caſtitatis contrahit matrimonium?

R. 1. Nunquam poteſt petere debitum: ad id enim ſe voto ſuo obligavit. 2. Alteri expreſsè vel tacitè petenti debitum tenetur reddere, etiam prima vice conſummando matrimonium; alter enim habet jus non ſolùm ad uſum matrimonii poſt conſummationem, ſed etiam ad conſummandum; niſi tamen ipſe velit ingredi Religionem intra præſcriptum tempus, ad quod non obligatur, quia hoc non vovit, nec lex aliqua cogit eum, ut medium ſervandæ caſtitatis tam arduum aſſumat. 3. Si alter fornicetur, non poteſt ampliùs ei debitum reddere: alter enim fornicando, jus quod habebat ad uſum matrimonii, in perpetuum amiſit. 4. Mortuo altero, novum matrimonium contrahendo peccabit mortaliter, quia contra voti obligationem contrahet.

Quæres 2. Ad quid teneatur, qui matrimonium contrahit cum voto ingrediendi Religionem?

R. 1. Tenetur Religionem ingredi intra tempus præſcriptum ante matrimonii conſummationem: tamdiu enim tenetur ad impletionem voti, quamdiu poteſt illud implere. Habet autem duos menſes, ab inito contractu computandos, intra quos non obligatur ad conſummandum, ſi velit Religionem ingredi, adeòque intra quos poteſt implere votum ſine alterius injuria: quare intra duos illos menſes conſummando peccat graviter, impoſſibilem ſibi reddendo impletionem voti.

2. Si intra duos illos menſes nolit Religionem ingredi, illis elapſis, altero debitum exigente vel expreſsè vel tacitè, tenetur, niſi ſtatim Religionem ingrediatur; quod non faciendo peccat graviter; tenetur, inquam, conſummare, quia alter ad id jus habet. Conſummato autem matrimonio, obligatio voti ſuſpenditur, donec alter vel moriatur, vel fornicetur, vel legitimè conſentiat, ut ingrediatur Religionem: unde tandiu non ſolùm debet reddere, ſed etiam poteſt petere debitum.

Quæres 3. Ad quid teneatur, qui matrimonium contrahit cum voto ſuſcipiendi ſacros Ordines?

Reſp. Cùm per ipſum contractum matrimonialem reddatur impoſſibilis impletio voti, ejus obligatio ſtatim ſuſpenditur; unde qui tale votum emiſit, ſtatim tenetur conſummare, ſi uxor expreſsè vel tacitè id exigat, & poſtmodùm non ſolum debet reddere debitum, ſed etiam poteſt illud petere, donec uxor vel moriatur, vel fornicetur, vel conſentiat legitimè ut ſacros Ordines ſuſcipiat. Dico, donec uxor, &c. quia uxore vel moriente, vel fornicante, vel legitimè conſentiente ut votum impleatur, votum impleri poteſt, adeòque reviviſcit ejus obligatio.

Quæres 4. Ad quid teneatur, qui matrimonium contrahit cum voto non contrahendi?

R. Tenetur altero mortuo non inire aliud matrimonium: nam per mortem alterius reviviſcit obligatio voti. Vivente autem altero conjuge, poteſt non ſolùm reddere, ſed etiam petere debitum. Ratio eſt, quia qui præcisè vovet non contrahere matrimonium, non vovet caſtitatem; alioquin qui cum tali voto fornicaretur, ſacrilegium admitteret, quod eſt falſum; ſed quod aliud eſt, ex affectu caſtitatis, vel fortaſſe ex aliquo alio motivo honeſto vovet abſtinentiam à nuptiis.

§. II.

Quot ſint impedimenta dirimentia.

IMpedimenta dirimentia numerantur quindecim, & continentur his verſibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Porrò mortaliter peccare eum, qui cum aliquo ex hiſce impedimentis ſponte contrahit, conſentiunt Doctores omnes. Ratio eſt, quia agit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, cujus prohibitionis, ut ſupponitur, conſcius eſt.

Dixi, ſponte: nam qui cum aliquo ex his impedimentis ſciens contrahit ex metu gravi, & cadente in conſtantem virum, peccat tantùm venialiter ſecundùm multos, quibus aſſentiri non poſſumus: talis enim vel intendit contrahere, vel non intendit, ſed ſolum fingit ſe intendere. Si primum, tentat ſacramentum, quod non poteſt efficere. Si ſecundum, fingit ſe miniſtrare ſacramentum, quod non vult miniſtrare. Hoc autem utrumque videtur ſacramento graviter injurioſum, etiam ex parte illius, qui metu gravi cogitur ad contrahendum.

Dices. In caſu metus gravis ceſſat obligatio præcepti eccleſiaſtici aliquid prohibentis. *R.* diſt. Ceſſat obligatio præcepti eccleſiaſtici purè prohibentis, Eſto. Præcepti eccleſiaſtici non purè prohibentis, ſed ſimul hominem inhabilitantis ad faciendum id, quod prohibet, N. Cùm enim in caſu metus gravis maneat inhabilitas, manet etiam prohibitio, & in homine obligatio non tentandi id ad quod habet inhabilitatem. Et verò ſi Eccleſia poteſt hominem ad aliquid faciendum inhabilem reddere, etiam pro caſu metus gravis, quantò magis pro eodem caſu, ne id attentet, homini poteſt prohibere.

Præterea, nobis ſufficit, quòd, ceſſante prohibitione, inhabilitas maneat: hoc ipſo enim homo ex metu gravi contrahens, videtur gravem injuriam facere ſacramento, adeòque peccare graviter. Dato igitur, quòd prohibitio Eccleſiæ ceſſet in caſu metus gravis, inde ſequi tantùm videtur, quòd ex metu gravi contrahens cum conſcientia impedimenti dirimentis, unum tantùm admittat peccatum, quod eſt irreligionis; cùm è contra ſi ſponte contraheret, duplex peccatum admitteret, unum ſcilicet inobedientiæ contra præceptum Eccleſiæ, & alterum irreligionis contra ſacramenti reverentiam.

§. III.

De impedimento erroris.

NOta. Error poteſt eſſe circa duo, nempe circa ſubſtantiam perſonæ, & circa qualitatem perſonæ. Error eſt circa ſubſtantiam perſonæ, quando contrahens, eum quocum contrahit, putat v.g. eſſe Petrum, & eſt Paulus, vel eam quacum contrahit, eſſe v.g. Mariam, & eſt Joanna: ſicut Jacob cùm prima vice contraxit, eam quacum contrahebat, putavit eſſe Rachelem, & erat Lia. Error eſt circa qualitatem perſonæ, quando contrahens, cum quocum contrahit, putat eſſe divitem, nobilem, &c. & non eſt; vel eam quacum contrahit, putat eſſe pulcram, virginem, &c. & non eſt.

Error circa ſubſtantiam perſonæ jure naturali reddit omninò irritum contractum matrimonii. Ratio eſt, quia qui cum tali errore contrahit matrimonium, non conſentit in perſonam, quacum contrahit. At ſine conſenſu in perſonam, quacum matrimonium contrahitur, ex natura rei nullus eſt contractus matrimonialis: hic enim contractus eſſentialiter conſiſtit in mutuo conſenſu, quo perſonæ contrahentes in ſe invicem conſentiunt. Et verò contractus eſt eſſentialiter conſenſus in objectum primarium immedia-
tum,

Digitized by Google

tum, & eſſentiale contractus. Atqui in matrimonio perſonæ ipſæ contrahentes ſunt objectum primarium, immediatum, & eſſentiale contractus; virum enim & mulierem contrahere, primariò & eſſentialiter eſt, virum & mulierem ſe ſibi invicem tradere, & mutuò acceptare. Ergo contractus matrimonialis eſſentialiter eſt mutuus conſenſus, quo perſonæ contrahentes ſe ſibi invicem tradunt, & mutuò acceptant.

Error circa qualitatem perſonæ nullo jure irritat contractum matrimonialem. 1. Non irritat jure naturali: nam non impedit conſenſum in perſonam, quacum matrimonium contrahitur. Sic Petrus contrahens cum Maria paupere, quam putat eſſe divitem, & quacum non contraheret, ſi ſciret eſſe pauperem, nihilominùs conſentit in Mariam. Ergo error circa qualitatem perſonæ non tollit conſenſum in primarium & eſſentiale objectum contractus matrimonialis, in quo conſenſu eſſentia ſeu ſubſtantia hujus contractus conſiſtit, adeòque eſſentia ſeu ſubſtantia hujus contractus ſubſiſtit cum errore circa qualitatem perſonæ.

2. Error circa qualitatem perſonæ contractum matrimonialem non irritat jure poſitivo; nullum enim ejuſmodi jus extat, quod irritet matrimonium ex tali errore factum: imò ut validum approbatur 29. qu. 5. ubi dicitur; *Qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat eſſe caſtam, vel virginem, non poteſt eam dimittere, & aliam ducere.*

Excipe tamen duos caſus. Primus eſt, cùm qualitas redundat in ſubſtantiam, & ita error qualitatis involvit errorem ipſius perſonæ, ut cùm quis contrahit cum ſecundò genita, putans eſſe primogenitam, quam petit, & quacum intendit contrahere; talis enim non conſentit in eam quacum contrahit, & ita ex natura rei nullus eſt contractus. Secundus caſus eſt, quando errans circa qualitatem perſonæ, quacum contrahit, in perſonam illam non conſentit abſolutè, ſed tantùm ſub conditione; ſi nimirùm talis ſit, qualem eſſe putat: cùm enim conſenſus conditionatus non ſit conſenſus, conditione non ſubſiſtente, errans in caſu propoſito non conſentit in perſonam, quacum contrahit, & ita nullus eſt contractus.

§. IV.

De impedimento conditionis.

Conditio ignorata matrimonium nunquam irritat jure naturali, ſed jure poſitivo aliquando irritat, aliquando verò non. Prima pars probatur, quia conditio ignorata non impedit conſenſum in perſonam, quacum contrahitur, adeòque cum ignorantia conditionis ſubſiſtere poteſt eſſentia ſeu ſubſtantia contractus matrimonii. Secunda pars patebit ex modò dicendis.

In conditione ignorata matrimonium nullum eſt, quando deterior ſit conditio errantis, ut cùm liber ducit ſervam, putans eſſe liberam, vel libera nubit ſervo, putans eſſe liberum. Patet ex cap. *Propoſuit* 2. & cap. *Ad noſtram* finali extra de conjugio ſervorum.

In conditione ignorata matrimonium valet, quoties errantis conditio non ſit deterior, ut cùm ſervus ducit ſervam, putans eſſe liberam, vel ſerva nubit ſervo, putans eſſe liberum. A fortiori valet matrimonium, quando melior ſit errantis conditio, ut cùm ſervus ducit liberam, putans eſſe ſervam, vel ſerva nubit libero, putans eſſe ſervum. Ratio eſt, quia Eccleſia matrimonium cum errore conditionis contractum irritat pro iis tantùm caſibus, in quibus ſit deterior conditio errantis, ut patet ex juribus citatis.

At inques. Quid ſi liber, qui duxit ſervam, putans eſſe liberam, ad eam, cognita ejus conditione ſervili, accedat, eſtne matrimonium? *R.* eſſe matrimonium in locis, in quibus Tridentinum receptum non eſt, ſi ad eam accedat affectu maritali; & non eſſe matrimonium, ſi ad eam affectu merè fornicario accedat, non eſſe, inquam, in foro interno & coram Deo; nam etiam tunc matrimonium eſt in foro externo, quia Eccleſia talem ad ſervam, quam duxit, maritali affectu accedere præſumit. Patet ex citatis capitibus 2. & ult. de conjug. ſerv.

At inques. Quid ſi Dominus manumittat ſervam, poſtquam cognovit, eam à libero ductam eſſe, eſtne matrimonium? *R.* non eſſe, niſi liber, errore cognito, in manumiſſam de novo conſentiat, vel eam ubi receptum non eſt Tridentinum, carnaliter cognoſcat affectu maritali.

At inques. Quid ſi ſervus cum ſerva contrahat, ignorantibus vel etiam contradicentibus dominis? *R.* valere matrimonium. Patet ex cap. *Dignum* 1. de conjug. ſerv. ubi dicitur: *Nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi: & ſi contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda: debita tamen & conſueta ſervitia non minus debent propriis dominis exhiberi.*

§. V.

De impedimento voti.

Votum caſtitatis ſolemnizatum vel per ſuſceptionem Ordinis ſacri, vel per profeſſionem in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata, matrimonium poſt contractum dirimit. Patet ex cap. *De diacono* 1. cap. *Minimus* 3. cap. *Inſinuante* 7. extra qui clerici, &c. c. un. de voto, &c. in 6. & Trid. ſeſſ. 24. can. 9. Idem præſtat votum ſimplex caſtitatis, quod abſoluto tyrocinio in Societate noſtra emittitur, ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino.*

Porrò qui cum hoc impedimento matrimonium contrahunt, ipſo facto excommunicantur per Clementinam un. de conſanguinitate, &c. in qua dicitur; *Religioſos, & Moniales, ac Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, matrimonia contrahentes, refrenare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere. Nota.* Qui in noſtra Societate poſt tyrocinium emittunt vota ſimplicia, ſiunt verè ac propriè Religioſi, quare videntur comprehendi hac Clementina, adeòque vi illius excommunicationem ipſo facto incurrere, ſi non obtenta priùs votorum diſpenſatione, matrimonium contrahant.

§. VI.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplex diſtinguitur, ſpiritualis ſcilicet, legalis, & naturalis. Cognatio ſpiritualis oritur ex collatione duorum ſacramentorum. Baptiſmi ſcilicet & Confirmationis, & non aliorum, ut patet ex cap. finali de cogn. ſpir. in 6. Cognatio legalis oritur ex adoptione vel arrogatione, qua quis filium alterius accipit in ſuum. Cognatio naturalis ſeu conſanguinitas, eſt propinquitas ſanguinis orta ex carnali generatione.

Circa cognationem ſpiritualem Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matrimonii, *ſtatuit*, ut unus tantùm, ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem; nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur.

Itaque in baptiſmo cognatio ſpiritualis jure novo contrahitur tantùm, 1. inter ſuſceptores ex una parte, & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem ex altera. 2. Inter baptizatique patrem ac matrem ex una parte, & baptizantem ex altera. Similiter in Confirmatione: nam Concilium Trid. eod. cap. ſic ait inferiùs: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

Hìc autem Synodus Tridentina correxit jus antiquum juxta quod cognatio ſpiritualis contrahebatur etiam,

Digitized by Google

niam, 1. inter baptizatum ex una parte, & ſuſcipientis filios ac uxorem, ante ſuſceptionem carnaliter cognitam, ex altera. Patet ex cap. finali extra de cognatione ſpirituali, & cap. *Nedum* 1. eod. tit. in 6. 2. Inter uxorem ſuſcipientis, priùs ab eo cognitam, ex una parte, & baptizati patrem ex altera. Patet ex cap. *Martinus* IV. extra de cogn. ſpir. Idem autem fiebat inter baptizatum, & filios, ac uxorem baptizantis, ex cap. finali extra eod. tit. & gloſſa in cap. 1. eod. tit. in 6. Item inter confirmatum & filios ac uxorem ſuſcipientis, & confirmantis, ut indicat Tridentinum ſeſſ. 24. c. 2. de reform. matrim.

Quæres, quænam requirantur ad contrahendam cognationem ſpiritualem?

Reſp. multa requiri. 1. enim requiritur ut baptizati ſint ii, inter quos contrahenda eſt hæc cognatio; quia hæc cognatio eſt juris eccleſiaſtici, cui ſubjecti non ſunt ii, qui non ſunt baptizati. Hinc ſi Titius infidelis baptizet filium Mariæ fidelis, nulla fit cognatio ſpiritualis; nam in tantùm baptizatus & parentes ejus ſpiritualem cognationem contrahunt cum baptizante, in quantùm baptizans fit ſpiritualis pater baptizati, At Titius non fit ſpiritualis pater illius, quem baptizat, quia talis paternitatis incapax eſt non baptizatus. Quare ſi Titius poſtea convertatur, & nihil aliud obeſt, poterit cum matre baptizati contrahere matrimonium; cùm nec ante converſionem ſuam habeat, nec poſt eam habiturus ſit cum matre baptizati cognationem ſpiritualem: nihil enim ex baptiſmo collato ſupereſt, ex quo poſt converſionem Titii inter eum & matrem baptizati reſultare poſſit cognatio ſpiritualis.

At inquies. Quid ſi Titius fidelis baptizet filium Berthæ infidelis? *R.* Titius contrahet cognationem ſpiritualem cum baptizato, at non contrahet cum matre baptizati, quia mater baptizati non eſt capax cognationis ſpiritualis, quandiu non eſt baptizata. Dico, quandiu, &c. nam ſi poſtea ad fidem converſa baptizetur, ſtatim inter eam & Titium reſultabit ſpiritualis cognatio: ex paternitate enim ſpirituali, quam habet Titius ad baptizatum, ſtatim reſultabit ſpiritualis compaternitas Titium inter & matrem baptizati, utpote jam capacem cognationis ſpiritualis. Unde matrimonium Titium inter & Bertham baptizatam ſine cognationis ſpiritualis diſpenſatione contractum, nullum eſt & irritum.

2. Requiritur, ut ſuſceptor ex intentione faciendi cæremoniam quàm Eccleſia inſtituit, alterum vel teneat, cùm baptizatur, aut confirmatur, vel immediatè ſuſcipiat ex manibus illius, à quo baptizatus, aut confirmatus eſt: huic enim tenſioni vel ſuſceptioni, ex animo munus ſuſceptori obeundi factæ, & non alteri, cognationem ſpiritualem annectunt jura. Hinc qui alterum, cùm baptizatur, vel confirmatur, tenet ad hoc tantùm ut faciliùs baptizetur, vel confirmetur, aut qui alterum baptizatum vel confirmatum ſuſcipit, poſtquam ab alio ſuſceptus eſt e manibus baptizantis vel confirmantis, non contrahit cognationem ſpiritualem, nec ſuſceptor dici poteſt.

3. Requiritur ſuſceptor à parentibus legitimè deſignatus ad hoc munus obeundum. Patet ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matrim. ubi jubet ut *Parochus, antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittant*. Et paulò poſt ſubjicit: *Quòd ſi alii ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant*. Porrò ſi parentes nullos deſignent, aut non niſi ineptos, qui baptizatum è ſacro fonte ſuſcipiant, ad Parochum ſpectabit, unum, vel duos idoneos deſignare.

4. Requiritur, ut validè conferatur ſacramentum; nam cognatio ſpiritualis acceſſoria eſt ſacramento, in cujus collatione contrahitur, illudque ſupponit; ſolùm enim jura ſtatuunt, ut is qui baptizat, vel confirmat alium, & is qui alium tenet, dum baptizatur vel confirmatur, aut baptizatum vel confirmatum ſuſcipit ex manibus baptizantis vel confirmantis, contrahat cognationem ſpiritualem. Ergo ubi nullum ſacramentum eſt, ibi nulla eſſe poteſt cognatio ſpiritualis.

5. Sicut requiritur, ut ſit baptizatus is, qui alterum tenet in Baptiſmo, ita requiritur, ut confirmatus ſit is, qui alterum tenet in Confirmatione. Ratio eſt, quia ille non poteſt contrahere cognationem ſpiritualem in Confirmatione tanquam ſuſceptor qui in Confirmatione non poteſt obire munus ſuſceptoris. In Confirmatione autem munus ſuſceptoris obire non poteſt is, qui non eſt confirmatus, ut patet ex diſt. 4. de conſecr. cap. 102. ubi dicitur: *In baptiſmate vel in chriſmate, non poteſt alium ſuſcipere in filium, qui non eſt ipſe baptizatus vel confirmatus*.

At inquies. Quid ſi quis alterum ſuſcipiat per procuratorem? *R.* talem contrahere cognationem ſpiritualem, Ratio eſt, quia talis validè obit ſuſceptoris munus per procuratorem, & ita eſt verè ac propriè ſuſceptor. Jura autem generaliter dicunt, cognationem ſpiritualem à ſuſceptore contrahi. Procurator verò hanc cognationem non contrahit, quia non eſt ſuſceptor, ſed ſuſceptoris inſtrumentum.

At inquies. Quid ſi quis ex commiſſione alterius baptizet? *R.* talem contrahere cognationem ſpiritualem Ratio, eſt quia non alterius nomine baptizat, ſed ut miniſter Chriſti & Eccleſiæ: unde non ut alterius, ſed ut Chriſti & Eccleſiæ inſtrumentum baptizat; quare non alter, ſed ipſe cognationem contrahit.

At inquies. Quid ſi quis alterum in baptiſmo non ſolemni teneat, ex intentione obeundi munus ſuſceptoris? *R.* talem contrahere cognationem ſpiritualem. Ratio eſt quia re ipſa obit munus ſuſceptoris, nec ad hoc, ut hæc cognatio contrahatur, jura requirunt, ut munus ſuſceptoris obeatur in baptiſmo ſolemni.

At inquies. Quid ſi plures, quàm duo, à parentibus deſignati, & à Parocho admiſſi, aliquem, dum baptizatur, vel confirmatur, ſimul teneant, aut è manibus baptizantis, vel confirmantis ſimul ſuſcipiant? *R.* omnes contrahere cognationem ſpiritualem. Nam 1. hoc apertè colligitur ex cap. *Quamvis* finali de cogn. ſpir. in 6. ubi dicitur, *quod non plures, quàm unus vir, vel una mulier, accedere debeant ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem, juxta ſacrorum canonum inſtituta: ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, &c. De Confirmatione inſuper, quantùm ad hoc, idem judicium eſt habendum*. 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matrim. prohibet quidem ne plures, quàm duo, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: at ſi plures quàm duo id fecerint, factum non irritat; ſed tantùm addit, ſolos deſignatos, baptizatum tangendo, cognationem contrahere.

At inquies. Quid ſi laicus fidelis infantem baptizet in neceſſitate? *R.* illum contrahere cognationem ſpiritualem. Ut enim hæc cognatio contrahatur ex collatione baptiſmi, jura non exigunt, ut baptiſmus ſolemniter conferatur, Excipe tamen caſum neceſſitatis extremæ, ex 30. q. 1. cap. *Ad limina* 7.) Idem dic de hæretico baptizato, nam ſubjectus eſt Eccleſiæ legibus.

§. VII.

De impedimento cognationis legalis.

De cognatione legali ſic loquitur Gloſſa in cap. 1. 30. quæſt. 3. „ Legalis cognatio eſt, quæ fit per arrogationem, vel per adoptionem. Dicimur autem arrogare illum, qui ſui juris eſt, & „ per arrogationem tranſit in noſtram poteſtatem. „ Adoptare dicimus illum, qui eſt in alterius poteſtate, & non tranſit in noſtram poteſtatem: & „ fit arrogatio authoritate Principis, adoptio autem „ per quemlibet magiſtratum. „ Idem habet Gloſſa ad cap. *Si qua* extra de cognatione legali, ubi addit, tam arrogatos, quàm adoptatos dici filios adoptivos ſive fratres. Sed

Adoptio, quæ communiter deſcribitur, extraneæ

per-

perſonæ in filium, vel nepotem, & deinceps in pronepotem, v. g. abnepotem aſſumptio legitima commodè dividitur in perfectam & imperfectam. Perfecta, quæ arrogatio dicitur, eſt ea, qua adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit neceſſarius ex teſtamento hæres illius, ut filius naturalis. Imperfecta, quæ ſimplex & ſpecialis dicitur, eſt ea, qua adoptatus non tranſit in adoptantis poteſtatem, nec fit illius hæres neceſſarius, cùm in teſtamento poſſit præteriri.

Legalis itaque cognatio, matrimonium dirimens, eſt perſonarum propinquitas, ex perfecta ſaltem adoptione proveniens vi juris civilis ab Eccleſia canonizati, ut tradunt communiter Doctores in cap. 1. 30. q. 3. Hujus autem cognationis triplex diſtingui poteſt ſpecies. Prima eſt, quaſi lineæ rectæ aſcendentium & deſcendentium, inter adoptantem & adoptatum, & deſcendentes adoptati in ejus poteſtate exiſtentes. Secunda, eſt quaſi lineæ tranſverſæ inter adoptatum & adoptantis filios, aliſque deſcendentes ſaltem legitimos. Tertia eſt per modum affinitatis inter adoptatum & uxorem adoptantis, ac viciſſim inter adoptantem & uxorem adoptati.

Prima ſpecies cognationis legalis matrimonium dirimit in perpetuum ſemper enim remanet hoc impedimentum, quantumvis arrogatus emancipetur, ex L. *Adoptivus* 14. & L. *Quin etiam* 55. D. de ritu nuptiarum. Secunda ſpecies matrimonium dirimit, quandiu adoptio durat, vel potiùs, quandiu durat interpretativa fraternitas orta ex adoptione, ex cap. un. extra de cogn. leg. & L. *Per adoptionem* 17. D. de ritu nupt. Non poteſt igitur adoptatus validè contrahere cum filia adoptantis, niſi aut filia adoptantis emancipetur, aut adoptio deſinat vel per emancipationem adoptati, vel per mortem adoptantis. Tertia denique ſpecies in perpetuum dirimit matrimonium, ex L. *Adoptivus* 14. D. de ritu nupt.

Porrò ſupra dixi, ex perfecta ſaltem adoptione proveniens: utrùm enim cognatio legalis oriatur etiam ex adoptione imperfecta in linea tranſverſa, controvertitur inter Doctores quorum alii affirmant oriri, alii verò negant. Utram partem ut probabilem proponit Gloſſa in cap. *Ita diligere* 1. 30. q. 3. affirmantem verò ut probabiliorem Gloſſa in cap. *Si qua* extra de cogn. leg. quo dicitur: *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quandiu durat adoptio, inter me & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt*, & in quo Pontifex indiſtinctè loquitur de adoptione, non diſtinguendo inter adoptatum adoptione perfecta, & adoptatum adoptione imperfecta.

§. VIII.

De impedimento cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis.

NOta. In conſanguinitate duo conſiderantur, nempe linea & gradus. Linea eſt ordinata ſeries perſonarum ſanguine propinquarum, quæ ab eodem ſtipite deſcendunt. Triplex autem eſt, una ſcilicet aſcendentium, quæ continet omnes illas perſonas, à quibus aliæ originem ducunt, ut patrem, avum, proavum, abavum, &c. Altera deſcendentium, quæ continet perſonas illas, quæ ducunt originem ab aſcendentibus, ut filios, nepotes, & pronepotes, abnepotes, &c. quæ duæ lineæ dicuntur rectæ. Tertia denique linea eſt collateralium, quæ continet omnes perſonas, ab uno aliquo communi ſtipite deſcendentes, ut fratres, ſorores, patruos, patrueles, matrueles, &c. quæ linea tranſverſa, & collateralis dicitur.

Linea tranſverſa ſubdividitur in æqualem & inæqualem. Æqualis eſt ea, in qua continentur perſonæ æqualiter diſtantes à communi ſtipite, ut ſunt frater & ſoror, nepos & neptis, &c. nam frater & ſoror uno gradu, nepos & neptis duobus gradibus à communi ſtipite diſtant. Inæqualis eſt ea, in qua continentur perſonæ inæqualiter diſtantes à communi ſtipite, ut filius & patruus: nam ſtipes communis patruo & filio, eſt patrui pater, qui eſt avus filii cum patruo comparati. Unde ſi patruus & filius inter ſe comparentur, patruus uno tantùm gradu, filius verò duobus gradibus à communi ſtipite diſtat.

Gradus conſanguinitatis eſt unius perſonæ ab alia, quæ ipſi ſanguine conjuncta eſt, diſtantia in linea, in qua ſunt collocatæ. In gradibus autem conſanguinitatis in ordine dirimendum matrimonium computandis, obſervandæ ſunt hæ regulæ ſecundùm Jus Canonicum.

I. Regula. In linea aſcendente vel deſcendente tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, de quibus quæritur (computatis, cùm ſunt, intermediis) una dempta. Itaque in linea aſcendente pater & avus ſunt in primo grado: nam ſi demas unam perſonam, ſupereſt una. Pater & proavus ſunt in ſecundo gradu: nam ſi cum patre & proavo computes avum, qui intermedius eſt, ſunt tres perſonæ, ex quibus una dempta, ſuperſunt duæ, &c. In linea deſcendente pater & filius uno tantùm gradu diſtant, quia uno dempto, unus tantùm ſupereſt. Pater & nepos diſtant, duobus gradibus, quia cum patre & nepote computandus eſt filius, qui eſt intermedius, & ita tres ſunt perſonæ, ex quibus unam deme, & ſuperſunt duæ.

II. Regula. In linea tranſverſa æquali, perſonæ, de quibus quæritur, tot gradibus inter ſe diſtant, quot diſtant à communi ſtipite; Sic frater & ſoror uno gradu, nepos & neptis duobus, pronepos & proneptis tribus, abnepos & abneptis quatuor gradibus diſtant inter ſe, quia frater & ſoror uno gradu, nepos & neptis duobus, pronepos & proneptis tribus, abnepos & abneptis quatuor gradibus à communi ſtipite diſtant.

III. Regula In linea tranſverſa inæquali, perſonæ, de quibus quæritur, diſtant inter ſe tot gradibus, quot à communi ſtipite diſtat is, qui ab illo remotior eſt. Sic filius, & nepos, & pronepos diſtant quatuor gradibus ab abnepte, quia abneptis, quæ remotior eſt à communi ſtipite, ab eo diſtat quatuor gradibus. Similiter patruus & proneptis quatuor gradibus diſtant inter ſe, quia proneptis quæ remotior eſt à communi ſtipite, qui eſt avus, ab eo quatuor gradibus diſtat. His præſuppoſitis,

Quæres 1. Ad quotum uſque gradum conſanguinitas matrimonium dirimat jure poſitivo?

R. 1. Matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes jure Cæſareo & Gentium, nullum eſt, in quotocumque gradu contrahatur.

Patet ex L. 53. D. de ritu nuptiarum, in qua dicitur *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris gradus ſint, uſque ad infinitum*. Et in L. finali eod. tit. in qua dicitur: *Jure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium uxorem duxerit*.

R. 2. Matrimonium inter collaterales jure eccleſiaſtico irritum olim fuit uſque ad gradum ſeptimum incluſivè.

Patet ex cap. 7. 17. & 19. 35. q. 3. cap. 17. dicitur: *De conſanguinitate ſua uxorem nullus ducat uſque poſt generationem ſeptimam*. Et cap. 19. *Nullus ex propinquitate ſui ſanguinis uſque ad ſeptimum gradum uxorem ducat*.

R. 3. Matrimonium inter collaterales jure eccleſiaſtico nunc irritum non eſt, niſi uſque ad quartum gradum incluſivè.

Ita ſentiunt Doctores omnes catholici, & patet ex cap. *Non debet* 8. extra de conſanguinitate, &c. ab Innocentio III. in Concilio generali edito, in quo ſic loquitur Pontifex: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus, jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari*.

R. 4. Valet matrimonium inter collaterales, quorum unus à communi ſtipite diſtat quinque gradibus, quamvis alter non totidem gradibus ab eo diſtet.

Patet ex cap. *Vir* finali eod. tit. Et ratio eſt, quia ſecundùm computationem canonicam, tales quinque

gradibus diſtant inter ſe, ut docet Regula tertia, & obſervat Gregorius IX. cap. citato.

Quæres 2. in quo Græci à nobis differant in hac materia ?

Nota. Græci in numerandis gradibus in linea tranſverſa, utuntur computatione civili, pro qua tres aſſignantur regulæ, cauſa 35. qu. 5. Prima: *In linea recta aſcendentium & deſcendentium, quot ſunt perſonæ de quibus quæritur, computatis intermediis, una dempta, tot ſunt gradus inter eas*. Hac nos quoque regula utimur pro computatione canonica graduum in aſcendentibus & deſcendentibus. Secunda: *In linea tranſverſa æquali, quoto gradu quis diſtat à communi ſtipite: toto duplicato diſtant inter ſe*. Tertia: *In linea tranſverſa inæquali, quot ſunt perſonæ, ſtipite dempto, tot ſunt gradus*.

Itaque ſecundùm computationem civilem, adeòque & computationem Græcorum, frater & ſoror diſtant inter ſe duobus gradibus, nepos & neptis quatuor, pronepos & proneptis ſex, abnepos & abneptis octo, &c. Unde qui apud nos diſtant inter ſe quatuor gradibus in linea tranſverſa æquali, apud Græcos inter ſe diſtant gradibus octo. Dixi, in linea tranſverſa æquali: nam in inæquali pronepos & abneptis, qui ſecundùm computationem noſtram canonicam, diſtant inter ſe quatuor gradibus, ſecundùm civilem & Græcorum computationem, inter ſe diſtant gradibus tantùm ſeptem.

Nota iterùm. Græci matrimonium permittunt conſanguineis inter ſe diſtantibus octo gradibus ſecundùm civilem computationem in linea tranſverſa æquali, & non permittunt iis, qui paucioribus quàm octo ſecundùm eandem computationem, diſtant inter ſe etiam in linea tranſverſa inæquali.

R. A nobis igitur Græci differunt, 1. in eo, quòd conſanguineorum matrimonium permittant in quarto gradu ſecundùm noſtram computationem in linea tranſverſa æquali; ſeu permittant matrimonium abnepotis cum abnepte, qui ſecundùm ipſos octo, ſecundùm nos quatuor gradibus inter ſe diſtant. 2. In eo quòd conſanguineorum matrimonium non permittant in quinto gradu ſecundùm noſtram computationem in linea tranſverſa inæquali. Sic non permittunt matrimonium nepotis, & multò minùs filii eam abneptis filia, quæ ſecundùm noſtram computationem, in linea tranſverſa inæquali diſtat ab illis quinque gradibus; ſecundùm civilem verò computationem à filio ſex, & à nepote ſeptem tantùm gradibus diſtat.

Quæres 3. Utrùm matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes per lineam rectam, nullum ſit jure naturali ?

R. 1. Matrimonium patris cum filia, vel matris cum filio, 1. jure naturali graviſſimè prohibitum eſt, Ita ſentiunt Doctores omnes; & ratio eſt, quia tale matrimonium maximam habet indecentiam, & repugnantiam cum natura rationali: unde gentes omnes bene inſtitutæ illud ſemper execratæ ſunt. 2. Jure naturali nullum eſt hoc ſenſu, quòd tale ſit, præciſo omni jure poſitivo, tam civili, quàm eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia nec pater filiæ, nec filia patri (idem de matre & filio) tradere poteſt dominium corporis ſui in ordine ad actum conjugalem, etiam præciſo omni jure poſitivo. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam homines eatenùs tantùm poſſunt tradere dominium corporis ſui in ordine ad actum conjugalem, quatenùs ad id poteſtatem acceperunt à Deo. Atqui pro certo ſtatuendum eſt hominibus à Deo datam non eſſe poteſtatem tradendi dominium corporis ſui in ordine ad actum conjugalem maximè repugnantem naturæ rationali, & actus conjugalis inter patrem & filiam, inter matrem & filium, naturæ rationali maximè repugnat, quia maximè repugnat reverentiæ, quàm filii debent parentibus. Ergo, &c.

R. 2. Idem planè ſentiendum eſt de matrimonio avi cum nepte, & aviæ cum nepote. Ratio eſt, quia neptis & nepos non minorem debent reverentiam avo & aviæ, quàm filia & filius patri & matri, imò fortaſsè majorem debent, utpote veris & altioribus principiis. Ergo actus conjugalis non minùs, imò fortaſſe magis repugnat naturæ rationali inter avum & neptem, inter aviam & nepotem, quàm inter patrem & filiam, inter matrem & filium. Quæ ratio videtur valere pro omnibus omninò deſcendentibus relatè ad aſcendentes per lineam rectam.

Quæres 4. Utrùm matrimonium fratris cum ſorore irritum ſit jure naturali ?

R. Matrimonium fratris cum ſorore, 1. graviſſimè prohibitum eſt jure naturali. Ratio eſt, quia maximam continet indecentiam: unde à talibus matrimoniis abhorruerunt omnes ferè gentes bene inſtitutæ. 2. Propter hanc rationem videtur nullum eſſe, præciſo omni jure poſitivo, civili & eccleſiaſtico: non enim videtur credibile, quòd hominibus à Deo data ſit poteſtas tradendi dominium corporis ſui ad actum conjugalem, indecentem & repugnantem naturæ rationali, quali eſſet actus conjugalis inter fratrem & ſororem; adeòque credibile non eſt, quòd frater & ſoror poteſtatem à Deo acceperint, validè matrimonium inter ſe contrahendi.

Excipe caſum graviſſimæ neceſſitatis propagandi genus humanum: nam pro tali caſu actus conjugalis inter fratrem & ſororem nullam habet indecentiam; unde & pro tali caſu fratri & ſorori à Deo datam eſſe matrimonium inter ſe validè contrahendi poteſtatem, probat exemplum filiorum Adæ. Porrò inter alios conſanguineos in linea tranſverſa, matrimonium jure naturalis, nec prohibitum, nec irritum eſſe oſtendit factum virorum in Scriptura laudatorum; nam Abraham duxit Saram filiam fratris ſui Aram, & Amram pater Moſis accepit ſororem patris ſui. Ex quo apparet, non omnia matrimonia, quæ prohibentur Levit. cap. 18. eſſe prohibita & irrita jure naturali.

§. IX.

De impedimento Affinitatis.

NOta. Affinitas eſt propinquitas perſonarum, orta ex copula duorum perfecta, & per ſe ſufficiente ad generationem prolis, ſive hæc generatio aliunde impediatur, ſive non. Nam per talem copulam vir & mulier fiunt una caro: unde naturali quadam neceſſitate fit, ut poſt hanc copulam vir ſit ſpeciali modo propinquus omnibus conſanguineis mulieris in eo gradu & ea linea, in quibus mulieris conſanguinei ſunt; & vice verſa mulier fit ſpeciali modo propinqua conſanguineis viri in eo gradu & in ea linea, in quibus viri conſanguinei ſunt.

Nota iterum. Affinitas tam naturali neceſſitate contrahitur per copulam illicitam & fornicariam, quàm per licitam & conjugalem. Conſtat ex cap. *Diſcretionem* 6. de eo qui cognovit conſanguineam, &c. & ratio eſt, quia vir & mulier per copulam illicitam & fornicariam verè ac propriè fiunt una caro, ut apertè docet Apoſtolus 1. Cor. cap. 6. ubi ait: *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum* (cum ea) *corpus efficitur*. Propter eandem rationem naturali neceſſitate contrahitur affinitas, etiam ſi copula habeatur cum dormiente, coacta, ebria, inſana, &c.

Nota 3. Affinitas non parit affinitatem: non enim conſanguinei viri & conſanguinei mulieris affinitatem inter ſe contrahunt ex eo quòd vir cum conſanguineis mulieris, & viciſſim mulier cum conſanguineis viri contrahit affinitatem. Sic ſoror vel frater uxoris non contrahit affinitatem cum fratre vel ſorore mariti. Sic filius vel filia mariti ex alio conjugio non contrahit affinitatem cum filia vel filio uxoris ex alio conjugio. Unde ſoror uxoris contrahere poteſt cum fratre mariti, & ſoror mariti cum fratre uxoris, ſi nihil aliud obſit. Similiter, ſi nihil aliud obſit, filia uxoris ex alio conjugio contrahere poteſt cum mariti filio ex alio conjugio, & filia mariti ex alio conjugio cum uxoris filio, &c. Patent hæc ex cap. *Quod ſuper his* 5. extra de conſang. Cùm itaque conſanguinei utriuſque conjugis ſe invicem affines nominant, ſe non niſi latè & impropriè tales nominant.

Igitur

Igitur affinitas verè & propriè dicta, quæ matrimonium impediendi, & poſt contractum dirimendi vim habet, eſt. 1. Maritum inter & conſanguineos uxoris, ac è converſo uxorem inter & conſanguineos mariti. 2. Fornicarium inter & conſanguineos mulieris, quacum fornicatus eſt, ac è converſo fornicariam inter & conſanguineos viri, quicum fornicata eſt. Nomine autem fornicationis hic intelligitur omnis illicita, ſeu omnis cum non ſua carnalis copula completa. *At inquies*. Quid ſi matrimonium non conſummarent conjuges? *Reſp.* Nec maritus cum conſanguineis uxoris, nec uxor cum conſanguineis viri affinitatem contraheret. Ratio eſt, quia conjuges non niſi per matrimonii conſummationem fiunt una caro, ut patet ex cap. *Debitum* 5. extra de bigamis.

Quæres 1. Ad quotum uſque gradum affinitas matrimonium dirimat jure eccleſiaſtico?

Reſp. Affinitas, ex copula conjugali proveniens, jure eccleſiaſtico matrimonium dirimit uſque ad quartum gradum incluſivè. Patet ex cap *Non debet* 8. extra de conſang. &c. Affinitas verò, proveniens ex copula fornicaria, non dirimit poſt Concil. Trident. niſi uſque ad ſecundùm gradum incluſivè. Patet ex ſeſſ. 24. cap. 4. de reformat. matrim. in quo dicitur: *Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſteà factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur* (Synodus) *reſtringit*.

Quæres 2. Utrùm affinitas, ex copula conjugali contracta, jure naturali dirimat matrimonium in aliquo grado?

Reſp. Probabiliſſimum videtur, quòd talis affinitas jure naturali dirimat matrimonium in primo gradu in linea recta: ita ut matrimonium vitrici cum privigna, & privigni cum noverca nullum ſit, præciſo omni jure poſitivo, civili & eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia cùm vitricus & noverca per copulam conjugalem facti ſint una caro, privigna vitrico eandem ferè reverentiam debet, quam deberet patri; ſimiliter privignus novercæ eandem ferè reverentiam debet, quam deberet matri. Unde matrimonium vitrici cum privigna, vel novercæ cum privigno habet indecentiam & repugnantiam cum natura rationali gravem, & tantam, ut non videatur credibile, quòd Deus hominibus hujuſmodi matrimonia validè contrahendi poteſtatem dederit.

Quæres 3. Utrùm idem ſentiendum ſit de matrimonio cum affini in primo gradu in linea tranſverſa?

Reſp. Tale matrimonium, nempe mariti cum ſorore uxoris, vel uxoris cum fratre mariti, non eſſe irritum jure naturali, ut probat factum Jacobi, qui duxit duas ſimul ſorores, Liam & Rachelem: nam nec dici poteſt, quòd irritum fuerit matrimonium Jacobi cum Rachele; hoc enim utriuſque ſanctitati repugnat; nec dici poteſt quòd ſine ſpeciali diſpenſatione divina Jacob cum Rachele contraxerit; talis enim diſpenſationis nullum extat veſtigium in Scriptura divina. Hujuſmodi tamen matrimonia talia ſunt ex natura rei, ut licitè contrahi non poſſint ſine gravi cauſa ea contrahendi.

Quæres 4. Quid ſentiendum ſit de matrimonio in primo gradu in linea recta, cum affini ex copula fornicaria, putà de matrimonio filii cum concubina patris?

Reſp. Tale matrimonium gravem continere indecentiam, & repugnantiam cum natura rationali, quia gravem continet irreverentiam erga patrem, cujus turpitudinem revelat filius, revelando turpitudinem concubinæ, quacum pater effectus eſt una caro. Unde etiam gentiles bene inſtituti matrimonium hujuſmodi deteſtati ſunt, ut patet ex L. *Libri* 4. cap. de nuptiis, in qua Alexander Imperator dicit, liberos concubinas parentum ſuorum uxores ducendo, rem facere minùs religioſam, & probabilem ſeu honeſtatem, atque crimen ſtupri committere. Matrimonium igitur filii cum concubina patris graviter prohibitum eſt jure naturali. Utrùm autem eodem etiam jure irritum ſit, definiendum aliis relinquimus.

Quæres 5. Utrùm affinitas ſponſalibus de futuro ſuperveniens, diſſolvat illa?

Reſp. Diſſolvere. Patet ex cap. *Super eo* extra de conſanguin. & ratio eſt, quia affinitas ſuperveniens ſponſalibus de futuro dirimit matrimonium contrahendum, & dirimendo tollit obligationem illud contrahendi, imò contrariam illud ſcilicet non contrahendi inducit obligationem, quacum ſtare non poſſunt ſponſalia de futuro.

Quæres 6. Utrùm infideles, qui contraxerunt in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, qui jure tantùm canonico prohibitus eſt, ſi poſteà ad fidem convertantur, ſeparari debeant.

Reſp. Negativè. Patet ex cap. *De infidelibus* 4. extra de conſang. Et ratio eſt, quia infideles, cùm non ſint ſubjecti Eccleſiæ, & ita nullo impedimento purè canonico ligari poſſint, in infidelitate validè contrahunt in gradu ſive conſanguinitatis ſive affinitatis, qui prohibitus tantùm eſt jure canonico. Matrimonium autem validè contractum & conſummatum diſſolvi non poteſt ab Eccleſia, ut probant hæc Chriſti verba: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. *At inquies*. Quid ſi matrimonium ab infidelibus ſic contractum, conſummatum non eſſet ante eorum converſionem? *Reſp.* Nec ſepararentur, nec ſeparari poſſent, & matrimonium eorum, utpotè verum matrimonium, non diſſolveretur, ſed ratum fieret per eorum baptiſmum.

Quæres 7. Utrùm infideles per copulam, tam licitam quàm illicitam, affinitatem verè contrahant in infidelitate, & an hæc affinitas maneat in converſis poſt eorum baptiſmum?

Reſp. Ad utrumque affirmativè. Et ratio eſt, quia ea copula, tam licita, quàm illicita, naturali neceſſitate ſequitur, & ſemel contracta, ex natura rei perpetua eſt. Unde in infidelibus ad fidem converſis & baptizatis, adeòque jam ſubjectis Eccleſiæ, tam impedit matrimonium, quàm ſi contracta fuiſſet poſt baptiſmum.

Quæres 8. Utrùm affinitas matrimonio jam contracto ſuperveniens, illud diſſolvat?

Reſp. Non diſſolvere. Patet ex cap. *Tua fraternitatis* 10. & cap. *Jordane* finali extra de eo qui cognovit conſanguineam, &c. Ex cujus autem è conjugibus culpa orta eſt affinitas, is tenetur alteri debitum reddere, ſi illud exigat, ut patet ex citatis capitibus; cùm affinitas poſt matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ (vel qui) iniquitatis particeps non exiſtit, ut dicitur cap. *Tua fraternitatis*: at non, niſi obtenta priùs diſpenſatione, poterit unquam debitum exigere, ut conſtat ex cap. *Si quis* 1. & cap. *Tranſmiſſæ* 4. eod. tit.

At inquies. Quid ſi vir uxorem ſuam invitam tradat adulterandam alteri ſibi in primo vel in ſecundo gradu conſanguineo? *Reſp.* Vir ille tenetur uxorem ſuam ad eum redire volentem recipere, illique exigenti debitum reddere, ex cap. *Diſcretionem* 6. eod. tit. At non poteſt ipſe, niſi priùs diſpenſationem obtineat, debitum exigere; cùm affinitas cum injuria uxoris contracta, ipſi meritò imputetur.

Quæres 9. Quam pœnam incurrant contrahentes matrimonium in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis prohibito?

R. Eſſe ipſo facto excommunicatos, ſi contrahant ſcienter, ex Clementina *Eos qui* unica de conſanguinitate & affinitate in 6. *Eos qui*, inquit Pontifex ... *ſcienter in gradibus conſanguinitatis & affinitatis conſtitutione canonica interdictis .... contrahere matrimonialiter non verentur ... ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus* ſubjacere. Pondera hanc vocem, *Scienter*; propter quam contrahentes excommunicationem non incurrunt, ſi ignorent ſe conſanguineos eſſe in gradu prohibito, modò tamen hæc ignorantia non ſit affectata, quia ignorantia affectata æquivalet ſcientiæ in ordine ad incurrendas pœnas ad quas jura ſcientiam requirunt.

Digitized by Google

§. X.

De impedimento Juſtitiæ publicæ honeſtatis.

NOta. Hoc impedimentum, quod Juſtitia publicæ honeſtatis dicitur, eſt propinquitas quædam, vi juris eccleſiaſtici proveniens ex ſponſalibus, vel matrimonio rato, non conſummato. Et 1. quidem quòd hæc propinquitas oriatur ex ſponſalibus, patet ex cap. *Si quis uxorem* 14. 27. q. 2. Quòd oriatur etiam ex matrimonio rato, non conſummato, patet ex cap. *Si quis deſponſaverit* 15. ibidem. Oritur autem inter ſponſum vel maritum, & conſanguineos ſponſæ vel uxoris, & vice verſa inter ſponſam vel uxorem, & conſanguineos ſponſi vel mariti, ut patet ex citatis juribus. Porrò quia eſt tantùm juris eccleſiaſtici, inter infideles, cùm Eccleſiæ non ſubſint, neque ex ſponſalibus, neque ex matrimonio naſci poteſt.

Nota iterum. Ante Tridentinum Concilium naſcebatur hoc impedimentum ex ſponſalibus etiam irritis, modò eſſent pura, hoc eſt, non conditionata, & certa, id eſt, inita cum perſona determinata, nec irrita eſſent ex defectu conſenſus, ut patet ex cap. unico de ſponſalibus, &c. in 6. ubi etiam dicitur, quòd talia ſponſalia nullum præcedentibus validis præjudicium afferre poterant. Unde ſi quis poſt ſponſalia purè contracta cum aliqua muliere, cum ſecunda ipſius conſanguinea alia ſponſalia contraxiſſet, non obſtante juſtitia publicæ honeſtatis orta ex ſecundis ſponſalibus irritis, eam, quam priùs deſponſarat, accipere debuiſſet, ut dicitur ibidem. Nunc verò poſt Tridentinum, ex ſponſalibus irritis, quacumque ratione irrita ſint, nulla juſtitia publicæ honeſtatis naſcitur, ut patet, ex ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. matr. ubi hæc leguntur: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, Synodus prorſus tollit.*

Nota 3. Quia quantùm ad hoc impedimentum attinet, eodem modo ratiocinandum eſt de matrimonio ac de ſponſalibus, Ex matrimonio irrito, niſi tamen ex defectu conſenſus irritum eſſet, oriebatur juſtitia publicæ honeſtatis, imò etiam nunc oritur, quia Tridentinum circa juſtitiam publicæ honeſtatis, quatenus eſt ex matrimonio non conſummato, nihil de novo ſtatuit, aut immutavit. Igitur etiam nunc juſtitia publicæ honeſtatis naſcitur ex matrimonio invalido, modò contractum non ſit ex metu gravi, vel ex errore, aut cum errore perſonæ, vel ſine ſufficienti deliberatione, aut ſufficienti rationis uſu, vel cum perſona indeterminata, vel clandeſtinè, in locis in quibus Tridentinum receptum eſt: nam in omnibus his caſibus deeſt conſenſus à jure requiſitus, adeoque in omnibus his caſibus matrimonium nullum eſt defectu conſenſus.

Nota denique 4. Ex matrimonio vel ſponſalibus contractis ſub conditione de futuro contingenti, non oritur juſtitia publicæ honeſtatis, quandiu pendet conditio, quia tandiu deeſt conſenſus. Hinc ſi quis poſt ſponſalia ſic contracta cum aliqua muliere, cum alia ipſi etiam in primo gradu conſanguinea contrahat per verba de præſenti, matrimonium valet, ex cap. un. de ſponſalibus in 6. *cum*, ut ibi dicitur, *ex ſponſalibus conditionalibus, ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oriatur.* His præſuppoſitis,

Quæres 1. ad quotum uſque gradum juſtitia publicæ honeſtatis, orta ex ſponſalibus, olim dirimebat, & nunc dirimit matrimonium?

R. 1. Juſtitia publicæ honeſtatis, orta ex ſponſalibus, ante concilium Trid. matrimonium dirimebat uſque ad quartum gradum incluſivè. Nam abſolutè dicitur cap. *Si quis uxorem* 14. 27. q. 2. ſponſam de futuro matrimonium contrahere non poſſe cum conſanguineis ſponſi, & conſanguinei jure Decretalium computantur uſque ad quartum gradum incluſivè, ut patet ex cap. *Non debet* 8. de conſanguinitate. Ita ſentiunt Doctores communiter.

R. 2. Juſtitia publicæ honeſtatis, orta ex ſponſalibus, poſt concilium Trid. matrimonium non dirimit ultra primum gradum. Unde nunc ſponſus de futuro poteſt validè contrahere cum omnibus conſanguineis ſponſæ, exceptis matre, filiabus, & ſororibus ejus; & viciſſim ſponſa de futuro poteſt validè contrahere cum omnibus conſanguineis ſponſi, exceptis patre, filiis, & fratribus ejus. Patet ex ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. matrim. ubi decernitur, ne juſtitia publicæ honeſtatis, ex ſponſalibus orta, primum gradum excedat inpoſterum.

Quæres 2. ad quotum uſque gradum juſtitia publicæ honeſtatis, orta ex matrimonio non conſummato, olim dirimebat, & nunc dirimit matrimonium?

Reſp. 1. Juſtitia publicæ honeſtatis, orta ex matrimonio non conſummato, nunc matrimonium dirimit eodem modo, quo dirimebat ante Concilium Trid. Nam Concilium Trid. nihil ſtatuit, aut innovavit circa juſtitiam publicæ honeſtatis, quatenùs ex matrimonio non conſummato provenit. 2. Ante Tridentinum juſtitia illa publicæ honeſtatis matrimonium dirimebat uſque ad quartum gradum incluſivè. Nam cap. *Si quis deſponſaverit* 15. 27. q. 2. abſolutè dicitur, ſponſam de præſenti, quamvis à marito non cognitam, non poſſe validè contrahere cum conſanguineis mariti vita defuncti, & cap. *Non debet* 8. extra de conſanguinitate, conſanguinei computantur uſque ad quartum gradum incluſivè, ut jam obſervatum eſt.

§. XI.

De impedimento Criminis.

PRæter raptum, de quo infra, plura ſunt crimina, ex quibus oritur impedimentum dirimens matrimonium poſt contractum. Nam 1. oritur ex machinatione, qua duo ex mutuo conſenſu conjugis mortem procurant, ut poſtea inter ſe contrahant matrimonium, Exempli gratia, Titius conjugatus & Berta ſoluta conſpirant in uxorem Titii, ejuſque mortem procurant ex intentione poſtmodùm inter ſe contrahendi. Si poſtea contrahant, invalidè contrahunt, ex cap. *Laudabilem* 1. extra de converſ. infidelium. Idem eſt, ſi Berta ſit conjugata, & Titius ſolutus, & ambo mariti Bertæ mortem machinentur, effectu ſecuto. Idem etiam eſt à fortiori, ſi Titius & Berta ſint ambo conjugati, & ex eorum conſpiratione utriuſque conjux occidatur.

Nec obeſt, quòd alter è duobus, ex intentione poſtmodùm inter ſe contrahendi mortem conjugis vel conjugum procurantibus, ſit infidelis: nam etiamſi poſtea convertatur, invalidè contrahent. Nam Eccleſia poteſt fidelem reddere, & revera reddit inhabilem ad contrahendum cum infideli, etiam poſt ejus converſionem, ut manifeſtum eſt ex cap. *Laudabilem* citato. Quòd ſi uterque infidelis eſſet, neuter ſubjectus eſſet Eccleſiæ, & ita poſtmodùm inter ſe validè contrahere poſſet, ſive converterentur ad fidem, ſive non.

2. Oritur ex machinatione, qua unus tantùm è duobus, altero inſcio, ſed poſt adulterium formaliter ex utraque parte comiſſum, ex intentione poſtea matrimonium cum eo contrahendi, ſuæ vel alterius compartis mortem procuravit. Exemp. grat. Titius ſolutus adulterium commiſit cum Berta conjugata, & poſt adulterium commiſſum, vel Titius ignorante Berta, vel Berta ignorante Titio, qui tamen ſciebat eam eſſe conjugatam, mortem mariti procuravit ex intentione, &c. Item Titius conjugatus adulterium commiſit cum Berta ſoluta, & poſt adulterium commiſſum, vel Berta, ignorante Titio, vel Titius ignorante Berta, quæ tamen ſciebat eum eſſe conjugatum, mortem uxoris procuravit ex intentione, &c. matrimonium inter eos poſtea contractum, nullum eſt, ex cap. *Si quis vivente marito* 5. 31. q. 1. cap. *Super hoc* 3. extra de eo qui duxit in matrimonium, &c. & cap. *Significaſti* 6. eod. tit. Sed ad horum pleniorem intelligentiam.

Nota.

Digitized by Google

Nota. Ad hoc ut machinatio mortis conjugis dirimat matrimonium poſt contractum, requiruntur multa: Nam requiritur 1. ut hæc machinatio effectum habuerit, ita ut ea ex reipſa ſecuta ſit mors conjugis. 2. Ut qui mortem conjugis machinati ſunt, id fecerint ea intentione matrimonium inter ſe poſtmodùm contrahendi. 3. Ut vel ambo contracturi in mortem conjugis conſpiraverint, vel, ſi tantùm unus mortem illam machinatus eſt, inter ſe, vivente adhuc conjuge, commiſerint adulterium, quod proinde fuerit occaſio mortem conjugis machinandi. 4. Ut etiam unus tantùm è contracturis machinatus eſt mortem conjugis, alter hujus machinationis ignarus, formale adulterium, ſeu adulterium ut tale cognitum commiſerit, ad quod requiritur ut vel illius fuerit conjux, cujus mors procurata eſt, vel ſi fuit machinatoris, hunc fuiſſe conjugatum non ignoraverit. Patent hæc omnia ex citatis juribus. 5. Denique, ut matrimonium cum conjuge occiſo fuerit verum matrimonium; alioquin nec fuit occiſio veri conjugis, nec verum adulterium; quæ crimina, & non alia, per inhabilitatem ad matrimonium contrahendum jura punire intendunt.

3. Impedimentum dirimens matrimonium poſt contractum, oritur ex adulterio ſine machinatione mortis conjugis, ſi adulteri matrimonium inter ſe contraxerunt vivente adhuc conjuge, etiamſi non niſi poſt contractum hujuſmodi matrimonium, adulterium inter ſe commiſerint; modò tamen adulterium formale fuerit ex utraque parte, adeoque adulter ſolutus non ignoraverit alterum eſſe conjugatum. Item ſi ambo adulteri ſibi mutuò fidem dederunt de matrimonio poſt mortem conjugis ineundo, vel fidem ab uno tantùm de matrimonio poſt mortem conjugis ineundo datam alter acceptavit; etiamſi nonniſi poſt promiſſionem factam & acceptatam inter ſe commiſerint adulterium. Patet ex cap. *Ex literarum tuarum* 4. ex cap. *Cum haberet* 5. ex cap. *Significaſti* 6. & ex cap. *Si quis* fin. extra de eo qui duxit, &c.

At inquies. Quid ſi unus ex adulteris ficto tantùm animo promiſit alteri? *Reſp.* ſufficere, ſi promiſſio exteriùs apparuit ſeria, & ut talis ab altero fuit acceptata. Ratio eſt, quia talis promiſſio promiſſario dat occaſionem machinandi mortem conjugis alterius, ut eo mortuo, matrimonium promiſſum poſſit perfici. Hujuſmodi autem machinationem impedire, & vitæ conjugum conſulere jura intendunt, impedimentum de quo agitur ſtatuendo: unde de omni promiſſione, qua promiſſarius moveri poteſt ad inſidiandum vitæ conjugis alterius, qualis eſt promiſſio exteriùs ſeria, & ut talis acceptata, intelligi debent.

At inquies. Quid ſi adulteri contraherent matrimonium clandeſtinum, in loco ubi Tridentinum receptum eſt? *R.* Nihilominùs ex adulterio conjuncto cum tali matrimonio oriretur impedimentum dirimens. Ratio eſt, quia jura ad hoc impedimentum non requirunt, ut matrimonium conjunctum cum adulterio validum ſit; cùm adulteri non poſſint, ſuperſtite conjuge, validè inter ſe contrahere. Præterea, matrimonium clandeſtinè contractum in loco ubi Tridentinum receptum eſt, vim habet ſponſalium de futuro, & per illud contrahentes ſibi mutuò fidem de matrimonio contrahendo dant & acceptant.

§. XII.

De impedimento Raptus.

RAptus, ut hic accipitur, eſt violenta mulieris renitentis ex uno loco in alium abductio. Matrimonium inter raptorem & raptam nullum eſt jure civili, ut patet ex L. un. C. de raptu virginum §. *Nec ſit facultas*. Nullum etiam fuit jure antiquo eccleſiaſtico, ut conſtat ex cap. *de puellis* 4. 36. q. 2. At poſtea jure decretalium raptor validè contrahere potuit cum rapta, modò hæc è diſſentiente fieret conſentiens in matrimonium. Patet ex cap. *Accedens* fin. de raptoribus, ubi ait Innocentius III. raptam puellam legitimè contractuam cum raptore, *ſi prior diſſentio tranſeat poſtmodùm in conſenſum, & quod ante diſplicuit, incipiat complacere*.

Tridentinum verò ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrim. decrevit, 1. inter raptorem & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. 2. Si rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptorem in uxorem habere poſſe. 3. Nihilominùs raptorem ipſum, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ipſo jure excommunicatos eſſe, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidere. 4. Raptorem teneri, mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

Raptus igitur jure novo eccleſiaſtico eſt impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem & raptam, quandiu hæc manet in poteſtate raptoris, quantumvis tunc in raptorem conſentiat: nec poteſt inter raptorem & raptam verum matrimonium conſiſtere, niſi hæc in loco tuto ac libero conſtituta extra omnem poteſtatem raptoris, illum in virum habere liberè conſentiat.

Quæres, an ſit raptus dirimens matrimonium, 1. ſi puella conſentiens, ſed invitis parentibus, abducta eſt? 2. Si puella dolo abducta eſt, non vi vel metu? 3. Si violenter abducta eſt, non matrimonii contrahendi, ſed libidinis explendæ cauſa? 4. Si quis puellam rapuit, non per ſe, ſed per alium? 5. Si non vir fœminam, ſed fœmina virum rapuit?

Ad 1. *R.* neg. Ratio eſt, quia, ut ait Gloſſa in cap. *Cum cauſam*. 6. extra de raptoribus, ubi agitur de matrimonio, raptus non eſt, quando puella conſentit, quantumvis parentes repugnent. Et verò ſi puella non niſi volens abducitur, quantumvis ejus abductioni renitantur parentes, matrimonii, quod ſolo contrahentium conſenſu perficitur, ut dicitur cap. *Sufficiat* 2. 27. q. 2. libertas non impeditur. Ergo puellæ volentis abductio, quamvis invitis parentibus facta, cenſeri non poteſt raptus, de quo jus eccleſiaſticum loquitur: loquitur enim tantùm de raptu adverſante libertati matrimonii.

Ad 2. *R.* neg. Ratio eſt, quia talis abductio puellæ non eſt raptus: raptus enim ſine violentia eſſe non poteſt, ut patet ex L. 3. §. *Aliud autem* D. de incendio, ubi dicitur: *Amoveri aliud etiam ſine vi* (poteſt,) *rapi autem ſine vi non poteſt*.

Ad 3. reſpondent aliqui neg. meliùs alii affirm. Ratio eſt, quia violenta puellæ abductio, ſive matrimonii, ſive libidinis cauſa fiat, perinde officit libertati matrimonii, adeoque verus eſt raptus eo ſenſu, quem Tridentinum intelligit.

Ad 4. *R.* affirm. Ratio eſt, quia tam verè ac propriè raptor eſt, qui per alium, quàm qui per ſe rapit.

Ad 5. *Reſp.* neg. Ratio eſt, quia de hoc caſu, qui aut nunquam, aut non niſi rariſſimè contingit, Tridentinum nihil ſtatuere voluit.

§. XIII.

De impedimento Impotentiæ.

NOta. Impotens hic dicitur, qui non poteſt habere copulam perfectam, & de ſe ſufficientem ad generationem prolis. Impotentia autem ſic accepta dividitur, 1. in perpetuam, & temporalem. Perpetua dicitur ea, quæ ſine miraculo, vel periculo vitæ, aut peccato tolli non poteſt: temporalis verò, quæ ſine vitæ periculo, & peccato, humana induſtria, vel ordinariis, quibus Eccleſia contra maleficia utitur, remediis poteſt tolli. Patet hæc diviſio ex cap. *Fraternitatis* 6. extra de frigidis, &c. Impotentia dividitur, 2. in abſolutam, & reſpectivam. Abſoluta dicitur ea, qua quis impotens eſt reſpectu omnium, quales ſunt omnes perfectè eunuchi: reſpectiva verò, qua quis redditur impotens relatè ad certam perſonam, quod maleficiatis ſolet contingere. His præſuppoſitis,

Quæres 1. Utrùm & quo jure impotentia dirimat matrimonium?

R. Prima impotentia perpetua & abſoluta, quæ matrimonium præcedit, impotentem ſimpliciter inhabilem ad illud contrahendum reddit ex natura rei, adeoque jure naturali. *Prob.* Quia contractus matrimonialis conſiſtit eſſentialiter in mutua traditione dominii corporum ad copulam perfectam, ut ad hanc copulam habilium; ſeu, quod idem eſt, conſiſtit eſſentialiter in mutua traditione dominii potentiæ, quam contrahentes habent ad copulam perfectam. Ergo qui non habet hanc potentiam, ex natura rei inhabilis eſt ad contrahendum matrimonialiter: repugnat enim ex natura rei, aliquem tradere dominium potentiæ, quam non habet. Ergo, &c.

Dixi autem, 1. Perpetua: nam impotentia temporalis impotentem non reddit inhabilem ad contrahendum matrimonium, ut patet ex cap. *Fraternitatis* extra de frigidis, ubi ait Innocentius III. matrimonium non dirimi per impotentiam, quæ *præter divinum miraculum, per opus humanum, abſque corporali periculo potuit removeri*, adeoque perpetua non fuit, ſed temporalis. Et ratio eſt, quia impotentia temporalis non eſt ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm impotentia: eſt enim vera potentia, quamvis impedita ad tempus, vel adminiculo aliquo indigena. Hinc

Impuberes ſufficientem rationis uſum habentes, jure naturali poſſunt validè contrahere, etiamſi ad copulam perfectam pro eo tempore impotentes ſupponantur. Jure tamen eccleſiaſtico ſunt inhabiles ad contrahendum, donec expleverint annos pubertatis, hoc eſt, donec puella duodecimum, & puer decimum-quartum ætatis annum expleverit, niſi tamen conſtet, quòd in eis ante hos annos malitia ſuppleat ætatem, ex cap. *A nobis* 8. & cap. *De illis* 9. extra de deſponſatione impuberum. At ubi expleverunt annos illos, omni jure validè contrahunt, tametſi etiam pro tunc adhuc ad copulam impotentes ſint.

Dixi 2. Abſoluta: nam impotentia reſpectiva impotentem non reddit ad contrahendum inhabilem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm, ſeu, quod idem eſt, impotentem non reddit ad contrahendum inhabilem reſpectu omnium, ſed ſolùm reſpectu certarum perſonarum, ad quas ſolas eſt impotens: unde nulla ratio eſt, cur non poſſit cum aliis validè contrahere.

Dixi 3. Quæ matrimonium præcedit: nam repugnat contrahentes ad contrahendum matrimonialiter inhabiles fieri per impotentiam contractui matrimoniali ſupervenientem, quantumvis perpetua futura ſit; ſed nec vinculum matrimonii contracti per ſupervenientem impotentiam perpetuam diſſolvi poteſt: hoc enim vinculum, poſtquam matrimonium validè contractum eſt, niſi vel per ingreſſum Religionis ante conſummationem, vel poſt conſummationem per mortem alterius conjugis non diſſolvitur.

Reſp. 2. Impotentia perpetua reſpectiva impotentem inhabilem ad contrahendum matrimonium cum certis perſonis reddit ex natura rei, adeoque jure naturali. Ratio eſt, quia qui ſic impotens eſt, potentiam ad perfectam copulam non habet reſpectu certarum perſonarum. Ergo reſpectu certarum perſonarum ex natura rei inhabilis eſt ad contrahendum matrimonialiter: ſicut is reſpectu omnium ad contrahendum matrimonialiter inhabilis eſt ex natura rei, qui potentia ad perfectam copulam caret reſpectu omnium.

Nec dic, impotentes impotentia tantùm reſpectiva habere veram potentiam ad perfectam copulam, quamvis relatè ad aliquas perſonas non poſſit exire in actum: nam hoc ipſo quòd hæc potentia non poteſt exire in actum reſpectu certarum perſonarum, reſpectu certarum illarum perſonarum nulla eſt, & tam nulla eſt reſpectu certarum illarum perſonarum, quàm ſi nulla eſſet reſpectu omnium: unde tales non magis poſſunt certis illis perſonis tradere dominium potentiæ, quam habent ad perfectam copulam, quàm ſi reſpectu omnium carerent hac potentia, adeoque nullam ſimpliciter & abſolutè haberent. Ergo non magis poſſunt cum certis illis perſonis inire contractum matrimonialem, quàm ſi reſpectu omnium carerent potentia ad perfectam copulam, adeoque impotentes eſſent impotentia abſoluta.

R. 3. Impotentia igitur perpetua jure naturali dirimit matrimonium poſt contractum; abſoluta quidem contractum cum qualibet perſona, reſpectiva verò contractum cum perſona, ad quam eſt impotentia. Dixi, perpetua, quia temporalis impotentia matrimonium poſt contractum nullo jure dirimit.

At inquies. Quid ſi Titius potens contrahat cum Berta, quam ſcit eſſet impotentem ſeu arctam? impotentia enim mulierum in ſola arctitudine conſiſtit. *R.* matrimonium eſſe nullum. Patet ex cap. *Conſultationi* 4. de frigidis, ubi hoc expreſsè deciditur. Et ratio eſt, quia ſive Titius ſciat Bertam eſſe impotentem, ſive id ignoret, perinde Berta impotens eſt, adeoque perinde inhabilis jure naturali ad ineundum contractum matrimonialem cum Titio.

At inquies. Quid ſi Titius & Berta poſt matrimonium ſic contractum invalidè, velint cohabitare ut frater & ſoror? *R.* modò ſeparentur thoro, nec ſubſit in eis morale periculum incontinentiæ, eis permitti poſſe ut cohabitent. Patet ex cap. *Conſultationi* proximè citato, ubi dicitur, quòd *Romana Eccleſia conſuevit in conſimilibus* (caſui propoſito) *judicare, ut quas* (propter earum impotentiam) *tanquam uxores habere non poſſunt* (qui eas cum earum arctitudinis conſcientia duxerunt) *habeant ut ſorores.*

At inquies. Quid ſi moraliter certum ſit, aliquos eſſe in perpetuum impotentes? *R.* 1. Permitti non poteſt, ut contrahant. 2. Si jam contraxerunt, ſine mora ſeparari debent quoad thorum. 3. Etiam quoad cohabitationem ſeparandi ſunt, alterutro potente, imò neutro potente, ſi ſubſit morale periculum incontinentiæ. Ratio horum eſt, quia tales moraliter certi ſunt de nullitate matrimonii contrahendi, aut contracti, atque ita licitè contrahere non poſſunt, & poſtquam contraxerunt, actus omnes ad uſum matrimonii tendentes eis graviter prohibiti ſunt.

At inquies. Quid ſi poſt contractum matrimonium, dubium ſit an impotentia ſit perpetua, an verò temporalis tantum? *R.* jus canonicum cap. *Laudabilem* 5. extra de frigidis (idem facit jus civile auth. de nuptiis collat. 4. cap. 6.) conjugibus triennium concedit ad experiendum utrùm poſſint conſummare matrimonium; quo tempore eadem eis, quæ conjugibus aliis, licita ſunt. Sed

Nota. 1. Triennium hoc computandum eſt ab eo tempore, quo conſummare tentarunt conjuges, niſi tamen puberes ſint, quo caſu triennium computari debet à tempore, quo adepti ſunt perfectam pubertatem, hoc eſt, ab anno decimo-quarto fœminæ, & decimo-octavo maris. 2. Ita debet continuari, ut conjuges vel continuò, vel ſaltem maxima anni parte cohabitent, & eodem thoro utantur. 3. Tenentur conjuges non ſolùm dare operam conſummationi, ſed etiam adhibere ea remedia, quæ ſine gravi vitæ & valetudinis periculo proſunt ut potentes fiant. 4. Expleto triennio, ſi conjuges conſummare non potuerunt, ſeparari debent quoad thorum, imò & quoad cohabitationem, ſi alteruter id petat, vel morale ſit periculum incontinentiæ. 5. Facta ſeparatione, qui potens eſt, aliud poteſt inire matrimonium, quia primum fuit nullum; impotens verò non, ſi impotentia eſt abſoluta: quòd ſi impotentia ſit tantùm reſpectiva, poteſt contrahere cum eo, ad quem impotens non eſt.

At inquies. Quid ſi Titius, qui Bertam duxerat, poſt triennale experimentum impotens judicatus, & ſententia Judicis à Berta ſeparatus, ex poſt facto reperiatur potens, & idoneus ad conſummandum? *R.* Si Titius judicatus eſt impotens ex defectu naturæ, ſeu propter frigiditatem, reſtauratur ejus matrimonium cum Berta, etiamſi poſt ſeparationem legitimè factam, alteri viro nupſerit in facie Eccleſiæ. Patet ex cap.

Lau-

Laudabilem 5. extra de frigidis. Et ratio eſt, quia impotentia ex defectu naturæ proveniens, cenſetur abſoluta, adeoque eſſe reſpectu omnium; niſi tamen aliunde conſtet eſſe reſpectivam. Unde ſi deſinit reſpectu unius, cenſetur reſpectu omnium deſinere, ac proinde temporalis fuiſſe, non perpetua; & conſequenter matrimonium, quod cum ea contractum fuit, cenſetur validum fuiſſe: quamobrem inſtauratur, ſi poſt experimentum trienni diſſolutum fuit judicio Eccleſiæ, & aliud conjugibus ad experiendum conceditur triennium, quo abſoluto, ſi conſummare non potuerint, iterùm quoad thorum & cohabitationem ſeparantur abſque ulla ſpe reſtitutionis, quia tunc impotentia mariti habetur ut reſpectiva & perpetua.

At inquies. Quid ſi Titius, qui Bertam duxerat, poſt triennii experientiam judicatus impotens ex maleficio, & à Berta juridicè ſeparatus, accipiat Semproniam, & cum ea conſummet? *R.* Titii cum Sempronia matrimonium reſcindi non poſſe, ut ad Bertam redeat, nec Bertam, ſi alteri viro nupſit, hunc deſerere poſſe, ut redeat ad Titium. Patet ex cap. *Si per ſortiarias* 4. 33. q. 2. Et ratio eſt, quia impotentia, ex maleficio proveniens, ab Eccleſia cenſetur reſpectiva, qualis re ipſa ſolet eſſe, & poſtquam conjuges per triennium experti ſunt, & adhibitis precibus, jejuniis, eleemoſynis, exorciſmis, & aliis Eccleſiæ remediis (quod à Titio & Berta factum eſſe ſupponimus) conſummare non potuerunt, perpetua eſſe cenſetur, adeoque matrimonium à maleficiatis contractum dirimere: unde poſterius, cum alio poſt ſeparationem contractum, habetur ut validum, adeoque diſſolvi non poteſt.

At inquies. Quid juris in hoc caſu: Berta à Titio, cui nupſerat, judicio Eccleſiæ ſeparata eſt, eò quòd inventa fuerit ad actum conjugalem prorſus inepta ob abſolutam arctitudinem, à qua eam ſine divino miraculo, vel gravi vitæ periculo, aut peccato, liberari non poſſe probabiliter judicavit Eccleſia; ſed poſtmodùm medici cujuſdam vel chirurgi arte ſine peccato & gravi vitæ periculo idonea ad uſum conjugii effecta, nupſit Sempronio? *R.* Primum matrimonium fuit validum, adeoque poſterius nullum eſt: quare Berta tenetur, relicto Sempronio, redire ad Titium, qui ſimiliter tenetur, ſi aliam duxit uxorem, eam relinquere, ut Bertam recipiat. Patet ex cap. *Fraternitatis* 6. de frigidis. Et ratio eſt, quia impotentia Bertæ fuit temporalis, & eam perpetuam judicando erravit judex, ut probavit eventus.

At inquies. Quid ſi Berta ſupponatur arcta fuiſſe Titio ſoli, & non aliis, ſed poſtmodùm per copulam cum Sempronio, cui poſt ſeparationem nupſit, habitam, effecta Titio idonea? *R.* In hac ſuppoſitione Berta invalidè cum Titio contraxerat, & poſt ſeparationem validè contraxit cum Sempronio, ex cap. *Fraternitatis* citato juncta gloſſa. Et ratio eſt, quia impotentia, quam habuit Berta reſpectu Titii, cenſeri debet fuiſſe perpetua; cùm aliter, ſecluſo divino miraculo, tolli non potuerit, quàm per ejus cum alio viro commixtionem.

Idem porrò tenendum eſſet de utroque matrimonio Bertæ, etiamſi poſt ſeparationem, & antequam Sempronio nuberet, impotentia ejus ad Titium reſpectiva ſublata fuiſſet vel divino miraculo, vel arte medica, ſed cum gravi ejus vitæ periculo, vel denique per frequentes ejus cum aliis viris fornicationes. Ratio eſt, quia qui cum impotentia, quæ non niſi aliquo ex his modis tolli poteſt, contrahunt, contrahunt cum impotentia perpetua, adeoque invalidè contrahunt, ex cap. *Fraternitatis* citato. Unde quamvis poſtea aliquo ex his modis tollatur impotentia, non redintegratur matrimonium antea contractum, & uterque conjux aliud inire matrimonium poteſt, ſicut & poſſunt inter ſe de novo contrahere.

At inquies. Quid ſi vir morti proximus velit concubinam ducere uxorem? *R.* talem cum concubina poſſe validè contrahere. Ratio eſt, quia habet veram potentiam ad perfectam copulam, quamvis pro tunc morbo impeditam, & probabiliter nunquam poſtea in actum exercendam. Subintellige, niſi ea vi ſeu natura morbi ſit factus impotens: ita ut ſi ea morbo convaleſceret, nunquam habere poſſet copulam perfectam.

At inquies. Quid ſi ſenex ætatis decrepitæ velit uxorem ducere?

Reſp. talem non poſſe validè contrahere. Ratio eſt, quia non habet ampliùs potentiam ad perfectam copulam, ſed eſt abſolutè & in perpetuum impotens. E contra vetula, quantæcumque ſi ætatis, modò non ſit arcta, validè contrahere poteſt, quia, ut jam obſervatum eſt, mulierum impotentia in ſola arctitudine conſiſtit.

Quæres 2. Quid tenendum ſit de hermaphroditis?

Reſp. breviter. 1. Ii in quibus eminet ſexus virilis, validè contrahunt cum fœminis. 2. Ii in quibus eminet ſexus fœmineus, validè contrahunt cum viris. 3. Ii in quibus uterque ſexus æqualis eſt, poſſunt alterutrum eligere, ut vel inter viros, vel inter fœminas computentur. Ratio eſt, quia ad uſum matrimonii idonei ſunt per modum virorum in primo caſu; in ſecundo per modum fœminarum, & in tertio per modum virorum & fœminarum indifferenter. Electione autem ſemel facta in tertii caſu, uſus alterius ſexus graviter eis illicitus eſt, propter gravem indecentiam & ſcandalum.

§. XIV.

De vi, ordine, ligamine, & amentia.

1. VIs ſeu coactio, qua impeditur libertas dirimit matrimonium. 2. Idem præſtat ſolemne votum caſtitatis, annexum ſacris Ordinibus. 3. Ligamen ſeu vinculum matrimonii priùs contracti, ſive conſummati ſive non, quandiu perſeverat, conjugatum inhabilem reddit ad contrahendum aliud matrimonium. Sed de hiſce impedimentis jam aliàs ſuis locis. 4. Irritum eſt tum jure naturali, tum eccleſiaſtico matrimonium, quoad ab eo contrahitur, qui amens eſt, ſeu qui non habet ſufficientem uſum rationis. Si quis tamen ita mentis impos ſit, ut habeat lucida intervalla, validum erit matrimonium, ab eo in aliquo hujuſmodi intervallo contractum, quia tunc non deerit conſenſus ad matrimonii valorem requiſitus.

Quæres, quandiu mulieres, quarum mariti à pluribus annis non comparent, expectare debeant, ut aliud matrimonium inire poſſint?

R. Expectare debent, donec de morte maritorum moralem habeant certitudinem, ſeu eam habent veriſimilitudinem, quæ apud ſapientes omne prudens dubium excludat. Patet ex cap. *In præſentia* 19. extra de ſponſalibus, ubi de mulieribus, quæ viros ſuos, cauſa captivitatis vel peregrinationis abſentes, ultra ſeptennium præſtolatæ fuerant, nec certificari potuerant de vita vel de morte ipſorum, licèt ſuper hoc ſollicitudinem adhibuiſſent diligentem, dicit Clemens III. *quòd quantocumque annorum numero ita permaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare*, & addit: *Nec authoritate eccleſiaſtica permittas contrahere, donec certum nuncium recipiat de morte virorum*.

Patet etiam ex cap. *Dominus* 2. extra de ſecundis nuptiis, ubi requiritur in conjuge eadem certitudo de morte comparis, ad hoc ut poſſit ad alias tranſire nuptias; & præterea aduntur duo. Et 1. quidem, ſi aliquis vel aliqua in dubio de morte conjugis, aliud contraxit matrimonium, quandiu dubium illud perſeverat, talem teneri ad reddendum debitum, cùm exigitur, at nullatenus poſſe illud exigere. Ratio eſt, quia, ut hìc ait Gloſſa, verbo *Non deneget*, pro matrimonio, quod certò contractum eſt, præſumitur in dubio de valore illius; unde parti, quæ non dubitat, exigenti debitum, tenetur altera quæ dubitat, reddere, quamvis ipſa, quia dubitat, non poſſit exigere. 2. Ubi primùm poſt matrimonium ab aliquo vel aliqua, ſive cum dubio, ſive cum morali, cui falſum ſubeſſe poteſt, certitudine de morte comparis

Digitized by Google

contractum, compartem illam vivere conſtiterit, ad eam, relictis adulterinis complexibus, eſſe revertendum; quod jam antea definitum fuerat cap. *Cum per bellicam* 1. 34. q. 1. & 2. ubi etiam mulier, quæ alteri nupſit, putans virum ſuum mortuum eſſe, ſi ad eum reverſum nolit redire, jubetur excommunicari.

§. XV.

De diſparitate cultus.

QUæres 1. Utrùm matrimonium baptizati cum non baptizata irritum ſit jure naturali, vel divino?

R. neg. Nam 1. non eſt irritum jure naturali, quia non repugnat fini primario matrimonii, unum conjugem eſſe baptizatum, & alterum non eſſe: hoc enim non repugnat generationi prolis, nec prolem ex talibus parentibus natam impoſſibile eſt legitimè educari. 2. Non eſt irritum jure divino poſitivo, quia tale jus non extat. Idem dic ſemper de matrimonio baptizatæ cum non baptizato.

Quæres 2. Utrùm ſaltem tale matrimonium ſit prohibitum jure divino, vel naturali?

R. 1. Non eſt prohibitum jure divino: nam tale jus nullibi extat. Et verò ſi alicubi extat, certè vel in Pauli verbis 1. Cor. cap. 7. *Mulier . . . ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino*; vel in illis ejuſdem Apoſtoli 2. Cor. cap. 6. *Nolite jugum facere cum infidelibus*. At hoc dici non poteſt: nam uterque locus adhortationem continet, non præceptum; & ſi primus continet præceptum, non divinum, ſed apoſtolicum continet. 2. Non eſt per ſe prohibitum jure naturali, quia non habet ſecundùm ſe poſitivam indecentiam & repugnantiam cum natura rationali. Dixi, Per ſe: nam per accidens prohibitum eſt jure naturali, quoties in baptizato morale periculum eſt ſubverſionis.

Quæres 3. Utrùm tale matrimonium invalidum ſit jure eccleſiaſtico?

R. invalidum eſſe jure eccleſiaſtico non ſcripto, introducto per conſuetudinem univerſaliſſimam, eamque antiquiſſimam, ut patet ex Magiſtro lib. 4. Sent. cap. 34. litt. A. ubi quòd baptizati cum non baptizatis validè contrahere non poſſint, ut rem certam & evidentem aſſerit.

Quæres 4. Utrùm invalidum ſit matrimonium fidelis baptizati cum baptizata hæretica, aut fidelis baptizatæ cum baptizato hæretico?

Reſp. nullo jure invalidum eſſe. 1. Non eſt invalidum jure naturali: nam diverſitas fidei nec cum ſubſtantia matrimonii, nec cum ejus uſu ullam habet repugnantiam. 2. Non eſt invalidum jure poſitivo divino vel humano: nullum enim tale jus extat. Nec dic Synodum Quini-ſextam can. 72. irritare matrimonia hujuſmodi: nam hæc Synodus nullius eſt authoritatis.

Quæres 5. Utrùm ſaltem tale matrimonium aliquo jure prohibitum ſit?

Reſp. 1. Jure naturali non eſt prohibitum per ſe, quia non habet per ſe poſitivam indecentiam, ſed per accidens; quoties ſcilicet morale periculum eſt, ne ſubvertatur pars fidelis, & proles educerent in hæreſi. 2. Prohibitum eſt jure eccleſiaſtico, ut patet ex Concilio Chalced. can. 14. quo prohibetur, ne perſona catholica matrimonio conjungatur hæreticæ, niſi hæc ſe ad orthodoxam fidem convertendam ſpondeat. Idem habetur cap. *Non oportet* 16. 28. q. 2.

Quæres 6. Utrùm Summus Pontifex poſſit cum fideli baptizato diſpenſare, ut licitè poſſit contrahere cum baptizata hæretica?

R. affirmativè pro eo caſu, quo fidelis baptizatus juſtam cauſam habet contrahendi cùm baptizata hæretica, nec everſionis morale periculum incurret cum ea contrahendo: tunc enim contrahendo cum diſpenſatione Summi Pontificis, non peccabit contra legem eccleſiaſticam, in qua cum eo non ſolùm validè, ſed etiam licitè diſpenſatum eſt; nec contra legem naturalem, quæ tale matrimonium non prohibet, niſi pro eo caſu, quo fidelis baptizatus non habet juſtam cauſam illud contrahendi, aut illud contrahendo incurrit morale periculum everſionis; nec denique contra legem divinam, quia nulla extat, quæ matrimonium hujuſmodi prohibeat.

Confirmatur ex praxi Summorum Pontificum. Nam 1. Clemens VIII. diſpenſavit cum Duce Barrenſi, ut contraheret cum Catharina calviniana, Henrici IV. ſorore, ipſi Barrenſi Duci intra quartum conſanguinitatis gradum conjuncta. In hac autem diſpenſatione concedenda difficillimum ſeſe oſtendit Clemens VIII. non quòd dubius eſſet de Pontificia poteſtate diſpenſandi cum fidelibus baptizatis ad contrahenda cum hæreticis matrimonia, ſed quia metuebat ne Dux Barrenſis perverteretur à conjuge hæretica, aut proles ex ea ſuſceptæ pravè inſtituerentur, eo tempore, quo maximè fervebat hæreſis calviniana, & horrendum in modum graſſabatur in Gallia: unde non levis erat cauſa metuendi, ne ex occaſione hujuſce matrimonii finitimam ditionem Barrenſem, & Lotharingiam pervaderet lues. 2. Urbanus VIII. diſpenſavit cum Henrica Ludovici XIII. ſorore, ut Carolo I. Anglorum Regi nuberet, &c.

Dices. Probabile eſt, quòd matrimonium fidelis baptizati cum baptizata hæretica ſit lege divina prohibitum. Ergo probabile eſt, quòd Summus Pontifex non poſſit cum fideli baptizato, &c. Nego ant. *Probabis.* Probabile eſt, hæc Pauli verba 1. Cor. cap. 7. *Nubat tantum in Domino*, continere præceptum divinum, fidelium cum hæreticis matrimonia prohibens. Ergo, &c. Nego ant. Nam ad ſummum continent præceptum apoſtolicum, ſeu præceptum eccleſiaſticum, Ab Apoſtolo impoſitum.

Probabis tamen ant. Patres multi verba illa Pauli interpretantur de præcepto divino, prohibente matrimonia fidelium cum hæreticis. *R.* hoc eſſe falſum. *Probabis.* 1. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 7. ſic ait: *Certè præſcribens* (Paulus) *tantum in Domino eſſe nubendum, ne qui fidelis ethnicum matrimonium contrahat: legem tuetur Creatoris, allophylorum nuptias ubique prohibentis.* 2. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum ſic loquitur: *Qui ſecundas tertiaſque nuptias concedit in Domino, primas cum ethnico prohibet.* 3. Theodoretus comment. in locum Apoſtoli, *Cui vult nubat, modo in Domino*, hæc habet: *Hoc eſt, ei qui ſit ejuſdem fidei, pio ac religioſo Dei cultori, honeſtè & legitimè.* 4. S. Thomas in expoſitione ejuſdem loci ait: *Tantum in Domino, id eſt, viro ſuæ religionis: nam in diſpari cultu prohibitum eſt in lege matrimonium.* Deuter. 7.

R. ad 1. Tertullianum loqui de matrimonio fidelium cum ethnicis. Præterea non Deum, ſed Apoſtolum dicit præſcribere, ne tale matrimonium contrahatur, & addit, Apoſtolum hoc præſcribendo, tueri legem à Deo latam in veteri teſtamento, qua Judæorum cum gentilibus matrimonia prohibebantur. Ex quibus evidenter apparet, Tertullianum legem divinam, fidelium cum ethnicis matrimonia prohibentem, pro veteri tantùm teſtamento agnoviſſe, nec niſi apoſtolicam pro novo aſſeruiſſe. Quod confirmatur ex ejus ad uxorem lib. 2. cap. 2. ubi ait: Tantùm, *inquit* (Paulus) in Domino. *Adjecit pondus legi ſuæ, tantum.* Juxta Tertullianum igitur, Apoſtolus dicendo, *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, non divinam, ſed ſuam legem expreſſit.

Reſp. ad 2. Hieronymus ſimiliter loquitur de matrimonio fidelium cum ethnicis, nec à Deo, ſed ab ipſo Apoſtolo dicit eſſe prohibitum. *Reſp. ad* 3. Theodoretus ſolùm interpretatur hanc vocem, *in Domino*; de præcepto verò ſive divino, ſive apoſtolico, ne verbum quidem habet. *Reſp. ad* 4. S. Thomas eadem voce ſimiliter expoſita, ſolùm addit, Judæorum cum gentilibus matrimonium à Deo prohibitum fuiſſe in lege veteri.

Dices. Probabile eſt, quòd matrimonium catholi-

Digitized by Google

ei cum hæretica, & catholicæ cum hæretico ſemper adverſetur juri naturali. Nego. *Probabis*. Quantacumque adhibeatur humana diligentia, ſemper in praxi periculum eſt, ne vir fidelis ab uxore hæretica, & uxor fidelis à viro hæretico pervertatur. Item ſemper in praxi periculum eſt, ne proles ex tali matrimonio natæ, patris vel matris imbuantur erroribus. *Reſp.* diſt. Semper in praxi periculum eſt remotum & poſſibile, ne, &c. C. ſemper in praxi periculum eſt proximum & morale, ne, &c. N. Matrimonium autem perſonæ orthodoxæ cum heterodoxa non adverſatur juri naturali, niſi pro caſu proximi & moralis periculi ſubverſionis conjugis, vel naſciturarum prolium.

Dices. Matrimonium fidelis baptizati cum hæretica baptizata vel eſt ſacramentum, vel non. *Reſp.* eſſe ſacramentum, *Dices*. Ergo fidelis baptizatus non poteſt contrahere cum hæretica baptizata, quin peccet mortaliter. Nego. *Probabis*. Qui ſcienter miniſtrat ſacramentum indigno, peccat mortaliter contra illud Chriſti Matth. cap. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*. Sed fidelis baptizatus contrahens cum hæretica baptizata, ſcienter miniſtrat ſacramentum indignæ. Ergo, &c,

Reſp. diſt. maj. Qui ſcienter miniſtrat ſacramentum indigno, peccat mortaliter, &c. ſi non juſtam & rationabilem cauſam habet permittendi ſacrilegium illius, C. maj. Si habet juſtam, &c. N, maj. Alioquin Chriſtus ipſe dicendus eſt peccaſſe mortaliter, cùm ſacramentum Corporis ſui tradidit Judæ proditori, quod eſt impium & blaſphemum. Item ſacerdos publicè idem ſacramentum adminiſtrans, peccat mortaliter communicando indignum ut talem ex ſacramentali confeſſione cognitum, quod eſt certò falſum. Fidelis autem baptizatus ex juſta & rationabili cauſa contrahens cum hæretica baptizata, juſtam & rationabilem cauſam habet permittendi ſacrilegium ejus; adeoque non peccat, miniſtrando ei ſacramentum matrimonii; ſed nec, illud ab ea viciſſim accipiendo, peccat, propter eandem rationem,

Dices. Zonaras & Balſamon interpretantes canonem 14. Concilii Chalced. aſſerunt Concilium in eo tantùm concedere, ut cum hæretico, ſe ad fidem convertendum ſpondente, poſſint contrahi ſponſalia; ita ut cum eo matrimonium iniri nefas ſit, niſi poſtquam ad fidem re ipſa converſus fuerit. *R.* Bene eſt, ſed inde ſequitur tantùm, quòd matrimonium cum hæretico, priuſquàm hæreſim deſeruerit, contrahere prohibitum ſit lege eccleſiaſtica, ac proinde quòd tale matrimonium licitè contrahi non poſſit ſine Pontificia diſpenſatione,

Quæres 7. Utrùm Summus Pontifex diſpenſare poſſit cum fideli baptizato, ut validè & licitè matrimonium contrahat cum infideli non baptizata?

R. poſſe, ſi adſit juſta & rationabilis cauſa diſpenſandi, & excluſo morali periculo ſubverſionis fidelis baptizati, & prolium ex tali matrimonio naſciturarum. Ita Bellarminus lib. de matrim. cap. 23. prop. 4. *Et prob.* ex facto Pauli V. qui an. 1616. facultatem ſic diſpenſandi cum fidelibus baptizatis, ut cum ethnicis contrahere poſſent, conceſſit ad decennium Epiſcopo Funaienſi in Japonia, & Superioribus Societatis noſtræ in regno Chinenſi. Ratio autem aſſertionis eſt, quia 1. matrimonia fidelium baptizatorum cum infidelibus non baptizatis irrita non ſunt, niſi jure eccleſiaſtico, in quo diſpenſare poteſt Summus Pontifex. 2. Non ſunt jure naturali vel divino prohibita, niſi pro eo caſu, in quo contrahuntur cum morali periculo ſubverſionis fidelium ea contrahentium, & pravæ inſtitutionis prolium.

Dixi autem, 1. Si adſit juſta & rationabilis cauſa diſpenſandi: nam ſine tali cauſa diſpenſando Pontifex peccaret, quamvis diſpenſaret validè. Dixi 2. Secluſo morali periculo, &c. quia fideles baptizati cum Pontificia diſpenſatione talia matrimonia contrahentes cum morali periculo ſubverſionis ſui vel prolium, peccarent contra jus naturale, & ita illicitè, quamvis validè contraherent.

Dices. Talia fidelium cum ethnicis matrimonia ſunt per ſe & intrinſecè inhoneſta. *Reſp.* hoc eſſe falſum, ut oſtenditur ex facto Joſephi, qui filiam Putipharis Ægyptiam duxit; Moyſis qui duxit filiam Jetro Æthiopiſſam; Salomonis qui filiam Pharaonis accepit, nec ob id reprehenditur à Scriptura; Eſtheris quæ nupſit Aſſuero Perſarum regi, &c. *At inquies*. Quare ergo S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. tam vehementer invehitur in mulieres chriſtianas, quæ ſuo tempore nubebant viris ethnicis? *Reſp. breviter*, quia hoc faciebant contra prohibitionem Apoſtolicam, cum ſcandalo, & morali periculo ſubverſionis ſui, & prolium.

§. XVI.

Quo jure matrimonium clandeſtinum illicitum ſit, aut irritum.

RESP. 1. Matrimonium clandeſtinum ſemper prohibitum fuit jure eccleſiaſtico. Patet ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione matrimonii, ubi dicitur, quòd *ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa* (matrimonia clandeſtina) *ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*.

2. Jure etiam naturali illicitum eſt, non quidem per ſe, quia non eſt per ſe & intrinſecè inhoneſtum, ſed per accidens, quoties ſcilicet morale periculum eſt ſcandali, & ne alter alterum deſerat, ut contrahat cum alio, ſive clandeſtinè, ſive etiam in facie Eccleſiæ, atque ita deſeratur proles, & perpetua committantur adulteria.

3. Contractum ſine præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis, qui de ipſius Parochi vel Ordinarii licentia adſit, & duorum ſaltem teſtium, irritum eſt jure Concilii Tridentini. Patet ex loco citato, ubi dicitur: *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit: & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout præſenti decreto irritos facit & annullat*. Hujus decreti ratio ſuperiùs præmittitur, his verbis: *Cum ſancta Synodus animadvertat prohibitiones illas* (ab Eccleſia factas) *propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe; & gravia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent: præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: huic malo, &c.*

At inquies. Quid ſi aliqui contrahant præſente Parocho, & duobus teſtibus, ſed omiſſis ſine Ordinarii diſpenſatione proclamationibus? *Reſp.* Illicitè quidem contrahunt, quia tranſgrediuntur præceptum Eccleſiæ, jubentis ut trina proclamatio præmittatur: at nihilominùs matrimonium validum eſt, quia nihil omittunt ex iis, quæ ad contractum matrimonialem tanquam eſſentialia requirit Synodus, quæ trinam proclamationem jubet præmitti matrimonio, non ut validè, ſed ut legitimè contrahatur.

At inquies. Quid ſi aliqui in loco, in quo Tridentini decretum receptum eſt, clandeſtinè contrahant cum ignorantia inculpabili hujus decreti? *Reſp.* Invalidè contrahunt, quamvis non peccent. Ratio eſt, quia ignorantia inculpabilis operantem excuſat quidem à peccato formali; at efficere non poteſt, ut is qui omninò inhabilis eſt ad aliquem effectum, fiat ad eum habilis. Hinc v. g. qui intra quartum gradum ſunt conſanguinei, ſine legitima diſpenſatione invalidè contrahunt inter ſe, quantumvis inculpabiliter ignorent gradum ſuæ conſanguinitatis.

At inquies. Quid ſi incola loci, in quo Tridentinum receptum eſt, in loco in quo non eſt receptum clandeſtinè contrahat? *R.* Validè contrahit, niſi in eum locum ſe contulerit eo fine, ut ſic contraheret: è contra incola loci in quo Tridentinum

rece-

receptum non eſt, in loco in quo eſt receptum, clandeſtinè contrahens, invalidè contrahit.

Ratio pro primo caſu eſt, quia Tridentinum, ut patet ex cap. citato in fine, noluit decretum ſuum vim habere, niſi in locis in quibus receptum eſſet. *Decernit* (Synodus) *inſuper*, inquit, *ut hujuſmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos*. Quare quilibet, niſi obſit, in loco, in quo receptum non eſt decretum Tridentini, validè contrahit ſine præſentia parochi & duorum teſtium, etiamſi ibi tantùm per tranſitum verſetur, modò tamen eò ſe non contulerit in fraudem decreti; alioquin contrahit invalidè, ut à ſacra Congregatione Cardinalium Tridentini interpretum declaratum eſſe ſcribit Zipæus lib. 4. conſult. 6. Ratio pro ſecundo caſu eſt, quia contrahentes ſortiuntur forum loci, in quo contrahunt, ex cap. *Licet* fin. extra de foro competenti, atque ita tenentur contrahere ſecundùm leges loci, in quo contrahunt.

At inquies. Quid ſi quis morti proximus velit ducere concubinam ad prolem legitimandam, nec haberi poſſit parochus, aut alius ſacerdos de parochi vel Ordinarii licentia? *Reſp*. Talis non poteſt cum concubina validè contrahere (quantumcumque id velit) in loco, in quo Tridentinum receptum eſt. Ratio eſt, quia neceſſitas poteſt quidem eximere ab obligatione, quam imponit lex præcipiens vel prohibens, at non poteſt tollere inhabilitatem, quam inducit lex irritans.

Quæres, Utrùm validum ſit matrimonium catholicorum, clandeſtinè contrahentium in Hollandia, aut aliis locis, in quibus aliquando receptum fuit Tridentini decretum, quod nunc rejicitur ab hæreticis, quibus Hollandia, & alia illa loca ſubjacent?

Reſp. negativè, ſi catholici illi præſentem habere poſſunt parochum (ſupple, vel alium ſacerdotem de ipſius licentia) ſine gravi ſuo vel parochi periculo. Quòd ſi præſentem habere non poſſunt parochum, vel quia nullus eſt, vel quia ſic latet, ut non poſſit inveniri, vel denique quia ſine gravi ipſius aut contrahentium periculo adiri aut advocari non poteſt, tunc ex Eccleſiæ diſpenſatione catholici illic coram duobus vel tribus teſtibus contrahentes, validè contrahunt, ut declaravit ſacra Congregatio Card. Trid. interpretum, teſte Zipæo lib. 4. tit. de ſponſ. num. 16. Quantùm autem attinet ad regionum illarum hæreticos, probabilius eſt illos ex tacita Summi Pontificis ſcientia nec reclamantis diſpenſatione validè contrahere, ſi contrahant coram miniſtro ſuo, vel ubi conſuetudo talis eſt, coram duobus teſtibus. Probatur ex eo, quòd Eccleſia liberos hæreticorum illorum habet ut legitimos.

§. XVII.

De iis, qui ordinaria poteſtate poſſunt matrimonio aſſiſtere, & aliis aſſiſtendi licentiam dare.

ORdinaria poteſtate ſuorum matrimonio aſſiſtere, & aliis aſſiſtendi licentiam dare poteſt, 1. Parochus in tota ſua parochia. 2. Epiſcopus in tota ſua diœceſi. 3. In tota ſimiliter diœceſi Vicarius generalis Epiſcopi, quia unam & eandem ſuo modo poteſtatem habet cum Epiſcopo; cum unum tribunal, unamque moraliter cum eo perſonam conſtituat, ex cap. *Romanum* 3. de appellationibus in 6. Unde cum Epiſcopo comprehenditur nomine Ordinarii. 4. Habens juriſdictionem epiſcopalem, in locis in quibus eam habet: Ordinarii enim nomine neceſſariò comprehenditur pro his locis, quæ alium præter ipſum Ordinarium habere non poſſunt, cùm ſint exempta à juriſdictione Epiſcopi. 5. Capitulum, Sede vacante, quia ad illud devolvitur juriſdictio Epiſcopi, ex cap. *Cum olim* 14. extra de majoritate, &c. & Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. de reform. 6. Legatus Pontificis in tota ſua provincia, quia in ea poteſt, quidquid poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. 7. denique Summus Pontifex in toto terrarum orbe.

At inquies. Quid ſi parochus nondùm ſit ſacerdos? *Reſp*. Nihilominùs validè aſſiſtit ſuorum matrimonio. Ratio eſt, quia Tridentinum requirit tantùm, ut ſit parochus. Verè autem talis eſt, etſi nondùm ſacerdos: unde & poteſt alteri, qui ſacerdos ſit, dare licentiam aſſiſtendi matrimonio ſuorum; quia qui habet poteſtatem ordinariam poteſt eam alteri delegare, ex cap. *Cum Epiſcopus* 7. de officio Ordinarii in 6.

At inquies. Quid ſi parochus ſit excommunicatus? *Reſp*. Vel eſt toleratus, vel non. Si primum, non ſolùm validè aſſiſtit matrimonio, ſed etiam validè dat alteri licentiam aſſiſtendi, quia poſt Concilium Conſtantienſe validi ſunt actus juriſdictionis exerciti ab excommunicatis toleratis; quamvis eos exercendo graviter peccent, niſi tamen eos gravis aliqua neceſſitas excuſet. Si ſecundum, validè quidem aſſiſtit matrimonio, quia hæc aſſiſtentia eſt actus teſtis, non juriſdictionis, ut patet ex eo, quòd nullus actus juriſdictionis validè exerceatur ab invito, & tamen parochus, quamvis omninò invitus ac reluctans, matrimonio validè aſſiſtat. At non poteſt validè alteri licentiam aſſiſtendi concedere. Ratio eſt, quia excommunicatus non toleratus nullum actum juriſdictionis validè poteſt exercere. Alicui autem licentiam matrimonio aſſiſtendi concedere, eſt quidam actus ſuperioritatis & juriſdictionis; nemo enim poteſt alteri dare licentiam faciendi aliquid, niſi aliquam habeat ſuperioritatem aut in eum cui dat, aut in rem circa quam dat licentiam aliquid faciendi. Ergo, &c.

At inquies. Quid ſi alicui officium parochi invalidè collatum eſt ob defectum aliquem occultum? Quid ſi intruſus eſt ſine authoritate legitima? *Reſp. ad* 1. Talis habet titulum coloratum: quare ſi communiter creditur habere verum titulum, validè aſſiſtit matrimonio, & licentiam aſſiſtendi validè concedit, Eccleſia defectum ejus ob commune bonum ſupplente. Patet ex L. *Barbarius* 3. D. de officio Prætorum, quo jure utitur etiam Eccleſia. *R. ad* 2. Talis, cùm nequidem titulum coloratum habeat, matrimonio nec aſſiſtere, nec aſſiſtendi licentiam alteri concedere poteſt validè.

At inquies. Quid ſi Epiſcopus prohibeat parocho, ne certo matrimonio aſſiſtat? *Reſp*. Peccabit quidem parochus aſſiſtendo illi matrimonio, at nihilominùs validè aſſiſtet, quia factâ hac prohibitione, nihilominùs parochus eſt; atque ita ſi matrimonium coram eo & duobus teſtibus celebretur, ſervabitur decretum Tridentini quantùm ad ea, quæ ad valorem matrimonii requiruntur, adeoque validum erit matrimonium, non obſtante prohibitione Epiſcopi. Nec dic, conſenſum ejus requiri ad valorem hujus matrimonii: nam etiam in ejus præſentia, quantumlibet invitus eſſet ac repugnans, validè contraheretur.

At inquies. Quid ſi Epiſcopus prohibeat parocho, ne alteri det licentiam aſſiſtendi certo matrimonio? *R*. Niſi clauſula irritans appoſita ſit prohibitioni, nihilominùs poterit validè licentiam aſſiſtendi matrimonio concedere alteri. Ratio eſt, quia poteſtatem hanc habet de jure, proindeque ea privari non poteſt per ſimplicem prohibitionem. Ea autem per clauſulam irritantem ſpoliatus tandiu validè poterit ipſe aſſiſtere matrimonio, quandiu manebit parochus; etiamſi ſupponatur eſſe ad nutum amovibilis, ut facilè intelligitur ex modò dictis.

At inquies. Quid ſi parochus verſetur extra ſuam parochiam? *R*. Parochus in aliena parochia ſine licentia parochi illius loci non poteſt quidem proclamationes facere, nec ſolemnem benedictionem conferre, quia hæc exigunt externum ſtrepitum; at poteſt aſſiſtere matrimonio ſuorum parochianorum, quia ad hoc nec tribunal, aut ſtrepitus judicialis, nec ſolemnitas aliqua, quæ fiat cum pompa externa, requiritur. Similiter parochus in aliena parochia exi-

Digitized by Google

exiſtens, poteſt alteri, ut in ſua parochia matrimonio aſſiſtat, licentiam concedere, quia hæc conceſſio nullum requirit ſtrepitum. Superiores autem ea tantùm in alieno territorio prohibentur facere, quæ ſtrepitum requirunt.

At inquies. Quid ſi vagi velint matrimonium contrahere? *Reſp.* Contrahere debent coram parocho loci, in quo pro tunc diverſantur. Ratio eſt, quia parochus loci, in quo diverſantur, eſt proprius eorum paſtor: nam vel nullum habent proprium paſtorem, à quo poſſint ſacramenta ſuſcipere, vel proprius eorum paſtor eſt is, in cujus parochia pro tempore hoſpitantur: nullus enim alius præter hunc poteſt aſſignari. Non primum: cùm enim nemo poſſit alicui ſacramenta licitè conferre, niſi proprius paſtor, vel alius de ejus licentia, ſi vagi non habent proprium paſtorem, à quo poſſint ſacramenta ſuſcipere, ſolus Pontifex illa eis licitè conferre poteſt, quod eſt falſum. Ergo, &c.

Porrò Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 7. de reform. matrim. quia periculum eſt, ne vagi, qui improbi ſolent eſſe ingenii, prima uxore relicta, aliam, imò & plures, illa vivente, diverſis in locis ducant, *Parochis* præcipit, *ne illorum matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint* (de eorum ſtatu, & habilitate ad contrahendum) *& re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*.

At inquies. Quid ſi ſponſus & ſponſa ſint diverſæ parochiæ, & ita alius ſit ſponſi, & alius ſponſæ parochus? *Reſp.* Proclamationibus in utraque parochis factis, matrimonium celebrari poteſt coram parocho ſponſi, vel parocho ſponſæ, prout libuerit contrahentibus: non enim potior eſt ratio pro uno parocho, quam pro alio, & parochus unius cenſetur parochus utriuſque quoad hoc, cùm contrahentes ſint una moraliter perſona, quia unus eſt utriuſque contractus, & unum ſacramentum; atque ita qui quoad hoc juriſdictionem habet in ſponſum, habeat etiam in ſponſam, & viciſſim qui habet in ſponſam, etiam habeat in ſponſum. Hæc autem reſponſio noſtra difficultatem non habet cum hac reſtrictione, modò celebretur matrimonium in parochia Parochi aſſiſtentis; etiamſi non conſentiat alter Parochus, cujus tamen conſenſum ante matrimonii celebrationem exquiri, convenientiſſimum eſt.

At inquies. Quid ſi matrimonium celebretur coram Parocho ſponſi in parochia ſponſæ, ſine conſenſu Parochi ejus? *Reſp.* Matrimonium nihilominus validum erit, quia Parochus ſponſi nihilominus validè aſſiſtet matrimonio: quoad hoc enim Parochus ſponſi poteſt in aliena parochia, quod poteſt in ſua. Atqui validè poteſt aſſiſtere matrimonio in ſua parochia ſine conſenſu Parochi ſponſæ. Ergo & poteſt validè aſſiſtere matrimonio in parochia ſponſæ ſine conſenſu Parochi loci illius; quamvis ſine conſenſu Parochi loci illius, non poſſit ibi à Parocho ſponſi matrimonium licitè celebrari ſolemniter.

Quæres, Quinam, qui vagi non ſunt, in ordine ad matrimonium contrahendum, dicantur eſſe in parochia, vel diœceſi alicujus?

Reſp. Dicuntur eſſe in parochia vel diœceſi alicujus, qui in ea domicilium, vel quaſi-domicilium habent. Domicilium habet quis in eo loco, in quo habitat animo ibi perpetuò manendi, etiamſi ibi per unam tantùm horum habitaverit. Quaſi-domicilium habet quis in eo loco, in quo per majorem anni partem habitat. Itaque qui domicilium habet in una parochia, & quaſi-domicilium in alia, eſt in duplici parochia, & ita duos habet Parochos: unde poteſt coram utrovis matrimonium contrahere.

§. XVIII.

Quænam requirantur ad hoc, ut licentia aſſiſtendi matrimonio alteri validè fiat.

REquiritur, 1. Poteſtas in dante. 2. Ut is, cui datur, ſit ſacerdos: hoc enim expreſsè vult Tridentinum. 3. Ut dantis voluntas externo aliquo ſigno ſufficienter exprimatur: nam voluntas purè interna unius, nihil in aliis operari poteſt exteriùs. 4. Ut conceſſio antecedat aſſiſtentiam, quia licentia, antequam ſit, nihil operari poteſt, & ita non poteſt qualificare ſacerdotem, & teſtem idoneum efficere. Unde nullatenùs ſufficit præſumpta ratihabitio Parochi, vel Ordinarii, etiamſi poſtea ſequatur. 5. Ut licentia legitimè acceptetur vel à ſacerdote qui aſtiturus eſt, vel ab iis qui contracturi ſunt: nam ut valeat, debet acceptari ab iis quibus conceditur: conceditur autem vel ſacerdoti aſtituro, vel contracturis, pro ſacerdote aſtituro. 6. Ut licentia, poſtquam data eſt, non ſit revocata: non cenſetur autem ſufficienter revocata, niſi poſtquam iis, quibus conceſſa fuerat, ejus revocatio ſignificata eſt per nuncium, vel litteras. 7. Ut ſi licentia data ſit ſub certa conditione rationabili, à qua valor ejus pendeat, ſervetur ea conditio.

At inquies. Quid ſi Parochus ſacerdoti dicat: Do tibi facultatem obeundi omnia officia paſtoralia in mea parochia? *R.* Sub hac conceſſione generali ſufficienter continetur ſpecialis facultas aſſiſtendi matrimoniis in illa parochia celebrandis. Secùs eſſet, ſi Parochus diceret tantùm: Do tibi facultatem adminiſtrandi omnia ſacramenta in mea parochia; tum quia aſſiſtere matrimonio non eſt collatio ſacramenti; tum quia ſingularis prudentia requiritur ad hoc, ut ad matrimonium contrahendum non admittantur, qui ad illud ſunt inhabiles: unde Parochi ſolent id muneris ſibi reſervare.

At inquies. Quid ſi ſacerdos, licentia aſſiſtendi matrimonio per nuncium petita, matrimonio aſſiſteret ante reditum nuncii, ſed poſtquam ab eo acceptata eſt licentia? *R.* Validè aſſiſteret, quia cùm ſacerdos verè acceptet per nuncium, quando nuncius acceptat, ſicut verè petit per nuncium, cùm nuncius petit, in caſu propoſito verè haberet licentiam aſſiſtendi pro tempore, quo aſſiſteret; quamvis nondùm hoc ſciret niſi conjecturaliter.

At inquies. Quid ſi ſacerdos licentiam petat per epiſtolam? *Reſp.* Ut validè aſſiſtat, expectare debet, donec litteras, vel nuncium à Parocho accipiat. Ratio eſt, quia licentiam aſſiſtendi non habet, niſi eam à Parocho oblatam acceptet; nec licentia aſſiſtendi cenſetur à Parocho oblata ſacerdoti eam petenti, niſi ſigno aliquo externo ad ipſum vel contracturos directo, ipſi vel contracturis voluntatem ſuam ſignificet Parochus: unde non ſufficeret teſtimonium hominis, qui caſu voluntatem Parochi audiviſſet, nec à Parocho ad ſacerdotem vel contracturos deſtinatus fuiſſet.

At inquies. Quid ſi licentia aſſiſtendi dolo vel metu obtineatur? *R.* Nulla eſt licentia, 1. ſi dolus eſt circa ſubſtantiam, ut ſi Parochus putat peti licentiam pro Paulo, & petitur pro Jacobo; vel putat peti licentiam ad aſſiſtendum matrimonio Petri, & petitur ad aſſiſtendum matrimonio Joannis. 2. Si Parochus licentiam concedit cum hac limitatione: Modò vera ſint quæ proponuntur. Extra hos caſus valida eſt licentiæ conceſſio, quamvis dolo & metu obtenta: ſicut valent contractus & donationes, quibus metus vel dolus cauſam dedit, licèt cum tales ſunt, ut poſſint irritari, ſint irritabiles.

At inquies. Quid ſi conceſſa ſimpliciter à Parocho licentia aſſiſtendi matrimonio, ſacerdos matrimonio aſſiſtat in alia parochia? *R.* Validè aſſiſtit. Ratio eſt, quia conceſſa ſimpliciter à Parocho licentia aſſiſtendi matrimonio, ſacerdos id totum poteſt circa matrimonium, quod poteſt Parochus. At Parochus validè

lidè aſſiſteret matrimonio extra parochiam ſuam. Ergo, &c. Idem eſſet, ſi Parochus diceret ſacerdoti: Do tibi facultatem aſſiſtendi matrimoniis omnibus parochianorum meorum: ſecùs vero ſi diceret: Do tibi facultatem aſſiſtendi omnibus matrimoniis in parochia mea celebrandis. Ratio eſt, quia facultatem datam non reſtringeret ad certum locum in primo caſu, & in ſecundo reſtringeret.

Quares, Quandonam cùm facultas aſſiſtendi matrimonio conceditur à Parocho ſub conditione, conceſſio ſit nulla, ſi non impleatur conditio?

Reſp. Vel Parochus appoſuit conditionem, ut matrimonium decenter contrahatur, & tunc vales conceſſio, licèt non impleatur conditio: nam ſi Parochus intendit, ut matrimonium contrahatur decenter, multò magis intendit, ut contrahatur validè: at non contraheretur validè, non impleta conditione, ſi non niſi impleta conditione valida eſſet conceſſio. Ergo non vult valorem conceſſionis ab impletione conditionis pendere. Idem infert à fortiori, ſi conditionem apponit, ut matrimonium invalidè contrahatur: nam alioquin contingere poſſet, ut ex defectu conceſſionis matrimonium eſſet nullum, quod everteret finem à Parocho intentum. Vel Parochus apponit conditionem, ne matrimonium validè contractum, cedat in præjudicium tertii; & tunc non impleta conditione, nulla eſt conceſſio; quia Parochus intendit nullum eſſe matrimonium, ſi non impleatur conditio, adeoque ſi non impleatur conditio, nullam eſſe conceſſionem à ſe factam; alioquin non impediretur præjudicium tertii, quod tamen efficaciter intendit impedire.

Itaque ſi Parochus dicat v.g. Do tibi facultatem aſſiſtendi matrimonio, modò præmittantur denunciationes; vel modò diligenter inquiras, an non ſubſit aliquod impedimentum; vel, modò contracturis præcipias, ne conſumment matrimonium ante benedictionem; conceſſio valida eſt, etiamſi non impleatur conditio: quia tunc non intendit impedire valorem matrimonii ex hypotheſi non impletæ conditionis. At ſi dicat v.g. Do tibi facultatem aſſiſtendi matrimonio, dum modò ſponſus non ſit obligatus alteri per ſponſalia, quæ cum ea antea contraxerit; conditione non ſubſiſtente, conceſſio invalida eſt, quia Parochus efficaciter intendit impedire damnum tertiæ, adeoque nullum eſſet matrimonium, conditione non ſubſiſtente,

§. XIX.

De teſtibus ad valorem matrimonii requiſitis.

AD valorem matrimonii requiritur, 1. Ut præter Parochum adſint ad minimum duo teſtes. Patet ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim. 2. Ut teſtes habeant judicium ſufficiens ad intelligendum quod agitur, & ad illud poſtea, cùm opus erit, teſtandum: non eſt tamen neceſſe, ut ſint omni exceptione majores; nam ſi voluiſſet Synodus, ut eſſent tales, contra quos non poſſet excipi, hoc procul dubio expreſſiſſet; nullas autem in illis qualitates requirit, niſi ut unus ſit Parochus, vel ſacerdos, qui adſit de licentia Parochi. 3. Ut Parochus, & alii teſtes ita præſentes ſint, ut re ipſa intelligant id quod agitur, quia nemo teſtis eſſe poteſt ejus rei, quam fieri non intelligit: neque obeſt, quòd non fuerint vocati, nec ad eum finem venerint, ut teſtes eſſent, ſed fortuitò adſint, vel non adſint, niſi omninò inviti, & quantùm poſſunt reluctantes: quia, quod ſufficit, nihilominùs ea quæ geruntur, intelligere & teſtari poſſunt.

Porrò qui contrahunt coram Parocho invito, graviter peccant, quia gravem irreverentiam admittunt adversùs Eccleſiam, cujus ille perſonam ſuſtinet: quamvis non deſit caſus, in quo hoc non eſſet illicitum, ut ſi irrationabiliter nollet adeſſe matrimonio, nec pateret recurſus ad Superiorem,

§. XX.

Utrùm Summus Pontifex poſſit diſpenſare in impedimentis matrimonii.

1. DIſpenſare non poteſt in impedimentis matrimonium jure naturali dirimentibus, qualia ſunt error circa perſonam, ligamen prioris matrimonii conſummati, amentia, impotentia ad copulam, conſanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo lineæ tranſverſæ. Ratio eſt, quia non invenitur unquam diſpenſaſſe in impedimentis hujuſmodi, nec aliunde apparet, quòd in illis diſpenſandi poteſtatem à Chriſto acceperit.

2. In aliis impedimentis, quæ ſolo jure eccleſiaſtico matrimonium dirimunt, diſpenſare poteſt, quia eſt Caput Eccleſiæ, & toto jure eccleſiaſtico Superior. Porrò vel juſtam habet cauſam diſpenſandi, vel non habet. Si primum, non ſolùm validè, ſed etiam licitè diſpenſat. Si ſecundum, validè quidem diſpenſat, ſed illicitè. Hinc

Collige, 1. ſubreptitiam & nullam eſſe diſpenſationem, quæ ex falſa cauſa obtenta eſt. Ratio eſt, quia non licet Pontifici diſpenſare ſine juſta cauſa, & cenſeri non poteſt velle facere id quod ſibi non licet. Ergo cenſeri non poteſt velle diſpenſare ſine juſta cauſa. 2. Eum, quem Pontifex delegavit ad diſpenſandum in impedimentis matrimonii, non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè diſpenſare, ſi diſpenſet ſine juſta cauſa. Ratio eſt, quia cenſeri non poteſt Pontifex dediſſe facultatem diſpenſandi in iis circumſtantiis in quibus hoc ipſe non niſi illicitè faceret,

§. XXI.

Quænam ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus.

ANtequam matrimonium ſit contractum, juſta cauſa diſpenſandi eſt. 1. Notabile bonum privatorum diſpenſationem petentium, aliquo modo redundans in bonum commune, quod multiplex eſſe poteſt, & prudenti judicio relinquitur æſtimandum. 2. Grave delictum, vel periculum ſalutis aliquorum, quod certò incurrent, niſi contrahant. 3. Meritum petentis diſpenſationem, quia æquum eſt, ut qui bene meritus eſt de Eccleſia, ejus benignitatem experiatur. 4. Mulcta pecuniaria in opus pium, vel bonum publicum, quæ eò major eſſe debet, quò graviorem cauſam exigit diſpenſatio, ut ſit licita.

Poſtquam matrimonium contractum eſt in facie Eccleſiæ, præmiſſis denunciationibus, & una ſaltem parte impedimentum ignorante, juſta cauſa diſpenſandi eſt. 1. Proles ex matrimonio bona fide ſuſcepta, ut poſſit legitimari. 2. Ipſummet matrimonium ſic contractum ignoranter vel ab utraque, vel ſaltem ab altera parte, & conſummatum, quia conjuges, qui tale matrimonium contraxerunt, ſeparari non poſſunt ſine gravi incommodo, & bona fides meretur indulgentiam.

Secùs eſſet, ſi matrimonium contractum fuiſſet, utraque parte impedimentum ſciente, vel neglectis ſolemnitatibus in contrahendo matrimonio requiſitis, ut patet ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. matrim. ubi dicitur: *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem*

igno-

Digitized by Google

ignorantiam habuit: tunc facilius cum eo & gratis diſpenſari poterit.

Nota obiter. Longè aliter ſentiendum eſt de matrimonio contracto in facie Eccleſiæ, præmiſſis denunciationibus, cum impedimento dirimente ab utraque parte probabiliter ignorato, quàm de matrimonio contracto cum impedimento dirimente, vel omiſſis denunciationibus, vel utraque parte impedimentum ſciente: nam proles ex hoc matrimonio ſuſcepta, prorſus illegitima cenſetur, ex cap. *Cum inhibitio* §. *Si quis*, de ſponſa duorum: ſuſcepta verò ex alio, habetur ut legitima, & in bona paterna hæreditario jure ſuccedit, ac de parentum facultatibus nutriri debet, etiamſi ſeparetur matrimonium, ex cap. *Cum inter* 2. qui filii ſint legitimi. Quod ſuperiùs dicta confirmant.

§. XXII.

Utrùm Epiſcopi diſpenſare poſſint in impedimentis matrimonii.

1. AD matrimonium contrahendum Epiſcopi non poſſunt poteſtate ordinaria diſpenſare in impedimentis matrimonium dirimentibus. Ratio eſt, quia impedimenta illa ſtatuta fuerunt vel à Pontifice, vel à Concilio generali, quorum authoritati ſubjecti ſunt Epiſcopi; & inferior non poteſt ordinariè diſpenſare in lege ſuperioris, ut intelligitur ex cap. *Inferior* 4. diſt. 21. & ex Clement. *Ne Romani* 2. de electione, &c.

Porrò ſententiam eorum, qui volunt Epiſcopos Galliæ ex conſuetudine legitimè præſcripta diſpenſare poſſe ad matrimonium contrahendum in quarto aut etiam tertio gradu conſanguinitatis vel affinitatis, exagitat Cabaſſutius lib. 3. Theoriæ & praxis Juris canonici cap. 27. num. 5. & 6. ubi allata authoritate duorum Conciliorum in Gallia celebratorum, Turonenſis ſcilicet anno 1583. & Toloſani 1590. præfatæ ſententiæ adverſantium, ſic proſequitur: *Sanè iſtæ ab Epiſcopis conceſſæ diſpenſationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem cauſant ſacramenti. At verò in re ſacramentaria unanimes docent Theologi, non eſſe licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermiſſo, quod adhiberi poſſit: atque ita licentia iſta vel neceſſariam inducit ſacramenti nullitatem, aut ad ſummum tutiore ſimul & probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam in tanti momenti ſacramento conſectatur opinionem.*

2. Poſtquam matrimonium cum impedimento dirimente contractum eſt, poteſt Epiſcopus ex tacita Pontificis conceſſione pro foro conſcientiæ diſpenſare in impedimento dirimente, concurrentibus his ſex circumſtantiis. Prima eſt, ut matrimonium contractum ſit in facie Eccleſiæ, præmiſſis proclamationibus. Secunda, ut matrimonium contractum ſit bona fide ex juris vel facti ignorantia probabili. Tertia, ut matrimonium ſit conſummatum. Quarta, ut impedimentum occultum ſit. Quinta, ut ſeparatio fieri non poſſit abſque ſcandalo, & famæ jactura. Sexta, ut vel non poſſit diſpenſatio differri ſine morali periculo peccandi, vel conjuges ob inopiam aut locorum diſtantiam Pontificem, vel alium, qui diſpenſandi privilegium habeat, adire per ſe vel per alios non poſſint. Ita ſentiunt Doctores communiter.

Porrò poteſtatem hanc non habet Vicarius generalis Epiſcopi ex eo præciſè, quòd talis eſt. Ratio eſt, quia hæc poteſtas Epiſcopo non competit ex officio; ſed poteſt Epiſcopus hanc ei, ſicut & aliis committere. Ratio eſt, quia facultas diſpenſandi in caſu propoſito pro foro conſcientiæ competit Epiſcopo quaſi poteſtate ordinaria ex tacita conceſſione Pontificia.

3. Epiſcopus poteſt ex juſta cauſa ob conſuetudinem ubique receptam diſpenſare in votis matrimonium impedientibus, exceptis voto caſtitatis perpetuæ, & voto Religionis approbatæ. Poteſt igitur ex juſta cauſa diſpenſare in voto non nubendi, voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, voto ingrediendi Religionem non approbatam, & voto caſtitatis ad tempus aliquod determinatum ſervandæ. Ita Doctores communiter. Idem omninò dic de Legato Apoſtolico, quia eandem in ſua provincia poteſtatem habet, quam Epiſcopus in diœceſi ſua, non autem majorem, niſi tamen ei ſpeciatim concedatur amplior.

4. Denique Epiſcopus diſpenſare poteſt in impedimentis, quæ non dirimunt matrimonium, quia ei jam validè contracto ſuperveniunt, ſed impediunt exactionem debiti, & uſum matrimonii, qualis eſt affinitas inter conjuges ex inceſtu proveniens. Ita ſentiunt Doctores communiter, teſte Silveſtro. Tenetur autem Epiſcopus pœnitentiam imponere pro gravitate inceſtus.

§. XXIII.

Quandonam diſpenſatio obtenta, ſit irrita.

NOta. Duplex à Doctoribus diſtinguitur cauſa, qua Pontifex moveri poteſt ad diſpenſandum; finalis, ſcilicet, & impulſiva. Cauſa finalis dicitur ea, quam præcipuè ſpectat diſpenſans, & qua movetur ad diſpenſandum; ita ut ſine illa aut nullo modo, aut non niſi cum quibuſdam conditionibus & limitationibus diſpenſaret. Cauſa verò impulſiva dicitur ea, propter quam diſpenſans faciliùs diſpenſat; ita tamen ut ſine illa ſecundùm rectam rationem, & cauſæ meritum, eſſet diſpenſaturus eodem modo: diſpenſans enim, quia diſpenſando agit ut perſona publica, ſemper præſumi debet, niſi conſtet de contrario, in concedendis, ſicut & negandis diſpenſationibus velle procedere ſecundùm quod juſtitia diſtributiva, adeoque ſecundùm quod recta ratio & meritum cauſæ exigunt.

Nota iterum. Quando petitur diſpenſatio, vel una tantùm affertur cauſa diſpenſandi, vel plures afferuntur. Si primum, cauſa illa cenſetur finalis: nam nec aliam cauſam ſubeſſe, nec diſpenſantem ſine cauſa diſpenſare voluiſſe præſumi poteſt. Si ſecundum, cauſæ illæ cenſeri debent finales, quæ quaſi intrinſecè afficiunt rem, in qua diſpenſandum eſt, & diſpenſationem efficiunt juſtam & rationabilem. Quòd ſi una vel altera ſufficit ad hoc, ut æquum diſpenſatorem communiter moveat ad diſpenſandum, reliquæ omnes haberi poſſunt ut impulſivæ: unde expreſſio falſi in illis non impedit diſpenſationis valorem, quem impedirent, ſi non adeſſent aliæ cauſæ, ad juſtè & rationabiliter diſpenſandum ſufficientes.

Nota 3. In petitione diſpenſationis exprimi falſum, & verum reticeri poteſt. Expreſſio autem falſi, ſicut & veri reticentia, pertinet aliquando ad cauſam finalem, aliquando ad impulſivam tantùm. Expreſſio falſi pertinet ad cauſam finalem, quando non affertur alia vera cauſa, ſufficiens ad æquam & rationabilem diſpenſationem: quando verò affertur alia hujuſmodi cauſa, ad cauſam tantùm impulſivam pertinet.

Reticentia veri pertinet ad cauſam finalem, quando verum, quod reticetur, intrinſecè afficit rem, in qua diſpenſandum eſt, & ſi cognitum eſſet, æquum ac prudentem ſuperiorem rationabiliter averteret à concedenda, vel ſaltem à tali modo concedenda diſpenſatione. Pertinet ad cauſam impulſivam tantum, quando cognitum à danda diſpenſatione non averteret ſuperiorem, ſed ſolùm difficiliorem efficeret; aut extrinſecè tantùm afficit rem, in qua diſpenſandum eſt, & ita ſi cognitum à danda diſpenſatione averteret ſuperiorem, non ob defectum cauſæ ſufficientis ad diſpenſandum rationabiliter, ſed aliunde averteret, putà ob privatum aliquem affectum, aut errorem ſuperioris, ob improbitatem petentis diſpenſationem, ob injuriam aliàs ab eo ſuperiori illatam, &c. His præſuppoſitis.

Reſp. 1. Si in petitione diſpenſationis reticeatur aliquid, quod Jus, aut ſtilus Curiæ jubet exprimi, nulla

Digitized by Google

nulla eſt diſpenſatio. Ratio eſt, quia talis diſpenſatio eſt obtenta per ſubreptionem. Atqui diſpenſatio per ſubreptionem obtenta, ipſo jure nulla eſt, ut apertè colligitur ex c. *Si is* de filiis presbyterorum, &c. in 6. ubi Pontifex de quadam diſpenſatione loquens, ait : *Veluti per ſubreptionem obtenta, nullius penitùs ſit momenti*. Ergo, &c, *Prob. maj.* Nam diſpenſatio illa non poteſt non cenſeri per ſubreptionem obtenta, quæ obtenta eſt contra voluntatem Superioris. Atqui talis eſt diſpenſatio, in cujus petitione omiſſum fuit aliquid, quod Jus, vel ſtylus Curiæ jubet exprimi, quæque proinde petita non fuit in forma præſcripta. Ergo, &c. Hinc

Si conſanguinei vel affines inter ſe carnalem copulam habuerint, & poſteà petant diſpenſationem in impedimento conſanguinitatis vel affinitatis, diſpenſatio erit ſubreptitia, & nulla, niſi in petitione copulam illam exprimant. Ratio eſt, quia juxta communiorem Doctorum ſententiam, ſtylus Curiæ copulam carnalem, cùm inter conſanguineos vel affines præceſſit, ſive publica ſit, ſive non, jubet exprimi in petitione diſpenſationis. Putant tamen aliqui neceſſariam non eſſe expreſſionem copulæ ad hoc ut valida ſit diſpenſatio, quando copula illa eſt occulta.

Reſp. 2. Expreſſio falſi pertinens ad cauſam finalem, irritat diſpenſationem: nam, ut obſervatum eſt, pertinet ad cauſam finalem, cùm non affertur in petitione alia vera cauſa ad juſtam & rationabilem diſpenſationem ſufficiens : unde tunc Superior diſpenſans, vel vult diſpenſare ſine cauſa diſpenſandi juſtè & rationabiliter; vel diſpenſat propter cauſam falsò expreſſam, quam judicat ad juſtam & rationabilem diſpenſationem ſufficere. Primum præſumi non poteſt, quia Superior non poteſt ſic diſpenſare ſine gravi peccato, Ergo tunc Superior diſpenſat propter cauſam falsò expreſſam, adeòque ex mero errore diſpenſat. Ergo tunc diſpenſatio per ſubreptionem obtinetur; diſpenſationem enim per ſubreptionem obtineri, & eam obtineri per errorem dantem cauſam ejus conceſſioni, unum & idem ſunt, Ergo tunc diſpenſatio eſt irrita.

Reſp. 3. Expreſſio falſi pertinens tantùm ad cauſam impulſivam, non irritat diſpenſationem. Ratio eſt, quia, ut notatum eſt, expreſſio falſi pertinere dicitur tantùm ad cauſam impulſivam, cùm in petitione affertur alia vera cauſa, ſufficiens ad juſtam & rationabilem diſpenſationem. Ergo tunc diſpenſatio cenſeri non poteſt facta per errorem; cùm afferatur ſufficiens ratio ad diſpenſandum juſtè & rationabiliter. Ergo tunc diſpenſatio cenſeri non poteſt per ſubreptionem obtenta, adeòque non irrita cenſenda eſt, ſed valida.

Reſp. 4. Reticentia veri, cùm ad cauſam finalem pertinet, diſpenſationem irritat. Ratio eſt, quia tunc verum, quod reticetur, intrinſecè afficit rem, in qua diſpenſandum eſt; & ſi cognitum eſſet à Superiore, eum rationabiliter averteret à danda, aut certè à tali modo danda diſpenſatione. Ergo tunc Superior cenſeri debet diſpenſare per errorem. Ergo tunc diſpenſatio cenſeri debet ſubreptitia, adeòque irrita.

Reſp. 5. Reticentia veri, cùm pertinet tantùm ad cauſam impulſivam, diſpenſationem non irritat. Ratio eſt, quia tunc verum, quod reticetur, ſi cognitum eſſet à Superiore, aut eum tantùm difficiliorem efficeret in concedenda diſpenſatione, aut ſi à concedenda averteret, non averteret ex defectu ſufficientis cauſæ ad diſpenſandum juſtè & rationabiliter. Ergo tunc Superior diſpenſans, vero aliquo à petente ſuppreſſo, cenſeri non poteſt per errorem diſpenſare; cum adhuc diſpenſet ex juſta & rationabili cauſa diſpenſandi. Ergo tunc diſpenſatio cenſeri non poteſt obtenta per ſubreptionem. Ergo tunc irrita non eſt.

Reſp. 6. Quando gratia diſpenſationis diviſibilis eſt, expreſſio falſi, (idem dic de reticentia veri) etiamſi ad cauſam finalem pertineat, per ignorantiam vel ſimplicitatem facta, non vitiat eam diſpenſationis partem, quæ ſecundùm cauſæ meritum conceſſa fuit, ſed eam tantùm, quæ, vero cognito, ex defectu cauſæ ſufficientis ad juſtè & rationabiliter diſpenſandum conceſſa non fuiſſet : facta verò per fraudem vel malitiam, vitiat totam diſpenſationem, totaque diſpenſatio in pœnam fraudis vel malitiæ petentis, irrita eſt. Apertè colligitur ex cap. *Super litteris* 20. extra de reſcriptis.

Itaque ſi Titius petens diſpenſationem v. g. in voto caſtitatis, & ſimul ut ducat conſanguineam, pro prima diſpenſationis parte veram, pro ſecunda verò falſam cauſam afferat in petitione, vel bona fide procedit, vel non. Si primum, obtenta diſpenſatio quoad ſecundam tantùm partem erit irrita; atque ita Titius non poterit quidem ducere conſanguineam, at poterit uxorem accipere, quia cum eo diſpenſatum erit in voto caſtitatis. Si ſecundum, nulla omninò erit diſpenſatio obtenta; & ſic Titius nec conſanguineam, nec aliam ducere poterit uxorem.

Quæres 1. Quid explicandum ſit, cùm petitur diſpenſatio in impedimento conſanguinitatis vel affinitatis?

Reſp. 1. Si conſanguinitas vel affinitas ſit in linea recta, clarè debet exprimi, ſicut & in quoto conſanguinitatis vel affinitatis gradu ſeſe contingunt ii, qui volunt contrahere. Ratio eſt, quia in his caſibus reticentia veri pertinet ad cauſam finalem, adeòque ſubreptitiam efficit diſpenſationem.

At inquies. Quid ſi conſanguinei, qui volunt inter ſe contrahere, diſtent inæqualiter à communi ſtipite? *Reſp.* Si propinquior eſt in ſecundo ſaltem gradu, & alter in tertio aut quarto, ſufficit ſi hic gradus exprimatur, quia verè conſanguinei in tertio aut quarto gradu diſtant: unde falſum non exprimitur, ſed nec reticetur verum, quod ad cauſam finalem pertineat.

Dixi autem, in ſecundo ſaltem gradu: nam ſi propinquior à communi ſtipite diſtat in primo gradu, ut ſi quis velit contrahere cum ſorore patris, aut cum avi filia, hoc exprimendum eſſet, ne ſubreptitia ſit diſpenſatio, ut declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Attendens per quandam*, edita anno 1566. in qua addit, Pontificem nunquam velle in tali caſu diſpenſare, propter ſingularem indecentiam, quam habent hujuſmodi matrimonia; cùm penè eadem, quæ parentibus, reverentia talibus perſonis debeatur.

Quæres 2. Quid explicandum ſit, quando petitur diſpenſatio in impedimento cognationis ſpiritualis, vel publicæ honeſtatis?

Reſp. 1. Explicari debet, in impedimento cognationis ſpiritualis, utrùm ſit paternitas, an compaternitas. Ratio eſt, quia longè magis dedecet, aliquem ducere filiam ſuam ſpiritualem, quàm ducere matrem ejus: unde non ſolet Pontifex diſpenſare in priori cognatione. Quare in caſu prioris cognationis reticentia veri pertinet ad cauſam finalem, & diſpenſationem ut ſubreptitiam irritat.

Reſp. 2. In impedimento publicæ honeſtatis, ſi ortum eſt non ex ſponſalibus, ſed ex matrimonio rato, id explicandum eſt. Ratio eſt, quia impedimentum publicæ honeſtatis longè fortiùs ligat, cum ex matrimonio non conſummato ortum eſt, quàm cùm ortum eſt ex ſolis ſponſalibus: unde tunc reticentia veri pertinet ad cauſam finalem, & propter illam diſpenſatio cenſebitur obtenta per ſubreptionem. Similiter propter eandem rationem, ſi affinitas orta eſt non ex fornicaria, ſed ex conjugali copula, id explicari debet: nam cùm ex conjugali copula orta eſt, & major reputatur ſecundum jura, & involuit impedimentum publicæ honeſtatis, matrimonium dirimens uſque ad quartum gradum.

Quæres 3. Quid faciendum ſit, quando plura ſunt impedimenta?

Reſp. Quando plura ſunt impedimenta, omnia explicanda ſunt. Ratio eſt, quia uno impedimento per diſpenſationem ſublato, manet adhuc alterum. Hinc ſi Titius velit ducere Bertam, cujus pater & mater ſunt ei conſanguinei, aut cujus duas ſorores cognovit carnaliter, hoc in petitione explicari debet: nam reverà tunc duplex eſt impedimentum, quia Titius

Bertæ

Digitized by Google

Bertæ duplici conſanguinitate vel affinitate conjunctus eſt: neceſſe tamen non eſt, ut exprimat, quoties ſorores ejus cognoverit, quia copula carnalis multiplicata non auget affinitatem. Sed

Quæres 4. utrùm quando ſunt plura impedimenta, omnia explicari debeant in una & eadem petitione?

Reſp. 1. Impedimenta duplicis generis ſunt: nam alia ſunt veluti cognata, & ejuſdem quaſi rationis, ut conſanguinitas & affinitas: unde conjuncta faciunt unam & eandem indecentiam reſpectu matrimonii contrahendi longè majorem, quàm ſingula ſeorſim efficerent. Alia verò ſunt diſparata, & diverſæ rationis, ut conſanguinitas & votum: unde conjuncta non faciunt unam & eandem repugnantiam cum matrimonio contrahendo, ſed omninò diverſas, quarum una non intendit alteram.

Reſp. 2. Quando impedimenta ſunt ſecundi generis, & adeſt legitima cauſa diſpenſandi in utroque, tunc diſpenſationes ſeorſim peti poſſunt. Ratio eſt, quia unum impedimentum conjunctum alteri, non reddit intrinſecè difficiliorem ablationem ejus. Dixi autem, Et adeſt, &c. Nam v. g. ſi adeſt legitima cauſa diſpenſandi in conſanguinitate, ſine legitima cauſa diſpenſandi in voto, diſpenſatio in conſanguinitate fruſtra peteretur, & erit ſubreptitia, adeoque irrita, quia legitimum effectum ſortiri non poterit.

Nota. Diſpenſatio, quæ legitimum ſortiri non poteſt effectum, cenſeri debet per errorem data, ac proinde ſubreptitia, quia Superior, veritate cognita, rationabiliter & ex cauſa diſpenſationi intrinſeca non diſpenſaret: unde tunc reticentia veri pertinet ad cauſam finalem: atque ita tunc Superior cenſeri debet, ea mero errore motus fuiſſe ad diſpenſandum. Adde, cauſam diſpenſandi in impedimento conſanguinitatis, quæ quia ſecundùm ſe & abſolutè legitima eſt, ad juſtam & rationabilem diſpenſationem ſufficit in concurſu alterius impedimenti, in quo diſpenſari poteſt, re vera non ſufficere in concurſu alterius, in quo non poteſt diſpenſare. Ergo cùm in tali caſu Pontifex non intendat diſpenſare in impedimento conſanguinitatis, niſi ob cauſam ſufficientem ad diſpenſandum juſtè & rationabiliter, ex mero errore diſpenſabit, proindeque diſpenſatio erit per ſubreptionem conceſſa.

Reſp. 3. Quando impedimenta ſunt primi generis, diſpenſatio peti non poteſt in uno impedimento ſeorſim ab alio. Sic v. g. diſpenſatio peti non poteſt in conſanguinitate ſeorſim ab affinitate, quacum conjuncta eſt; & petita, ſi conceditur, erit conceſſa per ſubreptionem. Ratio eſt, quia diſpenſatio in conſanguinitate per ſe & intrinſecè difficilior eſt ratione conjunctæ affinitatis, quacum ſcilicet conſanguinitas majorem reſpectu matrimonii contrahendi indecentiam efficit, quàm efficeret ſola: unde fieri poſſet, ut Pontifex rationabiliter, & ea cauſa moraliter intrinſeca rei, in qua diſpenſandum eſt, non diſpenſaret, cognita affinitate conjuncta, cujus proinde reticentia ad cauſam finalem pertinet. Contrarium tamen ſentiunt alii, & dicunt diſpenſationes ſeparatim peti poſſe; ſed, ut nobis videtur, minùs probabiliter id aſſerunt.

At inques. Quid ſi Titius poſtquam obtinuit diſpenſationem ut ducat Bertam conſanguineam ſuam, antequam cum ea contrahat, cognoſcat carnaliter ſororem ejus, & ſic fiat ei de novo affinis? *R*. Titius petendo diſpenſationem in affinitate, quam poſtea contraxit, exprimere debebit conſanguinitatem, quamvis antea in illa jam diſpenſatum fuerit; alioquin meritò ſubreptitia cenſebitur diſpenſatio in affinitate poſtea contracta. Ratio eſt, quia affinitas poſtea contracta majorem cum matrimonio contrahendo repugnantiam habet propter conſanguinitatem, quæ eſſe non deſiit per diſpenſationem, quæque proinde juncta affinitati poſtea contractæ, non poteſt non augere inter Titium & Bertam vinculum propinquitatis. Quare reticentia conſanguinitatis non poterit non pertinere ad cauſam finalem, adeoque diſpenſationem in affinitate poſtea contracta ſubreptitiam efficere.

Quæres 6. ad quid teneantur conſanguinei vel affines, qui ſcientes impedimentum, contraxerunt, vel etiam conſummarunt matrimonium; aut contraxerunt, vel copulam habuerunt ea intentione, ut faciliùs diſpenſationem impetrarent; aut ignorantes impedimentum contraxerunt matrimonium, ſed omiſſis denunciationibus? *R*. Tenentur hæc omnia exprimere in petitione diſpenſationis, quia hoc exigit ſtylus Curiæ, & colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 24. cap. 5.

Quæres 7. utrùm licitè contrahi poſſit matrimonium, quando diſpenſatio apparet dubia?

R. negativè: nam qui utitur diſpenſatione dubia, quantùm eſt ea ſe, exponit ſe morali periculo contrahendi matrimonium invalidum. Ad hoc igitur, ut quis utatur diſpenſatione impetrata, requiritur ſaltem, ut omnibus attentè conſideratis, ſenſibiliter appareat ei veriſimilius, quòd valida ſit diſpenſatio: quia ſine hac veriſimilitudine ſenſibiliter majore, habere non poteſt moralem certitudinem de valore diſpenſationis, ſine qua certitudine non niſi temerè uti poterit diſpenſatione.

Quæres 8. utrùm cauſa legitima, ob quam diſpenſatio petitur, deficiente antequam Superior diſpenſet, valida ſit diſpenſatio?

Reſp. negativè; tunc enim ex mero errore Superior diſpenſat, adeoque diſpenſatio ſubreptitia eſt, & nulla redditur. E contra valida eſt, ſi cauſa legitima ſubſiſtit, cùm datur diſpenſatio, quamvis non ſubſiſteret, cùm petebatur; ad hoc enim ut validè diſpenſetur, omninò ſufficit, ſi tunc exiſtit cauſa legitima, cùm diſpenſatur.

At inques. Quid ſi cauſa finalis, ob quam diſpenſatio data eſt, deſinat ante contractum matrimonium? *Reſp.* Etiam tunc diſpenſatio nulla reddi videtur, ſi cauſa finalis totaliter deſinit. Ratio eſt, quia videtur non eſſe mens Superioris, ut pro tali caſu valeat diſpenſatio, cùm nulla ſit legitima cauſa id volendi. Quòd ſi cauſa finalis non ſic deſineret, niſi poſt matrimonium contractum, hoc non officeret, etiamſi matrimonium nondùm eſſet conſummatum. Ratio eſt, quia matrimonium ratum diſſolvi non poteſt, niſi alter conjugum Religionem ingrediatur, quod neuter tenetur facere. Dixi autem, Si cauſa finalis totaliter deſinit; cùm enim faciliùs permittatur uſus diſpenſationis, quàm ipſa detur, licet ea uti, ſi cauſa finalis magna adhùc ex parte ſubſiſtat.

§. XXIV.

De revalidatione matrimonii invalidè contracti propter impedimentum aliquod dirimens.

1. PEtenda eſt diſpenſatio: deinde debet uterque conjugum præſtare novum conſenſum; etiamſi alter tantùm ſit conſcius nullitatis matrimonii: cùm etiam uterque fuerit inhabilis ad contrahendum, conſenſus utriuſque fuit ab initio illegitimus & nullus.

2. Si unus tantùm conſcius eſt nullitatis, vel nullitas alteri eam ignoranti aperiri poteſt ſine morali periculo gravioris incommodi, vel non poteſt. Si primum, expedit ut aperiatur: hoc enim pacto alter certiùs inducetur ad præſtandum novum conſenſum; cùm ſine iſta manifeſtatione periculum ſit, ne non tam novum præſtet conſenſum, quàm priorem confirmet, & ita nihil agat: quia cùm prior conſenſus fuerit invalidus, ejus confirmatio ſufficere non poteſt ad revalidandum matrimonium. Si ſecundum, pars conſcia nullitatis non tenetur eam alteri declarare, ſed ſatis eſt, ſi eam ad novum conſenſum inducat, quod certè præſtare poteſt cum prudentis viri conſilio.

3. Si nullitas matrimonii notoria eſt, etiamſi matrimonium contractum fuerit in facie Eccleſiæ coram Parocho & teſtibus, ad illud revalidandum in locis, in quibus Tridentinum receptum eſt, non ſufficit conſenſus clandeſtinè renovatus, ſed requiritur ut conjuges iterum contrahant coram Parocho & teſtibus:

cùm

cùm enim prior Parochi & teſtium præſentia ſit notoriè nulla, conſenſu clandeſtinè renovato, non magis publicè conſtaret, & probari poſſet matrimonii validitas, quàm ſi nunquam coram Parocho & teſtibus contractum fuiſſet; quare hic locum habet conſtitutio Tridentini irritans matrimonia clandeſtina.

4. Si matrimonium coram Parocho & teſtibus contractum eſt, & ejus nullitas eſt occulta, nec probari poteſt in foro externo, ad ejus revalidationem ſatis erit ſi conjuges clandeſtinè renovent conſenſum ſuum. Ratio eſt quia ex hoc matrimonio ſic revalidato graviſſima illa, quæ ex clandeſtinis matrimoniis oriebantur incommoda, non magis oriri poſſunt, & tam conſtat publicè ejus validitas, quàm ſi ab initio validum fuiſſet: unde hic ceſſat ratio, ob quam Tridentinum requirit præſentiam Parochi & teſtium. Accedit praxis quotidiana Pœnitentiariæ, quæ cùm in impedimento occulto contractum matrimonium dirimente diſpenſat, nunquam requirit ut conſenſus coram Parocho & teſtibus renovetur.

Quæres, utrùm Confeſſarius teneatur pœnitentem admonere de nullitate matrimonii, quam ipſe pœnitens ignorat invincibiliter?

Reſp. 1. Si Confeſſarius non ſit Parochus, eique omnibus maturè ponderatis, veriſimilibus appareat, admonitionem nil profuturam, non tenetur pœnitentem admonere: nemo enim teneri poteſt ad actum, quem inutilem vel etiam noxium fore, prudenter judicat. 2. At ſi Confeſſarius eſt Parochus, & impedimentum probare poteſt in foro externo, tenetur monere pœnitentem, & eum, ſi nolit acquieſcere, denunciare Ordinario.

FINIS.

005672709

Digitized by Google